UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

urn:nbn:de:hbz:466:1-73212

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 443a.

D. V
4.

ETHICA AMORIS,

SIVE

THEOLOGIA SANCTORUM,

MAGNI PRÆSERTIM AUGUSTINI, ET THOMÆ AQUINATIS,

CIRCA

UNIVERSAM AMORIS & MORUM DOCTRINAM,

ADVERSUS NOVITIAS OPINIONES
Strenuè propugnata,

ET IN MATERIIS PRINCIPALITER HODIE CONTROVERSIS
Fundamentaliter discussa

Per Fr. HENRICUM A S. IGNATIO, Athensem, Ordinis Fratrum
Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Exprovincialem, nuper Commissarium
Generalem, S. Theologiæ emeritum Professorem.

Opus nedum Theologis, Animarumque Directoribus, sed & verbi Dei Præconibus utilissimum, plenâ manu argumenta subministrans, ad doctè & piè disserendum de omni materia, ad vitam Christianam pertinente.

TOMUS TERTIUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET SPECIE.

LIBROS OCTO COMPLECTENS.

Collegii Societ. JESU Paderbornæ 1730.

LEODII,
Ex Officina Typographica J. FRANCISCI BRONCART. 1709.

Cum Approbationibus & Superiorum permissu.

Liber I. *Amor ad Deum per Sacramenta perducens.*

Liber II. *Amor regenerans per Baptiſmum.*

Liber III. *Amor roborans per Confirmationem.*

Liber IV. *Amor paſcens per Euchariſtiam.*

Liber V. *Amor Deo reconcilians per Pœnitentiam.*

Liber VI. *Amor ungens ad extremam cum diabolo luctam.*

Liber VII. *Amor ordinans Miniſtros Eccleſiæ militantis.*

Liber VIII. *Amor procreans Colonos Eccleſiæ triumphantis.*

SANCTISSIMO CARDINALI

D. CAROLO BORROMÆO,

ECCLESIÆ MEDIOL. ARCHIEPISCOPO,

Ethices Christianæ, honorisque Sacramentorum
adversus eorum profanatores

RESTAURATORI ZELOSISSIMO.

Qui saluberrimis Instructionibus, ac Monitis suis, sacerdotalisque vigoris, & sanctioris vitæ exemplis per Mediolanensem Ecclesiam toti Orbi præluxit.

AD *locum unde exeunt flumina revertuntur* (CARDINALIS SANCTISSIME) & propterea ad Te sponte resluit parvulus iste de Sacramentis rivulus; utpote de Tuo illo fonte derivatus, qui *crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus est, atque in aquas plurimas redundavit.* Enimverò stillantem doctrinæ sanioris aquam ex Te derivavit. Tu alienus à vocibus eorum, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ne adulatoriis illis vocibus, vocumque blanditiis, commissum Tibi populum seducerent, zelosissimas hasce voces in Concilio tuo Mediolanensi sexto oppositisti: *aliud nos Spiritûs sancti doctrina docet, aliud Apostolorum Instituta monent, aliud Patrum exempla declarant, aliud Canonum leges jubent.* Atque ideò sanctissimas Instructiones Tuas non ex novellis infundatisque Juniorum Casuistarum opinionibus, neque ex mollioribus indulgentioris doctrinæ traditionibus, sed ex intimis visceribus Vetustatis, atque ex purioribus Christianæ Ethices fontibus deprompsisti, ex divina utique Scriptura, Sanctorumque Patrum praxi & doctrina; quorum plenus spiritu, neglectis insanis contradicentium, doctrinæque rigorem objectantium vocibus, dedisti Te, seu verius à Domino, pro doctrinæ salubrioris tuitione, velut alter Hieremias, datus es *in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum*, adversus linientes parietem luto, absque paleis & temperatura, qui beatificant populum seducentes, & dicentes, pax, pax, ubi non est pax. Tuoque illo sacerdotalis fortitudinis, immobilisque constantiæ exemplo, nobis Dux fuisti, ut & nos, neglectis similibus vocibus, & contradictionibus, sapientissima Monita, tutissimasque Instructiones Tuas constanter sequeremur. Jure proinde merito Tibi referimus acceptas nostras hasce de Sacramentis Institutiones, quia à Te mutuatas. Supplices ergo deprecamur, ut Tuo eas tutamine protegas, atque ut animarum saluti proficuæ sint, cælestium eis benedictionum abundantiam Tuis intercessionibus obtineas.

Eccles. 1.

Esther 10.

Hieremiæ 1.

ADMONITIO AD LECTOREM.

NE existimes, benevole Lector, quòd dum, sive in hoc tertio, sive in duobus prioribus Tomis, acriùs impugnare videor nonnullas Juniorum opiniones, seu earum Defensores, id à me fieri ex amaro in eos animo, quin potiùs ex ardenti pro veritate, animarumque salute pugnandi zelo. Vidi etenim, non sine magno animi mei mœrore, ab aliquam-multis controversias morales, sub humanitatis cujusdam lenocinio, ita plerùmque definiri, ut non tam veritati, salutarique institutioni, quàm personarum gratiæ, propriæque famæ & laudi, seu populari plausui, ancillari videantur. Vidi ab iisdem non solùm tradi opinamenta, quæ ob nimiam laxitatem, reverà videntur non ferenda, sed & ab ipsis palàm carpi sanctam, & ab Ecclesia probatam severitatem, à Patribus antiquis, & Sanctis novissimis traditam. Vidi traditionis istius Defensores ab ipsis palàm traduci velut Novatores, Bajanos, Jansenistas, Rigoristas; dogmataque ex visceribus Vetustatis fideliter excerpta, omni conviciorum, contumeliarumque genere, contra S. D. N. Innocentii XI. formale in virtute sanctæ obedientiæ præceptum, nullâ sobriâ consideratione dilacerari. Vidi nonnullos ex ipsis, agnoscentes quidem, quòd quatuor Sanctorum novissimorum, Thomæ de Villanova, Caroli Borromæi, Francisci Xaverii, & Francisci Salesii Monita & Institutiones, doctrinæ & praxi ipsorum adversentur; sed iis opponentes & præponentes turbam Casuistarum recentiorum, etiam postquam S. D. N. Innocentius XII. S. Caroli Institutiones Confessariis proposuit, velut AUREAM REGULAM assiduè præ manibus versandam, *quâ perversos populi Christiani mores facile sit ipsis restaurare.*

Et ideò zelo zelatus pro animarum salute, subinde quidem acriùs refellendam censui novitiam doctrinam ipsorum, utpote alienam omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque doctrina, prout S. D. N. Alexander VII. declaravit, non intendendo tamen personas, sed opiniones liberiores acriter redarguere. Hoc est enim quod Tomo primo Prolegomeno primo n. 98. hisce verbis expressè declaravi: hæc quæ dixi, vel dicturus sum, *adversus nimiam* (*ut plerisque sapientibus videtur*) *laxitatem, dixi, & dicturus sum*, non ad taxandas personas, vel intentionem Authorum, quasi scopus illorum sit, Christianæ disciplinæ corrumpere sanctitatem. Absit enim ut id suspicer de doctissimis, integerrimis, religiosissimisque Viris; quorum propositum existimo non aliud fuisse, nisi opiniones suas ad hominum imbecillitatem attemperare, ne immoderata severitas imbecilles homines in majora mala, vel etiam in desperationem adigeret; ad quod præcavendum, visum est ipsis *benigniùs cum hominibus agendum*..... Sed ut laudanda est benigna intentio ipsorum; *non pariter laudanda est prætensa benignitas, utpote* (*Sanctorum Cypriani, Chrysostomi, &c. judicio*) *vera crudelitas, benignitatis nomine palliata. Et rursus ibidem Libro XI. n.* 665. dum contra nonnullorum è Societate..... opiniones, ut mihi videtur, laxiores, divinæ gloriæ, salutisque animarum zelo succensus scribo, sincerè protestor, me id non facere ex malevolo in Societatem animo (utpote quam amavi & veneratus sum ab incunabulis..... Religiosis Societatis in pueritia & adolescentia mea usus pro directione animæ meæ) sed ex gemino illo zelo, eoque animi habitu, quem in omnibus postulat Augustinus, *cùm ait*: diligite homines, interficite errores. Sine superbia de veritate præsumite. Sine sævitia pro veritate certate.

Propterea siquando verbum acrius, erroris, imperitiæ, falsitatis, seu aliud minùs modestum è calamo minùs advertenter, ac præter intentionem fortassis exciderit, pro non dicto haberi volo; sanctèque protestor cum Cajetano in proœmio Commentariorum suorum in S. Thomam, quòd ubi defecero (*ut homo, nihil humani à me alienum putans*) Correctori gratias agam, *præsertim S. R. Ecclesiæ, cujus judicio omnia docta & scripta mea lubens subjicio.* Verba quoque erroris, falsitatis, ignorantiæ, & alia hujusmodi, non contra personas, sed contra opiniones, & hoc quatenùs minùs solidæ sunt, vel apparent, interpretanda esse volo, *calorique disputationis tribuendum, siquid excidit minùs reverenter dictum.*

INDEX

INDEX

Libros simul & Capita Tomi tertii complectens.

LIBER PRIMUS.

Amor ad Deum per Sacramenta perducens; sive de Sacramentis in genere.

CAput 1. *Sacramenti natura ac divisio, noveque legis Sacramentorum à Sacramentis Mosaycæ legis discrimen.* page 1

Caput 2. *Numerus Sacramentorum novæ legis.* 2

Caput 3. *Sacramentorum novæ legis divisio.* 4

Caput 4. *Omnia novæ legis Sacramenta Christus Dominus immediatè instituit. Non videtur tamen fidei certum, sic omnia per seipsum immediatè instituisse, ut pro nonnullis usus non fuerit ministerio Apostolorum, tamquam executorum mandati sui; in eo proinde non agentium virtute & authoritate propriâ & principali (sicut in conditione legum Ecclesiasticarum) sed virtute & authoritate Christi, tamquam causæ principalis; nec suo, sed ipsius nomine, ac mandato. Sic proinde ut tota institutio Christo adscribenda sit.* 4

Caput 5. *Omnia novæ legis Sacramenta perficiuntur rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ.* 5

Caput 6. *Materiam & formam Sacramentorum novæ legis Christus sic instituit, ut à se institutam Ecclesia immutare non possit, nec immutandi potestatem Christus ipsi reliquerit.* 5

Caput 7. *Sacramentum est nullum, quoties materia, vel forma à Christo instituta, substantialiter mutatur. Secus si accidentaliter tantum. Mutationis substantialis modi quinque recensentur.* 7

Caput 8. *Peccat graviter contra religionem & charitatem, qui (citra cogentem necessitatem) sciens & volens, administrat Sacramentum cum materia vel forma solùm probabiliter validâ, relictâ eâ, quæ certi valoris est.* 8

Caput 9. *Occurritur argumentis, quæ objiciuntur adversus dicta capite præcedenti.* 10

Caput 10. *Solis hominibus, non Angelis, data est à Christo potestas Sacramenta conficiendi, & administrandi. In quorum tamen ministerio, solus Christus est Minister principalis.* 11

Caput 11. *Ad validam Sacramentorum confectionem necessaria non est fides, nec probitas Ministri; necessaria tamen est interna voluntas ipsius, qua intendat facere quod facit Ecclesia, facere utique Sacramentum.* 12

Caput 12. *Satisfit argumentis in contrarium.* 15

Caput 13. *Tametsi defectum, seu intentionis Ministri, seu materiæ vel formæ, respectu adultorum, quoad gratiæ necessariæ effectum, supplere possit votum Sacramenti: respectu infantium, sine baptismo morientium, non supplet misericordia Dei.* 18

Caput 14. *Opportuna digressio, qua variis exemplis ostenditur, quàm verè, quamque sapienter Pallavicinus dixerit, nostræ de divina misericordia existimationi evagandum non esse extra eos fines, quos Deus per sacras Litteras commonstravit. Qui hos fines ausit prætergredi, specie pietatis in errores labi.* 19

Caput 15. *Ad perficiendum Sacramentum non sufficit habitualis intentio Ministri: nec requiritur actualis: sufficit virtualis.* 21

Caput 16. *Mortaliter haud dubiè peccat Minister, Sacramentum quodcumque administrans cum conscientia peccati mortalis.* 23

Caput 17. *Minister sibi conscius peccati mortalis, tenetur sacramentaliter confiteri, priusquam Sacramentum quodcumque administret, si Confessarii copia non desit, & necessitas statim succurrendi proximo extremè periclitanti non obsit.* 24

Caput 18. *Peccatori occulto, publicè petenti, Minister negare non debet Sacramentum. Sed illud negare debet peccatori occulto, occultè petenti, sicut & peccatori publico, sive occultè, sive publicè petat. Nec metus mortis excusat administrationem scienter factam indigno; uti nec simulatam Sacramenti administrationem.* 26

Caput 19. *Omnes curam animarum habentes, administrandum Sacramenta sæpè tenentur, cum periculo mortis.* 28

Caput 20. *Momentosa, ex dictis capite præcedenti, Corollaria derivantur.* 30

Caput 21. *Ad validam susceptionem Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonii, requiritur positivus consensus adulti suscipientis. An etiam ad validam susceptionem Confirmationis & Ordinis, necnon ad fructuosam susceptionem Eucharistiæ? controvertitur.* 31

Caput 22. *Ad licitam receptionem Sacramenti vivorum, status gratiæ usque adeò requiritur, ut sacrilegium committat, quisquis dispositionem pro gratia habituali comparandæ necessariam scienter omittit, etiam in casu quo necessitas non concedit tempus comparandæ contritioni necessarium.* 32

Caput 23. *Conscientiam habens peccati mortalis, sacramentaliter confiteri tenetur, antequam recipiat Sacramentum vivorum.* 33

Caput 24. *Nullum aliud Sacramentum, à non baptizato validè & fructuosè recipi, verum est, & secundum hoc procedendum in praxi, sed dubitabile, non omninò certum in speculatione.* 33

Caput 25. *Licitum subinde est Sacramenta petere & recipere à Ministro malo, etiam hæretico, schismatico, vel aliàs excommunicato, non tolerato; si mortis necessitas urgeat. Imò & absque necessitate à Ministro malo, tolerato, si copia non sit probi Ministri.* 34

Caput 26. *Sacramenta omnia novæ legis gratiam sanctificantem dignè sumentibus conferunt ex opere operato, sicut & opportuno tempore gratiam actualem (quam vocant) sacramentalem, usui ac fini cujusque Sacramenti propriam, & accommodatam.* 35

Caput 27. *Tametsi sola Sacramenta mortuorum, Baptismus scilicet & pœnitentia, per se, sive ex*

primaria sua institutione, conferant primam gratiam; reliqua tamen Sacramenta per accidens eam subinde conferunt. 35
Caput 28. *Sacramenta ejusdem speciei conferunt ex opere operato majorem gratiam melius dispositis: æqualiter dispositis (v. g. Baptismus infantibus) æqualem.* 37
Caput 29. *Non omnia Sacramenta fictè suscepta, sublatâ fictione reviviscunt; sed solus Baptismus, & fortè duo alia characterem imprimentia, Confirmatio scilicet, & Ordo; fortè etiam Matrimonium.* 37
Caput 30. *Per nulla Sacramenta, per nullam etiam contritionem, peccata post Baptismum commissa, remittuntur absque ordine ad claves.* 38

LIBER SECUNDUS.

Amor regenerans per Baptismum; sive de Sacramento Baptismi.

Caput 1. *Baptismi definitio, divisio, & institutio.* 39
Caput 2. *Baptismi obligatio solùm incœpit post passionem & resurrectionem Christi; imò probabilius, solùm post Evangelium in die Pentecostes solemniter promulgatum.* 40
Caput 3. *Materia remota Baptismi.* 41
Caput 4. *Baptismi materia proxima.* 43
Caput 5. *Forma Baptismi.* 44
Caput 6. *Non valet Baptismus sub expresso solius Christi nomine collatus. Nec Apostoli sic unquam baptizarunt.* 45
Caput 7. *Nunquam valuit Baptismus, sub hac forma collatus:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen: *prætermissis illis:* Ego te baptizo. 46
Caput 8. *Ad Baptismi valorem non solùm exprimenda est Personarum Trinitas, sub propriis & distinctis nominibus personalibus, sed & divinæ naturæ Unitas.* 47
Caput 9. *Referuntur variæ formæ, de quarum valore dubitare quis posset.* 48
Caput 10. *Minister Baptismi.* ibid.
Caput 11. *Subjectum Baptismi.* 51
Caput 12. *Necessitas & obligatio Baptismi.* 56
Caput 13. *Infantes omnes, etiam fidelium, & piissimorum parentum, sine Baptismo fluminis, & sanguinis morientes, secundùm communem doctrinam veterum Patrum, damnantur ad ignem æternum, tametsi mitissimâ præ cæteris pœnâ.* 57
Caput 14. *Dispositiones ad Baptismum suscipiendum adultis necessariæ. Ubi fusè de necessitate amoris Dei propter se, ad Baptismum fructuosè recipiendum.* 58
Caput 15. *Triplex effectus Baptismi fluminis. Ubi etiam de effectibus Baptismi flaminis, & sanguinis.* 61
Caput 16. *Ad consequendum dictum effectum Baptismi sanguinis, seu martyrii, necessarius est amor Dei propter se, ita ut martyrium pro Christo, sive ex amore ipsius sustineatur.* 63
Caput 17. *Casus, in quibus Baptismus sub conatione reiterandus est.* 63
Caput 18. *Necessitas, officium & obligatio Patrinorum in Baptismo adhibendorum.* 65
Caput 19. *Obligatio baptizatorum ad servanda promissa baptismalia.* 66

LIBER TERTIUS.

Amor roborans per Confirmationem; sive de Sacramento Confirmationis.

Caput 1. *Sacramenti Confirmationis definitio, seu potiùs descriptio.* 69
Caput 2. *Confirmatio est verum novæ legis Sacramentum.* ibid.
Caput 3. *Oleum esse de necessitate hujus Sacramenti certum est.* 70
Caput 4. *Balsamum, oleo mixtum, esse de necessitate Sacramenti, non est ita certum.* 70
Caput 5. *Chrysma necessariò esse debet ab Episcopo benedictum. An necessitate Sacramenti? Communis est sententia quòd sic; tametsi non usquequaque certa.* 71
Caput 6. *Unctio chrysmatis fieri debet, ad modum crucis, in fronte. Si quid horum prætermittitur, Sacramentum est nullum: tametsi de eo non omnes conveniant.* 72
Caput 7. *Impositio manûs, vel manuum, verisimilius est essentialis, sive de necessitate Sacramenti.* 72
Caput 8. *Tametsi solus Episcopus sit ordinarius hujus Sacramenti Minister, simplex Sacerdos, ex Summi Pontificis commissione, esse potest Minister extraordinarius illius.* 74
Caput 9. *Non omnia, quæ exprimuntur in forma Latinorum, tradita à Concilio Florentino, sunt de essentia formæ.* 75
Caput 10. *Subjectum Sacramenti Confirmationis.* Ibid.
Caput 11. *Sacramenti Confirmationis effectus.* 76
Caput 12. *Necessitas & obligatio suscipiendi hoc Sacramentum.* Ibid.
Caput 13. *Patrinus Confirmationis.* 78

LIBER QUARTUS.

Amor pascens, sive de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Caput 1. *Divinissimi Eucharistiæ Sacramenti multiplex nomen, definitio, institutio.* 79
Caput 2. *Eucharistia unicum est totale Sacramentum specie morali. Unicum etiam vel plura numero moraliter censeri potest, secundum aliam, & aliam considerationem.* 80
Caput 3. *Sanctissima Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum.* 81
Caput 4. *Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum in re stabili & permanente consistit, ante sumptionem existente, non in ipsa sumptione & usu.* Ibid.
Caput 5. *Eucharistiæ materia est panis triticeus, & vinum de vite.* 82
Caput 6. *Vinum, quod est materia calicis, aquâ modicâ permixtum esse debet de necessitate præcepti Ecclesiastici, non de necessitate Sacramenti,*

nec de necessitate præcepti divini. 84
Caput 7. *Aqua vino permixta in Christi sanguinem unà cum vino immediatè convertitur.* 85
Caput 8. *Materia consecranda sic physicè & moraliter præsens esse debet consecranti, ut ad sensum pronomine* hoc *&* hic *valeat demonstrari.* 86
Caput 9. *Materia consecranda per consecrantis intentionem determinari debet.* 87
Caput 10. *Forma, quâ conficitur venerabile Eucharistiæ Sacramentum, sunt verba Christi dicentis:* hoc est corpus meum. *Et,* hic est calix sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 88
Caput 11. *Consecrationis forma in solis verbis Christi, capite præcedenti relatis, adæquatè consistit, prout omnes Latini tradunt; non in illis, simul & antecedentibus vel subsequentibus Ecclesiæ precibus, quibus Sacerdos rogat Deum, ut panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi transmutare dignetur, prout Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesinus, Simeon Tessalonicensis, aliique Græci Recentiores arbitrantur.* 91
Caput 12. *Corpus Christi, factâ consecratione, verè, realiter, & substantialiter continetur sub speciebus panis & vini.* 92
Caput 13. *Catholica veritas, capite superiori asserta, probatur ex perspicuis verbis Salvatoris, hoc Sacramentum instituentis.* Ibid.
Caput 14. *Hæretici negantes Christum verè, realiter, & substantialiter in hoc Sacramento præsentem, contra se habent plana & perspicua Scripturæ verba.* 93
Caput 15. *Habent etiam contra se legitimam Scripturæ interpretationem.* Ibid.
Caput 16. *Tertiò contra se habent Apostolum Paulum* 1. Cor. 10. & 11. *Veterisque Testamenti figuras.* 95
Caput 17. *Quartò hæretici contra se habent Traditionem omnium Patrum, declarationemque octo Conciliorum Generalium.* 96
Caput 18. *Quintò hæretici contra se habent perpetuam totius Ecclesiæ Catholicæ fidem, unanimemque Nationum omnium Christianarum consensionem. Unde patet ipsos Novatores esse, alienosque à perpetua Ecclesiæ fide, in quam tota Ecclesia Græca cum Latina consentit, semperque consensit.* 101
Caput 19. *Aliarum Nationum in idem consensus.* 104
Caput 20. *Sextò hæretici contra se habent præscriptionem.* 109
Caput 21. *Hæretici contra se habent rationem Christianam.* 113
Caput 22. *Inania sunt argumenta hæreticorum ex Scriptura.* 114
Caput 23. *Inanitas eorum quæ objiciunt ex Patribus.* 116
Caput 24. *Augustinum totum esse suum, Berengarius & Calvinus in vanum gloriantur.* 117
Caput 25. *Hæreticorum à ratione argumenta digna non sunt Philosopho, multò minùs Theologo Christiano.* 119
Caput 26. *Corpus & sanguis Christi non sunt realiter & substantialiter in Eucharistia per impanationem, sed per veram realemque transubstantiationem, seu conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.* 120
Caput 27. *Satisfit argumentis contradicentium hæreticorum.* 122
Caput 28. *Transubstantiatis pane & vino in corpus & sanguinem Christi, in hoc mysterio species sacramentales remanent sine substantiali subjecto, tamdiuque Christi corpus & sanguis sub illis remanent, quamdiù substantia panis & vini sub illis remaneret, si per consecrationem ibi esse non desisset.* 125
Caput 29. *Triplex modus recipiendi hoc Sacramentum.* 126
Caput 30. *Solus homo viator est subjectum capax receptionis, seu sacramentalis, seu spiritualis hujus Sacramenti.* 127
Caput 31. *Non omnes qui recipiunt Eucharistiæ Sacramentum, effectum recipiunt Sacramenti.* Ibid.
Caput 32. *Hujus Sacramenti, dignè suscepti, effectus quinque.* 128
Caput 33. *Gravissimorum Doctorum sententia est, quòd ad recipiendum gratiæ augmentum, ultra statum gratiæ, usque adeò requiratur in homine utente ratione, devotio actualis, vel virtualis, ut sine ea accedentes, licèt à peccato mortali sint immunes, si tamen accedant cum peccatis venialibus, in ipsa Communione commissis, tantaque tepiditate & languore, ut iis actualis & virtualis devotio totaliter impediatur, nullum ex sacrosanctæ Eucharistiæ perceptione gratiæ augmentum consequantur.* 129
Caput 34. *Contrariis argumentis obviam itur.* 131
Caput 35. *Decipiuntur multi & valdè multi Christiani, etiam Sacerdotes & Religiosi, qui ex eo quòd abstineant à peccatis mortalibus grossis & visibilibus, existimant se dispositos ad dignam fructuosamque Communionem, cum non sint.* 132
Caput 36. *Dispositiones à Sanctis requisitæ explicantur, earumque necessitas confirmatur.* 134
Caput 37. *Regulæ secundùm quas determinandum est Confessarius, quid expediat pœnitentibus circa frequentem, vel minùs frequentem S. Eucharistiæ perceptionem.* 137
Caput 38. *Monita Sanctorum, illustriumque Doctorum, circa Communionem, ejusque frequentiam.* 138
Caput 39. *Allatis Sanctorum monitis omninò consentaneæ sunt Regulæ viginti novem, circa S. Communionem traditæ ab Illustrissimo, pariterque sapientissimo D. Guidone de Seve, Episcopo Atrebatensi, in suo Decreto de die 5. Augusti* 1695. 141
Caput 40. *Ad judicandum, num pœnitens habeat dispositiones à Patribus requisitas, præsertim amorem, de quo capite 38. vel etiam gratiam sanctificantem, attendendum non quid dicat, sed quid faciat; nec tam habenda est ratio sterilium cogitationum, resolutionum, desideriorum, vel momentanearum affectionum ipsius, quam ad opera, mores & vitam.* 143
Caput 41. *Idipsum ostenditur ex communi sensu omnium hominum, inaneque ostenditur effugium*

Recentiorum, dientium, de vera contritione, veraque Communione judicandum ex operibus internis, non externis. 145

Caput 42. *Ad Communionem indignè & infructuosè accessisse probantur, qui post Communionem in consueta crimina aquè citò, facilè & frequenter relapsi sunt, ut antè.* 147

Caput 43. *Amplius ostenditur, eos qui Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta fructuosè recipiunt, citò & facilè in crimina non relabi.* 150

Caput 44. *Ex dictis confutantur propositiones* 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 11. *capite* 34. *recensita, Adversariorumque objecta dissolvuntur.* 153

Caput 45. *Confutantur propositiones, septima permittens, & octava consulens Communionem Sacerdotibus & Laicis confessis, ipso die commissæ fornicationis, vel adulterii, vel sodomiæ, vel bestialitatis.* 154

Caput 46. *Amplius duæ illæ propositiones confutantur quadruplici ratione. Quarum* 1ª. *petitur ex enormitate magna fonicationis, & aliorum peccatorum carnis in Sacerdote.* 2ª. *ex eo quòd sanctitati Corporis Christi magnoperè adversentur.* 3ª. *ex insito Christianis animis sensu communi, quo apprehenditur velut quidpiam valdè indignum, quòd Sacerdos ab ara Veneris & diaboli post paucas horas ad aram Christi transeat, ad ibi exercendum Sacerdotis officium.* 4ª. *ex difficili & rara, neque ex pauculis gemitibus præsumenda conversione Sacerdotum, flagitia carnis perpetrantium.* 158

Caput 47. *Secundùm ordinariam gratiæ œconomiam, rara & difficilis est Sacerdotum (in fornicationem lapsorum) plena conversio, sive ex toto corde; ideòque citò & facilè non præsumenda; nec promissionibus ipsorum fides (sine cautione dignorum pœnitentiæ fructuum) adhibenda; nec (sine ea cautione) ipsis absolutio; multò minùs Communio, & Missæ celebratio concedenda.* 161

Caput 48. *Non ideò Sacerdoti, taliter lapso, pauculis post fornicationem nocte commissam horis, impartienda est absolutio, nec permittenda celebratio, quòd ex statuto Ordinis debeat celebrare, vel in die festo Parochi ministerium exhibere populo, alioqui Missam non audituro: etiamsi sermo sit de Sacerdote vitæ hactenùs probatæ, cui infeliciter, primâ jam vice, ruina ista acciderit.* 163

Caput 49. *Confutatur adhuc propositio nona, quoad id quod dicit de pollutione voluntaria, & ostenditur sacram Communionem ne quidem eam confitentibus consulendam, imò nec permittendam ipso die voluntariæ pollutionis.* 165

Caput 50. *Confutatur propositio nona:* Communio multò magis consulenda est conjugatis, ipso die copulæ habitæ causâ voluptatis. 167

Caput 51. *Confutatur propositio decima:* Extra culpam est quisquis Eucharistiam sumit, sibi non conscius peccati mortalis. 168

Caput 52. *Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debet: dummodò non desit copia Confessoris. Quòd si necessitate urgente, Sacerdos absque previa Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* 168

Caput 53. *Legitimè confessus omnia mortalia, memoriæ occurrentia, si posteà ante Communionem recordetur alicujus mortalis, in Confessione inculpatè obliti, tenetur pro illo ante Communionem redire ad Confessarium, si commodè possit.* 170

Caput 54. *Tametsi indefinitè sacrilegi non sint, qui ad sacram Communionem accedunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint: ex communi tamen SS. Patrum, gravissimorumque Theologorum sententia, nemo lethalium, saltem graviorum reus, & maximè carnis, tametsi confessus, ad sacram Communionem accedere debet, nisi præmissis per aliquod tempus pœnitentiæ, seu pietatis operibus expurgatoriis.* 171

Caput 55. *Nullus post cibum vel potum, quàmlibet minimum, licitè sacram Eucharistiam sumit, nisi in casibus ab Ecclesia vel à jure admissis.* 173

Caput 56. *Nec parvulis, nec adultis sacratissimæ Eucharistiæ Sacramenti perceptio, in re, necessaria est necessitate medii, nec parvulis in voto. An adultis necessaria sit in voto, necessitate medii, ad hoc ut acceptam gratiam conservent, in eaque contra tentationes perseverent? incertum. Saltem ipsis necessaria est necessitate præcepti divini, si sufficienti ad hoc ratione utantur.* 176

Caput 57. *Nec divino Communionis præcepto, nec Ecclesiastico satisfit per Communionem sacrilegam.* 178

Caput 58. *Satisfit nonnullis quæstionibus concernentibus præceptum Concilii Lateranensis, cap.* omnis utriusque sexûs, *statuentis, ut* omnis utriusque sexûs fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè, de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum. 178

Caput 59. *Ad satisfaciendum Communionis præcepto, seu divino, seu Ecclesiastico, Laici non tenentur sub utraque specie communicare.* 180

Caput 60. *Minister validè conficiens hoc Sacramentum est omnis & solus Sacerdos ritè ordinatus. Ad quem etiam solum, velut Ministrum ordinarium, spectat distributio illius. Non ad Diaconum, nisi ex commissione Sacerdotis, in casu necessitatis.* 181

Caput 61. *Sacerdos negare debet hoc Sacramentum pueris, nondum rationis usum adeptis, & amentibus à nativitate. Eam tamen per modum Viatici dare potest in amentiam & phrenesim lapsis post rationis usum, si absit periculum irreverentiæ, illudque petierint, dum ratione utebantur. Ubi etiam de surdis, mutis, cacis, & energumenis.* 182

Caput 62. *Peccatoribus publicis, sive publicè, sive occultè petentibus, Sacerdos negare debet Communionem, nisi sufficientia dederint signa pœnitentiæ, eaque publica, si publicè petant. Occulto verò peccatori, publicè petenti, Sacerdos negare non potest.* Ibid.

Caput 63. *Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed & verum & propriè dictum sacrificium.* 183

Caput 64. *Hæreticorum objecta dissolvuntur.* 184

Caput 65. *Sacrificium Eucharisticum in ultima cœna Christus instituit.* 185

Caput 66. *In sola utriusque speciei consecratione con-*

consistit essentia sacrificii Eucharistici. Ibid.
Caput 67. *Sacrificium Eucharisticum, seu Missæ, non solum est latreuticum & regratiatorium, sed & propitiatorium, & impetratorium pro vivis & defunctis.* 186
Caput 68. *Sacrificium Eucharisticum, seu Missæ, tametsi ex parte primaris offerentis, reique principaliter oblatæ, sit valoris infiniti; effectus tamen ipsius, tam ex opere operato, quàm per modum impetrationis, est simpliciter finitus.* 187
Caput 69. *Notabilia de applicatione fructûs sacrificii Eucharistici.* Ibid.
Caput 70. *Ostenditur pro quibus sit vel non sit licitum offerre sacrificium.* 188
Caput 71. *Intentio, quâ sacrificii Missæ fructum applicat Sacerdos, non debet necessariò esse actualis, vel virtualis, dum celebrat, sed sufficit habitualis.* 189
Caput 72. *Exhibentur Decreta S. Congregationis, authoritate Urbani VIII. edita, circa celebrationem Missarum.* 190
Caput 73. *Varii casus resolvuntur circa Capellanias & Missas ex fundatione.* 192
Caput 74. *Casus circa stipendia Missarum, & Missas ex stipendio.* 195
Caput 75. *Episcopi in Synodo Diœcesana, Abbates & Generales Ordinum in suis Capitulis generalibus (secundum Tridentinum sess. 25. c. 4. de reform.) ad minorem numerum reducere poterant Missas, quarum eleëmosyna adeò tenuis est, ut non facilè inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere. Verùm hanc ipsis facultatem sustulit S. Congregatio Concilii sæpius citata, quoad onera Missarum post Tridentinum, vel in limine fundationis imposita.* 195
Caput 76. *Quilibet Sacerdos, etiam curam animarum non habens, neque ex stipendio obligatus, ratione muneris sacerdotalis per se loquendo tenetur sub gravi culpa aliquoties in anno Missam celebrare.* 198
Caput 77. *Omni die, præterquàm Parasceves, celebrare licet, sed non omni horâ. Nec plusquam semel in die, excepto die Nativitatis Domini.* 198
Caput 78. *Seclusâ particulari consuetudine, vel privilegio, regulariter celebrare non licet ante auroram, nec post meridiem.* 199
Caput 79. *Regulariter, & secluso privilegio, celebrare non licet nisi in Ecclesia consecrata, vel saltem benedicta, vel in Oratorio ad Dei cultum dedicato, per Episcopum designando, & ab ipso visitando.* 199
Caput 80. *Celebrare in Ecclesia violata, seu polluta, per se gravis est culpa.* 200
Caput 81. *Ad celebrandum sub mortali requiritur Altare ab Episcopo consecratum, saltem portatile. Requiritur item ornatus Altaris ab Ecclesia præscriptus.* 201
Caput 82. *Sub mortali etiam requiruntur vasa sacra, & vestes benedictæ, amictus scilicet, alba, cingulum, manipulus, stola, patena.* 202
Caput 83. *Nonnulla alia requisita ad debitè celebrandum.* Ibid.

LIBER QUINTUS.

Amor reconcilians per Pœnitentiam; sive de Virtute & Sacramento Pœnitentiæ.

Caput 1. *Summi momenti est, in administratione vel usu hujus Sacramenti non errare.* 203
Caput 2. *Controversiæ circà usum administrationemque Sacramenti Pœnitentiæ, nimia hodie cum animositate & commotione agitatæ.* 204
Caput 3. *Ob grassantem hodie licentiam, quâ strictioris viæ, seu Theologiæ Sanctorum sequaces, à sectatoribus viæ laxioris, velut Novatores, Jansenistæ, Rigoristæ, &c. perperàm traducuntur, non debent, qui zelum Dei & veritatis habent, ab incœpto desistere.* 207
Caput 4. *Ostenditur animositates illas, & commotiones, neque ex vero zelo procedere, neque ex sincero veritatis amore; indeque plurimorum salutem impediri.* 208
Caput 5. *Animarum saluti non sola illa calumniandi, zelososque Confessarios & Scriptores diffamandi licentia plurimùm officit; sed & magna illa luxuriantium ingeniorum licentia, per quam in rebus ad salutem, atque imprimis ad veram pœnitentiam pertinentibus, variæ opiniones irrepserunt; quæ in operis decursu ideò refelluntur, quia magnorum Theologorum judicio nimis laxæ, Sanctorumque doctrinæ videntur adversæ.* 209
Caput 6. *In hisce disceptationibus utrimque cavendus est excessus, tam scilicet laxitatis, quàm austeritatis.* 212
Caput 7. *Majus est hodie periculum excedendi per laxiorem, quàm per severiorem administrationem Sacramenti Pœnitentiæ.* 214
Caput 8. *Moderni Pontifices, Sanctique hujus & præcedentis sæculi, magis conquesti sunt de pernicie animarum, per dilatatam, quàm per coangustatam cæli viam inducta.* 215
Caput 9. *Sancti Patres in hisce disceptationibus assumendi Judices.* 216
Caput 10. *Post sanctos Patres, traditionem, Ecclesiæque hisce de rebus sensum, discere nos oportet potissimùm ab Episcopis, aliisque Prælatis, qui primas in Ecclesia partes obtinent.* Ibid.
Caput 11. *Invectivæ Sanctorum, veterum ac novissimorum, necnon gravissimorum Cardinalium & Episcoporum adversus assertam per propositiones cap. 5. enarratas facilitatem absolvendi reos gravium criminum, consuetudinarios, recidivos, &c. priusquàm magnis precibus, gemitibus, aliisque laboriosæ pœnitentiæ ac pietatis operibus justo tempore pulsaverint ad fores divinæ misericordiæ, ad impetrandam plenæ conversionis gratiam. Cujus facilitatis praxim Sancti vocant misericordiam falsam, veram crudelitatem, piam impietatem, blandam perniciem, &c.* 217
Caput 12. *De gratia, seu dono pœnitentiæ, Deique erga peccatores misericordia, Authores propositionum cap. 5. recensitarum philosophantur ex sensu suo; non ex divina Scriptura, neque ex traditione: ex quibus discere ac definire nos oportet, qualem*

urga peccatores misericordiam Deus exerceat. 228
Caput 13. *Specialiter quoad hoc redarguuntur Steyartius, & Author Pentalogi Diaphorici.* 229
Caput 14. *Tametsi Ecclesia nunquam dubitaverit de tanta Dei in condonandis peccatis misericordia, ut peccatores quoscumque, quamlibet multorum & enormium criminum reos, toties in gratiam recipiat, quoties ad ipsum toto corde conversi pœniteat sicut oportet. Nunquam etiam dubitaverit de data sibi ab unigenito Filio Dei potestate toties remittendi peccata, post baptismum commissa, quoties debita cum dispositione suis ea clavibus subjiciuntur. Non ideò unquam credidit, absolutionem à se impartiendam peccatoribus quibuscumque, se contritos asserentibus, statim atque peccata sua confessi, absolutionem petissent, cum verbali promissione emendationis, tametsi manifesta non esset indispositio ipsorum.* 232
Caput 15. *Rei grandium criminum, v. g. fornicationis, olim sacramentaliter non absolvebantur, nisi post actam pœnitentiam canonicam.* 233
Caput 16. *Quando speciales ob causas, v. g. ob mortis periculum, ante actam pœnitentiam canonicam, dictis peccatoribus absolutio data fuit, absolutionis istius valorem & fructum Patres in dubium revocaverunt.* Ibid.
Caput 17. *Compendiosè describitur pœnitentia canonica, olim præscripta reis gravium criminum, quatuorque illius gradus, seu stationes, variaque manuum impositiones super pœnitentibus.* 234
Caput 18. *Absolutio sub finem tertiæ vel quartæ stationis, non ante, regulariter data fuit.* 236
Caput 19. *Confutantur Juniores, atentes, absolutionem, dilatam ad finem usque substrationis, vel consistentiæ, non fuisse sacramentalem pro foro interno; sed cæremonialem, pro foro externo dumtaxat.* 238
Caput 20. *Sola absolutio sacramentalis criminum publicorum, canonicâ pœnitentiâ mulctatorum, ad finem usque prostrationis, seu tertiæ stationis, regulariter dilata non fuit; verùm & occultorum.* 242
Caput 21. *Ab eo tempore, quo pro peccatis dumtaxat publicis acta fuit pœnitentia publica, pro occultis occulta (id est à sæculo circiter septimo) quemadmodum peccatores publici olim absoluti regulariter non fuerunt, nisi post actam pœnitentiam publicam; ita nec occulti nisi post occultam.* 245
Caput 22. *Ex illa Ecclesiæ praxi facilè videt, quisquis oculos habet, veram in remittendis retinendisque peccatis misericordiam & benignitatem, seu divinæ benignitatis & misericordiæ imitationem, omnem non excludere rigorem, nec tantam in peccatoribus absolvendis, pœnitentiisque injungendis exigere remissionem, quantam hodie, juxta opiniones cap. 5. relatas, plurimi practicant Confessarii.* Ibid.
Caput 23. *Tametsi in curandis animarum morbis, sive in absolutionibus impartiendis, & pœnitentiis injungendis, animarum Medicus, seu Confessarius, hodie ad amussim sequi non debeat veteris Ecclesiæ morem; aliquousque tamen imitari debet. Eodem quoque, quo veteres Patres, spiritu debet esse animatus, id est eundem in finem collimare, easdemque, quas ipsi, rationes sibi proponere.* 247
Caput 24. *Rationes principales, ob quas laboriosam olim pœnitentiam, ante gravium criminum absolutionem, Patres exegerunt, demonstrant aliquid de rigore illo adhuc hodie retinendum, ad consequendos fines, quos sibi veteres Patres proposuerunt: dummodo non damnetur Ecclesiæ moderna praxis, juxta quam Confessarii, ante peractam satisfactionem, iis hodie absolutionis beneficium impartiuntur, quos, juxta divinæ Scripturæ & Sanctorum regulas, judicant plenè conversos.* 248
Caput 25. *Peccatoribus misericors & justus Dominus peccata non remittit, nisi plenè sive toto corde conversis: semiplena proinde conversio, seu displicentia de peccatis, ad peccatorum veniam non sufficit, sed plena requiritur.* 251
Caput 26. *Explicatur peccatoris plena conversio, ostenditurque quòd sit totius hominis interioris exteriorisque mutatio.* Ibid.
Caput 27. *Ex sanctis Doctoribus explicatur plena sese emendandi voluntas, ad plenam conversionem requisita.* 252
Caput 28. *Explicatur & plenum peccati odium, ad eandem necessarium.* 254
Caput 29. *Pleni odii peccatorum, plenæque proinde conversionis, seu pœnitentiæ signa, seu effectus ex Apostolo 2. Cor. 7. recensentur.* 255
Caput 30. *Pœnitentia vera & plena, magnorum præsertim peccatorum, de peccatis commissis pœnas exigere, & laboriosa esse debet.* 256
Caput 31. *Pro admissis post baptismum criminibus, præsertim gravioribus, non sufficit dolor parvus & remissus, sed magnus requiritur atque intensus.* 258
Caput 32. *Seipsos decipiunt multi, & valdè multi, qui sese plenè conversos existimant, cùm non sint.* 264
Caput 33. *Pauci peccatores, maximè consuetudinarii, & frequenter recidivi, post grandia crimina, assumere volunt media, sibi ad curandos animarum suarum morbos, cavendumque relapsum necessaria.* 267
Caput 34. *Pauci etiam magni peccatores, maximè recidivi, & consuetudinarii, salutarem & convenientem, pro facultate sua, admissorum criminum multitudine & gravitate satisfactionem acceptare volunt, atque ex hoc etiam capite pauci ex ipsis verè sunt ac plenè conversi.* 269
Caput 35. *Plenam magnorum peccatorum, post baptismum lapsorum, præsertim consuetudinariorum, facilèque & citò relabentium conversionem raram esse, testantur Sancti, Scriptoresque gravissimi.* ibid.
Caput 36. *Pœnitentiam ad finem usque vitæ dilatam valdè suspectam habuerunt Sancti Patres.* 270
Caput 37. *Plena conversio magnorum peccatorum, maximè consuetudinariorum, facileque & citò reincidentium in crimina (præsertim tenacia, cujusmodi sunt fornicatio, pollutio voluntariè procurata, & similia) esse non solet repentina, nec tempore perfici brevissimo; sed imperfectè primùm concipi, deinde paulatim magis magisque augeri & firmari, tandemque ad necessariam plenitudinem perduci.* 271
Caput 38. *Plena magnorum peccatorum, maximè consuetudinariorum, &c. conversio, secundùm ordinariam divinæ gratiæ œconomiam facilis non*

est, sed difficilis, difficiliorque in Sacerdote lapso, quam in Laico. 281

Caput 39. *Ad plenam conversionem magni peccatoris magna requiritur Dei gratia & misericordia, precibus magnis ordinariè impetranda.* 286

Caput 40. *Magnam illam gratiam, seu plenæ pœnitentiæ donum, Deus præstat quidem omnibus pœnitentibus, quomodò & quantùm res tanta petenda est (humili utique, ferventi & perseveranti oratione;) pauci tamen ex magnis peccatoribus, maximè consuetudinariis & frequenter relabentibus, gratiam illam & donum obtinent, quia pauci petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda est.* 288

Caput 41. *Ad magnam illam gratiam misericordiamque impetrandam, magnis peccatoribus, maximè consuetudinariis, ac recidivis, ordinariè non sufficit vox ad Deum clamans, sed requiritur & manus, & animus, magnis gemitibus, pœnitentiaque laboribus, ad fores divinæ misericordiæ pulsans: id est orationi jungenda sint interna externaque pœnitentiæ opera; non ut satisfactoria pro pœna temporali, quæ solvenda supereſt, culpâ remissâ; sed ut impetratoria gratiæ conversionis, remissionisque culpæ mortiferæ, ac pœnæ æternæ.* 291

Caput 42. *Ex doctrina capitibus superioribus demonstrata infertur primò, nimis laxam videri regulam administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, quam tradit Author libri, cui titulus:* Praxis solida, & per Ecclesiam communissima, remittendi & retinendi peccata. 318

Caput 43. *Infertur secundò, ad fundandum prudens judicium de dispositione magnorum peccatorum, maximè consuetudinariorum, facileque & citò relabentium, fallacia, insufficientiaque esse plenæ conversionis signa, quæ proferunt Reymackers, Author tempestatis novaturientis, aliique Juniores: præsertim si non semel ea præstiterint absque ullo promissæ emendationis effectu.* 319

Caput 44. *Tertiò infertur æquitas ac justitia censuræ, quæ Illustrissimus D. Guido de Seve, laudatissimus Episcopus Atrebatensis, & unus supra triginta Episcopi cum ipso, propositionem hanc:* Confessarius habet rationabile seu sufficiens motivum credendi, quòd pœnitens sit verè contritus (post relapsus, aut adhuc in habitu peccati, vel in occasione proxima existens) quando pœnitens attestatur, se verè esse contritum, & Confessario clarè & manifestè non constat contrarium: *hanc (inquam) propositionem damnarunt velut periculosam, falsam, scandalosam, temerariam, tendentem ad relaxationem Sacramenti Pœnitentiæ.* 321

Caput 45. *Quartò infertur, Assertores suprà memoratæ propositionis, à sapientissimo Domino Episcopo Atrebatensi meritissimâ censurâ notatæ, abuti sententiâ istâ Angelici Doctoris:* In foro conscientiæ creditur homini pro se, & contra se. 323

Caput 46. *Quintò infertur, de sufficienti conversione, seu contritione magni peccatoris, maximè citò & facilè relabentis, vel consuetudinarii, ordinariè prudenter non judicari ex solis verbis, quibus dolere se, emendationemque promittere dicit, etiamsi verbis illis adjungat gemitus, tunsionem pectoris, lachrymasque momentaneas, aliaque ejusmodi signa: præsertim si Confessarius non semel experta fuerit, signa illa hactenus sterilia fuisse, id est absque fructu melioris vitæ.* Ibid.

Caput 47. *Infertur sextò, consuetudinarium non ideò protinùs judicandum plenè conversum, adeòque satis dispositum ad absolutionem, vel primò quòd sint primæ vices, quibus confitetur, à tempore quo peccare incœpit, & jam se humiliter de peccatis accusat, totoque corde de iis se dolere affirmet. Vel secundò quòd aliquoties jam antè confessus, à Confessario nunquam specialiter fuerit admonitus, nec ulla unquam ad consuetudinem extirpandam remedia fuerint ipsi præscripta: nunc autem ad ea se paratum exhibeat. Vel tertiò quòd ab ea Confessione, in qua de ea extirpanda admonitus fuit, ad hoc nonnihil allaboraverit, nec toties ut antè ceciderit, nec tam facilè & citò.* 324

Caput 48. *Infertur septimò, signa ex quibus prudenter judicatur de sufficienti dispositione magni peccatoris, maximè consuetudinarii, vel facilè & citò relapsi, esse pœnitentiæ opera, cum vitæ emendatione conjuncta. Quod probatur primò ex Evangelica regula,* ex fructibus eorum cognoscetis eos, *Matth. 7. quâ sicut falsi Prophetæ, sic falsi pœnitentes discernuntur à veris, & non plenè conversi à plenè conversis: & contrà.* 325

Caput 49. *Probatur secundò ex aliis verbis Salvatoris ibidem:* Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. 327

Caput 50. *Probatur tertiò ex similitudine arboris, de qua ibidem.* Ibid.

Caput 51. *Probatur quartò ex plerisque aliis comparationibus, paraboliſque, tam ex Matth. 7. quàm ex Luc. 8. desumptis, ex quibus vera pœnitentia à falsa, plenaque à non plena discernitur.* Ibid.

Caput 52. *Probatur quintò ex Joan. 14.* Siquis diligit me, sermonem meum servabit, *&c.* 329

Caput 53. *Probatur sextò ex Jacobi 2.* Quid prodest, si fidem dicat quis se habere; opera autem non habeat..... Ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ostendam tibi ex operibus fidem meam. Fides sine operibus mortua est. 329

Caput 54. *Septimò ex Conciliis, Nicæno, Ancyrano, &c.* 330

Caput 55. *Octavò ex SS. Patribus, Cypriano, Basilio, Nazianzeno, Nysseno, Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, ad fidem dictis peccatoribus adhibendam, absolutionemque impartiendam, non linguam tantùm, sed manus etiam & opera, veluti signa plenam conversionem probantia, requirentibus.* Ibid.

Caput 56. *Nonò, ex eo quòd laudatis Patribus concinant Innocentius I. Gregorius Magnus, Cæsarius Arelatensis, Ivo Carnotensis, Bernardus, Thomas Cantuariensis, Thomas Villanovanus, &c.* 331

Caput 57. *Decimò ex mandato Innocentii XI. facto Procuratoribus Generalibus Ordinum Mendicantium, quo per eos Provinciis notificari jussit, ut Confessarii ex fructibus pœnitentes dijudicarent, nec eos consuetudinarios absolverent, qui post tertiam & quartam admonitionem sese non emendarent.* 333

Caput 58. *Undecimò, praxis veteris Ecclesiæ demonstrat, plenam magnorum peccatorum conversionem pœnitentiæ operibus esse probandam.* Ibid.

Caput 59. *Duodecimò, idipsum demonstrat communis hominum sensus.* 334
Caput 60. *Decimò-tertiò, id etiam ratio demonstrat.* Ibid.
Caput 61. *Decimo-quartò, propterea SS. Patres censuerunt, magnis peccatoribus non esse annuendum, dum medicinæ & ligaturæ impatientes, tamquam sanati, statim solvi, & ad altare mitti volunt.* Ibid.
Caput 62. *Ex his omnibus tandem infertur, centumque & duodecim argumentis probatur, absolutionem mox impendendam non esse magnis peccatoribus, præsertim consuetudinariis, vel facilè ac citò relabentibus, qui absque præviis pœnitentiæ operibus præparatoriis, absque etiam vitæ emendatione, ad confessionem accedunt; sed ipsis, tamquam non conversis, vel saltem de insufficienti conversione suspectis, absolutionem differendam. Ad cujus probationem quinquaginta priora argumenta proferuntur.* Ibid.
Caput 63. *Argumentum quinquagesimum primum, & quinquagesimum secundum.* 336
Caput 64. *Argumentum quinquagesimum tertium & quinquagesimum quartum.* 337
Caput 65. *Argumentum quinquagesimum quintum. Peccatores, post Confessionem Communionemque facilè, citò ac frequenter ad vomitum redeuntes, justissimum, atque in divina Scriptura & Patribus fundatissimum Confessario timorem incutiunt, ne ipsos Deus, ob supinam suæ salutis incuriam, dereliquerit, plenæ saltem conversionis gratiam subtrahendo. Ipsorum ergo conversionem, saltem plenam, justissime habet suspectam.* 339
Caput 66. *Argumentum quinquagesimum sextum. Timorem illum vehementer auget incuriæ illi addita perfidia magna in violando toties promissa Deo facta, totiesque irritum faciendo pactum, cum ipso solemniter initum.* 340
Caput 67. *Argumentum quinquagesimum septimum. Eundem timorem superauget ingratitudo stupenda, post tot gratias, & Sacramenta suscepta.* 341
Caput 68. *Argumentum quinquagesimum octavum. Amplius adhuc timorem illum auget Dei irrisio & contemptus.* 343
Caput 69. *Argumentum quinquagesimum nonum. Eundem denique timorem vehementiorem rursus efficit præsumptio de misericordia Dei, seu abusus illius ad peccatum, circumstantias ante memoratas frequenter concomitans.* Ibid.
Caput 70. *Argumentum sexagesimum. In consuetudinariis, facilèque, citò ac frequenter in crimina relabentibus, vitam proinde cadendo & confitendo transigentibus, plura vehementioraque signa sunt reprobationis, nulla vel modica prædestinationis: vehemens ergo suspicio est, Confessiones Communionesque ipsorum utplurimum laborare defectu debitæ dispositionis.* 344
Caput 71. *Argumentum sexagesimum primum. Tam justa suspicio est, ipsorum pœnitentiam, dum confitentur, vel esse fictam, vel non esse plenam ac sufficientem, quam justa suspicio est, ipsorum Confessionem, & Communionem, esse infructuosam. Atqui de hoc justissima suspicio est. Ergo, &c.* 347
Caput 72. *Argumentum sexagesimum secundum. Juxta sacros textus, meritò suspecta est magnorum criminum pœnitentia, à qua facilè & citò recedit.* 347
Caput 73. *Argumentum sexagesimum tertium. Eorumdem pœnitentiam vel falsam, vel non plenam, vel suspectam, veteres habuerunt Patres, & Ecclesia antiqua.* 348
Caput 74. *Argumentum sexagesimum quartum. Eorum pœnitentiam falsam, vel suspectam habuerunt Hermas & Clemens Alexandrinus.* Ibid.
Caput 75. *Argumentum sexagesimum quintum. Idem censent Tertullianus, & Ambrosius.* Ibid.
Caput 76. *Argumentum sexagesimum sextum. Similiter Chrysostomus & Gregorius Nyssenus.* 349
Caput 77. *Argumentum sexagesimum septimum. Similiter Augustinus & Gelasius Papa.* Ibid.
Caput 78. *Argumentum sexagesimum octavum. Similiter etiam Gregorius Magnus, & Isidorus.* 350
Caput 79. *Argumentum sexagesimum nonum. Ex Conciliis Toletano III. sub S. Leandro, & Romano ac Britannico, sub Gregorio VII.* Ibid.
Caput 80. *Argumentum septuagesimum. Ex ipsomet Gregorio VII. & D. Anselmo.* 351
Caput 81. *Argumentum septuagesimum primum. Ex notione seu descriptione pœnitentiæ, à sanctis unanimiter Patribus tradita, & recepta.* Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterùm non committere. Ibid.
Caput 82. *Argumentum septuagesimum secundum. Ex istis aliis Sanctorum pronuntiatis:* Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Vulnus iteratum sanatur tardiùs. Frequenter peccans, & lugens, vix veniam meretur. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poscere, & mala denuò iterare. 352
Caput 83. *Argumentum septuagesimum tertium. Ab infirmitatibus & vulneribus corporis SS. Patres arguunt ad infirmitates & vulnera animæ, simileque de istis ac de illis judicium ferunt. Atqui gravis infirmitas corporis sufficienti remedio curata non censetur, dum facilè & citò redit. Ergo similiter, &c.* Ibid.
Caput 84. *Argumentum septuagesimum quartum. Patribus antiquis succinunt Sancti noviissimi. Imprimis Bernardus serm. 1. de Resurrect.* 353
Caput 85. *Argumentum septuagesimum quintum. Ex eodem Mellifluo Doctore serm. 2. de Assumptione B. Mariæ, aliisque sententiis ipsorum, præcedens argumentum roborantibus.* Ibid.
Caput 86. *Argumentum septuagesimum sextum. Ex Petro Blesensi, & S. Aelredo.* 354
Caput 87. *Argumentum septuagesimum septimum. Ex eo quòd Hennegueri, aliorumque Adversariorum opinio non stet cum variis aliis documentis S. Thomæ.* 359
Caput 88. *Argumentum septuagesimum octavum. Ex S. Vincentio Ferrerio.* 360
Caput 89. *Argumentum septuagesimum nonum. Ex S. Thoma Villanovano.* Ibid.
Caput 90. *Argumentum octuagesimum. Ex S. Carolo Borromæo.* 361
Caput 91. *Argumentum octuagesimum primum. Ex aliis Regulis, traditis ab eodem sancto Carolo.* 363

Caput

Caput 92. *Argumentum octuagesimum secundum. Ex magna authoritate illius doctrinæ S. Caroli in Ecclesia.* 364
Caput 93. *Argumentum octuagesimum tertium. Ex S. Francisco Xaverio.* Ibid.
Caput 94. *Argumentum octuagesimum quartum. Ex S. Francisco Salesio.* 365
Caput 95. *Argumentum octuagesimum quintum. Ex Concilio Tridentino.* Ibid.
Caput 96. *Argumentum octuagesimum sextum. Ex Innocentio XI. propositionem hanc 60.* ut minimùm tamquam scandalosam, & in praxi perniciosam *damnante :* Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem. Ibid.
Caput 97. *Argumentum octuagesimum septimum. Ex tribus primis propositionibus, ab eodem Innocentio XI. proscriptis.* 367
Caput 98. *Argumentum octuagesimum octavum. Ex variis Censuris gravissimorum Galliæ Episcoporum.* 368
Caput 99. *Argumentum octuagesimum nonum. Ex præclara Censura, sapientissimisque de pœnitentia regulis Illustrissimi D. Guidonis de Seve, laudatissimi Episcopi Atrebatensis, adversus propositiones septem P. Jacops.* Ibid.
Caput 100. *Argumentum nonagesimum. Ex casibus, in quibus negandam vel differendam absolutionem, sapientissimi docent Cardinales, & Episcopi.* 369
Caput 101. *Argumentum nonagesimum primum. Ab authoritate Cardinalium, pietate & eruditione insignium.* 371
Caput 102. *Argumentum nonagesimum secundum. Ab authoritate Concilii Provincialis Pragensis anni 1605. postea recusi anno 1650. jussa Cardinalis ab Harrach, Archiepiscopi Pragensis; sicut & ab authoritate Ritualium & Manualium plurimarum Diœceseon, & plusquàm octoginta Episcop.* 372
Caput 103. *Argumentum nonagesimum tertium. Ab authoritate plusquàm mille quingentorum Parochorum primariarum Urbium Regni Galliarum, ex quibus valdè multi fuerunt doctrinâ & virtute præclari.* Ibid.
Caput 104. *Argumentum nonagesimum quartum. Ex numerosissimo agmine insignium Theologorum, stantium pro assertione nostra.* 373
Caput 105. *Argumentum nonagesimum quintum. Ex eo quòd eidem assertioni nostræ, præter Doctores Sæculares, suffragentur quamplurimi Regulares spectatæ probitatis, & eruditionis, ex omni Ordine, etiam Societatis Jesu.* 374
Caput 106. *Argumentum nonagesimum sextum. Ex eo quòd eandem assertionem nostram tradant illustriores Concionatores, Ascetici que Scriptores omnes, vel ferè omnes.* 377
Caput 107. *Argumentum nonagesimum septimum. Specialiter ex Cantipratano, & Ludovico Granatensi.* Ibid.
Caput 108. *Argumentum nonagesimum octavum. Ex eo quòd prudentia Confessarii non permittat fidem adhibere consuetudinariis, ac recidivis, se toto corde contritos asserentibus, quamdiù se non emendant.* 378
Caput 109. *Argumentum nonagesimum nonum. Ex eo quòd id non solùm sit contra regulas prudentiæ; sed & contra zelum, & curam salutis peccatorum illorum.* 379
Caput 110. *Argumentum centesimum. Ex eo quòd id pariter sit contra religionem Sacramenti Pœnitentiæ.* Ibid.
Caput 111. *Argumentum centesimum primum. Ex eo quòd insuper sit contra officium boni Judicis, Medici, & Doctoris, quod Confessarius gerit.* 380
Caput 112. *Argumentum centesimum secundum. Ex eo quòd incredibile sit, Christum voluisse, ut sui in administrando Pœnitentiæ Sacramento Ministri, omnibus prudentiæ luminibus renuntiantes, id verum esse credant, quod rationi & prudentiæ de falsitate suspectissimum est. Tale verò est testimonium consuetudinarii, & recidivi, toto se corde dolere, emendationemque promittere asserentis, dum nullum aliud præbet sua sinceritatis indicium, nisi sola verba, vel alia ejusmodi signa, quæ sæpè hactenus fallaciter, sive absque effectu usurpavit.* Ibid.
Caput 113. *Argumentum centesimum tertium. Ex eo quòd sancti Patres censuerint, Sacramentalem Judicem, gravioris criminis reo credere non oportere, dum ligaturæ impatiens, tamquam sanatus, statim solvi vult, ad cœlestemque mensam involare.* 381
Caput 114. *Argumentum centesimum quartum. Ex modo quo veteres SS. Patres processerunt in determinandis nonnullis casibus, magnorum peccatorum reconciliationem concernentibus.* 382
Caput 115. *Argumentum centesimum quintum. Ex eo quòd opera ad probandam magnorum peccatorum pœnitentiam adeò necessaria existimarint SS. PP. ut pœnitentiam ipsorum, ad finem vitæ dilatam, habuerint valdè dubiam & suspectam; eò quòd eam probare non possent per opera, sed per verba dumtaxat & gemitus.* Ibid.
Caput 116. *Argumentum centesimum sextum. Ex eo quòd pœnitentia eorum, qui confessa crimina facilè, citò ac frequenter repetunt, majorem habeat apparentiam* pœnitentiæ theatralis, *quàm solidæ & veræ.* 383
Caput 117. *Argumentum centesimum septimum. Ex eo quòd, secundùm doctrinam Sanctorum, absque cautione operum, credendum non sit existentibus in occasione proxima peccati mortalis, eam se deserturos pollicentibus, posteaquàm fidem de eo datam servare neglexerunt. Cur ergo potius, absque cautione operum, credendum est consuetudinariis, & recidivis, emendationem pollicentibus, posteaquàm fidem de eo datam non servarunt, sed neglexerunt?* Ibid.
Caput 118. *Argumentum centesimum octavum. Ex Rituali Romano, dicente,* Videat diligenter Sacerdos quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa *sufficientia* doloris *ex toto corde*, & vitam in melius emendare nolunt. *Signa verò illa non magis dant consuetudinarii & recr-*

divi, de quibus agimus, quàm bonorum alienorum detentores injusti, qui ea non restituunt, cùm possint, etsi restituere non semel promiserint. Ubi etiam agitur de negligentibus restituere famam injustè læsam, & addiscere mysteria fidei, dantibus & non tollentibus causam scandali, &c. 384

Caput 119. *Argumentum centesimum nonum. Ex eo quòd facilitas fidem adhibendi, absolutionemque statim impendendi magnis peccatoribus, maximè consuetudinariis & recidivis, in verbo ipsorum, causa sit ingentium malorum.* 386

Caput 120. *Argumentum centesimum decimum, Ex eo quòd ingentia mala illa per se sequantur ex nimia illa facilitate credendi, & absolvendi, ideòque juxta doctrinam Sanctorum Confessariis imputentur.* 387

Caput 121. *Argumentum centesimum undecimum. Ex eo quòd nulla mala per se sequantur ex praxi contraria, dictis utique peccatoribus non credendi, nec absolutionem impendendi, nisi per opera pœnitentiæ probatis, & emendatis: quin ingentia potiùs bona ex ea per se sequuntur. Sola proinde per se tuta est. Et ideò sola in praxi sequenda.* Ibid.

Caput 122. *Argumentum centesimum duodecimum. Ex eo quòd easdem ob rationes improbanda sit nimis festina absolutio magnorum peccatorum, maximè consuetudinariorum, & recidivorum, ob quas improbatur nimis festinus baptismus adultorum. Cùm similia mala proveniant in illo, sicut in isto casu.* 390

Caput 123. *Magnus peccator, corde sincero, voluntateque non languidâ, sed forti quærens animæ suæ bonum, indilatam non quærit peccatorum suorum absolutionem, nec Confessarium nimis indulgentem.* 391

Caput 124. *Variis casibus absolutio differri potest, licèt sufficienter existimetur contritus.* 393

Caput 125. *Ex dictis demonstratur, sententiam nostram a nonnullis ei adversantibus, sub horrida larva per impostoram repræsentari.* 394

Caput 126. *Observatio præambula ad solutionem argumentorum, quæ ab Adversariis objiciuntur, ex qua argumentorum illorum imbecillitas generaliter ostenditur.* 395

Caput 127. *Ex dictis populares difficultates, quæ objici solent, in pulverem rediguntur.* Ibid.

Caput 128. *In pulverem pariter rediguntur argumenta novissima Martini Steyaert, Henneguieri, Caroli ab Assumptione, &c. Illudque imprimis palmare, quod petunt ex Luc. 17.* 401

Caput 129. *Residua eorumdem argumenta straminea esse ostendantur.* 404

Caput 130. *Nulla ex assertione nostra, sive ex praxi illius, inconvenientia consectaria sunt.* 407

Caput 131. *Definitio virtutis pœnitentiæ.* 413

Caput 132. *Nullum est peccatum tam grande, quod per pœnitentiam dilui non possit.* 414

Caput 133. *Peccata remissa per pœnitentiam, per delictum subsequens non redeunt.* 415

Caput 134. *Merita per mortale subsequens mortificata, per pœnitentiam reviviscunt.* Ibid.

Caput 135. *Sine voto Sacramenti Pœnitentiæ, per virtutem Pœnitentiæ in nova Lege peccata non remittuntur.* 417

Caput 136. *Definitio & institutio Sacramenti Pœnitentiæ.* Ibid.

Caput 137. *Sacramenti Pœnitentiæ partes declarantur.* 419

Caput 138. *Contritionis definitio ac divisio.* Ibid.

Caput 139. *Cùm ad minus probabilis sit sententia, asserens necessitatem amoris Dei propter se, saltem affectivè super omnia, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ (prout ex dicendis manifestè constabit) eaque tutior sit, & periclitetur valor Sacramenti, si absque amore illo Sacramentum suscipiatur: sententia illa ab omnibus certissimè usque adeò sequenda est in praxi, ut ne Assertores quidem contrariæ opinionis sine dicto amore quemquam (citra necessitatem) absolvere licitè possint, ne Sacramentum exponant probabili periculo nullitatis, pœnitentemque periculo infructuosæ susceptionis, ac damnationis.* 420

Caput 140. *Attritionis ex solo gehennæ metu conceptæ cum Sacramento insufficientia, communi Doctorum, & Scholæ Principum calculo, tradita fuit ante Concilium Tridentinum.* 424

Caput 141. *Necessitatem amoris, sive doloris propter Deum offensum, insufficientiamque proinde attritionis puræ formidolosæ ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, ab initio Scholasticos ad usque Concilium Tridentinum, per quinque proinde sæcula, ab omnibus, vel ferè omnibus Doctoribus traditam fuisse, adhuc specialiter demonstratur, referendo per singula sæcula Doctores, qui eam tradiderunt.* 431

Caput 142. *Catecheses ab Ecclesiis & Præsulibus Germaniæ, Hispaniæ, Italiæ, Galliæ, Poloniæ, & Belgii, adversus hæreticos editæ, partim proximè ante Tridentinum, partim ipso Tridentini tempore, partim proximè post illud, formidolosæ attritionis insufficientiam, divinæque dilectionis necessitatem pariter adstruunt.* 460

Caput 143. *Asserta à Majoribus formidolosæ attritionis insufficientia, divinique amoris necessitas ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ, ex sacris Oraculis probatur, atque imprimis ex primo maximoque mandato.* 464

Caput 145. *Eandem necessitatem probant omnes divinæ Scripturæ testimonia, veteris ac novi Testamenti, quibus peccatoris ad Deum conversio ex toto corde ad peccatorum remissionem exigitur.* 467

Caput 146. *Eandem necessitatem docet Apostolus Paulus.* 468

Caput 147. *Eandem docet Apostolus & Evangelista Joannes, sicut & Apostolorum Princeps Petrus.* 469

Caput 148. *Argumentum ex Rom. 8. 15. quo prorsus sufflaminatur conficta ab Adversariis quibusdam prærogativa exemptionis Christianorum a necessitate benevolæ Dei super omnia dilectionis.* 470

Caput 149. *Eandem divini amoris necessitatem ad justificationem probat Traditio Sanctorum omnium à sæculo primo, usque in præsens.* 473

Caput 150. *Nullam veri speciem, nec probabilitatem habent ea quæ Pinterellus, Abellius, Slaugherus aliique asserunt de formidolosæ attritionis sufficientia, vel a Tridentino definita, vel verbis adeò perspicuis declarata, ut mens ipsius pro illa*

sufficientia sit perspicua. 480
Caput 151. *Sufficientiam attritionis purè formidolosæ à Tridentino definitam non esse, sex aliis argumentis ad oculum demonstratur.* Ibid.
Caput 152. *Demonstratur sophisticum & inane esse palmare Argumentum, quo servilis attritionis sufficientiam reformato Tridentini Decreto sess. 14. c. 4. definitam Adversarii prætendunt.* 482
Caput 153. *Adversariorum instantiæ dissipantur.* 483
Caput 154. *Tametsi nihil hac in parte Tridentinum definierit, sive pro una, sive pro altera parte; ex ipso nihilominus longè efficaciora argumenta depromuntur pro servilis attritionis insufficientia, quàm pro sufficientia.* 485
Primum pro insufficientia servilis attritionis argumentum ex sess. 6. c. 6. Ibid.
Caput 155. *Secundum Argumentum ex cap. 7. ejusdem sess. 6.* 487
Caput 156. *Argumentum tertium ex sess. 14. c. 1. ubi pœnitentia declaratur necessaria ad justificationem, etiam cum Sacramento.* Ibid.
Caput 157. *Ingeniosi Recentioris ad superiora argumenta responsiones prestigantur.* 490
Caput 158. *Argumentum quartum ex sessione 14. c. 4. ex definitione utique contritionis in genere, quam Concilium ibi tradit.* 491
Caput 159. *Argumentum quintum, ex eo quòd Tridentinum ibidem exigat* propositum non peccandi de cætero, *sive* novæ vitæ propositum. Ibid.
Caput 160. *Argumentum sextum, ex eo quòd Tridentinum eâdem sess. 14. c. 4 postulet ad contritionem, etiam imperfectam, quæ attritio dicitur, ut* voluntatem peccandi excludat *: Ad quod Dei propter se amor, seu charitas, saltem generaliter accepta, juxta doctrinam Sanctorum requiritur.* 492
Caput 161. *Doctrina illa Sanctorum ratione multiplici illustratur & roboratur.* 493
Caput 162. *Occurritur iis, quæ Adversarii opponunt Argumento sexto.* 496
Caput 163. *Specialiter occurritur iis quæ opponunt Franci cui Simonis, & Richardus Arsdekin. Quorum hac in parte excessus redarguuntur, ostenditurque consonantia doctrinæ nostræ cum doctrina Romanæ Ecclesiæ, nonnullas propositiones per Alexandrum VIII. proscribentis.* 498
Caput 164. *Argumentum septimum ex Tridentinis Patribus, magnique nominis Theologis, qui sessioni 14. interfuerunt, divinique amoris necessitatem, & formidolosæ attritionis insufficientiam post illam docuerunt, nemine aliorum Tridentinorum Patrum, Theologorumvè, Tridentinam definitionem ipsis objiciente.* 503
Caput 165. *Argumentum 8. ex eo quòd eandem insufficientiam, divinæque dilectionis necessitatem, cum S. Thoma Villanovano (qui post sess. 14. in doctrina sua perstitit, mortuus anno 1556.) post Tridentinum, vel certè post illius sessionem 14. tradiderint innumeri, omnis status, & Ordinis, præstantissimi Catholicissimique Scriptores, scilicet Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Doctores & Theologi. Quos omnes circa Tridentini mentem perspicuè errasse, vel apertæ definitioni ipsius contradixisse, asseri non potest absque temeritate.* 509
Caput 166. *Patronorum servilis attritionis argumenta solvuntur.* 527
Caput 167. *Ex Scriptura ostenditur, quòd necessitas amoris Dei propter se, frustraneum non reddat Pœnitentiæ Sacramentum.* Ibid.
Caput 168. *Idipsum ostenditur ex sanctis Patribus.* 528
Caput 169. *Tametsi contritio perfecta cum Sacramento requireretur (quod non concedimus) non ideò frustraneum esset Pœnitentiæ Sacramentum.* 531
Caput 170. *Non omnis contritio ex Dei propter se amore, etiam super omnia, est contritio perfecta. Nec omnis dilectio Dei propter se super omnia, est dilectio perfecta.* 532
Caput 171. *Contrariis occurritur argumentis.* 539
Caput 172. *Contritio perfecta cum Sacramento non requiritur.* 544
Caput 173. *Perfectæ contritionis ab imperfecta, seu attritione discrimen.* 545
Caput 174. *Non omnis Dei propter se amor, vel ex amore dolor, cum Sacramento sufficiens ad justificationem unius peccatoris, sufficit ad justificationem cujuscumque peccatoris.* 546
Caput 175. *Attritio ex Dei propter se super omnia amore, licèt imperfecto, ex speciali Dei misericordia, meritoque Passionis Christi, absque actuali susceptione Sacramenti (licèt non absque voto ipsius) justificat in articulo mortis, dum actualem susceptionem excludit impossibilitas, non voluntas.* Ibid.
Caput 176. *Satisfit argumentis, quæ contra assertionem Capitis præcedentis objiciuntur.* 547
Caput 177. *Contritio, vel attritio naturalis non sufficit, etiam cum Sacramento.* 548
Caput 178. *Contritio, post mortale commissum, est sub gravi præcepto, statim atque peccator, ad se reversus, commissum à se peccatum recogitat, ita ut graviter peccet, qui diu differt.* 549
Caput 179. *De singulis peccatis mortalibus necessaria est contritio perfecta, vel imperfecta. Non tamen necesse est quòd pro numero peccatorum sit numerus contritionum; sed sufficit unus contritionis motus, ex motivo omnibus communi ad omnia (virtualiter saltem) se extendens.* 550
Caput 180. *Necesse non est quòd contritio præcedat Confessionem; sed sufficit quòd præcedat, vel commitetur absolutionem.* 551
Caput 181. *Momentosæ de contritione quæstiones resolvuntur.* Ibid.
Caput 182. *Ne venialia quidem absque perfecta vel imperfecta contritione remitti queunt, sive per Sacramenta, sive per Sacramentalia.* 552
Caput 183. *Ne in altero quidem sæculo, venialia absque contritione remittuntur.* 553
Caput 184. *Confessionis sacramentalis natura, præceptumque divinum.* 554
Caput 185. *Præter divinum Confessionis præceptum, de ea quoque datur præceptum Ecclesiasticum, obligans ad Confessionem ultra annum non differendam. Cui non satisfacit, qui facit Confessionem voluntariè nullam.* Ibid.
Caput 186. *Conditiones, seu qualitates bonæ Confessionis.* 555

Caput 187. *Materialis integritas Confessionis non est universim necessaria, sed sola integritas formalis.* Ibid.

Caput *188. Ad Confessionem formaliter integram, præter declarationem circumstantiarum variantium speciem, necessaria est declaratio circumstantiarum notabiliter aggravantium intra eamdem speciem.* 557

Caput *189. Ad hoc ut Confessio formaliter integra sit, peccata dubia necessariò confitenda sunt ut dubia.* 559

Caput *190. Mortalia, confessa ut dubia, si postmodum occurrant ut certa, confitenda sunt ut certa.* 561

Caput 191. *Duæ sunt causæ excusantes ab integritate materiali Confessionis: videlicet impotentia physica, & moralis.* Ibid.

Caput 192. *Datur Confessio valida & informis, etsi non detur Pœnitentiæ Sacramentum validum & informe. Qua in re paradoxa Neoterici cujusdam opinio confutatur.* 562

Caput 193. *Casus invalidæ, adeòque iterandæ Confessionis. Et qualiter tunc iteranda sit.* 564

Caput 194. *Confessio ore, seu voce humanâ, regulariter fieri debet, tametsi hoc non sit de necessitate Sacramenti.* Ibid.

Caput 195. *Confessio inter absentes per epistolam fieri non potest.* 565

Caput 196. *Moribundus, qui absente Confessario confessionem petiit, si interim amissâ loquelâ, & sensuum usu, nullum in præsentia ipsius signum dare valeat, potest & debet absolvi.* 566

Caput 197. *Moribundus, sensibus repentè destitutus, tametsi confessionem non petierit, nec aliud pœnitentiæ signum speciale dederit, si tamen piè & christianè vixerit, absolvi potest, & debet, saltem sub conditione.* Ibid.

Caput 198. *Ægrotis in periculo mortis significanda est pœnitentia, seu satisfactio, quam implere debeant si convaluerint, impositâque interim eâ quam facilè tunc implere possunt, absolvi debent.* 575

Caput 199. *Satisfactio pro peccatis jure divino necessaria est.* Ibid.

Caput 200. *Satisfactio non solùm necessaria est ad satisfaciendum Ecclesiæ, sed & divinæ justitiæ, nec ad remissionem pœnarum temporalium dumtaxat, sed (saltem in voto) necessaria quoque est ad remissionem lethalis culpæ, pœnæque æternæ.* 576

Caput 201. *Quod satisfactio pœnitentibus in Sacramento Pœnitentiæ imponatur, divinæ est institutionis, non humanæ usurpationis.* Ibid.

Caput 202. *Prorsus abjicienda est propositio ista:* Absolvi potest pœnitens, nullâ satisfactione impositâ, sed in Purgatorium dilatâ. Ibid.

Caput 203. *Abjicienda quoque hæc plurium Juniorum propositio:* nulla, vel modica satisfactio imponenda est, dum pœnitens confitetur ad lucrandum Jubilæum, vel aliam Indulgentiam plenariam. Ibid.

Caput 204. *Ampliùs opinio illa confutatur ex Patribus Conciliis, & Ecclesiæ, seu Romanorum Pontificum sensu.* 579

Caput 205 *Laudatis Pontificibus accedunt novissimi Pontifices, Cardinales, Episcopi, Theologique gravissimi.* 581

Caput 206. *Confessarius tenetur, per se loquendo, pœnitentibus imponere, & pœnitentes acceptare pœnitentiam, seu satisfactionem, gravitati multitudinique criminum proportionatam.* 583

Caput 207. *Confutatur opinio Arsdekini Theol. tripart. tom. 2. p. 2. tract. 3. cap. 5. ad quæstionem:* quanta pœnitentia videatur proportionata pro uno mortali ordinario, *respondentis:* juttam satis pœnitentiam esse v. g. Coronam quinque Decadum. 590

Caput 208. *Imposita pœnitentia, secundùm Theologiam Sanctorum, peccatis ex adverso debet respondere.* 592

Caput 209. *Pœnitentiam gravem, pro mortalibus à Confessario impositam, pœnitens suscipere & implere tenetur sub mortali. Imò si pro iis leviorem Confessarius imposuerit, pœnitens ad ampliorem peragendam obligatur.* 594

Caput 210. *Pœnitentiam ab uno Confessario impositam alius Confessarius mutare non potest, nisi causâ cognitâ, & graves ob causas.* 595

Caput 211. *Pœnitentia imponenda est per modum præcepti, non ex toto per modum consilii.* Ibid.

Caput 212. *In pœnitentiam imponi potest opus aliàs præceptum. Etiam oratio, eleëmosyna, &c. pro defunctis.* Ibid.

Caput 213. *Pœnitens, antequam sit justificatus, pro peccatis suis satisfacere potest, dummodò deposuerit affectum ad mortale peccatum, operaque satisfactoria faciat corde contrito, & satagente per opera illa amissam Dei gratiam recuperare.* 596

Caput 214. *Absolutè & universim necessarium non est ut imposita satisfactio ante sacramentalem absolutionem impleatur.* Ibid.

Caput 215. *Confessarius pœnitentem obligare potest ad satisfactionem ex parte, vel ex toto implendam ante absolutionem, dum id ipsius curationi spirituali judicat expedire.* 597

Caput 216. *Absolutionis sacramentalis natura exponitur.* Ibid.

Caput 217. *Forma Sacramenti Pœnitentiæ indicativa, quâ Latina Ecclesia modò utitur, haud dubiè optima est. Sed non ideò irrita est forma deprecatoria, quâ Ecclesia usa fuisse videtur per multa sæcula.* 598

Caput 218. *Sensus horum verborum,* Absolvo te à peccatis tuis. 600

Caput 219. *Absolutio illicitè & invalidè datur absenti.* 601

Caput 220. *Absolutio sub conditione de præsenti, si sis contritus, si sincerum habes te emendandi vel restituendi propositum, &c. illicita est. Sub conditione de futuro est invalida.* Ibid.

Caput 221. *Absolutio à censuris præcedere debet absolutionem à peccatis.* Ibid.

Caput 222. *Obviis quibuscumque, tametsi sua peccata confitentibus, absolutio impartienda non est; sed neganda omnibus, quorum nulla vel ficta est conversio.* Ibid.

Caput 223. *Absolutio (extra mortis articulum) differenda est iis, quorum contritio, spectatis omnibus, dubia & incerta est. Nec ad eam impendendam sufficit quæcumque de ea probabilitas, si in contrarium sit æqualis vel major probabilitas.* 603

Caput 224. *Solus Sacerdos à peccatis absolvere potest, Pœnitentiæque Sacramentum administrare.* 604

Caput 225.

Caput 225. *Nullius momenti est absolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.* 605
Caput 226. *Exponitur ordinaria & delegata absolvendi potestas.* Ibid.
Caput 227. *Approbatio Episcopi ad absolvendum non requiritur in articulo mortis: in quo proinde simplex Sacerdos valide potest moribundum absolvere, etiam præsente approbato. An etiam licite? ex textu Tridentini videtur clarè inferri quòd sic.* 606
Caput 228. Nullus Sacerdos, etiam regularis (*extra mortis articulum*) confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, potest audire, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopo per examen (si illi videbitur necessarium) approbationem obtineat. 607
Caput 229. *Unius Episcopi approbatio non sufficit ad hoc ut Sacerdos, etiam Regularis, sæcularium confessiones ubique audire possit.* 608
Caput 230. *Ad audiendas sæcularium confessiones, non sufficit approbatio obtenta ab Episcopo pœnitentis; sed necessaria est approbatio obtenta ab Episcopo loci, ubi audienda est confessio.* Ibid.
Caput 231. *Ad audiendas sæcularium confessiones, necessaria est approbatio obtenta: non sufficit petita, & injustè negata.* Ibid.
Caput 232. *Regularis approbatus ad tempus limitatum, eo elapso, confessiones sine nova approbatione audire nequit, sive justè, sive injustè fuerit limitatus.* Ibid.
Caput 233. *Regularis usque ad revocationem approbatus, revocatione, seu justè, seu injustè factâ, debet à confessionibus audiendis desistere.* 609
Caput 234. *Prælatus, & Confessarii Regulares, non approbati ab Episcopo, in Monasteriis & Collegiis suis audire possunt confessiones illorum sæcularium, qui ibi sunt verè de familia, & continui commensales. Non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt.* Ibid.
Caput 235. *Ne venialium quidem confessiones à sæcularibus factas, audire licet Sacerdoti, sive sæculari, sive regulari, ab Episcopo non approbato.* 610
Caput 236. *Sacerdotum, sive sæcularium, sive regularium, approbationes Episcopi certis limitibus circumscribere possunt, & ad certas personas, loca, vel tempora coarctare, si non adeò idonei reperti fuerint.* Ibid.
Caput 237. *Clausula in approbationibus Episcoporum Belgii apponi solita, quâ Regularibus facultatem confessiones audiendi concedunt*, de consensu eorum, quorum interest, *utique Parochorum, censenda non est taxativa, seu limitativa, sed modalis: ita ut non designet conditionem sine qua non; sed modum convenienter utendi dictâ facultate, ad evitandas dissensiones, & rixas, inter Confessarios Regulares & Parochos.* Ibid.
Caput 238. *Confessarii Ordinum Mendicantium, in Diœcesibus, in quibus sunt approbati, confessiones audire possunt quorumcumque sæcularium ad se accedentium, etiam extraneorum, deque alia Diœcesi existentium.* 611
Caput 239. *Per confessionem, quovis tempore, etiam Paschali, factam Mendicantibus approbatis, impletur præceptum annuæ confessionis.* Ibid.
Caput 240. *Confessarii Ordinum Mendicantium, nec intra, nec extra Italiam, absolvere possunt à casibus, & censuris, quos & quas Episcopi sibi reservant; nisi ad id specialem ab ipsis licentiam acceperint.* Ibid.
Caput 241. *Sacerdotes Regulares, quàmlibet ab Episcopis approbati, fratres suos validè absolvere non possunt, nisi ad id à Superioribus suis deputati fuerint.* Ibid.
Caput 242. *Sacerdotes Regulares, quàmlibet amplam habentes à Sede Apostolica licentiam, absolvendi quoscumque fideles, à casibus quantumcumque enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, sicut in vim licentiæ hujusmodi absolvere non possunt sæculares à casibus sibi ab Episcopo reservatis; ita nec absolvere fratres suos à casibus reservatis Superioribus suis.* 612
Caput 243. *Observanda circa absolutionem injicientium manus violentas in Clericos, vel Religiosos.* Ibid.
Caput 244. *Peccatum habens reservatum, non potest, extra mortis articulum, confiteri Sacerdoti non habenti potestatem in reservata, neque hic sive à reservatis, sive à non reservatis ipsum absolvere.* 613
Caput 245. *Confessarius, qui, non obtentâ ad id facultate, absolvere audet, vel præsumit à casibus Sedi Apostolicæ, vel sibi ab Episcopo reservatis, excommunicationem ipso facto incurrit.* Ibid.
Caput 246. *Confessarius, qui id seu scienter fecit, seu ignoranter, pœnitentem ad confessionem, si possit, revocare tenetur, obtentâque facultate absolvere; vel certè monere de errore, ut Superiorem adeat, seu habentem facultatem. Si neutrum possit, pœniteat, Deoque negotium commendet.* Ibid.
Caput 247. *Facultas ab Episcopo obtenta, absolvendi à casibus ipsi reservatis, non cessat, mortuo Episcopo.* Ibid.
Caput 248. *Confessarius, tam sæcularis, quàm regularis, (aliàs non habens potestatem in reservata) in Diœcesi in qua est approbatus, pœnitentes ex alia Diœcesi ad se accedentes, absolvere potest à casibus in illa Diœcesi reservatis, si reservata non fuerint in Diœcesi, in qua est approbatus, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis, ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Ibid.
Caput 249. *Tametsi Confessarius, habens facultatem absolvendi à casibus S. Pontifici reservatis, à censuris etiam absolvere possit; Confessarius tamen, habens facultatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis, non ideò potest absolvere à censuris ipsi reservatis.* Ibid.
Caput 250. *Invalida est confessio facta Sacerdoti hæretico, schismatico, notoriè excommunicato, suspenso, irregulari.* 614
Caput 251. *Valdè periculosum est, juxta doctrinam Sanctorum, confessionibus audiendis se ingerere, absque signis vocationis divinæ.* Ibid.
Caput 252. *Variæ in Confessario dotes, seu qualitates requiruntur, ad istud ministerium riè obeundum.* Ibid.
Caput 253. *Oportet Confessarium esse instructum triplici scientiâ, Judicis, Medici, & Doctoris,*

* * * *

saltem in gradu convenienti & mediocri, etsi non sublimi & eminenti. Pœnitentem verò oportet conformare se opinioni Confessoris, non contrà. 615
Caput 254. *Explicatur prudentia, quâ pollere debet Confessarius.* 617
Caput 255. *Prudentia Confessarii in monitione errantium.* 618
Caput 256. *Prudentia Confessarii in ordine ad pueros sibi confitentes.* 619
Caput 257. *Prudentia Confessarii in ordine ad rudes, fidei mysteria ignorantes.* 620
Caput 258. *Prudentia Confessarii in ordine ad hæreticos, ad Ecclesiam redeuntes.* Ibid.
Caput 259. *Prudentia Confessarii in ordine ad recidivos & consuetudinarios.* Ibid.
Caput 260. *Prudentia Confessarii in ordine ad discernendas occasiones, relapsis sub mortali vitandas.* 621
Caput 261. *Prudentia Confessarii in ordine ad perjuros & blasphemos.* 623
Caput 262. *Prudentia Confessarii in ordine ad deditos voluptatibus obscœnis.* 624
Caput 263. *Prudentia Confessarii erga tepidos, suaque perfectionis adeò incurios, ut licèt nulla mortalia committere videantur, nulla etiam Christianæ vitæ signa demonstrent.* 625
Caput 264. *Prudentia Confessarii in loquendo de auditis in confessione.* 626
Caput 265. *Violatio sigilli confessionis semper est mortale peccatum, seu mortalia, seu venialia dumtaxat peccata in specie Confessarius revelet.* 627
Caput 266. *Sigillum confessionis non violat Confessarius, nec secretum prodit, absolutionem negando quibus oportet, vel eam differendo, ad hoc ut pœnitens ad eam, sicut & ad Communionem, per dignos pœnitentiæ fructus interim se disponat.* Ibid.
Caput 267. *Sigilli confessionis obligatio oritur ex omni & sola confessione sacramentali, saltem inchoata, etiamsi absolutio secuta non sit, ob defectum doloris vel propositi emendationis.* Ibid.
Caput 268. *Personæ obligatæ sigillo.* 628
Caput 269. *Materia cadens sub sigillum.* Ibid.
Caput 270. *Sacerdos, cui facta est confessio, potest de licentia expressa pœnitentis, de rebus in confessione auditis cum eo colloqui, & cum qualibet alia persona.* 629
Caput 271. *Illicitus est omnis usus scientiæ confessionis, extra confessionem, per quem confessio redditur odiosa, vel qui fit cum pœnitentis gravamine, vel incommodo, confessioni extrinseco.* Ibid.

LIBER SEXTUS.

Amor ungens ad extremam cum diabolo luctam. Sive de Sacramento Extremæ Unctionis.

Caput 1. *Extrema Unctio verum est novæ legis Sacramentum à Christo institutum.* 631
Caput 2. *Materia & forma hujus Sacramenti.* 632
Caput 3. *Minister hujus Sacramenti.* Ibid.
Caput 4. *Subjectum hujus Sacramenti.* 633
Caput 5. *Quadruplex effectus hujus Sacramenti.* 634
Caput 6. *Enumerati effectus tales ac tanti sunt, ut ex iis meritò inferatur, lethalis peccati reos esse, qui, à Pastore moniti, negligunt Sacramentum istud suscipere. Reos item Pastores, qui, rogati, negligunt ovibus suis illud administrare. Ad quod sub mortali tenentur, etiam cum vitæ suæ periculo.* Ibid.

LIBER SEPTIMUS.

Amor ordinans Ministros Ecclesiæ Militantis. Sive de Sacramento Ordinis.

Caput 1. *Ordinis definitio.* 636
Caput 2. *Ordo est verum novæ legis Sacramentum.* Ibid.
Caput 3. *Divisio Ordinis.* Ibid.
Caput 4. *Minores Ordines, & Subdiaconatum verè & propriè esse Sacramentum, plerique magni Theologi probabiliter affirmant. Alii probabilius negant.* 637
Caput 5. *Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, haud dubiè sunt Sacramentum.* Ibid.
Caput 6. *Minorum Ordinum materia, forma, & officium.* 638
Caput 7. *Materia, forma, & officium Subdiaconatûs.* Ibid.
Caput 8. *Materia, forma, & officium Diaconatûs.* Ibid.
Caput 9. *Materia & forma Presbyteratûs.* 639
Caput 10. *Differentia Presbyteratûs ab Episcopatu.* 640
Caput 11. *Fidei dogma est, præter Sacerdotium spirituale & internum, Christianis omnibus commune; aliud esse Sacerdotium externum & visibile, in ultima Cœna à Christo Domino institutum, ad sacrificandum & offerendum Deo corpus & sanguinem suum.* 641
Caput 12. *Sacerdotalis Ordinis officium, dignitas & excellentia.* 643
Caput 13. *Sanctitas vitæ Sacerdotibus necessaria.* 644
Caput 14. *Sacramenti Ordinis Minister ordinarius solus est Episcopus.* 645
Caput 15. *Episcopus ordinans debet esse proprius Episcopus ordinandi, vel saltem ad licitam Ordinationem requiritur ipsius licentia, de quâ constet per litteras dimissorias ab eo concessas. Tametsi valida sit Ordinatio ab Episcopo non proprio, facta sine licentia ipsius.* 647
Caput 16. *Proprius Episcopus Regularium est ille, in cujus Diœcesi situm est Monasterium, ubi suorum Superiorum mandato degunt. Ubi cum discretione defenduntur privilegia Mendicantium quoad Ordines.* 648
Caput 17. *Sexus, ætas, & qualitates ordinandorum.* 649
Caput 18. *Ordinationum impedimenta & irregularitates.* 653
Caput 19. *Malè ordinatorum pœna.* 657
Caput 20. *Si ante Ordinum collationem Episcopus palàm protestetur, se non intendere ordinare eos, qui talem vel talem habent contra Canones defectum, cum defectum habens validè equidem ordinatur.* 658

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LIBER OCTAVUS.

Amor procreans Colonos Ecclesiæ Triumphantis. Sive de Sponsalibus & Matrimonio.

PARS PRIMA.

De Sponsalibus, & Denuntiationibus Matrimonio præmitti solitis. Necnon de Dispensationibus Matrimonialibus.

Caput 1. *Sponsalium natura & obligatio.* 659
Caput 2. *Ætas ad sponsalia requisita.* 660
Caput 3. *Tempus adimplendi sponsalia.* Ibid.
Caput 4. *Sponsalia clandestina valida sunt.* Ibid.
Caput 5. *Sponsalia, insciis parentibus, communiter illicita sunt.* 661
Caput 6. *Conditio turpis, adjecta sponsalibus, in foro conscientiæ non semper habetur pro non adjecta.* Ibid.
Caput 7. *Valeantne, obtentâ dispensatione, sponsalia impeditorum impedimento dirimente, sub conditione, si Papa dispensaverit? controvertitur. Graves Doctores censent non valere, nisi renovato consensu.* Ibid.
Caput 8. *Sponsalia, sub conditione pœnali, quòd pars quæ promissis non steterit, pendet alteri 100. aureos v. g. non obligant ad solutionem pœnæ resilientem ex causa justa.* 662
Caput 9. *Invalidæ sunt sponsalia, etiam jurata, quæ quispiam contraxit post votum simplex castitatis, vel ingrediendæ Religionis.* Ibid.
Caput 10. *Sponsalia ipso jure dissolvuntur 1°. per matrimonium de præsenti cum alia initum. 2°. per solemnem professionem in religione approbata. 3°. per sacri Ordinis susceptionem. 4°. per ortam inter sponsos cognationem spiritualem, ex eo quòd sponsus filium sponsæ de fonte baptismi levaverit; vel affinitatem ex superinducta copula cum cognato, vel cognata alterius, in primo vel secundo gradu.* 663
Caput 11. *Occurritur argumentis contradicentium assertioni, quâ n. 35. dictum est, invitâ comparte, licitam non esse (post sponsalia) susceptionem Ordinis sacri, nec emissionem simplicis voti continentiæ.* Ibid.
Caput 12. *Præter causas enarratas cap. 10., quibus stantibus, sponsalia ipso jure solvuntur; aliæ sunt causæ, propter quas facto hominis solvuntur, seu solvi permittuntur.* 664
Caput 13. *Prima sponsalia non solvuntur per secunda, etiam jurata, etiam secutâ copulâ cum secunda sponsa, priorum sponsalium ignara.* 665
Caput 14. *Sponsus, vel sponsa, laborans defectu, qui cognitus averteret compartem à matrimonio, tenetur illum manifestare, si repugnet substantiæ matrimonii, vel sit infectivus alterius, vel futurus ipsi graviter noxius. Alias non, etiamsi matrimonium inde futurum sit minùs commodum, & minùs appetibile.* 666
Caput 15. *Qui promisit, vel etiam juravit, se non ducturum nisi Titiam, absolutè non tenetur eam ducere, sed solùm casu quo nubere velit.* Ibid.
Caput 16. *Ad dissolvendum sponsalia clandestina, seu occulta, dum causa dissolvendi est moraliter certa, necessaria non est authoritas Judicis Ecclesiastici.* Ibid.
Caput 17. *Observanda post sponsalia.* Ibid.
Caput 18. *Præparatio Sponsorum ad matrimonium.* Ibid.
Caput 19. *Præter dicta capite præcedenti, matrimonium præcedere debent tres proclamationes, seu denuntiationes, vulgò* banna. 668
Caput 20. *Nimia facilitas hodie dispensandi promiscuè cum omnibus dispensationem petentibus, etiam sine justa causa, super proclamationibus, seu bannis, plurimorum & ingentium malorum causa est.* 669
Caput 21. *Sæpè periculosum est, mediante dispensatione, super impedimento dirimente, matrimonii statum assumere.* Ibid.
Caput 22. *Quàm multis ex capitibus impetratæ dispensationes matrimoniales frequenter invalidæ sint, & quænam ab Oratoribus exprimenda sint, ut dispensatio valeat.* 671
Caput 23. *Matrimonio jungendi non sunt, qui Christiana fidei rudimenta ignorant.* Ibid.

PARS SECUNDA.

De Sacramento Matrimonii.

Caput 1. *Matrimonii essentia & institutio.* Ibid.
Caput 2. *Matrimonium est vere & propriè novæ legis Sacramentum.* 672
Caput 3. *Eadem est materia & forma Sacramenti Matrimonii, quæ contractûs matrimonii. Verba proinde Sacerdotis:* ego vos in matrimonium conjungo, *&c. non sunt forma substantialis Sacramenti Matrimonii.* 673
Caput 4. *Parochus, vel Sacerdos de ejus licentia matrimonio assistens, non est Minister essentialis Sacramenti Matrimonii, sed ipsi contrahentes.* 675
Caput 5. *Satisfit argumentis quæ objiciuntur contra doctrinam Capitis tertii & quarti.* 676
Caput 6. *Omne matrimonium baptizatorum, cum debita intentione, etiam per procuratores initum, est Sacramentum.* 680
Caput 7. *In matrimonio tamen fidelium baptizatorum ratio contractûs separabilis est à ratione Sacramenti, dubiumque est verum matrimonium, quod non sit Sacramentum.* 681
Caput 8. *Matrimonium baptizati cum non baptizata, contractum ex Pontificia dispensatione, Sacramentum est in baptizato: minimè in non baptizata.* 682
Caput 9. *Parentum consensus necessarius non est ad valorem matrimonii.* Ibid.
Caput 10. *Ad valorem matrimonii necessarius est contrahentium consensus, per verba vel signa de præsenti, sensibiliter expressus.* 683
Caput 11. *Necesse non est quòd consensus matrimonialis exprimatur verbis, sed* verborum loco, tum nutus, tum signa, quæ internum consensum apertè indicent, satis ad matrimonium esse possunt; tum ipsa etiam taciturnitas, cùm puella, propter verecundiam, non respondet, sed pro ea *tacente* parentes loquuntur. Ibid.
Caput 12. Expressio verborum, sine interiori consensu, matrimonium non facit. *Qui tamen cum tali simulatione matrimonium cum altera, sincerè procedente, contraxit, eam ducere tenetur,*

nonnullis casibus exceptis. 683
Caput 13. *Consensus matrimonialis, coram Parocho & testibus præstitus per verba de præsenti, sub honesta conditione de futuro, purificatâ conditione transit in absolutum, per eumque perficitur matrimonium, ab que necessitate novi consensûs, iterationeque contractûs coram Parocho.* 684
Caput 14. *Consensus matrimonialis, coram Parocho & testibus per verba de præsenti præstitus, sub honesta conditione de præsenti, vel de præterito (v. g. accipio te in uxorem, si es legitima, si es virgo, &c.) ab initio nullus est deficiente conditione, nec convalescit ex copula subsequente.* Ibid.
Caput 15. *Conditio turpis, adjecta contractui matrimoniali, illum reddit irritum & nullum, si sit contra substantiam & bona matrimonii. Alias habetur pro non adjecta.* 685
Caput 16. *Consensus ad valorem matrimonii requisitus debet esse liber à coactione, & metu gravi, ad ipsum extorquendum injustè incusso.* Ibid.
Caput 17. *Matrimonium coram Parocho & testibus celebratum, si ab initio fuerit occultè nullum, ob gravem metum vel fictionem unius partis, accedente verò & libero consensu ipsius convalescit, modo altera pars in pristino consensu persistat.* 686
Caput 18. *Matrimonium coram Parocho & testibus celebratum, si ab initio nullum fuerit ob impedimentum occultum, dispensatione obtentâ non convalescit, nisi novus utriusque partis consensus accesserit, verbis aut signis expressus, licèt hoc posito necessarium non sit eum de novo exprimere coram Parocho & testibus.* 687
Caput 19. *Matrimonium Christus reduxit ad primam institutionem: secundùm quam esse debet unius cum una.* 688
Caput 20. *Matrimonium baptizatorum ratum, solâ morte (naturali vel civili) quoad vinculum solvi potest: consummatum, solâ morte naturali.* Ibid.
Caput 21. *Ne quidem ob adulterium dissolvi posse matrimonii vinculum, si non de fide, saltem est fidei proximum.* 689
Caput 22. *Asserta matrimonii indissolubilitas est de jure divino: probabiliter etiam de naturali.* 691
Caput 23. *Matrimonium ratum, non consummatum, solemni professione religionis approbata solvitur quoad vinculum, jure divino.* 692
Caput 24. *Matrimonium ratum, quoad vinculum probabiliùs dissolvi nequit authoritate Pontificiâ.* 693
Caput 25. *Impedimenta matrimonium impedientia.* 694
Caput 26. *Impedimenta dirimentia in communi.* 695
Caput 27. *Impedimentum erroris, & conditionis.* Ibid.
Caput 28. *Impedimentum voti.* 696
Caput 29. *Impedimentum cognationis.* Ibid.
Caput 30. *Impedimentum affinitatis.* 698
Caput 31. *Impedimentum publicæ honestatis.* 699
Caput 32. *Impedimentum Ordinis.* Ibid.
Caput 33. *Casus mirabilis de conjugato, qui, uxorem falsò existimans mortuam, absque consensu ipsius sacros Ordines, etiam Sacerdotium, atque Pastoratum suscepit.* 700
Caput 34. *Impedimentum ligaminis.* 701
Caput 35. *Impedimentum criminis.* 702
Caput 36. *Impedimentum disparitatis cultûs.* Ibid.
Caput 37. *Impedimentum violentiæ, seu coactionis.* 705
Caput 38. *Impedimentum impotentiæ.* 706
Caput 39. *Impedimentum clandestinitatis, seu defectus præsentiæ Parochi & testium.* 709
Caput 40. *Impedimentum raptûs.* 711
Caput 41. *Legibus Ecclesiasticis de impedimentis dirimentibus etiam hæretici usque adeò ligantur, ut si cum aliquo ejusmodi impedimento matrimonium contrahant, invalidè contrahant.* 712
Caput 42. *Catholici, qui compelluntur à suis Magistratibus hæreticis, in Hollandia, coram hæretico contrahere Ministro, peccant si pareant huic mandato; licèt intendant postea contrahere, vel anteà contraxerint coram legitimo Sacerdote.* 714
Caput 43. *Solus Papa jure ordinario, & subindè Episcopus jure extraordinario, ex præsumpta rationabiliter Papæ voluntate, dispensat in impedimentis, solo Ecclesiastico jure matrimonium dirimentibus.* 715
Caput 44. *Tria matrimonii bona, debitique reddendi obligatio.* 716
Caput 45. *Finis, quem juxta doctrinam Sanctorum intendere debent conjuges, actum conjugalem exercendo, ut omni culpâ vacent, est procreatio prolis, per quam Deus benedicatur, & debiti redditio.* Ibid.
Caput 46. *Satisfit objectionibus recentiorum Casuistarum, contra allatam SS. Doctorum, præcipuorumque Scholasticorum doctrinam.* 719
Caput 47. *Illicitam esse debiti exactionem à conjuge menstruata, Scriptura & Patres docent.* 721
Caput 48. *Exorbitantes opiniones, in quas prolapsi sunt, qui à doctrina Sanctorum cap. 45. & 46. relata recesserunt.* 722
Caput 49. *Peccata conjugatorum recensentur.* Ibid.
Caput 50. *Fide certum est, multas ob causas, divortium, seu separationem inter conjuges, quoad thorum & cohabitationem, Ecclesiæ judicio fieri posse.* 723

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TOMUS III.

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET SPECIE.

LIBER PRIMUS.

AMOR AD DEUM PER SACRAMENTA PERDUCENS.

Sive

De Sacramentis in genere.



Sacramenta *Dominicæ Incarnationis Reliquias* angelicè vocavit Doctor Angelicus in Prologo libri 4. ad Annibald. Sunt enim pretiosa Monilia, quibus Verbum Caro factum Ecclesiam Sponsam suam decoravit, non auro & argento turgida, sed pretioso sanguine suo. Priusquàm enim de hoc mundo ad Patrem ascenderet, *de gratia sua* (ut Bernardus loquitur serm. de ablut. ped. & serm. de Bapt. & Cœna) *investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur.* Sunt aquæ de fontibus Salvatoris, ad quas hauriendas & sitiendas, divinus Amor nos invitat, dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite absque ullo argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.* Isa. 55. Benè *absque ullo argento, & absque ulla commutatione:* quia absque alio pretio, quàm pretioso sanguinis à Domino pro nobis gratiosè effusi. Qui ut salutaribus nos aquis istis satiet, solam sitim nostram desiderat, solam voluntatem, quam gratiosè in nobis operatur. *O ingentem benignitatis celeritatem* (exclamat Nazianzenus orat. 40.) *ô facilem contrahendi rationem! Hoc bonum solâ voluntate venale tibi proponitur. Sitit sitiri: cùm ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur. Jucundiùs dat, quàm alii accipiant.* Incarnatio itaque divini beneficium est amoris, profluvium inexhaustæ bonitatis, œconomia salutis; istius amoris, profluvii & salutis canales sunt Sacramenta. Quid retribuemus Domino pro tot & tantis argumentis inæstimabilis sui in nos amoris? Quid, nisi amorem? *Solus* quippe *est amor, ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Authori, vel sibi mutuam rependere vicem. Amor ipse meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus, ipse usus.*

CAPUT I.

Sacramenti natura ac divisio, novæque legis Sacramentorum à Sacramentis Mosaycæ legis discrimen.

1 BRevitatis causâ, ubi nulla vel modica est inter Doctores controversia, omissis variis acceptionibus Sacramenti, ad rem nostram non facientibus, hanc accipe definitionem Sacramenti in genere, ut comprehendit Sacramenta legis naturæ, legis Mosaycæ, & legis novæ: Sacramentum *est res sensibilis, stabili lege à Deo instituta, ut usu suo sanctificet hominem, significetque perfectam gratiam sanctificantem.*

In re communis est definitio, diciturque 1°. *res sensibilis.* Quia de Sacramentis agimus, quæ instituta sunt pro hominibus, in hoc statu degentibus, ob duplicem finem: quorum uterque postulat ut Sacramentum sit aliquod sensibile signum. Primus namque finis, ob quem instituta sunt Sacramenta, est ut per illa homines in unum nomen religionis inter se conspirent, ab aliisque sectis, in exteriori Dei cultu, sese discernant. Teste verò Augustino l. 19. contra Faust. c. 11. *in nullum nomen religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligati.*

Alter finis, quem tradit S. Thomas 3. p. q. 60. 3
a. 4. post D. Gregorium, relatum cap. *multi* 1. q. 1. est, ut per Sacramenta, tamquam per signa, homines deducantur in cognitionem rerum spiritualium, quas significant. Ad earum verò cognitionem deduci nequeunt, nisi per signa sensibilia. Ut enim Os aureum hom. 60. ad popul. ait, *si incorporeus esses, incorporea tibi dedisset ipse dona; sed quia corpori conjuncta est anima,* in præsentique statu conjunctionis animæ cum corpore, nihil est in intellectu ipsius nisi priùs fuerit in sensu, ideò rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.

Dicitur 2°. *stabili lege*, utique pro toto tempore legis, seu Ecclesiæ durantis in lege, pro qua instituta est Sacramentum. Cùm enim signa sint Ecclesiæ, ut in hac vel illa lege institutæ, tamdiu durare debent, quamdiu Ecclesia illa; cujus etiam sunt velut fundamenta & columnæ, prout de septem novæ legis Sacramentis dicitur Prov. 9. *excidit columnas septem.* Stabilis verò ædificii oportet columnas esse stabiles. Hujus proinde conditionis defectu *serpens æneus*, tametsi significaverit curationem à peccatis, quam Christus allaturus erat, Sacramentum non fuit; uti nec lotio pedum Apostolorum, insufflatio in eos, verba Christi ad Magdalenam, & Paralyticum, *remittuntur tibi peccata tua*, &c.

Dicitur 3°. *à Deo instituta*, ad significandum, 4
solius Dei, non hominum esse, instituere Sacramenta. Quorum instituendorum potestatem etiamsi Deus concedere possit hominibus; non tamen eorum instituendorum propriâ, seu humanâ, sed divinâ dumtaxat authoritate. Hinc sacramentalia, solâ Ecclesiæ authoritate instituta, non sunt Sacramenta.

Dicitur 4°. *ut usu suo sanctificet hominem.* Quia 5
de ratione Sacramenti est quòd sit signum practicum, non speculativum dumtaxat sanctitatis, quam proinde usu suo conferre debet subjecto suo; non necessariò quidem sanctitatem perfectam, quæ est per gratiam sanctificantem (loquendo de ratione Sacramenti in genere) sed vel perfectam, vel imperfectam, sive sanctitatem in

genere, in consecratione aliqua consistentem (à qua loca & vasa sacra, vocantur loca & *vasa sancta, terra sancta*, &c.) Sacramentum quippe à *sacrando* dictum est, & (ut S. Thomas ait 1. 2. q. 102. a. 5.) *Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodò ad cultum Dei.* Exclude proinde manna, quod Deus asservari jussit in arca, ad præfigurandam Eucharistiam, gratiamque per eam conferendam. Neque enim in arca servari jussa est, ad hoc ut usu suo conferret aliquam homini sanctitatem.

6 Dicitur 5°. *& significet perfectam gratiam sanctificantem*, ad excludendum sacrificium, quod, ut tale, institutum non est ad significandam gratiam sanctificantem, sed ad recognitionem supremi in nos dominii divini. Ad excludendum item martyrium; quod licèt (secundùm aliquos) gratiam conferat ex opere operato; ad eam tamen significandam non est divinitùs institutum, sed ad fidei confessionem.

7 Cùm allata definitio conveniat Sacramentis, tam legis naturæ (in qua fuisse Sacramenta Augustinus tradit l. 5. contra Julian. c. 11.) quàm veteris & novæ legis, Sacramentum sic definitum convenienter dividitur in *Sacramentum legis naturæ*, *Sacramentum legis Mosaycæ*, & *Sacramentum legis gratiæ*, seu *evangelicæ*. Quod postremum in eo præcellit Sacramentis legis naturæ & Mosaycæ, quòd ista significabant quidem gratiam sanctificantem, conferendam per merita Christi, sed illam ex vi & dignitate sua non conferebant. Hoc enim proprium est Sacramentorum novæ legis, quæ dicuntur à Concilio Tridentino sess. 7. can. 8. conferre gratiam ex opere operato, id est ex vi & efficacia meritorum Christi, Principalis Agentis, supra dignitatem & merita, tam Ministri, quàm suscipientis (prout uberiùs explicabimus l. 2. n. 212.) & non solùm ex opere operantis, id est ex fide, devotione, vel merito hominis. In quo hæretici errant, dicentes, Sacramenta novæ legis, non habere aliam virtutem, quàm excitandi fidem, vel devotionem, nec proinde aliter justificare, quàm Sacramenta veteris legis, quæ etiam fidem excitabant, & devotionem, cáque mediante, atque ex vi & merito istius fidei (atque adeò ex opere operantis) justificabant hominem.

8 Verùm errare convincuntur ex Scriptura. Siquidem Apostolus Mosayca Sacramenta ad Galat. 4. vocat *infirma & egena elementa*, eademque Hebr. 7. jam reprobata dicit *propter infirmitatem & inutilitatem*. Ex opposito docemur in Evangelio, hominem in Baptismo renasci, remitti in cælo peccata, cui remittuntur à Sacerdote. A carne & sanguine Christi vitam manducantibus & bibentibus conferri, per manuum impositionem Spiritum sanctum accipi, &c. Quæ ad oculum ostendunt, evangelica Sacramenta non esse signa gratiæ ex se sterilia, sed causas effectrices, fœtas sanctitate, quam promittunt.

Si dicas 1°. aliud significare Augustinum relatum can. *detrahe* 1. q. 1. *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* Ex hoc enim consequens videtur baptismum non abluere cor ex opere operato, sed ex opere operantis.

Respondeo negando assumptum. Quia licèt ad consequendam gratiam baptismi, Augustinus ibi requirat fidem baptismum suscipientis (quia *sine fide impossibile est placere Deo*) nihilominùs non dicit, quòd baptismus non abluat cor, sive non sanctificet supra meritum & dignitatem fidei suscipientis, sed fidem exigit tamquam conditionem sine qua non, sicut Theologi omnes, cum SS. Patribus, exigunt sublationem obicis, seu fictionis, vel pravæ dispositionis, ad hoc ut baptismus ex opere operato valeat ad salutem & justificationem. Nec fidem suscipientis Augustinus exigit, si adultus non sit, sed, ut ait can. *cùm pro parvulis* de Consecr. dist. 4. *cùm pro parvulis alii respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt; valet* (inquam) *ad hoc ut mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem.*

Si dicas 2°. quòd *originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium* cap. *majores* de baptismo. Respondeo ibi non dici, quòd remittebatur per circumcisionem, uti per baptismum. Neque enim circumcisio *Christi sanguine rubricata erat*, uti de baptismo dicitur ibidem. Non (inquam) dicitur ibi, quòd originalis culpa remittebatur per circumcisionem, sed *per circumcisionis mysterium*, id est per fidem, quam in mysterio, sive in arcano significabat: adeòque *ex opere operantis*, non *ex opere operato*. Ad quod significandum 1. Cor. 7. dicitur: *Circumcisio nihil est, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.*

Dicamus ergo cum S. Augustino in Psal. 73. 9 *Alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris legis promittebant Salvatorem.* Et, cum Concilio Florentino, in decreto de Armenis: Sacramenta novæ legis *multùm à Sacramentis differunt antiquæ legis, quæ non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam significabant. Hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.*

CAPUT II.

Numerus Sacramentorum novæ legis.

Fide certum est, novæ legis septem esse Sacra- 10
menta, non plura, nec pauciora, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Sic Tridentinum sess. 7. can. 1. definivit contra nostri temporis hæreticos, in ea non minùs à secumipsis, quàm à nobis discordes. Siquidem Lutherus modò unum tantùm, ut lib. ad Valdens. modò duo, ut lib. de capt. Babil. fol. 88. modò tria agnovit, baptismum, pœnitentiam, & panem, ut ibidem fol. 65. Calvinus l. 4. instit. c. 18. §. 19. & 20. duo tantùm, baptismum, & cœnam. Verùm ibidem c. 19. §. 3. presbyteratûs ordinem pro Sacramento recipit. Et in Antidoto Conc. Trid. sess. 7. c. 4. quatuor tantùm rejicit Sacramenta. Zuinglius l. de falsa & vera relig. tria Sacramenta agnoscit, baptismum, cœnam, & matrimonium. Philippus Melanckton in locis communibus anno 1522. editis duo tantùm admittit. Verùm ætate factus prudentior (inquit Lindanus l. 4. Panopl. c. 6.) tria tantùm agnoscit Sacramenta, ut videre est in Apologia Augustana anno 30. edita. Nec tamen in hoc numero sibi constiterunt existimavit: siquidem in locis anno 52. recusis ex sua censura contra Symmistarum omnium sententiam, quartum cuperet additum, dicens: *Mihi maximè placet, etiam addi baptismum cœnæ Dominicæ, & absolutioni ordinationem.* Alius porrò ex istis novo isthoc spiritu afflatis (pergit Lindanus) scribit sex semper fuisse credita Sacramenta, licèt alicubi septem. Ita nimirùm nec inter se, nec secumipsis concordant, qui semel à certa veritatis regula deviant.

11 Nos autem Catholici, quantùm ad essentiam, numerum & efficaciam Sacramentorum, hoc tenemus (ait optimè Latomus adversus Tindalum pag. 193.) quod in Ecclesia Catholica didicimus, eandem sequentes regulam in recipiendis Sacramentis, quam sequimur in recipiendis canonicis Scripturis. Nam sicut illas Scripturas habemus canonicas, quas omnes Ecclesiæ Catholicæ pro canonicis agnoscunt; sic illa habenda censemus Sacramenta, quæ pro Sacramentis habet omnis Ecclesia Catholica. Et quemadmodùm Catholicus Orthodoxus non veris rationibus adducitur, ut de authoritate Scripturæ canonicæ dubitet, vel alicujus partis ejus, eò quòd videat quasdam hæreses, vel schismata, ipsam Scripturam in totum, aut ex parte, vel non recipere, vel repudiare; ita sentiendum de Sacramentis. Quia regula credendi ex ipsa Ecclesia Catholica, & ex his qui in ea permanent, petenda est, non ex his qui foras exierunt, aut projecti sunt. Ut enim ex ramis in vite permanentibus uvæ, unde vinum exprimatur, colliguntur, non de sarmentis præcisis; ita quoque veritas fidei ac doctrinæ Sacramentorum, ex Catholicis Orthodoxis petenda est, non ex hæreticis, aut schismaticis. Proinde illud habendum pro Sacramento, quod pro Sacramento Catholica habet Ecclesia, etiamsi hoc non probet per Scripturam expressam. Etenim verbum Dei traditum æquivalet scripto. Non enim omnia ad fidem, religionem, & Sacramenta spectantia, expressè habentur in Scripturis, ut constat ex dictis Patrum, & ex ipsa canonica Scriptura. Nam & ipse Paulus quædam verbo tradidit Timotheo, tamquam fidele depositum, quæ præcepit commendari fidelibus hominibus, qui idonei essent alios docere. Unde sicut veritas fidei, verus Scripturæ intellectus, & vera obscurorum locorum interpretatio, ex Ecclesia Catholica petenda est; ita & veritas, usus & fructus Sacramentorum. Frustrà proinde hæretici, ex Scriptura probari volunt septem Sacramenta. Tametsi enim non putemus deesse Scripturas testificantes de illis; etsi tamen deessent, vel earum aliquæ expositione, vel interpretatione hæreticorum aliorsum traherentur; sufficere deberet homini pio & fideli traditio & expositio Ecclesiæ Catholicæ.

Septenarium itaque Sacramentorum numerum sufficienter probamus ex perpetua Ecclesiæ Orientalis (de qua testimonium perhibuit Hieremias Patriarcha Constantinop. Wittembergensibus respondens 15. Maii 1576.) & Occidentalis traditione; quæ cùm ab aliquo determinato Concilio, vel Pontifice non probetur introducta, secundùm regulam Augustini epist. 118. censenda est ab Apostolica traditione manasse. Et de omnibus quidem septem Sacramentis antiquissimorum Patrum, Græcorum, Latinorumque testimonia apud Authores nostros inveniuntur. Enimverò Tertullianus de præscript. c. 40. meminit *tinctionis*, id est Baptismi, *expiationis peccatorum*, id est Pœnitentiæ, *signationis in frontibus*, id est Confirmationis, *oblationis panis*, id est Eucharistiæ, *summi Pontificatûs*, id est Sacerdotii, sicut & *nuptiarum*, id est Matrimonii. Quibus cap. 41. addit *curationem ægrorum*, id est Extremam Unctionem. Similiter Augustinus epist. 118. tamquam vera Sacramenta nominat *Baptismum & Eucharistiam*. L. 2. contra epist. Petilian. c. 104. *sacrum Chrisma*. L. 1. de adulter. conjug. c. 26. & 28. & in Psal. 146. *Pœnitentiam*. L. 2. contra epist. Parmen. c. 13. *Ordinationem*. L. 1. de nupt. & concup. c. 10. & lib. de bono conjugii c. 24. *Sacramentum Matrimonii*. Epist. 119. c. 7. *Oleum*, seu Extremam Unctionem. De qua etiam videri possunt Innocentius I. in epist. ad Decentium, Chrysostom. l. de sacerdotio, Cyrillus noster Alexandrin. l. 2. in Leviticum, aliique Patres.

12 Sed quid est quòd septenarium Sacramentorum à nobis potiùs ex Scriptura probari volunt, quàm quaternarium numerum Evangeliorum, vel quàm binarium vel ternarium dumtaxat numerum Sacramentorum ipsi ex Scriptura probent? Cur ad id probandum nobis non sufficit præscriptio possessioque ab antiquis ducta temporibus, Ecclesiæque Orientalis & Occidentalis consensus: cùm pro illo suo binario vel ternario dumtaxat numero, ne ullum quidem Patrem Lutherani & Calvinistæ habeant, nec ullum Scripturæ testimonium?

13 Denique ex Scriptura eo ipso demonstramus esse plusquàm duo, vel tria Sacramenta, quo ex Scriptura demonstramus, esse plusquàm duo, vel tria symbola, seu signa externa, gratiæ collativa. Quòd enim Baptismus, Eucharistia, Pœnitentia, & Ordo, sint symbola externa, nec negant, nec negare possunt. Quòd autem gratiæ sint collativa, probatur de Baptismo ex Actor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum*. De Eucharistia ex Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, &c. habet vitam æternam*, id est jus ad eam, per gratiam. De Pœnitentia ex Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Remissio verò peccatorum non fit nisi per gratiæ infusionem. De Ordine, ex eo quòd Christus ibidem Apostolis conferens absolvendi potestatem (quæ spectat ad sacram ordinationem) dixerit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Necnon ex eo quòd Apostolus 2. Timoth. 1. loquens de Timothei ordinatione dicat: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*.

14 Si præterea hæretici advertant ex Scriptura constare, quòd quatuor illa symbola à Deo sint instituta, quid ampliùs postulant ad probandum ex Scriptura, quòd verè sint Sacramenta? Et quibus aliis ex Scriptura argumentis probant ipsi, Baptismum & Eucharistiam esse Sacramenta? Atqui quatuor illa symbola à Deo esse instituta, constat ex Scriptura, & quidem de Baptismo ex Marci ult. *Euntes in mundum universum, baptizate, &c.* De Eucharistia ex Luc. 22. & 1. Cor. 11. *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*, &c. De Pœnitentia ex Joan. 20. antè citato. De Ordine quoad potestatem absolvendi ex eodem c. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Quoad potestatem verò conferendi ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*.

15 Ecce ergo plusquàm duo vel tria Sacramenta, ex Scriptura demonstrata. De Matrimonio idem probatur ex c. 5. ad Ephes. *Sacramentum hoc magnum est*. Illudque à Deo institutum esse constat ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Aiunt quidam hæretici Apostolum loco citato non loqui de Sacramento gratiæ collativo, sed mysterii significativo. Verùm Apostolum ibi sic loqui de Sacramento mysterii significativo, ut etiam loquatur de Sacramento gratiæ collativo, perpetuus fuit Ecclesiæ sensus ac traditio: nec contrarium ex Scriptura vel aliunde hæretici probare possunt.

16 Supersunt Confirmatio & Extrema Unctio. Confirmationem verò esse signum gratiæ collativum, habemus ex Actor. 8. & 19. *Imponebant manus super illos* (baptizatos) *& accipiebant Spiritum sanctum*. Idem de Extrema Unctione habemus ex Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo... & si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Quòd si ex Scriptura expressè habeamus, duo ista Sacramenta gratiam conferre, eo ipso ex eadem implicitè habemus, esse institutionis divinæ: cùm solius Dei sit signa gratiæ collativa instituere.

CAPUT III.

Sacramentorum novæ legis divisio.

17 SAcramenta novæ legis, alia sunt vivorum, alia mortuorum. Alia imprimunt, alia non imprimunt characterem.

Mortuorum Sacramenta dicuntur, quæ primariò & principaliter instituta sunt pro spiritualiter mortuis ad vitam spiritualem revocandis, id est peccatoribus justificandis. Et hæc sunt duo tantùm, Baptismus scilicet, & Pœnitentia.

Vivorum Sacramenta appellantur illa, quæ primariò & principaliter instituta non sunt pro spiritualiter mortuis, sed pro vivis Christi membris; cùm vitam spiritualem per se loquendo requirant in subjecto, ad hoc ut dignè suscipiantur. Et hujusmodi sunt reliqua quinque, videlicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium.

18 Characterem tria imprimunt Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Reliqua quatuor non imprimunt. Et ideò quatuor ista reiterari possunt. Tria illa non possunt, ut definitum est in Tridentino sess. 7. can. 9. *Siquis dixerit, in Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, id est signum spirituale & indelebile, unde ea reiterari non possunt, anathema sit.*

19 Hunc characterem (qui *spiritualis est qualitas, animæ indelebiliter impressa, per quam homo specialiter consecratur, & adscisitur, vel in rempublicam, vel in militiam christianam, vel magistratum, potestatemque specialem in ea republica ac militia accipit*) hunc, inquam, characterem, velut fictitium, hæretici rident, sed ad cum comprobandum traditionis Ecclesiæ sufficit authoritas, sanctorumque Patrum, Græcorum, Latinorumque consensus, apud Bellarminum l. 2. de effect. Sacram. c. 2. sic unanimiter intelligentium illa sacrarum Paginarum effata, quibus dicimur à Deo signari, sigillo imprimi, suæque hæreditatis pignore donari Ephes. 1. & 4. 2. Cor. 1. &c. Quod quidem signaculum *sanctum & indelebile* vocat Cyrillus Hierosol. in Præfat. ad Catecheses, necnon Catechesi 17. *Nisi characterem in te agnoscat Angelus* (inquit Basilius homil. 13.) *quomodò pro te pugnabit,... Quomodò dices, Dei sum, signa Dei ostendens? Quemadmodum* (ait Os aureum hom. 5. in 2. ad Cor.) *nota quædam militibus, sic fidelibus spiritus imponitur, quo fit, ut si ordinem deseruerit, omnibus perspicuus fias*, &c. Videri potest Augustinus l. 6. de Baptismo c. 1. ubi docet, characterem in impiis permanere, à gratiaque proinde sanctificante distingui. Quod & Apostolus innuit 2. Cor. 1. *Unxit nos Deus, qui & signavit nos*: unctionis nomine gratiam significans; nomine verò signationis, seu sigillationis characterem.

20 Si quæras 1°. cur consignatio in Christianum, vel in militem Christi, vel in Ducem christiani gregis, &c. potiùs imprimat qualitatem aliquam supernaturalem in anima, quàm adoptio vel collatio politicæ potestatis subjecto suo qualitatem imprimat naturalem?

Respondeo cum Pallavicino Hist. Trid. l. 9. c. 5. in fine id apud homines ab ipsorum imbecillitate procedere, quæ per intimas animæ dotes, jus ad hæreditatem vel magistratum impertientes, potens non est alios nobilitare, sicut Deus. Ideòque solâ voluntatis suæ sterili declaratione, id fictione juris efficiunt, quod Deus, qui quidquid vult potest, fœcundâ efficacique voluntate suâ per inditas animis dotes, adjectaque supra naturæ conditionem decora ac vires sine ullâ fictione præstat.

Si quæras 2°. cur tria potiùs designata Sacramenta, quàm quatuor reliqua, characterem imprimant? 21

Respondeo pro ratione esse Dei voluntatem, dictâ traditione nobis manifestatam. Nec ad hoc deesse congruentiam. Quia per tria illa Sacramenta, potiùs quàm per reliqua, homo consignatur in Christianum, in Christi militem, atque in gregis Christi Ducem, absolvendi consecrandique Corpus Christi potestate donatum.

CAPUT IV.

Omnia novæ legis Sacramenta Christus Dominus immediatè instituit. Non videtur tamen fide certum, sic omnia per seipsum immediatè instituisse, ut pro nonnullis usus non fuerit ministerio Apostolorum, tamquam executorum mandati sui; in eo proinde non agentium virtute & authoritate propriâ & principali (sicut in conditione legum Ecclesiasticarum) sed virtute & authoritate Christi, tamquam causæ principalis; nec suo, sed ipsius nomine, ac mandato. Sic proinde ut tota institutio Christo adscribenda sit.

QUòd omnia novæ legis Sacramenta Christus Dominus instituerit, fide certum est. Sic enim Tridentinum sess. 7. can. 1. definivit, his verbis: *Siquis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Et ratio est, quia solius divinæ potestatis est, signa gratiæ practica principaliter instituere: uti solius divinæ potestatis est, gratiam principaliter conferre. 22

Quòd autem Christus omnia novæ legis Sacramenta immediatè instituerit, tametsi Tridentinum non exprimat, verum equidem est. Quia id exigit proprietas verborum Tridentini. Neque enim omnia à Christo propriè instituta fuissent, nisi immediatè instituta fuissent, ut patet in ritibus accidentalibus ad decoram Sacramentorum administrationem ab Ecclesia institutis, qui licèt à Christo eatenùs dici queant instituti, quatenùs instituti sunt potestate ab ipso acceptâ; propriè non dicuntur à Christo instituti. Uti nec sacramentalia. 23

Sed & congruum est, quòd immediatus Author gratiæ, sit immediatus Author vasorum gratiæ. Quòdque sicut Christus Ecclesiam novumque Testamentum immediatè instituit; sic & Sacramenta, quæ sunt Ecclesiæ columnæ, parsque non infima novi Testamenti. Nec minùs immediatè adstiterit Sacramentorum omnium institutioni, quàm adsit eorumdem efficaciæ & operationi. *Cùm igitur virtus Sacramenti sit à solo Deo*, consequens est quòd solus Deus sit Sacramentorum institutor, ait S. Thomas q. 64. a. 2. 24

Nec tamen inde necessariò conficitur, quòd omnia per seipsum instituerit. Quia non solùm ea verissimè dicuntur à Christo immediatè instituta, quæ Christus per seipsum, sed & ea quæ instituit ministerio Apostolorum, tamquam commissariorum, delegatorumque suorum, & tamquam executorum mandati sui, non suo, sed ipsius nomine agentium, nec propriâ, sed ipsius virtute & authoritate: Christus namque per ministerium Sacerdotum, nomine, & in virtute ipsius agentium, consecrat in Missa, immediatè tamen. Sicut & Deus, ut causa universalis, producit innumeros effectus, quos per causas secundas producit, & ut Author supernaturalis immediatè producit gratiam, quam per Sacramenta producit. Immediatè quoque solem sterit per Josue, immediatè suscitat mortuos, quos per Sanctorum ministerium suscitat, &c. 25

Quapropter ex allato Tridentini canone Recentiores quidam non satis fundatè concludunt, esse 26

de fide, quòd Christus per seipsum solum omnia novæ legis Sacramenta instituerit, nulla per Apostolos. Tametsi enim communis opinio, quæ id asserit, probabilissima sit; per Tridentinum damnata non est opinio Hugonis à S. Victore l. 2. de Sacram. parte 15. c. 2. Magistri in 4. dist. 23. c. 2. D. Bonaventuræ q. 2. aientium, quòd Christus per Apostolos Extremam Unctionem instituerit. Quod & de Diaconatu D. Cyprianus epist. 65. ad Rogatian. significare videtur, cùm ait, quòd *meminisse Diaconi debent, quomam Apostolos, id est Episcopos & Præpositos Dominus elegit. Diaconos autem, post ascensum Domini in cælum, Apostoli sibi constituerunt Episcopatûs sui, & Ecclesiæ Ministros.*

27 Magis proinde credimus duobus eximiis Theologis Lovaniensibus, Judoco Ravesteyn Tiletano, & Ruardo Tappero, qui Tridentino interfuerunt, & ideò sensum allati canonis ab ipsis Conditoribus discere potuerunt, quàm dictis Recentioribus. Tiletanus verò, in Apologia decretorum Concilii Tridentini, quam contra Kemnitium, redux ex Tridentino conscripsit, Kemnitium arguit, quòd citatum canonem sic referat: *Siquis dixerit, non omnia ista septem Sacramenta à Christo ipso instituta esse, anathema sit. Hanc cavillationem* (inquit Tiletanus) *studiosè & circumspectè Patres Synodi excluserunt, dum decreverunt, quòd omnia legis novæ Sacramenta instituta quidem sint à Jesu Christo; non autem quòd omnia sint à Christo immediatè*, per seipsum, *instituta*. Quamvis enim sententia affirmans Christum per seipsum omnia instituisse, præferenda sit, *præsentis tamen canonis veritas* (pergit Tiletanus) .... *immota consistit, sive Christus per seipsum, sive per Apostolos suos, dictante Spiritu sancto, intelligatur Sacramenta novæ legis instituisse.*

28 Tapperus autem in explicatione articulorum S. Facultatis Theologicæ Lovaniensis, quam etiam scripsit post suum reditum ex Tridentino, primum hunc articulum: *Credendum est esse septem Ecclesiæ Sacramenta, à Christo instituta*, confirmari dicit præsenti canone Tridentini, eodemque modo intelligendum esse. Quòdque *articulus solùm habet, quòd omnia Sacramenta sunt à Christo instituta; non autem, quòd ab eo sunt instituta immediatè* per seipsum.

29 Enimverò Tridentini Patres (teste Pallavicino Histor. Concil. Trid. l. 12. c. 1.) circumspectè exquisierunt verborum formulas, *remotas ab omni specie labis cuicumque Theologicarum classium inferendæ*. Quia (ut ait ibidem c. 2.) *Concilio satis erat hæreses prohibere, scholasticis quæstionibus relictis*. Id enim Tridentini Patres non semel monuerunt (ut Bituntinus ibidem relatus) *solas hæreses esse damnandas, non autem scholasticorum sententias esse definiendas.*

CAPUT V.

Omnia novæ legis Sacramenta perficiuntur rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ.

30 OMnia novæ legis Sacramenta perfici rebus tamquam materiâ, & verbis tamquam formâ, doctrina est Concilii Florentini in decreto unionis Armenorum. Ubi per rem intelligitur aliquid sensibile ex se non determinatum ad significationem Sacramenti, aptum tamen ad id determinari per formam; sive sit quidpiam permanens, ut aqua, oleum, &c.; sive sit actio, ut ablutio, unctio, &c.; sive verba aliqua, ut vocalis confessio, in Sacramento Pœnitentiæ. Cujusmodi res ideò dicitur se habere tamquam materia: quia sicut materia in compositis physicis ex se non determinat hoc compositum præ illo, sic in compositis artificialibus ex rebus & verbis, (cujusmodi est Sacramentum) illud se habet velut materia, quod ex se non determinat hanc Sacramenti significationem præ illa: verbum autem determinans hanc Sacramenti significationem præ illa, dicitur se habere velut forma: quia sicut forma in physicis determinat ad hoc potiùs compositum quàm ad aliud, sic verbum determinans certam significationem Sacramenti, determinat ad hoc potiùs Sacramentum, seu artificiale compositum, quàm ad aliud, sive interim verbum illud vocale sit (quale requiritur in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio) sive quidpiam vocibus æquivalens, cujusmodi in Matrimonio sunt signa externa consensum exprimentia, v. g. nutus, scriptura, &c.

Neque à doctrina illa Concilii Florentini excipiendum est Sacramentum Eucharistiæ, tametsi permanens, postquam verba transierunt. Quia saltem in fieri verbis perficitur, tamquam forma. Verum proinde est, Sacramenta omnia, saltem in fieri, perfici rebus tamquam materiâ, & verbis tamquam formâ. 31

Culpant quidem Ecclesiam Romanam ipsius 32
hostes, quòd Sacramentorum doctrinam explicet per materiam & formam: eò quòd modus iste explicandi à sanctis Patribus non fuerit usurpatus. Sed licèt SS. Patres non usurpaverint modum illum loquendi, sufficit quòd usurpaverint rem eo significatam. Ut Augustinus tract. 80. in Joan. dicens: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Et iterùm ibidem: *Detrahe verbum*, in Baptismo, *quid est aqua, nisi aqua?* Ad probandum itaque modum illum loquendi, explicandique Sacramenta, sufficit authoritas Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis. Quòd enim Orientalis Ecclesia in eo concinat Occidentali, liquet ex cap. 7. responsi Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Wittembergenses. In quo post enumerata septem Sacramenta supradicta, addit: *Quæ quidem omnia Sacramenta sacrâ sanctuntur Scripturâ, certamque ac definitam materiam & formam ... habent ... Usi Baptismi quidem materia est aqua, forma autem verba Sacerdotis. ... Similiter autem & in aliis omnibus certam itidem materiam & formam invenire licet.* Eamdem loquendi methodum amplectitur Gabriel Philadelphiæ Metropolita, in libello de Sacramentis.

Majoris autem explicationis gratiâ duplex Sa- 33
cramentorum materia assignari solet, remota scilicet & proxima. Remota est res sensibilis, quæ per formam determinatur, mediâ actione, per quam applicatur. Proxima est applicatio illius, sive actio per quam applicatur. Sic in Baptismo aqua est materia remota; ablutio, materia proxima.

CAPUT VI.

Materiam & formam Sacramentorum novæ legis Christus sic instituit, ut à se institutam Ecclesia immutare non possit, nec immutandi potestatem Christus ipsi reliquerit.

MAteriam & formam Sacramentorum novæ 34
legis à Christo institutam esse, consequens est ex dictis cap. 4. Siquidem essentialia Sacramentorum instituit, qui Sacramenta instituit. Cùm ergo Sacramenta Christus instituerit, essentialia Sacramentorum, eorumque proinde materiam & formam instituisse necessariò dicendus est.

Nec magis Ecclesiæ reliquit potestatem immu- 35
tandi materiam vel formam Sacramentorum à se institutam, quàm Sacramenta ipsa. Nec magis quàm immutare possit materiam legum divinarum. Quæ enim à Deo instituta sunt, per

homines immutari non possunt.

36 Proinde Ecclesia facere nequit, ut quæ hodie in sacra ordinatione sunt merè cæremonialia (v. g. sacrarum vestium usus, quibus in susceptione sacrorum Ordinum ordinandi induuntur, vel in Presbyteratu manuum unctio) nec à Christo instituta sunt, velut materia essentialis, sint nihilominùs materia essentialis. Nec pro variis temporibus, aut locis, sic varias adhibere materias, ut novam instituat, irritando priorem; nec eam quæ modò valida est, irritare; vel eam quæ modò irrita est, validam facere. Tametsi eorum omnium potestatem Ecclesiæ tribuat Amicus de Sacram. disp. 11. l. 4. n. 45. & 58. Dicastillo disp. 1. dub. 20. aliique Noviores.

Cur enim (obsecro) materiam illam, quæ olim valida fuit, jam magis irritare; vel eam quæ olim irrita fuit, validam potiùs efficere potest, quàm formam olim validam, hodie irritam, vel quæ olim irrita fuit, hodie validam efficere? At hoc non posse, optimè docet Adrianus VI. in 4. de Baptis. pag. 22. his verbis: *Noverit Ecclesia, se non esse dominam Sacramentorum, nec posse magis formam aliquam sacramentalem destituere, aut novam instituere, quàm legem aliquam divinam abolere, vel ad tempus ab obligatione hominum suspendere, vel novum aliquem articulum fidei instituere.*

37 Potuit quidem Christus illam Ecclesiæ tribuere potestatem: at tribuisse quo argumento probatur? Certè non ex Scriptura, non ex Conciliis, non ex Patribus. Non itaque ex verbo Dei scripto, neque ex tradito. Quâ solâ viâ probari queunt quæ pendent ex libero Dei, vel Christi beneplacito.

38 Dices: Traditio patenæ cum pane, & calicis cum vino, hodie apud Latinos est materia ordinationis sacerdotalis, uti Florentinum docet; ante sæculum septimum, vel octavum non fuit. Nec adhuc hodie est apud Græcos, sed impositio manuum dumtaxat. Cujus etiam solius mentio fit in Scriptura, & vetustis Patribus. Dubitari verò non potest de valore ordinationis sacerdotalis apud Græcos, magis quàm de valore ejusdem ordinationis, sine dicta materia, ante sæculum septimum, vel octavum, ante quod nulla legitur mentio illius. Igitur Ecclesia aliam modò materiam dictæ ordinationis assignavit, quàm olim. Et aliam pro Latinis, aliam pro Græcis.

Respondeo 1°. traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, non esse materiam essentialem ordinationis sacerdotalis; sed accidentalem dumtaxat, uti probabitur l. 7. c. 9. Secundò respondeo materiam & formam ordinationis sacerdotalis semel validam, semper & ubique validam fuisse & fore, neque ecclesiasticæ immutationi obnoxiam esse vel fore, cùm sit institutionis divinæ; ideòque Adrianus VI. loco citato, velut absurdam rejicit opinionem Innocentii, & quorumdam aliorum Canonistarum, aientium, quòd si Latinus baptizaretur formâ Græcorum, invalidè baptizaretur. *Imò* (inquit) *fidenter, & absque ulla dubitatione pronuntio, quæcumque forma apud Græcos sufficit pro Baptismo, à Latino observata, confert verum Baptisma, licèt conferens graviter peccet; prætergrediens formam, quam sibi servare incumbit necessitate præcepti. Et ab hoc* (nota) *nemo Theologorum aut Doctorum discrepat.* Sicut ergo forma sufficiens ad valorem pro Græcis, sufficit pro Latinis, & quæ olim fuit, adhuc hodie est sufficiens; sic & materia. Neque Ecclesia magis efficere potest, ut Græci Sacerdotes validè ordinent cum sola manuum impositione, Latini cum sola instrumentorum traditione, quàm ut Græci validè celebrent in solo fermentato, Latini in solo azymo.

39 Si ergo Latinus à Latino Episcopo hodie Sacerdos ordinaretur cum sola manuum impositione, formâque Græcorum, validè ordinaretur, tametsi illicitè. Nec minùs hodie valida foret talis ordinatio Latinorum, quàm fuerit ante sæculum septimum, vel octavum. Neque enim Latina Ecclesia novam materiam introduxit, vel materiam apud Græcos validam, apud Latinos irritavit; sed si hodie declaravit materiam convenientem ordinationis sacerdotalis esse traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, declaravit materiam illam esse convenientem; non tamen necessariò adhibendam, necessitate Sacramenti.

Ex quo patet, nihil adversus conclusionem 40
nostram concludi, ex eo quòd illâ instrumentorum traditione Ecclesia fortè non semper usa fuerit, sed aliquot sæculis solâ manuum impositione. Ex eo (inquam) non magis concluditur, sacerdotalis ordinationis materiam esse quoad valorem ab Ecclesia immutatam, & quæ ab initio valida non erat, validam effectam; quàm ex eo quòd Ecclesia olim aliquot sæculis trinâ baptizaverit immersione; hodie unicâ: concludi queat, Baptismi materiam esse quoad valorem ab Ecclesia immutatam, &c. Sed sicut hinc potiùs concludendum est, Ecclesiæ ab initio innotuisse valorem Baptismi, sive trinâ, sive unicâ immersione fieret: sic inde potiùs concludendum est, ab initio Ecclesiæ innotuisse valorem sacerdotalis ordinationis, sive solâ manuum impositione fieret, sive additâ illi instrumentorum traditione; tametsi ab initio traditionem illam fortassis non usurpaverit.

Hæc via solvendi objectam difficultatem plana 41
est, eamque cum viro apprimè erudito, P. Francisco Farvacques, Ord. Eremit. S. Aug. S. Th. Doctore Lovaniensi de Sacram. in genere c. 4. q. 3. censeo præferendam illi, quam excogitaverunt laudati Recentiores, aientes, non valituram hodie, sicut olim, ordinationem Sacerdotis cum sola manuum impositione; nec valituram apud Latinos, sicut valet apud Græcos. Eò quòd aliam hodie materiam Ecclesia determinaverit, quàm olim, & aliam pro Græcis, aliam pro Latinis. Hoc enim dato, ingens per totum Occidentem facta fuit mutatio & innovatio in substantialibus Sacramenti; ex qua cùm sequi natæ sint turbæ, commotiones, oppositiones hominum (qui in rebus momentosis, maximè divinis, tenaciores esse solent consuetudinum suarum, & osores novitatum, nullam utilitatem ipsis adferentium) ejusmodi innovatio & immutatio credenda non est, nisi certis argumentis demonstretur. Non demonstratur autem: cùm tantæ innovationis apud Historicos, totamque Antiquitatem, nulla inveniatur mentio, sed altum silentium; nec assignari queat tempus, locus, causa, tam momentosæ immutationis, quæ posteritatem non magis latere posset, si reverà contigisset; quàm posteritatem latere potuerit innovatio contractûs matrimonialis, facta per Concilium Tridentinum. Quæ licèt non fuerit mutatio substantialis materiæ Sacramenti, notæ sunt ex Pallaviciana Historia Concilii Tridentini l. 22. c. 4. 8. 9. & l. 23. c. 5. & 18. ingentes adversus eam oppositiones plurium Patrum. Tum quia sufficientem ad eam causam adesse non centebant post consuetudinem tot sæculorum in contrarium. Tum quia dubitabant, num ad eam introducendam foret in Ecclesia potestas. Tametsi enim non dubitabant, impedimenta dirimentia matrimonium, ab Ecclesia statui posse, reddendo ad illud contrahendum ineptas duas personas; quæ antèa erant aptæ: permanente tamen habilitate in personis, non credebant ab Ecclesia adjici posse modum, sine quo non subsisteret substantia Sacramenti, quæ

sine

sine eo anteà subsistebat. Quod per matrimonii clandestini irritationem fieri plures ex ipsis censebant; alii an non fieret, dubitabant. Et ideò decretum irritans clandestinum matrimonium displicuit plusquàm quinquaginta Patribus, inter quos duo fuere ejusdem Concilii Præsides, ut videre est ibidem l. 23. c. 9.

42 Si tantam oppositionem contentionemque excitavit innovatio ista, per quam revera non immutabatur materia, nec forma Sacramenti Matrimonii. Quantam putas oppositionem commotionemque excitasset innovatio materiæ substantialis Sacramenti Ordinis post contrariam etiam plurimorum sæculorum consuetudinem? Maximè cùm ad irritandum matrimonium clandestinum Ecclesiam coëgerit necessitas claudendi januam gravissimis inconvenientibus. Nulla verò est necessitas substantialiter innovandi materiam Ordinis, mutandique essentialem ritum pristinum, ab Apostolis practicatum, & à successoribus per septem vel octo sæcula usu servatum. Cùm nulla ex eo ritu secuta sint, vel periculum nullum fuerit ne ulla sequerentur inconvenientia. Ergo mutatio illa tantò magis apparet incredibilis, quantò magis adversatur capitali regulæ, quam Romana sequitur Ecclesia: *Nihil innovetur, traditio servetur*; adversa quoque rectæ rationi, quæ dictat, Ecclesiæ à Christo non esse concessam facultatem innovandi in substantialibus Sacramentorum, absque necessitate, vel ingenti utilitate. Quæ non apparet in prætensa mutatione.

43 Dixi, quòd per innovationem circa contractum matrimonialem factam à Tridentino, innovata non fuerit materia, nec forma Sacramenti Matrimonii. Tum quia contractus clandestinus fortasse nunquam fuit Sacramentum. Tum quia dato quòd per innovationem istam contractus clandestinus desierit esse materia Sacramenti Matrimonii, non ideò materia Sacramenti Matrimonii innovata fuit; sed sicut antè, sic posteà contractus legitimus mansit materia istius Sacramenti. Et sicut Eucharistiæ materiam non mutat, qui facit de vino acetum; sic Matrimonii materiam non mutat, qui facit contractum matrimonialem de legitimo illegitimum. Nunquam enim contractus illegitimus fuit materia Sacramenti Matrimonii, magis quàm acetum materia Sacramenti Eucharistiæ. Innovata quidem fuisset materia Sacramenti Matrimonii, si consensus clandestinus, manens contractus legitimus, desisset esse materia illius, cùm antè fuisset. Sed solùm eatenùs desiit esse materia, quatenùs desiit esse contractus legitimus.

CAPUT VII.

Sacramentum est nullum, quoties materia, vel forma à Christo instituta, substantialiter mutatur. Secùs si accidentaliter tantùm. Mutationis substantialis modi quinque recensentur.

44 PArs prior assertionis perspicua est ex dictis capite præcedenti: si enim Ecclesia ne quidem potestatem habet validè mutandi substantialia Sacramentorum; multò minùs Ecclesiæ Ministri.

45 Pars posterior non minùs perspicua est: sicut enim essentia, sic valor Sacramentorum stat sine ritibus accidentalibus. Tametsi peccet, qui absque necessitate prætergreditur ritus ab Ecclesia præscriptos.

46 Porrò substantialis mutatio materiæ contingit, quoties loco illius, quam Christus instituit, substituitur alia, quæ vel sit alterius speciei, vel idonea non sit ad communem usum, significationi Sacramenti congruentem, ad quem adhiberi solet materia à Christo instituta, ut si in Baptismo adhibeatur aqua vitæ, vel glacies, quarum prior specie differt ab aqua naturali; posterior, etsi non differat specie, adhiberi non solet ad abluendum, nec ad hoc idonea est, quia non liquida, in eoque proinde statu idonea non est ad communem usum, significationi Baptismi congruentem, ad quem adhiberi solet aqua naturalis. Mutatio verò materiæ tunc est accidentalis, quando sic est aliqualiter diversa, ab ea quâ Ecclesia utitur, ut nec sit alterius speciei, nec inepta ad communem usum, significationi Sacramenti congruentem, ad quem materia à Christo instituta adhiberi solet, ut si quis infans baptizetur cum aqua non consecrata, vel Latinus consecret in pane fermentato. Et hoc est quod intendit S. Th. 3. p. q. 66. a. 4. dicens, quòd *in qualibet aqua, qualitercumque transmutata, dummodò non solvatur species, nec usus aquæ, potest fieri baptismus. Si verò solvatur species aquæ, non potest fieri baptismus.*

Tunc autem forma substantialiter mutari censetur, quando non retinet sensum formæ, quem Christus voluit significare, & Ecclesia solet intelligere. Aliàs formæ mutatio est accidentalis. *Cùm verba operentur in Sacramentis quantùm ad sensum quem faciunt, (ait S. Th. q. 60. a. 8.) oportet considerare, utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum. Quia, si sic, manifestum est quòd tollatur veritas Sacramenti. Manifestum est autem, quòd si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum. Et ideò non perficitur Sacramentum. Unde Dydimus dicit in lib. 2. de Spiritu sancto: siquis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat (scilicet Patris, & Filii, & Spiritûs sancti) sine perfectione baptizabit. Verùm si subtrahatur aliquid, quod non sit de substantia formæ, talis diminutio non tollit sensum debitum verborum, & per consequens nec Sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiæ, quæ est, Hoc est enim Corpus meum, ly enim sublatum, non tollit debitum sensum verborum, & ideò non impedit perfectionem Sacramenti.*

Similiter non obstat valori, seu perfectioni Sa- 47
cramenti, siquis, non errorem introducens, vel hæresim, sed pro sola ignorantia linguæ latinæ baptizando dicat: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*, uti Zacharias Papa declaravit can. *retulerunt* de Consecr. dist. 4. ubi tamen, dum Pontifex exceptionem hanc posuit, *non errorem introducens, vel hæresim*, satis innuit, secùs dicendum, si tali formâ baptizasset, *ad errorem introducendum, vel hæresim.* Siquidem *exceptio firmat regulam in contrarium.* Et rationem dat S. Thomas citatâ q. 60. a. 8. *quia intentio Ministri requiritur ad Sacramentum. Et ideò si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem, alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur quòd intendat facere id quod facit Ecclesia.* Et rursum ibidem: *Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensûs. Puta, si aliquis dicat: ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris, sicut Ariani baptizabant. Et ideò talis additio tollit veritatem Sacramenti.*

Hoc tamen intellige, ut procedat, dum Mini- 48
ster, eâ quam facit verborum mutatione, vel additione, sic intendit errorem introducere, ut verum sensum formæ destruere velit, falsumque (quem tenet) adstruere, ut si baptizando *in nomine Patria, & Filia*, &c. intendat significare in divinis esse Filiam; vel si baptizando *in nomine Patris majoris*, intenderet significare sensum destructivum mysterii sanctissimæ Trinitatis, cujus sensum adstructivum Christus & Ecclesia intendit. Si autem hæreticus nihil addat, vel dimi-

nuat formæ à Christo institutæ, sed cum debita intentione eâdem utatur materiâ & formâ, quâ Catholica utitur Ecclesia, Sacramenti valorem non destruit error speculativus ipsius, quem vel solâ mente tenet, vel palàm exteriùs profitetur. Cùm baptizatos ab hæreticis, etiam Arrianis (qui SS. Trinitatis mysterium negabant) rebaptizandos Ecclesia non censuerit (præter baptizatos à Paulianistis, seu Pauli Samosateni discipulis, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti non baptizabant) sed confirmandos dumtaxat, ut videre est in Conciliis, Arelatensi I. can. 8. Nicæno I. can. 19. Arelatensi II. can. 17. Enimverò, ut Augustinus l. 3 de bapt. contr. Donat. c. 20. ait, *si evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides, sub eisdem verbis, aliud opinantis, quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam suo iisdem verbis, id est in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, non solùm Marcion, aut Valentinus, aut Arrius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiæ (quibus dicebat Apostolus, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus) si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur.* Et lib. 6. c. 25. *quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint. Sed faciliùs inveniuntur hæretici, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent.*

49 Ut ergo discernas, quandonam mutatio substantialis contingat in forma Sacramentorum, scito eam quinque principaliter modis contingere posse. 1°. additione verbi, seu verborum, destruentium sensum verum formæ, quem Christus & Ecclesia intendit, ut si baptizando dicas, *in nomine Patris majoris*, vel consecres dicendo, *hoc est corpus meum aëreum.* Quia ly *aëreum*, alienat vocem *corpus* à propria significatione, sicut ly *majoris* alienat vocem *Pater* à significatione quam intendit Christus, & Ecclesia intelligit. Secùs nonnullis eruditis videtur dicendum, si ly *aëreum* non adderetur ad alienandam vocem *corpus* à propria significatione, sed ad exprimendum id quod proferens speculativè sentit de corpore Christi, sic tamen ut practicè intenderet sensum Christi, si alius foret à suo. Et idem censent dicendum de voce *majoris.* Quòd si Sacerdos in consecratione, postquam dixit, *hoc est corpus*, sentiens corporis vel animi molestiam, adderet, ô bone Deus, statimque subjungeret, *meum*, sic ut diceret, *hoc est corpus (ô bone Deus) meum.* Tam pauca verba, in ejusmodi circumstantia, moraliter à se invicem non sejungerent partes formæ. Secùs, si liber ab omni molestia, uno tractu, & tono vocis id totum diceret. Censeretur enim id totum dicere, tamquam pertinens ad formam.

50 2°. substantialis mutatio formæ contingit diminutione, seu omissione alicujus vocis essentialis, ut si baptizetur in nomine Patris, & Filii, omittendo expressionem Spiritûs sancti. Ut enim Augustinus, n. 48. relatus, ait, *quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint. Et manifestum est* (inquit S. Thomas loco citato) *quòd si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum. Et ideò non perficitur Sacramentum. Ut si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat, scilicet Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.*

51 3°. substitutione unius vocis pro alia, si talis sit, quæ tollat sensum debitum. Quia, ut idem sanctus Doctor ait q. 60. a. 7. ad 3. *si sit tanta corruptio, quæ omninò auferat sensum locutionis, non videtur perfici Sacramentum. Puta, si loco ejus quod est in nomine Patris, dicat in nomine Matris.*

4°. interruptione temporis inter partem & 52
partem formæ, si tanta sit, ut partes sic interruptæ moraliter non uniantur, nec faciant unam formam. *Si enim sit tanta interruptio verborum* (ait sanctus Thomas ibidem a. 8. ad 3.) *quòd intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus Sacramenti, & per consequens veritas ejus. Non autem tollitur, quando est parva interruptio, quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert.* Ut si baptizans, postquam dixit, *ego te baptizo*, tussiret, vel de silentio adstantes moneret, ac deinde statim adderet, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Neque enim tam modica interruptio moraliter reputatur interruptio, sed reputatur quasi non esset. Nec proinde aufert sensum. Quem tamen auferret, si inter partem & partem formæ per semiquadrantem horæ tussiret. Quia tanta interruptio partes illas moraliter sejungeret.

5°. verborum transpositione, *si tollat sensum* 53
locutionis. Tunc enim *non perficitur Sacramentum*, ut sanctus Doctor monet proximè post verba relata. Ut si dicat: *Filii, ego te baptizo in nomine Patris, & Spiritûs sancti.* Vel, in consecratione, *meum est hoc corpus.* Redderet enim hunc sensum: *hoc corpus pertinet ad me.* Ita Nicolaus Ysambertus 3. p. q. 60. a. 8. n. 7.

CAPUT VIII.

Peccat graviter contra religionem & charitatem, qui (extra cogentem necessitatem) sciens & volens, administrat Sacramentum cum materia, vel forma solùm probabiliter valida, relictâ eâ, quæ certi valoris est.

MEdina 1. 2. q. 19. a. 6. dub. ult. aliique 54
Probabilistæ apud Ildephonsum Baptistam 1. 2. tr. 3. disp. 208. docent, usum opinionis, etiam minùs probabilis, & minùs tutæ, æquè licitum in administratione Sacramentorum, non obstante periculo nullitatis, quàm in aliis materiis: ita ut neque contra religionem, neque contra charitatem peccet, qui, in praxi, sequitur opinionem, etiam minùs probabilem, & minùs tutam, de valore Sacramenti, relictâ tutiore.

Sed quia ex valida administratione Sacramen- 55
torum Baptismi, & Ordinis Sacerdotalis, Episcopalisque, pendet salus æterna proximi, quem proinde à damnatione non liberaret usus opinionis Medinæ, si Sacramenta illa conferrentur invalidè (si enim contingeret Baptismum, & Ordinem Sacerdotalem invalidè administrari, infans invalidè baptizatus damnaretur, & Sacerdos invalidè ordinatus, invalidè absolveret, &c.) ideò quidam alii Probabilistæ exceperunt duo ista Sacramenta, ad proximi salutem necessaria; quæ quia iterari non possunt, invaliditas insupplebilis est, & incompensabilis. Non exceperunt autem Sacramentum Pœnitentiæ, quia tametsi necessarium sit, initerabile non est; ideòque si contingat illud unâ vice invalidè administrari, defectus ipsius per Sacramentum subsequens suppleri, compensarique potest. Hæc est igitur propositio ipsorum (prima ex 65. damnatis ab Innocentio XI.) *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* De

qua

qua propositione Romæ accusatus fuit R. P. Ignatius Maillot Soc. Jesu, qui dicitur eam in terminis docuisse in Thesibus Antuerpiæ defensis
56 anno 1673. Thesi 15. Quidquid de eo sit, quisquis Author fuit damnatæ istius propositionis, voluisse videtur, non habendam rationem discriminis, cui Sacramentum exponitur, sed solùm attendendum esse, ne grande damnum, seu jactura salutis proximi sequeretur. Si enim habendam voluisset rationem discriminis Sacramenti, non solùm Sacramentum Baptismi & Ordinis excepisset: *tantùm utendum non est in collatione Baptismi, & Ordinis*, &c. (ly enim *tantùm* afficere verba sequentia, non antecedentia, perspicuum videtur ex contextu, & proximè subjiciendis ad illum) nec iis exceptis generaliter asseruisset licitum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore; sed econtrà id illicitum generaliter asseruisset, ne talem opinionem practicè sectando, discrimini nullitatis Sacramentum exponeretur. Denique ex contextu damnatæ illius propositionis satis apparet, illius Authorem noluisse, ut exceptio quam apposuit, *nisi vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*, generalem assertionem suam afficeret, nisi quatenùs comprehendit *Sacramenta Baptismi, & Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis*; non verò quatenùs comprehendit reliqua quinque Sacramenta: ipsumque proinde voluisse, quòd respectu horum, lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, generaliter non vetent administrationem illorum, secundùm opinionem probabilem de valore, relictâ tutiore. Id (inquam) satis apparet ex consecutione quam inde deducit pro solis duobus Sacramentis Baptismi, & Ordinis: *hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Si enim voluisset exceptionem suam idem concludere pro reliquis quinque; cur pro solis illis duobus consecutionem deduxisset? Sed & idipsum apparet ex eo quòd si pro omnibus generaliter Sacramentis exceptionem illam procedere voluisset, vel illa ipsius exceptio, vel assertio generalis, cui eam apposuit, inanis & illusoria fuisset. Assertionem enim generalem exceptio talis evertisset, perinde ac si dixisset: *Non est generaliter illicitum, in Sacramentis sequi opinionem probabilem, &c. Id tamen generaliter illicitum facit lex, conventio, aut periculum gravis damni:* cùm tamen exceptio non inanis, nec illusoria, generalem assertionem firmare debeat, non evertere, juxta regulam juris: *exceptio firmat regulam in contrarium.* Manifestum proinde videtur, Authorem damnatæ illius propositionis voluisse, quòd exceptio illa, *nisi vetet lex*, &c. solùm procederet in duobus Sacramentis, Baptismi scilicet & Ordinis Sacerdotalis, &c. non autem procederet in reliquis quinque. In quorum proinde administratione sequi liceret opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, non obstante periculo nullitatis, cui Sacramentum exponeretur; non obstante item periculo frustrati effectûs, cui proximus (Sacramentum taliter collatum recipiendo) exponeretur.

57 Paulò aliter Vasquez 1. 2. disp. 63. c. 2. Sayrus in Clavi regia l. 1. c. 7. Sanchez, Granadus, Hurtadus, Becanus & alii censent, administrantem Sacramenta, sive Baptismi & Ordinis, sive alia, secundùm opinionem minùs probabilem, minùsque tutam de valore, relictâ tutiore, citra cogentem necessitatem, peccare quidem contra charitatem & justitiam (nisi suscipiens Sacramentum cedat juri suo) sed non contra religionem.

58 Sed pro certo tenendum, non solùm peccare contra charitatem (exponendo proximum periculo non mediocris damni spiritualis, seu jacturæ fructûs spiritualis, quem perciperet, si Sacramentum validè administraretur) atque etiam contra justitiam (si ipsi ex officio incumbat cura animæ proximi) verùm etiam contra religionem, sine cogente necessitate exponendo Sacramentum periculo nullitatis. Et 1°. quidem ipsum peccare contra charitatem, imò & contra justitiam (in dicta hypotesi) sic ostendo. Quia dum exponit Sacramentum periculo nullitatis, exponit proximum periculo frustrati effectûs Sacramenti. Quem quantùm in se est indemnem ex charitate servare tenetur; imò etiam ex justitia, si sit Pastor ipsius. Tunc enim proximus habet jus, ut à Pastore sibi Sacramentum ministretur eo modo, quo tutò possit effectum ipsius percipere. Nec Sacramenti Minister excusatur ex hoc quòd Sacramentum ipsi conferat cum materia & forma probabiliter sufficiente. Quia eo ipso quo materia vel forma non est nisi probabiliter sufficiens, non est certò, sed incertò sufficiens. Non est autem probabile, quòd Minister extra necessitatem uti possit materiâ, vel formâ incertâ, quando Sacramentum conferre potest cum materia & forma certa. Sicut probabile non est quòd Medicus in curatione infirmi possit uti medicamento solùm probabiliter & incertò sufficiente ad curationem ipsius, quando ipsum curare potest cum medicamento certò sufficiente. Sicut enim probabilitas sufficientiæ medicamenti, efficere non potest, ut medicamentum reverà insufficiens, sit sufficiens; ita nec probabilitas sufficientiæ materiæ vel formæ, efficere potest, ut materia, vel forma, reverà insufficiens, sit sufficiens, sive supplere non potest defectum valoris ipsius, si reverà non sit talis, qualem Christus requirit ad valorem Sacramenti. Neque enim Sacramenti valor pendet à tua opinione, neque à probabilitate ipsius, sed à voluntate Christi, sive ab eo quòd eam materiam & formam adhibeas, quam Christus adhiberi vult.

2°. quòd etiam peccet contra religionem, 59
demonstratur 1°. quia religio in Deum, Sacramentorum Authorem, non minùs obligat Sacramentorum Ministros, ut caveant exponere Sacramentum periculo nullitatis, dum possunt; quàm charitas in proximum ipsos obliget, ut caveant exponere proximum periculo frustrati effectûs, sive jacturæ fructûs Sacramenti, dum id cavere possunt.

2°. quia Minister Sacramentorum, in eorum 60
ministerio Christi personam sustinet, Christique legatione fungitur, utpote cujus nomine agit & loquitur. At verò non satis reverenter Christi personam sustinet, qui verba Christi (id est primæ Veritatis) nomine prolata, sine necessitate exponit periculo falsitatis & inanitatis. Quemadmodùm Legatus non satis reverenter sustinet personam Regis, si verba, Regis nomine prolata, tali periculo sine necessitate exponat.

3°. sicut religio & reverentia divini nominis 61
prohibet nomen Domini assumere in vanum; sic & prohibet exponere se periculo assumendi nomen Domini in vanum. Multò ergo magis prohibet exponere se periculo assumendi illud falsò. Sed utrique periculo se exponit, qui in ministerio Sacramentorum exponit se periculo ministrandi Sacramentum irritum. Tum quia verba sacramentalia proferendo, nomen Domini assumit: ea quippe nomine Domini profert; sicut nomine Domini baptizat, confirmat, consecrat, absolvit. Si ergo in vanum & falsò baptizet, confirmet, &c. nomen Domini in vanum & falsò assumit. Tum quia Sacramenta continent quamdam divini nominis invocationem, & benedictionem super materia Sacramenti, juxta illud 1. Cor. 10. *Calix cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Unde Author libri de Ecclesiastica Hierar-

chia c. 5. formas Sacramentorum vocat, *invocationes consecratorias*. Ista verò invocatio periculo frustrationis, & falsitatis exponitur, dum ipsamet consecratio, seu Sacramentum, exponitur periculo nullitatis. Siquidem Sacerdos v. g. falsò dicit, *absolvo te à peccatis*, si absolutio nulla sit; falsò dicit in persona Christi: *Hoc est Corpus meum*, si consecratio nulla sit. Exponit ergo formam consecratoriam, divinique nominis invocatoriam, periculo falsitatis, eo ipso quo ipsam exponit periculo frustrationis.

62 4°. eadem virtus, quæ prohibet irrita facere Sacramenta, prohibet ea citra cogentem necessitatem exponere certo periculo irritationis; sicut eadem virtus, quæ prohibet occidere, vel stuprare proximum, &c. prohibet ipsum citra cogentem necessitatem exponere certo periculo occisionis, stuprationis, &c. Sed religio, & reverentia debita Sacramentis, sive eorum Authori, prohibet irrita facere Sacramenta: igitur & prohibet ea citra cogentem necessitatem exponere certo periculo irritationis. Cui exponitur, ipsum administrando cum materia, vel forma incerta, relictâ certâ.

63 5°. meritò arguitur irreverentiæ in Deum, qui in Dei cultu adhibet cæremonias probabiliter, vel probabiliùs profanas & gentiles, dum potest adhibere certò christianas & sacras. Et qui adorationi exponit hostiam probabiliter, vel probabiliùs non consecratam, dum exponere potest certò consecratam. Igitur & qui in ministerio Sacramentorum adhibet materiam, vel formam probabiliter, vel probabiliùs invalidam, dum abhibere potest certò validam.

64 6°. sacrilegus est, non solùm qui formam consecrationis (id est *plena formidinis verba*, ut loquitur Trid. sess. 17. c. 7.) profert super ligno & lapide; sed & qui sciens & volens sine necessitate exponit se periculo eam proferendi super ligno & lapide. Pariter ergo sacrilegus est, qui sciens & volens sine necessitate exponit se periculo eam proferendi super materia non magis idonea consecrationi, quàm sit lignum & lapis.

65 7°. sicut zelus salutis animarum, & charitas in proximum; sic & religio in Deum jubet, ut (quoad fieri potest) in ministerio Sacramentorum incertis certa præferantur, juxta magistralem hanc Augustini regulam: *tene certum, dimitte incertum.* Homil. 41. inter 50. nunc serm. 393. Item *graviter peccat in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponit.* L. 1. de Bapt. contra Donatist. c. 3.

66 Jure proinde meritissimo S. D. N. Innocentius XI. damnavit propositionem n. 55. memoratam, damnandoque declaravit, eam non esse practicè probabilem, certumque proinde esse, quòd peccet, qui in Sacramentis conferendis sequitur opinionem probabilem de valore illius, relictâ tutiore, etiamsi Sacramenta quæ confert, non sint tam necessaria ad salutem, quàm sunt Baptismus, & Ordo Sacerdotalis, aut Episcopalis; tametsi etiam absit specialis lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, solùmque proinde adsit periculum nullitatis Sacramenti. Ex qua declaratione consequens est, Ministrum taliter conferentem adhuc peccaturum contra religionem, etiam casu dato, non concesso, quòd non peccaret contra charitatem. Contra quam tamen semper peccat, qui Sacramenti fructu (quod magnum semper bonum est) sciens & volens proximum privat, vel privationis istius periculo, absque cogente necessitate, ipsum exponit.

67 Dixi semper, *absque cogente necessitate.* Ubi enim spiritualis necessitas proximi exigit sine mora Sacramentum administrari, nec adest certa materia, sed probabilis dumtaxat, mavult Deus in tali necessitate succurri proximo, cum Sacramentorum periculo, quàm proximum destitui omni remedio; sive mavult, Sacramentum suum periclitari, quàm salutem proximi. Cui proinde succurri vult, quantùm fieri potest, adhibendo probabiliorem, tutioremque materiam, quæ adhiberi potest. Cùm enim pro salute hominum instituta sint Sacramenta, quando simul vitari nequeunt periculum Sacramenti, periculumque salutis proximi, magis providendum est (quantùm hîc & nunc fieri potest) securitati salutis proximi, quàm Sacramenti. Videri possunt Augustinus c. 1. de adulterin. conjug. c. 26. & 28. & S. Leo epist. 37. c. 1. & 2. ubi docet, Baptismum dubium, & non nisi probabiliter validum, administrandum esse in casu necessitatis, in quo certitudo haberi non potest: *ne dum plus justo metuitur, misericordia Dei salvari cupientibus denegetur.*

CAPUT IX.

Occurritur argumentis, quæ objiciuntur adversus dicta capite præcedenti.

OBjicies 1°. non apparet ratio, ob quam in ministerio Sacramentorum minùs liceat sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, quàm in qualibet alia materia. Quòd enim in ministerio Sacramentorum, sequendo probabilem opinionem de valore, relictâ tutiore, subsit aliquod periculum, ne fiat irritum Sacramentum; non cogit eo in ministerio tutiorem partem eligere, potiùs quàm alibi. Ubi enim ratio probabilis asserit, non fieri irritum Sacramentum, probabile est Sacramentum eo modo rectè administrari. Rectè quippe administratur, ubi secundùm rationem probabilem administratur. 68

Respondeo, quidquid sit in alia materia (quæ de re to. 1. satis diximus) rationem multiplicem capite præcedenti esse producta, ob quam id non licet in ministerio Sacramentorum. Neque enim licet formam sacramentalem, Christi & primæ Veritatis nomine prolatam, sine necessitate exponere periculo vanitatis, & falsitatis. Quod periculum quia non abstergit probabilitas opinionis de valore, probabile non est, quòd liceat probabilitatem istam sequi, neglectâ certâ viâ, quâ dicto periculo potest occurri. Sicut ex hoc quòd probabile sit, hoc vel illud medicamentum lethaliter infirmo profuturum; quia tamen probabilitas ista non abstergit periculum in contrarium, probabile non est quòd liceat probabilitatem istam sequi, neglecto medicamento certò profuturo, quo periculo mortis infirmi potest occurri. Quamvis ergo ratio probabilis asserat non fieri irritum Sacramentum: non sequitur esse probabile quòd sequi liceat probabilitatem istam, dum alia ratio probabilis ex adverso asserit fieri irritum Sacramentum, & periculo istius irritationis occurri potest, adhibendo viam certam. Neque enim majori prudentiâ periculo irritationis Sacramentum exponitur, dum periculum istud vitari potest, quàm infirmus exponatur periculo mortis, dum periculum istud vitari potest. Et sicut ubi ratio vel authoritas probabilis aliquorum Medicorum asserit potum esse venenosum, tametsi ratio vel authoritas probabilis aliorum Medicorum asserat potum non esse venenosum, tanta imprudentia foret potum istum bibere, vel propinare, neglecto potu sanitatem, non mortem, certò allaturo, ut nullus Probabilista (nisi fortè læsi fincipitis) adduci posset ad bibendum; ita similiter, &c.

Objicies 2°. ex eo præcisè quòd subsit aliquod periculum, ne fiat Sacramentum irritum, nulla equidem irreverentia nec injuria fit Sacramento, 69

dum secundùm opinionem probabilem administratur. Cùm ex una parte Sacramentum prudenter credatur habiturum effectum; ex alia parte si non habeat, Deo (nostris non indigenti) nullum damnum accrescat; neque Sacramentum magis capax sit damni, quàm emolumenti, ex eo quòd reverà validè vel invalidè fiat. Deus proinde in Sacramentis à Ministro nihil aliud exigit, nisi ut inculpatè procedat, dum Sacramentum administrat. Inculpatè verò procedit, dum secundùm rationem probabilem procedit.

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem. Respondeo, imprimis non prudenter credi habiturum effectum, si æquè, vel magis probabile sit non habiturum effectum. Deinde ex hoc quòd Deo & Sacramento damnum nullum accrescat, non magis inferri potest, nullam in Deum, nec in Sacramentum irreverentiam committi per administrationem Sacramenti probabiliter, vel probabiliùs invalidam, quàm inferri queat, nullam in Deum, nec in Sacramentum irreverentiam committi per illius administrationem certò invalidam. Quasi verò tunc solùm in Deum, vel Sacramentum irreverentia committeretur, cùm Deo, vel Sacramento damnum verè infertur. Quod si verum esset, qui manducat carnem, vel bibit calicem Domini indignè, reus non esset corporis & sanguinis Domini: cùm nec Deo, nec Sacramento damnum sacrilegâ sumptione inferat. Ideò autem, eo non obstante, irreverentia in Christi corpus & sanguinem committitur: quia, sicut Angelicus Doctor ait 2. 2. q. 99. a. 1. ad 3. *sicut honor est in honorante, non autem in eo qui honoratur*, ut dicitur in 1. Ethicorum; *ita etiam irreverentia est in eo qui irreverenter se habet, quamvis nihil noceat ei, cui irreverentiam exhibet. Quantùm ergo est in ipso, rem sacram violat, licèt ea in se non violetur.* Non itaque Minister eo ipso Sacramentum inculpatè administrat, quo administrat secundùm opinionem probabilem de valore, neglectâ viâ certâ. Cùm ex reverentia Sacramento debita, teneatur viâ certâ valori ipsius consulere, si queat, cavereque periculum invaliditatis, quantùm in se est. Ad quod etiam adeò tenetur ex lege charitatis erga proximum, atque ex ordine amoris, ut eo ipso *graviter* peccet, quòd in rebus ad salutem, atque ingens animarum bonum pertinentibus, certis incerta præponit.

CAPUT X.

Solis hominibus, non Angelis, data est à Christo potestas Sacramenta conficiendi, & administrandi. In quorum tamen ministerio, solus Christus est Minister principalis.

70 SOlis hominibus, non Angelis, datam à Christo Sacramenta conficiendi administrandique potestatem, colligitur ex Scriptura. Christus namque hominibus, non Angelis dixit: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Solis hominibus, non Angelis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Nec Angelis, sed hominibus scriptum est: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros*, &c. Teste demque Apostolo Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus*, non ex Angelis, *assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

71 Utitur tamen aliquando extraordinariè Deus, pro conferendis Sacramentis, ministerio Angelorum illorum, quos idem Apostolus ibidem c. 1. vocat *administratorios spiritus, in ministerium missos, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Nec tunc dubitandum de valore Sacramenti, sicut nec de veritate corporis Christi, quod Sozomenus Histor. Eccles. l. 6. c. 29. commemorat ab Angelo ministratum Marco Eremitæ. Neque de veritate valoreque ordinationis S. Amphilochii, in Episcopum Iconii, ab Angelis facta, *mysticè & arcanâ benedictione.* De qua Nicephorus Callistus l. 11. c. 20. narrat, quòd cùm Episcopi, longo post tempore, ad eum eligendum ordinandumque convenissent, *ubi ex eo cognoverunt ab Angelis Dei consecrationem eum accepisse, datâ de tam sacra & divina gratia Deo gloria, ut Pontificem Dei cum timore & reverentia hominem admisere, & solitâ salutatione, atque osculo impertito, ea quæ Episcopalis functionis sunt, administrare & exequi permisere.*

Sed Deus ad hoc nunquam usus legitur ministerio Angelorum malorum. Et nefas est cogitare, tantam esse societatem lucis ad tenebras, conventionemque Christi ad Belial, ut tam sacrum tremendumque ministerium ipsis commiserit. Abominanda proinde est doctrina Lutheri lib. de missi privat. ubi scribere non veretur: *Ego non dicam quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipsam, consecrare posse. Sed econtrà dico: si diabolus ipse veniret, & ego postea resciverem, diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ, in specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse Missam, & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideò non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Evangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum corporis & sanguinis Christi accepisse.* 72

Tametsi verò Sacramenta conficiendi conferendique potestatem Christus hominibus contulerit, non ideò homines constituit principales Sacramentorum Ministros, sed principale ministerium sibi soli reservavit. Minister enim principalis ille est, cujus nomine, vice, & Personâ totum sacramentale negotium geritur. Non geritur autem nisi nomine, vice, & in Persona Christi. Ipse proinde est qui principaliter baptizat, confirmat, sacrificat, consecrat, absolvit, &c. juxta illud Joan. 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Quæ verba explicans Augustinus tr. 6. in Joan. *Hic est* (inquit) *qui baptizat in Spiritu sancto. Petrus baptizat: hic est qui baptizat. Paulus baptizat: hic est qui baptizat. Judas baptizat: hic est qui baptizat.* Et tr. 5. explicans hæc verba Joannis Baptistæ: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum. Quid in eo non noverat* (inquit) *tantam potestatem baptismatis ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum, sive præsentem in terra, sive absentem corpore in cælo, & præsentem Majestate sibi retenturum baptismatis* principaliter conferendi *potestatem, ne Paulus diceret, baptismus meus. Ideò.... nemo Apostolorum dixit, baptismus meus. Aliud proinde est baptizare per ministerium*, quod Christus hominibus contulit: *aliud baptizare per potestatem*, sive proprio nomine: Quod quia designat principalem Ministrum, Christus sibi reservavit. Illius quippe baptisma est *in cujus nomine datur*, inquit Aug. 3. contr. Crescon. 11. 73

Ideòque Apostolus 1. Cor. 1. Corinthios redarguit, quòd unusquisque diceret: *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Christi. Divisus est Christus?.... Aut in nomine Pauli baptizati estis?* 74

Et hinc virtus & efficacia Sacramentorum non est ex opere operantis hominis, sed ex opere operato Christi, ut idem Augustinus dicit in loco proximè relato. Et lib. 2. contra Parmen. c. 14. 75

cùm Parmenianus contenderet, Miniſtrum improbum conferre non poſſe Sacramentum: *Nunquam enim* (inquiebat) *divinæ legis cenſura patietur, ut vivificare quemquam mortuus poſſit, curare vulneratus, illuminare cæcus, veſtire nudus, & mundare pollutus.* Reſpondet, *quòd non homo miniſter, ſed Chriſtus Dominus per Sacramenta ſuſcitat mortuos, Dominus curat vulneratos, Dominus illuminat cæcos, Dominus veſtit nudos, Dominus mundat pollutos.*

CAPUT XI.

Ad validam Sacramentorum confectionem neceſſaria non eſt fides, nec probitas Miniſtri; neceſſaria tamen eſt interna voluntas ipſius, quâ intendat quod facit Eccleſia, facere utique Sacramentum.

76 NEc fidem, nec probitatem Miniſtri ad hoc neceſſariam eſſe, traditio eſt totius Eccleſiæ, quæ ideò non rebaptizat, ab hæreticis, vel improbis Miniſtris baptizatos. De qua traditione S. Stephanus Papa teſtimonium perhibuit, dum S. Cypriano hac in cauſa ſcripſit: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, apud Cyprian. epiſt. 74. Et ratio petitur ex dictis cap. præcedenti. Siquidem Chriſtus eſt Miniſter principalis Sacramentorum. Actio verò Miniſtri principalis irrita non redditur per infidelitatem, nec per improbitatem Miniſtri merè inſtrumentalis. Quemadmodùm ſententia boni Judicis irrita non redditur per vocem mali præconis.

77 Siquis objiciat 1°. canones 46. & 47. Apoſtolorum in contrarium. 2°. illud Proverb. 15. *Sacrificia impiorum execratio eſt Domino* Et Eccli. 34. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus.*

Reſpondeo certiſſimum eſſe ex allato teſtimonio S. Stephani, canones illos ſpurios eſſe, non Apoſtolicos. Unde nec illos unquam pro ſuo errore Cyprianus allegavit. Quod alioqui feciſſet. Ex allatis verò ſacris textibus ſolùm conſequens eſt, quòd Sacramenta ab hæreticis, & improbis confecta, nec Deo accepta ſint ex opere operantis, nec valorem ſuum, & dignitatem obtineant ab ejuſmodi Miniſtro inſtrumentali, ſed tantùm à Chriſto, tamquam Miniſtro principali. Ut enim Auguſtinus l. 2. contra Parmen. c. 6. *non eſt iniquus Chriſtus, qui pro nobis ſeipſum obtulit.*

78 Unde Hieremias, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Wittembergenſibus ſcribens, ex ſenſu Eccleſiæ Orientalis, dicit, *etiam per improbos & indignos Miniſtros Sacramenta rectè confici. Ipſos quidem Miniſtros nihil illis adjuvari; imò maximè inde damno affici. Eos tamen qui per manus eorum ita Sacramenta accipiunt, eamdem nihilominùs utilitatem percipere, ac eodem planè modo ſanctificari. Dei autem gratia per indignos Miniſtros operatur, & ipſa perficit Sacramenta omnia.*

79 Ad hoc tamen ut valida ſint Sacramenta, ab hæreticis, improbis, vel aliis quibuſcumque Miniſtris confecta, neceſſaria eſt in ipſis voluntas interna faciendi quod facit Eccleſia. Prorſus enim rejiciendus eſt error Lutheri apud Bellarminum l. de Sacram. c. 28. dicentis: *Sacramenta poſſe conferri ab ebrio, imò etiam à puero.* Prorſus (inquam) rejiciendus, non ſolùm quia actus adminiſtrandi Sacramenta eſt actus propriè humanus, cujus incapaces ſunt ebrii & pueri: verùm etiam quia Florentinum in inſtructione Armenorum, & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 11. ad conficiendum Sacramenta requirunt in Miniſtris *intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia.* Quod haud dubiè intelligunt de intentione interna, ſine qua verè intendere non poſſunt quod facit Eccleſia. Vera ſiquidem intentio, actus eſt internus.

Nec minùs rejiciendus eſt alter error Lutheri 80
lib. de captiv. Babil. dicentis, *quidquid credimus nos recipere* (dum Sacramenta recipimus) *verè recipere, quidquid faciat, vel non faciat, ſimulet, vel jocetur Miniſter.* Hic eſt enim error, contra quem (teſte Palliavicino l. 9. cap. 6. n. 3.) vibratus fuit Canon 11. Concilii Tridentini ſeſſ. 7. *Siquis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit.*

Fide proinde certum eſt, in Miniſtro Sacra- 81
mentorum, neceſſariam eſſe intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Nec de eo controverſia eſt inter Catholicos. Sed de eo ſolùm controverſia nuper fuit, quid importet requiſita intentio faciendi quod facit Eccleſia? An ſolam voluntatem ſeriò peragendi ritum externum, ſive adhibendi materiam & formam, quam adhibet Eccleſia? An verò importet voluntatem faciendi Sacramentum?

Primam voluntatem, ſeu intentionem ſuffice- 82
re, plures & graves Doctores, Veteres & Recentiores docent, videlicet (præter Paludanum & Sylveſtrum) Catharinus Opuſc. de intentione Miniſtri, Salmeron to. 13. diſp. 2. Marius Scribonius, Doctor Gallus, in ſua Panalithia, Contenſon. to. 7. diſſert. 2. in Appendice, Franciſcus Fœvacquez Opuſc. de Sacram. in genere cap. 6. q. 3. Florentius de Coeq to. 3 tr. 7. art. 3. concluſ. 4. Joan. Bapt. du Hamel to. 6. tr. de Sacram. diſſert. 2. cap. 4 pro opinione ſua recenſentes Auguſtinum, Innocentium IV. & S. Thomam. Sed perperam, ut infrà patebit.

Dicendum ergo (cum communi ſententia) 83
ſecundam voluntatem, ſeu intentionem, non quidem explicitam, ſeu expreſſam, ſed ſaltem implicitam & confuſam eſſe neceſſariam, ſic ut tametſi neceſſarium non ſit expreſſè cogitare de faciendo Sacramento, nec credere quòd per talem actionem fiat Sacramentum; imò Sacramentum conficere poſſit, qui contrarium expreſſè credit: neceſſarium tamen ſit velle facere, quod Chriſtus inſtituit, vel ſaltem id quod facit gens ſeu natio Chriſtianorum, dum ritum illum externum ſeriò ponit. In hac quippe confuſa voluntate, implicitè involvitur voluntas faciendi Sacramentum, tametſi hæreticus, vel paganus, vel atheus involvi non putet.

Hanc noſtram communemque ſententiam pu- 84
tant aliqui eſſe de fide, oppoſitamque Catharini, Salmeronis, & aliorum n. 82. relatorum eſſe damnatam à Concilio Tridentino. Sed verius eſt à Tridentino ſolùm damnatam eſſe ſententiam Lutheri n. 80. exhibitam, ſicut & eam quam Leo X. in Bulla contra Lutherum damnavit, videlicet, *Sacramentum validum eſſe, etiamſi verba à Miniſtro irriſoriè & jocosè dicantur.* A quo errore procul abſunt Catholici Doctores, quos num. illo 82. protulimus. Utpote qui non ſolùm exigunt voluntatem ponendi ritum externum quomodocumque (quæ voluntas eſt in homine ludicrè Sacramentum adminiſtrante) ſed voluntatem eum ponendi ſeriò, ſive eo externo modo, quo Eccleſia ponit.

Et verò Tridentinis Patribus propoſitum fuit 85
abſtinere à damnandis opinionibus Catholicorum Doctorum, ſolaſque hæreſes damnare, non ſententias Catholicorum. Et ſi Catharini ſententiam Tridentini Patres damnaſſent, nunquam commiſiſſent (ait Pallavicinus loco citato) ut per communes acclamationes ipſum ad Epiſcopatum promoverent; neque is qui tunc Synodo Legatus præerat, poſteà Pontifex Maximus, nobiliori hominem Thiarâ exornaſſet: cumque excitata fuiſſet litteraria quædam contentio inter Catharinum, & S. Palatii Apoſtolici Magiſtrum, Pontificem Le-

gati non rogassent, ut Palatii sui Magistrum moneret de abstinendo ab omni molestia Catharino inferenda, cujus vita & doctrina ab omnibus erat commendata.

86 Sed tametsi sententia Catharini, & sequacium, non fuerit damnata per Tridentinum, eam idcò rejiciendam censemus, quia natura, valor & efficacia Sacramentorum pendet à libera voluntate Christi instituentis: quæ cùm per se immediatè nobis non innotescat, nobisque proinde innotescere debeat per aliquod medium; nec medium istud sit sola humana & philosophica ratio (utpote medium insufficiens ad notificanda nobis ea quæ supra humanam & philosophicam rationem sunt) superest ut medium illud sit vel Scriptura sacra, vel traditio, cujus indices sunt, Concilia, Pontifices, Patres, & argumenta inde deducta. Sed ex his argumentum sumitur pro nostra sententia, & non pro sententia Adversariorum. Si enim vera esset sententia Adversariorum, consequens esset, valere baptismum collatum à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi seriò (quantùm scire fas est homini, non intuenti cor, sed ea quæ exteriùs parent) observat, & observare vult, tametsi in corde suo apud se diceret: *Tametsi velim seriò, quoad externam apparentiam, observare ritum Christianorum, non intendo tamen quod facit Ecclesia, sed potiùs intendo Ecclesiam, Christum, & Christianos irridere.* Quod ne ipsi quidem Adversarii diffitentur; imò expressè fatetur Farvacquius loco citato in decisione casûs 1. & ibidem §. 6. in respons. 1. ad object. 2. ex S. Thoma. Siquidem in priore loco declarat, valere Sacramenta, collata à Parocho atheo, qui solitus erat in Sacramentorum administratione exactissimè servare formam Ecclesiæ, tam quoad essentialia, quàm quoad accidentalia; apud se tamen, priusquàm ullum Sacramentum administraret, consueverat dicere: *Nolo facere quod facit Ecclesia, nolo baptizare, consecrare, absolvere*, &c. In posteriore verò loco, cùm sibi objecisset S. Thomam 3. p. q. 64. a. 10. dicentem: *Intentio Ministri potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere. Et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando intentionem suam exteriùs manifestat.* Respondet, S. Thomam non agere de irrisione meré interna, conaturque ex S. Thoma persuadere quòd valeat baptismus collatus ab infideli, quamvis non solum æstimet, totum quod agitur nihil esse, sed & in animo totum irrideat.

87 Verùm enimverò consequens illud non videtur admitti posse, non solùm quia nimis accedere videtur ad damnatum errorem Lutheri; sed & quia damnatum videtur ab Alexandro VIII. qui inter 31. propositiones, hanc 28. proscripsit: *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat. Intùs verò in corde suo apud se resolvit: non intendo quod facit Ecclesia.*

88 Et (si consequens istud admitti posset) ulteriùs consequeretur, Sacramentum validè confici ab eo, qui seriò quidem, quoad exteriorem apparentiam, perageret totum ritum externum, quo Ecclesia uti solet; sed interiùs non seriò, sed joco id totum perageret, ita ut sic haberet voluntatem seriò in oculis hominum adhibendi materiam & formam, ut tamen apud se in corde suo diceret: *Sic volo exteriùs, in oculis hominum, seriò ritum illum peragere, ut interiùs, in oculis Dei, non seriò id velim, sed jocari.* Id enim probant, siquid probant, argumenta Adversariorum; maximè præcipuum, quod petunt ab inconvenientibus, quæ ex sententia nostra necessariò sequi putant. Si enim sententia nostra vera sit (inquiunt) fideles nunquam adipisci poterunt quietem conscientiarum suarum, neque extricare sese ab inquietudinibus, anxietatibus, & scrupulis, ex eadem sequi natis. Quia nunquam habere poterunt certitudinem de valore Sacramentorum à se receptorum, si aliud ad eorum valorem ex parte Ministri necessarium sit, quàm servare ritum in Ecclesia solitum. Ad quod inconveniens vitandum, putant, antiquos Patres hoc unum circa valorem Baptismi, ab hæreticis collati, inquisiisse, an servassent formam Ecclesiæ, vel Sacramenti. De intentione verò conferendi Sacramentum, non leguntur fuisse solliciti. Quòd si ad vitandum dictum inconveniens, procurandamque pacem & securitatem conscientiarum, non aliud inquirendum sit, nisi an servata sit exteriùs forma Ecclesiæ vel Sacramenti, nec oporteat sollicitos esse de alia intentione, an in corde suo jocum, non Sacramentum intenderit, qui illud contulit: palàm est pro valido habendum Sacramentum, in cujus collatione seriò quidem, quoad exteriorem apparentiam, servata fuit forma Ecclesiæ, vel Sacramenti; at interiùs non seriò, sed joco. Hoc autem ne ipse quidem Farvacquius admittit, sed *ex parte internæ voluntatis in Ministro requiritur* (inquit) *serius, & non jocularis consensus in ritum, formamque, per quam scit, quod Ecclesia intendat præbere Sacramentum.* Probatque 1°. ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 6. ubi dicitur, *non valere absolutionem, si Sacerdoti animus* (quo nomine haud dubiè internam significat voluntatem, seu intentionem) *serio agendi, & verè absolvendi desit.* Et can. 9. non sufficere ad absolutionem sacramentalem, *si Sacerdos non seriò, sed joco absolvat.* 2°. quia qui non seriò, sed joco administrat exteriorem ritum, formamque Sacramenti, non habet intentionem efficacem faciendi quod facit Ecclesia, sed irridendi, subsannandique, &c. Credibile verò non est, Ecclesiam velle cooperari actionibus, quibus ipsamet ludibrio & contemptui habetur.

Hactenùs Farvacquius, optimè quidem. Sed ex 89
hac veritate perspicuum esse videtur, Ecclesiam de alia sollicitam esse interna voluntate, seu intentione, quàm adhibendi exteriùs ritum, quem ipsa adhibet. Siquidem ritus iste adhiberi potest, exteriùs quidem seriò, sed interiùs joco, nec animo faciendi Sacramentum, sive efficaci intentione baptizandi, conferendi, absolvendi, &c. sed Ecclesiam irridendi, subsannandi, &c. At verò cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere, talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, ait S. Thomas num. 86. relatus.

Probatur itaque sententia nostra 1°. ex Con- 90
ciliis Florentino & Tridentino, requirentibus ut Minister intendat facere quod facit Ecclesia. Atqui Ecclesia non intendit tantùm exteriùs abluere, seu seriò (quoad externam apparentiam) facere actiones sacramentales, materialiter & physicè sumptas, sed eas intendit formaliter & moraliter ut Sacramentum, illasque revera sic facit.

Confirmatur: quia dum Florentinum, ultra materiam & formam, postulat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, aliam intentionem postulat, quàm ponendi materiam & formam, utpote inclusam in voluntaria positione materiæ & formæ: postulat ergo intentionem faciendi Sacramentum: cùm præcipuum quod Ecclesia intendit ponendo materiam & formam, sit Sacramenti confectio, & intentionem faciendi quod facit Ecclesia, accuratè distinguat à positione materiæ & formæ, quam nemo ponit nisi volens; nemo proinde sine voluntate, seu intentione ponendi.

2°. si ad verificandam intentionem faciendi 91
quod facit Ecclesia, quam requirunt Florentinum

& Tridentinum, sufficeret velle seriò (quoad apparentiam externam) ritum externum, materialiter & physicè sumptum, sequeretur impium, hæreticum, atheum, habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, dum ritum externum poneret, & voluntariè poneret, seriò quidem in oculis hominum, sive quoad apparentiam externam, interiùs tamen, & coram oculis Dei, non seriò, sed merè joco, & merè ad deridendum Ecclesiam, & Christum. Ob ea quæ dixi n. 88. Sed hoc dici non posse, essequè nimis propinquum errori Lutheri, & contra doctrinam Concilii Tridentini, constat ex dictis tam numero illo 88. quàm numero 86.

92 3°. ex sacris testimoniis habemus id non sufficere in nonnullis Sacramentis. Ex quibus ad reliqua rectè arguitur, cùm eadem vel similis urgeat ratio. Imprimis non sufficere intentionem ponendi ritum externum, materialiter & physicè sumptum, ad conficiendum Pœnitentiæ Sacramentum, habemus ex verbis istis evangelicis ad Ministros istius Sacramenti: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Neque enim censetur is remittere, qui verba remissionis, sine interna remittendi voluntate, merè materialiter & animo ficto pronuntiat, in corde potiùs intendens jocum & derisionem, vel simulationem, quàm remissionem. Nec qui sic remitteret, quæ proximus in ipsum peccavit, in oculis Dei intuentis cor remittere censeretur. Nec talis censetur remittere ut Judex, Deique Legatus (qualis est per verba illa constitutus:) siquidem actus & sententia Judicis, si ex vero & serio animo non procedat, sed ex fictione & animo simulandi, vel jocandi, aut deridendi, nulla est; uti nulla lex absque voluntate obligandi, uti Theologi & Juristæ concorditer docent. Nec magis valida absolutio sacramentalis Judicis in forma deprecatoria uti olim conferebatur, & adhuc hodie (fatente Farvacquio) validè conferretur. Neque enim vera deprecatio esse potest, si interiùs deprecari nolis, sed jocari.

93 4°. similiter ex sacris Litteris habemus, quòd Sacramentum Extremæ Unctionis non conficiatur solâ voluntariâ prolatione formæ illius, sed ad id necessarius sit internus orandi animus. Cùm, Jacobo Apostolo teste, Sacramentum istud administretur oratione Sacerdotis pro infirmo. Oratio verò externa, sine interno proinde orandi animo, oratio non est. Sine interno proinde orandi animo Extremæ Unctionis Sacramentum ab hæretico vel atheo Sacerdote validè non confertur.

94 5°. simile de Matrimonio argumentum habemus ex divina Scriptura, sacris Canonibus & SS. Pontificum declarationibus. Siquidem *causa efficiens matrimonium*, juxta Florentinum, *est mutuus consensus.* Quod & indicat Apostolus 1. Cor. 7. dicens: *Cui vult nubat.* Matrimonium quippe *solo consensu contrahitur*, cap. *cùm locum* de sponsal. Nec sufficit quòd contrahentes *ore*, sed oportet quòd & *corde* consentiant, cap. *duobus* de sponsa duorum. Nec sufficit nudus internus consensus in id quod verba significant, ut à simili patet in aliis contractibus, qui non perficiuntur solâ verborum prolatione, tametsi voluntariâ & seriâ, si equidem ficta sit, (tametsi fictione purè internâ) id est absque interno animo contrahendi. Fictè namque initus contractus non est verus, uti to. 2. ostendimus. Proinde si verba, quibus matrimonium contrahi solet, libero, & (quantùm exteriùs apparet) serio consensu protuleris, nihil equidem in oculis Dei conficies, si fictè & sine interna contrahendi intentione processeris. *Quia cùm non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire; non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem*, cap. *in his* de verb. signif. Et ideò, propositâ quæstione de desponsatione fictè celebrata, sive in qua contrahendi propositum vir non habuerat, Innocentius III. cap. *tua nos* de sponsalib. & matrim. respondet, *quid juris sit referentes, dicimus, quòd si res ita se habet*, videlicet quòd ille, *eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in talem personam, non debet ex illo facto conjugium judicari: cùm in eo nec substantia conjugalis contractûs, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri. Quoniam ex altera parte dolus solummodò adfuit, & defuit omninò consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* Et cap. *tuas* de sponsa duorum: *si solus* (consensus) *defuerit, cætera, etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur.* Et ratio est, quia id cujus dominium habeo, in alterum transferre non possum, sine mea voluntate. Cùm ergo per contractum matrimonialem, una pars in alteram transferat dominium, seu potestatem sui corporis, translatio ista sine consensu ipsius fieri nequit. Quæ ratio sicut probat pro contractu, sic & pro Matrimonii Sacramento: utpote quod absque contractu subsistere nequit. Imò probat pro omni contractu, quo dominium transfertur. Omnis quippe res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. Sed ad acquirendum dominium non sufficit actus externus, quo ostendo me velle dominium acquirere, si interiùs habeam voluntatem contrariam, utique non acquirendi. Similiter ergo ad dissolvendum, sive transferendum dominium, non sufficit actus externus, quo significo me dominium transferre velle, si interiùs habeam voluntatem contrariam, utique non transferendi. Et ideò Clemens VIII. (apud Basilium Pontium l. 4. de matrim. c. 24. num. 4.) respondens ad casum nobilis feminæ, exponentis, se *animo dissentientem* viro nupsisse, declaravit, necessarium esse novum consensum, admonito priùs marito de matrimonii nullitate.

6°. *quando aliquid se habet* indifferenter *ad* 95
multa, oportet quòd per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat (ait S. Thomas 3. p. q. 64. a. 8.) *Ea verò quæ in Sacramentis* exteriùs *aguntur*, habent se indifferenter ad multa. Quia *possunt diversimodè agi; sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum*, jocum, & derisionem, *& ad multa alia hujusmodi. Et ideò oportet quòd determinetur ad unum, id est ad sacramentalem effectum*, sive ad efficiendum Sacramentum, *per intentionem abluentis.* Sed non determinatur ad unum, videlicet ad efficiendum Sacramentum per solam intentionem faciendi actionem, seu ablutionem. Hæc enim diversimodè agi potest, & ordinari ad multa, uti sanctus Doctor observavit. Neque per sola verba addita ablutioni, sive per exteriorem formam Sacramenti: utpote quæ etiam potest diversimodè proferri, & ad multa ordinari, vel scilicet ad conficiendum Sacramentum, vel ad jocum, vel ad derisionem, vel ad simulationem, &c. Igitur ad perficiendum Sacramentum determinari debet per intentionem faciendi Sacramentum. Quæ quidem intentio exprimitur per verba, quibus continetur forma Sacramenti, quando animo serio, non ficto, nec derisorio proferuntur. Et hoc est quod sibi vult S. Thomas, dum post verba proximè relata dicit, quòd *hæc intentio* (faciendi scilicet Sacramentum) *exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur.* Sed, ut idem S. Doctor ait ibidem a. 10. ad 3. *intentio ludicra vel jocosa, in animo concepta* (& idem est de intentione fingendi) *excludit rectitudinem intentionis, per quam perficitur Sacramentum.* Siquidem, ut ibidem dixerat in corpore, *cùm aliquis*, adhibendo materiam, & proferendo formam, *non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere,*

talis

talis perversitas tollit veritatem Sacramenti; præcipuè quidem, *quando suam intentionem exteriùs manifestat.* Sed non tantùm tunc, verùm etiam quando exteriùs ipsam non manifestat. Siquidem dictio *præcipuè*, *præsertim*, *maximè*, ex natura sua est ampliativa casûs magis dubitabilis. cap. *ex litteris* 2. de homicid. & ibi gloss. fin. cap. *illud* de præsumptione, & ibi gloss. verbo *præsertim* L. *quod & lex* ff. de lib. hom. exhib. juncta gloss. verbo eodem. Et notant Joan. Andræas in addit. ad Speculat. in tit. de test. §. 1. versu *item excipitur quod est impubes*, ibi, *sed nunquid fratres.* Quintil. Mando, post alios quos citat in reg. de subrog. collitig. q. 6. n. 2. Fagnanus ad cap. *cum voluntate* de sent. excom. n. 17. & ad cap. *significasti* de elect. n. 26.

96 7°. eadem proportionaliter est ratio (quoad punctum præsens) ministrantis, atque adulti recipientis Sacramentum: cùm consensus & voluntas adulti recipientis Baptismum v. g. necessaria sit eum ad validè recipiendum; sicut consensus & voluntas ministrantis ad conferendum Baptismi Sacramentum. Sed *si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus.* S. Thomas q. 68. a. 7. ad 2. Sicut ergo si adultus interiùs diceret: *Volo ablui corporaliter, non spiritualiter & sacramentaliter*, non valeret Baptismus ipsius; ita si minister interiùs diceret: *Volo baptizare, seu abluere corporaliter, non spiritualiter & sacramentaliter*, ipse sacramentaliter non baptizaret.

97 8°. quando minister interiùs dicit: *Volo baptizare corporaliter, sed nolo conferre Sacramentum Baptismi, imò volo Sacramentum istud deridere*, per ejusmodi intentionem non subjicit se intentioni Christi principalis Agentis, quæ est sacramentaliter baptizare, sive Baptismi Sacramentum conferre, sed isti intentioni in corde suo contradicit. Atqui in ministro *requiritur intentio, quæ se subjiciat principali Agenti.* S. Thomas q. 64. a. 8. ad 1. Enimverò si ei se non subjiciat, sed contradicat, non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Siquidem Ecclesia, Christi, Sponsi sui, intentioni non contradicit, sed ei se subjicit, vultque efficere Sacramentum: iste verò vult contrarium. Meritò proinde Alexander VIII. damnavit propositionem 28. n. 87. enarratam. Videant qui sententiam nostræ contrariam tradunt, an in ea propositione, sua non sit damnata. Tametsi enim damnata propositio expressè non loquatur de *seriò* ponentibus ritum externum; Authores tamen illius, Romam delati, de iis damnatam propositionem intellexerunt, non de iis qui ritum externum exteriùs non seriò, sed derisoriè ponunt.

CAPUT XII.

Satisfit argumentis in contrarium.

98 OBjicies 1°. quamvis (ob præmissa) non sufficiat mera intentio corporaliter abluendi; equidem dum Minister non ignorat, Ecclesiæ intentionem esse, per hunc vel illum ritum externum, conferre Sacramentum, determinatio ad conferendum Sacramentum est efficacissima. Hoc ipso namque, quòd Minister vult adhibere ministerium, quo novit Ecclesiam intendere Sacramentum, vult & facit, quod vult & facit Ecclesia; tametsi credat id nihil esse, & in animo derideat. Sicut dum aliquis alicui applicat signa, quæ novit esse magica, sive à magis applicari solita ad magicas artes, tametsi in animo nihil illa æstimet, sed derideat, vult & facit, quod volunt & faciunt, seu velle facere solent magi.

Respondeo negando assumptum pro secunda parte. Quia cum illa notitia stat indifferentia signorum illorum ad corporalem & sacramentalem ablutionem, vel etiam ad magicam artem. Fieri namque potest, quòd diabolus, Dei simia, velit à mago, Ecclesiæ intentionem non ignorante, iisdem signis seu ritibus fieri incantationem, vel diabolico cultui suo dedicari illum cui applicantur. Incredibile verò est, magum, signa illa applicantem solius incantationis gratiâ (solâ mente retentâ) vel etiam solâ intentione (solo etiam animo conceptâ) dedicandi subjectum cultui diaboli, ipsi equidem Baptismi Sacramentum velle conferre, facereque quod Christus & Ecclesia intendit.

Deinde ex eo quòd Ecclesia habeat ritum ali- 99
quem pro sacro, non magis consequens est, quòd Minister quicumque, hoc non ignorans, eum adhibeat ut sacrum, quàm ex eo quòd Ecclesia ritum aliquem æstimet ut sacrum, consequens sit, quòd quisquis eo utitur, sciens ab Ecclesia æstimari ut sacrum, ipse etiam æstimet ut sacrum. Quod profectò non magis consequens est, quàm ex eo quòd Circumcisionem Ecclesia hodie habeat pro ritu superstitioso & sacrilego, consequens sit, quòd Judæus, cum illa notitia filium suum circumcidens, ritum illum habeat pro superstitioso & sacrilego.

Neque absolutè verum est quod additur de sig- 100
nis magicis, quæ etiam materialiter & physicè adhiberi possunt à sciente magos iis uti solitos ad magicas artes, vel etiam adhiberi possunt animo ficto, non serio, vel ad jocum & derisionem.

Denique quidquid sit de signis magicis, inde 101
non magis conficitur, omnem qui exteriorem Sacramenti ritum ponit, sciens illum haberi sacrum ab Ecclesia, velle illum ponere sacratè, seu ut sacrum, quàm omnis ille qui facit actum bonum, sciens esse bonum, velit illum facere benè. Sicut enim ad bonum benè faciendum, plus requiritur, quàm facere bonum ex scientia bonitatis (*bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu*) sic ad faciendum Sacramentum, quà tale, plus requiritur, quàm facere ritum sacramentalem cum scientia quòd Ecclesia per eum soleat facere Sacramentum. Aliàs baptizans puerum in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, iis nominibus non intelligendo tres Personas SS. Trinitatis, sed tres filios suos sic nominatos, verè baptizaret.

Objicies 2°. SS. Patres, & Concilia, dum 102
actum fuit de Baptismo ab hæreticis collato solliciti non fuerunt de mentali intentione, sed de ritu dumtaxat exteriore, præsertim cùm ab ipsis adhibita fuisset legitima forma.

Respondeo 1°. nihil inde magis confici contra necessitatem mentalis intentionis faciendi Sacramentum, quàm contra necessitatem mentalis intentionis faciendi quod facit Ecclesia, quam Patres haud minùs requisierunt, quàm Concilium Florentinum & Tridentinum. Idcò ergo argumentum istud nihil probat, quia nimis probat, ut ampliùs constat ex dictis n. 88. & 101.

Respondeo 2°. idcò sollicitos non fuisse de 103
mentali intentione, quia de ea tunc controversia non fuit, sed an fides & probitas Ministri necessaria foret ad valorem Sacramenti; in qua controversia dixerunt Sacramentum ab infidelibus & impiis collatum esse validum, dummodò collatum fuisset sub forma legitima. Quâ adhibitâ, sicut supposuerunt adhibitam quoque fuisse materiam debitam, tametsi alia fallaciter adhiberi potuisset; sic debitamquoque intentionem adhibitam supposuerunt, tametsi de intentione magis quàm de materia mentionem expressè non fecerint, quamdiù de ea controversia nulla fuit, nec specialis fuit ratio de ea dubitandi.

Objicies 3°. Augustinus tr. 5. in Joan. docet, 104

Baptismum ab ebrio collatum esse validum, cùm ait: *Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat.* Et l. 7. contra Donatist. c. 53. *Nihil interest ad integritatem Sacramenti, in ipsa Catholica Ecclesia, utrùm id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cùm tamen hoc idem utrique agant.. & tamen si postea prodatur, nemo repetit, sed... punitur illa simulatio,* &c. Et infrà: *Non dubito illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter (id est simulato animo) id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt.* Nec hoc tantùm dicit, sed insuper ait: *Quòd si totum mimicè, ludicrè, & jocaliter ageretur, utrùm approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum judicium, per alicujus revelationis oraculum, ... implorandum esse censerem, &c.*

Respondeo Augustinum primo loco non dicere, *non timeo ebrium*, sed *ebriosum*, qui tamen non sit ebrius dum baptizat, sed *sentiat quid faciat, quia intentio baptizantis exigitur*, ait Glossa ad istum Augustini locum, in can. *dedit* 1. q. 1. verbo *ebrius*. Nihil proinde ibi contra nos Augustinus, sed solùm contra Donatistas probare intendit, Baptismi valorem à ministri sanctitate non pendere.

105 Difficilior est secundus locus. Sed in eo fallaciam & simulationem Augustinus opponit fidei (ut colligitur ex contextu, ubi præmittit mentionem de iis qui baptismum, *sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent*) nec aliud vult, nisi quòd valeat baptismus ab eo receptus, vel datus, qui non credit ritum exteriorem, quem facit, vel recipit, esse Sacramentum. Qui, non obstante infidelitate istâ, potest velle recipere, quod dat Ecclesia, sicut *infidelis, non obstante infidelitate* suâ speculativâ, practicè *potest intendere facere, quod facit Ecclesia, licèt æstimet id nihil esse*, inquit S. Thomas q. 64. a. 9. ad 1. quia scilicet potest quis practicè se conformare intentioni Ecclesiæ, tametsi speculativè habeat fidem contrariam fidei Ecclesiæ.

106 Tertius locus hodie non habet difficultatem. Quia hodie habemus Dei ea de re judicium, nobis declaratum per duo Generalia Concilia, Florentinum & Tridentinum. A quibus dum declarata est in Ministro necessitas intentionis, (non ludicræ, nec jocosæ, sed seriæ) faciendi quod facit Ecclesia, consequenter declaratum est, baptismum merè ludicrè, mimicè & jocaliter collatum non esse validum. De quo sententiam tunc ferre non audebat Augustinus, quia nulla de eo adhuc definitio erat ullius Concilii, sive regionalis, sive generalis, uti nunc. Nunc proinde indubitanter asserimus, *quòd* (*ut ibidem ait*) *universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.*

107 Objicies 4°. Innocentius IV. ad cap. *siquis puerum de baptismo* dicit, quòd *non est necesse, quòd baptizans sciat quid sit Ecclesia, nec quòd gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imò si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat; nihilominùs baptizatus est, dummodò baptizare intenderit.*

Respondeo Innocentium IV. id quidem scripsisse ut privatum Canonum Interpretem, ante suum Pontificatum (ut videre est in prologo ad caput citatum) sed verba ipsius ne ab ipsis quidem objicientibus in eo rigore accipi posse, quem primâ facie præ se ferre videntur. Aliàs Conciliis Florentino & Tridentino contradixisset, doctrinaque ipsius per Alexandrum VIII. (propositione 28. n. 87. relatâ) proscripta fuisset. Ad concordandum ergo Innocentium IV. cum Alexandro VIII. Conciliisque Florentino & Tridentino, requirentibus intentionem faciendi quod facit Ecclesia, dicimus cum Innocentio IV. dum aliquis in necessitate baptismum petit à Saraceno, *dummodò* Saracenus ipsum *baptizare intendat* secundùm intentionem petentis, id est Baptismi Sacramentum conferre, & non solùm corpus lavare, necessarium non esse, quòd sciat quid sit Ecclesia, nec quòd expressè dicat in mente, volo facere quod facit Ecclesia, cùm implicitè satis id dicat quoad substantiam, cùm dicit se velle baptizare ut suprà, tametsi non credat Baptismum petitum gratiam conferre, ideòque Ecclesiæ contradicat quoad effectum Sacramenti, atque isto sensu dicat, se nolle quod facit Ecclesia, id est se nolle conferre effectum Sacramenti, quem conferre intendit Ecclesia. Quia intentio effectûs Sacramenti, non est de necessitate Sacramenti.

Objicies 5°. S. Thomas 3. p. q. 64. a. 8. ad 2. postquam retulit sententiam nostram, quæ ex parte Ministri requirit intentionem mentalem, ad Sacramenti valorem: oppositam præferre videtur, dum subdit: *Alii melius dicunt, quòd Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est Minister. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.* Hîcce enim verbis significare videtur, necessariam non esse aliam intentionem mentalem, nisi proferendi verba, in quibus intentio Ecclesiæ continetur. 108

Respondeo cum Cajetano, Soto, Nugno, Cabrera, Goneto, Vincentio, Baronio, aliisque passim Angelici Doctoris Interpretibus, ac Discipulis, negando antecedens. Manifestum quippe est sincere conferenti objectum testimonium cum aliis quæ pro assertione nostra exhibuimus, jamque exhibituri sumus, S. Doctorem ad confectionem Sacramentorum plus requisisse, quàm voluntatem faciendi solum opus externum. Primò quia S. Doctor sententiam nostram validè probat ibidem in corpore, uti n. 95 vidimus. Secundò quia cùm ibidem ad 1. sibi objecisset, *quòd intentio Ministri non requiratur ad perfectionem Sacramenti. Minister enim in Sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundùm intentionem instrumenti, sed secundùm intentionem principalis agentis.* Ergo, &c. Respondet, quòd Minister in Sacramento operatur ut instrumentum animatum, non ut inanimatum. Tametsi verò *instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectûs, sed loco intentionis est motus quo movetur à principali agente. Tamen instrumentum animatum . . . . non solùm movetur sed etiam quodammodò movet seipsum. . . . Et ideò requiritur ejus intentio, quâ se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia.* Christus autem & Ecclesia facit Sacramentum, non exteriorem dumtaxat ritum. Tertiò quia eâdem q. 64. a. 10. in corp. expressè requirit intentionem faciendi Sacramentum: *Cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere, tollit veritatem Sacramenti.* Confer quæ dixi n. 95. sub finem. Quartò quia in 4. dist. 11. q. 2. a. 2. quæstione 3. ad 1. sic habet: *In Sacramentis est duplex intentio, una quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti. Et hæc est essentialis Sacramento*, &c. Atqui intentio quæ ordinatur ad perfectionem Sacramenti, haud dubiè est intentio perficiendi Sacramentum. Hæc est igitur essentialis Sacramento. Quintò quia opusc. 5. *requiritur* (inquit) *in quolibet Sacramento persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione conferendi & faciendi quod facit Ecclesia.* Quæ cùm haud dubiè conferat & faciat Sacramentum: igitur Angelicus Doctor in Ministro requirit intentionem conferendi

rendi & faciendi Sacramentum.

Nec obstant verba objecta ex q. 64. a. 8. ad 2. Quia intelligi debent, ut postulat objectio, ad quam ibi respondet; siquidem *intelligentia dictorum ex causis assumenda est dicendi* Sibi autem sic objecerat: *Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti, non posset homini ad Sacramentum accedenti esse notum, quòd Sacramentum susceptisset. Et ita non posset habere certitudinem salutis.... cùm quædam Sacramenta sint de necessitate salutis.*

109 Ecce illud ipsum argumentum sibi S. Doctor objecit, quod Adversarii nobis objiciunt. Ad quod dum respondet, ad valorem Sacramenti sufficere intentionem Ecclesiæ.... quæ in verbis, quæ profert, exprimitur, nisi contrarium exteriùs exprimatur, &c. imprimis *non intendit Author, quòd hoc sufficiat ad perfectionem Sacramenti* simpliciter (ait Cajetanus ad istum locum S. Thomæ) *sed ad perfectionem ejus quoad nos*, in quantum sufficit ad rationabilem præsumptionem, quietandamque suscipientis conscientiam, ita ut tutò credere possit se verum Sacramentum suscepisse. *Per hoc enim evitatur inconveniens, quòd quilibet incertus possit dici, de susceptis Sacramentis.* Hactenùs Cajetanus. Deinde dum S. Thomas sufficere ait intentionem Ecclesiæ, quæ verbis exprimitur, non negat requiri propriam Ministri, sed solùm vult specialem non requiri, modò habeat illam generalem, quâ Christo principali Agenti, & Ecclesiæ se subjiciat, quamque verba ipsa exprimunt. Quæ quia sine mentis intentione proferri non præsumuntur, dum exteriùs contrarium non exprimitur, sufficere hoc debet ad conscientiæ quietem, nisi ubi specialis foret ratio dubitandi, sicut in casu Sacramenti ab ebrioso suscepti. Quo casu Sacramentum sub dubio repeti posset, ad comparandam moralem certitudinem.

110 Enimverò vel ipse S. Doctor in verbis objectis apertè significat, Ecclesiæ intentionem, verbis à Ministro prolatis expressam, absolutè non sufficere ad perficiendum Sacramentum. Si enim absolutè sufficere censuisset, limitationem hanc immediatè non subjunxisset: *nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.* Quâ limitatione sicut apertè significat, Ecclesiæ intentionem, verbis à Ministro prolatis expressam, non sufficere quoad nos, dum contrariam intentionem exteriùs Minister exprimit; sic eandem quoad Deum, sive in oculis Dei minimè sufficere satis innuit, dum contrariam intentionem interiùs, sive in oculis Dei exprimit. Sicut enim quoad nos habere non censetur intentionem, Ecclesiæ intentioni verbis à Ministro prolatis expressæ conformem, dum quoad nos contrariam intentionem exprimit; sic quoad Deum habere non censetur intentionem, Ecclesiæ intentioni, &c. conformem, dum contrariam intentionem quoad Deum, sive in corde suo in oculis Dei exprimit. Cur enim contraria intentio, exteriùs expressa, necessariam intentionem quoad nos destruit, si interiùs expressa, necessariam intentionem quoad Deum non destruit?

111 Si dicas, quòd contraria intentio exteriùs expressa, reddit prolationem formæ non seriam, sed ridiculam. Contrà 1°. quare prolationem formæ reddit non seriam, si externa expressio conformis sit internæ (quam habet) intentioni? Si enim internæ conformis sit, ideò seria est, quia sincera. 2°. si contraria intentio exteriùs expressa reddat prolationem formæ quoad nos non seriam, sed ridiculam; simili ratione contraria intentio, corde sive in animo expressa, reddit prolationem formæ, quoad Deum, sive in oculis Dei, non seriam, sed ridiculam. Atqui juxta S. Doctorem, intentio reddens prolationem formæ in oculis Dei non seriam, sed ridiculam, in oculis Dei non sufficit ad perficiendum Sacramentum. Cùm in oculis Dei, per talem intentionem, *non subjiciat se principali Agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus & Ecclesia.* Quod ad valorem Sacramenti S. Doctor requirit ibidem ad 1.

Objicies 6°. servus, ad validè donandum no- 112
mine domini sui, habere non debet intentionem, ab intentione domini distinctam. Similiter ergo Minister, ad Sacramentum nomine Christi validè conferendum, habere non debet intentionem, ab intentione Christi distinctam.

Respondeo antecedens verum esse de servo, qui merus sit executor donationis factæ à domino suo. Secùs si non sit ipsi commissa mera executio, sed & donandi munus cum ministeriali authoritate ac potestate. Ministris verò Sacramentorum commissa non est mera executio actionis sacramentalis à solo Christo factæ, sed ipsis tamquam dispensatoribus mysteriorum Dei, Christique legatis cum ministeriali authoritate ac potestate commissum est munus agendi, sive baptizandi, confirmandi, consecrandi, peccata condonandi, &c. Et ideò S. Thomas q. 64. a. 8. ad 1. dicit, quòd ad conficiendum Sacramentum non sufficiat motus, quo Minister movetur à principali Agente, sicut movetur instrumentum inanimatum, sed etiam motus quo movet seipsum, sive quòd *requiratur ejus intentio, quâ se subjiciat principali Agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus & Ecclesia.*

Objicies 7°. sic quilibet erit incertus, de suo 113
Baptismo v. g. Quia incertus de interna Ministri intentione.

Respondeo 1°. incertitudinem non tolli per 114
sententiam Adversariorum, utpote cujus vel certa est falsitas, vel incerta veritas. Si enim damnata non sit, prout esse videtur ab Alexandro VIII. propositione 28. equidem probabilitatis, atque adeò incertitudinis limites non excedit. Respondeo 2°. S. Thomam sibi idipsum objecisse, & solvisse, ut suprà n. 104. & 105. Neganda proinde sequela est. Quia Minister sine debita intentione, materiam & formam debitam adhibere non præsumitur, nisi exteriùs contrarium exprimat, vel in specialibus circumstantiis, v. g. Baptismi à mago suscepti, speciale præbeat fundamentum de eo dubitandi. Quo cessante, præsumptio moraliter certa est de adhibita debita intentione. De quo vel ipsos Adversarios secundùm dicta n. 88. & 89. oportet convenire: ipsi namque requirunt ex parte voluntatis in Ministro seriam, & non merè joculatem consensum in exteriorem ritum, formamque, per quam scit, quòd Ecclesia intendat præbere Sacramentum, ut vidimus ibidem. De isto verò serio, & non joculari consensu voluntatis, suscipiens certificari nequit, nisi modo dicto. Deinde eadem difficultas, seu incertitudo, objici potest, etiam dato quòd interna Ministri voluntas non requiratur; ut enim Pallavicinus observat Histor. Conc. Trid. l. 9. c. 6. n. 4. primò in cunctis confessionibus, quid Sacerdoti facilius (dum absolvit voce submissâ) quàm vocalem Sacramento necessariam omittere, innumerosque proinde homines, Deum sibi reconciliatum arbitratos, ob invalidam absolutionem, sub dæmonis jugo relinquere? Et nonne idem pro sua libidine committere possunt pagorum Curiones in conferendo Baptismo, ubi nemo è rusticis novit quænam sit forma necessaria? Quid ad hæc Farvacquius? Respondet omissionem vocalæ Sacramento necessariæ, per se esse cognoscibilem, & punibilem ab Ecclesia, solùmque esse posse occultam per accidens.

Sed quid inde? per accidens equidem in ca- 115

sibus innumeris fugit id omnem humanam cognitionem, præterquàm ipsius Ministri. Igitur per accidens in casibus innumeris, in eamdem incertitudinem & difficultatem incurritur.

116 Quapropter in quavis sententia præsumendum pro valore Sacramenti, dum de contrario non constat, nec specialis ratio dubitandi occurrit. Aliàs præsumenda non est talis in Ministro malitia, ut aliquid necessarium sciens & volens omiserit. Cùm nullus privatæ utilitatis aut voluptatis stimulus, quemquam ad talem malitiam excitet. Neque ergo debitæ intentionis, neque necessariæ vocis defectus præsumitur, nisi de contrario constet. Nec de eo dubium rationabile censetur, nisi dubitandi ratio specialis habeatur. Tametsi absolutè loquendo, intentio Ministri in manu Dei sit, qui potest illam Ministro inspirare, potest & defectum ipsius malitiæ Ministri permittere, necessariamque ad valorem Sacramenti materiam in necessitate subtrahere, secundùm altitudinem inscrutabilium judiciorum suorum, quâ ab æterno disposuit, quos ad gratiam per Sacramenta promovere statuit, quos verò non. Unde quòd singuli homines, post quamcumque adhibitam diligentiam, omnimodam certitudinem, de gratia Sacramentorum susceptione accepta, citra divinam revelationem habere non possint, non solùm absurdum non est, sed divinis oraculis consonat. *Nescit* quippe *homo, an amore, an odio dignus sit.* Nec cuiquam conqueri fas est, se innoxium hoc incommodo premi (inquit Pallavicinus loco citato n. 5.) quicumque enim in peccato est, subjacet noxæ, adeòque indignus est, ut unquam cum Deo in gratiam redeat. Nec inter tot infantes, qui, absque personali ipiorum culpa, vel parentum incuriâ, vel casu repentino Baptismi expertes decedunt, vel unus conqueri potest, se injuriâ cælo exulare. Cuicumque enim datur post culpam (sive originalem, sive personalem) posse resurgere, misericorditer datur; cuicumque non datur, ex justitia non datur.

CAPUT XIII.

Tametsi defectum, seu intentionis Ministri, seu materiæ vel formæ, respectu adultorum, quoad gratiæ necessariæ effectum, suppleri possit votum Sacramenti: respectu infantium, sine Baptismo morientium, non supplet misericordia Dei.

117 PEr votum Sacramenti, Baptismi scilicet & Pœnitentiæ, gratiam sanctificantem, ad salutem necessariam, adultis perfectè contritis, ante exteriorem Sacramenti susceptionem conferri, nemo dubitat Catholicorum. Quoad Pœnitentiæ Sacramentum, definivit hoc Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. Et sess. 6. c. 5. declaravit ne ipsum quidem Baptismi Sacramentum adultis necessarium esse necessitate medii, nisi in re, vel in voto, sic explicans quod Christus ait Joan. 11. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Nec desunt Patres, aientes, Deum ob votum Sacramenti misericorditer gratiam conferre, etiam adultis imperfectè contritis, dum Sacramentum excludit necessitas. De quo nos infrà.

118 Non defuerunt etiam Scholastici, quibus visum est defectum intentionis Ministri, respectu infantium, à Deo quoad gratiæ & salutis effectum misericorditer suppleri. Refert enim S. Thomas in 4. dist. 6. a. 2. quòd *quidam dicunt, si desit intentio Ministri baptizandi puerum, piè creditur, quòd summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat.* Quod & repetit 3. p. q. 64. a. 8. ad 2. *Quidam dicunt, quòd requiritur mentalis intentio in Ministro, quæ si desit, non perficitur Sacramentum. Sed hunc defectum in pueris supplet Christus; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, fides & devotio cum voto Sacramenti.* Quid de hac opinione S. Doctor? *Hoc* (inquit) *satis posset dici, quantum ad ultimum effectum Sacramenti, qui est justificatio à peccatis; sed quantùm ad characterem, non videtur per devotionem accedentis posse suppleri.* Quibus verbis opinionem illam non approbat, sed solitâ suâ modestiâ utcumque tolerat, quia tempore S. Thomæ non habebat contra se omnes penè Doctores, sicut modò, sed habebat celebres Patronos, scilicet Antisidiorensem, Alensem & Bonaventuram, sicut & post S. Thomam habuit Durandum, Gabrielem, Paludanum, Javellum, Viguerium, Bartholomæum ab Angelis, Zanardum, & noviss. mè Mascarenham tr. 1. de Sacram. in genere n. 112.

Verùm hodie rejicitur ab omnibus penè Theo- 119
logis, in tantum ut ipsam Vasquez censeat erroneam, Sotus hæreticam, alii temerariam, & nullo modo defensabilem: utpote inducentem modum aliquem introeundi in regnum Dei, citra Baptismum, ejusque votum, contra universale Christi effatum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde cùm aliquid opis Cajetanus (timidè, meliorisque judicii correctioni se subdens) excogitasset, quo infantibus in utero matris sine Baptismo decedentibus succurreretur, utique per datam ipsis, in utero periclitantibus, à parentibus benedictionem in nomine Trinitatis: *Quis enim scit* (aiebat) *si divina misericordia hujusmodi Baptismum in voto parentum acceptet, ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas executionem Sacramenti excusset.* Id Pius V. ex Cajetani libris expungi jussit. Et licèt articulum istum Cajetani (quem peculiaris Theologorum cœtus proscribendum censuerat) Tridentini Patres non proscripserint, sed omiserint, eò quòd illius proscriptionem necessariam non crediderunt ad Baptismi doctrinam; non tamen per hoc ipsum silentium, seu omissionem, tolerandum declaraverunt, inquit Pallavicinus l. 9. c. 8. n. 4. Qui & n. 6. dignam hanc 120
profert Pallavicino sententiam: quòd utique *in his omnibus controversiis, par est animo recolamus, nostræ de divina misericordia existimationi evagandum non esse extra eos fines, quos Deus per sacras Litteras commonstravit. Etenim ut ipsi liberum erat, homines non condere, vel ita procreare, ut ad claram Dei visionem jus nullum ipsis tribueret, atque etiam ut hoc jure, ob noxam Genitoris, ipsos privaret; ita quoque potuit in reliquum, citra justitiæ detrimentum, suam misericordiam impertiri, eâ prorsus mensurâ quæ ipsi libuit..... Qui hos fines ausit prætergredi, specie pietatis, ad impietatem Pelagianam accedit. Quo pacto rebelliones omnes initio præ se ferunt ostentationem majoris in Principem benevolentiæ: ita hæreses omnes ex ostentatione melioris de Deo existimationis originem habent. Et quo pacto majori fertur in Principem benevolentiâ, qui animum illius jussis submittit: ita meliora de Deo credit, qui mentem illius oraculis mancipat.*

At (inquis) Deus non alligavit Sacramentis 121
potentiam suam, nec misericordiam. At (inquam ego) tametsi id verum sit, *mihi tamen, qui christianâ regulâ stringor, necessarium est credere, præter hoc* (id est præter Baptismum in re, vel in voto) *neminem posse salvari*, ait in simili Otto Frisingensis l. 4. c. 18.

Noli ergo arguere à veteri Testamento ad no- 122
vum, quasi in novo, sicut in veteri, infantes sine Sacramento salvari possint in fide parentum. Aliter enim pro novo Testamento Christus statuit, cùm dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ*, &c.

Neque ideò minùs misericors est in novo quàm 123

in veteri, vel faciliori ratione saluti hominum providit in veteri, quàm in novo. Cùm in novo nullus hominum sit, pro quo institutum non sit remedium per meritum Sanguinis Christi. Nec infantibus in utero morientibus in veteri Testamento fides parentum subvenire potuerit; subsidiumque per *baptismum* magis generale sit, magisque obvium universitati hominum, quàm fides parentum. Neque enim fides obvia fuit omni, sed uni tantùm nationi, neque fidei subsidium tam facilè comparabatur, quàm modò baptismi. Facilius quippe modò est aquam habere, utpote ubique affluentem; facilius item baptismi Ministrum ubique terrarum modò habere, quàm tunc fidei prædicatorem: cùm ad baptismi ministerium admissi sint ipsi quoque ethnici, ac mulieres. Et quamvis in casu fortuito contingat aquam deesse, subinde etiam ex malitia intentionem: longè pluribus parentibus in veteri Testamento contigit fidem abesse, quàm Ministris intentionem.

CAPUT XIV.

Opportuna digressio, quâ variis exemplis ostenditur, quàm verè, quamque sapienter Pallavicinus dixerit, nostræ de divina misericordia existimationi evagandum non esse extra eos fines, quos Deus per sacras Litteras commonstravit. Qui hos fines ausit prætergredi, specie pietatis in errores labi.

124 PRimò namque S. Thomas Supplem. q. 99. a. 2. dicit, quòd *error Origenis fuit* (*ut Augustinus* 21. *Civitatis Dei* 17. *dicit*) *quòd dæmones quandoque per Dei misericordiam liberandi sunt à pœnis. Sed iste error ab Ecclesia reprobatus est*, &c.

125 Secundò, ut idem S. Thomas prosequitur ibidem a. 3. (*sicut Augustinus dicit* 21. *Civit.* 17. & 18.) *quidam in hoc ab errore Origenis declinaverunt, quod dæmones posuerunt in æternum puniri; sed omnes homines quandoque liberari à pœna, etiam infideles. Sed hæc positio omninò est irrationabilis*, &c.

126 Tertiò, teste eodem S. Thomâ a. 4. *quidam fuerunt* (*ut dicit Augustinus in prædicto libro c.* 20. & 21.) *qui non omnibus hominibus promiserunt absolutionem à pœna æterna, sed solis Christianis.* Et in hoc diversificati sunt. Quidam enim dixerunt, quòd quicumque Sacramenta fidei perceperunt, ab æterna pœna erunt immunes. Sed hoc est contrarium veritati. Quia quidam Sacramenta fidei recipiunt, & fidem non habent, sine qua impossibile est placere Deo. Hebr. 11.

127 *Et ideò alii dixerunt, quòd solùm illi ab æterna pœna erunt immunes, qui Sacramenta fidei sunt consecuti, & fidem Catholicam tenuerunt. Sed contra hoc esse videtur, quòd aliquando aliqui Catholicam fidem tenent, & postea ab ea recedunt, qui non minori pœnâ sunt digni, sed majori. Quia* 2. *Petr.* 2. *melius erat illis non cognoscere viam justitiæ*, &c.

128 *Et ideò alii dixerunt, quòd soli illi ab æterna pœna sunt immunes, qui in fide Catholica finaliter perseverant, quantumcumque aliis criminibus involvantur. Sed hoc manifestè contrariatur Scripturæ*, &c. In ea nihilominus opinione non soli hæretici fuerunt, sed & Catholici, quibus (ut Augustinus refert in exordio libri de fide & operibus) propterea *videbatur indiscretè omnes admittendos esse ad lavacrum regenerationis . . . . . etiamsi malam, turpemque vitam, facinoribus & flagitiis evidentissimè notam, mutare noluerint, atque in ea perseveraturos apertâ etiam professione declaraverint. . . . . Perversum enim putant atque præposterum, priùs docere quemadmodùm debeat vivere Christianus; sed censent præcedere debere Baptismi Sacramentum, ut deinde sequatur vitæ morumque doctrina. Quam si tenere & custodire voluerit, utsliter fecerit. Si tamen noluerit, & retentâ fide Christianâ, sine qua in æternum periret, in quolibet scelere, immunditiaque permanserit, salvum eum futurum, tamquam per ignem, velut qui ædificaverit supra fundamentum quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam, id est non justos, castosque mores, sed iniquos, & impudicos.* Et contra eos S. Augustinus 2. retract. 36. scripsisse se dicit præfatum librum de fide & oper. cujus scribendi occasionem commemorat: quia *missa sunt mihi* (*inquit*) *à quibusdam fratribus, Laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis, scripta nonnulla, quæ ita distinguerent à bonis operibus Christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem perveniri suaderetur ad æternam vitam.*

Istâ sententiâ imbutæ quædam Catholicæ Ecclesiæ, teste eodem Augustino l. 1. de adulter. conjug. c. 18. retinentes adulterina consortia admittebant ad baptismum, dummodò integrè profiterentur Christianam fidem, fundantes se in eo quod Apostolus 1. Cor. 3. ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, unius cujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & unius cujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.* Hoc qualecumque fundamentum salvans hominem (ait Christianus Lupus differt. de opin. prob. cap. 14.) quædam Ecclesiæ censuerunt esse solam fidem. Superædificata ligna, fœnum, stipulas, censuerunt esse qualiacumque enam facinora ac flagitia. Hæc in fidelibus exurenda crediderunt per futuri sæculi ignem, ita ut illi postmodùm essent plenè purgati, ac fierent salvi. 129

Istam etiam sententiam tenuit Rufinus, qui passim creditur Palestinæ Presbyter (pergit Lupus ibidem) etenim in sua per Jacobum Sirmondum vulgata fidei confessione ponit hunc primum articulum: *Qui dicunt diabolo & dæmonibus, & impiis, hoc est Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibusque hæreticis* (*exceptis Christianis, qui rectam fidem sequuntur, & peccatores sunt*) *aliquando esse parcendum, & pœnas eorum non esse perpetuas, anathema sit.* De quo anathematismo rectè scribit Joannes Camerius: *Illorum pœnæ perpetuæ dicuntur; quod omninò catholicum est. Istorum temporales; quod etsi magnis olim viris placitum est, ab aliis tamen erroris damnatur.* 130

Inter istos magnos viros, Lupus ibidem recenset S. Hieronymum, id probans, quia in Dialogo adversus Pelagianos cap. 9. improbat Pelagium, dicentem, in die judicii, iniquis & peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos. Hoc (inquam) de Catholicis peccatoribus intellectum Hieronymus improbat, ad objectum Isaiæ locum, *comburentur peccatores & iniqui*, respondens: non addit: *in æternum.* Sequentia verò Prophetæ verba, *& qui relinquunt Deum, consummabuntur*, exponens, *de hæreticis, qui rectum fidei tramitem relinquentes consummabuntur, si noluerint ad Dominum reverti, quem dereliquerunt. Quæ sententia & tibi parata est, si neglexeris ad meliora converti. Deinde cujus est temeritatis iniquos & peccatores impiis jungere?* id est iis, *qui notitiam Dei non habent, vel habitam transgressione mutarunt.* Istos à fidelibus plurimùm dista- 131

re multis ostendit, & subdit: *Si autem Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui & diabolum, & satellites ejus, omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuò, & Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Quibus verbis videtur quoad Catholicos peccatores cum Origene sentire.

Quidquid sit de Hieronymo, Jonas Episcopus Aurelianensis l. 1. c. 19. *Dici solet à nonnullis Christianis* (inquit sæculo nono) *quòd hi qui in Christo renati sunt, quamquam scelerate vivant, & in malis operibus diem claudant extremum, diuturno atque purgatorio, non tamen perpetuo igne sunt purgandi.*

132 Denique memorati erroris assertores Catholicos fuisse, Augustinus Enchirid. c. 67. expressè testatur, dicens: *Creduntur à quibusdam etiam hi qui nomen Christi non relinquunt, & ejus lavacro in Ecclesia abluuntur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, ac eleëmosynis redimant, sed in his usque ad ultimum vitæ finem pertinacissimè perseverant, salvi futuri per ignem, licèt pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen perpetuo igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humanâ quâdam benevolentiâ*, seu malè fundatâ opinione de divina misericordia, *mihi falli videntur.* Hunc errorem velut palàm Evangelicis aliisque Scripturis adversantem, idem Augustinus refutavit in suprà laudato libro de fide & oper. necnon in Enchiridio, in libris de Civit. Dei, aliisque locis, sicut & sanctus Chrysostomus homil. Domin. 2. Adventûs to. 6. Et hom. 30. in Evang. Joan. Jonas Aurelianensis ubi suprà, & S. Thomas loco relato.

133 Quartò, S. Thomas citatâ q. 99. a. 5. alterius erroris mentionem facit: *Dicendum* (inquit) *quòd sicut Augustinus dicit in libro prædicto cap. ult. quidam posuerunt, non omnes, qui Catholicam fidem tenent, pœnâ æternâ esse liberandos, sed solùm illos qui operibus misericordiæ insistunt, quamvis etiam aliis criminibus sint subjecti. Sed illud non potest stare. Quia sine charitate non potest Deo aliquid esse acceptum, nec sine ea prodest aliquid ad vitam æternam. Contingit autem aliquos operibus misericordiæ insistere, qui charitatem non habent.... Et præcipuè hoc apparet in raptoribus, qui multa rapiunt, & tamen aliqua misericorditer largiuntur. Et ideò dicendum, quòd quicumque cum peccato mortali decedunt, nec fides, nec opera misericordiæ, eos liberabunt à pœna æterna, etiam post quantumcumque spatium temporis.* Ut patet 1. Cor. 6. *Neque fornicarii, neque adulteri, &c. regnum Dei possidebunt.* Quamvis enim in operibus misericordiæ se exercent, charitatem non habent, quæ non agit perperàm. Dicit verò Apostolus ibidem c. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Dicitur etiam Jacobi 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

134 Quintò, tametsi certum sit, & de fide, vel unicum mortale peccatum, in quo quis moritur, ad æternam sufficere damnationem; in eo nihilominùs circa divinam misericordiam errarunt non solùm hæretici, verùm & Catholici, imò & Sancti quidam, quòd damnandos quidem censuerint omnes, non solùm infideles, sed illos etiam fideles quorum crimina nimiùm præponderant ipsorum operibus bonis. Sed non crediderunt unum, vel plura mortalia ad combustionem æternam sufficere, si iis præponderarent ipsorum opera bona. Ita sensisse videtur Author sermonis 59. in Appendice S. Augustini: *Erit enim* (inquit) *ibi sine dubio compensatio bonorum malorumque, & velut in statera posita utraque pars, quæ demerserit, illa sibi eorum, quò momentum vergitur, operarium vindicabit. Si ergo malorum multitudo supervincit, operarium suum pertrahit ad gehennam; si verò majora fuerunt opera bonorum, summâ vi obsistent & repugnabunt malis, atque operatorem suum ad regnum vivorum ex ipso etiam gehennæ confinio revocabunt.* Sicut & Damascenus in orat. pro defunctis: *Dominus Deus, id quod manibus suis effinxit, in æternum conservabit, nisi quis perspicuè deploratæ improbitatis fuerit, rectamque fidem contempserit, in eoque causa sit, ut sinistra ipsius lanx deorsum, præ gravitate, majorem in modum præponderet. Narrant enim viri quidam divinitùs illustrati, hominum actiones in extremo vitæ spiritu, non secùs atque in trutina, perpendi. Ac si quidem dextra lanx supra alteram efferatur, non esse dubitandum, quin, quisquis ille est, inter dexteros Angelos animam exhalet. Si autem paria utriusque lancis momenta sint, Dei clementiam procul dubio victoriam obtinere. Quin & à sanctissimis viris proditum est, etiamsi trutina non nihil ad lævam vergat, tum tamen Dei misericordia etiam supplet id quod desideratur. Habes jam tres divinas Domini sententias. Quarum prima justa est. Altera benigna & humanitatis plena. Tertia bonitatem omnem excedit. Sequitur quarta, quæ quidem tum denique locum habet, cùm improbæ & flagitiosæ actiones nimium præponderant*, &c. Succinit Philippus Solitarius, Græcus Scriptor, in sua Dioptra. Et ante omnes istos Lactantius Firmianus l. 7. divinar. institut. c. 20. *Judicabuntur ergo, qui Deum sciverunt, & facinora eorum, id est mala opera, cum bonis collata, ponderabuntur, ut si plura & graviora fuerint bona justaque, dentur ad vitam æternam; sin autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam.*

Hinc fortè desumpta est consuetudo in non- 135
nullis Ecclesiis pingendi Michaëlem Archangelum, cum libra, ponderantem in una statera animam cum malis operibus suis, quam diabolus conatur deprimere; in altera verò ejus virtutes, in qua Michaël cum vexillo Dominicæ crucis impedit conatum diaboli, & ex merito passionis & crucis Christi videtur aliquid stateræ superaddere. Cujusmodi pictura licèt habere queat sensum bonum, habeatque fundamentum aliquod in Scriptura Dan. 6. *Appensus es in statera, & inventus minùs habens*, id est indignus misericordiâ, per quam revoceris ad pœnitentiam, & consequenter ad veniam. Quia tamen *ex hac pictura facilè nonnulli colligerent, quòd ii consequantur vitam æternam, in quibus bona opera præponderant malis*, ait insignis Doctor Molanus l. 2. de sacris imaginibus c. 23. consultiùs omitteretur. Erraverunt enim laudati Patres, si ad litteræ rigorem sensserint, quod citata verba ipsorum præ se ferunt. Quia de divinæ misericordiæ existimatione prætergressi sunt fines, quos Deus per sacras Litteras commonstravit. Cùm ex sacris Litteris palàm habeamus, eum qui moritur, vel in uno mortali crimine, post opera bona quàmlibet multa & magna, eorum meritum omnium amittere, damnationemque incurrere sempiternam, ut constat ex sacris textibus n. 133. relatis, nec non ex Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem.... omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur*, &c.

Sextò, Andræas Vega in Trid. l. 6. c. 17. cen- 136
set adultum justificari salvarique posse sine fide explicita Christi, imò & sine ulla de Deo notitia, atque adeò sine ulla fide unius Dei, si invincibili laboret ignorantiâ illius. Sed hoc à fortiori damnavit Innocentius XI. propos. 22. inter 65.

Septimò, Sirmondus in libro quem *defensionem* 137
virtutis inscripsit, tract. 2. sect. 1. c. 2. *Vide* (in-

quit) *bonitatem Dei, non tam præcipit amorem sui, quàm odium vetat, sive formale & actuale (quod non humanum, sed diabolicum est) sive materiale, quod in mandatorum transgressione positum est.* Et cap. 2. magnum divinæ dilectionis mandatum explicans, dicit, quòd sine interno amoris affectu cæteras divinas leges sub mortali obligantes adimplens, *in rigore obedit magno mandato, quantùm satis est, ut salvus sit.* Et in responſ. ad libell. famoſ. pag. 21. *Non parum esset, si semel in vita uno amoris actu fungeremur, atque hoc plus fieret, quàm quod in rigore præcipitur.* Quam propoſitionem cùm alter ejuſdem cum Sirmondo Inſtituti poſt damnatam ab Alexandro VII. propoſitionem 15. ex 45. renovaſſet in Theſi propugnata in Collegio Muſſipontano 14. Januarii 1689. his verbis: *Finem ultimum homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis:* Alexander VIII. in decreto de die 24. Auguſti declaravit hæreticam, & ut talem damnavit.

138 Octavò, magnum divinæ benignitatis ac miſericordiæ erga homines beneficium varii Recentiores exiſtimarunt, quòd tot ſint in mundo probabiles opiniones, per quas tam ſuave redditur (inquiunt) jugum Domini, ut tametſi tota penè Theologia Moralis problematica ſit Eſcobario, qui pluribus ingentibus voluminibus penè totam problematicè conſcripſit, id eſt ſecundùm duplicem viam, quarum una alteri contradictoriè opponitur: *eſt, & non eſt: licet, & non licet: peccat, & non peccat: tenetur, & non tenetur: ſufficit, & non ſufficit*, &c. nihilominùs utramlibet ex duabus hiſce viis adeò ſecuram pronuntiat, ut *quamcumque duarum primò diverſarum inierint homines, rectà tendant ad ſuperos.* Ita ille to. 1. Theol. Moral. in præloquio c. 3. n. 13. Hinc Baſſæus verbo *conſcientia: Ex opinionum* (inquit) *varietate, jugum Chriſti ſuaviter ſuſtinetur. Poſſet namque evenire pleroſque hominum rebelles ſe prodere, ſi ad aliquid determinatè agendum, vel omittendum conſtringerentur.... Providentiâ ergo ſupernâ cautum eſt, unicam tantùm viam operationum moralium non dari, ſed rectam poſſe inveniri actionem, ſive juxta unam, ſive juxta alteram opinionem operentur mortales. Ideò bonitas divina diverſa ingenia hominibus contulit, quibus diverſa inter ſe judicia rerum ferrent, & ſe rectè operari arbitrarentur. Deo namque nullum emolumentum accreſcit, quòd quis operetur juxta unam vel alteram opinionem: ſolùm deſiderat mandatum ſuum non infringi. Cùm igitur juxta probabilem opinionem operans Dei præceptum non infringat, Dei non intereſt quidquam, quòd juxta unam vel aliam opinionem operatio deducatur.* Hactenùs Baſſæus. Et concinit Sancius in ſelect. diſp. 44. *Ergo Eccleſia Catholica felicior dici debet* (ait Caramuel in Theol. Regul. diſp. 6.) *quòd exuberet ſanctiſſimis & doctiſſimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones. Quia damnarentur plurimi, quos ſententiæ probabilitas ſalvat. Nec inde Eccleſia infelix, quòd Doctores opinentur paſſim; ſed & inde felicior, quòd benigniùs & facilius ſuos poſſit ad lauream empyream promovere.* Quod & Spinula (poſt Henriquez) repetit in opuſc. de libera & prudenti electione diſp. 3.

139 Hinc rurſus Caramuel in epiſt. ad Anton. Dianam: *Ego ingenium Dianæ, viri quidem doctiſſimi, veneror. Ejus induſtriâ multas opiniones evaſiſſe probabiles, quæ anteà non erant, invidus ſit qui non affirmet. Si jam ſunt probabiles, quæ anteà non erant, jam non peccant, qui eas ſequuntur, licèt anteà peccaverint. Ergo ſi ejuſmodi peccata ab Orbe Litterario Diana ſuſtulit, meritò dicetur Agnus Dei, qui abſtulit peccata mundi. Habento Navarrus & veteres Caſuiſtæ gloriam ſuam: ſunto Leones, & à rigore & ſeveritate laudentur. Eſto Agnus tu, laudandus à benignitate.*

Uſque adeò verò magnum illud probabilitatis, 140
ſeu divinæ bonitatis ac miſericordiæ per probabilitatem beneficium, novi illi Agni Dei, peccata mundi tollentes, extulerunt, ut ad excuſandam operationem à peccato Tamburinus l. 1. in Decal. c. 3. §. 3. n. 3. & 8. Paſqualigus deciſ. 18. aliique Probabiliſtæ, minimam de licito probabilitatem, dummodò probabilitatem, ſufficere docuerint, etiamſi de ea probabilitate nonniſi probabiliter conſtiterit. Sed hoc Innocentius XI. propoſ. 3. meritiſſimè condemnavit.

Nonò, Franciſcus Carolus Reymakers in Ap- 141
pendice ad ſuam reſponſionem brevem n. 241. 242. & 243. tantam prædicat Dei erga peccatores quoſcumque miſericordiam, ut omnibus ultrò ſic offerat gratiam veræ pœnitentiæ, quòd non ſit multo tempore, vel labore requirenda, ſed ei dumtaxat conſentiendum. Et n. 280. addit, quòd ad contritionem imperfectam, etiam à conſuetudinariis eliciendam (de iis enim agit totâ Appendice) imò ſæpè ad perfectam non requiritur alius labor, quàm ut pœnitens, ſe præparans ad confeſſionem, examinatâ conſcientiâ, conetur excitare verum dolorem, ex conſideratione turpitudinis peccati, & bonitatis divinæ offenſæ: tunc facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt. Quæ non ſolùm infundata, ſed & aliena eſſe à Scriptura & traditione, probabitur ubi de pœnitentia.

Decimò, Author Pentalogi diaphorici in Appen- 142
dice fol. 7. *Si quoties* (inquit) *recidivus ſe immutat de bono in malum, toties divina miſericordia vult recidivum immutare de malo in bonum, quis accuſabit adverſus recidivum? . . . has vocamus divinæ miſericordiæ divitias.*

Undecimò, idem in Pentalogo c. 6. n. 51. 143
poſtquam dixit, quòd *ad completam divinæ miſericordiæ participationem requirantur diverſi gradus peccatorum, quorum aliqui uno, alii aliis modis divinam participent miſericordiam:* tres (merè ex ſenſu ſuo) comminiſcitur ordines electorum. Quorum tertius eſt eorum, *quos continuò cadere permittit Deus, ut per Sacramentum pœnitentiæ continuò reſurgant.*

Duodecimò, idem in elucidatione circa uſum 144
abſolutionis fol. 97. talem prædicat *exceſſum divinæ miſericordiæ*, ut etiam à peccantibus ex habitu per viginti annos, centieſque & centies in eadem peccata relapſis, tametſi vitam duxerint enormiter flagitioſam, nullumque ſit crimen, quod non commiſerint, ad hoc ut ſacramentaliter à Sacerdote abſolvi poſſint, nec poſtulet emendationem notabili tempore, nec fructus dignos pœnitentiæ, ſed folia dumtaxat. Quæ tria effata ipſius, divinæ Scripturæ, Sanctorumque traditioni contraria eſſe ibidem oſtendemus. A ſupradictis proinde opinamentis abſtinuiſſent haud dubiè memorati Authores, ſi de divina miſericordia aliud non ſenſiſſent, niſi quod ex ſacris Litteris, & Sanctorum traditione didiciſſent.

CAPUT XV.

Ad perficiendum Sacramentum non ſufficit habitualis intentio Miniſtri: nec requiritur actualis: ſufficit virtualis.

CApite undecimo probavimus in Miniſtro Sa- 145
cramenti neceſſariam eſſe intentionem faciendi Sacramentum. Quod quia tribus modis Miniſter intendere poteſt, utique vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter. Quæritur utro iſtorum modorum id debeat intendere?

Intentio actualis, illa eſt quam Miniſter habet 146
actu, dum conficit Sacramentum, ſive (ut Syl-

vius hîc) est præsens animi applicatio & attentio ad opus quod agit. Ad quod non est (inquit) necessarium, quòd quis ore, vel corde formaliter dicat hæc verba, *intendo hoc facere*; sed oportet ut animo sit præsens, attendendo ad verba, verborumque sensum, & actu advertendo quid agat. Ista namque est actualis intentio in actu exercito.

147 *Intentio virtualis*, est ipsamet actualis, quæ præcessit, & moraliter perseverare censetur in Ministro, dum perficit Sacramentum: quia interrupta non est per actum contrarium, & Minister ex vi ipsius continuat & perficit ministerium. *Puta si Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia* (ait S. Thomas q. 64. a. 8. ad 3.) *Unde si postea in ipso exercitio actûs, cogitatio ipsius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.*

148 *Intentio habitualis*, est intentio operis faciendi aliquando habita, nec retractata, ex cujus vi opus hîc & nunc non procedit: quia nec ampliùs est in memoria, vel cogitatione; nec ampliùs existit in se, vel in effectu, qui fiat humano modo virtute ipsius: cùm etiam in dormiente reperiatur, qui humano modo agere non valet.

149 *Quamvis ergo studiosè curare debeat Sacramenti Minister, ut etiam actualem intentionem habeat* (ait S. Thomas loco citato) hoc tamen sicut necessarium non est ad humano modo agendum; sic necessarium non est ad Sacramentum perficiendum. Aliàs sacramentale ministerium foret scrupulis plenum. Cùm humanum ingenium adeò volubile sit, & distractionibus obnoxium, *ut non sit totaliter positum in hominis potestate habere actualem intentionem* (pergit S. Doctor) *quia, præter intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare, secundùm illud Psal. 39. Cor meum dereliquit me.*

150 Necessarium verò est quòd intentio sit plusquàm habitualis. Quia collatio Sacramenti esse debet actus humanus & liber, ex judicio rationis procedens. Ad actum verò humanum & liberum intentio non sufficit habitualis. Cùm etiam in ebriis, amentibus & dormientibus, libertate & judicio carentibus, reperiatur.

151 Nec quoad hoc contrarius est S. Thomas ibidem dicens, *intentionem habitualem sufficere ad perfectionem Sacramenti.* Tum quia manifestè per habitualem intelligit virtualem, cùm eam explicet eo modo quo virtualis ab omnibus, ab ipso etiam S. Doctore exponi solet: explicans namque quòd proximè dixit, exemplificat in Sacerdote, qui *accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actûs, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Quæ cùm sit ipsissima descriptio intentionis virtualis, manifestum est S. Doctorem ibi non loqui de habituali ut distincta à virtuali, sed ut distincta ab actuali dumtaxat. Tum quia vehementer dubitat Sylvius, nec sine gravi fundamento, an non sit legendum, virtualem. Cùm ex una parte allata descriptio, sit descriptio intentionis virtualis. Ex alia verò parte S. Doctor virtualem aliis locis distinguat ab habituali, ut q. 87. a. 1. ubi distinguit potentiam habitualem à virtute. Et qq. disput. de charit. a. 11. ad 3. aliud esse dicat *habitualiter* referre aliquid in Deum, aliud *virtualiter*. Unde in aliquibus codicibus allatâ q. 64. a. 8. ad 3. ad marginem habetur, *aliàs virtualem*. Et in codice Cajetani anno 1540. edito habetur, *virtualem*.

152 Secundùm omnes itaque Theologos sufficit intentio virtualis. Quia illa intentio, quæ in communi vitæ usu sufficit ad humano & libero modo agendum, sufficit ad Sacramentum conficiendum. Adesse verò censetur ista intentio, quoties Minister ab initio cum humana advertentia se applicuit, & membra movit ad actionem sacramentalem exercendam, & ex vi istius applicationis membra manent applicata continuantque motus suos. Quod tamdiù durare censetur (ait Sylvius) quamdiù durat motio membrorum ex vi primæ applicationis, tametsi contingat mentem divagari. Motio verò ista membrorum durare censetur, donec vel finiatur, vel res intenta obtineatur, vel donec per contrariam intentionem, aut impedimentum superveniens interrumpatur. Sic dum Sacerdos pulsu campanæ vocatus ad celebrandum, eo fine pergit ad Sacristiam, ibique se præparans, deinde assumit sacras vestes, iisque assumptis vadens ad altare, Missam inchoat, & continuat usque in finem, quidquid agit in Missa, agere censetur ex vi primæ intentionis, non obstante distractione tantâ, ut in consecratione v. g. de consecratione non cogitet.

Scio non facilè explicari, quænam sit, & in quo 153
permaneat virtus illa primæ intentionis & applicationis, postquam intentio actualis desiit esse actualis? cùm intentionis quæ esse desiit, nulla possit esse virtus, nulla proprietas, juxta illûd: *non entis nulla proprietas.* Qui enim dicunt, quòd maneat in effectu suo, seu effectibus, ordinatè procedentibus ex vi primæ illius intentionis; non videntur solvere difficultatem. Quia superest explicandum, quomodò, & per quid prima intentio influere censeatur in effectus illos, postquam esse desiit, & quâ ratione effectus illi tunc consequantur ex vi ipsius?

Respondeo 1°, intentionem actualem finis, 154
antequam desineret, movisse voluntatem ad volendum media, à primo ad ultimum, donec finis obtineatur; adeòque in effectus illos influere per actualem volitionem mediorum, quæ ex toto non cessat, sed perseverat usque dum finis obtineatur, licèt ad eam non reflectatur.

Quæ explicatio intelligibilior est opinione plu- 155
rium Recentiorum, aientium (cum Scoto) ad id non esse necesse, quòd perseveret aliqua volitio actualis, sive circa finem, sive circa media, quæ sunt ad finem. Quia postquam voluntas semel imperavit potentiæ inferiori; hæc in sua actione naturaliter pergit, ut patet in horaria ambulatione. Siquidem ambulans per horam non semper actu cogitat de ambulatione, nec proinde semper actu vult ambulationem. Hæc (inquam) opinio minùs intelligibilis videtur. Quia ordinata series actionum, nullam inter se naturalem connexionem habentium, imò sæpè ab arte intellectuali dependentium, difficulter intelligitur esse absque aliqua subtili attentione intellectûs eas dirigente, volitioneque eas imperante: tametsi attentio & volitio ista eatenùs abesse videatur, quatenùs ad eam non reflectitur.

Respondeo 2°. Ministrum Sacramenti in pra- 156
xi non debere esse sollicitum de modo quo sua intentio virtualiter perseverat, dum contingit mentem suam divagari. Quidquid enim de eo sit in speculatione (qua de re nos fusiùs to. 1. ubi de relatione virtuali actionum nostrarum in Deum, & to. 2. ubi de attentione virtuali in recitatione Horarum) & sive subtilis illa attentio & volitio in ipso sit, sive non sit, dum mens ipsius taliter avolat; in praxi dubitare non debet, intentionem ab initio conceptam virtualiter perseverare, & influere in ea quæ facit, quamdiù ordinatè pergit in ministerio per ipsam inchoato, & ipsa nec per contrariam intentionem revocata fuit, nec per impedimentum superveniens interrupta. Maximè si doleat de sua illa mentis divagatione, dum ad eam reflectit, sicque animo constitutus sit,

sit, non obstante suâ distractione, ut interrogatus, num velit Sacramentum conficere? sincerè respondeat affirmativè. Tunc enim non minùs in praxi certus est, quòd humano modo pergat in sacramentali ministerio, quàm quòd humano modo pergat in exercitio aliarum actionum humanarum, quas simili modo cum mentis distractione peragit. Et tantò minùs esse debet in praxi sollicitus, num in ipso manserit, vel non manserit subtilis illa intentio & volitio actualis, quantò minùs eam percipere potest, ut fatentur assertores ipsius. Cùm ad nihil servire possit sollicitudo de re imperceptibili, nisi ad infructuosam seu inanem capitis vexationem, nec certitudo suæ intentionis pendere possit à permanentia illius attentionis & volitionis imperceptibilis, de qua nulla haberi potest certitudo.

CAPUT XVI.

Mortaliter haud dubiè peccat Minister, Sacramentum quodcumque administrans cum conscientia peccati mortalis.

157 PRobatur 1°. ex Levit. 21. ubi vel ipsis Sacerdotibus veteris Testamenti vetitum erat, maculatos accedere ad altare, ibique sacrificia & oblationes offerre: *Sacerdos... qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo.... non accedet offerre oblationem Domino.* Si id vetitum erat in veteri Testamento, quantò magis in novo? Et cui attendenti materiæ gravitatem dubium esse potest, inhibitionem illam esse sub mortali: cùm lex divina in materia gravi nunquam non obliget sub mortali.

158 2°. ex Levit. 19. *Sancti eritis, quia ego Sanctus sum.* Et Isa. 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Quantò magis sancti & mundi esse debent Ministri Sacramentorum novæ legis, quibus non umbra & figura gratiæ, Authorisque ipsius, sed vel ipsa gratia, vel etiam Author ipse gratiæ continetur?

159 3°. ex Isa. ult. ubi figuraliter exprimitur, quàm grave peccatum sit, sanctissimam actionem (qualis est sacrificium offerre, vel Sacramentum conficere) non sanctè exercere, sed immundo corde, quasi actio profana esset: *Facinorosus, qui sanctificat mihi vitulum, quasi canem occidat; & qui cogit similaginem, quasi sanguinem porcinum; & qui offert thus in memoriam, quasi blasphemus.* Refertur can. *per Esaiam* 1. q. 1.

160 4°. ex can. *baptismus* de Consecr. dist. 4. ubi ex Augustino tr. 5. in Joan. dicitur: *Justos esse oportet tanti Judicis Ministros.*

161 5°. ex Gregorio IX. cap. *quæsitum* extrav. de temp. ordin. *Quæsitum est de Sacerdotibus, & aliis Clericis, qui post reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum rectæ conscientiæ perdiderunt. Respondemus quòd.... si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini judicii obtestandi, ut, in testimonium suæ damnationis, in susceptis ordinibus non ministrent.*

162 6°. quisquis sanctitatem Sacramentorum quantùm in se est polluit, mortale sacrilegium admittit. Sed quisquis ea ministrat cum conscientia peccati mortalis, eorum sanctitatem quantùm in se est polluit: cùm ea indignè & valdè irreverenter ministret, perinde ac si sancta non essent, sed profana, quæ (teste S. Thoma 2. 2. q. 99. a. 3.) *inter res sacras summum locum obtinent.* Ergo mortale sacrilegium committit. Tametsi enim *Sacramenta secundùm seipsa incontaminabilia sint* (ait idem Angelicus Doctor 3. p. q. 64. a. 6.) nihilominùs *hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum quantùm est ex parte peccatoris.* Ex quo consequens est, *quòd tale peccatum sit ex genere suo mortale*, ob gravitatem irreverentiæ. Quam rationem Angelicus Doctor deprompsit ex Augustino l. 2. contra Parmen. c. 13. dicente, quòd Sacramenta mali Ministri, *quantùm in ipsis est, polluere dicuntur, cùm illa impolluta permaneant. Nam & de spiritu qui nullo modo potest extingui, dictum est tamen, Spiritum nolite extinguere, id est, quantùm in vobis est, nolite sic agere, tamquam conemini spiritum extinguere.... & nomen Domini nullo modo pollui potest, & tamen dictum est Amos 2. filius & pater intrabant ad unam puellam, ut polluerent nomen Dei sui.* Sacramentorum verò sanctitatem polluere & violare, sacrilega temeritas est, juxta eundem Augustinum l. 32. contra Faust. c. 14. *Siquis Sacramenta novi Testamenti ausus fuerit sacrilegâ temeritate violare, pœnas divinitùs constitutas rectissimo judicio persolvet.*

7°. Rituale Romanum jussu Pauli V. editum, 163
præmissa confirmat, de Sacramentis §. 1. dicens, quòd *etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque à pravis Ministris eorum effectus impediri, impurè tamen & indignè ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt.* Sicut & Catechismus Romanus p. 2. c. 1. n. 17. aiens, *Sacramenta impurè ministrantibus æternam perniciem & mortem afferre.*

Nec verò Rituale, nec Catechismus Romanus 164
in eo distinguit ministrantes ex officio, à ministrantibus ex necessitate; nec Ministros ad istud ministerium specialiter consecratos, à non consecratis. Et ratio n. 162. allata probat, etiam non consecratum committere sacrilegium. Quia sicut Minister consecratus peccat graviter contra reverentiam Deo & Sacramento debitam, illud quantùm in se est polluendo; ita & non consecratus. Cui etiam reverentia Sacramento debita non permittit Sacramenti sanctitatem polluere. Et ideò non solus Minister ad id specialiter consecratus, verùm etiam non consecratus mortaliter peccat, Sacramentum cum conscientia peccati ministrando. Atque ita docent Durandus, Capreolus, Gabriel, Paludanus, Adrianus, Angelus, Navarrus, Cardinalis de Lugo, & alii: licèt quoad Ministrum non consecratum dissentiant Scotus, Cajetanus, Sylvester, Bonacina & alii, citantes quidem S. Thomam loco proximè relato ad 3. Sed ibi solùm docet, quòd ministrans ex officio, sive consecratus, *in casu necessitatis non peccat baptizando, in casu in quo etiam posset laicus baptizare.* Quod verum est quando Minister, sive consecratus, sive non consecratus, ob temporis angustiam moraliter non potest in se sufficientem excitare contritionem, eò quòd proximo extremè periclitanti statim ministrandum sit Baptismi vel Pœnitentiæ Sacramentum. Quo casu excusatur ab irreverentia, si excitato momentaneo dolore, qualem pro temporis angustia excitare potest, necessarium statim ministret Sacramentum. Cùm enim Sacramenta ob salutem hominum instituta sint, in perplexitate, in qua utrique æquè primò consuli non potest, prius saluti proximi consulendum est, quàm reverentiæ Sacramenti, per contritionem sufficientem ad justificationem.

Extra hanc itaque perplexitatem, Minister, etiam 165
non consecratus, cum conscientia criminis ministrando, mortaliter peccat. Et hoc de consecrato Doctores ferè omnes adeò certum existimant, ut vel ipse Diana, tametsi à Caramuele vocatus *Agnus Dei*, qui tolleret peccata mundi, p. 10. tr. 16. resol. 28. post Turrianum, & Petrum de Ledesma, improbabilem meritò censeat contrariam opinionem Hieronymi Lamas, tametsi Chrousers in Reg. S. Francisci c. 7. lect. 21. & Marcus Vidal de Ministro Sacram. inquisit. un. n 69. & 75. eam reputent probabilem.

166 Nec tunc solùm graviter peccat Sacerdos, dum Eucharistiæ Sacramentum indignè conficit, verùm etiam, tam ipse, quàm Diaconus, dum illud ab alio confectum indignè distribuit. Ita S. Thomas in 4. dist. 5. q. 2. a. 2. Quia Sacramentum, Sacramentorum omnium sanctissimum, quantùm in se est polluit, & indignè tractat, dum illud tangere & dispensare non veretur in statu, in quo scit se Christi hostem, diaboli mancipium, læsæque divinæ Majestatis reum; longè proinde magis indignum contrectare Christum, & proximè ministrare in mensa ipsius, quàm reus læsæ regiæ majestatis, qui se Regis hostem constituit, & capitalibus hostibus Regis mancipavit, indignus sit Regem contrectare, & in mensa Regis proximè ministrare. Unde mirum est nonnullos Noviores talem non damnare nisi de peccato veniali.

167 Censeo etiam cum Navarro, Sylvestro, Angelo, Merbesio, Boudartio, Farvacio, Diaconum cum conscientia peccati mortalis exequentem quod sui ordinis est in sacrificio Missæ, reum esse peccati mortalis, tametsi plerique Recentiores contradicant. Tum quia id planè significat S. Thomas in 4 dist. 24. his verbis: *Quidquid homo, quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod justum est injustè exequitur, ac propterea mortaliter peccat.* Tum quia etiam Gregorius IX. vehementer idipsum indicat suprà n. 161. Tum denique quia ministerium Diaconi, assistentis Sacerdoti in sacrosancto Missæ sacrificio, est functio sacra, Sacerdoti proxima, & in persona Christi exercita, tanti momenti semper habita in Ecclesia, ut ad illam Apostoli in Actis c. 6. eligi non voluerint, *nisi viros plenos Spiritu sancto & sapientiâ*, & Augustinus epist. 146. *nihil esse in hac vita laboriosius, periculosius, difficilius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio.* Item *nihil eo apud Deum miserius, & damnabilius, si perfunctoriè agatur.* Tanti igitur momenti functio tam sancta, sanctè peragenda est, nec persona Christi nisi sanctè exhibenda, in cujus persona Diaconus in Missa Evangelium cantat. Cùmque obligatio ita proportionata sit sanctitati gravitatique istius functionis; igitur est obligatio gravis. Quod & gravis ultionis paradigmate Deus declarasse videtur. Cùm enim impudicus Diaconus omnem de nocte lasciviam cum scorto exercuisset, die autem insequente officium Diaconale solemniter obiret; aranea è laqueari sese ter demittens, tertiâ vice illum pupugit, atque enecavit, prout ex speculo exemplorum dist. 9. exemplo 110. refert Cardinalis de Lugo disp 8. de Sacram. in genere.

168 Ob consimilem rationem Episcopus graviter prohibetur ad sacras functiones Episcopales, benedictionis Chrismatis, consecrationis Altarium, & similes, utpote permagni momenti in Ecclesia, non accedere nisi sanctè. Ita Cardinalis de Lugo loco citato n. 156. loquens de Episcopali benedictione Chrismatis, oleique infirmorum. De functione Subdiaconi, utpote sacra, & magni etiam momenti, idem censent Navarrus, & alii proximè relati, tametsi id minùs certum sit, quàm de functione Diaconi.

169 Similiter Concionator, qui ex officio prælationis, vel ex commissione prælationem habentis prædicat verbum Dei, graviter peccat, verbum Dei prædicando cum conscientia gravis sceleris. Quia verbo Dei, & Spiritui sancto per ipsum loquenti, gravem irreverentiam facit, de qua graviter conqueritur Spiritus sanctus Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus... quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.... arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Sicut & Apostolus Rom. 2. *Qui alium doces, teipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.* Prædicas pœnitentiam impœnitens, humilitatem superbus, castitatem impudicus, virtutem vitiosus, criminaque in aliis reprehendis & judicas, quæ ipsemet committis. *In quo autem judicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas.* Et ea quidem reprehendis & judicas, ut speciale organum Spiritûs sancti, qui, teste Christo, per Prædicatorem Evangelii loquitur: *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Est autem gravis irreverentia in Spiritum sanctum, fungi officio specialis organi & præconis ipsius, in eo statu, in quo planè indignus es, per quem loquatur Spiritus sanctus. Ita S. Thomas in 4. dist. 19. q. 1. a. 2. in solutione q. 2. ad 4. Cajetanus 3. p. q. 64. a. 6. in responsi. ad 1. Navarrus in Enchiridio. Joannes Wiggers ad q. 64. S. Thomæ a. 6. Franciscus Farvacius de Sacram. in gen. c. 6. q. 7. §. 3. Jacobus Boudartius Manual. Theol. to. 3. tr. 1. de Sacram. in genere §. 4. q. 6. Merbesius Summ. Christ. p. 3 q. 15. resol. 4. Favetque vehementer Augustinus l. 3. contra Petil. c. 56. ubi eandem conscientiæ munditiem in annuntiante verbum Dei requirit, atque in Sacramenta ministrante.

Sed quid de exercente, malo in statu, functiones minorum ordinum, Acolythi, Lectoris, Ostiarii? Respondeo cum Doctoribus ferè omnibus non videri graviter peccare: cùm functiones istæ ab Ecclesia non videantur haberi sacræ (ut patet ex eo quòd passim exerceantur à Laïcis mercede conductis, & Religiosis non tonsuratis, nec minoribus ordinibus initiatis) & minorum ordinum illorum officia respectu sacri ministerii censeantur imperfecta, ut observant Toletus, Sylvius, &c. 170

Specialis tamen difficultas est de functione Exorcistæ: quia gravis irreverentia videtur, velle in nomine Christi effugare diabolum, cujus sponte manes captivus & mancipium; item in eodem nomine velle imperare illi, cujus imperio & tyrannidi voluntariè te subdis. Cùm priùs ejicere debeas ex tuo corde, quem ejicere vis ex alieno corpore, juxta illud Pontificalis Romani in ordinatione Exorcistæ: *Ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. . . . Tunc enim rectè in aliis dæmonibus imperabitis, cùm priùs in vobis eorum multimodam nequitiam superaveritis.* 171

An peccet mortaliter Sacerdos in statu peccati mortalis confessiones audiens? Negant Cardinalis de Lugo ubi suprà n. 159. & 160. Jacobus Marchantius in resol. pastor. tr. 1. c. 4. n. 3. Gobat de Sacram. in genere tr. 1. n. 55. modò contritionem eliciat ante absolutionem. Sed conformiter ad præmissa affirmandum videtur: eò quòd Sacerdos non solùm absolvendo, verùm etiam confessiones sacramentales audiendo, Christi personam sustineat, functionemque sacram permagni in Ecclesia momenti exerceat. 172

CAPUT XVII.

Minister sibi conscius peccati mortalis, tenetur sacramentaliter confiteri, priusquam Sacramentum quodcumque administret, si Confessarii copia non desit, & necessitas statim succurrendi proximo extremè periclitanti non obsit.

ITa sentio cum Catechismo Romano, Synodisque Cameracensi, Atrebatensi, & Iprensi, n. 178. referendis. Molano tr. 1. de pœnitentia c. 9. Adriano in 4. de confess. con. 8. Jacobo Bajo lib. institut. c. 29. Farvacio ubi suprà q. 6. Authore conferentiarum eccles. Diœcesis Lexoviens. p. 3. conf. 3. q. 2. sub finem, Francisco Geneto Theol. Moral. 173

Moral. to. 3. c. 6. Boudartio ubi suprà q. 7.

Et ratio est : quia sicut reverentia Sacramento debita prohibet illud administrare indignè, ut constat ex dictis cap. præcedenti : sic prohibet Ministro exponere se certo, vel etiam valdè probabili periculo illud administrandi indignè. Sed quandocumque Minister, conscius peccati mortalis, illud non confitetur, habens tempus confitendi, copiamque Confessarii, exponit se certo, vel saltem valdè probabili periculo illud administrandi indignè. Quicumque enim Minister, sciens se reum peccati mortalis, neglecto certo suæ justificationis remedio, contentus est valdè incerto, exponit se certo, vel valdè probabili periculo Sacramentum administrandi in illo reatu, atque adeò in statu indigno. Cùm ab illo statu indignitatis liberari nequeat, nisi vel beneficio perfectæ contritionis, vel beneficio sacramentalis absolutionis. Si ergo neglecto beneficio sacramentalis absolutionis, contentus sit beneficio contritionis, neglecto certo suæ justificationis remedio, contentus est valdè incerto. Quandoquidem remedio contritionis justificari nequeat, nisi contritio sua sit perfecta. Atqui perfecta contritio adeò incerta est, ardua, difficilis, & rara, ut pauci admodùm habeant illam. *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri* (ait Catechismus Romanus p. 2. c. 5. q. 32.) *quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? At quoniam pauci admodùm ad hunc gradum perveniunt*, &c. Valentia quoque disp. 7. q. 8. de contrit. fatetur contritionem perfectam *difficillimè haberi*. Herinx etiam tr. de Sacram. disp. 3 q. 9. n. 9. testatur, quòd contritio *perfecta sit valdè ardua, & difficilis, & plerùmque satis incerta*. Joannes Roffensis in respons. ad art. 16. Lutheri : *Nemo* (ait) *de sua contritione certus esse potest, quòd ea sit omninò sufficiens*. Thomas Morus in libello de Sacram. adversus nascentem Lutheri hæresim : *Nemo mortalium novit quantum contritionis exigat peccatum mortale*. Et ante omnes istos Angelicus Doctor 3. p. q. 80. a. 4. ad 5 *Homo per certitudinem scire non potest, utrùm sit verè contritus*. Sicut ergo administrans Sacramentum in materia vel forma incerta, relictâ certâ, cujus habet copiam, sacrilegè exponit Sacramentum periculo nullitatis; sic administrans Sacramentum cum remedio suæ indignitatis incerto, relicto certo, cujus habet copiam, sacrilegè exponit se periculo indignæ administrationis. Nec tunc excusatur per hoc quòd illud administret probabiliter dignè; magis quàm in casu proximè dicto excusetur per hoc quòd illud administret probabiliter validè. Cùm probabilitas illa non magis abstergat periculum administrationis indignæ; quàm probabilitas illa abstergat periculum administrationis invalidæ. Sicut enim materia vel forma reverà invalida, nequit fieri valida per probabilitatem valoris ipsius; sic contritio reverà insufficiens ad justificandum & dignificandum Ministrum, nequit fieri sufficiens per probabilitatem sufficientiæ ipsius; sed ad hoc necesse est ut habeatur contritio revera talis ac tanta, qualem & quantam Deus requirit ad justificationem peccatoris. Et hinc argumentum multipliciter instauratur & confirmatur.

174 1°. quia sacrilegè se exponit periculo administrationis invalidæ, qui habens ad manum materiam vel formam certam, sive certi valoris, eâ neglectâ, adhibet solùm probabilem, incertam, & minùs tutam. Similiter ergo sacrilegè exponit se periculo administrationis indignæ, qui habens ad manum certam viam administrandi dignè, eâ neglectâ, eligit solùm probabilem, incertam, & minùs tutam. Hoc autem facit, qui conscius peccati mortalis, negligit viam confessionis, & eligit viam solius contritionis.

2°. sacrilegè Sacramentum administrat, qui 175
illud administrat incertus de valore, cùm administrare possit cum morali certitudine de valore. Similiter ergo qui illud administrat incertus de sua dignitate, seu statu gratiæ, cùm administrare posset cum morali de ea certitudine. Neque enim Sacramentum sanctè administrat, qui sciens & volens absque necessitate administrat illud, incertus an non sit inimicus Dei, membrumque diaboli.

3°. tametsi ipsam contritionem subinde con- 176
tingat esse charitate perfectam, hominemque Deo reconciliare, priusquàm Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur; nihilominùs Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. declarat, *reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, non esse adscribendam*, voto utique serio, & quantùm est ex se efficaci suscipiendi illud, cùm primùm commodè fieri poterit. Sed non habet ejusmodi votum, qui Pœnitentiæ Sacramentum suscipere negligit, cùm posset ante Sacramenti administrationem commodè illud suscipere. Nec sufficit, quòd habeat votum suscipiendi illud in Paschate. Aliàs posset subinde per annum differre, & interim quamplurimos quotidie baptizare, absolvere, communicare, ungere, &c. Quod videtur nimis laxum. Quâ enim fronte audet toties alios reconciliare incertus de sua reconciliatione? Quâ fronte audet toties, & tamdiù Christi personam sustinere, incertus an non sit Christi hostis? &c. Quâ fronte audet toties ad functiones sacrarum omnium sacratissimas toties accedere, incertus an non accedat indignè?

4°. ne Eucharistiæ Sacramentum indignè su- 177
matur, sive ad evitandum indignæ sumptionis periculum, Sacerdos *sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione* prohibetur celebrare, & Laïcus communicare, ut constat ex Tridentino sess. 13. cap. 7. & can. 11. *modò* (inquit) *non desit illi copia Confessoris. Quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur*, ait Concilium ibidem, idque non consulendo, sed præcipiendo, prout Alexander VII. declaravit 18. Martii 1666. damnando contrariam propositionem 38. ex 45. Et ita quidem ut illa particula *quamprimùm* intelligatur ut idem sit quod primâ opportunitate; non autem cùm *Sacerdos suo tempore confitebitur*, prout idem declaravit propos. 39. Eadem igitur obligatio est pro aliis Sacramentis. Tametsi enim tantò diligentiùs caveri debeat accessus indignus ad hoc Sacramentum, quantò major est sanctitas ipsius præ reliquis; equidem ad reliqua etiam Sacramenta administranda accedere non licet nisi sanctè, ut ibidem dicitur; nec proinde ad ea accedere licet sine dispositionibus, quas Tridentinum necessarias censet ad vitandum morale periculum indigni accessûs. Cùm igitur Tridentinum censuerit accedere cum isto periculo, qui accedit non præmissâ sacramentali confessione, quantumcumque se contritum existimet, argumentum n. 173. pro assertione nostra confectum judicio suo confirmavit. Dumque, ad vitandum istud periculum, definivit necessariam esse confessionem, accedere volenti ad Eucharistiæ Sacramentum, si conscientiam suam mortali crimine gravatam sentiret, quantumcumque se contritum existimaret : Theologis argumentum suppeditavit, inferendi, ad idem periculum evitandum, necessariam pariter esse confessionem, accedere volenti ad Sacramentum quodcumque administrandum, si conscientiam suam mortali crimine pariter gravatam sentiret, quantumcumque se contritum existimaret. Cùm

sciens & volens, absque necessitate non magis exponere se possit morali periculo Sacramenta indignè ministrandi, quàm Eucharistiam indignè suscipiendi. Quòd enim Tridentina Synodus ad evitandum morale indigni accessûs periculum, confessionem ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedentibus necessariam censuerit, ipsamet Synodus apertè declaravit tam capite illo 7. (ubi, pro motivo suæ quoad hoc definitionis, allegat *illa plena formidinis verba* apud Apostolum, *qui manducat, & bibit indignè, &c.*) quàm can. 11. ubi expressè declarat, *ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur, statuit & declarat S. Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem.* Nec poterat aptiùs declarare necessitatem confessionis, ad certitudinem recuperatæ post mortale peccatum sanctitatis, ac per consequens neminem sine ea, præsumere posse de sufficientia suæ contritionis, quantumcumque se contritum existimet. Quod ideò Tridentinum censuit, quia, ut n. 176. dixi, contritio ad peccatoris justificationem nequit esse sufficiens, dum is quem conscientia peccati mortalis gravat, habens commoditatem confitendi, eam negligit: cùm ad hoc ut sufficiat, includere debeat sincerum efficaxque votum confitendi quamprimùm, atque adeò non negligendi confessionem, quamprimùm se illius commoditas obtulerit, (ad quod significandum, Sacerdotem urgente necessitate absque prævia confessione celebrantem declaravit debere *quamprimùm* confiteri.) Perspicuum verò est non habere sincerum efficaxque votum confitendi quamprimùm, qui non confitetur quamprimùm, dum commodè potest, sive qui negligit confessionem, cujus habet commoditatem.

178 Meritò proinde Catechismus Romanus p. 2. c. 5. q. 39. sic ait: *Si quid salutis nostræ ratio postulet consideremus, profectò quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cùm Sacramenta administramus, aut percipimus, toties confessio prætermittenda non est.* Quod etiam traditur in Synodo II. Cameracensi c. 7. in Synodo Atrebatensi tit. de peccat. & remiss. in Synodo Iprensi tit. 11. ut refert Sylvius hîc q. 64. a. 6. Et his conformiter S. Carolus Borromæus in actis Ecclesiæ Mediolanensis p. 4. Sacerdos ad Sacramentum administrandum vocatus, *primùm sollicitè & intimè recogitare debet, an alicujus peccati mortalis..... sibi conscius sit. Quòd si reum se ipse novit, priùs sacramentali confessione se expiare studebit, contritionem certè habere quàm diligentissimè curet, si scilicet copiam non habeat Confessoris.*

CAPUT XVIII.

Peccatori occulto, publicè petenti, Minister negare non debet Sacramentum. Sed illud negare debet peccatori occulto, occultè petenti, sicut & peccatori publico, sive occultè, sive publicè petat. Nec metus mortis excusat administrationem scienter factam indigno; uti nec simulatam Sacramenti administrationem.

179 PEccatori occulto, publicè petenti, non esse negandum Sacramentum, Christianæ Religionis lex est, in Christi exemplo, perpetuoque Ecclesiæ usu, & traditione fundata: cùm enim Christus sciret indignitatem Judæ, ipsi nihilominùs publicè, sicut aliis, divinissimum Eucharistiæ Sacramentum præbuit, nec ipsum velut canem repulit, ne ipsum publicè diffamaret. Suo proinde exemplo docuit, publicè non esse repellendos, ut canes, nisi canes, seu peccatores publicos. Quod & traditur cap. *si Sacerdos* de offic. Judic. ordin. cap. *si tantùm*, & cap. *placuit* 6. q. 2.

Peccatori tamen occulto, occultè petenti, Sa- 180
cramentum ideò negari debet, quia scriptum est, sancta non esse porrigenda canibus, nec margaritas spargendas ante porcos.

Ob quam etiam rationem peccatoribus publi- 181
cis, seu occultè, seu publicè petentibus, negandum est Sacramentum, nisi sufficientia dederint signa pœnitentiæ, eaque publica, si publicè petant. Cùm id necessarium sit ad removendum scandalum. Videri potest cap. *pro dilectione* de Consecr. dist. 2. Cyprianus epistolâ 10. 11. & 12. Chrysostomus homil. 83. in Matth. Cum quibus alii Patres passim omnes assertionem nostram tradunt, Sacramentique Ministrum admonent, cum Apostolo 1. Cor. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

Chrysostomi verba digna sunt quæ hîc exscri- 182
bantur: *Ad vos* (inquit loco citato) *sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quemquam, ullius culpæ conscii, hujus mensæ* (idem est de quocumque alio Sacramento) *participem esse faciatis. Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiæ sit, sive præfectus, sive princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe. Majorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis. Hæc vestra dignitas est, hæc securitas, hæc omnis corona*, &c.

Tenetur tamen Sacerdos præbere Sacramen- 183
tum peccatori occulto, seu publicè, seu occultè petenti, cujus indignitatem ex sola novit confessione sacramentali (tametsi Leander à SS. Sacramento de pœnitentia disp. 10. q. 71. aliique apud ipsum existiment ad id non teneri, si petat occultè.) Si enim neget, peccatori extra confessionem exprobrat peccatum ex sola confessione notum. Quod si foret licitum, odiosum redderetur Pœnitentiæ Sacramentum. Ita Sylvester, Navarrus, Bannez, Cardinalis de Lugo, & passim alii.

Extra hunc casum, tam districtè prohibemur 184
conferre Sacramentum peccatori occulto, occultè petenti, sicut & publico, publicè petenti, ut ob nullum proprium interesse, liceat contrafacere, & ne quidem metus mortis, damni, aut infamiæ gravissimæ excuset administrationem indigno factam. Quia ubi agitur de gloria Dei, deque reverentia debita sanctitati mysteriorum Religionis nostræ, timenda non est amissio honoris nostri, nec bonorum, nec vitæ, ut constat ex eo quòd Sacerdos gladio districto compulsus ad Eucharistiam projiciendam porcis, vel in cloacam, teneatur vitam amittere potiùs quàm id facere: impius verò coram Deo abominabilior est quolibet porco, vel cloacâ. Si ergo ad vitandam mortem non liceat S. Eucharistiam tradere porcis, nec in cloacam projicere; nec licet eam porrigere impiis, tametsi contrà sentiant Suarez disp. 67. in fine, Bonacina hîc disp. 1. q. 6. puncto 4. Gobat tr. 1. de Sacram. in genere n. 272. & Dicastillo apud ipsum.

Quorum opinio non videtur concordare cum 185
doctrina Sanctorum, tradentium ignavam esse perfidiam, metu mortis, vel amissionis famæ, vel bonorum, codices sacros impiis tradere, mortemque ex christiana fortitudine subeundam potiùs quàm ejusmodi ignaviam committendam. Per consequens enim censuisse videntur, ignavam esse infidelitatem dispensatoris Sacramenti, illud impiis prostituere, martyriumque ex chri-

ſtiana fortitudine potiùs ſubeundum, quàm talis infidelitas committatur. Et nunquid Judas mortem ſubire potiùs debuiſſet, quàm Judæis Chriſtum tradere? Sicut ergo infamem proditoris ſeu traditoris notam haud vitaſſet, tametſi metu mortis ipſum tradidiſſet; ſic eandem notam minimè evadit, qui eundem Chriſtum, in Euchariſtiæ Sacramento, metu mortis, Judæis traderet. Ergo nec qui impiis tradit, &c.

186 Propterea Martinus Perez de matrim. diſp. 17. ſect. 12. n. 13. ait, certum eſſe, ob nullum metum fas eſſe Sacerdoti abſolvere illum, quem novit indignum, ſeu indiſpoſitum. Ergo nec fas eſt, ob ullum metum, Euchariſtiam, Confirmationem, Extremam Unctionem, Ordinem adminiſtrare indigno.

187 Negat quidem conſequentiam hanc Gobat loco citato n. 273. quia quatuor iſta Sacramenta verè equidem recipiuntur ab indigno. Non ſic abſolutio. Quam qui dat indigno, falsò dicit: *abſolvo te.* Falſum verò ſcienter dicere, eſt mentiri. Quod eſt intrinſecè malum.

Sed contrà 1°. ſequitur ex iſta ſolutione, taliter abſolventem, ſolùm peccare peccato mendacii. Quod cùm non ſit perniciosum, reſpectu non habentis jus ad abſolutionem, ſi aliam malitiam contra reverentiam Sacramenti annexam non habeat, non erit mortale, ſed veniale dumtaxat: neque enim mendacium non perniciosum, ad vitandam mortem ſibi comminatam perpetratum, ſeclusâ aliâ malitiâ, eſt pluſquàm veniale. Sequitur ergo ex doctrina Gobatii, ſcienter abſolventem indignum, ex metu mortis, ſolùm venialiter peccare. Quod cùm dici nequeat, dicendum taliter abſolventem non ſolùm peccare, quia mentitur, ſed & quia ſacrilegus eſt, infertque gravem irreverentiam Sacramento Pœnitentiæ, ſeu illius Authori. Quam etiam infert, quatuor illa Sacramenta conferens indigno.

188 Contrà 2°. ſicut eſt intrinſecè malum ſcienter abſolvere eum, quem abſolutionis veritas non permittit abſolvere; ita & quatuor illa Sacramenta ſcienter adminiſtrare illi, cui religio Sacramentis illis debita non permittit adminiſtrare. 3°. ſcienter illa adminiſtrans indigno, facto ſcienter loquitur falſum; ſicut ſcienter abſolvens indignum, verbo ſcienter loquitur falſum. Quia facto ſuo, ex inſtitutione Chriſti, ſignificat ſe ſanctitatem conferre illi, cui Sacramenta illa adminiſtrat (utpote à Chriſto inſtituta, ut uſu ſuo ſanctificent ſuſcipientem) igitur facto ſuo ſignificat ſe ſanctificare illum, quem ſcit indignum ſanctificatione. 4°. ſicut eſt intrinſecè malum ſcienter adminiſtrare Sacramentum incapaci Sacramenti; ita & ſcienter adminiſtrare Sacramentum incapaci effectûs Sacramenti, non habenti jus ad Sacramentum.

189 Conſultò addidi: *non habenti jus ad Sacramentum.* Quòd enim Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrari poſſit, imò debeat, occulto peccatori, publicè petenti. Eſt tum quia in publico jus habet ad famam, ac per conſequens ad Sacramentum ſibi non negandum, iis in circumſtantiis, in quibus denegatio foret ipſius diffamatio. Tum quia Sacerdos, in publico diſtribuens Euchariſtiam, agit officium publici diſpenſatoris; qui ex officio tenetur omnibus baptizatis (Eccleſiæ communionem habentibus) eam publicè petentibus diſpenſare, niſi publico judicio vel notorietate criminis ab ea ſint excluſi. Graviter enim contra juſtitiæ ordinem peccaret, ſi, nullâ præcedente formâ judicii, nec criminis notoriétate, aliquem fidelem deſtitueret jure communionis, quod fidelis quiſque non excommunicatus, nec peccator publicus habet. In hoc proinde caſu Euchariſtiam diſpenſando, cooperari non cenſetur irreverentiæ Sacramento illatæ: quia illud non diſpenſat ex propria voluntate, potens licitè non diſpenſare; neque intuitu proprii intereſſe; ſed ad ſervandas leges religionis noſtræ. Aliàs enim, ubi de ſolo proprio intereſſe agitur, ſecundùm allatam doctrinam Sanctorum, ignava eſt infidelitas Sacramentum impio tradere.

Sed numquid licitum eſt, ex metu mortis, abſolutionis formam, abſque intentione abſolvendi, ſcienter pronuntiare ſuper pœnitente indiſpoſito? Reſpondeo negativè cum communi, certaque ſententia, contra Joannem Sanctum in ſelect. diſput. 35. & Ludovicum Scildere in Theſi anno 1648. Lovanii propugnata, 1°. quia non eſt licitum, ex metu mortis, ſimulare adminiſtrationem Sacramenti, adhibitâ quidem formâ neceſſariâ, ſed non adhibitâ materiâ neceſſariâ, vel adhibitâ materiâ & formâ neceſſariâ ſuper ſubjectum, quod ſcitur incapax Sacramenti, v. g. rebaptizando hominem ritè baptizatum. Ergo nec omittendo intentionem debitam. 190

2°. opinio contraria Sancii ab Innocentio XI. damnata eſt propoſitione 29. inter 65. ex ipſo Sancio deſumpta: *Urgens metus gravis eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* Ex cujus damnatione ſic arguere licet: ſecundùm Innocentium XI. urgens metus gravis non eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. Ergo nullus metus gravis, ne quidem mortis, eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. Enimverò in metu mortis exemplificat loco citato Sancius, ex quo damnata propoſitio de prompta eſt; propoſitioque ipſius eſt indefinitè proſcripta; contradictoriaque proinde ipſius indefinitè, adeòque univerſaliter eſt vera. Et ſicut hoc ipſo quòd indefinitè illicitum declaratur, ex metu gravis mali negare Chriſtum, idipſum illicitum declaratur ex metu mali quantumcumque gravis; ſicut item hoc ipſo quòd indefinitè illicitum declaratur conferre beneficium pro magna pecuniæ ſumma, declaratur illicitum conferre beneficium pro ſumma quantumcumque magna; ita hoc ipſo quòd, ſecundùm indefinitam Eccleſiæ declarationem, illicitum eſt ex metu gravis mali ſimulare adminiſtrationem Sacramentorum; id illicitum eſt ex metu mali quantumcumque gravis, &c. 191

Et ratio à priori eſt, quia ſimulatio illa eſt abuſus poteſtatis ſupernaturalis, ſeu divinitùs conceſſæ, non ad ſimulandum, ſed ad ſanctificandum ſubjectum. Fit ergo ſacrilega injuria & irreverentia Sacramento, ſeu illius Authori, dum ſic ponitur forma, ſeu pars eſſentialis Sacramenti, ad conficiendum Sacramentum ordinata, ut per ſimulationem impediatur ne ſit Sacramentum. Neque enim tunc ſolùm injuria fit Sacramento, ſeu illius Authori, quando eſt Sacramentum; verùm etiam quando ſic ponitur aliqua ex partibus eſſentialibus Sacramenti, præſertim forma, ut impediatur ne ſit Sacramentum, ad quod pars illa eſſentialis ordinatur ex inſtitutione Chriſti. Sicut damnum non ſolùm infertur proli, quando eſt proles; verùm etiam quando ſic effunditur ſemen, ut impediatur ne ſit proles, ad quam ſeminis effuſio ordinatur, v. g. dum ſemen extra vas effunditur. 192

Quòd ſi à peccato excuſetur, qui ex metu gravi injuſto matrimonium contrahit, eſto Sacramentum nullum efficiat. Ideò eſt, quia tunc neque ponitur materia, neque forma Sacramenti Matrimonii. Siquidem materia & forma illius eſt contractus legitimus, qui, in quantum traditio corporum mutua, eſt materia; in quantum acceptatio mutua, eſt forma. Tunc autem deficit contractus legitimus ob canonicam inhabilitatem metum illum patientis ad ſic contrahendum. 193

CAPUT XIX.

Omnes curam animarum habentes, ad ministrandum Sacramenta sæpè tenentur, cum periculo mortis.

194 CUram animarum habentes jure divino teneri ad pascendum oves suas administratione Sacramentorum, Tridentinum sess. 23. c. 1. de reformat. declaravit aureis hisce verbis; quæ utinam majusculis litteris exscripta forent in tabula exposita in camera omnium Parochorum: *Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere.*

195 Porrò omnes curam animarum habentes ex justitia teneri ad Sacramenta ovibus suis ministranda, Doctores conveniunt. Ad id quippe tenentur sive ex officio, sive ex beneficio ecclesiastico. Nec ad id dumtaxat tenentur rogati, verùm etiam sæpè non rogati. Tenentur enim infirmas oves suas visitare, & videre an non indigeant Sacramentis (dum morbus est periculosus) eaque ipsis ministrare, atque ipsos ad suscipiendum urgere. Toletus lib. 5. c. 5.

196 Nec Parochi tunc solùm tenentur Sacramenta ministrare, dum oves ad ea suscipienda divino, vel ecclesiastico præcepto tenentur; sed & dum ea postulant ex discreta, rationabilique devotione. Cùm ideò ab ovibus carnalia metant, ut spiritualia ipsis seminent. Doctores communiter. Ministrare nolentem Posse vinus de officio Curati c. 5. cum Bonacina damnat peccati mortalis. Tametsi Nugnus semel & iterùm recusantem solùm damnet venialis.

197 *Quòcumque verò diei, vel noctis horâ ad Sacramenta infirmis ministranda Parochus vocabitur* (ait S. Carolus Borromæus act. p. 4. de Sacramentor. administratione) *cùm præcipuum ejus munus, cujus causâ à reliquo populo separatur, ab Ecclesiaque sustentatur, præter cætera, eorum administratio sit, nullam tam sanctis pietatis officiis moram interponet. Imò populum sæpenumerò, prout occasio tulerit, accuratè præmonebit, ut cùm opus est parochiali administratione, atque officio, se quamprimùm & liberè accersat, nullâ habitâ nec temporis, neque loci distantis, neque alterius cujuscumque incommodi ratione*; nec proinde vereantur ipsum de nocte accersere, nec tam serò, ut periculum sit expectandi tempus quo infirmus nonnisi ægerrimè loqui, vel nutibus dolorem de peccatis significare poterit. Ad ingerendam verò ipsum accersendi fiduciam, *cùm accersetur, tantùm abest, ut verbis, vel vultu, vel alio signo ostendat, se gravatè iturum.* Quin potiùs, *illius, cui ministrare debet, salutis desiderio se accensum patrem præbens, verborum benignitate, vultuque hilari, charitatem paternam significante, & libentissimè, & ut potest celerrimè accedat.*

198 In Concilio autem Mediolanensi V. in Constitutionum p. 2. de cura pestilentiæ sub tit. de præsentia & constantia omnium, sic habetur: *Parochi autem, animarumve Curatores, tantùm abest, ut necessario eo tempore, populum, cujus curam gerunt, aliquo modo destituant; ut fixâ animi deliberatione sibi statuendum putent, omnia prorsus, etiam mortis, pericula paratissimo animo subire potiùs, quàm fideles Christi sanguine redemptos, ac sibi præcipuè in curam traditos, in summa penè omnium adjumentorum penuria deserere.*

199 Enimverò Parochos, aliosque animarum curam habentes, teneri contagioso morbo laborantibus necessaria Sacramenta, cum evidenti periculo mortis, administrare, communis est traditio Sanctorum, sic intelligentium illud Christi oraculum Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Videri possunt Augustinus, Chrysostomus, & alii apud Chapeaville de Sacram. temp. pest. administr. cap. 1. q. 3.

Ipsumque ad id teneri absque ulla controversia Doctores conveniunt, dum parochianus est in extrema necessitate, v. g. dum infans alioqui moriturus est absque Baptismo, vel adultus, homo rudis, non satis instructus est pro contritione elicienda. Tunc enim curam animarum habens non solùm ad id tenetur ex charitate, quâ jubetur animam proximi plus diligere, quàm corpus proprium; verùm etiam ex justitia, ex officio utique boni Pastoris. Et quia ad id ab Ecclesia sustentatur. 200

Imò ad idem, ex officio Pastoris, cum periculo vitæ tenetur, in gravi etiam necessitate ovium suarum, in qua utique proximus, in mortali constitutus, sibi quidem absolutè consulere potest per actum contritionis, sed non sine magna difficultate. Eò quòd perfectæ contritionis actus sit valdè arduus & difficilis, paucique per illum sine actuali Sacramenti susceptione salventur; solùmque probabile, non certum sit, per attritionem in articulo mortis justificari eum qui vult, sed non potest recipere Sacramentum. Accedit, quòd pluribus peccatoribus attritio ex toto corde difficilis sit, præsertim in morbo vehementi, magnaque corporis & animi debilitate, dum non solùm morbi molestia, sed & amor vitæ, timorque & horror mortis, & futurorum, ipsos vehementer distrahunt & conturbant. Et etiamsi difficultas ista proveniat ex aliqua culpa ipsorum; alienum est à veritate quod nonnulli Recentiores putant, necessitatem ex culpabili voluntate proximi provenientem non obligare ad ipsis subveniendum cum periculo vitæ. Quia dum culpa ista non est ex pura malitia, sed ex ignorantia, vel infirmitate, ex eaque proximus constitutus est in gravi periculo damnationis æternæ, præceptum charitatis obligat ut ei subveniamus. Et quamvis omnes ad id non tenerentur, saltem Pastor ex charitate & officio teneretur, utpote ampliùs obligatus, quàm reliqui Sacerdotes. Qui cùm ad id teneantur in extrema necessitate, Pastor tenetur etiam in gravi. Ita S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 5. Barbosa de Parocho p. 2. c. 17. n. 12. & (ipso teste) Doctores communiter. 201

Proinde non Pastorem, sed mercenarium se ostendit, si tempore pestis, quo periculum evidens est ne lupus oves rapiat, spiritualibus, imò humanis penè adjumentis destitutas, ipse tunc fugiat, gregemque suum deserat, nisi alium idoneum de licentia Episcopi substituat, qui curam habeat gregis sui. In hoc enim verus Pastor à mercenario discernitur, quòd verus Pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Verus Pastor non sua quærit, sed salutem gregis sui; mercenarius verò non gregis salutem, sed sua quærit: seipsum proinde magis pascit, quàm gregem. Terribile est quod hujusmodi Pastoribus Dominus comminatur Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* 202

Et dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset Pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, &c.

203 Nec grave peccatum evadit Pastor, tempore pestis fugiens, alium idoneum de licentia Episcopi substituendo, nisi corpore absens, sit animo præsens, providendo ut substitutus officio ritè fungatur. Barbosa ubi suprà n. 13.

204 Et quamvis varii Recentiores censeant, ipsum, cùm periculo vitæ, solùm teneri administrare Sacramenta quæ sunt absolutæ necessitatis, Baptismum scilicet & Pœnitentiam. Dicendum cum Gabriele, Joanne Eckio, Chapeaville, Sylvio, Marchantio, Nugno, Merbesio, Boudartio, & Rituali Cameracensi, teneri ex justitia ministrare etiam Viaticum, Extremamque Unctionem (tametsi sufficiat, in morbo contagioso, *ungere celeriter quinque sensuum organa, in capite dicendo semel: per istam sanctam unctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum*, prout idem Rituale observat) nisi speciales circumstantiæ postulent, ut à periculo inde sibi imminenti, se eximat pro salute plurimorum, alioqui moriturorum sine Sacramentis, quæ sunt absolutæ necessitatis. Enimverò tametsi Viaticum, extremaque Unctio non sint absolutæ necessitatis, in quantum absolutè necessaria non sunt ad primam gratiam comparandam; sunt tamen moraliter necessaria ad gratiam conservandam. Et Viaticum quidem ad ambulandum in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei; Extrema verò Unctio ad armandum militem Christi ad extremam cum diabolo luctam, unde pendet æternitas.

205 Et propterea utrumque illud Sacramentum est de necessitate præcepti divini (ad cujus observantiam Parochus ex officio tenetur cooperari.) Viaticum quidem, juxta illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis* perseveranter *vitam in vobis*. Extrema verò Unctio, juxta illud Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo*, &c. Quod Catechismus Romanus p. 2. n. 17. censet esse præcepti, dum ait, *gravissimè peccare, qui differunt unctionem infirmi, donec jam vitâ & sensibus carere incipiat*. Et n. 16. ait, *hanc unctionem non ab Apostolis inventam, sed à Domino præceptam*. Similiter Tridentinum sess. 14. c. 3 de Extr. Unct. declarat, *hanc unctionem infirmis adhibendam*; nec audiendos, qui de ea negant *mandatum Dei*, vel *à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissimè pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis*. Quæ etiam causa fuit sancto Carolo Borromæo in Concilio V. Mediolanensi tit. XI. statuendi: *Caveat Parochus, ne in Sacramento Extremæ Unctionis ministrando negligentiam, ullamvè moræ culpam contrahat: alioqui si ad illius ministrationem accersitus ire neglexerit, tum rationem Deo reddet, tum pœnâ ab Episcopo graviter plectetur*. Eadem causa fuit, propter quam sanctissimus Episcopus Malachias (ut refert in ejus vita S. Bernardus, & ex Bernardo S. Carolus ibid.) *tam vehementi animi dolore ex eo affectus est, quòd culpâ suâ mulier quædam Sacramenti hujus gratiâ fraudata decesserit, ut totam noctem orando, gemendo, lachrymando consumpserit, lachrymarumque vi, quasi maximo imbre, pro oleo sancto quod non ministrarat, mortuum perfuderit; manè autem exaudivit Dominus Sanctum suum, ita ut illa è morte, tamquam è somno excitata, è lecto se erigens, Sacramentum hoc acceperit ab eo, ac deinceps à morbo convaluerit*.

206 Consideravit utique sanctus ille Episcopus, quàm necessario divinæ misericordiæ præsidio mulierem fraudassel, non ignorans, *quod clementissimus Redemptor noster* (*ut ait Tridentinum loco citato*) *Extremæ Unctionis Sacramenta finem vitæ tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasionem per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendum nos penitùs, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis vitæ exitum perspicit*. Tanto ergo dolore affectus fuit, tot lachrymas fudit, quòd eo Sacramento mulierem defraudasset (quod Sacramentum exeuntium è vita specialiter nuncupatur, singularique Christi beneficio pro eo articulo institutum est, unde salus æterna dependet) per quod delicta, & peccatorum reliquiæ non solùm abstergunturr, corporalisque sanitas, dum saluti expedit, restituitur, sed & ægrotantis anima corroboratur, ut morbi molestias patienter ferat, in extremaque cum dæmone luctâ non deficiat, ita ut non dubium sit, quin plures animæ, de quibus justo Judici ratio reddenda est, hujus Sacramenti subsidio salventur, alias damnandæ; plures etiam defectu ipsius damnentur, quæ alias salvatæ fuissent. Tum quia in extrema luctâ deficiunt, quæ non defecissent, si hoc divino subsidio fuissent roboratæ. Tum quia plures primam gratiam vi hujus Sacramenti per accidens consequuntur, eoque privatæ in peccato moriuntur. Et propterea Ecclesiæ sensus semper fuit, Parochos ad ministrandum peste laborantibus duo ista Sacramenta teneri, solentque Episcopi ipsos ad id compellere. Sicut & solent pii fideles scandalizari multum, dum vident Parochum usque adeò deserere parochianos suos contagioso morbo laborantes, ideòque pene ab omnibus derelictos, ut sinat ipsos sine Sacramentis illis è vita discedere. Quod ne fieret, *Patres nostri* (inquit S. Carolus Borromæus in oratione, quam grassante Mediolani peste habuit ad Sacerdotes universos) *Dei spiritu incitati, grassante peste, mortis periculum adierunt, & ita faciendum docuerunt: quemadmodum ex Veterum scriptis, jussu nostro collectis, editisque satis apparet*.

207 Atque ut ad opus tantæ charitatis, nedum Parochos, sed & cæteros Sacerdotes inflammarent, *opus ejusmodi ita extulerunt* (pergit sanctissimus Cardinalis) *ut martyrii genus esse confirmarent. Optabile sanè tempus, quo ubique tyranni crudelitate, sine equuleis, sine ignibus, sine bestiis, & omninò sine illa cruciatuum asperitate (quæ humanæ imbecillitati maximè solet esse formidabilis) martyrii palmam consequi possimus. Imò & sine ea acerbitate possumus, quæ solet semper cum hujusmodi morbo esse conjuncta, ut ægri destituantur ab omnibus, nullius que ope subleventur. Quod ægro cuicumque dabitur, id multò minùs negabitur ægrorum Patri, nobisque imitatio proderit illius exempli, quod per nos proditum fuerit. Sperare quisque incolumem se fore, id multo majore ratione, quàm alii ferè innumerabiles, quos vidimus nullâ cautione, nullâ etiam temperantiâ, in medio pestilentiæ æstu assiduè versari*.

208 Quòd verò S. Carolus opus illud ex doctrina Sanctorum, *martyrii genus* appellat, inde confirmatur, quòd eos qui vel ex mera charitate, vel ex charitate simul & officio, in ministerio peste laborantium oppetunt mortem, ut martyres fidelium pietas venerari soleat; & eorum pietati Catholicæ Ecclesiæ suffragium accedit, dum ejusdem pietatis laudabilem memoriam facit, pridie Kalendas Martii, his verbis: *Alexandriæ commemoratio sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani*

Imperatoris, cùm pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiere. Quos velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.

209 De iisdem Dionysius Episcopus Alexandrinus in epistola ad Hieracum Episcopum cap. 22. (quæ videri potest apud Eusebium Pamphili. Histor. Eccles. lib. 7. c. 20. 21. 22. Edit. Valesii) sic ait: *Neque à nobis abstinuit lues illa, licèt in Gentiles plurimùm sit grassata. Plurimi quidem ex fratribus nostris, ob nimiam charitatem, curam omnem propriæ salutis abjicientes, sibique mutuò adhærescentes, dum ægros securè atque audacter invisunt, eisque assiduè ministrant, & curationem adhibent in Christo, unà cum illis interierunt. Et hoc quidem pacto optimi quoque ex fratribus nostris, quorum nonnulli erant Presbyteri, alii Diaconi, & alii ex populo laudatissimi, mortem oppetiere. Adeò ut hoc mortis genus, ob pietatem fideique constantiam, martyrio nequaquam inferius habeatur.*

210 Videat Parochus, an æquum sit, propter modicum corruptibilis vitæ, subditos ultimis defraudare Sacramentis, quorum defectu contingit plures, etiam paulò antè confessos, in ultima lucta deficere, atque adeò in æternum perire; quibus si subvenisset, ultimaque illa subsidia non denegasset, & ipsis beatam æternitatem procurasset, & sibi martyrii palmam promeruisset, implevisset que Dominicum præceptum, dandi pro ovibus animam suam, sicut & illud quod scriptum est Luc. 9. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Nam qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Debet ergo tunc perdere animam suam, si velit eam salvam facere. Tametsi peste afflati teneantur accedere ad Sacramenta minimo quàm fieri potest ministrantis periculo, graviterque peccent, si morbum suum occultare volentes, cum sanis in Ecclesia accedant ad confitendum Sacerdoti, nihil (nisi peractâ confessione) de carbunculo suo indicantes. Quia Confessarium, rationabiliter invitum, sine sufficienti necessitate periculo vitæ exponunt, & cum ipso multos alios, si Confessarius habitet in familia numerosa.

CAPUT XX.

Momentosa, ex dictis capite præcedenti, Corollaria dersvantur.

211 PRimò namque ex ibidem dictis colligitur, non solùm in peste, sed & in persecutione militari, quando ob trucidationem multorum plures fugiunt huc & illuc, ubi magna pars parochianorum remanet in pago, vel oppido, debere & Parochum remanere, vel se recipere ad locum vicinum, unde facilè possit ipsis Sacramenta ministrare. Cùm omninò verisimile sit, inter tot, non sine vitæ periculo remanentes, aliquos versari in extrema, aut gravi necessitate Sacramentorum. Si tamen omnes parochiani fugerent, Pastor sequi posset oves suas, & ibi esse, ubi suæ oves. Et quamvis ipsum concernat cura Ecclesiæ, sacrorumque vasorum, cap. un. de offic. Sacrist. & cap. 1. de offic. Custod. ideòque teneatur cum aliquo suo incommodo impedire (si possit) ne indignè tractentur. Ad id tamen impediendum, non tenetur, cum vitæ periculo, subsistere in loco, ubi id timetur. Maximè cùm plerùmque sit valdè incertum, an manendo impedire queat. Tenetur tamen secum asportare sacras hostias, oleum sacrum, & calices, si possit: vel si non possit, sacras hostias absumere (si non habeat conscientiam peccati mortalis) etiam non jejunus, ne indignè tractentur à militibus hæreticis.

Colligitur 2°. ne tunc quidem Parochum fugere posse, sed in debitum pastoralis officii peccare, si fugeret, dum oppidum armatâ manu capitur, trucidanturque omnes obvii. Quia tunc bonus Pastor dare debet animam pro ovibus ab æterna morte liberandis, si speret se, antequam trucidetur, ad piam in Christo mortem dispositurum aliquos è parochianis suis. 212

Colligitur 3°. Prælatos Regulares, utpote ex officio Curatores animarum sibi commissarum, teneri, per se, vel per alium idoneum, dicta Sacramenta ministrare. 213

Colligitur 4°. quòd si tempore pestis nullus foret Parochus, qui peste afflatis Sacramenta ministraret, privatus Sacerdos teneretur se, pro eis juvandis, exponere periculo mortis. Quia haud dubium est, quin tempore pestis multi sint in gravi periculo excidendi à salute: vix autem moraliter accidit (inquit Arriaga de Sacram. disp. 43. n. 8.) quin ubi multi sunt in gravi periculo ejusmodi, aliqui non sint extremè indigentes confessione. Quilibet verò Sacerdos ex charitate tenetur se periculo mortis exponere, ad succurrendum proximo extremè indigenti, dum Parochus vel non adest, vel officio suo deest. 214

Accedit, quòd licèt Sacerdos privatus fortè non teneatur vitam discrimini objicere, ad subveniendum privato homini, non extremè, sed graviter tantùm indigenti; secùs tamen ad succurrendum Communitati graviter indigenti. Quia sicut Commune bonum præferendum est privato; sic grave periculum Communitatis præferendum est gravi periculo, imò & damno hominis privati, etiam damno vitæ ipsius. 215

Colligitur 5°. Religiosos Mendicantes ad id præ reliquis Sacerdotibus privatis teneri, utpote ex sua institutione Episcoporum Parochorumque *cooperatores, & laborum suorum participes*, uti eos vocat Clemens V. in Concilio Viennensi Clem. *dudum* de sepulturis. Videri possunt hac de re Rodriguez to. 3. qq. regul. q. 31. a. 4. Rutilius Benzonius de fuga l. 1. pag. 12. & seqq. Bosco de Ministro Sacr. Pœnit. disp. 8. sect. 8. à n. 28. ubi concludunt, quòd quando contagium generale in civitate timetur, constatque, vel ex facti evidentia, vel ex Episcopi declaratione, Curatos ordinarios competenter satisfacere non posse spiritualibus necessitatibus proximorum, Religiosos Mendicantes, seu aliàs ex instituto vitæ activæ, populorumque saluti incumbentes, tum ex charitate, tum ex instituto suo, teneri non fugere, Prælatoque suo, præcipienti ut peste afflatis Sacramenta ministrent, obedire. Tametsi Prælatus imprudenter acturus sit, si ad id meticulosiores, Ordini utiliores, destinaverit præ minùs utilibus, & ideò pesti concipiendæ minùs obnoxiis, quia minùs meticulosis. Rodriguez n. 5. 216

Sed quid de Regularibus contemplativis, non activis, v. g. Carthusianis, tenenturne, in defectu Parochi, si alius Sacerdos haberi nequeat, prodire ex solitudine sua, ut tunc fungantur officio Parochi? 217

Respondeo affirmativè: quia religiosa professio vitæ solitariæ & contemplativæ, neminem eximit ab obligatione legis naturalis, de succurrendo proximis in tanta necessitate. Quod & verum est, tametsi Pastor, & alii Sacerdotes v. g. Mendicantes præsentes sint, si servire nolint. Tunc enim quicumque alii Sacerdotes ex charitate tenentur subvenire, ita ut mortaliter peccet quilibet Sacerdos, cujus tergiversatione fit, ut infirmus sine confessione moriatur. Chapeaville c. 3. q. 3. & seqq.

CAPUT

CAPUT XXI.

Ad validam susceptionem Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonii, requiritur positivus consensus adulti suscipientis. An etiam ad validam susceptionem Confirmationis & Ordinis, necnon ad fructuosam susceptionem Eucharistiæ? controvertitur.

218 GLossa in caput *solet* de Consecr. dist. 4. & in cap. *majores* de Baptismo, docuit validum esse Baptismi Sacramentum, susceptum ab eo qui corde dissentit, modò ore dicat se consentire. Sed glossam hanc Gregorius XIII. deleri jussit. Et oppositum Innoc. IV. in citato capite *majores* de Baptismo declaravit, dicens, quòd *ille qui penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Nec hoc restrinxit ad eum, qui ore contradicit, ut constat ex verbis sequentibus: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.* Enimverò si invitus & voluntate contradicens validè baptizaretur, *ad jurisdictionem ecclesiasticam pertineret. Unde ad servandam regulam Fidei Christianæ forent* ab Ecclesia *rationabiliter compellendi. Verùm id est Religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam & servandam Christianitatem aliquis compellatur.* Hactenùs laudatus Pontifex.

219 Cujus hæc declaratio an divinâ fide tenenda sit? absit ut negem. Video tamen aliquos negare dicentes cum Bellarmino l. 4. de Pontifice c. 14. multa esse in Decretalibus Pontificum quæ non faciunt rem in illis determinatam esse de fide, sed solùm declarant de rebus determinatis opinionem Pontificum, quam in praxi oporteat sequi. Neque enim (ait Tannerus disp. 1. de fide q. 4. dub. 6.) *hoc ipso quo Pontifex suam aut alterius sententiam, seu doctrinam, in jure canonico reposuit, eam illicò authoritate definit, ut rectè Bannez.* Atque ut Melchior Canus observavit l. 6. de locis c. 8. ad 6. *respondent sæpè Pontifices ad privatas hujus aut illius Episcopi quæstiones, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, quâ obligare velint ad credendum.* Et lib. 5. cap. ..... *non statim, si quidquam in juris canonici volumine continetur, fide divinâ esse credendum.* Quod paulò post probat: *quia Decretales nonnullas constat à Posterioribus meliori consilio revocatas*, quando non ex firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt. Sic cap. *licèt* de sponsa duorum Alexander III. resolvit matrimonium, semel contractum, non dirimi per subsequens consummatum, *quamvis interim aliter à Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Et confirmant ex præfatione Gregorii Papæ in libros Decretalium, quâ declarat eas in unum compilatas, ut iis Judices *uterentur in judiciis*, & Scholares *in scholis*; non universim ut Fidei Catholicæ normam statuerent omnibus fidelibus.

220 Sed quidquid de eo sit, tunc saltem videntur Pontifices authoritativè definire, & sententiam ferre, cùm determinant quidpiam esse de fide, talemque determinationem reponunt in canonico jure. Quod in præsenti quæstione videtur contingere. Siquidem Innocentius in præfatione citati canonis declarat, Episcopum Arelatensem Petri Sedem (*ad quam majores causas, præsertim articulos fidei, constat esse referendas*) *super quibusdam quæstionibus, quas contra Catholicos hæretici moverant, rectè consuluisse.* Inter istas verò quæstiones, præsentem determinat Pontifex, & determinando declarat esse de fide, sive de *Christiana Religione*, quòd nullus invitus compellendus sit ad observandam regulam Fidei Christianæ: nullus proinde in Ecclesiæ subditum adscribitur per baptismum, nisi volens, si ratione & voluntate utatur. Et hoc est quod Augustinus can. *cùm à multis* de Consecr. dist. 4. ait, *neminem renasci ex aqua & Spiritu sancto nisi volentem.* Et ratio est, tum quia baptismus est quædam Fidei Christianæ professio (ideò namque baptismus à SS. Patribus vocatur *Sacramentum fidei:*) sicut ergo fidem nemo recipit nisi volens; ita nec fidei Sacramentum. Tum quia sicut divina providentia, quæ suaviter omnia disponit, non vult quemquam ratione utentem justificari & salvari nisi velit; ita non vult quemquam ratione utentem, de non subdito, fieri Ecclesiæ subditum, deque non Christiano Christianum, nisi velit, prout ex Majorum traditione laudatus Pontifex declaravit. Unde ad hoc ut *dormientes & amentes characterem suscipiant Sacramenti*, requirit hanc conditionem: *si priùs Catechumeni fuissent, & habuissent propositum baptizandi.* Et in Concilio Carthaginensi III. c. 34. necnon in Arausicano I. cap. 12. dicitur) *ægrotos esse baptizandos, si tamen suæ voluntatis præcedentis habuerint testimonium.*

Quòd autem nullus ratione utens justificetur, 221
nisi velit, constat ex Tridentino sess. 6. c. 7. dicente, *justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Necnon ex eo quòd Innocentius IV. canone citato definiat, *actuale, quod consensu contrahitur, sine consensu minimè relaxari.*

Propterea non placet sententia Cajetani, Le- 222
desmæ, nostri Stephani à sancto Paulo, aliorumque opinantium, ad validum Baptismum ratione utentis, sufficere quòd Baptismum non suscipiat invitus, sed passivè se habeat, sive quòd advertens Baptismum sibi conferri non resistat. Quia ex intentione Christi, nobis per allata fundamenta innotescente, ad validum Baptismum ratione utentis requiritur consensus verus & positivus, saltem implicitus. Taciturnitas verò, seu non resistentia baptizati, aliis admniculis non suffulta, neque consensum verum significat, neque dissensum. Siquidem *qui tacet non fatetur, sed neque utique negare videtur.* Reg. 44. juris in sexto. Neque ex sola taciturnitate & non resistentia inducitur gravissima obligatio docendi vitam christianam, ut ex multis legibus ostendit Fagnanus ad cap. *tuæ litteræ* de Cler. per salt. promot. n. 54. Nec denique passivè se habens magis censetur, etiam fictione juris, consentire in Sacramentum, quàm in nudam corporis ablutionem. Si verò *adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum* (ait S. Thomas q. 68. a. 7. ad 2.) *esset rebaptizandus.*

Hactenùs de consensu ad Baptismum requisito. 223
Quòd etiam necessarius sit ad validam receptionem Matrimonii, manifestum est ex eo quòd sit contractus, qui non perficitur nisi mutuo contrahentium consensu.

Neque id minùs manifestum est de Pœnitentia. 224
Utpote cujus partes materiales sunt actus proprii & voluntarii ipsiusmet pœnitentis. Nec mirum, quia peccatum *actuale, quod consensu contrahitur*, atque in hoc Sacramento clavibus subjicitur, *sine consensu minimè relaxatur*, ut dicitur laudato cap. *majores.* Et hinc concluditur, idem dicendum de Sacramento Extremæ Unctionis, utpote instituto ad abstergendas condonandasque reliquias peccatorum.

Major est difficultas de Sacramento Ordinis. 225
Siquidem invitos validè ordinari, Morinus, aliique graves Authores ab ipso relati docent, & ipsum varia argumenta suadent, nullumque occurrit argumentum efficaciter dissuadens. Et primum quidem argumentum pro valida ordinatione

ne hominis inviti, sumitur ex can. 33. pœnitentiali, ubi sic: *Episcopus qui ordinat, sine justa causa, Clericum invitum, sive reclamantem, vel penitùs invitum* (nota ly *penitùs invitum*, quo confutantur glossantes, de invito *secundùm quid*) *absolutè suspenditur uno anno.* Si invalida foret talis ordinatio, rem tanti momenti canon non subticuisset, nec tacitè innuisset, ex justa causa id fieri posse, dum solam inviti ordinationem, *sine justa causa*, punivit: cùm tamen omnem inviti ordinationem punire debuisset, si invalidam censuisset.

226 Argumentum secundum sumitur ex can. *ubi ista didicisti*, ubi Simplicius Papa validè, licèt illicitè, ordinatum agnoscit *Fratrem & Coepiscopum nostrum*, ut ait, Gregorium, licèt invitum. Neque enim ipsum Fratrem & Coepiscopum vocaret, nisi validè ordinatum agnosceret.

227 Argumentum tertium suppeditant varia exempla Sanctorum, qui invitos ordinaverunt. Quomodò S. Epiphanius invitum ordinavit Paulinianum fratrem D. Hieronymi, de quo Baronius ad annum 392. post D. Hieronymum epist. 60. Item S. Flavianus, Patriarcha Constantinopolitanus, invitum ordinavit Macedonium, Anachoretam sanctum, sed ex imperitia ignorantem quid circa se ageretur: *Cùm* (inquit Theodoretus in Monastica Historia c. 13.) *peractâ liturgiâ illi quidam hoc indicassent* (*ignorabat enim prorsus, quid egissent*) *primùm quidem conviciis, verbisque asperis prosecdit universos, deinde accepto, quo innixus propter senium incedebat, baculo, Pontificem ipsum ac alios qui aderant, insecutus est.* Prorsus ergo invitus ordinatus est.

228 Argumentum quartum petitur ex eo quòd plurimi sancti viri sibi ipsis pollicem, vel aliud membrum abscinderint, ne ordinarentur Episcopi, vel Presbyteri. Quos inter Ammonius (apud Sozomenum lib. 8. c. 7.) videns alios velle ipsum in Episcopum promovere, nec valens eos sermonibus avertere, sibi propriam abscidit aurem, dicens: *Jam ne volens quidem potero ordinari*: cùmque nec sic averterentur, juravit, etiam linguam abscisurum, si vim niterentur inferre. Ad quæ extrema Sancti non recurrissent, si solo dissensu, resistentiâque voluntatis irritam reddi ordinationem suam credidissent.

229 Argumentum quintum petitur à ratione: quemadmodùm enim nullus quidem invitus fieri potest Religiosus; factus tamen Religiosus potest invitus fieri Abbas, vel Prior. Sic nullus baptizari, nec ecclesiasticæ jurisdictioni subjici potest invitus; semel tamen baptizatus, atque ecclesiasticæ jurisdictioni subjectus, potest ab ea invitus fieri Sacerdos, Episcopus, &c. dum id Ecclesia necessarium judicat pro communi bono multorum. Neque enim Ecclesia minorem in subditos habet potestatem, quàm Rex, vel Princeps sæcularis, qui invitos constituere potest Officiarios regni sui.

230 Quia tamen ex simili ordinatione gravia oriri possunt inconvenientia, similes ordinationes regulariter illicitæ sunt, nec permissæ, nisi ex gravi causa, uti colligitur ex citato canone 33. pœnitentiali.

231 Superest ut aliquid de Confirmatione dicamus, sicut & de fructuosa divinæ Eucharistiæ susceptione. De quibus nonnullis videtur rationem esse aliter statuendi, quàm statuat communis opinio Doctorum, pro iis, sicut & pro aliis, requirentium positivum consensum. Enimverò positiva requiritur devotio ad fructuosam divinæ Eucharistiæ manducationem: igitur & positiva voluntas eam suscipiendi. Paucisque probatur opinio cujusdam Recentioris hîc disp. 4. dub. 4. existimantis adultum, si justus fuerit, recepturum gratiam Eucharisticam, si casu reciperet hostiam consecratam pro non consecrata, vel consecrata ipsi dormienti intruderetur. Tametsi enim talis Eucharistiam materialiter sumat, non sumit sacramentaliter. Quia non sumit ut rem sacram (quomodò sumi vult Christus) sed perinde ac si sumeret profanam. Quod respectu adultorum non sufficit ad manducationem fructuosam. Quòd si fructuosè eam manducet in phrenesim actus, ideò est quia ante phrenesim eam ut rem sacram desideravit pro casu necessitatis. Non sic justus, de quo proximè. Neque enim bonus Catholicus, requisitus an vellet sine devotione recipere hostiam consecratam pro non consecrata, vel an vellet eam in somno recipere, seclusâ omni necessitate, responderet affirmativè; sed statim diceret, absit: vellem enim eam debita cum præparatione ac devotione recipere.

CAPUT XXII.

Ad licitam receptionem Sacramenti vivorum, status gratiæ usque adeo requiritur, ut sacrilegium committat, quisquis dispositionem pro gratia habituali comparanda necessariam scienter omittit, etiam in casu quo necessitas non concedit tempus comparandæ contritioni necessarium.

LUdovicus Scildere in Thesi de Sacramentis anno 1648. Lovanii propugnata, inter alias propositiones, meritò displicentes, hanc statuit: *Peccat sacrilegio mortali, qui dispositionem pro gratia habituali accipienda requisitam omittit: nisi quando summa necessitas contritioni tempus non permitteret.* Quam propositionem licèt nuperrimè tueatur Didacus de Oropeza in confutatione libelli anonymi pag. 25. Meritò tamen eam displicere dixi. 1°. quia obligatio non recipiendi Sacramentum vivorum in statu peccati mortalis, sic est de jure divino & naturali, ut necessitas, quæ non concedit tempus requisitum ad gratiam habitualem comparandam, aliquando quidem dispenset à Sacramenti receptione, sed non permittat illud recipere indignè, id est absque debita dispositione. 232

2°. quia propositio illa januam aperit innumeris sacrilegiis impiorum, qui sumunam sibi necessitatem, temporisque defectum facilè persuadebunt ad Sacramenta absque debita dispositione recipienda. Neque enim casus ille necessitatis, contritioni tempus non permittentis, metaphysicus est, vel moraliter impossibilis. Cùm & sæpè Confessoris copia desit, nec perfectæ contritionis, imò nec sufficientis attritionis actus, ordinariè momento comparetur ab iis qui in horrendum scelus inciderunt, vel aliunde peccando se gratiâ indignos reddiderunt, quibus interim non rarò vel communicandi necessitas occurrit, v.g. ad vitandam infamiam, vel celebrandi in die festo, ne parochiani Sacrum omittant, &c. 233

Sed & casus, in quo patroni illius propositionis se fundant, moralem istius casûs possibilitatem ostendit. Quid enim (inquiunt) de Sacerdote, qui videt hæreticos conculcaturos sacram hostiam, vel in cloacam projecturos, nisi eas statim deglutiat? numquid in hoc saltem casu currere potest propositio? 234

Respondeo negativè. Quia alienam irreverentiam prævenire non licet per irreverentiam propriam, præsertim æquè vel magis gravem. Neque enim minor est irreverentia, scienter communicare in statu peccati mortalis, quàm sacram hostiam conculcare, vel in cloacam projicere. Quia in tali statu communicans sacram hostiam projicit in cloacam interiorem sordidi cordis sui, quæ apud Deum magis fœtida est, quàm cloaca exterior.

CAPUT

CAPUT XXIII.

Conscientiam habens peccati mortalis, sacramentaliter confiteri tenetur, antequam recipiat Sacramentum vivorum.

235 Sic statuunt Concilia Rothomagense, Remense, Aquense, Turonense, &c. Sic etiam docent Catechismus Romanus n. 178. relatus, S. Antoninus, Adrianus VI, Molanus, & alii n. 173. laudati. Nec est qui contradicat de suscipiente Sacramentum Eucharistiæ. Utpote de quo id expressè statuit Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. & can. 11. De aliis Sacramentis idipsum.

Probatur 1°. ex omnibus Scripturæ & Conciliorum textibus, quibus jubemur dignè & sanctè suscipere Sacramenta. Neque enim dignè & sanctè, imò indignè ea suscipit, qui conscientiam habens peccati mortalis, neglecto securo & certo medio se reconciliandi cum Deo, sciens & volens, absque necessitate, exponit se periculo suscipiendi indignè, juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Cui concinit magistralis Augustini regula: *In rebus ad salutem animæ pertinentibus, certis incerta præponere, quis dubitet certissimum esse peccatum?* Quòd autem certis incerta præponat, periculoque indignæ receptionis, absque necessitate, se exponat, qui confessionis neglecto remedio, ea suscipit, patet ex dictis citato n. 173. & seqq.

236 2°. ratio propter quam Tridentinum censet confessionem necessariam ad suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum, ad vitandum utique morale periculum indignæ receptionis, currit etiam in aliis Sacramentis, ut probatum est ibidem n. 177.

237 3°. Ecclesia non solùm præcipit confessionem ante Eucharistiæ sumptionem, sed & ante susceptionem Confirmationis, aliorumque Sacramentorum. Siquidem de Consecr. dist. 5. can. 6. statuitur, *ut jejuni ad Confirmationem veniant.... ut moneantur confessionem facere priùs, ut mundi donum S. Spiritûs valeant accipere.* Nota rationem cur monendi sunt priùs confessionem facere, *ut mundi donum S. Spiritûs valeant accipere.* Quæ profectò ratio præceptum designat, non consilium dumtaxat. Siquidem mundities ad recipiendum donum Spiritûs sancti est de præcepto, non solùm de consilio. Canon iste reperitur inter Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis to. 3. Conciliorum Galliæ edit. Sirmond. sub tempore Nicolai I.

238 Similiter in Concilio Rothomagensi anni 1581. *Episcopi.....Sacramentum Confirmationis..... adultis, nonnisi confessis, & profitentibus Symbolum Apostolicum, tradant.*

239 Et in Concilio Turonensi anni 1583. ad Sacramentum Confirmationis, *adulti nonnisi prævia peccatorum confessione admittantur.* Similia habentur in Concilio Remensi ejusdem anni, Bituricensi anni 1584. & Aquensi anni 1585.

240 De Sacramento Extremæ Unctionis in antiquo Codice Siculo, plusquàm à 600. annis conscripto (quem ex Bibliotheca Catinensi refert Lucas Holstenius) sic habetur: *Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo, & Sacerdoti suo, &c.*

241 De Sacramento Ordinis antiqua Ecclesiæ praxis est, illius susceptioni præmittendam esse confessionem. Propterea namque in Pontificali Romano habetur, quòd olim *Metropolita deputabat aliquem discretum de sua Ecclesia Confessorem, cui consecrandus peccata sua confitebatur.* Neque certè aliunde quàm ex illa Ecclesiæ praxi D. Antoninus de ordinandis scribit, quòd *confessionem præmittere debeant, sicut & fieri debet in omnibus Sacramentis, excepto Baptismo, quod est janua aliorum.* Similiter Argentinas in 4. dist. 17. q. 2. a. 4. *Si homo vult recipere Corpus Christi, vel sacros Ordines, tunc debet confiteri, si noscit se habere aliquod mortale peccatum.*

At si ita est (inquis) cur Tridentinum sess. 13. 242
c. 7. specialiter declarat confessionem præmittendam communioni; de cæteris verò Sacramentis id non declarat? 2°. cur sess. 24. c. 1. de Reform. conjuges hortatur, non verò obligat ad confessionem præmittendam matrimonio, vel illius consummationi?

Ad primum. Respondeo rationem esse, quia (teste Pallavicino l. 12. c. 1.) inter articulos commissos à Patribus examini Theologorum, decimus iste fuit: *solam fidem esse sufficientem dispositionem ad Eucharistiam; neque ad id confessionem esse necessariam.* De necessitate verò confessionis ad alia Sacramenta, nulla fuit ab hæreticis contra Catholicos mota quæstio. Et ideò nulla pro aliis Sacramentis facta decisio. Neque enim Tridentinum congregatum fuit ad decidendas controversias Catholicorum adversus Catholicos, sed Catholicorum adversus hæreticos. Dum tamen Tridentinum definivit, confessionem Eucharistiæ præmittendam, *ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur*, satis insinuavit, eum qui se contritum existimat, per hoc securum non esse de sua cum Deo reconciliatione, nec proinde ordinariam fidelium contritionem sufficere ad vitandum morale periculum sumendi Sacramentum indignè. Hoc ipso proinde insinuavit, seu colligendum reliquit, quòd sicut ad vitandum istud morale periculum confessio præmittenda est susceptioni Eucharistiæ; ita & susceptioni aliorum Sacramentorum. Vide suprà n. 177.

Ad secundum. Respondeo rationem esse tri- 243
plicem. Prima, quia Tridentinum generatim ibi loquitur; non speciatim de iis solis quos conscientia peccati mortalis gravat. Quibus solis necessariam dicimus confessionem. Secunda, quia Tridentinum de sola ibi non loquitur confessione, sed & simul de communione. Quæ quia præcepta non est, haud mirum, quòd ibi verbo non utatur præceptivo, sed exhortativo. Tertia, quia Tridentinum definire noluit, nisi quod in Ecclesia erat certum; non quod erat inter Catholicos controversum. Ob rationem dictam in resp. ad 1. Ideò ergo usum est verbo *hortamur*, quod commune est ad ea quæ præcepti sunt & consilii.

CAPUT XXIV.

Nullum aliud Sacramentum, à non baptizato validè & fructuosè recipi, verum est, & secundùm hoc procedendum in praxi; sed dubitabile, non omninò certum in speculatione.

RAtio prioris partis est, quia Baptismus est *fundamentum & janua Sacramentorum reliquorum*, 244
cap. *per Catechismum* de cognat. spirit. in 6. Propter quod cap. 52. 1. q. 1. ex Concilio Nicæno sic habetur: *Siquis ad Ecclesiam confugerit de Paulianistis & Cataphrygis* (à quibus non servatur legitima forma Baptismi) *statutum est rebaptizari eos omninò debere. Siqui verò Clerici erant apud eos.... rursus etiam ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ ordinentur..... Circa Diaconos..... eadem forma servabitur.* Et cap. *siquis Presbyter*, de Presbyt. non baptiz. *Siquis Presbyter ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterùm ordinetur.*

Et sic haud dubiè servandum in praxi. Tam- 245
etsi speculativè loquendo, ordinationem Presby-

teri non baptizati Innocentius III. cap. *veniens* eod. tit. non habeat ut certò invalidam, sed ut *dubitabilem* & *ambiguam*. Sic enim ait ibidem: *Cùmque super Ordinibus fuisset diutiùs disputatum, quidam in eam declinaverant sententiam, ut cùm Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum. Quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest.* Alii verò opposuerunt, *quòd cùm quis non solùm per Sacramentum fidei* (id est per Baptismum in re) *sed per fidem etiam Sacramenti* (id est per Baptismum in voto) *efficiatur procul dubio membrum Christi, & qui Christum habet per fidem, etiamsi Baptismum non habeat, habet utique fundamentum.... quod est Christus Jesus; superædificare posse videtur, sicut salutifera opea, sic & quælibet Ecclesiastica Sacramenta* (excepto saltem Pœnitentiæ Sacramento, quod in Ministro requirit jurisdictionem, quam Ecclesia non habet in non baptizatum:) *cùm illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quòd Baptismus sit fundamentum illorum. Quoniam & Sacramentum conjugii, & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest.*

246 Post quæ sic hinc inde ventilata, Innocentius III. concludit sic: *Quia verò in Concilio apud Compendium legitur, quòd si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterùm ordinetur. Nos circa latorem præsentium* IN HOC DUBITABILI CASU (*nota*) *quod tutius est sequentes, mandamus, quatenùs ipsum per singulos Ordines usque ad sacerdotium promovere procures.... Quia non intelligitur iteratum,* QUOD AMBIGITUR (*iterùm nota*) *esse factum.*

247 Ecce ordinationem Presbyteri non baptizati Pontifex declarat *ambiguam & dubitabilem* (non certò invalidam) ideòque practicè repetendam.

248 Quia verò Pontifex ibidem non reprobat opinionem eorum, qui censent, Sacramentum conjugii, atque Eucharistiæ, à non baptizatis recipi posse: nonnullis probabile videtur, quod Hugo Victorinus l. 2. erudit. Theol. p. 11. c. 13. & Adrianus VI. in 4. q. 11. docent, Matrimonium, à non baptizatis celebratum, esse verum Sacramentum, si nihil aliud desit quàm Baptismus. Cui opinioni favere videtur idem Innocentius III. cap. *gaudemus*, de divortiis, scribens, *quòd Sacramentum conjugii apud fideles & infideles existat.* Quam opinionem non improbabilem esse censet Franciscus Farvacquez in opusc. de Sacramento Baptismi cap. 1. q. 3. s. 8.

249 Qui doctissimus Author ibidem §. 4. similiter existimat, eum qui bonâ fide putans se baptizatum, cùm non sit, Eucharistiæ Sacramentum devotè suscipit, gratiam illius ex opere operato recipere, probatque ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium Histor. lib. 7 c. 5. in epist. ad Xistum Pontificem scribente, ut sequitur: *Erat apud nos Frater quidam antiquitùs; antequam ego etiam Episcopus ordinarer: is cùm interesset his qui baptizantur, & audiret, vel quid interrogentur, vel quid responderent, flens accessit ad me, & procidens ad pedes meos, confiteri cœpit, se Baptisma ab hæreticis aliter suscepisse, quod, secundùm ea quæ viderat à nobis ministrari, nec Baptisma duceret, eò quòd esset repleta blasphemiis omnis illa confessio. Simul & hoc habebat, se in tantum pro hoc errore instimulari, ut ne oculos quidem auderet erigere; propter quod exorabat se mundari, & purificari Ecclesiastico Baptismate, ut & gratiam posset consequi Spiritûs sancti. Quod ego facere non ausus fui, sed dixi, ei posse sufficere tam multi temporis communionem quam in Ecclesia consecutus est*, hoc est, *quòd à nobis Eucharistiæ recipiens donum, responderit, Amen. Ex quo & per singula potuisset ipsâ Sacramentorum virtute purgari. Cohortabar igitur debere confidere fidei suæ, & conscientiæ jam purgatæ, & ante omnia quòd tamdiù in Sacramentis nobiscum particeps fuerit. Sed ille neque à luctu cessat; neque ultrà ad mensam Dominicam audet accedere*, &c.

Probat etiam idipsum ex S. Ambrosio in vita 250
S. Satyri fratris sui, de quo adhuc Catechumeno scribit, Eucharistiam in naufragio fructuosè recepisse: *Satyrus, priusquàm perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cùm ea quâ vehebatur navis, scopulosa illisa vado, & urgentibus hinc inde fluctibus solveretur . . . . . ne vacuus mysterii exiret è vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum popposcit. . . . . ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium illud involvit collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur: quoniam fidei solius arma quæsierat.... Nec defuit spes, nec fefellit opinio, primus servatus ex undis, & in portum terrenæ stationis evectus*, &c. Subdit Ambrosius: *Qui tantum mysterii cælestis involuti in orario præsidium fuisset expertus, quantum arbitrabatur, si ore sumeret, & toto pectoris hauriret arcano? Quàm majus putabat fusum in viscera, quod tantum sibi tectum orario profuisset.* Quibus verbis perspicuè innuit, Satyrum inde percepturum sacramentale præsidium, si ore, tametsi Catechumenus, percepisset. Quid enim aliud intelligere potuit, dicendo, *quàm majus præsidium, si ore sumeret*, &c.

Objicit quidem Cardinalis de Lugo 1°. Eu- 251
charistiæ Sacramentum institutum esse ad pascendas Christi oves. Sed quid inde? Uti membrum Christi; ita Christi ovis homo non solùm efficitur per Baptismum in re, sed & per Baptismum in voto.

Objicit 2°. Eucharistiam esse spirituale nutri- 252
mentum. Quod supponit subjectum esse spiritualiter genitum. Sed tametsi spiritualis generatio regulariter, & per se fiat per Baptismum in re; quidni extraordinariè, & per accidens subinde fiat per Baptismum in voto? Sic Eucharistia regulariter, & per se supponit suum subjectum esse in gratia; extraordinariè tamen, & per accidens subinde causat primam gratiam, juxta probabiliorem D. Thomæ sententiam.

Objicit 3°. Baptismum esse fundamentum 253
reliquorum Sacramentorum. Sed ad hoc responsionem ex cap. *veniens* de Presbyt. non baptizato habes suprà n. 245. Eo quippe sensu fundamentum est reliquorum Sacramentorum, quo fundamentum salutis, sive quo Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non potest intrare in regnum Dei.*

CAPUT XXV.

Licitum subinde est Sacramenta petere & recipere à Ministro malo, etiam hæretico, schismatico, vel aliàs excommunicato, non tolerato, si mortis necessitas urgeat. Imò & absque necessitate à Ministro malo, tolerato, si copia non sit probi Ministri.

PRiorem partem disertè tradit Augustinus l. 6. 254
de Baptismo c. 5. his verbis: *Potest quis à separato salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat: sicut plerisque accidit, ut catholico animo, & corde ab unitatis pace non alieno, aliquâ necessitate mortis ingruentis in aliquem hæreticum irruerent, & ab ipso Christi Baptismum sine illius pervertate acciperent.* Et l. 7. c. 52. *Hæretici, & schismatici non amplius in domo, sed extra domum*

sunt. Ideòque neque utiliter habent, neque ab eis Sacramentum utiliter petitur, nisi fortè accipiendi necessitas urgeat (necessitas utique mortis, ut antè dixi) *& accipientis animus ab unitatis vinculo non recedat.*

255 Tametsi verò plures apud Dianam p. 10. tr. 11. resol. 64. censeant in necessitate mortis à Ministro hæretico licitè peti Eucharistiam per modum Viatici: quia tamen necessitas solùm exigit Sacramenta ad salutem simpliciter necessaria, Baptismum scilicet & Pœnitentiam; potestque Christianus sine aliis Sacramentis, absque dispendio salutis, ex hac vita discedere, Doctores communiter tradunt (ut videtur ex Augustini mente) solùm Baptismum & Pœnitentiam in necessitate mortis ab hæretico Ministro licitè peti. Et idcò S. Hermenegildus mori maluit, quàm Eucharistiam ab Episcopo Ariano accipere, ut refert D. Gregorius l. 3. Dial. c. 31. Moyses quoque Monachus (teste Sozomeno l. 6. c. 38. necnon Socrate l. 4. c. 29.) à Mauvia Saracenorum Regina in Episcopum postulatus, manûs impositionem à Lucio, impiissimo Atriano, recipere constanter recusavit.

256 Esse verò grave peccatum ab hæretico, vel schismatico Sacramentum absque necessitate recipere, satis innuit Augustinus c. 52. citato, dum ait: *neque ab eis utiliter Sacramentum accipitur.* Cùm inde consequens sit, non dignè ab eis accipi (aliàs utiliter acciperetur) sed indignè.

Posteriorem partem idem Augustinus ibidem exprimit, his verbis: quòd à talibus Sacramentum *utiliter accipitur, qui non ipsis corde & moribus, sed sanctæ domui copulantur.* Et ratio est, quia talis Minister, cùm non sit extra sanctam Ecclesiæ domum, potest, si voluerit, Sacramentum benè & licitè administrare (quod non possunt hæretici, extra Ecclesiæ domum constituti, dum nulla accipiendi necessitas urget) & tametsi sciam ipsum absque peccato non administraturum, ipsum equidem non induco in peccatum, dum jure meo utor in utilitatem non parvam animæ meæ

257 Fundaturque hæc doctrina in Decreto Concilii Constantiensis à Martino V. approbato, ubi sic: *Insuper ad evitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus, tenore præsentium, misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione* (nota) *aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere.* Nulla ergo sententia vel censura, generaliter lata contra Ministrum Sacramentorum, Christi fideles impedit à licita communicatione cum illis in Sacramentorum usu & receptione. Impediret autem, si liberè & licitè ab illo Sacramenta petere & recipere non possent.

258 Si tamen non deesset copia digni Ministri, peccarem graviter, si Sacramentum peterem à Ministro indigno, quem scirem indignè ministraturum, nec peccatum istud commissurum, nisi peterem. Cavendum quippe peccatum proximi, dum sine dispendio caveri potest. Ita Navarrus & Doctores passim contra Sotum & Joannem de la Cruz apud Leandrum à SS. Sacram. disp. 5. de Sacram. in gen. q. 11.

CAPUT XXVI.

Sacramenta omnia novæ legis gratiam sanctificantem dignè sumentibus conferunt ex opere operato, sicut & opportuno tempore gratiam actualem (quam vocant) sacramentalem, usui ac fini cuique Sacramenti propriam, & accommodatam.

PRima pars fide certa est ex Tridentino sess. 7. can. 8. confirmaturque ex Scripturis n. 13. & 16. relatis. Necnon ex traditione totius Ecclesiæ, quæ semper agnovit in Sacramentis vim collativam gratiæ, ut constat ex Symbolo Constantinopolitano, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Quia verò vis ista non provenit à Ministro, neque à suscipiente, sed à Christo supra dignitatem & merita, tam Ministri, quàm suscipientis (ut passim docent SS. Patres, nominatim Augustinus l. 4. contra Cresconium c. 16. ubi: *Non eorum meritis, à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constat Baptismus, sed propriâ sanctitate, atque veritate, propter eum à quo institutus est*) Tridentinum convenienter id expressit, dum dixit Sacramenta gratiam conferre *ex opere operato.* Quas voces dum dedignantur hæretici, ridiculè, neglectâ substantiâ rei, de vocibus cavillantur. 259

Secunda pars ostenditur, quia quodlibet Sacramentum, præter communem effectum, id est gratiam sanctificantem, specialem habet suum effectum, ad quem perducit, per gratiam actualem cuique specialem. Siquidem per Baptismum confertur specialis gratia ad ducendam vitam christianam, per quam baptizatus munitur contra subsecuturas tentationes, ut Tertullianus l. de Baptismo tradit, dicens: quòd per Baptismum *subsecuturis tentationibus munimenta præstituimus.* 260

Per Confirmationem datur gratia conferens robur, *ne Christi opprobria Christianus erubescat* (inquit Augustinus in Psal 30.) sed nomen ipsius audacter confiteatur. 261

Per Eucharistiam confertur gratia, ad fovendam & augendam in nobis charitatem, nutriendamque proinde & promovendam vitam spiritualem, *quæ gratia se habet ut antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur*, prout Tridentinum testatur sess. 13. c. 2. 262

Per Pœnitentiæ Sacramentum confertur gratia specialis auxilii, ad fortius & constantiùs detestanda, cautiùsque & efficaciùs vitanda imposterùm peccata, sicut & ad satisfaciendum pro commissis. 263

Per Extremam Unctionem speciale datur auxilium, quod *ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdùm, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*, prout idem Trid. ait sess. 14. c. 2. de Extr. Unct. 264

Per Sacramentum Ordinis, speciale tribuitur adjutorium ad sacras functiones sanctè & religiosè obeundas. 265

Per Sacramentum denique Matrimonii, specialis gratia præstatur ad fovendum mutuum inter conjuges amorem, ad fidem conjugalem servandam, atque ad proles in Dei timore & amore procreandas & educandas, denique *ut sciat unusquisque* conjugatus *vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes*, &c. ut Apostolus ait ad Thessal. c. 4. 266

De charactere, qui est proprius effectus, non omnium, sed trium Sacramentorum, Baptismi scilicet, Confirmationis & Ordinis, nihil opus est hîc dicere. Satis enim de eo dictum n. 18. 19. 20. & 21. 267

CAPUT XXVII.

Tametsi sola Sacramenta mortuorum, Baptismus

scilicet & Pœnitentia, per se, sive ex primaria sua institutione, conferant primam gratiam; reliqua tamen Sacramenta per accidens eam subinde conferunt.

268 PRima pars perspicua est ex eo quòd ideò dicantur Sacramenta mortuorum, quia primariò instituta sunt, ut de mortuis secundùm animam faciant vivos, per gratiam quæ vita est animæ.

269 Secunda pars (licèt adversantes habeat Vasquezium, Card. de Lugo, & alios) est S. Thomæ 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. & q. 79. a. 3. & q. 80. a. 4. ad 5. Scoti, Richardi, Gabrielis, Paludani, Cajetani, Soti, Gonet, Herinx, aliorumque Thomistarum & Scotistarum passim, item Tolcti, Suarez, Henriquez, Valentiæ, Coninck, Tannetri, & aliorum exemplificantium in eo, qui Sacramenta ista cum attritione suscipit, bonâ fide putans se esse in gratia, cùm non sit, nullamque habens conscientiam peccati mortalis, post debitum conscientiæ examen.

270 Et ratio est, quia sicut Baptismus & Pœnitentia, tametsi per se Sacramenta mortuorum, primariòque instituta ad conferendam primam gratiam, aliquando ex accidente conferunt gratiam secundam, seu gratiæ augmentum, utique dum suscipiuntur ab eo qui jam antè est justificatus: sic & reliqua Sacramenta, tametsi per se Sacramenta vivorum, primariò proinde instituta ad conferendam gratiam secundam, seu gratiæ augmentum, subinde ex accidenti conferunt gratiam primam. Ex se enim vim habent gratiam conferendi, semperque illam conferunt subjecto obicem non ponenti, prout Tridentinum docet sess. 7. can. 6. & 7. Accidit verò quòd existens in mortali non ponat obicem gratiæ, dum scilicet nullam habet memoriam, nec conscientiam illius, post debitum conscientiæ examen, ideòque bonâ fide existimat se esse in gratia, cùm non sit, nec affectum habet ad peccatum, sed attritus ad Sacramentum accedit. Quo proinde casu Sacramenta dicta, gratiam ipsi conferunt. Non secundam. Ergo primam. Idque supponere videtur Ecclesia, dum in aliqua collecta petit, ut Eucharistia sit *ablutio scelerum*. Sicut & Augustinus relatus cap. *invitat* de Consecr. dist. 2. cùm ait: quòd *cùm manducatur Christus, mortuos vivificat*. Imò & Jacobus Apostolus, dum epistolæ suæ canonicæ cap. 3. de Extremæ Unctionis subjecto dicit: *Si in peccatis sit, remittentur ei*. Neque enim hoc dicit de solis reliquiis peccatorum (utpote quæ semper reperiuntur in infirmo) sed de ipsis peccatis actualibus, etiam mortalibus, de quibus conscientiam non habet, habet tamen attritionem, quæ per accidens remittuntur ei.

271 Neque efficacia sunt quæ Adversarii in contrarium objiciunt. Utique 1°. quòd Sacramenta gratiam non conferant, nisi ex institutione Christi, qui Sacramenta vivorum non instituit ad dandam primam gratiam. 2°. quòd Sacramenta vivorum non significent primam gratiam; nec eam proinde causent. Cùm id solum causent, quod significant. 3°. quòd Eucharistia, cùm sit cibus (qui mortuo applicatus, nunquam ei tribuit vitam) per accidens nunquam conferat primam gratiam. Ergo nec reliqua Sacramenta vivorum. 4°. quòd non sit ratio obligationis Sacramenta ista recipiendi in statu gratiæ, nisi quia vim non habent conferendi primam gratiam. 5°. quòd cùm per se virtutem non habeant conferendi primam gratiam, nec eam conferre possint per accidens. Neque contrarium rectè inferatur, ex eo quòd Sacramenta per se conferentia primam gratiam, per accidens conferant secundam. Cùm plus sit conferre primam gratiam, quàm secundam; nec valeat argumentum à minori ad majus. Neque enim consequens est, id quod potest majus, potest minus. 6°. quòd S. Thomas nostræ non faveat assertioni, cùm q. 72. a. 7. ad 2. dicat, quòd Confirmatio *non debet dari his qui non habent gratiam, & propter hoc sicut non datur non baptizatis; ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis*. Ex quibus verbis conficitur, quòd sicut Confirmatio, sine prævio Baptismo, ne quidem per accidens confert gratiam; ita nec eam confert sine prævia pœnitentia reparante, sive gratiam primam conferente.

Hæc, inquam, argumenta efficacia non sunt. Non 272
primum: quia Christus omnia Sacramenta instituit, ut conferant gratiam non ponentibus obicem. Contingit autem obicem non poni Sacramento vivorum à mortuo, qui se vivum existimat, ut suprà vidimus. Quo proinde casu, si fuerit attritus, Sacramentum illud gratiam ipsi conferet. Non secundam. Ergo primam. Ad quam conferendam licèt Christus illud non instituerit primariâ intentione, bene secundariâ.

Nec secundum: quia satis est, quòd Sacra- 273
menta vivorum verè significent & causent gratiam, ad hoc ut subinde causent per accidens gratiam primam. Quia per accidens contingit, gratiam quam causant esse primam, ut vidimus. Nec ad causandam per accidens gratiam primam, necesse est quòd eam significent ut primam. Quod enim vulgò dicitur: Sacramenta id solum causant, quod significant: verum est de effectu per se, sive principali; (ut enim S. Thomas ait Supplem. q. 30. a. 1. *ex ipsa significatione Sacramenti, debet accipi ejus principalis effectus*) sed non necessarium est de effectu per accidens, seu secundario.

Nec tertium: quia licèt cibus materialis, qui 274
per se non est vita, nec in se convertit alitum, ipsi nequeat vitam restituere. Id tamen potest Eucharistia, quæ est vita per essentiam, alitumque in se convertit. Præsertim cùm homo, qui alitur Eucharistiâ, non sit in casu nostro sic mortuus, quin aliquem exerceat actum saltem imperfectum vitæ spiritualis, Eucharistiam cum attritione, fide, & reverentia manducando. Confer id quod S. Thomas dicit infrà n. 277.

Nec quartum: quia ratio istius obligationis est, 275
quia Sacramenta ista, per se loquendo, sive ex primaria Christi institutione, gratiam supponunt in subjecto suo. Nec eam conferunt subjecto sibi conscio peccati mortalis, si non desit ipsi copia Confessoris. Idèo ergo tenetur confiteri. Ad quod non tenetur qui non est conscius.

Nec quintum: quia gratia secunda non est mi- 276
nor, nec ignobilior gratiâ primâ. Nec differentia gratiæ primæ à secunda est penes ipsam entitatem gratiæ, sed penes subjectum. Eadem quippe gratia collata subjecto viventi spiritualiter, est secunda, quæ collata subjecto spiritualiter mortuo, foret prima. Non major proinde requiritur in Sacramento virtus ad conferendam gratiam primam, quàm secundam. Et quis dicere potest, Eucharistiam, quæ Christum continet, minoris esse virtutis, quàm Baptismum, vel Pœnitentiam?

Nec denique sextum: quia adeò perspicua est 277
hac de re sententia S. Doctoris, ut mirum sit Adversarios tam facilè, sive ob argumenta tam facilè solubilia, ab ea recedere. Siquidem citatâ q. 72. a. 7. ad 2. perspicuè dicit, quòd *si aliquis adultus, in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento* (Confirmationis utique) *consequetur remissionem peccatorum*. Et q. 79. a. 3. de Eucharistia loquens, dicit, quòd *virtus hujus Sacramenti potest considerari dupliciter. Uno modo secundùm se, & sic hoc Sacramentum habet virtutem ad remittendum quæcunque*

peccata (nota) *ex passione Christi, quæ est fons & causa remissionis peccatorum. Alio modo potest considerari per comparationem ad eum qui recipit hoc Sacramentum, prout in eo invenitur, vel non invenitur impedimentum percipiendi hujus Sacramenti effectum. Quicumque autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum hujus Sacramenti..... Unde hoc Sacramentum in eo.... non operatur remissionem peccati. Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati.... etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet. Fortè enim primò non fuit sufficienter contritus; sed devotè, & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Propterea (ut addit ad 1.) *petimus ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum: vel eorum, quorum conscientiam non habemus..... vel ut contritio in nobis perficiatur, ad scelerum remissionem.* Ecce perspicuè docet quòd Eucharistiæ Sacramentum, perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet, non invenit in ipso impedimentum percipiendi hujus Sacramenti effectum, dum utique, *hoc quòd non habet conscientiam sui peccati, contingit sine culpa ipsius*, quod q. 80. a. 4. ad 3. contingere dicit, *cùm doluit de peccato; sed non est sufficienter contritus. Sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris . . . . vel si totaliter est peccatum oblitus.* Et Supplem. q. 30. a. 1. ubi quærit, an Extrema Unctio valeat ad remissionem peccatorum, *quodlibet* (inquit) *Sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit..... Unde principaliter hoc Sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati.... Et hic defectus, nihil aliud est quàm quædam debilitas.... quæ in nobis relinquitur ex peccato.... contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, non compatitur peccatum: ideò ex consequenti* (nota benè) *si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum* (audis?) *dummodò non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia & Confirmatione suprà dictum est. Et ideò* (nota argumentum ipsius ex Scriptura) *etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: Si in peccatis sit, dimittentur ei, scilicet quoad culpam. Non enim semper delet peccatum* (quoad culpam) *quia non semper invenit*, &c.

278 Ex his luce meridianâ clarius est, secundùm S. Thomam, Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis aliquando conferre primam gratiam. In vanum proinde contrarii Authores S. Doctorem in suam sententiam pertrahere conantur, ex eo quòd 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. dicat: quòd *sicut Confirmatio non datur non baptizatis; ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pœnitentiam reparatis.* Certum quippe est, S. Doctorem in verbis istis postremis non agere de peccatoribus peccati conscientiam inculpatè non habentibus, sed vel peccati conscientiam habentibus, vel suâ culpâ non habentibus (quos solos, secundùm Tridentinum, necesse est per præviam pœnitentiam, seu Pœnitentiæ Sacramentum in re susceptum reparari:) qui enim peccati conscientiam non habent inculpabiliter, quia peccatum totaliter obliti sunt, in re confiteri nequeunt peccatum, cujus nullam omninò conscientiam, nec memoriam habent. Nec ad hoc tenentur, uti Tridentinum definivit sess. 14. c. 5. his verbis: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum Deum mortaliter offendisse meminerit.* Manifestum est ergo S. Doctorem ibi ad summum velle, quòd sicut Confirmatio sine prævio Baptismo non confert gratiam; ita nec sine prævia pœnitentia reparante eam confert peccatoribus, peccati conscientiam habentibus, vel suâ culpâ non habentibus.

CAPUT XXVIII.

Sacramenta ejusdem speciei conferunt ex opere operato majorem gratiam melius dispositis: æqualiter dispositis (v. g. Baptismus infantibus) æqualem.

SErmo est de Sacramentis novæ legis, quæ æ- 279
qualiter dispositis æqualem gratiam ex opere operato ideò conferunt, quia (ut S. Thomas arguit q. 69. a. 8.) existente æquali virtute causæ, & æquali dispositione subjecti, non est unde proveniat effectus inæqualis. Ubi verò inæqualis est dispositio subjecti, secundùm Synodum Tridentinam sess. 6. c. 7. loquentem de justificatione per Baptismum, Sacramentum confert gratiam *secundùm propriam cujusque dispositionem*, id est proportionatè ad illam. Eò quòd utique Deus in ordine gratiæ imitetur ordinem naturæ. Unde sicut in naturalibus subjectum melius dispositum præstantiorem effectum participat ab eadem causa æquè applicata: sic etiam in supernaturalibus.

Nec assertio procedit de sola gratia, quæ sub- 280
jecto confertur ex opere operantis; sed & de gratia, quæ ipsi confertur ex opere operato, sive ex virtute passionis Domini nostri Jesu Christi. Ut enim S. Thomas ait in 4. dist. 4. q. 2. a. 3. quæstiunc. 2. ad 2. *quamvis passio Christi, quæ in Baptismo operatur, quantùm est de se, æqualem respectum ad omnes habeat: quia tamen quidam ad Baptismum cum majori præparatione fidei & devotionis accedunt quàm alii, ideò quidam aliis majorem gratiam consequuntur.* Eò quòd utique virtus passionis Christi cuique per Sacramenta sic communicetur supra meritum dignitatemque subjecti, (propter Christum à quo, velut Agente principali actio sacramentalis procedit) ut tamen cuique communicetur cum proportione ad dispositionem recipientis. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat; licèt ignis, quantùm est de se, æqualiter ad omnes calorem suum effundat, ait S. Doctor q. 69. a. 8. in corp.

CAPUT XXIX.

Non omnia Sacramenta fictè suscepta, sublatâ fictione reviviscunt; sed solus Baptismus, & fortè duo alia characterem imprimentia, Confirmatio scilicet, & Ordo, fortè etiam Matrimonium.

BAptismum fictè susceptum (id est susceptum 281
sine debita dispositione, vel cum contraria dispositione, sive affectu ad mortale peccatum) sublatâ fictione reviviscere, id est gratiam causare, quam in sui susceptione fictio impedivit, communis est sententia Doctorum ex can. *tunc valere* de Consecr. dist. 4. ubi dicitur, quòd *tunc valere ad salutem incipit baptisma, cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ, corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.* Canon iste desumptus est ex Augustino l. 1. de Baptismo c. 12. Qui idipsum tradit lib. 3. c. 13. lib. 4. c. 3. & lib. 6. c. 25.

Morinus quidem de Pœnit. l. 9. c. 13. dicit, 282
quòd *reviviscentiam virtutis Baptismi de eo tantum intellexerunt Patres, qui extra Ecclesiam susceptus est.* Sed fallitur vir doctissimus: siquidem

Augustinus citato lib. 4. c. 3. agens, non de hæreticis vel schismaticis, sed de *pseudo-Christianis, qui sæculo solis verbis, & non factis renuntiant, sive de avaris, raptoribus, fœneratoribus, quos non tantùm foris, sed etiam intùs esse, multis litterarum suarum locis Cyprianus ipse testatur*; agens (inquam) de istis, non mutato corde, adeòque fictè Baptismum recipientibus, expressè dicit, quòd *hoc eis præstaret vera conversio, ut Sacramentum, quod non mutatis valebat ad perniciem, mutatis valere incipiat ad salutem.* Arguitque deinde à reviviscentia Baptismi pseudo-Christianorum istorum, ad reviviscentiam Baptismi hæreticorum.

283 Non solus ergo Baptismus extra Ecclesiam, sed & in Ecclesia fictè susceptus, sublatâ fictione causat gratiam, & remittit peccatum originale, actualiaque ante Baptismum commissa, quoad pœnam & culpam.

Sed quid de peccatis commissis post Baptismum? Quid etiam de peccato fictionis, cum quo susceptus fuit Baptismus? Quid denique de peccatis concomitantibus Baptismum?

Respondeo ad primum, non remittere peccata post Baptismum commissa. Cùm nullum Sacramentum sit institutum ad remittendum, etiam per accidens, peccata post se commissa, eorumque reviviscentia solùm faciat, ut Sacramentum faciat, quod ab initio fecisset, sublato obice. Pro eorum itaque remissione institutus non est Baptismus, sed Pœnitentia, juxta Tridentinum sess. 14. c. 5. definiens, *institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam esse.* Et can. 1. *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino institutum, anathema sit.*

284 Respondeo ad secundum, non remittere etiam peccatum illud fictionis. Quia licèt Baptismo non sit posterius tempore, est quodammodò naturâ posterius. Est enim sicut peccatum indignæ susceptionis Baptismi. Adeòque formaliter & directè repugnat dispositioni requisitæ ad effectum Baptismi (in quantum formaliter & directè repugnat contritioni, vel attritioni, sine qua non potest remitti) & ideò *fictio non remittitur per Baptismum* (ait S. Thomas q. 69. a. 10. ad 2.) *sed per pœnitentiam subsequentem*; quod & Augustinus significare videtur, dum lib. 1. de Bapt. c. 1. dicit, *fictionem verâ confessione recedere*, id est remitti. Quia cùm non repugnet substantiæ Baptismi, sed effectui, per contrarietatem refertur ad effectum, non ad substantiam Baptismi. Est ergo quodammodò naturâ posterior Baptismo, prout effectus Baptismi. Quia *relativa sunt simul naturâ.*

285 Ad tertium variant Authores. Siquidem Cajetanus, Petrus de Soto, Suarez, & alii censent peccata concomitantia Baptismum, remitti per Baptismum. Quod & S. Thomas innuere videtur loco proximè relato, ubi postquàm dixit, quòd *fictio non remittitur per Baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem*; addit, quòd *eâ remotâ, Baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum Baptismo.*

286 Nihilominùs Dom. Sotus, Ledesma, Aravio, & alii discipuli S. Doctoris id intelligunt de peccatis Baptismum tempore concomitantibus, non usque ad instans terminativum illius inclusivè. Cùm eadem sit ratio peccatorum, quibus voluntas afficitur, usque ad instans terminativum Baptismi inclusivè, ac ipsius fictionis. Nam prout actu sunt in voluntate, in illo instanti terminativo, per suam actualitatem etiam habent repugnantiam cum effectu Baptismi, seu gratia, sicut & cum dispositione ad eam requisita, eamque perinde impediunt. Nec minùs sunt peccata hominis baptizati, quàm ipsa indigna susceptio. Nec denique peccata actu existentia in instanti terminativo Baptismi, remitti queunt per Baptismum, ut videtur manifestum. Igitur remitti debent per pœnitentiam, sicut fictio de qua S. Doctor suprà. Eo quippe nomine dicta peccata S. Doctor comprehendit. Cùm & ipsa sint fictio quædam, seu obex impediens dignam & fructuosam susceptionem Baptismi. Et ideò huic etiam sententiæ subscribit Card. de Lugo de Sacram. Pœnit. disp. 16. sect. 1. & è nostris, Bonæ-Spei, Antonius à S. Spiritu, & eos referens Franciscus à Jesu Maria tr. 6. de Sacram. Pœnit. c. 4. n. 15.

Si petas, quomodò remittantur per pœnitentiam dicta peccata, cùm simul sint cum peccatis Baptismum antecedentibus, quæ per pœnitentiam remitti nequeunt, sed per solum Baptismum? 287

Respondeo Deum uno eodemque instanti tunc remittere peccata antecedentia & consequentia Baptismum, non vi solius Baptismi, nec vi solius pœnitentiæ; sed antecedentia remittere vi Baptismi, consequentia vi pœnitentiæ; sic proinde ut plena integraque remissio fiat virtute utriusque Sacramenti concurrentis ad remittenda respectivè peccata, ad quorum remissionem sunt instituta.

Superest ut videamus, an sicut Baptismus fictè susceptus, fictione sublatâ reviviscit, ita & alia Sacramenta pariter reviviscant? 288

Respondeo nullâ authoritate, vel ratione efficaciter probari reviviscentiam cæterorum Sacramentorum, ut satis ostendit summa Theologorum hac de re inter se dissensio. Nam Sotus reviviscentiam soli Baptismo tribuit. Durandus etiam Pœnitentiæ. Suarez eam reliquis Sacramentis tribuit, præterquàm Eucharistiæ. Cajetanus & plures alii eam omnibus tribuunt, etiam Eucharistiæ.

Est ergo res incerta. Cùm tota pendeat à Christi voluntate, quæ nobis non innotescit, neque per Sanctorum traditionem, neque per sufficientem rationem. Neutram enim habemus pro reviviscentia reliquorum Sacramentorum, exceptis tamen duobus aliis, characterem imprimentibus, Confirmatione scilicet & Ordine. Quòd enim Baptismus reviviscat, est ne semper alioqui effectu suo frustretur, cùm initerabilis sit, nec proinde effectus ipsius Sacramenti iteratione compensari possit. Quæ ratio in duobus aliis Sacramentis pariter initerabilibus, & utcumque etiam in Matrimonio procedit. Et ideò Augustinus reviviscentiam etiam Ordinis Sacramento expressè tribuit l. 2. contra Cresconium c. 10. agens quippe de Sacerdotibus in hæresi ordinatis, sic ait: *Christiana sanè in vobis Sacramenta agnosco. Apud vos quidem aliena sunt; sed cùm cor vestrum corrigitur, fiunt ea salubriter vestra, quæ perniciosè habebatis aliena.* Dixi allatam rationem utcumque etiam procedere in Matrimonio. Quia licèt iterabile sit, non tamen vivente comparte. Et ideò probabiliter reviviscit. Ne vivente comparte semper frustretur effectu. 289

CAPUT XXX.

Per nulla Sacramenta, per nullam etiam contritionem, peccata post Baptismum commissa, remittuntur absque ordine ad claves.

MOrinus l. 9. de Pœnit. c. 11. postquam dixit Sacramentum Confirmationis hæreticis in hæresi fictè baptizatis, si à peccatis ad Deum convertantur, primam gratiam conferre: n. 14. addit, quòd, ut Confirmatio in hoc casu ex attrito faciat contritum, nulla est Sacramenti Pœnitentiæ necessitas: 290

necessitas: siquidem *gratiam in peccatore dispositio producit sine ullo voto & relatione ad Sacramentum Pœnitentiæ postea suscipiendum.*

291 Sed in hoc erraſſe videtur doctiſſimus vir: utpote diſcordans à definitione Concilii Tridentini ſeſſ. 14. c. 2. *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus*, ſine quo in re vel in voto nullus adultus peccator juſtificari poteſt. Ergo nullus etiam poſt Baptiſmum lapſus ſine Pœnitentiæ Sacramento, in re vel in voto, juſtificari poteſt. Aliàs ſine eo ſalvari poſſet, in caſu quo ſine eo juſtificatus inſtanti ſequenti moreretur.

Accedit quòd ibidem c. 5. Tridentinum addat, 292 *peccatorum confeſſionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis, jure divino neceſſariam exiſtere.* Eſt igitur neceſſaria iis qui confirmantur. Quòdque c. 4. contritioni charitate perfectæ ſic tribuat vim reconciliandi cum Deo, ante actualem ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, ut tamen addat, *reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

LIBER SECUNDUS.

AMOR REGENERANS PER BAPTISMUM.

Sive

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

SI *ad Dei dilectionem in nobis excitandam, nutriendam, & augendam nihil ita valet, ſicut beneficiorum ejus frequens & diligens recordatio, vel conſideratio* (ut ait Author lib. *de diligendo Deo* apud Auguſtinum to. 9.) quantam Dei dilectionem in nobis excitare, nutrire, & augere non debet inenarrabile Baptiſmatis donum, per quod Deus *eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, in remiſſionem peccatorum?* in Baptiſmo quippe (ut Granatenſis ait de converſ. peccat. p. 1. c. 12.) *mundamur ab originali peccato, à dæmonum poteſtate liberamur, filii Dei, & hæredes regni Dei efficimur. In Baptiſmo, mi frater, Chriſtus deſponſavit ſibi animam tuam, & monilibus, gemmiſque tam ſublimi dignis ordine exornavit, qualia ſunt gratia, virtus, donum Spiritûs ſancti, aliaque munera & ornamenta plurima, qualia Iſaac miſit Rebeccæ, cùm illam accepit uxorem. Quid feciſti tu, ut vel minimum horum dignus ſis accipere? .... Quanta debes Domino Deo, quòd in tantæ, tamque infinita reproborum* infidelium *multitudine voluerit te in electorum numero recenſeri? inter domeſticos Eccleſiæ naſci? lacte Apoſtolorum nutriri?* &c.

CAPUT I.

Baptiſmi definitio, diviſio, & inſtitutio.

1 BAptiſmus à S. Thoma q. 66. a. 1. definitur, *ablutio corporis exterior ſub præſcripta verborum forma.* Hæc definitio rectè explicata optima eſt. Explicatiùs tamen ſic definiretur: *Baptiſmus eſt Sacramentum, quo homo exteriùs ablutur, & ſpiritualiter regeneratur per aquam, ſub forma verborum à Chriſto præſcripta.* Sic enim clarè explicatur materia, forma, & finis inſtitutionis Baptiſmi, qui eſt ſpiritualis regeneratio. Quam Auguſtinus tr. 11. in Joannem præclarè explicat, dicens: *Duæ ſunt nativitates, una de terra, alia de cœlo. Una de carne, alia de ſpiritu. Una de mortalitate, alia de æternitate. Una de maſculo & femina, alia de Deo & Eccleſia. Illa facit filios carnis, hæc ſpiritûs. Illa facit filios mortis, alia reſurrectionis. Illa filios ſæculi, hæc filios Dei. Illa filios iræ, hæc filios miſericordiæ. Ac per hoc illa peccato originali obligatos, iſta omni vinculo peccati liberatos.*

2 Tametſi propriè non ſit niſi unus Baptiſmus, juxta illud: *Una Fides, unum Baptiſma*, Epheſ. 4. in triplicem nihilominùs dividi ſolet, utique in Baptiſmum fluminis, flaminis, & ſanguinis. Verùm *duo* iſta poſteriora *baptiſmata includuntur in Baptiſmo aquæ*, inquit S. Thomas loco citato a. 11. ad 1. in quantum ſcilicet vera non ſunt baptiſmata ſine voto baptiſmatis aquæ.

Primus itaque Baptiſmus, eſt Baptiſmus flumi- 3
nis, ſeu aquæ, proximè definitus. Secundus eſt Baptiſmus flaminis, ſeu deſiderii, tunc contingens, quando ex amore Dei perfecto vehementer dolet quis de peccatis ſuis, cum ſincero voto ſeu deſiderio percipiendi Baptiſmum. Tertius eſt, dum mortem ſeu martyrium quis voluntariè ſuffert pro confeſſione fidei, vel defenſione alterius virtutis chriſtianæ.

De his duobus Auguſtinus relatus can. *Bap-* 4
tiſmi de Conſecr. diſt. 4. dicit, *Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt:* " Hodie mecum eris " in Paradiſo, " *non leve documentum B. Cyprianus aſſumit. Quod etiam atque etiam conſiderans, invenio, non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere; ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi, in anguſtiis temporum, ſuccurri non poteſt. Neque enim latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum. Nec quia credidit, paſſus eſt; ſed dum patitur, credidit. Quantùm itaque valeat, etiam ſine viſibili Sacramento Baptiſmi, quod ait Apoſtolus:* " Corde creditur ad juſtitiam; ore " autem confeſſio fit ad ſalutem, " *in illo latrone declaratum eſt. Sed tunc impletur inviſibiliter, cùm myſterium Baptiſmi, non contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.*

Sed & Innocentius III. cap. *Apoſtolicam*, de 5
Presbytero non baptizato, declarat, *Presbyterum, quem ſine unda Baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti: quia in ſanctæ Matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali peccato ſolutum, & cæleſtis patriæ gaudium eſſe aſſecutum, aſſerimus incunctanter. Lege lib. 8. Auguſtini de Civit. Dei. ubi inter cætera legitur: Baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Librum etiam B. Ambroſii de obitu Valentiniani, idem aſſerentis, revolve. Sopitis igitur quæſtionibus Doctorum, Patrum ſententias teneas, & in Eccleſia tua juges preces, hoſtiaſque Deo offeras pro Presbytero memorato.*

6 Hîc tamen de Baptiſmo flaminis & ſanguinis non agimus, ſed de Baptiſmo fluminis, ſeu aquæ, qui ſolus eſt Sacramentum. Quod licèt Eſtius exiſtimet à Chriſto inſtitutum fuiſſe, cùm Nicodemo dixit : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Joan. 3. Alenſis verò (cum Tertulliano, Chryſoſt., Theophylacto, Ruperto) poſt mortem & reſurrectionem, quando diſcipulis Matth. 28. dixit : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c.

7 Verior eſt ſententia Nazianzeni orat. 39. Cyrilli noſtri Alexandrini l. 2. in Joan. Auguſtini epiſt. 180. necnon tr. 13. & 15. in Joan. S. Thomæ q. 66. a. 2. Catechiſmi Romani, & Doctorum Scholaſticorum communiter, Baptiſmi Sacramentum à Chriſto tunc inſtitutum fuiſſe, cùm à Joanne in Jordane baptizatus fuit. Id enim ſuadet ratio S. Thomæ, quòd utique hoc Sacramentum tunc inſtitutum fuerit, dum vim accepit ſuos producendi effectus. Sed eam vim accepit, dum Chriſtus baptizatus fuit. Tunc enim aqua contactu corporis Chriſti conſecrata, in Baptiſmi materiam eſt deſtinata, prout ſancti Patres communiter tradunt. *Baptizatus eſt ergo Dominus* (ait Ambroſius l. 2. in Luc.) *non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, Baptiſmatis jus haberent.* Similiter Auguſtinus ſerm. 36. de temp. *Ex quo Salvator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tactus, cunctorumque fontium venas myſterio Baptiſmatis conſecravit : & quiſquis ibi baptizari voluit, non tam illum mundi aqua diluit, quàm Chriſti unda purificat. Salvator autem ideò baptizari voluit, non ut ſibi munditiam acquireret, ſed ut nobis fluenta mundaret.* Et ſerm. 29. de temp. *In Jordanis undis, aquas ad reparationem humani generis ſub Baptiſmo conſecravit.... omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Jordanis alveum unicâ ac ſingulari pietate deſcendit. Tunc enim..... attactu membra tinguntur, & fluenta ditantur. Vitalem gratiam, non corpus ex flumine, ſed flumen mutuatur ex corpore. Deſcendere in ſe fontem ſuum felix unda miratur, ſub uno momento remedia æterna concipiens.* Et S. Maximus homil. 6. de Baptiſmo Chriſti : *Hodie Chriſtus B. Joannis miniſterio, fluenta Jordanis benedictione proprii Baptiſmatis conſecravit.* Et homil. 7. *Quòd fluentis Jordanis baptizatur Jeſus, aquæ noſtro Baptiſmati conſecrantur.... Baptizatur.... ut aquas ipſe ſanctificet. Baptizatur novus homo, ut novi Baptiſmatis conſtituat Sacramentum.*

8 Enimverò Baptiſmi Sacramentum ante Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem inſtitutum fuiſſe, certum eſt ex Auguſtini ſententia tract. 5. in Joan. dicente, quòd Apoſtoli, ipſe etiam Judas, ante Chriſti Paſſionem baptizaverint, non Baptiſmo Joannis, ſed Chriſti : *Baptiſma quod dabatur à Petro, Chriſti eſt, & quod datum eſt à Juda, Chriſti erat. Dedit Judas, & non baptizatum eſt poſt Judam. Dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem. Quia ſi datus eſt à Juda, Baptiſmus Chriſti erat.* Quod & Joannis 3. Evangeliſta ſignificat, dicens, quòd Chriſtus baptizabat, non per ſeipſum, ſed per diſcipulos. Sequitur enim cap. 4. *Quanquam Jeſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus.* Ut enim Auguſtinus obſervat tr. 15. in Evang. Joan. *Jeſus baptizabat, & non baptizabat. Baptizabat, quia ipſe mundabat. Non baptizabat, quia non ipſe tingebat. Præbebant diſcipuli miniſterium corporis, præbebat ille adjutorium majeſtatis.* Quòd autem Baptiſmus ille, quem Chriſtus per diſcipulos ſuos contulit, non Joannis fuerit, ſed Chriſti, idem Evangeliſta ſatis apertè ſignificat, dum ait, quòd Chriſtus *baptizabat* per diſcipulos. Neque enim Chriſtus, ſed Joannes per diſcipulos Chriſti baptizaſſet, ſi Joannis, non Chriſti Baptiſmum diſcipuli contuliſſent. Nec hoc dato diſcipuli Joannis conqueſti fuiſſent de eo quòd diſcipuli Chriſti baptizarent : *Facta eſt quæſtio ex diſcipulis Joannis de purificatione, ſeu Baptiſmo.* Cùm honorificum fuiſſet Joanni, quòd Baptiſmo ſuo baptizarent Chriſti diſcipuli.

Quòd autem inſtitutum non fuerit in privato 9
cum Nicodemo colloquio : *Niſi quis renatus fuerit*, &c. ratio eſt, quia tunc primùm collata non fuit aquæ virtus ſpiritualiter mundandi & regenerandi ; utpote jam antè collata in Jordane, ut ſuprà oſtenſum eſt. Tunc ergo facta non fuit Baptiſmi inſtitutio, ſed factæ inſtitutionis & neceſſitatis Baptiſmi declaratio.

Quòd etiam inſtitutum non fuerit in cruce, 10
quando de latere Chriſti fluxerunt ſanguis & aqua ; multò minùs poſt Reſurrectionem, ſed ante Paſſionem : ratio eſt, quia Chriſtus ante Paſſionem ſuam in ultima cœna inſtituit Euchariſtiam, & Ordinem, ut conſtat ex Trid. ſeſſ. 22. can. 2. Congruum autem fuit, Baptiſmum, utpote januam aliorum Sacramentorum, ante reliqua Sacramenta inſtitui. Unde Nazianzenus orat. 4. Imperfectus, ſeu Joannes noſter Hieroſolymitanus in Matth. c. 3. Hieronymus ibidem, S. Thomas q. 38. a. 6. aiunt, Chriſtum baptizaſſe Joannem eo die quo à Joanne baptizatus fuit.

Nec S. Leo contrariatur, dum in epiſt. ad E- 11
piſcopos Siciliæ ait, *Chriſtum regenerationis potentiam ſanxiſſe, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua Baptiſmatis.* Neque enim Leo dicit Chriſtum regenerationis potentiam inſtituiſſe, ſed ſanxiſſe, id eſt moriendo firmaſſe & ſtabiliviſſe. Eò quòd morte, & paſſione ſuâ pretium perſolverit redemptionis noſtræ, unde provenit vis, efficaciaque Baptiſmi. Dum autem in eadem epiſtola ſignificare videtur, Baptiſmum fuiſſe poſt reſurrectionem inſtitutum, Matth. 28. dum Chriſtus dixit : *Euntes ergo* nunc *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. hoc referri non debet ad primam inſtitutionem, ſed ad datum diſcipulis præceptum ac poteſtatem baptizandi per totum mundum.

CAPUT II.

Baptiſmi obligatio ſolùm incœpit poſt paſſionem & reſurrectionem Chriſti ; imò probabilius, ſolùm poſt Evangelium in die Pentecoſtes ſolemniter promulgatum.

PRiorem partem tradit Catechiſmus Romanus 12
p. 2. §. 11. poſt S. Thomam q. 66. a. 2. ubi ſic : *Neceſſitas utendi Sacramento Baptiſmi, indicta fuit homini poſt paſſionem & reſurrectionem. Tum quia in paſſione Chriſti terminata ſunt figuralia Sacramenta, quibus ſuccedit Baptiſmus, & alia Sacramenta novæ legis. Tum etiam quia per Baptiſmum configuratur homo paſſioni & reſurrectioni Chriſti, in quantum moritur peccato, & incipit novam vitam. Et ideò oportuit Chriſtum priùs pati & reſurgere, quàm hominibus indiceretur neceſſitas ſe configurandi morti & reſurrectioni ejus.*

Ratio poſterioris partis ſumitur ex Tridentino 13
ſeſſ. 6. cap. 4. dicente, quòd *juſtificatio, poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt.* Nec certè Baptiſmi neceſſitas ante ſolemnem Evangelii promulgationem (quæ facta eſt in die Pentecoſtes) legitur ab Apoſtolis promulgata. Cùm igitur lex non obliget antequam promulgetur, lex Baptiſmi non obligavit ante Pentecoſtem. Si enim ante obligaſſet, neceſſitas Baptiſmi in re, vel in voto ad juſtifi-

justificationem, ante Evangelii promulgationem cucurrisset. Non solùm igitur post *Evangelium* promulgatum, ut dicit Tridentinum, sed & ante illius promulgationem cucurrisset. Cur autem potiùs, quàm cæteræ obligationes Evangelicæ?

14 Si dicas, legis Evangelicæ obligationem cœpisse statim ac Mosaïca fuit extincta; adeòque statim post Christi Passionem & Resurrectionem, per quam lex Mosaïca vim suam amisit, juxta illud S. Thomæ 1. 2. q. 103. a. 3. ad 2. *Mysterium redemptionis humani generis completum fuit in Passione Christi: unde tunc Dominus dixit, consummatum est... Et ideò tunc totaliter cessare debuerunt legalia, quasi jam veritate eorum consummatâ. In cujus signum in Passione Christi velum templi legitur esse scissum.* Matth. 27.

Contrà: legis Evangelicæ obligatio incipere non potuit ante ipsius promulgationem. Cùm promulgatio sit de ratione legis. Lex quidem Mosaïca vim suam amisit in morte Christi, sed non ideò lex Evangelica obligare cœpit in morte Christi; sed tunc demùm, cùm in die Pentecostes solemniter promulgata fuit, ita ut tempore quod medium fuit inter mortem Christi & Pentecostem, nec lex vetus ita extincta fuerit quin observari potuerit, nec lex nova adhuc necessariò fuerit observanda. Neque enim ante Pentecostem Evangelium populis fuit ab Apostolis prædicatum. Neque lex nova promulgari debuit, nisi post consummationem omnium mysteriorum Christianæ Religionis, quæ demùm in die Pentecostes, vel ad summum in die Ascensionis completa fuerunt. In die verò Pentecostes Petrus Apostolorum Princeps cum omnibus conditionibus requisitis Evangelium promulgavit in prima sua concione quam Lucas enarrat, Actor. 2. Nam concio ista (ut Bellarminus observat l. 1. c. 5. de Sacr. Bapt.) *habita fuit in urbe regia Hierosolymorum, præsentibus omnibus hominibus omnium nationum, ut Lucas testatur, à summo Præcone Evangelii, qui erat Apostolus Petrus, & in ea concione comprehensa sunt præcipua capita totius doctrinæ Evangelicæ. Denique continuò etiam cœpit usus Sacramentorum.*

CAPUT III.

Materia remota Baptismi.

15 Duplex est materia Baptismi, sicut & reliquorum Sacramentorum, remota scilicet & proxima. Materia remota est aqua naturalis, uti Christus significavit Joan. 3. cùm dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Sicque Ecclesia semper intellexit, & tradidit. Neque enim aliâ aquâ, quàm naturali, Apostolos baptizasse, argumento est, quòd Actor. 8. cùm Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum baptizari vellet, inventâ aquâ, dixit Philippo: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?.... Et descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Cùmque Actor. 10. Petrus cum fidelibus vidisset, Gentes accepisse Spiritum sanctum, materiam Baptismi aquam designat, dicens: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?* Quasi dicat non esse, cur ipsis conferri non possit Baptismus, cùm aqua non desit, quâ baptizentur. Meritò proinde Tridentinum sess. 7. can. 2. anathema dicit ei, qui dixerit, *aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideò verba illa D. N. J. C. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. ad metaphorum aliquam detorserit.*

16 Per aquam verò naturalem, omnis aqua intelligitur, quæ communi usu & sensu hominum, est & vocatur aqua, simpliciter & sine addito, *sive ea maris sit* (inquit S. Carolus Borromæus in instruct. de Baptismi administr. act. Eccles Mediolan. p. 4.) *sive fluvii, sive paludis, sive putei, sive fontis, quæ sine ulla adjunctione aqua dicè solet.* Nec ita admixta alteri corpori, ut ampliùs non sit aqua, sed aliquid aliud, ut sudor, saliva, lachrymæ, cerevisia, jusculum in quo coctæ sunt carnes, atramentum, &c. *Aliis autem liquoribus aut aquis, quæ ex floribus, herbis, aliisvè istius generis exprimuntur, eliciunturvè, Baptismum confici non posse*, Pastor populum docebit.

17 *Si fortè aqua admisceatur in tam parva quantitate alicui corpori*, quod compositum magis sit aliud, quàm aqua, (sicut lutum *magis est terra, quàm aqua*) *non potest fieri Baptismus*, ait S. Thomas q. 66. a. 4. secùs si admisceatur in tam magna quantitate, ut re & nomine adhuc sit aqua, ut aqua lutosa.

18 Proinde non licet, etiam in extrema necessitate, baptizare in alia materia, quàm in aqua, v. g. in vino, vel sanguine; quidquid Lutherus interrogatus num deficiente aquâ liceret baptizare in vino, in colloquio Symposiæ c. 17. responderit baptizari posse in omni liquore, ex quo balneum confici potest. Ex quo consequens foret, posse in sanguine humano, vel porcino; ex quo balneum confici posse constat ex historia Constantini Magni.

19 In dubio verò, an liquor (qui ad manum habetur) sit aqua naturalis, an non? tametsi alia aqua hîc & nunc haberi non possit, non licet extra necessitatem baptizare. Tametsi in extrema necessitate liceat, imò oporteat (sub conditione) baptizare in materia dubia, dum certa haberi non potest. Quia Sacramentum potiùs exponendum est periculo nullitatis, quàm homo periculo, imò certitudini damnationis. Sed & ægro periclitanti succurrendum medicinâ dubiâ, potiùs quàm nullâ. Denique *non intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia pietatis*, cap. *si nulla* de Consecr. dist. 4.

20 Scotus tamen in 4. dist. 3. q. 2. sapienter observat, quòd quando possibilitas adest, via tutissima eligenda est. Si non adest possibilitas, via tutissimæ proxima tenenda est. Cessante impossibilitate, cautè supplendum, quod impossibilitas prohibebat.

21 Sed quid de aqua rosacea? in eane baptizare licet, & sub conditione oportet, in extrema necessitate, aliâ certiori aquâ deficiente? Affirmo cum Putcano ad q. 66. S. Thomæ a. 4. Tannero to. 4 disp. 4. q. 1. n. 41. Francisco Farvacquez opusc. de Baptismo c. 2. q. 2. §. 3. ubi sequentia ad id probandum exhibet argumenta non contemnenda.

22 *Quia in extremo periculo, extrema quæque remedia tentanda sunt.* Quare cùm hîc agatur de extremo periculo, & æterna salute infantis agonizantis, extrema quæque remedia tentanda sunt. Inter quæ meritò recensetur aqua rosacea. Cùm multi Theologi profuturum infanti ejusmodi Baptismum piè confidant, nec desint piæ confidentiæ verisimilia fundamenta.

23 Siquidem valdè verisimile est aquam, è floribus rosarum, subjecto igne expressam, esse veram aquam & naturalem. Quia valdè probabiliter asseritur, elementa verè, & (ut aiunt) formaliter manere in mixtis.... Est enim opinio plurimorum Medicorum, Chymicorum, & Philosophorum, Bodini, Dandini, & aliorum, quos hîc referre longum foret. Stabilità autem probabilitate hujus opinionis, infero: Ergo etiam probabiliter asseritur in floribus rosarum, quæ sunt corpora mixta, superstitem manere substantiam aquæ veræ & naturalis, quamvis, ut sensisse fertur Averroës, remissam. Infero ulteriùs: substantia aquæ veræ & naturalis, in floribus rosarum delitescens, & quodammodò dormiens, subjecto igne

„ inde educi & excitari probabiliter poterit .... Si-
„ cut è silice, per morum chalybis substantia ignis
„ veri & naturalis educitur ....

24 „ Sed esto non permancant elementa verè & for-
„ maliter in mixtis, eritne propterea improbabile,
„ aquam veram & naturalem è floribus rosarum
„ generari & excitari? In hac opinione vera & na-
„ turalis substantia ignis generatur & excitatur è
„ mortuo silice, attritu & rarefactione pinguium &
„ inflammabilium spirituum (ait Fromondus l. 1.
„ de anima c. 8.) quidni etiam vera & naturalis
„ substantia aquæ generari & excitari poterit è flori-
„ bus rosarum, facto per ignem motu, & partium
„ humidarum & liquidarum segregatione, & in tu-
„ bum congregatione?

Deinde ostendit fundamentum Theologorum, cum S. Thoma negantium aquam rosaceam esse veram aquam naturalem, eò quòd formâ substantiali differat ab aqua vera & naturali, esse incer-
„ tum. Tum quia incertum est, an dentur formæ
„ substantiales inanimes, realiter à materia diversæ.
„ Cùm eas negent ex Democriti & Epicuri schola
„ redivivi Philosophi, quibus nihil ex principiis fidei
„ certum, nihil ratione naturali demonstratum op-
„ ponitur.

25 „ Quòd enim aqua rosacea sit artificialiter cliba-
„ no stillata, non obstat ne equidem sit aqua vera
„ & naturalis: sicut quòd ignis è silice eductus,
„ sit quodammodò artificialiter eductus, non obstat
„ ne equidem sit ignis verus & naturalis. Sicut ergo
„ ignis iste naturalis est quoad substantiam, solùm-
„ que artificialis quoad modum eliciendi. Ita simi-
„ liter.

26 „ Quòd etiam aqua rosacea odore & sapore dif-
„ ferat ab aqua vulgari. Non est firmum certum-
„ que argumentum, ex quo certò inferri queat esse
„ aquam substantialiter diversam ab aqua naturali.
„ Infirmum quippe argumentum est, ex unius ac-
„ cidentis diversitate, diversitatem substantialem in-
„ ferre. Cùm aquæ balneorum sulphureæ, sapore,
„ colore, plurimisque accidentibus discernantur ab
„ aquis vulgaribus, à quibus non ideò substantiali-
„ ter differre tradit S. Thomas.

27 „ Deinde si rosæ non sint odoriferæ, qualis fer-
„ tur esse Hierichuntina, quo indicio aquam inde
„ expressam ab aquæ vulgaris substantia discernes?

28 „ Cùm ergo probabile sit, aquam rosaceam ab
„ aqua vera & naturali substantialiter non differre;
„ in casu extremæ necessitatis, si alia aqua desit, li-
„ citum erit aquæ rosaceæ remedium adhibere. Tam-
„ etsi extra necessitatem aquâ rosaceâ baptizare sa-
„ crilegium sit, meritòque Catholici culpent & re-
„ petant Baptisma hæreticorum, aquâ rosaceâ pas-
„ sim baptizantium, exemplo Wiclefistarum *qui*
„ (teste Hapsfeldio histor. Wiclefist. c. 4.) *non sim-*
„ *plicem, sed rosaceam aquam ad mysterium Baptis-*
„ *mi adhibent.*

29 Hactenùs doctissimus Farvacius. Qui deinde quærit, liceatne infantem agonizantem baptiza-re liquore ex arboribus, aut vitibus promanante, si nullus alius suppetat idoneus? Et respondet ex tactis fundamentis id videri licitum. Non enim desunt Authores Theologi, qui ita sentiant, ut Dicastillo tr. 2. de Baptismo disp. 3. dub. 3. ubi sic: *Vidi aliquando amphoras benè grandes aquæ brevissimo tempore ex vitibus colligi, nec in colore, sapore, aut odore deprehendere potui, in quo differ-ret ab elementari, dum Murciæ versarer.*

30 Et concesso quòd elementa in mixtis verè & formaliter permanent, cur elementum aquæ ve-ræ & naturalis, delitescens in arboribus, aut vi-tibus, non poterit per calorem solis, aliasvè cau-sas congregari, & deinde foras protrudi. Imò non est improbabile aquam veram per radices seu fi-stulas, è terra exsugi, & postea distillari. Nam apud Majolum de plantis Hispanus Scriptor: *De-prehendimus* (inquit) *arbores plurimam ad se a-quam trahere ex humo, radicum operâ, velut fi-stulis: atque adeò averti fontes atque scaturigi-nes, ne profluant. Propterea cæsâ sylvâ, fontes promanasse compertum est.*

Neque aliter fieri posse credendum est, quod 31
scribit Joannes Metellus: *Ferrea Insula, una Ca-nariarum, fluviis, fontibus, puteisque caret: ve-runtamen unica in ea est arbor, mauris uti fons cir-cumdata, nuci arbori similis. Hæc aquam, quæ pecoribus, hominibusque sufficiat, è foliis ubertim distillat.* Idem, vel simile narrat Majolus ex Au-thoribus, quibus se credere dicit. Idem ex Indis se audisse scribit Dicastillo ubi suprà.

Ex quibus infertur, ex arboribus, vitibusque a- 32
quam veram & naturalem probabiliter fluere, vel saltem meritò dubitari, an non vera sit & natu-ralis; quâ proinde in extrema necessitate uti liceat, & oporteat, aliâ deficiente.

Lixivium non nimis decoctum, ab omnibus ad- 33
mittitur tamquam materia idonea, sicut & jusculum in quo coctæ sunt carnes, *dummodò* (inquit S. Thomas ad 3.) *non sit facta tanta resolutio corporum laxatorum in aqua, quòd liquor plus ha-beat de aliena substantia, quàm de aqua. Quod ex spissitudine perspici potest. Si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest ex ea fieri Baptismus, sicut & in aqua quæ exprimitur ex luto, licèt in luto fieri non possit.*

Aqua etiam collecta ex vaporibus densatis, ex 34
olla evaporatis, quæ hærent in ejus operculo, ab omnibus (quantum scio) habetur pro sufficien-te. Sicut & illa quæ tempore hyemali fluit ex lapidibus & parietibus. Cùm sit liquor ex aëre ver-sus in veram aquam naturalem.

Ab omnibus verò rejicitur lac, & succus ex- 35
pressus ex pomis, pyris, cerasis. Salivam quoque ut certò insufficientem rejicit Innocentius III. cap. *non ut* de Bapt. & ejus effectu, ubi sic: *Postu-lasti, utrùm parvuli sint pro Christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos, propter aquæ pe-nuriam, & absentiam Sacerdotis, aliquorum sim-plicitas in caput, & pectus, ac inter scapulas, pro Baptismo, salivæ conspersione linivit. Responde-mus, quòd cùm in Baptismo duo semper, videlicet verbum, & elementum, necessariò requirantur, dubitare non debes, illos verum non habere Baptis-mum, in quibus non solùm utrumque prædictorum, sed etiam alterum est omissum.*

Quod si verum est de saliva, etiam verum est 36
de urina, lachrymis, pituita.

Succos & liquores, qui per alchymiam aut di- 37
stillationem educuntur ex herbis, plantis, floribus, licèt rejiciant S. Thomas, Scotus, & alii passim, pro materia probabili, vel saltem dubia habent, qui aquam rosaceam, velut materiam probabilem aut dubiam, in extrema necessitate censent usur-pandam.

De sudore, an differat specie ab aqua naturali, 38
dubitant nonnulli apud Dianam p. 6. tr. 7. resol. 18. Sed eadem videtur ratio sudoris ac salivæ, de qua suprà n. 35.

Aquam ex sale resolutam, ineptam plerique 39
censent. Aptam reputat Henriquez in Sum. l. 2. c. 6. n. 1. Dicastillo suprà n. 29. Bonacina de Sacram. q. 2. puncto 3. n. 4. aliique plures. Tannerus verò suprà n. 38. habet ut minimum pro dubia.

Cervisiam indistinctè reprobant Henriquez, & 40
Bonacina. Sed approbant cum distinctione Sco-tus in 4. dist. 3. a. 4. Coninck, Tannerus, Layman, si valdè tenuis sit; secùs si crassa & de-cocta. Tunc enim de ipsa philosophandum, uti S. Thomas suprà philosophatur de aqua jurulen-ta valdè pingui.

Atramentum (inquit Gobat tr. 2. de Baptismo 41

n. 32.) absque omni dubio constat majore copiâ aquæ, quàm aloës, aliorumque ingredientium. Non scio tamen qui vel admittat, vel rejiciat expressè. Ipse censet esse materiam aptam, sicut est aqua turbida. Est enim vera aqua, licèt nigra: sicut aqua turbida, vera est aqua, licèt turbida. Nec refert quòd ab aqua vulgari differat odore, sapore, colore. Neque enim ideò firmiter concluditur substantialiter ab vulgari differre. Nec apparet cur de atramento philosophandum non sit, uti de cerevisia & jusculo; quæ secundùm Doctores sunt materia apta, si sermo sit de cerevisia & jusculo tenui. Idem ergo dicendum videtur de atramento non crasso, sed tenui.

42 At (inquit Caramuel Th. Fundament. fund. 64.) atramento potiùs maculari videntur, quàm lavantur. Respondet Farvacius hîc non requiri aquam, quæ emundet corpus à quibuscumque sordibus corporalibus (aliàs lutulenta aqua non foret materia apta) sed quæ sit aqua, ex sua substantia apta lavare corpus, quamvis ex aliquo accidenti per eam corpus maculetur.

CAPUT IV.

Baptismi materia proxima.

43 FArvacius in Appendice ad cap. 2. q. 2. improbat communem loquendi modum, quo Scholastici materiam Baptismi, aliorumque Sacramentorum duplicem assignant, remotam scilicet & proximam. Et ratio principalis ipsius est, quia Concilia & Canones non aliam agnoscunt Baptismi materiam, quàm aquam veram & naturalem. Nusquam ablutionem nomine materiæ designarunt, nusquam materiæ proximæ meminerunt.

44 Sed frustrà vir eruditissimus de nomine disputat, dum de re constat. Materiæ proximæ nomine nihil aliud Scholastici Doctores intelligunt, nisi materiæ remotæ, v. g. aquæ, legitimam ad subjectum applicationem. Quis dubitat applicationem istam à Conciliis & Canonibus agnitam? An non in Canonibus & Conciliis mentio ablutionis, infusionis, immersionis, aspersionis, &c.? Hoc Scholastici vocant materiam proximam. Nec hîc nimis urgenda ratio materiæ proximæ: cùm etiam in causa Sacramentorum ratio materiæ & formæ non sit nimium urgenda: quia in eorum nonnullis materiæ & formæ sunt tantùm analogicæ, ut Morinus observat lib. 10. c. 10. n. 17.

45 Et si ideò rejicienda foret usurpatio nominis materiæ proximæ, quia illius Concilia & Canones (sub eo nomine) non meminerunt; pariter rejicienda fuisset ante Florentinum usurpatio nominis materiæ & formæ, in Sacramentis explicandis: quia materiæ & formæ Sacramentorum (sub eo nomine) prisca Concilia & Canones non meminerunt. Sed sicut hoc prætextu hæretici iniquiter explodunt in Sacramentis explicandis nomina materiæ & formæ: quia licèt prisca Concilia & Canones istis nominibus Sacramentorum naturam non explicaverint, rem tamen istis nominibus sequentium sæculorum usu significatam agnoverunt; ita similiter, &c. Aliàs similiter explodendum foret, in materia pœnitentiæ, nomen attritionis, quod prisci Patres, Canones & Concilia non usurparunt. Nec Concilium Nicænum uti debuisset voce *consubstantialis*, antèa non usitatâ.

46 Rejectâ igitur ad nihil utili contentione, proximam Baptismi materiam esse dicimus ablutionem, sive talem applicationem aquæ ad corpus baptizati, ut corpus verè dici possit lotum seu ablutum. Quam ablutionem S. Thomas q. 66. a. 1. usque adeò censet esse de ratione Baptismi, ut dicat quòd Baptismi *Sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio* (audiat Farvacius;) *& ideò Magister in 3. dist. 4. sent dicit*, quòd *Baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum.* Et concinit Scotus in 4. dist. 3. q. 3.

Applicatio verò aquæ, ad corpus ejus qui bap- 47
tizatur, necessariò fieri debet per contactum fluentem & successivum, quo vel aqua contingat eum qui baptizatur, vel hic aquam contingat, ut ablutio dici possit. Sic Doctores communiter tradunt, sive interim fiat per immersionem, sive per affusionem, sive per aspersionem. Quocumque enim ex istis modis validè fieri docet S. Thomas; imò & licitè, dummodò quisque servet usum Ecclesiæ suæ, sicut observandum monet Rituale Romanum. Quia verò per immersionem expressiùs repræsentatur figura Dominicæ sepulturæ, ad quam repræsentandam baptizamur (Apostolo teste, *quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem.* Rom. 6.) ideò S. Thomas dicit, quòd modus iste baptizandi *communior* sit & *laudabilior*; nec necessaria sit trina, sive immersio, sive infusio. Tametsi hisce in partibus in usu sit *trina infusio* aquæ super caput baptizandi: prima, dum dicitur *in nomine Patris*: secunda, dum dicitur *& Filii*: tertia, dum dicitur *& Spiritûs sancti.* Eâque repræsentatur etiam aliquo modo sepultura Christi: *Nam quocumque modo fiat ablutio* (ait S. Thomas a. 7.) *corpus hominis, vel aliqua pars ejus, aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum.*

Quòdque olim Baptismus etiam per aspersio- 48
nem vel effusionem collatus fuerit, videri potest apud Cyprianum epist. 76. ubi ad id allegat illud Ezech. 36. *Aspergam* (sive ut nos legimus *effundam*) *super vos aquam mundam. Beatum* quoque *Laurentium sic baptizasse legitur* (ait S. Thomas) sicut & alios Sanctos, *& hoc præcipuè propter necessitatem*, vel quia *est magna multitudo baptizandorum, ut patet Act. 2. & 4. ubi dicitur, quòd crediderint uno die tria millia, & aliâ die quinque millia.* Et S. Franciscus Xaverius propriâ manu tinxisse dicitur duodecies centena millia hominum. Quod nonnisi per aspersionem facere potuit.

Tantum porrò aquæ corpus baptizandi contin- 49
gere debet, ut ipse moraliter censeatur ablutus; eaque pars corporis abluenda, à qua homo simpliciter denominetur *ablutus*, seu *aquâ aspersus*, &c. Unde secundùm aliquos sufficit aspersio duarum vel trium guttarum, imò unius guttæ, dummodò successivo motu per corpus fluentis, secundùm Vasquez, Henriquez, Comitolum, & alios. Sed & secundùm Vasquez, Lessium, & alios, sufficit quòd homo abluatur in quavis parte corporis, quamvis minima. Non enim semper à majori parte sumitur denominatio: cùm homo simpliciter dicatur chrismate *unctus*, etsi minima pars frontis digito chrismate intincto attingatur. Unde validum censent Baptismum infantis factum digito aquâ intincto. Nec rebaptizandum, si digitus fuerit probè immersus in aquam. Gobat tr. 2. de Baptismo sect. 2. n. 46.

Veruntamen in re tanti momenti tutiora sem- 50
per sequenda sunt: ideòque, si nihil obstet, abluendum est semper caput, in quo vigent omnes sensus, ait sanctus Thomas a 7. ad 3. Ita etiam Catechismus Romanus p. 2. §. 18. Siquando periculum urgeat, nec caput, nec alia notabilis pars corporis (v. g. caput, vel humerus) ablui possit, in parte quæ se offert, quamlibet minima, infans est baptizandus, ipsum posteà rebaptizando sub conditione, si in parte dubia fuerit baptizatus.

51 Addit sanctus Thomas q. 68. a. 11. ad 4. quòd *expectanda est totalis egressio pueri ex utero, ad Baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente, & non est posteà rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite; videtur quibusdam, quòd, propter dubium, quâcumque aliâ parte corporis ablutâ, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo.*

52 Sed quid si mors immineat infanti, nullâ sui parte existanti extra uterum, possitque Chirurgus, vel obstetrix, aquâ inspergere infantem, adhuc in utero totaliter existentem, eritne validus & licitus ille Baptismus? Negant Bonaventura, Alensis, Durandus, Comitolus, & alii. Quia juxta Matth. 1. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Juxta Augustinum verò in epist. ad Dardanum: *Nemo renascitur, nisi prius nascatur.* Et ideò Isidorus cap. *qui in maternis* 115. de consecr. dist. 4. ait, quòd *qui in maternis uteris sunt, ideò cum matre baptizari non possunt, quia qui natus secundùm Adam non est, renasci secundùm Christum non potest. Neque enim in eo duci regeneratio poterit, quam generatio non præcessit.*

53 Si tamen aqua ad ipsum infantem verè immitti queat, Baptismum ipsius validum licitumque censeo cum Gabriele, Victoria, Toleto, Maldonato, Suarez, Vivaldo, Præposito, Chapeaville, Bonacina, Tannero, Valentia, aliisque multis. Ratio est, quia qui verè ablui potest in nomine Patris, &c. baptizari potest. Si ergo infans in utero ablui possit, baptizari potest.

54 Nec obstat quod allegatur ex Matth. 1. Augustino, & Isidoro. Quia juxta S. Thomam in 4. dist. 12. q. 1. ad 2. *duplex est carnalis nativitas. Prima in utero... secunda nativitas est extra uterum.* Priori nativitate infans, adhuc in utero existens, verè dicitur natus (juxta illud Matth. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Cui consonat Alexander III. cap. *debitum* de Baptismo, ibi: *In carnali generatione, quâ proles ex viro & femina nascitur*, &c.) Nec ullibi Scriptura requirit nativitatem extra uterum. Eam quidem requirere videtur Augustinus, sed inchoatam per apertionem uteri, per quam aqua ad ipsum infantem valeat pertingere. Nec Isidorus negat natum in utero per Baptismum renasci posse, si aqua ad ipsum verè queat pertingere; sed solùm negat renasci posse, seu *baptizari cum matre*, per hoc utique quòd maternus uterus abluatur. Quia putat infantem non natum extra uterum, secundùm se ablui non posse, sive aquam ad ipsum non posse pertingere. Cujus oppositum Medici testantur, probantque, ex eo quòd in puerperio, ostium uteri, cui infans inclusus est, sufficienter aperiri solet, egressumque infanti dare, sic ut istius apertionis defectu vix unquam proles in utero moriatur, sed dum edi non potest, arctitudo aliarum partium, vel prolis infirmitas in causa est.

55 Aperto verò ostio uteri (quæ apertio, quædam inchoatio est nativitatis extra uterum) caro infantis, vel saltem secundina, infantem circumdans, si nondum fracta sit, per obstetricem, vel Chirurgum tangi potest. Igitur aqua usque ad infantem, vel secundinam immitti potest, sive manu madefactâ, sive tubo aliquo, quo Chirurgi solent aquas salutares, in matricem affectam, ad eam sanandam immittere. Quo instrumento si immitti queant aquæ matricis sanativæ, quidni & infantis ablutivæ, quæ saltem secundinam attingant. Quod probabiliter sufficit ad Baptismum infantis: cùm secundina probabiliter sit pars infantis, quamdiù in materno est utero, (sic enim docent Aureolus, Angelus, Sylvester, Vasquez, Reginaldus, Coninck, Præpositus, Bonacina, Dicastillo, aliique non pauci, eò quòd sit membrana agnata & congenita infanti, non solùm ad tegumentum, sed ad infantis nutritionem ordinata. Testantur quippe Medici per venas, in secundinæ substantiam diffusas, alimentum traduci à venis uteri materni, ad venam umbilicalem infantis. Ex quo ipse alimentum exsugit, eodemque alimento, quo infans alitur, alitur & secundina. Videtur ergo ad perfectionem & integritatem infantis pertinere, pro tempore quo infans illâ indiget; licèt ad eum non pertineat pro tempore quo non indiget. Quod non mirum. Quia natura, juxta varios status, varias sibi comparat partes, ut in adolescentia semen, in virilitate barbam, &c.

Semper autem cavendum ne alia adhibeatur 56
aqua quàm calida: eò quòd immissio frigidæ foret mors matris.

Nec contrarius est S. Thomas q. 68. a. 11. ad 57
1. dicens, infantes, quamdiù sunt in utero matris, baptizari non posse: *quia non subjiciuntur actioni humanæ.* Quia certum est ex contextu quòd hoc dicat ex suppositione quòd ita inclusi sint in materno utero, ut actio humana ad ipsos pertingere nequeat. Atque adeò pro tempore quo ostium uteri nondum apertum est: utpote quo aperto certum est ipsos tangi posse, atque adeò ablui manu obstetricis; humanæque actioni subjici.

Supereſt quæstio duplex. Prima de capillis, va- 58
leatne Baptismus, si eos solos aqua contingat? Secunda, an valeat, dum infans supponitur aquæ è tecto defluenti.

Ad 1. respondeo esse contrarias de eo Doctorum opiniones. Negant enim istius Baptismi valorem Bonacina, Villalobos, &c. Affirmant verò Sotus, Valentia, Coninck, Vasquez, Layman, aliique plures. Quia censent capillos esse partem humani corporis (quod contrarii Authores negant) servientem ad ornatum ipsius. Ob illam opinionum contrarietatem, repetendus erit sub conditione, si possibile fuerit.

Ad 2. respondeo valere Baptismum; utpote ad 59
cujus valorem perinde est sive aqua applicetur corpori, sive corpus aquæ. Si enim verè sordidat vestem, qui eam sordibus applicat: verè etiam abluit corpus, qui applicat illud aquæ. Sicut stropholum abluit, qui illud aquæ applicat, & immergit.

CAPUT V.

Forma Baptismi.

FOrma ordinaria apud Latinos hæc est: *Ego* 60
te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti. Apud Græcos verò baptizatur servus Dei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Baptizatur (inquam) non verò *baptizetur*, ut plerique Latini Theologi referunt. Quia Leo X. in sua Constitutione *accepimus nuper*, data 18. Maii 1521. testatur, morem baptizandi Græcorum, à Florentino approbatum, esse (ut dixi) *baptizatur servus Dei*, &c. Sicut & Clemens VII. in Brevi de 26. Maii 1526. quo confirmat Constitutionem illam, seu Litteras Leonis, *quas* (inquit) *in Secretaria nostra diligenter inspici & examinari fecimus*, atque *de verbo ad verbum transcribi.* Neque Liturgiæ, & Euchologia ulla Græcorum, seu nova, seu vetera, habent *baptizetur*, sed *baptizatur*, ut ex P. Goar, Severo Patriarcha Alexandrino, Nicephoro Callisto, Sophronio, & tribus Græcorum formulis, Farvacius

ostendit opusc. de Bapt. c. 3. q. 1. §. 2. ex his concludens in Florentina Instructione Armenorum, non esse legendum *baptizetur*, sed *baptizatur*: cùm sic legerit natio Græca, lectionem appro-
61 bantibus duobus laudatis Pontificibus. Ex eo verò quòd utraque illa forma valida sit, & ab Ecclesia probata, manifestum est, particulam *ego* in forma Latina non esse essentialem, sive non esse de ratione Baptismi, quòd in forma illius designetur persona baptizantis: utpote quæ in forma Græca non designatur.

62 Et quia utraque forma convenit in distincta expressione trium Personarum SS. Trinitatis, eamque in Baptismo adhibendam Christus docuit Matth. ult. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*; eaque Christi verba unanimis SS. Patrum sensus, & universa Ecclesia sic semper intellexit, tamquam adeò necessaria, ut sine iis Baptismus non subsistat. Sequitur erroneam esse sententiam Cajetani, qui ad q. 66. S. Thomæ a. 5. & 6. contra Angelicum Præceptorem suum docet, ratum esse Baptismum in solo Christi nomine collatum, absque distincta expressione trium Personarum SS. Trinitatis.

63 Quòd autem unanimis SS. Patrum sensus Evangelica verba ex Matth. ult. allata semper intellexerit, tamquam Baptismi formam, adeòque essentiam præscribentia, non est quòd dubites. Siquidem Tertullianus lib. de Bapt. c. 13. *Lex* (inquit) *tingendi imposita est, & forma præscripta: Ite, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Cyprianus epist. 73. ad Jubajan. *Dominus post resurrectionem discipulos suos, quemadmodùm baptizare deberent, instituit, & docuit, dicens.... baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Augustinus l. 6. de Bapt. c. 25. *Deus adest Evangelicis verbis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest.* Quæ Evangelica verba ibidem l. 3. c. 15. exprimit dicens: *Si verbis Evangelicis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Marcion Baptismum consecrabat*, &c. Leo Magnus epist. 4. decret. ad Episcopos Siciliæ: *Dominus . . . discipulis suis . . . formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens... baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Fulgentius de Incarn. & grat. Chr. c. 11. dicit, Matth. ult. traditam esse *formam sancti Baptismatis, esse in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti proferendam.* Isidorus lib. 2. de div. Offic. c. 24. *Nequaquam Baptismi sanctificatur officio, nisi qui sub Trinitatis tingitur Sacramento, sicut Dominus ait ... baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, &c. Proinde si, omissâ qualibet Trinitatis Personâ, Baptisma detur, manifestè in regenerationis aqua nihil agitur, nisi tota Trinitas invocetur.* Damascenus l. 4. orthod. fid. c. 10. *Qui in sanctam Trinitatem minimè baptizati sunt, hi denuò baptizentur necesse est . . . Enimverò quænam verborum forma adhibenda esset, Dominus discipulis suis in hæc verba expostuit: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Beda to. 8. q. de peccato originali: *Siquis baptizans dicat: Baptizo te in Christo Jesu, & non dicat, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, sicut Dominus instituit, non est verus Baptismus.*

64 Universam quoque Ecclesiam Evangelica illa verba semper sic intellexisse, constat ex eo quòd Ritualia, & Euchologia omnia Ecclesiæ, tam Occidentalis, quàm Orientalis, non aliam exhibeant Baptismatis formam, quàm sub distincta trium Personarum SS. Trinitatis invocatione, dicendo: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Quam adeò necessariam Ecclesia semper censuit, ut Paulianistas hæreticos, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti* non baptizatos, jusserit baptizari. Secùs alios hæreticos, sub illa verborum forma baptizatos, ut videre est can. 19. Concilii Nicæni. Similiter Cataphrygæ ad Ecclesiam venientes can. 7. Concilii Constantinop. jussi sunt baptizari: quia (teste Gregorio Magno l. 9. epist. 61.) *in Trinitatis nomine minimè baptizantur.* Et idem ibidem decretum est de Eunomianis: *quia non in Trinitatem* (ait Sozomenus l. 6. c. 26.) *sed in Christi mortem* Eunomius *assereret baptizandum.* Sed & Arianos Concilium Arelatense can. 9. dicit non baptizatos, si deprehendantur baptizati *in Patre, & Filio, & Spiritu sancto.* Verùm, si interrogati *non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.*

CAPUT VI.

Non valet Baptismus sub expresso solius Christi nomine collatus. Nec Apostoli sic unquam baptizarunt.

65 APostolos ex quadam dispensatione sic initio nascentis Ecclesiæ, ad celebrandum Christi nomen, baptizasse docuerunt Hugo Victorin. p. 6. l. 2. de Sacram. c. 2. Magister sent. in 4. dist. 3. pluresque alii veteres Scholastici. Sed Apostolos sic nunquam baptizasse, docent Basilius l. de Spiritu sancto, cui titulus: *Adversus eos qui dicunt sufficere Baptisma tantùm in nomine Domini.* Augustinus l. 3. contra Maximinum Arianum c. 17. cæterique cum ipso Patres, per Baptismum in nomine Jesu Christi collatum, de quo in Actis Apostolorum, intelligentes Baptismum collatum in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: *Illi* (inquit Augustinus loco citato) *qui Act. 2. non nominatis Patre & Spiritu sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari, intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.*

66 Ante Basilium & Augustinum Cyprianus in epist. 73. ad Jubajan. dum *in Actis Apostolorum, Petrus... dicit: Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini Jesu Christi, &c. Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Enimverò ubi post resurrectionem à Domino Apostoli ad Gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, baptizare Gentiles jubentur. Quomodò ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, modò in nomine Jesu Christi, ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus Gentes baptizare jubeat in plena & adunata Trinitate?*

67 Innocentius I. epist. 22. ad Episcop. Macedon. ait, eos qui in nomine Christi à Paulo baptizati leguntur, fuisse baptizatos *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.*

68 V. Beda to. 8. q. de pecc. origin. *Siquis baptizans dicit: Baptizo te in Christo Jesu, & non dicat: in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, sicut Dominus instituit, non est verus Baptismus. Et ideò videndum est, ne quis erret in verbis Apostoli, quibus dicit, nunc baptizo in Christo Jesu, aliter intelligens quam dictum sit.*

69 Quòd itaque non valeat, nec unquam valuerit Baptismus, in solo Christi nomine, non distinctè in nomine Patris & Spiritûs sancti collatus, inde constat quòd dum Christus Apostolis potestatem dedit baptizandi, formam sub qua baptizarent expresserit dicens: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Et formam quidem essentialem, ut constat ex dictis capite præcedenti. Incredibile verò est Apostolos non servasse formam essentialem sibi à Christo præ-

scriptam. Incredibile quoque, Christum, qui tam solemniter legem Baptismi tulit, in ea mox cum Apostolis dispensasse. Cùm nullâ necessitate, nullâ revelatione, nullâ traditione nitatur ista dispensatio. Imò necessitas erat potiùs non dispensandi, ut fidelis quisque in suo Baptismo doceretur fidem SS. Trinitatis, quæ fundamentum est Christianæ Religionis. Unde Act. 19. legitur, quòd Paulus, inventis quibusdam in Christum credentibus, eos interrogaverit: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* Cùmque illi respondissent: *sed neque si Spiritus sanctus est audivimus.* Miratus Paulus, quòd fidem Spiritûs sancti edocti non essent in Baptismo, rursum interrogavit eos, dicens: *In quo ergo baptizati estis?* Qui dixerunt, *in Joannis Baptismate.* Dixit autem Paulus: *Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Jesu.* Unde Hieronymus in cap. 2. Joël. *Quicumque* (inquit) *credere se dicit in Christum, non credens in Spiritum sanctum, perfectæ fidei oculos non habebit. Unde & in Actibus Apostolorum, qui baptizati erant Baptismate Joannis, in eum qui venturus erat, hoc est in nomine Domini Jesu: quia responderunt Paulo interroganti: sed ne si sit quidem Spiritus sanctus, audivimus: iterùm baptizantur. Quia sine Spiritu sancto, & mysterio Trinitatis, quidquid in unam aut alteram personam accipitur, imperfectum est.* Et Cyrillus noster Alexandrinus Dial. 7. de Trinit. observat, Apostolum post illa verba: *neque si Spiritus sanctus est audivimus*: interrogando: *in quo ergo baptizati estis?* clarè insinuare, solitum in Baptismo nominari Spiritum sanctum. Basilius quoque cap. 12. de Spiritu sancto dicit, Apostolos quidem baptizasse in nomine Jesu Christi, sed non solo, sive non reticendo nomina Patris & Spiritûs sancti.

70 Falluntur ergo, qui contra formam baptizandi à Domino præscriptam, putant aliquando in primitiva Ecclesia inter baptizandum, solum nomen Christi expressum. Cùm enim dicuntur aliqui in Actis Apostolorum baptizati in nomine Domini Jesu, non significatur in eorum Baptismo solum nomen Jesu expressum fuisse, sed eos Baptismo Christi, atque in fide & virtute Christi, sub præscripta ab ipso forma baptizatos fuisse. Nam etiam Matth. 3. & Joan. 1. Baptismus Christi dari significatur *in Spiritu.* Et Rom. 6. *in mortem Christi.* Non ideò tamen valuit aliquando Baptismus, collatus sub expresso solo nomine *Spiritûs sancti*, vel *mortis Christi.*

71 At (inquies) Ambrosius l. 1. de Spiritu sancto c. 3. sic ait: *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum.* Nicolaus I. responso 104. ad Consulta Bulgarorum ita rescripsit: *Aquodam Judæo, nescitis utrùm Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & de his quid sit agendum consulitis. Hi profectò si in nomine sanctissimæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt* (*unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius*) *constat eos non esse baptizandos.* S. Bernardus epist. 340. ad hanc quæstionem, an baptizatus sit puer, cui Laïcus, in periculo mortis ipsum baptizans, dixit: *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ & veræ crucis?* Respondet: *Ego verè hunc baptizatum puto.* Et paucis interjectis id probat ex eo quòd *legimus in Actibus Apostolorum, non modo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; verùm & in nomine Domini Jesu Christi aliquos baptizatos.*

72 At (inquam ego) Ambrosius ibi non loquitur de Ministro & forma Baptismi (aliàs sibi apertè contradiceret c. 4. perspicuè dicenti: *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.* Et c. 7. *In uno nomine baptizari nos oportet, hoc est in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*) sed loquitur de suscipiente Baptismum, fideique confessione per ipsum facienda, ut ex contextu Farvacius ostendit q. 3. §. 2.

Quod Nicolaus I. super hoc scripsit, ut privatus Doctor scripsit, utpote super hoc non consultus. In eo proinde non est audiendus, contra definitionem Pelagii & Zachariæ, antecessorum suorum. Siquidem Pelagius II. scribens Gaudentio Episcopo: *Multi sunt* (inquit) *qui in nomine solùm Christi... se asserunt baptizatos. Evangelicum verò præceptum, ipso Deo & Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet.... baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Itaque *si reverâ hi... solummodò se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cujusquam dubitationis ambiguo, eos... in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Zacharias verò in epist. ad Bonifacium declarat, *regulam à Domino esse impositam*, Baptismum *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti consecrandi... Quis enim, nisi baptizetur junta præceptum Domini, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti... potest esse Catholicus?* Similiter audiendus non est Bernardus ea in epistola, si verè ipsius sit; sed authoritas ipsius cedere debet contrariæ definitioni Ecclesiæ, laudatorumque SS. Pontificum. Verùm epistola illa existimatur spuria. 73

CAPUT VII.

Nunquam valuit Baptismus, sub hac forma collatus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen: *prætermissis illis:* Ego te baptizo.

HAc de re Morinus l. 8. de Pœnit. c. 16. n. 17. *In Baptismi forma* (inquit) *præcipuè consideranda est Trinitatis invocatio. Hoc unum scriptis suis Patres nobis commendarunt. De hoc solo legimus eos quæstionem cum hæreticis habuisse, & propter hoc solum, vel omissum, vel malè enuntiatum, vel aliquid ei additum, hæreticorum Baptisma improbasse; omnium verò admisisse, qui Trinitatem baptizando invocassent. Eos autem disputasse, an baptizando dicendum esset,* Ego te baptizo, vel baptizetur, vel baptizatur, *vel* (*nomine isto præterito*) *sufficeret actum ipsum immersionis exercere, dicendo,* in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, *nusquam apud eos legi commemoratum, nedum disputatum.* 74

Et infrà: antiqui Patres, & Græci & Latini, Baptismi *effectum invocationi sanctæ Trinitatis semper attribuunt, Sacerdotemque aiunt per precem & invocationem S. Trinitatis baptizare.... Ista enim,* baptizo, baptizetur, vel baptizatur, *tamquam quid accessorium.... considerabant, totis ad S. Trinitatis invocationem attentissimi.... Antiquissimi Scholastici tam pauci fecerunt priorem formulæ partem,* ego te baptizo, *ut quamplurimi pronuntiarint, ad substantiam Baptismi non pertinere. Præpositivus, cùm viveret, splendidissimum Theologiæ Scholasticæ lumen, in 4. parte Summæ sic refert, ubi agit de forma Baptismi:* Quæri solet, utrùm verba hæc, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, sufficiant? An hoc verbum, *baptizo*, sit de substantia Sacramenti? Magistri nostri omnes dixerunt, quòd hoc sufficit: *in nomine Patris*, &c. *Sic aliquot ante ipsum annis communiter in scholis definiebatur*, & in praxi usurpabatur, ut

ut manifestissimum est *ex Summa de Sacramentis, & animæ consilii, quæ in Bibliotheca Victoriana extat manuscripta, cujus Author est Petrus Cantor Parisiensis, Præpositivo senior, fol. 156. ubi quæris:* utrum prolatio hujus verbi, *baptizo*, sit de substantia Sacramenti? an sufficiat dicere: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*? Non est apud Doctores definitum. Juxta institutionem tamen evangelicam (ubi dicitur, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*) ostenditur quid facere debeant in invocatione istorum nominum. Unde videtur non aliud exigi ad formam. *Idem colligitur ex Hugone à sancto Victore l. 2. p. 6. c. 13. de Sacramentis fidei.... Petrus Claromontanus Episcopus eandem prorsus hypothesim Stephano Tornacensi Episcopo proponit, dubius an hujusmodi Baptismus sit repetendus. Primum uterque testatur, Laicos, cùm in necessitate baptizant, omittere hæc verba*, Ego te baptizo, *& solùm mergendo dicere:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. *Respondet Stephanus, legitimum sibi videri Baptismum istum, nec repetendum. Quia Patres in Baptismo hæreticorum, ut ratus esset, solam Trinitatis invocationem quæsierunt. Quod nonnullis Patrum testimoniis demonstrat. Deinde quia nusquam in Evangelio jubetur dicendum:* Ego te baptizo; *sed tantùm*, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c... *sanè videntur Stephani rationes probabiles* (subjungit Morinus) *Probè enim sciebant Patres, in quo Baptismi substantia consisteret. Sed de invocatione S. Trinitatis leguntur tantùm solliciti fuisse. Deinde videtur omnium Gentium, atque etiam S. Scripturæ, & rationis ipsius regulâ, eum præcepto satisfacere, qui quod Dominus præcepit exequitur, nec opus esse, antea enuntiare se hoc facere. Exempli causâ, jubet Elizæus servo suo, puerum suscitaturo, ut ponat baculum suum super faciem pueri. Quis dicat, necesse fuisse servo, pronuntiare hæc verba:* Pono baculum Elizæi super faciem tuam. *Jubet Dominus Moysen virgam projicere, ut fieret serpens. Nunquid necesse fuit Moysen dicere, virgam projicio.... S. Jacobus de infirmo.... jubet:* Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. *An ideò necesse est dicere: ungo te? vel non prosit ipsa oratio, nisi priùs dicat:* oro, *vel* oremus? *Græci.... hoc tantùm proferunt:* signaculum doni Spiritûs sancti. *Et antiquitùs Latini:* signum Christi in vitam æternam. *Alii tantùm:* in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.

75 Verùm (ut optimè Muldonatus in cap. 28. Matth.) *istas omnes subtilitates una Ecclesiæ traditio, optima sacrarum Litterarum interpres, omninò dissipat.* Ex ea quippe efficax argumentum habemus ad concludendum, quòd cùm Christus jussit baptizare in nomine Patris, &c. jussit exprimere actum baptizandi (quidquid sit de aliis exemplis à Morino allegatis) in istis enim voluntas & institutio Salvatoris pro regula est. Sic autem Christum voluisse & instituisse, scimus ex Ecclesiæ traditione, quæ docet actum baptizandi exprimendum esse. Cujus quidem traditionis certum argumentum habemus, tum ex definitione Alexandri III. cap. *siquis puerum* extrav. de Bapt. *Si quis puerum ter in aqua immerserit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen. Et non dixerit: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, non est puer baptizatus.* Tum ex eo quòd Alexander VIII. die 7. Decemb. 1690. hanc proscripserit propositionem 27. ex 31. *Valuit aliquando Baptismus, sub hac forma collatus*, in nomine Patris, &c. *prætermissis illis*, ego te baptizo.

76 Nec in contrarium proferri possunt SS. Patres: utpote apud quos Morinus fatetur, nihil super hac quæstione *commemoratum, multò minùs disputatum.* Nec mirum: quia ipsorum tempore nulla super hoc mota fuit quæstio, sed magna semper fuit consensio: siquidem, ut Muldonatus observat q. 3. de Baptismo, *traditio semper hæc fuit, ut Minister ita diceret, quando baptizabat: ego te baptizo*, &c. Controversia circa Baptismum hæreticorum, solùm fuit super invocatione SS. Trinitatis. Et ideò in quæstione de Baptismo hæreticorum de ea solùm solliciti fuerunt, non de expressione actûs baptizandi. De qua Patrum tempore hæretici cum Catholicis semper convenerunt. Et per hæc paret ad argumenta Stephani, Episcopi Tornacensis, & Morini.

CAPUT VIII.

Ad Baptismi valorem non solùm exprimenda est Personarum Trinitas sub propriis & distinctis nominibus personalibus, sed & divinæ naturæ Unitas.

EXprimendam esse divinarum Personarum Tri- 77
nitatem, sub propriis & distinctis nominibus, constat ex dictis cap. 5. & 6. Solùm addo tres Personas necessariò exprimendas sub propriis nominibus personalibus, id est significantibus propriam rationem Personæ. Hujus enim defectu S. Thomas q. 66. a. 5. ad 7. S. Bonaventura, Scotus, & Doctores communiter negant perfici Sacramentum, si quis baptizet *in nomine genitoris, geniti, & spirati.* Quia voces *Genitor, Genitus, Spiratus*, ex vi significandi non important propriam rationem cujusque Personæ, sed actûs notionalis, nec sunt synonimæ cum his, *Pater, Filius, Spiritus sanctus.* Quia vox *genitus & genitor* latiùs patet, quàm vox *filius & pater.* Siquidem ex nobis generamus vermes, qui non sunt filii nostri. Ob eandem rationem plerisque videtur, non valere Baptismum collatum *in nomine Ingeniti, Imaginis, & Doni*, vel *Authoris, Unigeniti, & Doni.* Tametsi enim verba illa, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, S. Hilarius l. 2. de Trinit. explicet per ista, *id est in confessione & Authoris, & Unigeniti, & Doni*; non ideò sic explicat, quòd ista significent propriam cujusque personæ rationem: sed quia significant realiter idem, sive quia idem sunt re, non formali significatione.

Exprimendam quoque divinæ naturæ unita- 78
tem, habemus ex Evangelio, in quo Christus baptizari jussit *in nomine*, non *in nominibus Patris, & Filii*, &c. ad unitatem illam exprimendam. Unde Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. *Non baptizantur in nominibus Patris, & Filii, &c. sed in uno nomine, quod intelligitur Deus.* Et Ambrosius l. 2. de Sacram. c. 7. *Noli mirari, quia dixi, unum nomen, una Majestas. Hoc est nomen, de quo dictum est, in quo oportet omnes salvos fieri.* Et ratio est, quia Baptismus est Sacramentum fidei, in quo Christus exprimi voluit primum & præcipuum fidei mysterium, utique SS. Trinitatis, quod consistit in uno Deo, tribusque Personis.

Sequitur proinde, non valere Baptismum, col- 79
latum in nominibus Patris, & Filii, &c. ita S. Ambrosius, & S. Hieronymus locis citatis. S. Augustinus l. 3. contra Maximin. c. 22.

Quid siquis diceret: *Baptizo te in nomine Patris,* 80
& in nomine Filii, & in nomine Spiritûs sancti? Bonacina d. 2. q. 2. p. 4. n. 3. negat valere. Quia per hoc non significatur naturæ unitas, sed pluralitas. Melius probaret, quia sicut forma Baptismi, quâ parte significat Trinitatem, eam significare debet voce significante Trinitatem, potiùs quàm unitatem; ita quâ parte significat unitatem, eam significare debet voce significante unitatem, potiùs quàm

Trinitatem, sive potiùs aliquid unum, quàm trinum. Vox autem *in nomine* ter repetita, non magis significat unum nomen, quàm trinum.

81 In contrarium tamen est communis sententia, teste Leandro q. 15. quam Farvacius de Bapt. c. 3. q. 5. quæstiunc. 5. constare dicit ex eo quòd in veteri forma benedictionis Baptisterii (quam exhibet ex Severo Patriarcha Alexandrino) ter olim repetita fuerint verba *in nomine*. Sed quid inde? Fateor hinc quidem colligi quòd trina repetitio verborum *in nomine* non necessariò designet naturæ divinæ Trinitatem; sed non idcò designat unitatem, potiùs quàm Trinitatem.

82 At (inquit) validus est Baptismus, si quis dicat: *Baptizo te in nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritûs sancti*. Fateor: sed hoc idcò, quia naturæ divinæ unitas satis exprimitur per ly *in nomine* numero singulari semel expressum.

83 Propterea Baptismus (de quo quæstio) mihi videtur anceps & dubius, ideòque sub conditione repetendus: Neque enim dubium submovet ordo Baptismi conscriptus à Severo Alexandrino, in quo haberi dicitur hæc forma, *baptizatur talis N. In nomine Patris amen. In nomine Filii amen. Et Spiritûs sancti ad vitam sæculi sæculorum*; utpote quæ non videtur irrefragabilis esse authoritatis, uti nec forma Nestorianorum, qui in Palæstina ter repetere dicuntur ly *in nomine*. Unde non solus Bonacina invalidum censet ejusmodi Baptismum; sed & Antonius Cotonius celebr. Controv. l. 2. Controv. 2. cap. 1. Filliucius tr. 2. n. 62. Necsen tr. 2. de Bapt. dub. 5. aliique plures à Bonacina relati, sicut & à Dicastillo de Bapt. disp. 1. dub. 5. n. 96.

84 Sequitur 2°. non valere Baptismum, sub hac forma collatum: *Baptizo te cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto*. Quia in ea forma non exprimitur divinæ naturæ unitas, nec valet Baptismus nisi collatus evangelicis verbis, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, quibus & naturæ unitas, & Personarum Trinitas distinctè exprimitur.

85 Nec dicas cum Comitolo l. 1. respons. q. 9. has voces, *baptizo te cum Patre*, &c. æquipollentes esse cum istis, *in nomine Patris*, &c. contrarium enim constare videtur ex hoc quòd per priores distinctè non exprimatur naturæ unitas, uti per posteriores.

86 Sequitur 3°. non valere Baptismum collatum *in nomine primæ, secundæ, & tertiæ Personæ*. Quia in ea forma tres Personæ non exprimuntur sub propriis nominibus personalibus, id est significantibus proprietates personales singularum Personarum.

CAPUT IX.

Referuntur variæ formæ, de quarum valore dubitare quis posset.

87 PRima forma est illius Sacerdotis, qui, ut refertur cap. *retulimus* de Baptismo, ex Latinæ Linguæ imperitia, baptizabat dicendo: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*. Respondet Papa Zacharias, Baptismum esse validum. Quia ex circumstantia notæ probitatis & imperitiæ satis apparet, tres Personas SS. Trinitatis designari verbis illis.

88 Quòd si ex malitia, non ex imperitia, sic aliquis baptizaret, idque ex circumstantiis appareret, certè verba illa neque per se sumpta, neque ex circumstantiis haberetur sensum à Christo intentum. Ideòque videretur Baptismus, vel dubius, vel nullus, ut indicat Coninck hîc q. 6. n. 7.

89 Secunda est Carbonariæ Leodiensis, linguâ corruptâ Leodiensi sic baptizantis: *Efan j'et batise à nos des Pere, & des Fils, & des saint Esprit*. Cùm enim vox gallica *des* sit apud Gallos pluralis numeri, Carbonaria illa baptizare videtur *in nomine Patrum, & Filiorum, & Spirituum sanctorum*. Respondeo tamen cum Marchantio resol. Pastor. de Sacram. tr. 1. c. 2. n. 1. Baptismum esse validum. Quia ex circumstantiis, & patrio modo loquendi istarum mulierum, satis apparet per corruptum illum loquendi modum non variari sensum à Christo intentum.

Tertia est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & sanctæ Crucis, & Spiritûs sancti*. Hanc formam à Suarez non pene rejici censet Gobat hîc n. 90. Quia per sanctam Crucem satis à Christianis intelligitur Christus. Valet autem hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritûs sancti*. Nihilominus respondeo non valere. Quia per sanctam Crucem distinctè non exprimitur persona Filii. 90

Quarta hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, & beatæ Virginis*. Ejus valorem pendere censeo ab intentione Ministri. Valet enim, si illâ additione solùm petat intercessionem B. Virginis, vel solùm intendat ipsam honorare honore ipsi debito. Secùs si baptizare intendat in nomine B. Virginis, sicut in nomine Patris, & Filii, &c. Quasi una sit natura Virginis, & Patris, &c. sicut una est natura Patris & Filii. Talis enim non intendit facere quod Christus intendit, & Ecclesia facit. Ita ferè S. Thomas q. 60. a. 8. 91

Quinta hæc: *Ego intendo te baptizare in nomine Patris, & Filii*, &c. Non valet, quia tametsi exprimat intentionem, non exprimit actum baptizandi, cujus expressio secundum decretalem Alexandri III. & secundùm Florentinum in instruct. Armen. necessaria est. 92

Sexta hæc: illius Sacerdotis, qui verè intendens baptizare, loco *Ego te baptizo*, per indeliberatum linguæ errorem dixit: *Ego te bartizo in nomine Patris*, &c. Valida fuit, nec repetenda. Quia mutatio unius litteræ in aliam per inadvertentiam facta, in mente audientium gignere non potuit sensum substantialiter diversum à sensu Christi & Ecclesiæ, magis quàm in primo & secundo casu suprà. Non magis item, quàm in casu quo per vitium linguæ Sacerdos, vel addit, vel omittit unam syllabam, v. g. dicendo: *Ego te babaptizo in nomine Patris*, &c. Non magis denique quàm in casu quo Sacerdos in Consecratione per linguæ crassitiem dicit: *Hoc est colpus meum*. De syllabam unam omittentibus, seu syncopantibus ex linguæ vitio, notanda sunt verba Doctoris subtilis in 4. d. 3. q. 2. *Si subtrahatur* (inquit) *aliqua syllaba per syncopen, non propter hoc destruitur forma. Non enim voluit Deus hominem omninò determinare ad verba in Sacramentis, ultra illum modum, quo verba sufficiunt ad exprimendum conceptum; sed cum syncopâ benè intelligit audiens conceptum loquentis. Nec auderem dicere, quòd non vitans eam, peccat mortaliter, si non vitat ex contemptu, sed ex quadam infirmitate, vel inconsideratione humana, quæ non præcavet omnibus, quantum posset.* 93

Septima hæc: *Ego te christizo*, vel *christiani-zo* seu *Christianum facio in nomine Patris, & Filii*, &c. Non valet. Quia non exprimit actum abluendi. 94

CAPUT X.

Minister Baptismi.

DE eo can. *constat* de Consecr. dist. 4. sic statuitur: *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum, absque Episcopo, vel Pres-* 95

bytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat. Quod & Laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quispiam sine remedio salutari de seculo evocetur.

96 Id tamen discriminis est inter Diaconum, & inferiores Clericos, Laicosque, quòd *ubi necessitas exigit, & Presbyter est absens, potest Diaconus etiam jure suo baptizare.* Ita Glossa in can. *Diaconos* dist. 93. verbo *necessitas.*

97 Potest etiam, sive vir, sive femina, in necessitate baptizare, sed cum aliquo discrimine. Quia, ut S. Thomas observat q. 67. a. 4. *non debet mulier baptizare, si adsit copia viri; nec Laicus præsente Clerico; nec Clericus præsente Sacerdote. Qui tamen potest baptizare præsente Episcopo. Eò quòd hoc pertinet ad officium Sacerdotis.*

98 *Si extra necessitatis articulum Laicus baptizet, peccat quidem. Tamen Sacramentum Baptismi confert.* S. Thomas ibidem a. 3. ad 1.

99 Si petas, qualiter peccet Laicus citra necessitatem baptizando? Respondet S. Carolus Borromæus act. p. 4. de Ministro Baptismi, graviter peccare. (*Si à muliere, vel à Laico secùs fit, gra-*
100 *ve peccatum admittitur.*) *Parentes autem omninò caveant, ne liberos suos baptizent absque manifesta necessitate: cùm scilicet alii quoquo modo apti non adsunt, & periculi urget necessitas.* S. Carolus Borromæus ibidem. Alias parentes non possent ab invicem petere conjugale debitum. Ob cognationem spiritualem, quæ contrahitur inter baptizantem (extra necessitatem) baptizatum, baptizatique patrem & matrem.

101 Posset tamen pater exigere debitum à conjuge, si filium suum solùm baptizasset cogente necessitate, juxta can. *ad limina* 30. q. 1. ibi: *Dicimus omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Nam hoc baptizandi opus Laicis fidelibus, juxta canonicam authoritatem, si necesse fuerit facere, liberè conceditur. Unde si supradictus genitor filium suum, corpore morientem aspiciens, ne animam perpetuâ morte pereuntem dimitteret sacri undâ Baptismatis lavit, ut eum de potestate authoris mortis & tenebrarum eriperet, benè fecisse laudatur. Idcirco suæ uxori, sibi jam legitimè sociatæ, impunè quamdiù vixerit, judicamus manere conjunctum.*

102 Nec dubium, valere Baptismum à non baptizato, etiam Judæo, vel Pagano, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti collatum, uti definitur can. *à quodam* de Consecr. dist. 4. *Sicut enim ex parte materiæ, quantùm ad necessitatem Sacramenti, sufficit quæcumque aqua* (inquit S. Thomas q. 67. a. 5.) *ita etiam sufficit ex parte Ministri quicumque homo. Et ideò etiam non baptizatus, in articulo necessitatis, baptizare potest, ut si duo non baptizati se invicem baptizent.*

103 Non potest tamen quis seipsum, etiam in necessitate, validè baptizare; nec validus fuit Baptismus quo Judæus in mortis articulo seipsum baptizavit, dicens: *Ego me baptizo in nomine Patris*, &c. De quo casu Innocentius III. consultus can. *debitum* de Bapt. respondit: *quòd cùm inter baptizantem & baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis:* Ite, baptizate omnes Gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. *Memoratus Judæus est denuò ab alio baptizandus, ut ostendatur, quòd alius est qui baptizatur, & alius qui baptizat, sicut in generatione carnali alius est qui carnaliter gignit, alius qui carnaliter gignitur.* Ad quod designandum Christus non à seipso, sed à Joanne voluit baptizari.

104 Sciendum etiam 1°. quòd *quando Baptismus solemniter & ordinatè celebratur* (necessitate aliud non postulante) *debet aliquis Sacramentum Baptismi suscipere à Presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice ejus.* S. Thomas q. 67. a. 4. ad 2.

2°. tametsi Marsilius, & Cajetanus valere 105
putent Baptismum, collatum à duobus Ministris simul concurrentibus, quorum unus aquam infundat, alter proferat formam. Oppositum nihilominùs dicendum cum S. Thoma q. 66. a. 6. ad 3. Quia (inquit) tunc forma non est vera, cùm eam proferens non abluat, nec proinde verè dicat: *Ego te baptizo, &c. Integritas formæ Baptismi* (ait S. Doctor) *consistit in forma verborum, & in usu materiæ. Et ideò neque ille qui tantùm verba profert, baptizat; neque ille qui immergit. Et ideò si unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens.* Quia tamen nonnullis viris doctis hæc sententia non videtur omninò certa, neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ex ratione, nec opposita prorsus improbabilis: Joannes Chapeaville in suo doctissimo tractatu de administr. Sacram. tempest. q. 20. ait se non improbare praxim sic baptizandi in extrema necessitate, dum alioqui puer est moriturus absque Baptismo, v. g. tempore pestis, si valeat habere nequeat accessum ad puerum, eò quòd ædes infectæ sint à Magistratu occlusæ, nec in domo sit nisi mutus vel adeò rudis, ut nec formam sciat, nec brevi tempore edoceri queat. Quo casu poterit (inquit) per fenestram apertam proferre sub conditione formam, illo qui intùs est affundente aquam. Quod etiam probant Gobat n. 147. Farvacius c. 4. q. 7. noster Stephanus à S. Paulo disp. 2. n. 12. & alii apud Dianam p. 5. tr. 3. resol. 19. & 26. Quibus tamen non subscribit Comitolus l. 1. respons. moral. q. 11. ubi id penitùs rejicere videtur.

3°. valere Baptismum, quo duo simul eun- 106
dem hominem abluunt, & simul verba proferunt, sic ut uterque dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii*, &c. independenter alter ab altero. Sicut valida est consecratio ejusdem panis, quo Sacerdotes de novo ordinati simul cum Episcopo ordinante consecrant, si simul consecrationis verba proferant. Ita S. Thomas q. 67. a. 6. his verbis: *Si omninò simul verba proferrent, & hominem immergerent, aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi & non de iteratione Baptismi. Quia uterque intenderet non baptizatum baptizare, & uterque, quantùm est in se, baptizaret. Nec traderent aliud & aliud Sacramentum; sed Christus, qui est unus, interiùs baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.* Si autem quilibet illorum baptizare intenderet ut Minister partialis dependenter ab altero, tamquam concausa partiali, tunc neuter baptizaret. Quia talis concursus *videtur esse contra rationem ministerii* hujus Sacramenti (ait S. Doctor ibidem) *homo enim non baptizat, nisi ut Minister Christi, & vicem ejus gerens. Unde sicut unus est Christus; ita oportet esse unum Ministrum, qui Christum repræsentet. Propter quod signanter Apostolus dicit Ephes. 4. unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Et ideò contraria intentio videtur excludere Baptismi Sacramentum.*

4°. *non esse* quoad hoc *simile de baptizante &* 107
baptizato (addit S. Doctor ad 2.) sed posse subesse plures homines simul ab uno Ministro licitè baptizari, tametsi plures Ministri licitè non possint simul eundem hominem baptizare: *quia Christus, qui principaliter baptizat, est unus; sed multi per Baptismum efficiuntur unum in Christo.* Unde *in casu necessitatis, unus posset simul plures baptizare, dicendo:* Ego vos baptizo: *puta si imminneret ruina, aut gladius, aut aliquid hujusmodi, quod omninò moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ. Quia plurale non est nisi singularis*

geminatum, præsertim cùm pluraliter dicatur Matth. ult. baptizantes eos, &c. Sanè si verum est, quòd S. Franciscus Xaverius propriâ manu baptizaverit duodecies centena millia hominum, ut ex compendiolo vitæ ipsius refert Gobat hîc tr. 2. n. 44. non potuit tam multos brevi tempore baptizare, nisi plures simul aspersione baptizando. Sed & in Obsequiali Constantiensi fol. 38. (ut idem refert n. 148.) observatur, sæpiùs in amplioribus Parochiis contingere, ut plures simul baptizentur. Ut proinde in hac Diœcesi non sit movendus scrupulus Parocho (pergit idem Author) cui sæviente hyeme adferuntur è duobus locis aliquantùm dissitis duo infantes referendi in album fidelium, si utrumque simul referat, simul regenerando.

108 5°. peccasse graviter obstetricem (quidquid dixerit Diana p. 3. tr. 4. resol. 4.) quæ in casu necessitatis baptizavit infantem, dum adsunt Religiosi in sacris constituti, tametsi non Sacerdotes, qui hoc facere potuissent, & voluissent. Quia jus alienum usurpavit in re gravi. Nec necessitas ipsam excusat. Quia necessitas nulla fuit ut ipsa baptizaret, dum non deerant ordinati, præsertim Diaconi, qui possunt, & vellent. Graviter verò peccat, qui citra necessitatem baptizat non ordinatus, ut colligitur ex gravitate pœnæ, utique irregularitatis, quam talis incurrit juxta cap. 1. de Cler. non ordin. Nullâ enim necessitate cogente, si fiat, alieni muneris usurpatio est, inquit Augustinus l. 2. contra Parmenion. c. 13. ubi Sacramentum Ordinis vocat *jus dandi* Baptismum. Sicut & lib. 1. contra Donatist. c. 1. Ordinationem vocat *Sacramentum dandi Baptismi*, his verbis: *Sacramentum dandi Baptismi habet, qui ordinatur.* Graviter quoque peccat Diaconus, si præsente Presbytero, & baptizare parato, baptizet; sicut & Subdiaconus, si præsente Diacono; excommunicatus, præsente non excommunicato; infidelis, præsente fideli. Dicastillo tr. 2. disp. 2. dub. 2. n. 2.

109 Dixi, *dum non deerant ordinati, præsertim Diaconi.* Quia juxta antiquum ordinem Romanum, & Pontificale, Episcopus ordinando Diaconos, *Diaconum*, inquit, *oportet ministrare ad Altare, & baptizare.* In quo tamen Diaconus à Sacerdote differt, quòd Sacerdos sit Minister ordinarius hujus Sacramenti, Diaconus nonnisi delegatus, ita ut non possit aliis hanc facultatem delegare, sicut Sacerdos. Tametsi inter Diaconum, & alios Clericos inferiores differentia sit 1°. quòd Diaconus ex Sacerdotis commissione solemniter, id est cum solitis ritibus ac cæremoniis baptizare possit. 2°. quòd vi ordinationis suæ idoneus sit, cui extra necessitatem Baptismi administratio committatur, quæ aliis committi nequit. 3°. quòd jure ordinationis suæ in necessitate Clericis inferioribus sit præferendus. 4°. quòd juxta Suarez hîc disp. 23. sect. 3. Glossam suprà n. 97. Franciscum de Genet tr. 2. c. 4. absente Presbytero, in necessitate possit solemniter baptizare, non sic Subdiaconus, &c.

110 6°. Parochum, nondum insignitum Ordine sacerdotali, sed diaconali dumtaxat, secundùm Gobat n. 139. licitè baptizare absque alia commissione, sicut absque alia commissione licitè prædicat. Quia hoc ipso quòd Episcopus Diacono confert Beneficium parochiale, videtur conferre quoque jus aggregandi aliquos in Collegium fidelium. Hoc enim jus pertinet ad Præsidentes Collegii, ut Scotus arguit in 4. dist. 6. q. 2. Secùs, si Parochus foret solummodò Subdiaconus. Quia Baptismi ministerium Subdiacono extra necessitatem committi nequit; secùs Diacono. Ita Gobat. Sed non ita ego. Non ita cæteri Doctores, baptizandi potestatem jure ordinario, solis Sacerdotibus tribuentes, juxta can. *constat* suprà relatum. Neque Episcopus eo ipso baptizandi potestatem conferre, seu committere censetur, quo parochiale confert Beneficium: solùm enim conferre censetur jus ad parochialia munera, suppositis supponendis. Jus utique ad baptizandum, ad Eucharistiam distribuendam, ad Extremam Unctionem administrandam, ad excipiendas Confessiones, &c. suppositio sacerdotio. Caveat proinde Parochus Diaconus, ne irregularis fiat juxta c. 1. de Cler. non ordin. ministr. si sine alia commissione extra necessitatem baptizet.

7°. Parochum, cui offertur baptizanda proles 111
ex illegitimo concubitu nata, non posse (injussu Magistratûs Ecclesiastici) negare Baptismum, nisi mater revelet genitorem. Imò graviter peccare cogendo vel inducendo matrem ad ipsum manifestandum. Quia cogit vel inducit matrem ad grave peccatum, scilicet ad infamationem stupratoris occulti.

Si tamen ad id coëgerit jubente Episcopo, non 112
est arguendus. Quia præsumere potest & debet, Episcopo non deesse justam causam ad id jubendum, v. g. ad providendum de alimentis prolis illegitimæ, &c. Quam ob causam ipse etiam sæcularis Magistratus nonnunquam cogit matrem ad ejusmodi manifestationem, etiam sub juramento. Quod tamen postremum non confulerem, nisi aliunde adsit temiplena probatio, tum propter grande periculum perjurii. Tum quia sive in judicio sæculari, sive ecclesiastico integrè stari non potest tali nominationi, etiam juratæ, uti adversus non nullos Judices demonstrat Gobat in Theologia Juridico-Morali cap. 32. n. 19. Videri potest idem Author Theol. Sacram. tr. 10. n. 186. ubi sic: *Quando mulier asserit se cognitam ab hoc, aut illo, idque firmat juramento; negat autem alter, idque sub jurejurando, nec proferuntur ullæ aliæ probationes, nequaquam standum est verbis mulieris. Sicut enim adulterium non probatur solâ confessione mulieris tex. in cap. significasti de adulter. communisque Doctorum, teste Parisio consil. 137. n. 39. vol. 4. Ita neque fornicatio simplex.* Quod pluribus confirmat ibidem, & numeris sequentibus, ostendens quòd non creditur puellæ, etiam aliàs honestæ & virgini, juranti se ab aliquo cognitam, atque ex eo impræguatam esse, tametsi contrarium doceat Antonius Faber Cod. de probat. defin. 8. ipsoque teste contrarius quoque sit stylus Curiæ Sabaudiæ. Nam Fabro dissentiunt Riccius in praxi p. 1. resol. 220. Alexander lib. 5 consil. 157. Boëcius decis. 299. & 319. nisi mulieri (ait Riccius) aliquod indicium adminiculetur.

8°. grave peccatum committi à Parocho, qui 113
(citra necessitatem) omissis solemnitatibus baptizat infantem domi, ut expectetur patrinus, & infantis salus interim collocetur in tuto, nisi sint filii Regum vel Principum. Ita Navarrus Manual. c. 22. n. 7. Quia prævaricator est sacrorum Canonum in re gravi. Siquidem in Concilio Meldensi anni 845. c. 48. sic habetur: *Nemo Presbyterorum baptizare præsumat, nisi in viris & Ecclesiis baptismalibus, nisi causâ ægritudinis, vel certæ necessitatis, sicut sacra Canonum docet authoritas.* Et in Concilio Viennensi sub Clemente V. *Præsenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel Principum... liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem secùs præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quòd alii attentare similia non*

præsumant. Per filios Principum, Quintanaduenas singul. tr. 1. singul. 21. intelligit omnes habentes jurisdictionem temporalem. Sed hoc est nimis laxum, & exorbitans à communi modo intelligendi nomen Principis. Neque enim simpliciter Toparcham pagi v. g. Principis nomine quisquam appellat.

114 9°. quia obstetricibus sæpè incumbit Baptismi administrandi necessitas, tenentur callere formam Baptismi, ad infantes à diaboli captivitate per Baptismum liberandos, & æternâ salute donandos: ne infelices animæ infantulorum, pretiosissimo Christi Sanguine redemptæ, propter obstetricis ignorantiam, æternùm pereant. Si enim *unicuique mandavit Deus de proximo suo*, opera videlicet dilectionis & beneficentiæ tam spiritualis, quàm corporalis; haud dubiè mandavit Deus obstetricibus, eam infantulis exhibere beneficentiam, quâ ab æterna damnatione liberentur. Mandavit proinde ut sibi necessariam ad hoc scientiam & idoneitatem comparare non negligant.

115 1°. dum infans propter necessitatem domi baptizatur, omittendas esse ceremonias baptismales, ad Baptismi substantiam non pertinentes, si iis adhibitis periculum aliquod foret, ne infans moreretur absque Baptismo. Si verò adhiberi queant absque periculo, & Baptismi Minister sit Sacerdos, sive proprius, sive alienus, vel etiam Diaconus, cui hîc & nunc jure conceditur baptizare, potest & debet cum solitis ceremoniis baptizare. Toletus in Sum. l. 2. c. 23. n. 1. Sotus in 4. d. 6. q. 4. a. 3. Pax Jordanus elucubrat. to. 1. l. 3. tit. 1. n. 16. Castro-Palao tr. 19. p. 8. n. 4. Cotonius c. 4. n. 17. Gobat Theol. Sacram. tr. 2. n. 473. & 476. Quia dum periculum in mora aliud non exigit, nullus baptizare debet absque solemnitatibus, si eas adhibere possit (cùm antiquissimum eas adhibendi præceptum generale sit, nec excipiat Baptismum extra Ecclesiam in necessitate collatum;) sed eas adhibere potest quilibet Sacerdos, qui baptizare potest, imò & Diaconus, absente Sacerdote, dum ipsi jure conceditur baptizare, juxta Glossam & Doctores n. 119. relatos. Cui enim datur facultas baptizandi, datur & facultas id faciendi cum solitis ritibus, si sit in ordine ad hoc convenienti. Siquidem accessorium sequitur principale, cap. *accessorium* de reg. jur. in 6.

CAPUT XI.

Subjectum Baptismi.

116 DE subjecto Baptismi decem quæruntur. 1°. quodnam sit subjectum capax Baptismi. 2°. an Baptismus infantium validus sit absque consensu parentum. 3°. an infantes infidelium licitè baptizari queant invitis parentibus. 4°. an monstrum, natum ex femina & bruto, capax sit Baptismi. 5°. quomodò baptizari debeat monstrum natum ex viro & femina. 6°. quid de monstro constante duplici capite, sed uno dumtaxat pectore. 7°. quid de monstro habente caput equinum, vel bovinum, sed pectus & cætera membra humana. 8°. quid de monstro nullam præferente speciem humanam, vel præferente majori ex parte bestialem. 9°. quid de massa carnea nullam habente organorum dispositionem. 10°. an amentes & furiosi sint baptizandi.

§. I.

Subjectum Baptismi est omnis homo viator non baptizatus.

117 AD primam quæstionem, respondeo omnem & solum hominem viatorem nondum baptizatum esse subjectum capax Baptismi. Est omnium Catholicorum contra Anabaptistas aientes, parvulos, sive infantes, non esse capaces Baptismi. Probatur 1°. ex Scriptura, in qua Christus omnes homines ad se vocat, dicens: *Venite ad me omnes*, &c. etiam parvulos, juxta illud: *Sinite parvulos venire ad me*. Baptismus verò est janua, per quam imus ad Christum, recipimurque in ovile ipsius.

118 2°. Baptismus est necessarius omnibus, etiam parvulis, juxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Ergo Christus Baptismum instituit pro omnibus, etiam parvulis. Alioqui parvulos in nova lege reliquisset sine medio ad salutem necessario. Cùm tamen pro omnibus mortuus sit, & velit *omnes homines salvos fieri*. Ex qua voluntate sicut in veteri lege pro omnibus, etiam parvulis, instituit medium ad salutem necessarium, Circumcisionem utique; sic in nova lege Baptismum instituit pro omnibus, etiam parvulis. Siquidem Baptismus (ut dicitur cap. *majores* extra. de Baptismo) *successit loco Circumcisionis; generalior tamen existit, cùm tam viri, quàm feminæ, baptizentur*.

119 3°. & præcipuè probatur ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam ab Apostolis emanasse testantur Dionysius Eccles. Hierarch. p. 3. c. 7. Origenes in c. 6. epist. ad Rom. Cyprianus epist. 59. Augustinus l. 10. de Genesi ad litteram, & l. 4. contra Donatist. c. 24. Unde Concilium Milevitanum can. 2. & Tridentinum sess. 7. de Bapt. can. 12. 13. & 14. meritò anathema dicunt iis, qui negant, infantes recens natos ex utero matris baptizari posse: *Siquis dixerit parvulos, eò quòd actum credendi non habent, susceptо Baptismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea, dum ad annos discretionis pervenerunt, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quàm eos non actu credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit*, can. 13. citato.

§. II.

120 AD secundam quæstionem, respondeo affirmativè: constat ex usu Ecclesiæ, non rebaptizantis infantes, invitis parentibus baptizatos. Constat item ex Toletano IV. can. 56. ubi id est definitum.

§. III.

121 AD tertiam, respondeo 1°. non esse dubium parvulos infidelium, ratione utentes, invitis parentibus licitè baptizari, si Baptismum petant. Sunt enim sui juris in rebus ad salutem animæ pertinentibus. 2°. non est etiam dubium, infantes infidelium, qui Principibus Christianis, tamquam mancipia subsunt, invitis parentibus baptizari posse: cùm à parentibus citra injuriam avelli possint.

122 3°. licitus est Baptismus infantis parentum infidelium, Principibus Christianis solùm civiliter & politicè subjectorum, si alteruter parentum consentiat. Ita enim Toletanum IV. can. 62. statuit: *Filii, qui ex talibus (Judæis, qui Christianas mulieres in conjugio habent) nati existunt, fidem, & conditionem matris sequantur. Similiter & hi, qui procreati sunt ex mulieribus infidelibus, & fidelibus viris, Christianam Religionem sequantur*.

123 4°. infantes infidelium baptizatorum, invitis parentibus licitè baptizantur. Quia Ecclesia compellere potest ejusmodi parentes, utpote sibi subjectos, ad offerendum filios suos ad Baptismum, ipsisque subtrahere infantes suos, si renuant.

124 5°. infantes infidelium non baptizatorum, licitè baptizantur in periculo mortis. Quia tunc

cessat periculum profanationis Baptismi, ad quod vitandum oporteret infantem à parentibus avellere. Et, ut periculum illud omninò non cessaret (quia sicut mori potest, ita & convalescere) Baptismus infantis potiùs exponendus est periculo incerto profanationis, quàm infans relinquendus in certo periculo damnationis. Cùm Sacramenta pro hominibus instituta sint, non contra. Unde S. Ludgerus, primus Episcopus Monasteriensis (ut refertur cap. 20. vitæ ipsius) curavit baptizari moriturum infantulum infidelium, tametsi invitorum.

125 6°. quoad infantes infidelium non baptizatorum, nulli Principi Christiano subjectorum, vel certè nonnisi civiliter subjectorum, duplex est sententia. Prima Scoti in 4. dist. 4. q. 9. Gabrielis & Eckii (apud Tannerum hîc disp. 4. n. 81.) Estii in 4. dist. 6. §. 1. Farvacii hîc c. 6. q. 3. §. 2. Florentii de Cocq de Bapt. cap. 2. sect. 3. concl. 2. ipsos parentibus invitis licitè baptizari. Secunda S. Thomæ q. 68. a. 10. id illicitum esse. Quia *secundùm jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiù sibi ipsi providere non possunt.... Et ideò contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur, sicut etiam si aliquis, habens usum rationis, baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideò non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quòd filii infidelium invitis parentibus baptizentur.* Hactenus S. Doctor, quem major pars Theologorum sequitur.

126 Et reverà magnum angelicæ doctrinæ pondus accedit ex consuetudine Ecclesiæ: quamvis enim fuerint, retroactis sæculis, multi Catholici Principes potentissimi, Constantinus Magnus, Theodosius, &c. sanctissimi Episcopi, qui ipsis familiares fuerunt, ut Sylvester Constantino, Ambrosius Theodosio, &c. hoc ab ipsis impetrare non prætermisissent, si rationi consonum existimassent. *Consuetudo* verò *Ecclesiæ semper est in omnibus æmulanda* (ait S. Doctor ibidem) *quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet. Unde standum est magis authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cujusquam Doctoris.*

127 Benè, optimè. Sed istam semper fuisse Ecclesiæ consuetudinem negant contrarii Authores. Et quidquid sit de Constantino, & Theodosio (quorum non omnia acta constat esse conscripta) Caroli Magni exemplum allegant in contrarium, sicut & plurium Catholicorum Regum nostrorum, quorum in eo pietas laudata fuit à pluribus Conciliis Toletanis.

128 Ecclesia quidem per seipsam, seu prædicatores evangelicos, à se missos, invitos adultos nunquam verberibus coëgit ad fidem, nec in infideles non baptizatos, sibi temporaliter non subjectos, coactivam exercuit potestatem; uti nec Apostoli, quos inter Paulus: *Quid enim mihi* (inquit) *de iis qui foris sunt judicare?* Et hoc est quod Gregorius Magnus docet l. 1. epist. 45. & l. 2. epist. 52. aiens: *Nova atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Ut enim ait l. 11. epist. 15. *Qui sinceræ intentione extraneos ad fidem cupiunt rectà perducere, blandimentis debent, non asperitatibus studere, ne quorum mentem reddita ratio de plano poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, & infideles sub hoc velamine à consueta ritûs sui voluerint cultura removere, suas illic causas, magis quàm Dei probant attendere.* Et reverà in hoc elucescit Christianæ Religionis veritas & sanctitudo, quòd fidem miraculis & Prophetarum oraculis, morumque probitate persuadeat, non vi & armis extorqueat, sicut Mahometana superstitio. Sicque expedit, *ut sit integra forma justitiæ* (verbis utor Concilii Toletani IV. can. 56.) *sicut enim homo propriâ arbitrii voluntate serpenti obediens perit; sic vocante eum gratiâ Dei, propriâ mentis conversione quisque credendo salvatur.* Et his conformia sunt quæ Alexander III. tradit cap. *consuluit*, & Clemens III cap. *sicut* extra. de Judæis.

Sed ex his non conficitur, Catholicis Prin- 129
cipibus generaliter esse illicitum, quemquam ex sibi subditis compellere ad Fidem, vel Baptismum. Cùm Augustinus l. 2. coactio secundam Gaudentii epistolam c. 17. dicat: *Quod autem vobis videtur, invitos ad veritatem non esse cogendos, erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inviti.* In epistola verò ad Vincentium Rogatistam explicat ad quid serviat ista concio: *Non* (inquit) *quo quisque bonus possit esse invitus; sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem.* Similiter Gregorius Magnus lib. 3. epist. 26. ad Januarium Episcopum Calaguritanum de rustico pagano scribit, quòd *si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsâ exactionis suæ pœnâ compellatur ad rectitudinem festinare.* Verum est ergo, quòd fides esse debeat voluntaria, & quòd *propriâ mentis conversione quisque credendo salvetur*, ut ait Concilium Toletanum IV. sed coactione fit, ut timendo quod non vult pati, animositas & pervicacia paulatim deponatur, quâ quis impediebatur ignoratam cognoscere veritatem, quâ cognitâ voluntariè tandem ad fidem & rectitudinem festinat.

Ideò ergo primi Imperatores Christiani leges co- 130
activas laudabiles tulerunt adversus sacrificia Paganorum: *Quis enim nostrûm* (ait Augustinus epist. 93. noviss. edit. Paris.) *quis vestrûm non laudet leges ab Imperatoribus datas adversus sacrificia Paganorum?* ab Imperatoribus utique, qui vel Augustini tempore, vel ante Augustinum regnarunt (qui fuerunt ex primis Imperatoribus Christianis.) *Et certè longè ibi pœna severior constituta est; illius quippe impietatis capitale supplicium est. De vobis autem*, &c.

Ecce supplicium capitale (Augustino teste) pri- 131
mi Imperatores Christiani intulerunt Paganis sacrificantibus idolis suis. In eo laudandi fuerunt. Enimverò si Principes Christiani à Deo acceperunt authoritatem reverè puniendi adulteria, quidni & sacrilegia subditorum? *Quis mente sobrius* (ait rursum Augustinus epist. 185. Edit. noviss. cap. 9.) *Regibus dicat, nolite curare in regno vestro, à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri? non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus, quibus dici non potest, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur etiam, cùm datum sit divinitùs homini liberum arbitrium, adulteria puniantur, & sacrilegia non puniantur? An fidem non servare levius est animam Deo, quam feminam viro.... Melius est quidem (quis dubitaverit?) ad Deum colendum doctrinâ homines duci, quam pœnæ timore vel dolore compelli. Sed non quia ipsi meliores sunt, ideò illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis probavimus & probamus) prius timore vel dolore cogi, ut posteà possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere jectari.*

Quod autem dicunt (præmiserat Augustinus) 132
qui contra suas impietates leges justas instituî nolunt, non petisse à Regibus terræ Apostolos talia: non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim in Christum credi-

derat Imperator, *qui pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud prophe-ticum complebatur*: „ Quare fremuerunt Gentes, „ & populi meditati sunt inania? adstiterunt Reges „ terræ, & Principes convenerunt in unum adver- „ sus Dominum, & adversus Christum ejus. " *Nondum autem agebatur, quod paulò post in eodem Psalmo dicitur*: „ Et nunc Reges intelligite, erudi- „ mini qui judicatis terram. Servite Domino in ti- „ more, & exultate ei in tremore. „ *Quomodò ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contrà jussa Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est; aliter, quia Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter. Quia verò etiam Rex est, servit leges justa præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo. Sicut servivit Josias, talia & ipse faciendo. Sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ipsius leonibus ingerendo. Sicut servivit Nabuchodonosor... omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo.*

133 Et epist. 93. ejusd. Edit. *Putas neminem debere cogi ad justitiam, cùm legas Luc. 14. Patremfamilias dixisse servis*: „ Quotcumque inveneritis, cogite intrare. „ *Cùm legas etiam ipsum primò Saulum, posteà Paulum, ad cognoscendam, & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum.*

134 Et infrà: *Mea primitùs sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum: ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea.. demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur civitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium conversa est .. Ita aliæ multæ.... ut rebus ipsis agnoscerem, etiam in hac causa rectè intelligi posse quod scriptum est*: Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Prov. 9. *His omnibus legum Imperialium terror ... ita profuit, ut nunc alii dicant ... hoc verum esse jam sciebamus; sed nescio quâ consuetudine tenebamur. Gratias Domino, qui vincula nostra disrupit... Nesciebamus hîc esse veritatem, nec eam discere volebamus. Sed nos ad eam cognoscendam metus fecit intentos... gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit.*

135 Nec respectu hæreticorum dumtaxat Augustinus, sed & respectu paganorum, de quibus infrà subdit: *Pagani.... nos blasphemare possunt de legibus, quas contra idolorum cultores Christiani Imperatores tulerunt: & tamen ex eis multi correcti, & ad Deum vivum, verumque conversi sunt, & quotidie convertuntur.*

136 Denique l. 3. contra Cresconium c. 15. *In hoc* (inquit) *Reges, sicut eis divinitùs præcipitur, Deo serviunt, in quantùm Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solùm in his quæ pertinent ad humanam societatem; verùm etiam quæ pertinent ad divinam Religionem.* Nec vult in his quæ Religionis sunt, quemquam suo arbitrio relinquendum, magis quàm in his quæ sunt justitiæ & castitatis: *Frustrà dicis: relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis, & in stupris, & in quibuscumque aliis facinoribus, libero te arbitrio dimittendum esse proclamas?*

137 Ideò ergo Catholici Principes Carolus Magnus, & Lydericus Flandriæ Comes, pervicaces infideles, quòd nollent Christianam suscipere Religionem, Flandriâ expulerunt, parvulis ipsorum retentis, atque à parentibus infidelibus separatis, ad finem utique ipsos baptizandi, & in fide Christiana instruendi: *Scriptum reperio* (inquit Meyerus lib. 2. ad annum 804) *quoddam genus hominum ab Carolo Rege, atque Lyderico Flandriâ pulsum, quòd nollent in nostram credere Religionem: retentis tamen eorum parvulis liberis, qui instrui possent, ac imbui Christianâ pietate. Hos Hunnos & Vandalos fuisse existimo.*

Quantùm ad Catholicos Reges nostros, lege 3. 138
Wisigotorum lib. 12. tit. 3. sic statuerunt: *Siquis Judæorum, de his scilicet qui nondum sunt baptizati, aut se baptizari distulerint, aut filios suos, vel famulos nullo modo ad Sacerdotem baptizandos remiserit, aut se, suosque de Baptismo subtraxerit, & vel unius anni spatium, post hanc legem editam, quispiam illorum sine Baptismi gratia transierit, horum omnium transgressor, quisquis ille repertus fuerit, & centum flagella decalvatus accipiat, & debitâ mulctetur exilii pœnâ.*

Sed & Chintillanus Rex à Patribus Concilii 139
Toletani VI. plurimùm commendatur. quòd *Judæum non sinat degere in regno suo, qui non sit Catholicus.* Unde can. 3. Concilium sic ait: *Inflexibilis Judæorum perfidia deflexa tandem videtur pietate, & potentiâ superna. Hinc enim liquet, quòd inspiramine summi Dei Excellentissimus, & Christianissimus Princeps, ardore fidei inflammatus, cum regni sui Sacerdotibus, prævaricationes, & superstitiones eorum eradicare elegit funditùs, nec sinit degere in regno suo eum, qui non sit Catholicus.*

Concilium quoque Toletanum XII. can. 9. 140
probat leges Wisigotorum ab Ervigio editas. Quarum una hæc est: *Ne Judæi, aut se, aut filios suos, vel famulos à Baptismo subtrahant.* Similia habentur in Concilio Toletano XVI. can. 1.

Denique in Concilio Toletano XVII. can 8. 141
ex jussione pissimi & religiosissimi Principis Egicani, Judæi in obstinatione persistentes, rebus omnibus spoliati, perpetuæ subjiciuntur servituti. De filiis verò ipsorum sic statuitur: *Sed & filios eorum utriusque sexûs decernimus, ut à septimo anno eorum nullam cum parentibus suis habitationem aut societatem habentes, ipsi eorum Domini, qui eos acceperint, per fidelissimos Christianos eos nutriendos contradant, eâ scilicet ratione, ut & masculos Christianis feminis in conjugio copulent, & feminas Christianis similiter viris maritali societate adjungant.*

Nec contrarius est canon 57. Concilii Toleta- 142
ni IV. dicens: *De Judæis hoc præcepit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus misereatur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes.* Neque enim canone isto improbatur lex 3. Wisigotorum (de qua suprà) tempore Sisebuti lata (qui eodem canone *Princeps religiosissimus appellatur*) sed, cùm jura juribus concordanda sint, atque adeò canon iste cum canonibus plurium aliorum Conciliorum Toletanorum, suprà pariter laudatorum, canon ille 57. solùm vult, neminem ad Baptismum & Christianismum admittendum, nisi de invito factus sit volens; ad quod leges Imperiales & Regias supradictas plurimùm conducere num. 129. 130. & seqq. & ibidem Augustinum docentem audivimus: neque ampliùs probat ratio eodem canone allegata.

Ergone (inquies) Sacerdos, vel Ecclesia, po- 143
test infantes infidelium à parentibus abstrahere, abstractosque, parentibus invitis baptizare? Respondeo 1°. nec Sacerdotem, nec Ecclesiam suâ authoritate id posse. Quia, infantes abstrahendo à parentibus, in quos nullam habet potestatem, contra naturæ jus peccaret, patriæque potestati

ipsorum injuriam faceret. Jure enim naturæ infans patriæ subest potestati & curæ. Id tamen Sacerdos & Ecclesia potest authoritate Principis, cui parentes infantis subjecti sunt. Neque enim Christiani Principis potestas est restricta ad ea sola *quæ pertinent ad humanam societatem*, verùm etiam, indirectè saltem, extenditur ad ea *quæ ad divinam religionem*, prout in tr. de legib. ostendi, & Augustinus suprà n. 136. tradit. Ideòque supplere potest defectum parentum, si filios suos baptizari nolint, in Christianaque Religione educari; præsertim cùm non genitores soli, sed *Christus, uterque parens, Prælatus, Rexque patres sint*, sæcularesque Principes (secundùm allatam Augustini doctrinam, exemplumque Caroli Magni, & leges Wisigotorum à Concilio Toletano XII. XVI. & XVII. confirmatas) à Deo habeant authoritatem infantes infidelium subtrahendi ab educatione parentum, ne ab iis inducantur in peccata blasphemiæ, idololatriæ, aliaque juri naturali adversa crimina. Utpote quæ dicti Principes possunt, & debent impedire, uti fecit Nabuchodonosor Dan. 3 v. 96. ex quo loco Augustinus epist. 93. citatâ probat justitiam legum Imperialium *adversus sacrificia Paganorum*. Denique si Respublica non peccat contra jus Tutoris infidelis, infantes tutelæ ipsius commissos, ipsi ad dictum finem subtrahendo; nec peccat contra jus parentis. Cùm recta filiorum educatio sit de bono Reipublicæ, cujus procuratio spectat ad Reipublicæ Rectores. Nec ipse filius peccat contra jus patriæ potestatis, à patre se subtrahendo, dum ipsi cohabitare nequit sine injuria Creatoris (magis quàm uxor peccet contra jus vinculi maritalis, in simili casu subtrahendo se à marito) ergo nec Principes pro filio faciendo, quod filius, nondum ratione utens, per se facere nequit.

144 Respondeo 2°. cum Farvacio hîc q. 3. §. 2. & Bonæ-spei disp. 4. dub. 2. resol. 3. probabile esse, quòd Sacerdoti liceat dictos infantes, à parentibus non abstractos, ipsis insciis tam cautè baptizare, ut id rescire non possint. Tum quia tunc non est tantum periculum profanationis formalis Baptismi, quidquid sit de materiali. Tum quia siquod tunc sit periculum subversionis, utcumque compensatur probabili spe mortis ante subversionem. Teste namque Ruiz apud Isquierdum 1. p. disp. 44. n. 48. per computum factum ex libris defunctorum Hispali, populosâ Hispaniæ civitate, deprehensum est, numerum parvulorum, accepto Baptismo morientium ante rationis usum, esse ferè æqualem numero adultorum, post usum rationis morientium. Londini etiam per schedas, quas vocant mortalitatis, compertum est, ex centum infantibus, post sex annos solùm superstites esse sexaginta quatuor, & post sexdecim annos solùm quadraginta.

145 Simili proinde spe ductus S. Franciscus Xaverius censuisse videtur, Indorum infantes, parentibus insciis, baptizari posse. Cùm enim Franciscus Henricus conquereretur tam paucos Indos ad fidem converti, in epistola ad ipsum sic ipsi rescripsit: *Noli mirari frater, quòd minùs in istorum neophytorum cultura proficias; quippe cùm & gens ipsa, ut scribis, idolorum cultui dedita sit, & Rex, à Christi Religione alienus, acerbè insectatur Christianos. Plus itaque proficis, quàm tu putas, infantes diligentissimè conquisitos, per Baptismum cælo pariendo.* Neque enim Xaverius loqui videtur de infantibus baptizatis de consensu parentum, sed ipsis insciis. Tum quia ibidem fatetur *paucos Indos in cælum pervenire, nisi eos, qui 14. annis minores cum baptismali innocentia excedunt è vita.* Raros proinde esse parentes infantium suorum Baptismo consentientes, cùm paucos agnoscat in idololatria sua non perseverantes. Tum quia alioqui non est cur de tam modico profectu Franciscus Henricus rationabiliter adeò conquestus fuisset. Si enim rari non fuissent parentes, in Baptismum suorum infantium consentientes, nec opus fuisset tantâ querimoniâ, nec opus fuisset infantes baptizandos tam exquisitâ diligentiâ conquirere, cùm facile fuisset invenire. Accedit quòd infantes taliter baptizati, ad fidem christianam posteà compelli possint, si fuerit occasio compellendi, ut expressè habetur in Toletano IV. can. 57. Vide Navarrum l. 3. consil. de Bapt. consil. 5.

§. IV.

Monstrum natum ex femina & bruto non est baptizandum.

AD quartam quæstionem, respondeo tale 146
monstrum baptizari non posse. Quia non est homo, sed satyrus; nec descendit ex Adam, utpote non conceptus ex virili semine. Ex quo solo (non ex bruti masculi semine) fœtus est homo. Videri potest Bonacina hîc disp. 2. q. 2. puncto 6. n. 3.

Si autem quæstio sit de monstro nato ex vi- 147
ro & femella bestia. Respondeo & illud rarissimè, si unquam, esse baptizandum. Quia rarissimè, si unquam, accidit, ex congressu viri cum bestia nasci hominem. Ut enim Gobat ait tr. 2. de Bapt. n. 278. *multò rarissimè fit, ut ejusmodi pecudes concipiant ex virili semine: cùm enim compertum sit, esse à non omninò paucissimis patratum hoc crimen; est tamen vel omninò, vel ferè inauditum, quòd sit inde progenitus homo.* Si tamen ex tali congressu fœtus editus speciem humanam haberet, saltem sub conditione baptizandus esset. Sub conditione (inquam) ob dubium an fœtus ex femina bestia sit animatus animâ rationali. Neque enim dubium prorsus evacuat species humana. Sicut dubium prorsus non evacuat species belluina fœtûs ex viro & femina nati. Cùm dubium superfit fundatum in eo quòd plures censeant ex viro & femina non nasci bestiam. Unde Gobat n. 280. docet, tale monstrum non esse certò bestiam, nec certò hominem; ideòque sine conditione non baptizandum. Generatim namque Baptismus non est negligendus, sed sub dubio conferendus, quando dubium minimum (rationabile tamen) occurrit, utrùm fœtus monstrosus animatus sit animâ humanâ, nec ne: *Ne dum speciem quamdam cautionis tenemus, in damnum regenerandarum incidamus animarum*, inquit S. Leo epist. 37. Melius est enim sub conditione baptizare incapacem Baptismi (imò decem incapaces) quàm unum capacem negligi. Neesen quidem tr. 2. de Bapt. dub. 9. negat ullatenùs baptizandum monstrum, natum ex viro & femina, quod nullam præ se fert speciem hominis, sed bestiæ, v. g. simiæ, canis, felis, &c. Sed si casum hunc dubitabilem non censeret S. Carolus Borromæus, in eo (pro consilio) recurrendum non juberet ad Episcopum, ut infrà n. 152. Neque dubium ex omni parte tollit Rituale Rom. tit. de Bapt. parvul. dicens: *Monstrum, quod humanam speciem non præfert, baptizari non debet.* Fortasse enim hoc intelligit de Baptismo absolutè collato, vel de monstro nato ex masculo, vel femina bestia. Ubi tamen non esset rationabile dubium, grave peccatum esset Baptismum etiam sub conditione conferre, uti docet Catechismus Romanus.

§. V.

Monstrum natum ex viro & femina, ferinum habens

bens caput, sed cætera membra humana, baptizandum est, non absolutè, sed conditionatè.

148 ABsolutè baptizandum censet Comitolus l. 1. respons. moral. q. 8. Quia vir ex muliere non generat bestiam, & reliqua corporis constitutio satis indicat, monstrum illud esse hominem. Animæ quippe principatus est in corde, quod inter partes hominis principatum tenet, utpote principium vitæ, sensûs & motûs, juxta Aristotelem communiter receptum lib. 2. c. 3. & 4. de partib. animal. Consentit Bonacina loco citato absolutè pronuntians, quod ex virili semine nascitur, habendum pro homine.

149 Centeo nihilominùs solùm baptizandum sub conditione. Cùm sine conditione baptizandus non sit fœtus, in dubio, an sit homo. Hîc autem versatur in dubio. Hoc ipso namque quòd caret humano capite, caret cerebro, in quo juxta Cartesium, & Medicos, sedes est animæ, sensuumque principium. Quia juxta Cartesianos anima non sentit nisi in cerebro. Igitur eo ipso incertum est, utrùm ejusmodi monstrum animatum sit animâ rationali, quo humanum non habet caput, nec cerebrum. Igitur Baptismus ipsi conferendus non est absolutè, sed conditionatè, ut benè Farvacius hîc q. 5. casu 1.

150 Sed quid si monstrum istud more extraordinario repugnet Baptismo. Respondeo dispiciendum, utrùm ea repugnantia ab eo liberè procedat, an non? Si enim liberè, baptizari non debet, usquedum velit. Si non liberè, videndum, an ea repugnantia non procedat à malo genio, cujus malitia impedire non debet Ministrum, ne infanti afferat medium ad salutem necessarium. Stephelius de monstris c. 11. cùm retulisset casum similis monstrosi infantis Sêtini anno 1554. nati, censuit extraordinarios motus, gestus, & clamores ipsius, contra Ministrum baptizare volentem, proficisci à malo genio, ad perdendum infantem. Sed quia Minister erat hæreticus, errorem subitantialem fortè commissurus; provenire potuit à bono genio, ad avertendum malum infantis.

§. VI.

Monstrum humanum, habens duo capita, duoque pectora, licèt cætera membra simplicia, absolutè baptizandum est duplici Baptismo. Si autem duo quidem capita, sed unicum habeat pectus, in uno capite semel baptizandum est absolutè; in altero rursum sub conditione: si non es baptizatus, &c.

151 RAtio prioris partis est, quia ubi partes principales hominis sunt ita distinctæ & separatæ, signum est in tali monstro duas esse animas, duosque proinde homines. Igitur singuli in capite sunt baptizandi. Quòd si periculum foret in mora, uterque simul ablui posset, dicendo: *Ego vos baptizo*, &c.

152 Ratio posterioris partis est, quia quamdiù ex circumstantiis non apparent majora indicia unitatis, quàm pluralitatis, vel contrà (v. g. ex eo quòd unum caput exprimat affectum contrarium affectui alterius, ex quo sufficienter apparet duplex cor, quod principatum tenet inter partes hominis, sicut contra Medicos Aristotelici docent) dubium est, an monstrum constet unicâ, an duplici animâ rationali. Tametsi ergo duplex Baptismus ipsi conferendus sit, non tamen duplex absolutè; sed unus absolutè, alter (ob dubium) sub conditione, si periculum sit in mora. Quo cessante, differendus est Baptismus, donec crescente ætate, majora appareant indicia, nùm unus, an duplex sit homo. Toletus in Summa l. 2. c. 21. Layman l. 5. tr. 2. c. 6. in fine.

153 Videndus est circa supradicta S. Carolus Borromæus act. p. 4. *quæ Parochus in Baptismi ministratione animadvertat*, ubi de monstri Baptismo sic: *Siquando monstrum humanum Baptismo offertur, videndum est, antequam baptizetur, an una persona sit, an verò duæ; tum masculusne sit, an femina. Si . . . dubium est an sint duo, utpote quia duo capita non habet, nec pectora benè distincta; unus intentione certâ, neque vagâ simpliciter baptizetur; alter verò sub conditione: si non es baptizatus, &c. Si verò duo capita, pectora duo, aut corpora etiam distincta in monstro apparent, homines duos esse perspicuum est, singuli simpliciter baptizentur. Quòd si mortis periculum in mora erit, numero plurali baptizentur: Ego vos baptizo, in nomine Patris, &c. Sin autem una persona est, utpote unum caput tantùm habens, tamquam unus baptizetur, etiamsi alia membra plura geminatavè habeat. At verò monstrum quod hominis speciem non præ se fert, non baptizetur, nisi primùm Archiepiscopus consulatur. De cujus etiam consilio agetur quod suprà de monstro humano dictum est, si tempus dabitur.*

§ VII.

Massa carnea, nullam habens organorum dispositionem, baptizari non debet.

154 PRiùs enim corpus organizatur, quàm anima rationalis infundatur. Unde Augustinus q. 80. in Exod. ait, quòd lex ibi lata *voluit non formatum puerperium ad homicidium pertinere.*

155 Nec dicas (cum nonnullis Medicis) animam rationalem infundi diù antequam fœtus respiret, vel sentiat, aut corpus formatum sit. Quia hac in re præferendum judicium Ecclesiæ, quæ in Rituali Rom. Pauli V. prohibet, ne fœtus baptizetur, ante signa motûs vitalis. Præferendum quoque judicium omnium penè Philosophorum & peritiorum Medicorum in contrarium.

§ VIII.

De Baptismo amentium & furiosorum à nativitate, philosophandum uti de Baptismo infantium, si nulla unquam lucida habeant intervalla. Si aliquando sanam habuerint mentem, judicandi sunt secundum voluntatem quam habuerunt, dum sanæ mentis extiterunt.

156 ITa S. Thomas q. 68. a. 12. ubi sic: *Circa amentes & furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt à nativitate tales, nulla habentes dilucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet. Et de talibus, quantum ad Baptismi susceptionem, videtur esse idem judicium ac de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ, ut suprà dictum est. Alii verò sunt amentes, qui ex sana mente quam habuerunt priùs, in amentiam inciderunt. Et tales sunt judicandi secundùm voluntatem quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent. Et ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis adhiberi in furia & amentia constitutis, etiamsi actu contradicant. Alioqui si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam verò sunt, qui, etsi à nativitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus rectâ ratione uti possunt. Unde, si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt, etiam in amentia constituti, & debet eis tunc Sacramentum conferri, si periculum timeatur. Alioquin melius est ut tempus expectetur, in quo sint sanæ mentis, ad hoc quòd devotiùs suscipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amen-*

tia constituti. Quidam verò sunt, qui, etsi non omninò sanæ mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur, quòd possint de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem. Et de talibus idem est judicium, sicut de his qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti. Quod & traditur cap. *majores* de Baptismo.

CAPUT XII.

Necessitas & obligatio Baptismi.

157 DE ea optimè S. Thomas q. 66. a. 2. *Necessitas utendi Sacramento Baptismi indicta fuit hominibus post passionem & resurrectionem. Tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta, quibus succedit Baptismus, & alia Sacramenta novæ legis. Tum etiam quia per Baptismum configuratur homo passioni & resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit novam justitiæ vitam. Et ideò oportuit Christum prius pati & resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas configurandi se morti & resurrectioni ejus.*

158 Nec dicta necessitas ante Pentecosten incœpisse videtur, erout Tridentinum indicat sess. 6. c. 4. dicens, quòd *justificatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.*

159 Post Evangelium igitur in die Pentecostes promulgatum, tanta est Baptismi necessitas, ut sine eo, vel ipsius voto, nullus parvulus justificari, nullus adultus salvari queat, teste Veritate Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Quæ verba explicans Ambrosius l. 2. de Abraham c. ult. *Nullum* (inquit) *excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.*

160 Nec dicas igitur 1°. cum Cajetano 3. p. q. 68. a. 2. & 11. infantes in utero morientes salvari posse per Baptismum in voto & fide parentum, si eis benedictionem dent in nomine Trinitatis: *Cautè & irreprehensibiliter ageretur, si periclitantibus in utero pueris, ob maternam ægritudinem, vel partûs difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur, & causæ discussio deinde reservaretur divino judicio. Quis scit, si divina misericordia hujusmodi Baptismum in voto parentum acceptaret, ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas executionem Sacramenti excusat.*

161 Nec 2°. cum Gersone serm. de nativit. Virg. Mariæ, quòd infantes in utero morientes salvari possint propter orationes pro eorum salute à parentibus factas: *Debent* (inquit) *mulieres prægnantes, similiter & viri sui, per se & alios, diligentius preces fundere Deo, & ad sanctos Angelos Custodes hominum, etiam puerorum in utero, debent ad cæteros Sanctos Sanctaque confugere, quatenùs infans nondum natus, si fortè moriturus est, priusquam ad Baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipsum Dominus Jesus Summus Pontifex Baptismo Spiritûs sancti præveniendo misericorditer consecrare. Quis enim scit si fortè Deus, imò quis non devotiùs sperare voluerit, quòd orationem humilium nequaquam deficiat?*

162 Nec 3°. cum Authoribus l. 1. c. 13. relatis, Deum misericorditer supplere effectum Sacramenti, quoad gratiam, quando Minister malitiosè subtrahit necessariam intentionem. *Ubi Minister ex malitia, in Baptismo, vel Pœnitentia, vel alio Sacramento falleret* (inquit Bartholomæus ab Angelis apud Dianam p. 3. tr. 4. resol. 17.) *non habendo intentionem faciendi quod facit Ecclesia, sed tantùm irrideret hominem, & hæc sua malitia non esset nota, Deus (qui facienti quod in se est non deficit in necessariis, & non alligavit virtutem suam Sacramentis) suâ infinitâ bonitate suppleret, non quoad characterem, sed quoad gratiam.*

Nec 4°. cum nonnullis apud Suarez tom. 163
3. in 3. p. disp. 27. sect. 3. quòd licèt nullus infans de lege ordinaria salvari queat sine Baptismo; aliquos tamen salvari per misericordiam Dei, ex privilegio extraordinario.

Siquidem omnes & singulæ istæ exceptiones 164
temerariæ sunt, & ita improbabiles, ut nullo modo haberi debeant pro verisimilibus, nedum pro veris. Et sicut *cavendi sunt, qui misericordiæ affectu ejusmodi infantibus sine Baptismo salutem tribuunt, per fidem alienam, Ecclesiæ, vel parentum* (ait Molanus de Baptismo, c. 3. n. 22.) ita & per quodcumque extraordinarium privilegium, vel divinæ misericordiæ supplementum, extra martyrii casum. Siquidem Christus generaliter & sine exceptione dixit *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Generalis autem divinæ Scripturæ assertiones, solâ humanâ ratione, vel commiseratione, sine authoritate Ecclesiæ, vel traditionis inflectere, vel excipere non licet, ut itom. 1. in Prolegomenis ostendi. Quia cùm Deus legem generalem edit, omnes exceptiones removet, nisi eam verbo suo, scripto vel tradito, per se, vel per Ecclesiam suam, exprimat. Unde si quis contendat aliquem ab ejusmodi lege esse immunem exceptionem ex verbo Dei, scripto vel tradito, vel ex Ecclesiæ declaratione probare debet.

Cùm igitur nullâ Scripturæ vel Ecclesiæ de- 165
claratione, nullâ traditione, nullâ sanctorum Patrum authoritate probari queat ulla ex dictis exceptionibus (nullus enim Scripturæ vel Patrum locus proferri potest, quo ullis infantibus, non baptizatis, extra casum martyrii, tribuatur salus) omnis exceptio, solâ humanâ ratione vel commiseratione adinventa, eo ipso rejicienda est & damnanda, & qui eam comminiscuntur, manifesto adulteratæ divinæ Legis crimine tenentur, inquit piissimus Contenson hîc differt. 3. c. 1.

Teneatur ergo velut in silice sculpta, magistra- 166
lis hæc regula S. Augustini l. 1. de peccat. merit. c. 23. *Nulla ex arbitrio nostro salus æterna, præter Baptismum Christi promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina*, vel traditio, *humanis omnibus ingeniis præferenda.*

Atqui Scriptura & traditio nulli infanti salu- 167
tem æternam, præter Baptismum promittit in ullo ex dictis casibus. Imò adversus omnes illos casus & exceptiones Scriptura & traditio militat. Scriptura, dum generaliter, & absque ulla exceptione dicit: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Traditio, dum nullam in verbis illis exceptionem pro infantibus admittit, nisi in casu martyrii. Ambrosium quippe suprà dicentem audivimus, quòd *nullum* Christus *excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.* Ambrosio concinit Augustinus l. 1. de anima c. 12. ubi refutat Vincentium Victorem, qui *cùm peccatum originale catholicè fateatur, nihilominùs ait, posse eos* (parvulos) *sine Baptismo salvari. Quæ magis est vecors, quam misericors vanitas.* Et l. 3. c. 9. *Noli credere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et l. 1. de peccat. merit. c. 27. *Quoniam de ovibus ejus esse non incipiunt parvuli, nisi per Baptismum, profectò si hoc non accipiunt, peribunt.* Et epist. 28. nunc 166. ad Hieron. cap. 7. *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur, etiam parvuli, qui sine Sacramenti hujus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam: ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur,*

ritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificari non posse. Et serm. 14. de verb. Apost. c. 16. *Nemo nos fallat, Scriptura evidens est. Omnis generatus, damnatus. Nemo liberatus, nisi regeneratus.* Quod & alii Patres passim tradunt, significatque tanta quæ semper fuit Ecclesiæ matris sollicitudo, ad Baptismum parvulis procurandum. Quam sollicitudinem contraria opinio, si non omninò tollit, multùm certè minuit, injectâ spe salutis parvulorum per aliquod extraordinarium divinæ misericordiæ supplementum.

168 Denique universa traditio infantes quoscumque, etiam piissimorum parentum, eorum Baptismum toto corde desiderantium, sine eo decedentes exclusit à regno cælorum, non obstante voto illo parentum, ad inscrutabiliaque Dei judicia Patres semper retulerunt, quòd, non obstante illo parentum voto, infantes illi perirent: infantes verò parentum impiorum ad Baptismum pervenirent, & ad cælum pervenirent. *Illud mirum est* (inquit Augustinus de corrept. & grat. c. 8.) *& tamen verum, atque ita manifestum, ut nec ipsi inimici gratiæ Dei, quomodò id negent valeant invenire, quòd filios quosdam amicorum suorum, hoc est regeneratorum, bonorum filiorum, sine Baptismo hinc parvulos exeuntes, quibus utique si vellet hujus lavacri gratiam procuraret, in cujus potestate sunt omnia, alienat à regno suo, quò parentes mittit illorum: & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Catholicorum venire, & per hoc lavacrum introducit in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt.* De dono persev. c. 12. *Quid dicam, quòd parvulus aliquando, antequam illi per ministerium Baptismi succurri possit, expirat: plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis Ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur.* L. 6. contra Julian. c. 14. *Aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ feminæ; & aliquando non vult esse filium, quem format in utero filiæ suæ. Ille quippe ad Baptismum nescio quâ provisione pervenit: iste repentinâ morte non pervenit. Atque ita Deus, in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in diaboli domicilio; & non vult esse in regno suo, quem formavit in templo suo.* Similia habet l. 2. contra duas epist. Pelagian. c. 6. & alibi frequenter. Hoc autem in inscrutabilia Dei judicia, & non parentum, vel istorum parvulorum, sed Dei voluntatem ibi refert, sicut & loco citato de corrept. & gratia, necnon l. 7. de peccat. merit. c. 21. Ita etiam Prosper epist. ad Rufin. Fulgentius l. 1. de verit. prædest. c. 12.

169 Manifestum est ergo alienam à mente SS. Patrum esse assertionem, quæ ponit, aliquos ex dictis infantibus salvari in fide & voto parentum, etiam in Provinciis (siquæ dentur) in quibus lex nova nondum est sufficienter promulgata, sed adhuc inculpatè ignorata. In quibus eruditus quidam Neotericus disp. 5. de Bapt. dub. 1. n. 9. & seqq. & in Supplemento ad eundem locum, non benè censet Baptismum necessarium non esse necessitate medii, & sine eo infantes salvari posse per remedium legis naturæ, per fidem utique parentum. Quod mihi non videtur probabiliter sustineri posse, ob præmissa.

170 Neque generalem Christi sententiam rationabiliùs ipse limitat, quàm Cajetanus, vel Gerson, vel alii de quibus suprà. Maximè cùm tota ratio ipsius sit, quòd Deus impossibilia non jubeat. Quod (inquit) alioqui faceret. Miror virum doctissimum non advertisse rationem istam prorsus levem esse, 1°. quia sicut Deus impossibilia non jubet, fidem actualem Trinitatis, vel Incarnationis, omnibus adultis peccatoribus necessitate medii necessariam faciendo, etiam in Provinciis, in quibus necessitas ista inculpatè ignorari supponitur, juxta dicenda n. 195. Ita nec Baptismum in dictis Provinciis in re, vel in voto necessarium faciendo.

2°. Sicut Deus impossibilia non jubet, Bap- 171
tismum necessitate medii necessarium faciendo infantibus, necessitatem istam non solùm inculpatè ignorantibus, sed nec cognoscere valentibus, nec Baptismum per se sibi procurare valentibus, nec per parentes suos (v. g. in casu quo nulli diligentiæ parcunt ad Baptismum infantibus suis procurandum, nec tamen ad Baptismum ipsos perducere valent) ita nec illum necessitate medii necessarium in dictis Provinciis faciendo.

3°. Quia illi qui in dictis Provinciis pereunt, defectu alicujus necessarii necessitate medii inculpatè ignorati, non pereunt propter omissionem seu transgressionem præcepti observatu impossibilis, sed vel ob originale peccatum, vel ob actuale, sine cujus remedio à Deo unicè instituto decedunt. Omisso namque remedio necessitate medii necessario, sive ad justificationem, sive ad salutem, justificatio vel salus obtineri non potest, sive interim remedium illud culpatè, sive inculpatè omittatur, ut constat ex definitione necessarii necessitate medii.

Simile Deus remedium instituit pro tempore 172
legis naturæ, uti & circumcisionem pro tempore legis scriptæ: quâ siquis Judæus uteretur tempore legis novæ, tametsi legem novam supponeretur invincibiliter & inculpabiliter ignorare, per eam à peccato originali non liberaretur, nec salvaretur. Nec oppositum sine errore dici potest. Quia ad hoc Deus circumcisionem non instituit nisi pro tempore legis scriptæ, nec ultra id tempus hanc ei efficaciam dedit. Nec inculpata ignorantia, quâ ignoraretur tempus istud amplius non esse, dare potest circumcisioni efficaciam ultra tempus, pro quo solo Deus efficaciam istam ipsi dedit, ut per se manifestum est. Illa proinde opinio non magis probabilis est, quàm supradicta opinio Cajetani, quam Pius V. à Commentariis ipsius jussit expungi, nec magis quàm opinio Campanellæ apud Caramuelem Theol. Fundam. resolutivæ n. 185. dicentis: *infantes Catholicorum, qui moriuntur sine Baptismo, in fide parentum salvari.* Quam opinionem erroneam esse, negari non potest.

Dicendum ergo generatim, & absque excep- 173
tione, cum S. Thoma quodlib. 6. a. 4. *quòd in pueris nondum habentibus usum rationis, non potest esse motus fidei, & dilectionis, aut propositum suscipiendi Baptismum. Et ideò non possunt salvari, nisi per Baptismum aquæ, vel per Baptismum sanguinis, si propter Christum occidantur, ex quo non solùm Christiani, sed etiam Martyres fiunt, ut Augustinus dicit de Innocentibus. Et sic patet quòd puer in deserto moriens sine Baptismo* (tametsi istis in circumstantiis impossibili) *salutem non consequatur.* Quæ in contrarium objiciuntur, soluta habes l. 1. c. 13.

CAPUT XIII.

Infantes omnes, etiam fidelium, & piissimorum parentum, sine Baptismo fluminis, & sanguinis morientes, secundùm communem doctrinam veterum Patrum, damnantur ad ignem æternum, tametsi mitissimâ præ cæteris pœnâ.

OMissis Pelagianis, qui dictis infantibus pro- 174
miserunt vitam æternam, extra regnum cælorum, quorum errorem jamdudum Ecclesia condemnavit: nonnullorum Catholicorum Doctorum opinio est, infantes sine Baptismo decedentes, non damnari pœnâ sensûs, sed damni dumtaxat. Ita S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, noster Baconius, & multi Recentiores. Ita quidem, ut juxta S. Thomam in 2. dist. 33. q. 2.

a. 2. ex pœna damni non fiunt afficiendi triſtitiâ, tametſi pœnam damni ſubituri ſint in inferno, juxta Florentinum, dicens: *illorum animas, qui in mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, in infernum deſcendere.* Per infernum tamen Bonaventura, Richardus, Abulenſis, & è noſtris Baconius, Michaël à Bononia, Lezana, &c. non intelligunt infernum damnatorum, ſed locum ſubterraneum ab eo diſtinctum, qualis fuit lymbus SS. Patrum.

175 Imò Salmeron in cap. 5. ad Rom. aliique Noviores cenſent eos victuros ſuper terram, naturalique beatitudine ibi fruituros, angelicis quoque viſionibus recreandos. Scotus etiam naturalem ipſis beatitudinem aliquam concedit, ſaltem imperfectam. Quem non pauci Recentiores ſequuntur.

176 Sed in contrarium eſt communis ſententia Conciliorum, veterumque Patrum. Siquidem de fide eſt quòd dicti infantes, utpote non regenerati, non intraturi ſint in regnum cælorum. *Ergo* (inquit Auguſtinus ſerm. 14. de verb. Apoſt.) *ibunt in ignem æternum: qui enim non erunt in regno, procul dubio in ignem æternum ibunt.* Neque enim dici poteſt (ait Gelaſius Papa epiſt. 7.) *quòd non renati infantes tantummodò in regnum cælorum ire non valeant, non autem æterna damnatione puniantur.* Tametſi enim *poteſt rectè dici, parvulos, ſine Baptiſmo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitiſſima futuros: multùm fallit, & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros.* In damnatione utique ignis. Ut enim arguit citato ſerm. 14. de verb. Apoſt. *venturus eſt Dominus, & judicaturus de vivis, & mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas,* non tres, *partes facturus eſt, dextram & ſiniſtram. Siniſtris dicturus: Ite in ignem æternum... Dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c.... Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes... Nullum medium locum in Evangelio novimus. Ecce in dextra regnum cælorum eſt... Qui ibi non eſt, in ſiniſtra erit. Quid erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum... Qui non in dextra, procul dubio in ſiniſtra. Ergo qui non in regno, procul dubio in igne æterno...* Igitur, *quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in igne æterno.*

177 Concinit Auguſtino Fulgentius l. de fid. ad Petr. c. 27. in tantum ut velut fidei orthodoxæ dogma tradens, uti vidimus to. 1. l. 10. p. 3.

178 Concinit & S. Alcimus Avitus Viennenſis Archiepiſcopus. Cujus verba ibidem exhibuimus ex carmine de caſtitatis laude ad Fulcinam ſororem.

179 Nec diſſentit Gregorius Magnus, ſed opinioni quæ contendit pœnam ſenſûs ſoli peccato actuali debitam, cum Patribus antè relatis apertè contradicit his verbis: *Nonnulli priùs à præſenti luce ſubtrahuntur, quam ad proferenda bona, malavè merita activæ vitæ perveniant. Quos quia à culpa originali Sacramenta ſalutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt.* Et infrà: *Perpetua tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.* Non diſſentit etiam Iſidorus l. 1. ſent. 22. dicens: *Pro ſolo originali luunt in inferno recenter nati infantes pœnas, ſi renovati per lavacrum non fuerint.*

180 Igitur *non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem ignis, regnumque cælorum, quietis, vel felicitatis cujuſlibet, & ubilibet quaſi medium locum*, inquit Auguſtinus lib. 1. de orig. anim. c. 9.

181 Hæc eo dicta ſunt, ut fundatiſſimo timore æternæ calamitatis, quæ infantes manet, ſi ex hoc ſæculo non regenerati diſcedant, expergiſcant pleræque matres, quæ ſuos infantes iſti quotidie exponunt miſeriæ, dum crudeli intemperantiâ vel gulæ, vel libidinis, illos nondum natos in uteris ſuis extinguunt, vel crudeli negligentiâ illos nondum renatos in ſinu ſuo extinguunt, vel præfocant, vel citò baptizari non procurant. Quam etiam ob cauſam arguendæ veniunt plures obſtetrices, debitum baptizandi modum, vel formam ignorantes, ac per hoc plures infantes probabili, imò certo æternæ damnationis periculo exponentes.

Nec dictis infantibus ad evadendum ignem, 182
vel triſtitiam æternam proderit mitior opinio ſancti Thomæ, ſi falſa ſit. Nec noſtra erga parvulos pietas & miſericordia ipſos à damnatione æternaque triſtitia & calamitate liberabit in Dei judicio, in quo, juxta Scripturarum oracula, Sanctorumque traditionem Chriſtus ſententiam proferet. Videri poteſt Florentius Conrius Archiepiſcopus Tuamenſis in Hybernia, in libro de hac re edito anno 1624. ubi plura ad idem probandum ex Scripturis & Patribus argumenta profert, contrariaque doctè & ſolidè diſſolvit. Plura etiam de hac quæſtione à nobis dicta videri poſſunt to. 1. l. 10. ſuprà relato.

CAPUT XIV.

Diſpoſitiones ad Baptiſmum ſuſcipiendum adultis neceſſariæ. Ubi fusè de neceſſitate amoris Dei propter ſe, ad Baptiſmum fructuosè recipiendum.

AD Baptiſmum validè ſuſcipiendum nulla 183
alia diſpoſitio in adultis requiritur, niſi conſenſus ipſorum, ſeu voluntas recipiendi Baptiſmum. Quam quidem voluntatem neceſſariam eſſe conſtat ex dictis lib. 1. c. 21. docetque ſanctus Thomas q. 68. a. 7. *Ex parte baptizati requiritur voluntas, ſeu intentio ſuſcipiendi Sacramentum. Quæ ſi in adulto deeſſet* (ait ad 2.) *eſſet rebaptizandus.* Tametſi is qui terroribus & ſuppliciis inductus conſentit Baptiſmo, validè equidem baptizetur, prout Innocentius III. ab Arelatenſi Epiſcopo interrogatus reſpondit cap. *majores* de Baptiſmo, exemplificans in Judæis ſub Catholico Rege Siſebuto baptizatis, qui ad id coacti ſub pœna flagellationis & exilii, tandem Baptiſmum ſuſceperunt. Et rationem dat Pontifex, quia licèt talis non vellet ſi poſſet impunè, adeòque dici poſſet conditionatè nolens, abſolutè tamen vult & conſentit. Siquis tamen ſemper maneret invitus, nec terroribus aut ſuppliciis induci poſſet ad conſenſum, non valeret Baptiſmus ipſius, ut idem Pontifex declaravit ibidem. Idem conſtat ex cap. *de Judæis* diſt. 45.

Ad licitam tamen & fructuoſam Baptiſmi ſuſ- 184
ceptionem adultis non ſufficit conſentire, ſed 1°. oportet eos inſtrui de myſteriis & obligationibus Religionis Chriſtianæ, juxta illud: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Matth. & Marci ult.

2°. oportet credere. Quia *qui non crediderit,* 185
condemnabitur, ut dicitur ibidem. Et Apoſtolus Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.* Item: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Et Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet te baptizari. Et reſpondens ait: Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum.* Et neceſſitate medii adeò neceſſarium eſt credere explicitè Deum eſſe, & Remuneratorem eſſe, atque inſuper myſterium Trinitatis, & Incarnationis, ut qui ſine iſta fide baptizatur, non juſtificetur, tametſi ſupponeretur myſteria illa invincibiliter, ſeu inculpatè ignorare (quod an fieri poſſit non eſt opus hìc diſputare) uti conſtat tum ex dictis to. 2. de fide, tum ex definitione neceſſarii neceſſitate medii. Unde Rom. 3. dicitur, quòd *juſtitia Dei eſt per fidem Jeſu Chriſti.* Sed & Tri-

dentinum sess. 6. c. 6. inter dispositiones necessarias ad justificationem per Baptismum primo loco requirit fidem : *Disponuntur* (inquit) *ad justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.*

186 3°. oportet sperare, seu confidere *Deum sibi propter Christum fore propitium*, prout Tridentinum dicit ibidem, juxta illud Marci 2. & Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata.* Hanc spem in contritione requisitam ad justificationem per Sacramentum Pœnitentiæ requirit etiam Tridentinum sess. 14. c. 4. *Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso ita demùm præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ... conjunctus sit.* Et infrà eam requirit etiam in contritione imperfecta, quæ attritio dicitur.

187 4°. non sufficiunt dicti actus fidei, & spei (utpote consistentes, seu consistere valentes cum voluntate peccandi, cum qua nullus à peccato mundari potest per Baptismum;) sed insuper necessaria est pœnitentia de peccatis actualibus ante Baptismum commissis, cum firmo proposito servandi mandata, juxta illud Act. 2. *Pœnitentiam agite ; & baptizetur unusquisque vestrùm, in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.* Et Matth. ult. *Docentes eos servare quæcumque mandavi vobis.* Unde Tridentinum citatâ sess. 6. c. 6. post fidem & spem requirit *motum adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*, sicut & propositum, *quo proponunt inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

188 5°. requiritur aliqua Dei propter se dilectio, utpote ex qua secundùm Tridentinum proximè relatum, procedere debet pœnitentia requisita. Post fidem namque & spem, requirit dilectionem, quâ *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. Ac propterea* (inquit, id est propter istam dilectionem, seu Deum dilectum) *moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Ubi *mirum est* (ait eruditissimus Boudartius hîc tr. 2. q. 11.) *quòd nonnulli ita proprio sensui, & anticipatæ opinioni indulgent, ut verbum illud* (OPORTET) *nihil aliud quam convenientiam, non necessitatem, importare contendant.* Cùm non solùm convenientiam, sed necessitatem importent verba Principis Apostolorum Act. 2. in quibus Tridentinum se fundat : *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm in remissionem peccatorum.* Et Tridentinum sess. 14. c. 4. expressè dicat : *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.* Cùmque Tridentinum capite illo 6. (duabus lineis postquam dixit, *pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*) subjungat Apostoli locum, *accedentem ad Deum oportet credere :* & vox *oportet* hîc sine controversia necessitatem importet : credibile non est quòd duabus antè lineis eandem vocem in alia prorsus significatione usurpaverit, & in instructione totius Orbis, in qua de animarum salute peccatorumque remissione agitur, adeò æquivocaverit, ut vel apertam litigiis januam reliquerit, eâ voce utendo in significatione planè dissimili ab eâ quâ Legislatores passim utuntur in ordinationibus publicis, in quibus, sicut & in contractibus, vox *oportet* (secundùm Jurisconsultos) significat necessitatem. Unde Vasquez 1. 2. disp. 203. c. 9. n. 92. ait verbum illud *oportet* (in Tridentino citato) haud dubiè *necessitatem denotare.* Si enim majorem solùm decentiam significaret, sensus esset, quòd agere pœnitentiam ante Baptismum, non sit necessarium, sed quid melius & decentius. Quod haud dubiè falsum est. Et *quorsum* (inquit) *diceret Concilium agere hanc pœnitentiam*, ante Baptismum, melius *aut decens esse : cùm tam ante Baptismum, quàm posteà, decens & consentaneum sit* ? Sed & Theologi, qui Tridentino adfuerunt, actum charitatis, perinde ac fidei & spei ante Baptismum necessarium esse docuerunt, ut Dominicus Sotus l. 2. de nat. & grat. c. 12. his verbis : *Nos verò contra* (Lutheranos) *agnoscimus fidei motum primum esse necessarium. At quoniam possibile est, ut qui credit nun diligat, adjicimus, necessarios esse, cum illo qui est fidei, actus præterea spei & charitatis.* Idque evincit ratio, quæ Tridentinos Patres movit ad requirendam dilectionem, saltem inchoatam, Dei tamquam omnis fontis justitiæ, ex eaque profectam pœnitentiam ante Baptismum. Ratio quippe fuit, quia *si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantùm, & non propter offensam, infructuosa esset*, ut Cardinalis Pallavicinus ex actis originalibus Concilii in historia ipsius testatur l. 8. c. 13.

Ex qua ratione pariter evincitur, inchoatam 189
dilectionem Dei tamquam fontis omnis justitiæ, quam Tridentinum ibi requirit, non esse merum amorem concupiscentiæ, quo Deum nobis ipsis ob proprium commodum diligimus ; sed benevolentiæ & charitatis, seu Dei propter se. 1°. quia dolor de peccato *propter pœnam tantùm, & non propter Dei offensam*, procedit ex amore concupiscentiæ, quo sicut volumus commodum nostrum ; ita timemus & odimus incommodum nostrum, seu pœnam. Pœnitentia verò seu dolor propter pœnam tantùm, non propter Dei offensam, infructuosa est, adeòque insufficiens secundùm Patres Tridentinos.

2°. quia dilectio Dei tamquam fontis omnis 190
justitiæ (quam Concilium requirit) est dilectio Dei propterea quòd sit fons omnis justitiæ. Cùm igitur Deus secundùm se, & secundùm quod Deus, sit fons omnis justitiæ, dilectio Dei propterea quòd sit fons omnis justitiæ, est dilectio Dei propter Deum, sive dilectio Dei, non propter rivulos beneficiorum, sed propter eorum fontem, qui est Deus ipse. Est ergo dilectio Dei propter se.

3°. expressio illa Tridentini haud dubiè eo 191
modo intelligenda est, quo intelligitur à Patribus, ex quibus est desumpta. Ab ipsis verò intelligitur de dilectione Dei, non propter effectus ipsius, sed propter se, ut videre est in Augustino l. 1. de catechis. rudib. c. 27. ubi instruens eos qui baptizari volunt (quod & Tridentinum facit loco citato) *Diligatis* (inquit) *Deum gratis, quia amandus est, non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia, & veritas, & justitia, &c. non quemadmodum sunt in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis, & incommutabilis sapientiæ.* Et in Psalm. 61. ad finem : *Transcende creaturas, vade illuc, ubi semel locutus est Deus, & ibi invenies fontem justitiæ, ubi est fons vitæ.*

4°. Patres Tridentini expressè se explicave- 192
runt de amore charitatis, prout idem Tridentinus Historicus testatur citato cap. 13. Unde pro titulo istius capitis posuit hoc summarium : *De actu charitatis necessario ad justitiam, etiam in Sacramento accipiendam.* Et in capitis decursu ostendit non esse titulum sine re, sub finem aiens : *Quod attinet ad id quod dicitur de dilectione Dei, advertendum est, per tenorem decreti priùs delineati, nullam fieri dilectionis mentionem ; sed*

Salvatorem Alepium Archiepiſcopum Turritanum, Claudium Jaium Societatis Jeſu, Lipomanum Veronenſis Adjutorem, & Pium Franciſcanorum Præſidem admonuiſſe, ut ALIQUIS CHARITATIS ACTUS INSEREretur. *Cùmque id ad omnium Patrum judicium relatum fuerat ... viginti tres ex ipſis diſertè illud comprobaſſe, adeòque inſertum decreto. Sed poſteà aliis haud probatum* (eò quòd habitus charitatis, ſeu actus inde procedens non requireretur;) *at per hæc verba retentum:* non eſt ſermo eo loco de habitu charitatis, vel de actu inde procedente, vel ei inſeparabiliter conjuncto; *ſed cùm in particula, quæ loquitur de pœnitentia, nulla fiat mentio amoris, viſum eſt cum fide & ſpe jungere aliquem dilectionis* (ſeu *charitatis*, ut cum antè vocaverunt) *actum: quia ſi pœnitentia tota eſſet ex timore, ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet propter pœnam tantùm, & non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet.* Et cap. ſeq. *Quibuſdam pariter animadvertentibus,* CHARITATEM *ſuperiori capite memoratam recenſeri ſub illius initium, inter ea quæ præparant ad juſtitiam ſuſcipiendam: poſteà verò tamquam veram ipſius juſtitiæ formam poni. Reſponderunt decreti formatores, in primo loco ſermonem eſſe de quodam actu* CHARITATIS. *Cùm inſit aliqua dilectio* (charitatis utique) *in homine, non quidem obtinente, ſed exoptante juſtitiam.*

193 Ex actis itaque Concilii Tridentini, & narratione Hiſtorici, manifeſtè apparet, quòd verba iſta: *illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata ... per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet:* ideò addita ſunt, quia Patres voluerunt, *ut aliquis charitatis actus inſereretur.* Et hoc ideò, quia *ſi pœnitentia tota eſſet ex timore, ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet propter pœnam tantùm, & non propter Dei offenſam* (uti eſſet, ſi abſque ullo charitatis actu eſſet) *infructuoſa eſſet.* Neque hoc ſolum manifeſtè ex dictis actis apparet, ſed & apparet, quòd charitatis actus, velut neceſſarius, non inconſultò inſertus fuerit dicto decreto, ſed poſt contradictorium examen, acremque diſceptationem, neque ſolùm ex privato ſenſu decreti formatorum, ſed ex ſolemni ſententia Patrum. Quare? *Quia ſi pœnitentia tota eſſet ex timore, ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet propter pœnam tantùm, & non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet.* Apparet denique, quòd plana Tridentinorum Patrum ſententia eſt, ad juſtificationem, etiam ſacramentalem, non ſufficere pœnitentiam, ſeu attritionem purè formidoloſam, ſine amore juſtitiæ, qui ſit *aliquis charitatis actus.*

194 5°. pœnitentia, quam Tridentinum ibi requirit, debet eſſe propter Dei offenſam, & non propter pœnam tantùm, aliàs eſſet infructuoſa (ut ex iiſdem actis conſtat;) ſed nullus pœniter, ſeu dolet de peccato propter Dei offenſam ſine actu charitatis. Quia ſicut gaudere de bono Dei, quia bonum ipſius eſt, eſt actus charitatis; ita dolere de malo Dei, id eſt de peccato, quia malum ipſius eſt, ſeu offenſa, eſt actus charitatis. Ut enim Doctor Angelicus q. 7. de malo a. 11. ad 3. ait: *ejuſdem rationis eſt quòd voluntas feratur in appetitum unius contrarii, & in deteſtationem alterius,* ſive, ut ait (1. 2. q. 113. a. 5. ad 1.) *ad eandem virtutem pertinet proſequi unum oppoſitorum, & refugere aliud.* Unde 3. p. q. 85. a. 5. ad 1. dicit quòd *peccatum... homini diſplicere... propter Dei offenſam... pertinet ad charitatem.* Et ibidem in corpore dicit quòd *actus... quo alicui peccatum diſplicet ſecundùm ſeipſum, & non jam propter ſupplicia,* eſt motus charitatis. In eoque omnes conveniunt, teſte Becano de Sacram. Pœnit. q. 3. c. 30. his verbis: *Odium peccati ut eſt offenſa Dei, eſt actus charitatis, ut omnes concedunt.* Idem teſtatur Vasquez in 3. p. q. 86. a. 1. dub. 1. n. 8. *Omnes* (ait) *præter Alexandrum fatentur, quòd impoſſibile ſit, ut actus odii peccati, prout eſt offenſa Dei, ſit alterius virtutis quàm charitatis.* Et ratio ulterior eſt tum quia odium peccati, *prout eſt offenſa Dei*, ſive *propter Dei offenſam, & non propter pœnam tantùm*, non eſt odium peccati propter nos tantùm, ſive propter intereſſe noſtrum, vel propter incommodum quod peccando incurrimus. Igitur eſt odium propter Deum, & propter intereſſe Dei. Neceſſariò ergo procedit ex amore Dei propter ſe. Id quod evidens eſſe poteſt unicuique odii & amoris naturam attendenti. Nihil enim primò & per ſe odiſſe poſſumus, ſed neceſſe eſt omne odium ex aliquo amore procedere, vel creaturæ, vel Dei. Igitur neceſſe eſt ut odium peccati, in quantum eſt offenſa Dei, procedat ex amore Dei, vel creaturæ. Atqui non procedit ex amore creaturæ propter creaturam, quia non eſt odium peccati, in quantum eſt malum creaturæ, ſed in quantum eſt malum, ſive offenſa Dei. Igitur procedit ex amore Dei propter ſe. Tum quia *nomine offenſæ* Dei, quando dicitur quòd peccatum odiſſe oportet propter offenſam Dei, *non intelligitur* ira Dei vel voluntas vindicandi, *ſed indignatio quæ opponitur amori, quo nos quaſi filios & amicos ſpecialiter diligit*, ait Ruardus Tapperus ad art. 5. pag. 190. Igitur odium illud ex timore & amore filiali procedit. Ut enim S. Thomas ait 2. 2. q. 19. a. 2. timor pœnæ, ibi ſiſtendo, eſt timor ſervilis; timor culpæ, eſt timor filialis: *Si aliquis odit peccatum, ſive convertitur ad Deum ... propter timorem pœnæ, erit timor ſervilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis. Nam filiorum eſt timere offenſam patris.* Tum denique quia ſaltem negari non poteſt, peccatum, in quantum eſt offenſa Dei, eſſe peccatum in quantum eſt peccatum, ſive in quantum eſt contra legem Dei æternam (peccatum namque ab omnibus paſſim cum Auguſtino definitur, *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.*) Igitur negari nequit, odium peccati, in quantum eſt offenſa Dei, eſſe odium peccati, in quantum eſt contra legem Dei æternam. Cùm igitur omne odium alicujus mali procedat ex amore boni, illi malo oppoſiti (receſſus quippe à malo per odium, fit per acceſſum ad oppoſitum bonum per amorem; ſicut receſſus ab uno extremo, fit per acceſſum ad oppoſitum extremum) negari nequit odium peccati, in quantum eſt contra legem æternam, procedere ex amore legis æternæ, ac per conſequens ex amore Dei, & non ex amore alicujus diſtincti. Cùm lex æterna ſit Deus ipſe; non aliquid à Deo diſtinctum. Et hinc ulteriùs conficitur, odium peccati, in quantum peccatum eſt, eſſe odium peccati, in quantum eſt contra Deum ipſum, & non in quantum eſt contra aliquid à Deo diſtinctum; atque adeò procedere ex amore Dei propter ſe dilecti. Quia odium peccati, in quantum eſt contra Deum, eſt odium peccati propter Deum. Quod haud dubiè procedit ex amore Dei propter ſe. Neque enim odium peccati, in quantum eſt contra Deum, procedit ex amore Dei propter nos, ſive propter commodum noſtrum: cùm hoc conveniat ſoli odio peccati, in quantum eſt contra nos, ſive contra commodum noſtrum.

6°. Tridentinum loco citato ſecutum eſt do- 195
ctrinam S. Thomæ 1. p. q. 85. a. 6. cùm eaſdem ad juſtificationem diſpoſitiones, & eodem modo recenſeat, quo S. Thomas. Atqui S. Thomas, poſt ſpem recenſens amorem, intelligit amorem charitatis. Poſtquam enim dixit: *Quartus actus eſt motus ſpei*, &c. ſubdit: *Quintus actus eſt motus charitatis, quo diſplicet ſecundùm ſeipſum, & non propter ſupplicia*, ut ibi videre eſt. Igitur

Tridentinum per dilectionem, quam post spem pariter recenset, similiter intelligit amorem charitatis: cùm ex dictis evidenter appareat, quòd requirat amorem, quo peccatum displiceat secundùm se, non propter supplicia tantùm.

196 7°. idipsum probatur ex scopo Tridentini, quod inter alias dispositiones ad justificationem in decreto suo recensuit dilectionem Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, non solùm quia pœnitentia aliàs esset propter pœnam tantùm, & non propter Dei offensam, sed & ad tacitè refellendum errorem Lutheranorum in Apologia Confessionis Augustanæ ante annum 1545. conscripta (teste Alberto Pighio controv. 9.) docentium, quòd *non potest prius adesse dilectio, quàm fide sit facta reconciliatio, nec peccator potest Deum diligere, quem iratum videt præcipitare velle in gehennam.* Ad debellandum hunc errorem, Tridentinum loco citato statuit dilectionem Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, præcedere justificationem, ipsumque de dilectione charitatis vel ipsi hæretici intellexerunt, ut videre est in Kemnitio, apud Judocum Ravesteyn, arguente Tridentinum illud decretum, in eo quòd *apprehendere Christum ad justitiam & salutem, tribuunt Patres Tridentini* CHARITATI, *non fidei. Unde quintum vitium est, quòd fingunt dilectionem Dei* (quam proximè *charitatem* vocant) *in nobis præcedere debere justificationem.* Cui Ravesteyn optimè replicat, doctrinam istam Tridentini esse conformem Scripturæ: *cùm Scriptura manifestè insinuet, neminem salubriter ad Deum confugere pro impetranda reconciliatione, nisi qui aliquâ dilectione Dei, & amore justitiæ sit affectus.* Unde Dominicus Sotus (unus ex Theologis Tridentinis) l. 2. de nat. & grat. c. 12. explicans allatum Tridentini decretum, postquam retulit Lutheranum errorem, quòd solâ fide peccator justificaretur: *Nos verò* (inquit) *agnoscimus fidei motum primum esse necessarium. At quoniam possibile est, ut qui credit non diligat, adjicimus necessarios esse cum illo qui est fidei, actus præterea spei & charitatis.* Et c. 13. in fine: *Jussus de hac re dicere in sancta Synodo, præfatus sum, nempe quòd non satis Lutheranis contradiceretur, si pronuntietur, spem & charitatem coire cum fide in articulo justificationis: nam id plus æquo ipsi largiuntur. Punctum verò contradictionis hoc est, quòd quemadmodùm actus fidei informis saltem naturâ antecedit gratiam* (utique habitualem;) *ita & necesse est antecedant actus spei & charitatis* (Lutheranis econtrà dicentibus, actus spei & charitatis subsequi gratiam justificantem, solâ fide impetratam.) *Id quod perspicienter in sua confessione confessa est modò Synodus Tridentina c. 6. ubi de iis qui ab originali simul & actualibus reconciliantur, sic habet: disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes... in spem eriguntur... illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata... per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Et c. 7. hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur, &c. Igitur, juxta Sotum, necesse est, ex mente Tridentini sessione illâ sextâ, non solùm ut actus fidei, sed & *actus spei & charitatis... saltem naturâ infusionem gratiæ antecedant*, ut ibidem Sotus ait. Id etiam clarè eâdem sessione declaratum tradit Vega (qui eidem ipse quoque interfuit) in Concil. Trid. l. 6. c. 31. dicens: *Duo definita de pœnitentia hic video à Patribus. Primum, esse odium & detestationem propter Deum. Secundum est, oportere pœnitentiam agi ante Baptismum.* Similiter id eâdem sessione definitum censet Melchior Canus (qui & ipse præsens fuit) p. 1. relect. de pœnit. ubi postquam dixit, quòd *primus actus pœnitentiæ nunquam est sine actu charitatis*, idque variis argumentis ex Scriptura, Augustino & multiplici ratione probavit: *Id tandem* (inquit) *modò in Concilio Tridentino sess. 6. c. 6. & 7. definitum est, ac reverà: id enim Dominus Luc. 7. insinuasse videtur, inquiens:* Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm, *significans dolorem & lachrymas nullas esse, nisi cum charitate essent.*

8°. tandem id probatur ex communi mente & sententia Doctorum. Quòd enim Tridentinum loco citato agat de amore Dei propter se, non de amore concupiscentiæ, *communis mens, ac sententia Doctorum est*, uti testatur Tannerus to. 4. disp. 6. q. 2. dub. 4. n. 7. Idque Suarez in 3. p. disp. 4. sect. 8. probat, *quia diligere Deum ut omnis justitiæ fontem, non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere Deum ut Authorem gratiæ, & omnium supernaturalium bonorum, quomodò charitas d[ilig]it ipsum, etiamsi propter seipsum maximè diliga[t]. Nec verò* 19[7] *dicit Concilium, hunc amorem pertinere ad spem, sed potiùs supponere spem, & post conceptam spem, per eam erigi hominem, & quasi sublevari ad diligendum Deum, utique propter seipsum. Nam amor concupiscentiæ non sequitur propriè ex spe, sed ad illam potiùs supponitur.*

Pluribus argumentis ex Scriptura, Traditione, Tridentino, &c. necessitas amoris Dei propter se ad justificationem peccatoris, etiam sacramentalem, invictè probabitur Deo dante l. 5. Hîc solùm istud addo: Dei propter se amor necessarius est ad justificationem per Baptismum sanguinis, uti probabitur c. 16. Ergo & ad justificationem per Baptismum aquæ; utpote qui non est efficacior Baptismo sanguinis. Imò hunc illo efficaciorem esse probabitur cap. seq.

CAPUT XV.

Triplex effectus Baptismi fluminis. Ubi etiam de effectibus Baptismi flaminis, & sanguinis.

TRiplex est effectus Baptismi (ait S. Bona- 198
ventura in 4. dist. 4. a. 1. q. 3. 1. p.) *primus characteris impressio, secundus gratiæ infusio, tertius innocentiæ restitutio.*

In Sacramento ergo Baptismi 1°. *imprimitur* 199
character (ait S. Thomas q. 63. a. 6.) *quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta. Unde Baptismus dicitur janua omnium Sacramentorum.* Alia ratio est quia per Baptismum homo recipitur in numero fidelium, fitque Christianus; ideòque *divina beatitudo accedentem ad Baptismum in sui participationem recipit, & proprio lumine, quasi quodam signaculo ipse tradit suam participationem.* S. Dionysius de Eccles. Hierarch. c. 2. *Et Spiritu signamur, ut imaginem ejus & gratiam tenere possimus.* Ambrosius l. 1. de Spir. sanct. c. 6.

Secundò infunditur gratia, per quam fit re- 200
missio peccatorum, tam originalis, quàm actualium prorsus omnium, juxta illud Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quod & Florentinum definivit in decreto Eugenii IV. *Sacramenti Baptismi effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis.* Siquidem ut Augustinus ait l. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 15. *Generante carne tantummodò, trahitur originale peccatum. Regenerante autem Spiritu, non solùm originalium, sed etiam voluntariorum remissio fit peccatorum.*

Per eandem gratiam baptizatus efficitur hæres 201
regni cælestis, juxta illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Per eandem quoque

incorporatur Christo, quasi membrum ipsius. S. Thomas q. 69. a. 5. Per eandem acquiruntur virtutes infusæ & dona Spiritûs sancti, juxta Tridentinum sess. 6. c. 7. *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Et infrà: *In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Ita etiam S. Thomas q. 69. a. 7. *Manifestum est quòd per Baptismum aliquis consequitur gratiam & virtutes.* Et quia, remissâ omni culpâ & pœnâ, non remanet in homine impedimentum, quo prohibeatur ab ingressu regni cælestis, & per Baptismum non solùm remittitur omnis culpa, sed & pœna, ut proximè dicetur: *Consequens est quòd effectus Baptismi sit apertio januæ regni cælestis.* S. Thomas ibidem.

202 Tertiò in Baptismo in tantum restituitur innocentia, ut non solùm remittatur omnis culpa, sed & pœna, uti declaravit Eugenius IV. in decreto Armen. dicens, quòd *effectus Baptismi est remissio omnis pœnæ, quæ pro culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum & Dei visionem perveniunt.* Et rationem dat S. Thomas q. 69. a. 2. quia *per Baptismum aliquis incorporatur passioni & morti Christi, secundùm illud Rom. 6. Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum eo. Ex quo patet quòd omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus & mortuus esset. Passio autem Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideò ille qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ, sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis.*

203 Et ideò l. 2. de peccat. merit. c. 28. Augustinus dicit, quòd *si continuò post Baptismum sequatur ex hac vita migratio, non erit omninò quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant.* Quòdque *nihil habet remoræ quominùs ad regnum cælorum mox migret, si parvulum statim mori contingat.*

204 Et quamvis remissâ omni pœnâ, per quam impeditur regni cælestis introitus, non tollatur omnis pœnalitas (quæ non est pœna propriè dicta) sed peccati originalis pœnalitates, concupiscentia utique, ignorantia, aliæque infirmitates ad agonem & augimentum meriti relinquantur; per Baptismum tamen fit ut concupiscentia non imputetur, & sic contra concupiscentiam roboratur homo, ut non obsit baptizato; imò prosit ad meritum, si bene utatur robore accepto. Ut enim super illud Rom. 6. *destruatur corpus peccati*, Glossa dicit: *per Baptismum id agitur, ut vetus homo crucifigatur, & opus peccati destruatur. Non ita ut in ipso vivente carnis concupiscentia consperſa & innata repentè absumatur, & non sit; sed ne obsit mortuo (peccato) quæ inerat nato.*

205 Et infantes quidem omnes æqualiter gratiam baptismalem accipiunt: *Adulti verò quia per propriam fidem ad Baptismum accedunt, non æqualiter se habent ad Baptismum* (ait S. Thomas q. 69. a. 8.) *quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptismum accedunt. Et ideò quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus calorem, qui prius ei appropinquat: licèt ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat.*

206 Et Baptismus quidem sanguinis omnem culpam & pœnam semper abluit, sicut Baptismus flumi-

nis. Sed non sic Baptismus flaminis, sive votum Baptismi fluminis, ut patet ex S. Thoma q. 68. a. 2. ad 2. *Universalis ablutio fit in perceptione Baptismi, & in martyrio. Propter quod dicitur quòd in martyrio omnia Sacramenta Baptismi complentur, scilicet quantùm ad plenam liberationem & à culpa & à pœna. Siquis tamen Catechumenus sit habens desiderium Baptismi (quia aliter in bonis operibus non moveretur, quæ non possunt esse sine fide per dilectionem operante) talis decedens non statim pervenit ad vitam æternam; sed patietur pœnam pro peccatis præteritis: ipse tamen salvus erit, sic quasi per ignem.* 1. Cor. 3.

Angelico Doctori concinit Doctor Seraphicus 207
3. p. centiloquii sect. 48. de Baptismo, ubi sic: *In Baptismo flaminis, qui est per pœnitentiam, & Spiritûs sancti gratiam, purificamur à culpa. In Baptismo fluminis purificamur à culpa, & à satisfactoria pœna. In Baptismo sanguinis purificamur ab omni miseria.*

Per Baptismum itaque sanguinis, seu martyrium, omnia peccata, etiam venialia, remittuntur, sicut per Baptismum fluminis, teste Augustino l. 13. de Civ. Dei c. 7. ubi dicit, quòd mors pro Christo *tantùm valeat ad dimittenda peccata, quantùm si Martyres abluerentur sacro fonte Baptismatis*, per quem etiam venialia dimittuntur. 208

Imò martyrium majoris meriti, seu efficaciæ 209
est, quàm Baptismus fluminis, secundùm doctrinam Sanctorum. Siquidem Cyprianus in epist. ad Fortunatum, martyrium vocat *Baptisma in gratia majus, in honore pretiosius, Baptisma in quo Angeli baptizant, Baptisma in quo Deus & Christus ejus exultat. Baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, Baptisma quod nos recedentes de mundo statim Deo copulat. In aquæ Baptismo percipitur peccatorum remissio, in sanguinis corona amplectenda res est, & optanda, & omnium postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi Dei sumus, simus & amici.*

Et Augustinus loco citato: *Neque enim tanti* 210
sunt meriti, qui cùm mortem differre non possent, baptizati sunt. . . . quanti sunt hi, qui mortem differre cùm possent, ideò non distulerunt, quia maluerunt, Christum confitendo, finire hanc vitam, quàm eum negando, ad ejus Baptismum pervenire.

Rationem dat S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus* 211
homo: quia *nullatenùs seipsum potest homo magis dare Deo, quàm cùm se morti tradit ad honorem illius.*

Non ideò tamen martyrium gratiam causat ex 212
opere operato, sicut Baptismus aquæ; neque solùm ex opere operantis, sed medio quodam modo, ex speciali favore Christi, juxta illud Augustini lib. 13. de Civit. c. 7. *Mors* pro Christo *in tantam utilitatem*, NON VI SUA, SED OPITULATIONE DIVINA *conversa est.* Habet quidem favorem illum ex virtute passionis Christi, supra dignitatem, & meritum operantis (propter quod dixi, quòd non solùm causet gratiam ex opere operantis) sed non per modum actionis provenientis à Christo, velut agente principali, sicut Baptismus aquæ: neque enim tolerantia martyrii est actio vice & nomine Christi, tamquam principalis agentis, exercita, sicut Baptismus. Neque Christus est qui in Martyribus suffert martyrium, vel occidit Martyres, sicut Christus est qui baptizat infantes. Causare verò gratiam ex opere operato, est illam causare ex virtute passionis Christi, supra dignitatem, & meritum operantis, per modum actionis provenientis à Christo, velut agente principali. Sicut actio Legati Regis habet efficaciam impetrandi, supra dignitatem, & meritum Legati, ob meritum Regis, cujus personam sustinet: quia scilicet Rex est, qui per Legatum postulat;

postulat; sicut actio baptizantis v. g. habet efficaciam causandi gratiam ex opere operato, supra dignitatem & meritum baptizantis & baptizati, ob dignitatem & merita Christi, passionisque ipsius: quia Christus est qui per Ministrum baptizat.

CAPUT XVI.

Ad consequendum dictum effectum Baptismi sanguinis, seu martyrii, necessarius est amor Dei propter se, ita ut martyrium pro Christo, sive ex amore ipsius sustineatur.

213 PRobatur 1°. ex Evangelio, ubi Christus ad effectum martyrii requirit, ut propter ipsum sustineatur. Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Marc. 8. *Qui perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam.* Luc. 9. *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.* Teste verò Augustino de mor. Eccles. c. 9. non potuit Christus amorem sui propter se expressiùs significare, quàm dicendo *propter me.* Siquidem explicans verba ista, *propter te mortificamur totâ die: charitas* (inquit) *non potuit significari expressius, quàm quod dictum est propter te.* Unde conc. 2. in Psal. 32. *Martyres* (inquit) *non facit pœna, sed causa.* Ideò Matth. 5. non sine addito Christus ait: *Beati qui persecutionem patiuntur*, sed addidit *propter justitiam*, id est *propter Deum* charitate dilectum. Ut enim Augustinus ait lib. de nat. & grat. c. ult. *charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est . . . . charitas perfecta, perfecta justitia est . . . Quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita.* Nec Christus ibidem sine addito dixit: *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint*, &c. sed addidit *propter me*, in eumdem sensum accipiens ly *propter justitiam*, & ly *propter me.* Similiter Luc. 6. non simpliciter dixit: *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint*, &c. sed addidit *propter Filium hominis.*

214 2°. ex 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ubi Apostolus non loquitur de sola charitate habituali (sine ea quippe martyrium ex Dei propter se amore perpessum haud dubiè prodest) utpote causans gratiam & justificationem. Loquitur ergo de actuali, sive de ipso charitatis affectu. Siquidem vox Græca correspondens voci *charitas*, in textu Apostoli significat actum secundum, seu affectum charitatis, de eoque Apostolum *Sancti quique intellexerunt* (inquit Tannerus disp. 2. de spe q. 2. dub. 3. n. 95.) & *constat ex adjecta antithesi linguarum, quæ vel solum, vel maximè ad actum secundum pertinet.* Constat etiam ex aliis consequentibus, textuque sermonis Apostoli, ubi de actibus sermo est, potiùs quàm de habitibus: *Charitas non quærit quæ sua sunt: omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*, &c. Constat denique ex Chrysostomo, Augustino, & Cæsario. Quorum ille hom. 30. in 1. ad Cor. citatum Apostoli locum explicat de charitate actuali: *Præclaram* (inquit) *hanc actionem laudare aggressus est.* Similiter Augustinus serm. 15. de verb. Apost. c. 12. per charitatem intelligit *amorem*, seu sancti amoris affectum, sicut per cupiditatem intelligit affectum *vitiosi amoris: multùm amavit* (quis hoc non intelligat de actione amoris?) *qui torqueri potuit, deficere non potuit. Sed ille non potuit tanta perferre sine amore; nec tu communicare poteris Christi passionibus sine amore. Sed quæro quo amore? non sit cupiditas, sed charitas. Si enim* (inquit) *tradidero corpus meum ita ut ardeam, & charitatem non habeam, nihil mihi prodest.* Et ne dubites nomine cupiditatis & charitatis actum intelligere: *charitatem* (inquit l. 3. de doctr. christ. c. 10.) *voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem, motum animi ad fruendum se & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum.* De charitate etiam actuali Apostolum exponit tr. 8. in epist. Joan. c. 4. Et enarrat. in Psal. 141. n. 7. Et serm. 90. de verb. Evangel. Matth. 22. edit. novissi. n. 6. 8. & 9. Et serm 95. de verb. Evangel. Joan. 16. n. 3. n. 5. juncto cum n. 3. in fine. Ergo sine charitate actuali martyrium, secundùm Apostolum, nihil prodest. Denique sanctus Cæsarius exhort. *ad tenendam charitatem*, sic ait: *Nolite vobis sine charitate blandiri, etiamsi reliqua bona opera perfeceritis* (loquitur ergo de charitate actuali) . . . *nam in tantum reliqua opera sine charitate nihil prosunt, ut liberâ voce clamet Apostolus: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Nec dicas, Apostolum id intelligere de charitate fraterna, nec aliud velle, nisi quòd martyrium nihil prosit odienti proximum. Neque enim charitati fraternæ, seorsim à charitate Dei, conveniunt magnifica charitatis elogia, quæ Apostolus ibi commemorat. Multò minùs soli negationi odii in proximum. Neque enim negatio ista, vel fraterna dilectio, sine dilectione Dei, est illa *excellentior via*, quam se ibi demonstrare Apostolus testatur. Neque est illa charitas quæ *patiens, benigna est... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Non est *charitas* quæ *nunquam excidit*, & de qua dicit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Apostolus ergo manifestè loquitur de affectu amoris, quo Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum, sicut loquitur de actu fidei & spei. Loquitur (inquàm) de *præclara illa actione*, de qua Chrysostomus suprà, quamque Apostolus ibi *laudare aggressus est.* 215

Propterea S. Thomas q. 66. a. 12. ad 2. assertionem nostram tradit dicens: *effusionem sanguinis non habere rationem Baptismi, si sit sine charitate.* Et 2. 2. q. 124. a. 2. ad 2. *Licèt martyrium sit actus fortitudinis, ut elicientis; est tamen actus charitatis, ut imperantis.* 216

Idem de Baptismo aquæ Augustinus dicit tr. 6. in cap. 1. Evang. Joan. n. 14. *Baptismus sine charitate nihil prodest.* Et l. 7. de Baptismo contra Donatist. c. 53. n. 102. *Baptismus eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate* (suscipiendo) *caruissent... Si enim habeam* (inquit Apostolus) *fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* 217

CAPUT XVII.

Casus, in quibus Baptismus sub conditione reiterandus est.

BAptismum, semel validè collatum, nunquam 218
reiterari posse, de fide est, ex Symbolo Nicæno: *Confiteor unum Baptisma.* Necnon ex definitione Concilii Florentini & Tridentini sess. 7. can. 11. Et consentiunt omnes Patres post Apostolum Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati* (id est baptizati) *gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Quod de renovatione Baptismi SS. Patres Græci & Latini communiter exponunt apud Morinum l. 3. de administr. Sacram. Pœnit.

c. 7. Quoties proinde constat aliquem validè baptizatum fuisse, grande sacrilegium committit & irregularitatem incurrit qui ipsum rebaptizat. Unde cap. *cùm itaque* de Consecrat. dist. 4. reiterationem Baptismi S. Leo Papa vocat inexpiabile facinus. Quoad irregularitatem videri potest cap. *eos quos* ibidem.

219 Hinc quotiescumque constat aliquem fuisse extrà ritè baptizatum, & non est probabilis ratio dubitandi de intentione Ministri, non licet etiam sub conditione, rebaptizare. Doctores communiter. Quia tunc tanta est præsumptio pro Baptismo validè collato, ut pro morali certitudine sit habenda, uti declarat Innocentius III. cap. *veniens* de Presbyt. non baptiz. Et vani timoris non est habenda ratio l. 146. de reg. jur.

220 Nec sub conditione quisquam rebaptizandus est, dum unus testis oculatus, etiam mulier de cujus fide non est ratio dubitandi, testatur ipsum debitè baptizatum fuisse. Doctores communiter id colligentes ex cap. *parvulos* de Consecr. dist. 4. nec non ex cap. *cùm itaque* ibidem.

221 Cæterùm *si Baptismi sui nihil recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari possit de eo, qui sciat esse consecratum, nihil est in quo peccatum possit irrepere*, si sub conditione rebaptizetur. *Quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omninò factum nescitur. Atque ideò quoties talis persona inciderit, sollicitâ primùm examinatione discutiat, & longo tempore (nisi fortè supremus finis immineat) indagate, utrùm nemo penitùs sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis. Et cùm constiterit, hunc qui baptismatis indiget Sacramento, solâ inani suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit vestigium, nec vereamur hunc salutis januam aperire, quam nunquam antè docetur ingressus.* Leo Papa cap. *cùm itaque* citato.

222 Primus itaque casus Baptismi sub conditione reiterandi, est dum quis certò non scit se baptizatum, tametsi suspicetur se baptizatum, si nullus sit qui certò sciat & testari possit ipsum baptizatum fuisse. Nam unum solum testem hic Pontifex admittit, si certò sciat ipsum baptizatum fuisse. Dum enim nullus certus testis juvare potest ignorantiam nescientis, *non censetur iteratum, quod omninò factum esse nescitur.* Sive ut idem Pontifex ait sequenti cap. *si nulla: quod non ostenditur gestam, ratio non finit ut videatur iteratum.* Quod axioma Innocentius III. his verbis repetit cap. *veniens* citato: *non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.*

223 Secundus (si tamen non idem) casus est, quoties adest rationabile dubium de collatione Baptismi, vel de valore Baptismi collati. *De quibus* enim *dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis: Si baptizatus es*, &c. Alexander III. cap. 2. de Baptismo & ejus effect.

224 Tertius proinde casus est, quando adsunt quidem indicia probabilia ad suspicandum; insufficientia tamen ad moralem certitudinem. Quia tunc est rationabile dubium. Card. de Lugo l. 1. respons. moral. dub. 1. & 2. Unde in Concilio Cartag. V. cap. 6. statuitur, quòd *quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, placuit absque scrupulo eos esse baptizandos.* Et Paulus V. in suo Rituali §. de Bapt. parvul. mandat rebaptizari illos, de quorum Baptismo *non constat.* Non constat autem, ubi non adest clara seu certa probatio. Mascardus de probat. conclus. 75. n. 21.

225 Collige 1°. sub conditione baptizandos infantes expositos, quibus adjecta non est schedula testificans de Baptismo. Doctores communiter. Imò Concilium Mediolanense III. sub S. Carolo Borromæo tit. de Bapt. infant. & Synodus Camerancensis II. idipsum statuunt, tametsi schedula adjecta sit, si aliter de Baptismo constare nequeat. Quia equidem dubium manet de valore Baptismi, fortasse à matre substantialia ignorante, vel turbatâ invalidè collati. Et quia scripturæ privatæ, non notatæ sygillo, vel manu Scriptoris, nulla fides adhibenda est. Tuschus verbo *Scripturæ.* Consonant Constitutiones Constantienses p. 1. tit. 6. n. 6. Necnon Hispalenses & Cordubenses apud Quintanaduennas singul. l. 1. tract. 1. sing. 9.

Collige 2°. rebaptizandum non esse, qui inter 226
Catholicos natus & educatus, Sacramenta frequentavit, & ab omnibus pro baptizato hactenus est habitus. De tali enim non est rationabile dubium, ut patet ex cap. fin. de Presbyt. non bapt. ubi Innocentius III. sic ait: *De illo qui natus est ex fidelibus parentibus, & inter Christianos fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsan argumentis contrarium probetur,* vel nisi tales conjecturæ adsint (addit Layman hîc c. 5. n. 4.) quæ præsumptionem, seu certitudinem accepti Baptismi tollant, & contrarium verosimile efficiant.

Collige 3°. non esse rebaptizandos omnes 227
baptizatos ab hæreticis. Quia ex una parte de fide est baptismum ab hæreticis collatum esse validum, si debitam formam, materiam, & intentionem adhibeant. Ex alia parte constat non omnes hæreticos in aliquo horum deficere. Unde S. Congregatio Concilii Tridentini anno 1570. teste Card. de Lugo respons. moral. l. 1. dub. 2. loquens in specie de Baptismo Calvinistarum, negat omnes rebaptizandos. Et velut rem notoriam P. Gobat n. 388. & 390. post Tannerum & Layman tradit baptizatos ab hæreticis non rebaptizari, nisi occurrat aliunde dubium.

Synodus quidem Provincialis Mechlinienſis 228
sub Hovio anno 1667. celebrata, atque à Paulo V. approbata tit. de Bapt. sic statuit: *quia frequens experientia docet, modernos hæreticos sæpè contra receptam Ecclesiæ consuetudinem, & antiquissimam traditionem, uno aquam fundente, alio formam ipsam pronuntiante, baptizare.* Et Pastorale Mechlinienſe anno 1649. auctum & recognitum eod. tit. ait: *Quia nostri temporis hæretici, pro insatiabili suo in Ecclesiam odio Sacramentorum formam plerùmque mutant, materiam contemnunt, aut legitimam intentionem non habent, meritò baptismus ab iis collatus suspectus haberi debet. Proinde ab iis baptizati sub conditione baptizentur.* Et ideò Farvacius hîc cap. 4. q. 8. petitione 3. Sylvius q. 66. a. 9. Præpositus ibidem. Adamus Opatonius apud Dianam p. 9. tr. 6. resol. 35. Quintanaduennas singul. tr. 1. sing. 3. n. 3. censent baptizatos ab hæreticis iterùm baptizari posse & debere.

Verùm (quidquid aliàs acciderit) nunc certè 229
Hollandi hæretici (uti testantur Catholici qui eorum mores norunt) utuntur debitâ materiâ, formâ & intentione, nec solent Catholici Sacerdotes in Hollandia degentes, rebaptizare eos, quos ab ipsis baptizatos esse constiterit. Et ideò Philippus Rovenius, iſtis in regionibus Vicarius Apostolicus, anno 1638. Constitutionem edidit sequentis tenoris: *Baptizati ab hæreticis non facilè de novo baptizentur, nisi constet aliquid omninò substantiale circa illos prætermissum, vel rationabiliter de eo dubitetur.* Ita etiam Synodus Ebroicensis anni 1576. Rothomagensis anni 1581. Remensis anni 1583. Turonensis ejusdem anni. Aquensis anni 1585. Tholosana anni 1590. Idque etiam sub conditione, fieri non debere Pius V.

respondit

respondit apud Natalem Alexandrum to. 2. Theol. Dogm. & Moral. l. 2. de Bapt. pag. 461.

230 Collige 4°. baptizatos ab obstetricibus, probatæ vitæ, baptizandi peritis, non esse ordinariè rebaptizandos, maximè si duæ vel tres matronæ, similiter de necessariis instructæ, testantur se adfuisse, curiosè ad omnia attendisse, debitamque materiam, & formam, ut oportet, adhibitam fuisse. Tunc enim nulla est probabilis ratio dubitandi. Et Catechismus Romanus p. 2. de Sacr. Bapt. §. 43. meritò improbat eorum morem, qui *quamvis exploratum habeant, domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram ablutionem, in Ecclesia, adhibitâ solemni cæremoniâ, cum adjunctione, repetere non dubitant. Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, & eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum Scriptores irregularitatem vocant. Nam ea Baptismi forma Alexandri Papæ authoritate in illis tantùm permittitur, de quibus, re diligenter perquisitâ, dubium relinquitur, an Baptismum ritè susceperint. Aliter verò nunquam fas est, etiam cum adjunctione, alicui iterùm administrare.* Videri potest Natalis Alexander loco citato pag. 463. ubi idipsum firmat ex S. Carolo Borromæo.

231 *Examinent ergo diligentissimè Parochi* (aiunt Constitutiones Synodales Constantienses p. 1. tit. 6. n. 4.) *aut eorum socii, obstetrices, vel alios qui infantem aliquem baptizarunt, an, quomodò, quibus verbis, & formâ, quâ materiâ & aquâ, & cum qua intentione baptizaverint. Quòd si debitam materiam, formam, & Ecclesiæ institutionem adfuisse cognoverint, Baptismum minimè repetant.*

232 *Itaque vituperabilis consuetudo quorumdam* (ait Estius in 4. dist. 4. §. 15.) *qui passim & sine discrimine infantes, ab obstetricibus propter vitæ periculum baptizatos, sub conditione baptizant, non aliam dubitandi causam habentes, quàm quòd mulierculæ fortè vel intentione deficere, vel in verbis proferendis hallucinari potuerit, cùm tamen obstetrix interrogata testetur se ritè totum ministerium peregisse.* Contra quem abusum graviter scribunt Dominicus Soto, Victoria, &c. Quibus Doctores communiter subscribunt, & cum ipsis Jacobus Marchantius Candelabri Mystici tr. 2. ubi sic: *Postquam ego examinavi diligenter obstetricem in præsentia mulierum, si invenio eam rectè formam scire, & pronuntiasse, adhibitâ simul ab ipsa aquâ, & hoc ipsum præsentes illæ mulieres dicant se sub juramento id audere asserere, nec tumultuariè quidquam factum, non rebaptizo. Quia & nostrum Manuale Leodiense ordinat non rebaptizandum.*

233 Quia tamen in Diœcesibus Mechlinienſi & Iprensi in Belgio, Augustana, Passaviensi, Curiensi in Germania, &c. Ritualia statuunt rebaptizandos, ab obstetricibus baptizatos, nisi in casu speciali specialiter constet omnia ritè peracta fuisse (atque ita sentiunt Molanus tr. 4. conclus. 2. n. 28. Adamus Opatonius apud Dianam loco citato, Farvacius suprà petit. 5. Ludovicus Scildere tr. 6. de princip. confc. c. 2. n. 4.) Marchantius resol. pastoral. tr. 2. c. 5. n. 2. rectè ait, culpandos non esse Parochos hac in re præticantes statuta suæ Diœcesis.

234 Fateor etiam particularem esse rationem dubitandi de valore Baptismi collati ab obstetrice venefica: quia cùm tales sint juruta mancipia diaboli, nec dubium quin diabolus eas potentissimè instiget ad perdendum infantes recens natos, & ipsæ, jussu diaboli, omnibus (præsertim innocentibus) nocere soleant, quantum possunt: dubium rationabile est, an jubente, vel instigante diabolo, invalidè non baptizaverint, nisi speciales occurrant circumstantiæ, quæ rationabile dubium elidant. Videri potest Gobat à num. 683. ad 690. Qui etiam n. 412. existimat, rebaptizantem in dubio, etiam irrationabili, non incurrere irregularitatem: utpote latam solùm in rebaptizantes *scienter.*

CAPUT XVIII.

Necessitas, officium & obligatio Patrinorum in Baptismo adhibendorum.

Deendum (ait S. Thomas q. 67. a. 7.) *quòd* 235
spiritualis regeneratio, quæ fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice & pædagogo. Unde & in spirituali generatione Baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis & pædagogi, informando & instruendo eum, quasi novitium in fide, de his quæ pertinent ad fidem, & vitam christianam. His verbis S. Doctor explicat necessitatem, officiumque Patrini, inde dicti, quòd sit veluti Pater spiritualis. Vocatur & fidejussor cap. *vos ante* de Consecr. dist. 4. *sponsor* à Tertulliano l. de Bapt. c. 18. (quòd utique pro infante id per se non valente, fidejubeat, & spondeat, ut infrà) *fidei doctor* ab Augustino epist. 23. *Solliciti* proinde Patrini *esse debent* (ait S. Carolus Borromæus act. p. 4. tit. offic. Concionat.) *ut quos in baptismo susceperunt fidei Christianæ rudimentis, sanctarum virtutum officiis, quibus ad salutem vita munitur, rectè instituant.* Meminerit ergò Patrinus angelicæ doctrinæ q. 67. a. 8. *Unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accepit. Dictum est autem, quod ille qui accipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi. Et ideò obligatur ad habendam curam de illo.*

Necessitas autem, seu obligatio adhibendi Pa- 236
trinum in Baptismo, certa est ex pluribus canonibus 30. q. 1. & 3. necnon ex Tridentino sess. 24. de reform. matrim. c. 2 ubi sic: *Unus tantùm, sive vir, sive mulier* (*juxta sacrorum Canonum institutа*) *vel ad summum unus & una baptizatum de fonte suscipiant, inter quos & baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum vel eos tantùm ad eum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, docetque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ excusari valeant. Quòd si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, &c.*

Hinc Doctores communiter existimant, ad con- 237
trahendam hanc cognationem, veramque denominationem Patrini, non sufficere assistentiam, sed necessarium esse, quòd actu teneat infantem dum actu abluitur, vel certè immediatè accipiat ipsum de manu baptistæ, ita ut commater non contrahat cognationem, si solùm infantem suscipiat de manibus compatris, uti S. Congregatio resolvit apud Joannem Gallemart ad sess. 24. c. 2. de reform. matrim. docentque Martinus Perez, Bonacina, Dicastillo disp. 7. de matrim. n. 23. & alii passim contra Sotum, Lopez & Sa, apud Sanchez l. 7. de matrim. disp. 56. n. 5.

Sufficit tamen quòd Patrinus infantem teneat, 238
& è fonte levet per procuratorem ad id à se constitutum. Tunc enim verè est Patrinus, non procurator: utpote non suo, sed ipsius nomine tenens & levans, prout ex declaratione S. Congregationis tradunt Castro-Palao, Sanchez & Gobat, contra Toletum, Vivaldum, Sotum & Lopez.

Non licet autem Catholico hæreticum filii sui 239
adhibere Patrinum. Tum quia idoneus non est ad

istud officium ritè obeundum, sive ad puerum instruendum in fide Catholica. Tum quia hæreticis interdicta est communicatio cum Catholicis in rebus sacris. Siquando ergo parentes, adhibere volentes Patrinum hæreticum, repelli nequeant, ob circumstantias difficiles, consultò Parochus imitabitur exemplum Germani Parochi, qui eum repellere non valens sine grandi incommodo, omnia pertinentia ad Patrinum omisit, baptizatumque infantem obstetrici involvendum immediatè tradidit, per hoc efficiens quòd hæreticus non esset verè Patrinus.

240 Videri potest casus mirabilis apud Marchantium Candelabri Mystici tr. 2. lect. 6. ubi sic: *Relatione certâ didici, in Britannia minori, in Diœcesi Leonensi, inter Landernacum, & montem Relatum, vulgò Marlycka, 1622. in Februario contigisse, quod sequitur. Cùm puellæ baptizandæ Patrinus hæreticus adhibitus foret, illique vellet dare nomen, miraculosâ loquelâ infans, omnibus stupentibus, inclamavit:* MARIA EST NOMEN MEUM. *Unde nec Patrinus admissus fuit, nec nomen, quod optabat imponi: quandoquidem divinitùs repudiari censeretur;* atque hoc prodigio declararetur, Deo & Sanctis displicere adhibitionem Patrini hæretici, impositionemque nominis Sanctorum ab hoste Sanctorum.

241 An autem Catholicus, rogatus ab hæretico, levare possit filium ipsius, baptizatum à Ministro hæretico? Negandum videtur cum Navarro, Azorio, Lessio, &c. Quia Catholicis licita non est communicatio cum hæreticis in sacris. Id tamen permittunt Tannerus, Layman, Palao, &c. Permittit etiam doctissimus Boudartius hîc tr. 2. §. 7. q. 3. in locis ubi Catholici hæreticis permixti vivunt. Quia optimè exercere potest officium Patrini, quod est suscipere baptizatum in instructionem & curam suam. Nec ipsi prohibitum est communicare cum hæreticis toleratis. Nec per hoc approbare censetur contemptum cæremoniarum Ecclesiæ, vel errores hæreticorum; imò potiùs impedire ne per Patrinum hæreticum id fiat cum majori Ecclesiæ contemptu, majori damno spirituali infantis, quem Patrinus hæreticus instrueret in fide contraria doctrinæ Ecclesiæ.

CAPUT XIX.

Obligatio baptizatorum ad servanda promissa baptismalia.

242 *OMnibus fidelibus studendum est* (inquit Concil. VI. Parisiense l. 1. c. 9.) *ut pactionis & sponsionis, quam cum Deo in baptismate fecerunt, semper memores existant, caveantque, ne quibuslibet vitiorum sordibus se maculantes, non solùm eundem sibi reaccendant ignem, verùm etiam immundum spiritum, à se tempore baptismatis expulsum, cum septenario dæmonum numero sibi addito, ad se quoquo modo redire faciant, fiantque illis, ut Dominus ait, novissima pejora prioribus.*

243 Et S. Carolus Borromæus actor. Eccles. Mediol. p. 4. tit. *Ordo Baptismi parvul.* sic habet: *Post solitam renuntiationem, quâ baptizatus renuntiat diabolo, & pompis ejus, & omnibus operibus ejus, Parochus illum admonet, & contestatur, dicens: Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Patrinus: memor ero.*

244 *Proinde valdè periculosum est, & à Religione Christiana alienum* (pergit Concilium Parisiense VI. loco citato) *quòd post tanti doni perceptionem, unusquisque fidelis, cùm ad intelligibilem ætatem venit, mysterium baptismatis discere, & intelligere neglexit, atque eo intellecto, secundum illud vivere non satagit. Quod periculum, & ad negligentiam pertinere Sacerdotum, qui id solerter debent annuntiare, & ad auditorum incuriam, qui hoc intelligere, & adimplere parvipendunt, nulli dubium est.*

Et S. Carolus Borromæus loco pariter relato 245
tit. Concion. offic. Concionator in doctrina de Baptismo, *depravatum vitæ morem fidelium exagitet, qui, contra quam in Baptismo spoponderunt, vivant, & carni, & mundo, pompisque ejus, & Satanæ, atque illius operibus: Deo autem mortui sint,* &c.

Quod quàm iniquum sit, intellige ex his verbis 246
Catechismi Romani p. 1. in explicatione secundi articuli Symboli Apostolici n. 13. *Æquum est nosipsos, non secùs ac mancipia Redemptori nostro ac Domino addicere & consecrare. Et quidem cùm Baptismo initiaremur, ante Ecclesiæ fores id professi sumus. Declaravimus enim nos Satanæ, & mundo renuntiare, & Jesu Christo totos nos trædere. Quòd si ut christianæ militiæ adscriberemur, tam sanctâ & solemni professione nosipsos Domino nostro devovimus: quo supplicio digni erimus, si, postquam Ecclesiam ingressi sumus; Dei voluntatem & leges cognovimus; postquam Sacramentorum gratiam percepimus; ex mundi & diaboli præceptis vixerimus, perinde ac si, cùm Baptismo ablati sumus, mundo & diabolo, non Christo Domino ac Redemptori nomen dedissemus.*

Idem diù antè dixerat Concilium Constantino- 247
politanum quinisextum can. 86. *Qui Christum per Baptismum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari professi sunt.*

Et ante Concilium quinisextum Augustinus epist. 248
59. ad Paulin. q. 5. baptismalem promissionem vocat: *votum nostrum magnum, quo nos vovemus in Christo esse mansuros, atque in compage corporis Christi.* Unde l. 4. de Symbolo ad Catechum. *Diabolo vos renuntiare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo & Angelis ejus conscribentibus, dixistis: Renuntio. Renuntiate non solùm vocibus, sed etiam moribus.... Scitote vos cum calido, antiquo & veternoso inimico suscepisse certamen: non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua... Deprehenderis enim & detegeris Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem... Quid tibi cum pompis diaboli, amator Christi? Noli te fallere: odit enim tales Deus, nec inter suos deputat professores, quos cernit viæ suæ desertores.*

Et ante Augustinum Hieronymus in cap. 6. 249
Amos. *In mysteriis primum renuntiamus, & qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis, & sic versus orientem pactum inimus cum Sole justitiæ, & sic nos ei servituros promittimus.*

Et ante Hieronymum Ambrosius l. 1. de Sa- 250
cram. c. 2. *Venimus ad fontem, ingressus es.... occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quasi Athleta Christi.... Quando te interrogavit: Abrenuntias diabolo, & operibus ejus? Quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo, & voluptatibus ejus? Quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius... & reluctantem te fœnerator adstringit: si recusas, vadis ad judicium, atque illic tuâ cautione convinceris. Ubi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti: sed Minister est Christi... Ergo chirographum tenetur non in terra, sed in cœlo... Ergo abrenuntiasti mundo, abrenuntiasti sæculo: esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem suam considerat. Et tu, qui fidem debes Christo, fidem servo, quæ multò pretiosior quàm pecunia est... Et tu ergo semper recordare quod promiseris. Si teneas promissionem tuam, tenebis & cautionem.*

Et ante Ambrosium Gregorius Nazianzenus 251

orat. 40. *Nihil aliud esse vim & facultatem Baptismi existimare debemus, quàm secundæ vitæ & purioris vivendi rationis pactum, cum Deo initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes esse, atque omni custodiâ nostras animas servare debemus, ne hoc pactum violare comperiamur. Nam cùm ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum (quæso) periculum est, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur, ac, præter alia peccata, ipsius quoque mendacii apud Veritatis tribunal rei peragamur.*

252 Et Gregorius Nyssenus orat. de Bapt. Christi: *Pactum in traditione mysterii cum Deo homo fecit, quo se omnem pœnam, cruciatum & voluptatem pro illius dilectione neglecturum esse promittit.*

253 Et Basilius (frater ipsius) in sermone de instruendis baptizandis: *In Baptismo aquæ ex pacto polliciti videmur, professi illic, quòd unà cum Christo crucifixi, mortui, sepultique sumus.* Et serm. 2. de Baptismo: *Qui in mortem Christi baptizatus est.... irrevocabili pacto se adstrinxit, ad hoc ut Christum sequatur in omnibus.*

254 Et S. Ephrem, Syrus (Edessæ Diaconus) Basilii synchronus (*magister orbis* appellatus) l. de Jud. extr. cap... *In Baptismo facimus... admodùm majora... Paucis namque verbis cuncta quæ nominantur mala, quæque odit Deus, valere jubemus, & abrenuntiamus. Cujusmodi sunt non unum dumtaxat, non duo, nec decem; sed quodcumque appellatur malum, puta, abrenuntio satanæ, & cunctis operibus ejus. Quibus (inquam) operibus? Audi: fornicationi, adulterio, immunditiæ, mendacio, furto, invidiæ, veneficio, divinationi, incantationibus, excandescentiæ, iræ, blasphemiæ, inimicitiæ, contentioni, æmulationi. Abrenuntio (inquam) ebrietati, otiosiloquio, superbiæ, lasciviæ, atque acediæ. Abrenuntio risibus, cythararum lusibus... Abrenuntio avaritiæ, odio in fratrem, rapinis... Et quorsum pluribus ago? Non enim modo suppetit tempus enarrandi omnia. Abrenuntiamus cunctis... quæ cuncti novimus opera esse diabolorum... Hæc omnia abnegamus, & veterem hominem, unà cum actionibus suis exuimus, novum verò Adam induimus. Præfata igitur hæc opera mala, qui post gratiam in sacro baptismate acceptam, fecerit, gratiâ excidit, Christusque tali in peccatis permanenti nihil proderit. Audistis, ô Christi amatores! quantæ malorum multitudini abrenuntiavimus paucis verbis. Atqui hæc ipsa abrenuntiatio, & pulchra confessio exigetur à quocumque Christiano in illa die. Scriptum est enim: quoniam ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Iterùmque Dominus ait: de ore tuo te judico serve nequam.*

255 Quæ cùm ita sint, sequitur baptismalem abrenuntiationem, quâ abrenuntiamus satanæ, & omnibus pompis ejus (quæ sunt ipsæmet pompæ mundi, uti Concilium Parisiense VI. loco citato declarat his verbis: *Pompa diaboli hæc est, quæ & pompa mundi*, &c.) esse votum verè & propriè dictum, cùm sit promissio Deo facta de meliori bono, ut constat ex laudatis Patribus, eam appellantibus pactum initum cum Deo, *sponsionem, promissionem, professionem, fidem Christo datam*, &c. Eandem S. Dionysius l. de Eccles. Hierarch. c. 2. vocat *æternum sacri fœderis nexum*, quo accedens ad Baptismum se Christo devincit. S. Augustinus expressè vocat *votum maximum*. Arnobius Junior in Psal. 49. 55. 64. & 75. expressè etiam *votum* appellat, quo (ut ait in Ps. 75.) *in baptismatis consecratione voverunt seipsos tradere Christo*; & omnibus operibus diaboli renuntiare.

256 Idem tradunt Scholæ Principes, Magister Sententiarum l. 4. dist. 38. *Votum, aliud est commune, aliud singulare. Commune est illud, quod in Baptismo omnes faciunt, cùm spondent renuntiare diabolo, & pompis ejus.* S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 2. docet, votum posse esse de iis quæ sunt necessaria ad salutem, & *hoc modo* (inquit ad 1.) *sub voto baptizatorum cadit abrenuntiare pompis diaboli, & fidem Christi servare*, approbatque Glossam de eadem abrenuntiatione ex Augustino & Cassiodoro dicentem: *In Baptismo vovent homines abrenuntiare diabolo, & pompis ejus.*

Cum iis Eminentiss. Cardinalis Berullus (apud 257
Merbesium Summæ Christ. to. 1. p. 3. fol. 60.) promissionem in Baptismo fieri solitam veri nominis votum esse tradit elegantibus hisce verbis: *Votum est religionis Christi, quam ipsemet Christus excogitavit & instituit. Hujus religionis prima & antiquior professa est beata Virgo, & Apostoli primi & antiquiores præpositi. Votum est non secundum, aut quartum, aut novum privati cujuspiam Ordinis, sed votum primævum, in primariis Christianæ Religionis officiis fundatissimum. Verum est votum, Religionis non recentis, sed antiquæ; ejus quippe antiquitas coætanea est (ut ita dicam) Evangelio & Christiano nomini... Votum est, non Religionis, quæ originem è terris traxerit, sed Religionis è cælo oriundæ, cujus Author est in cælo & in terris, utpote qui cælum & terras supremâ potestate moderatur. Votum est Religionis, non temporum spatiis definitæ, sed Religionis è terris in cælum transituræ, & in omnem æternitatem propagandæ. Votum non Religionis, quæ suam originem viro cuipiam sanctissimo referat acceptam, quæ se ab aliis externo habitu differre patefaciat; sed Religionis, quam Sanctus Sanctorum, & ipsemet Dei Filius instituit, quæ unis dumtaxat orbis terræ terminis & limitibus circumscribitur; quæ unum Evangelium suæ directionis regulam intuetur; quæ Christo Domino, beatissimo videlicet & gloriosissimo habitu induitur. Votum est igitur Religionis apprimè solemnis, primariæ, & supremæ, à qua cæteræ omnes Religiones natæ sunt & suspensæ. Hujusmodi Religionis votum & jusjurandum in eo positum est, ut quotquot illam amplecti gestiunt, renuntient mundo & diabolo, & semetipsos abnegent, & Christo Jesu, ceù Capiti, fideliter adhærescant. Hoc est votum, hæc est professio solemnis, quam in Baptismo Christiani facitant, & ita Doctores Ecclesiæ, tam antiqui, quàm recentiores nominant.* Ita etiam Illustriss. Episcopus Castorienis in Amore suo pœnitente p. 2. c. 6. §. 2. Idemque apertè indicat Catechismus Romanus ubi suprà, dum abrenuntiationem baptismalem *sanctam & solemnem* vocat *professionem, quâ nosipsos Domino nostro* DEVOVIMUS.

Nec soli Patres & Theologi, sed & Jurisconsulti, 258
baptismalem promissionem votum appellant: *Nobis* (inquiunt in Lexico Juridico Juris Cæsarei & Canonici verbo *votum*) *præcipuum votum est, quod in baptismate fecimus.*

Ex his sequitur non sine fundamento viros do- 259
ctos censere, baptizatorum crimina, ultra propriam malitiam, contrahere malitiam sacrilegii, cùm sint opera diaboli, quibus voto renuntiarunt. Cùm etiam sancti Patres, in eos qui peccatis gravibus post Baptismum sese maculant, velut in perfidos & fœdifragos insurgant. Neque tamen opus est id explicare in confessione. Quia satis notum est, cum qui confitetur esse baptizatum. Videri possunt Castorienis loco citato, & Boudartius de Bapt. §. 6. &c.

Consultum proinde foret, ut sicut in variis Re- 260
ligiosis Ordinibus, quotannis fit votorum renovatio; sic à Christianis omnibus quotannis renovaretur baptismalis professio, & more piorum olim Christianorum, *unusquisque diem illum, quo baptizatus est, non conviviorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum* (cùm dies lucis sit) *sed ardentiori prece, eleëmosynâ* (si per facultates li-

ceat) *omnique charitatis opere & pietatis exercitatione, ſpiritualiſque gaudii celebritate quotannis recolat, memor ſe chirographo damnationis deleto, hæreditatis cæleſtis participem in Chriſto Domino factum fuiſſe*, inquit Synodus Mechlinienſis ſub Hovio tit. 3. c. 10.

Dixi *more piorum olim Chriſtianorum. Quippe Religioſi Inſtituti olim fuit* (ut eadem Synodus teſtatur) *diem Baptiſmi, qui ſolemni abrenuntiationis ſponſione inſignis eſt, quotannis à fidelibus piè celebrari.* Quod & teſtatur S. Carolus Borromæus in Concilio Provinc. VI. p. 3. de Bapt. *Religioſi Inſtituti olim fuit diem Baptiſmi quotannis à fidelibus piè celebrari; id quod S. Gregorius Nazianzenus* (orat. 39.) *aliquando oſtendit. Quæ ſanè inſtitutio, cùm ad pietatis chriſtianæ cultum, piamque morum diſciplinam non parum adjumenti, in primis adjutrice Dei gratiâ, afferre poſſit, eam in uſum revocari vehementer in Domino cupimus. Itaque Parochus & Confeſſarius, prout occaſio tulerit, in id incumbant, ut fidelium, quorum curam gerunt, unuſquiſque, quo die baptizatus eſt, quotannis ardentiori prece, eleëmoſynâ, omnique charitatis opere atque officio, ſpiritalis gaudii celebritate recolat.* Idipſum Concionatores opportunè inculcabunt in die dedicationis Eccleſiæ, cum S. Bernardo ſerm. 1. de dedic. num. 3. & 4. dicentes: *Veſtra eſt igitur, fratres chariſſimi, veſtra eſt hodierna feſtivitas; vos dedicati eſtis, vos* Deus *elegit & aſſumpſit in proprios.... In nobis proinde ſpiritaliter impleri neceſſe eſt, quæ in parietibus viſibiliter præceſſerunt*, &c.

261 Juſtum quoque eſt, ut quiſquis poſt Baptiſmum mortali ſe fœdavit crimine, relictoque Chriſto (cui ſe per Baptiſmum devovit) ad infenſiſſimi hoſtis ipſius partes tranſiit, in converſione ſua profeſſionem ſuam baptiſmalem renovet. Nam, ut Gregorius VII. ait l. 7. epiſt. 10. *quiſquis dignè vult pœnitere, neceſſe eſt ut ad fidei recurrat originem, & quod in Baptiſmo promiſit, diabolo ſcilicet, pompiſque illius abrenuntiare, & in Deum credere... mandatis ejus obedire, ſollicitus ſit vigilanter cuſtodire.* Ideòque S. Grodogangus Epiſcopus Metenſis, in regula Canonicis conſcripta c. 32. jubet, ut pœnitentes fœdera baptiſmalia, ſacrilegè violata, renovent.

262 Quod reipsâ fieri ab unoquoque verè pœnitente cenſet Illuſtriſſimus Godæus Epiſcopus Vencienſis homil. 11. in Dom. 4. Advent. ubi docet, pœnitentem, cùm Deo per Sacramentum Pœnitentiæ reconciliatur, novo fœdere ſe iterùm Deo devovere. *Quando* (inquit) *inter Principes pacis fœdus conciliatur, variæ adhibentur ſolemnitates, ad majorem fœderis firmitatem procurandam. Juratur pax coram ſanctis altaribus, tanguntur Evangelia, offert Epiſcopus ſacrificium Corporis Domini, ejus inter manus pax juratur, ut nemo illud pacis fœdus violare poſſit, niſi & temeratæ religionis, & proditæ fidei reus eſſe & haberi velit. Peccator, ubi tu promiſiſti quòd Deum amplius non offenderes? Nonne in perceptione Sacramenti? Et quodnam hoc Sacramentum? Nonne in perceptione Sacramenti Pœnitentiæ? Cur hoc Jeſus Chriſtus inſtituit, & quo intuitu? Nonne intuitu ſuæ miſericordiæ? Poſtquam baptiſmalem perdideras gratiam, poſtquam violaveras promiſſa de abrenuntiando diabolo, pompiſque & operibus ejus, haud quidem merebaris aliud ſubſidium... quippe planxeras peccatum tuum, ſpoponderas te ad illud nunquam rediturum. Et nihilominùs in illud iterùm abiviſti præceps, nihil facienſ promiſſa & juramenta, quibus te iterùm Deo adixeras*, &c.

Enimverò *pœnitentia* (ut S. Climacus ait initio gradûs 5.) *eſt revocatio baptiſmatis: pœnitentia eſt pactum cum Deo initum de vita priore emendanda, & meliore inſtituenda.* Unde S. Eligius pœnitentes non priùs abſolvebat, quàm elatâ in altum manu promiſiſſent, crimina ſe non ampiùs commiſſuros, ſed vitam cæleſtem ducturos, ut videre eſt apud ipſum homil. 7. Unde eruditiſſimus vir Claudius Fleury, Ducis Veromanduorum Inſtructor, lib. de moribus Chriſtianorum art. 36. *Dum* (inquit) *Epiſcopi erant in procinctu, ut pœnitentes reconciliarent, eos exhortabantur ut... in vita emendanda omne ſtudium ponerent, jubentes, ut elatâ manu promitterent, ſe illi ſtudio eſſe vacaturos.* 263

Proinde recogitent Chriſtiani omnes, quantam Deo, ſibique ipſis injuriam faciant, dum fœderis cum Deo initi jura violantes per mortale peccatum, renuntiant Deo, & mandatis ejus, ut diabolo, operibuſque & pompis ejus ſerviant. 264

Recogitent etiam, malorum omnium cumulum eſſe à gratia baptiſmali excidere, nullamque vitæ præſentis miſeriam iſti malo eſſe comparabilem: cùm mortale peccatum, regnans in corde talis hominis, diabolo tyrannorum omnium longè maximo, jus det & poteſtatem exercendi in ipſum tyrannidem ſepties, id eſt infinities eâ crudeliorem, quam ante Baptiſmum exercuerat. Nam *aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Matth. 12. 265

Summo proinde ſtudio patres & matres ſatagere debent, ut gratiam baptiſmalem in filiis ſuis conſervent. Verùm de ipſis Os aureum l. 3. adverſ. vituperat. vit. Monaſt. meritò conqueritur, quòd dum *circa vitæ præſentis commoda æquo ampliùs incumbunt, & ferè dixerim inſaniunt.... & ſuam pariter & liberorum curam ſpiritualem negligunt. Audias* (inquit) *patres, cùm liberos ſuos ad ſtudia litterarum hortantur: Ille* (*inquit*) *humili loco natus, dicendi facultate conſecutus eſt ſummos Magiſtratus... Ille Latinâ Linguâ eruditus, in Regia clariſſimus eſt. Alius alium... cunctoſque penitùs inſignes, & claros in ſæculo viros memorat. Cæleſtis verò converſationis, cæleſtium bonorum nulla omninò fit mentio*, &c. 266

LIBER TERTIUS.

AMOR ROBORANS PER CONFIRMATIONEM, *Sive* DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

1 VEl ipsa materia hujus Sacramenti ad Dei nos amorem charitatemque invitat. Materia quippe oleum est, balsamo mixtum. Et quid per oleum nisi *charitas* intelligitur? *Aliquid magnum significat oleum* (inquit Augustinus serm. 93. de verb. Evang. Matth. *valdè magnum. Putas non charitas est? Quærendo dicimus, non sententiam præcipitamus. Unde mihi videatur, per oleum, charitatem significari, dicam vobis. Apostolus dicit:* " Adhuc supereminentio„ rem viam vobis demonstro. " *Supereminentiorem viam quam demonstrat?* " Si linguis hominum lo„ quar & Angelorum, charitatem autem non ha„ beam, factus sum velut æs sonans, aut cymba„ lum tinniens. *Ipsa est supereminens via*, id est *charitas*. Quæ meritò oleo significatur: *omnibus enim humoribus oleum supereminet. Mitte oleum, superinfunde aquam, oleum supereminet. Mitte aquam, superinfunde oleum, oleum supereminet. Si ordinem servaveris, vincit; si ordinem mutaveris, vincit. Charitas nunquam cadit.* Sed quia oleum non solùm Deo interiùs ardere debet per flammam amoris, sed & exteriùs ad proximum se effundere per odorem bonæ famæ, imitabilisque exempli, pro materia hujus Sacramenti, oleo miscetur balsamum odore fragrantissimum. Ut enim Gregorius observat, alludens ad istud Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi quasi oleum effunditur: quia quicumque nomine Christiano in veritate censentur, charitate affluunt, quâmolliuntur, &, ut flammas exemplorum emittant, eâdem charitate continuò suffunduntur.*

CAPUT I.

Sacramenti Confirmationis definitio, seu potiùs descriptio.

2 COnfirmatio est *novæ Legis Sacramentum, quo baptizatus, sacro chrysmate, ad modum crucis, in fronte per Episcopum, sub præscripta verborum forma ungitur, atque ad fidem profitendam per Spiritum sanctum roboratur.*

3 Descriptionis bonitas inde liquet, quòd per eam designetur materia, forma, Minister ordinarius, subjectum, propriusque effectus hujus Sacramenti. Materia quippe remota est *chrysma*, *quod ex oleo & balsamo solemni Episcopi consecratione conficitur*, ait S. Carolus Borromæus Actor. Eccles. Mediol. p. 4. de Sacram. Confirmat. post Concilium Florentinum in Decreto Eugenii. Materia proxima est istius chrysmatis unctio in fronte, ad modum crucis. Forma ab eodem Concilio hæc esse dicitur: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrysmate salutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen.* Minister ordinarius, secundùm idem Concilium, & Tridentinum sess. 7. can. 3. est Episcopus. Subjectum est homo baptizatus. Proprius denique effectus est robur animi, per Spiritum sanctum, ad fidem constanter profitendam, & non erubescendum de cruce Domini sui.

CAPUT II.

Confirmatio est verum novæ Legis Sacramentum.

ESt de fide. Probatur 1°. ex Scripturis, quas 4
ad id proferunt expenduntque Judocus Ravesteyn Tiletanus p. 2. Apologiæ pro Tridentino pag. 188. Tapperus ad art. 12. Confessionis Lovanienses. Hesselius explicat. Sacram. c. 14. Suarez disp. 32. sect. 1. Vide infrà n. 13. & 39.

2°. perpetuâ Ecclesiæ Traditione. Cujus te- 5
stes sunt Patres omnes, Tertullianus l. de resurrect. carn. c. 8. Cyprianus epist. 70. & 73. Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 3. Optatus Milevitanus l. 4. Pacianus epist. 1. ad Sympron. Ambrosius l. 2. de Sacram. c. 7. Hieronymus in Dial. adversus Luciferian. Augustinus l. 15. Trin. c. 26. Innocentius I. epist. ad Decentium. Leo Magnus serm. 4. de Nativit. Hilarius homil. de Pentec. Cyrillus noster Alexandrinus ad illa verba Joël, *& replebuntur areæ tritico, & redundabunt torcularia vino & oleo.* Theodoretus in cap. 6. epist. ad Hebr. & l. 4. in Cant. Gregorius Magnus l. 12. Regist. epist. 31. Quorum testimonia à cavillis hæreticorum noviss imè vindicat Joannes Baptista du Hamel Theol. to. 6. l. 2. dissert. 1. cap. 3. 4. & 5.

3°. ex Florentino id definiente in Decreto 6
Eugenii IV. & Tridentino sess. 7. can. 1. Antiquiora ad idem Concilia profert Bellarminus cap. 4. de Confirm.

Hoc Sacramentum à Christo Domino institu- 7
tum esse, constat partim ex allatis fundamentis, partim ex dictis l. 1. cap. 4. Non tamen constat à Christo immediatè sic institutum esse, ut ad hoc usus non fuerit ministerio Apostolorum, tamquam Legatorum, Commissariorumque suorum, nomine & authoritate ipsius, non proprio agentium. Cùm ex dictis ibidem improbabilis non sit opinio Hugonis Victorini, S. Bonaventuræ, Magistri, aliorumque veterum Theologorum, Christum ad id usum ministerio Apostolorum modo dicto. A qua opinione non multùm alienus videtur Angelicus Doctor in 4. dist. 7. a... ad 1. dicens: *Nec hoc differt, sive Dominus ipsemet instituit* (hoc Sacramentum, per se immediatè) *sive Apostoli ejus speciali præcepto.*

Nec contrarius est Fabianus Papa epist. 2. cap. 8
3. aiens, quòd Dominus in ultima cœna Apostolos chrysma conficere docuit. Tum quia epistolam istam viri eruditi Fabiano falsò esse suppositam censent, reponuntque inter supposititias Isidori mercatoris merces. Tum quia dato, non concesso quòd Fabiani sit, potuit Christus id Apostolos docere, ut scirent quomodò Sacramentum istud nomine Christi suo tempore deberent instituere.

Neque verò Christus illud instituit in ultima 9
cœna: cùm non decuerit illud institui ante institutionem Episcoporum, qui soli sunt ordinarii Ministri illius. Neque post resurrectionem, quando Apostolos constituit Episcopos Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quia nec Scriptura, nec Patres aiunt tunc Sacramentum hoc in-

stituisse. Cùmque nihil certum, sive in Scriptura, sive in Traditione inveniatur circa tempus institutionis illius, libenter fateor me tempus illud ignorare. Tametsi probabiliter dici possit illud instituisse, dum Apostolis pollicitus est Luc. ult. *Induemini virtute ex alto.* Act. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Item, *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos.*

10 Id solum videtur certum, Sacramentum hoc in usu positum non fuisse ante diem Pentecostes. Quia, ut rectè S. Thomas q. 72. a. 1. ad 2. in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritûs sancti, quam ante Christi Resurrectionem & Ascensionem dari conveniens non fuit, Evangelio contestante: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Joan. 7.

11 Glorificato autem Jesu, Spiritûs sancti plenitudo, non signo sacramentali, sed extraordinario & miraculoso Apostolis data fuit in die Pentecostes. Accepto verò Spiritu sancto, Apostoli eundem Spiritum sanctum aliis communicarunt, non semper per collationem hujus Sacramenti, sed quandoque visibilibus signis, iisque extraordinariis & prodigiosis; idque accidit quando per impositionem manuum sine oleo, vel chrysmate, Spiritus sanctus per ipsos subinde extraordinariè & prodigiosè communicatus fuit. Potens est enim Deus effectum Sacramenti sine Sacramento conferre. Teste Concilio Moguntino anni 1549. c. 4. *Cùm initio Spiritus sanctus ad evidentiorem recentis adhuc fidei commendationem signo visibili influeret baptizatis; externâ unctione... tunc non erat opus*, Deo effectum Sacramenti Confirmationis sine Sacramento per signa & prodigia conferente: *posteà verò adultâ Ecclesiâ, & stabilitâ fide, signa externa apparere cessaverunt... mox in locum visibilis signi, unctio chrysmatis adhiberi cœpit.*

12 Quandoque etiam Apostoli cum unctione baptizatis manus imposuerunt, tuncque Confirmationis Sacramentum ipsis contulerunt. Quod quidem Waldensis noster in suo Doctrinali fidei de Sacram. Confirm. c. 113. probat ex his verbis Authoris libri de Cælesti Hierarchia, juxta versionem Thomæ Vercellensis. *Apostoli, secundùm divinam inspirationem, hoc Sacramentum ex re perfecta vocant unguenti perfectionem.* Post quæ subdit Waldensis: *Ecce Apostoli ipsi, inspirati à Deo, vocaverunt hoc Sacramentum unguenti perfectionem. Nemo igitur dicat, qui vult esse fidelis, quòd Sacramentum Confirmationis fiebat sine olei unctione, per solam manûs impositionem, à Christo & Apostolis. Non enim minùs manus imponit, qui ungendo imponit.* Idipsum ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, Isidoro, Beda, Amalario, Fortunato probatur c. 7.

CAPUT III.

Oleum esse de necessitate hujus Sacramenti certum est.

13 ID enim adeò certum habent Doctores passim omnes, ut de fide esse noster Waldensis loco citato innuat, cùm ait: *Nemo dicat, qui vult esse fidelis, quòd Sacramentum Confirmationis* (ab Apostolis) *fiebat sine olei unctione, per solam manûs impositionem.* Et Franciscus Farvacques opusc. de Confirm. cap. 2. q. 1. miram, catholicisque auribus hactenùs inauditam affirmet opinionem Morini l. 9. de Pœnit. c. 9. dicentis, Sacramentum istud aliquando administratum fuisse per siccam manûs impositionem. Cujus oppositum constare dicit ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ à temporibus Apostolorum, ad hæc usque tempora, oleum indispensabiliter adhibuit. Quod §. 1. demonstrat ex variis & indubitatis testimoniis Cypriani, Basilii, Optati Milevitani, Ambrosii, Augustini. Et (quod testimonium majus est) ex 1. Joann. 2. *Vos unctionem habetis à Spiritu sancto.* Quod de olei unctione Augustinus & Rabanus interpretantur. Nec solida sunt Morini in contrarium argumenta, prout idem Author §. 2. ostendit. Præcipuum est illud, quod petit ex can. 8. Concilii Nicæni: *De his qui se nominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manûs accipientes, sic in Clero permaneant.* Quia imprimis Christianus Lupus ad eundem canonem observat, versionem istam Dionysii exigui minimè exactam esse, sed vertere debuisse, *manûs impositionem acceptam habentes.* Deinde eo canone sermo non est de manûs impositione confirmatoria, sed ordinatoria, uti Morinus ipse tandem agnovit p. 3. de Sacram. Ordinis exercit. 5. c. 12. n. 14.

Illa verò manuum impositio in Spiritum san- 14
ctum, quâ hæretici ad Ecclesiam redeuntes in ea recipiebantur, pœnitentialis erat, & signum admissionis ad Catholicam pacem & unitatem; non confirmatoria, ut ostendit §. 3.

Nec in eo differentia erat inter hæreticos lap- 15
sos, & hæreticos natos, uti demonstrat §. 4. tametsi differentia fuerit in eo quòd hæretici nati *faciliori veniâ, quod nondum habuerant, accipiebant, quàm si habuissent, & deseruissent*, inquit Augustinus l. 2. contra Cresc. c. 16.

Porrò oleum in Confirmatione de necessitate 16
adhibendum, esse oleum olivarum, S. Thomas q. 72 a. 2. ad 3. & Doctores omnes tradunt post Gregorium VII. qui damnavit errorem Armenorum, qui oleo ex floribus distillato confirmabant.

CAPUT IV.

Balsamum, oleo mixtum, esse de necessitate Sacramenti, non est ita certum.

QUia *non desunt doctissimi magnique nominis* 17
Theologi (ait Jacobus Payva Andradius, Theologus Tridentinus, lib. 8. orthodox. explicat. pag. 683) *qui existiment, balsamum magis ad Sacramenti ornatum, quàm ad essentiam pertinere.* Ita namque Aureolus in 4. dist. 7. q. 1. Sotus ibidem q. un. a. 2. Estius ibidem §. 8. Cajetanus 3. p. q. 72. a. 2. Navarrus c. 22. Victoria, Molanus, Jacobus Baius, Valentia, Dicastillo, aliique plures, quos refert Leander de Confirm. disp. 3. q. 3. Ita etiam Gamachæus in tract. de Confirm. Nec sine fundamento.

Quòd enim balsamum sit de necessitate Sacra- 18
menti, neque ex Scriptura constat (quæ hac de re nihil dicit) neque ex Traditione. Quia tametsi constet ex antiqua Ecclesiæ etiam Orientalis praxi balsamum oleo admiscendum; ideòque Gregorius VII. l. 7. epist. 1. meritò reprehenderit Armenos, quòd sacrum chrysma, contra Ecclesiæ morem, ex balsamo non conficerent, sed ex butyro: continuò non sequitur, illum Ecclesiæ morem servandum esse de necessitate Sacramenti, sed duntaxat necessitate præcepti.

Et tametsi Florentinum declaraverit, materiam 19
Confirmationis esse chrysma ex oleo, & balsamo; equidem *non expressit quomodò* balsamum *requiratur* (ait Bellarminus l. 2. de Confirm. c. 10.) an de necessitate Sacramenti, an de necessitate præcepti: & propter fundamenta proximè subjicienda, *putant viri isti egregii & prudentissimi* (prosequitur Payva loco citato) à Florentino *magis describi materiam præceptam, quàm necessariam* necessitate Sacramenti. Sicut enim non omnia quæ Florentinum assignavit pro forma hujus Sacramenti, sunt de necessitate Sacramenti (prout

videbitur

videbitur infrà) sic nec omnia quæ assignavit pro materia.

20 Nec laudati Authores destituti sunt positivis fundamentis, quibus jam dicta confirmant. Primò namque Innocentius III. cap. *pastoralis* de Sacram. non iterand. interrogatus ab Episcopo Heliensi, an reconfirmandus esset, qui (per errorem) solo oleo fuerat confirmatus? Item an iterùm ordinandus, qui sine manuum impositione ordinatus fuerat Subdiaconus? Unâ eâdemque responsione rescripsit, nihil sive in uno, sive in altero casu iterandum, sed cautè supplendum, quod fuit omissum. Tam ergo rescripsit, non esse in priore casu reconfirmandum, quàm in posteriore non esse reordinandum. Per consequens tam supposuit Confirmationem in priore casu validam fuisse, quàm in posteriore ordinationem. Neque enim solùm significavit, Confirmationis & Ordinis Sacramentum iterabile non esse (utpote de quo interrogatus non fuerat ab Episcopo Heliensi) sed Confirmationis Sacramentum non esse iterandum *in eo qui per errorem fuit, non chrysmate, sed oleo delinitus*; uti nec Ordinis *in eo qui sine impositione manuum fuerat ad Ordinem Subdiaconatûs assumptus.* Hic est enim duplex casus, ipsi à laudato Episcopo propositus. Et ad utrumque respondit: *quòd in talibus non est aliquid iterandum* (non dixit *iterabile*) *sed cautè supplendum quod* ex ritibus accidentalibus *fuerat prætermissum.* Fuisset autem iterandum Sacramentum, si fuisset invalidè collatum. Censuit ergo Pontifex utrumque Sacramentum validè fuisse collatum.

21 Secundò, hoc Sacramentum non semel à SS. Patribus vocatur *Sacramentum olei*, de eoque loquendo Patres sæpè olei tantùm meminerunt, non balsami. Nam Tertullianus l. 1. contra Marcionem olei tantùm meminit, sicut & Augustinus l. 5. de Bapt. contra Donatist. c. 20.

22 Tertiò, vetustissimi Scriptores nusquam balsami mentionem faciunt (iitquit Hamelius hîc c. 2.) & licèt faciant mentionem chrysmatis, eo nomine sæpè oleum simplex designant, ut videre licet in Optato Milevitano l. 7. Augustino l. 17. Civit. c. 10. ubi merum oleum, quo Reges consecrabantur, chrysma vocat. Sicut & Innocentius I. epist. ad Decentium c. 8. oleum, de quo Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis*, &c., vocat *sanctum oleum chrysmatis.*

23 Quartò, materia essentialis Sacramenti omnibus nota sic esse debet, ut vera ab adulterina facilè discerni queat. Balsamum autem variis modis adulterari potest; nec verum ab adulterino potest facilè discerni; nec proinde certò scire possumus, an illud quod habemus sit genuinum.

24 Quintò, nullo irrefragabili testimonio constat, balsamum semper & indispensabiliter adhibitum fuisse. Et ut id constaret, non protinùs constaret, ideò id factum, quòd balsamum sit de necessitate Sacramenti; sed fortè ideò quòd sit de necessitate præcepti divini, sive ex institutione Christi, prout Estius censet loco relato: quomodò (inquit Cyprianus in epist. 68. ad Cæcilium) *in Sacramento Dominici Calicis, aquam ex ejusdem Christi institutione docet esse necessariò miscendam: quæ tamen si omittatur, constabit nihilominùs substantia Sacramenti.*

CAPUT V.

Chrysma necessariò esse debet ab Episcopo benedictum. An necessitate Sacramenti? Communis est sententia quòd sic; tametsi non usquequaque certa.

25 CHrysma esse debere ab Episcopo benedictum, constat ex omnibus Latinorum Ritualibus, Græcorumque Euchologiis. Quæ omnia materiam hujus Sacramenti, cum Concilio Florentino, assignant benedictione Episcopi consecratam. Et concinunt vetera Concilia Laodicenum can. 48. Bracharense II. can. 4. Concinunt etiam Patres, Tertullianus lib. de Bapt. Basilius lib. de Spiritu sancto. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3. Augustinus serm. 217. de temp. materiam hujus Sacramenti *sacram, sacrosanctam, benedictam*, &c. designantes. In capite verò 4. de Hierarch. Eccles. in epist. 1. Innocentii I. c. 3. & in epist. 2. Fabiano adscripta expressè habetur chrysma per Pontificem benedici.

Huc accedit perpetua Ecclesiæ praxis. Tametsi 26
enim aliquando Sacramentum hoc à simplici Sacerdote, per Apostolicæ Sedis dispensationem (teste Eugenio IV.) legatur fuisse administratum; hâc tamen adjectâ conditione, seu limitatione: *chrysmate per Episcopum confecto.* Nec uspiam legitur facultas conficiendi seu benedicendi chrysmatis simplici Presbytero concessa. Econtrà in Concilio Cartaginensi III. can. 3. sic legitur: *Presbyter.... chrysma nunquam conficiat.* Quod & in Concilio Romano II. sub Sylvestro Papa, in Hispalensi II. sub Bonifacio Papa, in Toletano I. sub Anastasio, in Bracharensi I. sub. Joanne III. prohibitum Merbesius ostendit hîc q. 9. Et Montanus Archiepiscopus Toletanus ad Theoribium scribens: *Quidam* (ait) *Presbyteri ausu temerario.... cunctis ab initio fidei Catholicis, sæculis inusitatum.... nisi tantùm Pontificibus debitum jus consecrationis chrysmæ, nescio quo tipho, an dementiâ dicam? indubitanter adsumunt: quod quàm sacrilegum sit, pissimam tuam conscientiam latère non credo.*

Et ne aliquod de Ecclesiæ, etiam Orientalis, 27
praxi dubium supersit, Clemens VIII. Constitutione 38. quæ continet instructionem super ritibus Græcorum, ita scribit, *chrysma autem, quod non nisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum confici potest.*

Unde communis Doctorum sententia est, 28
chrysmatis benedictionem simplici Presbytero à Sede Apostolica committi non posse, tametsi Confirmationis administratio ipsi ab eadem Sede committi queat.

Communis etiam Doctorum sententia est, 29
chrysma de necessitate Sacramenti ex Christi institutione esse debere ab Episcopo benedictum. Aliàs quomodò benedictio illius simplici Presbytero per Apostolicam Sedem committi non posset? Et si posset, quid est quòd nunquam commissa fuisset, prout ipsamet collatio hujus Sacramenti?

Apud Wadingum nihilominùs in Annalibus 30
Minorum to. 5. ad annum Christi 1444. n. 45. legitur Bulla Eugenii IV. anno illo edita, ex Vaticano folio 285. desumpta, sub hoc tenore: *Sacræ Religionis Inquisitori, Fratri Fabiano de Bacchia, Ordinis Minorum, in partibus Septentrionalibus Moldaviæ, Walachiæ, Bulgariæ, &c. concedimus facultatem, illis* (populis) *Eucharistiæ, Baptismatis, Chrysmatis, seu Confirmationis, Extremæ Unctionis, & alia Ecclesiæ Sacramenta ministrare... Capellas quoque & altaria, calices & paramenta ecclesiastica, oleum sanctum* (pro infirmis) *& chrysma* (pro confirmandis) *conficere, ac reconciliandas Ecclesias & cœmeteria reconciliare.*

Aliunde conclusio istius enthymematis non est 31
usquequaque certa: *Ecclesia semper adhibuit chrysma ab Episcopo benedictum. Ergo chrysma, ab Episcopo benedictum, est de necessitate hujus Sacramenti.* Tametsi enim Ecclesia semper adhibuerit chrysma novum, sive anno illo confectum, teste Fabio Papa in epist. vulgò ipsi adscripta: chrysma novum haud ideò est de necessitate Sacramenti,

Tametsi etiam in Sacramento altaris, Ecclesia semper adhibuerit aquam cum vino: non ideò aqua est de necessitate istius Sacramenti. Ideò dixi communem sententiam, quæ asserit Episcopalem chrysmatis benedictionem esse de necessitate Sacramenti Confirmationis, non esse usquequaque certam. Cùm fundamentum istius certitudinis non sit nisi perpetua Ecclesiæ praxis.

32 Propterea speculativè improbabilis non ostenditur opinio Paludani, Cajetani, Victoriæ, Valentiæ (apud Leandrum q. 5.) necnon Scoti & Soti (apud Præpositum q. 72. a. 3. dub. 2.) & aliorum apud Dianam p. 8. tr. 1. resol. 12. negantium Episcopalem benedictionem esse necessariam necessitate Sacramenti, tametsi necessariam esse fateantur necessitate præcepti.

CAPUT VI.

Unctio chrysmatis fieri debet, ad modum crucis, in fronte. Si quid horum prætermittitur, Sacramentum est nullum: tametsi de eo non omnes conveniant.

33 QUòd chrysmatis unctio in fronte, ad modum crucis, fieri debeat, declarat & rationem reddit Concilium Florentinum: *In fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia. Propter quod signo crucis in fronte signatur.*

34 Rationem hanc Florentinum deprompsit ex Augustino in Psal. 141. & serm. 15. inter additos à Parisiensibus.

35 Idque totum Doctores communiter usque adeò existimant esse de necessitate Sacramenti, ut si quid horum prætermittatur, Sacramentum censeant nullum, & si in alia corporis parte, non in fronte, unctio fieret, Confirmatio non subsisteret. Unde SS. Patres unctionis in fronte faciendæ passim meminerunt, ut Tertullianus lib. de præscript. c. 40. Cyrillus Hierosolymit. Catech. mystag. 3. Prudentius in Psycomachia. Innocentius I. ubi suprà. Augustinus in Psal. 141. Gregorius I. in Sacram. Et lib. 3. epist. 26. Isidorus Hispal. lib. 2. de div. offic. c. 26. Amalarius Fortunatus l. 1. de Eccles. offic. c. 27. Petrus Damian. serm. 1. in dedic. Eccles. Rupertus l. 5. de div. offic. c. 16.

36 Cùmque à nullo Concilio, vel Pontifice primùm instituta legatur, ex Apostolica Traditione ad nos perveniisse jure creditur. *Quod enim universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur*, inquit Augustinus l. 4. de Bapt. contra Donatist. c. 24. Signum denique crucis esse de necessitate Sacramenti, Augustinus tr. 118. in Joan. videri potest indicare, cum dicit: *Hoc signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrysmate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Id tamen ex verbis istis efficaciter non conficitur, magis quàm signum crucis esse de necessitate Sacramentorum Baptismi & Eucharistiæ.

37 Quidquid tamen de eo sit, frontis unctionem Victoria & Ledesma apud Dianam p. 10. tr. 8. resol. 30. negant esse de necessitate Sacramenti. De signo crucis idem opinantur Aureolus, Vivaldus, Fernandez, &c.

CAPUT VII.

Impositio manûs, vel manuum, verisimiliùs est essentialis, sive de necessitate Sacramenti.

38 PRobatur non solùm ex eo quòd per eam Apostoli, & tota deinceps Ecclesia semper hoc Sacramentum administrarint; verùm insuper ex eo quòd per eam contulerint proprium hujus Sacramenti effectum, utique Spiritum sanctum, ad roborandum fideles, juxta illud Actor. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Hunc enim locum de Confirmatione SS. Patres communiter intelligunt, ut Tertullianus l. de Bapt. c. 7. Cyprianus numero 40. referendus. Ambrosius l. de initiandis c. 7. *Serva quod accepisti: signavit te Deus Pater, confirmavit Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut ex Apostolorum lectione* (non aliâ quàm proximè allegatâ) *addidisti.* Chrysostomus in cap. 8. Actorum, dicens, *hoc ipsum nunc facere Episcopos, quod Apostoli manuum impositione, & oratione super Neophytos faciebant.* Augustinus 15. Trinit. 28 *Apostoli orabant, ut venirent Spiritus sanctus in eos, quibus manus imponebant. Quem morem in suis Præpositis* (id est Episcopis) *etiam nunc servat Ecclesia.* Isidorus Hispal. l. 2. de div. offic. c. 26. *Post Baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus, cum manuum impositione. Hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos.* Innocentius III. cap. *cùm venisset* de sacra unctione: *Per frontis chrysmationem, manûs impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio. Quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur. Unde hanc... nunnisi... Episcopus debet conferre. Quia de solis Apostolis* (quorum successores sunt Episcopi) *legitur, quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat*, &c.

Per illam verò manuum impositionem non sic- 39
cam intelligunt SS. Patres, sed eam quæ fit ungendo baptizatum. Sic proinde intelligunt fecisse Apostolos, dum impositione manuum contulerunt Spiritum sanctum. Traduit enim id hodie facere Episcopos, quod Apostoli fecerunt. Scimus autem Episcopos hodie non confirmare siccâ manuum impositione, sed eâ quæ fit ungendo, vel cum unctione, Sicque legere est apud Bedam in Psal. 26. *Unctio quæ per manûs impositionem ab Episcopis fit, & vulgò Confirmatio dicitur*, &c. Et apud Amalarium Fortunatum l. 1. de offic. Eccles. c. 27. *Ut ab Episcopis solis inungatur* (baptizatus) *per manûs impositionem, ab Apostolis assumptum est.* Et apud Rabanum l. 1. de instit. Clericor. c. 26. *Episcopus baptizatum per manûs impositionem cum ipso chrysmate consignat.* Et apud Ratramnum Corbeiensem l. 4. contra Græc. *Gratia Spiritûs sancti per impositionem manuum tribuitur ab Episcopis: quod tunc fit, quando frontes baptizatorum chrysmate sancto liniuntur ab Episcopo.* Et apud Ivonem Carnotensem serm. de convenientia novi & veteris Testamenti: *Per manûs impositionem sacro chrysmate baptizati confirmantur.* Et apud Hugonem à S. Victore de Sacram. l. 2. p. 15. c. 1. p. 7. c. 2. *Pontifex per manûs impositionem confirmandos ungit in fronte.*

Ex his igitur omnibus constat, per manûs E- 40
piscopalis impositionem proprium hujus Sacramenti effectum conferri, id est Spiritum sanctum ad spirituale robur dari. Quod ipsum SS. Patres uno ore tradunt. Cyprianus namque epist. 73. ad Jubajanum, loquens de Samaritanis jam baptizatis, de quibus Act. 8. *Quod* (inquit) *ipsis deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habitâ, & manu impositâ, invocaretur & infunderetur Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manuum impositionem, Spiritum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Quod ipsum Chrysostomus, Augustinus, Isidorus, & Innocentius III. affirmant, prout n. 38. vidimus. Affirmat etiam Gregorius Magnus hom. 17.

17. *per impositionem manuum nostrarum à Deo Spiritum sanctum percipiunt.* Similiter Urbanus Papa relatus cap. *omnes* de Consecrat. dist. 5. *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum accipere debent*, &c. Affirmant denique Concilium VI. Parisiense can. 33. Concilium Moguntinum anni 1579. c. 17. Remense anni 1583. tit. de Confirm. Narbonense anni 1609. aiens, *in hoc Sacramento, quo per impositionem manuum Episcopi Spiritus sanctus diffunditur in corda fidelium, robur & fortitudinem dari.*

41 Nec laudatis Patribus & Conciliis contrarius est Eugenius IV. in instructione Armenorum, dicens, quòd *loco impositionis manuum datur in Ecclesia Confirmatio.* Non (inquam) per hoc negat Episcopos hodie, sicut Apostolos olim (ut in Actis legitur) per impositionem manuum conferre Spiritum sanctum, sed solùm vult id nunc præstare Episcopos, cùm confirmant, quod Apostoli præstabant, cùm manus imponebant. Neque enim Eugenius vult Sacramentum Confirmationis in Ecclesia non fuisse Apostolorum tempore, sed id quod tunc impositio manuum vocabatur, nunc Confirmationem dici, idemque Sacramentum nunc dari sub nomine Confirmationis, quod tunc dabatur sub nomine manuum impositionis.

42 Si quæras, quænam sit impositio manuum, per quam datur Spiritus sanctus? an distincta sit ab ea quâ Episcopus baptizatum ungit in fronte?

Affirmat Joannes Baptista du Hamel de Confirm. cap. 1. sub finem, Spiritum sanctum dari per impositionem manuum, quæ unctionem antevertit, illam utique quâ Episcopus extensâ seu levatâ manu super baptizatum, dicit orationem: *Omnipotens Deus*, &c. prout refert ex antiquo Sacramentario Gregorii Magni 800. & ampliùs annorum per Hugonem Menardum edito.

43 Sed in contrarium est quòd Spiritus sanctus non detur, nisi dum Confirmationis forma profertur. Non profertur autem, nisi cùm unctio fit. Unde censeo, cum Patribus n. 39. laudatis, impositionem manuum, per quam confertur proprius effectus hujus Sacramenti, vel esse ipsammet unctionem in fronte, vel ab ea non esse sejunctam.

44 Ista proinde est manuum impositio, de qua loquuntur Urbanus III. in Epistola Decretali, Eusebius Papa epist. 3. Melchiades Papa in epist. ad Episcopos Hispan. (si tamen supposititia non sit) dum Confirmationem, seu Sacramentum Confirmationis vocant *manûs impositionem.*

CAPUT VIII.

Tametsi solus Episcopus sit ordinarius hujus Sacramenti Minister; simplex Sacerdos, ex Summi Pontificis commissione, esse potest Minister extraordinarius illius.

45 SOlum Episcopum esse Ministrum ordinarium Sacramenti Confirmationis Ecclesia declaravit in Concilio Florentino, & Tridentino sess. 7. can. 3. de Confirmat.

46 An simplex Sacerdos, ex Summi Pontificis dispensatione, seu commissione, esse possit extraordinarius Minister illius? controvertitur. Negant S. Bonaventura, Durandus, Major, Adrianus, & nonnulli Scriptores Galli. Quos inter novissimè Joannes Baptista du Hamel de Confirmat. cap. 4. Verùm affirmativa sententia fundatissima est.

47 Primò, quia potior Theologorum Canonistarumque pars illi subscribit, cum S. Thoma q. 72. a. 11. ad 1.

48 Secundò, quia (teste eodem S. Doctore) *ex plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papæ, quòd simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent.* Cùm enim l. 3. epist. 9. Gregorius sic statuisset: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrysmate non præsumant.* Postea intelligens Sardos inde scandalizatos fuisse, & conturbatos, epist. 26. rescripsit ut sequitur: *Pervenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quòd Presbyteros chrysmate tangere in fronte eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omninò de hac re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos tangere chrysmate debeant, concedimus.*

Joannes Baptista du Hamel duo ad hoc respon- 49
det: 1°. Gregorium non loqui de unctione confirmatoria, sed de ea quæ fit ante Baptismum; de ea proinde quæ fit *baptizandis*, non quæ fit *baptizatis.* In regio quippe Codice (inquit) sicut & in Corbeiensi, Victorino, & aliis, sic legitur: *ut Presbyteri in frontibus baptizandos chrysmate tangere debeant, concedimus.* 2°. si de baptizatis ibi sit sermo, dicit unctionem illam in fronte cæremonialem fuisse, non sacramentalem, sive non fuisse Sacramentum Confirmationis, sed cæremoniam in Sardinia usitatam.

Sed neutra responsio subsistit. Non prima: quia 50
accuratissima operum S. Gregorii Editio Parisiensis anni 1675. ex triginta quinque ut minimum exemplaribus manuscriptis emendata (ut in Præfatione monent istius Editionis Authores) cum Gratiano dist. 95. c. 1. legit *baptizatos*, non *baptizandos.* Atque ita postulat Gregorii sensus, postulant & circumstantiæ, de quibus ibi agitur. Nam imprimis epist. illa 26. relativa est ad 9. in qua habetur *baptizatos infantes*, uti Gratianus legit, sicut & Ivo Carnotensis p. 1. c. 264. Deinde scandali turbationisque Sardorum causa fuit, quòd in Sardinia (à Græcis Imperatoribus tunc occupata) Græci Sacerdotes, more in Græcia usitato, baptizatos confirmarent, ut videbitur n. ... Hac ergo de causa scandalizati turbatique fuerunt, quòd sibi à Gregorio epist. illâ 9. prohiberetur, quod à Græcis Sacerdotibus quotidie (nemine prohibente) fieri videbant. Non est autem verisimile, Sardos ob solam cæremoniam accidentalem sibi prohibitam adeò scandalizatos fuisse.

Secunda etiam responsio non subsistit: quia ma- 51
nifestum est Gregorium concedere Presbyteris Sardiniæ ut confirment, *ubi Episcopi desunt.* Id enim perspicuè significant verba illa: *in frontibus baptizatos tangere chrysmate*, sive (ut epist. 9. Gregorius dicit) *baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrysmate.* Cum verba ista, communi SS. Patrum loquendi modo, Sacramentum Confirmationis significent. Enimverò si de sola cæremonia baptismali, seu aliàs non Episcopali ageretur, Gregorius concessionem suam non limitasset ad circumstantias, *ubi Episcopi desunt.* Et numquid Hamelius, & qui ex Parisiensibus cum ipso sentiunt, Gregorii mentem meliùs assecuti sunt, quàm S. Thomas; imò meliùs quàm Eugenius IV. & cum ipso Concilium Florentinum in instructione Armenorum? Atqui dubium non est, Eugenium & dictum Concilium ad Gregorii Magni factum attendisse, dum dixerunt: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, simplicem Sacerdotem, chrysmate per Episcopum confecto, hoc administrasse Sacramentum*, utique Confirmationis, de quo expressè ibi.

Tertium affirmativæ sententiæ fundamentum 52
sumitur ex praxi Ecclesiæ Orientalis, in qua Presbyteri, non potestate ordinariâ, sed delegatâ ex generali licentia illius Ecclesiæ, seu Episcoporum illius, validè & licitè administrant hoc Sacramentum. De quo testimonium authenticum nobis exhibet Concilium Florentinum, in cujus conclu-

sione, cùm varias inter quæstiones Græcis oppositas Eugenius IV. hanc sextam proposuisset: *quare Pontifices non inungerent sacro chrysmate, sed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus sit datum?* narratur in textu, quòd *hæc à Latinis objecta Mitylinensis canonicè omnia, legitimèque dissolvit.* Atque adeò legitimas canonicasque istius consuetudinis suæ rationes Mytilensis exhibuit, ut Eugenius IV. aliique Episcopi Latini iis auditis tacuerint, adeòque acquieverint, nec ad eam corrigendam Græcos compulerint. Quod utique fecissent, si Confirmationem à Græcis Presbyteris collatam, irritam finaliter censuissent.

53 Quòd autem Presbyteri (apud Græcos) Ecclesiâ Orientali id ipsis concedente, Sacramentum Confirmationis administrent, præter Eugenium IV. Gabriel Philadelphiæ Metropolita in suo de septem Ecclesiæ Sacramentis libello testatur, dicens: *Ecclesia Orientalis, non tantùm Pontificibus, sed etiam (per ipsos) Presbyteris, post sacram baptismatis cæremoniam, benignè annuit, atque concedit, citra ullam culpam, unctionem chrysmatis. Idque propterea ne quis baptizatus ejusmodi gratiâ privetur, si eum contingat, ut sunt humanæ res, repentinâ atque immaturâ morte ex hac vita migrare.* Idem testatur Petrus Arcadius l. 2. de concord. Eccles. Orient. & Occident. ubi ostendit, consuetudinem illam Græcorum longè ante schisma Photii viguisse.

54 Scio Innocentium III. cap. *quanto* de consuet. in rescripto ad suum Constantinopoli Vicarium, distinctè prohibere, ne simplices Sacerdotes suâ temeritate præsumant, Sacramentum Confirmationis administrare. Scio quoque Clementem VIII. in sua Constitutione, super quibusdam Græcorum ritibus, §. 1. statuere, *ut Presbyteri Græci baptizatos chrysmate in fronte non consignent.*

55 Verùm Innocentius id non prohibet Sacerdotibus Græcis, sed Latinis Constantinopoli constitutis, ut ex epistola ejusdem ad Lucium, suum Constantinopoli Vicarium (ex qua canon ille desumptus est) Basilius Pontius ostendit; sic enim habet: *Dilectioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnibus* LATINIS PRESBYTERIS, *apud Constantinopolim constitutis, districtè prohibeas, ne talia de cætero suâ temeritate præsumant.*

56 Clemens verò loquitur de Presbyteris Græcis inter Latinos commorantibus. Illam quippe Constitutionem ad Latinos Episcopos dirigit, in quorum Diœcesibus habitabant Presbyteri Græci, vel Albanenses Græco ritu viventes.

57 Quartum affirmativæ sententiæ fundamentum petitur ex Concilio Toletano I. statuente *Diaconum non chrysmare*, sed Presbyterum, absente Episcopo; *præsente verò, si ab eo fuerit præceptum.* Ubi de sola cæremoniali chrysmatione non loquitur (hæc enim Diacono vetita nunquam fuit;) loquitur ergo de sacramentali.

58 Quintum fundamentum petitur ex collectione canonum Martini Episcopi Bracarensis, cap. 51. ubi sic: *Presbyter, præsente Episcopo, non signat infantes, nisi fortè illi ab Episcopo fuerit præceptum.* Ubi vox *signare* veterum usu significat *confirmare*, ut constat ex epist. 1. Innocentii I. cap. 3. de Confirmatione scribentis: *de consignandis infantibus manifestum est, non ab alio quam ab Episcopis fieri licere.*

59 Sextum fundamentum sumitur ex Ambrosiastro cap. 4. ad Ephesios. Necnon ex Authore qq. vet. & novi Testam. apud Augustinum, contestantibus, Presbyteros Ægyptios, per Alexandriam, & totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignare. Utrumque Authorem illum (si non sit unus idemque, ut hodie opinio est quamplurium eruditorum) quarto sæculo tempore Damasi Papæ floruisse, censent Authores novissimæ Editionis operum S. Augustini in admonitione ad librum qq. vet. & novi Testam.

Septimum fundamentum petitur ex praxi plu- 60
rium Romanorum Pontificum, qui simplicibus Sacerdotibus facultatem dederunt administrandi hoc Sacramentum, cum chrysmate per Episcopum benedicto. Id imprimis Adrianum VI. ad instantiam Joannis Glapionis, & Francisci ab Angelis, Franciscanis in India concessisse, testis est Cardinalis Pallavicinus Histor. Concil. Trid. l. 9. c. 7. aiens legitimum istius concessionis exemplar Hispali in S. Francisci Monasterio asservari.

Nec istud *Adriani diploma fuit prima concessio* 61
(ait Pallavicinus ibidem) *sed antecedentium concessionum confirmatio. Ex his privilegiis antiquissimum quod hodie extat, à Joanne XXII. iisdem Patribus Minoribus concessum est per Orientis ac Septentrionis regiones, quod à quodam Nicolai IV. diplomate adfertur & confirmatur, & ad annum* 1447. *legere est in quinto Volumine Annalium Ordinis, quos accuratè scripsit Lucas Wadingus... his omnibus pari fide ac diligentiâ eruditi ab Apostolico tabulario.*

Aliud ibidem ad annum 1444. *adducitur privi-* 62
legium Eugenii IV. Ac postmodum idem concessit Leo X. Joanni Glapioni, & Francisco ab Angelis, de quibus diximus. Reverà ita est: ipsis siquidem in Bulla *dilecti Filii*, concessit, ut *in terris infidelium, in casu necessitatis* (*Episcopis in Provincia non existentibus*) *Confirmationis Sacramentum, & Ordinationis usque ad minores Ordines, fidelibus ministrare... valeant & possint.* In qua concessione imitari se dicit prædecessores suos Nicolaum IV. Joannem XXII. Urbanum V. Eugenium IV. aliosque Romanos Pontifices.

Denique (omissis aliis) Gregorius XIII. Pa- 63
tribus Societatis pariter concessit, ut apud Indos, chrysmate ab Episcopo benedicto, Sacramentum Confirmationis administrare possint, ut videre est apud Basilium Legionensem p. 4. c. 3. n. 6.

Ex his fundamentis conficitur, administratio- 64
nem Sacramenti Confirmationis à Christo solis Episcopis sic esse concessam, ut Ministris ordinariis, ut simplex Sacerdos illud administrare posset, potestate sibi delegatâ ab Episcopo (quod aio propter allatam Græcorum praxim) præsertim ab Episcopo Episcoporum, qui apud Latinos jus delegandi illam potestatem Sedi Apostolicæ reservavit.

Nec urgentia sunt, quæ Hamelius objicit in 65
contrarium. Utique 1°. quòd ministerium hujus Sacramenti ex testimonio veterum Patrum, Conciliorumque, ad solos Episcopos pertineat. 2°. quòd Summus Pontifex ministerium illud simplicibus Sacerdotibus committere nequeat, neque ex plenitudine jurisdictionis, neque ex potestate Ordinis. Non ex plenitudine jurisdictionis: cùm administratio hujus Sacramenti ad Ordinem pertineat, non ad jurisdictionem. Neque ex potestate Ordinis: cùm alia non sit, sed eadem potestas Ordinis in Romano Pontifice, atque in aliis Episcopis.

Hæc (inquam) objecta urgentia non sunt. Non 66
primum: quia licèt ex testimonio veterum Patrum, Conciliorumque habeamus, ministerium ordinarium hujus Sacramenti ad solos Episcopos pertinere; nulli Patres, nulla Concilia, nulli veteres Scriptores negant, ex commissione & delegatione Episcopi (ipso Episcopo absente) ac præsertim ex delegatione Principis Episcoporum, ministerium illius simplici Sacerdoti convenire posse. Imò contrarium habemus ex Concilio Toletano I. ex facto Gregorii Magni, ex vetustissima praxi Ecclesiæ Orientalis, quam sæculo quarto (diù ante schisma Photii) fuisse colligitur ex dictis n. 59.

Non urget etiam secundum: ministerium quip- 67
pe hujus Sacramenti S. Pontifex simplici Sacer-

doti delegare potest, ex potestate Ordinis. Idque reliqui etiam Episcopi in suis Diœcesibus possent, si Episcoporum Episcopus id sibi apud Latinos non reservasset. Fatebor itaque, confirmandi potestatem ordinariam, & independentem à quocumque alio, sic Episcopo competere, ratione Ordinis seu Consecrationis Episcopalis, ut ea simplici Sacerdoti, ex vi Ordinis & Consecrationis sacerdotalis non competat, sed solùm potestas remota & aptitudinalis in quantum Sacerdos ex vi Ordinis sui idoneus est ad hoc, ut ipsi, tamquam delegato, ministerium hujus Sacramenti ab Episcopo committi queat, sine qua delegatione Confirmatio ab illo collata irrita foret & nulla.

CAPUT IX.

Non omnia, quæ exprimuntur in forma Latinorum, tradita à Concilio Florentino, sunt de essentia formæ.

68 PRobatur, quia non omnia, quæ exprimuntur in forma illa Latinorum, habentur in forma Græcorum; hac utique *signaculum doni Spiritûs sancti*. Sed omnia, quæ sunt de essentia formæ, habentur in forma Græcorum, quæ cùm antiquissima sit, & à Patribus Græcis, ab ipsa etiam sexta Synodo Generali canone 95. tradita, de ejus valore rationabile dubium esse non potest. Cùm extra dubium sit, apud Græcos validè administrari, & à Patribus Græcis validè administratum fuisse Sacramentum Confirmationis. Quomodò enim Græci aliàs nunquam à Latinis de invalida illius administratione fuissent reprehensi? Quomodò Romæ, sciente & approbante S. Pontifice, in Ecclesia S. Athanasii, sub illa forma Confirmationis Sacramentum permitterentur conferre? Quomodò Romanus Pontifex approbasset sextam Synodum, in qua tradita fuisset invalida Confirmationis forma? Quomodò forma illa permissa fuisset omnibus Græcorum Euchologiis inseri? Illam Marcus Ephesius in Concilio Florentino protulit, nec à Latinis reprehensus fuit. Illam examinavit S. Congregatio Cardinalium, ab Urbano VIII. erecta ad examinandum Rituale Græcorum, nec quoad formam illam reformavit, sed Rituale istud, cum forma illa, recudi permisit.

69 Quæ cùm ita sint, manifestè sequitur 1°. neque distinctam expressionem trium Personarum SS. Trinitatis esse de essentia formæ; neque hæc verba, *signo crucis*; neque ista, *chrysmate salutis*, neque verbum *signo*, neque *confirmo*, neque pronomen *te*, formaliter & expressè positum. Nihil enim horum exprimitur in forma Græcorum. Sed pronomen designans personam confirmatam, & verbum designans actionem Ministri, ex sensu Ecclesiæ Græcæ, externæque actionis Ministri circumstantia subauditur, ut sensus sit: *Accipe*, vel tibi do *signaculum doni Spiritûs sancti*. Quomodò in hac forma Calicis, apud Lucam: *Hic Calix novum Testamentum in meo sanguine*, spectatis omnibus, subauditur *est*.

CAPUT X.

Subjectum Sacramenti Confirmationis.

70 SUbjectum capax hujus Sacramenti non est nisi homo baptizatus, nec istud Sacramentum validè recipit, qui non est baptizatus. Quia, ut S. Thomas ait q. 72. a. 6. *character Confirmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem, ita scilicet, quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iterato ipsum confirmari post Baptismum. Cujus ratio est, quia sic se habet Confirmatio ad Baptismum, sicut augmentum ad generationem. Manifestum est autem, quòd nullus potest promoveri in ætatem perfectam, nisi primò fuerit natus. Et similiter, nisi primò aliquis fuerit baptizatus, non potest Sacramentum Confirmationis accipere.*

Omnis verò homo viator, baptizatus, sive adul- 71
tus, sive infans, est subjectum capax hujus Sacramenti. cap. *omnes* de Consecrat. dist. 5. Quod attinet ad infantes, olim consuetudo plerumque fuit ipsos statim post Baptismum confirmandi, teste Tertulliano l. de Bapt. c. 7. & 8. atque Innocentio I. epist. ad Decentium. Quæ consuetudo apud Græcos etiamnum perseverat, ut constat ex eorum Euchologiis.

Sed hodiernâ Latinorum consuetudine infantes 72
ante septennium non confirmantur. Idque verant Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo Borromæo tit. de his quæ pertinent ad Sacram. Confirm. Synodus II Cameracensis, Audomarensis, Iprensis, &c. Enimverò minùs expedit ante rationis usum confirmari, inquit Catech. smus Romanus de Confirm. §. 18. imò expedit rationis usum expectari, eò quòd ratione utentes majori cum reverentia & fructu Sacramentum istud suscipiant, & antè non sit capacitas confitendi nomen Domini.

Ob hanc incapacitatem Marsilius, Valentia, &c. 73
censent perpetuò amentes convenienter non confirmari. Verùm S. Thomas q. 72. a. 8. ad 2. Sotus, Sylvius, & Doctores passim contrasentiunt. Sunt enim capaces effectûs Confirmationis, magnamque ex eo percipiunt utilitatem.

Nec dubium quin periculosè infirmantes con- 74
firmandi sint, si petant. S. Thomas ibidem ad 4. *Ut* (inquit) *in resurrectione perfecti appareant*, secundum illud Ephes. 4. *donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Et ideò Hugo de S. Victore dicit, omninò periculosum esse, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret. Non quia damnaretur (nisi forsè propter contemptum) sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur; sicut & hic majorem obtinent gratiam.*

Propterea laudabilis in Hispania mos est, sup- 75
plicio ultimo afficiendos, confessos & communicatos, Sacramento Confirmationis roborare. Vivaldus in Candelab. de Extr. Unct. n. 41. Quintanaduennas singul. tr. 2. sing. 2. n. 2. Neque enim ideò solùm quis confirmatur, ut nomen Domini fortiter confiteatur, sed & ut fortiter aggrediatur quidquid ad vitæ christianæ perfectionem, atque ad majorem Dei gloriam pertinet.

Etiam energumeni utiliter confirmantur. Si- 76
quidem ex historiis fide dignis constat, plerosque ex ipsis hujus Sacramenti susceptione curatos fuisse, ut videre est apud Basilium Pontium p. 5. c. 1. Et verò S. Bernardus in vita S. Malachiæ refert, puerum lunaticum, hujus Sacramenti susceptione, à Malcho, Malachiæ præceptore, curatum.

Porrò *eos qui adultâ jam ætate confirmandi sunt,* 77
siquidem hujus Sacramenti gratiam & dona consequi cupiunt, non solùm fidem & pietatem adferre, sed & graviora etiam peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere oportet (inquit Catechismus Romanus loco citato) *qua in re laborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur* (ad hoc quippe tenentur conscientiam peccati mortalis habentes, ut ex can. *ut jejunii* de Consecr. dist. 5. atque ex Conciliis Rothomagensi, Turonensi, Remensi, Bituricensi, Aquensi, &c. lib. 1. cap. 23. probavimus) *& Pastorum cohortatione ad jejunia, & alia pietatis opera incitentur.*

Similiter S. Carolus Borromæus p. 1. tit. de his quæ pertinent ad Sacram. Confirm. monet, ut *qui adultâ ætate confirmandi sunt, primò de peccatis confiteantur.* Constitutiones quoque Constantienses apud Gobat tr. 2. de Confirm. n. 767. vetant, *ne ullus, qui ad annos discretionis pervenit, accedat ad Confirmationem, nisi confessus.* Confessionem pariter exigunt Constitutiones Synodales Eminentissimi Cardinalis le Camus tit. 6. a. 4.

79 Olim etiam jejunium exigebat allatus canon. *ut jejunii.* Sed ex quo Sacramentum hoc frequenter à meridie conferri cœpit, canon iste transisse videtur de præcepto in consilium. Cùm ex præcepto ne Romæ quidem in usu sit, teste Jordano Episcopo Tragurienſi in Dalmatia to. 2. elucubr. lib. 3. tit. 3. n. 13. Ideò etiam non nisi consilium agnoscit S. Thomas q. 72. a. 12. ad 2.

CAPUT XI.

Sacramenti Confirmationis effectus.

80 TRiplex est. Primus est gratiæ augmentum in iis qui dignè illud suscipiunt. Ut enim dicitur can. *Spiritus sanctus* de Consecr. dist. 5. *Spiritus sanctus in fonte Baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam; post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur; post Baptismum roboramur.*

81 Secundus & proprius effectus ipsius (prior namque communis est aliis Sacramentis vivorum) est speciale robur Spiritûs sancti ad confitendam viriliter fidem & nomen Christi, adversus hostes illius, ubi opus fuerit.

82 Tertius est character, quo confirmatus insignitur, velut notâ & cingulo militiæ Christianæ, atque ad spiritualem pugnam designatur. Et propter hunc characterem Sacramentum hoc initerabile est, uti Tridentinum definit sess. 7. can. 9. post Gregorium III. can. *de homine* de Consecr. dist. 5. dicentem: *de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis iteratio prohibetur.*

CAPUT XII.

Necessitas & obligatio suscipiendi hoc Sacramentum.

83 SAcramentum Confirmationis necessitate medii ad salutem necessarium non esse Doctores conveniunt. An necessarium sit necessitate præcepti, controvertunt. Negant quippe Navarrus, Suarez, Nugnus, Ledesma, Valentia, Coninck, Granadus, & (ut ipse putat) Doctores communiter, aientes de eo suscipiendo nullibi extare præceptum.

84 Fateor Recentiores non paucos ita sentire. Sed hoc ideò quia antiquitatis hac de re monumenta, Sanctorumque doctrinam non sunt scrutati. Ad quam attendens censeo cum Waldensi nostro doctr. fid. c. 113. Hugone de S. Victore, Scoto, Armachano, Gersone, Richardo, Toleto, Bellarmino, Contensono, Farvacio, Hamelio, Cardinale le Camus Constit. Synodal. tit. 6. a. 4. Authore Controversiarum Lexoviensium p. 3. Contr. 11. q. 3. Confirmationem esse necessariam necessitate præcepti, ita ut graviter peccet quisquis illam suscipere negligit, dum commodè potest, maximè si apud hæreticos, vel in eorum confiniis, seu vicinia commoretur.

85 Probatur 1°. ex can. *omnes* de Consecr. dist. 5. ubi sic: *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum, post Baptismum, accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.*

86 2°. ex can. *omnes*, inter canones Isaaci Lingonienſis tit. 11. *Omnes maximam curam habeant, ne sine Confirmatione Episcopi quis vitam finierit, animaque periclitetur.* Periclitatur ergo anima sine Sacramenti hujus susceptione. Est autem peccatum non leve, isti periculo sese per negligentiam voluntariam exponere. Cùm periculum istud leve non censeat Amalarius Fortunatus (qui sæculo octavo florebat) l. 1. de Eccles. offic. c. 27. dicens, quòd aliqui fortè damnabuntur, ob neglectam istius Sacramenti susceptionem. Unde exclamat: *Quantum periculum incurrit, qui negligenter ex hoc mundo exit, sine manûs impositione confirmatoria.* Enimverò Christus hoc Sacramentum instituit, tam ad conservationem fidei, ne deficiat in nobis; quàm ad roborandam fragilitatem nostram contra tentationes dæmonis, mundi, & carnis, prout Cardinalis le Camus observat loco citato. Quanta verò nostra sit fragilitas, absque isto robore, apparuit in Apostolis, priusquàm induerentur hâc virtute ex alto; apparuit (inquam) ex fuga omnium, trinaque Petri negatione ad vocem ancillæ, &c. Vel ipsorum proinde Apostolorum exemplo scimus, quàm facile sit Christianis in tentationibus deficere, & frequenter deficere, nisi Sacramenti hujus roborentur virtute. Idque quotidiana adhuc experientia docet. Teste namque Boudartio de Confirm. q. 5. *experientiâ constat, quamplurimos hujus Sacramenti defectu recessisse à fide, multos transisse ad sortilegia, veneficia, & cultum dæmonis. Ubi econtrà quamplurimi Martyres hoc Sacramento roborati, in fide & virtute constantissimè perstiterunt, & ad sanguinem usque decertarunt.*

Hinc ergo Confirmationis necessitatem benè 87
colligit Gerson to. 2. in Compend. de Sacram. col. 78. aiens, quòd etiamsi Confirmatio non sit absolutæ necessitatis, ad salutem tamen necessaria sit secundùm quid. Nam, inquit, *ad hoc quòd debeat vita spiritualis, & salus in Baptismo adepta, robustè contra hostes spirituales custodiri, necesse habet hoc Sacramento confirmari, & confortari* (sicut *si homo non deberet debilitari, ei necesse est benè comedere*, ut antè dixerat, necessitatem secundùm quid explicando.) *Unde dicit Hugo de S. Victore: quid prodest, si per Baptismum à lapsu erigeris, nisi etiam per Confirmationem ad standum confirmeris? Non quia sine Confirmatione non valet Baptismus ad salutem (quia hoc falsum est;) sed quia frequenter in pugna spirituali, ex debilitate virtutis spiritualis accideret etiam facilitus cadendi, & proinde damnatio, nisi esset Confirmatio.*

3°. probatur ex Concilio Laodiceno sub Sylve- 88
stro can. 48. *Oportet eos qui illuminantur* (id est baptizantur) *post Baptisma inungi supercælesti chrysmate, & esse regni Christi participes.* Vox autem *oportet*, in legibus, tam Ecclesiasticis, quàm civilibus, ex communi Canonistarum Legistarumque sensu, necessitatem significat, uti l. 2. me dixisse memini.

4°. ex variis Sanctorum testimoniis, quæ pro- 89
fert Waldensis noster loco citato. Profectò Cyprianus epist. 70. *ungi* (inquit) *necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrysmate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam possit.* Cornelius Papa epist. ad Fabium Antiochenum, Novatianum reprehendit, quòd cùm in lecto, ob morbum baptizatus fuisset, *liberatus à morbo reliqua non percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est.* Quippe *hoc signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* inquit apud Eusseb. Histor. Eccles. l. 6. c. 43. Hieronymus Dial. contra Lucifer. *Totius orbis mens & consensus*, de manu baptizatis imponenda, *instar præcepti obtinet.* Hilarius Arelatensis homil. de Pentecoste (quæ nomine Eusebii Emiseni,

cum aliis vulgò citari solet) *Continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia; victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Quæ verba habentur etiam in epist. ad Episcopos Hispaniæ, Melchiadi Papæ vulgò adscriptâ, atque ex ipso refert Waldensis.

90 Ante istos omnes S. Clemens Romanus epist. 4. ad Julium: *Omnibus* (inquit) *festinandum sine mora renasci Deo, & demum ab Episcopo consignari, id est septiformem Spiritûs sancti gratiam percipere. Cùm alioqui perfectus Christianus nequaquam esse possit, is qui hoc Sacramentum prætermiserit, ut à B. Petro accepimus, & cæteri Apostoli præcipiente Domino docuerunt.* Testimonii S. Clementis efficacia constabit ex dicendis n. 94.

91 Quinta probatio petitur ex praxi Ecclesiæ, quæ summâ sollicitudine curat, semperque curavit, ne quis adultus ex hac vita, sine hujus Sacramenti susceptione discedat, prout allati canones & Concilia abundè testantur, & cum illis Concilium Parisiense VI. c. 33. *Infirmis, & morte periclitantibus, sicut Baptismi gratiâ succurrendum, ita incunctanter donum Spiritûs sancti esse tradendum.* Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo Borromæo tit. de his quæ pertinent ad Sacram. Confirm. *Videant item ne quis eorum qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat. Quare præmoneant, quod etiam Concilii Wormatiensis canone sancitum est, ut quicumque intra Parochiæ suæ fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ætate sunt, quâ Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant. Si quis verò neglexerit, canonicis subjaceat disciplinis.* In Pastorum verò institutione S. Carolus sic ait: *Si quos negligentes animadverterit* (Parochus) *eos paternâ objurgatione valdè cohortabitur, ut ad Confirmationis Sacramentum percipiendum, datâ præsentis Episcopi minister, ut ad Confirmationis Sacramentum percipiendum, datâ præsentis Episcopi ministrationem celebrantis opportunitate, festinent. Alioquin illis timendum valdè esse demonstret, quòd, eum potuerint, in re salutari tam negligentes exiterint.* Additque pœnam in negligentes, ex Concilio Remensi: *In Confirmationis Sacramento suscipiendo negligentes, ut Decreto Provinciali ex Canone Remensi cavetur, canonicis subjaceant disciplinis. Et propterea parentes, quorum negligentiâ id factum est, ex libro pœnitentiali pœnitentiam olim egisse annos tres apparet.* Actor. p. 4. de Sacram. Confirm.

92 Tridentinum quoque sess. 24. c. 4. de reform. statuit, *ut primâ tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* In Synodo item Leodiensi (teste Marchantio resolut. pastor. de Sacram. tr. 3. c. 1.) prohibetur, ne quis non confirmatus admittatur ad Sacramentum Matrimonii.

93 Sextam probationem suppeditat doctrina sancti Thomæ q. 72. a. 1. ad 3. *Omnia Sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem. Sed quædam, sine quibus non potest esse salus. Quædam verò, sicut quæ operantur ad perfectionem salutis. Et hoc modo Confirmatio est de necessitate salutis.* Nec verborum istorum claritatem elevat, quod addit, quòd *sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti.* Illius quippe censetur esse contemptor (ait Sylvester) qui illud potest commodè suscipere, & non curat, sed absque ulla rationabili causa negligit. Cùm enim vita præsens adeò plena sit tentationibus, tam salutare contra eas remedium sine rationabili causa non curans suscipere, & remedium istud, & divinam bonitatem illud tam benignè offerentem, & salutem tuam censetur contemnere, uti etiam sapienter observavit Hiberniæ Primas Armacanus l. 9. c. 2. ibi: *Donum Confirmationis contemnens, aut illud non curans, cùm possit illud accipere, meritò suæ salutis neglector, & benevolentiæ divinæ contemptor arguitur.*

Septima probatio est, quia Christiani omnes 94
seriam operam navare tenentur ad acquirendam perfectionem Christianam, juxta illud: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Quod utique Christus Christianis omnibus dixit, ut videre est apud Marcum, *Quod vobis dico, omnibus dico.* Ad seriò namque tendendum ad Christianam perfectionem Christianus omnis tenetur ex baptismali professione, sicut Religiosus omnis ex professione religiosa. *Et quid quæso amplius Carthusia habet,* quàm Christiana Religio (ait sanctus Thomas Villanovanus conc. 3. in Adventu Domini) *quantùm attinet ad mores, & sanctitatem, & puritatem, exceptis cæremoniis, & votis?* Vide quæ ex Basilio & Chrysostomo hac de re dixi to. 1. Prolegomeno 3. c. 4. 5. 6. & 7

Acquirendæ verò Christianæ perfectioni Con- 95
firmationis Sacramentum necessarium est: utpote ad hoc institutum, ut per Baptismum in Christo natus, ad divini statûs sui (in Christo inchoati) perfectionem evehatur, ut constat ex Patribus suprà laudatis, qui Confirmationem propterea necessariam aiunt, *ut pleni Christiani inveniantur, ut perfecti Christiani* esse possimus, &c. Siquidem Confirmatio, ut D. Dionysius testatur de Eccles. Hierarch. c. 2. est *perficiens unctio,* est *sacra divini ortûs perfectio.* Quemadmodum enim natura intendit, ut natus infans adolescat, & ad perfectam crescat ætatem; sic Deus intendit, ut per Baptismum genitus in Christo infans, crescat ad perfectam ætatem, sive usque ad perfectionem divinæ nativitatis, vitæque spiritualis per Baptismum acquisitæ. Ad quod robur & gratiam accipit per Confirmationem. Quam proinde qui non curat accipere, dum commodè potest, non curat perfectus fieri Christianus; imò nequidem curat ad hoc gratiæ plenitudinem accipere, ad persistendum contra exteriores impugnatores, & impedimenta vitæ Christianæ. Igitur seriam operam navare non vult, ad acquisitionem perfectionis Christianæ.

Nec se excusare potest, dicendo, quòd chri- 96
stianam perfectionem per orationem vel Eucharistiam acquirere poterit. Ut enim Angelicus Doctor ait q. 73. a. 1. ad 1. duplex est perfectio: *una quæ est in ipso homine, ad quam pervenitur per augmentum, & talis perfectio competit Confirmationi. Alia autem est perfectio, quam homo consequitur ex adjunctione alicujus extrinseci, hominem conservantis, puta ex adjunctione cibi, indumenti... Et talis perfectio competit Eucharistiæ. Quod Sacramentum, dum realiter sumitur, gratia augetur, & vita spiritualis perficitur. Aliter tamen quàm per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia, ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum. Per hoc autem* (Eucharistiæ) *Sacramentum, augetur gratia, & perficitur spiritualis vita, ad hoc quòd homo in seipso perfectus existat, per conjunctionem ad Deum.* Christianus autem non solùm satagere debet, & seriò satagere, ut in seipso perfectus sit per conjunctionem ad Deum; verùm etiam ut perfectus sit ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum. Cum seriò satagere debeat, ne ab interna perfectione conjunctionis ad Deum, per exteriores inimicorum impugnationes dejiciatur.

Hanc autem necessariam perfectionem, seu gra- 97
tiæ plenitudinem, Deus regulariter non dat, nisi per medium à se institutum, quod est Confirmationis Sacramentum, in re vel in voto susceptum. Quia *sicut nullus consequitur effectum Baptismi,*

sine Baptismo, in re vel in voto : ita nullus consequitur effectum Confirmationis (dictam utique gratiæ plenitudinem ad persistendum necessariam) sine Confirmatione, vel *sine voto ipsius*, ait S. Doctor q. 72. a. 6. ad 1. Votum autem ipsius sincerum non habet, qui, cùm commodè in re susscipere possit, negligit.

98 Nec perfectio, quæ per Eucharistiam confertur, tollit necessitatem perfectionis acquirendæ per Confirmationem : utpote necessariæ ad conservandam perfectionem conjunctionis ad Deum, quæ est effectus Eucharistiæ.

99 Ideò homini Confirmationem susscipere negligenti, dum commodè potest, nec orare sufficit, nec Eucharistiam frequentare : his enim mediis contra exteriores inimicorum impugnationes non persistet, quamdiù media ad persistendum, sive ad fortiter pugnandum contra impugnationes illas, divinitùs instituta, sibique oblata respuet. Justo quippe Dei judicio, quæ petimus, non impetramus, dum illa voluntariè negligimus, quæ Deus ad id quod petimus assequendum instituit. Inde enim frequenter, imò frequentissimè experimur, tot nostras orationes, tot communiones, tot eleëmosynas, tot jejunia non impetrare quod petimus, quia media ad hoc impetrandum specialiter instituta usurpare negligimus, impleturque in nobis quod Jacobi 4. dicitur : *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.*

100 Hæc sunt assertionis nostræ fundamenta. Ex quibus pronum est colligere, susscipiendæ Confirmationis præceptum esse divinum, ex Christi proveniens institutione. Cui Ecclesia suum quoque præceptum addidit, ut ex allatis Canonibus, Conciliis, Patribus, & pœnis in negligentes latis, videtur perspicuum.

101 Et quia præceptum istud est de re gravi, ex cujus negligentia fieri potest ut damnetur, aliàs salvandus, haud dubiè graviter obligat ad Confirmationis susceptionem, post duodecimum saltem annum, diù non differendam. Ut enim Amalarius Fortunatus ait l. 1. c. 27. *de illis qui per negligentiam omittunt Episcopi præsentiam, & non susscipiunt manûs impositionem, pensandum est, ne forte injustitiâ illâ damnentur, in qua negligenter exercent justitiam. Quia debuerunt festinare ad manûs impositionem. Sicut enim Christus dicit : nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ; similiter dicit : nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quod postquam ex Augustino confirmavit : *Videamus* (inquit) *ex verbis Augustini, quantum periculum incurrat, qui negligenter exit de mundo sine impositione manûs. Siquidem dona Spiritûs sancti sunt ornamenta vestis, quæ tribuit Deus menti per impositionem manûs, sine quibus periculosum est aliquem invenire in convivio Regis, ne audiat vocem terribilem dicentis :* AMICE, QUOMODÒ HUC INTRASTI, NON HABENS VESTEM NUPTIALEM ? Est enim periculum non parvum, ne sine veste nuptiali finaliter inveniatur, id est à charitate excidat, qui salutis suæ incurius, oblata sibi Spiritûs sancti dona, spiritualeque robur contra inimicos suos exteriores, susscipere per desidiam negligit.

102 Donorum istorum, spiritualisque roboris necessitatem agnoverunt sanctissimi viri Maurilius, Episcopus Andegavensis, & Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis. Ideòque pœnitentiam magnam egerunt pro negligentia, quam sibi commisisse visi sunt in administrando hoc Sacramento.

103 De Maurilio namque Fortunatus Monachus, Scriptor antiquus, apud Surium to. 5. ad diem 13. Septembris scribit, quòd matrona quædam ipsi *in B. Petri Basilica solemnitatem celebranti advenit, cum morsente puero, postulans ut filio suo manuum suarum impositione Spiritum sanctum daret, antequam obiret. Sed remorante in sancta corporis & sanguinis Consecratione paululum Præsule, puer obiit. Expleto autem sanctæ solemnitatis officio, & obitu pueri, qui absque chrysmatis dono excesserat, percognito, totum id suæ desitudini deputavit, lachrymis multo tempore irremediabilibus suæ culpam lugens inobedientiæ. Cui cùm nec ista sufficerent, diù, multùmque quid ageret, animo colluctante, tandem reperit, quòd inter cives tantæ negligentiæ piaculum plenè expiari nequiret, nisi singularis elapsus, cives, patriamque relinqueret.* Acceptis itaque Sacrarii Andegavensis clavibus, è patria clam secedens, projecit in mare claves, dicens : *nisi has iterùm claves videre meruero, patriam, urbemque nunquam repetam.* Cùmque septem annis hortulanum egisset viri Principis, repertus à suis, receptisque Ecclesiæ suæ clavibus (quas in ventre piscis exenterati unus ex ipsis invenerat) Andegavum rediit, dictumque puerum ad vitam revocavit, quem propterea Renatum appellavit.

De S. Anselmo Edinerus (Anselmi convictor) sic narrat : *Sexto die, cùm jam innumeram multitudinem confirmasset, & nos à loco discessuros longum iter ipsius diei, quod instabat, festinare compelleret, ecce puella quædam domum, de qua equos ascensuri egrediebamur, introiit, flebili pietatis affectu se confirmari deposcens. Quod quidam è sociis nostris audientes, nimis molestè tulerunt.... Quid plura ? virum precibus puellæ præbere volentem, ipsi objectâ longitudine viæ, objectis periculis, quæ nocturnos viatores, in peregrina quàm maximè patria, comprehendere solent, detinuerunt, & ne voci ipsius auditum præberet obtinuerunt. Sed ubi aliquantùm processimus, venit Patri in mentem, quibus acquieverit, quid egerit. Illicò nimis impietatis seipsum arguens, tantum exinde concepit cordis dolorem, ut quamdiù vitæ præsenti superfuit, pœnitudo ipsius facti ab animo ejus non recesserit.* O quàm alia fuit opinio sanctissimorum Episcoporum illorum, quàm Dianæ, qui p. 10. tr. 11. resol. 4. censet Episcopum non teneri conferre postulantibus hoc Sacramentum, etiam ante collationem Ordinum, nisi sub veniali ! Aliter profectò censet Amalarius Fortunatus, dum de Episcopis, in eo negligentibus, loco citato scriptum esse dicit : *Serve male, & piger*, &c. *Inutilem servum projicite in tenebras exteriores*, &c. Consideraverunt utique sancti Patres hujus Sacramenti privationem esse privationem doni, quod Salvator ipse Act. 1. vocat *promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum.* Quodque 2. Cor. 1. vocatur *pignus Spiritûs.* De quo Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Quod denique Jacobi 1. vocatur *donum perfectum*, sine quo nullus est perfectus Christianus. Quandoquidem *hujus sancti chrysmatis dono accepto* (ait S. Cyrill. Hierosol. Catech. mystag. 3.) *meritò appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione. Antequam enim vobis hæc gratia donata esset, non eratis propriè digni eo nomine ; sed pergentes eò usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.* 104

CAPUT XIII.

Patrinus Confirmationis.

DE eo breviter dico 1°. Patrinum in Confirmatione abhibendum ex præcepto, sive ex consuetudine Ecclesiæ, de qua mentio fit cap. *si quis*, cap. *dictum est*, cap. *de his* 30. q. 1. Rationem

nem S. Thomas q. 72. a. 10. esse dicit, quia *hoc Sacramentum exhibetur hominibus ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis, de novo natus, indiget instructore, in his quæ pertinent ad conversationem vitæ.... ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus instruantur de his quæ pertinent ad modum certaminis.*

106 2°. Præceptum istud, ex communi sensu Doctorum, graviter obligare.

107 3°. Adhibendos non esse duos, unum & unam, sicut in Baptismo, sed unum pro masculis, unam pro feminis, cap. *non plures*, & cap. *in Catechismo* de Consecr. dist. 4. circa quæ Tridentinum nihil innovavit, sicut pro Patrinis Baptismi.

4°. Patrinum Confirmationis, ex consuetudine Ecclesiæ, esse debere distinctum à Patrino Baptismi. Si tamen necessitas id exigat, secundùm allatos canones, adhiberi posse eundem. 108

5°. Patrinum Confirmationis debere esse confirmatum. Aliàs graviter peccaret, nec spiritualem cognationem contraheret, cap. *in baptismate* de Consecr. dist. 4. 109

6°. verum Patrinum (sicut & confirmantem) spiritualem contrahere cognationem cum confirmato, confirmatique patre & matre. Tridentinum sess. 24. c. 2. de reform. 110

LIBER QUARTUS.

AMOR PASCENS.

Sive

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

1 SI nec Angelicis, nec humanis mentibus satis extolli, imò nec concipi quidem valeat inæstimabilis dilectio charitatis, quâ Deus, per Incarnationis mysterium, fieri dignatus est homo; non minor profectò, imò quadantenùs inæstimabilior est dilectio, quâ per divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, quasi *Incarnationis extensionem* (sic enim à Sanctis appellatur) fieri dignatus est esca vermium, dum factus est cibus hominum. O stupendam divini amoris erga nos dilectionem! ô prodigiosam charitatem! In priori quidem mysterio, prodigiosa est circa nos divinæ pietatis dignatio, quâ ad liberandum suscepturus hominem, non exhorruit purissimæ Virginis uterum: At, sicut extensione, sic prodigio major in hoc Sacramento apparet divini amoris dignatio, quâ ad pascendum hominem, Baptismo regeneratum, & cælestis militiæ armis confirmatione munitum, divinam naturam, non cum una dumtaxat copulat natura humana (prout in Incarnationis mysterio) sed cum unoquoque homine, tam arctâ intimâque unione, quâ arctior & intimior (infra hypostaticam) excogitari nequeat (*qui* enim *manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet*, ait ipse, *& ego in eo*;) nec in unius Virginis purissimum descendit uterum, sed in fœtidissimum tot millium, tamque vilium & imperfectorum hominum stomachum. O ineffabile prodigium amoris! ô altitudo! ô latitudo! ô longitudo! ô profunditas charitatis! quàm incomprehensibiles sunt excessus illius, & investigabiles viæ ejus! Da, charitas Deus, ut de tam prodigiosæ charitatis Sacramento in veritate tractem, & charitate.

CAPUT I.

Divinissimi Eucharistiæ Sacramenti multiplex nomen, definitio, institutio.

2 *Dicendum* (ait Doctor Angelicus q. 73. a. 4) *quòd hoc Sacramentum habet triplicem significationem. Unam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemorativum Dominicæ Passionis, quæ fuit verum sacrificium: & secundùm hoc nominatur* SACRIFICIUM. *Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet Ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum: & secundùm hoc nominatur* COMMUNIO *vel* SYNAXIS. *Dicit enim Damascenus 4. lib. de fid. orthod. c. 14. quòd dicitur communio, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus de ejus carne, & deitate, & quia communicamus ad invicem per eam. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc Sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria. Et secundùm hoc dicitur* VIATICUM: *quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi. Et secundùm hoc etiam dicitur* EUCHARISTIA, *id est bona gratia.* Quia gratia Dei, vita æterna, *ut dicitur Rom. 6. Dicitur etiam in Græco* METALEPSIS, *id est assumptio*: quia, ut Damascenus dicit, per hoc Filii deitatem assumimus.

Aliis placet, quòd Eucharistia, secundùm nominis ethymon, propriè idem sit quod *gratitudo*, seu *gratiarum actio*. Et optimè congruit huic mysterio: utpote quod Christus gratiis actis, sive *gratias agens* instituit; & quia Sacramenti hujus oblatio summa est, Deoque acceptissima pro divinis beneficiis, maximè principaliorib s, gratiarum actio: eò quòd utique eorum fit commemoratio, juxta illud: *Memoriam fecit mirabilium suorum.* 3

Denique à Catechismo Romano *Sacramentum etiam patis & unitatis dicitur, ut intelligeremus, quia indigni sunt Christiano nomine, qui inimicitias exercent; odiaque, dissidia & discordias, ut teterrimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse: cùm præsertim quotidiano Religionis nostræ sacrificio nihil nos studiosiùs servare, quàm pacem & charitatem profiteamur.* 4

De Eucharistia itaque (cùm & Sacramentum sit & sacrificium) primo loco tractabimus ut Sacramentum est, deinde ut sacrificium. Est igitur Eucharistia *Sacramentum corporis & sanguinis Christi, vi verborum Consecrationis, realiter præsentium sub speciebus panis & vini, ad spiritualem animarum refectionem divinitùs institutum.* In illa definitione nihil desiderari potest, non materia, non forma, non causa efficiens, non finalis, non explicatio realis præsentiæ Dominici corporis & sanguinis. Tametsi brevior exactiorque foret definitio hæc: *Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini.* Istud quippe Sacramentum duobus, non pluribus, intrinsecè constituitur, sive ut ex Augustino, in libro Sen- 5

tentiarum Prosperi, dicitur can. *hoc est* de Consecr. dist. 2. *hoc Sacramentum duobus constat, visibili elementorum specie* (id est speciebus panis & vini) *& invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine.*

6 Proinde nec solum Christi corpus & sanguis, nec solæ panis & vini species, sunt Eucharistiæ Sacramentum, sed utrumque simul, sive compositum ex utrisque. Sic enim verificatur doctrina Patrum proximè allata: *hoc Sacramentum duobus constat*, &c. sive *re terrenâ constat & divinâ.* Sicut & comparatio, quâ Eucharistiam assimilant Verbo incarnato, quod sicut non est sola persona Verbi, nec sola natura humana, sed utrumque simul. Ita similiter, &c.

7 Deinde solis speciebus non conveniunt, quæ SS. Patres affirmant de hoc Sacramento, quòd utique sit animæ cibus, quòd latriæ cultu sit adorandum, quòd hisce verbis Domini conficiatur: *Hoc est corpus meum*, &c.

8 Aliunde soli corpori sanguinique Christi non convenit, quod Tridentinum sess. 13. can. 1. ait: *in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri verè realiter & substantialiter corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* Nec solum corpus sanguisque Christi sunt sensibile signum. Quod est de ratione Sacramenti.

9 Utrumque ergo est de intrinseca ratione hujus Sacramenti, & utrumque simul, sive compositum ex utroque, est venerabile Eucharistiæ Sacramentum. Quod ratione dictarum specierum, est sensibile signum. Ratione verò corporis sanguinisque Christi, latriâ est adorandum. Ad quod necesse non est quòd totum, quo Sacramentum hoc constituitur intrinsecè, ex se dignum sit latriâ. Cùm non omne quo Christus intrinsecè constituitur tale sit (neque enim natura humana ex se talis est;) totum nihilominùs Christum latriâ veneramur. Eò quòd totum aliquod eo ipso latriâ venerabile sit, quo aliqua ejus pars cultum istum mereatur.

10 Dicuntur quidem species *Sacramentum tantùm*: sed non hoc sensu, quòd in eis solis adæquata hujus Sacramenti ratio consistat, sed quòd ratio signi sensibilis ab illis solis desumatur, & per illas corpori sanguinique Christi communicetur. Sic etiam corpus Christi esse dicitur in hoc Sacramento, sicut pars dicitur esse in toto, à quo adæquatè non distinguitur.

11 Hinc patet quo sensu Theologi in hoc Sacramento tria considerent, *id quod est Sacramentum tantùm, id quod dumtaxat res est Sacramenti, id quod simul est Sacramentum, & res Sacramenti.* Illud est *Sacramentum tantùm*, quod ibi significat rem quamdam occultam sacram, atque ab alia re ibi non significatur, ut dictæ species. *Illud dumtaxat res est Sacramenti*, quod ita est res significata per Sacramentum, ut aliam rem non significet, ut gratia, Christique corpus mysticum, quod est Ecclesia. Illud *simul est Sacramentum, & res Sacramenti*, quod per Sacramentum, dictas utique species significatur, remque aliam significat, ut corpus Christi verum, quod per speciem panis significatur, significatque gratiam, & dictum corpus mysticum.

12 Quandonam hoc Sacramentum (Sacramentorum omnium excellentissimum) à Christo Domino institutum sit? obscurum non est. In ultima namque cœna institutum esse constat ex Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Sed & Paulus 1. Cor. 11. contestatur: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur*, &c.

CAPUT II.

Eucharistia unicum est totale Sacramentum specie morali. Unicum etiam vel plura numero moraliter censeri potest, secundum aliam, & aliam considerationem.

13 TAmetsi physicè loquendo, varia specie distincta inveniantur in hoc Sacramento, imò & moraliter plura partialia, cibus videlicet & potus (quam ob causam Ecclesia in quadam postcommunione canit: *Purificent nos Sacramenta quæ sumpsimus;*) est tamen unicum totale Sacramentum specie morali. Quia unicum moraliter convivium, sive unica adæquata refectio spiritualis, quæ ex cibo & potu integratur, & per species panis & vini significatur. Et hîc (Paulo teste) fideles omnes unum sunt, unius hujusce Sacramenti participatione: *unus panis, & unum corpus sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Tametsi *enim ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrant* (ait S. Thomas q. 73. a. 2.) *scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundum illud Joan. 6. caro meâ verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: inde *hoc Sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter & perfectivè.*

14 Quoad numericam unitatem Card. de Lugo ait in omnibus altaribus unicum numero esse Sacramentum, moraliter loquendo in ratione convivii, pro omnibus fidelibus instituti. Quod eo modo est unicum numero moraliter, quo Assuerus numero singulari fecisse dicitur *grande convivium.... centum & octoginta diebus.*

15 Vasquez econtrà, cum aliis, censet tot esse numero Sacramenta, quot species. Quia Eucharistiæ Sacramentum est quoddam accidentale compositum, in quo species (inquit) importantur in recto, Christi corpus in obliquo. Composita verò accidentalia multiplicantur multiplicatione recti.

16 Verùm hæc ratio non est Theologicæ considerationis, sed Philosophicæ; nec de ea Doctores conveniunt. Cùm Waldensis noster de Sacram. Euchar. c. 21. econtrà sustineat, hoc Sacramentum esse *verum Christi Corpus in recto, sub forma panis quam connotat in obliquo.* Et concinunt quotquot (cum Sylvio) aiunt, hoc Sacramentum esse *verum Christi corpus, & sanguinem, quatenùs sub visibilibus panis & vini speciebus existunt.*

17 Quidquid sit de Philosophica ista consideratione (cujus hic modica habenda est ratio) S. Thomas in verbis n. 13. relatis, & cum eo veteres Theologi passim, unitatem & multiplicitatem hujusce Sacramenti unicè petere videntur ex ordine ad unicam vel plures refectiones spirituales, sive unicum vel plura convivia. Secundùm quam proinde considerationem, centum particulæ consecratæ simul ab uno eodemque homine sumptæ unicum sunt Sacramentum: quia sumptæ per modum unius ejusdemque refectionis. Centum verò particulæ consecratæ, centum personis distributæ, centum sunt numero Sacramenta: quia centum sunt numero refectiones spirituales.

18 Considerando tamen hoc Sacramentum, non in ratione particularis refectionis cujusque particularis hominis, sed in ratione convivii pro omnibus instituti; sicut censeri potest unum numero moraliter convivium, à tempore suæ institutionis usque ad finem mundi duraturum (eo ferè modo, quo supradictum Assueri convivium;) ita & unicum numero moraliter Sacramentum. Nec opus est hac de re (quæ magni non est momenti in consideratione morali) plura addere.

CAPUT

CAPUT III.

Sanctissima Eucharistia est verum novæ Legis Sacramentum.

19 HÆc veritas definita est à tribus Conciliis Lateranensi, Florentino, & Tridentino. Constat insuper ex eo quòd nihil ei desit ad rationem Sacramenti. Species namque panis & vini, per consecrationis verba determinatæ, sunt sensibile signum corporis & sanguinis Christi sub se contenti, tamquam spiritualis cibi & potûs animam reficientis, tuâque gratiâ replentis, juxta illud Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

20 Dixi, *per consecrationis verba determinatæ.* Non quòd verba consecrationis forma sint intrinsecè constitutiva hujus Sacramenti; sed quòd necessaria sint ad Sacramentum hoc conficiendum, speciesque illas determinandas, ad significandam sub se continentiam corporis & sanguinis Christi. Oportet enim Christi corpus fieri sensibile per species, per easque tamquam per signum sensibile significari. Non significatur autem per species secundùm se præcisè consideratas, cùm ad illud significandum ex se præcisè non sint determinatæ. Ad illud ergo significandum oportet eas determinari per verba consecrationis; quæ cùm practica sint, sive efficientia quod significant: dum Sacerdos in persona Christi dicit: *hoc est corpus meum*, sensus est: *hoc contentum sub his speciebus, est corpus meum.* Sicque species istæ, per consecrationis verba determinatæ, significant, & sub se continent Christi corpus, & sanguinem.

21 Si ita est (inquis) quare non dicis verba consecrationis esse formam intrinsecè constitutivam hujus Sacramenti: cùm Florentinum dicat, omnia Sacramenta rebus perfici, & verbis; rebus ut materiâ, verbis ut formâ? Respondeo rationem esse duplicem. Prima est, quia hoc Sacramentum id habet præ reliquis speciale, quòd habeat esse permanens, non transiens & successivum; ideòque id habet speciale præ reliquis, quòd non consistat in verbis, non habentibus nisi esse fluxum, & successivum. Aliàs foret simpliciter transiens, sicut Baptismus & Confirmatio. Quorum licèt materia remota sit permanens, aqua scilicet & chrysma: quia tamen forma intrinsecè illa constituens habet esse transiens, verba utique, sunt simpliciter Sacramenta transeuntia.

22 Secunda ratio est quia consecrationis verba sunt causa efficiens hoc Sacramentum, ut Florentinum dicit in instructione Armenorum. Causa verò efficiens Sacramentum esse nequit forma intrinsecè constitutiva illius. Cùm causa efficiens adæquatè distincta sit ab effectu suo. Et propterea Florentinum non dixit, omnia Sacramenta *constare*, sed *perfici* rebus, & verbis.

CAPUT IV.

Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum in re stabili & permanente consistit, ante sumptionem existente, non in ipsa sumptione & usu.

23 ISta etiam veritas est de fide, utpote contra Lutheranos & Calvinistas à Tridentino definita sess. 13. cap. 3. & can. 4.

Et probatur primò argumento, quo Tridentinum utitur, citato cap. 3. *Illud in ea* (Eucharistiâ) *excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur. At in Eucharistia ipse Sanctitatis Author ante usum est.* En Catholica veritas, quam asserimus. Sequitur probatio illius: *Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat.* Erat ergo Christi corpus antequam sumptio illius esset & usus.

Quin imò erat antequam singulis porrigeret. 24
Neque enim simul omnibus & singulis porrexit, sed successivè, primò v. g. Petro, deinde cæteris, uni post alium. Et quidquid de eo sit, porrectio non est ipsa sumptio, sed sumptione anterior.

Nec refert quòd porrectio ad usum dirigatur. 25
Quia ipsa quoque consecratio ad usum dirigitur. Nec semper sumit is cui porrigitur, sed porrectio plerùmque est absque usu, estque ordinariè anterior usu. Si ergo jam erat corpus Christi, dum Christus illud porrexit, erat ante usum, totiesque est absque usu, quoties is cui porrigitur, non utitur.

Secundò probatur, quia (ut Tridentinum pro- 26
sequitur) *semper hæc fides in Ecclesia fuit, statim post consecrationem* (quæ anterior est usu) *verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existere*, vi utique sacrorum Christi verborum, quæ cùm ne momento quidem falsa sint, ne momento quidem sunt absque veritate corporis sanguinisque Domini, adeòque statim atque eorum prolatio terminatur, Christi corpus & sanguis ibi ponitur, uti Patres omnes cap. 10. & seqq. proferendi testantur.

Nec dicas cum Illyrico, Christum ante sump- 27
tionem, consecratoria verba, *hoc est corpus meum*, non protulisse; sed panem priùs discipulis dedisse, quàm verba illa proferret, uti probare nititur ex Matth. 26. *Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.*

Cavillatur enim Illyricus. Quia non ordo, sed sensus verborum (quæ habentur apud Matthæum) spectandus est: cùm (Augustino teste, de consensu Evangelistarum l. 2. cap. 39. & 44.) Evangelistæ non semper res ipsas eo narrent ordine, quo gestæ sunt, ut videre licet apud Marcum, verba consecratoria calicis narrantem post calicis sumptionem: *Et accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: hic est sanguis meus novi Testamenti*, &c. Nec tamen dici potest, Apostolos porrectum sibi à Christo calicem bibisse, priusquam consecrasset, dicens: *hic est sanguis meus*, &c. Siquidem pronomen demonstrativum *hic* demonstrat aliquid præsens ad sensum, qualiter præsens non est, quod jam potatum est.

Sensus verò verborum Christi cogit ut dicamus, 28
verba consecrationis à Christo prolata fuisse, priusquam cibum illum & potum discipulis porrigeret. Verba namque illa continent rationem, cur debuerit comedi cibus ille, & bibi ille potus, ut patet ex Matth. 26. ubi additur particula causalis, cùm dicitur: *hic est enim sanguis meus.* Priùs autem debuit ratio illa à Domino explicari, & etiam percipi ab audientibus, quàm eis daretur cibus ille comedendus, & potus bibendus, nimirum ut scirent quid acciperent (inquit Bellarminus l. 4. de Sacram. Euchar. c. 2.) cibumque illum ac potum à vulgari cibo potuque discernerent.

Sicut ergo in narratione Marci, sic in narratio- 29
ne Matthæi est histeron proteron, uti ampliùs ostenditur ex 1. Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne participatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Hîc enim apertè Paulus indicat, panem priùs consecrari, mutarique in corpus Christi, quàm frangatur & distribuatur: dicit enim id quod frangitur, non futurum esse, sed jam ossse corpus Christi.

30 Et idipsum confirmatur ex eo quòd Christus non solùm jusserit accipere & manducare, sed etiam facere quod fecit, id est convertere & transubstantiare panem in corpus suum, & vinum in sanguinem sicut ipse fecit (prout infrà demonstrabitur;) hoc (inquam) jussit, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui conversio & transubstantiatio panis in corpus Christi non est sumptio, nec usus corporis Christi, nec certè verba, quibus fit illa conversio, significant usum, sed aliquid permanens.

31 Quid plura? dato, non concesso quòd verba objecta ex Matthæo probent Christum dixisse, *hoc est corpus meum* postquam accepit panem, dedisque discipulis suis: saltem non probant Christum verba illa non dixisse, priusquam illum discipuli manducarent. Nihil ergo faciunt ad intentum Adversariorum. Si enim Christus illa dixerit ante manducationem, sive ante usum & sumptionem, verè dixit. Verè ergo Christi corpus ibi fuit ante manducationem, &c. Et nonne prius est liquorem in calice esse, quàm ex calice bibi. Jam petat Pylycus à Chrysostomo (ad citatum Apostoli locum) *quid est in calice? quod* (inquit) *ex latere Christi fluxit*, sanguis utique Christi. Ergo Christi sanguis in calice est, priusquam ex calice bibatur.

32 Tertiò idipsum probatur ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ à temporibus Apostolorum, Eucharistiam sive in privatis domibus, sive in sacris ædibus, semper asservavit, servatam adoravit, atque ad infirmos detulit, ut testes sunt vel ipsi antiquissimi Patres, Justinus Martyr Apolog 2 dicens: *Post Sacramenta peracta, Eucharistia consuevit deferri ad absentes.* Irenæus epist. ad Victorem (apud Eusebium l. 5. histor. c. 24.) *Eucharistiam ad alios mitti.* Tertullianus l. 2 ad uxorem, *domum deportari.* Cyprianus serm. de lapsis narrat, mulierem *cùm arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente fuisse deterritam, ne auderet attingere.* Aliud miraculum narrat ibidem Cyprianus: cùm in os puellulæ infantis, abstentibus parentibus, Gentilis Magistratus, de vino sacrificii idolorum aliquid intrudisset, reverisque parentibus, Diaconus vinum consecratum de more, infundere vellet, restitit ipsa, calicemque rejecit; *perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus: in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit, sanctificatus in Domini sanguine potus de polluti visceribus erupit; tanta est potestas Domini, tanta majestas.* Dionysius Alexandrinus epist. ad Fabium Antioch. (apud Eusebium lib. 6. c. 36) narrat Sacerdotem, præ ægritudine incedere non valentem, *puero Eucharistiæ exiguam partem dedisse, præcipiendo, ut eam madefactam in os senis Serapionis infunderet.* Basilius epist. 289. ad Cæsarium Patricium, *quoniam per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessariò, Sacerdote, vel Ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem; non est nisi supervacaneum, ut demonstrem, illam rem non esse graviter & iniquè ferendam. Eò quòd inveterata consuetudo hoc ipsum re ipsâ confirmatum dederat. Nam & illi omnes, qui per eremos vitam Monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cùm habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum unusquisque, etiam de plebe, utplurimùm habet domi suæ communionem. Nam cùm semel Sacerdos sacrificium peragat, & distribuat, qui susceperit illud integrum, & quotidie de illa sumpserit, quam à dante acceperat Sacerdote, credere debet... se eandem suscipere, & percipere.* Nazianzenus in laudem Gorgoniæ, sororis suæ, testatur, *eam intempestâ nocte ad altare procumbentem, ibi Christum in Eucharistia præsentem adorasse, statimque liberatam se à morbo sensisse.* Cyrillus Alexandrinus epist. ad Calosyrium: *Aliquos esse audio, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicunt, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt verò, qui hæc asserunt* (audiant hæretici) *neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus immutatur; sed benedictionis vis & facultas, & vivificans gratia perpetua in illo existit.*

At (inquit Calvinus) in eo Patres audiendi non sunt. Quia errant. At (judicio Patrum) insanit Calvinus. Et reverà insanit, cùm ipsos erroris arguit, in eo in quo testantur Ecclesiæ fidem & praxim sui temporis. Non aliud ipsi tenuerunt & credierunt, nisi quod Ecclesia tenuit & credidit, de cujus inerrabilitate Christus nos certos fecit, dicens, quòd *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* 33

Et quo (quæso) argumento Lutherani & Calvinistæ probant in eo errasse Patres, errasse Ecclesiam? Non Scripturam afferunt in probationem, sed frigidum istud argumentum: reliqua Sacramenta in usu constiterunt. Igitur & Eucharistia. 34

At quàm frivolum sit, constat ex dictis n. 21. & 22. Itaque manifesta disparitatis ratio ex ipsis Sacramentorum formis colligitur. Aliorum quippe Sacramentorum forma, *baptizo, confirmo, absolvo*, &c significant actionem. Eucharistiæ verò forma, *hoc est corpus meum*, &c. rem significat fixam & permanentem. Aliorum forma, ea non efficit, sed constituit. Verba verò consecrationis efficiunt hoc Sacramentum, ab eoque proinde adæquatè distinguuntur. 35

CAPUT V.

Eucharistiæ materia est panis triticeus, & vinum de vite.

SIc tradit Florentinum in instruct. Armen. Et ratio à priori est voluntas Christi, quem sic instituisse constat ex Matth. 26. Marci 14. & Luc. 22 ubi Christus legitur ad hoc Sacramentum conficiendum adhibuisse panem simpliciter dictum (id est triticeum, uti Traditio semper intellexit) & vinum etiam simpliciter dictum. Quod fuisse vinum de vite Matthei contextus manifestum facit: sequitur enim: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis*, &c. Atqui Christus discipulis suis jussit ut facerent, quod ipse fecit: jussit ergo instituitque, ut hoc Sacramentum pariter conficerent ex pane triticeo, vinoque de vite. 36

Quòdque Christus hoc Sacramentum confecerit ex pane triticeo, amplius ostenditur ex eo quòd ad illud conficiendum, usus fuerit pane azymo, quo solo Judæi utebantur ad esum Agni Paschalis. Non est autem verisimile quòd panis azymus, qui ad solemnissimum Paschale Festum, & ad esum Agni Paschalis conficiebatur, ex alia farina fuerit, quàm triticea: cùm vel ipsi panes propositionis (quibus præfiguratum fuit hoc Sacramentum) confici debuerint ex similà (id est flore albissimæ farinæ tritici) Levit 24. fuitque omninò conveniens, ut ad conficiendum nobilissimum Sacramentum, panis nobilior, puriorque, & inter alios panes magis usualis adhiberetur. Qualis est triticeus: cùm alii panes in hujus defectum introducti videantur. 37

Præterea *iste panis magis confortat hominem; & ita convenientius significat effectum hujus Sacramenti*, ait S. Thomas q. 74. a. 3. 38

Igitur *nullus panis, nisi triticeus, apta ad con-* 39

secrandum materia putandus est (ait Catechismus Romanus p. 2. §. 12.) *hoc enim Apostolica Traditio nos docuit, & Ecclesiæ Catholicæ authoritas firmavit.*

40 Cujus quidem Traditionis argumentum est, quòd in Ecclesiis Lybiæ (ubi triticum non crescit) cùm ex malitia Dioscori subtractum fuisset triticum, Ecclesiis illis à *piissimis Imperatoribus præstitutum* (*imprimis quidem, ut incruenta ex ipso hostia offeratur : deinde ut.... pauperes aliquod mererentur solatium*) *neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est ; neque peregrini* pauperes *hoc solatio fruiti sunt*, ut in Concilio Calcedonensi Ischyridion Diaconus conquestus est act. 30.

41 De pane proinde triticeo sermo est in canone *in Sacramento* de Consecr. dist. 2. cùm dicitur: *In Sacramento corporis & sanguinis Domini, nil amplius offeratur quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquæ mixtum.* Sicut & can. *cum omne crimen* ibidem: *evidens Evangelicæ veritatis lumen illuxit, quòd, præter panem, & vinum, aliud offerri non licet.*

42 Excluditur proinde panis hordeaceus, quem nec simpliciter, sed cum addito panem dici, apparet ex Joan. 6. *est puer unus hic habens quinque panes* non simpliciter dictos, sed cum addito, *hordeaceos.*

43 Sed quid de pane ex siligine, seu secali? Vasquez, Pesantius & Palao, censent non esse triticum. Sed contra sentiunt S. Thomas q. 72. a. 3. ad 2. Victoria q. 55. de Euchar. Sotus in 4. dist. 9. q. un. a. 3. Bonacina disp. 4. q. 2. p. 1. Tannerus de Euchar. disp. 5. n. 88. & seqq. Layman l. 5. tr. 4. c. 2. n. 2. Cùm siligineus panis simpliciter & absolutè panis appelletur, & ex semine tritici siligo generetur. Siligo ergo verè triticum est, tametsi minùs perfectum. Unde S. Thomas loco citato : *Si quæ frumenta sunt* (nota ly *frumenta*, frumentum enim idem est quod triticum) *quæ ex semine tritici generari possunt* (*sicut ex grano tritici seminato in malis terris generatur siligo*) *ex tali frumento panis confectus, potest esse materia hujus Sacramenti.*

44 Speltam tamen à tritico specie differre, S. Doctor inde probat, quòd granum tritici, ubicumque, & quomodocumque seminatum, nunquam proferat speltam, nec econtrà. Sed aliter Angelicus Doctor fortasse censuisset, si vidisset, quod resolutus Doctor noster, Joannes de Bacone in 1. dist. 8. in Anglia se vidisse testatur, speltam utique, quasi nihil à tritico differentem in spicarum formatione, in forma granorum, colore saporeque panis. Unde Alanus (apud ipsum) censet speltam esse tritici speciem. Speltam etiam Tannerus & Layman aiunt esse triticum, seu frumentum, si non strictè, saltem latè dictum ; atque hac ratione Tannerus n. 101. Suevorum Constantiensiumque approbat morem, consecrandi in pane ex spelta. Sed ego approbare non ausim, eò quòd sit materia dubia. Quod & de siligine sentio, eò quòd non omninò convincens sit D. Thomæ argumentum : cùm (Plinio teste l. 18. c. 8.) possit triticum tandem etiam degenerare in avenam, & non solùm in siliginem.

45 Quia verò admixtio aquæ ad farinam est de substantia panis, atque adeò de necessitate hujus Sacramenti, S. Thom. q. 74. a. 7. ad 3. & Doctores communiter aiunt, quòd si farinæ non admisceretur aqua naturalis, sed rosacea, vel alius liquor, ex tali pane non conficeretur Sacramentum. Contraria tamen opinio Alberti, Durandi, Pesantii, &c. quoad panem aquâ rosaceâ subactum, non caret probabilitate. Quia ex dictis l. 2. de materia Baptismi probabile est aquam rosaceam specie non differre ab aqua naturali. Dicendum proinde cum rubrica Missalis Romani, ejusmodi panem esse materiam dubiam.

Et quia *modica permixtio* (ut S. Thomas ait q. 74. a. 3. ad 3.) *non solvit speciem : quia id quod est modicum, absumitur à plurimo. Ideò si sit modica admixtio alterius frumenti ad multò majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti. Si verò sit magna permixtio* (*puta ex æquo, vel quasi*) *talis permixtio speciem mutat*, si non physicam, saltem moralem. *Unde panis, exinde confectus, non erit debita materia hujus Sacramenti.* 46

Ex hoc Angelico principio consequens est, hostiam rubram ex farina triticea, cinnabaro permixta (quâ litteras obsignare solemus) esse materiam validè consecrabilem, si mixtio cinnabari adeò modica sit (ut esse solet) ut tritici quantitas notabiliter excedat. Cùm de ejusmodi pane eo modo philosophandum sit, uti de vino albo, cui tinctura rubra, in modica quantitate, admixta est. Neque verò dictus panis inde magis desinit esse usualis, quàm vinum taliter derubratum: tametsi Lugo disp. 4. sect. 1. contra sentiat. 47

Hæc de pane dicta sufficiant, nisi quòd addenda sit declaratio Concilii Florentini sess. 25. in quolibet pane triticeo, sive azymo, sive *in fermentato, corpus Christi veraciter confici ; Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta Ecclesiæ suæ, sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem* ; ita scilicet, ut *in Monasteriis, vel Ecclesiis quæ sunt Græcis in Ecclesia Latina destinatæ, ubi servatur ritus Græcorum, servare debent Græci usum fermentati* (ait Sylvius q. 74 a. 4.) *ut indicat Leo IX. epist. 1. c. 29. Et similiter Latini usum azymi, in Ecclesiis, quas sibi suisque ritibus proprias habent in Græcia. Quia perinde est ac si singuli versarentur in sua Ecclesia.* Videri potest Constitutio Pii V. quæ incipit *providentia Romani Pontificis*, in qua revocat licentiam Græcorum, celebrandi in dictis Ecclesiis more Latino, & Latinorum celebrandi more Græco. 48

Latinus quoque *iter agens per Græciam, aut Græcus per Occidentem, potest, ubi nullum est scandali periculum, retinere suum ritum* (inquit Sylvius loco citato) *quamvis si conformaret se Ecclesiæ in qua versatur, non esset accusandus, juxta regulam Ambrosii, apud Augustinum epist. 118. Ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* 49

De vino, seu materia, ex qua conficitur sanguis Domini, num. 36. dixi ex Florentino, Christique institutione & exemplo, de necessitate Sacramenti esse debere vinum de vite. Cujus hanc rationem S. Thomas a. 5. affert, quia *ad materiam Sacramentorum assumitur id quod propriè & communiter habet talem speciem. Propriè autem vinum dicitur, quod de vite sumitur. Alii verò liquores vinum dicuntur secundùm quamdam similitudinem ad vinum vitis.* Deinde vinum vitis magis competit ad effectum hujus Sacramenti, qui est spiritualis lætitia : quia scriptum est, *vinum lætificat cor hominis.* 50

Proinde excluditur agresta, sive omphacium, & acetum. Agresta quidem, quia (ut S. Doctor ibidem ad 3. observat) *est in via generationis, & ideò nondum habet speciem vini* : acetum verò, quia *vinum fit acetum per corruptionem. Unde non fit reditus ab aceto ad vinum.... Et ideò sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum ; ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescente, sicut & de pane qui est in via ad corruptionem, licèt peccet conficiens.* Hactenùs S. Thomas. 51

De musto non est dubium validè confici Sa- 52

cramentum. Quia *mustum jam habet speciem vini* (prosequitur sanctus Doctor ibidem) *nam ejus dulcedo attestatur digestioni, quæ est completio à naturali calore, ut dicitur in 4. Meteor. Et ideò de musto potest confici hoc Sacramentum.... Prohibetur tamen, ne mustum statim expressum de uva, in calice offeratur: quia hoc est indecens, propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri. Dicitur enim à Julio Papa: si necesse fuerit, botrus in calicem comprimatur.*

53 Id quod sanctus Doctor haud dubiè intelligit de musto expresso ex uvis maturis, vel ferè maturis, cap. *cùm omne* de Consecr. dist. 2. Quia si expressum sit ex uvis immaturis, agresta est, non vinum. Si in uvis, licèt maturis, adhuc contentum, non habet rationem potûs, sed cibi. *Nam uva non est vinum, neque potus* (inquit Estius in 4. dist. 8. §. 9.) *neque potabile quiddam.* Unde non dicitur bibi, sed manducari.

54 Et quia *liquores maiorum granatorum, vel mororum, aut hujusmodi, non dicuntur propriè vinum, sed secundùm similitudinem* (ait S. Thomas ad 1.) *ideò ex illis non potest confici Eucharistia.*

55 Nec confici potest ex vino adusto, quamlibet ex vino de vite confecto. Quia in aliam substantiam transiisse cenietur, nec cenietur amplius vinum. Bonacina disp. 4. q. 2. puncto 2. Censeo tamen cum Estio loco citato, Cornejo nostro, pluribusque aliis Doctoribus apud Leandrum disp. 7. de Euchar. q. 36. & Dianam p. 11. tr. 1. resol. 17. contra Alanum, Armillam, Henriquez, Anglez, Fernandez, Nugnum, Martinum Ledesmam, Lessium, &c. confici posse ex vino congelato, saltem si recens sit congelatio, utpote in calice paulò ante consecrationem facta. Manet enim tunc salva tam virtus, quàm species vini: cùm per congelationem tam recentem non corrumpatur (ut constat ex eo quòd Christi sanguis in calice consecrato esse non desinat, eo ipso quo post consecrationem congelatur) sitque per se potabile, tametsi hîc & nunc non proximè. Quod minimè requiritur in hoc Sacramento, utpote in usu non consistente.

56 Quia tamen vinum congelatum est materia alliquo modo controversa, peccaret qui in eo consecraret, glacie non solutâ. Solvenda proinde glacies est ante consecrationem, linteo utique, vel panno calido calicem involvendo, vel calicem (dum illud non sufficeret) in aqua fervente usque ad glaciei solutionem immergendo, tam providè tamen, ut aqua calicem non subintret. Quod etiam fieri debet, si calix post consecrationem congeletur. Sic enim rubrica Missalis habet tit. de defect. circa Missi. occur. *Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis. Si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua (dummodo calicem non intret) donec liquefiat.*

CAPUT VI.

Vinum, quod est materia calicis, aquâ modicâ permixtum esse debet de necessitate præcepti Ecclesiastici, non de necessitate Sacramenti, nec de necessitate præcepti divini.

57 VIno (ait S. Thomas a. 6.) *quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua admisceri. Primò quidem propter institutionem. Probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aquâ permixto, secundùm morem illius terræ. Unde & Prov. 9. dicitur: Bibite vinum, quod miscui vobis. Secundò, quia hoc convenit repræsentationi Dominicæ Passionis. Unde dicit Alexander Papa:* NON DEBET IN CALICE DOMINI, AUT VINUM SOLUM, AUT AQUA SOLUM OFFERRI, SED UTRUMQUE PERMIXTUM; QUIA UTRUMQUE EX LATERE EJUS IN PASSIONE SUA PROFLUXISSE LEGITUR. *Tertiò, quia hoc convenit ad significandum effectum hujus Sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum. Quia, ut Julius Papa can. cùm omne crimen de Consecrat. dist. 2. dicit, calix Dominicus, juxta Canonum præcepta, vino & aquâ permixtus offerri debet, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò effundi sanguinem Christi. Ergo cùm in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Quartò, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam. Unde Ambrosius dicit in lib. de Sacram. Redundat aqua in calicem, & salit in vitam æternam.*

Prima ratio S. Doctoris: *probabiliter creditur,* 58
quòd Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino aquâ permixto, recipitur & approbatur à Concilio Tridentino sess. 22. c. 7. ubi absolutè, & sine addito *probabiliter* ita credi pronuntiat, dicens, *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant; eò quòd Christum Dominum ita fecisse credatur.*

Neque tamen illicò consequitur, id esse de ne- 59
cessitate Sacramenti, vel præcepti divini: quia etiam nos Latini credimus, Christum in azymo confecisse. Non ideò tamen credimus id esse de necessitate Sacramenti, nec de necessitate præcepti divini. Nec est in Ecclesia Catholica qui id asserat. Quòdque aquæ mixtio non sit de necessitate Sacramenti, rubrica Missalis tit. *de defectu vini* expressè declarat, & Florentinum insinuat, dum calicis materiam designando *vinum de vite*, non addit *aquâ permixtum* (ne crederetur id esse de necessitate Sacramenti;) sed mutatâ expressionis formulâ, addit: *cui ante consecrationem aquæ modicissima admisceri debet*, ut inde concluderetur sola necessitas præcepti.

Quod præceptum tametsi Valentia putet esse 60
divinum: communior & vera sententia est non esse nisi Ecclesiasticum. Id enim significat Julius Papa suprà, cùm ait: *Calix Dominicus*, JUXTA CANONUM PRÆCEPTA, *vino & aquâ permixtus offerri debet.* Significat & Tridentinum proximè relatum, aiens, præceptum esse AB ECCLESIA *Sacerdotibus* &c. Cur enim alioqui Julius Papa solius canonici meminisset, non divini? Cur Tridentinum solùm dixisset id AB ECCLESIA esse præceptum: cùm potiùs dicere debuisset id præceptum esse A CHRISTO, si à Christo præceptum esse censuisset? Nec Tridentinum sic loqui solet, ubi præceptum est divinum, atque à Christo ipso conditum.

Accedit quòd si aquæ mixtio foret de jure di- 61
vino, nulli omninò Sacerdoti liceret unquam sine vino & aqua consecrare; nec Ecclesia posset id permittere. Atqui *certum est Armenos sine aquæ consecrare à multis annis.... nec tamen eos videmus in Concilio Florentino ab Ecclesia peccati admonitos, aut reprehensos.. quasi mortaliter peccarent, aut agerent contra jus divinum*, inquit Gamachæus hîc q. 74. a. 3.

Accedit item quòd *si præceptum hoc esset divi-* 62
num, vix ostendi posset aquæ mixtionem *non esse de necessitate Sacramenti*, ait Sylvius ibidem a. 7.

At (inquis) Christus, postquam consecravit 63
in vino & aqua, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

At (inquam ego) hoc etiam dixit, postquam 64
consecravit in azymo. Nec tamen inde concluditur divinum præceptum consecrandi in azymo.

Ex verbis proinde Christi: *Hoc facite*, &c. so- 65
lùm concluditur divinum præceptum conficiendi corpus & sanguinem Christi, sive illud in sacrificium offerendi, in commemorationem cruenti sacrificii crucis.

Potest tamen Ecclesiasticum illud præceptum 66

divina institutio appellari, prout à nonnullis Patribus appellatur. Tum quia præceptum illud ex speciali Dei inspiratione conditum est ab Apostolis. Quomodò jejunium quadragesimale, Leo Papa *institutionis divinæ salubritate* provisum esse dicit. Tum quia eatenùs est divina institutio, quatenùs à Christo tradita, non lege, nec præcepto, sed exemplo. Quo sensu institutionem illam nonnulli Patres aiunt esse *ordinem divinitùs traditum.*

67 Sed quid ad Cyprianum relatum cap. *in sanctificando* de Consecr. dist. 2. Videtur enim primâ facie aquæ mixtionem asserere necessariam necessitate Sacramenti. Ait enim: *Sic in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodò nec vinum solum potest. Si verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur. Quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum.*

Respondeo certam esse Cypriani mentem in contrarium: cùm ibidem dicat, *quòd si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo, id est sine repræsentata unitate corporis Christi, quod est Ecclesia*, ut Glossa explicat ibidem.

68 Dicendum proinde cum S. Thoma in 4. dist. 11. q. 2. a. 4. ad 2. quòd *exponendum est verbum Cypriani*, non potest, *id est non debet. Quia illud possumus quod jure possumus.* Et ideò *quantùm ad id quod debet fieri, est simile ex parte corporis & sanguinis: non autem quantùm ad id quod fieri potest. Quia aqua est de substantia panis; non autem de substantia vini.* Vel dic in exemplis non esse quærendam similitudinem omnimodam, ibique Cyprianum (disputantem contra Aquarios, in sola aqua consecrantes) solùm velle probare, quòd aqua sola validè consecrari nequeat; sicut vinum solum licitè consecrari nequit.

69 Sed quamobrem (inquies) vino *modicam aquam* miscendam esse dicimus? Respondeo quia certum est, quòd aqua esse debet in minori quantitate quàm vinum, cap. *pernicioſus* de celebrat. Miss. Et quia in Florentino habetur, quòd *aqua modicissima admiscere debet.* Denique Ferdinandus de Castro-Palao testatur, esse consuetudinem & praxim Romanæ Ecclesiæ, octies vel decies plus vini apponere, quàm aquæ. Tametsi hîc scrupulosè non sit procedendum, ne sensu deluso, nihil aquæ in calice fundatur.

70 Si curiosiùs inquiras, quantum aquæ sine scrupulo apponi queat? Cardinalis de Lugo disp. 4. n. 38. respondet non videri scrupulum habendum, si quinta vel sexta pars aquæ apponeretur. Tum quia credibile non est vinum adeò esse debile, ut tam modicâ aquâ corrumpatur. Tum quia Concilium Triburiense anno 895. celebratum can. 19. permittit apponi tertiam aquæ partem. Dicit enim: *Duæ partes sunt vini (quia major est majestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi) tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas naturæ humanæ.*

71 Sed tutiùs sequimur Florentinum, ajens, *aquam modicissimam admiscendam*, præsertim hisce in partibus, ubi nec vina adeò generosa sunt, & sæpè in cavea, vel in via baptizantur, priusquàm in altari ministrentur. Quo tamen haud obstante, vinum in altari per Sacerdotem adhuc misceri debet. Tum quia aqua dolio apposita non sufficit ad significationem hujus Sacramenti, ait S. Thomas a. 8. ad 3. Tum quia mixtio præcepta est, tamquam cæremonia sacra, pertinens ad sacrificium, ideòque in altari fieri debet ab ipso sacrificante. Idque sub mortali, non obstante materiæ parvitate. Quia tametsi parva sit entitativè, magna est significativè, prout demonstrant quatuor rationes S. Thomæ n. 5. productæ.

Quòd si Sacerdos aquæ mixtionem ante Offertorium oblitus, id ante calicis consecrationem advertat, aquam calici ante consecrationem infundere debet, eam Deo mentaliter offerendo. Sed si advertat celebrans, post consecrationem calicis, non fuisse appositam aquam, nullo modo apponat (inquit rubrica Missalis) quia non est de necessitate Sacramenti. 72

CAPUT VII.

Aqua vino permixta in Christi sanguinem unà cum vino immediatè convertitur.

Circa aquam adjunctam vino, dicendum (inquit S. Thomas a. 8.) *quòd sicut Innocentius III. dicit in quadam Decretali* cap. cùm Marthæ de celebr. Missar. *triplex est opinio. Quidam enim dicunt, quòd aqua, adjuncta vino, per se manet, vino converso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest. Quia in Sacramento altaris, post consecrationem*, nihil est nisi corpus & sanguis Christi. Sicut enim Ambrosius dicit in lib. de officiis: ante benedictionem, illa species nominatur: post benedictionem corpus significatur. Alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ. 73

Et ideò alii dixerunt, quòd sicut vinum convertitur in sanguinem; ita aqua convertatur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest. Quia secundùm hoc, aqua seorsim consecraretur à vino, sicut vinum à pane. 74

Et ideò, sicut ipse (Innocentius III.) *dicit: aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem.* 75

Eliminatâ igitur è scholis opinione dicentium, aquam vino in calice mixtam, converti in aquam quæ de latere Christi fluxit: eò quòd verba consecrationis calicis nullo modo significent istam conversionem; & in illud solum conversio fiat, quod consecrationis verba significant. Eliminatâ etiam opinione dicentium, aquam vino mixtam, per se post consecrationem manere (quia in Sacramento altaris Ecclesia post consecrationem, nihil agnoscit nisi corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & vini) certa est sententia, quæ ponit aquam vino mixtam in Christi sanguinem per consecrationis verba converti. Sed controversia est an mediatè? an immediatè? 76

Opinio quæ ponit aquam solùm mediatè converti in sanguinem, ita ut priùs converti debeat in vinum, est S. Thomæ, Alensis, Bonaventuræ, Scoti, Abulensis, Sylvii, ipsiusque Carechismi Romani. Estque illa quam Innocentius III. suprà probabiliorem dicit. Sed certa non est. Contraria quippe opinio (quæ ponit aquam immediatè converti in sanguinem, tametsi priùs in vinum mutata non fuerit) graves etiam habet defensores, Cardinalem Alanum, Baronium, Toletum, Salmeronem, Jansenium Gandensem, Sotum, Card. de Lugo, aliosque multos; & quamvis tempore Innocentii III. prior opinio ipsi visa sit probabilior, attentâ authoritate Scholasticorum (quorum major & potior pars ei patrocinabatur) attentâ etiam Philosophiâ illius temporis: Posterior nihilominùs hodie videri potest probabilior, attentâ doctrinâ SS. Patrum, Philosophiâque modernâ. Cùm ex una parte, ob rationem n. 73. ex S. Thoma allatam, certa sit communis doctrina Patrum Justini Martyris sub finem Apol. 2. Cypriani epist. 63. Ambrosii lib. 4. de Sacram. c. 4. & 5. Damasceni lib. 4. fid. orthod. c. 14. Paschasii l. de corp. & sang. Dom. c. 11. Rabani lib. eodem c. 30. Algeri lib. 1. de Sacram. c. 19. dicentium aquam vino in calice mixtam, in Christi sanguinem transmutari, nihilque in calice post consecrationem esse 77

nisi Christi sanguinem. Ex alia verò parte istius doctrinæ certitudo non pendeat à Peripatetica illa Philosophia, docente quòd aqua vino permixta, in vinum transmutetur. Cùm isti Philosophiæ accuratior Philosophia adversetur, & aqua sine ista transmutatione, incorporari queat vino, fierique pars ejus, sicque in Christi sanguinem transmutari.

78 Quòd autem Peripateticæ Philosophiæ, docenti transmutationem aquæ in vinum, accuratior Philosophia adversetur, doctissimus amicissimusque Boudartius tr. 3. de Sacram. Euchar. §. 1. q. 6. bene ostendit: *Antiquorum enim* (inquit) *& recentiorum accuratior Philosophia comprobat, elementa adeò esse fixa naturæ, ut nequaquam in seipsa substantialiter permutentur. Nunquam enim v. g. aqua, quantumvis luto immixta, terram vertit in suam substantiam, nec vice versâ: quia possunt semper particulæ terrestres ab aqueis secerni. Sicut etiam in vapore, qui ex particulis aëris & aquæ constat, quando particulæ aëris condensantur, particulæ aquæ, anteà dispersæ, in aquam sensibilem confluunt. Kircherus phialam semiplenam aquâ limpidâ, multis annis bene obturatam conservavit; in qua semper aqua mansit ejusdem altitudinis, adeoque nec aër simul inclusus, in ipsam, nec hæc in illum substantialiter mutata fuit. Atque eadem est ratio de aliis. Elementa quoque non transeunt in mixtum, sed in hoc manent particulæ cujusque elementi permixtæ: unumquodque enim ex iis componitur, in quæ resolvitur. Jam verò experientiâ Chymicorum constat, unumquodque mixtum in elementa resolvi. Sic, ut verbo id dicamus, lapidi perfrigido non solùm partes terrestres insunt, sed ex illo vi caloris educitur vapor, qui* (*ut antè dictum est*) *ex particulis aëris & aquæ constat. Latent etiam in eo igneæ particulæ: Quomodo enim aliàs per affrictum ferri ex eo prosilirent, nisi in illo latarent? .... Prædictis autem suppositis, facilè intelligitur, quomodo modica aqua, vel etiam tertia pars, respectu vini* (*prout posse adhiberi præscripsit Triburiense Concilium*) *mutetur in sanguinem Christi: quia nempe incorporatur vino, & fit pars ejus* (tametsi in vinum substantialiter non transmutetur) *tametsi enim debilius evadat, non desinit esse vinum: nec est ulla ratio, quare istæ particulæ aquæ non transeant in sanguinem Christi, sicut partes terreæ, vel igneæ, quæ in eodem latitant.*

79 Et hinc fit quòd Patres tam absolutè dicant, aquam vino mixtam transire in sanguinem Christi; quòdque Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. dicat: *Vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.* Et Damascenus l. 4. c. 14. *fitque vinum & aqua sanguis Christi.* Et Paschasius ubi suprà: *aqua consecratur, non quòd aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem.*

80 Neque loquuntur sub dubio, vel suppositò, vel conditione, si nempe priùs aqua in vinum convertatur. Quia conversio ista nimis incerta est, ut in ea fundent tam firmam resolutamque assertionem suam; jamque tempore ipsorum, vel antè Plinius scripserat (in confirmationem accuratioris Philosophiæ supradictæ) vinum purum à limphato secerni posse, si vas ex hedera fiat, per quod transeunte vino, aqua vino mixta, vasi adhærebit, vinumque diffluet. Sed & in variis Lyturgiis Jacobi, Basilii, &c. aqua vino ilatim ante consecrationem miscebatur. Quod & Christus fecit. Credibile verò non est, aquam (maximè pro tertia parte mixtam) tam modico tempore in vinum converti. Confer quæ dixi lib. 2. c. 3.

CAPUT VIII.

Materia consecranda sic physicè & moraliter præsens esse debet consecranti, ut ad sensum pronomine hoc *& hic valeat demonstrari.*

COnstat, tum quia formæ veritas id postulat. 81
Tum quia Christus sic facto docuit, dum panem & vinum sibi ad sensum præsentia, imò *accepta in sanctas ac venerabiles manus suas consecravit.* Tum denique quia idipsum confirmat Ecclesiæ praxis, quæ nullam unquam materiam, nisi modo dicto præsentem consecrat.

Desinant proinde hæretici Catholicis calumnio- 82
sè imponere, quòd doceant Sacerdotem simul consecrare posse omnes panes, qui sunt in foro venales. Neque enim omnes sat propinqui sunt & præsentes, ut ad sensum pronomine *hoc* valeant demonstrari; uti nec omnia vina in magna cella vinaria recluſa; sed oportet emptorem de loco ire ad locum, ut quod cupit, determinet, dicens: *hoc volo, non istud.*

Ad dictam quoque præsentiam minimè suffi- 83
cit, quòd materia consecranda sit parum distans, si non sit coram Sacerdote, sed à tergo, vel post parietem. Quia res sic collocatæ, moraliter hominum sensu & usu (cujus in Sacramentis humano modo conficiendis habetur ratio) non censentur taliter præsentes, ut ad sensum pronomine *hoc* & *hic* demonstrabiles sint.

Non sufficit etiam quòd materia visu percipia- 84
tur, si sit valdè distans. Nec enim tunc ad sensum demonstrabilis est pronomine *hoc*, sed pronomine *illud.*

Denique si materia sit valdè magna, non suffi- 85
cit quòd secundùm aliquam sui partem ad sensum sit præsens, ut consecrabilis sit secundùm se totam, etiam secundùm partes valdè distantes. Aliàs Oceanus, in vinum conversus, totus consecrari posset à Sacerdote, cui ad sensum præsens esset secundùm partem littori Dunkerkano adjacentem. Quod dici nequit, ob nimiam distantiam partium Oceani, Indis adjacentium.

Non est tamen necesse, quòd materia consecran- 86
da in se actu videatur, vel tangatur à Sacerdote, dummodò coram ipso propinquè posita; sed satis est, quòd sensibiliter percipiatur in se, vel in aliquo, cum quo vel faciat moraliter unum, ut pars cum toto, vel ad quod se habeat, ut contentum in continente. Unde validè consecratur hostia latitans in acervo, panis in calice cooperto, vinum in dolio. Sic enim pecuniam in bursa clausa demonstrantes dicimus: *hæc est mea pecunia.* Et diversa vina in diversis doliis demonstramus his pronominibus: *hoc est album, istud rubrum.*

Juxta rubricas tamen Missalis ante Offertorium 87
aperienda est pixis, in qua hostiæ continentur, non necessitate Sacramenti, sed præcepti. De hostia corporali involuta, idem est quod de hostia in pixide clausa, vel de vino in calice cooperto. Quæ ad sensum sufficienter præsentia censentur, ut dictis pronominibus demonstrentur.

Addo pro scrupulosis, materiam consecrandam 88
non debere esse tam parum distantem, ut halitus vel sonus verborum formæ ad ipsam perveniat, vel pervenire queat. Cùm id necessarium non sit, ut modo dicto demonstrabilis sit. Indecorè proinde & absque ratione Sacerdotes quidam, dùm Consecrationis verba proferunt, os & labia ita materiæ admovent, ut eam halitu suo perfundant, cum tam inconcinna subinde oris compositione, tamque indecenti formæ prolatione, ut adstantes ad risum excitent, quos modestâ capitis inclinatione, sacrorum verborum secretâ, distinctâ & devotâ pronuntiatione (prout rubrica præscribit) ad devotionem deberent provocare.

CAPUT

CAPUT IX.

Materia consecranda per consecrantis intentionem determinari debet.

89 QUemadmodùm enim in aliis Sacramentis necessaria est determinatio subjecti per intentionem Ministri, quâ velit v. g hoc determinatè subjectum baptizare, confirmare, absolvere, &c. sic in hoc Sacramento necessaria est materiæ determinatio, quâ velit v. g. has determinatè particulas consecrare. Cùm demonstratio *hoc* & *hic*, quæ fit per formam, in materiam à Sacerdote designatam cadere debeat: sensus quippe formæ seu verborum consecrationis panis v. g est hic, *hoc contenutum sub his speciebus est corpus meum*. Qui sensus supponit designationem materiæ quæ consecratur.

90 Et hinc sequitur 1°. quòd si Sacerdos, coram se habens sex panes, ex illis consecrare velit quinque, non determinando quos, nullum consecrabit. Nec enim consecrabit lex: cùm non velit consecrare sex. Nec quinque: quia defectu designationis, non est cur unum præ aliis inconsecratum relinquat; & demonstratio per pronomen *hoc* & *hic* humano moralique modo cadere nequeat super aliquòd, quod non scitur esse hoc potiùs quàm illud. Qui enim determinatè non scit quis currat, etsi sciat in confuso aliquem currere, humano moralique modo dicere nequit, *hic currit*; sed tantùm, *aliquis currit*.

91 Sequitur 2°. quòd si cum pluribus particulis consecratis unam non consecratam sic misceri contingat, ut Sacerdos designare nequeat, quænam illa sit, eam validè consecrare non possit, quantumcumque in animo dicat, *eam solam consecrare volo, quæ consecrata non est*. Quia eam ad sensum pronomine *hoc* demonstrare nequit. Validè tamen consecraret, etsi gravissimè peccaret, si absolutè omnes consecrare vellet, dicendo: *volo omnes consecrare*. Validè quoque eam consecraret, sub conditione dicendo: *volo omnes consecrare, si non sint consecratæ*. Perinde enim foret, ac si super singulas sigillatim diceret: *volo hanc consecrare, si non sit consecrata*. Card. de Lugo disp. 4. sect. 7.

92 Non licet tamen sic facere. Quia non licet sub conditione reiterare formam consecrationis super materia, quæ certò scitur consecrata. Hoc autem tunc fieret: cùm Sacerdos supponatur certò scire omnes, præter unam, consecratas esse. Lugo loco citato.

93 Nec dicas cum Diana p. 9. tr. 8 resol. 64. esse necessitatem reiterandi, ne proximus sumat non consecratam pro consecrata. Quia huic inconvenienti occurri potest, vel singulis communicantibus duas ex hostiis illis distribuendo; vel melius omnes illas hostias in tabernaculo conservando, ab uno vel pluribus Sacerdotibus, post sumptum sanguinem in Missa, paulatim consumendas. Post sumptum (inquam) sanguinem: ne exponat se periculo sanguinem sumendi non jejunus.

94 Sequitur 3°. quòd si Sacerdos unicam in manibus hostiam habere se putans, habeat duas, consecrat duas, si simpliciter consecrare velit materiam coram se positam. Duas quippe practicè vult consecrare, licèt speculativè putet se non consecrare nisi unam. Cùm practica intentio (quæ in dicto casu est de consecrandis duabus, utpote coram se positis) non destruatur per errorem (utpote speculativum dumtaxat) quo putat coram se non habere nisi unam.

95 Sequitur 4°. regulariter ambas censeri consecratas, dum Sacerdos formam profert super duas, putans se non proferre nisi super unam. Quia regulariter & ordinariè censetur velle consecrare totum quod præ manibus habet, dum sine restrictione formam profert super illud, uti juxta rubricam Missalis proferre debet. Sic enim habet: *Quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere debet, scilicet consecrandi eas omnes, quas antè se ad consecrandum positas habet*. Ita Doctores communiter contra Majorem, qui putat Sacerdotem, in dicto casu, solum consecrare hostiam quam videt. Quod verum esset, si animo exprimeret, se eam solam consecrare velle. Sed hoc ordinariè non fit. Cùm Sacerdos quilibet ordinariè præsumatur conformare intentionem suam dictæ rubricæ.

Sequitur 5°. illas hostias, seu formulas censeri consecratas, quas Sacerdos, vel alius (ipso sciente) ad altare detulit consecrandas, & super corporale posuit, tametsi consecrationis tempore Sacerdos earum immemor, calicem vel ciborium (in quo continentur) non discooperuerit. Quia dum Sacerdos (vel alius ipso sciente) eas ad altare detulit posuitque super corporale, voluit eas consecrare (idcò namque detulit, vel deferri permisit) nec voluntatem istam oblivio vel distractio destruxit, nihil proinde obstat ne virtualiter permaneat. Ita Doctores passim omnes. 96

Major est difficultas, si hostiæ illæ allatæ, & super corporale positæ fuerint insscio Sacerdote. Tunc enim Doctores communiter censent non habendas consecratas, defectu intentionis, quæ non fertur in incognitum. 97

Censeo tamen cum Wiggers, Candido, Palao, Nugno & aliis apud Dianam p. 2. tr 3 miscell. resol. 19. & p. 9. tr. 8 resol. 60 quòd habendæ sint consecratæ, si Sacerdos habuerit (uti juxta allatam rubricam Missalis habere debuit) voluntatem consecrandi omnes hostias coram se ad consecrandum super corporale positas. Tunc enim consecrantis intentio non minùs in omnes illas fertur, quàm in duas, quas præ manibus habet, & insscius secum tulit, putans non habere nisi unam. Nec intentio ipsius magis fertur in incognitum in illo casu, quam in isto.

Plus dico: quamvis enim Suarez disp. 43. sect. 6. Candidus, Wiggers, Palao, Lessius, aliique plures censeant non consecrari hostias, quas Sacerdoti, in altari existenti, Sacrista detulit, posuitque super altare, sed non super corporale, Sacerdote id advertente, & habente intentionem ponendi eas, ante consecrationem, super corporale, sed postea de illis amplius non cogitante. Etiam istas existimo cum Præposito q. 74. a. 2. dub. 3. Gamachæo ibid. c. 4. Hurtado disp. 2. diffic. 16. Leandro à SS. Sacram. q. 73 consecratas esse. Quia sicut Sacerdos, videns sibi ad consecrandum offerri hostias in calice cooperto, & habens intentionem eas discooperiendi, sicut Missalis rubrica præcipit; si tamen id ante Offertorium & Consecrationem oblitus fuerit, eas nihilominus consecrare censetur, habereque intentionem eas consecrandi. Sic Sacerdos, videns sibi ad consecrandum offerri hostias positas super altare, extra corporale, & habens intentionem eas super corporale ponendi (sicut eadem rubrica præcipit) si id ante Offertorium & Consecrationem oblitus fuerit, eas nihilominùs consecrare censetur, habereque intentionem eas consecrandi. Quemadmodùm enim in priori casu (qui communiter admittitur) sic intelligitur pia Sacerdotis intentio: *volo eas cum majori hostia consecrare, priùs tamen discooperiam calicem in quo continentur*: sic in posteriori casu, sic intelligitur pia Sacerdotis intentio: *volo eas cum majori hostia consecrare, priùs tamen collocabo super corporale*. Et sicut in priori casu naturalis oblivio, vel inadvertentia eas discoope- 98

riendi minimè obstat, ne eas consecrandi intentio virtualiter perseveret: sic naturalis oblivio vel inadvertentia eas super corporale ponendi, in posteriori casu, minimè obstat, ne eas consecrandi intentio virtualiter perseveret.

99 Sciant igitur Sacerdotes, hostias illas reverenter tractandas esse. Quia ad minus rationabile dubium est, an non sint consecratæ. Et usque adeò consecratas Gamachæus censet (apud Dianam) ut putet absque nova consecratione fidelibus, citra necessitatem, porrigi posse. Quod tamen, ob communem in contrarium opinionem, in solo casu necessitatis admitto, v. g. in quo Viaticum moribundo hîc & nunc foret ministrandum, nec hostia certò consecrata, nec tempus consecrandi supperet. Extra necessitatem verò Sacerdos, de earum consecratione incertus, vel dubius, sumere eas debet post sanguinem; vel (si nimis multæ sint) rogare alium Sacerdotem, ut in suo Sacro, dum sacrificii sui hostiam absolutè consecrat, simul intendat eas consecrare, sub conditione quòd non sint consecratæ; vel id ipse die sequenti in suo Sacro facere. Cavendo tamen, ne unquam id faciat post sacrificii sui consecrationem, etiam sub conditione. Ne periculo se exponat consecrandi sub una tantùm specie. Quod nunquam licet.

100 Sciant etiam ex Gavanto in rubric. Missal. p. 3. tit. 10. n. 19. sibi non esse prohibitum consecrare hostias, à Sacrista, post Offertorium, pro communione populi ad altare delatas, mentaliter eas offerendo. Quod etiam Possevinus de offic. Curat. c. 2. n. 2. admittit, etiamsi post Præfationem delatæ fuerint.

101 Sciant denique variare Doctorum opiniones; circa vini guttulas, calici adhærentes intra cuppam, sed à reliquo continuo separatas. Suarez namque disp. 43. Hurtadus, Layman, Reginaldus negant cum reliquo vino consecrari. Quia putant ordinariam Sacerdotis intentionem non esse nisi consecrandi materiam in calice contentam per modum continui. Oppositum censent Bonacina disp. 4. q. 2. puncto 2. Præpositus, Dicastillus, &c. Quia sicut Sacerdos, consecrando calicem hostiis plenum, ordinariè intendit consecrare totum panem in eo contentum, etiam particulas à reliquis hostiis separatas (& idem est de particulis hostiarum super corporale positarum) ita similiter, &c.

102 Cùm secunda hæc opinio ideò probabilior appareat, quia magis servare videtur communis doctrinæ consequentiam: optimè faciet Sacerdos, si, ad vitandum omnem scrupulum, similes particulas advertens ante consecrationem, eas abstergat: tametsi non abstergere, nullum sit peccatum: modò de cætero intentionem habeat faciendi secundùm Christi intentionem, Ecclesiæque praxim. Post consecrationem verò cavebit abstergere. Ne fortè Christi sanguinem abstergat. Eas igitur cum reliquo vino consecrato mixtas sumet, parum sollicitus de periculo frangendi jejunii naturalis, si guttas non consecratas priùs fortè sumeret quàm sanguinem. Cùm, in circumstantiis ejusmodi, humano modo, non in rigore metaphysico sit agendum, reverentiaque guttulis illis probabiliter consecratis debita, magis consideranda sit, quàm sollicitudo illa.

CAPUT X.

Forma, quâ conficitur venerabile Eucharistiæ Sacramentum, sunt verba Christi dicentis: hoc est corpus meum. *Et*, hic est calix sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

103 Sic enim Florentinum tradit in instructione Armenorum, sicut & Catechismus Romanus p. 2. c. 4. de Sacram. Euchar. Quia (inquit) sic *à sanctis Evangelistis Luca & Matthæo, itemque ab Apostolo docemur.* Et *quia Sacerdos* (ut Florentinum ait) *in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum.*

In utraque forma additur *enim: hoc est enim: hic est enim.* Sed non est de essentia, ut S. Thomas ait q. 60. a. 8. Ly ENIM *sublatum non tollit debitum sensum verborum. Et ideò non impedit perfectionem Sacramenti. Quamvis... peccet, qui prætermittit ex negligentia, vel contemptu.* Quia, ut habet q. 78. a. 2. ad 5. *hæc conjunctio* ENIM *apponitur in hac forma, secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, à B. Petro derivatam, & hoc propter continuationem ad verba præcedentia.* Hæc autem præcedere, non est de necessitate Sacramenti, ut tamquam certum & indubitatum Doctores communiter tradunt, contra Scotum, putantem non confici Sacramentum, si præcedentia verba ista prætermittantur: *qui pridiè quàm pateretur*, &c. Quia putat verba consecrationis sine illis non significare corpus & sanguinem Christi, sed Sacerdotis. Quod alienum est à vero. Cùm ad significandum corpus & sanguinem Christi, sufficienter determinentur per intentionem, quâ Sacerdos intendit ea proferre in persona Christi, non sua; sic ut Christus per os ipsius loquatur, sicut Rex per os Legati sui. Quomodò Deus olim per Angelum frequenter locutus est, ita ut Angelus in persona Dei verè diceret: *Ego sum Deus Abraham*, &c. uti Litteræ sacræ testantur. Nec necesse fuit, Angelum exteriùs adjicere verba, quibus exprimeret se loqui in persona Dei; sed ad id satis fuit intentio sic loquendi. 104

Itaque de necessitate formæ consecrationis panis sola sunt hæc verba: *hoc est corpus meum.* Ex quo sequitur de necessitate seu essentia formæ consecrationis calicis, sola quoque esse hæc verba: *hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus.* Ita S. Thomas q. 78. a. 1. ubi quærit utrùm sit hæc forma hujus Sacramenti: *hoc est corpus meum*, & *hic est calix sanguinis mei*, nullâ factâ mentione sequentium verborum? Et respondet affirmativè: *quia hoc Sacramentum perficitur in consecratione materiæ, sive importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit, puta cùm dicitur: hoc est corpus meum, vel hic est calix sanguinis mei.* 105

Ecce S. Doctor probat responsionem affirmativam, quia illa est forma hujus Sacramenti, quæ importat & significat consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit. Atqui sola ista verba, *hoc est corpus meum*, *hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*, significant & important consecrationem & transubstantiationem materiæ, panis scilicet & vini. Tam enim verba ista: *hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*, sine verbis sequentibus, *novi & æterni Testamenti*, &c. significant consecrationem transubstantiationemque vini in sanguinem Christi, quàm verba illa: *hoc est corpus meum*, sine istis à Christo additis, *quod pro vobis tradetur*, significent consecrationem transubstantiationemque panis in corpus Christi. Tam enim vinum in Christi sanguinem transubstantiari virtute priorum verborum, quàm panem in corpus Christi virtute posteriorum, habemus ex Traditione. Siquidem Justinus Martyr Apol. 2. *Apostoli* (inquit) .... *ita sibi Jesum præcepisse tradiderunt, eum accepto pane, cùm gratias egisset, dixisse, hoc facite in memoriam mei, hoc est corpus meum. Dixisse etiam accepto poculo: hic est sanguis meus: ipsisque solis dedisse.* Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 5. verbis illis prolatis, *hic est sanguis meus*, vinum in sanguinem converti dicit: *inde sunt verba Christi... hic est enim sanguis meus. Ante verba* 106

ha ista, calix vini & aquæ plenus: ubi autem verba Christi prolata fuerint, ibi sanguis efficitur. Vetustus Author sermonis de Cœna Domini, apud Cyprianum: *Ex quo à Domino dictum est, hæc est caro mea, hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hâc fide actum est, panis iste supersubstantialis & calix solemni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit.* Eusebius Emissenus, vel quisquis est Author sermonis de corpore & sanguine Domini, qui incipit: *Magnitudo cælestium beneficiorum*, sic ait: *Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo, secretâ potestate convertit, ita dicens: accipite & edite, hoc est enim corpus meum: & sanctificatione repetitâ: accipite, & bibite, hic est sanguis meus.* S. Gaudentius tr. 2. de Exodo: *Quod annuntiatum est credas: quia quod accipis, corpus est illius panis cælestis, & sanguis illius sacræ vitis. Nam cùm panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Credamus cui credimus: nescit mendacium veritas.* Damascenus l. 4. fid. orthod. c. 15. *Sicut Deus, dicendo, fiat lux, fecit lucem; ita dicendo, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, perfecit hoc Sacramentum.* Stephanus Edüensis de Sacram. altar. c. 14. *Verè credendum, quòd Sacerdote proferente verba hæc: hoc est corpus meum, jam non est panis terrenus, sed ille panis, qui de cælo descendit. Item virtute verborum istorum, hic est calix sanguinis mei, vinum convertit in sanguinem Christi.* S. Thomas ubi suprà ad 4. *Si Sacerdos sola verba prædicta proferret (hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei) cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum.* Et art. 3. *Omnia prædicta verba* (quæ habentur in forma consueta) *sunt de substantia formæ* (non ut essentialia, sed ut integrantia, *seu pertinentia ad integritatem ejusdem locutionis*, ut ibidem exponit;) *sed per prima verba, cùm dicitur: hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis.* Quid clarius?

107 Neque circa hoc alius sensus est Græcorum, quàm Latinorum: siquidem Petrus Arcadius in Græcorum Ritibus versatissimus l. 3. de concord. Eccles. Orient. & Occident. c. 16. testatur, quòd *forma consecrationis.... apud Græcos, sunt hæc certa & determinata eaque sola verba: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Quæ sunt verba Salvatoris, & ea extant in Lyturgia Græcorum.* Similiter Cardinalis Cajetanus, & Card. de Lugo testantur, visa à se Missalia Græca, & Maronitarum cum solis illis verbis.

108 Denique verba hæc: *novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, &c.* in Lyturgiis, tam antiquis quàm recentioribus Græcorum, à Sede Apostolica approbatis, vel penitùs omittuntur, vel non omnia ponuntur, sed quæ in nonnullis ponuntur, in aliis omittuntur, & vicè versâ. Hìc proinde procedit argumentum S. Thomæ q. 78. a. 1. ad 4. ostendentis omnia verba Canonis non esse essentialia, *quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundùm omnia tempora, sed diversa sunt à diversis apposita.* Quid plura? Ne omnia quidem verba formæ consuetæ habentur in Evangelio, sive apud Matthæum, sive apud Marcum, sive apud Lucam. Apud Apostolum 1. Cor. 11. solùm hæc habentur pro forma consecrationis calicis: *hic calix novum Testamentum est in sanguine meo.*

109 Itaque verba ista: *novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum*, non sunt de essentia formæ calicis, etiamsi graviter peccaret qui ea prætermitteret; eò quòd Ecclesia, ab Apostolis, & à Christo ipso edocta, ea addi velit, non sine magni significatione mysterii.

Dicitur enim *novi*, ad distinctionem veteris Testamenti, hircorum & vitulorum sanguine dedicati, ubi novum dedicatum ipsomet sanguine Christi. 110

Secundò dicitur *æterni Testamenti*, eò quòd pignus sit & arrha *repromissionis æternæ hæreditatis*, ut Apostolus ait Hebr. 9. Propter quod Ecclesia Sacramentum hoc vocat *sacrum convivium, in quo.... futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Videri potest Catechismus Romanus, aiens, quòd *verbum* ÆTERNI, *ad hæreditatem æternam, quæ Christi Domini, æterni testatoris, morte ad nos jure pervenit, referendum est.* 111

Tertiò dicitur, *mysterium fidei*, non quo rei veritas excluditur, sed ita creditur, ut tam prodigiosum divini amoris miraculum nullis humanis argumentis suadeatur, sed solâ fide teneatur. Humana quippe ratio, sensibus delusa, tantas hìc patitur difficultates, ut non crederemus Christi corpus & sanguinem in hoc mysterio realiter contineri, nisi præstaret fides supplementum sensuum defectui. 112

Denique dicitur: *qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum*, ut in amoroso hoc mysterio fiat Dominicæ Passionis commemoratio. *Appositè verò hoc loco potiùs, quàm in consecratione corporis, Passio Dominica memoratur, in verbis: qui effundetur in remissionem peccatorum* (ait Catechismus Romanus;) *sanguis enim separatim consecratus, ad Passionem Domini, & Mortem, & Passionis genus ante omnium oculos ponendum, majorem vim & momentum habet.* 113

Porrò verborum istorum, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, sensus est, qui pro vobis, hìc utique præsentibus discipulis meis, & pro multis aliis effundetur. Ubi per multos alios propriè non intelliguntur omnes omninò homines (etsi pro omnibus sufficienter effusus sit sanguis Christi) sed omnes electi, pro quibus solis efficaciter est effusus, hoc sensu quòd soli electi finaliter beneficium Passionis & Mortis Christi, salutem utique consequantur æternam. Vide quæ hac de re dicta sunt to. 1. l. 9. cap. 28. 114

Si quæras quid demonstrent pronomina *hoc* & *hic* in forma consecrationis? & an verba consecrationis à Sacerdote proferantur recitativè, an assertivè? 115

Ad primum respondeo cum Argentinensi in 4. d. 8. q. un. a. 2. Majore, & Gabriele eadem dist. Sylvio q. 78. a. 2. Amico disp. 24. sect. 3. pronomen *hoc* demonstrare corpus Christi, non formaliter ut corpus Christi (sic enim sensus esset, *hoc corpus meum, est corpus meum*; nec proinde verba consecrationis significarent transubstantiationis mysterium) sed ut contentum sub specie panis, ita ut sensus sit: *hoc contentum sub hac specie panis est corpus meum.* Similiter pronomen *hic* in consecratione calicis demonstrat sanguinem, ut contentum in hoc calice, sub specie vini. Forma namque ista: *hic est calix sanguinis mei*, æquivalet huic: *hic calix continet sanguinem meum.* Sensus proinde ipsius est: *hoc contentum in hoc calice*, vel *hoc contentum sub hac specie vini, est sanguis meus.*

Pronomina ergo ista demonstrant ad sensum, id quod vi verborum ibi ponitur, completâ verborum significatione. In propositionibus enim practicis, id est quæ non supponunt factum quod enuntiant, sed faciunt, demonstratum pronomine *hoc* non debet esse ad sensum præsens in principio, sed in fine propositionis. Quia significatio ejusmodi propositionum, ex communi earum usu & intellectu, suspenditur usquedum propositio sit completa. Eò quòd in illis pronomina demonstrativa à prædicatis determinari debeant, ad demonstrandum hoc potiùs quàm illud. Quia 116

ergo prædicata solùm ponuntur in fine propositionis, pronomina demonstrativa non demonstrant ad sensum in principio, sed in fine propositionis, ut patet, dum pater filium suum hactenùs liberum, dat alteri in servum, dicens: *hic est servus tuus.* In hac quippe practica propositione pronomen *hic* non demonstrat filium servum, nisi in fine propositionis, utpote per quam pater filium, antè liberum, facit servum. Similiter si Christus in Cana Galilææ aquam in vinum vertisset, dicendo: *hoc est vinum*, pronomine *hoc* non aliud demonstrasset, quàm rem illam singularem, contentam in hydria, quæ in termino prolationis fuisset vinum. Unde ad hoc ut fiat demonstratio ad sensum, res demonstrata non semper præexistere debet demonstrationi, sed in propositionibus practicis satis est quòd sensibiliter sit præsens eo momento, quo propositio completur, juxta verissimam doctrinam S. Thomæ in 4. d. 8. a. 1. q. 2. *Scientia practica non præsupponit entitatem rei, sed præcedit ipsam naturaliter, quasi causa, etsi simul sint tempore. Et ad hunc modum se habent verba præmissa* (hoc est corpus meum) *quia sunt significativa, & factiva ejus quod significant. Unde veritas & significatio hujus locutionis præcedit naturaliter entitatem rei quam significat* (id est naturâ seu causalitate prior est ipsâ) *& non præsupponit ipsam, quamvis sit simul cum ipsa tempore, sicut causa propria cum proprio effectu. Sed quia significatio & veritas locutionis, quæ est simul tempore cum transubstantiatione, consurgit ex consignificationibus partium successivè prolatarum; ideò oportet quòd dictio ultimò prolata* (id est prædicatum) *compleat significationem locutionis.*

117 Ad secundum respondeo cum eodem S. Doctore q. 78. a. 5. Sacerdotem proferre verba illa recitativè simul & assertivè. Recitativè quidem, (id est narrando quod Christus dixit) quia revera canon, quem legit, recitat Christum accepisse panem, benedixisse, fregisse, dedisse discipulis, ac dixisse: *Hoc est corpus meum*, &c. Assertivè verò (id est non solùm ex intentione narrandi quod Christus dixit, sed & faciendi, per verba Christi, quod Christus fecit) quia ad consecrandum non sufficit narrare quod Christus dixit & fecit (aliàs Sacerdos legens epistolam ad Corinthios, in Missa de venerabili consecraret;) sed oportet in persona ipsius affirmare & facere, quod Christus affirmavit & fecit.

118 Si rursum inquiras, an conficeret hoc Sacramentum, qui loco verborum istorum: *hoc est corpus meum*, diceret, *hoc est caro mea.* Vel 2°. *hic est corpus meum.* Vel 3°. *ecce corpus meum.* Vel 4°. *istud est corpus meum.* Vel 5°. *hoc corpus est meum.* Vel 6°. *hoc fit corpus meum.* Vel 7°. *consecro hunc panem in corpus meum.* Vel 8°. *hoc corpus meum*, subaudiendo *est.* Vel 9°. *hic cibus est corpus meum.* Vel 10°. *hoc est corpus Christi?*

Ad primum respondeo formam illam esse dubiam, vel invalidam. Quia tametsi Estius, Henriquez, Granadus, aliique valere putent, eò quòd communi Scripturæ, Ecclesiæ, & Sanctorum usu caro significet corpus. Suarez disp. 59. sect. 2. Coninck q. 78. a. 2. Præpositus & Mercorus ibidem valere negant. Quia caro non significat totum quod corpus importat, v. g. ossa, nervos, &c. vi & significatione propriâ, sed solùm significatione tropicâ, quâ totum à parte significatur. Et hoc modo sumitur illo Scripturæ, Ecclesiæ & Sanctorum usu, qui in contrarium allegatur. Ut enim Concilium Toletanum XV. ait: *est quidem modus locutionis, frequenter in divinis Scripturis* (addere poterat etiam in Conciliis & Patribus) *usitatus, quâ significatur à parte totum.* Ut autem forma consecrationis panis valida sit, vi verborum (ex propria proinde significatione, non tropica dumtaxat) ponere debet totum quod corpus importat, non solùm utique carnem, sed & ossa, & nervos, &c. atque adeò id totum significare debet significatione propriâ, non tropicâ tantùm, quâ totum à parte significatur, qualiter ossa, nervi, &c. non significantur per vocem *caro.* Si enim tropica significatio, quâ à parte totum significatur, sufficeret ad ponendum aliquid vi verborum in hoc Sacramento, tota Christi humanitas, etiam anima, vi verborum poneretur in hoc Sacramento; cùm totus homo tropicè & synecdochicè per vocem *caro* significetur Joann. 1. *Verbum caro factum est.* Psal. 64. *Ad te omnis caro veniet*, &c.

Ad secundum respondeo non valere, si ly *hic* 119
sumatur ut adverbium locale (tunc enim non habet sensum, quem habet forma communis;) secùs si sumatur ut pronomen masculinum, ita ut sola sit mutatio grammaticalis, per inadvertentiam vel imperitiam linguæ latinæ, eo modo ac si quis diceret: *hoc est corpus meus*; vel eo modo, ac si quis per impedimentum linguæ diceret, *hoc est corpus meii*, vel *hoc est colpus meum.* Videri potest Suarez loco citato.

Ad tertium respondeo esse formam dubiam & 120
controversam. Validam enim putat Vasquez disp. 201. c. 5. dubiam Suarez proximè relatus, magis inclinans ad negandum, quàm ad affirmandum valorem illius.

Ad quartum respondeo cum Suarez & Soto 121
videri validam, si proferatur cum intentione significandi, quod Christus significavit. Quia pronomen *istud*, in lingua Latina idem frequenter significat, quod pronomen *hoc.* Aliud est de pronomine *illud*, quod ex vi suæ significationis non demonstrat ad sensum rem propinquè præsentem. Ideòque si quis diceret: *illud est corpus meum*, nihil conficeret.

Ad quintum respondeo formam videri dubiam. 122
Tametsi enim pro valore illius stet Gamachæus q. 78. a. 2. post Pitigianum, si sic accipiatur ut post ly *hoc* ponatur comma, tresque aliæ voces simul conjungantur (tunc enim idem, inquit, est sensus, ac si nihil transponeretur) in ea forma pronomen *hoc* potiùs demonstrat panem, quàm corpus, ut fatetur Gamachæus, formaque illa simpliciter & absolutè prolata, sic accipi solet, ut ly *meum* sumatur possessivè, ut sensus sit: *hoc corpus ad me pertinet.* Ideòque simpliciter & absolutè non significat transubstantiationem.

Ad sextum & septimum respondeo non valere. 123
Quia notabiliter variat sensum formæ à Christo institutæ. Non enim significat corpus Christi in facto esse, & statu permanenti (uti forma Christi, ex qua habemus hujus Sacramenti ab aliis differentiam) sed in fieri, & statu viali. Ita Doctores communiter apud Palao puncto 7. n. 2.

Ad octavum respondeo cum Lessio, Augusti- 124
no Bernal, &c. videri validam. Quamvis enim Bonæ-Spei de Euchar. disp. 3. dub. 2. cum Granado, Præposito, Coninck, invalidam putet, ratio in qua fundatur non subsistit. Ratio namque ipsius est quia verbum *est* in lingua Latina non videtur subaudiri. Verùm ex innumeris Scripturæ locis, profanisque Scriptoribus, contrarium est certum. Nam pro eo quod Exodi 24. dicitur: *hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Deus:* Apostolus Hebr. 9. dicit: *hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Psalmi quoque Davidici pleni sunt ejusmodi locutionibus. Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit*, &c. Psal. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, &c. Psal. 72. *Notus in Judæa Deus*, &c. Psal. 118. *Beati immaculati in via*, &c. Similibus quoque locutionibus Ecclesia frequenter utitur: *Laus tibi Christe,*

Gloria tibi Domine. Egressus ejus à Patre, regressus ad Patrem, &c. Utuntur & Profani, Virgilius Æneïdos 6. *Hic Cæsar, & omnis Juli progenies*, &c.

125 Sed & Basilius Pontius de Sacram. Confirm. p. 2. c. 7. testatur, quòd similis forma, *sine verbo est*, formaliter expresso, *reperitur apud Lucam in consecratione calicis*: HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN MEO SANGUINE. Quòdque *Latinus Interpres addidit verbum est, quod subintelligebatur.*

126 Ad nonum respondeo cum Suarez, Bonacina, Montesino, videri validam (licèt Henriquez secùs sentiat:) quia idem videtur sensus illius, ac formæ consuetæ.

127 Ad decimum respondeo cum communi non valere. Quia ut valeret, deberet ex modo loquendi, sic proferri in persona Christi, ut Christus ipse eam de corpore suo proferre censeretur, & Sacerdos non censeretur uti verbis suis, sed Christi (sic enim Christus instituit;) in forma verò illa Sacerdos ex communi modo loquendi censetur uti verbis suis, non Christi: neque enim Christus dixit: *hoc est corpus Christi*, sed *hoc est corpus meum.* Unde & Sacerdos dicendo, *hoc est corpus Christi*, ex communi modo loquendi non censetur loqui in persona Christi, sed sua. Nec Christus verba illa proferre censetur de corpore suo, sed Sacerdos de corpore Christi.

CAPUT XI.

Consecrationis forma in solis verbis Christi, capite præcedenti relatis, adæquatè consistit, prout omnes Latini tradunt; non in illis, simul & antecedentibus vel subsequentibus Ecclesiæ precibus, quibus Sacerdos rogat Deum, ut panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi transmutare dignetur, prout Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesinus, Simeon Thessalonicensis, aliique Græci Recentiores arbitrantur.

128 PRæces illas & Græci faciunt, & Latini. Sed Latini, antequam proferant verba Christi; Græci post illa. Siquidem in Liturgiis Jacobi, Basilii, &c. post verba Christi prolata, sequitur hæc oratio: *Fac Domine panem istum corpus Christi.* In Liturgiis verò recentioribus Græcórum oratio ista subsequitur: *Rogamus Pater ut mittas Spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera, & fac panem istum, pretiosum corpus Filii tui, & quod est in calice, pretiosum sanguinem Filii tui.*

129 In oratione ergo hujusmodi, simul & verbis Christi, consecrationis formam Græci Recentiores constituunt, fundantes se 1°. in sententiis, quibus Patres aiunt, prece, oratione, & Spiritûs sancti invocatione confici corpus Christi. 2°. in Liturgiis antiquis, quibus Sacerdos, post verba Christi, orat ut Deus subjectum panem faciat corpus Christi. 3°. in ipsamet Liturgia Latinorum, in qua post verba Christi dicitur: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri, per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum*, &c.

130 Verùm hæc opinio prorsus infundata est, firmiterque dicendum, cum Patribus omnibus, consecrationis formam in solis Christi verbis adæquatè consistere, iisque prolatis statim confici corpus, sanguinemque Christi. Id enim postulat 1°. veritas sacrorum verborum illorum. 2°. postulat Ecclesiæ ritus. 3°. Patres omnes idipsum unanimiter contestantur.

121 Et primò quidem id postulat sacrorum verborum illorum veritas: si enim ad completam eorum prolationem, sub specie panis non sit corpus Christi, sed tunc demum cùm oratio dicta subsequitur, sacra illa verba non sunt vera; neque dicendum est, *hoc est*, sed *hoc erit corpus meum.* Quia, ut S. Thomas arguit q. 78. a. 6. *ad veritatem hujus locutionis, hoc est corpus meum, requiritur propter verbum præsentis temporis, quòd res significata simul tempore sit cum ipsa significatione: alioquin si in futurum expectaretur res significata, apponeretur verbum futuri temporis, non autem præsentis, ita scilicet, quòd non diceretur:* HOC EST CORPUS MEUM, *sed* HOC ERIT CORPUS MEUM.... *Unde dicendum est quòd verba Christi non expectant subsequentem orationem, in agendo, sed statim habent effectum suum. Quia significatio verborum illorum completur statim completâ locutione horum verborum. Et ideò oportet rem significatam statim adesse..... alioquin locutio non esset vera.*

Secundò id etiam postulat ritus Ecclesiæ, utpote quæ (ut idem S. Doctor prosequitur) *statim post prolationem verborum* Christi, *corpus Christi adorat.* 132

Tertiò Patres omnes idipsum unanimiter contestantur. Contestantur enim, prolatis verbis illis, virtute eorum, Christi corpus statim adesse. Tertullianus l. 4. contra Marcion. c. 40. *Acceptum panem.... corpus illum suum efficit, hoc est corpus meum dicendo.* Non ergo postea, sed tunc cùm dixit, *dicendo.* Ambrosius, Author sermonis de Cœna Domini, Gaudentius, Damascenus n. 105. relati. Et rursum Ambrosius loco ibidem relato, *ubi verba Christi accesserint, de pane fit corpus Christi.* Chrysostomus homil. de prodit. Judæ: *Hoc est* (ait) *corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur.* Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. 37. *Panis statim per verbum in corpus transmutatur, sicut dictum est à Verbo, hoc est corpus meum... mox ad carnem transmutatur, quoniam ipse dixit: hoc est corpus meum.* Eusebius Emissenus homil. in ramis palmarum: *Qui tunc per se, modò dicit per suos Ministros: hoc est corpus meum. Et tanta est hujus verbi virtus & efficacia, ut statim fiat quod dicitur.* 133

Quartò, aliam consecrationis formam, quàm verba Christi, capite præcedenti relata, nec Evangelistæ tradunt, nec Apostolus Paulus, nec sancti Patres. Nec aliam formam, etiam inadæquatam, probant fundamenta recentiorum Græcorum. 134

Ad primum namque respondeo, quòd, dum SS. Patres dixerunt, hoc Sacramentum prece, oratione, & sancti Spiritûs invocatione confici, per orationem, &c. intellexerunt verba illa Salvatoris, quæ dum in persona Christi Sacerdotes proferunt, Deo litant, Deo gratias agunt, Deo sacrificium maximæ laudis, gratiarum actionis, propitiationis & impetrationis offerunt, divinam denique Majestatem istius sacrificii oblatione recognoscunt. Ad Deum ergo mentem elevant. Deum igitur orant. Quid enim oratio, nisi mentis ad Deum elevatio? 135

Ad secundum & tertium respondeo, quòd sicut Christus, hoc Sacramentum instituendo, ipsum confecit, dicendo, *hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*, sine ullius humanæ orationis, seu distinctæ precis cooperatione; ita & nunc Sacerdotes, eadem illa verba in persona Christi proferendo, sine ullius humanæ orationis, seu distinctæ precis cooperatione, idem Sacramentum conficiunt. Neque Latini per orationem illam: *Supplices te rogamus*, &c. orant ut sacra dona realiter immutentur; sed optant, ut sacræ istius victimæ oblatio divinæ Majestati per magni Consilii Angelum præsentetur, & oblatio, quæ in terra fit, uniatur perpetuæ oblationi, quâ Christus seipsum offert in cælo. 136

137 Oratio verò, quæ in Liturgia Jacobi, Basilii, & in Liturgiis Græcorum, Christi verba subsequitur, non est nisi explicatio hujus mysterii, orationisque, quam Sacerdos, divina verba proferendo, Deoque per illa sacrificando, facere censetur, nec refertur ad tempus subsequens verba Christi, sed ad tempus quo verba Christi proferuntur. Nec enim aliam ob causam oratio illa subsequitur verba Salvatoris, nisi quia simul tempore non possumus & Salvatoris verba, & orationem illam proferre: ideòque cogimur alia & alia verba successivè proferre, ut ex Cardinali Bessarione Cardinalis Perronius observat Euchar. Auth. 15.

138 Vel dic cum Card. Bellarmino l. 4. de Sacram. Euchar. c. 14. *oratione illâ Græcorum non peti, ut verba sonare videntur, mutationem panis in corpus Domini. Quippe quæ jam facta est. Sed peti confirmationem & stabilitatem rei jam factæ. Non quod Sacerdos timeat, ne evanescat munus jam consecratum; sed ut ostendat desiderium suum, & amorem erga præsentiam Dominici corporis. Similis locutio est Marci 5. ubi mulieri quæ sanata fuerat per contactum fimbriæ Domini, Christus ait:* Fides tua te salvam fecit, vade in pace, & *esto sana à plaga tua.* Ubi illud, *esto sana, non significat voluit sanaris (jam enim sana erat;) sed idem est, ac si dixisset: placet quòd sanata sis, ratum habeo quod factum est*, &c.

CAPUT XII.

Corpus Christi, factâ consecratione, verè, realiter, & substantialiter continetur sub speciebus panis & vini.

139 Est veritas fidei, quam Catholici omnes constanter tenent, & credunt, 1°. Christum ibi contineri *verè*, id est non solùm in figura, vel signo. 2°. realiter, id est non solùm objectivè, per apprehensionem fidei. 3°. substantialiter, id est non solùm per virtutem & operationem, seu energiam, ut hæretici volunt.

140 Ideò verò Catholici omnes sic firmiter credunt, quia sic Christus in Evangelio testatur, sic Apostolus 1. Cor. 11. sic universalis Ecclesia, Orientalis & Occidentalis, semper tradidit & credidit ab Apostolorum tempore. Sic Græci Latinique

141 Patres omnes, ab exordio nascentis Ecclesiæ usque ad tempora nostra tenuerunt, ut videre est apud Bellarminum & Garetium, continuata eorum testimonia, per singula sæcula proferentes. Sic denique octo Concilia Generalia declaraverunt, Nicænum I. & II. Ephesinum I. Lateranense II. Viennense, Constantiense, Florentinum, & Tridentinum sess. 13. c. 1. Tametsi enim ante tempora Caroli Calvi, Francorum Regis, nullus inveniatur realem hanc Christi in Eucharistia præsentiam in dubium revocasse, ideòque nullus veterum Patrum contra hunc errorem reperiatur ex

142 professo disputasse (si fortè excipias eos qui Christo veritatem carnis, sive Verbo veritatem Incarnationis denegarunt, de quibus S. Ignatius Martyr agit in epist. ad Smirnenses) divina tamen providentia disposuit, ut in omnibus præfatis Conciliis, etiam in Nicæno I. momentoiæ hujus veritatis, divinæque erga homines charitatis illustre extaret testimonium, ut appareret, quàm verè Tridentinum sess. 13. ante caput primum dixerit, eam *à se de venerabili hoc & divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradi, quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso Jesu Christo Domino nostro, & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta, retinuit, & ad finem usque sæculi conservabit.*

Dixi nullum inveniri, ante tempora Caroli Calvi, qui veritatem hanc in dubium revocaverit. Primus enim qui eam in dubium revocasse dicitur, est Joannes Scotus) dictus Erigena, cujus errorem & librum, in Concilio Vercellensi, sub Leone IX. damnatum fuisse asserit Lanfrancus, quemque pluribus aliis erroribus ac novitatibus maculatum fuisse demonstrat Author dissertationis super Joanne Scoto, apud Arnaldum perpet. fidei defen. l. 12. dissert. 1. Hunc, circa idem tempus, in eo errore secutus dicitur Ratramus, sive Bertramus. Quem tamen vir apprimè doctus D. Boileau, Doctor Sorbonicus, & Ecclesiæ Senonensis Decanus, realem Christi in Eucharistia præsentiam non negasse, sed asseruisse (post laudatum Arnaldum) ostendit in præfatione Apographi istius Authoris, quem ex Monasterio Lobiensi publici juris fecit. 141

Sed nec Joannes Scotus suum hac de re errorem verbis dissertis ac perspicuis, sed obscuris & involutis explicavit. 142

Primus proinde, qui contra hanc veritatem perspicuè erravit, erroremque suum aperto marte disseminavit, fuit Berengarius, Archidiaconus Andegavensis, qui ex Ecclesiæ Matris sinu erumpens, quasi vipereus fœtus, ejus viscera lacerare conatus, novam sæculo undecimo procudit hæresim, affirmantem Christi corpus in Eucharistia verè & realiter non contineri, sed figuratè & metaphoricè dumtaxat. Quam hæresim tametsi ter abjuraverit, tandemque in professione veritatis hujus mysterii anno 1088. nonagenarius obierit, Albigenses, & Wiclef secuti sunt errantem, sed non pœnitentem, ipsisque sæculo XVI. Zuinglius, Carolstadius, Calvinus, eorumque discipuli se adjunxerunt. 143

CAPUT XIII.

Catholica veritas, capite superiori asserta, probatur ex perspicuis verbis Salvatoris, hoc Sacramentum instituentis.

144 Rectè Tridentinum cap. 1. suprà relato veritatem hanc demonstrat ex verbis Salvatoris, utpote qui in institutione hujus Sacramenti, *post panis vinique benedictionem, se suum corpus illis* (discipulis) *præbere, ac suum sanguinem distribuere perspicuis verbis testatus est*, utique Matth. 26. *Cœnantibus eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite & comedite:* HOC EST CORPUS MEUM. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens:* HIC EST ENIM SANGUIS MEUS, NOVI TESTAMENTI, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. Marci 14. *Accepit Jesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: sumite,* HOC EST CORPUS MEUM. *Et accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis:* HIC EST SANGUIS MEUS, NOVI TESTAMENTI, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR. Luc. 22. *Accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens:* HOC EST CORPUS MEUM, *quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens:* HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM EST IN MEO SANGUINE, QUI PRO VOBIS FUNDETUR. 1. Cor. 11. *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, ac dixit, accipite, & manducate:* HOC EST CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS TRADETUR: *hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam*

cœnavit, dicens: HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM EST IN MEO SANGUINE: *hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem.*

145 Hæc disertа, & perspicua verba Salvatoris (uti Tridentinum ait loco citato) *à sanctis Evangelistis commemorata, & à D. Paulo posteà repetita, cùm propriam illam & apertissimam significationem præ se ferant* veræ, realis, & substantialis præsentiæ ejusdem Salvatoris, in hoc Sacramento, *juxta quam à Patribus intellecta sunt (ita enim Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt*, ut videre licet apud laudatos Authores Bellarminum, & Gretium, necnon apud piissimum Contensonum to. 8. dissert. 1. c. 1. ubi clarissima profert testimonia SS. Dionysii, Ignatii Martyris, Justini, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Cyrilli Hierosolymitani, Optati Milevitani, Basilii, Gregorii Theologi, Gregorii Nyssæni, Epiphanii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Cyrilli Alexandrini, Leonis Magni, Gregorii Magni) *indignissimum sanè flagitium est, ea à quibusdam contentiosis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorquere, quæ, tanquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.*

146 Si enim sponsa Christi Ecclesia *columna est & firmamentum veritatis* (uti revera est, teste Apostolo 1. Timoth. 3.) à veritate aberrant, imò impudentes sunt, quicumque, in re tam momentosa, ipsam erroris arguunt. Præsertim cùm disertis ac perspicuis verbis illis innixa, Christum sub speciebus panis & vini verè, realiter & substantialiter præsentem, in toto Orbe Christiano semper crediderit, semper adoraverit, in eaque fide & adoratione à septemdecim sæculis semper perseveraverit.

147 Incredibile verò est columnam & firmamentum veritatis in errore tam grandi per tot sæcula permansisse, ut pro Deo frustulum panis per mille septingentos annos adoraverit. Incredibile (inquam) universam Ecclesiam in errore tam grandi à Christo derelictam fuisse, contra solemnem promissionem, quam ipsi fecit in Evangelio, sese illi adfuturum usque ad consummationem sæculi, & ita adfuturum, ut portæ inferi adversùs eam nunquam forent prævalituræ.

148 Atqui portæ inferi adversus eam prævaluissent, si eam in errorem tam grandem induxissent, in eoque tot sæculis detinuissent. Vana proinde, imò falsa fuisset illa Veritatis promissio. Quod absque blasphemia dici nequit.

149 Et si Ecclesia universa, post solemnem illam promissionem, & octo Conciliorum Generalium declarationem, in articulo tanti momenti equidem erraret, atque etiamnum erraret, nosque cum ipsa, verè Christo Salvatori dicere possemus: *Domine, si error est, à te decepti sumus.* Tu enim verbis planis ac perspicuis de veritate carnis & sanguinis tui in hoc Sacramento Ecclesiam tuam sponsam docuisti. Tu etiam, Domine, præcepisti, ut Ecclesiam, nos id per tot Concilia docentem audiremus, in tantum, ut dixeris: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Tu denique Ecclesiam tuam per Apostolum tuum, *columnam & firmamentum veritatis* appellasti. Ergo si eam in re tanti momenti docentem audiendo erramus, à te decepti sumus. Si enim erramus, erramus, quia tibi (sic præcipienti) obediendo, eam sic docentem audimus, ne (te Judice) simus veluti Ethnici & Publicani. Ideò ergo erramus, quia eam sequimur & audimus, quam columnam & firmamentum veritatis affirmasti. Tu es autem veritas & charitas.

Impossibile est ergo, quòd à te decepti simus. 150
Impossibile proinde, quòd Ecclesiam in tam momentoso Religionis tuæ mysterio docentem audiendo erremus. Errant igitur, & palpabiliter errant Zuingliani, & Calviniani, qui eam non audiunt, sed erroris arguunt. Tantòque palpabiliùs errant, quantò evidentiùs contra se habent 1°. clara & perspicua Scripturæ. 2°. legitimam Scripturæ interpretationem. 3°. Traditionem. 4°. præscriptionem. 5°. Theologicam rationem, ut videbitur in capitibus sequentibus.

CAPUT XIV.

Hæretici negantes Christum verè, realiter, & substantialiter in hoc Sacramento præsentem, contra se habent plana & perspicua Scripturæ verba.

TAm enim planè, tam perspicuè Christus in 151
Scriptura dicit: *hoc est corpus meum*; quàm Spiritus sanctus in eadem Scriptura dicat: *Verbum caro factum est. Verbum, Pater & Spiritus sanctus, hi tres unum sunt.* Tam apertè ergo illa Salvatoris verba significant Christi corpus verè, realiter & substantialiter esse in hoc Sacramento; quàm verba ista Spiritûs sancti significent Verbum verè, realiter & substantialiter esse incarnatum, tresque divinas Personas esse verè, realiter & substantialiter unum Deum. Neque enim verba illa Salvatoris propriam illam & apertissimam significationem præ se minùs ferunt, juxta quam ab octo Conciliis Generalibus, & à Patribus omnibus intellecta sunt; quàm verba ista Spiritûs sancti: nec minus flagitium est, priora illa verba ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorquere; quàm posteriora verba ad similes tropos, quibus negatur veritas Dominicæ incarnationis, unitatisque realis & substantialis trium divinarum Personarum.

CAPUT XV.

Habent etiam contra se legitimam Scripturæ interpretationem.

UT enim Scripturæ interpretatio legitima sit, 152
servanda est regula magistralis eam interpretandi, tradita à SS. Patribus, Basilio homil. 9. in Hexaëmeron, & Augustino l. 3. de doctr. Christ. c. 10. 11. & 19. necnon de Genesi ad litter. c. 1. & 7. tunc utique Scripturæ verba in proprio sensu accipienda esse, quando planè, perspicuè & ad litteram significant aliquid spectans ad fidem, vel mores, nullaque necessitas cogit, ea à proprio & litterali sensu, ad tropicum & improprium detorquere.

Et ratio evidenter demonstrans necessitatem 153
servandi regulam istam, est quia omnis Scripturarum de medio tolleretur authoritas, omnique hæresi aperta foret janua, si proprium litteralemque sensum tunc abjicere liceret; nihilque foret in sacris Litteris adeò manifestum, nihil tam receptum in Ecclesia, quod trahere non liceret ad improprium sensum. Nihil ergo fixum, nihil per certitudinem è Scriptura erui posset, dum eam ad figuram & tropum pro arbitrio suo quisque traheret; sed Scriptura semper diceret, quod cuique placeret, non quod Spiritus sanctus per eam intelligi vellet.

154 Ex quo ulteriùs fieret, quòd nulla fidei myſteria, nec veritatem quidem Trinitatis, Dominicæ Incarnationis, Paſſionis, Mortis, Reſurrectionis, &c. contra negantes ex ſacris Litteris evincere poſſemus. Quidquid enim, quàmlibet planum & perſpicuum, ex ſacris Litteris allegaverimus, ad ſenſum tropicum & improprium, cum Arianis, Sabellianis, Eutychianis, Neſtorianis, &c. detorquebunt, prout Auguſtinus obſervat cap. 10. citato: *Si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter aſſeruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.*

155 Idque Eccleſia in dictis hæreticis experta eſt: cùm enim Ariani expreſſam in Scriptura viderent naturæ divinæ Unitatem, præoccupati errore, negante Perſonarum Trinitatem, pariter apertis Scripturæ teſtimoniis aſſertam, poſteriora iſta teſtimonia ad ſenſum tropicum & improprium detorquentes, Trinitatis myſterium ſuſtulerunt. Sabelliani econtrà Trinitatem ſecundùm poſteriora iſta teſtimonia recipientes, nec capientes quomodò naturæ divinæ Unitas cum Perſonarum Trinitate conſiſteret, ideòque perſpicua de iſta Unitate ſacrarum Litterarum teſtimonia ad ſenſum tropicum inflectentes, deque impropria & figurata Unitate gloſſantes, tres Deos uti tres Perſonas aſſeruerunt. Neſtoriani ſimili Scripturarum depravatione, duas in Chriſto Perſonas, uti duas naturas poſuerunt. Unicam econtrà naturam Eutychiani, uti unicam Perſonam. Et idem eſt proportionaliter de Ebionitis, cum Ebione & Cherinto negantibus Chriſti divinitatem; idem de Cerdonitis, Marcionitis, Manichæis, poſt Saturninum, & Simonem Magum negantibus veram in Chriſto carnem, adeòque negantibus veram Verbi Incarnationem.

156 Contra quos omnes in vanum Zuingliani & Calviniani ſacra proferent teſtimonia. Neque enim clariora producent, quàm allata verba Salvatoris pro vera, reali & ſubſtantiali præſentia carnis & ſanguinis ejuſdem Salvatoris in hoc myſterio. Quæ proinde ſi liceat ipſis ad ſenſum improprium tropicumque detorquere, licebit & Ebionitis, Cherinthianis, Cerdonitis, Marcionitis, Manichæis, Arianis, Sabellianis, Neſtorianis, Eutychianis pariter detorquere ſacra quæ adverſus ipſos teſtimonia proferent pro veritate carnis, & divinitatis Chriſti, pro veritate myſterii Trinitatis, pro unica in Chriſto Perſona, duabuſque naturis, &c. Nec erit qui veteres illos hæreticos ex Scriptura convincere poterit, niſi per allatam ſacra teſtimonia interpretandi regulam, inſiſtendum utique proprio ſenſui Scripturæ, quem verba liquidò præ ſe ferunt, niſi manifeſta neceſſitas, id eſt niſi alius perſpicuus Scripturæ textus, vel Eccleſiæ ſenſus, vel Patrum conſenſus manifeſtè cogat ad improprium.

157 Nulla verò manifeſta neceſſitas Zuinglianos & Calvinianos magis cogit ad detorquendum verba Salvatoris à proprio ſenſu ad improprium, quàm veteres illos hæreticos ad ſimiliter detorquendum ſacra oracula, quæ contra ipſos proferuntur.

158 Imò neceſſitas cogit verba Salvatoris in proprio accipere ſenſu. Cùm & id materia ſubjecta poſtulet, & circumſtantiæ temporis, & perſonarum, quibus Salvator loquebatur, ſicut & circumſtantia finis quem intendebat.

159 Si enim materiam ſubjectam intueamur, ſive id quòd tunc Salvator agebat, Teſtamentum utique novum condebat (juxta illud Luc. 22. *hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.*) Teſtamentum verò ſicut condi oportet verbis planis & perſpicuis (hoc enim ratio & æquitas poſtulat ab omni teſtatore, ne ſi ſuprema ſua mandata, pòſtremamque voluntatem, verbis obſcuris & ambiguis exprimat, non tam hæredes & legatarios inſtituat, quàm litigatores, in expenſas litium hæreditatem effuſuros) ſic plana & perſpicua teſtamenti verba, planè, propriè & ad litteram intelligere oportet. Eadem quippe ratio & æquitas, quæ poſtulat prius, poſtulat & poſterius. Neque enim aliter præſcindi poteſt occaſio rixarum, litiumque ſeges inexhauſta. Et ideò verba téſtamentorum ſecundùm Juriſperitos, in rigore & proprio verborum ſenſu, quem præ ſe ferunt, accipienda ſunt, taliſque præſumenda intentio teſtatoris, qualem verborum proprietas planè & diſertè ſignificat. Et quis (amabo) Calviniſta, cui domum teſtator legaſſet, contentus foret imagine domûs, ſi domum ipſi legatam de domûs imagine ſeu figura per tropum hæres gloſſaret? Quâ igitur ratione, quâ æquitate, dum ſuum nobis corpus ſanguinemque verbis planis & perſpicuis Salvator teſtamento legavit, corporis imaginem, ſeu figuram & ſignum interpretantur?

Nec ſolum Teſtamentum novum Chriſtus tunc 160
condebat, ſed & præcipuum nobiliſſimumque novæ legis Sacramentum, unicumque ſacrificium inſtituebat. Quod etiam oportebat verbis planis & apertis inſtitui, inſtitutumque clarè & apertè à fidelibus cognoſci, ne verborum vel ſenſûs obſcuritas ipſos conjiceret in periculum errandi circa ſenſum, primariumque Dei cultum, creaturam pro Deo adorando, falſumque & ſuperſtitioſum ſacrificium, à Deo verè non inſtitutum, quotidie Deo offerendo. Si enim leges, multò minùs Sacramenta, ſacrificiaque divina, nonniſi perſpicuis & apertis verbis inſtitui, inſtitutaque non obſcurè, ſed apertè ac perſpicuè cognoſci oportet.

Ipſæ quoque circumſtantiæ temporis quo lo- 161
quebatur, & perſonarum quibus loquebatur, idipſum poſtulant. Apoſtolis quippe loquebatur, quibus nota eſſe volebat myſteria regni Dei, juxta illud Matth. 13. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: illis autem* (turbis Judæorum) *non eſt datum.* Cùmque Apoſtoli eſſe deberent primi participes tanti Sacramenti, ut cum debita reverentia ac devotione illud perciperent, neceſſe erat ut planè perciperent quod Chriſtus eis dabat. Idque etiam requirebat circumſtantia temporis. Eo ſiquidem tempore Apoſtolis loquebatur, quo tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, quodque proinde, ſi unquam, tempus erat, non jam in parabolis & figuris ea ipſis manifeſtandi, ſed palam & apertè, juxta illud Joan. 16. *Venit hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annuntiabo vobis.* Quod, ſi unquam, maximè prope ſuum de hoc mundo exitum Chriſtus implere debuit; cùm exeuntium de hoc mundo poſtremi ad amicos & domeſticos de præcipuis rebus agendis ſermones, ab omni obſcuritate & ambiguitate eſſe ſoleant remotiſſimi.

Præterea finis iſtius finalis locutionis erat demon- 161
ſtratio extremæ ſuæ in nos dilectionis, ad quam demonſtrandam Sacramentum iſtud Chriſtus in ultima cum amicis ſuis cœna inſtituit, juxta illud: *cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*, &c. Cui etiam circumſtantiæ verborum amphibologia, vel obſcuritas, ſeu improprietas ſenſûs non congruit. Neque enim verborum amphibologia, vel improprietas, aut obſcuritas congruit extremè amantium candori, nec perſpicuæ tanti amoris demonſtrationi. Amici namque, iſtis in circumſtantiis, ſi unquam, cor ſuum apertè & rotundè effundunt in ſinum amicorum ſuorum. Et quomodò tunc ipſis in tropo & figura ſine illius explicatione locutus fuiſſet, qui figuras & parabolas, in quibus aliis loquebatur, ipſis explicare ſolitus erat? Nullum autem ullibi extat veſtigium iſtius explicationis.

Igitur omni ex parte neceſſarium eſt, in plano, 163
proprio & litterali, quem præ ſe ferunt, ſenſu, Chriſti verba intelligere; nulla verò ex parte neceſſarium

cessarium est, illa ad improprium & tropicum sensum detorquere. Nullus enim sacer textus ad id cogit, neque Ecclesiæ sensus, neque Patrum consensus, uti proximè videbimus; imò nec ratio ulla christiana, fideique (ut christianam rationem oportet) submissa. *Nec enim hæc inter se pugnant* (ait Tridentinum ubi suprà) *ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit, eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo* (apud quem *non erit impossibile omne verbum* Luc. 1. & apud *quem omnia possibilia sunt* Matth. 19.) *cogitatione per fidem illustratâ assequi possumus, & constantissimè credere debemus, Christo dicenti ac perspicuis verbis id attestante.*

CAPUT XVI.

Tertiò contra se habent Apostolum Paulum 1. *Cor.* 10. *&* 11. *Veterisque Testamenti figuras.*

164 IN priori namque loco: *Calix benedictionis* (inquit) *cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Ut quid enim ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus*, nisi ad declarandam necessitatem benedictionis, seu consecrationis, ad hoc ut benedictionis calici participans, particeps sit sanguinis Domini? Si autem corpus & sanguis in hoc Sacramento non forent nisi in tropo & figura, ad hoc opus non foret speciali benedictione, seu consecratione. Sufficeret enim prima institutio, seu voluntas Christi declarata in Scripturis, ut constat ex eo quòd similis institutio divina, sine alia benedictione sufficiens fuerit, ad hoc ut Manna, Agnus Paschalis, figura essent Dominici corporis. Porrò calicem benedictum, seu ipsius participationem Apostolus sic asserit esse participationem Dominici sanguinis (non figuræ, seu signi, vel virtutis illius) ut ea de re loquatur velut fidelibus ex fide nota, *nonne*, &c. Quod roborant verba sequentia, quibus *unus panis, & unum corpus* omnes esse dicimur, quia *de uno pane participamus.* Neque enim verè hoc Apostolus diceret, si de pane communi intelligeret. Neque enim unum eumdemque panem communem omnes comedimus, nec hoc Scriptura dicit; sicut nullibi dicit quòd Judæi omnes eumdem Agnum Paschalem olim manducaverint, sed quæque familia suum. Intellectum verò de eodem pane consecrato, qui corpus est Christi, manifestum est omnes fideles, ubicumque terrarum existentes, de uno pane, id est uno eodemque Christi corpore participare. Sic igitur Apostolus intellexit.

165 Præterea si sic Apostolus non intellexisset, quid est quòd sequenti cap. 11. postquam dixit: *Ego enim accepi à Domino, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite & manducate: hoc est corpus meum*, &c. gravissimam hanc admonitionem subjunxisset: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*, nisi panem & calicem consecratum intellexisset verè & propriè esse corpus & sanguinem Domini? Ut quid etiam tantam probationem exigit ad panem illum manducandum, & calicem bibendum: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat?* Audi rationem: *qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit* (judicium utique æternæ suæ damnationis) *non dijudicans corpus Domini.* Suæ profectò damnationis æternæ judicium non manducaret, nec biberet, si solam figuram vel signum Dominici corporis & sanguinis manducaret & biberet. Neque enim si quis absque debita animi sui probatione seu dispositione Paschalem olim Agnum manducasset, vel bibisset aquam de petra, reus fuisset corporis & sanguinis Domini, ut propterea mortale peccatum æternamque proinde damnationem suam incurrisset, tametsi Christi corpus in figura Agni comedisset, sanguinemque in figura aquæ illius bibisset. Cur ergo Christianus, præ Judæo, judicium suæ æternæ damnationis hodie comedit & bibit? Disertam perspicuamque rationem Apostolus reddit: quia *non dijudicat corpus Domini*, id est quia panem consecratum non discernit à pane communi, sed perinde manducat, ac si verè non foret, uti verè est corpus Domini. Idcò ergo magnam illam sui ipsius probationem Apostolus exigit, quia panem consecratum manducans judicare debet id quod manducat, non esse panem communem, nec figuram dumtaxat Dominici corporis, ut olim erat Agnus Paschalis, sed verè esse corpus Domini, cujus proinde reus est, si indignè manducet.

Idque ampliùs apparet ex eo quòd Christus in 166
veritate adimpleverit figuras veteris Testamenti, juxta Apostolum Coloss. 2. dicentem, quòd figuræ illæ *umbræ sunt futurorum; corpus autem Christi*, id est veritas per illas præfigurata per Jesum Christum impleta est. Ad quod etiam significandum in passione Christi *velum templi scissum est* Matth. 27. & Joan. 1. dicitur: *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Igitur Christus exhibuit veritatem figurarum veteris legis, veritatem utique rei quam præfigurabat Manna, Agnus Paschalis, aqua de petra, sanguis veteris Testamenti, &c. Manna verò & Agnus Paschalis figura fuerunt corporis Domini; aqua verò illa & sanguis significarunt sanguinem ejusdem, de quo utique Christus ait: *hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Si ergo figurarum illarum veritatem exhibuit, verum, non figuratum dumtaxat sanguinem suum nobis exhibuit, cùm dixit: *hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Verum item corpus, cùm dixit: *hoc est corpus meum.* Cujus figura fuerunt Manna & Agnus Paschalis, ut SS. Patres unanimiter contestantur.

Et si cùm accepit deditque discipulis panem & 167
calicem, figuras tantùm dedisset, non veritatem corporis ac sanguinis sui, Christus per novæ legis institutionem, finem non solùm non imposuisset figuris veteris legis, exhibitâ veritate rerum quas significabant; sed & figuras figuris illis superaddidisset, & figuras quidem ignobiliores figuris veteris legis, nec tam benè corpus & sanguinem suum repræsentantes. At hoc dici non potest: cùm figuras veteris legis Apostolus suprà vocet *umbras futurorum bonorum*, & figuræ veteris Testamenti tantò minùs nobiles sint rebus figuratis novi Testamenti, quantò novum Testamentum nobilius est veteri (uti rursum Apostolus testatur Hebr. 7. & 8.) quantò item corpus adumbratum nobilius est umbrâ, per quam adumbratur. Quòd autem figuris veteris legis superaddidisset figuras ignobiliores figuris veteris legis, nec tam benè repræsentantes corpus & sanguinem suum, probatur: quia Agnus Paschalis v. g. in se nobilior est, nobiliorique seu meliori modo significat Christi corpus, quàm panis seu Eucharistiæ Sacramentum, si non est verè, realiter & substantialiter nisi panis. Siquidem caro Christi aptiùs per Agnum, quàm per simplicem panem significatur; sicut & mors Christi per mortem Agni expressiùs significatur, quàm per fractionem distributionemque panis. Sed &

qualitates Christi, innocentia, mansuetudo, &c. per qualitates Agni melius repræsentantur. Denique manducatio Agni habet effectus magis exprimentes effectum hujus Sacramenti, quàm manducatio panis. Magis enim caro nutrit, quàm panis, & Agni manducatio fidem magis excitat, meliùsque repræsentat Christi mortem. Sanguis quoque, quo Moyses librum, populum, tabernaculum, & omnia vasa ministerii aspersit, dicens: *hic sanguis Testamenti, quod mandavit advos Deus* (ut Apostolus refert Hebr. 9) melius & nobiliùs significat sanguinem Christi (de quo ipse: *hic est enim sanguis meus novi Testamenti*, &c.) quàm vinum: sanguis enim substantia nobilior est, & sanguis cum sanguine majorem habet propinquitatem, quàm vinum. Et idem est de manna veteris Testamenti, quod etiam meliùs significat Christum, quàm simplex panis, tum quia erat è cælo, tum quia habebat omnem saporem, tum quia qui plus de illo colligebat, non habebat plus, & qui minùs colligebat, non habebat minùs.

168 Atqui fide certum est nobilius esse quod Christus nobis dedit, quàm quod Moyses Judæis dedit, vel Deus tempore veteris legis, ut constat ex Joan. 6. *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Explicans verò, quis sit iste panis: *panis* (inquit) *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.... nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Unde Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 5. *Magnum quiddam & venerabile, quòd manna Judæis pluit è cælo; sed intellige, quid est amplius, manna de cælo, an corpus Christi è corpus Christi utique, qui est Author cæli.* Et lib. de initiand. c. 9. *Considera uter præstantior sit, panis Angelorum, an caro Christi.... Manna illud è cælo. Hoc supra cælum.... Illis aqua de petra fluxit; tibi sanguis è Christo.... Illud in umbra, hoc in veritate.* Salvianus l. 2. ad Ecclesiam: *Judæi habebant quondam umbram; nos veritatem. Judæi manna manducaverunt; nos Christum. Judæi carnes avium; nos corpus Dei. Judæi pruinam cæli; nos Deum cæli.* Enimverò umbræ illæ veteris legis, in nova (ut constat ex dictis n. 166.) transire debuerunt in veritatem. Siquidem Tertullianus lib. 6. contra Marcion. c. 40. probat Christum habuisse verum corpus, quia figuris veteris legis præsignatum, & non est figura nisi alicujus veritatis: *figura enim* (inquit) *non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* Quia ergo panis & vinum in veteri lege figura fuerunt corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, ex figuris illis veteris legis ibidem probat veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, uti n. 307. 308. & 309. videbimus.

CAPUT XVII.

Quarto hæretici contra se habent Traditionem omnium Patrum, declarationemque octo Conciliorum Generalium.

169 PAtres quippe omnes à diebus Apostolorum ad hæc usque tempora, in proprio, obvio & litterali sensu semper intellexerunt verba Salvatoris, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Uti Cardinales Perronius & Bellarminus, Episcopus Coëffetæus, Garetius & Contensonus, aliique Catholici Scriptores ostendunt, dissipatis & ad nihilum redactis nebulis inanium glossarum cavillationumque, quibus clarissimas eorumdem Patrum sententias hæretici Ministri Blondellus, Aubertinus, Claudius, &c. obscurare conati sunt. Quod & adversus Ministrum Claudium adeò præclarè atque invictè nuper præstitit eximiæ eruditionis Vir D. Antonius Arnaldus, Doctor Sorbonicus, in libro de perpetuitate fidei Eucharistiæ, atque in defensione illius, ut doctissimus piissimusque Contenson to. 8. dissert. 1. ingenuè fateatur, quòd nullus ipso facilius, expeditius, efficaciùs, & (absit, inquit, verbo invidia) eruditiùs, & juxta seliciùs catholicam realis corporis Christi in Eucharistia præsentiam demonstraverit. Quippe Ministri Claudii librum sic dispunxit, eo robore criminationes ejus discussit, eo lumine sophismatum offucias dispulit, eo rationum pondere & gravitate inanissimarum figurarum levitatem & cantilenam oppressit, eo nervo Catholicam veritatem defendit, ut adversarium, floridum illum quidem, ab omni soliditate tamen desertum, nullo in loco consistere sinat, sed eum prorsus exarmatum confodiat, usque ad hæresis internecionem.... 170

Et certè non sine speciali æterni Numinis providentia Virum talem, tot olim modis divexatum, abscondit diù Deus in abscondito faciei suæ à contradictione linguarum, ut eum tempore deinceps opportuno excitaret, & in defensionem Christi, Dei verè absconditi, id est sub speciebus panis & vini latentis, adversus hæreticorum impetus armaret. Decebat sanè, & Eucharistiæ mysterii propugnatori planè congruebat, ipsum instar grani frumenti in terram cadere, & mori, ut multum posteà fructum in universam Ecclesiam redundaturum afferret, omnibusque calumniatoribus palam faceret, quid sentiret de illo cibo, quem frumentum electorum, & vinum germinans virgines docti à Domino Prophetæ nominarunt.

Fuerunt quidem nonnulli (eorum nomini parco, parcat utinam & eorum iniquitati Deus) qui absque ulla veri vel tenuissima specie, per summam, & ante hæc tempora inauditam calumniam, Doctorem illum negatæ transubstantiationis, & realis Christi in Eucharistia præsentiæ insimulare non erubuerunt, quamvis infandam illam suspicionem tot à se scriptis luculentissimis, ante accusationis illius atrocitatem exaratis, depulisset, ubi Catholicæ fidei articulum (qui sibi semper præcipuo amori fuit & veneration) his expressionibus, eâ perspicuitate extulerat, quibus accuratiores, & formaliores, nec Patres, nec sacra Concilia, nec Theologorum Princeps S. Thomas, nec Scholastici ulli Scriptores, ad exponendum Ecclesiæ sensum germanissimum, unquam invenêre.

Porrò quid in illo accusationis monstro magis eminuerit, an calumnia, an stultitia, & utra utram vincat, prorsus ignoro. Adeò enim insulsis & fatuis conjecturis tam indignam in præfatum Magistrum suspicionem conferre conati sunt, ut non solùm refellere, sed nec referre etiam sine fatuitatis nota ipse auderem, & meminisse puderet, nisi ipse Claudius, præteritorum argumentorum vi obrutus, & futura subodoratus, ut ad silentium importabilem adversarium adigeret, eandem calumniam minitabundus regessisset.

At enim hæreticorum fraudes facilè flocciscimus, & de recta D. Arnaldi in Deum fide nemo dubitabit, nisi fuerit improbis calumniatoribus improbitate non impar. Nam in opere novissimo (quod Clementi IX. nuncupavit) tam strenuè causam Ecclesiæ agit, ut armis lucis destruat opera tenebrarum, adeò fortiter & juxta splendidè, ut nulla superstit Calvinistis nostris excusatio, si ad avitam Ecclesiæ Catholicæ fidem non revertantur.

Hæc in commendationem viri Theologi de Eccle-

„ Ecclesia Romana & Catholica bene meriti, in-
„ nocentiæ ipsius, impactarumque calumniarum
„ falsitate convictus libenter scripserim, qui nihil
„ possum adversum veritatem, sed pro veritate.
Hactenus pissimus Contentionus.

171 Ego quoque, post accuratum examen, de eadem veritate convictus, in defensionem calumniatæ innocentiæ hanc ipsius pro D. Arnaldo Calvinistarum flagello Apologiam libenter hic exscripsi, ut & hæretici libros ipsius doctrinâ uberes, pietate refertos, soliditate mirabiles, debita cum æstimatione legant, & legendo ad Catholicæ Matris Ecclesiæ gremium redeant, ipsique Catholici multiplicem inde fructum referant, nec ob calumnias illas tam præclarum Authorem legere dedignentur, ad quem sanctissimus Pontifex Innocentius XI. per Eminentiss. D. Cardinalem Cibo 2. Januarii 1667. humanissimas litteras scripsit, quibus tantum virum, tamquam *eruditionis & ingenii laude apud omnes clarissimum* plurimum extollit, tantoque in pretio habere te testatur *libros, quos adversus Calvinianam hæresim, singulari studio ac doctrinâ, nec minori eloquentiâ & ingenio elaboravit, ut Sanctitas Sua aliquam temporis partem gravissimarum curarum detractarum significet, ut illis evolvendis impendat*, ipsumque certum faciat de *paterna charitate* quâ ipsum, *& virtutem* ipsius amplectitur, ipsi denique *benedictionem Apostolicam* elargitur, velut *incitamentum* ad pollicitas preces pro Sua Sanctitate fundendas, *quibus Sanctitas Sua plurimum confidit.*

172 Sed (his per parenthesim dictis) ad SS. Patres veniamus, quos per singulas Ecclesiæ ætates, quisquis denso agmine videre voluerit, apud laudatos Authores inveniet. Pauca, selectioraque aliquot dumtaxat Patrum hîc testimonia accipe. Primo sæculo (post Paulum capite præcedenti laudatum, & Andræam Apostolum, qui Ægeo Proconsuli dixit: *Quotidie immolo... Agnum immaculatum in altari. Qui cùm verè sacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducatæ fuerint, integer perseverat & vivus*, prout in passione ipsius referunt Presbyteri & Diaconi Achaiæ) Ignatius Martyr in epist. ad Smirnenses, inter errores Saturnianorum & Simonianorum, recenset, *quòd Eucharistiam & oblationes non admittant; quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.*

173 Secundo sæculo Justinus Apologiâ secundâ pro Christianis, de Eucharistia sic loquitur: *Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse ducti sumimus. Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum. Eum enim panem accepto.... dixisse: hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto.... dixisse, hic est sanguis meus. Observa non esse panem communem, sed carnem & sanguinem Christi, eo modo quo in Incarnatione est vera caro Christi.* Si eo modo: sicut ergo in Incarnatione, sic in Eucharistia verè, realiter & substantialiter, non figuraliter, objectivè & in virtute, seu energia & operatione dumtaxat, est caro Christi. Videri potest eodem sæculo Irenæus l. 4. c. 34. & l. 5. c. 2. eandem Catholicam veritatem perspicuè tradens.

174 Tertio sæculo Tertullianum pro Catholica veritate loquentem num..... exhibebimus. Quarto sæculo Concilium Nicænum I. Editionis Pisanæ l. 3. *In hac sacra mensa, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & calicem; sed attollentes mentem fide, intelligamus situm in illa sacra mensa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, immolatum à Sacerdotibus, & prætiosum ejus corpus & sanguinem verè nos sumentes credamus, hæc esse nostræ redemptionis symbola.* Eodem sæculo Hilarius 8. Trinit. *Si verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus.... de naturali enim in nobis Christi Unitate... ipse ait: caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus.*

Eodem sæculo Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. 175
Licèt figura panis & vini hîc, omninò nihil aliud, quàm caro Christi, & sanguis, post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa Veritas ad discipulos suos: hæc caro mea est pro mundi vita. Et, ut mirabilius loquar, non alia planè, quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro. Hæc (inquam) ipsa est.... verè illud corpus, quod sumptum est de Virgine. Et rursus: *panis iste, panis est ante consecrationem: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.... Quomodo potest qui panis est, esse corpus Christi? Consecratione. Consecratio igitur cujus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu.... Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, & factum est cælum. Jussit Dominus, & facta est terra. Jussit Dominus, & facta sunt maria. Jussit Dominus, & omnis terra generata est. Vides ergo quàm operatorius est sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant; quantò magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi docentem: ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quòd jam corpus est Christi.... Observa, de pane fit corpus Christi, sermonibus Christi, qui sermo est is quo facta sunt omnia.* Et l. 6. c. 2. *Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodùm homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus ejus sanguis est potus.* Et l. de initiand. c. 9. *Revera mirabile est, quòd manna Deus pluit Patribus.... hæc autem in figuram facta sunt nostri. Cognovisti præstantiora. Potior enim lux, quàm umbra; veritas, quàm figura; corpus Authoris, quàm manna de cælo. Fortè dicas: aliud video. Quomodò tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus, non esse hoc quod natura formavit* (utique panem) *sed quod benedictio consecravit.... benedictionibus etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens* (verè & proprie, non figuratè dumtaxat) *rursum apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit. Vides igitur prophetica gratiâ mutatam esse naturam, & serpentis & virgæ.... Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam, quàm naturam. Et adhuc tamen prophetiæ benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum illud, quod accipis, Christi sermone conficitur.... Incarnationis exemplo adstruamus mysterii veritatem. Nunquid naturæ usus præcessit, cùm Dominus Jesus ex Maria nasceretur?.... Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est.... vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, &c.*

Et Cyrillus Hierosolymitanus Catech. mystag. 176
4. *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? atque eodem quoque confirmante,*

& dicente : hic est sanguis meus : quis (inquam) dubitet & dicat, non esse illius sanguinem? Aquam aliquando convertit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ, solâ voluntate. Et non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset? Nam sub specie panis, datur tibi corpus, & sub specie vini, datur tibi sanguis, ut sumpto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est Christum ferentes.... cùm corpus ejus & sanguinem in membra nostra recipimus. Et post multa eandem in rem explicata, solutasque difficultates, subdit : *Hoc sensus & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustûs vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.*

177 Quinto sæculo S. Gaudentius homil. 2. in Exod. *Unus pro omnibus mortuus est, & idem per singulas Ecclesiarum domos, in mysterio panis & vini reficit immolatus.... ne terrenum putes, quod cæleste effectum est, per eum qui transit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem.* Et S. Chrysostomus homil. 51. in Matth. *Non vestis tantummodò, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus solummodò, sed ut comedamus & saturemur... veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, quâ mensâ fruaris, quam Angeli videntes tremunt... hoc nos pascimur... Neque illi satis fuit hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi; verùm & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm* (audiat Calvinus erroris sui contradictorium) *verùm & ipsâ re nos suum efficit corpus.* Et homil. 45. in Joan. *Ut autem non solùm per dilectionem, sed reipsâ in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit ...& sanguinem.... Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, Angelos & Angelorum Dominum ad nos allicit... Quòd si ejus figura tantam habuit vim in templo Hebræorum, in media Ægypto liminibus aspersus, longè magis veritas.... Hic sanguis in figura peccata purgabat : in qua si tantam habuit vim, si umbram ita mors horruit, quantoperè (quæso) ipsam formidabit veritatem?*

178 Eodem sæculo Augustinus concione primâ in Psal. 33. explicans verba ista Reg. 21. secundùm 70. *Ferebatur in manibus suis. Hoc* (inquit) *quomodo intelligebatur in ipso David secundùm litteram non invenimus. In Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum, ait : hoc est corpus meum. Ferebatur enim illud corpus in manibus suis.* Igitur ad litteram, adeòque in sensu plano, proprio & reali intelligit verba Salvatoris, *hoc est corpus meum.* Et in Psal. 98. necnon serm. de S. Stephano: *De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit* Et l. 2. contra adverss. Leg. & Proph. c. 9. *Christum Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde, oreque* (realiter proinde substantialiterque) *suscipimus.* Et epist. 11. ad Januar. *Liquidò apparet, quando primùm acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos; numquid tamen propterea calumniandum est universali Ecclesiæ, quòd à jejunis sumatur. Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in nos Christianos priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.*

179 Et Cyrillus noster Alexandrinus epist. ad Nestorium, à Concilio Ephesino anno 430. approbatâ: *Ad mysticas benedictiones accedimus, eáque ratione sanctificamur, utpote sacræ carnis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostri Salvatoris participes effecti..... Neque illam ut carnem communem suscipimus, sed tamquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam.* L. 4. adversus Nestorium pag. 112. *Edebant illi veteres homines Agnum immaculatum..... ut mortem in alios invadentem ipsi superarent, & exterminatorem effugerent.... Ergo conservabant ipsæ figuræ eos, qui ante nos fuerunt. Quantò igitur res nostræ sunt excellentiores, quibus ipsa Veritas, id est Christus illuxit, sanctamque suam carnem ad participandum apposuit?... Manna.... cùm per desertum ejus temporis hominibus demissum fuisset, typum gessit mysticæ benedictionis. Umbra namque erat lex. Ideò prudenter admodùm Dominus noster Jesus Christus typum extenuat, ut ad veritatem transferat. Neque enim ille fuit panis vitæ, sed ego potiùs, qui de cælo sum, & omnia vivifico, & me in manducantes etiam per unitatem mihi carnem infero.... Vide igitur quemadmodùm.... se in nostra demittit corpora, ut dixi, etiam per suam carnem, quæ veras est cibus : cùm illa legalis umbra.... non habeat veritatem.* Et lib. 4 in Joan. c. 2. *Sæpè Salvator, eumdem sermonem Judæis inculcans, variè proponit, modò quidem ænigmate & obscuritate multâ involutum, modò rejectâ tunicâ, nudum & apertum.... Nihil igitur occultans* nudè & apertè *demum Christus ait : Ego sum panis vivus, qui de cælo descendit. Illud manna typus erat (inquit) & umbra, & imago. Audite palam nunc & apertè :* "Ego sum panis vivus. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet "in æternum. " *Qui ex illo manducaverunt, mortui sunt : non erat enim vivificus. Qui autem manducat hunc panem, id est* ME, *sive* MEAM CARNEM (non in umbra figurarum, ut olim in manna; sed realiter & verè) *vivet in æternum.*

Item Leo Magnus serm. 6. de jejunio sept. mens. *Dicente Domino, nisi manducaveritis, sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur,* &c. 180

Sexto sæculo Gregorius Magnus homil. 14. *Bonus Pastor animam suam posuit, ut in Sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oves, quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret.* Et homil. 22. *Quid namque sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis supra utrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* Et lib. 4. Dial. c. 58. *Debemus.... quotidianas carnis ejus & sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, in qua Christus pro nobis iterùm in hoc mysterio immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur.... ejus sanguis.... in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi,* &c.? 181

Septimo sæculo Anastasius Synaïta lib. cui titulus, *Dux veræ fidei : Non dixit, hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum.* 182

Octavo sæculo Joannes Damascenus lib. 4. fid. orthod. *Christus non dixit : hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum.* Et iterùm : *Quæsivit Virgo, quomodo fiet mihi istud? Respondit Gabriel Archangelus : Spiritus sanctus superveniet in te. Tu quoque nunc quæris, quomodò panis nunc fiat corpus Christi, & vinum aquâ mixtum fiat sanguis Christi? Tibi quoque respondeo : Spiritus sanctus supervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem,* 183

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& mentis intelligentiam excedunt.... Quòd si quæras quo pacto id fiat? Satis tibi sit audire, quòd per Spiritum sanctum id fiat. Quemadmodùm ex sancta Dei Matre, per Spiritum sanctum Dominus sibi ipsi carnem condidit; nec quidquam amplius nobis perspectum & exploratum est, quàm quòd verbum Dei est verum, & efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat, quæ nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit, dicere, quòd quemadmodùm naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua in bibentis & comedentis corpus & sanguinem immutantur; sic panis & vinum, quæ proponuntur in altari, per sancti Spiritûs invocationem, & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.

184 Eodem sæculo septima Synodus Generalis, seu Concilium Nicænum II. act. 6. t. 3. sub finem: *Nullus aliquando tubarum spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri.... efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino sic dicere, vel confiteri, sed audiunt evangelicè, dicente eo: nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non intrabitis in regnum cælorum. Et qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Et accepto pane, gratias agens, fregit, & dedit Discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et non dixit: accipite & comedite imaginem corporis mei. Sed & Paulus divinus Apostolus ex divinis Domini vocibus hauriens, ait: ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, &c. Ergo liquidò demonstratum est, quòd nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine* (id est incruentum) *quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem typos quibusdam sanctorum Patrum hæc piè visum est nominare.... Post sanctificationem autem corpus propriè ac sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur.*

185 Nono sæculo Carolus Magnus, & Episcopi in Concilio Francofurtensi congregati solemniter declararunt, quòd Eucharistia imago non est corporis Christi, sed corpus ipsius, & veritas per veteres figuras significata.

186 Eodem sæculo Paschasius lib. de corp. & sang. Dom. *Omnia* (inquit) *quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra. Et quia voluit* (licèt in figura panis & vini) *hæc sic esse, omninò nihil aliud, quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt.* Quia (ut ibidem dicit) *sensibilis res*, panis scilicet & vinum, *intelligibiliter virtute Dei, per verbum Christi, in carnem ipsius ac sanguinem divinitùs transfertur.* Quod dicendo, nihil novum dixit, sed communem totius Ecclesiæ fidem explicavit, uti sub vitæ finem declarat in epist. ad Frudegard. Cùm enim de eo aliqui dubitare cœpissent, & ipsemet Frudegardus, de quo sic: *Dicis te sic anteà credidisse, & in libro quem de Sacramentis edidi, ita legisse; sed profiteris posteà, te in libro tertio de doctrina Christianâ B. Augustini legisse, quòd tropica sit locutio.* Hoc refutat tamquam novum errorem contra Dominum, & contra totius Ecclesiæ fidem: nam (inquit) *usque ad præsens nemo deerrasse legitur, nisi qui de Christo erraverunt*, ut Simoniani & Saturniani (apud Ignatium suprà n. 172.) qui negant veram Verbi Incarnationem, sive veram Christi carnem. Ideò addidit: *Miror quid volunt nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis Christi, vel sanguinis; sed in Sacramento virtutem quamdam carnis, & non carnem. Quamvis* (inquit) *quidam de ignorantia sic errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus Orbis credit & confitetur.* Et iterùm: *Videat qui contra hoc venire voluerit, magis quàm credere, quid agat contra ipsum Dominum, & contra omnem Ecclesiam.* Et iterùm: *Nefandum est scelus, orare cum omnibus, & non credere quòd ipsa Veritas testatur, & ubique omnes universaliter verum esse fatentur.*

Idem eodem sæculo testatur Amalarius (spicil. to. 7.) Eucharistiam appellans *universale sacrificium*, quo Christus immolatur in altari. Addens: *Sentit Ecclesia sacrificium præsens mandendum esse ab humano ore: credit namque corpus & sanguinem esse Domini, & hoc morsu, benedictione cælesti, impleri animas sumentium.* 187

Eodem rursus sæculo Remigius Altisiodorensis in cap. 11. Epist. 1. ad Cor. & in expositione Missæ: *Cùm mysterium sit, quod aliud significat, si in veritate corpus Christi, quare appellatur mysterium? propterea utique quia post consecrationem aliud est, aliud videtur. Videtur siquidem panis & vinum; sed in veritate corpus Christi est. Consulens ergo omnipotens Deus infirmitati nostræ, qui usum non habemus comedere carnem crudam, & sanguinem bibere, facit ut pristina remaneat forma & figura, illa duo munera, & sit in veritate corpus Christi & sanguis.* 188

Eodem sæculo Hincmar Archiepiscopus Remensis l. de prædest. c. 31. opinionem, quæ dicit Eucharistiam non esse nisi imaginem corporis Jesu Christi, redarguit, tamquam *novitatem contrariam fidei* Catholicæ. 189

Decimo sæculo S. Odo l. 2. c. 32. approbat multùmque extollit Paschasii librum suprà relatum de corpore & sanguine Domini, sequiturque proinde doctrinam, refertque in ejus vita Guilielmus Malmersburiensis ex Authore istius ætatis, Odonem *plurimos de veritate Dominici corporis dubitantes ita roborasse, ut panem altaris versum in carnem, & vinum calicis in sanguinem propalàm ostenderit, & denuò in pristinam speciem retorta usui humano conducibilia faceret.* Et S. Odilo in vita Imperatricis Adelaïdis, *laudat, quòd sacri olei unctione peruncta, Sacramentum Dominici corporis humiliter & devotissimè adorando perceperit, in quem semper credidit & speravit.* 190

Undecimo sæculo (cujus anno circiter 35. Berengarius suam contra hoc mysterium hæresim disseminare cœpit) S. Fulbertus Episcopus Carnotensis epist. 1. postquam refutavit opinionem impugnantium veritatem hujus mysterii, tamquam errorem incompatibilem cum fide & unitate Ecclesiæ: *& ideò ab Ecclesiæ unitate divisi, dum fieri nolunt discipuli veritatis, facti sunt Magistri erroris:* stabilit communem Ecclesiæ fidem de transubstantiatione, sive mutatione panis in substantiam corporis Christi: *Si ergo Deum omnia posse credis, & hoc consequitur ut credas, nec humanis disputationibus discernere curiosus insistes, si creaturas, quas de nihilo potuit creare, has ipsas multò magis valeat in excellentioris naturæ dignitatem convertere, & in sui corporis substantiam transfundere.* 191

Adelmannus (Berengarii sub S. Fallento condiscipulus) dicto anno 1035. Berengario exprobrat, quòd se ab Ecclesiæ unitate separasset, atque à fide Catholica dissentiret, credendo quòd 192

corpus & sanguis Domini, quæ per universam terram quotidie immolantur, non esset verum corpus Jesu Christi, nec verus sanguis ipsius, sed similitudo & figura.

193 Hugo Lingoniensis Episcopus, scriptis pariter ipsi litteris, ipsius doctrinam redarguit, tamquam *fidei Catholicæ contrariam*. Ipsumque alloquens: *universalem* (inquit) *Ecclesiam scandalizas*.

194 Deoduinus Episcopus Leodiensis, in litteris ad Henricum I. Regem (quas Baronius refert ad annum 1035. sed Durando malè attribuit) de Berengario conqueritur, tamquam innovatore veterum hæresum, cujus error adeò notorius esset, ut necesse non foret Concilium congregare ad ipsum condemnandum, & addit: *Absit ut tam perversis, & à veritate ipsa tantùm aversis jungamur per fidem, atque in sancta corporis & sanguinis communione minus aliquid fateamur, quàm Catholica per orbem universum prædicat Ecclesia.*

195 Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, l. de corp. & sang. Dom. c. 22. ipsum alloquens: *Fastu* (inquit) *plenus, contra orbem terrarum sentire cœpisti, contra Catholicam veritatem, & contra omnium Ecclesiarum opinionem scriptum condidisti. Quippe si verum est quod de corpore Christi tu credis, falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur & adstruitur. Omnes enim qui Christianos se, & esse & dici lætantur, veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc Sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui latinæ linguæ, nostrarumque litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet Nationis quoscumque Christianos homines, uno ore hanc fidem se testantur habere.*

196 Guitmundus Episcopus Aversanus, l. 3. ipsi pariter objicit, *ejus errori neque vel unam civitatulam, vel etiam unam villulam consensisse*. Et addit: *Si quis qualitatem, vel flagitiosam vitam eorum, per quos error ille utcumque pullulavit; siquis nullum sinceræ vitæ hominem, nullum penitùs sapientem; si demùm non solùm Concilia, sed etiam totum Orbem terrarum contradicentem penset, tacente nostrâ disputatione, quid magis tenendum sit, satis, ut arbitror, judicabit.*

197 Statim proinde contra Berengarianum errorem, velut novitatem fidei universali totius Ecclesiæ adversantem, Scriptores passim omnes insurrexerunt. Insurrexerunt & Concilia adversus eundem Berengarium eodem sæculo celebrata, scilicet Parisiense anni 1050. Vercellense sub Leone IX. Turonense sub Victore II. Lateranense 113. Episcoporum sub Nicolao II. Romanum sub Gregorio VII. in quo Berengarius suam hæresim post multiplicem relapsum abjuravit, tandemque pœnitens in Catholicæ Religionis professione anno 1088. nonagenarius obdormivit. Post cujus mortem hæresis ipsius rursum condemnata fuit in numerosissimo Concilio Placentino anno 1095. sub Urbano II.

198 Quid plura? sub initium ejusdem sæculi anno 1017. in Concilio Aurelianensi (cujus historia extat spicileg. t. 2. p. 674.) cùm quidam hæretici dogmatizarent, *peccata non ablui in Baptismo, Christum non esse natum ex Virgine, neque panem & vinum, quod super altare manibus Sacerdotum sancti Spiritûs operatione effici videtur Sacramentum, converti posse in corpus & sanguinem Christi*, opinamenta ista velut execrabilia portenta Concilium præsente Roberto Rege exhorruit: *cùmque hæc & alia execranda perditi & miseri evomerent*, &c. ut refertur in eadem historia.

199 Nec soli Latini Scriptores contra errorem illum undecimo sæculo scripserunt, verùm & Græci, ut Theophylactus in cap. 26. Matthæi: *Porrò dicens, hoc est corpus meum, ostendit, quòd ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit: hoc est figura, sed hoc est corpus meum. Infallibili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis, quoniam nimis infirmi sumus, abhorremus nudas carnes comedere, maximè hominis carnem. Et ideò panis quidem apparet, sed reverà caro est.* Et in cap. 14. Marci: *hoc est corpus meum, hoc* (inquam) *quod sumitis. Non enim figura & exemplar quoddam Dominici corporis, panis est, sed in illud ipsum convertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: panis quem ego dabo, caro mea est. Non dixit: figura est carnis meæ, sed caro mea est*, &c.

Sæculo duodecimo Petrus Cluniacensis plures epistolas scripsit adversus Petrum de Bruis, errorem Berengarii resuscitantem, contra quem scripsit etiam tractatum specialem de sacrificio Missæ, & transubstantiatione. Similiter S. Bernardus Henricum quemdam, Petri discipulum, confutavit epist. 24. serm. 65. in Cant. variisque sermonibus, & miraculis ipsum exagitavit, sicut & epist. 195. & 196. acriter refutavit Arnoldum de Brixia in eodem errore versantem. 200

Eodem sæculo Rupertus Abbas Tuitiensis multa ingeniosè scripsit, & in epist. nuncupatoria Commentariorum in Joannem Edit. Colon. anni 1526. Berengarianos impugnavit dicens: *Aliqui ex eis dum volunt Sacramentum corporis & sanguinis Domini solummodò signum esse sacræ rei, juxta errorem quondam Berengarii, etiam dictum B. Augustinum ita sentire putant. Quod omninò falsum est. Ego autem verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & verum esse decerto sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet..., Augustinum in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malo sensu accipiendo. Verùm hæc jam ferè nemo palam profiteri, aut defendere audet, universâ sentiente Ecclesiâ Catholicâ, quia verum Christi corpus, & verus Christi sanguis est.* Sic tamen Berengarii hæresim confutavit, ut audaci temeritate aliam hæresim de impanatione invexisse nonnullis videatur, tametsi ab aliis vindicetur. Hoc constat, Algerum l. 1. de corpore & sanguine Domini c. 6. conquestum, quòd tempore suo (eodem utique sæculo duodecimo) excitata foret nova hæresis & absurdissima de impanatione. Quam ibidem refellit, sicut & totis tribus libris de corp. & sang. Domini Berengarianam Calvinianamque hæresim confodit. De Algero Petrus Cluniacensis initio libri sui de sacrificio Missæ sic testatur, Lanfrancum scripsisse de Sacramento Eucharistiæ benè, plenè & perfectè; Guitmundum melius, plenius & perfectius; Algerum optimè, plenissimè & perfectissimè. 201

Eodem rursus sæculo catholicam (quam asserimus) veritatem tradiderunt Hugo à S. Victore, Petrus Lombardus, Petrus Blesensis aliique permulti. 202

Nec soli Latini, sed & Græci, Basilius Archiepiscopus Thessalonicensis in epist. ad Adrianum IV. Papam. Isaac Armeniæ Episcopus in Auctario Biblioth. PP. col. 344. & 346. Simeon Junior sacrarum Medit. c. 14. Euthymius in Matth. c. 64. ubi sic: *Sicut vetus Testamentum hostias & sanguinem habet; ita sanè & novum, corpus videlicet & sanguinem Domini. Non dixit autem, hæc sunt signa corporis & sanguinis mei, sed hæc sunt corpus meum, & sanguis meus.* 203

Sæculo XIII. (præter Albertum Magnum, Alexandrum de Ales, S. Thomam, S. Bonaventuram, cæterosque Scholasticos, quotquot de hac materia scripserunt) assertionem nostram Catholica Ecclesia anno 1215. definivit in Concilio Magno Lateranensi 1200. Patrum sub Innocentio III. cap. 1. ubi sic: *Una vera est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur,* 204

in qua idem ipse Sacerdos & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini, veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem.

205 Sæculo XIV. eandem veritatem Ecclesia anno 1311. non solùm recepit in Concilio Viennensi sub Clemente V. sed & decrevit festivitatem corporis Christi quotannis celebrandam.

206 Sæculo XV. eandem iterùm veritatem anno 1418. professa est in Concilio Constantiensi sess. 13. ubi sic: *Firmissimè credendum, & nullatenùs dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quàm sub specie vini, veraciter contineri.* Et rursus anno 1438. in Concilio Florentino sess. 25. *Hoc sacro universali approbante Concilio definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altaribus ipsum Christi corpus conficere*, &c.

207 Sæculo XVI. eandem veritatem contra Zuinglianos, Calvinistas, Lutheranos, &c. rursum definivit in Concilio Tridentino sess. 13. in cujus Præfatione posteaquam dixit: *Eadem sacrosancta Synodus sanam & sinceram illam de venerabili hoc & divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens, quam semper Catholica Ecclesia ab ipso Jesu Christo Domino nostro, & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta retinuit, & ad finem usque sæculi conservabit, omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quàm ut est hoc præsenti decreto explicatum atque definitum*, cap. 1. definit ut suprà n. 144.

CAPUT XVIII.

Quintò hæretici contra se habent perpetuam totius Ecclesiæ Catholicæ fidem, unanimemque Nationum omnium Christianarum consensionem. Unde patet ipsos Novatores esse, alienosque à perpetua Ecclesiæ fide, in quam tota Ecclesia Græca cum Latina consentit, semperque consensit.

208 QUòd habeant contra se perpetuam totius Ecclesiæ Catholicæ fidem, constat ex dictis capitibus præcedentibus. Illam enim fidem Ecclesia Catholica tenet, semperque tenuit, quam à Patribus, & per Patres ab Apostolis, & per Apostolos à Christo accepit, & per Oecumenica Concilia declaravit. Atqui Christum verè, realiter, & substantialiter in venerabili Eucharistiæ Sacramento contineri, per octo Concilia Oecumenica declaravit, & à Patribus omnibus, qui fuerunt à temporibus Apostolorum, imò ab ipsismet Apostolis, & à Christo verbis planis & perspicuis id docente ipsa accepit, uti demonstravimus capitibus præcedentibus.

209 Et confirmatur: quia cùm Berengarius suam hac de re hæresim propalavit, is erat, semperque fuerat universæ Ecclesiæ sensus & consensus, Christum in hoc Sacramento verè, realiter, & substantialiter contineri, non tropicè, figuratè, & objectivè, aut virtualiter, seu in virtute dumtaxat. Nullus quippe alicujus nominis unquam aliter crediderat, nullus apertâ fronte tradiderat, quem Ecclesia pro Catholico agnoverit. Allegatur quidem à nonnullis Ratramnus quidam, vel Bertramus, Monachus Corbeïensis, noni sæculi Scriptor, sicut & Joannes Scotus Erigena, ipsi synchronus. Sed tametsi ambiguè hac de re scripserint, ideòque plerisque de hæresi suspecti fuerint, vel etiam habiti hæretici. Sed tametsi Joannem Erigenam (non Ratramnum) pro sua hæresi Berengarius allegaverit, ideòque in Concilio Vercellensi liber Erigenæ proscriptus fuerit; ipsos tamen ab ea hæresi expurgant Acta SS. Ordinis S. Benedicti Parisiis anno 1680. edita, in Præfatione sæculi IV. ideòque istius hæreseos primum scandalum Guitmundus l. 3. S. Thomas q. 75. a. 1. in fine corp. Bellarminus aliique in Berengarium rejiciunt; ita ut Guitmundus dicat, *notissimum esse hoc tempore, priusquàm Berengarius insaniisset, hujusmodi vesanias nusquam fuisse.* Quidquid tamen de eo sit, dato, non concesso, quòd vel Ratramnus, vel Erigena, vel alius quispiam ante Berengarium hac de re perperàm senserit, vel scripserit; non apertè, sed obscurè & ambiguè scripsit, & contra communem Ecclesiæ fidem. Neque id Ecclesia sustinuit, dum in publicam ipsius notitiam devenit, ut constat ex eo quòd proscripserit Erigenæ librum (ante sæculum undecimum vix pervulgatum, solùmque paucis notum, prout constat ex eo quòd nullus ante sæculum undecimum feciss legatur mentionem illius) statim atque intellexit Erigenam in eo tam lubricè, & ambiguè loqui, ut de Berengariano errore suspectus foret, ipsumque proinde Berengarius in sui erroris patrocinium allegaret. Enimverò quis ante sæculum nonum hac de re fuerit Ecclesiæ sensus & consensus, Synodus septima Generalis suprà n. 184. evidenter nos edocuit. Quis verò fuerit sæculo nono, sub illius initium, accipe ex Amalario (qui obiit anno 14. istius sæculi:) *Sentit Ecclesia* (inquit) *sacrificium præsens mandendum esse ab humano ore: credit namque corpus & sanguinem Domini esse.* Quod Amalarii testimonium exponi nequit, nisi de vero, reali & substantiali corpore Christi: cùm usque adeò verè, realiter & substantialiter Amalarius id intellexerit, ut modo nimis grosso, divinum illud corpus accepisse videatur, cùm addidit: *Ita verè sumptum corpus Domini, bonâ intentione, non est mihi disputandum, utrùm invisibiliter assumatur in cœlum, an reservetur in corpore nostro usque in diem sepulturæ, an exhaletur in auras, aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur*, &c. Accipe etiam ex Paschasio epist. ad Frudegard. ubi sic: *Usque ad præsens nemo deerrasse legitur, nisi qui de Christo erraverunt*, ut Simoniani & Saturniani. Et infrà: *Quamvis ex hoc quidam de ignorantia errent, nemo tamen adhuc est in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus Orbis credit & confitetur.* Unde statim atque in aperto Berengarius sæculo undecimo contradixit, in ipsum, velut novatorem, fideique totius Ecclesiæ contradicentem, istius sæculi Scriptores passim omnes insurrexerunt, utique Fulbertus, Adelmannus, Hugo Lingonensis, Deoduinus, Lanfrancus, Guitmundus, uti n. 191. 192. 193. 194. 195. & 196. vidimus. Quod eodem sæculo amplius constitit ex tot Conciliis n. 197. productis, quibus Berengariana hæresis per Ecclesiam damnata fuit.

Eundem totius Ecclesiæ sensum & consensum 210
fuisse à sæculo undecimo usque ad præsens, constat ex dictis à n. 200. usque ad 208.

A sæculo nono ascendendo usque ad tempora 211
Apostolorum n. 184. authenticum exhibuimus testimonium Concilii Oecumenici VII. quòd *nullus.... Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium.... dixit imaginem corporis ejus.... Item quòd nusquam Dominus, vel Apostoli aut Patres imaginem dixerunt sacrificium.... quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem typos quibusdam SS. Patrum hæc piè visum est nominare.... Post sanctificationem autem*

corpus proprie ac sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur. Et verum esse testimonium Concilii Generalis VII. demonstravimus à n. 172. ad 184. ex Andræa & Paulo Apostolis, Ignatio, Justino, Tertulliano, Hilario, Ambrosio, Cyrillo Hierosolymitano, Gaudentio, Chrysostomo, Augustino, Cyrillo Alexandrino, Leone Magno, Gregorio Magno, Anastasio Sinaïta, Damasceno. Necnon ex Conciliis Nicæno I. & Ephesino, quorum testimonia æquè plana ac perspicua sunt pro hac veritate, quàm pro veritate Trinitatis & Incarnationis, nec ad figuram excludentem veritatem magis trahi possunt illa quàm ista.

212 Et citato quidem sæculo octavo tam firma fuit quoad hoc Ecclesiæ persuasio, ut cùm acta septimæ Synodi Generalis in Galliam essent allata, verbaque Iconoclastarum cum septimæ Synodi Decreto, per errorem, minùsque integram actorum VII. Synodi in latinam linguam versionem, confusa fuissent, Galliæ Episcopi in tantam inde offensionem abierunt, ut lib. 4. Capitul. c. 14. magno zelo refellere aggressi sint, perperàm existimantes à VII. Synodo imaginem tantùm, non veritatem corporis & sanguinis Domini in hoc mysterio agnosci. Hoc (inquam) magno zelo refellere aggressi sunt, dicentes: *Non enim sanguinis & corporis Dominici mysterium imago est, sed veritas: non umbra, sed corpus: non exemplar futurorum, sed id quod exemplaribus præsentatur.* Quamquam & in ipsis quoque Iconoclastis illi Galliarum Episcopi decepti fuerint, cùm & ipsi Catholicam nobiscum agnoverint veritatem (quòd utique in Eucharistia corpus & sanguis sit propriè & in veritate, non solùm in imagine) ut Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, Tharasii Successor, testatur in Antirretico apud Allatum pag. 1222. & D. Arnaldus demonstrat in defens. perpet. fid. l. 7. c. 7. Nullique proinde usque ad sæculum nonum vel undecimum à Catholica quoad hoc veritate aberrasse legantur, sive apud SS. Patres, sive apud Ecclesiasticos Scriptores, sive apud eos qui historias Ecclesiasticas, vel hæresum Catalogum texuerunt, exceptis iis qui de Christo erraverunt, Simonianis utique, Saturnianis, Marcionitis, Manichæis.

213 Vel ipso sæculo primo hæretici habiti sunt, qui veram & propriè dictam Christi carnem in Eucharistia non crediderunt, ut constat ex epist. S. Ignatii ad Smirnenses n. 172. relata.

214 Similiter à Berengarii tempore semper ut hæretici ab Ecclesia habiti sunt, quotquot ipsius hac de re commentum secuti sunt. Nec solùm ab Ecclesia Latina, verùm etiam ab Ecclesia Græca. Quippe quæ eandem semper cum Ecclesia Latina fidem quoad hoc tenuit, uti perspicuè demonstrat laudatus D. Arnaldus in l. de perpetuitate fidei Eucharistiæ, & in defensione illius, & de eo quidem usque ad sæculum octavum constat ex Concilio Nicæno I. Ephesino, & Nicæno II. suprà relatis, Græcisque Patribus, Ignatio, utroque Cyrillo, Chrysostomo, Anastasio Sinaïta, Damasceno, cap. præcedenti relatis, quibus concinunt Hesychius l. 6. in Levit. dicens quòd in hoc mysterio *Christi corpus & sanguis est secundum veritatem.* Nissenus orat. Catech. c. 37. *Recè... Dei Verbo significatum panem, in Dei Verbi corpus credo transmutari.* S. Ephrem Syrus lib. de Nat. Dei: *Participa immaculatum corpus & sanguinem Domini tui fide plenissimâ, certus quòd Agnum ipsum integrè comedas... omnem excedit admirationem... quod nobis fecit unigenitus Filius Christus... manducandum præstitit nobis, carne vestitis, corpus suum & sanguinem.* Isidorus Pelus. epist. 109. l. 1. *In Eucharistia Spiritus sanctus panem efficit, proprium corpus, quo Christus seipsum induit in sua Incarnatione.* Concinunt pariter Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, aliique passim omnes, qui hac de re scripserunt, ita ut nullus ex Patribus Græcis proferri possit, qui ab hac Catholica veritate dissentiat, ut Concilium Nicænum II. verissimè dixit.

Omnes igitur Patres Græci Catholicam de hoc 215
mysterio veritatem tradiderunt usque ad sæculum nonum. Nec dubium quin eos (præsertim Damascenum) secuti sint Patres sequentium sæculorum, utpote qui Damascenum suspexerunt velut Græcorum Theologorum Principem, prout Latini posteriores S. Thomam. Sæculo nono signanter ipsius de hoc mysterio Theologiam secuti sunt Nicephorus, Theodorus Graptus, Theodorus Abucara, Petrus Siculus, prout Arnaldus demonstrat l. 7. defens. c. 9.

Sæculo decimo ibidem duo producit exempla, 216
ex quibus demonstrat Eucharistiam in Ecclesia Græca adoratam fuisse tamquam verè continentem corpus Domini Dei nostri.

Sæculo undecimo & sequentibus usque ad ho- 217
diernum diem, creditam à Græca Ecclesia transubstantiationem, Dominici corporis & sanguinis in Eucharistia veritatem, realitatem, subsistentialitatem, in eadem defensione l. 2. à cap. 5. usque ad finem, totisque libris 3°. & 4°. perspicuis, luceque meridianâ clarioribus Græcorum testimoniis, utique Theophylacti, sæculo undecimo. Euthymii Zigabeni, Nicolai Episcopi Methonensis, Zonaræ & Nicetæ Choniatæ, sæculo duodecimo. Samonatis Episcopi Gazæ, sæculo decimo-tertio. Nicolai Cabasilæ, Manuëlis Calecas, sæculo decimo-quarto. Simeonis Archiepiscopi Thessalonicensis, actisque in Concilio Florentino, & post illud, sæculo decimo-quinto. Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani, Margunnii Episcopi Cytherensis, Hilarionis Monachi, sæculo decimo-sexto. Quibus l. 12. addit Metrophanem Patriarcham Alexandrinum in confessione fidei c. 9. Sæculo decimo-septimo, Gabriel Severus Metropolita Philadelphiensis tractatum edidit de Sacramento divinæ Missæ, in quo expressè docet *transubstantiationem panis & vini in Salvatoris nostri carnem & sanguinem.* Insuper Apologiam edidit adversus Orientales, in qua disertissimè asserit, per dictam transubstantiationem deperdi panis & vini substantiam, transmutariquè in adorandam substantiam corporis & sanguinis Domini, solis remanentibus panis & vini accidentibus. Idcòque Sacramentum istud supremo cultu à fidelibus adorandum.

Eodem sæculo decimo-septimo Agapius, Re- 218
ligiosus Montis Athos, in libro cui titulus, *Salus peccatorum,* cap. de præparat. ad communionem, & quinque capitibus sequentibus, eandem (quam asserimus) veritatem expressissimè tradit, respondetque in fine ad objecta Calvinistarum.

Eodem rursus sæculo cùm Cyrillus Lucar, Ba- 219
tavis spopondisset Calvinismum à se profitendum, & promovendum, si eorum opibus & mediatione ad Patriarchatum Constantinopolitanum promoveretur, sub eaque sponsione fœderati Ordines per suum Constantinopoli Legatum, & oblatam Magno Visirio pecuniæ vim, ad dictum Patriarchatum promovissent, factusque Patriarcha, sponsioni stans, Calvinismum palàm professus fuisset, Græcià totâ, eam ob causam, sicut & ob horrenda scelera ipsius, contra ipsum perstrepente, ter à Sede sua pulsus, tandemque trucidatus fuit, & post obitum, duplici contra ipsum Concilio Constantinopoli coacto, anathemate percussus fuit. Nam alter Cyrillus Berœensis, ipsius in Sede Constantinopolitana Successor, cum duobus aliis Patriarchis, Alexandrino & Hierosolymitano, ac 22. Episcopis in Synodo congregatis, Cyrillum Lucaris, ut apostatam, eamque quam fecerat

Calvinianæ

Calvinianæ hæreseos confessionem anathematizavit, inter cætera dicens : *Anathema Cyrillo, qui in inscriptione articulorum suorum calumniosè dixit, totam Orientalem Ecclesiam Calvino consentire.* Et infrà : *Anathema Cyrillo, qui docet, & credit, quòd nec panis qui offertur, nec vinum, per benedictionem Sacerdotis, & adventum Spiritûs sancti, mutantur in verum corpus sanguinemque Jesu Christi, cùm scripsit decimo-septimo hæreticorum articulorum suorum, id quod videmus, & accipimus, non esse corpus Jesu Christi.*

Anathema Cyrillo, qui sic transgreditur oracula certa Spiritûs sancti, renuitque audire vocem Dei Hominis, dicentis ad discipulos suos : Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, &c.

220 Sed & Parthenius alter successor Cyrilli anno 1642. coacto altero Constantinopoli Concilio, cui subscripserunt Parthenius, dictus Oecumenicus Patriarcha, Petrus Mogilas, Metropolitanus Russiæ, eumque his alii plerique Antistites, omnesque Primarii Magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Ministri ac Officiales, damnavit totam Calvinianam hæresim, omnesque articulos illius, damnandoque articulum 16. sic ait : *Divinam autem Eucharistiam ita convellit* (Calvini secta) *ut nihil ipsi aliud, nisi nudam figuram relinquat, quasi adhuc in umbra veteris legis serviremus. Negat enim eum, qui videtur, & comeditur, panem jam sanctificatum, esse verum Christi corpus, sed spiritualiter tantùm intellectum, aut potiùs imaginando fictum, quod omni impietate plenum est. Neque dixit Jesus, hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Addit Concilium istud : *Numquam Ecclesia nostra* (id est Orientalis) *dogmatibus istis decepta fuit, optamusque ut per gratiam Spiritûs sancti eam dirigentis, in præcipitium istud nunquam decidat.* Tot tantisque testimoniis non potest homo cordatus non acquiescere.

221 Tanta nihilominùs nuper fuit Claudii (Calviniani Ministri) temeritas, ut iis non acquiescens, perfrictâ fronte adhuc negaret, Orientalem Ecclesiam Occidentali in puncto præsenti consentire. Ideò, ad totalem Calvinianæ sectæ confusionem, Arnaldus tomo 3. perpetuitatis fidei, hujus confessionis tam manifestas probationes superaddit, ut de ea nullus dubitaturus sit, nisi pudori prorsus renuntiaverit. Post allatum namque superioribus libris testimonium integræ Synodi in Cypro coactæ ; post allatum quoque Catechismum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Venetiis 1635. excusum ; post exhibitam Ecclesiæ Græcæ confessionem orthodoxam, cui quatuor Patriarchæ, plurimique Orientales Episcopi subscripsere ; post exhibitam confessionem Methodii Patriarchæ Constantinopolitani, & Hilarionis Cicada, Majoris Ecclesiæ Theologi ; post producta testimonia octo Monachorum Montis Athos, Michaëlisque Chortacii Cretensis Presbyteri, & plurium aliorum apertissimas declarationes. Libro 8. profert 1°. testimonium septem Orientalium Metropolitarum, datum Peræ 18. Julii 1671. quo omnes in Christo credentes certos reddunt, *Calvinistas Gallos Ecclesiam Orientalem impudenter calumniari, quamvis absurda eorum de Eucharistia sententia variis Constantinopoli coactis Concilio contrita & reprobata sit.* Seque realem corporis Christi præsentiam, panisque & vini transubstantiationem, solis accidentibus remanentibus, admittere contestantur : denique eos qui contra sentiunt pernicioſi erroris damnant.

222 Secundò profert publicum testimonium Ecclesiarum Archipelagi, ab Episcopis, Abbatibus, Sacerdotibus, ac Monachis subscriptum, quo Calvinistas, negatæ transubstantiationis Ecclesiam Græcam diffamantes, *superbos hæreticos, stultè opinantes, perversè sentientes .... iniquos impostores, Ecclesiæ Orientalis calumniatores, impudentes, sine timore Dei calumniantes, mendaces declarant.*

Tertiò litteras Panajottæ Nicusii ad Marchionem de Nointel, Christianissimi Regis ad Portam Ottomannicam Legatum, datas Adrianopoli 20. Decembris 1671. ubi sic : *Mirum sanè est, vir excellentissime, cur non pudeat Calvinianæ hæresis sectatores, post tot Ecclesiæ Orientalis contra eos factas demonstrationes, post tot Actus Synodales typis evulgatos, post Cyrillianæ confessionis damnationem, post Meletii Sirigi, Doctoris Ecclesiæ Orientalis, prolixam ejusdem refutationem, post denique sæpè memoratæ Ecclesiæ fidei suæ confessionem, omnium ferè Antistitum suorum unanimi consensu & confessione nuperrimè publicatam, tam impudenter & pertinaciter hanc Ecclesiam in consortium pernicioſarum hæreseon suarum advocare. Si enim Græcorum Ecclesiæ fidei confessionem scire cupiunt, quare eam solummodò à Cyrilli, quater ob suspicionem hæreseos Sede Patriarchali à Græcis expulsi, post occisi, ac ultimò publico anathemati traditi confessione petunt? Si quærunt quid de vera & substantiali Jesu Christi Servatoris in divino Eucharistiæ mysterio præsentia Græci credant, inspiciant paulisper libros Officiorum Sacerdotalium, quos Euchologia vocant, & perlegant orationes, quas quilibet Sacerdos ante & post Sacramentorum assumptionem tenetur absolvere ...., Hæc scrutentur Calvinistæ, & invenient veram Orientalis Ecclesiæ confessionem*, &c. 223

Quartò profert testimonium authenticum Patriarchæ Constantinopolitani, trium Expatriarcharum Constantinopolitanorum, Patriarchæ Alexandrini, necnon triginta quinque Metropolitanorum, datum Constantinopoli in domo Patriarchali indictione 20. mensis Januarii 1672. ipsorum subscriptionibus munitum, tenoris sequentis : *Quoad terribile Eucharistiæ Sacramentum, credimus, & sine dubitatione confitemur, verum Domini nostri Jesu Christi corpus esse invisibiliter præsens præsentiâ* reali *in Sacramento. Nam operatione sanctissimi Spiritûs, modo supernaturali & ineffabili, panis in proprium Jesu Christi corpus, & vinum in vivum ejus sanguinem, realiter, verè, & propriè commutatur..... Sacramentum hoc verâ adoratione dignum est : in eo enim non minori venerationis cultu corpus Jesu Christi Salvatoris à divinitate assumptum prosequimur, quàm ipsam divinitatem adoremus. Pro omnibus Christianis orthodoxis, cùm vivis, tùm vitâ functis, in sacrificium offertur.* 224

Quintò producit librum confessionis orthodoxæ, quem Dionysius Patriarcha Constantinopolitanus, ad retundendam calumniam Calvinistarum, secundò edi curavit, cujus Autographus manuscriptus ad Regem Christianissimum missus est, in quo multis ostenditur, quòd *transubstantiantur panis in verum corpus Christi, & vinum in sanguinem, remanentibus solùm speciebus visibilibus.* Quòdque huic Sacramento exhibendus sit honor, qui debetur ipsi Christo. 225

Sextò exhibet processum Synodalem, à Dositheo Patriarcha Hierosolymitano in ipsa Synodi celebratione die 20. Martii 1672. editum, cui Dositheus Patriarcha, Nectarius Expatriarcha, sex Metropolitani ac Archimandritæ, Presbyteri, Diaconi, & Monachi quinquaginta tres subscripsere, sub hoc titulo : *Clypeus fidei orthodoxæ, seu Apologia adversus hæreticos Calvinistas, Ecclesiam Orientalem secum idem de Deo, rebusque divinis sentire accusantes, editus à Synodo Hierosolymitana, sub Patriarcha Dositheo*, quo fidem transubstantiationis, realisque præsentiæ verbis expressissimis confitentur, Calvinistasque vocant *vaniloquos, novatores, hæreticos, mendacii architectos,* 226

apostatas, artificiosos Scripturæ & Patrum (hæreticorum more) expositores, qui post tot Græcorum Patriarcharum declarationes, post typis editam confessionem orthodoxam, post reprobatas, & anathemate percussas Cyrilli Lucaris impias responsiones, post solemnes Œconomachorum, atque realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam transubstantiationemque negantium quotannis bis iteratas excommunicationes, post Gabrielis, Archiepiscopi Philadelphiensis, Gregorii Protosyncelli, Theophani Patriarchæ Hierosolymitani clarissimas lucubrationes, Ecclesiam Græcam calumniari non cessant.

227 Septimò, splendidissimum pariter exhibet testimonium Macharii Patriarchæ Antiocheni de 20. Octobris, & 15. Novembris 1671. necnon de 3. Maii 1673. ab ipso Patriarcha, pluribus Episcopis, Sacerdotibus, & Laicis subsignatum, quo sententia Calvinistarum quoad Eucharistiam, cæteraque puncta ferè omnia (quibus à Romana Ecclesia dissentiunt) gravissimis censuris proscribuntur.

228 Octavò, hisce omnibus addit testimonium Abbatis & Monachorum Monasterii Mauromolani de 14 Octobris 1671. necnon Abbatum & Monachorum in Insulis Principum commorantium, qui suprà laudato Regis Christianissimi ad Portam Ottomannicam Oratori testificati sunt, Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis consensum, quoad realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam.

229 Nonò, addit & testimonium Episcoporum Orientalium Colchidis & Iberiæ, Hilarionis præcipui Episcopi syngrapho munitum, ad suprædictum Christianissimi Regis Legatum à P. Josepho Maria Zambio, Clerico Regulari missum, unà cum testimonio Oratorum, seu Residentium plurium Principum ad Portam Ottomannicam, utique Regis Poloniæ, Reipublicæ Genuensis, Reipublicæ Ragusanæ, &c. testificantium se post multa cum Græcis Episcopis habita colloquia, fidemque Orientalis Ecclesiæ magnâ curâ, pluriumque annorum experientiâ investigatam, eandem in Græcis, quoad Eucharistiam, fidem invenisse, quæ est in Latinis Romanis. Quibus omnibus adjungitur scriptum Nicolai Spatarii Moldavo-laconis Baronis, ac olim Generalis Wallachiæ Holmiæ anno 1667. missum ad Excellentiss. D. Pomponium, Regis Christianissimi ad Regem Sueciæ Legatum Extraordinarium, sub hoc titulo: *Enchiridion, seu Stella Orientalis Occidentali splendens*, id est sensus Ecclesiæ Orientalis, id est Græcæ, de transubstantiatione corporis Domini, aliique controversiis, ubi de Calvinistis sic ait: *Novi hi disputatores, omni alio excluso refugio, ad Orientalem ita statim se Ecclesiam recipiunt, & effrontes statuunt, quod nostra Ecclesia suis dogmatibus patrocinetur. Sed azylum sit ipsis præcipitium. Patriarcha Constantinopolitanus, sæpius ab his consultus, nunquam non gravi censurâ illorum dogmata notavit.* Et infrà: *Statui.... demonstrare verè & evidenter quid sentiat de his Orientalis Ecclesia, quæ de primo puncto sic statuit: primò quòd purissimum corpus, & pretiosissimus sanguis Domini, post consecrationem, sub speciebus panis & vini, verè, realiter, & substantialiter.... sit præsens.... Secundo credimus panem & vinum, per verba Domini, substantialiter, & verè mutari ac transubstantiari in corpus & sanguinem, ita ut post consecrationem non maneat substantia panis & vini.... Tertio credimus Christi corpus & sanguinem in divina Liturgia, omni modo latreuticè adorandum, cultu tam interno, quam externo.... Quarto credimus oblationem mysterii esse verissimum ac proprium sacrificium novi Testamenti, quo propitiatur Deus vivis & defunctis... Dum ad communionem pergunt Græci, quilibet orationem S. P. N. Joannis Chrysostomi recitat cum magna fide & fiducia: Credo Domine, & fateor, quod tu es Christus Filius Dei vivi, qui venisti in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Credo etiam, quòd hoc ipsum est purissimum corpus tuum, &c.... Omnes Orientalis Ecclesiæ filii, non solum Græci, verum etiam Russi, Moscovitæ, Moldavi, Wallachi, Georgiani, Mingreli, Circassæ, Arabes & sexcenti alii, uno ore omnes solemniter credunt mysterium hoc esse corpus & sanguinem Domini, atque illud.... summâ recipiunt reverentiâ.*

CAPUT XIX.

Aliarum Nationum in idem consensus.

NEc soli Græci Schismatici cum Ecclesia Romana credunt realem substantialemque Christi in Eucharistia præsentiam, sed & cæteræ Nationes Christianæ, à Romana Communione pariter sejunctæ, prout Arnaldus evidentissimè demonstrat de Moscovitis, Armenis, Nestorianis, Jacobitis, Maronitis, Syris, Melchitis, Ægyptiis, Cophtis, Æthiopibus, &c. 230

Et pro Moscovitis quidem producit amplissimum testimonium Payfii Ligaridii, Metropolitani Gazæ, apud Magnum Moscoviæ Ducem residentis, scriptum ad Dominum Lilienthal, Residentem Regis Sueciæ in Moscovia 8 Novembris 1666. in quo ostendit, quoad hoc mysterium, eandem esse fidem Græcorum & Moscovitarum, ac Romanorum. Producit item testimonium Joannis Joannidis Sacerdotis & Canonici Moscovienſis, triumque Laicorum Comitum Legati Magni Ducis Moscovitarum ad Regem Christianissimum anno 1668. 231

Pro Armenis profert testimonium D. Haviadour, Patriarchæ Armenorum, & Basilii, Doctoris Armeni, propriâ ipsorum manu subscriptum: *Audivimus aliquos dixisse, quòd Orientales omnes, exceptis Romanis, non credunt sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ esse verum corpus Christi, & miramur multùm stultitiam eorum, & audaciam, qui ea quæ ignorant proferunt. Nam Orientales omnes ipsius temporis, in sacrificio Missæ credunt, fide indubitabili & inhæsitabili, panem verè transmutari in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Imò de hac re nunquam dubitaverunt, nec unquam habuerunt infidelitatem hanc, quam audivimus nunc à quibusdam nomine tantum Christianis. Unde certum facimus vos, quòd nos Armeni habeamus ab antiquis Patriarchis nostris, à tempore Concilii Nicæni usque nunc, illum articulum fidei, habemusque in Liturgia nostra, præter verba consecrationis, hæc: Pater omnipotens emitte Spiritum tuum sanctum, & cooperante eodem, transmuta panem hunc in corpus, & vinum hoc in sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & Dei Salvatoris.* Pro iisdem addit formalissimum testimonium Ufcani, Episcopi Erevamensis Armeni, necnon testimonium alterius Patriarchæ Armeni, Alepi commorantis, Azariæ, Joannis & Gregorii Episcoporum, pluriumque Sacerdotum Armenorum. 232

Addit denique duo alia testimonia authentica, unum Cruciadoris Patriarchæ Armenorum, ab ipso, & quatuor Archiepiscopis, pluribusque Sacerdotibus subscriptum in civitate Sisiensi anno 1672. ubi sic: *Faxit Deus, ut natio nostra tantùm distet à talibus & similibus erroribus Calvinistarum & Lutheranorum, quantùm cœlum à terris.... Dicunt corpus Christi non esse realiter in Eucharistia, sed panem tantummodo & vinum, figuras & signa corporis & sanguinis Jesu Christi,* 233

quæ

quæ vim & virtutem eorum recipientibus communicant..... Dicunt substantiam panis & vini non converti in corpus & sanguinem Christi, sed panem & vinum manere post consecrationem. Missam non esse verum sacrificium propitiationis, nec debere offerri pro vivis & defunctis. Incongruum esse adorare Christum in Eucharistia, imò nec posse adorari sine idololatria.... Nos igitur suprascriptus Cruciador Patriarcha, una cum nostris Ecclesiasticis, Episcopis, Doctoribus, & Presbyteris, mox ut audivimus has suprà allatas propositiones, mendaciis refertas, horrendas, ac totaliter penitùsque contrarias Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, ejusdemque sectatoribus, uti patet singulis, pro viribus conati sumus è medio tollere ejusmodi errores, ac spurcitias, huc usque auribus nostris inauditas. Imò absit ut talium hæresum sola cogitatio in mentem nostram incidat; quia potiùs ab ipsis toto animo abhorremus, tamquam à mortifero veneno, & adeò detestamur eas, ut ne quidem de ipsis aliquid audire velimus.

234 Alterum testimonium est Davidis, Archiepiscopi Civitatis Regiæ Spaham, missum ad Regem Christianissimum à Natione Armena, in Persia degente, datum in Conventu Episcoporum & Doctorum 10. Decembris 1671. quo in Calvinistas invehuntur, velut *Novatores ponentes falsam impostaram, fingendo Armenos esse communicantes eorum malitiæ.* Cujus oppositum declarant, dicentes: *Credimus & dicimus, Christum habere corpus & naturam humanam, quod largitur pretiosè omnibus dignè accipientibus, & habemus firmum fundamentum in verbo Domini Matth. 26. hoc est corpus meum, & sanguis meus, & non signum. Unde indubitatè adoramus Christum in illo Sacramento. Et ille qui talia non credit, sit ipse idololatra; nobis verò fidelibus est salutaris atque optimus cultus. Pariter credimus esse veram propitiationem vivis & defunctis. Tales sunt intentiones, potentissimæ Rex, Episcoporum & Doctorum Ecclesiæ Armenæ, quibus breviter ostendimus veracitati vestræ, quòd non sumus tales, ut diffamaverunt,* &c.

235 Pro Nestorianis (inter alia ad id argumenta) exhibet primò declarationem P. Adam Religiosi Chaldæi, Archidiaconi Cameræ Patriarchalis, & Legati ab Elia Nestorianorum Patriarcha missi ad Paulum V. in scripto adversus hæreses fidei Catholicæ Romanæ contrarias sic loquentis: *Nestorius circa Sacramenta vivificantia docet nos ali corpore & sanguine puri hominis. Sed Deus à nobis avertat hunc sensum. Quippe manducamus verum Dei corpus, sed Dei incarnati. Verè bibimus sanguinem hominis, sed hominis Dei.*

236 Secundò extractum ex libro Margaritarum Abdiesu, alterius Patriarchæ Nestorianorum, tenoris sequentis: *Per ista mandata Domini, panis mutatur in corpus ipsius, & vinum in pretiosum ejus sanguinem.*

237 Tertiò formam consecrationis usitatam apud Nestorianos Indos, hanc utique: *hoc est in veritate corpus meum: hic est in veritate calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur,* &c.

238 Pro Jacobitis, ex Abrahamo Echellensi pag. 52. profert hæc verba Dionysii Barsalibii, Episcopi Amedensis, extracta è Commentariis ipsius in Liturgiam S. Jacobi c. 1. *Dicimus panem hunc cælestem in veritate & effectu esse corpus Filii Dei, & illud idem esse corpus personæ ipsius, quod assumsit ex Maria, & factum est sacrificium in cruce pro nobis.* Et c. 13. *Sacramenta autem vocantur corpus & sanguis, quoniam non illud quod videntur sunt: secundùm speciem autem panis & vinum sunt; sed agnoscuntur atque sunt corpus & sanguis Dei.* Profert insuper testimonium Gregorii Patriarchæ Cophtorum Jacobitarum, quo asserit se à Latinis Romanis quoad realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam, & transubstantiationem nihil differre.

Pro Maronitis ex eodem Echellensi Maronita, 239
in notis ad Catalogum Librorum Chaldæorum Abdiesu, producit formalia hæc verba Joannis Estaronis (quem vixisse dicit inter sæculum VI. & VII.) Commentar. in Liturg. S. Jacob. c. 12. *Discutiendum est, an panis, quem Jesus Christus accepit in manus suas, & benedixit, & consecravit, corpusque suum esse dixit, sit corpus illud quod natum est de Virgine? Ad quod respondemus, quòd sit corpus & sanguis ex Virgine accepta.... Quia eadem ipsa manus, quæ in principio terræ pulverem accepit, ipsumque immutando corpus Adami formavit, mutat etiam hunc panem, ex eoque facit corpus Verbi acceptum ex Virgine, mutandoque vinum, ex eo facit sanguinem acceptum de Virgine. Concipite..... quod idem Spiritus sanctus, qui descendit in uterum Virginis, atque ex carne nata ex ipsa formavit corpus & sanguinem Verbi Dei, descendit etiam super altare, panemque & vinum, quæ ibi sunt, efficit corpus & sanguinem Verbi Dei, quæ accepit ex Virgine, idque per manum Sacerdotis, ministerium sacerdotale exercentis, & sacrificium offerentis,* &c.

Similiter ex eodem profert textum extractum 240
è capite 10. Syriacarum Constitutionum Ecclesiæ Maronitarum: *Tunc Jesus cœpit mentionem facere novi Testamenti, & in manus suas accipiens, levansque azymum illum panem, qui erat super mensa, benedixit, fecitque illum conditione excellentioris, & dixit eis: hoc est corpus meum, quod offertur pro vobis, accipite illud, & manducate in remissionem peccatorum. Acceperunt ergo, & manducaverunt carnem absque hæsitatione. Deinde in calice miscuit vinum & aquam, & dixit eis: hic est sanguis meus, qui pro vobis fundetur, sumite & bibite eum in remissionem peccatorum. Et biberunt sanguinem absque hæsitatione. Post hæc ipsi exposuit quòd agnus, quem Deus Moysi jusserat offerre, figura erat istius panis, qui factus erat caro, eratque corpus ipsius. Quòdque sanguis, qui fluebat ex agno immolato, figura erat istius calicis veri sanguinis ipsius, qui fundendus erat pro eis.* Et cap. 7. *Jesus Christus nobis dedit corpus istud, ut in nomine ipsius sanctificati simus in remissionem peccatorum. Et non dixit eis, quòd esset figura vel typus corporis sui, sed quòd esset corpus suum.*

His addit splendidissimum testimonium Geor- 241
gii Patriarchæ Maronitarum, datum 12. Junii 1673. quo evidenter declarat eandem nobiscum Maronitarum fidem circa Eucharistiam.

Pro Syris & Melchitis (præterquàm quod ea- 242
dem sit ipsorum, sicut & magnæ partis Ægyptiorum, quæ Græcorum fides) ex eodem Abrahamo Echellensi profert extractum è libro à Syris & Melchitis recepto, cui titulus, *Alborhan*, id est demonstratio, ubi sic: *Quando Sacerdos stans ad altare fundit preces, profertque verba invocationis, quæ Jesus Christus docuit Apostolos suos, eisque jussit, ut ea relinquerent Sacerdotibus successoribus suis, Spiritus sanctus descendit super hanc oblationem, facitque virtute & consecratione suâ quòd panis efficiatur caro, vinumque aquâ mixtum efficiatur sanguis, ita ut nihil ibi crassum & terrestre remaneat.* Et infrà: *Tota oblatio mutatur in carnem & sanguinem sanctificatam per Spiritum sanctum.* Quod explicat à simili per transmutationem alimenti in substantiam aliti per virtutem stomachi, cùm major haud dubiè sit virtus Spiritûs sancti.

Profert quoque testimonium, seu professionem 243

Andrææ Patriarchæ, ab ipso, pluribusque Curatis ac Sacerdotibus ejusdem nationis subscriptum Alepi 29. Febr. 1668. tenoris sequentis: *In nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti.* 1°. *Christi corpus & sanguinem verè & realiter in Eucharistia contineri firmiter credimus, non figuram tantùm ejus, atque virtutem, ut quidam novi hæretici commenti sunt.* 2°. *item panem & vinum in verum Christi corpus & sanguinem realiter & substantialiter, vi divinæ consecrationis mutari atque converti, seu transubstantiari, quod idem est.* 3°. *Christum in Eucharistia residentem latriæ cultu adorari debere, & ita ab omnibus Ecclesiæ nostræ fidelibus adorari.* 4°. *in sacra Liturgia verè ac propriè dictum sacrificium pro vivis & mortuis propitiatorium offerri.* Et infrà: *Hæc est, ac fuit semper Ecclesiarum nostrarum fides. Hanc acceptam à Majoribus servamus, & servabimus. Nec ulla apud nos mentio ullorum, ac memoria fuit aliquando, qui aliter docuerint.*

244 Pro Cophtis & Æthiopibus (quorum unus idemque est Patriarcha, eademque proinde fides, prout Tecla Maria, Presbyter Abyssinus, ex Æthiopia Romam missus, Romanis Cardinalibus declaravit, ut videre est apud nostrum Thomam à Jesu l. 7. c. 13.) testimonium multiplex adducit defens. l. 5. c. 13. imprimis professionem fidei, quam emisit Zagazabus, Æthiopiæ Episcopus, Imperatoris Æthiopum ad Lusitaniæ Regem Legatus, in qua confitetur Missam ab Æthiopibus *sacrificii loco haberi*; in ea recipi corpus Domini; omnibusque, qui corpus Jesu Christi receperunt, in Æthiopia veritum esse, à manè ad vesperam exspuere, severissimque puniri, qui secùs faceret.

245 Deinde testimonium trium Abyssinorum apud Baltoldum Nihusium in suo Programmate, Moguntiæ typis dato anno 1653. ubi sic: *Nos Æthiopes in veritate attestamur, gentem nostram venerari imagines Sanctorum, & credere corpus & sanguinem Jesu Christi præsentialiter adesse in sancta Eucharistia.* Quod testimonium subsignarunt Romæ 1651.

246 Præterea testimonium Matthæi, Legati Regis Æthiopum, qui in colloquio cum Emmanuele Lusitaniæ Rege (cui Damianus Goez te, cum adhuc juvenis esset, interfuisse testatur in epist. ad Archiep. Upsalens. in Suecia) de hominibus suæ nationis testatur, quòd *in Eucharistia inhabitatum Christi cum corpus, tum sanguinem esse sincerâ fide profitentur.*

247 Denique varias adfert Liturgias Cophtorum & Æthiopum, tam ex Prodromo Cophtico Athanasii Kirkeri, quàm ex tomo 6. Bibliothecæ Patrum. Siquidem in Canone generali Æthiopum, & in Liturgia, quam refert Kirkerus, ante consecrationem Sacerdos orat, in hunc modum: *Immuta hunc panem in carnem tuam immaculatam, & hoc vinum in pretiosum sanguinem tuum.* Post consecrationem panis, populus dicit: *Amen amen: credimus, & confitemur, & laudamus te Deus noster: hoc est verè corpus tuum.* Et post consecrationem calicis: *Amen amen amen: credimus, & confitemur, & laudamus te: hic verè sanguis tuus est.* Deinde Sacerdos dicit: *Sanctum est corpus, honore dignum, plenum vitâ Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, quod traditum fuit in remissionem peccatorum, & ut per ipsum vitam æternam consequeretur, qui illud in veritate susciperet. Amen.* Et postea: *Hoc est verè corpus, hic est verè sanguis Emmanuelis Dei nostri. Credo, credo, credo, amodo & usque in sempiternum. Amen. Corpus est & sanguis Domini & Salvatoris Jesu Christi, quod sumpsit ex visceribus beatæ & immaculatæ Virginis Mariæ, & cum divinitate sua copulavit.*

248 In Missa Ægyptiaca, D. Basilii nuncupata, postquam Sacerdos dixit: *Corpus sacrosanctum, & sanguis pretiosus Filii Dei*, respondet populus: *Amen: sacrosanctum & pretiosum corpus, & sanguis verus Jesu Christi, corpus & sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est in veritate. Amen. Credo, credo, credo, & confiteor usque ad extremum spiritum, hoc est corpus vivificum, quod accepisti.*

In Missa Ægyptiaca S. Gregorii, Sacerdos dicit: *Verbo tuo in teipsum commutas quæ sunt proposita. Inhabitas inter nos.* Deinde dicit: *Mitte super nos gratiam Spiritûs sancti tui, qui purificet & mutet has oblationes, quæ sunt coram te, in corpus & sanguinem, quo liberati sumus. Panis iste fias sacrum corpus tuum.* 249

Ista omnia, aliaque permulta ad idem demonstrandum argumenta laudatus Arnaldus profert, tum in defensione perpetuæ fidei, tum l. 8. tomi tertii perpetuitatis: ex quibus manifestissimè constat de constanti ac perpetua fide totius Ecclesiæ Catholicæ, circa veram, realem substantialemque præsentiam corporis sanguinisque Christi in Eucharistia, constat & de consensu omnium dictarum Nationum Christianarum in eandem veritatem. Quem quidem consensum semper fuisse, superiora testimonia satis evincunt. Semper profectò in Ecclesia Orientali (perinde ut in Occidentali) fuisse testatur Marcus Donus Cretensis, ad Calvinistarum consulta respondens, litteris datis in arce Zacynti 21. Maii 1672. sub hoc tenore: *Totus Oriens, consentientem habens & Occidentem, credidit semper, & credit à primis Ecclesiæ incunabulis, panem & vinum verè & physicè transubstantiari in corpus & sanguinem Christi, depositâ primâ substantiâ, & hanc transubstantiationem tenet inter articulos fidei necessarios, adeò ut nemini liceat eam ignorare, aut in dubium revocare, aut penitùs rejicere. Hanc autem fidem habuit à Christo, & post successionem ab Apostolis, & à Patribus primitivæ Ecclesiæ, qui columnæ fuerunt, & fundamentum Orthodoxiæ Græcanicæ. Et quod hoc fatetur, patet ex facto. Quemcumque enim de hoc Sacramento interrogaveris, statim tibi affirmabit hanc Orthodoxiam. In quo edoceri potes à Cardinalibus, & Sacerdotibus sanctæ nostræ Ecclesiæ, qui neminem permittunt participem fieri sanctissimi corporis, & pretiosissimi sanguinis, nisi priùs hanc edat confessionem.... Ex quibus clarè constat, sanctam nostram Ecclesiam hanc transubstantiationem firmiter credere. Quòd verò semper sic crediderit, probatur inexplicabili conjecturâ, quia hæc fides non fuit de novo introducta in Ecclesia Dei. Omnes enim novitates, quæ sanctam turbarunt Ecclesiam, habuerunt proprios Authores, ut nos docent historiæ. At hujus fidei nullus è Neotericis fuit Author. Ergo hanc novit ab antiquitate. Quod si quem habetis hujus vos Authorem, ostendite, & in pristinam Orthodoxiam redibimus. Nec fas est calumniari quemquam Patriarcharum nostrorum, vel Romanorum Pontificum; cùm talis calumniæ nulla constare possit probatio. Extant enim integra monumenta antiquitatis, extant historiarum Annales, in quibus tale quid nec legimus unquam, nec vidimus... Romana enim Ecclesia nunquam à nostra discrepavit in hoc articulo. Ergo sic ipsa quoque ab initio credidit.*

Quæ omnia postquam confirmavit authoritate Scripturæ, Apostolorum, Concilii Ephesini, Chrysostomi, Nysseni, Ambrosii, Damasceni, exemplo creationis rerum ex nihilo, conversionum physicarum quæ naturaliter fiunt, solutioneque eorum quæ à Calvinistis objici solent, hæc addit: *Nostra sancta Ecclesia adorat corpus in Eucharistia, adoratione latriæ: Deificum enim est. Non est in usu apud nos circumferre corpus sanctissimum per plateas & vicos, magna sequente populorum caterva: non damnamus tamen quod pie-* 250 251

tate fit in honorem & gloriam Dei. Denique *abhorret Ecclesia nostra ab illa doctrina, quam docent Reformati, nempè illud idem, quod secundùm naturam panis est, mysticè & secundùm gratiam sanctificationis esse corpus. Credit enim corpus esse, non mysticè, sed verè & physicè, adeò ut per transmutationem substantia panis esse desinat. Transmutationem enim pro transubstantiatione accipimus.*

252 Quæ cùm ita sint, impossibile profectò est, totum mundum Christianum, universamque Ecclesiam, Orientalem & Occidentalem, usque adeò derelictam fuisse à Christo Sponso suo, ut à temporibus Apostolorum, usque in præsens portæ inferi sic prævaluissent adversus eam, ut eam tot sæculis detinuerint in errore & idololatria tam grandi, tamque enormi, ut purum, simplicemque panem crediderit verè, realiter, & substantialiter esse corpus Christi, ipsumque pro Deo adoraverit. Id (inquam) impossibile. Quia possibile non est vacuam, & à veritate alienam esse promissionem Christi, *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Nec verosimile est, universâ Ecclesiâ in tenebris erroris derelictâ, solis Berengarianis, Petrobrussianis, Wiclefistis, Calvinistis veritatem lucidiorem affulsisse. Qui enim ipsi sunt in comparatione tot & tantorum, tamque sanctorum Doctorum, Martyrum, & Confessorum, quibuscum Catholica Ecclesia Orientalis & Occidentalis semper credidit ut suprà? Qui sunt (inquam) ipsi, & tam novi, & tam pauci, quos (nihil fundamentis hactenùs allatis comparabile adferentes) Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis authoritati, perpetuæque fidei septemdecim propè sæculorum anteponere possimus? Non audiunt ipsi Ecclesiam ubique terrarum diffusam. Christo proinde Judice habendi sunt velut Ethnici & Publicani. Habendi velut Novatores, qui ab avita fide recesserunt. Habendi velut inhonorantes Ecclesiam Matrem suam, dum ipsam de infidelitate & idololatria diffamant. Habendi tamquam detractores & calumniatores totius Orbis Christiani. Habendi velut superbi, audaces, temerarii, qui contra omnes Christianæ humilitatis, modestiæ, & prudentiæ regulas, particulare judicium suum præferre non verentur unanimi, perennique judicio totius Orbis Christiani. Habendi velut præsumptuosi & insolentes, qui docere præsumunt Ecclesiam & Patres, à quibus, secundùm oracula Scripturarum, fidelis quisque docendus est. Habendi velut insolentissimè insani, qui contra cultum, quem divinæ Eucharistiæ universaliter per Orbem reddit Ecclesia, disputant, & velut idololatriam redarguunt: siquidem Augustino teste, *si quid universaliter per Orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Habendi tamquam imitatores Chami, qui, exuto omni honestatis & pietatis sensu, Matrem suam non solùm deriderent, sed & velut idololatram diffamant.

253 Habendi denique tamquam filii desertores Catholico-Romanæ Ecclesiæ Matris suæ (unde seu ipsi, seu primi ipsorum Antesignani prodierunt: utpote à qua Baptismum, Scripturas sacras, & eos quos nobiscum adhuc retinent fidei articulos susceperunt) imò velut invasores injusti, qui eandem Matrem suam spoliare nituntur avitæ illius fidei possessione, in qua ipsam semper fuisse constat, non solùm ex præmissis, sed & insuper ex eo quòd nullus, sive in historiis, sive in tabulis publicis, sive in probatis Scriptoribus, inveniatur primus Author istius fidei, nisi Christus & Apostoli. Hoc autem tantò manifestius est, quantò certius, quòd nullus alius hactenùs inventus fuerit, nec designatus aut designabilis, ante quem non inveniantur in historiis & Patribus clarissima nostræ de Eucharistia fidei testimonia.

254 Paschasium quidem sæculo IX. primum fidei istius Authorem nonnulli de secta Calvini designare voluerunt. Sed de impostura ipsos convincunt apertissima testimonia Concilii Nicæni II. Damasceni, aliorumque Patrum & Conciliorum Paschasio anteriorum, imò & ipsiusmet Paschasii testificantis, se in libro suo non proposuisse nisi communem Ecclesiæ sui temporis doctrinam. Et 255
ampliùs convincuntur ex eo quòd sive Paschasius, sive quisquam alius, esse non potuerit primus Author istius fidei, nisi inducendo enormem novitatem in re summi momenti contra fidem & religionem usque ad id temporis in Ecclesia receptam. Quam profectò novitatem Paschasius, vel quisquis alius, inducere non potuit sine commotione magna, Patrumque & Conciliorum oppositione. Si enim historiam Ecclesiasticam consulamus, ille semper fuit Majorum nostrorum zelus, illud avitæ fidei conservandæ studium, ut quamprimùm aliquis error contra receptam in Ecclesia fidem exortus est, in illum protinùs insurrexerint, illumque totis viribus refellere, contra illum Concilia convocare, illum funditùs extirpare conati fuerint, ut patet ex actis contra Paulum Samosatenum, Arium, Nestorium, Euthychen, Pelagium, Macedonium, &c. At non solùm non insurrexerunt contra Paschasium (prout Arnaldus demonstrat in defens. perpetuit. fid. l. c. 8. & seqq.) & non solùm Concilia adversus ipsum non coëgerunt, &c. quin post ipsum hæretici habiti sunt, quotquot contra realem & substantialem (quam ipse sustinet) corporis Christi in Eucharistia præsentiam scribere, & scripta in vulgus spargere conati sunt, prout manifestè apparuit in Berengario, contra quem, velut Novatorem, avitæ fidei contradicentem, Adelmannus, Lanfrancus, Hugo Lingonicensis, Deoduinus, Guitmundus, & alii statim calamum strinxerunt, & congregatis adversus ipsum Conciliis, Episcopi ipsum velut hæreticum condemnarunt. Quod & fecerunt adversus sectatores ipsius Petrobrussianos, Wiclefistas, Zuinglianos, Calvinistas, &c.

Legant relegantque Adversarii priscas historias, 256
& nullam invenient notabilem in fide novitatem, seu hæresim de novo introductam, quæ in Ecclesia tumultus & seditiones non excitarit. His ergo conformiter nobis Calvinistæ ostendant tumultus excitatos per traditam in Ecclesia doctrinam de vera, reali, substantialique præsentia corporis Christi in Eucharistia. Quinam Episcopi se illi opposuerunt? Quænam Concilia ad illam extirpandam congregata sunt? Nulla proferre possunt. Econtrà doctrinam illam lucidissimis Patrum omnium testimoniis demonstratam, Episcoporum authoritate roboratam, octo Generalium, pluriumque Nationalium & Provincialium Conciliorum declarationibus stabilitam fuisse nos suprà demonstravimus. Quo nihil manifestius desiderari potest ad demonstrandum, illam non esse doctrinam novam, sed avitam, sed Apostolicam, sed Christianam, quæ à Christo tradita, ab omnibus ad nos derivata, semper in Ecclesia fuit uniformiter credita & recepta.

Attentis igitur moribus & ingeniis hominum, 257
manifestum est hæreticos rem à moribus, ab ingeniis, à modo agendi hominum penitùs alienam, numquam moraliter evenientem, adeòque moraliter impossibilem, & certò incredibilem prætendere, dum prætendunt Paschasium, privatum Monachum Corbeïensem, nono sæculo in re tanti momenti induxisse novitatem contrariam illi fidei, quam omnes Patres, omnia Concilia, universa proinde Ecclesia, & omnes fideles semper tenuerunt per tota octo sæcula præcedentia, quòdque nihilominùs novitatem à fide totius Ecclesiæ octo sæculorum adeò abhorrentem & insolitam,

nedum Ecclesia Latina tota, sed & tota Ecclesia Græca, & omnes sub cælo Nationes Christianæ sic receperint, ut pro Deo, non Deum, sed panis fruſtulum adorare cœperint, & de tam enormi nihilominùs mutatione, nullus sæculo nono & decimo conqueſtus fuerit, nullus eam deploraverit, nullam illius mentionem istorum temporum Annales & Historiæ fecerint, sed omnes Episcopi, Presbyteri, Monachi, fideles, Latini, Græci, Syri, Ægyptii, Arabes, Æthiopes, Indi cujuslibet sectæ, &c. absque ulla contradictione, & oppositione, absque ullo tumultu & commotione, taciti & pacati eam contra fidem unanimem Majorum suorum receperint, nullis missis per terrarum orbem Prædicatoribus, qui Paschasianam novitatem promoverent, disputandoque & prædicando persuaderent, nullis factis virtutibus & prodigiis in confirmationem ejusdem novitatis, sensibus, rationi naturali fideique (prout Calvinistæ prætendunt) contrariæ.

258 Apostoli quidem, absque ullo humano subsidio, absque persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, de idololatria triumpharunt, Christianamque Religionem, id est Crucifixi cultum, Judæis quidem scandalum, Gentibus stultitiam, toto terrarum orbe propagarunt. Sed non sensim sine sensu, non absque contradictione, non per introductam nullo advertente, nullo opponente mutationem, non toto orbe, dormiente, vel stupente; imò toto penè orbe adversus novæ fidei Prædicatores insurgente, horrendisque ipsos suppliciis ac persecutionibus per tria sæcula affligente. Verùm Calvinistæ universos Latinos, Græcos, Ægyptios, Æthiopes, Indos, &c. adeò mentis impotes existimant, adeò stupidos vel dormitantes, ut sine sensu, sine advertentia receperint horrendam novitatem, sensui, rationi, & unanimi fidei omnium Majorum suorum adversantem, & absque ulla contradictione permiserint se seduci ab uno Monacho in Gallia recluso, qui nec ad eos Prædicatores, vel novitatis suæ propagatores miserit; nec miraculis eos in consensum traxerit ut Apostoli; nec sanguine ut Martyres; nec facundiâ ut Oratores; nec demonstrationibus ut Philosophi; sed quiete, silentio, & inactione, manens reclusus in cella sua, solo latinè edito libello, quem in alias linguas translatum fuisse nullus Scriptor vel Annalista memînit. Quomodò ergo (amabo) librum latinum viderunt, legerunt, intellexerunt Græci, Ægyptii, Arabes, Æthiopes, Indi, & cujusvis nationis idiomatisque homines? Quinam Græci doctrinam ipsius Græco idiomate Græcis; quinam Ægyptii, Æthiopes, Indi, &c. Ægyptiaco, Æthiopico, Indico, &c. idiomate Ægyptiis, Æthiopibus, Indis, &c. proposuerunt & persuaserunt?

259 Dicamus iterùm cum piissimo Contensono, quis sibi persuadere potest, omnes adeò fuisse mente oculisque captos, omnes gravi adeò somno sepultos aut fascinatos, ut extinctis omnibus fidei, rationis, sensuumque luminibus, omnes & singulæ Ecclesiæ visibiles, omnia Regna & Provinciæ, omnia Monasteria, omnes familiæ, nullo advertente, vel saltem nullo reclamante, in hæresim & idololatriam ad solam apparitionem libri latini à Monacho Gallo editi, nullis missis interpretibus & propagatoribus illius, corruerint, nec prolapsionem tantam, tamque generalem ullus Historicus observaverit, nullus illorum temporum Scriptor retulerit vel reprehenderit, nullus Sacerdos accusarit, nullus Episcopus damnarit, nullus Concionator redarguerit, nullum Concilium anathematizaverit.

260 Hoc profectò moraliter impossibile, prorsusque incredibile fatebitur, quisquis adverterit, neminem de illius prætensæ hæreseos vel idololatriæ nativitate ac progressu aliter posse rationabiliter philosophari, quàm de nativitate & progressu aliarum hæresum vel superstitionum. At nulla hactenùs hæresis, vel falsa religio Ecclesiam suâ novitate vexavit, multò minùs omnes ubique Nationes corrupit, absque ulla oppositione, absque redargutione, absque damnatione, absque illius in Annalibus & Libris mentione. Videatur Arnaldus defens. l. 9. per totum præsertim cap. ult. ubi ad oculum ostendit, quòd illa Calviniſtarum prætensio tam multa incredibilia, & ab humanis moribus aliena supponere debeat, ut non minùs, imò magis incredibilis & moraliter impossibilis sit, quàm Typographi characteres in manu Typographi cæci sic omnes fortuitò convenire, ut Virgilianam Æneiden repentè componerent. Similiter enim oportuisset omnes ubique Prædicatores, Sacerdotes, Episcopos, Scriptores, non communicato invicem consilio, sic fortuitò in unam mentem convenire, ut omnes statuissent nullam enormissimæ & insolentissimæ illius mutationis mentionem facere, nullam illius deplorationem, nullam adversus eam oppositionem, nullam illius redargutionem, &c. Et tantò manifestior est impossibilitas ista, quantò major est in hominibus, præsertim diversæ nationis & communionis, & inimicis, invicem contradicendi prurigo, & libido. At tot inter Nationes, suprà enumeratas, multi homines, imò multi milliones hominum, non solùm erant diversæ nationis, sed & communionis, & invicem inimici. Siquidem ante Paschasium antecesserat schisma Photii; antecesserant quoque, & adhuc perstabant sectæ Nestorianorum, Armenorum, Jacobitarum, Cophtorum, Maronitarum, &c. non multo etiam post Paschasium tempore (illo utique quo Berengarius Calvini antesignanus suam hæresim disseminavit) authore Cærulario, Patriarcha Constantinopolitano, generale schisma Græcorum adversus Latinos invaluerat. Impossibile proinde est, quòd tot inter Nationes schismaticas, seu aliter à Romana communione sejunctas, eique inimicas, nullus Romanam Ecclesiam de illa novitate redarguisset, ne ipse quidem Cærularius (qui à Latinis excommunicatus, irâque proinde & furore percitus, omnem contra ipsos lapidem movit, multaque ipsis falsò affinxit) nec ipse, vel alius, suæ à Romana Ecclesia separationis inde prætextum accepisset, nullus contra eam scripsisset, si ab avita fide & religione Romana Ecclesia à Paschasio seducta defecisset.

Non defecit ergo; verùm sicut in aliis multis, sic & in hoc principali puncto ab avita fide, semper & ubique ab omnibus Christianis Nationibus credita, Calviniſtæ defecerunt. Apostatæ proinde, & Novatores sunt, Ecclesiæque Catholicæ desertores. Nec ipsorum Ecclesia vera esse potest; quia non Catholica, uti est Romana; quæ non solùm Catholica est, seu Universalis universalitate loci & temporis, quatenùs complectitur omnes fideles, ubique terrarum existentes, à Christique & Apostolorum tempore semper extitit, uti probavimus to. 2. sed & universalitate doctrinæ, quatenùs veritates omnes ab Ecclesia definitas amplectitur, erroresque omnes ab ea damnatos repudiat & detestatur. Et idcò Calviniſtas, errorum illorum defensores, à communione sua velut hæreticos cum antiqua Ecclesia rejicit, velut imitatores hæreticorum illorum, qui tempore S. Ignatii Martyris *non confitebantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris*, prout ipse refert in epist. ad Smirnens. n. 7. Velut etiam imitatores Manichæorum, qui, teste Epiphanio, hæresi 66. Deum omnium *facinorum Authorem* faciebant. Et Novatianorum apud Socratem l. 4. hist. c. 28. negantium datam à Deo Ecclesiæ po- 261

testatem remittendi peccata. Et Donatistarum Monasteria condemnantium, apud Augustinum l. 3. contra Petilian. c. 40. Et Joviniani apud Hieronymum l. 1. contra Jovin. 18. & Augustinum hæresi 72. virgines sacras ad matrimonium inducentis. Eustatii quoque & Aërii apud Epiphan. hæresi 75. & Augustin. hæresi 53. reprobantium jejunia, & preces pro mortuis. Necnon Vigilantii & Eunomii improbantium cultum imaginum, invocationem Sanctorum, honoremque Reliquiarum. Et Pelagianorum apud Augustin. epist. 175. & 176. salutem promittentium infantibus fidelium, absque Baptismo decedentibus. Et Iconoclastarum, à Concilio Nicæno II. damnatorum, eò quòd imagines velut idola rejicerent & confringerent. Istos errores omnes ex Oreo Calvinistæ suscitarunt, sed Ecclesia Romana hodie sicut olim damnat ac rejicit, antiquis de fide definitionibus per omnia insistens.

CAPUT XX.

Sextò hæretici contra se habent præscriptionem.

262 COntroversiæ inter Catholicos & hæreticos duplici viâ agitari possunt, viâ scilicet discussionis, & viâ præscriptionis. Prior via operosior est, eâque hactenùs contra Calvinistas disputavimus. Posterior longè est facilior, & ad omnium captum accommodatior: neque enim implicatas suis probationibus & exceptionibus disputationes capere omnes possunt, &, ut possent, tot probationibus exceptionibusque discutiendis nec tempus nec otium habent.

263 Aliam proinde faciliorem viam Deus providit, viam utique præscriptionis, per quam maxima pars Christianorum eo modo scire potest, quænam sit vera de Eucharistia fides, quo scire potest, quænam vera sit Ecclesia. Sicut ergo vera Ecclesia dignoscitur, atque ab hæreticorum conventiculis secernitur, per hoc quòd ipsi conveniant veræ Ecclesiæ dotes, antiquitas, universitas, unitas, & continuata Pastorum suorum ab Apostolis successio, prout ostendimus in universum agendo de fide & Ecclesia: sic vera de Eucharistia fides dignoscitur, & ab hæretica secernitur per easdem dotes. Sicut enim vera Ecclesia, sic vera de Eucharistia fides illa est, quæ antiqua, universalis, ubique recepta, continuatâ successione ab Apostolis ad nos derivata.

264 Atqui fides veræ, realis, substantialisque præsentiæ corporis & sanguinis Christi, antiqua est, universalis, ubique recepta, continuatâ successione ab Apostolis ad nos derivata, uti demonstratum est in capitibus præcedentibus. Est igitur fides vera.

265 Enimverò ideò divina providentia tot Nationes Christianas, licèt ab Ecclesia sua sejunctas, hactenùs conservavit, nec per Turcarum, aliorumque infidelium tyrannidem penitùs deleri permisit; idcò etiam in ipsis præcipuorum Christianæ Religionis mysteriorum notitiam penitùs aboleri non permisit, ut sint perpetui testes veritatis & antiquitatis dogmatum Ecclesiæ Catholicæ, quibus novi hæretici contradicunt. Quemadmodùm (Augustino teste) ideò divina providentia in omnibus mundi partibus Judaïcam Nationem conservat, nec penitùs deleri permittit, ut sint perpetui testes veritatis sacrorum librorum, quibus Catholica Ecclesia utitur, ne quis scilicet Ecclesiæ objicere possit, quòd illos recenter invenerit, vel falsificaverit.

266 Sicut ergo Paganis objicientibus supposititios, novos, vel à nobis falsificatos libros sacros, ex quibus Messiæ adventum & divinitatem comprobamus, meritò reponimus id impossibile esse, cùm eosdem libros videre possint in manibus Judæorum, capitalium adversariorum nostrorum, qui eos à nobis non acceperunt, & ipsis testes esse possunt, nihil à nobis in illis falsificatum, nihil innovatum, sed illos eosdem esse, pro quorum veritate & antiquitate sanguinem suum fundere parati sunt. Sic Calvinistis objicientibus nostram de Eucharistia fidem & doctrinam esse novam, meritò reponimus id esse impossibile, cùm eandem de Eucharistia fidem & doctrinam videre possint apud Græcos, aliosque totius orbis populos Christianos, à nobis communione sejunctos, nobisque aliis in punctis valdè adversantes, qui fidem & doctrinam illam à nobis non acceperunt, pro cujus nihilominùs veritate & antiquitate sanguinem quoque suum fundere parati sunt.

Illudque observatione & admiratione dignum 267
est, quòd cùm tot & tam diversæ illæ Nationes infinitis aliis in punctis ab invicem disconveniant, nec ullo inter se, vel nobiscum fœdere, nullâ societate, dependentiâ, vel commercio sint conjunctæ, nihilominùs in puncto Eucharistiæ uniformiter omnes inter se, atque nobiscum conveniant. In quo mirum in modum divina providentia relucet, quòd simplicioribus fidelibus tam sensibilem notam reliquerit, quâ juventur ad veram de Eucharistia fidem discernendam. Neque enim fortuito casu tot Nationes, adeò ab invicem distantes, adeò opinionibus discrepantes, adeò moribus & ingeniis differentes, tantisque & tam diversis animi æstibus & contentionibus ab invicem dissidentes, in eadem nihilominùs hujus mysterii fide, tametsi omnem rationem humanam transcendente, tametsi sensibus ipsis, ut videtur, adversante, omnes inter se, & nobiscum inveniantur unanimiter conjunctæ, in eaque fide semper fuerint, & inviolabiliter perseveraverint. Atqui verisimile non est (inquit Tertullianus de præscript. adverss. hæret. c. 28.) ut tot & tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint. Dato enim, non concesso, quòd Spiritus sanctus eas non docuerit veritatem. Dato quòd permiserit eas errare à fide, quam ab Apostolis acceperunt: *ecquid* equidem *verisimile est, ut tot & tantæ in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus*, tot & tam variantes inter populos, *inventus est exitus unus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum.* Impossibile proinde est quòd Ecclesiæ omnes in unum eundemque errorem uniformiter fortuitò conspiraverint. Igitur *quod apud multos*, & tam multos, tamque ab invicem discrepantes, *unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

Sic discurrit Tertullianus, sic ratio ipsa dictat, 268
& maximè in puncto seu doctrina Eucharistiæ. Cùm enim doctrina ista mirè opposita videatur sensibus, & humanæ rationi sibi relictæ, solum authoritatis humanæ pondus efficere non potuit, ut à tot Nationibus, adeò ab invicem discrepantibus, unanimiter reciperetur. Non certè pondus authoritatis humanæ, v. g. Paschasii, à cujus communione erant sejuncti, quem nec noverant, nec librum ipsius, nec idioma quo scriptus erat calebant. Id enim prorsus incredibile est. Multò incredibilius, quòd ex seipsis, nullius authoritate moti, omnes uno tempore, sine mutua communicatione, in eam fidem & doctrinam credi tu tam difficilem, absque ullius contradictione conspiraverint. Unicum proinde superest, quòd in eam conspiraverint, efficaciter inclinati pondere authoritatis divinæ, Salvatoris verba, *hoc est corpus meum*, intelligendo, non secundùm philosophicam subtilitatem, vel abstractam ratiocinationem, quam soli Philosophi vel Metaphysici intellexissent; sed planè ut sonant, & secundùm ideam seu impressionem, & apprehensionem sim-

plicem & generalem, quam ingerunt in mentibus fidelium, illa verba obviè (ut ſonant) intelligentium. Certum eſt enim quòd Chriſtus ea non protulerit, ut à ſolis Philoſophis vel Metaphyſicis intelligerentur (cùm ſtultam fecerit Philoſophiam hujus ſæculi, quæ utplurimùm oppoſita eſt veræ fidei) ſed à ſimplicibus & parvulis, juxta illud Matth. *Confiteor tibi Pater .... quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*; eò quòd voluerit utique ad religionem ſuam trahere infinitam hominum multitudinem ſimplicium, fœminarum, parvulorum, non multi diſcurſûs, nec profundæ intelligentiæ, ſed in ſenſu ſimplici & obvio verba fidei intelligentium, ut ſic januam præcluderet infinitis erroribus & hæreſibus, pullulare natis ex eo quòd Philoſophus, verba fidei ad ſenſum ſuum trahere volens, ea ſecundùm humanam Philoſophiam ſubtilitatemque intelligit, & ideò diſputandi & altercandi finem non facit.

269 Si ſic proinde Nationes illæ verba Salvatoris intellexiſſent, in unam fidem & doctrinam omnes uniformiter nunquam conſpiraſſent, magis quàm hæretici; qui quia verba illa planè ut ſonant intelligere noluerunt, ſed ad ſenſum ſuum ſecundùm humanam ſubtilitatem trahere voluerunt, & ad ſingula illa verba, *hoc eſt corpus meum*, longos tractatus (argumentis Metaphyſicis concrepantes) compoſuerunt, longis ambagibus & diſcurſibus ſeparatim explicantes 1°. pronomen *hoc*, 2°. verbum *eſt*, 3°. vocem *corpus*, &c. ideò lapſi ſunt in confuſionem infinitarum explicationum, quibus à ſe invicem diſcrepant in intelligentia divinorum verborum illorum, quaſque uſque ad 84. obſervavit, & numerando percenſuit Claudius Sainctesius, Ebroicenſis Epiſcopus, in doctiſſimo ſuo de Euchariſtia libro. Hoc vel ipſe Lutherus advertit in lib. cui titulus: *Defenſio verborum cœnæ*: ubi ſic: *Doctor Carlſtadius ex his ſacroſanctis vocabulis, hoc eſt corpus meum, miſerè diſtorquet pronomen* HOC. *Zuinglius autem verbum ſubſtantivum* EST *macerat. Oecolampadius nomen* CORPUS *torturæ ſubjicit. Alii totum textum excarnificant, ... Alii dimidiam partem textûs crucifigunt*, &c.

270 Ex uniformi itaque conſenſu Chriſtianarum omnium Eccleſiarum, verba Salvatoris intelligentium in ſenſu plano, obvio & litterali, patet ea ſic intelligenda; quia nequit non eſſe vera, accepta à Majoribus, aſcendendo uſque ad Chriſtum, intelligentia, in quam Chriſtianæ omnes Eccleſiæ conſentiunt. Cùm veriſimile non ſit, tot & tam varias Eccleſias in unam fidem, ſenſibus repugnantem, omniaque humanæ rationis lumina tranſcendentem, conſpiraſſe, & conſpirando erraſſe. *Variaſſe debuerat error* (inquit Tertullianus) qui cùm non variaverit, *quod apud multos*, & tam multos, tamque varios, *unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Neque enim in ſenſum creditu tam difficilem, ob cujuſcumque privati hominis authoritatem, miraculis non confirmatam, tot & tam variæ Eccleſiæ uniformiter conveniſſent, niſi eum à Majoribus, tamquam ab Apoſtolis & Chriſto traditum accepiſſent. Ob ea quæ dixi n. 260. & 268.

271 Et hinc ulteriùs patet, ſenſum illum planum, obvium & litteralem, in quem omnes Nationes illæ tam uniformiter, poſterioribus ſæculis conſenſerunt, eſſe ſenſum à Majoribus & Patribus priorum ſæculorum per traditionem acceptum. Patres proinde priorum ſex ſæculorum, in ſenſu illo plano, obvio & litterali, verba Salvatoris accepiſſe. Eſt enim contra naturam, contra mores hominum, contra apprehenſionem ſenſumque communem omnium, eandem expreſſionem Salvatoris prioribus ſex ſæculis in uno ſenſu fuiſſe intellectam; in ſequentibus verò ſæculis ab omnibus Eccleſiis & Nationibus Chriſtianis, in alio, imò in oppoſito ſenſu uniformiter acceptam, nec tamen æquivocationem tantam, tamque momentoſam, à quoquam animadverſam fuiſſe, nec reprehenſam, nec ab ullo Annaliſta vel Scriptore fuiſſe annotatam. Eſt etiam contra naturam, contra omnem apparentiam, atque adeò inſolitum, & planè ſine exemplo, quòd diſcipuli omnes, nec pauci, ſed milliones, & millionum milliones ex omni penè natione quæ ſub cælo eſt, ſequantur & amplectantur ſenſum, non ſolùm diverſum, ſed & oppoſitum ſenſui Magiſtrorum ſuorum, ſic tamen ut ipſis ſit, ſemperque fuerit perſuaſum, non aliud ſe ſentire & credere, niſi quod à Magiſtris ſuis acceperunt, quodque Magiſtri ipſi cenſuerunt, ac crediderunt.

Quæ cùm adeò certa ſint & indubitata, ut oppoſitum moraliter æquè impoſſibile ſit, atque omnes ſub mundo Nationes fieri de Calviniſtis Lutheranas, vel de Gentilibus Chriſtianas, nemine id advertente, imò cum unanimi perſuaſione nullius factæ mutationis: inde patenter evincitur, primò Calvinianos habere contra ſe univerſalem præſcriptionem omnium ſæculorum, nec præſcriptionem ſolius Eccleſiæ Romanæ, ſed & omnium Chriſtianarum Nationum. Quod enim præſenti ſæculo credunt, hoc præcedentibus ſæculis omnibus Chriſtianitatis ſuæ Nationes omnes crediderunt, ut proximè demonſtravimus. Sicut ergo præſenti ſæculo credunt veram, realem, ſubſtantialemque Chriſti in Euchariſtia præſentiam; ſic eam prioribus omnibus ſæculis Chriſtianitatis ſuæ crediderunt. 272

Fides ergo Romanæ Eccleſiæ, quoad hoc, non eſt nova, ſed antiqua, nec nono vel ſequentibus ſæculis introducta, ſed octavo, & ſeptimo, & ſex prioribus ſæculis fuit, non apud Romano-Latinos tantùm, ſed & apud Græcos, & Indos, & Moſcovitas, & Armenos, & Syros, & Ægyptios, & Æthiopes, & Neſtorianos, & Jacobitas, & Maronitas, &c. Igitur fides illa omni contrariæ fidei prævalet antiquitate, univerſalitate, uniformitate. Omnes quippe Nationes illæ quoad hoc uniformiter credunt; quod Romana Eccleſia credit, ut viſum eſt. 273

Atque hinc irrefragabiliter evincitur 2°. in controverſia inter nos & Calviniſtas, tantam eſſe pro nobis præſumptionem veritatis, ſeu veræ fidei circa hoc myſterium, ſicut & veræ intelligentiæ verborum Salvatoris, *hoc eſt corpus meum* (& idem eſt de vera intelligentia expreſſionum, quibus hoc myſterium SS. Patres explicant) ut nobis non incumbat onus probandi veritatem illam, ſed jus habeamus ſupponendi eam, tamquam præjudicatam per naturam ipſam (ſeu naturalem intelligentiam, quæ verba accipit ſimpliciter, ut ad litteram ſonant) ſicut & per fidem omnium ſæculorum, conſenſumque omnium Societatum Chriſtianarum, ſive Nationum totius Orbis Chriſtiani. Ex tribus namque titulis iſtis reſultat tam vehemens præſumptio pro veritate iſtius intelligentiæ, ut præſumptio iſta habenda ſit pro certa & indubitata, quamdiù non eliditur per evidentem in contrarium demonſtrationem: quam proinde adferre incumbit ei, qui intelligentiæ taliter firmatæ, præjudicatæ, & quodammodò præſcriptæ contradicit. 274

Quemadmodùm enim in controverſiis de rebus temporalibus, plerumque contingit inæqualitas tam viſibilis inter cauſam & cauſam, ut onus probandi utrique parti contendenti non incumbat, ſed una pars ſupponere poſſit pro ſe jus ſtare, donec contrarium probetur, ideòque onus probandi contrarium in partem ſibi contradicentem rejiciendi jus habet, eò quòd ſit in poſſeſſione bonæ fidei,

ideòque sine plena & evidenti probatione non debeat removeri: sic in controversiis de veritate plerumque contingit inæqualitas tam visibilis inter causam & causam, ut onus probandi utrique contendenti non incumbat, sed illud una pars in alteram rejiciat, eò quòd ad sensum pateat causam ipsius adeò prævalere causæ alterius, ut causa ipsius præsumatur justa, & præsumptio ista habeatur certa, quamdiù in contrarium non adfertur probatio evidens & demonstrativa. Si quæ autem sint causæ tam vehementia præ se ferentes indicia veritatis, ut præsumptio habeatur certa, quamdiù non eliditur probatione in contrarium evidenti & demonstrativa; maximè est causa nostra. Cùm vix, aut ne vix quidem adferri possit causa vallata tam firmis titulis veritatis & justitiæ, ex quibus proinde resultare debeat tam justa & fundata præsumptio pro ipsa, tamquam veritate præjudicatâ & præscriptâ. Si enim (Tertulliano Judice) *verisimile non est, ut tot & tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint*, absque variatione erroris. *Ideòque quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Multò profectò minùs verisimile est, ut tot & tantæ Ecclesiæ, tam diversæ, & in tam multis aliis ab invicem discrepantes, verba Salvatoris in sensu naturali (prout ad literam sonant) accipientes, in unam fidem, non uno, sed totis septemdecim sæculis absque variatione erraverint. Ideòque quod apud tam multos, tot sæculis unum tam uniformiter invenitur, *non est erratum, sed traditum*, adeòque traditione præjudicatum & præscriptum.

276 Ex quo perspicuè evincitur 3°. quòd Calvinistis incumbat probare eas quas adferunt glossas & expositiones, quibus verba Salvatoris, Patrumque expressiones exponunt, per duplicem quam vocant clavim, *virtutis* scilicet & *figuræ*, esse legitimas & veras: ita ut non sufficiat quòd ad id adferre debeant probationes evidentes & demonstrativas. Quod quia impossibile est, consequenter impossibile est quòd justificent suam à Romana Ecclesia defectionem, calumniasque, quibus ipsam diffamant & condemnant, velut idololatriæ ream, in eo quòd latriæ cultum Eucharistiæ deferat. Qua in re tantò major est impietas & injustitia ipsorum, quantò in plures Ecclesias, Societates, & Nationes redundat diffamatio & condemnatio ista, & quantò certiùs redundat in Ecclesiam Matricem, unde originaliter prodierunt. Magna quippe impietas & injustitia est, sine evidenti demonstratione, taliter diffamare & condemnare Matrem suam, & simul cum Matre non solùm avos, abavos, & tritavos suos, &c. sed & omnes Christianas Societates & Nationes, non hujus tantùm, sed & præcedentium sæculorum, quæ in fide & adoratione Eucharistiæ cum Ecclesia Romana conveniunt, semperque convenerunt. Si enim ad privatum reum condemnandum probationes debent esse luce meridianâ clariores; quantò magis ad condemnandam Ecclesiam Matrem suam cum omnibus progenitoribus suis, imò totam Ecclesiam Catholicam, quæ est, & fuit à tempore Apostolorum, & per septemdecim sæcula perseveravit usque in præsens. Totam istam Ecclesiam, id est omnem Ecclesiam Christianam, velut idololatriæ ream, omnes Patres Patrum suorum ad Orcum condemnat secta Calviniana. O quàm horribilis impietas! quàm insolens temeritas! quàm monstrosa injustitia, in quam affectas suos præcipitat ista secta!

277 Et in quo Calvinistæ fundant diffamationem condemnationemque tam impiam, tam horribilem? Vel in imaginariis suppositionibus, quas sine legitima probatione pro libitu fabricant, quæque nec subsistunt, nec ullibi unquam subsistetunt, nisi in insano cerebro pseudo-ministrorum suorum. Vel in irrationabilibus, ridiculis & temerariis glossis, seu expositionibus, quibus verba Salvatoris, Patrumque expressiones interpretantur, non ut sonant, sed ut volunt, à proprio, naturali, & litterali, quem præ se ferunt sensu, à Christianis omnibus recepto, ad improprium, figuratum, naturæque & litteræ adversum, ea miserè distorquentes. Ubi enim Catholici, juxta Magni Augustini regulam, inhærentes naturali litteralique sensui, quem verba Salvatoris & Patrum præ se ferunt, cum omnibus sæculorum omnium Christianis Societatibus & Ecclesiis, corpus Christi accipiunt pro vero corpore Christi, mutationemque panis in corpus Christi accipiunt pro mutatione panis in verum corpus Christi, ideòque corpus Christi in Ecclesia adorant: Calvinistæ contra naturam, contra litteram, contra ideam quam verba illa, *hoc est corpus meum*, semper fecerunt in mente omnium Societatum Ecclesiarumque Christianarum, per *corpus Christi* intelligunt non corpus Christi, sed figuram, typum, vel virtutem, excludentem veritatem corporis Christi; perque mutationem panis in corpus Christi, intelligunt mutationem panis in figuram, vel virtutem, seu nescio quid aliud, excludens veritatem corporis Christi. Quod profectò ridiculum est, irrationabile, contra naturalem sensum, & contra universalem intelligentiam, acceptionemque omnium Christianarum Societatum, Ecclesiarumque, non præsentis dumtaxat sæculi, sed omnium sæculorum, à temporibus Christi & Apostolorum. Neque enim intelligentia illa, acceptioque omnium Societatum, Ecclesiarumque Christianarum, præsenti incœpit sæculo, sed eam ipsæ à Majoribus suis acceperunt, prout ipsæ testantur. Nec designabile est sæculum, in quo universalis illa acceptio & intelligentia Christianarum omnium Societatum atque Ecclesiarum incœperit. Cùm nec designabile sit v. g. sæculum decimum-sextum, nec decimum-quintum, nec decimum-quartum, nec decimum-tertium, nec duodecimum, nec decimum, nec nonum, nec ullum præcedentium sæculorum. Quodcumque enim Calvinistæ designaverint, ridiculè & temerariè designabunt, remque incredibilem, & probatu impossibilem sibi probandam assument. Mutatio enim universalis, quæ non inest à natura, non præsumitur, sed probari debet. Impossibile verò est probare mutationem universalem in toto Christiano Orbe factam circa intelligentiam verborum Christi, *hoc est corpus meum*, adeòque circa rem omnium maximam, cujus mentionem nulli Scriptores, nulli Historici fecerunt. Impossibile, inquam, probare mutationem tam grandem, tam sensibilem, ut pro vero, reali & substantiali corpore Christi totus Orbis Christianus accipere & adorare id cœperit, quod pro figura, vel virtute dumtaxat illius, adoratione indignâ, Majores omnes accepissent, & adorare nefas omnibus retrò sæculis centuissent; nec tamen mutationem tam grandem, tamque enormem & sensibilem ulli advertissent, sed in intelligentia, acceptione, & religione Majorum sese perseverare credidissent; vel si qui mutationem advertissent, nulli, sive Superiores, sive inferiores, mutationi tantæ, tamque insolitæ sese opposuissent, nulli de mutatione tam horribili conquesti fuissent, nulli eam condemnassent, nulli novitatem seu innovationem objecissent (quod profectò nusquam legitur objectum fidem Catholico-Romanam hac in re sequentibus, sed Berengarianis, Petrobrussianis, & Calvinistis dumtaxat) nulli zelum suum contra tantæ mutationis Authores acuissent (ut semper fit, semperque factum fuit in omni magna sensibilique mutatione) sed extinctis, sopitis, vel dor-

mientibus omnibus juſtæ paſſionis æſtibus, contra antiquæ fidei, religioniſque mutationem innovationemque nunquam non naſci ſolitis, in tantam mutationem & innovationem omnes Chriſtianæ Nationes & Eccleſiæ (etiam ab invicem communione ſejunctæ, nec ullam non captantes occaſionem altera alteram de innovatione carpendi) non communicato conſilio, ſed fortuitò ſimul uniformiter conſenſiſſent, ſimulque omnes ab avita fide & doctrina Majorum ſuorum uniformiter receſſiſſent, ab ea declinando in novam inſolitamque fidem & doctrinam, ſenſibus & rationi humanæ ſibi relictæ repugnantem, nullis ad hoc Prædicatoribus per Orbem Chriſtianum miſſis, qui tantæ mutationis Authores fuiſſent; nullis etiam miraculis, prodigiis, vel ſignis inſolitis in ejus confirmationem editis. Sine quarum circumſtantiarum concurrentia, cùm mutatio & innovatio tanta in toto Orbe Chriſtiano, ſeu omnibus Eccleſiis & Societatibus ſupradictis nullo ſæculo fieri potuerit; talem autem concurrentiam ullo ſæculo contigiſſe nullo prorſus modo probari poſſit, manifeſtè concluditur illam non eſſe factam, nec Calviniſtas habere jus illam ſupponendi, ſed ipſis onus incumbere argumentis manifeſtis probandi.

278 Et hoc præ oculis habendum in omni controverſia cum modernis hæreticis; qui cùm originaliter Catholici fuerint, & quidem Catholico-Romani, atque ex Catholico Romana Eccleſia, velut ex Eccleſia Matrice nati, reddere debent rationem, cur ſint filii deſertores, & accuſatores Matris ſuæ? Et quia deſertionem ſuam colorare ſolent multis prætextibus & ſuppoſitionibus, quas non probant, ante omnia videndum, quis jus habeat ſupponendi, & cui onus incumbat probandi. Certum eſt autem quòd cùm in multis accuſatores ſint Matris ſuæ, multarumque accuſationum prætextu colorare ſolcant ſuum ab illa receſſum, ſeu apoſtaſiam, ipſis non competat jus ſupponendi, ſed onus incumbat probandi. Cùm accuſatoris ſit probare, non ſupponere. Ei namque *incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.* L. 2. de probat. *Et actore* (qualis eſt accuſator) *non probante, is qui convenitur, etſi nihil ipſe præſtat, obtinebit.* L. *qui accuſare* C. *de edendo.*

279 Sed & aliunde ipſis incumbit onus probandi, ſolaque Eccleſia Romano-Catholica, & filii manentes in ſinu ipſius, jus habent ſupponendi veritatem articulorum quos credunt, quia ſcilicet fides ipſorum ab antiquitate & conſenſu totius penè Orbis Chriſtiani, tam vehementem habet præſumptionem veritatis, ut præſumptio iſta habenda ſit certa, quamdiù non eliditur contrariâ demonſtratione evidenti & plenâ. Deus enim cùm ſit ratio ſuprema, haud dubiè vult quòd ſecundùm rationem judicemus: ſecundùm rationem verò judicare eſt, ſequi certitudinem & evidentiam, dum nobis affulget; veriſimilitudinem verò certitudini proximiorem, dum certitudo omnimoda haberi nequit. Vult proinde ut ſtatim abjiciamus opiniones veriſimilitudini iſti contrarias.

280 Hoc proximè apparuit in Calviniſtis, ſequentibus ſuam de ſenſu verborum Chriſti opinionem. Habent enim contra ſe perſpicua verba Salvatoris; habent contra ſe regulam legitimè interpretandi Scripturam; habent contra ſe perpetuam univerſalis Eccleſiæ fidem, quam rejicere non poteſt niſi novator & hæreticus, qui non credit Apoſtolo 2. Timoth. 3. Eccleſiam vocanti *columnam & firmamentum veritatis.* Nec credit Salvatori Matth. 16. dicenti: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Habent contra ſe præſcriptionem ſeptemdecim ſæculorum, concordemque intelligentiam tot, & tam variarum Nationum. Quæ profectò maximum eſt veritatis argumentum. Habent denique contra ſe manifeſtas expreſſiones Sanctorum. Quas quàm ridiculè explicent, patet applicanti gloſſas ipſorum, v. g. ad teſtimonium Cyrilli Hieroſolymitani n. 176. productum. Quando enim dicit 1°. *Cùm Chriſtus ipſe ſic affirmet de pane, hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Sic gloſſant: cùm Chriſtus de pane affirmaverit, hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare, hoc eſſe figuram continentem virtutem corporis Chriſti?

Cùm 2°. dicit: *Aquam aliquando in vinum convertit in Cana Galilææ. Ergo dignus eſt cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutaſſet.* 281 Sic gloſſant: aquam realiter in vinum convertit in Cana Galilææ: ergo dignus eſt cui credamus, quòd vinum tranſmutaverit in figuram continentem virtutem ſanguinis Chriſti.

Cùm 3°. dicit: *Sub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis, ut ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps corporis & ſanguinis.* 282 Sic gloſſant: ſub pane vero & reali datur tibi figura corporis, & ſub vino vero & reali datur tibi figura ſanguinis, ut ſumptâ figurâ corporis & ſanguinis, efficiaris ei comparticeps figuræ continentis virtutem corporis & ſanguinis.

Cùm 4°. dicit: *Sic Chriſtophori erimus, hoc* 283 *eſt Chriſtum ferentes, cùm corpus ejus & ſanguinem in membra noſtra recipimus.* Sic gloſſant: ſic erimus *typochriſtiferi*, hoc eſt typum ſeu figuram Chriſti ferentes, cùm figuram & virtutem corporis & ſanguinis in membra noſtra recipimus.

Cùm 5°. dicit: *Hoc ſciens, & pro certiſſimo* 284 *habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti.* Sic gloſſant: hoc ſciens, & pro certo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem non continentem figuram & virtutem corporis Chriſti, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat non continentem figuram & virtutem corporis Chriſti, ſed eſſe figuram continentem virtutem corporis Chriſti.

Quid quæſo magis ridiculum? Quid magis a- 285 lienum à plano, obvio & naturali ſenſu expreſſionum S. Cyrilli? Quid magis abſurdum, quàm inducere Cyrillum, in Catecheſi ſua inſtruentem neo-baptizatos, nullum habentes uſum Eccleſiaſtici ſermonis, nec alium ſub cortice verborum S. Cyrilli ſenſum intelligere valentes, niſi naturalem & obvium, quem verba præ ſe ferunt; non eum tamen ſenſum intendentem, nec intelligi volentem, ſed ſenſum excludentem veritatem ejus, quod verba ſua planè, obviè, naturaliter, & ad litteram ſignificant. Quod quid eſt, niſi velle ut neo-baptizati illi per corpus Chriſti intelligant non corpus Chriſti, per ſanguinem non ſanguinem, per non panem panem? Nimis profectò abſurdum eſt ſic catechizare recenter natos in Chriſto, talem uſum verborum corporis, ſanguinis, panis, &c. non habentes, nec intelligere valentes, niſi exprimatur. Quod Cyrillus non fecit.

Nimis quoque abſurdum, verba Salvatoris, ve- 286 terumque Patrum trahere ad ſenſum contrarium idææ, quam verba illa nata ſunt imprimere, de factoque impreſſerunt in mente omnium vel ferè omnium Societatum Nationumque Chriſtianarum. Verus quippe ſenſus verborum Salvatoris ille eſt quem Salvator per illa ſignificare voluit. Atqui Chriſtus per verba illa, *hoc eſt corpus meum,* ſignificare nolunt ſenſum contrarium idææ, quam prævidit per verba ſua naturaliter imprimendam in mente omnium vel ferè omnium Nationum Chriſtianarum, & ſolùm non imprimendam noviſſimis temporibus in mente paucorum Philoſophorum Berengarianorum, & Calvinianorum. Cùm enim inſtruere voluerit omnes Chriſtianos, tam

tam præsentes quàm futuros, per sacratissima verba quæ protulit, dum apud nos vixit; omnibus Christianis loquutus est, in persona eorum qui tunc ipsum audiebant. Omnes (inquam) Christianos tunc habuit objectivè præsentes, nec ignoravit idæam quam impressura erant; non ignoravit (inquam) verba sua ab omnibus Christiani Orbis Nationibus accipienda in sensu naturali, litterali & obvio, quòd utique panis post consecrationem, sive contentum sub specie panis verè, realiter, & substantialiter esset corpus suum, de Maria Virgine acceptum. Quòdque hunc sensum non solùm secuturi essent parvuli omnes, quos vocare venit ad regnum suum, sed & omnes ipsum imitaturi in voluntaria paupertate, pœnitentia, & mortificatione carnalis vitæ, totumque corpus Ecclesiæ suæ, exceptis pauculis ultimâ mundi ætate sub illius finem nascituris, qui per philosophicas argutias probare conarentur totum Christianum Orbem in errore esse & fuisse, omnesque Christianos, ipsis exceptis, verba Christi perperàm intellexisse, & intelligere de vero, reali, substantialique Christi corpore, cùm Christus, dicendo, *hoc est corpus meum*, solùm dicere voluisset, hoc est figura corporis mei.

287 Nihil profectò absurdius, nihil horribilius, nihil magis alienum à charitate Christi erga Ecclesiam sponsam suam, quàm talem Christo tribuere voluntatem, quâ sic instituere voluerit sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, ut in horribilem circa illud errorem præcipitare voluerit omnes omnium sæculorum Christianos & Christianas Nationes, à quibus non benè intelligerentur verba consecrationis, sed à pauculis dumtaxat Philosophis, qui surgentes sub finem, pugnarent adversus Ecclesiam Matrem suam, faciemque interiorem & exteriorem ipsius subvertere conarentur; exteriorem quidem, per abolitionem divinæ politiæ seu hierarchiæ, sacrarumque cæremoniarum, per quas sexdecim sæculis rexisset filios suos; interiorem verò, per abolitionem pœnitentiæ, voluntariæque paupertatis, & castitatis, seu observationis Consiliorum Evangelicorum, atque introductionem Moralis detestabilis.

288 Cùm Christus elegerit viam fidei ad revelandum mysteria regni sui, & *fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, non per discussionem mysteriorum in seipsis: oportuit in locis ex instituto declarantibus mysteria fidei, verba Christi intelligibilia esse iis, qui ea accepturi erant in sensu obvio, simplici, & communi, quem naturaliter impressura erant in mente fidelium. Atqui sensus iste simplex, communis & naturalis, manifestatur per communem acceptionem, intelligentiam & consensum omnium Nationum Christianarum. Igitur verus sensus verborum Christi nobis manifestatur per communem acceptionem, intelligentiam & consensum omnium Nationum Christianarum.

CAPUT XXI.

Hæretici contra se habent rationem Christianam.

289 POtuit enim haud dubiè Christus, ut suam in nos dulcedinem charitatemque demonstraret, suum nobis corpus sanguinemque verè, realiter, & substantialiter dare, in illudque panem, & vinum in sanguinem convertere; sicut aquam in vinum convertit in Cana Galilææ. Quia *non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Quid enim non potest Omnipotens? Si potuit, voluit. Si potuit & voluit, fecit. Qui *omnia quæcumque voluit, fecit*. Neque enim noluisse credi potest, qui se voluisse, tam apertis & perspicuis verbis declaravit (dicens: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum. Accipite & bibite: hic est enim calix sanguinis mei*, &c.) ut apertiora atque ad significandam suam istam voluntatem accommodatiora seligere non potuerit, nec Spiritus sanctus apertiora selegerit ad significanda mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c. ut suprà vidimus. Cùmque claritati verborum Christi regula accedat oracula sacra interpretandi; accedat & fides universalis Ecclesiæ, quæ verba illa in aperto quem præ se ferunt sensu, semper intellexit; accedat denique perpetuus consensus omnium Societatum Nationumque Christianarum, uti etiam suprà demonstravimus. Nec credibile sit Christum in institutione novi Testamenti per sensum obscurum & figuratum decipere voluisse Nationes omnes in se credentium; ex hisce omnibus certissimè con- 290
cluditur errare Calvinistas, perspicua verba Salvatoris exponentes contra sensum naturalem & obvium quem præ se ferunt, & secundùm quem Ecclesia tota hactenùs ea intellexit; errare (inquam) dum Ecclesiæ Sponiæ Christi tantum invident bonum, tantam felicitatem, tantam gloriæ & honoris altitudinem, ut ipsi datum sit in rei veritate possidere, quod in signis tantùm & figuris Synagoga habuit.

In istius honoris possessione à septemdecim Ec- 291
clesia est sæculis. Quotquot in Ecclesia sanctitate & sapientiâ floruerunt, hunc ipsi honorem detulerunt, ut verba ipsorum cap. 17. relata perspicuè declarant, sæculoque septimo Patres septimæ Synodi contestantur. Nec aliam de hoc mysterio fidem fuisse Patrum septimi & sequentium sæculorum, quàm sex priorum; non aliam (inquam) fidem discipulorum, quàm magistrorum, non aliam omnium Nationum Christianarum sequentium, quàm præcedentium temporum, demonstratum est à num. 182. ad 208. confirmatque Augustinus l. 2. contrà Julianum c. 10. dum testatur, Patres in materia fidei nunquam posteris tradidisse rem à se adinventam, sed *quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt*. Omnes isti (eodem Augustino teste) *fuerunt docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas novitates... Hos itaque de aliis atque aliis temporibus, atque regionibus, ab Oriente & Occidente, velut ex universalis totius Christiani Orbis Synodo congregatos vides* (Calvinista) *non in locum, quò navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. Quantò tibi essent isti Judices optabiliores, si teneres Catholicam veritatem; tantò tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam* (id est omni sæculo & toto mundo) *receptam fidem.... Talibus* (*post Apostolos*) *sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit*. Ab illis proinde, tam sanctis utique, tamque in sanctis litteris eruditis, quos Deus dedit Christianorum Rectores, Doctoresque populorum, discere debes, quid de hoc mysterio credere debeas, & maximè ab Ecclesia, quæ tot in Conciliis id definivit. Sicut enim ab Ecclesia Scripturas, sic ab Ecclesia verum Scripturarum sensum accipere debes, exemplo Sanctorum omnium qui hæreticis hactenùs restiterunt. Nusquam enim hactenùs à veritate deviasse sunt deprehensi, qui hanc regulam tenuerunt. Quicumque verò erraverunt à fide, ut Ariani, Sabelliani, Nestoriani, Eutychiani, &c. ideò erraverunt, quia Ecclesiam docentem non audierunt, sed ab ea recedentes, secundùm privatum spiritum suum eloquia sacra interpretari præsumpserunt, contra illud Petri, *Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit*. Errorum proinde omnium fons & origo est separatio ab Ecclesia Catholica, maximumque

erroris atque pervicaciæ argumentum præbent, quotquot Scripturam interpretantur contra eum sensum, quem Catholica Ecclesia tenet, semperque tenuit, nec tales docet unctio Spiritûs sancti, sed ipsos Deus, ob superbiam, cum Ethnicis & Publicanis, tradit in spiritum erroris. Quia *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.*

CAPUT XXII.

Inania sunt argumenta hæreticorum ex Scriptura.

292 PRimò arguunt ex Joan. 6. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Ergo (inquiunt) caro Christi, ore manducata, non prodest quidquam, sed manducata spiritu per fidem.

Respondeo negando consequentiam: utpote non magis legitimè ex illo Joan. 6. deductam, quàm si quis ex illo eodem loco inferret: ergo caro Christi crucifixa nobis non prodest quidquam, sed apprehensa spiritu per fidem. Ex ipsomet contextu illius loci perspicua est inanitas Calviniani istius argumenti. In eo namque Salvator eam quam propugnamus veritatem disertè declarat, dicens: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quæ verba vel ipsi Capharnaïtæ (quibus ibi Christus loquebatur) sicut & discipuli Christi, de reali & orali manducatione intellexerunt, & ideò scandalizati & offensi abierunt retrò, modum istius oralis manducationis non intelligentes. Nullam verò scandali & offensionis causam apparentem habuissent, si verba Salvatoris in sensu tropico, vel objectivo, non in reali & vero accepissent. Patres etiam passim omnes illa Christi verba, aliaque ibidem subjuncta, *nisi manducaveritis carnem Filii Hominis*, &c. de reali & orali, non tropica & figurali, vel mystica & spirituali dumtaxat per fidem manducatione interpretati sunt, ut Irenæus l. 4. c. 34. Origenes hom. 16. in Num. Cyprianus l. de Orat. Dom. Basilius in reg. moral. reg. 21. Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 5. l. 5. c. 1. & l. 6. c. 1. Hilarius l. 8. Trin. Augustinus & uterque Cyrillus posteà referendi, Leo Mag. serm. 6. de jejun. 7. mens. Chrysostomus homil. 45. in Joan. Concilium Ephesinum in approbatione epist. Cyrilli ad Nestorium. Et Nicænum II. act. 6.

293 Enimverò si sua illa verba Salvator intelligi noluisset de reali & orali, sed de mystica vel figurata dumtaxat per fidem manducatione, totam illam Judæorum litigationem, discipulorumque offensionem facilè compescuisset, dicendo, se non loqui nisi de manducatione per fidem, vel de manducatione suæ carnis, non in se, sed in figura. Sed hoc noluit, quin ipsos potiùs in ea persuasione, quâ credebant ipsum loqui de orali manducatione, confirmavit, duplici juramento: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nec correxit nisi modum carnalem, animalem, & crassum, quo id intelligebant. Ad quem corrigendum, sic dixit verba sua spiritualiter intelligenda, ut spiritualis intelligentia non destrueret veram, realem & spiritualem manducationem.

294 Aio ergo 1°. cum Cyrillo Hierosolymit. Catech. mystag. 4. & Augustino tr. 27. in Joan. Salvatorem ibi promisisse se daturum carnem suam in verum, realem & substantialem cibum, ore manducandum, non carnali & animali modo, ipsam dilaniando, & in partes sectam masticando, sed modo spirituali, id est ad modum rerum spiritualium, totam in toto, & totam in qualibet parte panis consecrati, nec sub propria specie, sed aliena. Atque hoc, non illo modo manducatam, prodesse voluit carnem suam. Idcòque dixit: *Caro non prodest quidquam* (inquit Augustinus) *sed quomodò illi intellexerunt, quomodò in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.* Ille namque sensus est, qui Judæos & quosdam discipulos turbavit. *Putabant enim* (ait Cyrillus) *quòd eos ad manducandas* (modo carnali) *carnes hortaretur. Cùmque illi, quæ dicta fuerant, non spiritualiter accepissent* (modo proximè dicto) *offensi abierunt retrò.* Ita etiam Chrysostomus homil. 16. in Joan. *Non de sua ipse carne dixit Christus, cùm ait: caro non prodest quidquam; sed de iis, qui, quæ dicuntur, carnaliter accipiunt.* Ita denique Cyrillus Alexandrinus loco proximè referendo: *Invitari se ad belluinam aliquam crudelitatem putabant, ita ut carnibus quidem vesci inhumaniter, & sorbere sanguinem juberentur, & quæcumque vel solo auditu horrenda sunt, facere cogerentur.*

Aio 2°. cum Cyrillo Alexandrino l. 4. in Evang. Joan. *quòd licèt natura carnis per se vivificare nequeat, idipsum tamen præstat Verbum vivificum in se habens* (id est Verbo hypostaticè unita) *& totam ejus efficaciam proferens. Non enim Petri v.g. aut Pauli, vel cujusvis alterius caro id in nobis præstabit; sed unica & sola Salvatoris nostri Christi, in quo habitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Quapropter de reliquis omnibus verè dicetur, quòd caro non prosit quidquam. De Christo solo non poterit.* Quia salvâ fide negari non potest, Christi carnem natam, crucique affixam, nobis multùm profuisse. *Si enim caro* Christi *nihil prodesset* (ait Augustinus ubi suprà) *Verbum caro non fieret propterea quod in eo vita habitet, hoc est unigenitus.* 295

Secundò arguunt: verbum *est* in Scriptura sæpè sumitur pro *significat*, ut Exodi 12. *Agnus est phase, id est transitus Domini.* Ergo sic accipi potest cùm Christus ait: *hoc est corpus meum*, quasi dicat: *hoc est signum, seu figura corporis mei.* 296

Respondeo dissimulato antecedente, negando consequentiam. Dato enim quòd Deus sic locutus fuerit Judæis in veteri lege, quando *omnia in figuris contingebant illis.* Non sic discipulis suis in nova lege, quando testamentum suum condidit, quando figuris successit veritas, quando venit hora, ut de mysteriis regni sui palàm & sine figura loqueretur eis. Ideò ergo omnes Patres, & omnes Christianæ Nationes, illa Salvatoris verba semper intellexerunt, ut simpliciter & naturaliter sonant, de vero, reali & substantiali corpore Christi, non de signo & figura illius dumtaxat. Verba autem illa Exodi vel ipsi Judæi figuraliter acceperunt. Denique consequentia illa perinde illegitima est, ut ista: ergo in istis propositionibus, *Verbum caro factum est. Hi tres unum sunt*, sermo non est de vera, reali & substantiali Incarnatione, Unitate, &c. sed de signo & figura illius dumtaxat.

Arguunt 3°. postquam Christus dixit: *hic est calix sanguinis mei*, addidit: *non bibam amodò de hoc genimine vitis*: ergo vinum in calice remansit, tamquam signum & figura sanguinis Christi. 297

Respondeo negando consequentiam. Eo quippe modo sanguinem suum in Eucharistia vocavit *genimen vitis*, quo corpus suum vocavit *panem.* Mos enim Scripturæ est, quaslibet res eorum nominibus appellare, ex quibus factæ sunt, vel quorum speciem vel similitudinem gerunt. Homo quippe, ex terra formatus, terra, lutum, pulvis, cinis appellatur. Serpens factus ex virga Aaron, virgæ nomen retinuit: *devoravit virga Aaron virgas eorum.* Angeli, in specie virorum apparentes, viri vocantur. *Et ecce vir Gabriel*, &c. Quia ergo corpus & sanguis Christi in Eucharistia facta

sunt ex pane & vino, eorumque speciem gerunt, *panis & vinum*, seu *genimen vitis* appellantur.

298 Arguunt 4°. negari nequit, in verbis Christi apud Lucam: *hic calix novum Testamentum est in sanguine meo*, esse figuram, quâ continens accipitur pro contento.

Respondeo nec à nobis negari, nisi figuram excludentem veritatem corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, verè, realiter & substantialiter existentis. Qualis non est metonymia illa apud Lucam.

299 Arguunt 5°. in verbis Christi: *hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* demonstrat panem. Sed panis esse nequit corpus Christi realiter & formaliter, sed tropicè, seu significativè & virtualiter dumtaxat, quatenùs significat corpus Christi, illiusque virtutem continet. Probatur major, tum quia ipsemet Christus id declarat Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Similiter Apostolus 1. Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc*, &c. Tum quia pronomen *hoc* id demonstrat, quod Christus accepit, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis. Sed *accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis* Matth. 26. Ergo pronomen *hoc* demonstrat panem.

Respondeo negando majorem. Ad primam ejus probationem, aio, corpus Christi à Christo, & Apostolo post ipsum, ideò vocari panem, quia de pane factum est, ut dixi in responsione ad tertium argumentum. Ad secundam probationem, dico quòd pronomen *hoc* demonstret id quod Christus dedit discipulis suis, panem utique consecratum; non demonstrat tamen id quod Christus accepit, eo modo quo accepit. Sic enim verba ista, *accepit, benedixit, fregit, dedit*, regunt eundem casum, ut regant diversimodè sumptum. Accepit enim panem nondum consecratum, sed consecravit, sive ex pane corpus suum fecit, priusquam daret.

300 Arguunt 6°. verba Christi, *hoc est corpus meum*, sunt sacramentalia: sunt igitur sacramentaliter, id est significativè intelligenda. Cum Sacramentum sit essentialiter signum.

Respondeo distinguendo consequens: sunt igitur sacramentaliter intelligenda, tamquam signa merè speculativa, nego. Tamquam signa practica, sive efficientia quod significant, concedo. Ista namque est præstantia Sacramentorum novæ legis supra Sacramenta veteris legis, quòd non sint signa merè speculativa, prout ista, sed signa practica, ut constat ex verbis quibus perficitur forma Baptismi, quæ non solùm significant, sed & causant animæ ablutionem.

301 Arguunt 7°. *Patres nostri eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt.* 1. Cor. 10. Sed esca & potus spiritualis ipsorum, non erat corpus & sanguis Christi verè & propriè, sed tropicè & figurate dumtaxat. Idem ergo dicendum de cibo & potu nostro spirituali.

Respondeo cum Chrysostomo & Theophylacto negando consequentiam: utpote æquè illegitimam, ac si quis inferret nos hodie comedere & bibere figuram nudam, id est non continentem virtutem corporis sanguinisque Christi, ex eo quòd talem figuram comederunt biberuntque Patres veteris Testamenti. Apostolus ergo illo loco non vult Hebræos manducasse eandem escam & potum nobiscum, sed eandem inter se, ita ut eandem escam manducarent boni & mali. Vel si eandem nobiscum, eandem in figura & significatione, quam nos manducamus & bibimus in veritate. Cùm ad id significandum Christus Joan. 6. dicat: *Non Moyses dedit vobis* (Judæis) *panem de cælo; sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Quò respiciens Augustinus l. 2. contra epist. Petil. c. 37. *Aliud* (inquit) *est Pascha, quod adhuc illi* (Judæi scilicet) *de ove celebrant; aliud autem quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Illi (ut rursum ait tr. 26. in Joan.) manducaverunt corpus & sanguinem Domini in figura, nos in veritate. Sive (ut ait in Psal. 77.) *idem in mysterio cibus & potus illorum qui nobiscum; sed significativè idem, non specie. Quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. Judæi habebant quondam umbram* (ait Salvianus l. 2. ad Ecclesiam) *nos veritatem. Judæi manna manducaverunt, nos Christum. Judæi carnes ovium, nos corpus Dei. Judæi pruinam cæli, nos Deum cæli.*

302 Arguunt 8°. ex Matth. 15. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Si ergo corpus Christi in os intraret, in secessum mitteretur.

Vah putidum argumentum! pudeat Calvinistas isto stercoristarum argumento uti; cùm Christus de vulgaribus & corruptibilibus cibis ibi loquatur, qui in corporis alimentum sumuntur, & pro parte sui in secessum emittuntur: non de cibo Eucharistico & incorruptibili, qui non sumitur in alimentum corporis, sed animæ, nihilque ex se habet corruptibile & impurum, quod in secessum emittatur.

303 Arguunt 9°. ex Matth. 24. *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus* (v. g. in pane consecrato) *nolite credere.*

Respondeo argumentum istud evidenter esse frivolum. Cùm ex contextu pateat, Christum loqui de pseudo-prophetis, qui dicturi essent, se esse Christum: *Multi venient in nomine meo, dicentes: ego sum Christus, & multos seducent.* De iis ergo, non de Eucharistia dicit: *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, nolite credere.*

304 Arguunt 10°. ex Matth. 26. *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Ergo Christus non semper futurus erat præsens realiter & substantialiter in Eucharistia.

Respondeo negando consequentiam: quia contextus & circumstantiæ sermonis manifestum faciunt, Christum ibi loqui de præsentia sua visibili, & adjuvabili per corporalia beneficia, uti declarat Marci 14. *Semper pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis, potestis illis benefacere. Me autem non semper*, illis beneficiis indigentem, *habebitis.* Quod profectò dixit ad compescendam murmurationem Apostolorum, contra Magdalenam indignantium, pro eo quòd oleum pretiosum fuderat super caput Redemptoris. Quam murmurationem eo colorabant prætextu, quòd potuisset unguentum istud venundari multò, & dari pauperibus.

305 Arguunt 11°. ex Joan. 16. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Respondeo ibi etiam sermonem esse de relictione quoad præsentiam visibilem, secundùm quam cum hominibus conversatus fuerat triginta tribus annis.

306 Arguunt 12°. ex Actor. 17. *Deus non in manufactis templis habitat.*

Respondeo argumentum contra realem Christi in Eucharistia præsentiam inde petitum (sicut & omnia præcedentia) meram esse ad decipiendum indoctum populum cavillationem. Neque enim Paulus ibi loquitur de Christo, vel sacratissimo corpore ipsius; sed de Deo Creatore, secundùm divinitatem suam spectato (uti manifestum est ex contextu.) Deus autem, secundùm divinitatem suam, in manufactis templis non habitat, quasi

illis indigens. Audi contextum : *Hic cæli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo. Cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.*

CAPUT XXIII.

Inanitas eorum quæ objiciunt ex Patribus.

307 ARguunt 1°. ex Tertulliano l. 4. contra Marcionem c. 40. dicente, quòd Christus *acceptum panem, corpus suum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei.*

Respondeo postrema Tertulliani verba, *id est figura corporis mei*, construenda non esse cum immediatè præcedentibus, *corpus meum*, sed cum pronomine *hoc*, quod ex mente Tertulliani demonstrat panem, non qui manet, sed qui mutatur, ita ut sensus sit: *hic panis*, id est illud quod olim fuit *figura corporis mei, per consecrationem desinens esse panis, est corpus meum.* Transpositione namque usus est Tertullianus, ne inverteret ordinem verborum Salvatoris, *hoc est corpus meum.* Sicut lib. contra Praxeam c. 9. transpositione usus est, ne inverteret ordinem verborum Apostoli, cùm dixit: *Christus mortuus est, id est unctus:* neque enim ly *id est unctus* refertur ad adjectivum *mortuus*, quod immediatè præcedit, sed ad substantivum *Christus.* Similiter l. 4. contra Marcion. c. 11. cùm dixit: *Aperiam in parabolam aurem meam, id est similitudinem:* ly *id est similitudinem* non addidit ut explicaret vocabulum immediatè præcedens, *aurem meam*, sed illud quod immediatè præcessit, *parabolam.*

308 Quòdque interpretatio nostra legitima sit, probatur ex contextu, scopoque Tertulliani, qui est, libris illis refellere duplicem Marcionis errorem, quorum primus est, quòd Christus non habuerit corpus verum & reale, sed phantasticum. Secundus, quòd lex vetus à malo Deo condita fuerit, ideòque à Christo abolita. Primum errorem multis argumentis Tertullianus exagitat tribus prioribus libris. Posteriorem refellit lib. 4. ubi ostendit, Christum non venisse, ut legem solveret, sed ut adimpleret, exhibendo earum rerum veritatem, quarum figuræ in veteri lege habebantur. Et hinc rursum ostendit, Christum habuisse verum corpus, quia verum corpus suum dedit discipulis suis, dicendo: *accipite, hoc est corpus meum.* Quòd autem tunc ipsis dederit verum corpus suum, probat ex eo quòd tunc dederit illis corpus, cujus figura panis fuit in veteri lege. *Acceptum* (inquit) *panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem olim non fuisset* (non dicit, figura *non esset*, ut demonstret per figuram se non intelligere Eucharistiam; sed *non fuisset*, olim scilicet in veteri lege) *nisi veritatis esset corpus*, id est nisi figuræ veritas, sive verum corpus figurato succederet. Quòd autem panis in veteri lege præfiguraverit corpus Christi, probat testimoniis Hieremiæ, Isaiæ, & Geneseos. Imprimis ex verbis Christi dicentis apud Hieremiam: *Adversum me cogitaverunt cogitatum, dicentes: Venite, conjiciamus lignum in panem ejus, scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum* (Christus, per quem lux umbris, veritas figuris succedit) *quòd tunc voluerit significare panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. Sic & in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis*, id est verum & substantiale corpus suum, *confirmavit; nullius enim corporis sanguis esse potest, nisi carnis*, id est carne constantis. *Nam & si qua corporis qualitas non carnea opponatur nobis, certè sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis; probatio carnis de testimonio sanguinis. Ut autem & sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Ejaias. Quis* (inquit) *qui advenit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor.... Quare rubra vestimenta tua, & indumenta sicut de foro torcularis pleno conculcato?.... Multò manifestiùs in benedictione Judæ, ex cujus tribu carnis census Christi processurus jam tunc Christum in Juda delineabat: Lavabit* (inquit) *in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum, stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem. Ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.*

Ecce illo ipso loco, ex quo contra veram & 309
substantialem corporis Christi in Eucharistia præsentiam disputant Calvinistæ, Tertullianus ex ipsomet Eucharistiæ Sacramento probat in Christo fuisse verum corpus & sanguinem: quia corpus & sanguis Christi in Eucharistia præfigurata fuerunt veteribus illis figuris panis & vini. Cùm igitur figura sit veritatis, seu rei veræ figura, figuræ illæ veteris Testamenti non fuerunt figuræ corporis & sanguinis phantastici, seu phantasticè, aut figuraliter dumtaxat existentis in Eucharistia, sed verè, realiter & substantialiter existentis. Et quia vinum figura fuit veri sanguinis (figura enim non est nisi rei veræ figura, ut proximè dixit) verus autem sanguis non est nisi veræ carnis, verique proinde corporis, ex eo quòd in Christo (existente in Eucharistia) fuerit verus sanguis per vinum in veteri lege præfiguratus, novam conficit probationem, quâ ostendit in Christo veram fuisse carnem, verumque corpus. Unde lib. 5. *Panis* (inquit) *& vini Sacramento jam in Evangelio probavimus corporis & sanguinis Domini veritatem adversus phantasma Marcionis.* Unde lib. de resurrectione carnis c. 8. dicit, quòd *caro corpore & sanguine Christi vescitur.* Quibus certè non vescitur per fidem, quæ carnis actus non est, sed intellectûs. Et lib. de pudicitia c. 9. *opimitate Dominici corporis vescitur.*

Arguunt 2°. Origenes in cap. 15. Matth. di- 310
cit Eucharistiam esse corpus typicum, symbolicumque. Hieronymus l. 2. contra Jovin. ait, Christum in typum sanguinis sui obtulisse *vinum.* Ambrosius l. 4. de Sacram. *similitudinem pretiosi sanguinis bibis.* Et c. 5. altaris oblationem vocat *figuram corporis & sanguinis* Christi. Et lib. 4. Offic. c. 4. ait, Christum offerri *hic in imagine, ibi in veritate.* Basilius in Liturgia sua, Eucharistiam vocat *antypon*, id est figuram corporis Christi.

Respondeo 1°. nec illos Patres, nec alios, in 311
Eucharistia admittere typum, symbolum, similitudinem, antypon, figuram, imaginem, quæ excludat veram, realem substantialemque Christi in ea præsentiam, sed quæ ipsam compatiatur, idque manifestum esse, tum ex eo quòd aliis locis eam perspicuis verbis tradant. Tum ex eo quòd ab omnibus Nationibus Christianis crediti fuerint assertores, non eversores istius veritatis, realitatis, & substantialitatis. In illis proinde locis, in quibus usi sunt expressionibus objectis, iis usi sunt in sensu à Catholicis recepto, non in sensu Berengariano, vel Calviniano. Et sic dum v. g. in Eucharistia figuram admiserunt, non propterea veritatem proprietatemque excluserunt. Nec certè figura veritatem semper excludit, nec proprietatem, ut constat ex Apostolo ad Hebræos 1°. de Filio Dei dicente, *qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Non omnis proinde figura, umbra est & fallitas, imò plerùmque veritas signumque rei sæpè præsentis, non semper absentis, ut patet in sanguine, qui signum est animæ quam

verè continet. Quomodò etiam columba, quæ super Christum baptizatum descendit, signum fuit Spiritûs sancti realiter præsentis; linguæ igneæ, signum ejusdem super Apostolos realiter illapsi die Pentecostes; pulsus celer & elevatus, sicut & facici ardor, signum febris præsentis; Christus ipse, post resurrectionem suam discipulis apparens, euntibus in Emmaüs, fingensque se longiùs ire (secundùm Augustinum) figuravit seipsum post paucos dies realiter ascensurum in cœlum, iter à communi hominum via longiùs remotum. Et idem ipse rursus in Evangelio positus dicitur in *signum cui contradicetur*. Et apud Isaïam, stare in *signum populorum*. Et incruentè oblatus in hoc mysterio, signum & figura sui ipsius in cruce cruentè oblati, juxta illud: *hoc facite in meam commemorationem*. Denique corpus Christi verè, realiter & substantialiter existens in Eucharistia 1°. quatenus ibi sub specie panis, figura, symbolum & signum est sui ipsius sub propria specie. 2°. quatenus ibi incruentè offertur, signum & symbolum est sui ipsius cruentè oblati in cruce. 3°. signum & symbolum est corporis sui mystici, quod est Ecclesia. 4°. signum & symbolum est unitatis ejusdem corporis mystici, secundùm hanc Ecclesiæ Collectam: *Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, unitatis & pacis propitius dona concede, quæ sub oblatis muneribus mystice designantur*. 5°. temporalis perceptio ipsius in hoc mysterio, signum est futuræ sempiternæ fruitionis in cœlo, prout rursum Ecclesia canit: *Fac nos..... divinitatis tuæ sempiternâ fruitione repleri, quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat*. Sicque Christus in Eucharistia signum est rememorativum passionis præteritæ; demonstrativum præsentis unitatis Ecclesiæ; prognosticum futuræ gloriæ. In hoc ergo mysterio *corpus Christi & veritas, & figura est* (inquit Augustinus relatus can. *utrum sub figura* de Consecr. dist. 2.) *veritas, dum corpus Christi, & sanguis, virtute Spiritûs sancti, in verbo ipsius, ex panis & vini substantia efficitur. Figura verò est id quod exterius sentitur*. Isti modi & sensus omnes Catholici sunt, cumque Catholicæ de hoc mysterio assertionis veritate consistunt. Cùm igitur aliquo ex istis modis, semper ab omnibus Nationibus Christianis intellecti fuerint Patres, qui nobis objiciuntur, perperàm à Calvinistis in sensu contrario intelliguntur. Nostra quippe expositio prævalet antiquitate, universalitate, omniumque Nationum consensu. Unde

312 Respondeo 2°. Eucharistiam ab Origene vocari corpus Christi *typicum*, & à Basilio *antypon* aliquo ex dictis modis.

313 Hieronymus ibi manifestè solùm vult, materiam consecrandam in sanguinem, non esse aquam, sed vinum; vinumque proinde consecrandum, non aquam, offerri in typum, seu signum sanguinis. Quòd enim panis consecratus, & vinum consecratum verè & realiter sint Christi corpus & sanguis, docet epist. 1. ad Heliod. ubi ait, quòd Sacerdotes *Christi corpus sacro ore conficiunt*. Epist. 85. ad Evagr. *ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur*. In Psal. 145. *Panem cælestem... accipimus, quia vera Christi caro est*.

314 Ambrosius docet nos bibere similitudinem sanguinis Christi, vel quatenùs species vini, sub qua bibitur, est similitudo sanguinis ipsius, vel quatenùs sanguis Christi, quatenùs in altari offertur & bibitur, similitudo est sanguinis ejusdem quatenùs in cruce effusi. Quomodò etiam oblationem altaris vocat figuram corporis & sanguinis Christi in cruce oblati. Denique eatenùs dicit, nos Christum habere hîc *in imagine*, in cœlo verò *in veritate*; quatenùs hîc habemus Christum velatum sub speciebus panis & vini: in cœlo verò videbimus eum sicuti est: ita ut imaginem non opponat substantiæ, sed claræ notitiæ; nec veritati velatæ, sed revelatæ: veram enim, realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam apertè doceri ab Ambrosio, constat ex dictis n. 175.

CAPUT XXIV.

Augustinum totum esse suum, Berengarius & Calvinus in vanum gloriantur.

315 PAtebit ex solutione argumentorum, quæ ex Augustino objiciunt. Arguunt itaque 1° ex epist. 23. ad Bonifacium, ubi sic: *Sicut secundùm quemdam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est; Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei, fides est*. Sed Sacramentum fidei, Baptismus utique, non est verè & propriè fides, sed secundùm quemdam modum, id est significativè dumtaxat. Ergo similiter.

Respondeo conferenti hunc Augustini locum, cum aliis n. 178. relatis (ubi Catholicam de Eucharistia veritatem difertis verbis tradit) perspicuum esse, quòd Sacramentum corporis & sanguinis Christi cum Sacramento fidei non comparet absolutè & per omnia, sed *secundùm quemdam modum*, in quantum scilicet utrumque est Sacramentum, adeòque signum rei, cujus est Sacramentum. Tametsi in eo proximè differant quòd Eucharistiæ, non fidei Sacramentum verè, realiter, & substantialiter sit res, cujus est Sacramentum, corpus scilicet & sanguis Christi; licèt non modo visibili, palpabili, & divisibili, sicut fuit in cruce, & in humana conversatione; & sic non secundùm omnem, sed *secundùm quemdam modum*, invisibiliter utique, impalpabiliter, indivisibiliter. Neque enim Augustinus dicendo *secundùm quemdam modum*, excludit modum verum, realem & substantialem. Cùm epist. 28. dicat quòd *anima hominis immortalis est secundùm quemdam modum*. Et epist. 3. *Ut hominem susciperet dignaretur* (Verbum) *& cum illo uniretur quodammodò*. Non ideò tamen negat, animam humanam esse verè, realiter & substantialiter immortalem, nec Verbum homini verè, realiter & substantialiter unitum.

316 Arguunt 2°. ex serm. de Sacramento altaris ad infantes, ubi dicit, Eucharistiam esse corpus Christi, sicut nos sumus corpus Christi. Sed nos non sumus corpus Christi, verè, realiter & substantialiter. Ergo nec Eucharistia sic est corpus Christi.

Respondeo nec ibi ab Augustino fieri comparationem secundùm omnem modum, sed secundùm aliquem dumtaxat, inter modum quo Eucharistia est corpus Christi, & modum quo nos sumus corpus Christi. Eucharistia namque est corpus Christi naturale; sicut nos sumus corpus Christi mysticum.

317 Arguunt 3°. Augustinus ibidem dicit, quòd *panis est corpus Christi*. Quod intelligi nequit in sensu proprio, sed figurato tantùm.

Respondeo ex contextu apparere quòd hoc dicat de corpore Christi mystico, cujus unitatem repræsentat panis ex multis granis coalescens. Nisi dicere malis, quòd Augustinus in tantum dicit panem esse corpus Christi, in quantum id quod secundùm exteriorem speciem est panis, secundùm interiorem veritatem est corpus Christi, quod secundùm exteriorem illam panis speciem, repræsentat fidelium unitatem. *Sicut enim* (inquit) *ut sit species visibilis panis, multa grana in unum conspergunter; ita & Dominus Christus..... mysterium pacis & unitatis nostræ in sua mensa consecravit*.

318 Arguunt 4°. ex tract. 25. in Joan. *Quid paras dentes, & ventrem? crede & manducasti.*

Respondeo Augustinum ibi non loqui de manducatione corporis Christi, sed de fide in Verbum incarnatum, sicut & de quocumque opere Dei, quo anima spiritualiter alitur in vitam æternam. Cùm enim Judæi Christum quærerent propter cibum corporis, non animæ, ut Christus ipse ait Joan. 6. *quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus* meis; Christus eos ibi hortatur, ut ipsum quærant propter cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, id est non propter cibum corporis, sed animæ: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Quo dicto, Judæis interrogantibus: *quid faciemus ut operemur opera Dei*, quibus anima in vitam alitur æternam? *Respondit Jesus, & dixit eis: hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Hæc sunt verba, pro quorum explicatione Augustinus subjungit: *hoc est manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (credere utique in eum, quem misit Pater) *ut quid paras dentes, & ventrem? crede & manducasti.... ipsam fidem dixit opus Dei.*

319 Ad Eucharistiam prorsus non pertinent verba objecta, quia ibi non loquitur de manducatione Dominici corporis, nec negat ad illud suscipiendum rectè parari os & ventrem: cùm l. 2. contra adverss. legis & Prophet. c. 9. fateatur ore susci pi, non corde tantùm: *Mediatorem Dei & hominum, Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde, atque ore suscipimus.*

320 Et quamvis loco objecto Augustinus loqueretur de manducatione Dominici corporis, non protinùs esset contrarius. Duplex est enim Dominici corporis manducatio, corporalis, quâ corpus Dominicum ore suscipitur quoad se, & mystica, quâ corde suscipitur quoad fructum, & spirituale alimentum animæ. Quòd si fortè de posteriori loquatur in verbis objectis; non ideò negat priorem, ut numero præcedenti vidimus.

321 Arguunt 5°. ex tract. 26. in Joan. *Credere, hoc est manducare panem vivum. Qui credit in eum, manducat, invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur.*

Respondeo inanitatem argumenti perspicuam esse ex proximè dictis. Sic enim Augustinus ibi loquitur de manducatione spirituali & mystica panis vivi, ut non neget corporalem & oralem. Solent enim Patres, solet Augustinus, Scripturæ sensum allegoricum proferre, sine præjudicio sensûs litteralis. Unde ibidem allegoricè exponit tactum fimbriæ vestimenti Christi, de quo Luc. 8. *Quid est tetigit, nisi credidit?* non ideò tamen negat verè, realiter & litteraliter tetigisse. Quomodò etiam conc. 1. in Psal. 68. allegoricè exponit sitim Christi in cruce, sicut & sitim, de qua in historia Samaritanæ: *Fidem quippe ipsius sitiebat; & de cruce, cùm diceret, sitio, fidem illorum quærebat.* Nec ideò negat Christum verè, realiter & litteraliter sitiisse.

322 Arguunt 6°. ex lib. 20. contra Faust. c. 11. ubi Manichæos irridet, dicens: *Ore aperto expectatis quis inferat Christum, tamquam optimæ sepulturæ, faucibus vestris.*

Respondeo non irridere Manichæos, quòd sentirent Christum in Eucharistia ore suscipi (ipsum enim irriderct, uti n. 319. vidimus;) sed quòd fabularentur, omnes arbores esse crucem Christi, de qua Christus deponeretur, & in sepulchrum inferretur, cùm fructus ex arbore decerpti ore exciperentur. Imò usque adeò delirabant, ut ipsis objiceret ibidem: *Vobis per fabulam vestram, in esca omnibus, Christus ligatus apponitur.* Et lib. de fide contra Manich. c. 34. *Dicitis magno errore... Christum quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori... in cucurbitis, & in porris, & in portulaca, & in cæteris hujusmodi rebus. Magna ridicula, magna cæcitas,* &c.

Arguunt 7°. ex lib. contra Adimant. c. 12. 323
Non enim Dominus dubitavit dicere, hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.

Respondeo 1°. Augustinum illic disputare contra Manichæos, qui Christo non tribuebant corpus verum, sed phantasticum, nec proinde de vero Christi corpore intelligebant verba Salvatoris, *hoc est corpus meum*, & per *signum corporis sui*, intelligere *Sacramentum corporis sui*, quod illius signum est non separatum, sed conjunctum. Siquidem Adimantus (quem ibi refellit) ut probaret contrarietatem veteris Testamenti cum novo, objiciebat Deuteron. 12. vetitum esse carnem cum sanguine manducare, eò quòd sanguis sit anima carnis. Cui contrarium esse prætendebat Evangelium, dicens, non esse timendos eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quod falsum esset, si sanguis foret anima carnis. Ad quam objectionem duo respondet Augustinus. Primò in Deuteronomio id dictum de anima pecoris. In Evangelio de anima hominis. Secundò sanguinem eatenùs in Deuteronomio dici animam carnis, quatenùs signum est animæ præsentis; adeòque *præceptum illud* Deuteronomii in signo esse *positum*. Quod declarat à simili: *Non enim Dominus dubitavit dicere, hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* Cùm enim sanguis signum sit animæ realiter præsentis, non absentis; adeòque conjunctum, non separatum: cùm Dominus dixit, *hoc est corpus meum*, signum dedit corporis sui realiter præsentis, non absentis, &c. quatenùs dando corpus suum sub specie panis, dat signum corporis sui præsentis. Species namque panis, determinata per verba illa Christi, signum est corporis verè, realiter & substantialiter præsentis.

Respondeo 2°. probabiliùs ex solis illis Augu- 324
stini verbis efficaciter non argui, neque pro nobis, neque pro Adversariis. Quia de Eucharistiæ mysterio Augustinus ibi non agit, nisi obiter, ad ostendendum quòd sanguis possit dici anima carnis, tametsi non sit nisi signum ipsius. Ad quod ostendendum cùm duplici utatur exemplo, tum Eucharistiæ, de quo proximè; tum petræ (de qua 1. Cor. 10. *Petra erat Christus*, significativè utique) tam utitur exemplo signi conjuncti (quale est Eucharistia) quàm signi separati, cujusmodi est petra illa. Cùm verò ait: *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui*, non explicuit de quo signo loqueretur, an conjuncto? an separato? Ex illa ergo Augustini expressione præcisè, nec efficaciter pro nobis argui potest, nec pro Adversariis. Sed pro eruenda circa hoc Augustini mente, ad alia clariora loca recurrendum, ubi hoc mysterium explicat.

Arguunt 8°. Augustinus in Psal. 3. dicit quòd 325
Christus Judam admisit ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram Discipulis commendavit, & tradidit.

Respondeo ex dictis n. 311. patentissimum esse, neque ex illo Augustini testimonio, neque ex aliis ejusmodi, tum ipsius, tum aliorum Patrum expressionibus, contra veram, realem & substantialem Christi in Eucharistia præsentiam argui posse: cùm Augustinus sic admittat in hoc mysterio figuram, ut non excludat veritatem & realitatem corporis sanguinisque Christi. Neque certè scopus seu intentio ipsius eo loco id postulat, sed solùm quòd eo in convivio Christus dederit signum unitatis & pacis. Ad quam ibi hortatur exemplo Christi, qui cum ipsomet Juda traditore pacem perpe-

tuò servare voluit. Quod probat tum ex osculo, quod ab ipso benignè susceptit, tum ex eo quòd ipsum admiserit ad convivium, in quo pacis & unitatis signum tradidit. Convivium quippe Eucharisticum, & Sacramentum est corporis sanguinisque Christi, verè, realiter & substantialiter præsentis, & signum sensibile unitatis & pacis. Ideò verò Augustinus ibi potiùs dicit, Christum pro signo unitatis dedisse figuram corporis sui, quàm corpus suum: quia corpus Christi, secundùm se præcisè, non est sensibile signum istius unitatis, sed secundùm species panis & vini, quæ in tantum sunt figura corporis & sanguinis Christi, in quantum sunt signum sensibile ipsius.

326 Arguunt 9°. ex concione in Ps. 98. *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis, spiritualiter intellectum vivificabit vos.*

Respondeo Augustinum non negare quòd manducaturi essent idem corpus quoad substantiam, sed quoad existendi modum: neque enim illud manducaturi erant in statu mortali, passibili, visibili, & divisibili, in quo fuit quando visus fuit, & crucifixus; sed in statu immortali, impassibili, invisibili, & indivisibili. Verba itaque ista: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis*, Lanfrancus optimè explicat dicens: *ipsum quidem, & non ipsum: ipsum invisibiliter, & non visibiliter.* Ipsum indivisibiliter, & non ipsum extensè, & divisibiliter: ipsum in statu immortalitatis, & impassibilitatis, & non ipsum in statu mortalitatis, & passibilitatis. Unde Augustinus subdit: *Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est invisibiliter intelligi.* Neque enim Christi corpus in hoc Sacramento existit modo naturali, sed sacramentali. Propter quod dixit: *Sacramentum aliquod commendavi vobis.* Addendo verò, *spiritualiter intellectum vivificabit vos*, veram substantiam Dominicæ carnis non excluſit, sed carnalem intellectum illius, qualis erat Capharnaïtarum, qui putabant *quòd Dominus præcisurus erat particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis*, ut ibidem Augustinus observat. Simili sensu ibidem dicit, quòd Anna, mater Samuëlis, *non carnaliter Samuëlem habere voluerit*, non excludendo substantiam carnis, sed finem carnalem: quia ipsum habere voluit, ut Deo, non carni serviret. Quòdque substantiam carnis Christi Augustinus non excluserit ab hoc Sacramento, perspicuè declaravit, eodem loco dicendo: *De carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulavit, & ipsam carnem* (quam utique de carne Mariæ accepit, & in qua hîc ambulavit) *nobis manducandam ad salutem dedit.* Ipsam (inquam) in seipsa, non in figura, non in virtute vel effectu, sed ipsam carnem Verbo unitam, ideòque adorandam, prout apertè significant verba sequentia: *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

Arguunt 10°. ex lib. 3. de doctr. Christ. c. 16. 327 ubi postquam dixit: *Si præceptiva*, Scripturæ, *locutio flagitium aut facinus videtur jubere... figurata est*: exemplificat in hisce verbis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: quia facinus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo, præcipiens Passioni Dominicæ communicandum, & suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.*

Respondeo verba Christi Joan. 6. non videri flagitium aut facinus jubere, nisi intellecta de carne Christi eo modo manducanda, quo à Capharnaïtis putabatur, modo utique carnali, ferino & cruento, ipsam in partes sectam masticando. Sic proinde intelligendo, verissimè ab Augustino dici, quòd figurata sit locutio, præcipiens communicare passionibus Christi. Sed quia nulla est apparentia flagitii vel facinoris, Christi carnem manducare, realiter quidem, & substantialiter, sed modo spirituali, indivisibili & incruento: hoc modo intellectam Christi locutionem Augustinus non vult esse figuratam, sed priori modo dumtaxat.

Ecce quàm inania sunt argumenta Berengario- 328
norum & Calvinistarum ex Augustino, ut ostensum est ex ipsomet Augustino. Et profectò cùm tota hactenus Ecclesia, omnesque Societates & Nationes Christianæ ipsum intellexerint in sensu à nobis allato; nimiùm petulantis ingenii est, illi sensui, ab omnibus recepto, ipsâque antiquitate & universalitate consecrato, Augustinianoque textui & scopo conformi, cum pauculis contradicere, conquisitisque obscurioribus Augustini testimoniis, clariores textus ejusdem per ea obscurare; cùm econtrà *ad obscuriores* locutiones illustrandas (ut ipse ait l. 2. de doctr. Christ. c. 9.) *de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant.* Itaque sensus uno loco obscurus, per clariora alia loca est illustrandus. *Quemadmodum enim hæreticorum est ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt malè interpretari; ita solitum est prudentiæ & pietatis Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare*, inquit Facundus Hermian. l. 9. c. 5.

CAPUT XXV.

Hæreticorum à ratione argumenta digna non sunt Philosopho, multò minus Theologo Christiano.

CUm adversus divinam omnipotentiam pug- 329
nent, ne refutatione quidem digna sunt. *Quomodò* (inquiunt) corpus Christi, cum omnibus partibus suis, in cælo occupans sexpedale ut minùs spatium, in Eucharistia redigi potest ad punctum? Quomodò accidentia panis & vini existere possunt sine subjecto? Quomodò idem Christi corpus existere potest extensum in cælo, inextensum in Sacramento? Quomodò totum & integrum in omnibus panibus consecratis, atque in infinitis propè locis? Quomodò corpus Salvatoris omnes æqualiter sumunt, sive qui comedunt magnum, sive qui comedunt parvum panem consecratum? Quomodò nutriuntur corpora nostra accepto Sacramento? Non enim nutriuntur ex substantia panis, quæ secundùm nos per consecrationem esse desiit. Neque ex substantia corporis Christi, utpote quæ in substantiam corporis nostri minimè convertitur. Multò minùs ex accidentibus solis panis & vini. Quomodò ex pane consecrato nascuntur vermes specie panis corruptâ? Quomodò acetum, & spiritus vini provenit ex calice consecrato? Quomodò Deus purissimus non polluitur, dum à sordidissimis peccatoribus sumitur?

Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ divinæ 330
humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas! inquit Augustinus l. 22. Civ. Dei c. 11. Hæc utique objiciunt, *qui ab Ecclesiæ unitate divisi, dum fieri nolunt discipuli veritatis, magistri fiunt erroris*, ait S. Fulbertus epist. 1. *At si Deum omnia posse credis, & hoc consequitur ut credas*, hæc per Omnipotentem fieri posse, nec Deum purissimum magis pollui, dum os & stomachum peccatoris ingreditur, quàm solares radios, dum in sordidissimam cloacham illabuntur.

Dic, quisque hæc objicis, an ea quæ dixisti, 331
infinita Dei potentia ideò non potest, quia finitus intellectus tuus, quomodò ab Omnipotente fieri

possint, capere non potest? At recognosce infinities plura & majora Deum facere posse, quàm tu, & creaturæ omnes, etiam Angelicæ, capere valeatis. An Trinitatis mysterium ideò impossibile, quia tibi, & creaturis omnibus incomprehensibile? An similiter mysterium Incarnationis? Ista utique mysteria Pagani, & veteres hæretici similibus impetierunt argumentis, quibus tu mysterium Eucharistiæ. Quomodò (inquiebant) Pater & Filius & Spiritus sanctus idem esse possunt in natura, & non esse idem in persona: *cùm quæcumque eadem sunt uni tertio, eadem sint inter se?* Quomodò æternus fieri potest temporalis? immensus fieri parvulus? impassibilis pati, immortalis mori, &c.? Quomodò factus infans exire potuit ex clauso Virginis utero, &c.?

332 Ad hæc igitur omnia una est responsio: *apud homines hæc impossibilia sunt; apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Et, ut tolerabile sit quòd hæc objiciantur à Mahumetanis; intolerabile profectò quòd similia objiciantur à Christianis, qui ex reliquis mirabilibus operibus Omnipotentis utcumque capere possunt, quòd hæc quoque possit Deus. Idem ergo corpus pluribus in locis simul ponere potest, qui plura in uno eodem loco; ut cùm Christus exiit è tumulo clauso, vel ad discipulos januis clausis ingressus est. Nec Christi corpus ad punctum spatii minus redigi potest Omnipotentis virtute, quàm Camelus per foramen acûs transire. Quod Deo possibile Christus Matth. 19. contestatur. Nec Deo difficilius miraculum, quo corpus Salvatoris æquè integrum sumunt, sive qui magnum, sive qui parvum panem consecratum sumunt; quàm miraculum illius miraculi præfigurativum, olim patratum in Manna, *de quo, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minùs paraverat, reperit minùs. Exod.* 16. Neque cæteræ difficultates apud Deum sunt difficultates, qui in hoc mysterio memoriam facere voluit mirabilium suorum, multaque proinde miracula facere, ad miraculum miraculorum maximum occultandum. Vide tamen infrà num. 382. & ex ibi dicendis apparebit, quòd dum corpora nostra nutriuntur accepto Sacramento, non nutriuntur ex substantia corporis Christi, neque ex substantia panis, quæ remanserit, neque ex solis accidentibus, seu ex substantia miraculosè de novo creata, idem præstante quod substantia illa panis præstitisset, si remansisset. Et simili modo ex pane consecrato, sive potiùs ex materia creata in locum illius, generantur vermes, & alia consequuntur, quæ in objectione tanguntur.

333 Nec opus est ad objecta illa plura addere, quæ Catholici solent in Physica copiosiùs dissolvere, & ad quæ sancti Patres ne quidem dignati sunt respondere, considerantes, quòd ut Ernulfus Rossensis Episcopus ait spicil. to. 2. pag. 440. *has nodosas disputationes illi objicere solent, quos amor humanæ laudis, quos favor fatigat popularis, qui gaudent imperitis scrupulosarum parare laqueos quæstionum, quibus sacrarum non sufficit robur Scripturarum; quibus potius est sequi rationem sapientiæ sæcularis, quæ stulta facta est à sapientia Dei, quàm fidei veritatem, quæ inscrutabilia penetrat, & rationis impotentiam pertranseens, ascendit usque ad ipsum nutum Dei. At justus ex fide vivens, humiliter sequens, non sensum suum præferendo, sed Domini sui mandata reverenter amplectendo, omnia credit, quæ Spiritus sanctus credenda esse præcipit.* NON QUÆRENS QUOMODÒ HOC VEL ILLUD ESSE POSSIT, *sed ad omnia divinitùs imperata, quæ legit, vel audit, utpote mitis & humilis corde, humillimè acquiescit.*

334 Hanc etiam viam iniisse videtur Concilium Tridentinum sess. 13. c. 1. dum sic loquitur: *Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominùs aliis in locis sacramentaliter præsens sub substantiâ nobis adsit, eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ, assequi possumus, & constantissimè credere debemus. Ita etiam Majores nostri omnes, quotquot in veræ Christi Ecclesia fuerunt,* &c.

CAPUT XXVI.

Corpus & sanguis Christi non sunt realiter & substantialiter in Eucharistia per impanationem; sed per veram realemque transubstantiationem, seu conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.

EST fidei veritas, contra Calvinistas & Lutheranos, ab eodem Concilio Tridentino definita sess. 13. c. 4. his verbis: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. Quæ conversio convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.* Et can. 2. *Siquis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaverisque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat, anathema sit.* 335

Hoc anathemate specialiter perstringitur Lutherus, in hoc mysterio impanationem docens, & transubstantiationem negans. Vult enim quòd substantia panis & vini in eo remaneat realiter unà cum corpore & sanguine Christi. Sed Catholica veritas (quam ante Tridentinum definierant Concil. Later. sub Innoc. III. cap. *firmiter* de sum. Trin. Constantiense sess. 8. & Florentinum in Decreto de Sacram.) fundatur in veritate verborum Christi, *hoc est corpus meum.* Neque enim Christus ait: *in hoc latet corpus meum*, vel *cum hoc est corpus meum*, vel *hic est corpus meum:* sed *hoc est corpus meum.* Quod non esset verum, si substantia panis sub propria specie, seu propriis accidentibus ibi remaneret. Quia pronomen *hoc* demonstraret panem: sensus proinde foret, *panis est corpus meum.* Quod apertè falsum est: cùm nulla sit identitas inter panem & corpus Christi. Omnis verò prædicatio unius de alio in communi omnium sensu affirmatio est identitatis inter utrumque. Si enim absque illa identitate, unum de alio prædicare liceret, de nihilo aliquid, de tenebris lux, de luce tenebræ, de Christo Belial, de Belial Christus prædicari possent. A quo abhorret communis sensus omnium. 336

Quòd autem pronomen *hoc* demonstraret substantiam panis, si ibi sub propria specie remaneret, tametsi etiam corpus Christi ibi esset, probatur, quia quando duæ substantiæ simul sunt in eodem loco, quarum una ibi ad sensum est sub propria specie, altera ibi ad sensum non est sub propria 337

pria specie, tunc pronomen demonstrativum *hoc*, ex communi hominum sensu, ad sensum demonstrat substantiam sub propria specie ibi sensibiliter existentem; non substantiam ibi invisibiliter delitescentem. Tametsi enim Deus invisibiliter sit in pane: panem communem habens in manu, ex communi usu & sensu hominum verè dicere nequit: *hoc est Deus*. Et dato quòd in eo invisibiliter esset Angelus, vel dæmon, dici non posset: *hoc est Angelus, hoc est dæmon*. Neque dum Christus resurgens in eodem loco invisibiliter fuit cum lapide sepulchrali, cum pariete, vel janua cœnaculi (dum januis clausis ad discipulos ingressus est) demonstrato eo quod ibi videbatur, verum fuit dicere: *hoc est Christus*. Quia pronomen *hoc* (in istis casibus) ex communi usu & sensu in ejusmodi propositionibus demonstrat hoc quod sub propria specie ibi sensibiliter & visibiliter existit: adeoque sensus est: *hic panis est Deus, Angelus, dæmon. Hic lapis, hic paries est Christus*, &c. Quod cùm falsum sit, solùm dici potest, *in hoc*, vel *cum hoc*, vel *hic est Deus, Angelus, dæmon, Christus*, &c. Similiter ergo in hoc mysterio solùm dici posset: *hîc est corpus meum: in hoc*, vel *cum hoc est corpus meum*. Non, *hoc est corpus meum*.

338 Et ista est ratio, propter quam ex veritate verborum Christi *persuasum in Ecclesia Dei semper fuit*, substantiam panis in hoc mysterio non remanere, sed in corpus Christi transubstantiari; idcò enim (Tridentino teste) *id persuasum in Ecclesia Dei semper fuit, quoniam Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*. Igitur persuasum in Ecclesia Dei semper fuit, verba Salvatoris, *hoc est corpus meum*, non fore vera, si substantia panis sub propria specie, cum corpore Salvatoris ibi remaneret.

339 Itaque ex universali illa persuasione, quæ in Ecclesia Dei semper fuit, atque ex dictis cap. 17. 18. & 19. in omnibus totius Christiani Orbis Societatibus & Nationibus, usque in hodiernum diem perseverat, veritas verborum Salvatoris postulat desitionem substantiæ panis, sub specie panis, conversionemque ipsius in substantiam corporis Christi. Quia ex communi hominum sensu verè dici nequit: *hoc contentum sub hac specie panis est corpus meum*, quamdiù substantia panis ibi est sub propria specie. Quamdiù enim ibi est, ex communi hominum sensu & usu per pronomen *hoc* ad sensum demonstratur, & sic veritas propositionis Christi tollitur.

340 Rectè proinde Guitmundus l. 3. de verit. corp. & sang. Dom. *Hos impanatores suo ipse Dominus verbo oris sui interficit, cùm accipiens panem, gratiasque agens, ac benedicens ait: hoc est corpus meum. Non ait: in hoc latet corpus meum*. Nec dixit: in hoc vino est sanguis meus. *Sed dixit: hic est sanguis meus*.

341 Rectè sancti Doctores, rectè Nationes omnes Christianæ ex verbis Salvatoris transubstantiationem, seu conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, cum universa Ecclesia concluserunt, seu potiùs in ipsis Salvatoris verbis contenta agnoverunt. Ideòque dum Lutherus, vel etiam Scotus & Durandus (hac in re nimiâ subtilitate evanescentes, cumque Catholicis omnibus sic credentes transubstantiationem, ut veritati verborum Christi præjudicare non credant impanationem) negant transubstantiationem in verbis Domini contineri in re; perinde est ac si facto suo dicant: omnibus quidem Christianis Societatibus & Nationibus, omnibus etiam sanctis Doctoribus, totique Ecclesiæ Dei persuasum est, transubstantiationem in verbis Salvatoris, *hoc est corpus meum*, contineri. Sed ego Lutherus, ego Scotus, declaro non contineri, meâque authoritate confirmo: melius namque assequor sensum sacrorum verborum illorum, quàm omnes hactenùs Christiani, omnes Patres, cum universa Christi Ecclesia, assecuti fuerint. Quod profectò ridiculum est, nec sapienter dici potest.

Quòd autem toti Ecclesiæ persuasum semper 342
fuerit, transubstantiationem Christi verbis contineri, Concilii Tridentini Patres id attestantes n. 338. audivimus. Quòd etiam omnibus Christianis Societatibus & Nationibus id hactenùs persuasum fuerit, constat ex dictis cap. 18. & 19. Quòd denique sanctis etiam Doctoribus passim omnibus id persuasum fuerit, ex ipsorum testimoniis demonstratur. Quid enim expressius, quàm quod Tertullianus l. 4. contra Marc. c. 40. ait: *Acceptum panem .... corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo*?

Quid expressius, quàm quod Gregorius Nysse- 343
nus orat. Catech. c. 37. ait: *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari virtute benedictionis, in illud transelementatâ eorum naturâ*. Quodque Cyrillus Hierosolymitanus Catech. mystag. 4. dicit: *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, ac dicente: hic est sanguis meus; quis (inquam) dubitet, ac dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando convertit in vinum ... & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem* verbis illis *transmutasset*?

Quid expressius, quàm illud Ambrosii l. de ini- 344
tiand. c. 9. *Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur .... Forte dicas: aliud video: quomodò tu mihi dicis quòd corpus Christi accipiam? Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis* (id est consecrationis) *quàm naturæ: quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens... Si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur*? Et l. 4. de Sacr. c. 4. *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi... sermonibus Domini Jesu.... Si enim tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant; quantò magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur*?

Quid expressius, quàm istud S. Cæsarii homil. 345
7. de Pasch. *Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui convertit... In Christi substantiam terrena & mortalia commutantur*?

Et nonne pari expressione S. Gaudentius Epis- 345
copus Brixiensis tr. 2. in Exodum: *quod annuntiatum est credas, quia quod accipis, corpus est panis illius cœlestis, & sanguis illius sacræ vitis: nam cùm panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Credamus... Ipse naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia & potest, & promisit, efficit proprium corpus. Et qui aquam vinum fecit* (per transubstantiationem aquæ in vinum, in Cana Galilææ) *de vino sanguinem suum* (simili transubstantiatione) *facit dicendo: hic est sanguis meus*.

Et Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Non sunt* 346
virtutis humanæ ea opera, quæ tunc in cœna confecit Christus, dicendo: hoc est corpus meum, &c. ipse quoque nunc operatur & perficit. Qui autem hæc sanctificat & transmutat ipse est. Et homil. de prodit. Judæ, *hoc est corpus meum, Sacerdos dicit: hoc sanè dictum proposita munera convertit, atque transmutat*.

348 Et S. Germanus ep. Const. Theor. rer. Eccles. to. 8. Biblioth. Patrum: *Obsecrat Sacerdos, ut fiat, sive transmutetur ipse panis & vinum in corpus & sanguinem Christi.*

349 Et Damascenus l. 4. fid. orthod. c. 4. ex eo quòd *Christus non dixit, hoc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum*, posteà deducit, quòd ad illa verba supervenit Spiritus sanctus, per quem *panis fit corpus Christi..... Quòd si quæras (inquit) quo pacto id fiat? satis tibi sit audire, quòd per Spiritum sanctum id fiat; quemadmodum ex sancta Dei Matre per Spiritum sanctum, Dominus sibi ipsi carnem condidit: nec quidquam amplius nobis perspectum & exploratum est, quàm quòd verbum Dei* (hoc est corpus meum) *est verum & efficax, atque omnipotens ut ea efficiat, quæ nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quòd quemadmodùm naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua in bibentis & comedentis corpus & sanguinem immutantur; sic panis & vinum, quæ proponuntur in altari, per sancti Spiritûs invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.*

350 Et Paschatius l. de corp. & sang. Dom. *Sensibilis res*, panis scilicet & vinum, *intelligibiliter virtute Dei, per verbum Christi, in carnem ipsius & sanguinem divinitùs transfertur.* Similia videri possunt apud Amalarium & Drutmarum (Spicil. to. 7.) Remigium Antisiodor. in cap. 10. Epist. 1. ad Cor. Bedam homil. hiem. de SS. Epiphan. Fulbertum Carnotensem epist. 1. Algerum l. 1. de corp. & sang. Dom. c. 6. ubi absurdissimam de impanatione hæresim, suo tempore exortam, refellit.

351 Finio cum Euthymio & Theophylacto. Quorum ille cap. 64. in Matth. explicans verba Christi, *hoc est corpus meum*, dicit, quòd ideò Christus non dixit: *hæc sunt signa corporis & sanguinis mei, sed hæc sunt corpus meum.* Quia, *quemadmodùm supernaturaliter assumptam carnem deificavit, & hæc* (panem scilicet & vinum) *ineffabiliter transmutat in vivificum corpus, & in ipsum pretiosum sanguinem suum.* Theophylactus verò in cap. 26. Matth. dicens: *hoc est corpus meum*, ostendit quòd *ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur in altario... ineffabili enim operatione transformatur... & ideò panis quidem apparet, sed revera caro est.* Et in cap. 14. Marci: *hoc est corpus meum.... Non enim figura & exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in illud ipsum convertitur corpus Christi.*

CAPUT XXVII.

Satisfit argumentis contradicentium hæreticorum.

352 Objiciunt 1°. in Evangelio nulla fit mentio transubstantiationis, nec apud Matthæum, nec apud Marcum, nec apud Lucam, sicut nec apud Paulum. Quia nihil ibi legitur de mutatione substantiæ panis in substantiam corporis Christi, cujus saltem mentio fieri debuit in descriptione historiæ institutionis hujus mysterii.

Respondeo Lutheranos & Calvinistas sic objiciendo 1°. egregios esse imitatores Arianorum, Sabellianorum, &c. qui simili modo objiciebant in Scriptura nullam fieri mentionem Trinitatis, quia nulla Scriptura dicit quòd natura Patris Filio communicetur, non communicatâ paternitate, quòdque Filius ita sit realiter unum cum Patre in natura, ut non sit realiter unum in persona. Cui objectioni quemadmodùm occurritur, dicendo, quòd Trinitatis mysterium comprehendatur in his Scripturæ verbis: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*, 1. Joan. 5.. Quia Joannes declarando distinctionem Personarum, earumque unitatem, id totum comprehendit, quod tangitur in objectione Arianorum & Sabellianorum. Sic objectioni Lutheranorum & Calvinistarum occurritur, dicendo, quòd Christus mutationem substantiæ panis in substantiam corporis sui comprehenderit, dicendo: *hoc est corpus meum:* cùm enim in hisce verbis omnes Patres, omnesque Christianæ Nationes & Societates cum universa Ecclesia comprehensam intelligant mutationem substantiæ panis in substantiam corporis Christi, solique Lutherani & Sacramentarii id negent, ipsorum est probare, non supponere, quòd non comprehendatur, ipsisque hodie meritò regerimus, quod Manichæis olim Augustinus: *Vos tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quin dignum authoritate*, contra fidem omnium sæculorum, unanimemque intelligentiam omnium Patrum, totiusque Ecclesiæ, *nihil proferatis.*

Objiciunt 2°. transubstantiationis nomen est 353
in Ecclesia novum: neque enim in Scripturis à Spiritu sancto, neque ab Apostolis, neque à Patribus usurpatum legitur, sed à Concilio Lateranensi post 1200. annos in Ecclesiam invectum.

Respondeo similiter Arianos consubstantialitatis nomen olim calumniatos fuisse. Quibus sicut Ecclesia per Athanasium respondit satis esse quòd res isto nomine significata, non esset in Ecclesia nova, sed in Scripturis & Patribus declarata; quam Ecclesia novo vocabulo ideò expressisset, ad novam hæresim opportuno vocabulo significantiùs retundendam: sic illud idem sibi repositum accipiant Lutherani.

Objiciunt 3°. Ambrosium l. 4. de Sacram. c. 354
4. dicentem: *Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut incœperent esse quæ non erant; quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur.* Ergo cum corpore & sanguine Christi manent, quæ erant substantia scilicet panis & vini.

Respondeo negando consequentiam. Tum quia in aliis codicibus legitur: *quantò magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur*, ut Lanfrancus observat. Tum quia panis & vinum in Eucharistia sunt quæ erant quoad accidentia sua, & in aliud commutantur quoad substantiam.

Objiciunt 4°. Chrysostomum in epist. ad Cæ- 355
sarium Monachum, ubi sic: *Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus: divinâ autem illum sanctificante gratiâ, mediante Sacerdote, liberatus est quidem appellatione panis; dignus autem habitus Dominici corporis appellatione; etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicatur*, &c.

Respondent aliqui nullam Chrysostomi ad Cæsarium epistolam extare, illamque, quæ objicitur, suppositiam esse. Sed quia Emericus Bigotius objectæ epistolæ codicem manuscriptum in Bibliotheca PP. Dominicanorum Florentiæ comperit, aliter

Respondeo nihil in epistola ista contrarium esse 356
transubstantiationi, imò transubstantiationem in ea apertè tradi: si enim post consecrationem jam *non duo corpora, sed unum corpus Filii Dei*: igitur post consecrationem non manet panis in substantia. Aliàs in corpore Filii corpus esset panis; duoque proinde corpora. Per naturam ergo panis, quam cum corpore Christi dicit permanere, non intelligit corpus, seu substantiam, vel naturam interiorem panis, seu naturam strictè & in philosophico rigore acceptam, prout ab accidentibus distinguitur, sed complexionem accidentium seu qualitatum sensibilium, quibus quidpiam vel quispiam dicitur esse talis vel talis naturæ, unus

naturâ frigidus, alter calidus, &c. Neque enim vox *natura* à Scriptoribus antiquis in illo semper rigore philosophico sumitur, sive apud Græcos, sive apud Latinos; sicut neque vox *substantia*, prout constat ex eo quòd Hilarius can. 10. in Matth. in Resurrectione futurum esse dicat, *ut caro nostra refundatur in naturam spiritualis animæ*. Et idem est de voce *essentia*, quâ veteres Patres Græci & Latini non semper utuntur ad significandum aliquid à proprietatibus distinctum, sed sæpè ad significeandas ipsamet proprietates: naturam enim, substantiam & essentiam rei accipiunt, non secundùm quod in se est, sed secundùm quod sub sensum cadit, remque unam ab alia sensibiliter discernit; præsertim cùm ipsa quoque accidentia essentiam, adeòque naturam & substantiam suam habeant, voces istas non in rigore metaphysico, sed secundùm frequentem sermonis usum accipiendo. Nihil proinde ex istis vocibus, utpote nimiùm æquivocis, & variæ acceptionis, hæretici concludere possunt.

357 Objiciunt 5°. Theodoretum, Lutherani contra transubstantiationem, Calvinistæ contra realem Christi in Eucharistia præsentiam. Utrique ex Dialogis ipsius contra Eutychianos, in quibus Catholicum introducit sub nomine *Orthodoxi* disputantem contra Eutychianum sub nomine *Eranistis*. Calvinistæ objiciunt ipsum Dialogo primo dicentem, quòd Dominus in hoc mysterio nomina mutavit, corporique dedit symboli nomen, symbolo nomen corporis, & quia sibimetipsi dedit nomen vineæ, symbolo dedit sanguinis nomen. *Volebat enim* (inquit) *eos qui sunt mysteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur, sed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratia, credere.*

358 Et confirmatur, quia Theodoretus eo Dialogo probare intendit contra Eutychianum, Verbum (utpote immutabile) non esse factum carnem per mutationem sui in carnem, sed per carnis assumptionem, eâ se induendo tamquam velamine. Quod probat ex Hebr. 10. *Initiavit nobis viam novam per velamen, id est carnem suam.* Quòdque carnem assumpserit tamquam vestimentum, probat ex Genesis 49. ubi Jacob de Messia loquens: *Lavabit* (inquit) *in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Per stolam enim, palliumque, Christi corpus intelligitur. Neque enim vestimenta sua à carne sua distincta, Salvator lavasse legitur in sanguine uvæ; sed cùm de se ipse dixerit: *Ego sum vitis vera*, istius vineæ fructus sanguis est Christi. Scimus autem ex vulneribus Salvatoris fontes sanguinis in reliquum corpus ipsius fluxisse; ideòque Prophetam meritò prædixisse, quòd lavaret in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum: *Sicut enim nos mysticum vitis fructum post sanctificationem, sanguinem Dominicum appellamus; sic veræ vitis sanguinem uvæ sanguinem nominavit.* Sic etiam corpus suum Christus nominavit *panem*, & carnem *frumentum*, & in institutione Eucharistiæ visibilia symbola corpus & sanguinem appellavit, sed naturam non mutavit: *qui enim corpus naturale frumentum & panem appellavit, & vitem rursus seipsum nominavit, ut visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam addens.*

359 Secundus locus Theodoreti, cui Lutherani multùm insistunt, desumitur ex Dialogo secundo, ubi Eranistes dicit: *Retibus, quæ ipse texuisti, captus es: Neque enim symbola mystica, post sanctificationem recedunt à sua natura: manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.*

360 Verum enimverò, nec Lutherani, nec Calvinistæ gloriabuntur Theodoretum esse suum, si ad duas reflectant regulas. Prima, quòd cùm verisimile non sit, Authorem celebrem in re magni momenti varium fuisse, sibique contrarium; vera intelligentia cujusque expressionis ipsius talis esse debet, ut cum cæteris expressionibus ipsius concordet. Cùmque probabile non sit doctissimum Theodoretum in puncto Eucharistiæ à sui temporis Ecclesia discordasse: necessariò conficitur, sensum cujusque expressionis ipsius conformem esse sensui Orthodoxorum sui temporis, cæterarumque expressionum ejusdem Theodoreti, ita ut ex dictis sensibus, si unus concordet cum sensu Orthodoxorum sui temporis, cæterarumque expressionum Theodoreti; alius verò sensus non concordet; ille, non iste, haud dubiè habendus sit genuinus & verus.

Secunda regula est, quòd sensus verus alicujus 361
expressionis desumendus non sit ex sola litterali significatione singulorum terminorum, sed ex conjunctione omnium, & idæâ quam ex ejusmodi conjunctione fideles concipere solent. Unde quia fideles, auditâ hac propositione, *Verbum caro factum est*, concipere solent verum esse factum hominem, verus sensus istius propositionis est, quòd Verbum non solùm assumpserit carnem, sed corpus & animam hominis. Et quia per mutationem Eucharisticam fideles intelligere solent non qualemcumque, sed substantialem; de ea intelliguntur Patres, dum in Eucharistia dicunt panem in Christi corpus converti, seu mutari. Hoc posito

Ad primum Theodoreti locum respondeo, Calvinistas inde perperàm concludere, quòd sicut Genes. 49. sanguis Christi non vocatur sanguis uvæ in sensu proprio, sed metaphorico; ita fructus vineæ à Theodoreto non vocetur sanguis Christi in sensu proprio, sed metaphorico. Quia expressiones istas Theodoretus in eo comparat, in quo habent similitudinem; non in eo in quo Theodoretus ipse earum agnoscit dissimilitudinem. In eo similitudinem habent, quòd sicut Christus seipsum vineam & frumentum appellat, & sanguinem ipsius Propheta uvæ sanguinem vocat, & Christus corporis sanguinisque nomine honoravit id quod naturâ suâ panis erat, & vinum; sic panis & vinum naturâ suâ haud magis sunt corpus sanguisque Christi, quàm Christus ipse naturâ suâ vitis sit & vinum. In eo verò dissimilitudinem agnoscit Theodoretus, quòd Christus, vocando se vitem, se non mutavit in vitem; neque vocando se panem, se mutavit in panem; nec proinde fecit, ut panis vitisque nomina sibi realiter convenirent: sic verò panem vocavit corpus suum, ut panem realiter mutaverit in corpus suum; sic etiam vinum appellavit sanguinem suum, ut ipsum realiter mutaverit in sanguinem suum; sicque posteriores expressiones in reali conversione fundantur, non priores.

Quòd autem Theodoretus hanc dissimilitudi- 362
nem agnoverit, inter priores posterioresque expressiones; quòd (inquam) agnoverit nomina panis & vini Eucharistici à Christo mutata esse in nomina corporis & sanguinis sui, reipsà convertendo panem vinumque in corpus & sanguinem suum, constat 1°. ex eo quòd in priori loco sic seipsum explicet: *Volebat enim eos qui divinis mysteriis participant, non attendere naturam eorum quæ cernuntur, sed per nominum mutationem, mutationi, quæ ex gratia facta est, fidem adhibere.* Voluit ergo mutationem nominum factam, propter mutationem quæ in hoc mysterio realiter facta sit per gratiam; voluit (inquam) mutationem nominum, in hoc mysterio ideò factam, ut fidelis quisque crederet mutationem quæ in re fit per gratiam. Id enim expresè declarat, dum de iis loquitur, qui mysteriis participant, ipsisque ju-

bet non attendere ad naturam rerum quæ videntur, sed credere mutationem ex gratia factam.

363 2°. idipsum ampliùs constat ex posteriori loco, ubi explicans, qualis sit ista per gratiam facta mutatio: Est enim (inquit) mutatio quæ non cernitur oculis, sed mente intelligitur: *intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* Hæc Theodoretus expresè dicit de pane & vino, quæ Christi corpus & sanguis appellantur. Nihil autem simile dicit de Christo, dum vitis & frumentum nominatur. Neque enim Christus intelligitur, neque creditur factus vitis & frumentum, neque adoratur ut factus vitis & frumentum. At verò panis & vinum intelliguntur & creduntur illa quæ facta sunt, corpus scilicet & sanguis Christi, & ut facta corpus & sanguis Christi adorantur.

364 3°. idipsum constat ex eo quòd expressio illa Theodoreti desumpta sit ex Liturgiis in Ecclesia nunc usurpatis, invocationeque Sacerdotis, de qua paulò antè mentio facta est. Per istam namque invocationem Sacerdos expresse postulabat à Deo, ut panis & vinum à Deo fierent corpus sanguisque Christi. Quem fuisse Ecclesiæ loquendi modum Theodoreti tempore certum est ex Constitutionibus Clementis, Eusebio Cæsariensi, Cyrillo Hierosolymitano, Gaudentio, & Augustino.

365 4°. ipsemet contextus id manifestat: in eo namque Eranistes Orthodoxum compellit ad confitendum, quòd symbola, quæ ante consecrationem vocabantur panis & vinum, post consecrationem vocentur corpus & sanguis Christi. Et ut ostendat se non loqui de nominibus sine re, concludit sic: *Et credis te corpus Christi, & sanguinem percipere?* Respondet Orthodoxus: *Ita credo.* Ergo (infert Eranistes) *mutatus est panis.* Utique in corpus Christi, quod se percipere Orthodoxus proximè confessus est: quippe ideò Eranistes ipsum compulit ad id confitendum, ut ex ista confessione inferre posset, uti de facto infert, quòd symbola alia sint ante consecrationem, alia post consecrationem, per eamque proinde mutentur, utique in corpus sanguinemque Christi. Dum ergo Theodoretus subjungit, quòd symbola *intelliguntur ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur*, ex toto illo discursu & contextu manifestum est, ipsum velle, quòd symbola post consecrationem id reverà sunt quod facta sunt, adeòque reverà mutata in id quod reverà facta sunt.

366 Neque ergo prior Theodoreti locus favet Calvinistis, neque posterior Lutheranis; sed uterque stabilit realitatem corporis sanguinisque Christi in hoc mysterio, transubstantiationemque panis & vini in ipsum, juxta communem isto tempore Ecclesiæ Catholicæ sensum.

367 Ad cujus majorem evidentiam, observandum, quòd scopus Theodoreti in secundo Dialogo est Eutychianorum hæresim confutare, qui hoc in puncto Apollinaris errorem sectantes, docebant unicam esse in Christo naturam. In quo licèt omnes convenirent, in explicationis modo non conveniebant. Inter varios porrò explicationis modos, unus erat, quòd cùm Dei Filius sibi naturam copulavit humanam, de Virgine sumptam, ex utraque natura, divina & humana, sic facta esset una, ut humanam divina absorbuisset, sicut gutta mellis, in mare projecta, absorbetur à mari. Et iste est modus, contra quem Theodoretus pugnat in isto secundo Dialogo.

368 Modum verò istum Theodoretus sic intelligebat, atque intellectum impugnabat, ut natura humana divinæ unita, ex mente Eutychiani (contra quem agit) in naturam divinam mutata esset, ita ut non foret ampliùs ejusdem speciei cum natura nostra, nec retineret proprietates, & characteres naturæ nostræ, nec spatio post Ascensionem circumscripta foret. Theodoretus econtrà probat Christi corpus, etiam post Resurrectionem & Ascensionem, fuisse circumscriptum, visibile, palpabile, retinuisseque formam, figuram, essentiamque humani corporis.

Cùmque ad id probandum ex mysterio Eucha- 369
ristiæ arguisset, Eutychianus ex eodem mysterio pro se arguit similiter: cùm enim Orthodoxus confessus fuisset symbola post consecrationem vocari corpus & sanguinem Christi, corpusque & sanguinem Christi percipi in hoc mysterio, inde Eutychianus concludit: *Sicut ergo symbola Dominici corporis & sanguinis alia sunt ante Sacerdotis invocationem, per invocationem verò mutantur, & alia fiunt, ita Dominicum corpus post Ascensionem in divinam substantiam mutatum est.*

Cui Theodoretus respondet, symbola quidem 370
mutari in corpus sanguinemque Christi, taliaque credi, & ut talia adorari; sed ex hoc non sequi intentum Eutychiani, imò sequi contrarium: quia sicut symbola non amittunt figuram panis & vini, remanentque sensibilia ut antè, cæteraque panis proprietates retinent; sic corpus Christi figuram & formam non amisit humanam, nec proprietates, qualitatesque corporis humani: *Retibus, quæ ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica, post suam sanctificationem recedunt à sua natura: manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius. Intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur. Confer igitur imaginem cum archetypo, & videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse similem veritati. Illud enim corpus priorem habet formam, & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam; immortale autem post Resurrectionem, & immune à corruptione factum est, sedemque à dextris adeptum ab omni creatura adoratur. Quia Domini naturæ corpus appellatur.*

Rectè Theodoretus ait: *Confer igitur imaginem* 371
cum archetypo: quia Eranistes argumentatus fuerat, non à pane & vino, sed à symbolis, id est à speciebus panis & vini, ad corpus Christi jam glorificatum, velut ab imagine ad archetypon. Et inde Theodoretus intulerat, symbola illa veri corporis Christi esse symbola: *Optimè, oportet enim imaginis esse archetypon, nam & picturæ naturam imitantur, & eorum quæ videntur pingunt imagines.* Si igitur divina mysteria antypa sunt corporis veri: corpus ergo Domini nunc quoque corpus est, non in divinitatis naturam mutatum, sed divinâ gloriâ repletum. Itaque argumentum Eutychiani inferentis naturam humanam in Christo conversam in naturam divinam, ex eo quòd panis in Eucharistia conversus sit in corpus Christi, Orthodoxus benè retorquet dicens: in Eucharistia non solùm est Christi corpus, sed vera quoque panis accidentia & proprietates (uti Eranistes admittebat) ergo similiter in Christo vera sunt accidentia & proprietates corporis. In Christo proinde verum est corpus; cùm accidentia illa (tametsi absque subjecto esse queant) secundùm Scripturam tamen verè Christum afficiebant (propterea enim Christus flevisse dicitur, tristis, fatigatus, passus fuisse, comedisse, &c.) non secundùm naturam divinam. Ergo secundùm humanam. Ab Eucharistia proinde ex concessis ab Eranista validum argumentum Orthodoxus apud Theodoretum deduxit. Sed quid vel apparenter contra transubstantiationem inde deduci queat, non apparet.

Objiciunt 6°. Gelasium I. adversus Eutychen 372
& Nestorium, dicentem: *Non definis esse substantia, vel natura panis & vini.*

Respondeo hanc Gelasium non esse Pontifi-

cem Romanum, sed Gelasium Cyzicenum (Scriptorem Græcum, qui vixit tempore Basilisci Tyranni) uti cum aliis eruditis Baronius ostendit. Nondum exortis quidem adversariis transubstantiationis, liberiori usus expressione, dixit substantiam vel naturam panis & vini remanere, sed de symbolis id intelligens, more istius sæculi, ut de Theodoreto vidimus. Symbola quippe in Christi corpus mutari, unamque ex ipsis & corpore Christi naturam conflari contendebant Eutychiani, ut inferre possent corpus Christi in divinitatem pariter transformari. Sed antecedens negabant Orthodoxi, panis hypostasim definere dicentes, manente tamen symbolorum, non hypostasi, sed usiâ, seu essentiâ, quam & naturam, & substantiam legitimo sensu appellabant. Ut enim supra dixi, habent accidentia certo sensu substantiam suam, tametsi juxta Aristotelis apices (in quos nec Græci nec Latini Patres jurabant) substantiæ accidentia opponantur. Perperàm ergo Gelasius objicitur, tamquam adversarius transubstantiationis, pro qua eodem libro apertè se expressit, dicens: *panem mutari Spiritu sancto perficiente in divinam naturam*, seu substantiam. Quod quid est, nisi transubstantiationem exprimere?

373 Objiciunt denique Rupertum, qui impanationis assertor etiam Baronio & Bellarmino visus est, quia revera lubricè hac de re locutus est l. 2. in Exodum l. 6. in Joan. & l. 2. Offic. c. 2. & 9. Verùm imprimis à Berengarii, adeòque & Calvini se abhorrere sententia profitetur in epistola nuncupatoria Commentariorum in Joannem. Deinde in fine ejusdem expressè dicit, *panem & vinum in veram corporis & sanguinis Domini transire substantiam*. Quæ ipsissima est transubstantiationis doctrina. Quam confirmat l. 2. Offic. c. 2. dicens, *quòd panis & vinum in verum corpus & sanguinem Domini transformantur*. Denique quæ in contrarium dicere videtur l. 2. in Exodum, l. 6. in Joan. &c benignam patiuntur expositionem, sensumque Catholicum. Cùm enim permanere ait panis substantiam, id ait cum modificatione, *secundùm exteriorem speciem, quinque sensibus subactam*, sive *substantiam visibilem*, prout in Joannem loquitur. Non loquitur ergo de substantia prout accidentibus opponitur. Solùm etiam negat accidentia panis, in accidentia Dominici corporis converti, dum ibidem ait, *panem & vinum non mutari in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem*. Denique dum dicere videtur, panem eodem modo à Verbo assumi, quo humanitatem, non vult panem Verbo hypostaticè unitum fuisse, sicut humanitatem, sed idem Verbum, quod assumpsit humanitatem, convertere substantiam panis in substantiam corporis à se assumpti. Unum enim mysterium per aliud explicavit, mysterium videlicet Eucharistiæ per mysterium Incarnationis (cujus est extensio) salvis utriusque mysterii differentiis.

CAPUT XXVIII.

Transubstantiatis pane & vino in corpus & sanguinem Christi, in hoc mysterio species sacramentales remanent sine substantiali subjecto, tamdiuque Christi corpus & sanguis sub illis remanent, quamdiu substantia panis & vini sub illis remaneret, si per consecrationem ibi esse non desiisset.

374 QUòd species sacramentales, id est accidentia panis & vini, figura, color, odor, sapor, &c. in hoc mysterio remanent, ad sensum patet: eas enim percipimus visu, odoratu, gustu, tactu. Quòd autem remanent absque subjecto, saltem substantiali (quod addo propter opinionem S. Thomæ, in qua sola quantitas panis & vini remanet absque omni subjecto, cætera verò accidentia subjectantur in quantitate) inde convincitur, quòd non remaneant in substantia panis & vini, utpote ex dictis amplius non existente. *Manifestum est etiam, quòd hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis & sanguinis Christi, sicut in subjecto* (ait S. Thomas q. 77. a. 1.) *quia substantia humani corporis nullo modo potest hæc accidentibus affici. Neque etiam est possibile, quòd corpus Christi, gloriosum & impassibile existens, alteretur ad suscipiendas ejusmodi qualitates.* Et ideò relinquitur quòd accidentia in hoc Sacramento manent sine subjecto. Quod quidem virtute divinâ fieri potest. Cùm enim effectus magis dependeat à causâ prima, quàm à causâ secunda, Deus qui est prima causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest accidens in esse, subtractâ substantiâ, per quam conservabatur in esse, sicut per propriam causam; sicut etiam effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis. Sicut humanum corpus formavit ex utero Virginis sine virili semine.

Et confirmatur ratione divi Basilii homil. 6. in Hexaëmeron: *Cùm enim Deus possit plura facere, quàm noster intellectus intelligere. Et intellectus intelligat accidens præter subjectum: ergo Deus potest hoc facere, quod accidens sit sine subjecto.* Idque Basilius à Deo factum existimat in prima lucis creatione: lucem enim solis primò creatam, tribus diebus substitisse dicit sine subjecto. Solis enim corpus, subjectum ipsius, non nisi quarto die conditum est. Atqui (inquit) *incredibile nemini videatur, & à fide abhorrens, quod dictum mihi est, aliud nimirùm quoddam esse à luce splendorem, aliud item corpus subsidens lucis, ac subjectum. Primùm enim res omnes compositæ sic à nobis dividi solent, in ipsam essentiam suscipsiricem, & in eam quæ ipsi accidit qualitatem. Ut igitur diversa sunt hæc naturâ, albedo, inquam, & corpus dealbatum; sic & ea quæ modo diximus differunt quidem, unita tamen*, quarto die, *sunt potentiâ Creatoris. Itaque ne mihi dixeris, fieri hæc non posse, ut lux à corpore solis separetur. Neque enim ego lucis à solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico. Sed asserendum esse censeo, quæ mentis solâ agitatione cogitationeque disparari à se possunt, ex re ipsa sejungi facultate Creatoris utriusque naturæ posse.* 375.

Unde cùm inter Wiclefi propositiones secunda fuisset: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* Propositio ista cum aliis ejusdem hæretici in duobus Conciliis Londinensibus anno 1382. & 1386. condemnata fuit, sicut & in Concilio Romæ celebrato, & in Concilio Constantiensi sess. 8. Ex quibus omnibus consectarium est actualem inhærentiam accidentis in subjecto, non esse de essentia ipsius, sed aptitudinalem dumtaxat, cum naturali quidem exigentia subjecti, cui actu inhæreat; sed cui Deus non teneatur satisfacere; imò possit ipsum accidens supra naturalem exigentiam suam sine subjecto conservare. Sic corpus naturaliter postulat actualem extensionem, sine qua tamen divinitùs esse potest. 376

Porrò accidentia panis & vini, quæ sine subjecto diximus remanere, ea maximè quæ sensu percipiuntur, ideò *species panis & vini vocari solent* (inquit Estius in 4. dist. 12.) *quia nimirùm speciem seu similitudinem panis & vini referunt, sub quibus, tamquam alienis involucris velata quodammodo continentur corpus & sanguis Christi. Ut fides locum habeat* (ait S. Thomas opusc. 57.) *dum visibile invisibiliter sumitur; sub aliena specie occultatum, & sensus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis.* 377

378 Quia verò *corpus Christi & sanguis in hoc Sacramento succedunt substantiæ panis & vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium suprædictorum, quæ non sufficisset ad corruptionem panis & vini, propter talem immutationem non desinit corpus Christi esse sub hoc Sacramento* (ait S. Thomas a. 4. in corp.) *sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cùm modicùm immutatur color, aut sapor panis, vel vini; sive ex parte quantitatis, sicut cùm dividitur panis, aut vinum in tales partes, quòd adhuc in eis possit salvari natura panis aut vini. Si verò fiat tanta immutatio, quòd fuisset corrupta substantia panis & vini, non remanent corpus & sanguis Christi in hoc Sacramento. Et hoc sive ex parte qualitatum* (sicut cùm ita immutatur color & sapor, & aliæ qualitates panis & vini) *sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis, vel vinum in tam minutas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis, vel vini.*

379 *Species* itaque *sacramentales*, quia *retinent idem esse, quod priùs habebant, substantiâ panis & vini existente; ideò sicut esse horum accidentium poterat corrumpi, substantiâ panis & vini existente; ita etiam potest corrumpi, eâ substantiâ abeunte* Sanctus Thomas ibidem. Possunt etiam ex iisdem speciebus generati vermes, corpus hominis nutriri, &c. Quod a. 5. sic explicat sanctus Doctor: *Videtur dicendum, quòd in ipsa consecratione, miraculosè detur quantitati dimensivæ panis & vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ. Et ideò ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud quod ad materiam pertinet. Et ideò quidquid posset generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex dicta quantitate dimensiva panis, vel vini; non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi priùs facti.* Hactenus S. Thomas.

380 Alis tamen videtur, in tanta corruptione specierum, ut aliud compositum generetur (prout fit in nutritione humana, combustione, vermium ex speciebus consecratis generatione, &c) materiam quidem requiri, sed illam substitui à Deo in illo ipso instanti, quo desinunt esse illæ species, & in quo aliud compositum generatur. Et hoc *sine novo miraculo* (inquit Bellarminus:) *sicut enim cùm disposita est materia corporis humani sufficienter, Deus animam creat & infundit; & hoc non dicitur miraculum, quia hoc exigit ordo rerum à Deo institutus: ita etiam quando per alterationem specierum panis eò venitur, ut adsint dispositiones requisitæ ad aliquam formam introducendam, exigente ordine rerum, Deus materiam substituit, & in illo ipso instanti, ab agente naturali, mediantibus dispositionibus præmissis, introducitur forma substantialis. Atque hæc est simplicissima & tutissima explicatio hujus rei. Sic enim omnia coherent. Nam nec dicimus fieri generationem & corruptionem sine materia, nec multiplicamus miracula, nec dicimus ab agente naturali fieri materiam aut certè nihil ab eo fieri, sed totum à solo Deo: & simul ostendimus, nihil materiæ mundo deperire ex tot panum consecratione. Porrò dispositiones illæ inchoantur manente Christi corpore: ultima autem dispositio, cum qua simul & materia substituitur à Deo, & forma ab agente naturali introducitur, fit in illo instanti, quod est primum non esse corporis Domini in Eucharistia, & primum esse rei genitæ.*

381 Si dicas, isto instanti species sacramentales amplius non esse. Respondet Bellarminus, verum esse quòd *non sint in sua natura; sed sunt tamen in natura aliarum qualitatum introductarum. Neque est hoc novum aut singulare, sed commune & ordinarium in omni generatione & corruptione.*

CAPUT XXIX.

Triplex modus recipiendi hoc Sacramentum.

HAc de re docet nos Tridentinum sess. 13. c. 8. quòd *rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sacramentum accipiendi distinxerint: quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores. Alios tantùm spiritualiter, illos nimirùm, qui voto propositum illum panem cœlestem edentes, fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt. Tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter: hi autem sunt, qui ita se priùs probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant.* 382

Ad hoc intelligendum, sciendum (inquit sanctus Thomas opusc. 58. de Sacram. altaris cap. 17.) *quòd in cibo altaris duo sunt, scilicet Sacramentum, & virtus Sacramenti. Sacramentum* (*ut dicit Augustinus*) *in duobus consistit, visibili panis & vini specie, & invisibili carne & sanguine Christi. Virtus ergo Sacramenti est sanatio à damnatione mortis æternæ.* Et Sacramentum quidem tam mali quàm boni Christiani manducant, *id est sub visibili specie panis & vini corpus & sanguinem Christi; sed virtutem Sacramenti* mali *non manducant spiritualem, id est salutem ad vitam æternam. Boni verò manducant utrumque simul, scilicet Sacramentum, & virtutem Sacramenti.* 383

Sciendum secundò ex Catechismo Romano, *eos se maximis & cœlestibus bonis privare, qui cùm ad corporis Domini Sacramentum etiam sumendum parati esse possint, satis habent spiritu tantùm sacram Communionem accipere.* 384

Sciendum tertiò ex eodem Catechismo, quòd licèt hoc Sacramentum recipientes spiritualiter tantùm, sive in voto & desiderio, fide & charitate animato, fortè non recipiant omnes fructus & effectus Sacramenti, sacramentaliter simul & spiritualiter recepti, ingentes tamen recipiant. 385

Sciendum denique ex S. Thoma loco citato *circa spiritualem manducationem tria esse consideranda. Primum est differentia personarum sic manducantium....* Secundum est modus istius manducationis. Tertium est effectus ex tali manducatione proveniens. *Differentia personarum sic manducantium est triplex, incipientium, proficientium, perfectorum. Matth. 15. Manducantium fuerunt quatuor millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis. In parvulis incipientes; in mulieribus proficientes; in viris perfecti significantur. Primi, scilicet incipientes, manducant spiritualiter ratione fidei salutaris. Secundi ratione bonæ conversationis. Tertii ratione devotæ meditationis.* 386

Non leviter pertranseundus, sed plurimùm observandus est primus ille modus, quo incipientes Eucharistiam spiritualiter recipere dicuntur *ratione fidei salutaris.* Servit enim plurimùm ad dissolvendas varias difficultates circa Eucharistiam, ejusque necessitatem emergentes. De ista namque manducatione loquitur Augustinus, dum asserere videtur Eucharistiam esse parvulis necessariam ad salutem, sicut & dum in celebri loco num. 318. à Calvinista objecto ait: *Ut quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti*, spiritualiter utique, ratione fidei. *Credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare. Qui credit in eum, manducat eum, invisibiliter saginatur, quia & invisibiliter renascitur.* Quisquis proinde per Sacramentum fidei, id est per Baptismum in Christo renascitur, hoc modo spiritualiter panem vivum manducat, spiritualiter Jesum recipit, quia corpori Christi mystico incorporatur, membrumque ipsius efficitur. 387

Et

Et iste unus (tametsi non unicus) est modus, quo intelligitur illud Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quo loco (secundùm Augustinum) etiam infantes comprehenduntur. Videri potest Augustinus l. 1. de peccator. merit. c. 20. & l. 3. c. 4. ubi sic: *Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solùm in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento baptismatis imbuuntur.* Eodem sensu locum illum Innocentius I. intellexit in epist. ad Patr. Concil. Milevit. quæ est 92. inter epist. S. Augustini. cùm dixit: *Illud verò quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, perfatuum est: nisi enim manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem*, &c.

388 Ex quibus locis perspicuum est, nec Augustinum, nec Innocentium, ibi agere de manducatione corporis Christi, tamquam contenti sub speciebus panis & vini, sed de primo illo modo manducationis per fidem, sive de manducatione quæ sit ipsamet unio cum Christo per fidem, vel baptismum, per quem unionem istam explicat Augustinus. Et hoc sensu de primo isto modo spiritualis manducationis corporis Christi locuti sunt Theologi, qui manducationem corporis Christi parvulis necessariam asserucrunt necessitate medii. *Respexerunt enim ad rem Sacramento Eucharistiæ significatam* (ait Estius) *& non contentam, quæ est corpus Christi mysticum, id est Ecclesia, extra quam nemo salvus esse potest: non autem ad rem significatam, simul & contentam, quæ est corpus Christi verum, sine cujus reali participatione contingit salus.*

389 Secundus modus recipiendi spiritualiter corpus Christi (juxta S. Thomam) est per bonam conversationem. *Iste cibus conversationis* (inquit) *consistit in tribus virtutibus, quasi tribus ferculis, scilicet innocentiâ, pœnitentiâ & misericordiâ.* Quod probat ex Augustino, & Scriptura, dicente: *Panem de altari spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare portare, debitorum peccata dimittere.*

390 Tertius modus est per devotam meditationem, continentem tria, quæ in comestione corporali consistunt, quæ sunt, *appetitus, masticatio, & delectatio. Primò* (inquit) *debemus spiritualiter esurire Christum, cibum nostrum, intimo corde desiderando. Secundò debemus spiritualiter masticare totum Christum, scilicet membra & caput, id est nosmetipsos, & Sanctos, & Salvatorem mundi districtâ discussione cogitare, nosipsos dijudicando, Sanctorum vitam ad imitandum pertractando, Incarnationis Christi beneficia devotâ mente ruminando. Tertius est modus spiritualis manducationis* (ait Estius in 4. dist. 9. §. 1.) *dum quis percipit effectum Sacramenti Eucharistiæ, sive Sacramentum reipsà suscipiat, sive voto ac desiderio tantùm, utpote vel necessitate aliquâ prohibitus, vel ob reverentiam abstinens ab actuali susceptione Sacramenti.* De tertio illo modo Communionis spiritualis loquitur Tridentinum suprà n. 382. sicut & Theologi, dum aiunt posse nos spiritualiter communicare, dum sacramentaliter non possumus.

CAPUT XXX.

Solus homo viator est subjectum capax receptionis, seu sacramentalis, seu spiritualis hujus Sacramenti.

391 DE receptione sacramentali constat ex dictis lib. 1. ubi generaliter ostensum est solum hominem viatorem esse subjectum capax Sacramenti: nullum quippe Sacramentum institutum est, nisi pro homine viatore.

De receptione spirituali idipsum facilè ostendi- 392
tur. Neque enim Angeli, neque homines beati sunt capaces illius. Consistit namque in desiderio recipiendi hoc Sacramentum. Beati verò, sive Angeli, sive homines, utpote fruentes æternâ felicitate, Christumque perfectissimè possidentes, in eo statu non sunt, in quo desiderium ejusmodi concipere queant.

Audiendus tamen hîc S. Thomas q. 80. a. 2. 393
Dicendum (inquit) *quòd in hoc Sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie Sacramenti*, id est sub velamine specierum panis & vini. *Dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Uno modo prout in sua specie consistit. Et hoc modo Angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, in quantum ei uniuntur fruitione charitatis perfectæ, & unione manifestâ (quem panem expectamus in patria) non per fidem, sicut nos ei hîc unimur. Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est sub speciebus hujus Sacramenti: in quantum scilicet aliquis credit in Christum, cum desiderio sumendi hoc Sacramentum. Et hoc non solùm est spiritualiter manducare Christum; sed etiam spiritualiter manducare hoc Sacramentum. Quod non competit Angelis. Et ideò licèt Angeli manducent spiritualiter Christum; non tamen conveniet eis spiritualiter manducare hoc Sacramentum.*

Si dicas non esse rationem, cur Angeli in cor- 394
pore assumpto non sint capaces hujus Sacramenti.

Respondeo optimam esse rationem, partim 395
quia sunt incorporei, nec eorum in corpore assumpto manducatio vera & propria esse potest. Cùm vitalis operatio non sit. Partim quia non est, nec esse potest in eis, uti nec in aliis beatis, etiam cum corpore glorificato, desiderium percipiendi Christum sub aliena specie, quem clarè vident & possident in propria.

CAPUT XXXI.

Non omnes qui recipiunt Eucharistiæ Sacramentum, effectum recipiunt Sacramenti.

COnstat ex eo quòd aliqui sacramentaliter dum- 396
taxat recipiant hoc Sacramentum, id est Sacramentum, & non virtutem, sive fructum & effectum Sacramenti, uti de peccatoribus illud indignè recipientibus ex doctrina Patrum declarat Tridentinum suprà n. 382. Idemque amplius constat ex Apostolo 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Idipsum exemplo Judæ demonstrat Augustinus 397
tr. 26. in Joan. *Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ, & tamen accepit? Et cùm accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit; sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo Fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata, etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et lib. 5. contra Donatist. c. 8. *Sicut enim Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo præbuit; sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominùs erat, etiam illis*

quibus dicebat Apostolus: qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.

398 Itaque *qui sceleratè vivunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali Communione mundari, discant nihil ad emundationem sibi proficere, dicente Propheta: quid est quòd dilectus meus fecit in domo mea scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?* cap. *qui sceleratè* de Consecr. dist. 2.

399 *Unde sciendum* (inquit S. Thomas opusc. 58. c. 19.) *quòd duplex est effectus corporis Domini, scilicet bonitatis quoad bonos; severitatis quoad malos. Et tamen ipsum semper immutabile & bonum in se manet; sed justo judicio effectus ejus mutatur in his qui malè eo utuntur. Et hoc est quod Ecclesia canit: mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus.*

CAPUT XXXII.

Hujus Sacramenti, dignè susceptì, effectus quinque.

400 PRimus effectus est adunatio hominis ad Christum. Constat ex Florentino in Decreto Eugenii IV. dicente, quòd *hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè suscipientis, est adunatio hominis ad Christum.* Quæ quidem adunatio seu unio adeò est perfecta, ut fideles hoc Sacramentum cum debita devotione suscipientes, & spiritu & corpore unum sint cum Christo. Christum enim totum recipiunt, id est corpus, animam, divinitatemque ipsius. Et si (Apostolo teste) *cui adhæret Deus, unus spiritus est cum Deo*: per dictam profectò adunationem fidelis quisque adhæret Deo. Igitur unus est spiritus cum ipso. Est etiam una caro: quia per dignam hujus Sacramenti susceptionem *concorporei, ut ita dicam, & consanguinei Christi facti sumus*, ut Cyrillus Hierosolymitanus ait Catech. mystag. 4. Nec solùm sanctificamur spiritu, sed & corpore. Nam ut idem Cyrillus prosequitur, *panis cælestis, poculumque salutis, animam & corpus sanctificant.* Et sicut animam sanctificant, faciendo sumentem unum spiritu cum Deo; sic & corpus sanctificant, faciendo eundem unum corpore cum homine Deo. Quia, ut Cyrillus Alexandrinus ait l. 10. in Joan. pag. 863. *non aliter vivificari* nec sanctificari potest *quod naturâ suâ est corruptibile, quàm si corporaliter unitum sit corpori ejus, qui secundùm naturam suam est vita*, & sanctitas. Fitque per dignam hujus Sacramenti susceptionem, ut (eodem Apostolo teste) *membra simus corporis ejus, de carne ejus, & ossibus ejus. Non enim aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm ut in id quod sumimus transeamus* (ait S. Leo serm. 14. de Pass. Dom.) *ut scilicet in quo mortui, & consepulti, & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu & carne gestemus, dicente Apostolo: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* In eo igitur differentia est inter divinum hunc, carnalemque cibum, quòd carnalis cibus transit in substantiam nostram; hoc autem Sacramentum susceipiendo transimus in corpus sanguinemque Christi, prout Augustino Christus ipse dixit: *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

401 Secundus effectus ex priori consequens, est unio fidelium inter se. Quæ enim uniuntur uni tertio, uniuntur inter se. Fideles autem per dignam hujus Sacramenti susceptionem uniuntur uni tertio, videlicet Christo. Igitur uniuntur inter se. Et hoc est quod Apostolus 1. Cor. 10. contestatur: *Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Unitatem enim fidelium inter se, quam Baptismus inchoat, Eucharistia perficit, dum non spiritu tantùm, sed & carne nos Christo conjungit.

Tertius effectus est augmentum & abundantia 402
gratiæ, augmentum proinde fidei, spei, & charitatis. *Quia enim per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur* (inquit Florentinum loco citato) *consequens est quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè, gratia augeatur.* Et hoc ideò quia cùm ex Christi passione fructus omnis spiritualis, seu gratia nobis proveniat, consentaneum est in hoc Sacramento, tantò copiosiorem præ cæteris Sacramentis nobis gratiam conferri, quantò magis præ cæteris Sacramentis hîc passio Christi recolitur & repræsentatur (inquit Estius in 4. dist. 12. §. 5.) Nam alia quidem Sacramenta ad certum aliquem effectum passionis Christi consequendum sunt instituta: istud autem præcipuè ad hoc ut jugiter in memoriam passionis ejus & offeratur, & sumatur, quemadmodùm ex Evangeliis & Paulo liquet. Unde publicâ voce testatur Ecclesia, quòd in hoc sacro Christi convivio *recolitur memoria passionis ejus, & mens impletur gratiâ.* Quia, ut Augustinus ait l. 2. contra epist. Parm. c. 6. *qui dignè manducat & bibit, gratiam sibi manducat & bibit.* Per quam novum vigorem accipit, sine quo Patres existimant graves tentationes superari non posse. Unde Cyprianus epist. 54. ad Cornel. *Idoneus* (inquit) *esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.*

Quartus effectus est spirituale nutrimentum. 403
Quia omnem effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, inquit Florentinum ubi suprà.

Quintus effectus est peccatorum præteritorum 404
purgatio, seu remissio, atque à futuris præservatio. Deus enim instituit, & *sumi voluit Sacramentum hoc*, non solùm *tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur, viventes vitâ illius qui dixit, qui manducat me, & ipse vivet propter me* (ait Tridentinum sess. 13. c. 2.) sed & *tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Enimverò (ut Estius loco citato observat) *Sacramentum hoc non tantùm porrigitur tamquam cibus hominis sani & robusti, verùm etiam tamquam cibus medicinalis infirmi, quo pellatur & expurgetur quidquid est vitiosum, & consumatur quidquid est crudum & indigestum in anima hominis, atque ipse imposterùm adversus occurrentes tentationes velut antidoto quodam præmuniatur.*

Et ideò S. Ambrosius l. 4. de Sacram. c. 4. *Si* 405
quotiescumque (inquit) *effunditur sanguis, in remissionem peccatorum fundatur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* Et cap. 5. *Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum.*

Si petas quare hoc Sacramentum à Tridentino 406
vocetur *antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis*, cùm per illud subinde etiam liberemur à sceleribus, sive mortalibus. Hoc quippe Ecclesia petit in quadam postcommunione: *fit ablutio scelerum.*

Respondeo rationem esse, quia remissio peccati mortalis non est effectus hujus Sacramenti per se. Neque enim hoc Sacramentum per se sive ex primaria Christi intentione institutum est ad remittendum mortale peccatum: cùm sit Sacramentum vivorum. Remissionem tamen peccati mortalis

talis aliquando confert per accidens, sive ex secundaria Christi institutione, dum scilicet cum devotione percipitur ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet, sed de eo est imperfectè contritus. Ita expressè S. Thomas 3. p. q. 79. a. 3. in corp. *Hoc Sacramentum operatur remissionem peccati, perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet.* Et hoc modo ibidem ad 1. explicat quod in dicta Collecta petimus; *petimus ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum, quorum conscientiam non habemus, secundùm illud Psal. 18. Ab occultis meis munda me Domine.* Vide l. 1. c. 27. ubi hac de re pluribus actum.

407 Porrò ad effectus jam enumeratos cæteri facilè reducuntur, qui in sacris Litteris, vel apud Patres, vel in sacro Missæ Officio solent Eucharistiæ tribui. Cujusmodi sunt spiritualis pinguedo, cordis castimonia, in ipsum etiam appetitum sensitivum diffusa, semen immortalitatis, beatæque resurrectionis, in corpus derivatum, perseverantia finalis, beatitudo sempiterna.

408 Neque verò Sacramentum hoc in solam animam dignè suscipientis operatur, sed & aliqui effectus ipsius ad ipsum quoque corpus sese extendunt, teste Cyrillo nostro Alexandrino ubi suprà, dicente: *Christus enim existens in nobis sopit sævientem in nostris membris carnis legem.* Unde Zachar. 9. Sacramentum hoc vocatur *vinum germinans virgines.* Quamvis enim corpus non sit immediatum subjectum gratiæ, ex anima tamen redundat effectus gratiæ ad corpus. Et hoc sensu hujus Sacramenti pia frequentatio stimulum carnis retundit, & legem membrorum enervat, sive (ut Catechismus Romanus ait) *carnis libidinem cohibet ac reprimit. Dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiæ ardorem restinguat necesse est.* Augmentum quippe & nutrimentum charitatis diminutio est cupiditatis, ut Augustinus ait q. 36. inter 83.

409 Denique *siquis vestrûm* (inquit Melliffluus Doctor serm. in cœna Dom.) *non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Et, ut Cyrillus ait ibidem, *perturbationes mortificat.*

410 Quo autem instanti conferantur laudati effectus, nemo novit, nisi qui efficit. Ante sumptionem non conferri, Doctores conveniunt. Valdè probabile est tunc conferri, quando manducatur, sive trajicitur ab ore in stomachum. Infundata verò quorumdam opinio est, quamdiù Christus sub speciebus præsens est in corpore communicantis, tamdiù nova & nova gratiæ augmenta conferri, nisi fortè qui sumpsit, toto illo tempore se magis ac magis disponat, & ratione majoris devotionis aliquid novæ gratiæ ab ipso fonte gratiæ in se existente recipiat. Quando enim causa efficax est, subjectumque dispositum, in instanti totum suum producit effectum. Neque ex eo quòd gratia promissa sit manducantibus, sequitur novam & novam gratiam dari toto tempore, quò Christus manducatus est in manducante. Aliàs majorem hostiam manducans, cæteris paribus, majorem reciperet gratiam. Cujus nullum est fundamentum.

411 Nec divinus cibus noster in hoc similis est corporali. Quia corporalis non nutrit quando sumitur, sed quando digeritur, & ad hoc necessaria est mora præcedens & concomitans. Eucharistia verò tunc nutrit cùm sumitur, quia effectus ipsius spiritualis est, & instantaneus.

CAPUT XXXIII.

Gravissimorum Doctorum sententia est, quòd ad recipiendum gratiæ augmentum, ultra statum gratiæ, usque adeò requiratur in homine utente ratione, devotio actualis, vel virtualis, ut sine ea accedentes, licèt à peccato mortali sint immunes, si tamen accedant cum peccatis venialibus, in ipsa Communione commissis, tantaque tepiditate & languore, ut iis actualis & virtualis devotio totaliter impediatur, nullum ex sacrosanctæ Eucharistiæ perceptione gratiæ augmentum consequantur.

412 ITa enim S. Thomas in 4. dist. 12. q. 2. a. 1. in respons. ad 3. quæst. hisce verbis: *Dicendum quòd omnis perfectio acquirenda impeditur per remotionem propriæ dispositionis. Sicut autem dispositiones materiales se habent ad perfectionem formæ, ita actus se habent ad perfectionem finis. Unde cùm hoc Sacramentum perficiat conjungendo finì, ad hoc quòd effectum suum plenè habeat in sumente, oportet quòd adsit actualis devotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest (cùm distractiones variæ ipsam impediant, & peccata venialia virtutum actus tollant) absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri; ita quòd aliquis augmentum gratiæ non consequatur: nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed fortè reatum venialis peccati, ex eo quòd imparatus accedit.*

413 At (inquit Natalis Alexander Th. Dogm. & Mor. to. 3. c. 3. propos. 8.) sententiam hanc S. Doctor retractavit 3. p. q. 79. a. 8. ubi dicit, quòd *effectus hujus Sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam refectio spiritualis dulcedinis: quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis.* Verùm hic locus facilè conciliatur cum priori, dicendo quòd articulo illo octavo sanctus Doctor non loquatur de venialibus, devotionem actualem & virtualem ex toto, sed ex parte dumtaxat impedientibus. Maximè cùm eâdem 3. p. q. 80. a. 10. devotionem actualem vel virtualem exigat in sumente. Dicit enim quòd *in sumente requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat.*

414 Angelicæ doctrinæ ex 4. sentent. distinct. 12. subscribit S. Bonaventura ibidem p. 2. a. 1. q. 1. Dicit enim quòd *hoc Sacramentum efficaciam non habet, nisi in dignè accedente. Dignè autem accedere in hoc consistit, quòd homo se præparet sicut debet. Tantum enim Sacramentum recipere, sicut recipitur alius cibus, non est congruum, nec fructuosum. Et quia in hoc Sacramento præsens est divina Majestas, & summa exprimitur charitas; ideò debet recipi cum honore & devotione. Ad hoc ergo quòd Sacramentum hoc habeat in aliquo efficaciam, primò oportet cibum istum ab aliis discernere per fidem. Secundò hospitium præparare per suiipsius præparationem. Tertiò in hospitium præparatum recipere cum honore & devotione. Hoc enim important Apostoli verba:* " non dijudicans corpus Domini. " Unde concludit quòd *vir justus spiritualiter non manducat, quando distrahitur per cogitationes extrinsecas; sed tunc quando movetur actu fidei & charitatis: quia tunc spiritualiter masticat & incorporat. Et ideò si negligit, non reportat effectum.* Nec soli Doctores Angelicus & Seraphicus sic docent, sed & utriusque Magister Alexander de Ales, celeberrimus Avila n. 487. exhiben-

dus, Cajetanus, Paludanus, Sylveſter, Nugnus, & ipſos referens Contenſonus to. 8. diſſert. 4. c. 1. ſpecul. 3. Franciſcus de Genet, Epiſcopus Vaſionenſis, Theol. Mor. to. 3. tr. 4. c. 11. Merbeſius Sum. Chriſt. p. 3. q. 7 & ſeqq. Neeſen de Euchariſt. tr. 4. q. 5. Boudart Manual. Theol. to. 5. tr. 3. §. 9. q. 6. Huyghens in ſuis Obſervationibus de Euchariſt. c. 14. n. 18. faventque è Societ. Salazar contra abuſus frequentior. Commun. c. 7. §. 1. & cap. 8. §. 7. & cap. 13. §. 3. Perlinus ſacri Convivii diſt. 2. c. 6. Suffrenius Anni Chriſtiani p. 3. c. 9. §. 7. ubi ſic : *Quiſquis corpus Chriſti cum peccato venidli, & citra præparationem accipit, haud dubiè irreverenter accipit, &, juxta S. Anſelmum, indignam profectò Communionem, tametſi levem & venialem, factitat, id eſt non admittit peccatum lethale.* Iſtis omnibus accedit illuminatiſſimus Doctor Taulerus ſerm. 4. feſti ſacratiſſ. Sacram. dicens, quòd *multi cum venialibus culpis tepidè accedunt, & ideò nihil reportant gratiæ. Quippe quia, ob multa magnaque ipſorum impedimenta, nullus patet acceſſus, ſicque vani, diſſoluti, inanes, frigidi perſeverant; nec aliquem referunt fructum; imò deficiunt potiùs.*

415 Nec deſunt rationes, quibus hæc ſententia ſuaderi poteſt. Prima eſt quia Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit per modum ſpiritualis cibi & potûs, qui ut nutriat, corroboret, augeat, debet ſpiritualiter maſticari & incorporari per devotionem ſuſcipientis, ſicut cibus & potus materialis per actionem vitalem ſumentis. Ad id namque ſignificandum SS. Patres magnam paſſim devotionem in communicante requirunt, & tepidos hac in re graviter redarguunt, velut indignos qui participent huic Sacramento, in quo præſens eſt divina Majeſtas, & ſumma exprimitur ipſius erga hominem charitas. Enimverò *ſi non decet ad ſacras ullas functiones quemquam accedere, niſi ſanctè; certè quò magis ſanctitas & divinitas cæleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavere ille debet, ne abſque magna reverentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat*, inquit Tridentinum ſeſſ. 13. c. 7. Taliter verò non accedit, imò irreverenter accedit, qui tepidè & abſque ulla devotione accedit; indignus proinde cui tantus hoſpes benedicat, ſuæque viſitationis fructum impendat; quemadmodùm indignus eſſet omni favore & beneficio Principis, qui ipſum in domum ſuam abſque ulla reverentia exciperet.

416 Secunda ratio eſt quia ad percipiendum fructum hujus Sacramenti, non ſufficit illud ſacramentaliter, ſed oportet & ſpiritualiter ſumere. Tridentinum verò ibidem c. 8. explicans quâ ratione ſpiritualiter ſumatur, dicit id fieri *fide vivâ, quæ per dilectionem operatur.* Unde S. Bonaventura in Breviloquio p. 6. c. 9. dicit quòd *ut quis dignè accedat, oportet quòd ſpiritualiter comedat, ut ſic Chriſtum per recordationem fidei maſticet, & per devotionem amoris ſuſcipiat.* Et in non habentibus quidem uſum rationis ſufficit habitu ſpiritualiter comedere, ſive per charitatem habitualem; ſecùs in uſum illum habentibus. Quia Tridentinum in verbis proximè relatis charitatem operantem, ſeu actualem vel virtualem requirit, dum requirit *fidem vivam, quæ per dilectionem operatur.*

417 Tertia ratio : ſicut gratia, ſic gratiæ augmentum hominibus ratione utentibus nunquam infunditur abſque ipſorum diſpoſitione & cooperatione, ſeu pio motu liberi arbitrii ipſorum, uti poſt S. Thomam docet Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. his verbis : *Juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam, ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem.* Quod ſicut verum eſt de prima gratiæ infuſione, verum eſt & de illius augmento : utpote quod eaſdem proportionaliter diſpoſitiones requirit, quas prima infuſio; ſicut enim habitus abſque voluntatis conatu non acquiritur, ita nec augetur; & ſicut forma ſine proportionatis diſpoſitionibus primò non producitur, ita nec intenditur, &c.

Quarta ratio : diviniſſimæ Euchariſtiæ perceptio 418
eſt oſculum, quo cæleſtis Sponſus dignatur animam fidelem, ingrediturque ad intima pectoris ipſius. Atqui dignus non eſt oſculo diviniſſimi Sponſi, qui dignus non eſt ipſius familiaritate. Quâ profectò dignus non eſt, qui ad ipſum abſque ulla devotione languidus & tepidus irreverenter accedit. Dignè ergo non accedit. Solus verò dignè accedens percipit fructum ipſius.

Quinta ratio : quantò quis majori cum devo- 419
tione accedit, tantò ampliorem fructum ipſius percipit; tantò etiam minorem, quantò minori cum devotione. Nullum ergo fructum percipit, ſi nulla cum devotione accedat. Si enim defectus devotionis, etiam intra limites peccati venialis, tantò magis impedit fructum, quantò eſt major; non apparet quomodò fructum totaliter non impediat, ſi devotionem totaliter auferat.

Sexta ratio eſt Cajetani 3. p. q. 79. *Si quâlibet* 420
ſumptione Euchariſtiæ (etiamſi nullus interior charitatis actus, ob mentis diſtractionem, interveniat) augeretur gratia, infinitorum penè Sacerdotum, quos credimus verè in gratia celebrare, charitas habitualis *jam eſſet major intenſivè, quàm credi rationabile ſit : cùm tanta multitudo* (id eſt tantum augmentum) *charitatis in tanta* Sacerdotum *multitudine otioſa pareat. Quoniam nec extra apparent, nec intùs de ſe teſtantur*, nec ipſi experiuntur effectus ullos tantæ charitatis. *Et tamen certum eſt quòd ſicut amor Dei non eſt otioſus, ſed operatur magna ſi eſt; ita tam magna augmentatio amoris Dei non eſt otioſa, ſed operatur* tantò majora, quantò major ipſa eſt. Neque enim charitas habitualis in adultis otioſa magis eſſe poteſt, quàm habitus avaritiæ, luxuriæ, ambitionis, &c. ſed datâ opportunitate in actus ſibi proportionatos proſilit; aliàs eſſe non præſumitur, uti docent ſancti Patres. Cùm igitur nihil ſimile appareat in tot illis Sacerdotibus à tot annis quotidie vel ferè quotidie celebrantibus, credibile non eſt, nec præſumendum, gratiam in ſingulis celebrationibus, in gratia factis, in illis auctam eſſe. Si enim gratiæ, ac per conſequens charitatis aliarumque virtutum infuſarum augmentum in quavis Communione accepiſſent, aliquod iſtius augmenti veſtigium, ſeu effectus, poſt tot Communionum millia, non poſſet non apparere. Et ipſi non poſſent non experiri longè majorem inclinationem ad actus charitatis, aliarumque illarum virtutum, quàm in principio. Aſt ipſi contrarium in ſeipſis experiuntur.

Hiſce rationibus accedit divina viſio, quam extatica Virgo S. Maria Magdalena de Pazzis habuiſſe refertur 4. p. vitæ c. 13. ubi ſic : *Vidit in raptu Ordines Religioſos, ſignificatos per multas ſemitas, ornatas arboribus & vitibus, & in eis vidit aliquos Religioſos paſci uvis; & eos eſſe, qui magno cum fervore & guſtu ſumunt Euchariſtiam, & magnum inde fructum percipiunt. Alios vidit evellere vites, & earum loco plantare ſpinas; & hos eſſe, qui communicant caſu, cum exiguo, imò nullo guſtu,* & NULLUM FRUCTUM CAPIUNT : *quia Jeſus tranſit per illos, & non ſubſiſtit in eis. Ideò tales non producunt in Religione aliud quàm ſpinas peccatorum.*

Atque ex ipſis multi ſeſe exiſtimant eſſe in ſtatu gratiæ, & via ſalutis, cùm non ſint, uti to. 1. lib. 10. pluribus demonſtravi. Timeant ergo Religioſi & ſæculares Sacerdotes, timeant & Laïci, quorum illi ex quotidiana, iſti ex octiduana Communione adeò parùm, imò nihil proficere vi-

dentur in spiritu. Unde hoc ?

Respondet Georgius de Rhodez disp. 1. de Euch. q. 3. sect. 1. §. 3. his verbis : " Hîc mihi sanè, ut „ verum fatear, vix quidquam occurrit, quod „ dici posse putem. Non enim satisfacis argu„ mento, si dicas, habitus supernaturales non da„ re facilitatem, nec excludere habitus vitiorum, „ nec mortificare passiones : quia ut hoc verum „ sit, auxilia tamen gratiæ tam copiosa, quæ re„ cipiuntur ex tanta frequentia Sacramenti, om„ninò debellarent omnes vitiorum habitus.

„ Respondeo ergo tria. Primum, multos sibi „ blandiri sæpè, dum existimant se immunes esse „ à peccatis mortalibus, quibus tamen pleni sunt. „ Secundum, illos minimam gratiæ partem ac„ cipere in Eucharistia; & aliunde per distractio„ nes, & vitam tepidam obrucre illa auxilia gra„ tiæ quæ, propter habitus malos intensissimos, „ illis prorsus inutilia sunt. Tertium, illos in pœ„ nam tepiditatis insensibiles fieri ad divina, & „ propter contemptum levium peccatorum inci„ dere in peccata gravia, per quæ Sacramento„rum omnis efficacitas enervatur. Hactenùs Theologus ille Societatis, certè non Rigorista. Cujus secunda ratio potiùs probat nullam, quàm minimam ab ipsis gratiam recipi. Si enim vita tepida ipsorum obruit illa auxilia gratiæ, illaque inutilia reddit, profectò & impedit ne recipiantur, ne in vanum recipiantur. Prima ratio confirmat ea quæ dixi tomo illo 1. l. 10. p. 1. cap. 23. Accedit etiam hisce omnibus doctrina Sanctorum cap. 35. & 36. proferenda.

CAPUT XXXIV.

Contrariis argumentis obviam itur.

421 Objicies 1°. argumenta superiori capite deducta nimis probant, cum utique qui indevotè accedit, indevotione veniali, peccare mortaliter. Tum quia indignè accedit, adeòque judicium sibi manducat & bibit. Tum quia sciens & volens effectum hujus Sacramenti totaliter impedit, sive illi obicem ponit. Vix autem concipi potest quòd aliquis effectum hujus Sacramenti sciens & volens in se totaliter impediat, & mortaliter non peccet.

Respondeo negando antecedens. Quia licèt hoc sensu judicium sibi manducet & bibat, quòd se privet augmento gratiæ, adeòque judicium sibi manducet privationis augmenti gratiæ; sibi tamen non manducat judicium æternæ condemnationis, sicut ille qui in statu peccati mortalis accedit. Nec mortaliter peccat, qui effectui Sacramenti obicem ponit peccati venialis, sed qui ei obicem ponit peccati mortalis. Quia peccatum veniale per se sive ex natura sua non est obex augmenti gratiæ (cùm per se æquè compatibile sit cum augmento gratiæ, quàm cum gratia ipsa) sed ex institutione Christi, qui licèt ad dignam fructuosamque Eucharistiæ perceptionem sub gravi peccato exigat immunitatem à mortali peccato; ob fragilitatem hominum solùm sub veniali exigit immunitatem à veniali, devotionem impediente. Quomodò etiam solùm sub veniali prohibet relationem Communionis ad finem venialiter malum, v. g. ad finem vanæ gloriæ, tametsi sub mortali prohibeat relationem ipsius ad finem mortaliter malum.

Quamvis ergo peccati mortalis reus sit, quisquis Sacramentum frustrat effectu, per id quod per se est obex ipsius : secùs si ipsum frustret effectu, per id quod per se non est obex ipsius, sed solùm est defectus dispositionis ex divina institutione sub veniali requisitæ in reverentiam hujus Sacramenti. Nec verò dubium, à Deo Sacramentum hoc sic institui potuisse, ut deficiente ejusmodi dispositione Sacramentum hoc non prodesset ad gratiæ augmentum. Sic verò instituisse, probant argumenta superiori capite deducta.

Objicies 2°. ægrotus tantò magis recurrere debet ad medicum, quantò magis se senserit ægrotum. Frigidus etiam ac tepidus, tantò magis accedere debet ad ignem, quantò magis friget & alget. At Christus in Eucharistia medicus noster est, ignis est. Omni ergo fructu non frustrat ægrotos ad se recurrentes, nec omni calore frigidos & tepidos ad se accedentes. 422

Respondeo totum esse verum, dummodò recursus & accessus ille cum debita fiat reverentia & devotione : sine qua si omnis ægrotus, tepidus & frigidus tantò magis Eucharistiam suscipere deberet, quantò magis infirmus, tepidus & frigidus; tantò magis eam suscipere deberet, quantò magis peccator & indignus. Quod dixit quidem impius Lutherus, sed dicere non potest pius Catholicus.

Objicies 3°. Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. explicans verba Apostoli, *probet autem seipsum homo*, probationem istam consistere declarat in eo quòd *nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Igitur aliam probationem Tridentinum ad dignam fructuosamque Communionem non requirit nisi statum gratiæ. 423

Istud est præcipuum adversæ partis argumentum, sed ruinosum, & in præcipitium ducens; utpote super quo nescio quæ paradoxa, absurdaque consectaria nonnulli Casuistæ non superædificant.

Primò namque Molina in Instruct. Sacerd. c. 6. §. 1. Confessarii (inquit) invitare debent peccatores quoscumque ad communicandum semel in hebdomada, à qua arcendus est nullus, quàmlibet magnus peccator, dummodò se disponat. Imò ad id est exhortandus : neque enim peccata magna, neque in ea relapsus ipsos prohibere possunt. Item : si veniret ad me peccator, totus onustus peccatis, ipsumque viderem pœnitentem, seseque emendare proponentem, ipsi consulerem singulis Dominicis communicare. Et sequenti sabbatho, si rediret ad me cum totidem peccatis, ipsumque viderem contritum cum intentione se emendandi, adhuc magis animos ipsi adjicerem ad singulis hebdomadis communicandum. Et si per plures hebdomadas in eadem flagitia relaberetur, hortarer ipsum ad frequentem Communionem.

Secundò, qui ex humana fragilitate semel in mense labuntur in mortale peccatum, liberè communicare possunt bis aut ter in hebdomada; imò sæpiùs ratione occurrentis solemnitatis, indulgentiæ, &c. Marcus à S. Francisco in præfat. libri, cui titulus : *Aurifodina*, sive *Mine d'or*, &c. 424

Tertiò, qui ex eadem fragilitate semel aut bis in hebdomada fœdantur mortali crimine, possunt equidem semel in hebdomada communicare. Idem ibidem n. 15. 425

Quartò, Tridentinum sess. 13. c. 7. manifestè docet, ad dignam Communionem solùm requiri statum gratiæ. Ibidem p. 4. c. 9. n. 13.

Quintò, satis probabile est, ne venialiter quidem peccare eum, qui conscius plurium peccatorum venialium, absque prævio de iis dolore communicat, dummodò in iis actu non complaceat. Gobat de Sacram. tract. 4. casu 15. n. 217. referens Tannerum, Valentiam, Rhodez, &c. 426

Sextò, ne quidem venialiter peccat in divinissimum Sacramentum, qui illud accipit cum voluntaria distractione. Joannes Sancius in select. disput. 23. 427

428 Septimò, præmissâ Confessione, Sacerdos celebrare, & Laïcus communicare licitè potest post habitam eo die copulam carnalem, vel pollutionem voluntariam, sive secum, sive cum complice, sive per fornicationem, sive per adulterium, sive per peccatum contra naturam, seu quocumque alio modo. Mascarenhas de Sacram. tr. 4. disp. 5. n. 284.

429 Octavò, consulendum est proximè dictis, ipso die voluntariæ pollutionis, fornicationis, adulterii, &c. ad sacram mensam accedere, dummodò doleant, & confiteantur. Idem ibidem n. 285.

430 Nonò, Communio multò magis consulenda est conjugatis, ipso die copulæ habitæ causâ voluptatis. Joannes Sancius loco citato.

431 Decimò, extra culpam est quisquis Eucharistiam sumit, sibi non conscius peccati mortalis. Sesmasonus Author quæstionis: *an melius sit frequentiùs, quàm rariùs communicare.* Contra quem Arnaldus librum scripsit de frequenti Communione.

432 Undecimò, etiam illi qui suiipsorum amore tument, ac sæculo prodigiosum in modum addicti sunt, quàmlibet implicati mortalibus delictis, dummodò prius confiteantur, laudabiliter communicant octavo quolibet die. Idem ibidem, ad id eas proferens rationes quæ vel nihil probant, vel probant ipsos, præmissâ Confessione, laudabiliter communicare quotidie.

433 Nonnullas quidem ex allatis propositionibus negat noster Marcus à S. Francisco Carmelita excalceatus in Aurifodina sua. Sed in ea p. 3. c. 4. & 5. & p. 4. c. 9. ea tradit principia, ex quibus consequi videntur. Idem censeo de plerisque aliis, qui tria cum ipso principia sequentia tradunt. 1°. quòd ordinariè facilis sit conversio peccatorum, quàmliber grandium, frequenter, que facilè & citò in eadem gravia relabentium, nec multò egeat tempore, vel labore, nec laboriosis pœnitentiæ operibus. 2°. quòd sine illis Confessarius ordinariè credere debeat dictis peccatoribus etiam consuetudinariis, se contritos asserentibus, ipsosque statim absolvere, nisi manifesta ratio, distincta à frequenti, cito, & facili illo relapsu, appareat in contrarium. 3° quòd ad dignam fructuosamque Communionem sufficiat requiratur status gratiæ. Si enim hæc vera sunt, omnes allatæ propositiones suapte sponte fluunt. Si enim ad dignam fructuosamque Communionem status gratiæ sufficit, & hic, non præmissis pœnitentiæ operibus, à dictis peccatoribus tam citò & facilè obtineri queat: igitur non obstante quotidiano in eadem gravia relapsu, quotidie absolvi poterunt, postque confessionem & absolutionem, dignè & fructuosè, nedum semel in hebdomada, sed & quotidie communicare.

434 Ad objectionem itaque respondeo 1°. nihil probare, quia nimium probat, secundùm allata principia Authorum illius. Qui enim statuunt principium illud: in conscio peccati mortalis à Tridentino non requiri nisi reconciliationem cum Deo, per confessionem, ordinariè statuunt & primum ac secundum principium n. præcedenti expositum. Quibus suppositis ex objectione consequuntur omnes propositiones à n. 423. ad 433. enarratæ.

435 Respondeo 2°. negando antecedens. Valdè enim differunt duæ istæ propositiones. Prima, *ea probatio necessaria est, ut nullus, sibi conscius mortalis peccati, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Secunda, *ea probatio sufficit, vel unicè consistit in hoc quòd nullus sibi conscius*, &c. Primum quidem asserit Tridentinum; sed non secundum. Neque secundum magis inferri potest ex primo, quàm inferri queat: ergo, secundùm Tridentinum, quilibet peccator, quàmlibet magnus, quàmlibet consuetudinarius, & recidivus, statim atque confessus fuerit, ad sacram Communionem dignè & fructuosè accedere potest. Quo dato sequerentur omnes propositiones supradictæ. Unde Perlinus è Soc. Jesu Theologiæ olim Coloniæ Professor, sacri convivii dist. 2. c. 6. inanem ostendit objectionem illam ex Tridentino, dicens: *Neque Tridentinum aliter sensit capite illo 7. sess. 13. ubi haudquaquam invenies quod adversarii putant, dignè communicare illum, qui absque lethali communicat. Quòd si dixerint, apertè legi: cùm asserat, communicare indignè, qui lethali adstrictus scelere communicat: hinc enim rectè colligitur (à contrario) dignè communicare, qui ab illo immunis communicat. Respondebimus eos falli, & malè colligere. Malum namque ex quolibet defectu; bonum ex integra causa, ut omnes sciunt.*

Noster quoque Lumbierus in observat. Theol. 436
circa propositiones ab Innoc. XI. damnatas n. 503. rectè observat, Tridentinum loco citato solùm determinasse controversiam quæ tunc erat: an utique, datâ copiâ Confessarii, necessariò præmittenda foret Confessio? an sufficeret contritio? An verò, præter contritionem & Confessionem, ultrà requireretur alia dispositio devotionis & reverentiæ, atque immunitatis ab affectu ad venialia peccata? tunc controversiam non fuisse, nec Tridentinum ex professo determinasse, nisi quatenùs (in favorem assertionis nostræ) requisivit præparationem *cum magna reverentia & sanctitate.*

Objicies 4°. communicare est manducare. Ad 437
manducandum autem fructuosè nihil amplius requiritur, quàm usus vitæ: igitur ad communicandum non requiritur nisi usus gratiæ, quæ est vita spiritualis animæ.

Respondeo argumentum istud non infirmare, sed firmare doctrinam cap. 33. utpote quo conficitur ad fructuosam Communionem requiri usum vitæ spiritualis, qui usus est charitas vel devotio actualis vel virtualis, sine qua alimentum istud spirituale non proficere, experientia probat. Sine ea proinde cavendum à Communione, sicut infirmis & convalescentibus cavendum à nimia nutritione. *Impura* namque *corpora, quò magis nutris, eò magis lædis*, ut habet Medicorum aphorismus. Argumentum autem nimiæ nutritionis in convalescente, est quòd alimentum ipsi non prosit. Quod dum Medicus perspicit, alimentum nimis validum (quale est Eucharisticum) nimis proinde nutriens ipsi subtrahere debet.

CAPUT XXXV.

Decipiuntur multi & valdè multi Christiani, etiam Sacerdotes & Religiosi, qui ex eo quòd abstineant à peccatis mortalibus grossis & visibilibus, existimant se dispositos ad dignam fructuosamque Communionem, cùm non sint.

PRobatur 1°. quia multi & valdè multi Chri- 438
stiani, etiam Sacerdotes & Religiosi, venialia peccata cavere, & emendare parùm vel nihil curant, imò valdè negligunt. At iis valdè timendum est, ne extra statum gratiæ sint, prout ex Scriptura, & dictis Sanctorum ostendi to. 1. l. 10. p. 3. c. 22. à n. 192. ad 205. quippe versantur in proximo periculo peccati mortalis, valdè negligenter faciunt opus Dei, sunt tepidi illi (de quibus Apoc. 3.) quos Deus incipit evomere ex ore suo, peccant graviter contra primum maximumque præceptum, sicut & contra præceptum cum timore & tremore operandi salutem suam, contra præceptum quoque vigilandi omni tempore, necnon contra præceptum, quo Christiani omnes, maximè Ecclesiastici & Religiosi, sub gravi obligatione tenentur seriò quotidie ad perfectionem

tendere, seriamque operam navare ad quotidie augendam in se dilectionem Dei. Quæ omnia ibi copiosè probata videri possunt; confirmatque Iveninus de Sacram. differt. 4. q. 7. c. 3. a. 2. dum docet quòd *peccata venialia, quæ voluntariè sæpiùs committuntur, in Communionis indignè suscipiendæ discrimen adducant.*

439 Probatur 2°. quia tales adeò deficiunt à vita Christiana, Ecclesiastica & religiosa, ut vix fieri possit, quòd diù sint in statu gratiæ, & ordinariè sint extra viam salutis, prout probatum est ibidem à n. 205. ad 220.

440 Probatur 3°. quia de iis Taulerus serm. 4 suprà laudato dicit, quòd *in mortalium peccatorum præcipitio sunt constituti, jamque propè est, ut vel intùs, vel foris incomparabile eorumdem peccatorum damnum incurrant. Imò frequenter, antequam advertant, ipsi in multa gravia collabuntur.* De iis verò loquitur, qui *hominum amicitias superfluas, & vanas animi recreationes ac levitates expetunt, & iis delectationibus propter Deum emori renuunt.* Et de iisdem subjungit: *Isti ad reverendissima Christi Sacramenta accedere non metuunt, suas nihilominùs consuetudines & modos retinentes, nec aliquid ex prædictis repudiare volentes..... Verùm utrùm isti feliciter hinc discessuri, & ad extremum salvandi sint, vehementer incertum est: eò quòd fundus eorum sponte irretitus est. Unde ubi necessitas extrema ingruerit..... nescient prorsus quo in statu sint, nec facilè Deum invenire poterunt,* &c. Sermone verò 1. dixerat: *Si nosse cupis, utrùm dignè hoc Sacramentum perceperis, vide si cor tuum magis abstractum sit ab omnibus extra Deum, & si vita, quam ipsum in te operatum est, foris appareat, & operetur in exteriori homine tuo, in sensibus, in moribus, in conversatione, in verbis, in actibus tuis.... Quod quisquis in se non sentit, sed potiùs cor suum vanitati & otio deditum, ac vacuum, & extrinsecùs se dissolutum, ac levem in risu, in verbis, in cultu corporis, sloliditati quoque vacantem, ac potissimùm per immoderatas sui recreationes perditum tempus, & cor denique suum misere negligentem invenit, atque sciens & sponte talis perseverat, ac nihilominùs ad hoc reverendissimum accedit Sacramentum, magno se periculo exponit. Credite mihi, ut stomachus cibum inconvenientem rejicit, sic Dominus Deus ejusmodi hominem ex ore suo, multòque præstaret eis non accedere.*

441 Probatur 4°. quia illuminatissima Virgo Mediolanensis, sanctissimæ memoriæ, dicta in sæculo Virginia Negriya, in Claustro Sororum Angelicæ Paulæ Antoniæ, epist. 19. (ex iis, quæ in Concilio Tridentino per R. P. Didacum Laynez, Generalem Societatis, ad id à Legatis Concilii commissum, approbatæ fuerunt) dicit, *ad sacram mensam indignè accedere, non solùm eos qui accedunt in statu peccati mortalis; verùm etiam eos qui ad eam accedunt, nec Christi mortem annuntiant. Quippe nos docet magnus ille Apostolus* 1. Cor. 11. *ab eo panem hunc indignè manducari, qui non dijudicat corpus Domini, i. sine causâ mortui. Ex quo ipso adstringitur ad mortendum omni peccato, sibique ipsi, & cupiditatibus suis, ad stigmata Domini Jesu portandum in corpore suo, ad ea quæ desunt passionum Christi adimplenda, & ad gloriandum in cruce ipsius, atque in infirmitatibus suis. Quodnam est autem judicium, quod sibi manducat ejusmodi anima? De ea hic non loquor, quæ in mortali perseverat crimine; sed de ea quæ communicat, nec curat proficere in virtute, nec in perfectione progredi, sed in sua tepiditate, degenerique negligentia seipsam fovet. Audite S. Paulum prædicantem: Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Ipse est status hominum istorum, qui semper iidem manent, in passionibus suis ferventes, magni boni incapaces, debiles & fragiles, ignorantes & cæci, pigri & somnolenti, spiritu torpentes, absque fervore, in tenebris ambulantes, nec unquam in virtute & perfectione proficientes. Dum conspicitis homines, qui sacram Communionem à longo tempore recipiunt, nec solitum vivendi morem unquam mutant, hi sunt qui non annuntiant mortem Domini. cum sincero, ut oportet, desiderio sibimetipsis moriendi, ut vivat in ipsis Christus. Siqua fortè eorum animas de eo cogitatio, vel desiderium aliquod subeat, evanidæ dumtaxat cogitationes sunt, & imaginaria desideria: cùm non respondeant gratiæ Sacramenti, nec faciant quod oportet ad consequendum id quod desiderant. Ipsis namque satis est, quod tres vel quatuor lachrymulas, inter communicandum, ex oculis suis molliter exstillent. Et post tempus istud ad solitas redeunt ambitiunculas, ad suos affectus, ad laudis appetitiones, ad dicti actiones, ad vanitates, reique similes.* Non pudeat juniores Calusitas audire Virginem, per quam locutus est Spiritus sanctus.

442 Probatur 5°. quia S. Bonaventura de præparat. ad Miss. c. 5. Apostoli verba, *probet autem seipsum homo*, sic exponit: *Proba teipsum, ex quanta charitate, & quali fervore accedis: non solùm enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata; quæ per negligentium & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis, licèt* (in quantum venialia) *non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, & indispositum, & ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres, & stipulæ venialium per afflatum Spiritûs, & flammam charitatis ventilentur & consumantur, exardescente igne cordis, ex consideratione propriæ vilitatis. Ideò cave ne nimis tepidus & inordinatus accedas, & inconsideratus: quia indignè sumis, si non accedis reverenter, circumspectè & considerate. Unde Apostolus:* "judicium sibi manducat & bibit." *Quod apertiùs insinuat, dum subdit, dicens:* "ideò inter vos imbecilles multi sunt, *scilicet per fidei inconstantiam:* & infirmi, *id est gravi peccato sauciati:* & dormiunt multi, *scilicet per torporem & desidiam.*

443 Probatur 6°. quia eadem Apostoli verba Basilius Magnus l. 1. de Baptism c. 3 sic interpretatur, ut Apostolus non solum exigat probationem expurgantem à peccatis mortalibus, sed & eò usque à venialibus, ut iis homo mori non renuat, sed emendare curet: *Paulus enim contestatur* (inquit) *Christum Dominum nobis corpus suum manducandum præcepisse, in perpetuam Passionis suæ commemorationem*, ita scilicet, *ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est; atque adeò nos erga mortem ipsius religiosos ac memores præstando, vitæ nostræ sanctitate & sanctimoniâ, quam qui non habet, & ad sancta nihilominùs accedit, horrendam sibi damnationem acquirit.* Sanctimoniam verò istam explicans dicit, *oportere, ut quisquis accedit ad corpus & sanguinem Domini, in commemorationem ejus qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, non solùm purus sit ab omni* mortali *inquinamento carnis ac spiritûs, ne judicium sibi manducet & bibat; verùm etiam apertè palamque ostendat se memoriam ejus recolere, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, exhibendo se mortuum quidem peccato, mundo ac sibi; viventem autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Alias* (inquit) *Communio nihil habet utilitatis, juxta sententiam Domini dicentis:* "Caro non prodest quidquam." *Imò accersit sibi, qui talis est, judicium, Apostolo quoque dicente:* "Qui edit & bibit indignè, judicium sibi manducat &

bibit, non dijudicans corpus Domini. " *Non enim terribile tantùm judicium habet, qui cum carnis ac spiritûs inquinamento ad sancta accedit indignè; sed & qui negligenter & inutiliter edit ac bibit. Quia per memoriam ejus, qui pro nobis est mortuus & resuscitatus, non custodit aliud Apostoli:* " Constringit nos charitas Christi, judican-
„ tes hoc, quòd si unus pro omnibus mortuus est,
„ oportet ergo omnes mortuos esse " ... *Nam velut sine conscientia* (id est discretione, & judiciosa reflexione) *& inutiliter tale ac tantum bonum recipiendo.... judicium habet segnitiei. Cùm Dominus nec eos innoxios esse sinat, qui verbum otiosum proferunt; & vehementius quoque otiositatis judicium declaret in eo qui talentum acceptum in otio & desidia integrum servaverat ..., Ita debemus etiam attendere quod sit judicium ejus, qui indignè* (quia otiosè, inutiliter, & sine seria voluntate moriendi peccato, mundo, ac sibi, ut soli Deo vivat) *edit & bibit.... & hac ratione plus aliquantùm contristat & infestat Spiritum sanctum, dum sine charitate illa vescitur, quæ urget, ut æstimet se sibipsi non vivere, sed ei qui pro nobis mortuus est.*

444 Propterea idem Basilius in Moral. reg. 80. c. 22 à communicare volentibus exigit, *perficere sanctimoniam in timore Dei, & charitate Christi, neque habere maculam aut rugam* (quam corrigere non curet;) *sed esse sanctum & immaculatum.* Augustinus quoque hom. 50. inter quinquaginta, de peccatis venialibus loquens dicit, quòd *quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur; tamen omnia simul congregata,* & neglecta, *velut scabies, quò plura sunt, necant, & nostrum decus ita exterminant, ut ab illius Sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus* (quibus animam fidelem dignè ad Eucharistiæ Sacramentum accedentem complectitur) *separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ defæcentur.*

445 Enimverò quomodò dignus esset Sponsi cælestis familiaritate & amplexibus, qui ad ipsum accedit sine reverentia, pietate & sanctitate? Profectò dignus non est divinâ illâ familiaritate, qui ad Sacramentum tantæ pietatis sine pietate accedit; ad Sacramentum tantæ devotionis sine devotione; ad Sacramentum tantæ majestatis sine reverentia; ad Sacramentum tantæ sanctitatis sine cordis puritate & sanctitate; ad Sacramentum commemorativum Passionis & mortis Christi sine voluntate moriendi sibi, peccato & mundo; a deòque mortificandi quidquid in se vitiosum agnoscit, Sponsoque displicere; ad Sacramentum denique perfectorum sine studio perfectionis; & ad Sacramentum infinitæ charitatis sine inflammata charitate, imò cum voluntaria tepiditate.

446 Septimò probatur ex Gregorio Magno l. 2. in 1. Reg. c. 1. ubi sic: *Non saturantur ergo nisi fameici, qui à vitiis perfectè jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt; quid restat, nisi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod deliquit,* imò correctionem emendationemque parùm curat, *etsi minima sunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque meritò fructum ei auferunt internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuari Paulus insinuans, ait:* " Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat " ... *Quid enim est hoc loco probari, nisi evacuatâ peccatorum* (etiam venialium, uti contextus manifestum facit) *nequitiâ, se probatum ad Dominicam mensam, & purum exhibere? De repletu autem* (peccatis venialibus, eaque evacuare negligentibus) *subdit:*
„ Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. " *Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus* (ne indignè manducemus & bibamus:) *quia ipsa sola virtus est, quæ evacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat.*

Octavò, ex Chrysostomo homil. 7. in epist. ad 447
Hebr. dicente: *Multi semel in anno sacrificii hujus participes fiunt; alii bis; alii sæpiùs. Ad hos ergo omnes mea convertitur oratio... Quos igitur potissimùm laudabimus? An qui semel? An qui frequentiùs? An qui rariùs Communionem adeunt? Neque hos, neque illos, sed eos demùm, qui cum puræ mentis conscientia, qui mundo corde, ac vitâ integrâ, atque inculpatâ, Christi corpore reficiuntur. Tales semper accedant; cæteri,* qui saltem ad acquirendam vitam integram & inculpatam seriò non allaborant, sed parùm aut nihil curant, *nec semel accedant. Quid sta? quia judicium sibi sumunt, & condemnationem, & pœnam, & supplicium. Quod sanè mirum videri non debet: nam quemadmodùm alimentum, quod naturâ suâ nutriendi vim obtinet si in ventriculum nauseantem, atque impurum ingestum fuerit, ipsum gravat, damnùm auget, atque adeò invectâ multiplici corruptelâ morbos creat: idem quoque in accidit, qui malè affecto animo tremenda illa perinde ac veneranda Sacramenta manducant.* Quapropter homil. 60. ad populum Antiochenum: *Accedas* (inquit) *nemo cum nausea, nemo remissus; sed excitati, ac incensi, ac ferventes omnes accedant. Nam si Judæi stantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos manibus gestantes, agnum cum festinatione manducabant; te multò magis oportet esse solertem. Quapropter in omnibus oportet te vigilare: nec enim parva pœna proponitur indignè,* id est tepidè, *sumentibus.*

Nonò, ex Ambrosio, Hieronymo, Theodo- 448
reto, &c. sincerum sanctitatis, perfectionis, & sanitatis spiritualis studium pariter requirentibus in accedente ad S. Communionem. Siquidem Ambrosius l. 9. in Lucam Apostoli verba ista Hebr. 5. *perfectorum est solidus cibus,* divinæ applicans Eucharistiæ, *esca* (inquit) *solidior est corpus Christi;* esca proinde sanorum & perfectorum; non autem infirmorum, & imperfectorum non curantium sanitatem & perfectionem, seu sanitatis ac perfectionis studium: *Ne infirmum validior cibus opprimat... Qui enim infirmus est, olus manducet.* Et rursus: *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit antè sanatus,* saltem à languore spirituali, per serium atque efficax sanitatis studium. Similiter Hieronymus explicans illud Zachariæ, *frumentum electorum, & vinum germinans virgines,* dicit, *hunc panem in comedendum, qui in Christo robusti sunt* (id est non languidi, qui proficere non curant) *bibendumque hoc vinum ab his virginibus, quæ sunt sanctæ corpore & spiritu.* Et Theodoretus in cap. 5. Cantic. exponens verba ista: *comedite propinqui mei.* Illi (inquit) *propinqui, perfecti sunt* (id est se perficere, atque à vitiis expurgare studentes) *qui ejus imaginem inviolatam & incorruptam servant* (id est servare seriò annituntur) *quique ipsi uniri non tepidè & languidè, sed summoperè exoptant.*

CAPUT XXXVI.

Dispositiones à Sanctis requisitæ explicantur, earumque necessitas confirmatur.

DEcima & ultima probatio, quâ priores illu- 449
strantur, & corroborantur, est quia ad dignam fructuosamque Communionem, ea saltem probatio requiritur, quâ quis rationabiliter confidere possit, vitam suam verè esse Christianam, vel

vel etiam religiosam, si sermo sit de Religioso. In ista verò probatione multi, & proh dolor! valdè multi decipiuntur, illi utique omnes, qui ad sui statûs perfectionem acquirendam scriò non annituntur, sed perfectionis studium valdè negligunt, prout faciunt tepidi illi & otiosi, de quibus agitur in superiori capite. Porrò quòd ea saltem probatio necessaria sit, quâ confidere quispiam possit, vitam suam verè esse Christianam, &c. nemo est qui revocare possit in dubium; soli enim verè Christiani jus habent sedendi ad mensam Christi, faciendique Pascha cum ipso, juxta illud Matth. 26. *Apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Quod & Cantic. 5. Sponsus cælestis insinuat, cùm ait: *Comedite propinqui mei.* Verè autem Christianus non est, nec verus Christi discipulus, & propinquus, nisi qui dispositiones omnes habet, à SS. Patribus suprà requisitas, saltem secundùm aliquem gradum; nisi proinde qui peccato, mundo & sibi mortuus est, ut soli vivat Deo; nisi qui Deum ex toto corde diligit, & in isto amore proficere satagit; nisi qui mundare se studet ab omni inquinamento, etiam veniali, carnis & spiritûs; nisi qui perfectus & sanctus est, saltem secundùm aliquem gradum. Qui enim Christianum dicit, sanctum dicit, uti ex Apostolo, Basilio, Chrysostomo ostendi to. 1. Prolegomeno 3. c. 1. 2. 3. & 4.

450 Enimverò quòd omnis verus Christianus habere debeat sinceram voluntatem moriendi peccato, mundo & sibi, ut sibi non vivat, sed ei qui pro ipso mortuus est; quòd (inquam) ista sit obligatio omnium Christianorum, ratio est quia *hoc in baptismate professi sumus*, ut Basilius docet citato lib. 1. de Baptis. c. 3. omniaque Evangelica documenta testantur. Quid enim aliud in Evangelio Christus docet, nisi mori peccato, mundo, & nobis ipsis, ut non vivamus nisi Deo?

451 An Christianos ad moriendum peccato non obligat Apostolus, dum Rom. 6. dicit, quòd in Baptismo *mortui sumus peccato*, nec vivere possimus ampliùs in illo? *Qui enim mortui sumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.... & ultrà non serviamus peccato?* An non eosdem Salvator obligat ad moriendum mundo, dum Joan. 15. dicit, *de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo?* Dum etiam mundi dilectionem ipsis prohibet Jacobi 4. & 1. Joan. 2. An non insuper obligat ipsos ad moriendum sibimet ipsis, dum ipsis odium sui præcipit, sicut & sui abnegationem, cum emphasi tanta, ut Luc. 14. dicat: *Siquis.... non odit.... animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et ibidem c. 9. *Dicebat ad omnes: Siquis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam?* An denique eos non obligat ad non vivendum, nisi ei qui pro ipsis mortuus est, dum 2. Cor. 5. per Apostolum dicit: *Æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* (debito utique, seu obligatione, quasi dicat: *oportet ergo omnes mortuos esse*, prout explicat Basilius suprà) *& pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit?* Ubi Chrysostomus: *rationem ponit indubitatam, propter quam debitum hoc opus ostendit*, quia scilicet ad hoc pro omnibus mortuus est Christus. Quam rationem paulò expressiùs urget Apostolus 1. Cor. 6. *non estis vestri*; per consequens vobis ipsis vivere non potestis: *empti enim estis pretio magno.* Quemadmodùm ergo servus emptitius vivere debet ei, à quo emptus est, non sibi; ita Christiani vivere debent ei soli, qui eos tanto emit pretio. Se enim servos tanto pretio emptos negant, si jus adhuc prætendant ad vivendum sibi ipsis, & non ei soli, qui tanto ipsos emit pretio.

Verus itaque Christianus non est, nisi qui pec- 452
cato, mundo & sibi mortuus, soli vivit Deo. Verus etiam Christianus non est, nisi qui memoriam ejus, qui pro ipso mortuus est, *adimplet per imitationem obedientiæ Dominicæ usque ad mortem*, prout Basilius addit ibidem; nisi proinde qui primum maximumque mandatum adimplet, Deum super omnia amando, & in isto amore proficere satagendo, & secundùm Evangelicas vivendo regulas, ita ut humilis sit, devotus, & mundo corde, liber proinde ab omni inquinamento, quod corrigere nolit. Verus denique Christianus non est, nisi qui sanctus & perfectus est secundùm aliquem gradum.

Noli ergo turbari, amice Lector, dum legis 453
vel audis, eas à Sanctis dispositiones ad dignam Communionem postulari, quæ puritatem, charitatemque sublimem importare primâ facie videntur. Neque enim volunt eas ad dignam Communionem absolutè necessarias esse in omni sua perfectione, altissimoque suo gradu, quasi defectus altioris vel altissimi gradûs absolutè deputetur ad culpam. Ne hoc quidem sibi vult D. Dionysius, dum in lib. de Eccles. Hierarch. c. 3. à sacrificii hujus participatione excludit eos, *qui nondum soli Deo unicè adhærent, quique.... nondum omninò irreprehensibiles sunt, atque immaculati, amoreque Dei puro & simplici accensi non sunt & inflammati.* Ad dictam (inquam) participationem non exigit immunitatem ab omni omninò culpa, omnique creaturarum amore, etiam fluxo & volatico (hoc enim supra humanam est fragilitatem, propter quod Alexander VIII. meritò damnavit hanc propositionem: *Arcendi sunt à sacra Communione, quibus non inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers;*) sed immunitatem ab omni culpa, & inhærente creaturarum amore, à quo quis se non studeat corrigere. Proinde vitam irreprehensibilem atque immaculatam hoc sensu non postulat Dionysius, quòd expers sit omnis peccati venialis; sed sensu quem Augustinus exprimit l. 2. de peccat. merit. c. 7. cùm dicit, nonnullos *ideò* verè *irreprehensibiles dici, quia seipsos reprehendunt.* Et de perfect. just. c. 9. *Ingredi sine macula non absurdè ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens corrigere, & mundare eleëmosynis*, seu aliis pœnitentiis. Alias igitur dispositiones Sancti non postulant, nisi quæ necessariæ sunt ad vitam verè Christianam.

Ad vitam namque verè Christianam necessaria 454
est sanctitas, in duobus punctis consistens, ad quæ dispositiones ad dignam Communionem à Sanctis postulatæ reduci possunt. Primum est amor Dei prædominans, & super omnia. Alterum est conatus perpetuus magis & magis crescendi in amore isto. Amorem Dei super omnia, omnibus ratione utentibus, ad salutem necessarium esse, tomo 2. demonstravimus, solusque impius & hæreticus negare potest. Quòd etiam *noster in Deum amor omnibus nostris amoribus præponderare, & in omnibus affectibus regnare & dominari debeat, & omnibus ad æternam salutem necessarius sit*, pulchrè docet, explicatque S. Franciscus Salesius l. 10. de amore Dei c. 6.

Et quamvis amor iste omnibus absolutè neces- 455
sarius non sit in altissimo suo gradu; non sic tamen cadit sub præcepto secundùm aliquem gradum, seu mensuram inferiorem, ut solùm sit de

consilio secundùm altiorem gradum ; imò secundùm altiorem gradum , etiam illum quem habebit in cælo, aliquo modo cadit sub præcepto, uti cum Sanctis Augustino, Bernardo & Thoma probavi to. 1. l. 10. n. 197. & hîc repetere non erit inutile. Audi S. Thomam 2. 2. q. 184. a. 3. *Per se essentialiter perfectio christianæ vitæ consistit in charitate ; principaliter quidem secundùm dilectionem Dei ; secundariò autem secundùm dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia divinæ legis.... Non autem dilectio Dei & proximi cadit sub præcepto secundùm aliquam mensuram, ita quòd id quod est plus sub consilio remaneat , ut patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat, cùm dicitur :* DILIGES DOMINUM DEUM EX TOTO CORDE TUO (*totum enim & perfectum idem sunt , secundùm Philos. in* 3. *Physic.*) *& cùm dicitur:* DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. *Unusquisque enim seipsum maximè diligit. Et hoc ideò est , quia finis præcepti charitas est , ut Apostolus dicit* 1. *Timoth.* 1. *In fine autem non adhibetur aliqua mensura , sed solùm in his quæ sunt ad finem , ut Philosophus dicit in* 1. *Polit. sicut Medicus non adhibet mensuram quantùm sanet , sed quantâ medicinâ vel diætâ utatur ad sanandum.* Et ad 2. *Perfectio divinæ dilectionis universaliter cadit sub præcepto , ita quòd etiam perfectio patriæ non excludatur ab isto præcepto, ut dicit Augustinus in l. de perfect. just. ante medium , ubi sic :* " Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio , quamvis eam in hac vita „ nemo habeat , " nec habere possit in effectu (ita ut affectus ipsius secundùm totum suum posse semper actu tendat in Deum) sed in affectu dumtaxat seu desiderio & conatu ? *Non autem efficitur transgressor hujus præcepti aliquis , ex hoc quòd non optimo modo implet* (prosequitur sanctus Thomas) *sed sufficit quòd quoquo modo impleat illud.... Et similiter non est transgressor qui non attingit* supremum vel *medios* perfectionis gradus, dummodò *attingat ad infimum.* Itaque *perfectio charitatis* (inquit Augustinus lib. de perfect. just. ante med.) *homini in hac vita præcipitur : quia non rectè curritur , si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur , si nullis præceptis ostenderetur ?* Nec tamen præceptum istud perfectè in hac vita adimpletur, sed in vita gloriosa, uti docet in lib. de spir. & lit. c. ult. *Hoc præceptum justitiæ , quo jubemur diligere Deum ex toto corde , ex tota anima , ex tota mente , in illa vita implebimus, cùm videbimus facie ad faciem.* Ita etiam S. Bernardus serm. 50. in Cant. Qui & hoc sensu dicit, quòd *modus diligendi Deum est diligere sine modo.*

456 Nec tamen nobis imputatur ad culpam, quòd in hac vita perfectè non impleamus , prosequitur Augustinus ibidem , dummodò non negligamus sic in amore crescere & proficere, ut nunquam à proficiendo & crescendo cessemus. *Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei in nobis , quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur , jam culpæ deputandum est. Sed* (ut paulò antè dixerat) *ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est , ut admoneremur quid fide exposcere , quò spem præmittere , & obliviscendo quæ retrò sunt , in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc , quantùm mihi videtur , in ea quæ perficienda est justitia multùm ille profecit , qui quàm longè sit à perfectione justitiæ , proficiendo cognovit.*

457 Tametsi ergo Christianis ad culpam non imputetur, quòd ad charitatis plenitudinem perfectionemque in hac vita non perveniant ; duo tamen ipsis necessaria sunt , non solùm ut digni sint Communione, sed & ut digni sint Christiani nomine. Primum est Dei amor eò usque inflammatus & accensus, ut, sicut S. Franciscus Salesius ait lib. 10. de amore Dei c. 8. *non solùm Deum plusquàm vitam nostram diligamus , sed & ipsum generaliter , absolutè & absque exceptione aliqua diligamus plusquàm omne quod diligimus , vel diligere possumus.* Dei quippe amorem *omnes amores nostros vincere , & omnibus nostris affectibus regnantis in morem dominari necesse est* (ait c. 6.) *estque amor iste cunctis necessarius ad salutem.* Et, ut addit c. 10. *veri homines esse non possemus , nisi inclinationem haberemus diligendi Deum plusquàm nosmetipsos ; nec veri Christiani , nisi inclinationem istam ad proximi redigeremus.* Quòd si dignus non sit Christiani nomine, in cujus corde divinus amor sic non dominatur ; consequenter dignus non est divini convivii, seu Sacramenti amoris participatione. Ad quod Sancti propterea docent accedendum non esse sine amore incenso , & inflammata charitate (sensu dicto) cùm tam excellentem in eo erga nos amorem Deus ostendat.

Secundum necessarium ad hoc ut homo dignus 458
sit Christiani nomine, ac per consequens ut dignus sit sacrâ Communione , est diligens studium sinceritasque conatus indesinenter procurandi istius divini amoris incrementum & profectum. Manifestè sequitur ex dictis num. 454. & 455. dum enim Augustinus & Thomas , verbis ibi relatis , aiunt Dei ex toto corde , ex tota anima , ex tota mente dilectionem nobis in hac vita præcipi in tota sua perfectione, altissimoque gradu , id eo sensu sic præcipi non volunt , quasi id quoad effectum in hac vita perfectè implere debeamus (nec enim possumus ;) sed sic ut ad id jugiter tendere debeamus , sicque conari semper in Dei dilectione crescere & proficere, & nunquam à profectu cessare. Quo certè sensu nihil extraordinarium Sancti exigunt , sed id solum , quod (cum Sanctis omnibus) spirituales omnes Magistri , sicut & Theologi passim omnes post Apostolum tradunt, quòd utique perfectionis studium nunquam intermittere liceat, nullusque Christianus , quamvis multùm profecerit , dicere possit, sufficit mihi ; sed (ut Apostolus docet) Christiani *quæ retrò sunt obliviscentes , ad ea quæ sunt priora extendere debeant semetipsos , ad destinatum persequentes , ad bravium supernæ vocationis Dei.* Philipp. 3. Nam, ut Augustinus ait apud Prosperum sent. 134. *qui dixerit sufficit , remansit , & hæsit in via ante finem , qui non perseverabit usque in finem.* Et isto sensu : *tota vita Christiani boni , desiderium est*, ait rursum Augustinus tr. 4. in epist. Joan. quatenus scilicet totâ vitâ suâ Christianus bonus desiderare , esurire & sitire debet majorem & majorem justitiam perfectionemque , sive majus majusque divinæ dilectionis incrementum. *Non enim ad saturitatem justitiæ , cùm hinc exierit , quisquam perveniet* (inquit lib. de perfect. just. c. 8.) *nisi ad eam , cùm hic est , esuriendo & sitiendo cucurrerit.* Confer celeberrimam sententiam sancti viri Joannis de Avila n. 487. subjiciendam.

Ista sunt irrefragabilia principia , super quibus 459
immobiliter fundatur necessitas dispositionum internarum, quas ad dignam Communionem Sancti requirunt , dum ad id postulant quòd sint charitate accensi & inflammati , id est accensi desiderio in charitate jugiter crescendi & proficiendi, diligenter studendo & conando orationibus, mortificationibus & aliis operibus bonis eam augere, & in ea proficere secundùm vires uniuscujusque, mensuramque donationis Christi, ad modum viatorum , ad patriam indesinenter pro viribus proficiscentium. Quisquis enim taliter est charitate accensus & inflammatus , verè certo sensu sanctus est , & perfectus , sine macula , irreprehensibilis , mortuus peccato , mundo , & sibi , soli vivens Deo, verè in ipso est amor Dei simplex ac purus, licèt nondum purissimus. Verè (inquam) dispo-

sitio-

sitiones illas & prærogativas obtinet, si non in gradu heroico & eminenti, saltem in gradu ad dignam Communionem, & ad evadendam primi maximique mandati transgressionem sufficienti; utpote cujus *transgressionem evadit, qui quocumque modo perfectionem divinæ dilectionis attingit* (inquit Angelicus Doctor 2. 2. q. 184. a. 3. ad 1.) modò in ea ipsâ dilectione jugiter conetur proficere. Quilibet enim tendere tenetur ad perfectionem charitatis, prout idem S. Doctor tradit ibidem q. 186. a. 2. ad 2. faciendo utique quidquid boni potest, secundùm quod requirit conditio sui status. Isto namque modo implere tenetur id quod omnibus dicitur Eccli. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*, prout idem sanctus Doctor addit ibidem.

460 Quòd autem verè dispositiones illas & prærogativas habeat, quisquis modo dicto charitate accensus est, & inflammatus, sic ostenditur. Est enim primò *sanctus*: utpote verus Christianus. Siquidem omnes veros Christianos sanctos vocat Apostolus Rom. 1. v. 7. 1. Cor. 1. v. 2. Ephes. 1. v. 1. Philipp. 1. v. 1. &c. Enimverò *si Christiani omnes, & fideles baptizati in illo Christum induerunt, & dicunt se sanctos non esse, Capiti faciunt injuriam, cujus membra facti sunt, & sancta esse debent, secundùm illud,* " sancti estote, quia ego " sanctus sum. " Verba sunt Augustini in Psal. 85.

461 Secundò est *perfectus*, saltem sincero sanctitatis ac perfectionis studio. Quo saltem sensu Christianos omnes esse debere perfectos Salvator docet Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Verum perfectio ista absque imperfectione non est in hac vita, atque, ut Augustinus dicit in l. 3. ad Bonifac. c. 7. homo justus in hac vita sic perfectus nominatur, *ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Ideoque Apostolus & imperfectum & perfectum se dicit. Imperfectum scilicet, cogitando quantum illi ad justitiam desit, cujus plenitudinem adhuc esurit & sitit. Perfectum autem, quòd & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & ut perveniat, benè procedit. Sicut possumus dicere perfectum esse viatorem, cujus benè promovetur accessio, quamvis non perficiatur accessio, nisi fuerit facta perventio.*

462 Tertiò est *irreprehensibilis & sine macula*, sensu quem ex Augustino exposuimus suprà n. 453.

463 Quartò est *mortuus peccato, mundo, sibi, soli que vivens Deo.* Aliàs verus non esset Christianus, ob ea quæ dixi n. 450. & 451. Quòdque talis esse debeat, qui Christum sumit, ratio est, quia Christum sumendo facere debet commemorationem sacrificii crucis ipsius; isti proinde sacrificio jungere debet suiipsius sacrificium, ut in una eademque oblatione totum corpus uniatur, dum unà cum Capite membra sacrificantur. Seipsum verò Deo sacrificando, homo sibi, peccato & mundo moritur. Quia, ut Augustinus dicit lib. 10. de Civit. c. 6. *cùm anima se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, summum concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, fit sacrificium.* Et *ipse homo, Dei nomini consecratus, & Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est.*

464 Quintò denique in ipso est *amor Dei purus & simplex*, ut D. Dionysius requirit, in quantum scilicet Dei amor in corde ipsius reliquis non misceatur affectibus, quibus veluti victis & inferioribus dominatur; sicut oleum aliis non miscetur liquoribus, quibus supernatat. Tametsi interim homo, non obstantibus omnibus illis prærogativis, nondum ex toto liber sit ab imperfectionibus suis, languoribus, & peccatis, quæ dum curare emendareque studet pœnitentiæ salutaris remedio, pro itsque quotidie in corde suo gemendo, deprecando, & securim ad radicem arboris (ne ultrà pullulet) non ad solos ramos apponendo, peccata illa & imperfectiones non obstant, ne phrasi divinæ Scripturæ & SS. Doctorum dicatur sanctus, perfectus, irreprehensibilis, sine macula, &c. Nam, ut S. Bernardus post Augustinum ait epist. 253. *indefessum proficiendi studium, & jugis conatus* ad perfectionem, *perfectio reputatur.*

Confer hactenus dicta cum dictis Sanctorum cap. 38. proferendis: quia per ea validè confirmantur.

CAPUT XXXVII.

Regulæ secundùm quas determinandum est Confessariis, quid expediat pœnitentibus circa frequentem, vel minùs frequentem S. Eucharistiæ perceptionem.

REgula I. *Per se loquendo semper in Ecclesia approbatus & commendatus fuit frequens quotidianusque usus S. Eucharistiæ.* Quem proinde secundùm se reprobare temerarium foret. Patet ex Decreto Innocentii XI. de 12. Februarii 1679. seu potiùs S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum per Innocentium XI. approbato, circa Communionem quotidianam, in quo dicitur, quòd *frequens quotidianusque sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus.* Magna verò temeritas foret reprobare quod Ecclesia testatur in Ecclesia semper probatum fuisse. Neque circa hoc ulla est, vel umquam fuit inter Catholicos controversia, sed circa qualitatem & quantitatem præparationis dumtaxat. Sunt autem valdè diversæ quæstiones istæ: *An Communio quotidiana sit secundùm se laudabilis & commendabilis? Et qualis & quanta ad quotidianam Communionem præparatio requiratur?* 465

Regula II. *Qualis & quanta ad frequentiorem Eucharistiæ usum præparatio necessaria sit, non potest pro omnibus unâ generali regulâ statui.* Quia, ut in eodem Decreto dicitur, *multiplices sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritûs alienationes; multæ econtrà gratiæ & Dei dona parvulis concessa. Quæ cùm humanis oculis scrutarè non possimus, nihil certè* generaliter de cujusque dignitate atque integritate, & *consequenter de frequentiori & quotidiano vitalis panis esu potest* generaliter *constitui.* Ibidem. 466

Regula III. *Frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum, secreta cordis explorantium, judicio est relinquendus:* qui non ex solo statu gratiæ, vel (non conscientiâ peccati mortalis) *sed ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiantibus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cùm B. Apostolus nolit eos invicem fraudare, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant, tantò magis ob sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cælestium epularum Communionem esse conveniendum.* Ibidem. 467

Regula IV. *In hoc Pastorum diligentia*, Confessariorumque prudentia *potissimùm invigilabit, non ut à frequenti & quotidiana sacræ Communionis sumptione, unicâ præcepti formulâ*, nullâ habitâ ratione magnæ virtutis, ferventisque devotionis & charitatis, quâ aliqui pœnitentes excellunt, *aliqui deterreantur. aut sumendi dies generaliter constituatur, sed magis quid singulis permittendum...* 468

sibi decernendum putet, illudque omninò provideat, ut nemo à sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, per se & absolutè loquendo *repellatur*, & *nihilominùs det operam, ut unusquisque dignè*, non pro solo gratiæ statu, *sed pro devotionis & præparationis modo, rariùs aut crebriùs Dominici corporis suavitatem degustet*. Ibidem. Unde patet 1°. præcipuum hujus Decreti scopum sic fuisse præparationis curam, ut pro mensura puritatis mentis, & incrementi devotionis, & fervoris spiritûs, & fructûs, quem personæ ipsæ ex usu Sacramenti experiuntur, major vel minor frequentia sit ipsis à Pastoribus & Confessariis determinanda.

469 Patet 2°. allato Ecclesiæ Decreto consonam non esse propositionem, quæ dicit, ad frequentem & quotidianam Communionem in quocumque sufficere, quòd careat conscientiâ peccati mortalis. Cùm Decretum id satis insinuet, dum vult à Confessariis attendi, non solùm immunitatem à peccato mortali, sed *conscientiarum puritatem, & frequentiæ fructum, & ad pietatem processum, devotionisque & præparationis modum*, usque adeò, ut addat, quòd ipsæmet *Moniales, quotidie sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent*; illasque solas censeri dignas quotidianâ Communione, quæ puritate mentis enitent, & fervore spiritûs valdè incalescunt: *Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritûs ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidianâ sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur*. Et ut magis ostendat scopum suum principalem esse præparationis curam, *præter Parochorum & Confessariorum diligentiam, operâ quoque Concionatorum* utendum hortatur, *ut cùm fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant*, generatimque *ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minùs paratos senserint, ab ea abstinere*, SEQUE AD MAJOREM PRÆPARATIONEM ACCINGERE. *Episcopi verò, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga sanctissimum Sacramentum... eam ipsi, adhibito prudentiæ & judicii temperamento, alere debebunt, & ab eorum officiis postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri & immaculati Agni perceptione tollatur*, VIRTUTESQUE AC DONA IN SUMENTIBUS AUGEANTUR. *Quod abundè continget, si ii qui... se sacratissimo pane frequentiùs reficì cupiunt... se probare cum timore & charitate assueverint*, &c. Hactenùs Decretum: ex quo

470 Patet 3°. Ecclesiæ sensui consonas non esse propositiones à n. 423. ad 433. recensitas, in eoque principio à suis Authoribus fundatas, quòd ad Communionem, etiam frequentem, solus gratiæ status sufficiat, nec alia devotio aut præparatio requiratur. Cujus oppositum constat ex dictis n. præcedenti.

471 Patet 4°. Missionariorum illorum zelum non esse prudentem & judicio temperatum, qui (ut noster Lumbierus refert observ. 14. ad propos. damnat. n. 480.) *curam omnem sui laboris, & quasi suæ gloriæ, & felicis exitûs punctum in eo ponunt, ut in oppidis Communionem quotidianam, & frequentiam Sacramentorum inducant... Putant enim magnum suarum concionum fructum, si in oppidis centum focorum, totidem Communiones quotidianas instituerint, ita ut inducant ad quotidiè communicandum vilis sortis & infimæ feminas, v.g. lotrices, licèt posteà totâ die, cum vicinis, ad flumen, ad fontem, ad furnum rixaturæ sint. Inducunt mechanicorum officiorum famulos, licèt totâ deinceps die tempus in jocis, otiositatibus, & cantilenis profanis insumpturi sint. Inducuntque alios, in ludo fortunarum, & temporis vitiosè prodigos. Et eo hæc omnia prætextu, & principio nixi, quòd ad quotidie communicandum sufficit, nec ultrà requiritur, quàm non habere conscientiam peccati mortalis*, nec proinde *obstent simpliciter cantiones illæ profanæ, nec illæ continuatæ rixæ*, utpote non mortales.

Patet 5°. majorem in sæpiùs, quàm in rariùs 472
communicante virtutem præparationemque requiri. Nam, ut sapienter idem Lumbierus n. 505. observat, *se insinuat in strictiorem familiaritatem* cum Rege Regum; ex eo proinde capite ad majorem tenetur gratitudinem, reverentiam, charitatem, devotionem. Et sicut necesse est Communionem ab aliarum rerum perceptione, ita & frequentem Communionem à rariori secernere. Undè S. Franciscus Salesius l. 2. epist. 38. ad primariam feminam scribit, non probari sibi, quòd filiam suam decimo-quinto quoque die ad sacram mensam accedere sinat, nisi non solùm ardenti sanctissimæ Communionis studio teneatur, sed & à levioribus illius ætatis vitiis diligenter se expurgare studeat: *Nolim* (inquit) *filiam tuam ad frequentem adeò Communionem adducas, nisi anteà quid sit Communio frequens, rectè perpendere noverit. Aliud est Communionem ab aliarum rerum perceptione: aliud frequentem Communionem à rariori Communione secernere. Si tenella illa anima satis perspicit ad hoc mysterium crebriùs adeundum magnâ mentis puritate, magnâque flagrantiâ opus esse, si ad eam enitatur, si eâ se ornare studeat, tum verò sæpiùs, hoc est decimo-quinto quoque die, ad illud admovendam assentior. Sin Communionis tantùm percipiendæ, non levium puerilis ætatis macularum eluendarum studio tenetur, consisteri eam octavo quoque die, & menstruâ tantùm Communione uti, commodiùs censeo. Sacra Communio, charissima filia, summo, ut mihi quidem videtur, ad perfectionem comparandam adjumento est. Sed eam à nobis ita adiri oportet, ut quidquid Deo, quem recipere volumus, displicet, evellendi atque amovendi studium acre ac diligens afferamus.* Et ab eodem Salesio, necnon ab Alphonso Rodriguez summo in pretio habitus Avila 1. p. epist. 64. cuidam animarum Directori scribens, *Noli* (inquit) *sinere eos ad Dei mensam accedere, quoties cupiunt. Multi enim animi levitate potiùs, quàm intimo pietatis ac venerationis sensu Eucharistiam adeunt. Unde accidit ut ex ea nihil fructûs capiant* (nota pro confirmatione dictorum cap. 33.) *nec meliores efficiantur. Quod quidem damnum animæ permagnum est, & quoad fieri potest summoperè vitandum. Fac ut mysterii hujus sublimitati profundâ ac religiosâ animi dejectione se substernant. Quòd si quem secùs se habere perspexeris, argue illum, cœlestemque panem ei subtrahe, quoad illum vehementer concupiscat, seque eo indignum fateatur.*

CAPUT XXXVIII.

Monita Sanctorum, illustriumque Doctorum, circa Communionem, ejusque frequentiam.

PRæter Dionysium cap. 36. relatum Justinus 473
Martyr Apolog. 2. monet, illos solùm fideles Eucharistiæ fieri debere participes, qui *consentaneam Christi præceptionibus vitam agunt.*

Basilius l. 1. de Bapt. *Peccato, mundo ac sibi mor-* 474

tuum esse oportet, viventem autem Deo in Christo Jesu Domino nostro, qui Eucharistiam mereatur accipere.

475 Chrysostomus (præter dicta n. 447.) hom. 47. in epist. ad Hebr. monet illos solos ad cælestem mensam idoneos esse, qui *cum munda conscientia, cum mundo corde, cum vita quæ nulli affinis est reprehensioni accedunt Qui sunt hujusmodi, semper accedant; qui non sunt ejusmodi, nec semel quidem.* Et ibidem homil. 7. illud solemniter inter Missarum solemnia à Diacono declamari solitum *sancta sanctis* explanans, *vox illa* (inquit) *in nostras aures incurrens, alios quidem repellit & ejicit; alios autem introducit & sistit Nam quando dicit:* sancta sanctis, *hoc dicit: si quis non est sanctus, non accedat: Non solùm*, inquit, à peccatis *purus*, non solùm conscientiam non habens mortalis peccati, *sed etiam sanctus.* Sanctum *enim non facit solum liberatio à peccatis, sed etiam præsentia Spiritûs, & bonorum operum abundantia.*

476 Ambrosius lib. 5. de Sacram. c. 3. *Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Et serm. Dom. 4. Advent. *Mutet vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur, magis occiditur, quàm vivificetur.*

477 Augustinus tr. 26 in Joan. *Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi. De spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. O Sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur... Non sit putre membrum, quod resecari mereatur. Non sit distortum, de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum. Hæreat corpori, vivat Deo de Deo, nunc laboret in terra, ut posteà regnet in cælo... Christi Sacramenta aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est, de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

478 Gennadius de Eccles. dogmat. c. 53. *Quotidie Eucharistiam accipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi fuerit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari.... Hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant.*

479 Bernardus serm. de B. Magdalena requirit interstitii morositatem inter sacrificium cordis contribulati, & sacrificium laudis per participationem Eucharistiæ, ad id applicans explicationem duplicis unguenti, quo Maria unxit pedes Jesu. Neque enim statim atque pedes unxit unguento cordis contribulati, statim aliud unguentum sacrificii laudis effudit super caput recumbentis: *Interstitii* (inquit) *morositas inter pedes debet esse & caput.* Quia profectò difficillimus, & *præsumptuosus saltus est à vestigiis ad verticem Domini transvolare. Neque enim eadem quæ unxit pedes*, statim *unxit & caput: cùm illa meretrix nihil horum fecisse legatur. Secundùm illud: verte impios, & non erunt. Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profectò jam electa, jam familiaris effecta, longèque à peccatricis illius obvoluta vestigiis, quam infelix ille septenarius confundebat.*

480 S. Thomas 3 p. q. 80. a. 10. *In sumente hoc Sacramentum requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Unde quia multoties in pluribus hominibus multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ; non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Quòd autem sine magna devotione & reverentia nemo debeat ad hoc Sacramentum accedere, ipsa tremenda Majestas Domini in hoc Sacramento se tam amorosè & dignanter communicantis ostendit. Si enim Exodi 3. Moyses prohibitus est accedere ad Dominum, sub figura rubi ardentis apparentem, nisi cum reverentia magna, solutisque calceamentis affectionum terrenarum: *Ne appropies huc, solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est:* multò magis Christianus prohibetur accedere ad Dominum, in veritate se communicantem, sine magna reverentia & abjectione affectionum terrenarum, &c. maximè cùm Apostolorum affectus adhærens vel ipsi humanitati Christi fuerit ipsis obex receptionis Spiritûs sancti, juxta illud Joan. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Apostoli* (ait Bernardus serm. 3. de Ascens.) *adhuc carni Dominicæ inhærentes.... Spiritu sancto repleri nequiverunt.*

S. Bonaventura de profectu Religios. c. 77. *Si* 481 *aliquis desiderat experiri, utrùm sit melius, sæpiùs aut variùs corporis Christi suscipere Sacramentum: videtur mihi, quòd non possit super hoc omnibus dari regula uniformis. Varia sunt hominum merita, & diversa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritûs sancti operationes in singulis, & diversi etiam status in Religione. Et ideò sicut ægrotantibus non potest una forma servari in dandis medicinis corporis, propter diversitatem complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, aut aliarum considerationum, pro quibus aut variùs, aut sæpiùs, aut majori, aut minori quantitate eadem medicina datur. Ita & de medicina spirituali, quæ est corpus Christi, est intelligendum. Mundanis enim curis occupati variùs possunt se ad illud recipiendum expedire, quàm illi qui tantùm spiritualibus studiis sunt intenti: & alii magis, alii minùs sunt circumspecti in custodia vitæ suæ, & morum, & conscientiæ suæ puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem. Alii verò quodammodò terrentur, cùm debent accedere: & nisi conscientia urgeret, & consuetudo Religionis induceret, vel timor majoris elongationis à Deo impelleret, valdè rarò accederent ad illud mirificum Sacramentum. Vix tamen aliquis sta religiosus esse videtur & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare. Nisi specialis causa quandoque vel ratio plus suadeat, infirmitas supervenies, vel singulariter festivitas solemnis, vel inusitatæ devotionis fervor, & intemperata desiderii sitis sit pro illius susceptione, quo solùm sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus nonnisi à Spiritu sancto, ut creditur, infunditur; ideò legibus humanæ consuetudinis, & statutis mortalium non arctatur.*

Et infrà: *Circa Sacerdotes potest hæc forma teneri, ut nec nimis rarò, nec nimis continuè celebrare, vel impræmissis sacram hostiam studeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam; cùm vix aliquis tam devotus sit, qui semper eâdem devotione ferveat, quòd semper cum debita reverentia illud faciat, & cordis ardore, quin aliquando reperiat quantulumcumque, quod cum impediat. Nimis etiam rarò celebrare, quamvis ex reverentia soleat fieri & humilitate; tamen quandoque torporem nutrit, quia minùs circumspectus est homo in omnibus, quasi non indigere videatur sui custodiâ, cùm non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est usquequaque secura, quòd diù se subtrahat. Quia sicut non est dignus sæpè corpus Christi percipere, sic nec semel. Ideò eum non recipimus, quasi qui digni simus; sed ut illo nos sæpè visitante, & habitaculum cordis & corporis nostri subintrante, magis ac magis digni efficiamur.*

482 Et in 4. dist. 12. p. 2. a. 1. q. 2. *Si quæritur, utrùm expediat alicui frequentare Communionem? dicendum, quòd si se videat esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare. Si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, & tardum, laudandum est quod rarò. Si autem in medio statu, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat reverari: aliquando accedere, ut inflammetur amore. Quia tali hospiti debetur honor, debetur & amor. Et tunc secundùm illam partem, quâ viderit se magis proficere, ad illam magis declinet, quod homo solùm experientiâ discit. Omnes ergo rationes* (pro frequenti vel quotidiana Communione adduci solitæ) *intelliguntur salvâ debitâ præparatione, quæ est in panciſſimis ut semper.*

483 S. Bernardinus Senensis de præparat Sacram. to. 4 *Talis quæstio* (ait ex Alexandro de Ales) *de frequentatione Sacramenti, sive Communionis, determinanda est, habitâ consideratione ad fidem & devotionem accedentis.* Quæ quia in paucis sufficiens est ad frequentiorem Communionem, S. Thomas Villanovanus serm. de SS. Sacram. statuit sufficere octiduanam. Quam etiam S. Ignatius, Societatis Fundator, Clericis non Sacerdotibus sufficere statuit, ut videre est in Constitutionibus Societatis, in quarum p. 4. c. 4. §. 3. litt. B additur, quòd *frequentiùs quàm octavo quoque die communicare, nonnisi peculiares ob causas, & potiùs necessitatis, quàm devotionis habitâ ratione permittatur.* Sancta quoque Theresia suarum Constit. p. 1. c. 37. §. 4. Sororibus Communionem solùm permittit singulis Dominicis ac Festis Christi, B. Virginis, S. Alberti, S. Joseph, & Patroni.

484 S. Franciscus Salesius introd. p. 2. c. 20. *Quotidie Eucharistiam percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis communicandum suadeo,* non quibuscumque, sed dispositis ut sequitur: *si tamen mens sine affectu peccandi fuerit. Utor ipsis B. Augustini verbis* (seu potiùs Gennadii de Eccles. dogm.) *quem sequens, quotidianam Communionem omninò nec laudo, nec vitupero. At eorum* (Philothea) *Augustinum* (sub cujus nomine illa sententia solebat circumferri) *vehementer suadere, atque hortari, ut die quoquo Dominico Eucharistia percipiatur. Hoc ergo, quoad poteris, facito.* Sed quâ lege & conditione? sequitur: *Cùm enim te ab omni tum mortali, tum venialis peccati studio ac voluntate alienam existimem, eam planè, quam requirit Augustinus* (audis?) *animi affectionem & præparationem es adepta.* Et in fine capitis: *Ut quis octavo quoque die Eucharistiæ perceptionem percipiat, ab omni cum mortalis peccati labe, ab omni peccatorum venialium studio ac voluntate immunem esse, ac præterea sacræ Eucharistiæ vehementi desiderio flagrare oportet.* Alia ex eodem Salesio habes suprà n. 472. ex epist. 38. lib. 2. ubi Communionem singulis quindenis nimis frequentem censet pro iis qui flagrans desiderium solùm habent ad Communionem, non ad imperfectionum suarum mortificationem. Et epist. 39. docet peccata venialia justam Confessario causam esse posse minuendi frequentiam Communionum. Scribens namque ad nobilem spectatæ virtutis feminam: *Quòd Confessario* (inquit) *morem gessisti, rectè ac prudenter à te factum est, sive tibi crebrioris Communionis solatium erripuerit, ut tui periculum faceret, sive quòd impatientiæ frangendæ sanandæque non satis studeres. Imò verò utramque ob causam id ab illo factum, tibique ea in pœnitentia quoad jusserit, perstandum esse existimo. Nihil enim ab eo nisi perspectè & sapienter fieri statuere debes. Quòd si modestè, ac demissè obedieris, uberior tibi & fructuosior vel una Communio fuerit, quàm duæ, tresve, aliâ mente susceptæ. Numquam enim salubrior cibus est, quàm cùm ab excitato & esuriente percipitur. Intervallo autem esuries atque appetentia crescet, comprimendæ verò impatientiæ exercitatione stomachi spiritualis vis ac firmitas redintegrabitur.*

Avila 1. p. epist. 64. post verba n. 472. relata 485
subjungit: *Vulgus fidelium ter quaterve per annum. Alios novies aut decies. Religiosos decimo-quinto die Communionem percipere satis fuerit. Conjuges tertiâ quâque hebdomadâ, vel singulis mensibus idem præstare commodè poterunt. In quibus autem eximium quemdam Dei zelum atque amorem sic fervere perspexeris, ut eorum in vitæ sanctitate incrementum atque progressus quasi ad oculum pateat, iis octavo quoque die sacrâ Communione vesci licebit. Hæc enim B. Augustini* (Gennadii) *sententia est: Communio crebriùs indulgenda minimè est, nisi fortè aliud videatur suadere, aut fames ardentior, aut reverentia insignior, aut necessitas manifestior. Quæ quidem animadvertenda in nonnullis, & prudenter gubernanda sunt. Rarum autem eorum genus existimo, quibus sæpiùs quàm octavo quoque die Communionem adire conveniat. Hinc D. Bonaventura testatur, ex omnibus quos notos habuerit, eus frequentior expediret Communio, se prorsus reperisse neminem. B. Franciscus Paduanus initio ter quaterve per annum ad Confessionem & Communionem accedebat. Postmodum in vitæ integritate ac sanctitate proficiens, idem singulis diebus Dominicis factitabat. Qui verò cœlesti illo pabulo dignatus fuerit, in tanti beneficii memoriam, opere atque officio aliquo Christi liberalitatem remunerari debet, vel aliquâ animi labe quotidie detersâ, vel aliâ operâ quapiam, quæ cuique Communioni quasi vicem rependere videatur.*

Et epist. 65. *Multùm errant, qui solam Commu-* 486
nionis cupiditatem, à consuetudine potiùs quàm à ratione veriore natam, pro idonea ad Eucharistiam præparatione habent. Quòd si præterea, dum Christi corpus accipiunt, lachrymulam exstillent, magnoperè se profecisse arbitrantur. Verùm eo falluntur, quòd Communionis fructum, quem nullum capiunt, non satis attendunt, neque intelligunt, unicum probæ Communionis signum, animæ profectum esse, atque ad pietatem progressi nemo, quam si assequantur, rectè ad Eucharistiam sæpiùs recurrunt: sin minùs, ab ea debent abscedere. Commonefaciendi sunt, quanti periculi sit, ignem divinum sinu colligentem non incalescere, pane cœlesti vescentem ejus suavitate non imbui, præsentissimâ medicinâ utentem in summa nihilominùs ægritudine jacere. Eripiendus illis cibus, tamquam inertibus, & ignavis, ut tanti boni penuriâ miseros se agnoscentes pluris illud faciant, sibique laboris aliquid & sudoris subeundum intelligant, quo ad sacras epulas sanctiùs se præparent; culpas, in quas identidem incurrunt, acriùs ulciscantur, earum medicinam ardentiùs appetant, orationi ac bonis operibus toto pectore instent, ut ita instructi ac præculti, cum interiori esurie ad cœlestem panem edendum properent: hic enim cibus, ut ait Augustinus, interioris hominis famem postulat.

Et epist. 66. *Frequentem esse istic Communionis* 487
usum accepi, atque alicubi frequentiorem quàm velim; etsi nihil me magis delectet, ubi rectè atque ordine fit. Nactus sum, qui, cùm ignavi essent & desidiosi, neque de salutis progressu admodum solliciti, eo tamen tenerentur errore, ut probè se Communione defungi arbitrarentur, si idipsum sæpiùs facerent, atque interea aliquo pietatis sapore caperentur, qui brevis & fluxus nihil veri fructûs & incrementi virtutis afferret. Nam & ille ipse tenuiculus pietatis sapor paulatim evanescit, eòque res redit, ut nihilo amplius ex sacra Eucharistia assequantur, quàm si illam omninò non attigissent. Hoc verò detrimentum frequentior quam par est tanti mysterii usus importat: cùm scilicet vita cæle-

si cibo minùs est digna. Itaque monitum te velim, ne cuivis promiscuè sacratissimi panis edendi potestatem faciat; sed si illum sapienter largiri velis, uniuscujusque animum diligenter explores. Nolim ulli sapiùs quàm octavo quoque die porrigi, quemadmodum suadet Augustinus, nisi fortè quis tanto alimento præter alios egeat, aut tantâ illius appetentiâ & fame teneatur, ut tantæ cupiditati res tantoperè concupita vix sine injuria denegari posse videatur. Reliqui decimo-quinto quoque die, vel mense, cibo illo pascendi, monendique, ut si hoc convivio delectantur, aliquo pretio ac symbolo sibi redimendum meminerint, adducendi ad corrigendæ vitæ studium; accuratiùs denique docendi, si languori & desidiæ se dedant, minimè committendum, ut panem attrectent, iis solis divinitùs comparatum, qui in cupiditatibus expugnandis, domandoque animo, acriter & studiosè laborent. Ad utrumque enim panem referendum illud Apostoli: qui non vult operari, non manducet, ne scilicet gratis panem comedat. Cuinam verò, sine labore, ac dimicatione, pane hoc sanctissimo animam pascere concessum est?

488 Cardinalis Gajetanus 3. p. q. 80. a. 10. *Circa quotidianam celebrationem nota Augustini* (dicere debuit Ambrosii) *verbum: sic vive, ut quotidie mereari accipere. Quoniam per sic vivere, intelligendum est, spiritualem vitam sic vivere, ut quotidianâ Communione semper augeatur. Alioquin non sic vivitur, ut quotidie mereamur accipere. Nam qui quotidie meretur accipere, debet quotidie sic esse dispositus, ut fructum Eucharistiæ* (tam frequentis) *percipiat. Fructus autem spiritualis hujus cibi non est solùm actualis refectio; sed augmentum gratiæ. Quoniam per totum tempus præsentis vitæ sumus in statu augmenti. Propter quod crebrò vel quotidie celebrantes discutiant in seipsis fructum præteritæ celebrationis, & secundùm profectum vel defectum, prosequantur, vel à prosecutione desistant. Qui verò multis celebrationibus peractis ad actus virtutum non meliùs se habet quàm antè, parum aut nihil proficit.*

489 Ludovicus Granatensis conc. 2. in festo corp. Christi: postquam fideles ad frequentiorem hujus Sacramenti usum cum magna animi puritate & aviditate practicandum adhortatus est: *Cùm enim* (inquit) *ex Catholicæ fidei doctrina certò sciamus, innumeros esse hujus divini Sacramenti effectus, atque virtutes, quibus animarum salus constituitur: nihil esse constat, quod magis ad hanc salutem retinendam & conservandam expediat, quàm ad illud puro & religioso corde frequenter accedere. Verè enim ut corpora cibo, ita mentes nostræ hâc cælesti alimoniâ vivunt; nec modò vivunt, sed omnibus etiam virtutum & gratiarum opibus in dies augentur & cumulantur.* Addit tamen: *Fratres, nemo credat, me ita ad frequentiorem hujus Sacramenti sumptionem hortari, ut non etiam illos perterrefaciendos putem, qui ad illud minùs piè & religiosè accedunt, sive illi Sacerdotes sint, sive non sint. Video enim esse nonnullos, qui partim ex præscripta legum suarum necessitate, partim ex sola consuetudine... ad illud frequenter accedunt. Ut quidam ergo excitandi sunt, ne immodico timore correpti ab hac sacra mensa recedant; ita alii perterrefaciendi, ne indignè accedant.*

Et conc. 1. *Non ita fideles ad frequentiorem hujus Sacramenti usum adhortamur, ut non etiam illos officii sui admoneamus, hoc est quâ cordis & corporis puritate ad illud accedere debeant. Meminisse enim oportet scriptum esse:* " domum tuam decet sanctitudo. " *Et:* " justitia & judicium præparatio sedis tuæ. " *His itaque justitiæ opibus domus ac sedes Dei ornanda est, & omnes ab ea vitiorum sordes eluendæ, quo dignum illi habitaculum præbeat.*

Et conc. 4. *Quotidianam hujus Sacramenti perceptionem.... cum D. Augustino nec laudare (quia non rectè fieri potest) nec vituperare (quia etiam rectè fieri potest) debemus.... Hujus namque rei definitio prudentis Sacerdotis judicio relinquenda est. Is enim quid cuique pro ratione status, & conditionis, & virtutis suæ profectu expediat, discere prudenter debet. Aliis enim rariùs, aliis frequentiùs sacra Communio concedenda est. Neque enim quia tantam sui conveniendi atque sumendi copiam Dominus fidelibus concessit, ideò minùs reverenter ad illum accedere debent: quandoquidem ipse Dominus, qui in lege olim tantam à filiis Israël Sanctuario, atque Arcæ reverentiam exhiberi præcipiebat, nos in illis monebat, nos erudiebat, ut intelligeremus quâ animi summissione atque devotione ad illud accedere..... deberemus, qui tantam soli umbræ atque figuræ reverentiam tribui volebat.*

CAPUT XXXIX.

Allatis Sanctorum monitis omninò consentanea sunt Regulæ viginti novem, circa S. Communionem traditæ ab Illustrissimo, pariterque sapientissimo D. Guidone de Seve, Episcopo Atrebatensi, in suo Decreto de die 5. Augusti 1695.

CUm quidam Concionator anno 1694. & 1695. 490 laxiùs quàm par est de frequenti Communione in Diœcesi Atrebatensi concionatus fuisset, nec ad palinodiam induci potuisset, Episcopus ille pastorali zelo vigilantiâque celebratissimus, propositiones ipsius nimis laxas periculosasque judicans, ne fidelibus forent in scandalum, sequentes illis opposuit regulas, quibus se conformarent Concionatores Confessariique istius Diœceseos. Eas utpote sapientissimas utilissimasque visum est hîc inserere, in confirmationem eorum, quæ diximus cap. 36. & 37.

REGULA I.

Nimis exhortari non possumus Christianos, ut frequenter ad Communionem accedant; modò unà eos exhortemur, ut non accedant nisi cum dispositionibus sanctis, quas ab iis postulat Ecclesia, quæque leguntur in SS. Patribus, & tam accuratè notantur à S. Francisco Salesio.

II.

Ut liceat communicare frequenter, haud sufficit non esse in statu peccati mortalis, & Confessionem bonam fecisse: alioquin aliis dispositionibus opus non foret ad communicandum frequenter, quàm ad communicandum rarò.

III.

Sunt Christiani, qui è vitiis emergunt, & virtutem exercere incipiunt. Sunt alii, qui proviciores sunt. Sunt & perfecti. Juxta diversos hos status, aut rarior, aut frequentior debet esse Communio.

IV.

Eucharistia pani comparatur. Qui in ardore febris sunt, panem non manducant. Qui à morbo convalescunt, sumunt modicum. Qui valetudine sunt integrâ, ut cibo ordinario eo utuntur.

V.

S. Francisci Salesii sententia est, ad communi- 491 candum octavo quoquo die, requiri ut quis neque peccatum habeat mortale, neque affectum ad ullum veniale; atque insuper ut magnum habeat communicandi desiderium. Et ista praxis esse debet sapientum Directorum, probè intelligentium ministerium suum.

VI.

Bonus Director frequentem Communionem 492 permittere non debet iis personis, quæ meliorem

diei partem transfigere solent in se ornando, visitando, ambulando, se recreando, verbo quarum vita sæcularis est, & mundana tota, quarum etiam devotio tota consistit in exterioribus (quæ sibi præscripserunt) exercitiis ex consuetudine obeundis, vel obsidendis assiduè Directoribus, quos colloquiis suis inutilibus fatigant, & à melioribus avocant.

VII.

Nihilo magis eam permittere debet addictis lusui, luxui, vaniloquio, qui non modicam vitæ partem in otio consumentes, pro suaque facultate eleëmosynas non erogantes, tam vacui sunt spiritu Dei, quàm pleni spiritu mundi, tametsi eos (quod satis difficile est) non judicaret esse in statu peccati mortalis.

VIII.

Est quoddam Christianorum genus, qui comparati aliis, in eminentiori perfectionis & sanctitatis gradu constitutis, vocari possunt imperfecti. Virtutem amore, vitium odio prosequuntur, ad perfectionem aspirant, mortalia peccata perhorrescunt, opera bona multa faciunt; sed labuntur frequenter in venialia, etiam crassiuscula, non ex affectu illis inhærente, sed ex consuetudine quam contraxerunt, vel ex violenta quadam naturalique ad ea propensione, contra quam non satis fortiter decertant, & cui proinde non rarò succumbunt. Tales consilio indigent boni Directoris, circa Communionis usum magis minùsvè frequentem. Ipsis Communio magni plerùmque est adminiculi, nonnunquam etiam magnæ necessitatis.

IX.

493 Christianum est, indignum se credere Communione. Sed, absque aliis dispositionibus, nemo propterea Communione dignus. Alioquin ii qui olim posteaquam sese juxta Apostoli præceptum probaverant, justo judicio contra se prolato, ab ea se separabant, pœnitentiam peccatis suis promeritam amplexi, ex hoc evasissent digni. Ipsos proinde Ecclesia per tot annos (prout aliquando fiebat) ab ea segregare non debuisset. Sapientis ergo prudentisque Confessarii est discernere, num illud judicium, quo seipsos Communione indignos arbitrantur, ex reverentiæ & humilitatis sensu proveniat, an ex malo conscientiæ suæ statu.

X.

494 Christiani, qui primis Ecclesiæ sæculis in gravia labebantur peccata, aliquando annis decem, aliquando viginti à Communione removebantur. Tametsi usum istum Ecclesia modò non habeat, nec Confessarios ad eum servandum adstringat; non ideò spiritui ipsius adversum est, quòd aliquando per quadragesimam, aut etiam ampliùs, nonnulli Confessarii ipsos à Communione separent, dum ad eam satis non videntur dispositi, quique olim ad septem, decem, quindecim & viginti annos ab ea, pro iisdem (quorum rei sunt) criminibus, fuissent abstenti.

XI.

495 Intellectu difficile est, quòd continuus Communionum relapsuumque in mortale circuitus, absque sacrilega Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ profanatione fieri possit. Jubebunturne, qui ejusmodi sunt, frequenter communicare? Potestne salubrius illis consilium dari, quàm ut ad tempus à Communione sese abstineant, quo ad eam dignius, quàm antè, recipiendam se disponant, salutique suæ atque conscientiæ melius consulant?

XII.

496 Eximium adversus tentationes antidotum est Eucharistiæ Sacramentum. Panis fortium dicitur, quia fortitudinem ad eas repellendas & superandas confert. In frequenter tamen accedentibus, fortitudinem aliquam esse supponit. Ad illud ergo, qui tentationes viriliter oppugnant, ab eo vires recepturi frequenter accedant; sed qui funestâ consuetudine iis solent infeliciter succumbere, probent seipsos antequam veniant; illi præsertim qui impudicitiæ succumbunt. Istud quippe vitium præ cæteris huic Sacramento oppositum est.

XIII.

Non ergo tales sapiens Director ad frequentem 497
Communionem invitabit, sed eos qui viriliter stant, dæmonique, ne in cor intret, animosè obsistunt. Istis necessarius est panis cælestis, ut roborentur. Aliis necesse est priùs ad pœnitentiæ remedium confugere, quàm panem illum sumere. Quia priùs curandi sunt, quàm alendi. Sua itaque peccata amarè fleant, priusquàm gustent donum cæleste; sordesque suas tempore notabili eluant, antequam Sponsum amplectantur.

XIV.

Scripturam sacram allegare, ad fulciendam 498
praxim, ei quam proximè descripsimus adversam, Scripturâ sacrâ abuti est. Patribus autem, & Sanctis qui post ipsos hac super scripserunt, imponunt, qui eos istius praxeos approbatores faciunt.

XV.

Nec bonus Director dicendus est, qui Com- 499
munionem frequentem injungit; nec malus, qui rariorem. Sed hac in re, ut & in quavis alia, bonum malumvè Directorem facit praxis Ecclesiæ legibus conformis, vel difformis.

XVI.

Hac ratione non boni, sed mali Directores sunt, qui eos quos dirigunt à frequenti Communione, absque causa, removent; & qui eos imprudenter ab ea separatos volunt, absque discussione dispositionum, & profectûs eorum in virtute. Mali quoque Directores, qui Communionem omnibus absque discrimine permittunt, seriò non attentâ ipsorum dispositione, nec vitæ sanctitate, nec bono malovè usu quem inde facturi sunt.

XVII.

Eâdem ratione pro sapientibus & prudentibus 500
Directoribus habendi sunt, qui juxta Ecclesiæ regulas, Patrumque & Sanctorum oracula, certi de frequentis Communionis fructu atque utilitate, & sancto usu, deque ardenti desiderio, quo D. N. Jesus Christus se nobis in hoc Sacramento unire desiderat, nihil prætermittunt, quo fideles, suæ directioni commissos, frequenti Communione dignos efficiant; dumque gratiæ divinæ auxilio eas sanctitatis ac virtutis dispositiones acquisierint, quæ ad fructuosam Communionis frequentiam necessariæ sunt, frequentem Communionem non solùm ipsis permittunt, sed etiam suadent, ad eamque fortiter hortantur.

XVIII.

Nec minùs eo nomine censendi sunt, qui indignos ab ea removent, & in ordine ad permittendam, consulendamvè Communionem magis vel minùs frequentem, attendunt ad majorem vel minorem virtutem eorum quos dirigunt, suamque ei praxim conformant.

XIX.

Expediret, quòd peccatores, mortalium con- 501
suetudine, vel frequenti relapsu, vel occasionibus implicati, dum bonam Communionem Paschalem facere desiderant, ab ipso Quadragesimæ initio ad Pœnitentiæ Sacramentum accederent, acceptari à prudenti Confessario salutaria, congruaque consilia ad emendationem vitæ, ad profectum in virtute, comparationemque dispositionum ad bonam sanctamque Communionem requisitarum.

XX.

Primævorum Christianorum quotidiana erat 502
Communio; quia longè major sanctitas quàm nostra. Siquos hoc sæculo sanctitate illis pares Director judicet, idem ipsis beneficium indulgeat.

Ab

Ast quia hoc rarum, ideò facilè non præsumendum. Moniales sanctissimæ, & maximè reformatæ, absque speciali licentia, nonnisi bis, servè ad summum in hebdomada communicant. Et magnus ille Sanctus, Bonaventura, in animarum directione, viisque Domini tam excellenter versatus, raros existimabat esse Laïcos tam sanctos, quibus id liceret.

XXI.

503 Est gemitu dignum, esse Christianos tam paucos, qui ad frequentem Communionem dispositi sint. Nec minùs deplorandum, quòd homines imperfectissimi ad sacram mensam frequentissimè accedant. Malè faciunt priores, quòd ad eam se per vitam sanctiorem non disponant; laudandi tamen, quòd, dum ejusmodi sunt, nonnisi rarò ad eam accedant. Posteriores nullâ ratione excusabiles sunt.

XXII.

Sunt qui octavo quoquo die communicant, qui nec quater in anno communicare digni sunt. An non bonum foret illis consilium, ut rariùs communicarent, donec meliùs dispositi forent?

XXIII.

504 Jure metuendum, ne dæmon à frequentioris Communionis usu deterreat animas quasdam ad eam optimè dispositas, sed nimium timidas. An minùs metuendum, ne ad eam plurimas inducat pessimè dispositas?

XXIV.

505 Non omnes, quovis in statu, communicare debent frequenter; sed omnes satagere, ut in eo se statu, & tam sanctâ dispositione constituant, quâ id liceat. Itaque qui non communicant, nisi quater in anno, satagant sic vivere, ut octiduis singulis: qui octiduis singulis, ad primorum Christianorum sanctitatem assurgant, ut, quemadmodùm illi, ad sacram mensam quotidie accedant.

XXV.

Major Jesu Christo honor nunquam defertur, quàm frequenter communicando, modò adsit sanctitas ad id ab ipso & ab Ecclesia requisita. Isto dumtaxat sensu propositio illa est vera, omni alio falsa.

XXVI.

506 Charitas, sanctitatis origo, regula est Communionum. Vitane tua sanctior est, purior, magis interna, magis à sæculo aliena, quàm antè fuit? Ad sacram mensam frequentiùs accede. At si vita tua magis laxa sit, & dissipata, seriâ & attentâ mente perpende; an non consultò rariùs, quàm frequentiùs accederes, ut te meliùs disponeres. Noli ergo fallere teipsum, sed ut securius de te, tuoque statu feras judicium, sapientis Directoris exquire consilium.

XXVII.

At ubi Directorem illum sapientem invenies? Rarum illum tempore tuo dicebat S. Franciscus Salesius, & adeò rarum, ut unus ex decem millibus eligendus foret. Minùsne rarus nostro hoc tempore? Inveniuntur tamen, nec difficulter cognoscuntur, dummodò de illis juxta Evangelicas Apostolicasque Regulas discretionis judicium feratur.

XXVIII.

507 Amor (inquit sanctus hujusce sæculi Episcopus) rarioris frequentiorisvè Communionis mensura est. Major vel minor charitas illius usum abstinentiamque plus vel minùs utilem facit. Laudandus Zachæus, laudandus Matthæus, qui Dominum in domos suas confidenter suscipiunt. Laudandus Centurio, laudandus S. Petrus, qui eum humiliter deprecantur, ut à se recedat.

XXIX.

Non minoris æstimat Augustinus eos, qui ex reverentia & humilitate aliquando abstinent à Communione, quàm qui ex sanctæ devotionis, seu fiduciæ & amoris affectu ad eam accedunt. Utraque hæc sententia optima est, utraque sanctissima. Si tamen fas esset decidere, quod sibi decidendum Sanctus ille non censuit; posterior priori præferenda videretur.

Istæ sunt Regulæ laudatissimi illius totoque Orbe celeberrimi Episcopi, Sanctorum monitis & instructionibus capite præcedenti exhibitis planè conformes, nec divinissimi hujus Sacramenti dignitati, fructuosæque receptioni parum consulentes. Facilè (eas legendo) colligere est, fideles per eas non deterreri à frequenti Communione, sed moneri de procuranda ad eam dispositione, quam Ecclesia, quam etiam tam divini Sacramenti sanctitas, à Christianis postulat. Utinam ad eam omnes taliter dispositi essent. Sed, ut idem Episcopus piè deplorat, unum è gravissimis Ecclesiæ malis est exiguus ardor, quo Christianorum pars magna ad Sacramenta accedit. O quàm longè distamus à felicibus illis sæculis, in quibus primorum Christianorum sanctitas ipsos Communione quotidianâ dignos reddebat! Hoc potenti subsidio superabant ipsi, nosque cum ipsis facilè superaremus tentationes vehementissimas, & vanas sæculi delicias. Et quare superabant? Quia ad sacram mensam accedebant fide vivâ & generosâ, semper prompti Deo vitam suam, suaque omnia in sacrificium immolare. Aversi omninò à mundo, spem omnem suam collocabant in Deo, totique à mundo alieni, pro vitæ & morum suorum regula solum habebant Evangelium, centies mori parati, potiùs quàm fœdari moribus hominum mundanorum. Sic ergo in charitate radicati, & fundati ad divinum hoc convivium accedebant flagrantes amore Dei, ab eoque recedebant ut leones flammam spirantes, dæmonibus terribiles effecti, & quibusdam velut aureis armis adversus fidei, spei & charitatis suæ hostes septi undequaque, ac communiti, tantique mysterii virtute terram in cælum convertentes, velut Aquilæ sursum indefinenter evolabant, nullumque cum terra commercium habebant, sed animo sublimi in cælis semper conversantes, Solem justitiæ acutis ac perspicacibus mentis oculis semper intuebantur. Ad illas tam sanctas dispositiones annitamur & nos, ut eorumdem fructuum mereamur esse participes.

CAPUT XL.

Ad judicandum, num pœnitens habeat dispositiones à Patribus requisitas, præsertim amorem, de quo capite 38. vel etiam gratiam sanctificantem, attendendum non quid dicat, sed quid faciat; nec tam habenda est ratio sterilium cogitationum, resolutionum, desideriorum, vel momentanearum affectionum ipsius, quam ad opera, mores & vitam.

HAnc regulam Veritas docet. Est proinde veritas immobilis, sicut Matth. 24. dicit: *Cælum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt.* Hanc (inquam) regulam Veritas docet 1°. dum Matth. 7. dicit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Luc. 6. *Unaquæque arbor*, etiam rationalis, *de fructu suo cognoscitur.* Non itaque de foliis verborum, sed de fructibus operum, ut sancti Patres interpretantur. 509

2°. dum Matth. 7. rursum ait: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Omnis arbor bona, bonos fructus facit. Omnis* proinde *arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Et iterùm: *Non omnis qui di-* 510

cit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.

511 3°. dum ait Joan. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me... Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

512 4°. dum per dilectum Discipulum suum 1. Joan. 1. dicit: *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus*, id est facimus opera tenebrarum, *mentimur, & veritatem non facimus.* Et c. 2. *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas perfecta est. Et in hoc scimus, quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Et c. 3. *Filioli, nemo vos seducat: qui facit justitiam, justus est... Qui facit peccatum, ex diabolo est.... Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.*

513 5°. dum per Jacobum Apostolum Jacob. 2. dicit: *Quid prodest, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat .. ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ostendam tibi ex operibus fidem meam... fides sine operibus mortua est*, similis fidei dæmoniorum: *nam & dæmones credunt & contremiscunt.*

514 Observatione dignum est quòd Apostolus non dicat: *fides sine charitate*, sed *sine operibus mortua est.* Tametsi enim charitas, sicut reliquarum virtutum, sic & fidei anima sit, facilè tamen mali Christiani seducunt semetipsos, putantes charitatem se habere, cùm pleni sint amore sui & mundi. Ideò ergo dixit: *fides sine operibus mortua est*, ut mali Christiani ex suis operibus ad oculum convincerentur, se nec fidem vivam (quæ per charitatem operatur) nec proinde charitatem habere, quia fides sine operibus, id est sine vita regulis Evangelicis conformi, mortua est. In ea proinde, sicut & in omnibus Confessionibus & Communionibus suis, ipsos non benè confidere.

515 Simile quid Augustinus observavit in epistola ad Galat. ubi quærit: *cùm in duobus præceptis, dilectionis Dei & proximi, perfecta sit charitas*, quæ, teste Apostolo, *plenitudo legis est: cur Apostolus, & in hac* (ad Galatas) *& in illa ad Romanos epistola, solam proximi dilectionem commemoret, nisi quia in dilectione Dei mentiri possunt homines, quia rariores tentationes eam probant. In dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum iniqua cum hominibus agunt.... Et ideo opportunius commemoratur illud, de quo quisque facilius convincitur.*

516 6°. idipsum probatur ex doctrina Sanctorum, ex qua certum esse dicit Cajetanus 3. p. q. 79. amorem Dei non esse otiosum, veramque charitatem sine operibus non dari; sed ipsum decipere, qui sibi persuadet se Deum diligere, si non declinet à malo quod prohibetur, nec faciat bonum quod præcipitur. *Numquid charitas permittit aliquid mali te facere ei quem diligis? Sed fortè tantummodo mali nihil facit, non etiam aliquid boni. Ergone charitas permittit te non præstare quicquid potes ei quem diligis?.... ipsa dilectio vacare non potest.... Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem.... Dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quicquid potest boni operetur. Quid enim facit dilectio? declina à malo, & fac bonum.* August. præfat. in Psal. 31. *Numquam est amor Dei otiosus* (ait Gregorius hom. 30. in Evang.) *operatur enim magna, si est. Si verò operari renuit, amor non est.* Et ratio est, quia amor vita animæ est, ignis est. Nec vita autem otiosa esse potest, nec ignis, nec sine actione esse potest, nec animam inflammat, quin flammulæ ipsius, seu scintillæ ad extra appareant.

Scio quòd S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 11. ad 3. allata Gregorii verba sic explicat: *Amor Dei semper magna operatur in proposito.... non tamen semper magna operatur in actu, propter conditionem subjecti.* Sed imprimis hoc ideò dicit, quia subjectum, sive homo, in mortali corpore, ob varias hujus vitæ necessitates, non potest semper magna operari in actu, ut constat ex ratione ipsius. Deinde hoc haud dubiè intelligit de proposito, non otioso, quod oblatâ occasione, vel cùm potest & debet, nihil operatur in actu (cùm manifestum sit, non verificari dictum Gregorii, *amor Dei nunquam est otiosus*, per propositum operandi otiosum) sed de proposito effectivo, seu efficaci, vi cujus amans diligenter operatur pro tempore & loco. Denique S. Doctor solùm vult, dictum Gregorii ad sui veritatem non postulare, ut amans Deum sit physicè in actione continua (hoc enim est supra hominis conditionem) sed solùm in proposito operandi pro tempore & loco, ita ut suo tempore & loco operari non negligat. Sic enim moraliter loquendo salvatur veritas dicti Gregoriani; quemadmodùm veritas hujus propositionis, *Petrus numquam est otiosus*, moraliter salvatur per hoc quòd Petrus pro tempore & loco operari numquam negligat. Si ergo amor Dei, quem quis se habere dicit, pro tempore & loco negligat declinare à malo, & facere bonum, verus Dei amor non est, & qui Deum se amare dicit, nec tamen declinat à malo, nec facit bonum, cùm potest & debet, ipse se seducit. 517

7°. idipsum probatur ex alia doctrina Sanctorum, ex qua habemus, verum amorem probari, non verbis, & iterilibus affectionibus, aut desideriis, sed operibus. Nam, ut D. Gregorius homil. 30. in Evang. ait, *ecce si unusquisque vestrûm requiratur, an diligat Deum, totâ fiduciâ, & securâ mente respondet, diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis: siquis diligit me, sermonem meum servabit. Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in epistola sua idem Joannes dicit: qui dicit, diligo Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est..... Ad vosmetipsos ergo, Fratres, introrsus redite, si Deum verè amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat* (nota benè) *quidquid sibi animus, sine operis attestatione respondet. De dilectione Dei lingua, mens, & vita requiruntur.* 518

Et S. Aëlredus in speculo charitatis c. 7. testatur, etiam perditæ vitæ homines subinde sentire momentaneas divini amoris affectiones, exemplum proferens illius, qui cùm *immani vitiorum gurgite absorptus, omnis se spurcitiæ & immunditiæ traderet, nihil prorsus flagitii perhorresceret, in tali vita sæpiùs compungebatur, nec solùm timore pœnæ, & peccatorum suorum recordatione, quod fortè nemo miraretur; sed etiam miro affectu in amoris Jesu Christi dulcedinem resolutus, quodam mentis oculo ipsum videretur amplecti.* 519

An putas illum fuisse verum Dei amorem? non: quia, ut S. Aëlredus c. 17. pergit, *non secundùm momentaneum illum, & ut ita dixerim, hoc avium affectum Dei pensandus est amor. Quod ex contrario exemplo perspicuum est intueri. Cùm enim in tragœdiis, vanisque carminibus, quisquam injuriatus fingitur, vel oppressus, cujus amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiosus prædicatur affectus, si quis hæc, vel cùm canuntur audiens, vel cernens, usque ad expressionem lachrymarum, quodam moveatur affectu, nonne perabsurdum est, ex hac vanissima præsule de amoris ejus qualitate capere conjecturam; ut hinc fabulosum illum nescio quem affirmetur amare, pro cujus ereptione, etiamsi hæc omnia verè præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expensi? Similis profectò ineptiæ est, imò multò majoris insaniæ, si quisquam luxuriosus,* 520

rioſus, aut tepidus, occultâ Dei diſpenſatione (vel diabolicâ cordis emollitione) *ob quoſdam internos compungatur affectus, ad vana & lubrica, & ſordes priſtinas denuò reverſurus, ſecundùm ſterſles has lachrymas, & momentaneos affectus, de ejus dilectione ferre ſententiam.*

521 Unde Gregorius ubi ſuprà colligit, eos verè Deum non diligere, qui ad horam, audiendo verbum Dei, per compunctionem habent aliquem Dei reſpectum, ſed poſteà citò & facilè ad peccata tentati redeunt. Explicans namque verba iſta: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & manſionem apud eum faciemus: Videte* (inquit) *quid Veritas dicat: veniemus, & apud eum manſionem faciemus. In quorumdam enim corda venit*, per gratiam excitantem, *& manſionem non facit*, per Spiritum ſanctum inhabitantem: *quia per compunctionem quidem Dei reſpectum percipiunt; ſed tentationis tempore, hoc ipſum quod compuncti fuerant, obliviſcuntur, ſicque* (id eſt citò ac facilè) *ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi ea minimè planxiſſent.* Quod ſignum eſt horariam compunctionem ipſorum ex vera dilectione Dei non proceſſiſſe. Quia ſi ex ea proceſſiſſet, Deus in ipſis manſionem feciſſet, uti declarat ſequentibus verbis: *qui ergo Deum verè diligit.... in ejus corde Dominus venit, & manſionem facit.*

522 *Igitur non ſecundùm hos momentaneos affectus... Dei æſtimandus eſt amor* (proſequitur S. Aëlredus c. 18.) *ſed potiùs ſecundùm continuam ipſius voluntatis qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati conjungere, ut quælibet divina voluntas præſcribat, voluntas humana velit, ut nulla ſit alia cauſa, cur hoc aut illud velit voluntas humana, niſi quia hoc Deum velle cognoſcit, hoc utique Deum amare eſt. Nam voluntas nihil aliud eſt quàm amor... Saxè hæc voluntas non ſecundùm momentaneos quoque affectus, ſed ſecundùm duo quædam judicanda eſt, paſſionem ſcilicet, & actionem: ſi videlicet ea quæ Deus intulerit, vel inferri permiſerit, patienter ſuſtineat, & ea quæ juſſerit, ferventer adimpleat.*

Cæterùm, ut ait B. Gregorius, *nemo credat, quidquid ſibi mens ſine operibus, de Dei amore reſpondeat. Ejus eſt enim ſententia qui non mentitur:* „ qui habet mandata mea, & ſervat ea, hic eſt qui „ me diligit.... *Proinde affectus illos ſentire, non ita, ut autumas, Deum amare eſt.... Ut ergo ſimplicioribus verbis utar, qui quantumcumque poteſt, inſiſtit, ut Deum habeat, mandatis videlicet ejus obtemperando, & ſecundùm Apoſtolica & Evangelica præcepta, ſobriè, & juſtè, & piè vivendo, etſi nihil hujus dulcedinis guſtet, Deum tamen diligere dicendus eſt, ipſo atteſtante, qui ait:* " qui manda- „ ta mea cuſtodit, ille eſt qui diligit me. " *Qui verò quotidie hunc experitur affectum, & nihilominùs divinæ voluntati ſuæ deſideria præponit, non quidem Deum diligere, ſed ingeſtum ſuæ menti divinâ diſpenſatione ſpiritualem ſaporem nonniſi ſentire credendus eſt.*

523 Meritò proinde cap. 20. exclamat: *O quàm miſerabiliter falluntur, quam ſunt ſuæ ſalutis proditores, qui vitiis innumerabilibus ac damnabilibus implicati, ſi quid hujus, de quo loqueris, experiantur affectûs, non ſolùm ſibi veniam de præteritis polliceantur, imò ad eadem ſecuriùs quodammodo reverſuntur, nec aliquid hoc ſpirituali incitamento proficiunt, ſed ſanctiores ſemetipſos arbitrantes, in ſuis ſordibus vel negligentiis impudentiùs volutantur. Fortè de talibus ait Apoſtolus:* " dedit illis Deus „ ſpiritum compunctionis, oculos ut non vi- „ deant, & aures ut non audiant. " *Numquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos, aures obturat illorum, qui immaniſſimas vitiorum ſordes, ſine pœnitentiæ fructibus* (emendatione ſcilicet vitæ, caſtigationeque peccatis proportionata) *paucis his lachrymis æſtimant abluendas.*

Sibi itaque dictum accipiat, quiſquis ſe dicit 524
Chriſtianum, religioſum, à peccatis converſum, Deum amantem, &c. quod Auguſtinus tr. 5. in 1. epiſt. Joan. ait: *Quomodo te gloriaris eſſe Chriſtianum*, religioſum, à peccatis converſum, Deum amantem? *Nomen habes, & facta non habes. Si autem nomen ſecutum fuerit opus, dicat te quiſquam paganum*, irreligioſum, peccatorem, &c. *tu factis oſtende te Chriſtianum*, religioſum, &c. *Nam ſi factis non oſtendis te Chriſtianum, omnes te Chriſtianum vocent, quid tibi prodeſt nomen, ubi res non invenitur?*

Sibi etiam dictum accipiat, quiſquis ſe dicit, vel 525
ſe putat juſtum, Dei amicum, veſtem habentem nuptialem, dignum mensâ Jeſu Chriſti, &c. utpote ſingulis hebdomadibus ſacramentaliter peccata confitentem. Sibi (inquam) dictum putet, quod dilectus Chriſti diſcipulus ait 1. Joan. 3. *Filioli nemo vos ſeducat: qui facit juſtitiam, juſtus eſt.* Non ille proinde qui loquitur, vel qui ſe juſtum aut religioſum dicit, vel cogitat, nec ille qui ſterilia concipit deſideria, ſeu bonas voluntates, ſimiles iis quibus infernus eſt pavimentatus, ſed *qui facit juſtitiam*, qui vitam tranſigit in exercitiis juſtitiæ, qui declinat à malo, & facit bonum, qui vivit ſecundùm Apoſtolicas & Evangelicas regulas, vel ſuæ Religionis regulas, *juſtus eſt* vel religioſus. Qui verò in Religione non religiosè vivit, religioſus non eſt. Similiter qui facit crimina, quæ non facit bonæ fidei, nec bonæ ſpei Chriſtianus, qui nullâ hebdomadâ non violat per crimina ſua templum Dei, quàmlibet frequenter confiteatur, & communicet, teſte Spiritu Sancto, habendus non eſt filius Dei, ſed diaboli: *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.*

Octavò probatur ratione: quia talis unuſquiſ- 526
que judicandus eſt, non qualem ſe probat verbis, & ſterilibus reſolutionibus, ſed qualem ſe probat factis, ſaltem ſi facta ſint contraria verbis: *melior eſt enim vox operis, quàm vox oris.* Petrus Bleſenſis compend. in Job. Et in invectiva. Et *plenius eſt opere docere, quàm voce.* S. Leo ſerm. de S. Laurentio: *Non audio quid quiſpiam ſonet, ſed quid vivat* (ait Auguſtinus tr. 3. in Epiſt. Joan.) *Opera loquuntur, & verba requirimus?* Et quid verba ſunt, quid ſterilia propoſita & deſideria, quid etiam lachrymæ, & ſimilia ſine operibus, nihil niſi folia & flores? Atqui *non ex foliis, non ex floribus, ſed ex fructu arbor bona, malavè cognoſcitur* (ait Bernardus epiſt. 107.) *Denique à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Ad quam Increatæ & Incarnatæ Veritatis regulam attendens S. Cæſarius ſerm. 57. edit. noviſſ. *Ego timeo* (inquit) *ne fortè iſte talis pœnitens, nec in conſcientia ſua habuerit* (ſeducendo ſemetipſum) *quod in operibus non oſtendit. Quia etſi cor videre non poſſimus, tamen ſecundùm Evangelicam ſententiam, ex fructibus eorum cognoſcetis eos.*

CAPUT XLI.

Idipſum oſtenditur ex communi ſenſu omnium hominum, inaneque oſtenditur effugium Recentiorum, aientium, de vera contritione, veraque Communione judicandum ex operibus internis, non externis.

NOnò probatur ex communi hominum ſen- 527
ſu. Nemo eſt enim, qui humilem, caſtum, obedientem, &c. judicat hominem, qui in omni penè occaſione factis ſe ſuperbum potiùs oſtendit, quàm humilem, potiùs luxurioſum, quàm caſtum, potiùs rebellem, ſeu reluctantem voluntati Superiorum, quàm obedientem, quàmlibet ſe dicat humilem, caſtum, obedientem, quàmlibet etiam

sentiat in se desideria, & bonam voluntatem humiliandi se, castè & obedienter vivendi, &c. cùm equidem desideria illa & voluntates in occasionibus non solùm appareant sine effectu, sed & cum effectu contrario: eò quòd utique velint & non velint, sive (ut B. Gregorius ait) *esse quidem humiles velint, sed tamen sine despectu; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis velint*, sicque *adipisci virtutes* cupiant, ut labores virtutum fugiant, denique finem sic velint, ut fugiant media, sine quibus non pervenitur ad finem, similes pigro, de quo scriptum est: *Vult, & non vult piger*; similes quoque militibus, qui *triumphare de hostibus cupiunt, sed cum ipsis exhibere belli certamina in campo nesciunt*, nec inferre sibi, suisque passionibus & pravis inclinationibus violentiam necessariam, ad reportandam victoriam.

528 Quemadmodùm verò communi omnium hominum sensu, tales non habentur verè humiles, casti, obedientes, &c.; sic communi omnium hominum sensu non reputantur à peccatis conversi, qui sic de peccatis dolent, sic ea cavere promittunt, ut sibi violentiam & mortificationem ad relapsum cavendum necessariam inferre nolint. Verè enim conversus jam non est qui fuit (juxta illud: *Verte impios, & non erunt*;) ipse est, & non ipse; ipse per naturam, non ampliùs ipse per impietatis culpam; non ampliùs luxuriosus, sed castus; non ampliùs vindicativus, sed parcens; non ampliùs iracundus, sed mitis; non ampliùs odio habens, sed diligens inimicum; non ampliùs peccator, impius, mancipium diaboli, sed justus, pius, bonæ vitæ Christianus, Dei filius & servus, &c. Talem itaque unumquemque esse oportet, ut ad sacram Eucharistiam dignè accedat. Omnes quippe conveniunt, peccatorem ad sacram Eucharistiam dignè accedere non posse, nisi fuerit antè conversus. Atqui ex centum millibus hominum, in Paschate communicantium, pauci sunt, de quibus communi hominum sensu verè dici queat: iste peccator ante Pascha luxuriosus erat, vindicativus, injustus, odio habens inimicum, rebellis, impatiens, &c. sed est modò conversus, id est non ampliùs talis qualis fuit; sed castus, parcens injuriam inferenti, justus, diligens inimicum, obediens, patiens, &c. Pauci (inquam) sunt, qui post Pascha iidem non sint qui antè fuerunt, ut ad oculum patet, ex eo quòd nulla post Pascha mutatio apparcat in moribus populi; quæ profectò appareret, si multi de populo verè & seriò conversi fuissent, atque adeò de vita pagana translati in vitam christianam. Hoc enim ex operibus ipsorum appareret. Cùm ergo contrarium apparcat, non probant se verè & seriò fuisse conversos, nec proinde gratiæ & charitatis statum fuisse consecutos; sine quo quisquis communicat, indignè communicat.

529 Hoc est ergo quod boni Pastores & Confessarii deplorant, veras conversiones, dignasque Communiones hodie tam raras esse, quàm Confessiones & Communiones communes sunt: eò quòd utique frequenter, & valdè frequenter fiant absque vera & sincera conversione, dispositionibusque à SS. Patribus requisitis. Ista namque est causa tot malorum, errorumque, & hæreseon, quibus affligitur christianus orbis. Illud est quod spiritu prophetico prædixit S. Hildegardis, ut videre est in operibus ipsius: *In tantam* (inquit) *homines fluctuationem atque errores præcipites fient, ut cuinam, ceu Catholicæ veritatis assertori credere tutò possint, atque confidere, prorsus ignoraturi. Et hoc quidem idcircò divina permittet justitia, quòd nos ex multo jam tempore ita negligenter, imò & vitiosè vivendo, ipsam fidem moribus & vitâ impugnavimus, ac dignissimum Dei corpus, cum aliis Ecclesiæ Sacramentis, cum omni denique sanctimonia Christiana, tam planè irreverenter, indignè, impurè, infructuose tractare ac suscipere ausi sumus.*

Sed & defectus veræ plenæque conversionis, 530
secundùm doctrinam Sanctorum novissimorum, Scriptorumque gravissimorum, causa est cur malæ Confessiones admodùm frequentes sint. Hoc enim monuit S. Theresia, jam cælitibus adscripta, dum post obitum apparens Carmelitas suos monuit ut in concionibus suis magno zelo *invehérentur in Confessiones malè factas: quod enim* (inquit) *diabolus magis prætendit, & via per quam magnus numerus animarum ruit in infernum, sunt Confessiones malè factæ, remedium veneno inficiendo*, ut videre est pag. 510. operum suorum ex Hispanico idiomate in Gallicum translatorum per R. P. Elizæum à S. Bernardo, Carmelitam excalceatum. Similiter S. Carolus Borromæus Instruct. Confess. p. 2. c. 17. *Si Confessarius posuerit majorem industriam in iis examinandis, non dubium est quin plures deprehendet, qui nunquam, ut oportet, Sacramento Pœnitentiæ peccata expiarunt.* S. Franciscus Salesius Introduct. p. 1. c. 6. *Frequenter accidit, Confessiones ordinarias eorum, qui vitam ducunt communem vulgaremque, plenas esse magnis defectibus. Eò quòd frequenter vel nulla, vel modica adsit præparatio, vel requisita desit contritio*, &c. Catechismus Romanus p. 2. n. 95. *Ita charitas refrixit, ut jam plerique ex fidelibus, ad peccatorum veniam impetrandam, nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis necessarium putent, sed illud satis arbitrentur, si speciem tantùm dolentis habeant.* Bellarminus conc. 9. in Domin. 4. Advent. *Quàm multi veniunt* (ad Confessiones) *onusti peccatis, in quæ jam millies ceciderunt, & veniunt pridiè, vel ipso die magnæ solemnitatis, & statim* (nullâ magnarum precum, lachrymarum, jejuniorum, eleëmosynarum exercitatione præmissâ) *volunt expediri* (id est ad absolutionem & Communionem admitti) *quasi hoc negotium esset ludus puerorum. Nonne hi Deum non placare, sed irridere videntur voluisse?* Et conc. 31. de Resurr. Dom. *Certè tales Confessiones hoc nostro sæculo fiunt, ut ego vehementissimè reformidem audire illas.* Et rursus in priori loco: *Multi sunt, qui eò quòd jam confessi sunt, pedem unum se habere arbitrantur in cælo; qui tamen si rectè considerent, videbunt se pedem unum in terra, alterum in gehenna posuisse: nec enim confiteri, sed benè confiteri cælum aperit.* Cornelius à Lapide in cap. 2. Epist. S. Jacobi v. 13. *Multi ignorant efficax propositum absolvendi à peccatis requiri, ut quis sit capax absolutionis, & nesciunt quàm fortis & constans resolutio animi requiratur, ut propositum censeatur absolutum & efficax. Multi, esto sciant propositum efficax requiri, tamen illud procurare & habere non satagunt, sed habere se simulant; imò sibiipsis falsò persuadent: est enim propositum hoc serium, res ardua, sublimis, & difficilis. Multi autem nolunt vim sibi adhibere, & ad rem tam arduam totis viribus conniti. Et ideò multi malè suscipiunt Sacramenta.*

Nec ibi malorum finis, sed & siqui hodie ex 531
zelo divinæ gloriæ, salutisque animarum, classicum canant, Sanctorumque doctrinam proponant contra malas ejusmodi Confessiones, Communionesque, non desunt qui eos apud imperitum vulgus sparsis traducunt figmentis, calumniis, ridiculisque Rigoristarum notis, quæ ad nihil valent, nisi ad peccatores fovendos in iniquitatibus suis, in lataque via quæ ducit ad perditionem, dum se patronos exhibent malarum quas faciunt Confessionum Communionumque, ob quas infinita perit multitudo.

Siquis ipsis objiciat nullam in istis hominibus 532

post multas Confessiones Communionesque vitæ mutationem apparere, sed eadem post Confessionem Communionemque apparere opera, & facta mala, quæ ante, indeque inferat ipsos verè non fuisse conversos. Respondent, ipsos equidem verè conversos fuisse, & ita judicandum ex fructibus & operibus internis, contritione scilicet, seseque emendandi voluntate in Confessione manifestatâ, per verba vel Confessionem ipsorum. Idque sufficere ad verificandam regulam Salvatoris, *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

533 Verùm enimverò sic non satisfit argumentis toto præcedenti & præsenti capite deductis. De ista namque interna contritione & pœnitentia quæritur, ex quibus argumentis, seu indiciis & notis homo cognoscere queat, an fuerit vera, an efficax & plena? Certè non ex eo quòd confitens dicat se illam sentire. Cùm enim confitens non cognoscat actus suos internos & spirituales in seipsis, magis quàm animam suam, nec in ipsis videat eorum veritatem & efficaciam, scire non potest, an actus interni & spirituales, quos se sentire dicit, sint veri, an falsi; efficaces, an ineffi caces; pleni, an semipleni; ex toto corde, an non ex toto corde; an gratiæ ad pœnitentiam excitantis operatio, an humanæ voluntatis illusio, &c. præsertim cùm id quod confitentes sentiunt, sæpè magis sit in imaginatione, quàm in veritate; sæpè magis in superficie, quàm in intimo corde, testeque Gregorio, de internis actibus suis sæpè sibimetipsi mens ipsa mentiatur, nec verè semper amet Deum, qui sentit amoris affectum, ut ex supradictis est manifestum. Quæ cùm certissima sint, nihil rationabilius, secundùm Evangelicas, imò & secundùm ipsasmet humanæ prudentiæ regulas dici potest, quàm de internorum & spiritualium actuum humanorum veritate, efficacia, plenitudine, &c. judicandum secundùm quod homines judicare solent de veritate, virtute & efficacia aliarum causarum, quas in seipsis quoad substantiam non cognoscunt. Notum est autem quòd de earum veritate & efficacia judicare solent ex fructibus, seu effectibus, non internis, sed externis. Enimverò omnis interna voluntas, omnis interna contritio & pœnitentia, omnis interna dilectio est arbor. *Arbor* autem *ex fructibus cognoscitur.* Et, ut Gregorius ait hom. 18. in Ezech *per hoc quod videmus, cognoscimus operantis animum, quem non videmus.* Itaque pœnitentiam, contritionem, conversionemque internam, quam in seipsa non videmus, cognoscimus ex fructibus & operibus externis pœnitentiæ, quos videmus. Nec aliter homines cognoscere possunt, & ideò non credunt dicentibus se hunc vel illum amare, si exteriora opera, quæ ex ipso procedunt, contrarium probent. *Qui enim habuerit facultatem hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1. Joan. 3. Et sicut ad judicandum de veritate amoris, requirunt opera externa, amoris veritatem probantia (secundùm illud ejusdem ibid. *Filioli non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate*) ita & ad judicandum de veritate conversionis & pœnitentiæ. Quemadmodùm enim justum esse judicant, vel religiosum, qui facit opera justorum, vel verè religiosorum; sic judicant conversum & pœnitentem, qui facit opera conversorum & verè pœnitentium, probantia veritatem conversionis ipsorum. Nemo itaque alios, nemo seipsum seducat: sicut justus non est habendus, nisi qui facit opera probantia ipsum esse justum, juxta illud, *qui facit justitiam, justus est*; sic verè conversus non est habendus, qui non facit opera probantia ipsum esse conversum, inter quæ opera præcipuum est mutatio vitæ, ita ut christianam jam vitam ducat, regulisque Evangelicis & Apostolicis conformem, qui priùs vitam ducebat paganam, dictisque regulis contrariam. Quod quidem manifestè probant argumenta omnia præsenti in capite deducta. Et ampliùs probabunt capite sequenti deducenda.

CAPUT XLII.

Ad Communionem indignè & infructuosè accessisse probantur, qui post Communionem in consueta crimina aquè citò, facilè & frequenter relapsi sunt, ut antè.

EX hoc namque probantur ad sacram Communionem sine vera efficacique conversione, debitaque dispositione accessisse, ut rectè docent Ludovicus Granatensis to. 2. concion. de temp. conc. 2. Recupitus de signis prædest. & reprob. tr. 2. c. 6. Emericus de bonis tr. de Sacram. altar. Bellarminus l. 1. de arte benè moriendi c. 16. Joannes Episcopus Castoriensis l. 2. de recto clavium usu c. 5. noster Antonius à S. Martino to. 1. operis cui titulus: *Les conduites de la grace*, verit. 8. discursu 2. & 3. Contenson to. 8. dissert. 4. cap. 2. Reg. 2. 534

Et ratio est quia si ad sacram Communionem cum vera efficacique conversione, ac debita dispositione accessissent, fructus illius percepissent, qui sunt gratiæ & charitatis augmentum, delectatio spiritualis, rerum spiritualium gustus, spiritualis vigor adversus tentationes, quo à peccatis mortalibus fideles præservantur, cordis castimonia in appetitum sensitivum diffusa, &c.: *in quantum enim* Sacramentum hoc *auget charitatem, diminuit cupiditatem* (ait S. Thomas q. 79. a. 6. ad 3.) *quia sicut Augustinus dicit in libro* 83. *qq. augmentum charitatis, est diminutio cupiditatis.* Unde opusc. 58. cap. 1. Sacramentum hoc ab eodem S. Thoma vocatur: *spirituale refrigerium*, juxta illud Osee 14. *Ego quasi ros*, &c. A divo Hieronymo vocatur: *frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* De eodem Cyrillus noster Alexandrinus l. 4. in Joan. *Sedat* (inquit) *cùm in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem..... perturbationes animi extinguit.* Bernardus serm. de Bapt. & Sacram. Altar. circa medium: *Duo Sacramentum hoc operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat consensum. Siquis vestrùm non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, invidiæ, luxuriæ, & cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Chrysostomus homil. 45. to. 3. post medium: *Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo.* Tridentinum sess. 13. c. 2. *Christus sumi voluit hoc Sacramentum, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur, viventes vitâ illius qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me, & tamquam antidotum, quo... à peccatis mortalibus præservemur.* Unde S. Thomas a. 6. citato ex his verbis Joan. 6. *Hic est panis de cælo descendens, ut siquis ex ipso manducaverit, non moriatur in æternum*, in argumento *sed contrà*, probat quòd *hoc Sacramentum præservat à morte spirituali, quæ est peccatum*, idque tam interiùs quàm exteriùs, inquit in corpore articuli: interiùs hominem roborando per modum cibi, & medicinæ. Exteriùs, impugnationem dæmonis cohibendo, ne tantùm tentet, ut superet. Quod probat ex Chrysostomo proximè relato. Confirmarique potest ex illa Ecclesiæ Collecta, in qua divinum hoc Sacramentum vocatur: *fortitudo fragilium*, & *contra omnia mundi terriculamenta firmamentum.* Hac de causa ægrotantibus, in fortitudine cibi illius iter æternitatis confecturis, per modum Viatici mini- 535

ſtratur, & olim (teſte Cypriano l. 1. epiſt. 2.) fidelibus ad tormenta & cædem raptis, ne in certamine deficerent, porrigebatur.

536 Spiritualis quippe gratia, quæ datur Pœnitentiæ Sacramentum dignè & fructuosè ſuſcipientibus, non ſolùm confert id quod *commune eſt cuicumque gratiæ* (inquit Ludovicus Granatenſis loco citato) *ſed & ſingularem quamdam vim adverſus peccatum habet: cùm hoc Sacramentum in peccati remedium ſit à Chriſto Domino inſtitutum.*

537 Sed nullus iſtorum effectuum apparet in iis, qui poſt Confeſſionem & Communionem, in conſueta crimina pari quàm antèà facilitate, promptitudine & frequentiâ relabuntur; imò apparent effectus planè contrarii. Igitur ad Confeſſionem Communionemque acceſſiſſe probantur, non ut oportet, ſed indignè, infructuosè, & cum obice dictorum effectuum. Si enim cum debita diſpoſitione, adeòque dignè & ſine obice acceſſiſſent, fructuosè acceſſiſſent, effectuſque proinde illos conſecuti fuiſſent. At ſi illos conſecuti eſſent, illos in ſe experirentur. Non experiuntur autem, ſed effectus planè contrarios, parem utique quàm antèà promptitudinem in malum, parem concupiſcentiæ ardorem, parem infirmitatem debilitatemque ad reſiſtendum tentationibus, par faſtidium rerum ſpiritualium, par in ipſis eſt ſitis & cupido rerum terrenarum, par æſtus libidinum, par avaritiæ, ambitionis, & invidiæ ardor, &c. ut ipſimet teſtantur, & in ipſis ſoli illi non vident, qui oculos habent, & non vident. Igitur per experientiam contrariorum effectuum, dictos Sacramentorum illorum effectus non conſecuti probantur. Quomodò enim illos credere poſſumus Sacramentorum illorum effectus conſecutos, in quibus videmus effectus contrarios: cùm ex effectibus de cauſa judicare à Chriſto & Apoſtolo edocti ſimus, adeòque cauſa probanda ſit per effectus; Sacramentum proinde ex Sacramenti effectibus probari debeat cum debita diſpoſitione ſuſceptum?

538 Confirmatur ex Granatenſi: *Siquis gravi corporis morbo laborans, potionem ſibi à Medico præſcriptam ebibens, nihilo meliùs haberet, ſed idem febris ardor incenderet, idem ciborum faſtidium, eadem ſitis, eadem corporis debilitas illum premeret: quis hujuſmodi potionem illi ſalutarem fuiſſe, ſeu profuiſſe, crederet: cùm nihil de morbi moleſtiis immutarit? Cùm igitur ſacramentalis Confeſſio velut quædam animorum potio ſit, quâ noxii & peſtilentes peccatorum humores ab anima pelluntur, & ſtatus ejus divinæ gratiæ ope reſtituitur; ſi nihil horum efficiat, ſi idem rerum ſpiritualium faſtidium in ea maneat, eadem terrenarum rerum ſitis atque cupido, idem libidinum æſtus, idem avaritiæ atque ambitionis ardor, eadem ad omnia virtutum officia infirmitas, atque imbecillitas: quâ (quæſo) conjecturâ vel indicio colligere potero, ſpiritualem hanc medicinam tibi profuiſſe?*

539 Hactenùs Granatenſis, opponens ſibi deinde argumentum, quod objici ſolet, illudque ſolvens, ut ſequitur: *Sed fortaſſe dices: Non continùo certum argumentum colligi poteſt, Confeſſionem meam inanem extitiſſe, quòd protinùs in eadem crimina lapſus fuerim. Hoc enim pravis habitibus, & inveteratæ conſuetudini magis tribuendum eſſe videtur: cùm difficillimum ſit aſſueta relinquere, quæ in naturam quodammodò verſa ſunt. Fateor, hanc certam fidèi Confeſſionis conjecturam, & argumentum non eſſe. Fieri enim poteſt, ut vera quidem Confeſſio & pœnitentia præceſſerit, & tamen incautus homo, ſibique parum proſpiciens, partim pravâ priorîs vitæ conſuetudine perurgente, partim diabolo ſuggerente, in priſtina ſtatim vitia corruat. Sed frequentiùs tamen hoc evenire ego puto, quòd talium Confeſſio fuerit (ut Theologi loquuntur) informis. Poteſt enim vera eſſe Confeſſio, & informis tamen; quâ videlicet quis Sacramentum tantùm ſuſcipit: non etiam rem Sacramenti, quæ eſt Spiritûs ſancti gratia. Quâ deficiente fragilis homo, prævèque aſſuetus, occaſione oblatâ, in eadem protinùs vitia labitur.*

Quòd autem hoc frequentiùs eveniat, atque adeò 540
veroſimilius ſit, hoc evenire ex non recepta Sacramenti gratia, ſic probat: *Ut enim D. Thomas ait, minima etiam gratia omnia lethalia crimina vitare poteſt; quandoquidem charitas ab ea proficiſcitur, cujus eſt, non verbotenus, ſed reipſa Deum diligere ſuper omnia, atque peccatum ſuper omnia ſimili ratione odiſſe. Vera enim charitas, quæ veræ pœnitentiæ beneficio per Spiritum ſanctum effunditur in cordibus noſtris, magis Deum diligit, quàm cupiatas millia auri, & argenti, atque omnia totius mundi bona. Quo fit, ut qui hoc modo Deum diligit, nullius temporariæ rei pretio illum commutare velit. Quo nomine Joannes ait:* "Qui natus eſt ex Deo, non peccat: generatio enim "Dei conſervat illum." *Hoc eſt divina cognatio, quâ homo cæleſtis Spiritûs particeps effectus eſt, conſervat illum, & à terrenis rebus abductum ad cæleſtia rapit: cum ſit in ejus pectore fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hæc igitur de cauſa Joannes ait, qui ex Deo natus ſit, non peccare: quoniam vel perpetuò à lethalibus abſtinebit peccatis, vel certè raro & difficulter in ea corruet, & cùm in ea fortaſſe labitur, non ſine interno conflictu atque ſenſu animi labitur: utpote qui Deum, quem ſuper omnia chariſſimum habet, amittere, atque à ſe ablegare, & pro infima aliqua re commutare, graviter & moleſtè ferat. Numquam enim ſine doloris ſenſu amittitur, quod cum amore poſſidetur. Quo fit, ut qui bibunt quaſi aquam iniquitatem, hoc eſt, qui ſine ullo doloris ſenſu facilè in peccata ruunt, à divina gratia & charitate longè abeſſe videantur. Cùm autem fidelium plurimos videamus, peractâ Confeſſione, ſine ullo gemitu, aut interno conflictu præcipites in omnia ſcelera fieri, quo indicio colligere potero, hos charitatem & Spiritum Domini, & divinæ gratiæ lumen percepiſſe?* Certè ſi charitatem, Spiritum inhabitantem, & Spiritûs ſancti lumen acceperunt (accipit autem quiſquis gratiam ſanctificantem accipit) non pari quàm antèà facilitate peccant, nec in tenebris tam obſcuratum habent intellectum ut antè, nec à Domini Spiritu tam alieni ſunt quàm antè, nec tam ad reſiſtendum debiles quàm antè: *lumen enim non poteſt non lucere: charitatis verò ignis non poteſt non ardere*; fortitudo cæleſtis non poteſt non roborare, &c. *Cùm igitur nihil in te ſplendoris, nihil ardoris, nihil roboris videam: quâ conjecturâ te cæleſte lumen, & ignem, & robur percepiſſe cognoſcam?* Quomodò enim adverſus crimina ſpeciale robur accipit, *qui nullum à ſe crimen abdicavit?*

Simili argumento conficitur, divinissimæ Eucha- 541
riſtiæ fructus, ſeu effectus ab iis non recipi, qui mox à Communione eadem quæ antè crimina citò, facilè & frequenter repetunt. Sicut enim potionem & medicinam ei credimus non profuiſſe, cui nihil de morbi molеſtiis immutavit; ſic diviniſſimam Euchariſtiam ei credimus fructuoſam non fuiſſe, cui nihil immutavit de priſtina promptitudine, facilitate, & frequentia lethalia patrandi flagitia. *Si enim vigor à peccatis præſervans ſit Euchariſtiæ effectus* (ait piſſimus Contenſonus ubi ſuprà diſſert. 3. c. 2. ſpecul. 1.) *nec abſint effectus, niſi obex interponatur, quid de illis cenſere licet, qui eo animi languore debilitateque laborant, ut ne octo quidem dies ab iiſdem peccatis ſibi temperare valeant?*

Scio equidem hominis viatoris ſtatum & condi- 542
tionem mutabilem, atque in bonum malumque liberi arbitrii infirmitate flexibilem, numquam eam

immobilitatem, quæ paucis in gratia confirmatis eximia est, obtinere. Attamen homines, hoc cibo fortium pastos, easdem semper, & interdum graviores ægritudines experiri, numquam convalescere, numquam in occasione vincere, sed semper vinci, numquam castiores, numquam in passionibus suis, & perturbationibus moderatiores evadere, *cum hujus Sacramenti effectu, à Sanctis omnibus tradito, quàm bellè consentiat, non video, non capio, non reor. Sacramenta sunt causæ* infallibiliter, *nisi obstaculum intercedat, operantes: ergo si mens tua vanis formis, imaginibusque corporeis vitiorum, & cupiditatum consuetudine inculcatis, ita obducitur atque obruitur, ut nihil jam in ipsa loci divinarum rerum cognitioni relinquatur; si pectus tuum in terrenis usque adeò demersum & infixum sit, ut paululùm modò in cælum animum attollere, & in Deum cæli erigere non valeas; si tanta denique inertia tua, ut nec calamitatis sensum experiare, nec remedium illi aliquod adhibere solliciti sis, nonne argumento est satis claro, te tot sœdis cupiditatibus miserandum in modum irretitum, in iisdemque semper delectorum sordibus hærentem; nondum hujus Sacramenti effectu frui, sed mundi, carnis, dæmonisque mancipium permanere?* Cujus enim mancipium permaneas, ex effectibus cognoscitur, juxta regulam Salvatoris. Deinde *ad ignem accedere, & semper algère: cælestem fontem potare, & carnalia semper sitire: in Christi (qui vera lux mundi est, igniſque consumens).... complexus irruere, & à pietatis sensu, fervore charitatis, Dei studio, rerum cælestium curâ & cogitatione alienissimum se sentire, cum Sanctorum doctrina de animo expurgando, atque ad Eucharistiam excolendo, necnon de robore panis cælestis,* aliisque ejus fructibus, & effectibus supradictis, *quomodò convenire possit, nullus (nisi meus me fallat animus) bonus Christianus intelliget.*

543 Accedit, quòd unus ex effectibus hujus Sacramenti sit, eos qui dignè sumunt castos facere, ut ex supradictis patet, *quoniam multùm cupiditatem minuit* (ait insignis è Societate Scriptor Emericus de bonis ubi suprà) *quæ sic fracta & coërcita facilè vinci superarique potest. Quod nunc in multis cernitur, qui cùm antè luxuriæ vitio deditissimi essent, posteà cælesti cibo sæpè refecti, castitatem coluère: qui si pravam in meliorem vitam mutavère, quidni illi quoque idem possint? Sed vultis scire, quid sit, quamobrem non faciant? Nolunt,* vel saltem plenè non volunt, ne tunc quidem cùm confitentur. *Quamobrem arcendi à Communione sunt. Unde qui secùs facit, panem filiorum dat canibus, & margaritas proficit ante porcos. Quod à Christo Domino prohibetur.*

544 *Quamobrem Confessarii, & Directores diligentiùs attendere sibi debent, ut ne judiciorum Dei experiantur acerbitatem, qui dispensati tam pretiosi thesauri accuratam ab eis rationem reposcet. Ipsi secum reputent, indulgentiâ illâ & nimiâ facilitate indignos ad Communionem admittendi, multos eâ duritie, eoque animi stupore erga res divinas obriguisse, ut ne quidem statûs illius miserrimi, in quo torpent, sensum habeant salutarem. Quo fit, ut cùm priùs trementes & venerabundi ad augustissimum Sacramentum accederent, jam id absque timore, veneratione ac pietate suscipiant: quod inde manifestissimè patet, quòd nonnunquam eodem die (horrendum dictu, & Angelis ipsis detestabile, quodvè valeat soli tenebras offundere, terram tremefacere, & elementa permiscere) ad suas sordes revertantur.* Hactenùs pissimus doctissimusque Contensonus.

545 Denique unus ex effectibus cælestis hujus cibi, perseverantia est usque ad mortem, absque mortali crimine, vel saltem tanta ab illo præservatio, ut nec citò, nec facilè in illud prorumpat munitus cibi illius fortitudine, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat* (ut oportet) *carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ubi ly *manet* ex vi vocabuli, Scripturæque usu, & Patrum sensu, firmitatem & constantiam, seu constantem moram significat, ut constat ex Hebr. 13. *Non habemus hìc civitatem permanentem.* Et Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Neque enim Pater & Filius apud eum mansionem faciunt, à quo statim recedunt. Unde Augustinus tr. 27. in c. 6. Joan. *signum* (inquit) *quia manducavit & bibit* (dignè utique, & ut oportet) *hoc est si maneat, & manetur, si habitat, & inhabitatur, si hæret,* id est citò & facilè non recedat, *ut non deseratur.* Si verò à Christo citò & facilè recedat, signum est quòd in Christo non manserit, nec Christus in ipso, prout in simili Gregorius Magnus ait homil. 30. in Evang. *Videte quid Veritas dicat, veniemus, & mansionem apud eum faciemus. In quorumdam enim corda venit, & mansionem non facit* (nota) *quia per compunctionem Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant obliviscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent.* Quod signum est Spiritum sanctum ad ipsos quidem venisse per gratiam excitantem, sed non inhabitasse per gratiam sanctificantem. Quod ex dicendis capite sequenti amplius apparebit.

Supradicta itaque recapitulando, ipsomet sen- 546
sibili experimento satis apparet, verisimile non esse, quòd per receptionem Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, effectus sit fortior adversus mundum, carnem, & dæmonem, qui seipsum experitur æquè vel magis infirmum, debilemque quàm antè. Nec verisimile, quòd per gratiam & virtutes infusas, factus sit minùs pronus & minùs facilis ad relapsum, qui ex effectibus apparet pari quàm anteà promptitudine & facilitate relapsus fuisse. Nec verisimile, quòd in se spiritualiter & fructuosè consumentem ignem incorporaverit, quem videmus, & qui seipsum experitur æquè ac antè algère. Nec verisimile, quòd fructuosè incorporaverit fontem spiritualis vitæ, qui se experitur æquè ac antè carnalia sitire. Nec verisimile, quòd verè adunatus fuerit Christo, id est fonti omnis pietatis, igni charitatis, vero lumini cordium, &c. qui experitur cor suum æquè vel magis quàm anteà à pietatis sensu, ardoreque charitatis alienum, durum, obtenebratum, erga res spirituales insensibile, &c. Nec denique verisimile, quòd spiritualis hic cibus in ipso operatus fuerit quoad vitam spiritualem, id omne quod cibus corporalis operatur quoad vitam corporalem, virium utique reparationem, confortationem, &c. in quo videmus contraria omnia, ipsum utique æquè deficientem & debilem, imò debiliorem quàm antè. Profectò sicut credibile non est cibum corporalem fructuosè ab eo manducari, quem non videmus per cibum reparari, vel confortari, sed eo sumpto æquè vel magis deficere, debilemque permanere: sic credibile non est cibum spiritualem ab eo fructuosè recipi, &c.

Et quis sapienter credet, per sacræ mensæ par- 547
ticipationem factum similem leoni flammam spiranti, diaboloque terribilem effectum (ut Chrysostomus dicit) quem videt pari quàm anteà facilitate à diabolo vinci? Talis proinde rationabiliter non creditur Eucharistiæ Sacramentum spiritualiter, sed carnaliter dumtaxat accepisse. Quisquis enim spiritualiter accipit, proficit in vita spirituali, cui nihil commune est cum carne, cui peccator (de quo nobis sermo) usque adeò addictus est, ut vel ipse affirmet, se minimè posse secundùm carnem non vivere, id est carni non obsequi,

CAPUT XLIII.

Amplius ostenditur, eos qui Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta fructuosè recipiunt, citò & facilè in crimina non relabi.

548 SUperiori capite id per experientiam probatum est, sive ex eo quòd facilè & citò in crimina relabentes in seipsis experiantur, & nos in ipsis experiamur effectus planè contrarios effectibus Sacramentorum illorum. Idipsum nunc amplius ostendere libet multiplici ratione.

549 Et *prima* quidem *ratio* est, quia omnis qui Sacramenta fructuosè recipit, ex Deo natus est. Sed *omnis qui natus est ex Deo, peccatum* (mortale) *non facit: quoniam semen ipsius in eo manet. Et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* 1. Joan. 3. Et cap. 5. *Qui natus est ex Deo, non peccat: generatio enim Dei conservat illum. Hoc est* (inquit Granatensis) *divina cognatio, quâ homo cælestis Spiritûs particeps effectus est, conservat illum, & à terrenis rebus abductum ad cælestia rapit: cùm sit in ejus pectore fons aquæ salientis in vitam æternam. Hac igitur de causa Joannes ait, non peccare: quoniam vel perpetuò à lethalibus abstinebit peccatis, vel certè rarò & difficulter in ea corruet.*

550 Non hoc ergo solùm vult Joannes, quòd natus ex Deo, tunc non peccet, cùm ex Deo natus est: cùm verba ipsius in sensu morali & usitato amplius importent; quòd utique ex Deo natus, vel numquam, vel rarò & difficulter adduci queat ad mortaliter peccandum. Sic enim similes locutiones ab omnibus passim intelligi solent: *Vir honestus non frangit fidem. Bonus Judex non est acceptor personarum. Bonus Sacerdos non frequentat popinas, nec choreas, aut saltationes publicas. Bonus Religiosus non habet proprium. Bonus Christianus non blasphemat. Bonus Mercator non facit fraudes*, &c. Quarum propositionum sensus vulgaris & usitatus non est solùm, quòd vir honestus, dum est honestus (sive in sensu composito, ut Thomistæ loquuntur) non frangit fidem, bonus Judex, quamdiù est bonus, non est acceptor personarum, &c. Sed sensus vulgaris & usitatus est, quòd similia vel numquam, vel rarò, & nonnisi difficulter faciat, sive quòd similia facere non soleat, quòd econtrà magno studio satagat à similibus abstinere. Et ratio quam Joannes reddit, sensum illum clarè indigitat, *generatio enim Dei conservat illum*, id est præservat illum à peccato, sive ab excidendo à divina nativitate per peccatum. Quomodò conservat illum & præservat? utique in quantum à terrenis abductum, ad cælestia elevat, & Spiritus sanctus in corde ipsius diffundit charitatem prævalentem cupiditati, per quam proinde factus cupiditate fortior, non facilè, nec sine animi sensu & reluctatione posteà adduci potest ad peccandum.

551 Quem sensum ipsamet Veritas in Evangelio confirmat dicens: *siquis diligit me, sermonem meum servabit.* Neque enim dicit: *siquis diligit me, sermonem meum servat, cùm diligit*; sed in futurum *servabit*; ex vi præsentis dilectionis futuram inferens mandatorum observantiam. Eò quòd utique præsens Dei dilectio prævaleat cupiditati, mentemque hominis firmet ac roboret adversus eam, ne per eam inducatur in mandatorum prævaricationem. Ad quod tamen necesse est, ut Dei dilectio per orationem, & bona opera nutriatur, ne tepescat, ficque locum det cupiditati, ut paulatim incalescat, tandemque prævaleat contra charitatem.

552 *Secunda ratio* est, quia omnis qui Sacramenta illa fructuosè recipit, justus est, & sanctus, justitiâ & sanctitate novi Testamenti. Sed justitia & sanctitas novi Testamenti tam firmas in corde justi radices agit, ut nec facilè, nec citò, nec crebrò amitti soleat. Id enim probant imprimis verba Joannis n. 549. exhibita.

553 2°. idipsum probat comparatio justi cum arbore, secus decursus aquarum plantata, quam Regius Psaltes facit Psal. 1. *Justus* (inquit) *erit tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo, & folium ejus non decidet.*

554 3°. idem probat antithesis, quam ibidem facit inter justum & impium: *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Non sic ergo justus, sicut impius, quia justus non facilè (ut impius) dejicitur à vento tentationis, sicut pulvis à vento facilè projicitur à facie terræ. Idem probat comparatio justi hominis cum palma & cedro Libani (inter omnes arbores contra ventum & procellam firmissimis) quam idem facit Psal. 91. *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.*

555 4°. idem probat comparatio ædificii spiritualis hominis justi cum domo supra firmam petram ædificata, quam Salvator facit Matth. 7. *Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea* (hoc facit omnis homo justus) *assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti* (tentationum) *& irruerunt in domum illam, & non cecidit*, &c.

556 5°. idem probat antithesis proximè dicti ædificii cum ædificio spirituali hominis impii, quam Salvator subjungit ibidem: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti* (tentationum) *& irruerunt in domum illam, & cecidit*, &c. Nemini quippe dubium est, posterioribus hisce verbis (*omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea*) impium designari; prioribus (*omnis qui audit verba mea hæc, & facit*) designari justum.

557 6°. idem probatur ex Proverb. 10. *Justus in æternum non commovebitur.* Quæ verba ut minimum significant, quòd vel numquam, vel rarò, nec facilè, & citò commovebitur.

558 7°. ex Eccli. 27. *Homo sanctus* (id est per gratiam sanctificantem justificatus) *in sapientia manet sicut sol: nam stultus* (id est improbus, seu criminosus) *ut luna mutatur.* Quibus verbis Spiritus sanctus docet hominem justum imitari constantiam solis; criminosum verò, mutabilitatem lunæ.

559 8°. ex Eccli. 15. *Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens est justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. ... firmabitur in illo* (Græcè super eam) *& non flectetur.* Ubi Sapiens docet, quòd justitia æterna occurrat homini justo, *quasi mater honorificata*, ut ipsum adjuvet, suisque bonis repleat. *& quasi mulier à virginitate*, id est non quasi meretrix & impudica, cujus amor vagus est & inconstans; nec tamquam vidua, marito defuncto adhuc servans amorem, sed quasi virgo (quæ nulli alteri adhuc affixit amorem, ideòque primum virum firmiùs & teneriùs amat) ipsum tenerè & firmiter amandum, fovendum, & servandum suscipiat, & in justitia firmabit. Hoc est enim quod sibi vult textus Græcus: *firmabitur super eam.* Et in idem recidit, si cum Vulgata legas: *firmabitur in illo.* Dum enim justus per justitiam æternam firmatur, ipsa etiam justitia æterna firmatur in illo, nec facilè & citò recedit ab illo, prout Jansenius Gandensis sapienter observat.

560 9°. ex Hierem. 31. ubi justitiæ novi Testamenti, seu Christianæ (præ Judaïca) constantia describitur, & prædicitur his verbis: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Judæ fœdus novum, non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum.... pactum, quod* constanter non servaverunt, sed per idololatriam suam, aliaque crimina, crebrò *irritum fecerunt.... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël... Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Notate verba, signate mysteria: ut quid feriendum dicit cum filiis novi Testamenti *fœdus novum, non secundùm pactum, quod pepigit cum Patribus eorum, pactum, quod* frequenter *irritum fecerunt*, nisi ad significandum fœdus justitiæ novi Testamenti constanter servandum, non (Judæorum more) frequenter, citò & facilè violandum? Ut quid lex Dei scribenda promittitur in corde, & in visceribus justorum novi Testamenti, nisi ad significandum, quòd justitia novi Testamenti radicabitur in cordibus eorum, foretque voluntaria, non coacta; ex amore procedens, non ex timore (uti justitia Judæorum) transiretque in affectum cordis; & ideò saltem catenùs constans esset, quòd nec citò, nec facilè, nec frequenter abjiceretur, uti justitia Judæorum. Ad quod etiam significandum, justis novi Testamenti promittitur cor novum, spiritus novus, cor carneum, non ampliùs lapideum. Ut enim sapienter observat Illustrissimus Neercasselius Episcopus Castorienfis in Amore suo Pœnitente l. 2. c. 3. *quæ ex spiritu & affectu cordis procedunt, non solent desultoriâ levitate nunc fieri, & nunc intermitti, sed constanti tenore procedere.* Unde Scriptura Psal. 72. volens constantem quorumdam impietatem exprimere, *prodiit* (inquit) *quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Caufaque desultoriæ seu inconstantis justitiæ Judæorum ea fuit, quia Deo vero non servierunt corde novo, sed veteri; non carneo, sed lapideo; non ex amore, sed ex timore; proinde non ex affectu cordis. Ideò ergo *citò fecerunt, obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt*, id est constanter non tenuerunt, *consilium ejus.* Psal. 105. Videri potest Augustinus 83. qq. q. 66.

561 10°. justitiam Christianam, sive novi Testamenti describens Apostolus in Epist. ad Rom. eam in eo opponit statui Gentilium ante legem, & Judæorum sub lege, quòd tam isti, quàm illi omnes sub peccato concluſi fuerint: Christianis verò, qui sunt sub gratia, id est justis, peccatum ampliùs non dominetur, sed *mortui sint peccato. In novitate vitæ ambulent. Ultrà non serviant peccato*: sed *liberati à peccato, servi facti sunt justitiæ.* Servus verò justitiæ non facilè abjicit justitiam, quia servus non facilè excutit jugum Domini potentis. Semelque mortui peccato, non facilè adhuc vivunt peccato. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo*, inquit Apostolus ibidem? Mortui verò non sunt peccato, nec in novitate vitæ ambulant, sic ut ultrà non serviant peccato, quorum vita non est missi Confessionum, & repetitionis criminum vicissitudo.

562 11°. hominem existentem sub gratia, sive Christianum justum, Augustinus in eo distinguit ab homine existente ante legem, & sub lege, quòd peccare desinat, utpote fixus in gratia & charitate. Siquidem in expositione quarumdam propositionum epist. ad Rom. necnon in expositione capitis 5. epist. ad Galatas, & alibi sæpè distinguit quatuor hominis status, *ante legem, sub lege, sub gratia, in pace.* In eo verò hominem sub gratia distinguit ab homine ante legem, & sub lege, quòd homo ante legem, & sub lege sequntur concupiscentiam: sub gratia verò, *tametsi* (ait in priori loco) *desideria quædam carnis adversus spiritum pugnant, ut eum ducant in peccatum; non tamen his consentiens spiritus*, QUONIAM EST FIXUS IN GRATIA ET CHARITATE, *desinit peccare.* Igitur homo in statu gratiæ secundùm Augustinum saltem hoc sensu peccare desinit, quòd facilè non peccet, nec gratiam & charitatem facilè deserat, eò quòd fixus est in gratia & charitate. Nec proinde justus tam citò & facilè transit de justitia ad peccatum, deque peccato ad gratiam, ut Juniores existimant. Quomodò in gratia & charitate fixus, in quo gratia & charitas fixa non est, nec stabilis, sed tam citò, tamque facilè labilis?

12°. Christianus justus haud dubiè est bonæ 563
fidei, & bonæ spei Christianus. Atqui secundùm eundem Augustinum serm. 129. de verb. Apost. *peccata mortifera, quæ uno ictu perimunt, non facit bonæ fidei, & bonæ spei Christianus.* Neque (hoc dicendo) solùm vult, bonæ fidei, & bonæ spei Christianum, quamdiù talis est, peccata mortifera non committere (cùm verba ipsius in sensu morali & usitato amplius sonent) sed tam magno studio conari ea effugere, ut ea numquam vel rarò, nec facilè, sed difficulter committat. Sic enim similes propositiones ab omnibus passim intelligi solent, ut ostendimus n. 550. Et sic se intelligere serm. 56. de temp. satis declarat, dicens, quòd boni Christiani officium sit, ut SEMPER CRIMINA CONETUR EFFUGERE. Quod qui seriò semper conatur, ea numquam vel rarò, & nonnisi difficulter committit.

Tertia ratio, quâ præcedens roboratur, est quia 564
ad dignam fructuosamque Sacramenti Eucharistiæ perceptionem requiritur verus Dei amor, in omnes affectus & passiones ipsius dominans, sincerumque desiderium in eo magis & magis proficiendi, ut constat à num. 501. ad 507. Talis enim amor & charitas requiritur in omni justo, & in omni bono Christiano, ut ostensum est ibidem. Atqui talem habens amorem & charitatem, crimina facilè & citò non committit. Tum quia quisquis amicum verè diligit, facilè & citò ipsum non abjicit. Tum quia amor Dei, taliter dominans in corde ipsius, fortior est omni cupiditate, ipsum ad peccatum alliciente, ipsamque velut fractam & debilitatam sibi subjicit, atque impedit, ne hominem pertrahat in peccatum.

Quarta ratio est, quia ad dignam Communio- 565
nem, per se loquendo, requiritur status gratiæ & charitatis per Spiritum sanctum in corde diffusæ. Atqui charitas per Spiritum sanctum in corde diffusa, *plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti*, inquit S. Thomas 3. p. q. 70. a. 4. Et ideò homo justus (ut Augustinus & alii Patres tradunt) per inhabitantem in se Spiritum sanctum Dei, diffusamque in corde suo charitatem, adeò roboratur, ut fortior in ipso sit charitas quàm cupiditas. Et quamvis *remissâ culpâ remaneant in ipso dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ; remanent tamen debilitatæ & diminutæ* (ait S. Thomas 3. p. q. 86. a. 5.) *ita quòd homini non dominentur*, sed illis charitas dominetur. Et ideò q. 24. verit. a. 2. ad 9. docet, quòd non sit facilis reditus à gratia ad peccatum. Quia fortior charitas à debiliore cupiditate nec citò, nec facilè vincitur. Præsertim cùm charitatem infusæ virtutes comitentur. *Homo verò* (ut S. Doctor rursum ait 3. p. q. 62. a. 2. ad 2.) *impeditur per virtutes & dona à peccando.* Itaque homo justus *concupiscit adversus carnem fortiore robore charitatis* (inquit Augustinus Enchirid. 118.) *ut quamvis sit adhuc quod homini repugnet ex homine, nondum totâ infirmitate sanatâ; ex fide tamen justus vivat, justèque vivat, in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Siquidem *justificat Deus impium, non solùm dimittendo quæ mala fecit, sed etiam donando charitatem, ut declinet à malo, & faciat bonum.* Lib. 8. contra Julian. c. 165. *ita ut delectatio peccati, justitiæ delectatione vincatur.* Ibid. c. 217. *Siquis liberatus fuerit à peccatis suis, non habet unde dominetur ei princeps tenebrarum.* Enarrat. in Psal. 84. *Gratia itaque facit, ut peccatum tibi non dominetur.* L. de continentia c. 5. Quia ut in pugnâ interna justus *non deficiat.... magnum adjutorium habet, quo vincit quod in illa sibi rebellat, si perseverat in pugnando.* Enarrat. in Ps. 63. Atqui ut perseveret in pugnando, gratiam specialem accipit per Eucharistiæ Sacramentum, ut suprà vidimus. Ne igitur carni succumbas, *Redemptor tibi Spiritum dedit, quo mortifices facta carnis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Serm. 43. de verb. Dom. c. 7. *Non enim non habes, unde pugnes* (præmiserat c. 6.) *Deus tuus in te est adversus te, adversus illud quoque quod in te est contra te.* Denique in homine justo *charitas interiore delectatione tenet mentem, ne ad peccatum delectatione rerum terrenarum teneatur.* 88. qq. q. 66. Quæ omnes Augustini & Aquinatis sententiæ, amplius sonant, quàm hominem justum, quamdiù justus est, sive in sensu compositio, non peccare (ob ea quæ dixi n. 550. & 563.) imò apertè sonant, justum per gratiam inhabitantem, virtutesque infusas & dona adeò roborari contra peccatum; adeò etiam in ipso diminutam esse cupiditatem inclinantem ad peccatum, ut facilis non sit ipsi reditus ad peccatum. Cùm igitur non hoc, sed contrarium experiantur, qui post Confessionem & Communionem facilè & citò redeunt ad sólita crimina; ex sententiis illis perspicuè conficitur, ipsos per Confessionem Communionemque nec gratiam, nec charitatem inhabitantem, nec virtutes & dona consecutos. Si enim consecuti fuissent, in tantum liberati essent à peccato, ut ad illud facilè & citò non rediremt. Cùm primus & infimus gradus gratiæ & charitatis sit christiana libertas; & prima libertas christiana sit vivere absque crimine, ut Augustinus docet tr. 41. in Joan. *Prima libertas est carere criminibus. Cùm cœperit ea non habere homo* (*debet autem ea non habere omnis Christianus homo*) *incipit caput erigere ad libertatem.* Omnis autem liberatus à peccato, mortuus est peccato, nec proinde facilè adhuc vivit peccato; nec solùm peccato mortuus, sed & servus factus est justitiæ, ut Apostolus docet Rom. 6. Quia scilicet amor justitiæ in ipso dominatur, & fortior est amore peccati. Servus verò facilè non excutit servitutem Domini fortioris, ut iterùm dixi n. 561.

566 *Quinta ratio* est, quia charitas (quæ per Spiritum sanctum infunditur omni homini Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta fructuosè suscipienti) est habitus. Habitus verò est *qualitas de difficili mobilis.* S Thomas 1. 2. q. 49. a. 1. quia *habitus dicuntur illæ qualitates, quæ secundùm suam rationem habent quod non de facili transmutentur... ex quo patet, quòd nomen habitus diuturnitatem quamdam importet.* Ibidem a. 2. ad 3. Si vera sit Angelica ista doctrina, ergo gratiam & charitatem habitualem censendi non sunt confitendo & communicando recepisse, qui post Confessionem Communionemque æquè citò facilèque crimina repetunt, ut antè. Cùm secundùm Angelicam doctrinam illam gratia & charitas habitualis facilè & citò non sit amissibilis.

567 *Sexta ratio* est, quia habens habitum virtutis, *firmiter & immobiliter habet se* in bono: ista quippe *firmitas propriè pertinet ad habitum.* Aquinas 1. 2. q. 100. a. 9. Ergo qui per Sacramentum Confessionis Communionisque habitum recipiunt charitatis, tametsi per eum impeccabiles non evadant (eò quòd charitas recipiatur in homine secundùm conditionem hominis, qui in statu viæ flexibilis est in bonum & malum;) habent tamen firmitatem quamdam immobilitatemque in bono. Quam non habent qui citò & facilè declinant à bono, & faciunt malum, prout faciunt recidivi nostri.

568 *Septima ratio* est, quia si recidivi, de quibus agimus, confitendo, communicandoque, habitum reciperent charitatis, aliasque proinde virtutes infusas & dona, promptè & delectabiliter moverentur ad bonum supernaturale. Sed ipsimet experiuntur contrarium. Ergo. Minor patet, quia experiuntur se ad bonum supernaturale promptè & delectabiliter non moveri, magis quàm antè; imò contrarium experiuntur; cùm idem experiantur ad spiritualia & supernaturalia fastidium quàm antè, parique quàm anteà promptitudine ac delectatione moveantur ad carnalia bona, spiritualibus & supernaturalibus contraria. Promptissimè namque delectabilissimèque moventur erga vetita bona creata, quibus avertunt sese à bono spirituali & supernaturali æterno. Sola proinde major probanda superest. Probat eam Angelica doctrina, quam S. Thomas tradit 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. *Charitas super naturalem dilectionem Dei, addit promptitudinem quamdam & delectationem, sicut habitus quilibet virtutis.* Et q. 110. a. 2. *Illis quos Deus movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas, seu qualitates,* id est habitus, *supernaturales, secundùm quas suaviter & promptè ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum.* Et 2. 2. q. 23. a. 2. *Nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum, sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur.*

569 *Octava ratio* est, quia frequens Confessio Communioque fructuosa aptissimum est remedium contra relapsum, ut S. Franciscus Salesius Instit. Confess. c. 8. & Theologi communiter tradunt cum S. Carolo Borromæo in Instruct. Pastor. & Confessar. c. 16. & in Concilio Provinciali VI. Quia (ut Salesius Introd. p. 2. c. 20. ait) *qui Eucharistiam crebrò cum devotione suscipit, ita animæ suæ vitam & sanitatem confirmat, ut ipsum propemodùm impossibile sit, ab aliquo sinistro affectu, vitiosaque inclinatione intoxicari.* Sed contrarium verificatur in iis qui post frequentem Confessionem Communionemque citò, facilè & frequenter ut antè mortiferis affectibus intoxicantur. Signum ergo est, quòd frequens Confessio Communioque non sit ipsis fructuosa, defectu debitæ devotionis & dispositionis. Aliàs effectum reciperent aptissimi illius contra relapsum remedii. Quicumque enim sine obice & defectu debitæ dispositionis, fructuosè recipiunt, & frequenter recipiunt aptissimum remedium contra malum, v. g. contra febrim, à malo isto liberantur, liberatique in illud facilè & citò non relabuntur: utpote aptissimo contra relapsum antidoto muniti. Nec est qui credat aptissimum contra relapsum in febrim remedium ab eo sine obice recipi, & frequenter recipi, in quo nullus istius remedii effectus appareat, ne ipsa quidem febris diminutio, vel rarior relapsus in illam; sed apparent omnia contraria.

Octo illæ rationes validè probant, statum hominis per Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ sanctificati, & per virtutem eorum roborati, non esse statum inconstantem & desultorium, uti pluribus videtur Casuistis; sed statum habentem firmitatem & stabilitatem; utpote statum hominis resuscitati de morte ad vitam, in quo justitiæ rerumque cælestium amor devictâ cupiditate dominatur, regnatque Dei Spiritus, qui humani cordis possessionem non accipit ut citò transeat, sed ut maneat, prout Veritas in Evangelio, & Apostolus in epistolis suis docet, ita

ut

at det homini virtutem imitandi Christum, qui resurgens à mortuis *jam non moritur*.

570 *Nona ratio* est, quia citò, facilè & frequenter post Confessionem Communionemque in crimina relabentes, utplurimùm sunt de numero reproborum, uti probabitur lib. sequenti. Utplurimùm ergo in vita, & in morte Sacramenta illa infructuosè & cum obice suscipiunt. Si enim utplurimùm fructuosè ea susciperent in vita, utplurimùm etiam fructuosè reciperent in morte; sicque forent de numero prædestinatorum, non reproborum.

571 *Decima ratio* est, quia recidivorum illorum conversio & pœnitentia utplurimùm est ficta, vel non plena, sive ex toto corde, ut fusè probabitur libro sequenti. Ad dignam verò & fructuosam Confessionem Communionemque peccatori necessaria est conversio & pœnitentia vera & plena, sive ex toto corde.

CAPUT XLIV.

Ex dictis confutantur propositiones 1. 2. 3. 4. 5. 6. *&* 11. *capite* 34. *recensitæ, Adversariorumque objecta dissolvuntur.*

572 COnfutantur (inquam) tamquam non satis consulentes reverentiæ & devotioni divinissimo Sacramento debitæ, Patrumque monitis & doctrinæ adversantes.

573 Et quartam quidem, aientem, manifestum esse, secundùm doctrinam Concilii Tridentini sess. 13. c. 7. ad dignam Communionem solùm requiri statum gratiæ, à veritate manifestè alienam esse, constat ex dictis capite illo 34. Quia manifestum est Tridentinum ibi solùm docere conscio peccati mortalis Confessionem esse necessariam. Quòd autem sufficiat? nullo modo dicit; ne implicitè quidem. Cùm enim toto cælo differant necessarium & sufficiens (respiratio quippe ad vitam necessaria est, non sufficiens) manifestum est, quòd docendo illud prius, ne implicitè quidem doceat posterius. Idque ampliùs manifestum est 1°. ex eo quòd Tridentinum non obliget Confessarios ad absolutionem promiscuè impartiendam, Communionemque permittendam peccatoribus omnibus, crimina sua confitentibus. 2°. ex eo quòd Tridentino non contradicat Ecclesiæ devotissimus & submississimus, Ludovicus Granatensis, dum Memorialis tr. 3. c. 5. de grandi abusu, intolerabilique temeritate corripiendos asserit Christianos, *qui cùm vitam omnibus vitiis inquinatissimam egerint, evoluto anno confitentur, & vix mille criminum abominationumque genera apud Sacerdotem evomere desierunt, cùm sese ad cœlestem mensam propripiunt, & manducant panem Angelorum, ad cujus dignam perceptionem vel ipsa Angelorum puritas exigeretur, si ad illam homines pervenire possent.* Certè quòd tales non solâ se Confessione, sed & pœnitentiæ ac pietatis operibus purificare debeant, antequam immaculatum Agnum suscipiant, communis est doctrina Patrum, contra quos nihil docuit Tridentinum. 3°. ex eo quòd Tridentino etiam non contradicant celebres Authores sequenti capite proferendi, qui asserunt mortaliter, vel saltem venialiter peccare Sacerdotem, qui post fornicationem nocte præcedenti habitam, & multò magis post adulterium, sodomiam, bestialitatem, sequenti die confestus celebrat. 4°. ex eo quòd Tridentino non adversetur Synodus Augustana in Germania anno 1548. ab Othone Cardinale S. Balbinæ & Episcopo Augustano congregata, pluribus in catibus post factam Confessionem, venerabilis hujus Sacramenti sumptionem interdicens, & in fine determinans, quòd *quilibet Confessor, cui curæ sunt animæ sibi confitentium, pro peccatorum magnitudine ac gravitate, eisdem sibi confitentibus, seu filiis Confessionis suæ, ex causa quæ sibi justa videbitur, ad tempus sacrâ Communione interdicere possit, eique tales confitentes morem gerere debent.* Cui conformiter Concilium Biturisense anni 1584. tit. 22. c. 5. ad communicandum præter contritionem & Confessionem requirit præparationem per pœnitentiæ opera. 5°. denique doctrina quæ asserit, ad dignam Communionem sufficere statum gratiæ, nec ampliùs quidquam requiri, contra se habet doctrinam Sanctorum, ipsiusque sanctissimi D. N. Innocentii XI. in Decreto cap. 37. relato (quos certum est Tridentino minimè contradicere) imò contra se etiam habet ipsummet lumen rationis. Si enim status gratiæ sufficiat ad dignam, sufficit & ad fructuosam Communionem, gratiæque augmentum per eam acquirendum. Quo posito, non solùm frequens, sed & quotidiana Communio suadenda erit omnibus, qui licèt peccaverint, per Confessionem ab Adversariis præsumuntur esse in statu gratiæ, quàmlibet indevoti sint, & pleni distractionibus, irreverentiis, negligentiis, infidelitatibus & peccatis, quæ de se non sunt mortale peccatum. Hoc autem perspicuè adversatur doctrinæ Sanctorum, ad frequentem Communionem requirentium reverentiam magnam, devotionem, affectum à venialibus expurgatum, &c. Adversatur & laudato Innocentii Decreto, majorem devotionem præparationemque requirenti ad frequentius, quàm ad rarius communicandum. Adversatur denique lumini naturali, idipsum haud minùs postulanti, quàm majorem ornatum ad frequentius & familiarius, quàm ad semel dumtaxat accedendum ad Regem.

Quinta verò & sexta propositio confutata manet ex doctrina Sanctorum cap. 33. 34. 35. & 38. exhibita. Sicut & 1a. 2a. & 3a. ex dictis cap. 41. 42. & 43. Siquidem ex ibi dictis liquidò apparet, infructuosas, defectuosas, & ad minimum valdè suspectas esse Confessiones Communionesque facilè, citò, & frequenter in crimina relabentium. Utplurimùm enim laborant defectu veræ & sufficientis aversionis à peccatis, conversionisque ad Deum, prout multiplici ratione, Sanctorumque authoritate libro sequenti uberiùs demonstrabimus. Unde & Granatensis loco suprà relato de ficta pœnitentia differens, *talis* (inquit) *eorum pœnitentia esse videtur, qui ubi primùm scelera sua hoc tempore confessi fuerint, in eadem protinùs relabuntur, neque de prima consuetudine jurandi, perjurandi, mentiendi, detrahendi, maledicendi, malè precandi, atque concupiscendi quidquam remittunt, nec ullum virtutis ac pietatis officium amplectuntur, sed iidem omninò permanent, qui antè fuerant. Quos verisimile est Sacramenti virtutem & gratiam minimè percepisse.* 574

Et quamvis iidem omninò non permanerent, sed ex parte conversi essent, nec ita frequenter (ut antea) post Confessionem Communionemque relaberentur in crimina; si tamen in ea adhuc frequenter, v. g. bis aut ter in mense, & multò magis si bis aut ter in hebdomada, facilèque, ac sine magna resistentia, citò post Communionem (v. g. postero, tertio, aut quarto die à sacra Communione) relaberentur, signum adhuc foret nondum plenæ, insufficientis proinde ad Deum conversionis, infructuosæque Communionis, prout Emericus de bonis sapienter observat. Quia (inquit) tam crebri, faciles, & citi in eadem crimina reditus, debitam præparationem defuisse testantur, ut ex dictis in tribus capitibus præcedentibus satis colligitur. Unde meritò addit, quòd *multò satius est hîc frænа cohibere, quàm laxare:* quoniam nimia facilitas semper causa fuit, & etiam nunc 575

est, cur *multi labantur*, & facilius *in peccatum cadant*, & *corrigere se negligant*, dum suorum criminum gravitatem non satis apprehendunt.

576 Nec certè censendi sunt Communione digni, nisi casti, justi, sobrii, &c. Communi verò hominum sensu non censentur casti, justi, sobrii, &c. qui semel aut bis in mense, & multò minùs qui semel aut bis in hebdomada fornicationes, injustitias, vel ebrietates committunt; tales proinde communi hominum sensu non reputantur plenè conversi; sed illi ad summum qui rarò, nec citò nec facilè crimina admittunt; quales non sunt qui ea semel aut bis in hebdomada, vel in mense admittunt. Denique tales non sunt sanati, sancti, innocentes, peccato, mundo, ac sibimetipsis mortui, nec divinus amor adhuc dominatur super omnem affectum & passionem eorum, nec sincerum adhuc desiderium habent in eo magis ac magis proficiendi. Ergo non censentur iis dispositionibus præditi, quas ad dignam fructuosamque Communionem, præsertim octiduanam, vel menstruam requirunt Sancti cap. 41. & 43. commemorati. Quæ omnia manifestiùs apparebunt ex dicendis libro sequenti de recidivorum conversione.

577 Non me latet recidivorum Patronos objicere. 1°. relapsum ipsorum tribuendum non esse defectuosæ pœnitentiæ ipsorum; sed vel humanæ inconstantiæ, seu humanæ conditionis imbecillitati, arbitriique flexibilitati, vel etiam pravis habitibus, inveteratæque consuetudini, eò quòd difficillimum sit ipsam (utpote alteram quasi naturam) exuere.

2°. nisi recidivi illi pane cælesti reficerentur, fore ut crebriùs in crimina relaberentur, ipsoque id saltem emolumenti ex sacra Communione percipere, quòd rariùs peccent.

3°. si ipsis Communio inutilis foret, vel etiam nociva, non afficerentur subinde il à quam communicando sentiunt, internâ suavitate, & tranquillitate.

4°. aliqui de recidivis illis sunt de familia, vel sodalitate statuente singulis mensibus communicandum, vel etiam quotidie celebrandum. A quo proinde sine nota & scandalo abstinere non possunt.

578 Sed ad primam objectionem respondeo, cap. 42. & 43. ex sacris oraculis, Patribus, multiplicique ratione satis à nobis probatum, ipsorum Confessionem Communionemque fuisse inutilem & infructuosam, defectu debitæ dispositionis; cui proinde tribuendus sit relapsus ipsorum, non humanæ dumtaxat inconstantiæ, &c. Quod & amplius probabitur libro sequenti.

Ad secundam respondeo cum Emerico de bonis, *ad id Eucharistiæ Sacramentum non fuisse institutum, ne tam sæpè homines peccata committerent (quamvis id quoque, vel etiam quid præstantius dignè sumentibus præstet)* sed ut in fortitudine cibi illius ambulent usque ad montem Dei Horeb, imò usque ad verticem illius, id est *ut sit illis esca cælestis*, quâ confortati, *ad virtutis culmen promoveantur. Ipsi verò non recipiunt effectus ipsos, utpote tam alieni à perfectione. Nec divino illo pane spiritualiter aluntur*, sed carnaliter dumtaxat: alias peccato, mundo, ac sibi mortui vitam ducerent spiritualem, cui nihil commune cum carne, peccato, & mundo: quibus ideò serviunt, quia habent in se dominantem tyrannum, seu cupiditatem, vel mammonæ, vel luxuriæ, vel odii, vel iræ, vel alterius passionis, per quam Christum, quantùm in ipsis est, interimunt, & Judæ similes, Christum produnt, licèt osculari videantur. In eo etiam similes Herodi, quòd in specie apparent Christo devoti, ipsumque specietenus adorare velle videntur, sed revera produnt, ut Chrysostomus observat homil. 7. in Matth. *Cave* (inquit) *ne Herodi efficiaris similis, & dicas*, " ut & ego veniens, adorem eum. " *Hujus enim similes sunt, qui indignè abutuntur Communione mysterii* (quâ secundùm Basilium abutuntur qui ad tremendum mysterium accedunt necdum mortui peccato, mundo ac sibi) *reus est enim iste* (inquit) *corporis & sanguinis Domini. Qui enim hujusmodi sunt, habent in se tyrannum, regno Christi jugiter invidentem, longè sanè Herode illo nequiorem, mammonam scilicet*, vel aliam pravam cupiditatem, in corde suo latenter dominantem, *per quam, quantùm in ipsis est, interimunt Christum*, licèt *specietenus adorare videantur.*

Ad tertiam respondeo cum eodem Emerico, 579
suavitatem illam & tranquillitatem valdè esse suspectam, errorique & illusioni obnoxiam; *nec à sumpto corpore Christi, nec à vera pietate, sed ab alia causa proficisci, vel aliquam dæmonis fraudem subesse. Turcæ namque, cùm suum Muhumetem colunt, aut de eo sermonem audiunt, tam magno, tamque suavi animi affectu commoventur, ut etiam in lachrymas erumpant. Quod tamen vel divinitùs immissum, aut veræ pietatis affectum nemo dixerit.* Vera namque pietas, *& solida animi jucunditas, non in fervoris sensibilis affluentia, non in sensibili dulcedine, nec in mollibus quibusdam affectibus & lachrymis consistit*, inquit Cardinalis Bona princip vit. Christ p. 1. §. 44. id etiam probans ex eo quòd Turcæ, aliique infideles & perditissimi homines, in suis precibus & sacrificiis hæc interdum experiantur. Vide suprà num. 519. & seqq.

Ad quartam respondeo cum eodem, frequen- 581
tandæ Communionis tempora, non humanis rationibus, sed veræ pietatis affectibus & fructibus definienda esse, istisque sodalitatum familiarumque statutis, vel consuetudinibus, procurandæ debitæ dispositionis obligationem imponi, non verò indispositis obligationem communicandi vel celebrandi. Denique scandalo non ideò causam dari. Cùm à Communione abstinens dicere possit, se aliquâ animi anxietate imparatum abstinuisse, vel ex Confessarii consilio, qui nonnunquam ob venialem culpam, vel ad majorem devotionem, vel humilitatem excitandam, Communionem suspendere potest.

Confutandæ supersunt propositiones septima, octava, nona, & decima. Quod fiet capitibus sequentibus.

CAPUT XLV.

Confutantur propositiones, septima permittens, & octava consulens Communionem Sacerdotibus & Laicis confessis, ipso die commissæ fornicationis, vel adulterii, vel sodomiæ, vel bestialitatis.

PRopudiosas propositiones istas retulisse, confu- 582
tasse est; vel enim ipso primo aspectu soli tenebras offundere videntur, ipsique inter scribendum atramento nostro ruborem injicere. Ergone usque ad propositiones tantum horrorem piis mentibus incutientes, tamque alienas ab Ecclesiæ spiritu, à doctrina Sanctorum, & à piorum fidelium sensu, devenire potuit Casuistarum Novaturientium laxitas? An non æquum est ut ipsos pudeat Veterum sequacibus novitatem objicere, cùm ipsimet tam aperte, tamque fœtidè Novatores sint?

Eas profectò alienas esse ab Ecclesiæ spiritu, 583
perspicuum est ex eo quòd Ecclesia, per multa sæcula (usque ad sæculum utique nonum) Sacerdotes & Diaconos, in fornicationem, etiam secretò lapsos, sacris mysteriis in perpetuum vo-

luerit esse privatos, ut constat ex D. Basilio Epist. Canon. 1. can. 3. Concilio Aurelianensi II. anni 533. can. 8. Epistolâ 1. Joannis II. ad Cæsarium Arelat. in causa Contumeliosi, Regiensis Episcopi, in fornicationem lapsi. Necnon ex eodem Cæsario, in eadem causa. Gregorio Magno l. 3. epist. 26. l. 4. epist. 16. & 17. l. 6. epist. 39. & l. 7. epist. 25. Martino I. epist. ad Amandum Episcop. Traject. ubi id manifestè continetur. Videri potest Eminentiss. Aguirius to. 2. dissert. 10. per totam.

584 Inclinante quidem sæculo octavo, vel sub initium noni, spuriæ Calixti, Gregorii ad Secundinum, & Isidori Hispalensis epistolæ (quas vel suppositias, vel fictitiis assumentis interpolatas esse, nullus eruditus hodie dubitat) occasionem dederunt laxandæ antiquæ circa hoc severitatis, quoad Sacerdotes & Diaconi, clàm fornicati, nonnisi post actam occultè pœnitentiam diuturnam, & condignam, restituerentur, prout luculentis Hincmari, Anselmi, Gratiani, aliorumque testimoniis ostendunt Albaspinæus, Morinus, Neercaselius, Merbesius, & Eminentiss. Aguirius.

585 Tametsi verò in totum hoc tempore servandus non sit rigor veteris illius disciplinæ; non est tamen in totum negligendus, & floccifaciendus, prout sit per fœrentes illas propositiones; sed tic moderandus, ut saltem servetur internus spiritus illius; utpote semper idem & invariatus. Et quis fuit (quis proinde adhuc hodie est) internus Ecclesiæ spiritus in veteri illa disciplina? Docere fideles, quanta & quàm sublimis puritas corporis & animæ requiratur in iis qui sacrificium Deo offerunt, & tale tantumque sacrificium, quale est diviniss imi corporis & sanguinis Domini, & quanta sit difficultas recuperandi eam, semel amissam per crimen, præsertim carnale. Si enim Apostolus in epist. ad Tit. c. 1. & 1. Timoth. 3. Diaconos esse vult *sine crimine*. Et in hoc posteriore loco, agens specialiter de Diaconis (in quibus non tanta pietas puritasque exigitur, sicut in Presbyteris) requirit ut sint *pudici, habentes mysterium fidei in conscientia pura.... & sic ministrent, nullum crimen habentes*: quantò magis id requiritur in Presbyteris & Episcopis? Ideò omne crimen in baptizatis olim impedimento erat ad Ordinum susceptionem, & præsertim crimen impudicitiæ, quod specialem habet repugnantiam cum sanctitate necessaria ad dignam susceptionem oblationemque Agni immaculati, virginalisque carnis & sanguinis Filii Virginis.

586 Quòdque de mente Ecclesiæ modernæ in totum negligenda non sit veterum Canonum Conciliorumque circa Sacerdotes in peccatum carnis lapsos disciplina, non obscurè innuit Tridentinum, dum sess. 22 c. 1. ait: *Statuit S. Synodus, ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à sacris Conciliis, de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque vetinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis, copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem imposterùm, sub eisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur ... Siqua verò ex iis in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimùm in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindice pœnas persolvant.*

Vult ergo Tridentinum, jubetque, ut prisci 587
Canones de Clericorum *vita, honestate*, &c. (quorum præcipui sunt, qui agunt de Clericis lapsis in peccatum carnis) quantùm fieri potest observentur, in usumque revocentur. Quod procul dubio pro viribus curarunt S. Carolus Borromæus, venerabilis Bartholomæus de Martyribus, aliique Antistites, paris pietatis ac doctrinæ, in Diœceses suas reduces. Cùm tanta id sub comminatione Tridentinum injunxisset, *ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindice pœnas persolvant.*

Quòd si fortasse zelus, pietas ac doctrina S. 588
Caroli, aliorumque sanctorum Præsulum istius temporis, satis non fuerit ad eradicandas consuetudines pravas, adversus Ecclesiasticam disciplinam à longissimo tempore invalescentes; saltem ex laudato Concilii Tridentini Decreto habemus, id esse præter Ecclesiæ mentem, imò & contra mentem, saltem quatenùs Sacerdotes, in carnis peccatum lapsi, ad altare accedere prohibentur, antequam dignis pœnitentiæ fructibus sese expurgaverint. Cùm ista sit mitissima pars eorum, quæ à sacris exiguntur Canonibus, nedum Ecclesiæ Latinæ, sed & Græcæ, cujus veterem quoad hoc disciplinam veteri Latinæ conformem fuisse, scimus ex Epist. Can. 1. S. Basilii ad Amphilochium, in qua can. 3. statuitur, quòd Diaconus, post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem ejiciatur, *in Laicorum autem locum extrusus, à Communione*, post pœnitentiam, *non arcebitur*. Nec non ex Joanne Jejunatore, Patriarcha Constantinopolitano, Gregorii Magni synchrono, in Libro suo Pœnitentiali, ubi sic: *Sacerdotes, Episcopi & Diaconi, qui in gradu sunt, ad peccatorum Confessionem suscipiendi non sunt, nisi secundùm Deum securitatem eorum Confessoribus fecerint, quòd si alicujus criminis rei sunt, quod eos à sacris Ordinibus exercendis prohibeat, non amplius sacris ministrare audebunt.* Et infrà: *quòd si vel in unam solùm* (mulierem) *inciderit, sacrificandi potestate abdicatus sit, licèt martyrium decertaret, & mortuos suscitaret.* Et iste *mos antiquus apud Orientales in hunc usque diem perseverat*, inquit Morinus l. 5. c. 11. n. 12. Quod etiam testatur Arcudius Græcorum Rituum peritissimus l. 4 c. 2.

Et ideò Græci, eorumque imitatores Moscovitæ, Liturgiam celebraturi, istius disciplinæ etiamnum perieverantis rigorem veriti, sacrilego abusu, post commissam fornicationem, seu aliud ejusmodi crimen, rarò confitentur, ut suprà dixi: *tanti* namque *abusûs, tantique sacri egii causa hæc est* (ait post Arcudium Contensonus to. 8. diss rt. 4. c. 1. pag. 768. edit. 1.) *quòd cùm Canones antiqui Clericos in peccatum ad mortem, & nominatim in fornicationem lapsos, perpetuò ab executione Ordinum suspendant, eosque in sortem Laicorum rediganr; ne ab officio cessent, de graduque dejiciantur Græci Sacerdotes, nevè scelera sua ob interdictum ministerium aliis patefaciant, ideò sacramentalem refugiunt Confessionem; quasi verò idcircò magis digni, magisque ad divina conficienda, tractanda, sumendaque idonei sint, quòd culpas occultant suas.* 589

Sed & Patres spirituales, seu Confessarios (apud Græcos) prorsus alienos esse ab ea facilitate, quam inducunt duæ propositiones, contra quas disputamus, constat ex alia narratione, quam Morinus facit in Appendice edit. noviss pag. 140. se utique audivisse *à Latinis nonnullis, viris doctis, qui in Græcia cum Græcis diù versati fuerant, eorumque ritus attenderant, spirituales Patres, cùm aliquod crimen ipsis revelatur paulò gravius, statim pœnitenti inculcare solitos: ne communices. Sæpè etiam propter res non admodùm graves, à Communione sua sponte, & injussos abstinere, v. g. propter amplexus conjugales, propter infirmitates naturales,*

quæ immunditiam ſapiunt, variaque ejuſmodi, quæ viris mulieribuſque contingere ſolent. Qui ſe talibus contaminatum ſentit, non modò à Communione abſtinebit, ſed ne panem quidem benedictum accipiet, aut aquam benedictam hauriet, aut Evangelium oſculabitur, licèt horum abſtinentia ſit planè publica. Nec tamen cæteri fideles, abſtinentiam iſtam conſpicientes ſcandalum inde patiuntur, aut aliquid ſiniſtri de abſtinente concipiunt. Iſta ſunt (inquit) *antiquiſſimæ praxis expreſſa veſtigia. Ultimum enim quod pœnitenti concedebatur, & nonniſi purgatiſſimo, & vitiis defæcatiſſimo concedebatur, erat corporis Chriſti communio. Priùs & longè facilius ſemper ab Antiquis conceſſa eſt à peccatis abſolutio. Illa pretioſiſſima margarita eſt, quam prodigere præ cæteris omnibus maximè reformidarunt, cujus potiundæ causâ tot præparationes, libris præcedentibus explicatas, inſtituerunt, &c.*

590 Ecce quàm immanè ab illo Eccleſiæ Orientalis Occidentaliſque ſpiritu aliena eſt doctrina, quæ Sacerdotem ab ara Veneris, ipſo die commiſſi horrendi criminis, ad aram Chriſti accedere, manibuſque libidinis æſtu adhuc fumantibus, victimam puriſſimam offerre permittit.

Non ſum neſcius, Patronos exorbitantis iſtius doctrinæ dicturos, allatam Latinorum Græcorumque praxim, ſeu diſciplinam, ſaltem inter Latinos abrogatam eſſe. Verùm abrogata non eſt quoad id ſaltem, quod mixtum habet juris naturalis & divini: utpote quod nullo in contrarium uſu, quàmlibet longiſſimi temporis, abrogari poteſt, uti cum S. Thoma Theologi docent paſſim omnes. Exorbitantem verò doctrinam illam juri naturali & divino conſentaneam non eſſe, ex proximè dicendis apparebit.

591 Nec doctrina illa dumtaxat aliena eſt ab Eccleſiæ ſenſu, tam Græcæ, quàm Latinæ; ſed & à doctrina Sanctorum. Cyprianus namque libro de lapſis in eos Sacerdotes vehementer invehitur, qui Chriſtianos, in perſecutione lapſos, ante præſtitos dignos pœnitentiæ fructus, nedum abſolutione, ſed & ſacrâ Communione donabant. Verba ipſius cap. 7. ſunt ut ſequitur: *Qui vos felices dicunt, in errores vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant. Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul & inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem. Imperitus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat... Emerſit enim... novum genus cladis... acceſſit ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam, laxatur incautis Communio, irrita & falſa pax... A diaboli aris revertentes, ad ſanctum Domini ſordibi & infectis nidore manibus accedunt.... vis infertur corpori ejus & ſanguini.*

592 Ecce Cyprianus (cujus ſuaviſſimæ charitatis ubera demiratus eſt Auguſtinus, quique epiſt. 55. ad Cornelium Papam, *delictis*, ait de ſeipſo, *pluſquam oportet remittendis, penè ipſe delinquo*) *contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem* eſſe dicit, lapſos in perſecutione, tametſi peccatum ſuum apud Epiſcopos confitentes, ad Communionem admittere, ante præſtitos fructus dignos pœnitentiæ, aitque hoc nihil aliud eſſe, niſi *à diaboli* (dic tu in caſu noſtro *à Veneris*) *aris ad ſanctum Domini ſordibi & infectis nidore manibus accedere, vimque inferre corpori ejus & ſanguini.*

593 Nec verò de iis Cyprianus agit, qui delictum ſuum confeſſi non erant. Siquidem caſus de quo agit, ille eſt: ingens Chriſtianorum multitudo poſt lapſum (in quem ipſos dira perſecutio præcipitaverat) reſurgere volens, ad abſolutionem Communionemque, non præmiſſa canonicâ pœnitentiâ, admitti poſtulabat, nec delictum ſuum occultabant, ſed reos ſe apud Epiſcopum profitebantur, quandoquidem ad gratiam abſolutionis Communionisque impetrandam Martyres apud Epiſcopum deprecatores adhibebant, non ut à Confeſſionis, ſed ut à gravi diuturnæ pœnitentiæ, ante Communionem peragendæ, onere liberarentur. Sed quia Eccleſiæ in retinendis ſuis ad animarum curationem legibus firmitatem perſpectam habebant, cùm ad deprecationem Martyrum Antiſtites ſe flectere non poſſe perſpexerunt, lachrymari, turbari, tumultuari cœperunt, nec ipſis Caſuiſtæ defuerunt, qui eorum patrocinium ſuſciperent.

Quid hiſce in anguſtiis Sancti agendum cenſue- 594
runt? Si Caſuiſtarum illorum facilitatem ſanandis hominibus, procurandiſque diſpoſitionibus ad Euchariſtiam percipiendam neceſſariis idoneam cenſuiſſent, numquam opportuniorem eam adhibendi occaſionem habere potuiſſent; ſed ne Martyrum quidem precibus ad eam flecti potuerunt, quamquam erga lapſos illos miſericordiâ ſine dubio graviter & longè quàm nos graviùs commoverentur, ſed immobiles permanſerunt in pœnitentia ante abſolutionem Communionemque exigenda, ne inani, nec ſalutem, ſed exitium allaturæ miſerationis ſpecie abriperentur; & quia nimis indignum arbitrati ſunt, à diaboli aris revertentes, ad ſanctum Domini ſordidis & infectis manibus accedere, & ita indignum, ut eſſet vim quodammodò inferre corpori ſanguinique ipſius. Cenſuerunt igitur divinam miſericordiam, & gratiam pœnitentiæ operibus priùs implorandam, conſcientiamque expurgandam, quàm abſolutione Communioneque donarentur, ne viderentur peccare contra Evangelii vigorem, legemque Dei, quâ diſpenſatores myſteriorum Dei jubentur fideliter & prudenter ea diſpenſare, cavereque periculum dandi ſanctum canibus, margaritaſque ſpargendi ante porcos. Iſtam fuiſſe rationem veteris illius diſciplinæ perſpicuum eſt ex allatis Cypriani verbis, oſtenditque Morinus lib. 1. cap. 17.

Ideò ergo Clerus Romanus à Cypriano in cau- 595
ſa enarrata conſultus, *abſit* (inquit) epiſt. 31. ad Cyprianum, *ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profanâ facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis*, EVERSA FIDEI MAJESTATE, *diſſolvere, ut cùm adhuc non tantùm jaceant, ſed & eadant everſorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, præſentur, & nova, per miſericordiam falſam, vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe Medicus, intercepta pœnitentiâ, indulget periculis? ſi tantùm operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem? hoc non eſt curare, ſed, ſi dicere verum volumus, occidere.*

Similiter Moyſes & Maximus, Presbyteri, Ni- 596
coſtratus & Rufinus, Diaconi, aliique Confeſſores epiſt. 26. ad eundem Cyprianum: *Animadvertimus te congruente cenſurâ eos dignè objurgaſſe, qui immemores delictorum ſuorum, pacem à Presbyteris, per abſentiam tuam, feſtinatâ & præcipiti cupiditate extorſiſſent, & eos, qui*, SINE RESPECTU EVANGELII, SANCTUM DOMINI CANIBUS, ET MARGARITAS PORCIS, *profanâ facilitate donaſſent: cùm grande delictum..... non oporteat, niſi... cautè moderatèque tractari... ne, dum volumus importunè ruinis ſubvenire, alias majores ruinas videamur parare. Ubi enim divinus metus relinquetur, ſi tam facilè peccantibus venia præſtetur? Fovendi enim ſunt animi ipſorum, & admo-*

turitatis suæ tempus nutriendi, & de Scripturis sanctis, quàm ingens & super omnia peccatum commiserint, instruendi..... Infidelis enim cicatrix, quam citò sestinans Medicus induxit, & ad quemlibet casum medela reseinditur, si non fideliter de ipsa tarditate remedia præstentur. Citò rursus in incendium flamma renovatur, nisi totius ignis, etiam usque ad extremam scintillam materia restinguatur, ut meritò hujusmodi homines sciant sibi, etiam de ipsa mora, magis consuli, & fideliora, necessariis dilationibus remedia præstari.

Itaque, quantumlibet lapsi contenderent, se, 597 ante magnam & diuturnam pœnitentiam, Communioni posse restitui, *Concilio frequenter acto* (ait Cyprianus epist. 55. ad Cornelium) *non consensione tantùm Episcoporum, sed & commonitione decretum est, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret.* Quod epist. 52. ad Antoniam sic exponit: *Persecutione sopitâ, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua & Domini tutela protexit, in unum convenimus, &* SCRIPTURIS DIÙ EX UTRAQUE PARTE PROLATIS (agebatur ergo de divina lege) *temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes Communionis & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent..... nec tamen rursus* CENSURA EVANGELICA *solveretur, & ad communicationem temerè prosilirent, sed traheretur diù pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia.* Hæc est illa præparatio, quam dignissimi illi Apostolorum Successores, in eorum traditione versatissimi, ab omnibus qui se graviori crimine contaminassent, præmittendam Communioni censuerunt. Hæc probatio, quam ab Apostolo postulari crediderunt, ut cælesti pane vescerentur ad salutem, non ad judicium & condemnationem. Cujus prætermissione *Domini præcepta rescindi* (Cyprianus de lapsis) *Evangelii veritatem infringi* (Clerus Romanus epist. 30.) *fidei majestatem everti* (ibidem) contestantur. Hæc denique præcepta, quæ se *de Scripturis cælestibus & discere & docere* Cyprianus de lapsis testificatur.

Si cui hæc non sufficiunt, eorumdem ad Mar- 598 tyres monita attentâ meditatione trutinet. Ex iis quippe facilè intelliget quàm necessaria duxerint pœnitentiæ opera ante Communionem, post commissam noxam graviorem. Cùm enim Martyres pro lapsis intercederent, non ut lapsi ante Confessionem, & Sacerdotis absolutionem, ad Communionem admitterentur (oppositum enim constat ex epist. Luciani Martyris ad Celerinum 22. apud Cyprianum; nec certè Martyribus in mentem venire potuit tam crassus error) sed ut habitâ ratione commendationis suæ, suorumque meritorum, absque laboriosis diuturnæ pœnitentiæ exercitiis ad Eucharistiam admitterentur: sanctissimi Episcopi responderunt, quoad hoc annuere se non posse postulatis ipsorum, quòd cum Evangelicis documentis non satis congruerent; æquum quidem esse postulationis ipsorum rationem haberi, sed *si ab Evangelica lege non dissonet* (Cyprianus de lapsis, & Clerus Romanus ad Cyprian. epist. 30.) *si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum.* Cyprianus ibidem: *Quia* (inquit) *Martyres nihil possunt, si Evangelium solvi potest; aut si Evangelium non potest solvi, contra Evangelium facere non possunt, qui de Evangelio Martyres fiunt. Ut meritò nulli magis sit competens, nihil contra Evangelium decernere* (ait Clerus Rom. supra) *quàm qui Martyris nomen ex Evangelio laborat acquirere.*

Siquis scisciteur, ubinam Evangelium pœni- 599 tentiæ actionem postulat ab iis qui lapsu graviore ruerunt, antequam cælesti pane vescantur?

Respondeo cum sanctis Confessoribus n. 596. citatis id postulari partim Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Et c. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Partim Matth. 24. & Luc. 12. ubi dispensatores mysteriorum Dei jubentur esse fideles & prudentes; atque adeò in curandis animarum morbis corporalium Medicorum prudentiam imitari, qui altis vulneribus longam & diligentem adhibent medicinam, nec vulnere graviori, vel gravi laboranti infirmitate permittunt sanorum cibis vesci, nisi recuperatâ sanitate. Partim denique ex testimoniis utriusque Testamenti, libro sequenti profrendis, ex quibus habemus ordinariè arduam & difficilem, nec momentaneam esse conversionem hominum in enormia crimina lapsorum, nec istius conversionis gratiam momentaneis & pauculis gemitibus secundùm ordinariam divinæ providentiæ œconomiam obtineri, sed magnis aliquanto tempore gemitibus, magnis pietatis ac pœnitentiæ operibus impetrandam esse.

Consideraverunt Sancti oraculum istud Apo- 600 stoli: *probet autem seipsum homo*; nec hoc de sola per Confessionem probatione intellexerunt, sed de probatione requisita ad puritatem & sanctimoniam, quam postulat digna & fructuosa divinissimi hujus Sacramenti susceptio. Quam (post commissum enorme crimen) sine dignis pœnitentiæ fructibus ordinariè acquiri non posse crediderunt. Consideraverunt etiam sacrum istud oraculum Matth. 24. *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Quod non de ultima duntaxat fidelium congregatione intellexerunt, quâ electi omnes, è sepulchris egressi, *rapientur in nubibus obviam Christo in aëra*; verùm et am de ea quæ quotidie in Ecclesia fit, quâ unque Christi fideles circa divinissimum Christi corpus in altari congregantur: ideòque arbitrati sunt, Salvatorem verbis illis significasse eos aquilas esse debere, id est animas sublimes, & sursum corda habentes, quæ ad sacrosanctum corpus illud accedunt. Nullas autem de sordidissimo graculo, immundissimoque porco fit aquila, secundùm ordinariam divinæ gratiæ œconomiam, nisi per multas orationes, pietatisque & pœnitentiæ opera expurgetur, & spiritualizetur. Ideò ergo pœnitentiæ opera ante Communionem, saltem post commissum grave crimen, requisierunt.

Nec pro solis Christianis in persecutione lapsis 601 in idololatriam, verùm & pro Libellaticis, id est Christianis, qui publicè Christum non ejurarunt, nec idolis sacrificaverunt, nec cibos immolatos gustaverunt, sed pretio dato libellos à Magistratibus impetrarunt, quibus à persecutionis periculo tuti essent, quasi Imperatorum edictis paruissent. Cùm ex Cypriano, Cleroque Romano constet, tam illos, quàm illos in lapsorum numerum repositos, & Libellaticos, cum iis qui Christo publicè renuntiaverant, ad pœnitentiam (licet aliquantò minorem) ante Communionem peragendam adactos fuisse. Atqui gravius est formicatorum & adulterorum, quàm Libellaticorum peccatum, graviorique pœnitentiâ plectendum, Cyprianus docet epist. 52. ad Antoniam: *Multò* (inquit) *& gravior, & pejor est mœchi quàm Libellatici causa; cùm hic necessitate, ille voluntate peccaverit; hic existimans satis esse quòd non sacrificaverit, errore deceptus sit; ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus ad cloacham & cœnosam voraginem vulgi, sanctificatum corpus, & Dei templum detestabili colluvione violaverit.* Et ante Cyprianum Tertullianus l. de pudicitia gravius censuit formicatoris crimen, quàm Libellatici: *Quis enim* (inquit) *magis negavit, qui Christum vexatus, an qui delectatus amisit? qui cùm amitteret, do-*

luit; an qui cùm amitteret, luſit? Si ergo pro libellis acceptis pœnitentiam ante Communionem agendam cenſuerunt; à fortiori pro adulterio & fornicatione, utpote libellione gravioribus. Enimverò ſi tam acri cenſurâ perſtrinxerunt eos, qui ante diuturnam magnamque pœnitentiam Communionem dabant Chriſtianis, ante plures dies (graviſſimæ perſecutionis timore) proſtratis; quia ſcilicet non crediderunt uno momento, vel levi pœnitentiâ, ſed multis dumtaxat precibus, multis gemitibus & afflictionibus poſſe reparari: quâ cenſurâ perſtrinxiſſent ipsâ die commiſſi criminis eos Communione donantes, qui, nullo timore coacti, ſed voluptate illecti, adeòque longè pleniori voluntate, enormibus peccatis conſentiſſent?

602 Nec certè de ſolis idololatris, ſed de quocumque peccato graviter enormi Ambroſius in Pſal. 118. ait, *In ipſa Eccleſia, ubi maximè miſereri decet, teneri quàm maximè debet forma juſtitiæ, ne quis à Communionis conſortio abſtentus* (quod pro quocumque crimine ſaltem graviore, etiam pro fornicatione fiebat) *brevi lachrymulâ, atque ad tempus paratâ, vel etiam uberioribus fletibus, Communionem, quam pluribus debet poſtulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat.* Plura ad idem Sanctorum teſtimonia libro ſequenti (favente Deo) proferemus. Non poſſunt quidem hodie fideles adſtringi ad omnes illos pœnitentium ritus, qui tunc obſervabantur; ſed cùm eadem hodie lex divina ſit quæ olim, & eadem peccatorum gravitas; hodie verum eſt, ſicut olim, alto vulneri longam medicinam eſſe neceſſariam, nec medicinam eſſe debere minorem, quàm vulnus, &c.

CAPUT XLVI.

Ampliùs duæ illæ propoſitiones confutantur quadruplici ratione. Quarum 1ª. petitur ex enormitate magna fornicationis, & aliorum peccatorum carnis in Sacerdote. 2ª. ex eo quòd ſanctitati Corporis Chriſti magnoperè adverſentur. 3ª. ex inſito Chriſtianis omnis ſenſu communi, quo apprehenditur velut quidpiam valdè indignum, quòd Sacerdos ab ara Veneris & diaboli poſt paucas horas ad aram Chriſti tranſeat, ad ibi exercendum Sacerdotis officium. 4ª. ex difficili & rara, neque ex paucis gemitibus præſumenda converſione Sacerdotum, flagitia carnis perpetrantium.

603 QUàm enormia flagitia ſint ſodomia, & beſtialitas, quàmque homine indigna, ſatis notum eſt univerſis, ſatſque Tertullianus exprimit, dum l. de pudicitia c. 4. vocat non delicta, ſed monſtra. Nec ignota eſt gravitas adulterii, quo nedum caſtitas, ſed & alienus thorus violatur. Gravitatem denique fornicationis pluribus argumentis demonſtrat Apoſtolus 1. Cor. 6. Demonſtrant & Canones, ſeptem annorum pœnitentiam imponentes vel ipſi Laïco fornicanti: *Fornicator ſeptem annis ſanctis non communicabit* (inquit Baſilius Epiſt. Canon. 3. ad Amphil. can. 59) *duobus deflens, & duobus audiens, & duobus ſubſtratus, & in uno conſiſtens. Octavo autem anno ad Communionem admittetur.*

604 Hinc propoſitio (contra quam in præſenti diſputamus) tam citò utique poſt fornicationem, vel enormius carnis peccatum, Sacerdotem ad altare mittens, inſtar monſtri viſa eſt S. Petro Damiano: *Si enim* (inquit) *vix Laico lapſo permittitur, ut Eccleſiam cum aliis oraturus introeat; qualiter iſti dabitur, ut ad altare Domini pro aliis interceſſurus accedat? Si ille, antequam tam prolixum pœnitentiæ ſpatium tranſigat, non meretur audire; iſte quomodò dignus eſt ſacra Miſſarum ſolemnia celebrare? Si ille qui minùs peccavit, ut puta per latum ſæculi iter tendens, indignus eſt cæleſtis Euchariſtiæ munus ore percipere; qualiter iſte merebitur tam terribile myſterium pollutis manibus tractare?*

Enimverò uſque adeò ſanctam & immaculatam 605
eſſe oportet Sacerdotis vitam, ob ſublimem ſui Ordinis & Officii dignitatem, *ut omnes in illum, & in ejus vitam, velut in aliquod exemplar excellens intueantur*, ait Chryſoſtomus homil. 10. in 1. ad Timoth. 3. Et ideò *Apoſtolus Paulus* (ut habet Canon *Apoſtolus* diſt. 8.) *quando elegit ordinandos Presbyteros.... ait: ſiquis ſine crimine eſt, ſicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cætera hujuſmodi: quolibet itaque horum implicatus ordinari non debet.* Quomodò ergo tam enormiter per aliquod illorum criminum à ſanctitate poſt ſuam ordinationem collapſus, ſtatim poteſt ſanctiſſimum altaris ſacrificium offerre?

Id indignum atque intolerabile eſſe, præter di- 606
cta ſuperiori capite, probatur 1°. ex enormitate fornicationis, aliorumque ſupradictorum ſcelerum in Sacerdote. Si enim *levia* Laïcorum *delicta*, in Sacerdotibus *magna eſſe* Tridentinum ſeſſ. 22. c. 1. teſtatur; igitur quæ in Laïcis gravia ſunt, in Sacerdotibus enormia ſunt, illa ſaltem quæ non modicum opprobrium ſacerdotali inferunt Ordini, eò quòd ſpecialiter pugnent cum ſanctitate & honore Ordinis & Officii ſacerdotalis, cujuſmodi eſt fornicatio: quæ quia peccatum eſt admodùm vile, vileſque in oculis Dei & hominum reddit iſtius ſceleris reos, & in tantum viles, ut vilitas illius à parentibus in filios, à filiis in parentes redundet (propter quod Levit. 21. filia Sacerdotis clàm fornicata, flammis exuri jubetur) enormiter haud dubiè pugnat cum honore Ordinis Officiique ſacerdotalis. Unde Chryſoſtomus homil. 76. in Matth. *Sacerdotum* (inquit) *filiæ iſtius criminis reæ igne cremabantur. Qua ex re, quàm magnus pœnarum cumulus Pontificem*, vel Sacerdotem *expectet peccantem, legis Conditor voluit ſignificare. Nam ſi filiam ejus atrociùs puniri juſſit, quid erit de ipſo?* Et l. 6. de Sacerdotio poſt medium: *Oſtendere volens Deus hominum peccata longè majori ſupplicio expiari, dum à Sacerdotibus, quàm dum a privatis fiunt, mandat Levit. 4. ut tantumdem pro Sacerdotibus, quantum pro univerſo populo ſacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud ſignat, quàm Sacerdotis vulnera majori medicamento atque auxilio indigere; atque adeò tanto, quanto conjuncta ſimul populi vulnera indigent? Porro majori nequaquam indigerent, niſi ea graviora forent. Atqui graviora certè fiunt, non naturâ ipſâ, ſed Sacerdotis, qui ea commiſerit, conditione ac dignitate.*

Pugnare etiam enormiter cum ſanctitate Ordi- 607
nis Officiique Sacerdotalis, demonſtratur ex eo quòd ſi fornicatio Sacerdotis veteris legis adeò pugnaverit cum ſacerdotali ſanctitate ipſius, ut (juxta Chryſoſtomum) flammis expiari vix poſſet; quid cenſebimus (inquit eximius D. Hennebellus in theſi de Sacerdote lapſo) de fornicatione Sacerdotis novæ Legis, qui tot titulis ad majorem caſtitatem ſanctitatemque, præ Sacerdote veteris legis, obſtringitur? In fornicatione (ait Chryſoſtomus homil. 18. in 1. Cor. ad hæc verba: *qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*) *totum corpus fit ſceleratum & execrandum. Tamquam enim incidens in lebetem immunditiæ, ſordibuſque & inquinamento tinctum ſic polluitur.* Et quid ſanctitati magis adverſum, quàm brutali libidini totum hominem ſubjici, ita ut nihil aliud cogitare quàm fœdiſſimam libidinem valeat?

Hoc

hoc autem facit fornicatio : *cætera* namque *peccata, etsi per corpus gerantur* (inquit Commentator in Epistolas Pauli apud Ambrosium) *non tamen animam ita carnali concupiscentiâ faciunt obstrictam & obnoxiam, quemadmodùm commisceri facit animam cum ipso corpore usus libidinis, agens in opere carnalis fornicationis. Quia in tantum agglutinatur animæ corpori, ut ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere : quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio & absorptio libidinis & concupiscentiæ carnalis.* Similiter Augustinus serm. 162. edit. novis. *Videtur B. Apostolus.... exaggerare voluisse fornicationis malum, super cætera omnia peccata, quæ etsi per corpus committantur, non tamen animum humanum concupiscentiæ carnali ita efficiunt obstrictum & obnoxium, quemadmodùm in solo opere fornicationis corporalis commisceri facit animum vis ingens libidinis cum ipso corpore, & unum cum ipso quodammodo agglutinari & devinctum esse.... sic enim totus homo absorbetur ab ipso, & in ipso corpore, ut jam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit, quod caro sit, & spiritus vadens, & non revertens.... Nusquam sic totus homo corporis voluptati addicitur, & ineffabiliter vel inevitabiliter affigitur.*

608 Accedit major adhuc fornicationis gravitas in Sacerdote ex triplici alio capite. 1°. ex solemni castitatis voto quod sacrilegus violat.

609 2°. ex sacerdotali dignitate, quæ quantò celsior est, majorque gratia Sacerdoti collata, eò graviori lapsu ruit in peccatum tam vile. Tantò namque gravius est peccatum, quantò major qui peccat habetur. Et quantò quis altiore in loco est constitutus, tantò lapsu graviore ruit. Unde Bernardus serm. *Ecce nos reliquimus omnia : In Clero* (inquit) *tamquam in cælo gerens iniqua, quid nisi de ministerio judicetur? cæleste tenet officium (Angelus enim Domini exercituum factus est) tamquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inventa quippe in Angelis pravitas, & districtiùs judicetur necesse est, & inexorabiliùs quàm humana.*

610 3°. ex circumstantia temporis, quando tunc committitur, cùm imminere cognoscitur tempus sacrificii offerendi. Ex hoc namque major est iniquitas tua, quòd ne reverentia quidem tanti mysterii proximè celebrandi sordidissimæ voluptatis illecebris prævalere potuit. Ob tantam fornicationis enormitatem, Patres omnes, qui ante Isidorum Mercatorem, sive ante supposititiarum epistolarum Calixti, Gregorii & Isidori Hispalensis promulgationem ab ipso factam floruerunt, sacerdotalibus functionibus Sacerdotem in fornicationem lapsum restituere ausi non sunt; omnes item Patres, qui suppositititiis epistolis illis decepti priorum Patrum doctrinam temperarunt, numquam tamen adduci potuerunt, ut ipsum tam citò altari restituerent. Et erit hodie novarum opinionum fabricator, qui talem altari restituere ausit, illo ipso die, quo peccatum tam enorme commisit? Hoc est quod vulgatissimo Theologorum Canonistarumque judicio, Covarruviæ tempore impium censeri solebat, ut ipse Covarruvias ad caput *si furiosus* n. 7. ait : *Impium censeri solet* (nota vulgatissimam tunc sententiam) *posse Sacerdotem, qui nocte præteritâ dormierit cum femina, statim celebrare præmissâ contritione & Confessione.*

611 Hoc est quod clarissimus Vencientis Episcopus Godæus in Historia sua Eccles. ad annum 594. dicit cum puritate victimæ corporis Domini componi non posse, magis quàm componi possit *lux cum tenebris, & Christus cum Belial.*

Hoc est quod Merbesius, loco suprà laudato, velut impiam, sacrilegam & nefariam doctrinam perhorrescit dicens : *Procul dubio perhorresces vel cogitatione, vel recordatione nefariæ illius doctrinæ quorumdam hominum, pari ad insciliam impietate affirmantium, Sacerdoti, post habitam eo ipso die, quo celebraturus est, copulam carnalem cum femina, aut pollutionem voluntariam, liberum esse sine culpa veniali rei divinæ incumbere.* Et infrà : *impium & sacrilegum est asserere, Sacerdotem posse celebrare, vel Laicum posse communicare, tuto & licitè, eo ipso die quo in voluntariam pollutionem incideit, vel quo fornicationem, adulterium, vel peccatum contra naturam admiserit. Hanc doctrinam, imò impietatem, toti Antiquitati contrariam esse suprà docuimus.*

Hoc est quod pissimus Contenson. to. 8. dissert. 612
4. c. 2. horribilem quorumdam Recentiorum corruptelam appellat : *Ex his patet quantùm à S. Thomæ doctrinæ castimonia quorumdam Recentiorum corruptela abhorreat, qui nedum Laicis, sed & Sacerdotibus (quorum status, character, & tessera sanctitas est) post patrata nefandissima carnis peccata, nedum Communionem, sed & sanctissimorum mysteriorum tractationem & celebrationem concedunt, eosque à lupanaribus (horribile dictu) adhuc recentes, adhuc calentes ad tremenda altaria immittunt.... post nudam Confessionem.*

Hoc est quod Illustrissimus D. Neercasselius E- 613
piscopus Castoriensis pluribus impugnat in Amore suo pœnitente l. 2. c. 21. *Si enim* (inquit) *Emericus de bonis, nobilis & pius Scriptor è Societate, censeat esse* SCELUS HORRENDUM DICTU, ET ANGELIS IPSIS DETESTABILE, QUODVE VALEAT SOLI TENEBRAS OFFUNDERE, TERRAM TREMEFACERE, ET ELEMENTA PERMISCERE, *si quis Laicus eodem, vel postero die, vel tertio, aut quarto, à sumpta Eucharistia ad suas sordes revertatur, aut illam quis sumere audeat, qui pridie, nudius-tertius vel quartus antè peccaverat : nonne idem scelus detestabilius & horribilius erit, si recentes à propudiis & flagitiis, non solùm Eucharistiam sumere, sed & consecrare, sed etiam Mediatoris officium assumere audeant? Elanguerit Canonum vigor,.... insitus animis Christianis reverentiæ, & adorationis sensus, quo corpus Domini colendum est, numquam ita langueseet, ut probare possit, quod homines, adhuc libidine fumantes, atque fœtentes, sacris operentur, eamque carnem consecrent, tractent, pro aliis offerant, aliis colendam exponant, manducandam præsentent, & ipsi eam sumant, atque in sua viscera, adhuc fœdis æstibus ferventia, vel tepentia demittant, quam carnem virgineus Mariæ uterus non potuit concipere, nisi Spiritus sanctus in illam descenderet, & virtus Altissimi sanctissimæ Virgini, ut adhuc purior evaderet, mirabiliùs obumbraret.*

Atque hinc se offert secunda ratio, ad confu- 614
tandam illam novitiam opinionem, quòd utique sanctitati corporis Christi magnoperè immunditia, quæ ex fornicatione contrahitur, tam secundùm animam, quàm secundùm corpus repugnet. Nam (ut Hennebellus optimè prosequitur ubi suprà) & anima efficitur adeò immunda, per appetitum immunditiæ, & perpetuum recursum cogitationum immundarum; & caro ipsa per pronitatem ad opera immunda, ut de fornicatione meritò dici possit, quòd sit mors corporum, interitus animarum, carnem polluit, mentis lumen extinguit, Spiritum sanctum de templo humani corporis ejicit. Unde S. Thomas hic q. 80. a. 5. ad 2. *peccatum fornicationis reddit ineptum hominem ad perceptionem hujus Sacramenti, in quantum scilicet per hoc peccatum spiritus maximè carni subjicitur, & ita impeditur devotio, & fervor dilectionis, qui requiritur in hoc Sacramento.*

Enimverò si *propter pollutionem nocturnam, ex* 615
turpi cogitatione vigilantis ortam, nec in se, sed in ea dumtaxat causa voluntariam, *sacro mysterio abstinere eâ die oportet*, ut dicitur cap. *testamentum*

dist. 6. Unde & Gregorius scribens Augustino Anglorum Episcopo (teste S. Thoma ubi suprà in corpore articulo 1. & in 4. dist. 9. q. 2. ad 4.) dicit *cessandum esse à Communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit.* Si etiam juxta Pium V. in rubrica de dispositione corporis (præfixa Missali Romano Editionis Plantinianæ anni 1596.) *si præcesserit pollutio nocturna, quæ conflata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale... abstinendum est à Communione & celebratione.* Quantò magis propter fornicationem in se directè volitam, quâ Sacerdos templum Spiritûs sancti non solùm violavit, corpusque suum, magno sanguinis Christi pretio emptum, spiritui immundo tradidit, & membra Christi, fecit membra meretricis; sed nec Officii sanctitate, nec solemni castitatis voto, nec proprii honoris memoriâ, nec sui Ordinis opprobrio, nec imminente puriſſimum Virginis Filium immolandi ac sumendi tempore cohiberi potuit, quominùs sacrilegium tam abominandum committeret?

616 Tertia ratio petitur ex insito Christianis animis sensu, quo apprehenditur velut quidpiam valdè indignum, quòd Sacerdos, adhuc libidinis calore fumans ac fœtens, virgineam Agni immaculati carnem in altari Christi consecret, tractet, in victimam pro aliis offerat, atque in viscera sua trajiciat, paucis horis postquam eadem sua ipse viscera, suumque corpus & animam diabolo in victimam in ara Veneris obtulit. Scandalizantur hoc ipso pii fideles hoc videntes: quia fornicationem Sacerdotis, aliaque ipsius peccata enormia, quæ vel lege veteri, vel hodiedum lege civili pœnâ capitali puniuntur, apprehendunt ut magnum sacerdotalis Ordinis opprobrium, quo Sacerdos indignus redditur altaris ministerio. Si enim Sacerdotis filia in fornicationem lapsa in lege veteri ne vitâ quidem corporali digna censebatur; quomodò in nova lege Sacerdos ipse, antequam per pœnitentiæ labores, lachrymas, fletus, jejunia, orationes tantum facinus capitali supplicio dignum expurget, dignus censeri potest vitâ divinâ? Quemadmodum ita homines inter se compositi sunt, ut, etiam post impetratam extraordinariâ gratiâ veniam, audax prorsus & impudens videretur, qui modicissimo tempore post injuriam atrocissimam Principi illatam, quæ capitali supplicio plecti merebatur, gratiâ istâ non contentus, in mensam ipsius se ingereret, pro aliisque intercederet, & præcipua quæque Aulæ regiæ ministeria invaderet; magnoperè quoque ipsi timendum foret, ne Princeps ob ipsius impudentiam, superbiam & præsumptionem, irritaret gratiam, quam humilitate supplicantis commotus jamjam misericorditer tribuerat. Sic pii Christiani ita inter se compositi sunt, ut (etiam post reconciliationem cum Deo per humilem dolorosamque Confessionem extraordinariâ Dei gratiâ & misericordiâ impetratam) audax, impudens & præsumptuosum ipsis videretur facinus Sacerdotis, qui quasi gratia illa extraordinaria ipsi non sufficeret, tam citò obliteraret memoriam atrocissimæ injuriæ Christo illatæ, quâ tollens membra Christi horrendo sacrilegio fecit membra meretricis, violatumque corpus suum, id est templum Spiritûs sancti, Deo solemni sponsione consecratum, pretio magno emptum à Christo, turpissimâ proditione templum fecit dæmoniorum; modicissimo tempore, seu paucis horis post tam enorme crimen (nedum capitali supplicio, sed perpetuâ execratione excommunicationeque dignum) in Christi mensam se ingereret; corpusque ipsius invadere, altari pro aliis intercessurus accedere, sacraque Missarum solemnia, atque alia præcipua regni Christi mysteria tractare auderet. Cùm commissi criminis pudor, verecundia, horror, ipsum eò usque saltem confundere atque humiliare deberet, ut ante expiatum dignâ pœnitentiâ tantum flagitium, se tantâ cum Christo familiaritate reputaret indignum. At quomodò se humiliat, qui post crimen immane, statim dignum se judicat maximo favore, sublimiorique honore, quem homo viator possit ambire, maximusque Dei amicus possit exoptare? Si humilitatem (necessariam certè ad exercendum Sacerdotis officium, post flagitium tam probrosum) in ipso nihilominùs reperiri, quispiam pertinaciter contenderit; longissimè profectò humilitas ista distat ab humilitate Publicani, Cananææ, Magdalenæ, & Filii prodigi. Siquidem Publicanus præ confusione non audebat oculos levare, nec ad cœtum Sanctorum accedere: ille præsumit ad altare accedere, & ibi Sanctum Sanctorum Deo offerre & manducare. Cananæa, canem se cogitans, modicum quoddam, & exiguum beneficium desiderans, *non mensam* (inquit apud Augustinum serm. 74. de temp. c. 6.) *invado, sed micas quæro:* ille nedum filiorum, sed & Christi mensam audacter invadit. Magdalena, licèt multùm diligens, atque ex magna dilectione crimina sua detestans, ideòque remissionem à Christo consecuta, non audet à Christi vestigiis ad manum, ad os, ad verticem statim convolare. Audet hoc verò Sacerdos ille, statim post Confessionem, paucisque horis post admissum horrendum crimen. Filius denique prodigus, ad patrem magna cum conversione reversus, non statim primos honores, sicut ille Sacerdos, sed hoc unum supplex petere ausus fuit: *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

Præsumptionem Sacerdotis auget, quòd, licèt 617
sibi videatur aliquousque contritus & confessus, justissimum timorem habere debeat, ne toto corde equidem non sit conversus, uti Publicanus ille fuit, sicut & Filius prodigus, & Magdalena; nec proinde dignus audire cum Magdalena, ad Dominicos pedes provoluta, *dimittuntur tibi peccata tua.* Neque enim audivit hoc Magdalena, nisi post heroïcum actum, quo (omni humano respectu posthabito) in convivii locum ingressa, etsi non vocata, atque ad Dominicos pedes prostrata, grandibus lachrymis eos lavare, & capillis suis tergere inter epulas non erubuit. Quod, utpote extraordinariâ Christi gratiâ factum, simili gratiâ sibi quoque factum absque præstito ullo actu heroïco, valdè præsumptuose Sacerdos noster crederet. Et hinc

Quarta ratio est, quia Sacerdos tam enormiter 618
lapsus valdè seducit seipsum, si nullis adhuc præmissis laboriosæ pœnitentiæ operibus, ex hoc tantùm quòd peccatum suum cum aliquo dolore vel etiam aliquot lachrymis confiteatur, illicò præsumat se conversum ut oportet ad fructuosam absolutionem. Videns enim quem offenderit, & quàm enormiter offenderit, nedum gratiâ extraordinariâ, sed & ordinariâ sese indignum reputare debet. De suisque lachrymis & gemitibus humiliter sentiens, lachrymas suas tam enormi delicto abluendo impares confiteri debet, vel saltem de earum insufficientia magna cum ratione dubitare, ob dicenda sequenti capite. Maximè cùm meritò timere debeat, ne in tantum scelus corruere permissus sit, in pœnam occulti alicujus criminis præcedentis, v. g. præsumptionis de seipso, prout accidit Petro. Vix enim accidit, ut bonus Christianus à crimine valdè enormi suam ordiatur ruinam. Occulta solent peccata præcedere, quæ terribili hâc medicinâ curanda sint. Sic triplicem Christi negationem in Petro antecessit nimia de suis viribus præsumptio. Et hoc sensu Augustinus 14. Civ. 13. *Audeo* (inquit) *dicere, superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui sibi placendo ceciderunt.* Propterea ergo Sacerdos, à lapsu suo

resurgere

resurgere volens, ipso lapsu suo cautior factus, magnopere debet timere, ne ad cumulum peccatorum, quæ priori suâ præsumptione contraxit, nova accedat præsumptio, quâ nimis facilè sibi persuadeat, se satis conversum, cùm reverà non sit. Præsertim cùm sufficiens conversio Sacerdotis, post enorme crimen, res admodùm rara sit, ardua & difficilis, ut sequenti capite demonstrabitur. Memor ergo undè exciderit, donec tantum crimen dignis eluerit pœnitentiæ fructibus, imitari debet humilitatem Publicani, Cananææ, Magdalenæ, Filii prodigi, de quibus proximè, nec se illicò dignum æstimare gratiâ plenæ conversionis, nec cui stola prima proferatur, vitulus saginatus macletur, convivium paretur; sed omni potius confusione, quàm honoribus istis, divino præsertim convivio, se dignum agnoscendo, dicere cum Petro: *Exi à me, quia peccator sum, Domine*; cumque Publicano, oculis in terram demissis, longè ab altari stans, pectus percutere, dicendo: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Pro se denique, suisque criminibus, aliorum potiùs intercessionem debet implorare, quàm pro aliis ipse intercedere. Ad quæ omnia stimulum ipsi non mediocrem injicere debet visio, quam Dionysius Carthusianus lib. 3. de quatuor novissimis ex Petro Cluniacensi refert accidisse pio Religioso Anglo, qui in spiritu raptus in Purgatorium, *cùm miraretur, quòd tam pauci Sacerdotes essent in Purgatorii pœnis, respecta eorum, qui ubique terrarum castimoniam polluunt*: responsum istud ab Angelo accepit, *quòd ideò ibi paucissimi erant, quia vix aliquis talium veram habet contritionem*; quòdque *ideircò penè omnes hujusmodi æternaliter condemnantur.* Caveant ergo Sacerdotes in fornicationem lapsi, sibi de contritione sua facilè blandiri, maximè attentis iis, quæ proximè dicenda sunt.

CAPUT XLVII.

Secundùm ordinariam gratiæ œconomiam, rara & difficilis est Sacerdotum (in fornicationem lapsorum) plena conversio, sive ex toto corde; ideoque citò & facilè non præsumenda; nec promissionibus ipsorum fictis (sine cautione dignorum pœnitentiæ fructuum) adhibenda; nec (sine ea cautione) ipsis absolutio; multò minùs Communio, & Missa celebratio concedenda.

619 DEmonstratur: quia secundùm ordinariam gratiæ œconomiam, difficilis est plena conversio cujuslibet peccatoris, post baptismum plenâ voluntate enormiter lapsi, nec sine præstatione dignorum pœnitentiæ fructuum præsumenda, prout ex Scriptura & Traditione demonstrabitur libro sequenti. Multò ergo difficilior est plena conversio Sacerdotis, plenâ voluntate enormiter lapsi. Si enim in Laïcis verum est illud Cypriani: *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Putasne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti?* Si etiam in Laïcis verum est illud Cleri Romani: *Delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam, neque præproperam desiderare medicinam.* Item illud: *Non sit minor medicina, quàm vulnus; non sint minora remedia, quàm funera.* Quantò magis verum est in Sacerdotibus? Si denique verum est quod Richardus à S. Victore lib. de potest. ligandi & solvendi c. 22. ex doctrina Sanctorum ait: *Si vultis nosse, & potestis patienter audire, facilius reconciliatur Paganus post crimina centum, quàm Christianus post unum solum.* Profectò quantò graviora sunt crimina Christianorum, quàm Paganorum; tantò graviora sunt crimina Sacerdotum, quàm Laïcorum. Tantò proinde difficilior conversio, & tantò (ob majorem longè difficultatem) rarior; maximè post lapsum in peccatum carnis: cujus visco semel agglutinatus Sacerdotis animus, ob magnam ipsius tenacitatem, magnæque gratiæ in vacuum receptæ subtractionem, sine difficultate magna ab eo avelli non potest, & nonnisi per ardua pœnitentiæ opera, ita ut Episcopus Castoriensis in Amore suo pœnitente to. 2. c. 21. meritò dicat, nullam tardiorem rarioremque esse conversionem, quàm ejusmodi Sacerdotum. Quod etiam observavit Antonius Godæus, Vencensis in Gallia Episcopus, integritate vitæ, à fastu & ambitione alienæ, necnon eruditionis & eloquentiæ laude clarissimus: postquam enim in sua Historia Ecclesiastica ad annum Christi 579. retulisset duos Episcopos, ob flagitia Ordine motos, sed pœnis nihilo meliores effectos, in sordibus perseverasse, ait, ipsos exemplo suo confirmasse veritatem hujus terribilis effati: *rarò ad pœnitentiam flecti Sacerdotes, qui, Deum oblisi, sese flagitiis dediderunt.* Quam veritatem confirmat visio numero præcedenti enarrata.

Et idipsum ratione multiplici ostenditur. Primò quia Sacerdotes (ait Castoriensis) inter eas functiones peccant, quæ utpote magis cælestes quàm terrenæ, ipsos à peccatis revocare, & ut sancti sint Deo suo monere non cessant. Propterea namque sancti Patres peccata Sacerdotum comparunt peccatis Angelorum, quibus datus non fuit pœnitentiæ locus. *In Clero* (inquit S. Bernardus) *tamquam in cælo gerens iniqua, quid nisi de ministerio judicetur? cœleste tenet officium. Angelus Domini exercituum factus est. Tamquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inventa quippe in Angelis pravitas, & districtius judicetur necesse est, & inexorabilius quàm humana.* Quò sublimior namque sacerdotalis dignitas, quò ejus functiones ab omnibus terrenis magis remotæ; eò lapsus inde gravior, eò ruina major; & quò ruina major, eò operosior & infrequentior reparatio. Neque enim vulgaris, sed horribilis ille casus est, quo Sacerdos evectus ad dignitatem Angelicâ majorem, ruit in abyssum câ longè inferiorem, in qua jacent Turcæ & infideles. 620

Secundò, nulli magis à Deo deseruntur, quàm Sacerdotes, qui Deum deserunt, ut se criminibus addicant. Nam tametsi ipsis pœnitentibus ignoscat Deus, ipsos tamen rarò subit verus pœnitendi affectus, saltem plenus. Quid enim, inquit præclarè Halierus de sacris ordinationibus p. 1. sect. 3. c. 2. §. 2. n. 8. *non essent indurato ad pœnitentiam corde, qui adeò ad peccata ruentes, perfractæ fuerunt audaciæ, & induratæ mentis, ut divinis monitis, quæ quotidie legunt, audiuntque, aures obturarent; frequentioribus divinis vocibus cor occluderent, gratiæ Sacerdotii efficacissimæ resisterent, nec divinorum mysteriorum, quæ quotidie pertractant, nec dignitatis eximiæ, quam habent, veneratione continerentur, nec pudore, nec infamiâ, nec populorum scandalo à peccato deterrerentur?* Profectò ut tam effrænis & pervicax peccandi voluntas corrigatur, magnâ gratiâ opus est, quam pauci studeant emereri. Hinc ergo fit, ut è pollutis enormi crimine Sacerdotibus pauci ex toto corde convertantur, pœnitentiamque agant ut oportet. Ausim dicere (ait iterùm Halierus ibidem) *majorem esse debere Clerici integritatem, quàm ut eam, post commissum* enorme *crimen, in totum reparandam esse confidat; majoremque peccantis Clerici prævaricationem & iniquitatem esse, quàm ut communiter ab eo non ficta,* vel saltem plena, *resipiscentia speretur.* 621

Tertiò, minùs abundant Clericis in crimina prolabentibus (maximè Sacerdotibus) auxilia, quibus Laïci, imò & Monachi, dum peccant, adjuvantur. Tum quia illis indigni fiunt per abu- 622

sum magnæ gratiæ sacerdotalis, auxiliorumque illi annexorum. Tum quia Laïci, & Monachi, si ceciderint, salutari monitione à lapsu revocari possunt; Sacerdotes verò tantò difficiliùs sustinent salutares admonitiones, quantò magis ipsi, cùm essent *sal terræ*, erraverunt, & quantò magis sibi persuadent suum esse alios monere, non ab aliis admoneri. Propter quod Matth. 5. Salvator ait: *Vos estis sal terræ: quòd si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Tum quia alii peccatores Sacerdotum orationibus adjuvantur ut convertantur. At qui pro lapsis Sacerdotibus oret, nullus Ordo specialiter est institutus. Unde Hieronymus epist. 1. ad Heliodor. *Monachus*, vel Laïcus, *si ceciderit, orabit pro eo Sacerdos. Pro Sacerdotis lapsu quis rogaturus est? Rogat pro Laïcis Sacerdos, quia ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Atque, ut D. Gregorius ait in cap. 3. lib. 1. Reg. exponens illa verba Heli ad filios suos: "Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? "*peccata subditi populi, quæ ad Sacerdotem respiciunt, ipsorum Sacerdotum precibus delentur*; at verò *cùm Sacerdos in culpam labitur, superior persona non est, cujus precibus expietur. Quod & ipsa Veritas per se insinuat, dicens:* "Si sal evanuerit, in quo salietur?" *quasi dicat, quis ei intercessor remanet, cùm ille se transgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est. Quo profectò culpæ eorum magnitudo monstratur:* QUIA PLERIQUE EORUM IN IMPŒNITENTIS CORDIS CALIGINEM PROJICIUNTUR, ET NULLA HOMINIS EXHORTATIONE RESIPISCUNT.

623 Quartò, quia, ut ait Joannes noster Hierosolymitanus, sive Author imperfecti (qui sub Chrysostomi nomine circumfertur) in Matth. hom. 40. *sæcularis homo, post peccatum, facilè ad pœnitentiam venit; nam occupatus negligentiâ sæculari, dum Scripturis non satis attendit, semper ei quæ in Scripturis posita sunt, nova videntur; ideòque cùm audit aliquid de gloria Sanctorum, aut de pœna peccatorum, quasi novum aliquid audiens, expavescit; dumque aut bona concupiscit, aut mala timet, compunctus ad pœnitentiam citò decurrit.* NIHIL AUTEM IMPOSSIBILIUS, QUAM ILLUM CORRIGERE, QUI OMNIA SCIT, ET TAMEN CONTEMNENS BONUM, DILIGIT MALUM. *Omnia enim quæcumque sunt in Scripturis, propter quotidianam meditationem ante oculos ejus inveterata & vilia æstimantur. Nam quidquid illic terribile est, usu vilescit. Propterea Clericus, qui semper meditatur Scripturas, aut omninò servaturus est, & erit perfectus; aut si semel cœperit illas contemnere, nunquam excitatur illis ut timeat.* QUIS ALIQUANDO VIDIT CLERICUM CITÒ POENITENTIAM AGENTEM? *Sed etsi, deprehensus, humiliaverit se, non ideò dolet quia peccavit; sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. Putasne Dominus quasi crudelis Clericis pœnitentiam denegavit, dicens:* "Si sal infatuatum fuerit, in quo condietur?" *sed quasi naturalem rem considerans: quia non est qui doceat illum errantem, qui errantes corrigebat.*

624 Quintò, fortasse ideò Chrysostomus homil. 3. in Acta dicit: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multò plures esse qui pereant.* Pauci enim sunt qui non labuntur, paucissimi qui post enormem lapsum ita resurgunt ut evadant boni; quod quoad Sacerdotes incontinentes confirmat historia in fine cap. præced. relata. *Ecce mundus ubique fervet Sacerdotibus* (ait Hieronymus apud Eusebium in epist. ad Damasum) *& tamen tam sunt rarissimi Sacerdotes boni, quod vix è centum bonus reperiatur unus.*

Cùm igitur tam rara & difficilis sit plena con- 625
versio Sacerdotis enormiter lapsi, non est facilè & citò, non proinde ex pauculis gemitibus & momentaneis lachrymis, ante præstitos dignos fructus pœnitentiæ præsumenda. Pauculi namque gemitus & lachrymæ momentaneæ Sacerdotis, taliter lapsi, absque dignis pœnitentiæ operibus sunt signa conversionis ambigua. Quod autem rarò, & nonnisi valdè difficulter accidit, ex signis ambiguis non præsumitur, sed potiùs quod frequentiùs accidit, juxta regulam juris 45. *Inspicimus in obscuris quod plerumque fieri consuevit.* Eò quòd in dubiis verisimilius sit hîc & nunc accidere, quod accidere solet, quàm quod non solet, sed insolitum & rarum est. Nimis ergo præceps & irrationabilis foret Sacerdos, qui ex signis ambiguis de vera, sincera & plena sua conversione præsumeret, maximè in angustiis, in quibus Judæus vel Turca, honoris sui non omninò immemor, commisso enormi crimine ploraret & gemeret, imminensque sibi opprobrium multis promissionibus redimeret. Fortassis enim Sacerdos ille lachrymatur & dolet, non tam quia peccavit (quidquid tandem dixerit) quàm quia confunditur & timet imminens sibi opprobrium, prout Author imperfecti in Matth. observat suprà n. 623. Et dato quòd lachrymæ & gemitus ipsius ex aliquo peccati sui sensu procedant, sine pœnitentiæ operibus non sunt argumentum sufficiens conversionis ex toto & intimo corde, ut patet ex dictis n. 618. ampliùsque probabitur libro sequenti.

Majora proinde in ipso conversionis signa Con- 626
fessarius ad ipsum absolvendum debet exigere, quàm gemitus illos steriles, momentaneasque lachrymas. Imò majora conversionis signa in Sacerdote, quàm in Laïco in fornicationem pariter lapso. Cùm pravitas ista, utpote longè enormior, longè districtiùs in Sacerdote judicetur, gratiarumque subtractione inexorabiliùs puniatur.

At (inquis) lachrymis illis & gemitibus jungit 627
promissionem, quâ Confessario spondet, post celebrationem ea pœnitentiæ opera implere, quæ Confessario visum fuerit illi injungere? At ambiguum est (inquam ego) an verè & sincerè (quidquid demùm dixerit, vel etiam juraverit) ista promittat, an etiam promittat ex animo satisfaciendi condignè pro peccato, an animo potiùs absolutionem, celebrandique facultatem obtinendi; cùm multa similes peccatores, in angustiis, ad consequendam absolutionem promittere soleant, quæ absoluti non implent. Neque ergo ex similibus promissionibus de vera & sufficienti contritione ipsius, dum adhuc libidine calet, totus anxius, totus inquietus & turbatus, Confessarius præsumere potest, sed ad hoc necesse est ut hîc & nunc præstiterit ea, ex quibus sufficienter probetur conversus. Tam breves autem gemitus, tam steriles lachrymæ, tam ambiguæ promissiones non probant ipsum sufficienter conversum. Maximè tam citò. Cùm juxta Scripturam & Traditionem libro sequenti proferendam, ordinariè non soleat Deus gratiam plenæ ac sufficientis conversionis, post crimen tam enorme, tam citò & tam facilè concedere. Gratiam quidem istam & misericordiam post peccata gravia brevi consecutus est Paulus, sed ideò quia ignorans peccaverat. Similiter Ninivitæ brevi misericordiam consecuti sunt, sed gravi & extraordinariâ pœnitentiâ à maximo ad minimum peractâ. Idem est de latrone in cruce, qui non solùm immani passione crucis, pro peccatis suis voluntariè acceptatâ, sed & heroïcâ Christi ab omnibus derelicti, blasphemati, subsannati confessione promeruit hanc vocem audire: *hodie mecum eris in paradiso.* Sacerdos autem, de quo agimus, non peccavit ignorans; sed peccati sui enormitatem agnoscens, nec peccatum suum heroïco

ullo actu, nec ullâ pœnitentiâ magnâ diluit. Temerè ergo tam citò absolutionem petit, & celebrare prætendit. Imò temerè sibi blanditur de plena & efficaci voluntate pœnitentiam condignam post celebrationem fideliter adimplendi. Nec enim voluntatem istam habere potest sine speciali gratia, pro qua tam citò, post fœdissimum lapsum, vix interrogato ore Domini, impetranda, non tantum est quod hactenùs præstitit, ut eam se impetrasse securus esse possit. Pro ea quippe impetranda orandum, & taliter ac tantùm orandum, quomodò & quantùm res tanta petenda est. Quod si se fecisse Sacerdos, de quo agimus, præsumeret, præsumptuosus esset.

628 Verùm quidem est, si preces toto corde faceret, simulque veris pœnitentiæ lamentationibus ingemisceret, justisque & continuis pœnitentiæ operibus veniam deprecaretur, Dominum posse ipsius misereri. Sed vix aut ne vix quidem sine impudentia hoc se fecisse sibi polliceri potest, qui adhuc æstuans libidine, sterilibus dumtaxat aliquot lachrymis momentaneisque gemitibus peccatum suum in his deplorat angustiis, in quibus meritò dubitatur, an honorem suum, an Deum offensum defleat, vel saltem an Deum offensum ex toto corde defleat.

629 Idque tantò magis dubium, quantò certius est, Sacerdotem tam enormiter lapsum, si verè & ex toto corde pœnitet, non debere amplius de se præsumere, sed lapsûs sui memorem, de se suisque lachrymis & gemitibus debere humiliter sentire, nec lapsûs sui veniam, uti nec veram contritionem sibi tam citò polliceri, sed agnoscere, quòd sibi non parùm periculosum foret, paucis horis post fœdissimum peccatum commissum, mente nondum satis recollectâ, tremenda celebrare mysteria. Periculum (inquam) foret, ne si hoc auderet, præsumptionem (lapsûs sui verisimiliter causam) præsumptione, fornicationeque sacrilegio cumulans, divinæ sibi gratiæ fontem obstrueret, præcipitique festinatione irruendo in altare, vimque corpori & sanguini Christi inferendo, ex ira Dei magna, ut B. Greg. dicit, *in impœnitentis cordis caliginem projiceretur.*

630 Hoc est quod magnopetè formidarunt Sancti. Et ideò Potamius, Bracharensis Archiepiscopus, semel in fornicationem lapsus, licèt facti pœnitens, nec celebrare, nec Ecclesiam suam regere est ausus, sed regimen illius sponte deserens, pœnitentiam acturus per novem menses ergastulo se concluſit. Nec his contentus Toletano Concilio peccatum suum publicè confessus est. Nec tamen à Patribus Concilii, etiam post illam novem mensium pœnitentiam, altari est restitutus, sed perpetuæ pœnitentiæ ærumnis adjudicatus, solùm ipsi relicto nomine honoris ex speciali miseratione. Genebaldus quoque, Episcopus Laudunensis, semel iterùmque reversus ad carnale commercium cum relicta conjuge, sancti Remigii nepte, occultum peccatum suum sancto Remigio confessus, stolam cum magno ejulatu dimittere voluit, atque à sancto Remigio in mansiuncula cum lecto in modum sepulchri reclusus, septimo dumtaxat istius pœnitentiæ anno, in oratione pernoctans, ab Angelo sibi apparente audivit: *Suscepit Dominus pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum.*

631 Haud dubiè sibi non persuaserunt Sancti illi, pauculis lachrymis tam enorme crimen elui posse, nec recuperari dispositionem debitam ad dignè celebrandum, nec hoc crediderunt Patres nostri, qui Sacerdotes in fornicationem lapsos tanto tempore ab altari segregarunt. Quorum proinde, seu potiùs Ecclesiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ disciplina, tot sæculis continuata, abundè demonstrat, veram & sinceram ex toto corde contritionem, in ejusmodi Sacerdotibus non debere tam citò, nec tam facilè præsumi.

632 Nec certè utile est taliter lapsis esse persuasum, tam enorme crimen facilè & citò elui ordinariè posse: imò expedit saluti ipsius contrarium habere persuasum, tum ut ex ista recuperandæ divinæ gratiæ difficultate, sui criminis sentiat enormitatem. Tum ut ista eadem difficultas sit ipsi frænum contra relapsum. Tum denique ut difficultatem agnoscens, non negligat orationibus diu noctuque incumbere, veris lamentationibus ingemiscere, justisque ac necessariis pietatis ac pœnitentiæ operibus plenæ conversionis gratiam & veniam impetrare.

633 Quòd si, posthabitis tot & tantis rationibus, pro absolutione paucis post fornicationem horis obtinenda, celebrationeque sibi permittenda Sacerdos lapsus vehementiùs instet, ipsâ suâ tam præcipiti importunitate, tantâque præsumptione se absolutione probat indignum. Undè absolvendus non est, sed suaviter monendus, ut delicti sui horrore percussus, cum Publicano pectus suum percutiat, seque indiguum reputet qui oculos in cælum levet, & non tantùm de sacrificio offerendo non cogitet, sed ipsum pudeat à Veneris ara sordidis infectisque manibus ad tremendam Christi aram tam citò velle transvolare. Dixi absolvendum non esse, quia ex præmissis præsumi nequit sufficienter conversus. Et quia Patres clamant, quòd sic præcipitare gravissimi delicti veniam, sit pietas impia, quæ vulnus non amputat, sed auget, dum ut augeatur fomitem subministrat, nec perpetrati criminis sentire facit enormitatem, sed sublato illius sensu, de novo perpetrandi tribuit libertatem.

634 Si denique tam enormiter lapsus Sacerdos, reperiat Confessarium, à quo citò solvatur, & ad altare mittatur, istud cum Castorensi arbitror proficisci ex gravissima ira Dei, quâ (ut suprà ex Gregorio dicebam) in impœnitentis cordis caliginem projicitur, postea in gehennam cum tali Confessario projiciendus.

CAPUT XLVIII.

Non ideò Sacerdoti, taliter lapso, pauculis post fornicationem nocte commissam horis, impartienda est absolutio, nec permittenda celebratio, quòd ex statuto Ordinis debeat celebrare, vel in die festo Parochi ministerium exhibere populo, alioqui Missam non audituro: etiamsi sermo sit de Sacerdote vitæ hactenùs probatæ, cui infeliciter, primâ jam vice, ruina ista acciderit.

635 Quia, ut optimè Hennebellus (qui multam lucem huic attulit quæstioni) hæc omnia non faciunt, quin Sacerdos ille enorme commiserit sacrilegium. Quò vitæ hactenùs fuit probatioris, eò perspectius habuit, quid in his angustiis Officii sui ratio ab eo exigeret. Quòd si nec Officii sanctitas, nec solemnis castitatis sponsio, nec honoris proprii memoria, nec præsentissimum Ordinis sui opprobrium ab hoc eum crimine potuerint revocare, constat utique magno cum impetu in hoc eum corruisse peccatum; neque excusare potest violentia tentationis, ubi tam deliberatæ crimen est voluntatis.

636 At populo exhibendum est ministerium, vel hac die celebrare jubet Ordinis statutum. Ita planè. Sed nec illud Sacerdotis lapsi crimen extenuat; imò exaggerat. Cùm enim Sacerdos lapsus sciverit ministerium illud imminere; quo vitæ fuit probatioris, certiùsque proinde scivit, quæ

in celebrante puritas ab ejusmodi crimine requireretur, eò vehementiùs crimen illud abhorrere debuit. Ut enim Damianus in Gomorrhiano c. 4. *unusquisque, quò melius sapit, eò deteriùs delinquit. Quia inevitabiliter meretur supplicia, qui prudenter, si voluisset, potuit evitare peccatum.* Deliquit ergo gravissimè, vel ex hoc solo capite, quòd reverentia tanti mysterii blandientis mulierculæ illecebris prævalere non potuit, ne eo quidem tempore, quo ejus celebrationem imminere sibi sentiebat.

637 Hactenùs Hennebellus, id multis prosequens in laudata Thesi, & in Apologia illius. Ubi exemplo Petri, infeliciter, inopinatò, & extraordinariè lapsi, id totum illustrat. Cui cùm Dominus prædixisset, *antequam gallus cantet, ter me negabis*, dum instante passionis horâ, orante Domino, & ipsum ad orationem hortante, oratione neglectâ, ad tentationem imparatus accessit; in ea, licèt hactenùs probatæ vitæ, dum mori timuit, infeliciter, inopinatò, & extraordinariè vitam negavit, negationemque detestatione, anathemate, & juramento confirmavit. Quam negationem, juramento sacrilego taliter confirmatam, licèt antè numquam commissam, metuque mortis extortam grande prorsus & enorme peccatum fuisse, nullus est qui negare possit. Eam valdè enormem Petrus ipse protectò credidit, qui tot & tam amaris lachrymis eluendam censuit.

638 Ut cecidit Petrus (inquit) ceciderunt in immani persecutione innumeri, qui usque ad horrida illa tempora vitæ fuerant hominibus probatissimæ; sed quàm varia sæpè sint Dei hominumque judicia, persecutio probavit, cujus flante turbine, paleam Deus segregavit à tritico, & aliis stantibus, ipsi infeliciter & inopinatò Christum negarunt, idolis thura immolarunt, aliaque nomine Christiano indigna patrarunt. Nec dubium quin hoc facto crimen valdè enorme commiserint.

639 Si commiseratione dignus foret Sacerdos, de quo quæstio; à fortiori ipsi, à fortiori Petrus, metu mortis immaniumque tormentorum prostrati. Indulgentiam ergo merebantur, præ Davide, & Sacerdote nostro, qui voluptati, atque libidini cesserunt. Hinc si magnum fuit Petri illorumque peccatum, qui cesserunt timori; majus (cæteris paribus) fuit peccatum eorum qui cesserunt libidini. Si enim tentatio, cui cessit Sacerdos, fuit gravissima; gravior fuit Petri, gravior illorum qui Christum negarunt. Nec tamen ideò gravissimè non peccarunt.

640 Quid igitur, si quispiam Sacerdos, probatæ hactenùs vitæ, gravissimâ tentatione pulsatus, metuque mortis & imminentium tormentorum prostratus, Christum (ut Petrus, uti lapsi illi, de quibus Cyprianus) negasset, negationem juramento, anathemate, atque horrendâ execratione firmasset, idolisque thus immolasset: an ipsum pauculis post tantum scelus horis lachrymantem, & gementem, Confessarius ideò absolvere, & ad altare eo ipso die mittere posset, quòd altaris ministerium debeat populo, Sacrum alioqui non audituro in die festo? Id fieri posse non credidit Cyprianus, non Clerus Romanus, non sancti Confessores n. 591. 595. 596. relati. Imò id facere, censent esse misericordiam falsam, & *blandam perniciem, impietatem vocabulo pietatis coloratam, quâ contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Et qui hoc faciunt, *hoc esse lapsis quod grando frugibus, quod turbidum sydus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Solatium æternæ spei adimunt, arborem à radice subvertunt, navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt*, &c.

Similiter ergo credendum non est, in dicto ca- 641
su, tam citò absolvi posse Sacerdotem, in fornicationem nocte præcedenti lapsum, nec ad altare mitti. Neque enim allegata necessitas, exhibendi ministerium altaris populo, id magis exigit in isto, quàm in illo casu. Nec magis exigit, ut Sacerdoti lapso in fornicationem permittatur altaris ministerium; quàm eidem lapso in adulterium, vel (quod horribilius est) in bestialitatem & sodomiam, in incestum cum matre, conjugatâ, &c. Cùm tam citò (sine extraordinariis, ac minimè ambiguis signis) non magis præsumi queat sufficienter contritus, in casu fornicationis, quàm in aliis casibus jam commemoratis, prout capite præcedenti vidimus. Si proinde inveniat Confessarium talis Sacerdos, qui ipsum tam citò absolvat, rursus dico quod semel iterumque post illustriss. D. Episcopum Castoriensem dixi, omninò verisimile esse, *id proficisci ex ista Dei ira gravissima*, quâ Deus ipsum in impœnitentis cordis caliginem projicit. Et addo cum Emerico de bonis, quòd nollem pro talibus Confessariis rationem Deo reddere, utpote qui (attentis præmissis) magnam, imò maximam habent rationem timendi, imò & credendi, quòd panem filiorum dent canibus, & margaritas projiciant ante porcos, quòdque misericordiâ falsâ, & blandâ pernicie laxando incautis Communionem, periculosam dantibus, & nihil accipientibus profuturam, hoc sunt ejusmodi lapsis, quod grando frugibus, & cætera quæ Cyprianum cum aliis Sanctis dicentem proximè vidimus.

Quod tamen multò ampliùs timere debent, qui 642
tam citò absolvunt, & ad altare ire permittunt Sacerdotem, non ita hactenùs probatæ vitæ, sed qui jam sæpius in fornicationem est lapsus, multaque Confessario promisit, sed promissis non stetit. De tali quippe Sacerdote verendum, multumque verendum, ne nimiâ facilitate Confessariorum suorum traditus sit in reprobum sensum, tâque duritie, eâ hebetudine, eo animi stupore erga augustissimum sacrificium obriguerit, ut statûs miserrimi, in quo torpet, vel nullum, vel exiguum sensum habeat salutarem. Certumque omninò haberi debet, talem in oculis hominum censendum indispositum ad hoc ut tam citò absolutione, altarisque ministerio donetur, & tantò magis indispositum, quantò animalis factus, minùs percipit quæ Dei sunt; tantò (inquam) magis, quantò immundior, & totus dissipatus, per appetitum & phantasmata immunditiæ, prurituque carnis valdè allicientem ad opera immunditiæ; quibus illectus & distractus animus ineptus est nimis ad devotionem, sanctimoniamque requisitam ad tam tremendum mysterium offerendum.

Quam ob causam, ipse etiam Sacerdos, vitæ 643
hactenùs probatæ, primâ vice fornicationis illecebras expertus, ordinariè ineptus est ad sibi mox comparandam dispositionem, necessariam ad tanti mysterii celebrationem. Post primam quippe vicem ardentior est motus, prurituque carnis, & magis sensibilia phantasmata; quæ cum reliquiis pietatis in misero illo colluctantia, miserum in modum animum ipsius conturbant. Hinc enim timet ne lapsus suus hominibus innotescat, & ne vel ipsa complex criminis vel per Confessionem, vel extra Confessionem fiat index illius. Inde caro calet libidinis æstu. Denique in pectore miseri hominis, proximè à commisso crimine, velut tartareum chaos est confusionis. Quis ergo hominem sic turbatum, totque suspicionibus, anxietatibus, & phantasmatibus dissipatum, aptum credere potest ad celebrandum? Certè si crimen tam enorme, tam recenter commissum, ipsum vehemen-

ter non inquietat, timendum est ne non fuerit vitæ tam probatæ, quàm apparuit in oculis hominum, sed occulta quædam in eo vitia latuerint, infami illo fornicationis vitio curanda. Cùm non uno saltu, sed gradibus quibusdam homines soleant ad perfectam seu justitiam, seu iniquitatem pertingere.

644 Non igitur usque adeò attendenda necessitas populo exhibendi ministerium in die festo (ne aliàs sit absque Sacro;) sed ea saltem, post enormem illum lapsum servanda est disciplina cum ipso, quam post vini haustulum, vel sumptum panis frustulum servandam, Authores etiam benigniores docent. Atqui post sumptum seu vini haustulum, seu panis frustulum, Parocho non permittunt altaris ministerium, etiam in die festo exhibere populo, tametsi aliàs Sacrum non audituro. Longè ergo minùs id permittendum in nostro casu. Siquidem Ecclesia magis semper horruit, Sacerdoti recenter fornicato permittere altaris ministerium, quàm Sacerdoti non jejuno, ut constat ex eo quòd per mille ducentos & amplius annos universa Ecclesia Græca & Latina Sacerdotes in fornicationem lapsos notabili tempore constanter excluserit ab altari, nec umquam permiserit post pauculos à fornicatione dies, multò minùs eodem die accedere ad altare; circa naturale verò jejunium Ecclesiæ disciplina variis in locis varia fuerit. Deinde lapsus in voluntariam pollutionem cap. *testamentum* dist. 6. non permittitur ipso die celebrare, etiamsi populus ex hoc die festo non sit auditurus Sacrum, ut videbitur capite sequenti. Ergo multò minùs id permittendum lapso in fornicationem.

645 At (inquis) si Sacerdos lapsus non celebret in die festo, populus scandalizabitur.

Respondeo cum Hennebello negando sequelam. Tum quia scandalum non magis consequens est in casu nostro, quàm in casu soluti jejunii. Tum quia scandalo occurri potest, vel jejunium naturale solvendo, & illud à se ob indispositionem solutum populo exponendo, vel dicendo se indispositum, vel extraordinariè turbatum, ita ut nesciat quid de se Deus disponere velit; expositisse se viro doctrinâ & integritate probato animi sui angustias, sibique ab eo permissum esse, ut, attentâ istâ animi perturbatione, à celebratione cessare liceret, dummodò populus Sacrum expectans induci posset ad impendendum orando in Ecclesia tempus, quod aliàs impenderet Sacrum audiendo. Idipsum se rogare, eorumque precibus se commendare. Hinc profectò sequi nata non est nisi populi quædam ad rem insolitam admiratio, vel etiam querulorum quorumdam murmuratio. Quæ si in casu soluti jejunii Deo committenda est: à fortiori in casu nostro. Si quorumdam insuper accedat sinistra suspicio, tantò magis temeraria erit, quantò probatioris vitæ Sacerdos hactenùs fuisse supponitur. Neque enim justam suspicionis causam ingerunt generalia illa dicta ipsius; cùm innumera sint, quæ virum, etiam probatissimum, à celebrando remorari possunt, ut si putet se per testimonium in causa sanguinis irregularitatem incurrisse: si scrupulis agitatus, sibi satisfacere non possit, nec scrupulos excutere: si simoniacè, culpâ non suâ, sed parentum, ad Sacerdotium jam demùm discat se fuisse promotum. Qua de causa S. Dominicus Loricatus altaris ministerium, quoad vixit, numquam usurpare ausus fuit.

646 Si his solatiis, tamque rationabilibus mediis salvandi bonam famam suam, Sacerdos lapsus acquiescere nolit, ipsi in memoriam revocandum 1°. quod S. Damianus in suo Gomorrhiano c. 8. ait: *salubrius esse in conspectu hominum temporalem perpeti verecundiam, quàm ante Tribunal Supremi Judicis æternam subire vindictam.* Et Innocentius III. lib. 4. de myster. Miss. c. 13. *peccator debet potiùs eligere, ut abstinendo reddatur suspectus, quàm ut communicando*, vel celebrando, *manducet indignus.* Quia, ut S. Thomas q. 80. a. 6. ait, *pejus est peccatori occulto peccare mortaliter, sumendo corpus Christi, quàm infamari.* Unde *peccator occultus potiùs deberet eligere infamari, quàm indignè ad mensam Domini*, vel ad sacrificandum *accedere.* 2°. quòd nimis inordinatum sit ad salvandam famam suam horrendum committere sacrilegium. 3°. quòd si aliquod famæ præjudicium patiatur, id ipse voluit, dum ne propriæ quidem famæ & honoris memoria ipsum à peccato revocare potuit. 4°. quòd constans Ecclesiæ Latinæ praxis & disciplina, apud Græcos etiamnum perdurans, manifestè ostendat, Ecclesiæ sensum esse, quòd ad consulendum famæ Sacerdotis taliter lapsi non sit habenda ratio suspicionum, quæ temeritate hominum, vel aliter oriri possunt, nec propterea solvendas divinas humanasque leges, ad altare tam citò festinando: cùm Ecclesia Latina tot sæculis, Græca usque in hodiernam diem, Sacerdotes, etiam occultè fornicatos, vel perpetuò, vel ad notabile tempus removerit ab altari. 5°. quòd multas Ecclesiæ deberet gratias, quòd hodie longè mitiùs agere permittat cum ipso, longè citiùs quàm olim ipsum absolvendo, altarique restituendo, non obstante enormitate criminis ipsius, quod in veteri lege expiabatur flammis, quodque novem mensium ergastulo Potamius expiare non potuit, & Genebaldus tam extraordinariâ septem annorum pœnitentiâ vix potuit eluere. 6°. denique Sanctorum illorum exemplo magis satagere debere de reparando honore divino, quem enormiter læsit, quàm de suo contra temerarias suspiciones hominum per medium tam periculosum conservando.

CAPUT XLIX.

Confutatur adhuc propositio nona, quoad id quod dicit de pollutione voluntaria, & ostenditur sacram Communionem ne quidem eam consitentibus consulendam, imò nec permittendam ipso die voluntariæ pollutionis.

CUm S. Thomas in 4. dist. 9. in solutione q. 647
2. ad 2. profiteatur, *non esse alicui consulendum, quòd statim post peccatum mortale, etiam contritus & confessus, ad Eucharistiam accedat, sed debere, nisi magna necessitas urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere*, manifestum est propositionem nonam, quâ Communio, præmissâ Confessione, consulitur, ipso die voluntariæ pollutionis, Angelicæ doctrinæ esse diametraliter adversam. Cùmque Angelica illa doctrina dicat, Communionem non solùm non esse consulendam contritis & confessis, statim post voluntariam pollutionem, sed longè generaliùs dicat consulendam non esse *post peccatum mortale*: sequitur multò minùs consulendam post voluntariam pollutionem; utpote quæ non est peccatum mortale qualecumque, sed valdè enorme. Et si tam plenâ ac præmeditatâ voluntate commissa fuerit, quàm fornicatio committi solet, non est facile, sed difficile, statim post illam, de illa plenè ac sufficienter conteri. Et ideò plerùmque ambigua est contritio Sacerdotis, vel Religiosi, qui eam sicut & fornicationem confitetur pauculis horis post illam perpetratam. Proinde tam citò sacerdotali absolutione remittenda non est. Neque enim peccatori, cujus ambigua est contritio, Sacerdos absolutionem impendere potest, multò minùs permittere Communionem, ut constat ex Decreto Innocentii XI. quo 65. propositiones damnantur,

& signanter prima permittens Sacramenta conferre cum materia incerta, tametsi probabilis esset, si ex ea valor Sacramenti pendeat, uti Sacramenti Pœnitentiæ valor pendet à vera contritione.

648 Quòd autem difficile sit, statim post illud commissum, plenè ac sufficienter conteri de peccato pollutionis, tam plenâ ac præmeditatâ voluntate commisso, quàm fornicatio committi soleat, ratio est quia grande est crimen, & valdè enorme; cujusmodi crimina (etiam in Laïcis) momentaneis lachrymis & sterilibus non eluuntur, nec tam citò & facilè curantur, uti probabimus libro sequenti. Quòd autem grande & enorme sit crimen, probatur ex eo quòd juxta S. Petrum Damiani in Gomorrhiano, sit primus sceleris sodomitici gradus; & adeò contra naturam, ut à nulla umquam bestia fuerit perpetratum: *Nimirùm* (inquit) *hoc perditi homines perpetrare non metuunt, quod ipsa quoque bruta animalia perhorrescunt. Quod ab humanæ pravitatis temeritate committitur, irrationabilium pecorum judicio condemnatur.* Et ipsemet Martialis, tametsi Gentilis, ac valdè impurus Poëta, lib. 9. epigrammate in Ponticum, illius criminis reum, sic scribit:

Hoc nihil esse putas; scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Ipsam, crede, tibi naturam dicere rerum:
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

649 Imò ex genere suo gravior est omni carnali crimine, quod cum quacumque fœmina, modo naturali committitur, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 12. & ostendunt Sinnichius in Saüle Exrege l. 1. c. 113. § 430. & Gesualdus de Bononia de sexto præcepto tr. 12. c. 1. q. 9. n. 37. Tametsi crimina alia carnalia, v. g. fornicatio, adulterium, &c. plerùmque graviora sint, propter circumstantias scandali personarum, & præjudiciorum, quæ nata sunt inferre Ecclesiæ, Reipublicæ, conjugi innocenti (si de adulterio sit sermo) legitimis hæredibus, &c.

650 Si voluntariæ pollutionis crimen ex suo genere tam grave est, vel in ipsis Ethnicis & Laïcis, quantò magis in Religiosis, & Sacerdotibus, in quibus præter malitiam propriam, specialem involvit malitiam sacrilegii, tantò majoris, quantò tunc commissum est, quando reverentia saltem sacrificii proximè offerendi, vel adeundæ Communionis, revocare debebat à tali crimine? Talem ergo ipso die commissi tam nefarii criminis ad altare, vel ad Communionem mittere non permittit reverentia tanto mysterio & Sacramento debita, etiamsi contritus & confessus esset, ut S. Thomas ait. Quantò ergo minùs, si vel contritus non sit, vel ob allegatam rationem meritò dubitetur an sit? Siquidem tunc ne quidem magnâ (nota benè, non dico extremâ) necessitate urgente, S. Thomas permittit statim post illud commissum ad Eucharistiam accedere, sed tunc tantùm, quando *contritus* est, & *confessus*, prout n. 645. vidimus.

651 Voluntariam certè pollutionem, seu mollitiem Græci censent in tantum reddere hominem indignum altaris ministerio, ut Joannes Jejunator ab anno 585. ad 596. Constantinopolitanus Patriarcha (cujus disciplinam à Græcis etiamnum servari testatur Arcudius) de ea in Canonario suo statuat, ut sequitur: *Si in mollitiem inciderit ante consecrationem, nesciens quid hoc esset, & quòd hoc prohibet ipsum à Sacerdotii susceptione, vel propter ignorantiam, vel quòd sic ab animarum corruptore & ignorante eductus fuerit, vir tamen est sapiens, vel pius, vel utrumque, puniatur prius, pœnâque exsolutâ Sacerdotio dignus habeatur* (ecce quot conditiones requirit ut lapsus in mollitiem Sacerdotio dignus censeri queat: quid de eo censeret, qui in eam lapsus esset, sciens quid hoc esset, ab indocto animarum corruptore non seductus, nec adhuc pœnitentiâ purgatus?) *quòdsi post sacrum ministerium susceptum in hoc crimine, eâ ratione quam prædiximus, deprehensus est, vel propter ignorantiam, vel quòd hoc non esse malum ab aliquo animarum corruptore edoctus sit, unius anni pœnitentiam accipiat, à sacro ministerio abstinens, & sic postmodùm* (non antè) *sacris operetur* (ecce ad hoc ut post unius anni pœnitentiam sacris operari possit, hanc conditionem exigit, ut in mollitiem lapsus non sit sciens ejus malitiam, sed ignorans, vel seductus, &c.) *quòd si bis tervè hoc iteraverit, non amplius Sacris ministret, sed in Lectoris ordinem descendat.* Audiant Confessarii, qui tam facilè absolvunt, & sacris operari permittunt Sacerdotem, non primâ jam vice dumtaxat, sed sæpiùs antehac, non ignoranter, sed scienter, & cum plenissima voluntate hoc vitio contaminatum. Et tamen ille ipse est Joannes Jejunator, qui in fine Canonarii sui, *hæ sunt* (inquit) *definitiones epitimiorum* (id est pœnitentiarum) *levissimorum quidem, & nimiâ relaxatione facillimorum, à me traditorum.* Qui & à compluribus Græcis de nimia indulgentia accusatus, & malè notatus fuit.

652 Tametsi nona propositio ex dictis satis sit confutata, amplius tamen confutatur ex capite *testamentum* dist. 6. ex Pio V. in rubrica Missali Romano præfixa, atque ex Angelico Doctore. Siquidem in cap. *testamentum* dicitur quòd Sacerdos lapsus in pollutionem nocturnam, dum pollutio illa oritur ex eo quòd *ultra modum appetitus gulæ insumendis alimentis rapit, atque idcircò humorum receptacula gravantur*, atque ideò *habet exinde animus aliquem reatum*; nisi *aut festus dies exigat, aut exhibere mysterium pro eo quòd Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellat .... ab immolatione sacri mysterii abstinere humiliter debet .... Si verò ex turpi cogitatione vigilantis, oritur illusio in mente dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim à qua radice inquinatio illa processerit: quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens, & propter talem pollutionem* (tametsi solùm voluntariam in causâ ista, non in se) *à sacro mysterio abstinere eâ die oportet*, nullâ dici festi, nullâ dictæ necessitatis factâ exceptione, prout in priori casu. Si ob pollutionem nocturnam ex turpi cogitatione præcedente solùm indirectè voluntariam, Sacerdos prohibetur eo die celebrare, non obstante necessitate exhibendi ministerium die festo, dum Sacerdos alius deest; quantò magis ab eo prohibendus est ob fornicationem directè voluntariam? de qua capite præcedenti.

653 Pius V. in rubrica Missalis Plantiniani anni 1596. tit. de dispositione corporis, sic statuit: *Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à Communione, & celebratione. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum extra casum necessitatis.* Quam tamen exceptionem omisit Pontifex, dum dubium non est in præcedenti cogitatione fuisse peccatum mortale.

654 S. Thomas 3. p. q. 80. a. 7. in corp. *Pollutio nocturna quandoque est cum peccato, puta cùm provenit ex superfluitate cibi vel potûs, & hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale, licèt frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensûs, quam circa sumptionem cibi & potûs. Undè & Gregorius scribens Augustino, Anglorum Episcopo, dicit, cessandum esse à Communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit; non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potûs, præsertim si necessitas adsit.* Et in 4. dist. 9. cùm sibi opposuisset hoc argumentum: *Secundùm Gregorium pollutio, quæ*

ex

ex crapula accidit, à Communione non impedit, si necessitas incumbat: ergo nec illa quæ ex turpi cogitatione præcedente in vigilia procedit. In solut. q. 2. ad 4. dicit, quòd turpis cogitatio (juxta Gregorium) *turpitudinem habet, propter delectationem, vel consensum adjunctum. Et hæc quidem turpitudo magis horrenda est, quàm illa quæ in cibo accidit. Tum quia magis vitari potest; cùm difficillimum sit in cibo modum tenere. Tum quia est magis propinqua ad mortale peccatum.*

655 Constat ex utroque hoc loco, S. Doctorem subscribere capiti *testamentum*, sicque permittere celebrationem, dum urget necessitas, in casu nocturnæ pollutionis, ortæ ex crapula, ut eam non permittat, etiam dum urget similis necessitas (ut constat, tum ex antithesi quam facit in priori loco, tum ex objectione ad quam respondet in posteriori) in casu pollutionis ortæ ex turpi cogitatione.

656 Ne quis verò existimet S. Doctorem solùm velle, pollutum nocte præcedenti ex turpi cogitatione, tunc solùm prohiberi à celebrando, cùm non est contritus & confessus. Ipsemet quæstione illâ 80. a. 7. sibimet objicit: *dato quòd nocturna pollutio provenerit ex peccato, quod est mortale, potest contingere quòd de manè pœnitet & confitetur.* Et respondet ad 4. quòd *licèt per contritionem & Confessionem auferatur reatus culpæ, non tamen auferatur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione subsecuta.*

657 Supposità tamen verâ plenâque contritione, & Confessione, fatemur cum eodem S. Doctore, quòd mortaliter non peccaret, qui eo die communicaret, vel celebraret, quo nocte præcedente, in somnis, ex turpi cogitatione pollutus fuisset. *Quia ex necessitate* (sub peccato utique mortali) *impedit hominem ab hujus Sacramenti susceptione solum peccatum mortale.* Ex congruitate tamen, propter tanti Sacramenti reverentiam, pollutio nocturna ex turpi cogitatione, vel crapula, illâ die Communionem sub veniali impedit, etiam post contritionem & Confessionem, *propter duo. Quorum unum semper accidit* (prosequitur S. Doctor) *scilicet quædam fœditas corporis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere (nisi fortè talis immunditia sit perpetua, vel diuturna*; adde tu, vel proveniat ex nequitia dæmonis, Communionis fructum impedire volentis.) *Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam; præcipuè quando cum turpi cogitatione contingit. Hoc tamen impedimentum, quod provenit ex congruitate, postponi debet propter aliquam necessitatem.* Citra quam *videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento* (ait in 4. dist. 9. q. 1. a. 4. quæstiunc. 2.) post ejusmodi pollutionem celebrans; *non tamen peccat mortaliter, sed venialiter.* Ita etiam Major, Adrianus, aliique Veteres, docentes cum Paludano in 4. dist. 9. q. 3. concluf. 2. *quòd si pollutio nocturna est cum peccato mortali, impedit quousque sit contritus & confessus. Nec etiam eo die peccati mortalis est communicandum; quamvis contritus & confessus. Si tamen faceret, credo quòd non mortaliter peccaret.*

658 Non ideò tamen dicendum, quòd is, qui non dormiendo, sed vigilando, ex plena atque omninò præmeditata voluntate seipsum polluit, vel fornicationem commisit, eodem die, absque mortali communicare vel celebrare possit, tametsi confessus. Tametsi enim fortasse mortaliter non peccaret, si ex toto corde contritus esset, & confessus; post tam enorme peccatum, plenâ & omninò præmeditatâ voluntate commissum, securè præsumere non potest, se toto corde, seu plenè tam citò esse contritum, ordinariè loquendo; imò vel præsumere debet contrarium, vel de eo saltem dubitare. Ob ea quæ suprà dixi. Nullus autem Veterum, imò nec Modernorum, dubiè contrito celebrationem vel Communionem, post ejusmodi pollutionem vel fornicationem permittit.

Fortè tamen mitius aliquando sentiendum de 659
pollutione, seu nocturnâ, seu diurnâ, directè non voluntariâ, sed indirectè dumtaxat, in cogitatione cui non fine acri pugna animi voluntariè quispiam immoratus fuit. Neque enim ob mortale quodcumque differenda est absolutio. Quia quò minori voluntate peccatum est commissum, eò facilius & citiùs & certò concipitur. Videri potest Hennebellus in Thesi Apolog. de Sacerd. lapf. §. 2. ubi id extendit ad oscula, & repentinum (non præmeditatum) uberum tactum, aliaque ejusmodi.

Qui etiam involuntariè polluitur, etiam vigil, 660
ex causa necessaria, vel utili, nullo modo voluntaria, v. g. ex turpibus auditis in Confessione, non impeditur à celebratione magis quàm Frater ille, de quo legitur in Collationibus Patrum, *quòd pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum.* De quo *seniores comperto quòd nulla causa ab ipso processisset*, decreverunt, quòd propter hoc *à Communione non cessaret.* Sic refert S. Thomas 3. p. q. 80. a. 7.

CAPUT L.

Confutatur propositio nona: Communio multò magis consulenda est conjugatis, ipso die copulæ habitæ causâ voluptatis.

COnfutatur (inquam) 1°. ex S. Thoma q. 661
80. a. 7. ad 2. ubi sic: *Si non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominetur in opere conjugali (ut ibidem Gregorius subdit) tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum.* Ecce Authores illius propositionis consulunt, quod SS. Doctores prohibendum tradunt.

2°. copula conjugalis, habita causâ voluptatis, impedit eam cordis & corporis munditiem, 662
sicut & attentionem & devotionem, quâcum accedere oportet ad sacram Communionem. Tum quia conjuncta est cum fœditate corporali, & cum affectu ad carnalem voluptatem, quam secundùm se appetere illicitum est; ideòque *cùm non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de sua commixtione quod defleant*, inquit Gregorius epist. ad Augustinum. Tum quia eam sequitur evagatio & hebetudo mentis, quâ attentio & devotio impeditur.

3°. vel ipsa copula conjugalis, quæ est sine 663
peccato (quæ utique fit causâ prolis) in aliud tempus differenda est, dum conjuges volunt ad sacram Communionem accedere, ob dictam fœditatem, mentisque evagationem. Ut enim dicitur can. *omnis homo* de consecr. dist. 2. *omnis homo ante sacram Communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.* Et ut S. Hieronymus, à S. Thoma ubi suprà relatus, super Matthæum ait, *si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant: quantò magis panis qui de cælo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulò antè hæsere complexibus, violari atque contingi.* Et si Apostolus 1. Cor. 7. commendat abstinentiam ab illo opere ex mutuo consensu ad vacandum orationi: *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Quantò magis ad participandum Dominico corpori & sanguini? Sed *quia hoc secundùm congruitatem, & non secundùm necessitatem est intelligendum* (ait S. Thomas ibidem) *Gregorius dicit quòd talis suo judicio est relinquendus.*

664 4°. ex S. Carolo Borromæo Act. p. 4. de Sacram. Euchar. ubi ad communicandum à conjugatis exigit abstinentiam ab opere conjugali, non illo dumtaxat die quo communicant, sed & aliquot diebus: *Præstantissimi* (inquit) *hujus Sacramenti dignitas hoc postulat, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies à concubitu uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui propositionis panes à Sacerdote suscepturus, se suosque pueros ab uxorum consuetudine puros jam tres dies professus est. Et ex Canone etiam veteri, qui tres vel quatuor, vel etiam octo dies abstinentiæ in hoc genere proponit.* Sanctus quoque Cæsarius serm. 88. *Ante dies plures* (inquit) *castitatem servate, ut cum secura conscientia ad altare Dei possitis accedere.* Ita etiam Innocentius XI. in Decreto de Communione quotidiana, sicut & Catechismus Romanus, & Pastorale Mechliniense sub Hovio. Ita denique tota Antiquitas.

665 Facilius tamen excusandus est conjugatus, qui die Communionis rediit, quàm qui exigit debitum (tametsi in reverentiam Sacramenti, juxta consilium Apostoli, se pro posse excusare debeat, compartemque rogare, ut sibi abstinentiam permittat) quia rarò & difficulter contingit, quin affectus voluptatis in exigente se non intermisceat. Ideòque S. Bonaventura in 4. dist. 12. q. 3. n. 90. *Rarò* (inquit) *contingit, quòd homo conjungatur* cum uxore, *debitum exigendo, quin sit sibi aliqua culpa. Si autem solùm reddendo debitum, non credo quòd debeat* à Communione *retrahi, nisi de congruo.*

CAPUT LI.

Confutatur propositio decima: Extra culpam est quisquis Eucharistiam sumit, sibi non conscius peccati mortalis.

666 HOc enim *quòd non habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere ... per culpam suam* (ait S. Thomas q. 80. a. 4. ad 5.) *vel quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret, simplicem fornicationem non esse peccatum mortale* (vel is qui voluntariam pollutionem commisit, eam non esse peccatum errando credidisset) *vel quia negligens est in examinatione suipsius, contra id quod Apostolus dicit 1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Et sic nihilominùs peccat peccator sumens corpus Christi, licèt non habeat conscientiam peccati. Quia ipsa ignorantia jeu non conscientia est ei peccatum.*

667 Si ex priori capite, id est ex eo quòd culpâ suâ ignoret esse peccatum, quod revera peccatum est, à sacrilega Communione quis excusaretur; similiter excusandi forent, qui suâ culpâ non advertunt esse peccatum, quod reverà peccatum est. Et sic innumeri, qui suis passionibus & cupiditatibus inordinatis voluntariè excæcantur, ideòque sibi conscii non sunt se esse in statu peccati mortalis, ut avari usuras committendo, vel misericordiæ opera negligendo; Clerici qui patrimonio pauperum pinguescunt, negligentesque pauperibus superflua sua in parentes effundunt; feminæ, quæ nuditate pectoris, aliisque ejusmodi vanitatibus, & liberiori conversatione, innumeris sceleribus occasionem præbere gestiunt, & vitam ethnicam ducunt, &c. tametsi de iis nec doleant, nec confiteantur, nec se emendare proponant, à sacrilega Communione excusarentur, eò quòd propriis cupiditatibus & vanitatibus excæcati, sibi conscii non sint peccati mortalis. Cùm tamen vix sint qui magis rei sint corporis & sanguinis Domini, quàm isti, qui mediis in flagitiis nihil in se flagitiosum agnoscunt. Cùm tenebræ illæ, quæ ipsos excæcant, argumenta sint depravati animi ipsorum, iratique Dei supplicia, qui (ut Augustinus ait l. 1. Confess. c. 18.) *spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.*

Ex posteriori etiam capite innumeri ad sacram Communionem sacrilegè accedunt. 668
Quia licèt peccata sibi occurrentia accuratè confiteantur (id sufficere existimantes) numquam intimos cordis sui recessus scrutantur, numquam seriò discutiunt, quis amor, Dei an mundi, in se prædominetur, an non potiùs mundi maximas sequantur, quàm regulas Evangelii, an toto corde velint dedere se Deo, servareque sponsionem solemniter ipsi factam in baptismo. Quod nisi faciant, pœnitentia ipsorum *simulatio dici potest, non pœnitentia*, ait Gregorius VII. l. 7. epist. 10. Per consequens Confessiones ipsorum vanæ sunt. Quia quisquis sine istiusmodi examine, & sine sincera ista voluntate confitetur, *ore, non corde*, vel saltem non pleno corde, sive non ex toto corde confitetur; imò *non confitetur*, sed loquitur, ut Nicolaus I. ait in epist. ad Regem Salomonem.

Et quis non videt miserrimum periculosissimumque esse statum istorum hominum, qui (quia 669
seriò nunquam intrant cor suum) nec suam miseriam sentiunt, nec sacrilegarum Confessionum Communionumque suarum advertentiam, nec conscientiam habent? Ex quo fit, ut ex iis nullum unquam emendationis vitæ fructum reportent; sed in tanta cæcitate, in tanto versentur stupore, ut in bono se statu esse existiment, cùm in pessimo sint, absque possibili remedio, nisi ad se reversi seriò atque ex toto corde statuant sponsionem baptismalem servare, seque totos Deo dare. Quod quia ex ipsis pauciissimi faciunt, innumeri miserrimè tandem pereunt.

CAPUT LII.

Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debet: dummodò non desit copia Confessoris. Quòd si necessitate urgente, Sacerdos absque previa Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.

VErba sunt Concilii Tridentini sess. 13. c. 7. 670
sic ex traditione intelligentis, & exponentis istam Apostoli sententiam: *probet autem seipsum homo.* Quippe *Ecclesiastica consuetudo declarat* (inquit) *eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis*, &c.

Circa postrema verba, quibus Tridentinum sta- 671
tuit, ut Sacerdos necessitate urgente absque prævia Confessione celebrans, *quamprimùm confiteatur*, observandum, quòd nonnulli, sed pauci, nec primæ notæ Theologi, verba illa per admonitionem (seu consilium) non per præceptum dicta interpretantur, inquit Pallavicinus Hist. Conc. Trid. l. 12. c. 6. Sed hoc est quod Alexander VII. damnavit propos. 38. inter 45. Propositio namque 38. ab ipso damnata sic se habet: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.* Non audiendus proinde Gobat in Alphabeto Sacrific. casu 4. n. 439. aiens verba Tridentini habere hunc sensum: *tenetur sub veniali confiteri*; vel hunc, *suademus ut confiteatur quamprimùm.*

Observanda item propositio 39. ab eodem dam- 672
nata: *illa particula* quamprimùm, *intelligitur, cùm*

Sacerdos

Sacerdos suo tempore confitebitur. Cujus damnationis ratio justissima fuit: quia si obligatio confitendi in hoc casu solùm esset, cùm Confessionis præceptum urgeret, vel Sacerdos iterùm celebraturus esset, Concilium illam sui Decreti partem omittere potuisset, utpote vel ipso Confessionis præcepto, vel priori parte Decreti sui comprehensam.

673 Verus proinde verborum Concilii sensus est, quòd talis Sacerdos statim atque post celebrationem nactus fuerit copiam Confessarii, confiteatur, etiam ipso die celebrationis, si sine magna difficultate possit. Ut enim Lumbierus noster ad dictam propositionem n. 811. observat, longiùs protrahere, non verificat Confessionem fieri *quam primùm*, juxta vim istius vocis.

674 Circa priora verò Concilii verba multiplex etiam fuit opinio non probanda. Primò namque verba ista, *dummodò non desit copia Confessarii*, quidam apud Leandrum disp. 7. q. 28. adeò laxarunt, luxaruntque, ut dicerent, Confessarii defectum à Confessione celebrationi præmittenda excusantem, stante celebrandi necessitate, tunc contingere, cùm deest Confessarius ordinarius, cui devotiùs & confidentiùs solet quis confiteri, tametsi adsit alius idoneus. Sed hoc nec verum est, nec securum, & improbabile censent Suarez, Vasquez, & alii passim. Reverà enim non deest copia Confessoris, cùm adest Confessarius idoneus, cui possim sine gravi periculo confiteri.

675 Secundò alii apud Filliutium tr. 4. n. 213. censuerunt deesse Confessarium, cùm deest proprius Sacerdos, seu Parochus, tametsi adsit alius per privilegium idoneus. Quam opinionem Filliutius probabilem esse insinuat. Sed immeritò, ob rationem proximè dictam. Eamque improbabilem vel ipse Diana reputat p. 9. tr. 3. resol. 13.

676 Tertiò non defuerunt, qui dicerent, tunc Confessarii copiam deesse Sacerdoti Religioso, dum sibi conscius peccati infamiam adferentis, v. g. fornicationis, ad manum non habet Confessarium suum regularem, cui sine infamia suæ Religionis confiteri possit, sed sæcularem dumtaxat, licèt aliàs idoneum. Ita Summa *Rosella* verbo *Communio*. Sed nec hoc ullo modo probabile est. Ob eandem rationem. Et quia infamia Religionis reverà non magis resultat ex Confessione facta Sacerdoti sæculari, quàm infamia statûs sacerdotalis sæcularis ex simili Confessione à Sacerdote sæculari facta Confessario regulari. Videri potest Diana loco citato, ubi opinionem illam Rosellæ pronuntiat improbabilem.

677 Quartò Leander q. 30. cum Philiberto Marcino, & P. Joannes à Concept. in compendio Leandri tr. 7. disp. 7. n. 10. censent deesse copiam Confessarii, quando non adest nisi Confessarius, cum quo pœnitens non habet animi conjunctionem, sed rixas & inimicitias. Quia (inquit) nec Deus, nec Ecclesia quemquam obligat ad confitendum hosti, cui iratus est. Sed nec hoc consonat veritati, nec Evangelio. Cùm enim Sacramentum hoc sit Sacramentum unitatis & pacis, atque à S. Thoma in cap. 6. Joannis vocetur *panis concordiæ*; una ex dispositionibus ad illud recipiendum, est depositio omnis dissensionis, inimicitiæ, & rixæ, reconciliatioque cum inimicis, juxta illud: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Unde Hieronymus epist. 62. *Ignoratus* (inquit) *sine pace communionem.* Et Chrysostomus homil. 4. de Patch. agnum esse vult, qui Agnum comedit. Posuit enim Deus fines tuos pacem, antequam adipe frumenti satiet te. Et quomodò ob inimicitiam à Confessionis obligatione excusasset, qui jussit inimicos diligere, & benefacere his qui oderunt nos? Nec solùm ante celebrationem & Communionem, sed & ante Confessionem, imò & ad eliciendum veram contritionem deponenda est omnis inimicitia, fratrique remittendum de cordibus nostris. Et cur rixa cum Confessario pœnitentem eximeret ab obligatione ipsi confitendi, potiùs quàm rixa subditi cum superiore, subditum eximat ab obligatione ipsi obediendi? Procul ergo amandandæ opiniones, Evangelicis regulis, atque principiis vitæ christianæ, communique piorum fidelium sensui tam repugnantes.

Tunc igitur demùm Confessarii copia deesse 678
censetur, quando Confessarius sine grandi difficultate & incommoditate aditi nequit. Quod quando contingat, generali regulâ definiri non potest, ideòque prudenti judicio relinquitur determinandum, habitâ ratione personarum, &c. Quod enim uni valdè difficile est, v. g. podagrico, non est ita difficile alteri. Nec distantia unius leucæ excusat bonum peditem (quidquid dixerit Henriquez l. 1. de pœnit. c. 4) imò nec distantia duarum vel trium, dum tempus permittit, ut sapienter observat Granadus.

Tunc etiam Confessarius deesse censetur, quan- 679
do celebraturus habet casum reservatum, & non habet nisi copiam Confessarii non habentis potestatem in reservata, sive interim habeat aliud mortale peccatum, præter reservatum, sive non habeat. Quia ipsum absolvere non potest, neque à reservato (quia Tridentinum sess. 14. c. 7. declarat Confessarios inferiores, in reservata *nihil posse extra articulum mortis*) neque à non reservato, ob conjunctionem ipsius cum reservato; cùm enim unum mortale sine altero absolvere nequeat, qui non habet potestatem in reservata, neque potestatem habet in non reservata cum reservatis conjuncta. Qua de re plura libro sequenti.

Secundum quod à Tridentino requiritur ad ce- 680
lebrandum, vel communicandum sine Confessione, est necessitas gravis. Quam Doctores communiter adesse censent 1°. in periculo mortis, tam Sacerdotis, quàm alterius. Si aliàs absque necessario viatico moreretur. 2°. quando Parochus in die festo debet celebrare, nec alium habere potest, qui vices suas suppleat. 3°. quando sine scandalo, vel gravi periculo infamiæ, non potest celebrationem, vel Communionem omittere. Quia præceptum præmittendæ Confessionis Communioni non videtur obligare cum tanto rigore.

Sed vide, ne populi admirationem hìc accipias 681
pro scandalo. Neque enim sine prævia Confessione licitè celebras, vel communicas, eò quòd alioqui populus mirabitur, vel habebit te pro minùs devoto. Cùm hoc non sit grande malum.

Addit Leander disp. 7. q. 16. sine prævia Con- 682
fessione Sacerdotem, incœptâ Missâ, pergere posse, tametsi tunc recordetur peccati mortalis, & sine gravi nota & scandalo confiteri possit. Quia cœptum sacrificium interrumpere non decet. Ita ille, referens Sotum, Victoriam, Henriquez, Valentiam, Layman, Granadum, Dicastillum. Sed vera est opposita sententia Bonaventuræ, Scoti, Sylvestri, Navarri, Suarii, Vasquez, de Lugo, &c. Neque enim tunc adest necessitas à Tridentino requisita, nec magis indecens est cœptam Missam interrumpere, ob Confessionem, quàm ob Concionem.

Multò minùs recipiendum est, quod idem Lean- 683
der q. 17. probabile putat, utique Sacerdotem in altari jam existentem, posse absque prævia Confessione Missam inchoare & perficere, tametsi ante inchoationem illius recordetur peccati mortalis, illudque absque nota confiteri queat. Quia (inquit) Laicus absque Confessione bene potest

communicare, quando existens in scamno Communionis, recordatur peccati mortalis non confessi, licèt illud confiteri possit absque infamiæ nota vel periculo, uti docent Victoria, Henriquez, Valentia, Granadus, Reginaldus. Eò quòd utique jam assideat ad mensam cælestis Regis, nec deceat assidentes à mensa Principis ante convivium peractum recedere.

684 Multò (inquam) minùs recipiendum est, sive istud de Sacerdote, sive istud de Laïco, ad scamnum Communionis existente. Si enim decentissimum est, ut offerens munus suum ad altare, dimisso altari vadat reconciliari cum fratre suo (dum sine nota & periculo infamiæ potest) juxta Christi præceptum n. 497. relatum: decentissimum quoque est, ut Sacerdos vel Laïcus, ad mensam cælestis Regis assidens, ab ea tantisper recedens, vadat per Confessionem reconciliari cum Deo (dum sine nota & periculo potest) ut sic debitè se disponat ad sacrum convivium, in ea mensa dignè celebrandum.

685 Et confirmatur, quia si Sacerdos ille, vel Laïcus, recordaretur se non esse jejunum, non esset indecens, sed reverentia magna, à sacra mensa, vel altari recedere, ut non celebraret, vel non communicaret non jejunus, ut fatetur Leander disp. 5. q. 25. cum communi. Ergo similiter, &c.

686 Numquid saltem est sufficiens necessitas celebrandi sine Confessione, dum (Confessario deficiente) simplex Sacerdos iter agens, in die festo, cum aliis satisfacere nequibit præcepto audiendæ Missæ, nisi sic celebret? Affirmant Toletus, Henriquez, Dicastillo, Leander, & alii. Sed negativam sententiam Bonacinæ, Suarii, Laymanni, Connick, & Cardinalis de Lugo probabiliorem existimo. Quia præceptum Confessionis præmittendæ celebrationi, vel Communioni, probabilius est divinum, ab Apostolo Paulo promulgatum 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo* (quod profectò Apostolus ex se non tradidit, sed à Domino accepit, ut patet ex verbis præcedentibus: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, &c. Quæ verba referenda sunt ad omnia quæ Paulus ibi tradit de Eucharistia:) divino verò isti præcepto Ecclesiasticum de audienda Missa cedere debet.

687 Aliud videri potest de præcepto annuæ Communionis, quod purè Ecclesiasticum non est, sed divinum, ab Ecclesia determinatum quoad tempus. Ob quam rationem simplex Sacerdos, juxta communiorem sententiam, absque prævia Confessione celebrare potest, ut ipse, vel alii satisfaciant isti præcepto.

688 Hoc tamen D. Antoninus, Pitigianus, Nugnus, Suarez, Tannerus, & alii valdè probabiliter negant. Quia determinatio illa Ecclesiæ intelligenda est salvo alio præcepto divino: cùm Ecclesia divinum de Communione præceptum determinet absque præjudicio alterius præcepti divini de Confessione Communioni præmittenda.

689 Ex dictis n. 506. à fortiori conficitur, Regularem, ex statuto, vel consuetudine suæ Religionis obligatum ad quotidie, vel ad certis diebus celebrandum, absque Confessione celebrare non posse, ut isti statuto vel consuetudini satisfaciat, sed debere à celebrando abstinere, si copiam non habeat Confessarii, & à celebratione absque gravi nota & scandalo, quæsito aliquo prætextu, abstinere possit (uti regulariter potest) quamquam Leander q. 35. cum Henriquez, Dicastillo, & aliis à se relatis, existimet tunc absque Confessione celebrare posse.

690 Ne ipse quidem Sacerdos ex onere Capellaniæ obligatus ad certis diebus celebrandum, potest istis diebus absque Confessione celebrare. Quia Capellaniæ onera intelliguntur salvâ reverentiâ, probationeque debitâ, & Missis illis per alterum, vel per se altero die Sacerdos poterit satisfacere. Nec ab hoc se excusare potest colore paupertatis, cùm aliunde possit & debeat sibi de necessariis providere, debeatque primò quærere regnum Dei, ut cætera adjiciantur sibi.

CAPUT LIII.

Legitimè confessus omnia mortalia, memoria occurrentia, si postea ante Communionem recordetur alicujus mortalis, in Confessione inculpatè oblati, tenetur pro illo ante Communionem redire ad Confessarium, si commodè possit.

691 EST communis sententia Doctorum contra Præpositum 3. p. q. 80. a. 5. dub. 3. n. 15. Ferrantinum de scandalo disp. 1. q. 80. n. 2. Hieronymum Garciam in Sum. Theol. Moral. tr. 3. diffic. 5. dub. 1. punct. 5. quorum opinionem probabilem censuerunt Arriaga de Euchar. disp. 40. sect. 3. subsect. 2. & noster Cornejo 3. p. q. 80. a. 4. disp. un. dub. 3. Sed eam improbabilem vel ipse Diana judicat p. 9. tr. 3. resol. 4. & p. 11. tr. 8. resol. 40. ubi gravissimos Authores eandem censurantes producit, testaturque eamdem ex ordine Supremi Tribunalis S. Inquisitionis Hispanicæ expunctam esse ex operibus nostri Cornejo.

692 Enimverò præceptum est divinum confitendi omnia mortalia, memoriæ occurrentia ante Communionem, prout Doctores communiter tradunt, & n. 507. probavimus. Hoc autem non implet, qui ante Communionem haud confitetur illud mortale, nondum confessum, ante Communionem memoriæ occurrens.

693 Sed & praxis & consensus fidelium omnium idipsum ostendit, utpote qui (teste Cardinale de Lugo hic disp. 14. sect. 6. n. 126. teste quoque experientiâ) etiam post legitimam Confessionem, non audent communicare, nisi priùs confiteantur illud mortale, oblitum in Confessione.

694 Præceptum itaque divinum, de Confessione Communioni præmittenda, ex communi fidelium omnium consensione & praxi (quæ est optima legis hujus interpres) ante Communionem eo obligat modo, quo præceptum divinum confitendi absolutè, obligat absolutè. Nam divinum præceptum confitendi absolutè omnia mortalia, memoriæ post debitum examen occurrentia, extendit se absolutè ad omnia mortalia, etiam in Confessione oblita, & indirectè absoluta, si postea memoriæ occurrant. Similiter ergo divinum præceptum de Confessione Communioni præmittenda, extendit se ad omnia peccata mortalia, ante Communionem confitenda, etiam in Confessione oblita, & indirectè absoluta, si postea ante Communionem memoriæ occurrant.

695 Hinc etiam ante Communionem non solùm confitenda sunt omnia mortalia certa, verùm & dubia; sicut absolutè non solùm confitenda sunt omnia mortalia certa, verùm & dubia, uti probabitur libro sequenti.

696 Denique præcipuum adversæ partis fundamentum ducit ad præcipitium, sive ad nimiam laxitatem. Sic enim arguunt: legitimè confessus omnia peccata mortalia, post debitum examen memoriæ occurrentia, per talem Confessionem est Deo reconciliatus, & judicio clavium, in gratia constitutus. Ergo satisfecit divino præcepto, de Confessione Communioni præmittenda. Cujus præcepti finis est, reconciliatio cum Deo, gratiæque recuperatio per claves Ecclesiæ.

Respondeo negando consequentiam; utpote

non magis legitimam, quàm si ex eodem antecedente quis inferret: Ergo talis satisfecit divino præcepto, de omnibus mortalibus absolutè confitendis, atque adeò manet liber de obligatione confitendi mortale, in Confessione legitima inculpatè oblitum: cùm finis istius obligationis pariter sit reconciliatio cum Deo, &c. Quod dici nequit. Non apparet autem cur dici non posset, si negata consequentia, legitima esset. Et ideò dixi, argumentum illud ducere in præcipitium. Ad vitandum verò utrumque inconveniens, pariformiter dicendum, finem utriusque obligationis esse quidem reconciliationem cum Deo, gratiæque recuperationem judicio clavium, non utcumque, sed per sui humiliationem coram Sacerdote, sive per humilem & verecundam omnium mortalium declarationem ipsi factam. Neque enim sine onere isto fit illa cum Deo reconciliatio.

697 Ex dictis hoc & præcedenti capite perspicua est Græcorum Sacerdotum cæcitas, qui (ut Arcudius refert lib. 3. c. 60.) tametsi crimina perpetraverint, celebrationi numquam ferè Confessionem præmittunt; uti nec Russorum Presbyteri, ut videre est apud eumdem lib. 4. c. 2. Sacrilegi istius abusûs origo fuit antiquorum Canonum rigor, quo Clerici lapsi in peccatum ad mortem, nominatim in fornicationem, ab executione Ordinum perpetuò suspenduntur. Metu igitur suspensionis istius sacramentalem refugiunt Confessionem, suaque occultant scelera, à quibus potiùs ex eodem metu abstinere debuissent, & advertere quòd antiqua illa disciplina, priorum sæculorum tempore instituta, hisce temporibus rationabiliter temperari possit.

CAPUT LIV.

Tametsi indefinitè sacrilegi non sint, qui ad sacram Communionem accedunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint: ex communi tamen SS. Patrum, gravissimorumque Theologorum sententia, nemo lethalium, saltem graviorum reus, & maximè carnis, tametsi confessus, ad sacram Communionem accedere debet, nisi præmissis per aliquod tempus pœnitentiæ, seu pietatis operibus expurgatoriis.

698 PRior pars assertionis certa est ex declaratione Ecclesiæ, quæ per Alexandrum VIII. in Decreto de 7. Decembris 1690. damnavit hanc propositionem 22. inter 31. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Et meritò damnavit. Tum ob nimiam universalitatem; nullum enim excipit: cùmque sit indefinita, & sine ulla restrictione, æquipollet huic universali: *Sacrilegi judicandi sunt omnes peccatores, qui sive post peccatum mortale, sive post veniale, sive post crimen enorme, sive post quodcumque, jus ad Communionem suscipiendam prætendunt,* &c. Cùm tamen crimina non enormia, quæque canonicâ pœnitentiâ non multabantur, ante pœnitentiam impletam olim plerùmque absolvebantur, & absolutus statim communicare non prohibebatur, ut videre est apud Morinum l. 5. c. 31. lib. 9. c. 1. n. 13. & c. 14. n. 8. Tum quia propositio damnata jus negat peccatoribus ad Communionem, *antequam condignam*, id est plenam & adæquatam (hoc enim in sensu naturali & obvio significat vox *condignam*) *de delictis pœnitentiam egerint.* Tum denique quia damnata propositio absolutam asserit necessitatem præmittendæ Communioni satisfactionis, & quidem condignæ. Quæ assertio certissimè falsa est, Ecclesiæque sensui, & probatæ ab ea praxi contraria.

Posterior pars probatur, quia verba ista Apo- 699
stoli, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat,* &c. sancti Patres semper intellexerunt de probatione, non per solam Confessionem, sed & per pœnitentiæ labores, sine quibus censuerunt, reos criminum, saltem graviorum, eam ordinariè puritatem & sanctimoniam non acquirere, quam postulat devota & fructuosa tanti Sacramenti susceptio.

Sic namque imprimis censuerunt Cyprianus, Clerus Romanus, & sancti Confessores n. 591. 596. & 597. laudati. Sic etiam D. Ambrosius, cujus verba habes n. 602. Chrysostomus homil. 61. ad popul. miratur quomodò aliqui Christiani Quadragesimæ tempus sibi sufficere putarent pro expurgatione criminum toto anno commissorum, sine longiori ad Communionem Paschalem præparatione: *Dic mihi, quæso, post annum Communionem sumens, quadragintane dies ad totius temporis peccatorum purificationem tibi satis esse putas? Et hebdomade lapsâ rursum ad priora reverteris... Quadraginta diebus animæ sanitatem assignas, & Deum habere propitium expectas? ludisne quæso?* Quid igitur magnus ille Doctor diceret, si tot & tantos peccatores nostrâ ætate videret, non solùm quadraginta dierum pœnitentiam sacræ Communioni non præmittentes, sed unico veluti passu post unam peccatorum totius anni Confessionem, à sacro Tribunali ad altare properantes, altero post breve tempus ad prostibulum reversuros? Audiant igitur ipsi, sibique dictum putent id quod Os aureum proximè subjungit: *Hæc dico, non uno & annuo vos prohibens accessu, sed vos semper ad sancta sanctè volens accedere. Propter hoc & Diaconus acclamat, tunc sanctos vocans ... cùm enim dicit, sancta sanctorum, hoc dicit: siquis non est sanctus, non accedat: non simpliciter dicit, à peccatis purus, sed sanctus. Non peccatorum tantùm liberatio, verùm & Spiritûs præsentia sanctum facit, & bonorum operum divitiæ. Nolo vos tantùm (inquit) à cœno esse liberatos* (per contritionem & Confessionem) *verùm & candidos ac splendidos. Nam si Rex Babylonius ex captivitate deligens adolescentes, pulchros specie, & decoros aspectu sumpsit: multò magis & nos sanctæ mensæ assidentes regiæ, specie pulchros esse decet, aurum animæ mundum habentes, vestem puram, calceamenta regia, decorum animæ cultum, aureum ipsius ornatum,* &c.

Augustinus serm. 252. de temp. *Unusquisque* 700
consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, priùs orationibus, jejuniis vel eleëmosynis studeat mundare conscientiam suam; & sic Eucharistiam præsumat accipere. Si enim agnoscens reatum suum, ipse se à divino altari subtraxerit... ab æterno illo & cæleſti convivio excommunicari penitùs non timebit.

Sermonem hunc suum Ecclesia fecit, legitque 701
illum (velut Augustini) in secundo Nocturno festi dedicat. Eccles. Vide tamen noviss. Edit. Oper. S. Aug. to. 5. in Append. serm. 229. ubi dicitur esse S. Cæsarii serm. 52. Ex eo interim quòd Ecclesia sermonem illum etiamnum recitet, perspicuè colligitur, eo declarari sensum Ecclesiæ nedum primitivæ, sed etiam hodiernæ.

S. Isidorus l. de Offic. Eccles. c. 18. *Si talia* 702
sunt peccata, quæ quasi mortuum removent ab altari, priùs agenda pœnitentia est; ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Hoc enim est indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Verba ista desumpta sunt ex Augustino epist. 54. aliàs 118. ad Januar.

S. Joannes Climacus gradu 15. communicare permittit statim atque ab hæresi quispiam conver-

sus est, post pœnitentiam; sed non statim post pœnitentiam de peccato carnis.

703 Algerus l. 1. de Sacram. corp. & sang. Dom. c. 22. ante Communionem probandos docet diuturnis pœnitentiæ operibus, continentiâque salutari, qui lapsi sunt in peccata carnis. Ad hoc quippe significandum, *ad edendum Agnum lex dedit in calceamentis cautelam, ne à vitiis fallamur; in baculo disciplinam, quâ perpetrata corrigamus; in lachrymis compunctionem, ut non solùm interiùs, sed & exteriùs pœnitentiam agamus; in festinatione desiderii ardorem, quo ad cœlestia suspiremus. Sed cur* (inquit) *accinctis renibus abstinentiam libidinis expressiùs indixit?..... Agnum Dei sine macula, qui Virginis est Filius, luxuriosi & incesti sumunt periculosiùs. Quia cùm in Sacramento Christi, ei uniri debeamus conformitate passionis & munditiæ, nihil sic adversatur passioni crucis, ut voluptas; nihil sic munditiæ, ut fœditas; nihil sic ejus unitati, ut fornicariæ societatis unitas. Libido enim appetitu suo allicit & incendit; actu suo fœdat & enervat; usu lubricat & illaqueat, adeò ut... difficilem aut nullam sui pœnitudinem admittat; &, nisi validâ manu misericordiæ Dei subventum fuerit, miserabili fine suo amatores suos sine fine perdat.... Hæc enim pestis, quò gravi cæteris vitiis est naturæ familiarior, eò ad cavendum difficilior..... Et dum sensim infundit amorem sumi, prorsus extirpat amorem cœlestium. Sed quid contra faciendum est ne pereamus?...., Difficilem, sed cooperante Deo non impossibilem pœnitentiæ & continentiæ ingrediamur viam... Angelicam in terris vitam ducamus, quatenus castitatis munditiâ, corde & corpore Christi munditiæ conformes, & carnis maceratione conformes passioni ipsius, ne cœlesti alimoniâ indignè reficiamur, simus spe & conversione cœlestes. Quia panis Angelorum, nonnisi Angelicæ vitæ est stipendium.* Quod probat ex Apostolica ista sententia: *Probet se homo, & sic de pane illo edat*, &c. quia revera *sollicitè debet perpendere, cujus sit actionis, vel saltem intentionis, qui tantæ vult fieri particeps Communionis.*

704 S. Anselmus orat. 25. noviss. Edit. Rom. *Si peccata Sacerdotis sunt criminalia, utilius est ei ab immolatione sacrificii humiliter abstinere, quàm per præsumptionem immolando, majorem damnationem acquirere, donec inchoatâ vel peractâ pœnitentiâ possit ad altaris servitium securus accedere.*

Idem S. Anselmus, vel quisquis est Author celebris Commentarii, ipsi attributi in Epistolas Pauli, explicans caput 11. 1. ad Cor. tria dicit. Primum est: *Indignè manducat & bibit, qui non priùs per pœnitentiam purgatus, ad Sacramentum accedit.* Secundum: *Indignè manducat, qui sine debita reverentia sacram Eucharistiam percipit.* Tertium: *Indignè manducat & bibit, qui aliquod grave peccatum.... commisit.... nisi confessus fuerit illud, & per pœnitentiam deleverit.*

705 S. Bernardus serm. de S. Magdalena post D. Basilium homil. 28. de pœnit. observat, quòd Sancta illa statim atque audivit: *dimissa sunt ei peccata multa.* Item: *remittuntur tibi peccata*, non involavit in caput, neque arripuit manum, sed mansit ad pedes, lachrymis suis eos irrigans, capillis extergens, unguento ungens: quia *interstitii moræ inter pedes debet esse & caput: quia profectò difficillimus & præsumptuosus saltus est, à vestigiis advertícem Domini transvolare. Neque enim eadem quæ unxit pedes, unxit & caput: cùm illa meretrix nihil horum fecisse legatur, secundùm illud:* " Verte impios, & non erunt. " *Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profectò jam electa, jam familiaris effecta, longèque à peccatricis illius obvoluta vestigiis, quam infelix septenarius confundebat.* Præmiserat autem Mellifluus Doctor discrimen inter unguentum illud prius & posterius, quòd istud illo sublimius esset. Primum namque, *quod pedibus Salvatoris infudit*, est unguentum pœnitentiæ, sive *sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Secundum, *quod super caput recumbentis effudit*, primo longe pretiosius est; sacrificium utique laudis, seu gratiarum actionis, quo Eucharistia designatur, quæ Sacramentum est gratiarum actionis. Interstitii verò morositatem inter istud & illud unguentum Bernardus affirmat esse debere: quia non statim post nudam peccatorum gravium Confessionem contritionemque peccator satis paratus est ad Eucharistiam percipiendam; sed ad hoc per morum correctionem, & dignos pœnitentiæ fructus, Salvatori esse debet familiaris effectus. Neque enim nudus gratiæ status, post violatam gravibus peccatis Baptismi innocentiam, ad id sufficit; sed virtutum requiritur apparatus, & comparata per dignos pœnitentiæ fructus vitæ sanctimonia, quâ pœnitens Christo conformis & jam familiaris sit effectus, prout Sanctorum testimonia in superioribus prolata satis probant.

S. Thomas in 4. dist. 9. q. 1. a. 4. quæst. 2. ad 2. *Non esset consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus & confessus, ad Eucharistiam accederet; sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere. Siquidem Confessio purgat maculam mentis; non autem immunditiam corporalem, & hebetudinem, quæ contingit in mente, ex depressione ejus ad carnem.* Ubi cùm S. Doctor solùm excipiat casum urgentis necessitatis, utaturque verbo *deberet*, *perspicuum est* (inquit Doctor Steyartius in suis Annotationibus ad Wiggers, ad q. *an etiam* alia peccata, quàm carnis, impediant sacram Communionem?) *eum de obligatione quadam uti, etsi fortassis non tam gravi. Et ideo, more suo, mitiùs loquitur, dicitque non consulendum. Eandem reverentiam nobis inculcat Ecclesia in lectionibus secundi Nocturni dedicationis Ecclesiæ, ut videamus non solùm hunc esse spiritum Ecclesiæ primitivæ, sed etiam hodiernæ.*

Joannes Taulerus serm. 2. Domin. VII. post Trinit. *Cum lactucis agrestibus manna hoc cœlicum sumendum est, quæ quia amaræ sunt, amaram Passionis Christi compassionem significant, ita ut, ad honorem ipsius, ipse quoque* (saltem post gravia crimina) *vitam rigidam & pœnitentialem assumat*, &c.

Venerabilis Ludovicus Granatensis in Memoriali tr. 5. c. 5. *Maximè corrigendi sunt Christiani, qui cùm vitam omnibus criminibus inquinatissimam egerint, evoluto anno confitentur, & vix mille criminum abominationumque genera apud Sacerdotem evomere desierunt, cùm sese ad cœlestem mensam prorsipiunt, & manducant Panem Angelorum, ad cujus dignam perceptionem vel ipsa Angelorum puritas exigeretur, si ad illam homines pervenire possent.*

Synodus Bituricensis anni 1584. tit. 22. c. 5. *Nemo sine contritione, Confessione & satisfactoriis operibus dignè præmunitus ad Eucharistiam sumendam accedat.*

Eidem denique assertioni nostræ subscribunt Marianus Victorius, Episcopus Amerinus, in suo de pœnit. lib. adversus nuperas hæreses scripto. Sicut & viginti novem Archiepiscopi & Episcopi, qui librum de frequenti Communione approbarunt. Quos inter, Episcopus Briocensis, *Author* (inquit) *Joannis Præcursoris instar, advenienti Agno, peccata mundi tollenti, vias pœnitentiæ parat, & demonstrat. Docet cum Apostolo probare nosmetipsos, priusquàm sacris epulis accumbamus, atque ut Christi corpus dignè accipiatur, si prioris baptismatis innocentiam amisimus, novam posteriori lachrymarum

ac veræ pœnitentiæ baptismate comparandam. Episcopus Lascarienſis : *Non edebatur olim Agnus Paschalis sine amaris oleribus. Æquum est purificandis animis quàm maximè operam dent, qui hujus Sacramenti participes fieri cupiunt, cujus comparatione impuri sunt Angeli.* Episcopus Tarbenſis : *Nunquam pro merito liber hic probabitur, dum mira portenta refellit, à novitiis quibusdam animarum Rectoribus excogitata, qui quosvis promiscuè, quamlibet criminibus oneratos, dummodo primùm ea confessi, & resipiscendi voluntatem, quam frequentissima eorundem peccatorum vicissitudo cassam inanemque ostendit, professi fuerint, ad divinam mensam ignavissimâ quadam temeritate propellunt. Rectè ergo monet, longiorem moram interponendam, ut certiora firmioraque emendatæ vitæ argumenta capiamus, & aliquamdiu in solitudine, fletibus ac suspiriis instandum, priusquam cœlesti mannâ satiemur. Non mediocriter gavisus sum, cùm ab universo Provinciæ nostræ Cœtu* (undecim Episcoporum) *doctrinam hanc saluberrimam unâ voce probatam vidi.* Guido de Seve, laudatissimus Episcopus Atrebatensis, in Mandato suo de 5. Augusti 1695. regulâ 10. *Qui primis sæculis labebantur in peccata gravia, aliquando ad annos decem, aliquando etiam ad viginti à Communione sejungebantur. Et hodie quidem Ecclesia usum illum non servat, nec ad eum servandum Confessarios suos astringit ; sed ut minus improbandum non est, nec habendum tamquam spiritui illius adversum, quòd aliquando per Quadragesimam, aut etiam amplius à Communione separentur, qui ad eam non videntur dispositi, quique olim ob crimina, quorum rei sunt, separati ab ea fuissent ad annos septem, decem, & viginti.*

706 Enimverò id modernæ quoque Ecclesiæ spiritui conforme esse, præter dicta num. 702. & 704. S. Thomas indicat opusc. de Sacram. alt. c. 16. dicens, *ideò statutos fuisse, ante Pascha, quadraginta dies pœnitentiæ, ut iis peractis in jejuniis, & orationibus, & continentia, & bonis operibus, tunc possint communicare pœnitentes cum aliis bonis Christianis. Hinc super illud 1. Cor. 11.* " Si nosmet-„ ipsos dijudicaremus, &c." *dicit Augustinus : ab ipsamet mente pœnitentis talis sententia proferatur, ut se indignum judicet participatione corporis & sanguinis Domini, ut ad tempus per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis panis separetur.*

Idipsum quoque propinquiùs ad tempora nostra Tridentinum indicat sess. 14. c. 5. dum laudat, & meritò retinendum dicit morem, qui *jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur.... confitendi sacro illo maximè acceptabili tempore Quadragesimæ.* Quæ verba S. Carolus Borromæus de primis Quadragesimæ diebus, non de ultimis intellexit, dum in primo suo Concilio Mediolanensi tit. de pertin. ad Sacram. Pœnit. moneri voluit à Parochis fideles, ne Confessionem ad hebdomadam sanctam differrent. Et in Act. Eccles. Mediol. tit. de Sacram. Pœnit. *Parochus* (inquit) *ante Quadragesimam moneat fideles, qui Confessionis frequentem usum non habent.... ne eam differant in postremos Quadragesimæ dies.* Similiter Concilium Cameracense sub Maximiliano de Bergis : *Admoneri omnes volumus, ut à principio Quadragesimæ se ad peccatorum Confessionem præparent, ac dignis pœnitentiæ operibus vacent.* Ita etiam Concilium Bituricense anni 1581. tit. 21. can. 10. Quibus concinens Bellarminus in notis ad Decreta Tridentini : *Non in fine,* inquit, *Quadragesimæ confitendum est, ut abusus irrepsit, sed initio hujus temporis, ut olim rectè constitutum fuerat.* Ob finem utique n. 706. à S. Thoma enarratum.

Propterea assertioni nostræ, præter hactenùs laudatos, suffragantur Emericus de Bonis tr. de Sacram. alt. Merbesius Sum. Christ. to. 2. dissert. 3. q. 3. & 15. Maldonatus apud ipsum. Contenson to. 8. dissert. 4. c. 2. Reg. 2. Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. to. 3. c. 5. a. 4. Reg. 6. Paulus Segnerus hom. Christ. p. 3. discursu 8. Iveninus de Sacram. dissert. 4. q. 8. c. 1. a. 1. §. 2.

Suffragatur & ratio multiplex (præterquàm e- 707
nim quòd ad id præfigurandum Deus in veteri Testamento voluit Agnum Paschalem sine lactucis agrestibus, seu amaris oleribus non manducari ; Joannes quoque Baptista prædicavit pœnitentiam, ut pararet viam Domini, sive Judæos disponeret ad recipiendum Christum) reverentia tanto Sacramento debita (ut suprà dixi ex doctrina Sanctorum) virtutum requirit apparatum, sanctimoniamque per dignos pœnitentiæ fructus comparatam. Neque enim subditus, statim atque de rebellionis crimine veniam à Rege misericorditer impetravit, dignus est, qui cum familiaribus Regis ad mensam Regis accumbat. Nec statim atque peccator à gravioris criminis febre liberatus est, continuò idoneus efficitur, qui divinissimâ Salvatoris carne vescatur, nisi expurgatâ superstite humorum corruptione validior efficiatur. Quia, ut Ambrosius l. 6. in Luc. c. 9. ait, multitudinem illam, quæ inter deserta quærebat Christum, quinque panibus Salvator aluit, non carne suâ ; quia validiori isti cibo par nondum fuit : *Dominus pro unius cujusque viribus impartire nobis alimenta dignatur : ne aut infirmum validior cibus opprimat, aut validum exilia alimenta non satient. Qui enim infirmus est, plus manducet, hoc est cibo infirmitati suæ congruente alatur.*

Sed & nonnullis peccatoribus, maximè consuetudinariis, & frequenter relapsis, pœnitentiæ opera præparatoria, ante sacram Communionem necessaria sunt, eadem ob rationes, ob quas olim SS. Patres illa requisierunt, etiam ante absolutionem. 1°. quia (experientiâ teste) ordinariè vix possibile est, ut sine illis debitum concipiant de peccatis gravioribus dolorem. 2°. ut ab iis se expediant, & à vita perversa transeant ad verè christianam, baptismaliumque sponsionum impletionem. 3°. ut ad Deum verè, plenè atque ex toto corde convertantur, seque taliter conversos Sacerdotibus probent, uti pluribus demonstrabimus libro sequenti. His adde quòd peccata, saltem carnis, obscœnis speciebus obnubilent atque offundent & conspurcent animum, in eoque causent hebetudinem impedientem animi puritatem, ac devotionem necessariam ad hoc Sacramentum ritè suscipiendum. Sunt quidem Confessarii hodie multi, qui, ad ista parùm attendentes, quoslibet promiscuè à Confessionali ad sacram mensam sine scrupulo mittunt. Sed nescio an coram tremendo Judice non reprobabuntur, tamquam dispensatores infideles, qui Sacramenta inconsideratè exposuerunt profanationi impiorum.

CAPUT LV.

Nullus post cibum vel potum, quamlibet minimum, licitè sacram Eucharistiam sumit, nisi in casibus ab Ecclesia vel à jure admissis.

ID enim Ecclesiasticâ lege vetitum est, in reve- 708
rentiam tanti Sacramenti, prout constat ex Concilio Cartaginensi III. c. 29. Toletano VII. can. 2. Constantiensi sess. 13. & antiquissima Ecclesiæ consuetudine, de qua testis est Augustinus epist. 118. ad Januarium : *Liquidò apparet, quando primùm acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Eccle-*

siæ (uti calumniatur Lutherus lib. de abroganda Missa privata, consuetudinem istam vocans *furorem furore furiosiorem*) *quòd à jejunis accipitur* ? *Et hoc verò placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, priùs in os Christiani corpus Domini intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per totum Orbem mos iste servatur*, ut refertur can. *liquidò* de Consecr. dist. 2.

709 Hujus etiam moris meminit Tertullianus l. 2. ad uxorem c. 5. Cyprianus epist. 63. Chrysostomus homil. 27. in priorem ad Corinthios.

710 Verùm hunc morem, & rationem, in qua fundatur, Lutherus irridet loco citato : *Festiva* (inquit) *ratio. Fortè nec nebulam, nec aërem prius intrare licet os Christiani*, quàm Christum. Sed insana est irrisio, quasi nubecula vel aër cibus sit vel potus ? Audi (Luthere) Augustinum, cujus aliquando filium & discipulum te esse professus es : *Siquid* (ait epistolâ citatâ) *tota per orbem frequentat Ecclesia ; quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est. Illa* quippe, *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis vel plenariis Comitiis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retinere.*

711 *Licèt* ergo *Christus post cœnam instituerit hoc venerabile Sacramentum* (ait Concilium Constantiense) *tamen sacrorum Canonum authoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quòd hujusmodi Sacramentum nec conficiatur post cœnam, nec sumatur à non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure vel Ecclesia concesso, vel admisso.*

Verum quidem est in primitiva Ecclesia post commune convivium, ad imitationem Dominicæ cœnæ, sacram Eucharistiam fuisse celebratam, ut Augustinus ostendit loco citato, antequam scilicet jejunii præmittendi lex ab Apostolis instituta foret : imò legem istam jejunii primitùs sic institutam fuisse, ut exciperetur anniversarius dies, quo cœna Domini celebratur, uti constat ex Cartaginenti III. can. 29. Cypriano epist. 63. Augustino ubi suprà. Quem etiam morem apud Ægyptios viguisse referunt Socrates l. 5. c. 21. Sozomenus l. 7. c. 19. & Nicephorus l. 11. c. 34. Sed mos iste particularis universaliore in contrarium consuetudine, atque expressis Conciliorum Decretis & Canonibus ob abusus revocatus fuit. A plerisque enim in crapula & ebrietate Sacramentum hoc recipiebatur.

712 Porrò jejunium lege Ecclesiasticâ ad sacrum convivium requisitum, non solùm est Ecclesiasticum (ut Godefridus & Joannes Parisienses dixerunt apud Sylvestrum verbo *Eucharistia*) sed naturale, ita ut post mediam noctem nihil omninò cibi vel potûs sumatur, etiam per modum medicinæ, ut ex communi totius Ecclesiæ sensu tradunt omnes alii Theologi & Canonistæ, satisque colligitur ex verbis Augustini n. 704. relatis, nec non ex Concilio Toletano VII. can. 1. dicente : *Nullus post cibum potumque, quamlibet minimum, Missas facere præsumat. Qui secùs fecerit, excommunicetur.*

Ex eodem Ecclesiæ sensu Doctores communiter tradunt, non dari hîc materiæ parvitatem à mortali excusantem, ita ut vel ipsi recentiores Casuistæ improbabilem censeant opinionem nonnullorum, qui, teste Hurtado de Euchar. disp. 9 diffic. 11. existimarunt peccatum veniale, communicare post sumptam parvam quantitatem cibi vel potûs. Quamvis enim abstinentia à parva ista quantitate sit physicè & materialiter levis, est formaliter & significativè gravis, quatenùs Ecclesia per abstinentiam illius significare vult, cibum & potum Eucharisticum cuilibet alteri cibo potuique esse præterendum.

Non violatur tamen hoc naturale jejunium, 713
nisi tria sequentia concurrant. 1°. ut sumatur aliquid cibi vel potûs. Quia Concilia de cibo & potu expressè loquuntur. Si quis proinde ab ore in stomachum trajiceret nummum aureum, globulum plumbeum, vel quid simile, à stomacho nec alterabile nec digeribile, juxta Ledesmam, Cardinalem de Lugo, aliosque communiùs, non impediretur à Communione, tametsi Nugnus & alii dissentiant. De cera, creta, charta, &c. major adhuc est variatio Doctorum.

2°. ut cibus vel potus exteriùs ingeratur ori, juxta illud S. Thomæ in 4. dist. 8. q. 1. a. 4. *Quæ interiùs ingeruntur* (ut sanguis, vel alius humor è cerebro in os defluens) *sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere jejunium naturæ, nec impedire Eucharistiæ perceptionem.*

3°. ut sumatur per actionem vitalem, quæ sit comestio, vel potatio, ita ut glutiatur & ab ore in stomachum vitaliter trajiciatur. Quia naturale jejunium non violatur nisi comedendo vel bibendo. Unde si cibus vel potus in stomachum meum non trajiceretur vitaliter à me, sed ab alio per fistulam, non obstaret jejunio meo. Quia nihil equidem comedissem, nec bibissem.

Nec solvitur naturale jejunium, per hoc quòd 714
aliquid comestibile vel potabile ab ore in stomachum trajiciatur per modum salivæ, id est non formaliter & per se : sed casualiter, & consecutivè ad trajectionem salivæ, tamquam illi permixtæ, vel etiam per modum respirationis, & consecutivè ad attractionem aëris. Ita Doctores communiter, cum S. Thoma q. 80. a. 8. ad 4. ubi sic : *Reliquiæ cibi, remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti : quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodò non trajiciantur cum magna quantitate, sed permixtæ salivæ ; quod vitari non potest.* Unde si quis muscas casualiter per modum respirationis attrahat & trajiciat, & si coquus gustando cibum, aliquid per modum salivæ trajiciat, à Communione non impeditur, uti communiter censent Theologi. Secùs esset, si ex proposito hoc faceret, ut significat S. Thomas, cùm ait : *Si casualiter transglutiantur.*

Et hinc si quis vesperi saccharum ori imposue- 715
rit, paulatim solvendum & trajiciendum, ad leniendam pectoris vel faucium raucedinem, sequenti die communicare non potest, nisi moraliter certus sit, se nihil post mediam noctem transglutiisse. In dubio enim præsumere non potest se jejunum : cùm voluntariè se exposuerit periculo transglutiendi aliquid post mediam noctem, contra jejunii præceptum. Hoc enim tempore somni facilè fit. Quia tunc sacchari solutio & trajectio valdè lentè fit, & frequenter durat ultra mediam noctem. Ita Coninck, Castro-Palao, & noster Franciscus à Jesu Maria tr. 4. de Sacram. Euchar. c. 7. n. 68.

Ex quo ulteriùs conficitur, eum qui tam serò 716
cœnavit, vel bibit, ut dubitet, an mediam noctem cœnando vel bibendo non excesserit, non posse die sequenti communicare. Neque enim (in dubio) rationabiliter præsumere potest, se mediam noctem non excessisse, qui voluntariè se exposuit periculo eam excedendi. Imò, in dubio, debet præsumere quod tutius est, in reverentiam Sacramenti : ne exponat se periculo post solutum jejunium, contra sacros Canones, communicandi non jejunus. Ita noster Franciscus à Jesu Maria ibidem n. 69. cum S. Thoma, Villalobos, &c. contra Sanctum, Tamburinum, Rhodez, Gobat, Dianam, &c. satis ridiculè aientes, tali homini favere possessionem juris communicandi. Quod

à veritate alienum est : cùm nullus possideat jus istud nisi jejunus ; ac per consequens dubia sit juris istius possessio, eo ipso quo dubium jejunium. Nec minùs ridiculum est, quod addunt, neganti jus istud, incumbere onus probandi defectum jejunii. Cùm econtrà asserenti se habere jus illud, incumbat probatio dispositionum necessariarum ad Communionem, juxta illud : *probet autem seipsum homo*, &c. & hoc ne, contra reverentiam Sacramenti, exponat se periculo communicandi sine dispositionibus ad susceptionem illius requisitis. Ob quam rationem, is qui evigilans bibit aliquid, nesciens quâ horâ (si post examen perseveret in dubio) non potest communicare, ut Doctores communiter tradunt, contra Gobat tr. 4. n. 280. & alios apud ipsum.

717 Quandonam verò censenda sit media nox, an ad primum ictum duodecimæ nocturnæ, an ad ultimum, variæ sunt opiniones Doctorum. Sed resolutè dicendum, cum Cardinale de Lugo, primum ictum campanæ (post præludium) horam præcedentem à sequenti distinguere, cæteroque solùm addi, ut qui indicem aspicere nequeunt, horam discant. Hoc enim certum esse, nec ab homine qui artem noverit, in dubium vocari vel ipse Caramuel asserit in Theol. Fund. n. 237. Ab ultimo namque ictu usque ad horam primam non est integra hora, sed à primo ictu. Et ideò audito primo ictu teneris ex ore ejicere cibum vel potum quem ingessisti, & nondum transglutiisti, ut rectè Coninck contra Gobat n. 275. Si enim non liceat post primum ictum ori ingerere reliquum craterem, cujus dimidiam partem antè ingesseras, ut fatetur Gobat ; nec licet post primum ictum, ab ore in stomachum vitaliter trajicere reliquam partem cibi vel potûs, cujus partem antè jam trajeceras. Cùm istud ad priorem comestionem vel potationem haud magis pertineat, quàm illud. Nec iste minùs censeatur comedere vel bibere post primum ictum, adeòque post mediam noctem, quàm ille.

718 Ubi verò plura sunt horologia benè regulata, tametsi Probabilistæ permittant comedere & bibere, usquedum media nox fonuerit in ultimo horologio : recta ratio suadet potiùs favendum pietati, & reverentiæ Sacramenti, quàm ventri & voluptati : summa enim ratio est, quæ pro religione & pietate facit : ideòque cessandum ad primum ictum primi horologii. Nec audiendi, qui cum Vercellio, Pasqualigo, Caramuele, adeò laxè hîc sentiunt, ut etiam in civitatibus, ubi sex vel octo sunt horologia benè regulata, auditis singulis, etiam ultimo, dicere possit : Est probabile quòd horologium istud incedat uno quadrante citiùs quàm deberet, adeòque quòd comedere & bibere censendus non sit post mediam noctem, nec solvere jejunium Eucharisticum, qui aliquantulo tempore post ultimum ictum ultimi horologii adhuc comedit vel bibit. Non audiendi (inquam) tum quia dato quòd probabile sit quòd singula horologia (si sola spectentur, seorsim ab aliis) incedant uno quadrante velociùs quàm debeant ; id probabile non est de omnibus, nec de ultimo spectato conjunctim cum aliis. Tum quia laxitas illa est contra communem sapientum piorumque sensum & usum ; secundùm quem intelligendum est tam antiquum, quàm religiosum præceptum jejunii Ecclesiastici, non secundùm speculationes Novatorientium.

719 Tria supersunt discutienda. Primum, an jejunium Eucharisticum violet qui folium tabaci ore sumit & masticat, ad aquas phlegmaticas ex ore projiciendas. Secundum, an etiam qui fumum tabaci per nares attrahit, vel pulverem naribus sumit. Tertium, quibus in casibus præceptum jejunii Eucharistici non obliget.

Ad primum respondeo affirmativè, cum Antonio de Leone qq. mor. p. 2. §. 4. & Leonardo Van Roy de Eucharist. c. 8. q. 1. quia plurimæ tabaci particulæ, cum succo illius, per illam masticationem ad stomachum semper trajiciuntur. Dum autem trajiciuntur in stomachum, solvitur jejunium Eucharisticum, ut Doctores conveniunt. Aiunt quidem Diana, Præpositus, Lugo, &c. trajectionem illam ad dictum effectum non esse necessariam, ideòque jejunium non solvi, si nihil trajiciatur. At ut hoc verum esse queat in speculatione, falsum est vel periculosum in praxi. Quia practicè loquendo semper aliquid trajicitur, vel periculum est ne trajiciatur. Ideòque abstinendum in Sacramenti & religiosissimi præcepti reverentiam. 720

Ad secundum respondent etiam affirmativè Antonius de Leone, & noster sapientissimus P. Lezana to. 3. verbo *Eucharistia* n. 16. Quia fumus ille vel pulvis facilè, & utplurimùm trajicitur à naribus per os in stomachum. Et quamvis nonnulli existiment non solvere jejunium, quia illa tractio per nares non videtur vera comestio, vel potatio (quibus solis actionibus jejunium solvitur) saltem est valdè indecorum, meritòque gravissimè prohibitum in Diœcesi Tornacensi, in Synodo Mexicana III. & Limana III. & Urbanus VIII. Constitutione 131. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto, absque alia declaratione incurrendæ prohibuit, ne in Ecclesiis Diœcesis Hispalensis, earumque atriis, & ambitu, tabacum, sive in folio, sive in pulvere, ore, vel naribus, vel fumo, de cætero sumeretur, prout antcà fieri consueverat. Sic refert & testatur Van Roy loco citato. Unde non adeò tutè id à nonnullis practicatur, quolibet prætextu. Ita post Marchantium noster Stephanus à S. Paulo de Euchar. disp. 4. dub. 5. n. 28. 721

Ad tertium respondeo non obligare in casibus ab ipsa Ecclesia expresè vel tacitè exceptis. Quorum primus est dum quispiam ad mortem infirmatur, ne sine Communione decedat. Quia necessitas non habet legem. Tunc proinde Presbyter *infirmum statim communicet, ne sine Communione moriatur*, prout ex Concilio Wormat. dicitur de Consecr. dist. 2. Nec scrupulosè expectandi sunt extremi mortis agones, tum ne mors fortè præveniat : tum ut vigentibus adhuc animi sensibus homo ad devotè suscipiendum tantum Sacramentum sit aptior. Neque etiam scrupulosè statim post mediam noctem, vel paulò post, Eucharistia ipsi ministranda est, ut jejunus possit illam suscipere. Quia Ecclesiæ consuetudo (optima legum interpres) non habet ut importunâ intempestivæ noctis horâ, nisi tunc necessitas specialiter urgeat, ad infirmos deferatur Eucharistia. Hora ergo tam infirmo, quàm Sacerdoti commoda expectari potest, nec interim ægrotus necessariis cibis, medicinis & solatiis destituendus. Nec unâ tantùm vice id licitum est in periculosa infirmitate, sed sæpiùs fieri potest, periculo durante, aut post aliquod melioris sanitatis intervallum redeunte, dummodò aliquot dierum servetur interstitium. Ita Doctores communiter contra Vasquez. Quia cælestis iste cibus non solùm ipsi datur, ad hoc ut satisfaciat præcepto Viatici sumendi, verùm etiam in præsidium contra tentationes inimici. Saltem post octo vel septem dierum intervallum inter unam & alteram Communionem consuetudo videtur permittere, ut iterùm Communio detur non jejuno. Scio aliquos esse liberaliores, dum trium dierum contenti sunt interstitio. Imò Hurtadus adeò liberalis est, ut id permittat quoties jejunus communicare posset. Ast neutrum conforme est Belgicis Ritualibus, nec Ecclesiæ usui, secundùm quem frequentiùs pro 722

devotione Communionem frequentare amans, jejunii legem servare, horamque ad id opportunam eligere debet.

723 Sed potestne Sacerdos, non jejunus, celebrare, ad dandum alteri Viaticum in periculo mortis, si aliter dari nequeat? Doctores communiter negant. Quia major habenda est ratio reverentiæ & dignitatis tanti Sacramenti, quàm necessitatis proximi. Sed hæc ratio nihil probat, quia nimium probat: infirmum scilicet non jejunum magis consulere debere dignitati & reverentiæ Sacramenti, quàm propriæ necessitati. Cujus oppositum cùm sit verum, & Sacramenta in hominum utilitatem instituta sint, nec irreverentia Sacramento magis fiat in casu Sacerdotis celebrantis in illa extremitate, quàm in casu infirmi communicantis soluto jejunio, videtur mihi probabiliter dici posse cum Majore, Zambrano, Zanardo, Philiarco, Heredia, Granado, Hurtado & aliis, quòd sicut Sacerdos non jejunus in tali celebrare posset pro necessitate propria (ut concedunt Cardinalis de Lugo, Palao, Layman, noster Franciscus à Jesu Maria, &c.) ita & pro pari necessitate proximi. Utpote quem diligere jubemur sicut nosipsos, iplique proinde sicut nobis succurrere. Neque hinc consequens est Sacerdotem ad dandum alteri Viaticum celebrare posse sine vestibus sacris, vel in pane fermentato. Cùm hoc ipsi Doctores non permittant ad Viaticum sibimetipsi ministrandum, & à diversis non valeat illatio.

724 Secundus casus est, dum post consecrationem Sacerdos recordatur se non esse jejunum, aut sumpto calice advertit se aquam vel acetum consecrasse (quam dum lentit in ore, exspuere non debet, ne particulam Dominici corporis simul exspuat, sed audacter sumere potest) quia sacrificii perfectio majoris necessitatis est, quàm jejunii observantia. Si tamen ante consecrationem advertat se non esse jejunum, pergere non debet, sed ab altari recedere, si possit absque nota & scandalo, monendo adstantes sibi demùm occurrere memoriam soluti jejunii, ideòque rogare ut non scandalizentur, si ad obediendum legi jejunii ab altari recedat. Ita Doctores communiter contra Gobat tr. 3. casu 23. n. 424. aientem, quòd quando Sacerdos incœpto jam Sacro, recordatur se non esse jejunum, pergere communiter possit in suo Sacro. Partim quia communiter recedere nequit sine magno suo pudore, & infamia. Partim quia indecorè Sacrum abrumpitur, v. g. post Offertorium.

725 Sed rationes istæ leviusculæ sunt. Neque enim verum est, magnam sibi infamiam accersere si recedat, monito populo, ut dixi. Nec indecorum, sed maximè decorum est recedere, in reverentiam Sacramenti, obedientiamque antiquissimi religiosissimique præcepti. Utinam leviusculis ejusmodi de causis Gobat non infrequenter recederet à tutioribus & communiter receptis sententiis!

726 Recepta etiam sententia est, quòd si Sacerdos, post calicis ablutionem, inveniat aliquas Dominici corporis vel sanguinis reliquias, eas consumere possit, velut Communionem suam consummando. Sic enim habet communis timoratorum Sacerdotum praxis. Idque adeò extendunt Granados & alii (apud Dianam p. 5. tr. 14. resol. 45.) ut idipsum permittant Sacerdoti ad sacristiam regresso, si vestes sacras nondum exuerit. Quod tamen non puto verum, nisi reliquiæ illæ decentiùs servari non possent.

727 Tertius casus est, dum Sacerdos, qui consecravit, ante Communionem deficit, nec adest nisi Sacerdos non jejunus, qui sacrificium perficere possit. Doctores communiter. Quia sacrificii perfectio, est de jure divino.

728 Quartus casus est, dum probabiliter timetur, sacratissimam Eucharistiam in sacrilegas infidelium manus perventuram, & ab ipsis ludibrio habendam, nisi statim absumatur. Tunc enim à Sacerdote, & (si hic non adsit) à Clerico vel Laïco, quamvis non jejuno, cum timore & reverentia sumi debet, ut Doctores communiter tradunt, ex rationabili epikeia & interpretatione mentis Ecclesiæ, quæ non vult legem jejunii (latam in reverentiam Sacramenti) locum habere, dum servari nequit sine periculo conculcationis & ludificationis ipsius.

Hactenùs de dispositionibus ad divinissimam 729
Eucharistiam suscipiendam requisitis, fusiusculè quidem egimus; sed de dilecto, & præparatione ad tantum hospitem numquam satis. De ea piissimus Author Thomas à Kempis l. 4. de Imit. Christi c. 1. *Ecce* (ait) *Nuè vir justus in arcæ fabrica* 100. *annos laboravit*; *& ego quomodò me potero unâ horâ præparare, ut mundi fabricatorem cum reverentia sumam?* Si vir justus & sanctus sic loquitur; quomodò peccator, quomodò Sacerdos nocte lapsus in enorme peccatum, tam citò se ut oportet præparare poterit, ut paucis post horis ad altare liturgus accedere possit? Non credebat hoc S. Philippus Nerius, dum negabat eum ritè sepræparare, qui non nisi mediâ horâ se ad sacrificandum præpararet; aiens præparationem illam esse debere continuam ex parte vitæ sacerdotalis. Quod maximè verum est de Sacerdotibus illis, qui sive ex Ordinis statuto, sive ex beneficio, sive alio titulo tenentur ad quotidiè vel sæpissimè celebrandum.

CAPUT LVI.

Nec parvulis, nec adultis sacratissimi Eucharistiæ Sacramenti perceptio, in re, necessaria est necessitate medii, nec parvulis in voto. An adultis necessaria sit in voto, necessitate medii, ad hoc ut acceptam gratiam conservent, in eaque contra tentationes perseverent? incertum. Saltem ipsis necessaria est necessitate præcepti divini, si sufficienti ad hoc ratione utantur.

NOn esse necessariam parvulis nec in re, nec 730
in voto, constat ex sensu & praxi Ecclesiæ, parvulis Eucharistiam subtrahentis. Constat item ex Tridentino sess. 21. c. 4. *Eadem S. Synodus docet parvulos, usu rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem. Siquidem per Baptismi Sacramentum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.*

Nec adultis necessariam esse in re, nec in vo- 731
to, necessitate medii, ad primam gratiam comparandam, perspicuum est, ex eo quòd hoc Sacramentum ad primam gratiam conferendam per se institutum non sit. cùm sit Sacramentum vivorum.

Inde probabiliter Doctores communiùs inferunt, 732
nec ipsis necessariam, ne quidem in voto, ad hoc ut gratiam acceptam conservent, in eaque perseverent. Quia, ut S. Thomas ait in 4. dist. 9. a. 1. ad 2. q *gratia semel acquisita est sufficiens causa gloriæ. Unde omne illud, sine quo potest haberi gratia, non est de necessitate salutis; hoc autem Sacramentum gratiam præsupponit: quia præsupponit Baptismum, in quo gratia datur. Et ideò quantum est de se, non est de necessitate salutis.*

Huic tamen rationi obstare videtur, quòd adul- 733
to, in infantia gratiam per Baptismum adepto, fides actualis equidem necessaria sit necessitate medii ad salutem, sicut & amor Dei. Et idem à non-

nullis

nullis probabiliter asseritur de voto hujus Sacramenti. Quia ad salutem non minùs necessarium est perseverare in gratia, quàm eam primam acquirere, vel perditam recuperare. Per Baptismum, primam gratiam adipiscimur. Per Pœnitentiam, gratiam amissam recuperamus. Per Eucharistiam fit ut in ea perseveremus. Neque quoad hoc eadem adultorum ratio est, quæ parvulorum. Hi gratiam adeptam in ea ætate amittere nequeunt. Et ideò non egent illo spirituali cibo, ut adulti, qui (utpote variis tentationibus exagitati, atque ex se semper deficientes) cælesti hoc alimento confortandi sunt, ne deficientes vitam amittant, quam acceperunt, saltem si diù vivant post Baptismum, adeptumque rationis usum. Neque enim frustrà Veritas dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

734 At (inquis) locus iste nimium probat: videlicet Eucharistiam etiam parvulis esse necessariam necessitate medii. Quia eo loco etiam parvuli comprehenduntur, prout Innocentius I. tradere videtur epist. 93. inter epistolas Augustini, sicut & Augustinus ipse l. 1. de peccat. merit. c. 20. Et l. 3. c. 4. Quorum verba habes suprà n. 389. Idipsum Gelasius Papa declarat in epistola ad Episcopos Piceni.

At (inquam ego) Ecclesia aliter de adultis intelligit, quàm de parvulis. Innocentius verò, Augustinus, & Gelasius locum illum ad parvulos non extendunt, intellectum de sacramentali manducatione Eucharistiæ, sed intellectum de spirituali manducatione per fidem, seu fidei Sacramentum, id est Baptismum, prout ostendimus n. 390. per fidem namque, vel fidei Sacramentum, licèt parvuli sacramentaliter non percipiant Christum, spiritualiter ipsum percipiunt, quia incorporantur Christo, & Ecclesiæ, quæ est corpus mysticum Christi, sicque percipiunt rem Sacramenti Eucharistiæ, licèt Eucharistiæ Sacramentum non percipiant. Videri potest S. Fulgentius epist. ad Ferrandum Diaconum, ubi sic: *Arbitror, sancte Frater, disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus discedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc quod illud Sacramentum significat inventur.*

735 Simili modo S. Thomas in 4. d. 9. a. 5. ad 3. q. exponit id quod can. *in Ecclesia* de Consecr. dist. 4. dicitur: *Non cogitetis eos vitam habere posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi, dicens ipse:* " nisi manducaveritis, &c. " *Dicendum* (inquit) *quòd hoc intelligendum est, quantùm ad rem Sacramenti, quæ est unitas Ecclesiæ, extra quam non est salus, neque vita. Et non quantùm ad sacramentalem manducationem.*

736 An locus Evangelicus, *nisi manducaveritis*, &c. intellectus de necessitate medii, possit simili modo exponi pro adultis? Respondeo cum communi probabile esse quòd sic. Tum quia aliàs Ecclesia omninò procuraret, ne parvuli post adeptum rationis usum, sine hujus Sacramenti participatione decederent. Cùm tamen Pastores ante decem circiter annos non ideò id procurent. Tum quia Marci ult. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Quia tamen subintelligitur conditio, modò cætera necessaria non prætermittantur, ut amor Dei, mandatorum obser-

vantia, &c. nihil inde efficaciter concluditur contra opinionem n. 733. expositam.

Quidquid ergo sit de ista opinione, certum est 737
sacramentalem Eucharistiæ perceptionem adultis sufficienti ad hoc ratione utentibus in re necessariam esse necessitate præcepti divini. Quia verba illa, *nisi manducaveritis*, &c. propriè & ad litteram intellecta, manifestè significant necessitatem, saltem divini præcepti.

Quo quidem præcepto omnes tenentur adulti, 738
etiam non baptizati, juxta sententiam communiorem; eum proinde in finem baptismum suscipere tenentur. Cui enim præcipitur finis, præcipiuntur & media necessaria ad finem.

Ex universali tamen Ecclesiæ sensu & consue- 739
tudine certum est, adultos eo præcepto non censeri adstrictos, quamdiù propter ætatis imbecillitatem *nondum illius Sacramenti cognitionem & gustum* (id est devotionem) *habent.* Ideò namque ante illud tempus Rituale Romanum ait, Eucharistiam non debere ipsis administrari. Pastorale etiam Mechlinienſe & Cameracense aiunt ipsos ad primam Communionem admittendos non esse, *nisi priùs diligenter examinati fuerint & instructi, eâque discretione & ætate sint, ut dijudicare possint corpus Domini.* Mechlinienſe sub Hovio addit, quòd *communiter ætas huic rei apta esse solet ab anno decimo, usque ad decimum quartum.* Denique S. Thomas in 4. d. 9. a. 5. ad 4. q. dicit, quòd circa ætatem 10. vel 11. annorum potest eis dari Communio, *si in eis signa discretionis appareant & devotionis. Hoc autem nemo melius constituere poterit, quàm pater, & Sacerdos cui confitetur*, ait Catechismus Romanus.

Divinum istud præceptum solùm in articulo 740
mortis obligare, non extra illum, docet Vasquez. Cajetanus, Victoria, & alii, semel dumtaxat in vita, absque determinatione temporis. Sed cùm divina Eucharistia instituta sit per modum alimoniæ spiritualis, & antidoti contra ejus inimicos: neutra istarum opinionum videtur esse vera. Quia alimonia spiritualis (sicut & corporalis) etiam ante mortem sæpiùs in vita sumenda est, ad animæ vires reficiendas, & munimentum seu antidotum ipsius contra inimicos, à quibus incessanter impugnatur.

Obligat ergo in articulo mortis (sub eo com- 741
prehendendo damnationem ad mortem) cùm hoc Sacramentum institutum sit in viaticum salutis, & (ut antè dixi) in antidotum contra inimicos tunc præcipuè insultantes. Undè Pius V. abrogavit consuetudinem in Hispania negandi Eucharistiam damnatis ad mortem. Sub mortis articulo etiam comprehenditur illius periculum, v. g. dum milites inituri sunt prælium, dum quis exponit se ad pestem, dum mulier habere solet partus periculosos, &c.

Obligat & in vita, ut non diù differatur. Cujus 742
determinationem Ecclesiæ Deus reliquit. Quæ proinde cùm determinet tempus ultra quod differri non debet, præceptum merè Ecclesiasticum non condit, sed divini determinativum.

Pueri quidem non censentur prævaricatores hu- 743
jus præcepti, sive in vita, sive in morte, si in hoc negotio sequantur judicium Confessarii, vel Pastoris sui. Sed meminerit, sive Pastor, sive Confessarius, in articulo mortis curare ut sine Viatico non decedant, si aliquam illius discretionem habeant, tametsi non tantam, quanta meritò desideraretur, si tempus permitteret. Hoc enim posito omnes Confessionis capaces in extremis Viatico esse necessariò muniendos, docent Suarez, Palao, & alii, quorum sententiam, utpote magis piam, censeo practicandam, maximè dum puer cum aliqua devotione petit, vel desiderat.

Sed quid si manè adultus quispiam sanus com- 744

municasset, vel celebrasset, & vespere in periculum mortis incideret, posletne & deberet Viaticum eodem die ipsi dari ?

Negant Wiggers, & Doctores communiter. Quia non licet eodem die bis communicare, sine necessitate, quæ hîc nulla est. Quia per matutinam Communionem satisfecisse censetur præcepto Viatici sumendi. Cùm unusquisque censeatur interpretativè habere voluntatem adimplendi omnem obligationem, cui obnoxius est.

745 Affirmant nihilominùs probabiliter Vasquez, Turrianus, Gaspar Hurtadus, & alii apud Dianam p. 5. tr. 3. resol. 33. & p. 8. tr. 2. resol. 87. Et priore quidem loco Diana censet posse & debere ipsi Viaticum dari. In posteriore negat debere, aiens tamen posse. Sed inconsequenter. Si enim potest, debet. Cùm non liceat ipsi bis uno die communicare, nisi secundam Communionem exigat adimpletio præcepti divini.

746 Hanc opinionem ideò probabilem censeo, quia ex una parte favet pietati; ex altera pro se probabilem habet rationem, sicut & praxim nonnullorum timoratorum. Teste namque Dianâ & aliis, Patres Societatis domûs professæ Panormitanæ id practicarunt in persona P. Besconæ, qui cùm manè celebrasset, & in lethalem morbum post prandium incidisset, iterùm eodem die communicavit per modum Viatici. Idem factum in morbo lethali R. P. Aquavivæ, Generalis Societatis, refert Amicus. Sed Gobat tr. 4. n. 177. ostendit ex litteris P. Nadasi, in Archiviis Tabulariisque Romanis Soc. Jesu versatissimi, Aquavivam non celebrasse ultimo die vitæ, sed communicasse, non per modum Viatici. Posteà verò (imminente morbo) per modum Viatici communicâsse. An eodem die post mediam noctem sequentem? Non conveniunt (inquit Nadasi) qui id scriptum reliquerunt. Quidquid de eo sit, *multos viros doctos, & pios id facere* testatur Dicastillo tr. 4. de Euchar. disp. 10. dub. 3. Nec sine ratione, quia qui sanus manè communicavit, non adimplevit præceptum divinum sumendi Viaticum: cùm præceptum istud alligatum sit tempori, in quo est periculum mortis; cui per matutinam Communionem non satisfecisse ostenditur à simili, in præcepto eliciendi actum amoris Dei super omnia in morte. Siquis enim manè sanus illum elicuerit, atque eodem die post prandium in mortis incidat articulum, amoris actum repetere tenetur.

747 Et hinc patet ad rationem in oppositum. Quia hîc est necessitas secundæ Communionis, ex præcepto divino, cui Ecclesia duplicem eodem die Communionem vetando, non intendit præjudicare, sed se conformare, subintelligendo excepto casu, quo secundam Communionem lex exigit.

CAPUT LVII.

Nec divino Communionis præcepto, nec Ecclesiastico satisfit per Communionem sacrilegam.

748 DIvino Communionis præcepto sacrilegâ Communione quoad substantiam satisfieri *plerique asserunt* (inquit eruditissimus Boudartius to. 4.) eo prætextu quòd substantia præcepti habeatur in sacramentali manducatione, ritu religioso factâ; non in modo illius; nec in fine qui est adeptio gratiæ. Cùm modus aut finis præcepti non cadat sub præcepto.

749 Addunt, divinum Communionis præceptum esse virtualiter duplex, quorum unum est negativum, de non communicando indignè, alterum positivum, de communicando. Priori quidem fatentur non satisfieri Communione indignâ: secùs posteriori, ut colligitur ex eo quòd infirmus, qui heri sacrilegè Viaticum sumpsit, non teneatur hodie iteratò Viaticum sumere, ut divino satisfaciat præcepto.

Sic utique ratiocinantur, qui de divinis, Ecclesiasticisque præceptis ratione purè humanâ ratiocinantur, cavillisque potiùs quàm veris rationibus Theologicis & authoritatibus innituntur. Neque enim illa talis qualis ratio ipsorum, tam est ratio, quàm cavillatio. Si enim Patres, si Concilia consuluissent, invenissent in Tridentino sess. 13. c. 2. *Sumi autem voluit* (Salvator) *hoc Sacramentum tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur, viventes vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Atqui animæ non aluntur, neque confortantur Communione sacrilegâ, magis quàm corpora cibo venenato. Sicut ergo præcepto de cibo sumendo ad conservandam vitam corporalem, non satisfit sumptione cibi venenati, seu veneno infecti; sic præcepto de spirituali cibo animæ, sumendo ad ipsam alendam & confortandam, non satisfit sumptione sacrilegâ. Modus proinde dignè sumendi spiritualem illum cibum sub divino haud dubiè cadit præcepto. Imò & sub Ecclesiastico. Neque enim id Ecclesia tacuit, dum in cap. *omnis utriusque sexûs* fidelibus omnibus præcepit, *reverenter* suscipere Eucharistiæ Sacramentum, ad minus in Pascha. Cui certissimum est non satisfacere suscipientem illud sacrilegè. Cùm Innocentius XI. damnaverit hanc propositionem quinquagesimam quintam inter 65. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Et cui dubium est jure divino & naturali *sancta sanctè*, adeòque dignè tractanda?

750

Falsum proinde est, divino præcepto de Viatico 751
sumendo satisfecisse, qui communicavit indignè. Falsum, ipsum non teneri de novo Viaticum sumere, etiam eodem die, si eodem die credatur moriturus, nec speretur alio die sumpturus, & eodem die sumere possit absque scandalo. Nec pluribus impugnanda est assertio Christianis Theologis indigna. Contra quam nihilominùs plura dixi to. 2. ubi de legibus.

CAPUT LVIII.

Satisfit nonnullis quæstionibus concernentibus præceptum Concilii Lateranensis, cap. omnis utriusque sexûs, *statuentis, ut* omnis utriusque sexûs fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè, de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.

PRima quæstio: quid ibi intelligitur per Pascha? Respondeo, intelligi totam quindenam à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis inclusivè. Sic enim declaravit Eugenius IV. apud Navarrum c. 21. n. 45. Imò quibusdam in locis tempus istud ad totam quadragesimam extendit consuetudo. Cui standum est. 752

Secunda quæstio: ubinam præceptum istud implendum est? Respondeo in propria Parochia, uti declaravit S. Congregatio anno 1638. Sacerdotes tamen sæculares non tenentur in ea celebrare, ut isti præcepto satisfaciant; sed ex consuetudine satisfaciunt, ubicumque celebrent. 753

Parochiæ verò nomine non venit Ecclesia Cathedralis, respectu omnium qui in Diœcesi commorantur, sed respectu dumtaxat eorum qui sunt 754

de Parochia Cathedralis. Undè Communioni Paschali satisfeciſſe non cenſetur, qui ob averſionem à ſuo Parocho in Cathedrali Diœceſis ſuæ communicaſſet, ait Cardinalis de Lugo reſponſ. moral. dub. 15. contra nonnullos, quos noſter Stephanus à S. Paulo refert tr. 5. diſp. 2. n. 46. Neque enim Cathedralis eſt generalis omnium Diœceſanorum Parochia, ut conſtat ex eo quòd nullum ſit matrimonium coram Parocho illius ſine licentia proprii Parochi contractum. Niſi fortè Epiſcopi licentia acceſſerit. Quæ pro annua etiam Communione ſufficeret. Cùm Epiſcopus ſit proprius Paſtor omnium Diœceſanorum ſuorum, ſicut Papa Paſtor eſt omnium fidelium.

755 Tertia quæſtio eſt: an qui aliàs intra quindenam communicavit, vel communicaturus eſt in propria Parochia, in die Reſurrectionis communicare poſſit in Eccleſia Mendicantium? Negat Wiggers, & poſt ipſum Boudartius tr. 3. de Euchar. § 6. q. 1. Sed affirmandum cenſeo cum noſtro Lezana to. 1. c. 21. n. 8. Suarez, Rodriguez, Barboſa, Neeſen, & aliis communiſſimè. Dum enim Paulus III. & Pius V. in Bullis ſuis diem excipiunt Reſurrectionis, diem illam non accipiunt materialiter, ſed formaliter, illâ exceptione nihil aliud intelligentes, niſi tempus illud, quo ſatisfit annuæ Communionis præcepto. Sicque in Belgio noſtro uſus obtinuit. Nec ibi uſu recepta eſt declaratio S. Congregationis in contrarium.

756 Quarta quæſtio: an forenſes & peregrini, qui ad propriam Parochiam pro dicti præcepti adimpletione accedere nequeunt, illi ſatisfacere queant communicando apud Mendicantes? Reſpondeo affirmativè, cum Cajetano, Navarro, Soto, Rodriguez, Azorio, Cardinali de Lugo diſp. 18. de Euchar. n. 50. & (ipſo teſte) Doctoribus communiter. Quia ex una parte Eugenius IV. declaravit, ipſos adimplere præceptum, communicando in loco, ubi tranſeunter reperiuntur. Ex alia parte reſpectu ipſorum ceſſat ratio prohibitionis Eccleſiæ, quæ Regularibus non prohibet adminiſtrare Communionem Paſchalem, niſi ut jura Parochorum ſerventur illæſa. Quæ profectò non læduntur, dum forenſibus & peregrinis Communio Paſchalis à Mendicantibus miniſtratur; cùm eam accipere non teneantur in Eccleſia Matrice, vel Parochia loci, ubi hoſpitantur: quia non ſunt Parochiani ipſius, nec Parochus ipſius jus habet in eos.

757 Quinta quæſtio: an ſæculares Religioſorum familiares, in Monaſteriis, ſeu aliis locis à cura Parochorum exemptis habitantes, Paſchalem Communionem ſumere poſſint in locis, in quibus habitant? Reſpondeo affirmativè cum Sanchez, Rodriguez, Bonacina, Palao, Dicaſtillo, quos citatos ſequitur noſter Franciſcus à Jeſu Maria tr. 4. de Euchar. c. 8. puncto 8. n. 30. Quia æquè exempti ſunt à Parochia, quàm ab Ordinario, à quo exemptos eſſe ſæculares qui ſunt de Monaſteriorum exemptorum familia, docet Tridentinum ſeſſ. 25. de Regul. c. 11.

758 Sexta quæſtio: utrùm ille qui non communicavit in Paſchate, nec ante Paſcha illo anno, poſt Paſcha communicare teneatur? an verò liber maneat uſque ad Paſcha ſequentis anni?

Hoc poſterius affirmant Valentia, Sylveſter, Toletus, Sotus & alii. Sed prius ſuſtinendum eſt cum S. Thoma, Navarro, Azorio, Suarez, Layman, Sylvio, & aliis apud Leandrum hîc q. 39. Quia allatum præceptum duo importat, unum de communicando ſemel in anno, alterum de communicando ſaltem in Paſchate, juxta illud Concilii Tridentini ſeſſ. 13. can. 9. *Siquis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexûs, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit.* Unde patet 1°. Communionis obligationem abſolutè non alligari Paſchæ, uti Miſſæ obligatio alligatur diei feſto; aliàs fruſtrà in præcepto additum eſſet ly *ad minus*, in cap. *omnis utriuſque*, & ly *ſaltem* in citato canone Tridentini. 2°. Paſcha in Eccleſiaſtico præcepto non deſignari tamquam terminum ultra quem non currat obligatio, ſed tamquam terminum ultra quem non debeat differri Communio. Quando autem terminus non deſignatur ad finiendam obligationem, ſed tamquam tempus ultra quod differri non debeat opus præſcriptum, qui tunc non ſatisfacit, manet obligatus ad ſatisfactionem quamprimùm poteſt, argumento legis *cenſus* §. *ſed ipſe* de receptis arbitris, ubi obligatus certo die pecuniam ſolvere, ſi tunc omittit, manet obligatus ad ſolvendum quamprimùm poteſt.

Hinc ſiquis prævideat futurum, ut non poſſit 759
in Paſchate communicare, non tenetur prævenire, dummodò probabiliter credat ſibi non defuturam potentiam communicandi poſt Paſcha. Si autem credat ſibi defuturam potentiam communicandi poſt Paſcha, prævenire tenetur. Quia toto anno currit obligatio præcepti, ad modum quo toto antemeridiano tempore diei feſti currit obligatio Sacri audiendi; vel quo (in ſententia alligante obligationem Communionis quindenæ Paſchali) totâ illâ quindenâ currit obligatio communicandi, vel hâc ſcilicet horâ, vel iſtâ, vel illâ, vel hoc die, vel iſto, vel illo. Sicut ergo prævidens ſibi defuturam potentiam audiendi Sacrum horâ nonâ, & deinceps, tenetur ante nonam audire; & prævidens ſibi defuturam potentiam communicandi Dominicâ Reſurrectionis, & deinceps, tenetur ante Dominicam Reſurrectionis communicare. Sic prævidens ſibi defuturam potentiam communicandi in Paſchate, & deinceps, tenetur ante Paſcha communicare. Ita Vaſquez, Sylvius, Cardinalis de Lugo, &c. contra Suarez, Azorium, Reginaldum, Coninck, Bonacinam, &c.

Septima quæſtio: an Confeſſarius rationabili 760
de cauſa Communionem Paſchalem pœnitentis ultra tempus Paſchæ differre poſſit; v. g. dum pœnitens venit ad Confeſſionem ultimo die quindenæ Paſchalis, & Confeſſarius rationabiliter dubitat, an tunc diſpoſitus ſit ad abſolutionem, vel judicat ipſum debere Communioni præmittere Confeſſionem generalem, vel priùs debere ejicere concubinam, priùs reconciliari cum inimico, &c.

Reſpondeo ex communi & certa Theologorum Canoniſtarumque ſententia Confeſſarium id poſſe. Patet ex clauſula iſta canonis *omnis utriuſque: niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus, ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Videri poteſt ex Theologis Boudartius ubi ſuprà q. 5. Ex Canoniſtis Fagnanus to. 7. ad cap. *omnis utriuſque* de pœnit. & remiſſ. n. 46. ubi ex his verbis: *de proprii Saterdotis conſilio*, necnon ex declaratione S. Congregationis probat, *tempus Paſchale hic præfixum ad ſacram Communionem ſuſcipiendam, poſſe à proprio Sacerdote ex cauſa prorogari.* Enimverò ex verbis iſtis manifeſtum eſt quòd Confeſſarius rationabili de cauſa pœnitenti conſulere poſſit ut differat. Si autem ex cauſa id poſſit conſulere; ex cauſa id neceſſariò exigente poteſt & præcipere. Eſt enim judex pœnitentis, ſicut in ordine ad abſolutionem; ita & in ordine ad Communionem, quæ ab abſolutione dependet. Ipſi proinde pœnitens debet obedire.

CAPUT LIX.

Ad satisfaciendum Communionis præcepto, seu divino, seu Ecclesiastico, Laici non tenentur sub utraque specie communicare.

761 ESt Catholica veritas, contra modernos hæreticos definita in Concilio Constantiensi sess. 13. & Tridentino sess. 21. c. 1. ubi hanc veritatem sic declarat & ostendit: *S. Synodus à Spiritu sancto, qui Spiritus est sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii & pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium & consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto Laicos, & Clericos, non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salvâ fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus in ultima cœna, venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit; non tamen illa institutio & traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, rectè colligitur utriusque speciei Communionem à Domino præceptam esse, utcumque juxta varias sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Dixit quoque: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Dixit etiam: panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Dixit nihilominus: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

762 Et c. 2. præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, *ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statuerent, vel mutarent, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicarent. Id autem Apostolus non obscurè visus est innuisse, dum ait: sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Atque ipsum quidem hâc potestate usum esse, satis constat, tùm in multis aliis, tùm in hoc ipso Sacramento, cùm ordinatis nonnullis circa ejus usum: cætera (inquit) cùm venero, disponam. Quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum authoritatem, licèt ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis, latissimè jam mutatâ illâ consuetudine, gravibus & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ authoritate pro libito commutare non licet.*

763 Quòd autem olim fideles nonnumquam communicarent sub una tantum specie, colligitur ex Actor. 2. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis*, utique Eucharistici, ut Syrus vertit, & textus Græcus indicat, *& fractione illius panis supersubstantialis.* Neque enim magna primorum Christianorum laus fuisset, eos perseverantes fuisse in fractione panis communis, sive in prandiis & cœnis materialibus.

764 Deinde tempore persecutionum fidelibus concedebatur, ut hostiam consecratam domum, vel in solitudinem deferrent, & inde sumerent imminente periculo tractionis ad Judicem, uti constat ex Tertulliano l. 2. ad uxorem, Clemente Alexandrino, Cypriano, &c. Sola verò species panis ipsis porrigebatur in manus, calix ori communicantium admovebatur, numquam domum deferendus concedebatur. Neque enim sacra vasa Christi sanguinem continentia domi habebant, ut testatur Athanasius Apol. 2. contra Arianos. Atque Eucharistia quidem, sic delata, aliquando per annum integrum in solitudine, sæviente præsertim persecutione, servata fuit, ut habetur in Prato spirituali c. 49. tamdiù verò vini species servari non potuerunt. Eucharistiâ verò sic servatâ solitarii utebantur, ut divino præcepto satisfacerent.

765 Infantibus quoque, nondum idoneis ad sumendum cibum solidum, Eucharistia nondum dabatur sub panis specie, sed instillabatur in os aliquid Dominici sanguinis, teste Cypriano serm. de baptismo. Sed & abstemiis, id est præ nativo vini horrore, ab illo abstinentibus, Eucharistia sub panis duntaxat specie porrigebatur (teste Hieronymo epist. 22. ad Eustoch.) nec ipsi hodie Lutherani & Calvinistæ abstemios ad usum calicis adstringunt. Vel ipsi igitur fateri coguntur divino præcepto unius speciei sumptione satisfieri. Cùm ei satisfaciant abstemii.

766 Antiquissimus quoque mos est (cujus principium ignoratur) quo Sacerdos, die Parasceves, sub unica communicat specie præsanctificata, id est præcedenti die consecrata. Hoc enim Veteres vocabant communicare *ex præsanctificatis*. Unde & in antiquis Liturgiis Missa præsanctificatorum continebatur. Quam Trullani Patres can. 52. *sacrum præsanctificatorum sacrificium* vocant.

767 Denique (ne infinitus sim pluribus aliis exemplis referendis) Dionysius Alexandrinus (apud Eusebium lib. 6. Hist. Eccles. c. 44.) narrat Serapionem senem, morti proximum, Viaticum à Presbytero petiisse; cui Sacerdos cùm per se ire non posset, per puerum misit particulam panis consecrati, cum mandato ut ipsam priùs madefactam (ne alioqui ob duritiem transglutire non posset) seni porrigeret. Ergo divino Viatici sumendi præcepto tunc credebatur sub unica panis specie satisfieri. Unde Calvinus lib. 4. Instit. c. 17. §. 39. fatetur quòd *qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum.*

768 Cur ergo (inquies) Gelasius Papa can. *comperimus* de Consecrat. dist. 2. redarguit eos, qui Eucharistiam sub una duntaxat panis specie sumebant? *Comperimus, quòd quidam, sumptâ tantummodò corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant: qui procul dubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

Respondeo Gelasium vel id solùm dicere *quantum ad Sacerdotes*, qui sicut totum consecrant, totum sumere debent, ut S. Thomas explicat. Vel arguit superstitionem Manichæorum, qui ideò sumebant Eucharistiam sub unica panis specie, quia credebant Christum assumpsisse corpus sine sanguine, & vinum credebant esse creaturam de se malam, à diabolo factam: *cùm ad tegendam infidelitatem suam* (ait Leo Papa serm. 4. de temp. Quadragesi.) *Manichæi nostris audent intereſſe mysteriis: ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdùm tutiùs lateant: ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem verò Redemptoris haurire omninò declinant*, &c. Igitur ut Manichæi manifestis proderentur indiciis, Decretum proximè relatum Gelasius condidit. Ex quo nihil in præjudicium Catholicæ veritatis, quam tuemur; imò exinde apparet, ante istud Decretum, fidelibus licuisse sub una panis specie communicare. Aliàs enim Manichæi occul-

ti, ante istud Decretum, manifesto indicio singularis usûs Eucharistiæ fuissent proditi.

769 Adhuc tamen obstrepunt hæretici, dicentes, quòd Laïcis interdicto calicis usu, Concilium tam Constantiense, quàm Tridentinum, spirituale causset damnum, contra charitatem ipsos privando majori gratiâ, quam reciperent sub utraque specie communicando. Nec satisfacit Tridentinum sess. 21. c. 3. dicendo, *nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solùm accipiunt.* Dicendo enim, *nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari*, tacitè fatetur eos defraudari aliquâ gratiâ, ad salutem non necessariâ.

Respondeo Dialecticam hanc non esse bonam: Concilium dicit Laïcos nullâ gratiâ ad salutem necessariâ fraudari: ergo fatetur aliquâ gratiâ non necessariâ fraudari. Sicut ista non est bona: Petrus per Judicem non est spoliatus bonis necessariis ad vitam: ergo est spoliatus aliquibus bonis non necessariis ad vitam. Est enim frequentissima loquendi ratio in tribunalibus, scholis, & colloquiis domesticis, affirmare aut negare rem aliquam, sub aliqua consideratione, vel conditione, sub qua affirmatio vel negatio est certa; nihil determinando quidnam esset, eâ consideratione sublatâ. Quod tantò verius est in casu præsenti, quantò certius magnam partem Tridentinorum Patrum in ea fuisse opinione, quæ dicit, æquasem sub una quàm sub utraque specie gratiam recipi. Quod & post Tridentinum Authores gravissimi sentiunt, Bellarminus, Vasquez, Suarez, Sylvius & Doctores communissimè, secuti S. Thomam q. 8. a. 12. ad 3. ubi sic: *Potest autem à populo corpus sine sanguine sumi: nec exinde sequitur aliquod detrimentum.* Fundaturque opinio ista in ipsomet Tridentino ibidem dicente, *fatendum esse, etiam sub altera tantùm specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.* Ex quo dum Tridentinum intulit, *nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solùm accipiunt*, viam monstravit pariter inferendi, nullâ etiam gratiâ utili eos defraudari, qui unam speciem solùm accipiunt. Cùm consequentia ista perinde legitima sit, ac illa. Ut enim Hilarius ait can. *ubi pars est* de Consecr. dist. 2. eadem virtus Sacramenti operatur in recipiente unam, vel alteram speciem, vel utramque, *quia ubi pars est corporis, est & totum. Eadem est ratio in corpore Domini, quæ est in manna* (*quod in ejus figura præcessit*) *de quo dicitur:* " qui plus „ collegerat, non habuit amplius; neque qui mi„ nus paraverat, invenit minus." *Non est omninò quantitas*, nec per consequens una vel utraque species, *visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis*; quæ sicut eadem est in sumente totum Christum in minori, vel majori quantitate, seu specie visibili, sic eadem est in sumente totum Christum in una, vel utraque specie.

770 Dato tamen, non concesso quòd plus gratiæ recipiat, qui sub utraque specie Christum recipit, quàm qui sub una dumtaxat: potuit equidem Concilium gravissimas ob rationes, ad evitanda utique scandala & pericula, Laïcis interdicere calicis usum, sicut eis interdicere potuit plusquàm unam in die Communionem, & Sacerdotibus plusquàm unam in die celebrationem, non obstante majore fructû qui proveniret ex pluribus, seu Communionibus, seu celebrationibus. Cùm non solum habenda sit ratio fructûs, sed & reverentiæ divinissimo Sacramento debitæ.

CAPUT LX.

Minister valide conficiens hoc Sacramentum est omnis & solus Sacerdos ritè ordinatus. Ad quem etiam solum, velut Ministrum ordinarum, spectat distributio illius. Non ad Diaconum, nisi ex commissione Sacerdotis, in casu necessitatis.

PRima pars patet ex eo quòd conficiendi po- 771
testatem Christus non dederit, nisi Sacerdotibus: quibus solis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hisce enim verbis Apostolos ordinavit Sacerdotes, ut habet traditio Ecclesiæ, & Tridentinum declarat sess. 22. c. 1.

Omnem porrò Sacerdotem, ritè ordinatum, 772
etiam hæreticum, excommunicatum, suspensum, &c. validè illud conficere, constat ex eo quòd tamdiù in ipso maneat potestas Ordinis, quamdiù in ipso manet character. Qui cùm sit indelebilis, non amittitur per hæresim, excommunicationem, &c.

Secunda pars, quòd utique ad solum Sacer- 773
dotem, velut Ministrum ordinarum, spectet distributio hujus Sacramenti, constat ex cap. *pervenit* de Consecr. dist. 2. Nec tamen omni Sacerdoti ex officio competit distributio illius, sed proprio Pastori, uti habetur in Concilio Cartag. I. cap. 7. Et ratio est, quia ad Pastores pertinet ex officio pascere oves suas. Quod maximè fit per distributionem panis cælestis. Cæteri tamen Sacerdotes id possunt de licentia expressa vel tacita ipsius. Unde quia ad id licentiam expressam à Supremo Pastore Religiosi habent Mendicantes, tacitam verò cæteri Sacerdotes, juxta Navarrum, & Doctores communiter apud Leandrum disp. 4. q. 3. sequitur omnes Sacerdotes hoc Sacramentum distribuere posse, quamdiù proprius Pastor non contradicit. Sic enim consuetudo declarat.

Tertia pars, videlicet quòd Diaconus hoc Sa- 774
cramentum distribuere non possit, nisi ex commissione Sacerdotis, in casu necessitatis, constat ex can. *præsente* dist. 93. *Præsente Presbytero, Diaconus Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Absente verò Sacerdote, Ecclesia ipsi solùm permittit Christi corpus erogare, si summa aut gravis necessitas urgeat, ut patet ex Concilio Eboracensi, ubi sic: *Decrevimus etiam, ut nonnisi summâ & gravi urgente necessitate, Diaconus corpus Christi cuiquam eroget.*

An autem Laïci in extrema necessitate, defi- 775
cientibus aliis Ministris, dispensare possint Eucharistiam, aliàs sine Viatico morituris? Affirmant (seclusò scandalo) Leffius, Mercerus, Præpositas, Palao, & ipsos referens Diana p. 9. tr. 6. resol. 33. Et p. 11. tr. 7. resol. 43. Quorum sententiam probabilem censet notter Lezana verbo *Eucharistia* n. 15.

Sed Contenson dissert. 3. c. 1. specul. 3. certum 776
asserit, secundùm præsentem Ecclesiæ disciplinam, nullum Laïcum id posse. Præceptum enim sacri Viatici tunc solùm obligat (inquit) cùm Eucharistia eâ quâ par est, & quæ decet tantam Majestatem reverentiâ accipi potest. Secundùm præsentem verò disciplinam, atque Ecclesiæ consuetudinem, exigit tremendorum mysteriorum dignitas, ut à solis Ministris, in Ecclesia designatis, servatisque servandis dispensetur. Unde nec seipsum Laïcus hodiè, ut olim, communicare potest, ne in mortis quidem articulo, quidquid dixerint laudati Authores. Quibus profectò non favet exemplum Reginæ Mariæ Stuart. Neque enim seipsam ipsa communicavit, nisi ex concessione Pii V. ut adversus impiæ Elizabethæ tyrannidem muniretur.

Quæritur etiam an Laïco moribundo, sacram 777
hostiam, ob linguæ ariditatem, trajicere non valenti, ministranda sit Eucharistia sub specie vini?

Affirmat Ochagavia de effectu Euchar. tr. 2. q. 18. quia præceptum divinum de Communione in articulo mortis, præponderat Ecclesiastico, de non communicando Laïcum sub specie vini.

778 Sed id negandum cum Suarez, Mercero, Sylvio, & Doctoribus communiter, ob contrariam Ecclesiæ praxim, ex qua intelligimus præceptum divinum istis in circumstantiis non obligare. Addo cum Sylvio, numquam moraliter contingere quin minimam hostiæ consecratæ partem, cum vino, infirmus trajicere possit.

779 Quæritur 3°. an deficientibus parvis formulis consecratis, Sacerdos celebrans dare possit communicare ex devotione volenti partem majoris hostiæ suæ?

Negat noster Lezana; affirmant Sylvester, Angelus, Homobonus, aliique non pauci. Nec video cur id practicari nequeat, secluso scandalo. Cùm in eo nihil appareat contra reverentiam Sacramenti, nec contra integritatem sacrificii, quæ solùm postulat sumptionem utriusque speciei.

780 Quæritur denique quid facto opus, si contingat sacram hostiam inopinato casu decidere in sinum mulieris?

Respondeo habendam rationem honestatis & decentiæ; ideòque suadendum mulieri, ut in loco secretiori ex se videat, an modestè exporrectis tantisper vestibus efficere nequeat, ut Sacerdos accipere possit, vel potiùs ex vestibus immittere super corporale extensum super scabellum. Si non: ipsa mulier accipiat, & ponat super corporale, tuncque Sacerdos ipsam communicet, & mulier digitos suos lavet, aquâ deinde in piscinam projectâ. Si solus Sacerdos advertat, parvum fragmentum in sinum ipsius incidisse, ne causet ipsi notabilem turbationem, & adstantibus offensionem, nihil tunc dicat Sacerdos, sed totum committens Deo, pergat in ministerio suo. Deinde post modicum tempus, communicatis omnibus, in divinissimi Sacramenti reverentiam, curet illam vocari secretò, blandèque moneat, ne turbetur, sed adhibeat diligentiam inveniendi ut suprà.

CAPUT LXI.

Sacerdos negare debet hoc Sacramentum pueris, nondum rationis usum adeptis, & amentibus à nativitate. Eam tamen per modum Viatici dare potest in amentiam & phreneſim lapſis post rationis usum, si absit periculum irreverentiæ, illudque petierint, dum ratione utebantur. Ubi etiam de surdis, mutis, cæcis, & energumenis.

781 QUoad pueros namque, rationis usum nondum adeptos, etsi olim Eucharistia daretur, Rituale Romanum jam dudum hoc inhibuit, tum ob defectum devotionis, tum ob periculum irreverentiæ.

782 Amentes verò à nativitate dictis pueris æquiparantur. S. Thomas q. 80. a. 9. Et propterea ipsis etiam dare vetuit Paulus V. in suo Rituali.

783 Si non semper amentes fuerint, sed in lucido rationis usu petierint, secluso periculo irreverentiæ Viaticum ipsis dandum, expressè statuit Concilium Cartag. IV. c. 48. Statuit & Rituale Romanum. Et quamvis expressè non petierint, si tamen aliquamdiù piè christianèque vixerint, nec constet ipsos in statu malo in amentiam incidisse, in sua illa pia christianaque vita probabiliter censendi sunt implicitè petiisse, saltem si *apparuit in eis hujus Sacramenti devotio.* S. Thomas ibidem.

784 Extra mortis articulum, siquis notoriè amens ingerat se in turbam communicantium, flectatque ad mensam Communionis in speciem devotè cum aliis, tametsi Joannes Sancius in select. disp. 28. n. 9. dicat non prætereundum à Sacerdote, sed lucidum intervallum tunc præsumendum. Censeo equidem prætereundum, tum ad cavendum simul adgeniculantium scandalum ac perturbationem. Tum quia ex illa adgeniculatione, sine alio examine, lucidum intervallum non benè præsumitur: cùm stulti frequenter simias agant.

Illis verò amentibus, qui non nisi per intervalla 785
tales sunt, durante lucido intervallo non est dubium posse dari hoc Sacramentum. Sicut & in Paschate, & in mortis articulo semifatuis, qui infirmo quidem rationis usu fruuntur, tali tamen ut absolutionis sacramentalis sint capaces. Quibus tamen extra hæc tempora Tannerus censet rarò distribuendum.

Quoad illos, qui à nativitate simul cæci sunt, 786
muti & surdi: cùm non videantur ullo modo posse edoceri res sacras, non videntur capaces hujus Sacramenti. Si cæci non sint, sed solùm surdi & muti, multiplex experientia docuit, ipsos per signa edoceri posse, maximè cùm esse soleant perspicacioris ingenii, atque ex multiplici observatione, collatione, reflexioneque eò frequenter perveniant, ut ad motum labiorum aliavè signa intelligant quæ ipsis proponuntur, ut videre est in vita S. Francisci Salesii Dilingæ edita c. 22. ubi legitur, quòd cùm talem hominem, Dei & divinorum mysteriorum penitùs ignarum, nactus esset vir sanctus, sibi domesticum factum, patientiâ & charitate mirabili, nutibus & signis docuerit illum fidei mysteria, & quomodò ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta accedendum foret, ita ut ipsi à Confessionibus ipsemet esse voluerit. Talibus proinde neganda non est Communio, si judicio & arbitrio prudentis Confessarii probabilia dent signa devotionis erga illam. Videri possunt Diana p. 5. tr. 6. resol. 7. Layman. Theol. Moral. l. 5. tr. 4. c. 4. n. 5. Palao p. 4. tr. 21. puncto 10. n. 9.

Energumenis hoc Sacramentum olim negaba- 787
tur ob decentiam. Posteà à Concilio Arausic. I. can. 14. ipsis concessum fuit, modò irreverentiæ periculum abfuerit.

CAPUT LXII.

Peccatoribus publicis, sive publicè, sive occultè petentibus, Sacerdos negare debet Communionem, nisi sufficientia dederint signa pœnitentiæ, eaque publica, si publicè petant. Occulto verò peccatori, publicè petenti, Sacerdos negare non potest.

UTraque pars assertionis constat ex dictis lib. 788
1. c. 18. Publicis proinde adulteris, concubinariis, infamibus, meretricibus, usurariis, mulieribus ornatu lascivo incedentibus, vel nudato sinu publicè se ad Communionem præsentantibus, deneganda est Communio. Sicut & omnibus, quorum gravia peccata per majorem loci partem innotuerunt per evidentiam facti, vel per publicam sententiam Judicis, vel per publicam & manifestam de iis jactantiam: tametsi aliqui fortè in loco, ubi Communio distribuitur, peccatum ignorent.

Si tamen ille, cujus crimen uno loco publicum 789
est per sententiam Judicis, sive notorium notoriætate juris, publicè petat in loco diffito, ubi publicum non est, probabile est Communionem ipsi non negandam. Tum quia fortè homo ille est emendatus: ad quod multùm facilitare solet mutatio loci. Tum quia ex tali repulsa videntur nata sequi inconvenientia & scandala, quæ nata sunt sequi ex publica repulsa peccatoris occulti.

Addit Concilium Mediol. VI. anni 1582. tit. 7. 790

de Sacram. Pœnit. *Ineunte imprimis Quadragesimâ Episcopus quàm diligentissimè investigabit, si qui vel in urbe, vel in Diœcesi sint, qui opera carnis sectantes, turpiter vivant, si qui item odia & inimicitias exerceant si qui alii denique, qui in aliqua peccandi consuetudine jaceant.... nec verò antequam ipse perspexerit, istos ab ea malè agendi via recessisse, ac publicas offensiones præcidisse, permittat (etiamsi testimonium Confessarii adferant) ne in Paschali quidem celebritate sacram Communionem eis ministrare; quin imò illam tamdiù differre jubeat, quoad eorum veram vitæ emendationem Episcopus cognoverit.*

CAPUT LXIII.

Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed & verum & propriè dictum sacrificium.

791 ESt de fide, definitum in Tridentino sess. 22. c. 1. & can. 1. Et probatur 1°. ex Malach. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus.* Magnificis namque hisce verbis nihil aliud ibi prædictum dici potest, nisi sacrificium Eucharisticum, quod in Missa celebratur. Nam Deus asserit se legis antiquæ sacrificia repudiaturum & reprobaturum, atque in lege nova aliud instituturum, quo hostia pura & sancta in toto orbe terrarum sibi sacrificabitur. Istud verò sacrificium aliud esse non potest nisi Eucharisticum. Neque enim cruentum crucis sacrificium dici potest ibi prænuntiatum: utpote in solo Calvariæ Monte oblatum, non in omni loco ab ortu solis usque ad occasum. Nec certè hebraïca vox *mincha*, quâ (affante Spiritu) usus est Propheta, significat cruentum crucis, sed incruentum Missæ sacrificium. Siquidem *mincha* sacrificium erat farinæ & panis, ut videre est Levit. 2. cumque hujusmodi sacrificio farreo quotidie libabatur vinum in jugi sacrificio Agni, ut videre est Exodi 29. v. 40. Sicque per sacrificium illud farris & vini optimè adumbratum sacrificium Eucharisticum, quod offertur sub speciebus panis & vini.

792 Et idcò prophetiam illam Malachiæ de Eucharistico novæ legis sacrificio meritò intellexerunt sancti Patres passim omnes, Justinus in Dialogo ad Tryphon. Irenæus l. 4. adversus hæreses c. 32. Tertullianus l. 3. contra Marcion. Cyprianus l. 1. contra Judæos c. 16. Eusebius Cæsariensis l. 1. de demonstrat. c. ult. Chrysostomus in Psal. 95. Hieronymus in illum Malachiæ l. cum. Augustinus 19. Civit. 25. & alibi sæpè. Damascenus l. 4. fid. orthod. c. 14. Justini dumtaxat, & Irenæi, & Augustini verba referam: *De sacrificiis à vobis* (Judæis) *olim oblatis* (verba sunt Justini) *Deus, sicut suprà dixi, per Malachiam.... ait: non est voluntas mea in vobis.... De nostris verò Gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, jam tum locutus, prædixit nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.*

793 Irenæus: *Eum* (inquit) *qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit, dicens, hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & novi testamenti, novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo... de quo in duodecim Prophetis Malachias præsignificavit: non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus*, &c. (ut suprà) *manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo. Omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum*, &c.

Augustinus Prophetam ibi prædicere dicit, *cessaturas victimas*, quas in umbra futurorum offerebant Judæi; & unum sacrificium *à solis ortu ad occasum, sicut jam cernimus, oblaturas Gentes.* 794

2°. idipsum probatur ex Hebr. 9. *Christus sanctus est Pontifex in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.* Quare secundùm ordinem Melchisedec? Omnes unanimiter Patres, rationem esse dicunt, quia sicut Melchisedec panem & vinum obtulit in sacrificium: sic Christus Dominus in ultima cœna æterno Patri in sacrificium obtulit corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini. Ita Cyprianus l. 2. epist. ad Cæcil. Ambrosius l. 5. de Sacram. c. 1. Hieronymus epist. ad Marcellam. Augustinus l. 1. contra adverss. leg. & Proph. Et l. 4. de doctr. Christ. c. 21. ubi sic: *Quis magis Sacerdos Dei summi fuit*, quàm *Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & hoc idem quod Melchisedec obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* 795

3°. probatur ex ipsamet institutione sacratissimæ Eucharistiæ, prout ab Evangelistis refertur Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. & ab Apostolo 1. Cor. 11. Ex istis quippe locis constat, Christum Dominum panem & vinum consecrasse, & transubstantiasse in corpus & sanguinem suum; nec magis dubium, Patri æterno tunc obtulisse, & sacrificasse, tametsi verba ista non usurpaverit, *offero, sacrifico*, quàm corpus & sanguinem suum æterno Patri obtulerit & sacrificaverit in cruce, tametsi nec tunc verba illa usurpaverit. Nec certè veteris Testamenti Sacerdotes eâ verborum formâ in suis sacrificiis usi sunt, *offero, sacrifico*; vera nihilominùs sacrificia obtulerunt. Cùm ergo constet verba ista ad verum sacrificium offerendum necessaria non esse, nihil certè quod ad sacrificii rationem pertinet, in ultima cœna Christus omisit, magis quàm in cruce. Tam verè igitur sacrificavit in cœna, quàm in cruce. Nam quia ex una parte exemplum Melchisedec, & sacrificii ab eo oblati, à Christo reipsà completum non fuit in cruce; ex alia parte per sacrificium crucis, & mortem, sacerdotium ipsius extinguendum non erat: in cœna novissima, quâ nocte tradebatur, aliud instituit sacrificium secundùm ordinem Melchisedec (id est adumbratum & significatum per sacrificium Melchisedec, qui sacrificavit proferens panem & vinum) quod post mortem suam in æternum, id est ad finem usque mundi permaneret, quodque ipse, tam per Apostolos suos, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes instituit, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*, quàm eorum in sacerdotio successores, tamquam Vicarios suos & Ministros, ipse tamquam principalis offerens semper offerret. Sic enim Catholica Ecclesia semper intellexit. Sic Andræas Apostolus practicavit, ut fidem faciunt verba ipsius relata à Presbyteris Achaïæ in actis Passionis ipsius: *Coram circumstante multitudine effatus est: ego Agnum immaculatum in altari quotidie offero, cujus carnes postquam omnis populus credentium manducavit, Agnus qui manducatus est, integer perseverat.* Sic etiam reliquos Apostolos, eorumque proximos successores practicasse constat ex antiquissimis Liturgiis Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi. Unde & à primis Ecclesiæ temporibus historiæ & vitæ primorum Pontificum Romanorum fidem faciunt, fuisse altaria, Sacerdotes, Episcopos, à quibus Sacerdotes ordinabantur. Sic denique habemus ex Traditione omnium Patrum, Græcorum & Latinorum, tum primorum, tum sequentium sæculorum (quorum complures fuerunt Christi & Apostolorum temporibus propin- 796

qui, ac proinde historiam Evangelicam probè callebant) videlicet Justini Martyris in Dialogo suprà relato, Irenæi l. 4. contra Valentium c. 32. Tertulliani lib. ad Scapulam c. 2. Cypriani l. 2. epist. 3. Eusebii Cæsariensis l. 1. Evangelic. demonst. c. ult. Gregorii Nysseni orat. 1. de festo Paschæ, Basilii l. 2. de Baptismo in respons. ad q. 2. Ambrosii lib. 4. de Sacram. & lib. 1. de Offic. c. 48. Cyrilli Hierosol. Catech. mystag. 5. Cyrilli Alexandrini anathemat. 2. & in postrema ad Nestorium epistola. Augustini 10. Civ. 20. & lib. 22. c. 10. Et lib. 9. Conf. c. 3. Chrysostomi hom. 61. ad pop. Antioch. & hom. 24. in 1. ad Corinth. Gaudentii Brixiensis Episcopi serm. 2. ad Neophytos, &c. Ecclesiaque & omnes Christianæ Nationes, Orientales & Occidentales, semper ita crediderunt, & unanimi consensu tamquam veritatem Catholicam semper receperunt, prout innumeris testimoniis invictè probat liber aureus de perpetuitate fidei, sicut & defensio illius. Quod autem apud tam multos, in tot aliis ab invicem diffidentes, unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Quodque tam unanimi tamque constanti omnium Patrum, omniumque Christianarum Nationum consensui contrarium invenitur, non potest esse dogma Catholicum, utpote singulare & novum, Catholicæque traditioni & perpetuæ omnium populorum Christianorum fidei contrarium.

CAPUT LXIV.

Hæreticorum objecta dissolvuntur.

797 OBjiciunt 1°. *Unâ oblatione* Christus *consummavit in æternum sanctificatos.* Hebr. 10. Sed ibi per unam oblationem, intelligitur oblatio crucis. Unicâ ergo crucis oblatione Christus consummavit in æternum sanctificatos. Ergo opus non est aliâ oblatione, nec sacrificio.

Respondeo 1°. sensum Apostoli esse, quòd quia sub priori Testamento, ut Apostolus ait ibidem c. 7. propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem, consummatio non erat, oportuit Sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedec exurgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectionem adducere. Quod unâ oblatione Christus præstitit, sed duplici modo factâ, modo scilicet cruento in cruce, incruento in cœna. Una quippe eademque est oblatio crucis & cœnæ, quoad rem principaliter oblatam, quæ est unus & idem Christus. Quâ quidem oblatione, cruento modo factâ, consummavit in æternum sanctificatos quoad virtutis sufficientiam: utpote per quam obtulit sufficiens, imò superabundans pretium redemptionis generis humani; sed quia virtus cruenti illius sacrificii nobis non applicatur immediatè per seipsam, sicut ultra cruentum illud sacrificium requiritur baptismus, fides, spes, charitas, per quæ virtus istius sacrificii nobis applicetur ad peccatorum remissionem, & justificationem; sic etiam requiritur incruentum Missæ sacrificium, per quod eadem virtus nobis applicetur ad sanctificationem. Quod tamen (ut dixi) non est aliud & aliud sacrificium quoad substantiam, sed quoad modum dumtaxat. Nec incruentum ideò requiritur, quasi novum pretium & nova redemptio generis humani, sed quasi applicatio pretii per sacrificium cruentum persoluti. Unde

798 Respondeo 2°. distinguendo consequens: opus non est aliâ oblatione quoad substantiam, concedo: quoad modum, subdistinguo. Non est opus aliâ oblatione tamquam præstante novum pretium redemptionis nostræ, concedo. Tamquam applicante pretium per sacrificium crucis præstitum, nego.

Objiciunt 2°. In nova lege unicus est Sacer- 799
dos, Jesus Christus, secundùm illud Hebr. 7 In veteri lege *alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere: hic autem* (Jesus) *eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum.* Ergo Christus in nova lege alios à se non instituit Sacerdotes.

Respondeo consequens esse verum de Sacerdotibus principalibus, in sua persona, suo nomine, propriâque authoritate sacrificantibus. Hoc enim sensu Christus in nova lege unicus est Sacerdos principalis, in sua persona, suo nomine, propriâque authoritate sacrificans; sed quia Christus voluit, post mortem suam, visibile sacrificium in Ecclesia sua permanere, *quo cruentum* sacrificium crucis *repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus, in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur* (inquit Tridentinum sess. 22. c. 1.) ideò plures esse voluit Sacerdotes ministeriales, non ipsi succedentes, sed ipsi instrumentaliter ministrantes, per quos ipse, tamquam unicus Sacerdos principalis, sacrificaret. Sicut enim ipse est, qui principaliter baptizat, & confecrat per Sacerdotes, tamquam Vicarios suos & Ministros; sic ipse est qui per eosdem principaliter sacrificat. Quod enim Sacerdotes faciunt, in persona ipsius faciunt, non sua, ipsiusque, non suo nomine & authoritate.

Objiciunt 3°. Non apparet quomodò sacrifi- 800
cium, quod vocamus Eucharisticum, sit verum sacrificium; quandoquidem nulla in eo appareat peremptio seu destructio victimæ. Neque enim panis & vinum sunt victimæ istius sacrificii, sed ipsemet Christus secundùm nos. Sic enim Patres: Sic Tridentinum his verbis: *In divino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.*

Respondeo negando antecedens. 1°. quia ad rationem sacrificii non requiritur destructio principalis victimæ in se, sed vel in se, vel in aliquo adjuncto (ut aliquibus placet) & ostenditur in sacrificio Abraham, in quo Isaac mactatus non fuit, sed aries in locum ipsius substitutus; necnon in sacrificio duorum passerum, vel hircorum, de quo Levit. 14. quorum uterque unam moraliter constituebat victimam; uterque tamen non jugulabatur, sed unus dumtaxat, alter verò peccatis populi onustus dimittebatur. Ergo vera sacrificii ratio non exigit, ut quidquid in se offertur in sacrificium, in se destruatur. Christus verò licèt non destruatur in se, destruitur in adjuncto pane, vel vino.

2°. quia ad rationem sacrificii saltem non re- 801
quiritur physica victimæ destructio, sed sufficit moralis; in eo consistens, quòd victima ponatur in statu, in quo servire amplius non possit ad priores usus, vel ponitur in statu destinato ad destructionem. Siquidem effusio vini in terram, facta ad honorem Dei à legitimo Ministro, cum aliis circumstantiis ad sacrificium requisitis, in veteri lege, dicebatur libatio, & per effusionem illam vinum dicebatur sacrificari, tametsi physicè & substantialiter non destrueretur, sed solùm redderetur inutile ad potationem, poneretureque in statu tendente ad corruptionem. Hoc autem modo Christus in sacrificio Eucharistico verè sacrificatur; tametsi physicè & substantialiter non destruatur: quia equidem ponitur in statu destinato ad esum & potum, per quem licèt non desinat esse absolutè,

absolutè, sed integer perseveret, definit tamen in esse Sacramenti: nec in eo statu corpus Christi (licèt animatum) seipsum naturaliter movere potest, nec agere in corpora extrinseca.

CAPUT LXV.

Sacrificium Eucharisticum in ultima cœna Christus instituit.

802 PAtet ex dictis capite præcedenti, atque optimè explicat Concilium Senonense anni 1524. Decreto II. de sacrificio Missæ: *Porrò etsi Christus, assistens pro nobis Pontifex, non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ: negari tamen non potest Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, ac proinde, ejus exemplo, sacrificium aliquod obtulisse, quod exteriori panis & vini formâ veteri illi Melchisedech oblationi responderet; erat enim Sacerdos Dei altissimi. Quod utique fecit in suprema illa cœna. Nam accepto pane gratias egit, & fregit, deditque discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; & ab Evangelicis Sacerdotibus jugi observantiâ præcepit iterari: hoc facite in meam commemorationem. Hoc enim holocaustum, hæc victima pro peccato, hæc hostia pacifica, hoc juge sacrificium, hæc munda oblatio, quam in omni loco Malachias prædixit offerendam, cùm dixit, quòd repudiatis legis antiquæ cæremoniis, ab ortu solis usque ad occasum, magnum esset nomen Domini in Gentibus.*

CAPUT LXVI.

In sola utriusque speciei consecratione consistit essentia sacrificii Eucharistici.

803 SUnt qui putant rationem sacrificii Eucharistici absolvi in sumptione seu Communione. Alii in consecratione & sumptione simul. Alii superaddunt oblationem. Sed assertio nostra est sancti Thomæ q. 82. a. 10. in corpore, & ad 1. & q. 83. a. 4. ubi dicit, Sacerdotem per illa verba: *supra quæ propitio*, &c. (quæ Sacerdos dicit statim post consecrationem) petere ut *sacrificium peractum*, sit acceptum Deo. Et probatur 1°. quia non consistit in oblatione expressa & vocali, distincta à consecratione; neque in sumptione seu Communione. Igitur in sola utriusque speciei consecratione. Probatur prior pars antecedentis, quia talis oblatio nullibi præscripta legitur in sacrificiis veteris legis; imò ne Christus quidem eam fecisse legitur in sacrificio crucis. Igitur non est de ratione sacrificii.

804 Probatur etiam posterior pars, quia de omnibus sacrificiis legis aliquid non comedebatur (ut patet in holocausto, quod totum comburebatur, & vino, quod in terram effundebatur) nec comestio requiritur ad salvandam destructionem, in ratione sacrificii requisitam, prout n. 801. & 803. vidimus; nec Christus, cruentè in cruce immolatus, comestus fuit; nec satis constat, an in ultima cœna seipsum comederit. Id enim licèt non negemus, imò cum Hieronymo affirmemus, non legimus in Evangelio. Neque id ex traditione habetur. Et tamen sacrificium integrum certissimè perfecit.

805 Probatur 2°. quia Christus dicendo, accipite & comedite, *hoc est corpus meum*, accipite & bibite, *hic est sanguis meus*, &c. sacrificium obtulit; & addendo: *hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos novæ legis Sacerdotes instituit, prout Tridentinum definit sess. 22. c. 1. sed hoc totum dixit ante sumptionem: ergo sacrificium obtulit, & Apostolos Sacerdotes instituit, ante sumptionem. Deinde Gregorius Nyssenus orat. 1. de Christi Resurrect. *Pilati sententiam* (inquit) *consilio suo antevertit, & arcano sacrificii genere.... seipsum pro nobis hostiam offert.... Quando id præstitit? Cùm corpus suum discipulis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc* (igitur ante sumptionem) *apertè declaravit, Agni sacrificium jam esse perfectum* (exhibendo scilicet corpus suum, licèt animatum, idoneum ad edendum, & sanguinem idoneum ad bibendum, sequitur enim;) *nam victimæ corpus nec est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cùm corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum.* Ecce Nyssenus assertionem nostram perspicuè docet, & destructionem in hoc sacrificio requisitam explicat uti nos suprà n. 801.

Ante Nyssenum Irenæus l. 4. c. 32. sacrificii 806
rationem in consecratione positam satis apertè declaraverat, dicens: *Discipulis suis dans consilium offerendi.... eum qui est ex creatura panis, accepit, & gratias egit, dicens: hoc est corpus meum. Et calicem similiter.... suum sanguinem confessus est, & sic novi Testamenti docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens offert Deo in universo mundo.*

3°. in consecratione Eucharistiæ tria fiunt, in 807
quibus sactificii veri & realis ratio consistit. Primò res profana fit sacra. Panis enim, res alioqui terrena & communis, per consecrationem vertitur in corpus Christi, & vinum in sanguinem, rem utique omnium sacratissimam. Secundò in consecratione res illa, sacra ex profana effecta, Deo offertur, dum super altare Dei collocatur. Nam victimam in altari per verba consecrationis ponere, est reipsà illam Deo offerre. Ipsa namque consecratio ex Christi institutione oblatio est Deo facta, & Sacerdos intendens facere quod Christus fecit per consecrationem, eo ipso offert Deo rem consecratam, utpote quam Christus tamquam principaliter consecrans eo ipso principaliter offert. Tertiò, per consecrationem res quæ offertur ad veram, realem & sensibilem mutationem & destructionem ordinatur, dum ad esum & potum destinatur. Atque hoc pacto non deest hîc moralis destructio, sufficiens ad rationem sacrificii: maximè cùm ipsi quoque addatur realis & substantialis destructio in adjuncto, sive in pane & vino, ex quibus Christi corpus & sanguis efficiuntur, & accipiunt formam cibi & potûs.

Denique in ea actione posita est essentia sacrifi- 808
cii Eucharistici, quæ maximè sit in persona Christi; quandoquidem Sacerdos, dum sacrificat, sic agat in persona Christi, ut ipse Christus sit principalis sacrificans. Sed consecratio est quæ maximè fit in persona Christi. Quia in consecratione sic loquitur Sacerdos, quasi esset ipse Christus. In sumptione verò Sacerdos non agit in persona Christi: quamvis enim se tradat ad edendum & bibendum, sicut se tradidit ad crucifigendum; ipsa equidem comestio non magis fit in persona ipsius, quàm crucifixio: neque enim Christus est qui principaliter manducat, neque manducatio fit nomine ipsius, sed proprio nomine Sacerdotis, tamquam principalis manducantis. Ea quippe sola fiunt in persona Christi, tamquam principalis agentis, in quibus Christus est qui principaliter agit per hominem, tamquam Vicarium, Legatum & Ministrum suum, vice ipsius agentem. Dum verò Sacerdos Eucharistiam sumit, Christus non est qui principaliter sumit per Sacerdotem, tamquam Vicarium, Legatum & Ministrum suum, vice ipsius sumentem. Ergo sumptio non fit in persona Christi.

Consecratio verò utriusque speciei ideò est de 809
essentia sacrificii, prout à Christo institutum est, quia ex Christi institutione expressam repræsenta-

tionem exhibere debet sacrificii cruenti in cruce peracti, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Consecratio verò solius panis non exhibet repræsentationem expressam sacrificii cruenti; sed ad hoc addenda est consecratio vini. Dum enim panis & vinum seorsim consecrantur, quantum est ex vi verborum corpus ponitur separatum à sanguine, & sanguis separatus à corpore (prout in cruce sanguis extitit separatus à corpore, & corpus separatum à sanguine) sicque utraque consecratio exhibet expressam repræsentationem cruenti sacrificii. Et quidem sanguis seorsim consecratus expressiùs passionem Christi repræsentat, juxta illud S. Thomæ q. 78. a. 3. ad 7. *Sanguis, seorsim consecratus à corpore, expressiùs repræsentat passionem ipsius Christi. Et ideo potiùs in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi, & fructu ipsius, quàm in consecratione corporis.*

810 Cæterùm etsi sumptio non sit de essentia, est tamen de integritate sacrificii Eucharistici, & de necessitate præcepti divini, ideòque Ecclesia usque adeò sollicita est ut consecratio sine sumptione non fiat, ut si Sacerdos post consecrationem deficiat, velit ab alio Sacerdote, tametsi non jejuno, Communionem & Missam peragi: nimirùm ut impleatur præceptum divinum, & sacrificium sit integrum, sive habeat omnes partes suas, nedum essentiales, sed & integrales. Quo sensu Concilium Toletanum can. *relatum* de Consecr. dist. 2. *Quale* (inquit) *erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*

CAPUT LXVII.

Sacrificium Eucharisticum, seu Missa, non solùm est latreuticum & regratiatorium, sed & propitiatorium, & impetratorium pro vivis & defunctis.

811 EST de fide contra modernos hæreticos, quibus anathema dicit Tridentinum sess. 22. c. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantùm esse laudis, aut gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium, vel solùm prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

812 Enimverò si sacrificia veteris legis fuerunt non solùm latreutica & regratiatoria, sed & propitiatoria & impetratoria pro vivis (ut patet ex Levit. 4. & 7.) atque etiam propitiatoria pro defunctis, ut constat ex 2. Machab. 12. quantò magis excellentissimum sacrificium novæ legis, per quod Deo præstantissimus exhibetur cultus, quodque infinitè magis valet ad gratiarum pro beneficiis acceptis actionem, ad novorum beneficiorum impetrationem, atque ad propitiationem, quàm vetera illa sacrificia, quæ hujus nonnisi umbræ fuerunt?

813 Libro 2. Machab. c. 12. Judas Machabæus legitur jussisse offerri pro militibus occisis sacrificium. Et additur: *sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Et reverà esse peccata, quæ in hoc sæculo non soluta, solvuntur in futuro, libro sequenti probabitur ex Evangelio. *Sed etsi nusquam in Scripturis omninò legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas*, inquit Augustinus lib. de cura pro mortuis. Legitimis autem testimoniis demonstratur istam fuisse perpetuam & universalem Ecclesiæ consuetudinem, ab Apostolorum tempore, pro defunctis orare, & sacrificium altaris offerre. Id enim testantur antiquissimæ Liturgiæ Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, &c.

Testantur & Patres omnes. Dionysius de cæ- 814
lesti Hierarch. c. 7. dicit suffragiis viventium defunctos juvari, narratque moremi primitivæ Ecclesiæ orandi pro ipsis. Tertullianus de corona militis c. 3. *Oblationes* (inquit) *pro defunctis annuâ die facimus.* Cyrillus Hierosol. Catech. mystag. 5. *Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus..... pro omnibus qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio Sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* Testatur & Augustinus verbis relatis addens, quòd consuetudo ad altare orandi pro mortuis, *ab Apostolis inchoavit. Idem tradit Damasus, in quodam sermone de suffragiis mortuorum, sic dicens: mysteriorum conscii discipuli Salvatoris, & sacri Apostoli, in tremendis & vivificis mysteriis memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt, sanxerunt. Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt* (ait Chrysostomus hom. 69. ad pop. Antioch.) *ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sacrificium* (ait Isidorus l. de Offic. Eccles. c. 18.) *pro defunctorum fidelium requie, vel pro eis orare, quia per totum hoc Orbem custoditur, credimus quòd ab ipsis Apostolis traditum sit.*

Atqui *vacare*, id est in vacuum credere, *non* 815
potest, quòd universa pro defunctis orat Ecclesia, ait S. Paulinus apud Augustinum loco citato. Et Augustinus ipse l. 4. de bapt. contra Donatist. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, semperque tenuit, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi ab authoritate Apostolica traditum certissimè creditur.* Ideòque insanissimæ insaniæ esse dicit redarguere, quod universa per Orbem frequentat & semper frequentavit Ecclesia.

Augustino consentit Epiphanius hæresi 75. il- 816
lum Ecclesiæ ritum commemorans, & utilissimum esse ostendens, testaturque, *quòd Ecclesia traditum sibi ritum illum à Majoribus acceperit. Potestne verò quisquam maternam sanctionem, aut legem Patris evertere? Quemadmodum à Salomone scriptum est: audi fili sermones Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ. Quibus Patrem, hoc est unigenitum Deum, cum Spiritu sancto declarat, partim scripto, partim sine scripto docuisse. Matrem verò nostram Ecclesiam decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi evertique nequeunt.* Quibus quisque contradixit, semper hæreticus habitus est. Cujus exemplum idem Epiphanius in hac ipsa materia ponit in Aëtio, qui (ut narrat in Anacephaleosi sua) olim damnatus fuit ut hæreticus, eò quòd negaret sacrificium pro defunctis esse offerendum.

Si petas an Missæ sacrificium, pro animabus 817
purgantibus oblatum, habeat effectum infallibilem, atque ex opere operato respectu animarum pro quibus offertur?

Respondeo (cum Cajetano opusc. 1. tr. 16. Melchiore Cano, Dominico Soto & aliis) negativè, sed effectum pendere ab acceptatione divina. Deus autem pro illis dumtaxat animabus Missæ sacrificium oblatum acceptat, illisque prodesse vult, quæ in hac vita meruerunt, ut hoc sibi post mortem prodesse posset, ut Augustinus docet Enchirid. c. 110. *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro iis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleëmosynæ in Ecclesia fiunt. Sed hæc eis prosunt, qui, cum viverent, hæc sibi ut postea prodesse possent, meruerunt.* Illud autem meritum specialiter compararunt animæ illæ (aiunt laudati Doctores) quæ multùm in vita sollicitæ fuerunt ad satisfaciendum pro suis alienisque peccatis, habueruntque specialem devotionem ad Ecclesiæ claves, suisque suffragiis pro posse fidelibus defunctis conatæ sunt prodesse.

CAPUT LXVIII.

Sacrificium Eucharisticum, seu Missæ, tametsi ex parte primaria offerentis, reique principaliter oblatæ, sit valoris infiniti; effectus tamen ipsius, tam ex opere operato, quàm per modum impetrationis, est simpliciter finitus.

818 RAtio prioris partis est quia tam Christus ipse, quàm omnes Christi actiones sunt infiniti valoris.

819 Ratio posterioris partis potissimùm petitur ex Christi voluntate & institutione, sive ex eo quòd talis est ordo & dispositio divinæ providentiæ, quæ nobis innotescit ex communi usu universalis Ecclesiæ, communique sensu fidelium, qui (ut sapienter observat Cardinalis Bona in scriptis suis asceticis de Missa §. 4.) *plura pro se, & suis sacrificia offerri curant. Quod certè non facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam Sacerdotes unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere: quod Ecclesiastica vetant Decreta. Fruſtrà pro uno defuncto tot multiplicarentur sacrificia: quia unum sufficiens esset, ad omnes animas liberandas. Missa denique cujuslibet Sacerdotis sacrificium Christi in cruce æquaret: quod ideò unicum fuit, quia valoris infiniti. Neque considerandum est id quod in sacrificio continetur, tamquam ens quoddam naturale, agens secundùm summum gradum virtutis suæ; sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipsum agens principale, Christus Redemptor noster, qui hoc incruento sacrificio vult nobis applicari finitum tantùm & limitatum fructum suæ Passionis.*

820 Porrò effectus, seu fructus, & gratiæ quæ ex Missæ sacrificio in nos derivantur, derivantur primordialiter ex meritis Passionis & mortis Christi. Ideò namque Christus dicitur unâ crucis oblatione consummasse sanctificatos, quia ab illa derivatur omnis gratia, omnisque sanctificatio nostra, ita ut cætera, per quæ fructus sacrificii crucis nobis applicatur, non sint prima origo gratiarum, sed veluti canales, per quos gratiæ ex meritis sacrificii crucis in nos defluunt. Quod etiam de incruento Missæ sacrificio verum est. Nec mirum: cùm Christus, utpote jam existens extra statum merendi & satisfaciendi, amplius non mereatur, nec pro nobis amplius satisfaciat. Totum ergo meritum, & tota satisfactio, quæ per Missæ sacrificium vivis & defunctis applicantur, primordialiter ex morte Christi derivantur.

821 Et ideò Tridentinum, postquam sess. 22. c. 2. dixit, *sacrificium istud* (Missæ) *verè propitiatorium esse, per ipsummet fieri, ut, si cum vero corde, & rectâ fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.* Addit: *cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam uberrimè percipiuntur.* Et ideò *tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur* (prout hæretici garriunt) quandoquidem fructus, qui per hoc incruentum sacrificium derivantur, fructus sint sacrificii cruenti.

CAPUT LXIX.

Notabilia de applicatione fructûs sacrificii Eucharistici.

822 TAmetsi ergo constet, per Missæ sacrificium, sacrificii cruenti nobis applicari fructum, sine dubio infinitum quoad sufficientiam (eò quòd infiniti pretii sit, Deoque infinitè placens hostia, quæ æterno Patri, imò toti SS. Trinitati offertur, cùm sit Christus ipse, simul victima & offerens; infinitum quoque meritum mortis Christi, quod per idem Missæ sacrificium nobis applicatur;) disputant nihilominùs Doctores Scholastici circa modum quo fit applicatio ista, & circa personas quibus fit ista applicatio; nec aliquid circa hoc cum omnimoda certitudine possumus asserere: cùm enim hoc non inveniamus à Patribus examinatum, ex traditione colligere non possumus aliquid omninò certum.

823 Ut tamen statuamus aliquid, quod nobis appareret verum, distinguendi sunt varii Missæ sacrificium offerentes. Offert enim illud Christus, offert Ecclesia, Sacerdos offert, & cum Sacerdote fideles, præsertim circumstantes, plerùmque offerunt. Quantum ad Christum & Ecclesiam, offerunt illud pro tota Ecclesia, & subinde Ecclesia aliquos specialiter commendat, v. g. neophytos tempore Paschali. Tametsi verò oblatio ista Christi & Ecclesiæ Deo haud dubiè gratissima sit; nihilominùs determinatio fructûs inde in Ecclesiam redundantis, & modus quo redundat, soli Deo cogniti sunt.

824 De fidelibus illud cum Sacerdote offerentibus non est dubium, tantò plus & faciliùs participare de fructu, quantò sanctiùs & devotiùs illud Deo offerunt.

825 Difficultas proinde vel tota, vel præcipua est de Sacerdote offerente, & fructu quem recipiunt illi, pro quibus offert. Circa quod duo certa sunt. Primò posse Sacerdotem pro aliquibus specialiter offerre; sive sacrificii fructum applicare, prout traditio, Ecclesiæque sensus & usus ostendit. Secundò, absque comparatione majoris efficaciæ esse Sacerdotem ad aliquid à Deo obtinendum, dum mediante hoc sacrificio illud rogat, quàm dum extra altare rogat. Quia sacrificium quod offert, & per quod inter Deum & hominem intercedit, valet ex opere operato, id est ratione dignitatis, tum rei oblatæ, tum principalis offerentis, ultra valorem & meritum orationum & bonorum operum Sacerdotis, quàmlibet justi & sancti.

826 Quotidiana nihilominùs experientia docet, à Sacerdote non semper obtineri quod per hujus sacrificii oblationem postulat, tametsi res Deo gratissima sit quam postulat, ut conversio hujus vel illius peccatoris, liberatio ab his vel istis vitiis, impetratio hujus vel istius virtutis: sive id contingat propter obicem, inventum in eo pro quo postulat (ut dum postulat liberationem animæ Purgatorii, quæ in vita non meruit, ut oblatum pro se sacrificium post mortem sibi prodesset) sive quia pro se postulat hanc v. g. vel illam virtutem, sed non tantùm, nec tali modo, quantùm & quomodò rem tantam Deus vult postulari; sive ob alias rationes Deo notas, v. g. quia expedit bono ejus pro quo postulat non liberari à tali vel tali tentatione, vel vitio, ut demissè semper de se sentiat, & non incidat in periculosissimum elationis vitium, &c. Neque enim sacrificium hoc, ut impetratorium, operatur infallibiliter, sed prout voluerit Deus, qui licèt non semper requirat pium motum & devotionem ex parte specialis offerentis, vel ejus pro quo offertur, sed aliquando respi-

ciat merè *in faciem Christi sui*, & in preces Ecclesiæ; sæpè tamen pium illum motum & devotionem requirit, & vir sanctus, offerens sacrificium, sæpè impetrat, quod non impetrat alius.

827 Probabile tamen est (quod Doctores communiùs asserunt) hoc sacrificium (*cujus oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata dimittit*, ut Trid. ait sess. 22. c. 2.) ex opere operato infallibiliter præstare vivis & defunctis remissionem pœnæ temporalis pro peccatis adhuc debitæ, si in eo cui applicatur non inveniat obicem; tametsi quoad defunctos aliqui dissentiant. Cùm hoc sacrificium sit propitiatorium pro vivis & defunctis, nec ulla appareat ratio, cur illius pro vivis propitiatio sit potiùs infallibilis, quàm pro defunctis. Probabile itaque est, sic à Christo institutum hoc sacrificium, ut portionem aliquam sacrificii crucis infallibili lege semper applicet illi, vel illis, pro quo, vel pro quibus offertur, si in illo vel in illis non inveniat obicem, tametsi in infallibilitate illa non omnes Doctores conveniant. In eo tamen communiter conveniunt, quòd quò pro pluribus offertur, cæteris paribus eò minùs prosit singulis. Quia sacrificii fructus ex præmissis est finitus. Finitus verò effectus quò in plures distribuitur, eò magis in singulis diminuitur. Idque S. Thomas confirmat in 4. d. 45. q. 2. a. 4. in argumento *Sed contrà*: quia *cùm melius sit plures juvare, quàm unum, si suffragium pro multis factum, tantum valeret singulis, ac si pro uno tantùm fieret, videtur quòd Ecclesia non debuit instituisse, ut pro aliquo singulariter Missa & oratio fieret, sed quòd semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis. Quod patet esse falsum.*

828 Illud etiam certum, multiplicique experientiâ comprobatum, quòd licèt hoc sacrificium valeat ex opere operato, nec valor intrinsecus ipsius vitietur per Ministrum malum; Sacerdos tamen bonus efficaciùs obtineat ea quæ per hujus sacrificii oblationem à Deo postulat, quàm quæ postulat Sacerdos malus, vel etiam bonus extra sacrificium. Unde consultius semper est adhibere Sacerdotes bonos & probatos ad celebrandum, sive in ordine ad impetranda beneficia, sive in ordine ad satisfaciendum pro pœnis debitis, quàm alios, qui non sunt integræ & probatæ vitæ. Quamvis enim ille, qui pro se curat sacrificium offerri, numquam ex toto privetur fructu satisfactionis, propter indignitatem offerentis: uberiorem tamen fructum recipit ex oblatione Sacerdotis melioris. Et hoc ideò, quia Deus utplurimùm requirit pium motum & devotionem offerentis ad uberiorem illum fructum conferendum. Unde experientia sæpè demonstravit, plus ad obtinendum uberem fructum valere sacrificium unius Sancti, v. g. Bernardi, quàm multa sacrificia plurium Sacerdotum longè minoris virtutis ac sanctitatis. Unde Alexander Papa cap. *ipsi* 1. q. 1. *Quantò* (inquit) *digniores sunt Sacerdotes, tantò facilius pro quibus clamant exaudiuntur.*

829 Tandem observa sextuplicem fructum sacrificii Missæ, utpote quod 1°. est *latreuticum*, quia per illud usque adeò laudatur & honoratur Deus, ut majorem laudem, seu honorem ipsi exhibere nequeamus, quàm immolando ipsi unigenitum Filium suum. 2°. est *Eucharisticum*, in quantum per illud Deo reddimus dignissimam gratiarum actionem, tum pro aliis beneficiis, tum maximè pro beneficio redemptionis. 3°. est *commemorativum* Dominicæ Passionis, incruentaque renovatio sacrificii crucis. 4°. est *propitiatorium*, quatenùs peccata, etiam mortalia, remittit quoad culpam: *hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata dimittit.* Tridentinum sess. 22. c. 2. 5°. est *satisfactorium*, in quantum remittit pœnas peccatis debitas, applicando satisfactionem cruenti sacrificii in cruce oblati. 6°. est *impetratorium*, quatenùs valet ad impetrandum bona spiritualia, & gratiæ auxilia, quibus justi à tentationibus præservantur, vel contra eas roborantur. Valet quoque ad impetranda vitæ temporalis subsidia, ejusque incommoda avertenda.

Fructus porrò propitiationis, satisfactionis, & 830
impetrationis est triplex; generalis, specialis, & medius. *Generalis* est, qui ex intentione Christi & Ecclesiæ ad omnes fideles extenditur. *Specialis*, qui provenit ipsi celebranti. *Medius*, qui ex applicatione, seu intentione & donatione Sacerdotis provenit illi, pro quo Sacerdos offert sacrificium.

Fructus illos sæpè reipsà ab invicem separari, 831
sive unum sine alio obvenire, nemo est qui dubitet. Si enim ille pro quo offertur, sit in peccato mortali, prodest illi quoad vim impetrandi, non quoad vim satisfaciendi: quia, nondum remissâ culpâ, non fit remissio pœnæ. Posse etiam separari per intentionem celebrantis, negat quidem Vasquez; sed Henriquez, Coninck, Cardinalis de Lugo, & alii communiter docent. Cùm enim separabiles sint ex natura rei, non est cur separari nequeant ex intentione Sacerdotis: neque enim ostendi potest Christum aliter disposuisse, vel instituisse.

Non licet tamen Sacerdoti fructus illos separa- 832
re, & unum uni, alterum alteri applicare, dum ex obligatione justitiæ, v. g. accepto stipendio celebrat pro aliquo. Quia hoc ipso quòd Sacrum alicui debitum est ex justitia, debiti sunt omnes fructus, quorum est capax. Vasquez to. 2. in 3. p. disp. 171. n. 36. Bonacina de Sacram. d. 4. q. ult. p. 7. §. 7. n. 5.

At (inquies) cur obligatus ex stipendio vel be- 833
neficio, celebrare pro defunctis, non satisfaceret ipsis applicando fructum satisfactionis, reservando sibi fructum impetrationis, cujus capaces non sunt defuncti?

Respondeo, quia verum non est animas defunctorum non esse capaces fructûs impetrationis. Cùm sacrificium pro ipsis oblatum valeat ipsis impetrare gratiam, quâ Deus excitet vivos, ut suis precibus & operibus satisfactoriis ipsis opem ferant. Gobat tr. 3. n. 154. contra Dianam p. 9. tr. 2. resol. 8.

Obligatum tamen ex sola obedientia ad cele- 834
brandum ad certum finem, v. g. propter successum alicujus negotii, vel in gratiarum actionem, Gobat n. 155. censet posse (v. g. ad liberandum animam è Purgatorio) applicare fructus, qui non cadunt sub finem intentum à Superiore, testaturque S. Franciscum Borgiam, Generalem Societatis, id rescripsisse anno 1564. Et rationem hanc affert, quia obligatio præcepti non extenditur ultra finem illius.

Et quia liberalis promissio sic interpretanda est, 835
ut sit promittenti quàm minimè onerosa, n. 156. addit obligatum ex liberali promissione ad celebrandum pro duobus, uno Sacro satisfacere posse utrique, saltem si finis, ob quem promisisti uni, differat à fine, ob quem promisisti alteri. Sed per hoc non videris sincerè satisfacere promissioni, sed promissarium utrumque decipere, qui fortè petierunt à te singuli fructum integrum, uti sacrificium integrum.

CAPUT LXX.

Ostenditur pro quibus sit vel non sit licitum offerre sacrificium.

IMprimis in Concilio Bracarensi secundo can. 836
16. prohibetur, ne pro iis qui violentam sibi

mortem intulerunt, ulla prorsùs in oblatione commemoratio fiat. Refertur cap. *placuit* 23. q. 5.

837 Hoc tamen sic intelligitur, ut prohibita sit commemoratio publicè facta in aliqua Collecta. Neque enim videtur prohibitum in privato *Memento* commendare aliquem ex illis sub conditione, si fortè ex inculpata amentia id fecerit, vel ante mortem verè pœnituerit.

838 Secundò pro excommunicatis non toleratis Missam celebrare prohibitum est cap. *à nobis* 2. de sent. excom.

839 Tertiò pro excommunicatis toleratis, Sotus, Avila, Petrus Ledesma, Covarruvias, Montesinus, Suarez, &c. negant sacrificium offerri posse. Sed Navarrus, aliique plures contrà sentiunt, fundantes se in praxi Ecclesiæ, quæ publicè pro illis orat in Parasceve. Saltem privato nomine suo Sacerdotem pro illorum conversione in Memento suo orare, & sacrificium, sicut alias orationes, privatim offerre posse, ex communi sententia Palao docet disp. un. p. 5.

840 Quartò pro infidelibus non excommunicatis, videlicet Paganis, Judæis, Turcis, aliisque infidelibus non baptizatis, licitum est sacrificium offerre, seu illis applicare vim impetrativam, quam habet, nomine Christi, ut ad fidem convertantur. Ita Bellarminus, Sylvius, Cardinalis de Lugo, Gonet, Wiggers, & alii communiùs, contra Sotum, Azorium, Vasquez, Palaum, &c. Cùm id de se licitum & laudabile sit, nec ullibi ab Ecclesia vetitum. Imò Judæi in lege veteri pro Gentilibus sacrificare soliti sunt, ut videre est 1. 1. Esdræ c. 6. pro salute Darii & filiorum ejus. L. 1. Machab. c. 12. pro Spartiatis. Ibidem l. 2. c. 3. pro Heliodoro. In nova verò lege 1. Timoth. 2. *Oportet* (inquit Apostolus) *fieri obsecrationes .... pro omnibus hominibus, pro Regibus, & qui in sublimitate sunt.* Qui tunc Gentiles erant. Quod de obsecrationibus in Missa, & oblatione sacrificii quoad fructum impetratorium, plures Patres Græci & Latini interpretantur, ut videre est apud Suarez disp. 78. sect. 2. concluf. 3. & Bellarminum lib. 2. de Missa c. 6.

841 Si objicias Augustinum l. 1. de anima & ejus origine c. 9. dicentem: *Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui sunt membra Christi?*

Respondeo 1°. cum S. Thoma in 4. dist. 12. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 4. *offerri pro membris Christi, quando offertur pro aliquibus, ut fiant membra Christi.* Sic enim habet: *Eucharistia, inquantum est sacrificium, habet effectum etiam in aliis pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantùm. Et ideò si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificii, à quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet; non sicut causa proxima* (quomodò ea delent Sacramenta) *sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat. Et quod in contrarium dicitur ex D. Augustino*, " quis offerat corpus Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi? " *intelligendum est pro membris Christi offerri, quando offertur pro aliquibus, ut sint membra.*

842 Respondeo 2°. Augustinum ibi loqui de infidelibus defunctis in infidelitate, & verum est generaliter de omnibus defunctis in peccato mortali, & de parvulis defunctis sine Baptismo, ut patet ex contextu: *Noli credere, nec docere, sacrificium Christianorum pro his qui non baptizati de corpore exierunt offerendum.*

CAPUT LXXI.

Intentio, quâ sacrificii Missa fructum applicat Sacerdos, non debet necessariò esse actualis, vel virtualis, dum celebrat, sed sufficit habitualis.

ID est sufficit quòd heri, vel ante aliquot dies, etiam multos, Sacerdos statuerit celebrare tot vel tales Missas pro tali vel tali v. g. ad intentionem Sacrificæ, etiamsi de eo posteà ampliùs non cogitet, dummodò intentionem illam non revocaverit. Ita Suarez, Coninck, Bonacina, Card. de Lugo, & Doctores communiter apud Dianam p. 11. tr. 6. resol. 39. contra Vasquez & Granadum. Quia ad fructum sacrificii applicandum non requiritur intentio respiciens sacrificium, vel sacrificii fructum, ut effectum in quem humano modo debeat influere (prout requiritur ad Sacramentum, vel sacrificium conficiendum) sed respiciens fructum sacrificii ut purum objectum, quod volò cedere in utilitatem talis vel talis, hocipso quo sacrificavero. Non est autem ratio cur ejusmodi voluntas, ante aliquot dies concepta, nec revocata, non moveat sufficienter Deum ad fructum sacrificii suo tempore concedendum ei cui per istam voluntatem fructum illum donavi. Reverà enim talis voluntas habet rationem donationis. Certum est autem valere donationem, hoc modo factam: *Dono tibi, Petre, fructus, quos fundus meus producet anno sequenti.* Vel hoc modo: *Volo ut lucrum proventurum ex futuris negotiationibus meis, cedat in utilitatem talis personæ, vel Ecclesiæ.* Certum est (inquam) talem voluntatem, etiam ante annum, vel annos conceptam, esse validam, sortirique effectum determinato tempore, tametsi renovata non fuerit, dummodò non fuerit revocata. Quod cùm certum sit, certa quoque videtur assertio nostra, utpote certo fundamento innixa. Nec certitudo ipsius eliditur per authoritatem Vasquez & Granadi in contrarium. Quia solidum pro se non habent fundamentum. 843

Non eliditur etiam ex hoc quòd talis intentio non sufficiat ad conficiendum Sacramentum, vel sacrificium, sed actualis vel virtualis necessaria sit. Est enim manifesta disparitas, quòd intentio, quâ conficitur Sacramentum, vel sacrificium, debeat humano modo in illud influere, atque adeò humano modo existere. Intentio verò, quâ sacrificii fructus applicatur, cùm non sit operativa sacrificii, nec fructus illius uti non debet humano modo influere in sacrificium, nec in fructum illius, humano modo existere non debet, sed sufficit quòd humano modo extiterit, per eamque, dum existeret, donatio fructûs sacrificii facta fuerit, nec donatio, seu voluntas quâ donatio facta est, revocata fuerit, prout constat exemplo donationis fructuum fundi, vel lucri futurarum negotiationum mearum, de quo proximè. 844

Hinc sequitur pro tota vita valere intentionem Religiosi, qui semel pro semper dixit, *volo, ut quotiescumque imposterùm celebravero, nec contrariam intentionem specialem expressè apposuero, Missæ à me celebrandæ ex nunc usque ad mortem sint ad intentionem Sacrificæ*, tametsi de nova applicatione, vel intentionis renovatione posteà non cogitet, modo non retractaverit. Nec reverà est cur aliquis hoc facto se inquietet, vel scrupulizet. Certum est enim applicationem habere rationem donationis. Hæc autem semel facta vim retinet, donec revocetur. Videri potest Card. de Lugo disp. 8. de Euchar. n. 93. Gobat tr. 3. de Euchar. n. 166. 167. Quamvis autem Lugo eâdem disp. 8. censeat sufficere, quòd intentio applicativa, seu donativa fructûs sacrificii formetur ante sumptionem; communis tamen & recepta sententia est, formandam esse ante consecrationem. 845

CAPUT LXXII.

Exhibentur Decreta S. Congregationis, authoritate Urbani VIII. edita, circa celebrationem Missarum.

846 CUm sæpè contingat, in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum esse celebrandum, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova Missarum onera in dies suscipi: S. Congregatio Card. Conc. Trid. interpretum, animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, si pro viribus satageret hunc teterrimum abusum à Christiana Republica convellere, Sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII. authoritate sibi specialiter attributâ infrascripta Decreta edidit.

847 Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, aut aliàs quomodocumque reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspectâ, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioqui reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas atque inanes decernit.

848 Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam sæcularibus quàm regularibus, sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

849 Id verò ut deinceps observetur exactiùs, sacra Congregatio, eâdem authoritate, revocat privilegia, & indulta omnia, quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularibus quàm regularibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

850 Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleëmosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleëmosynæ sibi retentâ, celebrandam committat.

851 Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis, eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam sæcularibus quàm regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinent, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant pecnes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimùm investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona deinceps authoritate Apostolicâ alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, ut suprà, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

Ad hæc sacra Congregatio, quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium quàm regularium, Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterùm onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii; regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentiâ in scriptis, & gratis concedendâ: alioquin sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ & passivæ absque alia declaratione incurrat. 852

Eleëmosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demùm iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleëmosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: *Eleëmosyna pro Missis*, vel aliâ simili, sub iisdem pœnis, ipso facto incurrendis, ne fideles hâc ratione frustrentur. 853

Episcopus verò, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, aut locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adjunctis, secundùm morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ: intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros, &c. 854

Postremò, Superiores existentes intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, computent in primo congregando Capitulo redditus Conventuum, eorumque summam ad sacram Congregationem mittant, ut, &c. 855

Declarationes aliquot sacræ Congregationis Concilii, S. D. N. Urbani Papæ VIII. authoritate editæ, super Decretis ejusdem Congregationis de celebratione Missarum.

SUper primo sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concil. Trid. imposita, aut in limine fundationis. Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderamine oneris, totum, sive ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis. 856

Secundò

857 Secundò, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, an intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario.

Tertiò, an cùm Ordinarius præscripserit eleëmosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minùs congruum, teneantur Missas ab offerente præscriptas celebrare.

858 Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellaniæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleëmosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere.

Quintò, posito quòd testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ absque ulla præscriptione eleëmosynæ. Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleëmosynam sibi benè visam præscribere, an verò eleëmosyna præscribenda sit ab Ordinario.

859 Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Quæritur an verba (*in futurum suscipiendis*) intelligenda sint de suscipiendis post privilegium.

Septimò, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, cum certa eleëmosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleëmosynæ sibi retentâ, celebrandam committat. Quæritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleëmosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium, inservientium, paramentorum, vini, luminum, hostiæ, & similium.

860 Octavò, an hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditnum beneficii.

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleëmosyna major solitâ pro celebranda Missa, dare debeant eamdem integram eleëmosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt.

861 Decimò, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: *eleëmosynas, & oblationes manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demùm iidem accipere possint, si omnibus antèà impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleëmosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant.* Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quominùs accipiant novas eleëmosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si longo tempore possint omnibus satisfacere?

862 Undecimò, quid si offerentes eleëmosynas, audito impedimento, consentiant, ut Sacerdos Missas celebret, cùm primùm poterit?

Duodecimò, an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleëmosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præscribitur.

Decimò tertiò, an in hoc Decreto comprehendantur ipsæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium defunctorum, & vulgò dicuntur: *Casse de morts.*

Decimò-quartò, an Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursûs, possint eleëmosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuatur.

Decimò-quintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum tam sæcularium, quàm regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tantùm comprehendi videntur sub clausula generali (*& alios ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione. 863

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum authoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributâ, ad singula dubia superiùs proposita, ad hunc modum respondit.

Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominùs pro dicta reductione oneris, ut suprà, impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit; verùmtamen si in ipsâ beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam. 864

Ad secundum, esse intelligendum de præscriptione facta ab eo, qui eleëmosynam tribuit, non autem ab Ordinario; quòd si tribuens eleëmosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ Patriæ, seu Provinciæ. 865

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellaniæ, legati, seu salarii, si eleëmosynas pro aliis etiam Missis susceperint, non posse eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere. 866

Ad quintum censuit, ubi nullam certam eleëmosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleëmosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ. 867

Ad sextum, ita esse intelligendum.

Ad septimum respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, vel loca pia, aut illorum Administratores ex eleëmosynis Missarum celebrandarum ullam uteunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas habent in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ, vel loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint; ac tunc, quam portionem retinebunt, nullatenùs valere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet Missarum sacrificio necessariò sunt subeundæ; nihilominùs, eo etiam casu, curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut suprà, deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerunt ab offerentibus eleëmosynam. 868

Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleëmosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit. 869

Ad nonum, debere absolutè integram eleëmosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad decimum respondit, non prohibere absolutè, & propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerunt, posse tamen denuò etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, modò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere. 870

Ad undecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen 871

tribuens eleëmosynam pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, ut illæ tunc celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominùs eo casu eleëmosyna suscipiatur, pro iisdem Missis, juxta Benefactoris consensum celebrandis.

872 Ad duodecimum, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum, sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis, aut Provincialis.

Ad decimum-tertium, comprehendi.

Ad decimum-quartum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleëmosynas tribuunt, ut suprà in responsione ad undecimum.

873 Ad decimum-quintum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini,

874 Episcopus Tragurienſis litteris petit.... decisionem ad infrascripta dubia....

875 Primò dubitat, an Sacerdotes habentes annuum stipendium, vel qui ex quotidianis eleëmosynis celebrant, possint duo stipendia recipere pro singulis Missis, ex quo singula stipendia non ascendunt ad quinque bajocos. *Unus bajocus valet unum crucigerum.*

Secundò, an habentes annuum stipendium pro celebratione Missarum, possint in die obitûs alicujus fidelis novam pitantiam recipere, exquo inveniri non possint Sacerdotes, qui non habeant annua stipendia, & videatur tacitus consensus dantis.

876 Tertiò, an Sacrista, qui tenetur alio celebrare titulo, & ex usu solet Missas anniversarias cantare, satisfaciat duobus titulis, attentâ tenuitate pitantiæ bajocorum duorum cum dimidio.

Quartò, an Sacerdotes, qui nullâ aliâ obligatione in Confraternitatibus, vel in Monasteriis Monialium celebrant, quàm pro ornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres, vel Moniales satisfaciant præcepto audiendi Missam, possint ultra stipendium quod recipiunt à Confraternitate, vel Monialibus, aliud stipendium recipere.

877 Quintò, an habens onus celebrandi certum Missarum numerum, juxta valorem fructuum, quos ex legatis piis percepit, teneatur statim post receptionem fructuum celebrare, an verò habeat totum annum ad satisfaciendum.

Sextò, an recipiens stipendium pro Missis S. Gregorii singulis annis ad exequendas defunctorum dispositiones, satisfacere teneatur statim atque receperit stipendium, an differre, quousque non labatur tempus à defuncto præfinitum.

Septimò, an recipiens stipendium celebrandi, quando ei visum fuerit, possit novam eleëmosynam recipere, etiamsi non satisfecerit priori obligationi.

878 Die nonâ Januarii, & sextâ Februarii 1627. sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, reductionem suprà petitam remittendam esse Episcopo, pro suo arbitrio & conscientia. Respondit autem ad primum, secundum, tertium & quartum non posse.

Ad quintum, teneri quamprimùm celebrare.

Ad sextum, posse differre ad tempus à testatore præscriptum.

879 Ad septimum denique censuit, etiamsi Sacerdotes oneribus susceptis non satisfecerint, posse nova onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

CAPUT LXXIII.

Varii casus resolvuntur circa Capellanias & Missas ex fundatione.

Casus primus.

880 Titius Capellaniam habens satis pinguem, ob amissas litteras fundationis, non habet claram & distinctam scientiam suæ obligationis, sed tantùm confusè scit se obligatum ad Missam perpetuam, idcòque aliquot Sacra negligit. Quæritur 1°. an teneatur ad Missam quotidianam? 2°. an obligatus ad Missam quotidianam, possit tutâ conscientiâ unam in hebdomada Missam omittere? 3°. an Capellanus, de quo in casu, teneatur ad compensationem Sacrorum neglectorum?

881 Ad 1. & 3. respondeo primò videndum quid egerint prædecessores Titii: si fuerint probi viri (quales in dubio præsumuntur cap. fin. de præsumpt.) si enim factum præsumitur ab eo qui erat obligatus facere. Mascardus de probat. conclus. 734.) præsumendi sunt obligationi satisfeciſſe.

882 Quia tamen potiùs judicandum secundùm consuetudinem, quæ commune est exemplum, quàm secundùm particulare exemplum unius alterius̃vè, videndum quæ in illo loco & regione vigeat consuetudo circa pingues ejusmodi Capellanias, & secundùm consuetudinem istam Titius procedere debet. L. *semper* 34. ff. de reg. jur. ubi: *Id sequamur quod in regione, in qua aliquid factum est, frequentatur.*

883 Si nec exemplum decessorum, nec loci consuetudo solvit dubium, Titius censere debet se obligatum ad Sacrum quotidianum, juxta regulam *inspicimus* de regulis juris in 6. *Inspicimus in obscuris quod plerùmque fieri solet.* Siquidem in particularibus Ecclesiis Christiani Orbis pingues Capellaniæ utplurimùm habent annexum onus Sacri quotidiani. Et ratio particularis est in casu præsenti, quia per Missam perpetuam communis fidelium sensus intelligit non menstruam, nec septimanariam, sed quotidianam. Nec certè perpetuò celebrare dicitur, qui non quotidie.

884 Tenetur proinde Titius ad compensationem, per alia utique Sacra, quæ curare debet per alium celebrari, pro numero Sacrorum neglectorum. Ad ea quippe obligatus ex justitia, manet obligatus, donec satisfecerit. Bonacina de Euchar. disp. 4. q. ult. p. 7. §. 1. & 2. & Doctores communiter.

885 Ad 2. respondeo, si in litteris fundationis non specificetur quòd Capellanus quotidie celebrare debeat, *per se, vel per alium*, sed præcisè ut *quotidie celebret*, Bonacina puncto 7. §. 2. n. 16. dicit usu receptum, ut Capellano (fundationem intelligendo *salvâ honestate*) liceat, non ob ambulationem, aliosvè fines profanos, sed ob honestatem & meliorem præparationem, semel in qualibet hebdomada abstinere à Sacro celebrando. Ita tamen ut, si uti nolit hoc beneficio, celebrare debeat in Capella sua, pro fundatione, non pro alio, etiam gratis. Imò nec pro seipso, nec pro cognatis suis & benefactoribus. Ita Doctores communiter, qui tamen hoc ultimum ipsi permittunt quinquies vel sexies in anno, Fundatoris intentionem benignè interpretando. Bonacina ibidem. Nimis verò larga est opinio permittens Capellano (cui ex honestate permittitur semel in hebdomada vacare, ut suprà) pro alio celebrare accepto stipendio. Cui certè opinioni (quam Thomas Hurtadus probabilem non benè putat, casu quo Sacerdos sit pauper) contrarius est communis sensus

omnium

omnium penè Doctorum, ut videre est apud Dianam p. 10. tr... resol. 37.

Casus secundus.

886 SEmpronius, ex beneficio obligatus ad quotidie, vel aliquoties in hebdomada celebrandum, laborat febri, vel aliâ ægritudine, ob quam nequit per se celebrare. Teneturne alium constituere, qui pro se celebret, vel ipse postea ex non debitis supplere?

Respondeo non teneri, si infirmitas brevi tempore duret, nisi Fundator aliter explicitè, vel implicitè statuerit (v. g. dicendo : *quater in hebdomada celebrabit*, *per se vel per alium.*) Bonacina ibidem q. ult. p. 1. n. 4. Gavantus in rubric. Missal. p. 3. tit. 12. n. 18. Layman tr. 5. c. 3. n. 7. Pax Jordanus, Episcopus Tragurienſis, volum. 1. elucubrat. lib. 4. n. 537. Quia licèt herus in rigore juris detrahere possit de mercede famuli, ob brevem infirmitatem aliquamdiù non inservientis; pius tamen & benignus herus non solet.

887 Per breve verò tempus laudati Authores intelligunt unum mensem, si cæteroquin diligens fuerit in officio suo. Favetque Concilium Mediolanense VII. tit. de Missis : *Si Capellanus saltem per annum integrum functus sit munere celebrandi in aliquo loco, si etiam per mensem ægrotet, adhuc integram eleëmosynam judicio Episcopi accipere potest.* Cardinalis verò de Lugo disp. 21. sect. 2. unum vel duos menses. Si tamen suâ culpâ, v. g. intemperantiâ, istam ægritudinem contraxerit, Pax Jordanus n. 537. ipsum obligat ad compensationem, ne ex culpa suæ feræ hoc commodum.

888 In casu verò longioris infirmitatis, alium substituere debet. Doctores communiter. Nisi (inquit Gobat) infirmo illi obtigisset tam tenue beneficium, ut omnes reditus expendendi forent in ejus sustentationem. Quia nec Fundatoris, nec Ecclesiæ voluntas est, panem subtrahere Ministro, cæteroquin fideli.

889 In casu etiam omissionis Sacrorum, non ex infirmitate, sed alia ex causa voluntaria, quàmlibet justa, v. g. quia patrem, multùm distantem, agonizantem invisit, compensare tenetur, nisi Episcopus dispensaverit. Bonacina, & Pax Jordanus ibidem contra Leandrum à compensatione excusantem eum qui omittit causâ itineris ad oblectationem suscepti. Secùs si ex causa involuntaria, v. g. quia injustè à militibus ejectus è Parochia. Layman loco citato. Quia rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit C. de constit.

Casus tertius.

890 TOrquatus tenetur singulis hebdomadis, ex fundatione, legere quinque Missas in tali Capella; sed ex fundatione non constat teneri applicare Missas illas Fundatori. Teneturne ei applicare?

Negat Marchinus apud Dianam p. 6. tr. 6. resol. 13. quia juxta L. *quidquid astringitur* ff. de verb. obligat. *obligatio non debet imponi, nisi palam verbis exprimatur.* Et *quod expressum non fuit, omissum esse intelligendum est : quia stipulatori liberum fuit verba clarè concipere.* Et *contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Sibi proinde Fundator imputare debet, si non explicaverit. Et, in dubio, præsumitur non voluisse. Si enim voluisset, utique expressisset.

891 Affirmandum nihilominùs cum Cardinale de Lugo disp. 21. n. 23. Barbosa de Paroch. p. 1. c. 11. Gavanto, Homobono apud Dianam p. 6. tr. 6. resol. 13. Bonacina q. ult. p. 7. §. 2. n. 13. & Doctoribus communiter, ipso teste. Quia ubi aliud non constat, præsumptio est pro Fundatore. Quisque enim in dubio præsumitur sibi optimè consulere voluisse. Atque ita habet praxis communis (inquit Gobat n. 496.) quæ profectò optima est fundationum, uti legum interpres. Unde Vasquez disput. 234. c. 4. n. 23. ait indubitatum esse, quòd Capellanias obtinentes teneantur pro Fundatoribus sacrificare. Et Alphonsus de Leone (apud Dianam p. 2. tr. 14. resol. 80.) cum Fraxinello & Homobono, tradit, quòd ubi ex claris verbis Fundatoris, aut circumstantiis personarum aliud non constat, præsumendum sit, quòd Sacrum fundatum non sit pro solo cultu Ecclesiæ, vel Capellæ, aut commoditate audiendi Sacrum, sed pro anima Fundatoris.

Caveat proinde Capellanus ejusmodi pro alio 892
celebrare, accepto stipendio. Maximè cùm id illicitum declaret S. Congregatio, approbante Urbano VIII. in Bulla *Cùm contingat*, his verbis: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu Capellaniæ, legati, seu salarii, si eleëmosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere.*

Casus quartus.

FRedericus tenuem nactus Capellaniam, olim 893
quidem pro ratione istius temporis satis bonam, sed nunc in valore diminutam, potestne pro ratione istius diminutionis, diminuere onera Sacrorum, &c. ?

Respondeo cum Bonacina non posse, donec Superior, ad quem spectat, debitè provideat. Quia magni abusus committerentur. si diminutio onerum arbitrio privatorum permitteretur : cùm esse soleamus cæci & nimis partiales in propria causa. Unde S. Congregatio suprà n. 847. ipsis etiam Episcopis diminutionem illam seu reductionem interdicit, sed ad Sedem Apostolicam recurri præcipit. Quod tamen (quoad Episcopos) extra Italiam usu receptum non esse Palao ex Garcia testatur tr. 22. p. 15.

CAPUT LXXIV.

Casus circa stipendia Missarum, & Missas ex stipendio.

Casus primus.

CAjus, Sacerdos scrupulosus, non modicùm 894
anxius est, sitne licitum pro Missa celebranda stipendium accipere : cùm hoc videatur simoniacum ; eò quòd stipendium esse videatur Missæ pretium.

Respondeo tamen esse licitum, non simoniacum, pro Missa celebranda stipendium accipere, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ. Ita S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. ad 4. ubi sic : *Dicendum quòd facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen Sacerdos non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio cantare Missam, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.* Cùm enim nullus militet stipendiis suis unquam (inquit Apostolus proximè referendus) qui spiritualia ministrat, jus habet exigendi temporalia, unde vitam sustentet, juxta illud Salvatoris Apostolos ad prædicandum mittentis Luc. 10. *In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* Et 1. Cor. 9. *Qui in sacrario operantur, quæ*

de sacrario sunt edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant. Et ita traditur in Concilio Agathensi c. 36. Et ratio est quia sicut dari, accipi & in pactum deduci potest quod justum est, ad comparandum necessaria ad sacrum ministerium exequendum, v. g. panem, vinum, luminaria, &c. ita & ad comparandum necessaria ad sustentationem Ministri; qui sicut celebrare nequit absque pane, vino, luminaribus, vestibus sacris, &c. ita nec absque seipso sustentato.

895 Nec à solo Sacerdote paupere, sed & à divite stipendium pro Missa accipi posse, plerique docent Recentiores, pro se allegantes S. Thomam. Alii tamen contrà sentiunt, ipsisque favet S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. quæstiunc. 1. ad 4. id solùm permittens, *si Sacerdos non habet alios sumptus.*

896 *Non potest tamen Sacerdos illâ intentione celebrare, ut ex hoc pecuniam consequatur. Quia peccaret mortaliter.* Verba sunt S. Thomæ Opusc. de Offic. Sacerd. Peccatum illud plurimorum Sacerdotum S. Bernardus in Psal. 90. deplorat his verbis: *Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis Officia, in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere; nec in his salus animarum, sed luxuria quæritur divitiarum. Propter hoc tonduntur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant.*

897 Nec potest Sacerdos exigere nisi justum stipendium, id est non plusquàm illud quod Episcopi determinatione, vel communi piorum, prudentumque virorum consuetudine taxatum est. Unde S. Congregatio anno 1625. sub obligatione peccati gravis & restitutionis onere prohibuit pro uno sacrificio integrum unius diei victum exigere, ut testatur Card. de Lugo disp. 21. n. 27.

Casus secundus.

898 Simeon, Sacerdos adeò egenus, ut non habeat quo vitam sustentet, nisi vivat de altari, accepit à pluribus diversa stipendia, iisque satisfecit unico sacrificio, nixus probabilitati sententiæ Cajetani, Melchioris Cani, Vasquez, Petri Navarræ, & aliorum, sacrificium Missæ esse infiniti valoris, tam extensivè, quàm intensivè, adeòque pluribus applicatum, æquè prodesse omnibus, ac singulis. 2°. aliâ adhuc viâ acceptis stipendiis duobus, à duabus personis, unicum quidem Sacrum pro utraque persona persolvit, sed sic ut uni applicaverit fructum specialem, alteri fructum medium. 3°. quando accipere non potuit pro singulis Sacris singula stipendia congrua, paupertate coactus, accepit incongrua, sed diminuit numerum Sacrorum ad rationem stipendii ordinarii. 4°. illis diebus, quibus non habebat stipendium pro Sacro suo, celebravit pro illo qui primus erat stipendium oblaturus; quo deinde accepto, anticipatâ illâ solutione credidit se satisfeciisse. 5°. subinde etiam, ultra stipendium quod accepit, more solito applicando fructum ordinarium, aliud accepit, applicando indulgentiam, eoque fine celebrando in altari privilegiato. Quæritur an rectè?

899 Ad primum respondeo id prorsus illicitum. Tum quia datâ probabilitate illius opinionis, equidem opinio ista valdè incerta est, & contraria, uti longè communior, ita & longè probabilior est. Ob ea quæ dixi n. 819. Atqui debito certo non satisfit solutione incertâ. Tum quia stipendium non conceditur in pretium fructûs sacrificii (sive ille finitus sit, sive infinitus, & æquè omnibus ac singulis proficuus) sed in sustentationem Sacerdotis; si ergo justum pro sua sustentatione stipendium ab uno accepit, immeritò ab alio pro eodem sacrificio sustentationem expostulat. Tum denique quia id omninò prohibet, & contrafacientes ad restitutionem obligat S. Congregatio suprà n. 848.

Ad 2. respondeo id etiam prorsus illicitum esse. 900
Ita Navarrus, Bonacina, Card. de Lugo, cum Doctoribus communiter, contra Thomam Hurtadum, Molfesium, Bordonum, Bartholomæum à S. Fausto, Peyrinum. Tum quia S. Congregatio n. 848. absolutè præcipit, tot Missas celebrari, quot stipendia sunt accepta. Tum quia nescimus quantus, & qualis sit fructus ille specialis, dubiumque & incertum est, an sit applicabilis. Cùm Sotus, Gabriel, Suarez, Bonacina, Possevinus eum censeant personalem, nec ullo argumento constet applicationem illius à Christo relictam esse Sacerdotis arbitrio. Incertâ verò solutione, ut antè dixi, non satisfit debito certo. Tum tertiò, quia hîc etiam recurrit altera ratio num. præcedenti allegata, quòd utique stipendium accipere non liceat pro applicatione fructûs, sed pro sustentatione, pro qua Sacerdos, unum dumtaxat Sacrum celebrans, justè non accipit plusquàm unum stipendium justum. Tum quartò, quia dans tibi stipendium, ut pro ipso celebres, justè à te deposcit omnem fructum inde provenientem, cujus est capax. Salvâ saltem honestate, quæ permittit alios etiam non accepto stipendio commendari. Pro qua commendatione stipendium accipere, turpis quæstus est avaritiam sapiens, si non simoniam. Cùmque hoc alienum sit ab Ecclesiæ consuetudine, censeri debet prohibitum per Tridentinum sess. 22. de Sacrif. Missæ Episcopis præcipiens, ut *cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur; necnon importunas atque illiberales eleëmosynarum exactiones, potiùs quam postulationes, aliasque hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè abjunt, omninò prohibeant.* Tum denique quia Alexander VII. damnavit opinionem illam Thomæ Hurtadi, &c. dum sequentem propositionem in terminis damnavit: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem.*

Ad 3. respondeo nec id esse licitum, uti etiam 901
S. Congregatio declaravit, dum declaravit Sacerdotes, *accipientes stipendium minùs congruum, teneri Missas ab offerente præscriptas celebrare.* Et ratio est, quia eo ipso quòd Sacerdos stipendium incongruum acceptavit, in se suscepit obligationem onerosæ promissionis celebrandi juxta mentem dantis, quæ est ut pro quoquo stipendio integra dicatur Missa, & ubi plura dantur, tot Missæ dicantur, quot dantur stipendia. Ideò enim plura stipendia dant, aliàs non daturi.

Nequis verò existimet, in casu acceptationis 902
(quæ haud dubiè rationem habet tacitæ promissionis) solùm esse obligationem fidelitatis ad tot Missas dicendas, quot stipendia (licèt incongrua) accepit. Obstat quòd obligatio, de qua in præsenti, non oriatur ex simplici promissione, sed ex onerosa, ex qua oritur obligatio justitiæ. Cui proinde non satisfacientes, manent obligati donec satisfecerint. Unde eadem S. Congregatio suprà n. 848. decernit, quòd *ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam sæcularibus quàm regularibus, S. Congregatio, sub obtestatione divini judicii, mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin*

ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Apertè ergo declarat graviter peccare contra justitiam.

903 Et quia nonnulli id sibi licitum existimabant, saltem in vim privilegiorum Mendicantibus concessorum, v.g. ex privilegio Julii II. quo Minimis concesserat, ut ob multitudinem Missarum in Conventibus repertam, Generalis ipsorum dispensare posset cum ipsis, ut dicendo septem vel novem Collectas, satisfacerent pro tot Missis, istam etiam viam S. Congregatio præclusit, addendo: *Id verò ut deinceps observetur exactius, S. Congregatio eâdem authoritate* (utique Urbani VIII. sibi specialiter attributâ) *revocat privilegia, & indulta omnia, quibuscumque personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularibus quàm regularibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

904 Unde audiendus non est Peyrinus de privileg. to. 3. c. 1. n. 26. adhuc post illud Decretum ausus sustinere, quòd Sacerdos, qui pro pluribus Missis plura stipendia, sed incongrua, accepit, si aliud expressè non promiserit, omninò voluntariè, & non coactus paupertate (quia utique congruentia stipendia non poterat invenire) possit Missas reducere ad rationem justi stipendii, ut se indemnem servet. Laudatum verò Decretum restringit ad casum, quo expressè & omninò voluntariè, non coactus paupertate, Sacerdos promisisset se tot Missas dicturum, & integrè applicaturum, quot stipendia accepisset. Quod etiam post idem Decretum Marcus Vidal docere non dubitavit de Justitia Inquisit. 2. citans Suarem, Tamburinum & alios, quorum sententiam Palao p. 14. n. 6. probabilem censet. Sed nec probabilis est, nec in praxi secura, ut ex Decreto illo constat. Quod Authores illi perperàm intelligunt restrictè, cùm sub obtestatione divini judicii, & restitutionis onere, sine ulla restrictione præcipiat, *ut absolutè tot Missæ celebrentur*, &c. Non dicit: tot celebrentur, siquis expressè & sine cogente paupertate promiserit tot celebrare, sed *absolutè*, id est sine ulla restrictione, *tot celebrentur*, &c. *quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint*, utique ab eo qui *eleëmosynam tribuit*, prout infrà explicat.

905 At (inquis) *qui non facit id ad quod tenetur* (quod profectò non facit dans incongruum stipendium) *non debet consequi id ad quod ei aliquis tenetur. L. quæro §. interlocantium* ff. de locat.

Respondeo: non deberet id consequi, nisi sub eo onere incongruum stipendium ipsius acceptasses. Sed obligationem tibi voluntariè imposuisti, dum acceptasti. Tibi proinde imputare debes quòd tenearis. Neque enim involuntariè acceptasti; neque enim ad acceptandum ipse te coëgit; sed paupertas tua, in quam ipse te non conjecit, sed Deus. Igitur nihil tibi ipse fecit, quo te cogeret, sed liberum tibi reliquit acceptare vel non acceptare. Liberè ergo & voluntariè promisisti Sacrum sub isto onere, licèt incongruo. Quod si non acceptasses, fortè alii non defuissent qui eo stipendio contenti Sacrum libenter celebrassent. Quidquid sit, jus divinum & humanum violare non debes, ut habeas unde vivas. Violando verò promissionem tuam onerosam, violas justitiam, atque adeò jus divinum. Violas item jus humanum, dum facis contra allatum Urbani VIII. Decretum.

906 Nec magis audiendus est Vidal loco citato, aiens (cum Aversa & Bordono à se relatis) quòd etiam hodie quilibet Superior Regularis Missarum numerum minuere possit ad rationem stipendii ordinarii, modò voluntariè & sponte non acceptarit numerum illum cum incongruo stipendio. Decretum enim S. Congregationis solùm procedere dicit pro casu voluntariæ & spontaneæ acceptationis istius numeri cum incongruo illo stipendio. Extra quem casum nullus præsumitur habuisse intentionem obligandi se ad tantum numerum, nisi justo stipendio persoluto.

Neque enim id probabiliter asseritur post De- 907
cretum, utpote quod procedere in casu, quem Vidal excipit, inde perspicuum est, quòd potestatem minuendi onera Missarum, inconsultâ Sede Apostolicâ, vel ipsis Episcopis & Generalibus sustulit, etiamsi *legatum sit ita tenue, ut nullus sit qui velit onus illi injunctum subire.* Quia equidem noluit ut quilibet Sacerdos vel Superior Missarum reductionem ad justum stipendium facere posset, inconsultâ Sede Apostolicâ, ob rationem n. 890. allatam. Vel itaque eleëmosyna pro tanto Missarum numero præscripta est de novo, vel legata ab antiquo? Si præscripta de novo, & nolis tantum Missarum numerum acceptare pro eleëmosyna incongrua, noli eleëmosynam acceptare, si nolis numerum præscriptum implere. Si legata ab antiquo, & olim acceptata: igitur minuere non potes propriâ authoritate. Si nondum acceptata, recusa legatum, si adimplere nolis conditionem legato præscriptam. Ita optimè sapientissimus P. noster Lezana verbo *Missa.*

Ad 4. respondeo hanc praxim à Clemente VIII. 908
& Paulo V. damnatam esse, ut *periculosam, fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam*, &c. prout testatur Gavantus citatâ p. 3. tit. 12. n. 16. Ascanius, Tamburinus de jure Abbatum to. 2. disp. 4. q. 9. n. 21. Leander q. 19. Ubi propterea meritò dicit praxim illam certissimè esse illicitam. Opinionem verò ei patrocinantem ab Authoribus eam docentibus expurgari jussit S. Inquisitio in expurgatorio generali.

Ad 5. respondeo improbabilem esse opinionem 909
Gordoni, id permittentis apud Lezanam. Non solùm quia est contra Decretum S. Congregationis sæpè relatum; verùm & quia est contra communem sensum fidelium, & quia vel ipse Diana p. 11. tr. 8. resol. 77. (licèt in tot aliis tam benignus) hîc tamen rectè monet, absolutè eliminandas esse ab Ecclesia Dei nundinationes illas cum sanguine Christi. Quid est enim nundinare cum sanguine Christi, si hoc non est? Cùm sit accipere aliud & aliud stipendium, non secundùm Ecclesiæ consuetudinem pro sustentatione, sed ultra id quod secundùm Ecclesiæ consuetudinem debetur pro sustentatione, pro alia & alia hinc fructûs sacrificii, inde indulgentiæ applicatione. Quasi hoc non sit accipere quasi pretium duplicis istius applicationis, palliatum solo colore sustentationis, cujus certè portio duplex ipsi non debetur titulo duplicis illius applicationis, nisi tot Missas celebret, quot stipendia accipit.

Casus tertius.

Quintilianus Sacerdos, ex stipendio, vel be- 910
neficio obligatus celebrare Missam in altari privilegiato, cùm sibi non vacaret ibi celebrare, celebravit alibi cùm numismate, vel calculo privilegiato. Quæritur an satisfecerit?

Affirmant Pasqualigus decis. mor. decis. 427. & Marchinus apud Dianam p. 6. tr. 6. resol. 12. Quia licèt materialiter non impleat voluntatem testatoris, implet formaliter per æquipollens. Nihil autem refert quid ex æquipollentibus fiat L. fin. §. fin. ff. mandati. Sed vidi Bullam Urbani VIII. in contrarium datam anno....

Respondeo ergo negativè cum Gavanto, Fra- 911

ximello, Bonacina, Navarro, Azorio, Cardinali de Lugo, & Doctoribus communiter, teste Pellizario de Miss. stipend. c. 9. sect. 3. n. 80. & ita determinatum fuit in casibus Bononiæ discussis anno 1634. casu 1. fol. 9. Et ratio est quia indulgentia applicata altari privilegiato, regulariter esse solet magis authentica & secura, quàm quæ applicantur alicui calculo vel numismati benedicto. Et sic indulgentia numismatis non est æquipollens quoad certitudinem & securitatem. Maximè cùm abusus & deceptiones frequenter irrepant in usu istorum numismatum, idque tum quia frequenter transeunt de manu in manum, sive per donationem, sive per commodationem; cùm tamen indulgentia ex declaratione Alexandri VII. sic transire nequeat. Tum quia Officiarii Romani, ob postulantium Romipetarum importunitatem, non raro faciliores sunt in similibus indulgentiis concedendis, seu applicandis, absque sufficienti examine, num applicandi causa sit sufficiens, prout Romæ expertus sum, dum ipsemet unus aliquando fui ex illis importunis.

Casus quartus.

912 Rodericus, accepto pinguiore stipendio, pro centum Missis celebrandis, illas alteri Sacerdoti exonerandas committit, dato illi stipendio ordinario, retentâ sibi parte excedente. Quæritur an licitè?

Affirmant Palao puncto 14. n. 9. referens Suarez, Vasquez, & alios.

913 Sed omninò negandum. Quia id fieri non posse S. Congregatio sub Urbano VIII. declaravit, & laudatorum Authorum opinionem Alexander VII. damnavit, dum damnavit hanc propositionem nonam: *Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.* Quam cùm Alexander VII. damnaverit relativè ad dictam declarationem, damnavit eam intellectam in sensu illius, ac proinde etiam pro casu quo alteri daretur stipendium justum.

914 Allatam tamen S. Congregationis declarationem Card. de Lugo, noster Lezana, aliique gravissimi Doctores censent non procedere, dum alter, in quem transfers onus pro te legendi illa Sacra, omninò spontaneè condonat excessum stipendii, non verò coactus necessitate vel metu. Quemadmodum enim S. Congregatio non prohibet ne unus pro alio omninò spontaneè celebret, relicto ipsi amicabiliter toto stipendio; ita nec prohibet ne omninò spontaneè pro ipso celebret, relictâ ipsi amicabiliter parte stipendii.

915 Dicta etiam declaratio non habet locum in beneficiatis: neque enim Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, tenetur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditus beneficii; sed *satis est ut tribuat Sacerdoti celebranti eleëmosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit*, prout eadem S. Congregatio hisce formalibus terminis declaravit.

Casus quintus.

916 Cosmus, ex stipendio vel beneficio solùm obligatus celebrare tali die, vel tali loco pro cultu Ecclesiæ, vel populi, seu petentium commoditate, aliud stipendium accipit à petente sibi applicari fructum sacrificii. Quæritur an rectè?

Negat Gavantus ubi suprà n. 5. & Gavanto subscribunt Barbosa, Bonacina, & alii propter Decretum S. Congregationis sæpè relatum.

917 Sed Decretum istud procedere non videtur in casu quo constat Cosmum non teneri ad Missam applicandam seu fundatori beneficii, seu datori stipendii. In eo proinde casu posse aliud stipendium accipere à petente sibi applicari Missam, docent Suarez, Vasquez, Card. de Lugo, Lezana, Neosen, &c. Tum quia cùm Sacerdos unâ Missâ tunc diversis diversa præstet servitia disparata, atque in se disparatas suscipiat obligationes, non est cur aliquid à singulis pro sustentatione sua accipere nequeat. Tum quia sic consuetudine receptum est in Belgio, & in Germania. Tum quia S. Congregatio anno 1630. censuit, quòd quando in fundatione Capellæ expressè cautum est, celebrantem non teneri ad Missam fundatori applicandam, Capellanus novum stipendium accipere possit ab eo qui petit eam sibi applicari, tuncque unâ Missâ utrique satisfaciat obligationi.

Casus sextus.

DAmianus ex stipendio vel beneficio obligatus 918
legere Missam, v. g. de Spiritu sancto, de beata, &c. legit Missam currentem; vel obligatus legere Missam in tali loco, Ecclesia, vel Capella, legit alibi; vel obligatus legere Missam certo die, legit alio die. An licitè?

Ad 1. respondeo affirmativè cum Navarro, Azorio, Suarez, Barbosa, Miranda, &c. contra Zerolam, Thomam Hurtadum, &c. Nisi specialis promissio intervenerit (quæ servanda est, cùm non obstant rubricæ Missalis) vel nisi celebrandum sit in altari privilegiato, à Sacerdote non habente indultum Missæ privilegiatæ, nisi celebret Missam defunctorum in altari specialiter privilegiato. Quamvis enim Mendo apud Dianam p. 11. tr. 8. resol. 20. censeat per Missam defunctorum à Pontificibus intelligi Missam applicatam defunctis, aliud sonant voces istæ, *Missa defunctorum*: Bulla autem tantum valet quantum sonat. Et S. Congregatio Rituum in una... 1. Junii 1601. & in una Toletana 13. Junii 1601. declaravit quòd *Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis non suffragatur, neque indulto satisfit, nisi sit de requiem, licèt in indulto non exprimatur.* Denique saltem glossa ista incerta est. Incerta proinde solutio in ea fundata. Incertâ verò solutione minimè satisfit debito certo.

Extra hos & similes casus, probatur responsio 919
nostra: quia dum fundator, vel dans stipendium, requirit Missam specialem, id intelligendum est civili modò, nisi Ecclesiæ ritus aliud postulet, maximè cùm nulla Missa salubrior sit, quàm ritui Ecclesiæ conformis. Per consequens hoc non est contra veram intentionem fundatoris, vel stipendium dantis, sed contra erroneam ad summum, quâ putat Missam currentem minùs proficuam. Unde in rei veritate non censetur invitus.

Ad 2. respondeo cum Navarro & Doctoribus 920
communiter, graviter peccare, si absque justa causa, vel dispensatione sæpiùs id faciat. Quia in re gravi defraudat fundatorem, qui suâ illâ ordinatione intendit specialem alicujus imaginis, Ecclesiæ, vel Capellæ cultum, populi devotionem, vel commoditatem, vel memoriam familiæ suæ, ad quam Capella illa pertinet, &c.

Si tamen justa causa non permittat ibi celebra- 921
re, quia v. g. Ecclesiæ violatio, vel aquarum inundatio non permittit, potest alibi celebrare, nec tenetur supplere.

Et idem est si Episcopus justa de causa dispen- 922
saverit, v. g. ratione studii academici, ideòque permiserit alibi satisfacere (non est enim dubium quin Episcopus id possit.) Quia tunc voluntas fundatoris, solùm in aliquo accidente omittitur, & altiori bono compensatur. Barbosa 2. p. de potest. Episc. allegat. 24. n. 36.

923 Si etiam rarò alibi celebret, absque justa causa & dispensatione, solùm venialiter peccabit, ob materiæ parvitatem. Imò ne venialiter quidem, si rarò id faciat cum causa rationabili. Quia voluntas fundatoris patitur hanc rationabilem epikeiam. Card. de Lugo disp. 21. sect. 2. n. 36.

924 Ad 3. respondeo id non esse licitum, si fundator certum diem designaverit, ratione festivitatis, vel mysterii. Secùs si sine mysterio. Ita Card. de Lugo, Dicastillo, & noster Franciscus à Jesu Maria tr. 5. de Miss. c. 5. p. 2. n. 30. addentes non facilè quemquam peccati mortalis arguendum in istius designationis omissione. Cùm materia de se sit parva, præsertim si cum causa & non sæpè fiat.

Casus septimus.

925 DAndinus unum dumtaxat Sacrum omittit, ad quod tenetur ex stipendio, peccatne mortaliter?

Negant Sanchez, Palao, Fagundez, Pellizarius, Herinx, & noster Franciscus à Jesu Maria ubi suprà n. 19.

926 Respondeo tamen affirmativè cum Magistro meo Bonæ-spei, nostro Stephano à S. Paulo, Bonacina, Mastrio disp. 19. de ordine q. 5. n. 80. & (ipso teste) Doctoribus communiter. Quia fraudare proximum re notabili, ipsi ex justitia debita, grave peccatum est, sive interim ipsi debita sit pro magno, sive pro parvo stipendio; tametsi enim pecuniæ damnum non sit grave, in genere damni temporalis; privatio fructûs sacrificii sine dubio grave damnum est, in genere damni spiritualis.

Casus octavus

927 FAbianus, honestus Sacerdos, veritus ne, si oblatam negligeret occasionem, sibi in futurum deessent stipendia Sacrorum, ex quibus vivit, tanto se Sacrorum numero oneravit, ut iis modico tempore satisfacere nequiverit. Graviterne peccavit?

Respondeo cum omnibus Doctoribus certum esse quòd sic. Quia graviter peccat qui est notabiliter in mora satisfaciendi debito justitiæ, cui tenebatur intra modicum tempus satisfacere. Atqui ad hoc tenebatur Fabianus. Hoc enim regulariter intendunt, hocque postulant qui stipendium dant. Et ideò S. Congregatio in laudato Decreto decernit & prohibet, ne accipiantur eleëmosynæ pro Missis, nisi satisfactum sit oneribus antè susceptis, vel (ut in declarationibus ejusdem Decreti S. Congregatio explicat) nisi infra modicum tempus omnibus satisfieri possit. Nisi dans eleëmosynam, sciens non posse citò satisfieri, in longiorem procrastinationem consentiat. Neque enim dubium ex consensu partis, Missas quantumcumque differri posse: quia scienti & consentienti non fit injuria.

928 Quodnam autem modicum tempus in hac materia censeatur, variant opiniones. Rota in una Bononiensi assignat unum mensem. Ledesma, Villalobos, noster Lezana, Card. de Lugo, Garcia 50. vel 60. dies, Joannes Pontius 70. dies, Leander q. 8. tres menses, Arriaga sex menses, ita ut quilibet Sacerdos sitnul se onerare posset tot Missis, quot tanto tempore dicere posset. Longè exorbitantior est opinio Peyrini ad Constitut. 9. Urbani VIII. ubi modicum tempus esse censet spatium trium annorum. Quam opinionem, tamquam improbabilem, meritò rejiciunt Diana p. 9. tr. 6. resol. 55. atque è nostris Gabriel à sancto Vincentio, Antonius à sancto Spiritu, & ipsos referens Franciscus à Jesu Maria loco citato n. 57. in fine.

Melius ergo id prudentis arbitrio judicandum 929
relinquitur, spectato fine, ad quem impetrandum Missæ postulantur. Ut enim sapienter advertit Mastrius ubi suprà n. 81. (post Aversam) finis potest quandoque esse ita urgens, ut etiam unius diei dilatio sit mortalis, ut siquis hoc manè Missam petat pro lite eâdem die decidenda, pro infirmo agonizante, vel periclitante, & similibus, ita ut (præter gravem culpam) Sacerdos ob nimiam dilationem, teneretur restituere stipendium, transactâ jam indigentiâ Missæ. Si verò in solatium & liberationem animarum Purgatorii Missæ fuerint petitæ, videat Peyrinus an in mediis ignibus tam terribilibus existens ad annos tres differri vellet Missas, quibus fortè citò liberaretur. Videat Arriaga, an ad medium annum, &c. At (inquis) Sacerdos est pauper. At (inquam ego) longè pauperior anima seipsam juvare non valens in tanta miseria.

Casus nonus.

LAmpridius, Prior Monasterii Regularis, per 930
se, vel per Sacristam, applicavit Missam Maxentii Sacerdotis, subditi sui, Titio: sed Maxentius applicavit Cajo. Valetne applicatio subditi, an Superioris?

Leander disp. 4. q. 18. valere dicit applicationem Superioris, non subditi, in illo casu. Quia Superior irritas reddere potest voluntates inferiorum suorum, circa Missæ applicationem; sicut irrita reddere potest vota & juramenta ipsorum, præter substantialia. Ita ille, referens Scotum, Gabrielem, Cordubam, Rodriguez, Martinum Ledesmam, Gavantum, aliosque non paucos.

Respondeo nihilominus valere applicationem 931
inferioris, non Superioris; tametsi inferior peccet, agendo contra præceptum Superioris. Ita Sylvester, Angelus, Vasquez, Suarez, Coninck, Layman, Villalobos, Bonæ-spei, Card. de Lugo, Franciscus de Lugo, Portelius, &c. Quia applicatio Missæ est actus sacerdotalis Ordinis (ut colligitur ex forma ordinationis sacerdotalis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis.*) Actus verò sacerdotalis Ordinis irritari nequit à Superiore: cùm facultas ad istos actus sit immediatè à Christo, ita ut ne Papa quidem impedire queat, ne Sacerdos v. g. validè consecret.

CAPUT LXXV.

Episcopi in Synodo Diœcesanâ, Abbates & Generales Ordinum in suis Capitulis generalibus (secundum Tridentinum sess. 25. c. 4. de reform.) ad minorem numerum reducere poterant Missas, quarum eleëmosyna adeò tenuis est, ut non facilè inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere. Verùm hanc ipsis facultatem sustulit S. Congregatio Concilii sæpiùs citata, quoad onera Missarum post Tridentinum, vel in limine fundationis imposita.

PAtet ex verbis S. Congregationis n. 847. & 932
864. relatis. Quæ quia nihil innovant circa legata ante Tridentinum relicta, & onera in limine fundationis imposita, circa hæc manet Episcopis & Generalibus potestas ipsis à Tridentino concessa. Imò plures contestantur, Decretum illud S. Congregationis, quoad Episcopos, non esse in viridi observantia; authoritatem namque sibi à jure communi concessam, nec per Tridentinum sublatam, Episcopi retinuerunt, nec Decretum illud usu receperunt, ut ex Garcia Palao testatur tr. 22. p. 15. n. 4. Nec solùm reducunt ad

minorem numerum Missas ante Tridentinum, sed & post illud impositas, sive in ipsa fundatione beneficii præscriptæ fuerint, sive non; nec solùm in Synodo Diœcesana, uti Tridentinum concedit, sed & extra illam. Sic enim habet usus in Belgio, Germania, &c. Videri possunt Naldus in Summa verbo *Missa* n. 9. Possevinus de offic. Curat. c. 2. q. 9. n. 25. Garcias de benefic. to. 2. p. 7. c.. n. 131. Cobat n. 589. & 591.

CAPUT LXXVI.

Quilibet Sacerdos, etiam curam animarum non habens, neque ex stipendio obligatus, ratione muneris sacerdotalis per se loquendo tenetur sub gravi culpa aliquoties in anno Missam celebrare.

933 ITa S. Thomas q. 82. a. 10. Durandus, D. Antoninus, Major, Sylvester, Angelus, Toletus, Vivaldus, & Doctores communiter. Christus namque his verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, teste Tridentino sess. 22. c. 1. *Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio, ut offerrent præcepit, uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit.* Et juxta Apostolum Sacerdoti ex vi sui muneris incumbit onus intercedendi apud Deum pro populo, & offerendi dona & sacrificia pro peccatis. Unde Innocentius III. inter alia vitia Ecclesiasticorum cap. *dolentes* de celebr. Miss. hoc recensет, *sunt & alii, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno.* In fine autem addit: *hæc igitur & similia sub pœna suspensionis inhibemus.* Enimverò Sacerdos (ut Venerabilis Beda ait in c. 2. Act. Apost.) *non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidio & gratiâ, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & seipsum medicinâ & remedio.*

934 Denique Tridentinum sess. 23. c. 14. *Curet* (inquit) *Episcopus ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & festis solemnioribus; si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Cui Decreto inhærens Concilium Mediolanense I. sic habet: *Tridentini Concilii authoritatem secuti, præcipimus Sacerdotibus cujuscumque gradûs, conditionis & dignitatis illi sint, ut Dominicis & festis diebus Missam celebrare non omittant.* Porrò dum ipsis præcipitur, sive singulis Dominicis ac festis, sive quotidie celebrare, eo ipso præcipitur dispositionem ad id necessariam procurare, ne corpus & sanguinem Christi otiosè & absque debita præparatione edentes, judicium sibi manducent.

935 Quoad Parochos, curam animarum habentes, non est dubium teneri *per se*, vel per alium, celebrare omnibus diebus, quibus subditi tenentur audire Sacrum. Id enim constat ex Trid. sess. 23. c. 14. necnon ex eo quòd ad id teneantur ex officio.

936 Ipsos etiam teneri ad quandoque celebrandum pro ovibus, ipsisque applicandum fructum sacrificii sui, Tridentinum declarat ibidem c. 1. aiens, *quòd præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre*, &c. Quia tamen nec divino, nec Ecclesiastico præcepto determinatum est, quoties & quibus diebus ad id teneantur, prudentis arbitrio id determinandum relinquitur. Ad id solemnioribus saltem diebus teneri valdè probabile est.

CAPUT LXXVII.

Omni die, præterquàm Paraſceves, celebrare licet, sed non omni horâ. Nec pluſquàm ſemel in die, excepto die Nativitatis Domini.

DIe Paraſceves celebrare prohibetur can. *ſabbatho* de Conſecr. diſt. 3. qui canon idipſum etiam vetat in ſabbatho ſancto. Sed quoad hunc diem Sotus, Suarez, Granadus, Palao & alii contrariâ conſuetudine ei derogatum putant, ab eo tempore, quo Miſſa ſolemnis, olim nocte Reſurrectionis celebrari ſolita, cœpit ipſo ſabbatho celebrari ante meridiem. Alii tamen cum Gavanto, Navarro & Azorio exiſtimant non eſſe licitum ſabbatho ſancto Miſſas privatas celebrare. 937

Laïcis etiam in die Paraſceves communicare non permittunt Miſſalis rubricæ, nec uſus Eccleſiæ Romanæ, ut rectè Gavantus & Barboſa. Non benè proinde Leander q. 24. cum aliis negat id Laïcis vetitum. Siquidem Innocentius XI. in Decreto circa Communionem quotidianam, jubet, ut Epiſcopi, Parochi, & Confeſſarii *curent ut circa Communionem in feria ſexta Paraſceves, Miſſalis rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur*, Leandrique opinionem improbavit S. Congregatio Rituum 19. Februarii 1622. 938

Fas autem non eſſe regulariter celebrare pluſquàm ſemel in die, excepto die Natalis Domini, conſtat ex cap. *ſufficit* de Conſecrat. diſt. 1. & cap. *conſuluiſti* de celebr. Miſſ. In die verò Natalis Domini cuique Sacerdoti permittitur, ſed non præcipitur tres Miſſas facere, nec præcipitur tres audire. Doctores communiter contra Henriquez. Eo die etiam tres Miſſas ante auroram dicere uſus permittit, pluresque Doctores probant apud Leandrum q. 38. licèt alii improbent. 939

Dixi regulariter non eſſe licitum celebrare pluſquàm ſemel in die. Quia Innocentius III. citato capite *conſuluiſti* excipit caſum neceſſitatis. Ut primò, ſi æger alioqui moriturus ſit abſque Viatico. Doctores communiter contra Vaſquez. Secundò, ſi Parochus duabus Parochiis ſatisfacere debeat, & non ſit alius qui in alia Parochia ſuppleat vices ipſius. Ita omnes. Eſt enim aperta neceſſitas. Idem poſſe alium Sacerdotem, abſente vel infirmante Parocho, cum aliis docet Dicaſtillus hîc dub. 3. n. 39. 940

Quia tamen ob ſolam neceſſitatem id permittitur, & neceſſitas non urget, niſi die Dominico vel feſto, diebus ferialibus id licitum non eſſe cenſeo cum Nugno, contra Suarez, Card. de Lugo, Dianam & alios. Et ita conſuetudo obſervat in Belgio noſtro. Sicubi tamen ferialibus diebus id facere conſuetudo permittat, illi ſtandum, ut benè Petrus Ledeſma de Sacram. Euchar. cap. 19. concluſ. 6. In locis etiam ubi licentiam Epiſcopi conſuetudo requirit, ad binandum, ratione duarum Parochiarum, conſuetudo ſervanda eſt. Tametſi Diana p. 11. tr. 5. reſol. 33. cenſeat hoc ipſo quòd quis duabus Parochiis eſt à Superiore præfectus, approbari neceſſitatem bis in die celebrandi; imò celebrandi ter, ſi tribus Parochiis præfectus eſſet. 941

Nec iſtâ liberalitate contentus Gobat n. 189. 942 cenſet, Parochum, qui duabus Parochiis præfectus conſuevit, cum Epiſcopi facultate, ſingulis Dominicis ac feſtis ſemel in quaque Parochia celebrare, poſſe in die Natalis Domini celebrare bis, imò ter, ſicque ſexies unâ die. Sed hoc conſuetudo non admittit: cùm ipſemet fateatur hoc inauditum hac ætate.

Tertium caſum neceſſitatis aſſignant nonnulli, 943 cùm advenientes peregrini alioqui non poſſent die feſto

festo Sacrum audire. Et quartum, dum Episcopus, vel aliquis generis illustris supervenies, Sacrum audire desiderat. Et quintum, dum repentè post dictam Missam corpus defuncti occurrit sepeliendum. Sed tres hosce casus, utpote moribus nostris, hodiernæque consuetudini repugnantes, meritò refellit Vasquez disp. 232.

CAPUT LXXVIII.

Seclusâ particulari consuetudine, vel privilegio, regulariter celebrare non licet ante auroram, nec post meridiem.

944 ITa S. Thomas q. 83. a. 2. D. Antoninus, Gabriel, Sylvester & Doctores communiter. Quia id non permittit Ecclesiæ consuetudo, nec rubrica Missalis, utpote quæ §. 15. n. 1. dicit, quâcumque horâ post auroram, & ante meridiem, posse Missam privatam dici. Ubi per auroram communis Doctorum sensus intelligit primum dici crepusculum, seu primum vestigium adventantis dici: neque aurora hîc accipienda est mathematicè, sed moraliter, ita ut parum ante auroram pro nihilo reputetur. Unde Suarez disp. 80. sect. 6. Dicastillo disp. 4. dub. 4. n. 55. nullum scrupulum movendum aiunt, si quis Sacrum finiat duabus horis ante ortum solis. Verùm quoad similia attendenda est cujusque regionis consuetudo. Quæ in Belgio, aliisque partibus Septentrionalibus (in quibus dies hyemales brevissimi sunt) permittit, etiam sæcularibus, hyeme celebrare multis horis ante ortum solis. Necsen tr. 4. dub. 14. Coninck q. 83. a. 2. dub. 4.

945 Regulares etiam ex variis privilegiis ante Tridentinum celebrare poterant ante auroram, imò duabus horis post mediam noctem. Sed hæc revocata videntur per Tridentinum sess. 22. & per Pium V. in Bulla quam refert Naldus verbo *Missa* n. 30. Unde S. Congregatio apud nostrum Lezanam to. 1. c. 21. n. 2. sic habet: *Ante diem, & horis indebitis, celebrare non licet, etiam vigore privilegiorum ante Tridentinum concessorum.*

946 Diana quidem p. 10. tr. 12. resol. 25. & apud ipsum Cardinalis de Lugo, Caspensis, Dicastillus, Leander, & alii dicta privilegia negant revocata per Tridentinum, ac per consequens per Pium V. quia Tridentinum solùm revocavit privilegia celebrandi horis indebitis, quales non sunt horæ per privilegia Apostolica concessæ. Sed contrà est, quòd eo ipso revocet privilegia celebrandi horâ jure communi non permissâ, quo revocat privilegia à Sede Apostolica concessa. Neque enim per horam indebitam Tridentinum intelligit horam à Sede Apostolica per privilegia non concessam: cùm privilegia id concedentia revocet. Et aliàs frustranea esset illa privilegiorum revocatio, ut benè vidit laudata S. Congregatio. Gregorius tamen XIII. anno 1678. adeòque post Tridentinum, & Pium V. Presbyteris Societatis (aliorumque consequenter Ordinum communicantium) Bullâ *quanta* 22. apud Rodericum concessit privilegium celebrandi unâ horâ ante auroram, & infra horam post meridiem, *itineris, vel alterius legitimi impedimenti causâ.* Et istud privilegium non est revocatum.

947 Quoad Missas post meridiem, cùm etiam meridies moraliter consideranda sit, angi non debet, qui paulò post meridiem celebrat. Quia parum pro nihilo reputatur. Imò in festis, & exequiis solemnioribus, sicut Belgii nostri consuetudo permittit Sacrum solemne prorogari ferè usque ad primam; similiter permittit Missas privatas inchoari post duodecimam, quamdiù durat solemne Sacrum. Necsen ibid.

Ante Missam parochialem, eâque durante, Regulares in Ecclesiis suis celebrare posse, Pius V. & S. Congregatio declararunt, ut alibi demonstramus. 948

Ante lectum Matutinum & Laudes Missam celebrare, causâ legitimâ non excusante, non licet, ut meritò docent S. Raymundus, S. Antoninus, Sylvester, Navarrus, Bellarminus, Azorius, Gavantus, Binsfeldius, Reginaldus, Bassæus, Tannerus, & (ipso teste) Doctores communiter. Quia licèt inter Matutinum & Missam nulla sit connexio ex natura rei; secùs ex jure positivo, seu Ecclesiæ consuetudine, vim legis habente, ut constat ex cap. *in his* dist. 11. Neque audiendi sunt nonnulli novaturientes in contrarium. 949

1°. quia Innocentius IV. in responso ad articulos quosdam, inter Archiepiscopum Nicosiensem, Suffraganeosque Latinos ipsius, & Episcopos Græcos Regni Cypri controversos (quos ad Sedem Apostolicam retulerat Otto Cardinalis, Episcopus Tusculanus) epist. 10. ad eundem Cardinalem sic pronuntiavit: *Sacerdotes autem dicant Horas Canonicas more suo; sed Missam celebrare, priusquam Officium matutinale compleverint, non præsumant.* 950

2°. Julius III. Bullâ *sacræ* in Litteris Apostolicis Societatis pag. 75. sic habet: *Facultatem anteponendi, & postponendi Officium divinum, aliàs vobis concessam, ad hoc ut tu, & pro tempore existentes Religiosi Societatis, ex legitimis & justis causis (in quo tuam & successorum tuorum.... conscientiam oneramus) Officium ipsum celebrationi Missæ liberè, & absque conscientiæ scrupulo postponere possitis, authoritate & tenore prædictis extendimus & ampliamus.* Igitur apertè insinuat, sine legitima causa non licere Matutinum Missæ postponere: cùm conscientiam ipsorum oneret, si id faciant aliter quàm *ex legitimis ac justis causis.* 951

3°. in Missali, tam Romano, quàm Carmelitano nostro, inter defectus Missæ §. *de defectibus in ministerio* ponitur, quòd *celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit*, &c. Defectus autem in ministerio ibi intelliguntur defectus in eo positi, quòd aliquid ex requisitis ad illud desit, prout explicatur ibidem. 952

4°. Præmissis accedit generalis Ecclesiæ consuetudo, uti testantur Jacobus Bajus Institut. Relig. Christ. l. 4. c. 13. & noster Franciscus à Jesu Maria tr. 5. c. 4. n. 47. Accedunt & isti consuetudini concinentia Statuta Synodalia plurium Ecclesiarum, Nemausensis anni circiter 1284. tit. de celebrat. Missar. Lingonensis anni 1404. Senonensis anni 1524. Parisiensis 1557. Sifridi Archiepiscopi Colonienſis, Odonis Episcopi Parisiensis, &c. 953

Quia tamen ordinis inversio inter horas ipsas (ut dum horæ parvæ leguntur ante Matutinum) in privata horarum recitatione, communi Doctorum judicio non censetur nisi peccatum veniale, de inversione ordinis inter Matutinum & Missam idem sentiunt Sylvester, Toletus, Bellarminus, Suarez, & alii communiùs. Barbosa tamen de potest. Episc. p. 2. quindecim profert Doctores, atque inter eos S. Raymundum, & S. Antoninum 3. p. tit. 13. cap. 6. qui censent esse mortale. Gavantus quoque affirmat Innocentium IV. & Pium V. hunc defectum censere gravem. 954

CAPUT LXXIX.

Regulariter, & seclusa privilegio, celebrare non licet nisi in Ecclesia consecrata, vel saltem benedicta, vel in Oratorio ad Dei cultum dedicato, per Episcopum designando, & ab ipso visitando.

ITa statuitur in Tridentino sess. 22. cap. de evitandis in celebr. Miss. ubi in reverentiam & 955

honorem SS. Sacrificii ; atque ad excitandam fidelium erga illud devotionem, *Ne patiantur* (inquit) *Episcopi privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* Ubi cùm in fine subdat, ut non obstantibus privilegiis Episcopi compellant Regulares, ne hujusmodi facultatibus utantur, saltem catenùs ea revocat, ut Episcopo contradicente iis uti non possint, ut sapienter advertit Magister meus Bonæspei de Euchar. disp. 9. n. 106. Cavendum proinde ne contrarium fiat : agitur enim de re gravi. Ideòque idem Author rectè etiam cum aliis communiter observat, quòd celebrare extra Ecclesiam, vel Oratorium ut suprà, absque gravi causa, esse mortale peccatum, licèt contradicant Sotus & Sa-

956 Dixi *absque gravi causa*, per quam intellige causam necessariam. Nam cà interveniente, licitum est extra dictam Ecclesiam vel Oratorium celebrare cap. *sicut* de Consecrat. dist. 1. Et ibi quidem Pontifex id declarat illicitum, *nisi summa coëgerit necessitas.* Sed consuetudo obtinuit ut id liceat, etiam non summâ exigente necessitate, in casibus sequentibus.

957 Primò, dum Sacerdos longam per loca infidelium peregrinationem peragit, ubi Ecclesia non occurrit, nec Oratorium. Tunc enim in altari portatili celebrare potest, ne diù Missa amittenda sit. Ita Paludanus, Sylvester, Sotus, Suarez, Card. de Lugo, Palao, Layman, &c.

958 Secundò, dum Ecclesiæ sunt dirutæ, fas est extra locum sacrum celebrare, ne populus sacrificio careat, cap. *concedimus* de consecr. dist. 1.

959 Tertiò, in magno populi concursu ad solemnitatem, dum tantam multitudinem Ecclesia non capit, fas est extra illam in altari portatili juxta Ecclesiam collocato Missam facere, ne plures Missâ careant. Ita Navarrus, Vasquez, Suarez, Card. de Lugo, Coninck, Palao, &c.

960 Quartò, idipsum licitum est in castris pro militibus, ne diebus festis Sacro priventur. Sicut & in littore maris, ut navigantes non valentes in terram descendere, festo die Missam audiant. Vasquez, Layman, Palao, Dicastillo, Card. de Lugo, benè monens, in his & similibus casibus petendam ab Ordinario licentiam, si fieri possit. Sin minùs, id sine licentia expressa fieri posse, in vim consuetudinis.

961 An autem extra dictos casus idem licitum sit, cum Episcopi dispensatione? omninò, si Episcopus dispensare possit : Non est autem dubium Episcopum posse concedere licentiam celebrandi in domo privata, in Oratorio ibidem divino cultui permanenter dedicato. Sed controversia est, an Episcopus concedere possit licentiam in domo privata celebrandi extra hujusmodi Oratorium, pro certo tempore, v. g. durante mordo viri nobilis, &c. Id enim videri potest contra Tridentinum citatum.

962 Respondeo tamen id in Belgio usu receptum, ut in casu necessitatis ejusmodi licentiam Episcopi pro tempore concedant. Nec hoc est contra Tridentinum : cùm scopus ordinationis ipsius solùm sit tollere abusus, ortos ex continuis licentiis, absque necessitate datis, celebrandi in domibus privatis. Et eodem sensu intelligenda sunt Brevia Pauli V. & Urbani VIII. quæ à nonnullis objiciuntur. De quibus videri potest Diana p. 9. tr. 1. resol. 44.

963 Eadem consuetudo declarat, necessitatem quoad hoc non debere esse absolutam, sed sufficere moralem, puta quia attentis attendendis fidelium devotio, vel salus animarum hoc requirit. Necsen ubi suprà dub. 4.

Duo supersunt dubia : Primum, an in mari 964
celebrare liceat, in altari portatili. Secundum, an Episcopo contradicente id liceat in cellis seu cameris privatis Religiosorum, qui morbo impediti inde discedere non valent ad Sacrum audiendum.

Ad primum respondeo id, seclusò periculo effusionis Dominici sanguinis, nullo jure esse prohibitum. Ideòque, ubi morale periculum non imminet, id affirmant Card. de Lugo, aliique plures, contra Navarrum, & alios. In eo se fundantes, quòd regulariter sit morale periculum propter continuam navis agitationem, ventorumque variabilitatem.

Sed quia usus & experientia multorum anno- 965
rum ostendit sine periculo id fieri posse; ab Hispanis & Lusitanis, in loco navis reverenter & decenter ornato, id modò deducitur in praxim. Nam adesse solet alter Sacerdos, qui, post consecrationem, calicem manu tenet, ne cadat, aut moveatur; quo periculum effusionis omninò caveatur.

Deinde non ita subitò furere solet tempestas, ut priùs Missa finiri non possit : solet enim à peritis Navarchis prævideri. Et in omnem eventum periculo modo dicto poterit occurri. Videri potest noster Franciscus à Jesu Maria n. 63. ubi ex Philiberto refert Clementem VIII. & Paulum V. concessisse navigantibus in Indiam, ut sereno cælo, & tranquillo mari celebrare possint.

Ad secundum respondeo affirmativè cum sa- 966
pientissimo Patre nostro Lezana, Hieronymo Garcia, nostro Gabriele à S. Vincentio, Dicastillo, Diana, quos citatos sequitur noster Franciscus à Jesu Maria ibidem n. 62. Hoc enim Canonicis Regularibus sancti Salvatoris Lateranensis, & consequenter aliis Regularibus, cum ipsis communicantibus, 18. Maii 1565. (post Tridentinum, & cum derogatione ipsius) concessit Pius IV. ut videre est apud Peregrinum in compend. privileg. Congreg. Regular. tit. *infirmi* §. 2. & apud Peyrinis to. 1. privileg. Minor. in Constitut. Pyrrhi n. 34. Sed & post Pium IV. Gregorius XIII. in Bulla *decet Romanum Pontificem*, Religiosis Societatis Jesu concessit, ut in Oratoriis & Capellis, quæ Provinciales Societatis per seipsos in domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad divinum cultum dumtaxat deputaverint, Missæ, & alia divina Officia celebrari possint, nullius alterius ad id requisitâ licentiâ. In quo etiam privilegio alii Regulares communicant.

CAPUT LXXX.

Celebrare in Ecclesia violata, seu polluta, per se gravis est culpa.

SEx modis Ecclesia violatur. Primò per volun- 967
tarium homicidium injustum, in Ecclesia commissum, cap. *si motum* de Consecr. Eccles.

Dixi 1°. *voluntarium.* Neque enim violatur 968
per homicidium casuale. 2°. *injustum.* Si enim in defensionem propriæ vitæ, cum debito moderamine, Ecclesia, juxta plerosque Doctores, non violatur. Verùm Doctores illi supponunt, injustum vitæ invasorem justè occidi posse, dum invasus aliter vitam suam non potest servare. Cujus oppositum probavimus to. 2. ad quintum Decal. præcept. 3°. *in Ecclesia commissum.* Neque enim violatur per solam mortem in Ecclesia subsecutam, si causa mortis, licèt injusta, extra Ecclesiam posita fuerit.

Secundò violatur per sanguinis effusionem in 969
Ecclesia injuriosè factam, can. *Ecclesiæ* de Consecr. dist. 1. Imò & per grave vulnus in Ecclesia injuriosè acceptum, quamvis extra Ecclesiam sanguinem

guinem emittat. Sumitur ex can. *si Ecclesia* de Consecrat. dist. 1.

970 Tertiò per humani seminis effusionem mortalem, intra Ecclesiam, sive cum complice, sive sine complice, cap. *si qui* de sent. excom. in 6. & cap. unico de Consecrat. Violatur itaque per pollutionem voluntariam. An etiam per copulam conjugalem, si habita sit causâ necessitatis, ad vitandam incontinentiam à conjugibus in Ecclesia diù morari compulsis? Negant Sylvester, Covarruvias, Suarez, Coninck, Lessius, Sanchez. Sed hoc pendet à resolutione quæstionis, quâ quæritur, an copula illa, in Ecclesia eo prætextu à conjugibus exercita, sit, vel non sit mortale peccatum. Si enim sit mortale peccatum, per eam Ecclesia violatur. De ista quæstione nos ubi de matrimonio.

971 Quartò per sepulturam excommunicati in Ecclesia, cap. *consuluisti* de consecr. Eccles. Post Concilium tamen Constantiense, debet talis excommunicatus esse vitandus, id est nominatim denuntiatus, vel notorius Clerici percussor. Aliàs Ecclesia non violatur. Victoria, Navarrus, Suarez, Coninck, noster Gabriel à S. Vincentio, Bonæspei, Franciscus à Jesu Maria.

972 Quintò per sepulturam non baptizati in Ecclesia, cap. *Ecclesia* de Consecr. dist. 1.

973 Sextò per simultaneam (non successivam) destructionem majoris partis parietum Ecclesiæ, cap. *ligneis* de Consecr. Eccles.

974 Nullo tamen ex sex illis modis Ecclesia violatur, nisi de facto ita publicè constet, ut notorium sit. Franciscus à Jesu Maria n. 67. & Doctores communiter. Non itaque per pollutionem v. g. vel copulam non publicam. Tunc namque Ecclesia non indiget purificatione, quæ est actus publicus.

975 Per aliquem autem ex sex allatis modis non solùm violantur Ecclesiæ consecratæ, sed & benedictæ. Quarum consecratio ab Episcopo fit, adhibito chrismate. Benedictio verò sine chrismate, etiam à Sacerdote simplici, ex concessione Episcopi, vel Papæ.

976 Porro violatâ Ecclesiâ aliquo ex sex illis modis, etiam cæmeterium centetur violatum, non econtrà, cap. unico de Consecr.

977 Quòd si Ecclesia consecrata violata fuerit, reconciliari debet per Episcopum, vel alium de ejus licentia, cum aqua cineri immixta, quam Episcopus benedixit, cap. *aqua* de Consecr. Eccles. Tametsi simplex Sacerdos, ut habet Rituale Romanum, ex privilegio Pontificis, Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare possit, ritu in Pontificali præscripto, cum aqua ad hunc usum ab Episcopo benedicta.

978 Si autem Ecclesia, solùm benedicta, violata fuerit, reconciliari potest per simplicem Sacerdotem, cum aqua benedicta communi, cap. *si Ecclesia* de Consecr. cum aspergillo de herba hyssopo. Rituale Rom. Simplex tamen Sacerdos ad hoc habere debet licentiam Episcopi, vel ejus Vicarii. Neeten dub. 15.

979 Igitur quòd in Ecclesia violata celebrare gravis sit culpa, Doctores probant ex eo quòd in ea celebrans in re gravi faciat contra justam Ecclesiæ prohibitionem, quæ jubet divina Officia suspendi in Ecclesiis profanatis extra. de Consecr. cap. *si in Ecclesia*. Et ideò *si Ecclesia violetur, Sacerdote celebrante* (ait S. Thomas q. 84. a 3. ad 2.) *dimittatur Missa, si ante Canonem. Perficiatur, si is est incœptus. Propter necessitatem tamen* (addit S. Doctor) *potest hoc Sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi.*

980 Per Missæ verò celebrationem in Ecclesia violata, bonâ fide factam (ut in casu proximè dicto) illam reconciliari docent quidem Recentiores nonnulli: eò quòd Missa sacrarum actionum sit sacratissima. Sed contrarium est verum. Quia ex eo quòd Missa sacrarum actionum sacratissima sit, non magis est consequens quòd per eam Ecclesia reconcilietur, quàm quòd per eam Ecclesia consecretur. Sicut igitur Ecclesia nondum consecrata, nec benedicta, non consecratur per Missæ in ea celebrationem; ita nec reconciliatur. Et ratio à priori est, quia sicut consecratio & benedictio, sic reconciliatio Ecclesiarum non fit nisi per sacros ritus ad id ab Ecclesia institutos & designatos. Hæc enim omnia, utpote Canonico jure introducta, secundùm Canones sunt perficienda. Nullus verò Canon Missæ celebrationem instituit vel designavit ad Ecclesiarum consecrationem, benedictionem, reconciliationem. Unde opinionem illam Recentiorum (utique Dianæ, Tamburini, Bordoni, &c.) meritò rejiciunt omnes alii passim, ut Navarrus, Azorius, Layman, Card. de Lugo disp. 20. sect. 4. &c.

CAPUT LXXXI.

Ad celebrandum sub mortali requiritur Altare ab Episcopo consecratum, saltem portatile. Requiritur item ornatus Altaris ab Ecclesia præscriptus.

981 COnstat ex cap. *altare* de Consecr. dist. 1. Tunc verò altare portatile perdit suam consecrationem, quando in nulla parte fracti lapidis calix & hostia commodè potest collocari. Quia altare istud tantæ magnitudinis esse oportet, ut pedem calicis & patenam commodè absque cadendi periculo capere queat. Quam magnitudinem si retineat post fractionem, suam retinebit consecrationem.

982 Altare verò fixum consecrationem suam amittit, non solùm per fractionem, verùm etiam per separationem à reliqua structura altaris, seu lapidis, vel mensæ superioris ab inferiori structura. Quia consecratio ex usu & sensu Ecclesiæ pendet à conjunctione lapidis, seu mensæ superioris cum structura inferiori.

983 Porrò ornatus altaris pro Missæ celebratione requirit tres mappas præter corporale, uti præscribunt Pius V. in suo Missali, & Clemens VIII. in rubricis Missalis. Debent autem mappæ illæ esse benedictæ, uti Missale præscribit. Tametsi in necessitate, dum benedictæ non habentur, adhiberi possint mappæ Laïcorum, quæ tamen profanis usibus non possint amplius deservire.

984 Præterea requiritur corporale (consecratum ab Episcopo, vel alio potestatem habente cap. *consulto* de Consecr. dist. 1.) per quod repræsentatur syndon, quâ Christi corpus in sepulchro fuit involutum. Palla etiam, quâ parte respicit calicem, debet esse benedicta, & quamvis esse possit ex serico & auro quoad superiorem partem, linea esse debet quoad inferiorem, uti habetur in eodem Missali.

985 Tertiò requiritur purificatorium, similiter benedictum. Nec corporalia verò cap. *sacratis* dist. 23. nec purificatoria (ob reverentiam Dominici sanguinis quo imbuta sunt) à Laïcis, imò ne à sacratis quidem virginibus attingi possunt, nisi postquam à Sacerdote, vel Diacono, leviter lota fuerint.

986 Quartò sub mortali requiritur in altari lumen cap. ult. de celebrat. Miss. Et quamvis ibi non jubeatur duas candelas accendi, nec alio canone legatur præceptum, consuetudo tamen obtinet ut accendantur duæ, & quidem cereæ, ut Missalis rubrica præscribit; ita ut Suarez mortale putet celebrare cum solis candelis ex sevo.

987 Quintò requiritur crux in altari ex universali Ecclesiæ consuetudine, quam Doctores obligare censent sub mortali; licèt hoc ab aliquibus in dubium revocetur.

988 Sextò requiritur Missale. Etiam sub mortali, secundùm communem sententiam. Quia in re tam gravi nemo fidere debet memoriæ suæ; quamvis enim Missam memoriâ teneat, posset tamen facilè labi, & aliquid omittere, etiam in Canone.

CAPUT LXXXII.

Sub mortali etiam requiruntur vasa sacra, & vestes benedictæ, amictus scilicet, alba, cingulum, manipulus, stola, patena.

989 REquiritur (inquam) calix cum patena can. *vasa* de Consecr. dist. 1. Debet autem calix esse ex auro, vel ut minus ex stanno can. *ut calix*. Cum calice ex plumbo, ligno, ære, aurichaleo, prohibet Ecclesia celebrare. Potest tamen pes calicis esse ex ære, plumbo, &c. modò cuppa sit ex auro, argento, vel stanno.

990 Debet item calix esse chrismatis unctione consecratus cap. unico de Sacr. unct. Quæ consecratio amittitur primò quando calix adeò notabiliter frangitur, ut amittat formam convenientem ad usum sacri ministerii. Non autem quando aliquot dumtaxat ictus accipit à fabro inflictos.

991 Secundò quando calix de novo interiùs deauratur, quâ parte Christi sanguinem tangit. Cùm ob contactum Dominici corporis & sanguinis consecratio præcipuè fiat.

992 Tertiò quando cuppa calicis fixi à calice separatur per fractionem. Aliud est in calice tornatili, cujus cuppa à pede separatur sine fractione; quo casu consecratio cadit in solam cuppam; ubi in priori casu consecratio cadit in totum calicem per modum unius, eo ferè modo quo n. 982. diximus de consecratione altaris, quæ amittitur per separationem lapidis à reliqua structura.

993 Quòd si Sacerdos per inculpatam inadvertentiam, vel ignorantiam celebret in calice & patena non consecratis, illa eo ipso non manent consecrata (quidquid aliqui Recentiores dixerint) sicut ex dictis n. 980. Ecclesia non manet consecrata per similem celebrationem in ea. Et idem est proportionaliter de vestibus non benedictis, siquis in eis celebret. Tametsi enim & calix & vestes per Missæ celebrationem acquirant aliquam moralem sanctificationem; non eam tamen quam Ecclesia requirit ad sacrum ministerium.

CAPUT LXXXIII.

Nonnulla alia requisita ad debitè celebrandum.

994 UT præsenti materiæ finem imponamus, pro illis ad Missale remittimus, ubi passim obvia sunt. Ibi specialiter videat Lector quomodò occurrendum sit defectibus in Missa occurrentibus. Paucis hîc observationibus contenti erimus.

995 Observandum igitur 1°. Sacerdotem celebrare non posse absque ministro. Quamvis enim Anachoretæ olim in antris suis soli celebraverint; modò ex universali Ecclesiæ consuetudine, & sacris Canonibus, minister requiritur cap. *proposuit* de fil. Presbyt. In casu tamen extraordinariæ necessitatis, v. g. ad dandum Viaticum, videri potest licitum absque ministro celebrare, dum haberi non potest.

996 Debet autem minister esse masculus, non femina cap. 1. de cohabit. Cleric. & mulier. ubi: *Nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare.* Ideò graves Authores aiunt, in necessitate, potiùs sine ministro celebrandum, quàm cum ministra. Corrigendus proinde est abusus quibusdam in locis, ubi Beguinæ & Moniales Sacerdoti ad altare ministrant. Doctores communiter.

Ubi tamen masculus haberi nequit, tolerari potest quòd mulier, præsertim velata, ex loco remotiore Sacerdoti respondeat, sed non ut altari appropinquet, vinum & aquam præsentet, librum circumferat, &c. 997

Observandum 2°. ob nullam causam, etiam vitandæ mortis, licitum esse Sacerdoti ex directa intentione consecrare unam speciem sine alia, vel post utriusque speciei consecrationem omittere Communionem. Esset enim facere contra Christi institutionem in re gravissima, ut Doctores passim omnes docent. Si tamen Sacerdos unam speciem consecrasset ex intentione essentialiter integraliterque perficiendi sacrificium; & interim fidei hostes intrarent Ecclesiam, ad occidendum Sacerdotem; statim sumere posset hostiam consecratam, vel secum auferre, si calicem absque evidenti periculo vitæ consecrare non posset. Quia præceptum affirmativum perficiendi sacrificium in extremo illo periculo non videtur obligare. Ita Franciscus Aranjo 3. p. q. 74. a. 2. dub. 1. n. 14. Garcia, Layman, Bonacina, Chapeaville & Doctores communiter. 998

Observandum 3°. quòd Missam inchoatam continuò usque ad finem Sacerdos absque interruptione prosequi tenetur cap. *illud*, cap. *nihil* 7. q. 1. Excipe nisi justa adsit relinquendi vel interrumpendi causa, ut 999

1°. si Sacerdos recordetur se non esse jejunum, vel excommunicatum, vel irregularem. Tunc enim desistere tenetur, si Canon nondum inceptus fuerit, & sine gravi nota & scandalo desistere possit. Doctores communiter cum S. Thoma. 1000

2°. si ante inceptum Canonem superveniat interdictum speciale, vel cessatio à divinis, neque habeas privilegium januis clausis celebrandi; vel si superveniente interdicto generali, non permittaris claudere januas, & interdictos excludere; vel si interveniat excommunicatus vitandus, nec possit expelli: tunc à Missa inchoata desistere tenetur. Doctores communiter. 1001

3°. si gravis infirmitas superveniat, vel gravis corporis necessitas, quæ prosequi non permittat; potest (etiam post consecrationem) interrumpere, & paulò post perficere, si infirmitas vel necessitas permiserit absolvere. Sin minùs & consecratio facta sit, debet alius perficere, etiam non jejunus. Franciscus à Jesu Maria alios referens n. 109. 1002

4°. si infans citissimè sit baptizandus, aliàs sine Baptismo moriturus; vel adultus sine Sacramento ad salutem moraliter necessario moriturus. Isto tamen casu sacrificium tunc quàm citissimè potest perficiendum est. 1003

5°. interrumpi potest ob prædicationem, vel Ordinum collationem, ut praxis ostendit. 1004

6°. ob adventum Episcopi, vel Ducis, aut processionis populi, cupientium Missam audire integram. Tunc enim, si oblatio nondum facta fuerit, potest relinqui, & iterùm à principio inchoari. Navarrus, Garcia, Layman, & Doctores passim. Quos inter Navarrus testatur id usu receptum esse. 1005

Observandum 4°. quòd Sacerdos, in ipsa sumptione deprehendens se loco vini consecrasse aquam, secundùm rubricas Missalis consecrare debeat novam hostiam, & postea vinum, incipiendo à verbis illis: *qui pridiè quàm pateretur*. Secundùm communem tamen sententiam Modernorum, necessariò consecranda non est nova ho- 1006

stia, sed vinum dumtaxat, incipiendo à verbis istis: *simili modo*, &c. statimque à consecratione sumendo. Cùm enim hostiæ consecratio sit adhuc moraliter præsens; sacrificium manet adhuc moraliter unum modo dicto.

1007 Observandum 5°. quòd in casu proximè dicto ex ore projicienda non sit aqua (foret enim indecens, nec sine periculo simul projiciendi particulam Dominici corporis) sed deglutienda absque scrupulo super defectu jejunii. Ita Doctores communiter.

1008 Observandum 6°. non videri satis fundatam opinionem Navarri, Sylvii, & quorumdam aliorum, existimantium Sacerdotem teneri sub mortali recitare orationes in Missali positas, dum sacris se vestibus induit. Multi enim apud Leandrum disp. 7. q. 57. probabiliter existimant orationes illas in Missali non esse positas per modum præcepti, sed per modum instructionis dumtaxat.

1009 Observandum 7°. quòd si Sacerdos oblitus fuerit recitare *Gloria*, vel *Credo*, vel commemorationem aliquam, &c. dum in Missæ progressu illius recordatur, non debeat, nec deceat omissum repetere, ne perturbet ordinem Missæ. Quòd si voluntariè id prætermiserit, venialiter peccat, non mortaliter, ob materiæ parvitatem. Neque enim fundatum est quod Nugnus nimis scrupulosè putat, omissionem unius Sancti in Canone esse grave peccatum. Doctores communiter. Mortalem etiam non esse voluntariam omissionem *communicantes*, vel *hanc igitur*, in festis Nativitatis, Paschæ, & Pentecostes, docet Leander q. 61. Et consentiunt Dicastillus, Filliutius & alii apud Dianam p. 10. tr. 15. resol. 42. Voluntariam tamen omissionem Epistolæ, vel Evangelii, mortalem esse docent idem Diana, Palao, Garcia, Dicastillus. Non ratione quantitatis (quia Epistola subinde brevis est, sicut & Evangelium) sed ratione formæ. Quia sine alterutro Missa non habet consuetam formam. Quæ ratio an sit efficax, non est necesse disputare, nec lubet determinare sitne, an non sit mortalis omissio *communicantes*, &c. cùm facile non sit determinare.

LIBER QUINTUS.

AMOR RECONCILIANS PER POENITENTIAM,

Sive

DE VIRTUTE ET SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1 MAgna procul dubio fuit Dei erga homines misericordia & charitas, quòd humanum genus, in Protoparente lapsum, reparare dignatus est per Unigenitum suum, ipsique per sacri Baptismatis institutionem providere de remedio contra originale peccatum. Sed ibi non fixit metas bonitatis & charitatis suæ misericors & miserator Dominus. Cognoscens enim figmentum nostrum, & diabolica prævidens venena, clausâ licèt innocentiæ januâ, & intinctionis serâ obductâ, aliud remedium patêre voluit; secundam utique post naufragium tabulam. Iis namque, qui sese post Baptismum in peccati servitutem, & diaboli potestatem tradidissent, Pœnitentiæ Sacramentum providit, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur, non semel, nec secundò, sed quoties ad Deum toto corde reversi fuerint. Neque enim hoc semel præstitisse satis fuit infinitæ bonitati benignitatique ipsius. Nam licèt vel semel hoc accipiendo habeat peccator quod jam non merebatur: amisit enim quod in baptismate accepit, & non leviter in Dominum peccavit, qui cùm æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem regressu suo erigit, & exultationem ejus scipsum facit; ut denuò malus, recuperatâ prædâ suâ, adversus Dominum gaudeat. Deo tamen, cujus natura bonitas, cujus opus misericordia est, non satis fuit, vel secundò misereri illius, quem diabolica malignitas veneno suæ rursum mortificasset invidiæ; sed dives in misericordia, toties misereri voluit, quoties peccator toto corde contritus & humiliatus fuerit. Sic utique Deus dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et quis non redamabit taliter amantem, servosque refugas & ingratos non abjicientem, nec ipsorum cor contritum & humiliatum despicientem? Quis anathema cum Apostolo non dicat non amanti Dominum? *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit.* 1. Cor. 16.

CAPUT I.

Summi momenti est, in administratione vel usu hujus Sacramenti non errare.

2 ASsertionis veritas perspicua est ex eo quòd Pœnitentiæ Sacramentum sit, & à sanctis Patribus vocetur secunda post naufragium tabula, per quam ad beatæ æternitatis portum pervenire oportet omnes, qui per peccatum ejecti sunt ab innocentiæ navi, quam per baptismum conscenderant. A recta igitur administratione, à recto item usu hujus Sacramenti pendet æterna salus lapsorum post baptismum; sive enim benè administratum malè suscipiatur, sive malè & illegitimè administretur, esse nequit causa salutis eorum, qui aliàs per secundam hanc tabulam à naufragio liberarentur. Et ideò Sancti tam priorum, quàm posteriorum sæculorum, vehementissimè semper conquesti sunt de abusibus, quos suo tempore deprehenderunt, tam circa usum, quàm circa ministerium tam necessarii Sacramenti, ut videbitur infrà.

3 Ideò rursus (ut to. 2. dixi) invoco Sapientiam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & ruinam aliorum, pertractando materiam adeò momentosam, à plerisque non satis consideratam, qui vel in suis de ea opinamentis, vel in administratione & usu Sacramenti Pœnitentiæ, sic materiam hanc pertractare videntur, quasi non ingens, nec laboriosum opus esset à peccato mortali, præsertim sæpè repetito, & consuetudine roborato, per veram pœnitentiam resurgere, nec ad hoc magnâ curâ, attentione, sollicitudineque opus esse. Contra quem abusum Petrus Soto (qui ob eximiam peritiam & doctri-

nam in Concilio Tridentino magni habitus fuit) in notis ad methodum Confessionis §. *de peccati recidivo* in additione sic scribit : *Longè sit à te hæc persuasio, ut minimo negotio existimes veram pœnitentiam agi. Reverà omnibus pietatis studiis, omnibus officiis, & operibus virtutis (præsertim Christianæ, & qualis à Deo exigitur) summoperè nocet perfunctoria quædam & secundùm speciem tantùm illius executio. Quod malum quasi proprium novissimorum temporum & periculosorum Paulus notavit : habentes* (inquiens) *speciem veritatis, virtutem autem ejus abnegantes. At verò pœnitentiæ multò magis pestis hæc perniciosa est, utinam non frequentissima. Cùm enim in vera pœnitentia remedium malorum omnium totius vitæ sit, & infirmitatis humanæ unicum præsidium : ad quod cui non est necessitas confugiendi ? si ea non veraciter agatur, si specie tantùm ejus incipiamus contenti esse, & putemus nos veram egisse pœnitentiam, cùm longè ab ea simus, nonne illud Evangelii nobis eveniet : fiunt novissima hominis illius pejora prioribus ? Unde enim hoc, nisi quia spiritus nequam, qui de eo exierat, rediens, invenit eam scopis mundatam & ornatam, quod est perfunctoriâ quâdam pœnitentiâ, & quæ superficiem tantùm conscientiæ mutaverit, sibi placentem, sed vacuam, hoc est à solida veritate pœnitudinis & doloris desertam, & adducit septem alios spiritus nequiores se. Nam reverà in illa superficiali conscientiæ mundatione nec exierat, sed simulaverat tantùm. Vehementer timemus ne hic tam facilis Christianorum ad mortalia peccata reditus, hæc tam brevis perseverantia in pœnitentia, hæc denique consuetudo & persuasio in ultimum locum rejiciendi pœnitentiam, in postremam videlicet horam temporis ad id deputati ab Ecclesia, & tam brevi momento ab ea se expediendi, signum sit, quòd perfunctoriè tantùm agitur, & non secundùm veritatem. Magno conatu & annisu virium* (mihi crede) *opus est, ut à fovea illa profundissima peccati ad Dei unionem, ab infero inferiori ad summum cœlum, à longinqua regione ad domum paternam redeas & assurgas. De hoc maximè dictum est à Christo Domino : regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Magna violentia inferenda est ipsi naturæ nostræ, ut vera agatur pœnitentia. Nihil durius cervici indomitæ, & per peccatum erectæ, quàm veraciter se odisse, sibi displicere, & in anxietate Dei expectare misericordiam. Nihil infirmitati humanæ gravius, quàm sese tristibus & gravibus curis dedere. Et tamen utrumque horum maximè ad pœnitentiam necessarium est. Recogitandi anni in amaritudine animi. Attentissimè dolendum est. Dolo* (inquit Propheta) *& satage filia Sion, quasi parturiens.*

4 *Non hæc dicimus, ut deterreamus ab opere pœnitendi ; non ut impossibile cogitetur : sed ne segniter & oscitanter fiat. Si strenuè illud aggrediamur, parata sunt & obvia brachia divina, quibus excipiamur. Si nimis dormitantes id egerimus, etiam huic divinæ gratiæ contumeliosi sumus.*

5 *Dicimus etiam hoc, quoniam tanta, tam varia, & diversa doceri conspicimus, partim pietate quâdam divinæ misericordiæ* (nota benè) *partim ignorantiâ, vel minùs attentâ consideratione rerum, dum ad hominum æstimationem & usum examinantes hæc* (iterùm nota benè) *non ad veritatem spiritûs Scripturæ sacræ, & Patrum, ut vehementer timeamus à variis & peregrinis doctrinis. Aliis persuasum est, animo & intentione quantumvis remissis veram agi pœnitentiam. Aliis, adhuc nisi per Sacramenti susceptionem suppleri demùm quidquid defectus est, ita ut illa susceptio, sine intentione peccandi, satis esse debeat, etiamsi desit doloris & pœnitentiæ tantæ integritas. Alii aliis rationibus pietatis & misericordiæ statim consolari volunt, & securos reddere pœnitentes.* Quibus omnibus *verba hæc Cypriani respondent* (*quæ cupimus his, qui volunt pœnitentiam agere, ante oculos esse*) *cùm scriptum sit : qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant : qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat ; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem.... Quod si putas hæc propter gravissima tantùm crimina dici, adverte mortalia omnia, quantumvis alia aliorum comparatione, aut judicio hominum parva, reverà gravissima mala esse, ut nimirùm inobedientia mandatorum Dei, iræ ejus provocatio, denique æternæ damnationis meritum. Quid gravius cogitari potest*, &c. ? Hucusque Author ille gravissimus, sapientissimusque.

CAPUT II.

Controversiæ circa usum administrationemque Sacramenti Pœnitentiæ, nimia hodie cum animositate & commotione agitatæ.

SEd etsi quisque habeat, unde vehementer ti- 6
meat, ne erret in re tanti momenti, unde infinitarum animarum salus æterna dependet, ideòque alter alteri succensere non debeat, quòd in tanto errandi discrimine tutiora sectetur, atque ab errandi periculo remotiora : ea nihilominùs est infelicitas, ea cæcitas sæculi nostri, ut qui ex solo zelo divini honoris, salutisque animarum viam sequuntur tutiorem, ab iis maledicentiæ persecutionem patiantur, quibus placet via laxior, ita ut celebriores de pœnitentia controversiæ, præsertim circa recidivorum consuetudinariorumque conversionem, absolutionem, satisfactionem, hodie, proh dolor ! non pacificè & modestè, ut oportet, & Innocentius XI. in Decreto anni 1679. in virtute S. obedientiæ præcipit, sed tanta cum animositate & commotione agitentur, ut & obedientiæ Sanctissimo debitæ, & veritatis ac justitiæ, imò pudoris etiam & honestatis limites omnes transiliantur, & alter alterum, Christianus utique Christianum, Religiosus Religiosum, Sacerdos Sacerdotem, nedum convicciis, censuris ac notis, nullâ sobriâ considerationè percellat ; verùm & sparsis in plebe figmentis calumniisque invereçundè proscindat.

Hoc utique est, quod à sexaginta propè annis 7
in Gallia Belgioque pii quique deplorant, ubi similia quotidie jactantur in populis, personant in pulpitis, scribuntur in Thesibus, Libellisque publico datis, plerùmque anonymis, vel sub nominibus adscititiis ; quòd immodestos Scriptores pudeat verum nomen suum propalare, ne digito notentur veluti amaram spirantes animositatem, & alieni à sapientia desursùm descendente. Nam *si zelum amarum habetis* (ait Frater Domini) *& contentiones sint in cordibus vestris, non est ista sapientia desursùm descendens ; sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum*, mendacia, calumniæ, rixæ, dissensiones, fraudes, impostura, inquæ molitiones, &c. *Quæ autem desursùm est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.*

Itaque Apostolici istius Oraculi memores, de- 8
positâ omni animositate, & contentione, pacificè requiramus, quænam sit vera solidaque doctrina, quam sequi nos oportet in re adeò momentosa. Eam in Theologia sanctorum Patrum inveniendam, Innocentius XII. anno sancto 1700. par

ſuum in Urbe Vicarium, Eminentiſſimum D. Cardinalem Carpegna ſatis declaravit, dum veram ſolidamque de pœnitentia doctrinam, non in opinionibus novellis, ſed in praxi ſanctorum Patrum fundatam, ſtabilitamque eſſe debere pronuntiavit in Epiſtola Paſtorali, ſub initium anni iſtius typis Romanis edita, novæque Editioni Inſtructionum S. Caroli Borromæi præfixa, quas iiſdem typis Sanctitas Sua de novo edi juſſit, ut eas veluti Regulam ſuam, Confeſſarii omnes Romani Diſtrictûs in praxi ſequerentur.

Paſtoralem Epiſtolam illam, utpote inſignem, monitiſque ſaluberrimis plenam, ex Italico Latinè verſam, non abs re erit hic inſerere.

„ Gaſpar Epiſcopus Sabinenſis, S. R. E. Cardinalis Carpegna, Romæ & Diſtrictûs Romani Vicarius, RR. in Urbe, & in Diſtrictu Urbis Confeſſariis, ſalutem in Domino.

„ Neceſſitas habendi Miniſtros bonos, & fideles Myſteriorum Dei diſpenſatores (hiſce verbis „ ab Apoſtolo Paulo notata 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*) cùm in cæteris magna „ eſt, tùm infinito certè major in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ; cujus uſus ut ſaluberrimus eſt fidelibus omnibus, ad illud debita cum diſpoſitione accedentibus; ſic adminiſtratio periculoſiſſima Miniſtris, illud non ſicut „ oportet diſpenſantibus.

„ Timor, ne id eveniat, compellit nos cum „ Apoſtolo dicere: *Hîc jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*, qui utique „ propria non quærat commoda, neque privatam animi oblectationem, neque quæ ſua ſunt, „ nec vanam gloriam, ſed ſolum Dei honorem, „ ſpiritualemque animarum ſalutem; poteſtatem „ tam ſublimem exercens, non pro libitu ſuo, ut „ dominus; ſed ut Chriſti Miniſter, ſupremo iſti „ Judici rationem redditurus pretioſiſſimi ſanguinis ipſius, cujus applicatio ad abluendas peccatorum maculas in hoc Sacramento ipſi committitur.

„ Ante Apoſtolum Salvator nos admonuit „ (Matth. 15.) *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*, æternæ utique damnationis. Idemque ruſus (Matth. 23.) Phariſæis adhærentium turbas & confluxum ambientibus exprobravit, quòd circuirent mare & aridam, ut facerent proſelytos, eumque feciſſent, „ malo ductu ſuo facerent eos filios perditionis, duplo quàm antea. Et eodem loco, quòd „ pravis exemplis & doctrinis ſuis *clauderent regnum cœlorum ante homines*, quibus illud ipſe „ per ſanctiſſimam Paſſionem ac mortem ſuam „ apertum venerat; quòdque nec illud ipſi ob „ perverſionem ſuam intrarent, nec intrare ſinerent alios; utpote quos avertebant à via rectâ, „ quam ipſis præmonſtrare debuiſſent.

„ Hæc contingerent omnia, ſi ſacri Tribunalis „ Miniſtri, vitam ducendo perverſam, obnoxii „ eſſent vitiis, quæ in pœnitentibus ex officio deſtruere tenentur. Si ſacro in miniſterio errarent, ſcientiæ defectu, zelivè indiſcreti exceſſu; „ ſi vulnera nutrirent peccatorum, quæ ut boni „ Samaritani, vino juſtitiæ Chriſtianæ, oleoque „ manſuetudinis ſanare debuiſſent; ſi curandis aliorum peccatis non modò ſe non impenderent, „ ſed & conniventiâ deteſtabili ea foverent, ex „ humano reſpectu, vel potentiæ, vel nobilitatis, „ vel temporalis utilitatis, quam ſperare poſſent „ ab iis, quorum conſcientiam dirigunt, conſuendo (juxta Propheticam expreſſionem) *pulvillos ſub omni cubito manûs, & cervicalia ſub capite univerſæ ætatis*, ſuper quibus molliter „ conquieſcentes, ſub fallaci, quam ipſis dant, ſecuritate, in peccatis ſuis indormiſcunt; ſicque æternùm pereunt ii, pro quibus in ſacro Confeſſionis miniſterio ſe fidejuſſores conſtituerunt, animaſque ſuas pro animabus ipſorum obſtrinxerunt. “

Propterea omninò neceſſarium eſt, ut oneris ſui pondus ſentientes, juxta Sapientis oraculum (Prov. 6.) ſollicitè laborent, loquendo, agendo, admonendo, corrigendo, excitando, nec dando ſomnum oculis ſuis, donec animas ex draconis infernalis faucibus eruerint. Ita namque de cauſa ſancti Eccleſiæ Catholicæ Antiſtites tantoperè ſolliciti fuerunt, ut Sacerdotes ad miniſterium tam ſublime deſtinati, ſummo illud ſtudio exercerent, prout ex ſacris Conciliis patet. Paſtoralique zelo animati, nunquam deſtiterunt in memoriam ipſis, velut conſcientiarum judicibus, revocare verba hæc graviſſima Regis Joſaphat, ad Sacerdotes veteris legis, quibus populi curam impoſuerat: *Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite; ſic agetis in timore Domini fideliter, & cor de perfecto: omnem cauſam, quæ venerit ad vos, fratrum veſtrorum, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum.* Et hanc dicti ſui rationem graviſſimam præmiſerat, quæ pro mille eſt, præſertim in Pœnitentiæ Tribunali: *quia non hominis exercetis judicium, ſed Dei, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* 2. Paralip. 19. “

Ad idipſum vos hodie excitat (Venerabiles Confeſſarii) vox ipſa Summi Paſtoris Eccleſiæ univerſalis, qui & Paſtor veſter particularis eſt in hac ſancta Civitate, ubi ſacrorum Miniſtrorum pietas, doctrina, prudentia & zelus magis quàm in ulla alia mundi parte ad exemplum debent efflorescere. Conſiderat utique periculum veſtrum, ſi non omnes officii veſtri partes ſedulò adimpleatis. Pondere Sanctuarii horrendas expendit ſtrages commiſſo ſibi gregi impendentes, ſi vos eum ritè non direxeritis. Perpendit rationem terribilem, in morte exigendam à Miniſtris infidelibus, qui inventi fuerint rei ſanguinis tot animarum, erga quas abuſi fuerint vel ſacri Judicis poteſtate (abſolutionem ſeu dando, ſeu negando, ex ſuo potiùs genio & beneplacito, quàm ex germanis officii ſui regulis) vel ſpiritualis Medici qualitate, per ignorantiam ſuam, aut incuriam, ſinendo animas miſere abſque remedio perire. Formidabilem recogitat ſententiam in lege gratiæ majorem, quam in veteri lege Levit. 24. quæ exigit non ſolùm dentem pro dente, vel oculum pro oculo, ſed animam Confeſſarii pro anima pœnitentis, dum hæc culpâ ipſius (ſive commiſſionis ea fuerit, ſive omiſſionis) perierit. “

Hinc Sanctiſſimus Pater, provido zelo accenſus, vos omnes invitat, ut diſcutientes vos ipſos, Propheticum audiatis Oraculum: *State ſuper vias veſtras, & videte, & interrogate, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Quam ob cauſam vobis injungit.... ut quotannis ſecedentes, per aliquot dies ſpiritualibus vacetis exercitiis, tuneque à vobiſipſis rationem exigatis graviſſimæ illius adminiſtrationis, quam vobis ipſe commiſit, in qua pretioſus ſanguis Jeſu Chriſti diſpenſatur. “

Novas vobis leges proponit, quas in officii veſtri executione ſequamini. Leges utique jam olim præſcriptas à magno illo Eccleſiæ lumine, verorumque Eccleſiæ Paſtorum exemplari, S. Carolo Borromæo, de quo dici poteſt, quod olim de Baſilio Magno, quòd utique, ſicut ille *per Cæſarienſem*, ſic iſte *per Mediolanenſem Eccleſiam toti præluxerit Orbi.* Si tamen leges illæ novæ dici poſſint, quas ipſe ex viſceribus veteſtatis, ſeu antiquiſſimæ Eccleſiæ ſpiritu, atque ex purioribus ſanctoris doctrinæ fontibus de-

„ prompsit, aut potiùs hausit ex ipsa Sacramenti
„ Pœnitentiæ natura; quod cùm instar judicii e-
„ mendatorii institutum sit, necessariò exigit, ut
„ & puniantur peccata præterita, &, quantùm ad-
„ juvante Dei gratiâ fieri potest, nova arceantur.
„ Vos itaque Sanctissimus Pater hortatur, ut
„ sacras hasce leges, & monita sapientissima, quæ
„ hoc libello continentur, legatis & relegatis, ver-
„ setisque assiduè manibus, velut *auream regu-*
„ *lam*, quâ perversos populi Christiani mores fa-
„ cilè restauretis. Atque hoc est, quod jussu ip-
„ sius vobis omnibus significamus, tamquam o-
„ bedientiæ filiis, & comministris atque coopera-
„ toribus suis, grandi illo in opere, quod divi-
„ norum omnium divinissimum est, ut nunquam
„ dicatur de Sacerdotibus Evangelicis: *Sinite il-*
„ *los, cæci sunt, & duces cæcorum.* Matth. 15.
„ sed potiùs quisque vestrûm, & vitæ exemplaris
„ pietate, & prudenti in consiliis directione, &
„ solidæ doctrinæ veritate (quæ *non in novellis*
„ *infundatisque opinionibus fundata sit, sed in sen-*
„ *su praxique Sanctorum*, quos cælesti Deus cla-
„ rificavit lumine ad rectum regimen plebis Chri-
„ stianæ) sic agat, ut in die rationis supremo Ju-
„ dici, animarumque Patri cum fiducia dicere
„ possit: *Cùm essem cum eis, ego servabam eos in*
„ *nomine tuo, & nemo ex eis periit, nisi filius*
„ *perditionis*, qui sequi noluit viam rectam, sibi
„ prænonstratam; & *quos dedisti mihi, custodivi,*
„ *& non perdidi ex eis quemquam.*

9 Hactenùs Epistola Pastoralis SS. D. N. Innocentii XII. mentem exponens. Vult itaque Sanctissimus primò, ut in divinissimi ministerii administratione caveamus novellas juniorum Casuistarum opiniones sequi. Secundò, ut sequamur doctrinam, praximque Sanctorum. Tertiò, ut sequamur sapientissimas, tutissimas saluberrimasque S. Caroli Borromæi pro Confessariis Instructiones, quas Sanctissimus ipse facit suas; utpote doctrinam praximque SS. Patrum, atque adeò Ecclesiæ continentes. Quartò, dum declarat, S. Caroli de pœnitentia Instructiones, ideò non esse novas, quia *excerptas ex intimis visceribus*, sive ex spiritu *disciplinæ veteris*; *de purioribus* proinde *fontibus sanctæ doctrinæ*; docet spiritum Ecclesiæ modernæ, circa usum administrationemque Sacramenti Pœnitentiæ, alium non esse à spiritu veteris Ecclesiæ; veteris proinde Ecclesiæ disciplinam in totum non esse negligendam, quamvis ex toto ac per omnia hodie necessariò servanda non sit. Quintò, docet veram praxim, circa eundem usum, atque administrationem, veramque de ea praxi doctrinam, ex *purioribus fontibus sanæ doctrinæ*, ex divina utique Scriptura, atque ex *doctrina praxique sanctorum Patrum*, esse desumendam.

10 Et isti sunt fontes, ex quibus desumere conati sumus Theologiam hanc Sanctorum, in qua circa usum administrationemque Sacramenti Pœnitentiæ doctrinam illam proponimus, quam ideò conformem censemus spiritui ac menti Ecclesiæ, etiam modernæ; quia conformis est spiritui veteris Ecclesiæ, licèt, ob temporum nostrorum fragilitatem, procul recedat à rigore veteris illius disciplinæ. Manet quippe invariatus Ecclesiæ spiritus, variatâ licèt disciplinâ, uti sapienter observat Eminentissimus D. Cardinalis Denhoffius in sua Instructione Pastorali §. 1.

11 Non mirum proinde quòd doctrina Sanctorum, quam contra novissimas juniorum Casuistarum impugnationes strenuè propugnandam suscipimus, ab ipsis plusquàm à sexaginta annis exagitata, atque ad S. Sedis judicium non semel delata, in Pontificii examinis fornace velut aurum probata, cum honore ex tot vexationum ictibus semper emerserit, ita ut dicere queat: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Illius patrocinium sapientissimi pariterque zelosissimi Gallicanæ Ecclesiæ Archiepiscopi, atque Episcopi sexdecim, cum Sorbonicis Doctoribus plusquàm viginti, illicò susceperunt, videlicet Octavius de Bellegarde, Archiepiscopus Senonensis; Carolus de Monchal, Archiepiscopus Tholosanus; Henricus de Sourdis, Archiepiscopus Burdigalensis; Victor Boutvillierus, Archiepiscopus Turonensis; Franciscus de Caumartin, Episcopus Ambianensis; Henricus de la Salette, Episcopus Lascariensis; Stephanus Pugetus, Episcopus Massiliensis; Ægidius Boraltus, Episcopus Adurensis; Dionysius, Episcopus Briocensis; Mauricius, Episcopus Madaurensis; Nicolaus, Episcopus Aurelianensis; Achilles de Harlai, Episcopus Maclovensis; Vialartius, Episcopus Catalaunensis; Maronus, Episcopus Vasatensis; Berterius, Episcopus Coadjutor Montalbanensis; Desprüetius, Episcopus S. Papuli. Qui omnes in Epistola ad Urbanum VIII. 5. Aprilis 1644. conscripta declararunt, se doctrinam illam, *Summorum Pontificum Oraculis toties consecratam, non sanam dumtaxat, sed sanandis peccatorum mentibus aptissimam sanctâ omnium conspiratione* judicasse; liberioribus proinde novellorum Casuistarum opinationibus meritò opponendam: *Neque enim dissimulare possumus* (inquiunt) *quod oculis & quotidianâ experientiâ compertum habemus, quædam hic à nonnullis periculosa induci dogmata, quibus... divinorum Sacramentorum usus, qui sacer omninò ac salutaris esse debet, in perniciosum ac piis omnibus deplorandum abusum sæpissimè convertitur. Depravatis denique ac corruptis hominum moribus, blandimenta potiùs atque operimenta, quàm salutaria remedia comparantur, ut è sententiis ex libris illorum fidelster exceptis, nemini non apertum, atque exploratum esse potest. Huic autem malo cùm pro Episcopalis charitatis munere, quantum in nobis fuit, occurrere constituimus, protervis Concionibus in authoritatem nostram consurgere, atque Ecclesiasticæ potestati contumacem pervicaciam omni studio opponere ausi sunt.... tum maximè.... cùm liber de frequenti Communione.... in lucem prodiit, cujus Authorem constat...? aliud in ipso opere nihil præstitisse, quàm ut Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, SS. Pontificum, ac Conciliorum perpetuam & constantem de Pœnitentia & sacra Communione doctrinam.... proponeret ac commendaret... Quod cùm... videremus, è re Ecclesiæ meritò futurum confidimus, si nostris eum elogiis, utpote S. Caroli... authoritati & vestigiis inhærentem ornaremus*, &c.

Insuper Octavius, Archiepiscopus Senonensis, in litteris eodem die & anno datis ad gravissimum Cardinalem Franciscum Barbarinum (sacri Collegii postcà Decanum) scripsit ut sequitur: *Ea mollities animorum ac disciplinæ elanguescentis dissolutio processit, ut jam de vera pœnitentia, ac sincero amore Dei loqui, penè sit nefas. Hoc videlicet artificium humani generis hostis excogitavit, quo fatiscentis Religionis degenerem illam laxitatem pro ipsa Religione obtruderet, quasi à diverticulis ad viam regredi, à via aberrare sit.... Ita aliter quorumlibet licentia flagitiorum, ita crux Christi evacuatur. Jam enim crimen ludus est, & pœnitentia penè crimini datur.* Hæcille, & plura ejusmodi iidem Episcopi, in Epistola alia 21. Julii 1645. ad Innocentium X. data, in qua præfati libri doctrinam, *non eruditorum tantùm, sed omnium penè fidelium consentiente existimatione* (in Gallia) *comprobatam* esse contestantur, tantaque cum fiducia S. Sedis cam judicio committunt, ut Innocentium X. alloquentes, *Nos* (inquiunt) *hoc in negotio non indulgentiam tuam, sed æquitatem & severitatem postulamus, nec Judicis supremi*

mi vocem, sed silentium pertimescimus.

Nec his contenti, pro ejusdem doctrinæ defensione, Joannem Burgosium, Doctorem Sorbonicum, ad S. Sedem solemniter deputarunt. Unde factum est, ut Episcoporum illorum de ista doctrina judicium, sanum & orthodoxum, ipsamque doctrinam nullâ reprehensione dignam Eminentissimi Cardinales S. R. E. Generales Inquisitores unanimi judicio censuerint, prout ab ipsomet Innocentio X. & à Commissario S. Officii se didicisse, in sua ad Episcopos Relatione Deputatus ille testificatus fuit.

12 Qui & addidit, quòd ex laudatis Cardinalibus plures eandem doctrinam plurimùm collaudarint. Siquidem Cardinalis de S. Clemente doctrinæ istius causam, Dei & Ecclesiæ causam esse dixit. Cardinalis Palotta, quòd ex ea Dei gloria, Confessariorum Instructio, pœnitentium salus dimanaret. Cardinalis Capponi, quòd doctrina illa foret doctrina S. Caroli, cujus se discipulum profiteretur; quòdque pro S. Petri adversariis haberet adversarios ipsius; utpote qui S. Petro eripere vellent præcipuam è duabus clavibus, sibi à Christo collatis, clavim utique peccata retinendi; sine cujus usu cælum utplurimùm aperiri magnis peccatoribus non potest, nisi clausum ipsis fuerit per absolutionis negationem, vel dilationem. Et non solùm per non absolutionem, sed & per obligationem, quâ peccator adstringatur ad exercenda opera pietatis ac pœnitentiæ, quibus præparari possit ad absolutionem posteà recipiendam. Hoc enim significat verbum *ligandi*, inquit Vasquez de Pœnit. q. 90. n. 1. dub. 2.

Nec dissimile fuit judicium Cardinalis de Lugo, qui dixit, se ex lecta illa doctrina in lib. de freq. Commun. multùm profecisse, nullosque in libro illo errores contineri, nisi quos sola passio per consequentias malè deductas comminiscebatur, solaque libri lectio refellebat. Nec alium libri illius scopum esse, nisi corrigere abusus propè infinitos, qui in Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ susceptione irrepsissent, fideleque manuducere ad ea meliori cum dispositione suscipienda. Ista sunt, quæ ex Cardinalium illorum ore se accepisse Burgosius testatur in sua illa Relatione.

13 Dum ista Romæ agerentur memoratorum Episcoporum suffragiis, Archiepiscopus & decem Episcopi Provinciæ Auscensis anno 1645. Synodaliter congregati, sua quoque suffragia in magnificam ejusdem doctrinæ commendationem concordi assensu contulerunt. Sicut & (post Romanum judicium) rarâ pietate, zeloque Apostolico celeberrimus, Nicolaus Pavillonius, Episcopus Alectensis (cujus *virtutum præstantiam, necnon impensa sedulò, magno cum animarum fructu, Ecclesiæ sibi commissæ curas, vigiliasque, singularem pietatem, & pro servanda Theologorum unitate & concordia flagrantem zelum*, Pontificiis Litteris suis Innocentius XI. mirificè commendavit) necnon magnus ille Vir, Antonius Godæus, Vencensis Episcopus, Foucquetius, Episcopus Agathensis, & Mathias Lubienski, Archiepiscopus Gnesnensis, Poloniæ Primas, cum Andræa Grodecchio, Episcopo Theodosiano, Suffraganeo suo. Duo proinde & triginta Episcopi doctrinæ illius patrocinium susceperunt.

14 Et illa est doctrina, cujus praxim, nedum præcipui Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi, sed jam penè omnes in Diœcesibus suis stabilierunt. Illa est doctrina, quam cum aliis sapientissimis Cardinalibus suprà relatis, & c. 10. referendis, Eminentissimus D. Cardinalis Aguirius doctissimis dissertationibus suis, & Eminentissimus Cardinalis Denhoffius in Instructione sua Pastorali circa Sacramentum Pœnitentiæ nuperrimè illustrarunt, promulgarunt, commendarunt. Illa est doctrina, quam Eminentissimus etiam Cardinalis Carpegna, & per ipsum Ecclesiæ universalis Doctor & Pastor Innocentius XII. in Epistola Pastorali num. 8. exhibita sequendam proponit, velut in doctrina & praxi sanctorum Patrum fundatam, atque ex intimis disciplinæ veteris Ecclesiæ visceribus excerptam, quæque proinde ab iis solis traduci potest ut nova, qui *novitatem quærunt in visceribus vetustatis*, ut Optatus dicit. Enimverò doctrina est veterum omnium Sanctorum, sicut & novissimorum, S. Thomæ Villanovani, S. Caroli Borromæi, &c. prout c. 112. 113. 114. & seqq. demonstrabimus.

Illa est doctrina, quam innumeri etiamnum Doctores eruditione ac pietate clarissimi, tam sæculares, quàm Regulares, ex omni Ordine, etiam Societatis Jesu, profitentur, uti probabitur cap. 131. 132. & 133.

Illa denique doctrina est, quam Deus ipse suâ benedictione contra obtrectatores illius justificavit, sibique probatam esse manifestavit per uberes fructus, quos ex ea fideles percepisse cap. 135. monstrabitur.

In eam nihilominùs juniores quidam Scriptores, sub fictitiis nominibus Francisci Caroli Reymakers, Francisci Simonis, &c. cumque ipsis Carolus ab Assumptione, Joachim à Jesu Maria, Author *Tempestatis novaturientis*, &c. magno cum strepitu (post eos, de quibus sexdecim Episcopi suprà n. 11. mentionem faciunt) insurrexerunt, ardoreque incredibili in defensores illius, velut Novatores, Rigoristas, Jansenistas, &c. declamaverunt. O Deus immortalis! in quam animi impotentiam homines, laxiorum opinationum suarum adoratores, immoderatus æstus, & passio cæca abripit! Ubi obedientia & observantia Decreti, quo Innocentius XI. in virtute S. obedientiæ ejusmodi notas & convicia districtè prohibet? 15

Sed quid illis declamationibus suis profecerunt? Demonstrarunt amarum zelum suum; sed eo ipso sapientiæ desursum descendentis in se defectum (Fratre Domini teste) manifestarunt. Et nihilominùs Theologia Sanctorum tot inter declamationes, contentionesque ipsorum, velut lilium inter spinas, magis efloruit, radicesque suas quaquaversum adeò diffudit, ut patrocinium ipsius meliores Theologi cum suprà nominatis Cardinalibus & Episcopis jam suscipiant. Ita ut majorem gloriam ex tot declamationibus, vexationibus & persecutionibus, per earum victoriam reportaverit. Ipsius proinde gloriæ aliquid defuisset, si tot persecutores non habuisset. Unde ipsi meritò versus istos Alexander VII. dum Coloniæ Apostolicus esset Nuntius, applicavit.

Ventus ut amittit vires, nisi robora densæ
Occurrant sylvæ, spatio diffusus inani;
Usque perit magnus nullis obstantibus ignis;
Sic hostes mihi deesse nocet.

CAPUT III.

Ob grassantem hodie licentiam, quâ strictioris viæ, seu Theologiæ Sanctorum sequaces, asectatoribus viæ laxioris, velut Novatores, Jansenistæ, Rigoristæ, &c. perperam traducuntur, non debent, qui zelum Dei & veritatis habent, ab incœpto desistere.

VEritatem istam, tametsi Tomo I. Proleg. I. c. 3. satis probatam, ampliùs probare lubet exemplo S. Martyris Cypriani, qui similia, in causa non absimili, passus est ab Africanis Presbyteris, Felicissimo & Fortunato. Nam dum ipsis resisteret, lapsos præproperè absolventibus, in sanctum Episcopum tempestates ac procellas ex- 16

citarunt, ipsumque ad Cornelium Papam calumniosè detulerunt.

Et quid dico Cyprianus? vel ipse Salvator, dum *verba vitæ æternæ* hominibus evangelizavit, à maledicentiæ aculeis intactus non fuit, sed ab illis ipsis, qui apud Judæos doctrinæ & pietatis opinione spectabiles erant, traductus fuit, velut seditiosus & publicæ pacis perturbator, Luc 23. velut Samaritanus & hæreticus, Joan. 8. velut insanus & furiosus, Marc. 2. velut seductor, Matth. 27. &c. Apostoli quoque, aliique viri sanctissimi pariter exagitati fuere. Paulus, Doctor Gentium, tamquam hæreticus & criminosus, Actor. 24. Stephanus tamquam blasphemus in locum sanctum & legem, Actor. 6. S. Athanasius tamquam stuprator & homicida, S. Basilius tamquam ambitiosus & superbus, S. Martinus tamquam consentiens cum hæreticis, S. Joannes Chrysostomus tamquam arrogans, S. Hieronymus tamquam violentus & hæreticus, S. Augustinus tamquam Author novorum de gratia dogmatum, *quæ nullus unquam Ecclesiasticorum sensisset* epist. Prosp. ad August. quæque *desperationem quamdam hominibus exhiberent* epist. Hilar. ad eumdem. S. Paulinus tamquam insanus, S. Bernardus tamquam Pseudo propheta, S. Ignatius Societatis Fundator velut qui novitatibus studeret, S. Philippus Nerius eodem prætextu à Confessionibus audiendis suspensus fuit. De S. Carolo Borromæo quid non effarierunt improbatores sanctissimi zeli ipsius? Dum enim abusus corrigere, lapsamque disciplinam restaurare satageret, famosus Concionator è sacro suggestu, teste Giussano l. 4. vitæ ipsius, *cœpit paulàm injectari nimiam Archiepiscopi austeritatem*, Decretaque & disciplinam ipsius *immane jugum* appellare. Alii verò Decreta ipsius traduxerunt, ut *dura, iniqua & nova*, teste Ripamontio l. b. 4. 5. & 6. vitæ ejusdem. *Sed his criminationibus non offensus* (pergit Ripamontius l. 4.) *neque deterritus, pergebat alia insuper decernere, consentanea istis, quæ nuper vitio data essent*, memor Oraculi Apostolici: *Omnes qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Memor item Oraculi Evangelici: *Beati eritis cùm vos oderint homines, & separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum, tamquam malum, propter filium hominis*, id est propter veritatem & justitiam. *Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo: secundùm hæc enim faciebant Prophetis Patres eorum.* Econtrà *væ, cùm benedixerint vobis omnes homines: secundùm hæc enim faciebant Pseudoprophetis Patres eorum.* Ibidem.

Non igitur debent, qui zelum Dei & veritatis habent, ab incœpto desistere, dum pungi se vident stimulis contumeliæ, prout Tomo 1. Prolegom. 3. cap. 22. dixi. Neque enim Orthodoxi Patres abjecerunt veritatis patrocinium, ob similes maledicentias hæreticorum, vel aliorum sanam doctrinam non sustinentium. Quorum proprium temper fuit, Doctores Orthodoxos, pro veritate decertantes, velut hæreticos, seu novatores traducere; quo liberiùs possent errores suos, depressâ eorum authoritate, diffundere. Quos nuper imitati laxiorum, eoque nomine ab Alexandro VII. & Innocentio XI. proscriptarum opinionum Patroni, simili artificio conati sunt fucum Lectoribus & Auditoribus suis facere, quo meliora sapientium, tametsi integerrimorum, odiosam redderent doctrinam, & à se amolirentur laxatæ doctrinæ notam. Quis enim nescit, Caramuelem, in Apologemate contra Illustriss. D. Fagnanum, integerrimo sapientissimoque huic viro sæpiùs objecisse Jansenistam, pro eo quòd ad cap. *ne innitaris* de Constitut. liberiorem confutarit probabilissimum? Quis nescit, Casuistarum Apologistam laxitatum suarum oppugnatoribus passim etiam insultasse Jansenismi notam? Sed eo successu, qui patuit ex laxitatum, ab ipsis assertarum, Apostolica damnatione, Decretisque Alexandri VII. quibus & Casuistarum Apologiam, & Caramuelis Apologema confixit.

Dum ergo similia fratres fratribus, Orthodoxi Orthodoxis pergunt objicere, atque apud imperitos spargere; tametsi durum, teste equidem Salvatore beatum & glorioſum est, similia à fratribus pro sana doctrina & veritate pati. *Nec enim solas Gentilium, & Judæorum* maledicentias, & *minas cogitare & spectare debemus* (ait Cyprianus epist. 55. ad Cornelium) *cùm videamus ipsum Dominum à fratribus esse detentum, & ab eo, quem inter Apostolos ipse delegerat, proditum. Inter initia quoque mundi, Abel justum nonnisi frater occiderit, & Jacob fugientem persecutus sit frater infestus; & Joseph venierit, vendentibus fratribus. In Evangelio etiam legamus esse prædictum, magis domesticos inimicos futuros. Nihil interest quis tradat, aut quis sæviat, cùm Deus tradi permittat, quos disponit coronari. Neque enim nobis ignominia est, pati à fratribus, quod passus est Christus: nec illis gloria est facere, quod fecit Judas Christo*; vel Felicissimus & Fortunatus Cypriano, vel æmuli S. Carolo Borromæo, &c. Nobis autem glorioſum erit (cum Augustino conc. 2. in Psalm. 33.) *impendere in eos magnam charitatem, abundantem misericordiam in deprecando Deum pro illis, ut aliquando det illis sensum sobrium, ut resipiscant, & videant se, quia non habent omnino quod dicant contra veritatem. Non eis remansit nisi sola infirmitas animositatis; quæ tantò est languidior, quantò se majores vires habere existimat.*

Quapropter animus est, pro securiore doctrina, salvâ amicitiâ charitateque fraternâ, in sequentibus modestè decertare. Quod dum me facturum confido, contradicentes rogo, ut uno ore dicamus cum laudato Cypriano: *Nos quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis nostris non contendimus, cum quibus concordiam & Dominicam pacem tenemus. Maximè cùm & Apostolus dicat: si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Servatur autem à nobis patienter & leniter charitas animi, honor Collegii, vinculum fidei, concordia Sacerdotii.*

CAPUT IV.

Ostenditur animositates illas, & commotiones, neque ex vero zelo procedere, neque ex sincero veritatis amore; indeque plurimorum salutem impedire.

QUia nimirùm veritas semper sibi similis est, 17
sincerique amatores illius pari zelo falsitatem intectantur, sive ea in laxioribus, sive in rigidioribus opinionibus inveniatur. Et hinc sincero veritatis amore haud moveri probantur, qui pari zelo non moventur adversus laxiores, sicut adversus rigidiores opiniones. Illi proinde qui contra doctrinam de conversione magnorum peccatorum, præsertim consuetudinariorum, facilèque & citò relabentium, absque præmissis aliquanto tempore magnis instantibusque precibus, aliisque pœnitentiæ operibus, ad impetrandam Dei gratiam, ordinariè non contingente, deque differenda ipsis absolutione, ut infrà, velut contra doctrinam impracticabilem, & velut contra *tempestatem novaturientem novissimam*, tanta cum animositate insurgunt, totque & tantas commotiones excitant, ut à calumniandis sequacibus illius non contineant

sese;

ſeſe; ſi parem zelum non oſtendant adverſus tot opiniones Chriſtianæ pœnitentiæ ac vitæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, eoque titulo ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatas; imò ſi nullum non moverint lapidem, ad impediendam earum damnationem: ex hoc ipſo convincuntur, ſincero veritatis amore, veroque affectu ad majorem Dei gloriam, animarumque ſalutem non moveri.

Enimverò, ſi depoſitâ tantiſper animoſitate, & præjudiciis, conſiderarent, quàm lachrymandum in modum ubique locorum vitia & crimina inundent; quàm exiguus ſit (judicio Sanctorum) verè pœnitentium numerus; quàm infinita animarum multitudo defectu veræ pœnitentiæ æternùm pereat; eos infundatis clamoribus & calumniis non perſequerentur, qui defectuoſam ipſorum pœnitentiam detegunt, tantorumque malorum remedia ex Sanctorum Theologia proponunt; nec ſuis illis clamoribus & calumniis ſalutares impedirent fructus, quos ex divinæ gloriæ, ſalutiſque animarum zelo procurare ſatagunt.

Non dubium proinde quin iſtud artificium ſit humanæ ſalutis hoſtis; quo fit ut zeloſi Paſtores non audiantur ab ovibus, nec Confeſſores à pœnitentibus. Et quò magis creſcit iſta zeloſos Paſtores, Confeſſores Scriptoreſque calumniandi licentia, tantò magis creſcit pſeudo-chriſtianorum & pſeudo-pœnitentium numerus, atque ut veriſſimè Archiepiſcopus Senonenſis ſuprà num. 11. *eoſque mollities animorum, ac diſciplinæ elanguescentis diſſolutio proceſſit, ut jam de vera pœnitentia .... loqui penè ſit nefas. Hoc videlicet artificium humani generis hoſtis excogitavit, quo fatiſcentis Religionis degenerem illam laxitatem pro ipſa Religione obtruderet; quaſi à diverticulis ad viam regredi, à via aberrare ſit.... Ita alitur quorumlibet licentia flagitiorum; ita crux Chriſti evacuatur. Jam enim crimen ludus eſt, & pœnitentia crimini datur.*

Non ignorat utique *hoſtis ſalutis noſtræ, Sacramentum Pœnitentiæ unicum eſſe, poſt Baptiſma, remedium, quo & à crimine expurgemur, & cum Deo in gratiam redeamus* (ait Eminentiſſ. D. Cardinalis Denhoffius ubi ſuprà) *quare inter reliqua Sacramenta non aliud tam variis impugnavit modis; id maligno ſtudio pertinaciter agens, ut quoquo modo illud inutile reddere poſſit*, ſive per erronea hæreticorum dogmata, ſive per illas Catholicorum calumnias, ſive per laxiora plurium Caſuiſtarum opinamenta, de quibus proximè agetur.

CAPUT V.

Animarum ſaluti non ſola illa calumniandi, zeloſoſque Confeſſarios & Scriptores diffamandi licentia plurimùm officit; ſed & magna illa luxuriantium ingeniorum licentia, per quam in rebus ad ſalutem, atque imprimis ad veram pœnitentiam pertinentibus, variæ opiniones irrepſerunt; quæ in operis decurſu ideò refelluntur, quia magnorum Theologorum judicio nimis laxæ, Sanctorumque doctrinæ videntur adverſæ.

18 QUia, ut idem Eminentiſſimus Author obſervat ibidem, per eas ſatan, hominum ſaluti velut latentes ſcopulos quoſdam injecit, non omnibus notos, ut qui, facto poſt Baptiſmum naufragio, ſecundam prehendunt tabulam, quâ ad ſalutis portum evadant, in ſyrtes illas incidentes miſerè pereant. Sunt autem ſyrtes illæ, ſeu ſcopuli, opiniones quædam aptæ ad peccatores ſopore quodam involvendos, ciſque ſenſum adimendum, ne malum, quod in ſinu portant, ipſi ſentiant. Quia verò ab hiſce ſcopulis ideò pauci ſibi cavent, quia eos non cognoſcunt; Chriſtiana charitas urget nos, ut eos propalàm demonſtremus, ut ab iis, à viaque proinde nimis laxa ſibi caveant, qui ſalutem in tuto collocare amant. Sincerè autem proteſtor, me ſcopulorum illorum ſeu opinionum Authores non deſignare, ut in invidiam trahar, ſed ne fingere videar dogmata, quæ nullus aſſeruerit, uti tomo 1. in principio dixi. Non exiſtimet proinde Lector iis me Scriptoribus infenſum, quorum opinamenta, ut mihi videtur, laxiora refero, refelloque. Æſtimo eos, amoque ut debeo; ſuâ etiam laude dignos judico: tametſi enim, ut homines, à vero deviaſſe cenſeam, bonâ eos mente ſcripſiſſe non ambigo.

§. I.

Opiniones de gratia & facilitate pœnitentiæ.

I. ULtrò Deus gratiam veræ pœnitentiæ ſic 19
offert peccatoribus omnibus, ut non ſit multo tempore vel labore requirenda, ſed illi dumtaxat conſentiendum. Reymakers in Appendice num. 241. 242. 243.

II. Gratia veræ pœnitentiæ, ſeu converſionis, adeſt omni devotè recitanti orationculam, continentem formulam actûs contritionis. Aliàs ubi eſſet illud: *Facienti quod in ſe eſt, Deus nunquam deeſt?* Idem ibidem n. 254.

III. Ad contritionem imperfectam, imò ſæpè ad perfectam, non requiritur alius labor, quàm ut pœnitens, ſe præparans ad Confeſſionem, examinatâ conſcientiâ, conetur excitare verum dolorem, ex conſideratione turpitudinis peccati, & bonitatis divinæ. Tunc facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt. Idem n. 280.

IV. Non benè dicitur, quòd Deus non promiſerit dare gratiam veri doloris, ſtatim ac lubet peccatori; ſed quòd eam multis orationibus, & laboribus à Deo obtinere debeat: cùm non ſit opus inſtanter petere id quod Chriſtus ultrò offert. Et ipſe adſit brachiis apertis, ſtatim atque conamur excitare dolorem. Unde qui hoc dicit, nimis indignè loquitur de bonitate Dei, & aperit peccatoribus viam ad diffidentiam, & deſperationem. Idem n. 230.

V. Quando dicitur, converſionem peccatoris eſſe difficilem, hoc eſt intelligendum, quando eſt obſtinatus: qualis non eſt, qui venit ad Confeſſionem; quia vult, imò jam incipit ſe convertere. Idem n. 239.

VI. Sæpè relabentes in eadem crimina, & irretiti conſuetudine graviter peccandi, facilè & citò convertuntur. Idem n. 271.

VII. Peccator conſuetudinarius ordinariè citò convertitur. Joachim à Jeſu Maria opuſc. de amore ſuffic. diſp. 2. q. 1.

VIII. Actus contritionis, ſeu veri doloris, verique propoſiti emendationis, difficilis non eſt peccantibus ex habitu, Confeſſionis difficultates ſuperantibus. Carolus ab Aſſumpt. defenſ. commun. Eccl. prax. p. 3. halluc. 2.

IX. Cùm mutatio vitæ difficilior ſit peccantibus ex habitu, atque recidivis, quàm peccantibus ex fragilitate, neceſſitas Sacramenti poſtulat, mutationem illam minùs exigi ab illis, quàm ab iſtis. Idem ibid. p. 39. n. 10.

X. Id quod peccatores à Confeſſione avertit, emendatio eſt, ad quam major pars peccatorum non habet vires. Idem pag. 90. n. 28.

XI. Facillima eſt cordis noſtri de malo in bonum mutatio. Idem Pental. c. 7. p. 102.

XII. Contritio, etiam perfecta, facilè elici poteſt. Matth. Stok è Soc. in prax. Confeſſ. n. 26.

XIII. Remississimus dolor, si nihil aliud desit, quàm intentio, sufficit ad contritionem perfectam. Gobat tr. 6. de pœnit. n. 111.

XIV. Alacriùs nunc purgantur peccata, quàm committuntur, plurimique vix citiùs maculas contrahunt, quàm eluunt. Imago primi sæculi Soc. l. 3. c. 8.

XV. Divina misericordia faciliorem & promptiorem se exhibet ad parcendum recidivo, quàm recidivus sit ad relabendum. Carolus ab Assumpt. in Append. Pental. pag. 7.

XVI. Divinum præceptum pœnitentiæ, seclusso periculo mortis, vel lapsûs in aliud peccatum, practicè non obligat, sub gravi, ad pœnitendum, citiùs quàm obligaret præceptum Ecclesiasticum. Slaugter Anglo-Leodiensis in dictat. de pœnit. p. 1. disp. 1 sect. 3. conclus. 4.

XVII. Nulla est, vi præcepti divini, per se loquendo, obligatio Confessionis, nisi quando instat periculum mortis, vel non habendi postea per totam vitam copiam Confessarii. Ibid. p. 2. disp. 5. sect. 1.

§. II.

Opiniones de Contritione.

XVIII. Attritio sufficiens ad recipiendam gratiam baptismi, debet & non debet esse supernaturalis. Escobar to. 2. Theol. Moral. l. 11. problem. 80.

XIX. Probabile est dolorem, necessarium ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento Pœnitentiæ, non debere esse verum & realem, sed existimatum sufficere. Filliutius tr. 7. de Confess. c. 6. n. 150.

XX. Sufficit dolor naturalis, qui tamen supernaturalis existimetur. Escobar tr. 7. exam. 4. n. 39. Sufficit attritio naturalis, modò honesta. Theses Claromontanæ Parisiis defensæ anno 1643. & 1644. Saltem ad valorem Sacramenti probabiliter sufficit dolor naturalis, bonâ fide putatus sufficiens. Roimer in Conclus. Theol. de act. human. fol. 329.

XXI. Siquis doleat de peccato, propterea quòd Deus in pœnam illius malum temporale immisit, sufficit. Escobar ibid. c. 7. n. 91.

XXII. Attritio ex solo timore gehennæ, sine Dei propter se dilectione, cum martyrio, seu martyrium cum ea sola, aliquando sufficit ad conferendam gratiam & gloriam. Gobat cum Dicastillo de Sacram. tr. 2. n. 617. &c.

XXIII. Contritio cordis est dispositio, non materia, nec pars materiæ Sacramenti Pœnitentiæ. Carolus ab Assumpt. Pental. pag. 6 & 8.

XXIV. Non licet administrare Sacramentum Pœnitentiæ cum materia dubia; licet tamen cum contritione cordis dubia. Ibid. pag. 9.

XXV. Absolvi licitè potest (citra necessitatem) contritus in ore, cum dubio de contritione in corde. Ibidem pag. 43. & in Appendice 1. pag. 7.

XXVI. Minima probabilitas sufficit, ad non leviter credendum, quòd pœnitens sit contritus, & ut talis absolvi queat. Idem in elucidat. circa usum absolutionis in præf. fol. 3. & cap. 1. fol. 10.

XXVII. Absolutio fictè confessi usque adeò valida est, ut licèt tunc non operetur effectum, quia Sacramentum in oculis Dei nullum est, illum tamen operatura sit eo ipso quòd ponetur contritio fictionem tollens: eâ namque positâ, sine nova absolutione, fiet Sacramentum, & absolutionis illius operabitur effectum. Idem in Appendice Pental. pag. 8.

XXVIII. Confessio sine contritione cordis, si fictè facta (fictione peccaminosâ) non est iteranda. Idem Pental. pag. 43. & Append. pag. 7.

XXIX. Addunt alii, non solùm cum, quibonâ fide putat se habere dolorem, cùm reverà non habeat; sed etiam qui scienter absque ullo prorsus dolore accedit, judicans bonâ fide non esse necessarium, Confessionem validam, & non repetendam efficere.... Et secundùm aliquos, licèt cognoscat se peccare mortaliter, accedendo scienter sine dolore sufficienti, dum de tali defectu doloris cum aliis peccatis se accusat. Guimenius tr. de Matrim. propos. 14. pag. 277. n. 17.

XXX. Et saltem illum qui confitetur cum aliqua dispicentia & dolore, sed tamen scienter sine proposito vitandi lethalia, efficere Confessionem validam, & non iterandam. Ibidem n. 18.

XXXI. Confessio valida est deficiente contritione, quæ est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo & deficientibus peccatis, quæ sunt materia remota. Potuit ergo B. Virgo, licèt nec contritionem habuerit, nec ullum vel leviſſimum peccatum commiserit, D. Joanni confiteri. Guimenius ibidem pag. 278. n. 19.

XXXII. Minister Sacramenti Pœnitentiæ non est Judex principaliter propter culpam, sed propter pœnam: propter culpam, nonnisi propter pœnam. Carolus ab Assumptione Pentalogi pag. 47.

XXXIII. Propter remissionem culpæ præcisè non esset opus absolutione à Judice facta. Ibidem.

§. III.

Opiniones de Absolutione.

XXXIV. Doctrina quæ dictis recidivis & consuetudinariis, velut indispositis, vel non satis exploratè dispositis, differendam decit absolutionem; nec ipsis se dispositos afferentibus ordinariè esse credendum, dum manifesta ratio non appareat in contrarium, opponitur infinitæ misericordiæ Dei. Carolus ab Assumpt in Pentalogo. Et Joachim à Jesu Maria in Summario Assertorum Theologicorum n. 7 relatorum. 20

XXXV. Prudenter creditur consuetudinario & recidivo, post omnia promissa frustrata per continuum relapsum, dicenti se contritum; sicut & ei qui sæpiùs promisit se dimissurum proximam peccandi occasionem, & non dimisit. Neutri proinde titulo indispositionis, vel non satis exploratæ dispositionis, absolutio neganda est, vel differenda. Carolus ab Assumpt. Pental. c. 6. per totum. Et frequenter repetit in dicta elucidatione.

XXXVI. Si pœnitens recidivus, vel consuetudinarius dicat se habere sufficientem contritionem, quam non habet, viderit ipse. Qualis confessio, talis absolutio. Nihil inde imputandum absolventi. Nam si petatur, quare absolvisti recidivum? Credidi cum dispositum. Unde hoc credidisti? Talem se confessus est. Idem Pentalogi fol. 84.

XXXVII. Cùm Confessarius scire non possit, an durum cor recidivi, dicentis se dolere, non fuerit efficacitate gratiæ repentè mutatum; sub isto incerto, non videtur ipsi, tamquam indisposito, vel dubiè disposito, differenda absolutio: licèt differri subinde possit titulo cavendæ reincidentiæ. Idem ibidem fol. 103.

XXXVIII. Ne titulo quidem cavendæ reincidentiæ differenda est, dum pœnitens ex statuto suæ Religionis, vel ratione beneficii, vel ad lucrandam indulgentiam plenariam, communicare debet, vel celebrare. Ibidem fol. 103.

XXXIX. Cùm super omnem hominum misericordiam Dei superexaltetur misericordia, in eo quòd alios aliter, alios sic eligat & prædestinet, ut eos continuò in gravia labi permittat, & per Pœnitentiæ Sacramentum refuscitet: nec mortalium quisquam scire queat, an iste continuò recidivus, dicens se contritum, de isto non sit numero: sub isto incerto prudenter ipsi creditur, & ab-

solutio impenditur, ut sit ei salubre medicamentum, si ad istum pertineat numerum: si non pertineat, sit ei pœnale tormentum. Ibidem c. 6. n. 51. 52. 53.

XL. Habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ & Ecclesiæ, non est neganda nec differenda absolutio, etsi futuræ emendationis spes nulla appareat, dummodò verè doleat, & emendationem firmiter proponat. Quia cum defectu istius spei verus dolor, & firmum propositum concurrere potest. Baunius Theol. Moral. p. 1. tr. 4. de pœnit. q. 22. veritatem doloris, propositique firmitatem Sacerdoti satis explicatam putans ex ore voceque ipsius, ut constat ex sequenti propositione ejusdem.

XLI. Absolutio toties quoties impartienda est adolescenti in pollutiones crebras semper reincidenti, tametsi sæpè admonitus, emendandæ vitæ promissa non servaverit, nec pro tollenda consuetudine laboraverit: dummodò cum dolore & proposito necessario confiteatur. De quo Sacerdoti ex ejus ore voceque constet. Idem ibidem q. 15.

XLII. Quid si post omnia Confessario dicta, & promissa licentiosiùs & flagitiosiùs in eadem se crimina projecisset? Dummodò se equidem dolere, sibique propositum inesse testetur à peccatis imposterùm abstinendi, dignus est absolutione toties quoties, quantumcumque nulla notetur emendatio. Idem in Summ. peccat. c. 46.

XLIII. Non est necesse quòd Confessarius probabiliter judicet futurum ut pœnitens se à peccatis abstineat. Filliutius to. 1. tr. 7. c. 12.

XLIV. Et ideò debet ipsum absolvere, non obstante peccandi consuetudine, tametsi certò sciret ipsum relapsurum. Dicastillo tr. 8. de Pœnit. disp. 21. n. 362.

XLV. Sacerdos absolvere potest, toties quoties, habentem consuetudinem se polluendi, etiam quando nullus apparet profectus. Joannes Sancius in select. disp. 9. & 10.

XLVI. Adhuc post nullius emendationis experimentum..... absque voluntate tollendi occasionem .... potest quis absolvi. Dicastillo loco citato disp. 6. dub. 19. n. 354.

XLVII. Quando justæ & rationabiles causæ non tollendi prædictam occasionem subsistunt, etiamsi sæpè reincidat pœnitens, non cogendus est illam tollere occasionem, nec privandus absolutione, etiamsi sæpè recidivus: quin potiùs hortandus, ut sæpè veniat ad Confessionem. Idem disp. 10. dub. 23. n. 579.

XLVIII. Non est absolutio deneganda famulo, manenti apud hæreticum in occasione proxima transgrediendi Ecclesiæ præcepta, vel adhærendi damnatis hæreticorum dogmatibus, si doleat de præcedenti culpa, cum detestatione hæreseos, in eaque occasione maneat necessitate compulsus, ob defectum alterius conditionis, seu familitii. Apologia Casuistarum pag. 48.

XLIX. Docent pariter Theologi non esse necessariò dimittendam professionem, in qua periculum est Deum sæpiùs offendendi, animamque suam perdendi, si professio ista facilè dimitti non possit. Ibidem pag. 49.

L. In praxi existimo nunquam aut rarissimè denegandam absolutionem, ob doctrinæ Christianæ ignorantiam. Sanchez oper. moral. lib. 2. c. 3. n. 21.

LI. Absolutionis capax est, qui per ignorantiam, etiam culpabilem, nescit mysteria fidei, ne quidem SS. Trinitatis & Incarnationis, dummodò præteritæ negligentiæ eum pœniteat, firmiterque proponat fore ut discat. Nec ipsi deneganda adhuc absolutio, quamvis semel & iterùm admonitus discere potuerit, & neglexerit. Sanchez ibid. ex Azorio, absque exceptione ullius mysterii,

§. IV.

Opiniones de satisfactione.

LII. Pœnitentia sacramentalis, si levis sit, licèt pro peccatis gravibus, non obligat ex probabili opinione. Tamburinus l. 1. in Decal. c. 7. §. 5. n. 1. 21

LIII. Si pœnitens nollet acceptare pœnitentiam, paratus in purgatorio satisfacere, non ex hoc præcisè censendus indispositus, nec sine absolutione dimittendus. Quia opinio quæ docet, pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam, etiam post Tridentinum, videtur probabilis. Tamburinus method. Confess. l. 4. c. 2. §. 1. n. 7.

LIV. Non videtur esse præceptum de satisfaciendo in hac vita pro pœna temporali. Quia peccator potest, sine violatione justitiæ, imò & sine violatione charitatis, satisfactionem differre in alteram vitam. Filliutius to. 1. tr. 6. c. 9.

LV. Pœnitens absolvi potest, nullâ injunctâ pœnitentiâ, dum probabiliter creditur nullam acceptaturus. Sic aliquos tentire testatur Merbesius Summ. Christ. p. 2. dissert. 4. q. 57. sub finem.

LVI. Non peccat Confessarius, nullam imponendo pœnitentiam, dum pœnitens mox lucraturus est indulgentiam plenariam. Gobat de Sacram. tr. 7. casu 21. n. 744.

LVII. Argui non potest practica Confessariorum, leves pœnitentias pro grandibus delictis imponentium, ubi sic consuetum est. Quia licitum est consuetudinem istam sequi.

LVIII. Pœnitentiam levem pro magnis criminibus à Sacerdote injunctam, pœnitens reputare debet taliter sufficientem, ut Deus ampliorem non requirat.

LIX. Necesse non est quòd pœnitentiæ sint proportionatæ gravitati vel enormitati commissorum criminum.

LX. Tridentino, præcipienti impositionem pœnitentiarum, criminibus admissis proportionatarum, satisfit imponendo preces aliquas, etiam pro criminibus gravioribus.

LXI. Pœnitentia, seu satisfactio necessaria non est in Sacramento pœnitentiæ, quod sine ea fortitur effectum suum, id est remissionem peccatorum. Hanc & quadragesimam secundam, quadragesimam tertiam & quadragesimam quartam à nonnullis tradi Casuistis, testatur Author libri, cui titulus: *Apologia Pœnitentiæ*, c. 6. aiens se propositiones ipsorum cum omni sinceritate referre.

Plurimas alias de pœnitentia opiniones, nimium (ut videtur) laxas, Scripturæque & Traditioni parum consonas, impræsentiarum prætermitto. Tres porrò propositiones istas, 1. quòd ordinariè facilis sit conversio peccatorum quàmlibet magnorum, atque ex consuetudine in eadem gravia facilè & citò & frequenter relabentium, nec multo egeat tempore, vel labore, nec laboriosis pœnitentiæ operibus. 2. quòd sine illis Confessarius ordinariè credere debeat dictis peccatoribus se contritos asserentibus, ipsosque statim absolvere, nisi in contrarium appareat manifesta ratio, distincta à cito illo, & facili frequentique relapsu. 3. quòd ejusmodi peccatoribus ordinariè imponenda non sit pœnitentia laboriosa, sed vel aliquæ preces, vel frequens dumtaxat Confessio & Communio, aliaque ejusmodi. Tres (inquam) hasce propositiones docent Reymakers, Author Tempestatis novaturientis, & plerique alii noviores Casuistæ. Si autem propositiones istæ veræ sint, plurimæ ex propositionibus, quarum hic elenchum texuimus, facilè consequuntur. Si enim ordinariè facilis sit conversio magnorum peccatorum, etiam quotidie relabentium, & consuetudinariorum, ipsisque se contritos & conversos asserentibus fides tam fa- 22

citè adhibenda sit, & absolutio ordinariè impendenda; non est cur fides adhibenda non sit, absolutioque impendenda in omnibus casibus, de quibus à propositione trigesima quarta ad quadragesimam septimam. Imò non est cur fides ipsis adhibenda non sit, ipsisque absolutio impartienda, in casu quo versantur in proxima occasione peccati mortalis, quam se abjecturos sæpissimè pollicitisunt, nec umquam pollicitationibus steterunt, si denuò dicant se dolere, abjectionemque proponere.

23 Si etiam dictis pœnitentibus imponenda non sit pœnitentia laboriosa, sed aliquæ dumtaxat preces, vel etiam frequens Communio (quæ nihil vel modicum præ se fert pœnæ) frequensque Confessio (quæ etiam modicam adfert pœnam & confusionem plerisque recidivis & consuetudinariis, de crimimbus ipsis sæpè gloriantibus, seseque jactantibus) si denique sine magnis laboribus, proportionataque criminibus satisfactione (in re vel in voto) à peccatoribus illis per Pœnitentiæ Sacramentum facilè obtineri possit peccatorum remissio, non est cur propositiones 57. 58. 59. 60. 61. pari ratione nequeant sustineri. Imò etiam 52. 53. 54 55. & 56. Maximè cùm modicæ illæ pœnitentiæ, nihil auferi præ se ferentes, nihil vel ferè nihil, nisi pœnitentiæ nomen habeant, vixque aut ne vix quidem dici queant, nisi nomine tenùs, satisfactio, seu sufficiens reparatio enormium criminum. Neque enim sapiens quisquam existimaverit enormia crimina per illas sufficienter reparari.

24 Ecce quàm justè Eminentissimus Cardinalis Bellarminus aliquando conquestus est, veram pœnitentiam, dignaque illius opera, *non soltùm in moribus nostris, sed vix jam in libris* (Recentiorum Casuistarum) *reperiri*. Major enim pars Casuistarum Recentiorum supradictas propositiones vel formaliter tradere videtur, vel virtualiter, dum ea principia tradit, ex quibus consequi videntur.

CAPUT VI.

In hisce disceptationibus utrimque cavendus est excessus, tam scilicet laxitatis, quàm austeritatis.

25 SUnt, fateor, quorum vel doctrina vel praxis administrandi Pœnitentiæ Sacramentum, excedit in austeritate. Nam ut sapientissimus Episcopus Atrebatensis Guido de Seve optimè monet in Epistola sua Pastorali 3. §. 17. justa severitas in animo asperiore nonnunquam transilit limites justitiæ. *Sic enim regulæ sanctissimæ calumniis nonnunquam patent, quia malè exercentur, & earum usus perveritur; sed eadem semper manet veritas. Eucharistia mors est malis, nec ideò tamen minùs in se sancta. Neque verbum Dei, aut sanctissimæ Ecclesiæ Decreta minùs pura, aut minùs veneranda sunt, quòd corrumpantur ab inconsideratis, qui imprudentes, vel cæci nequeunt in medio illo consistere, extra quod nil nisi error ac mendacium est, sive deficiendo, sive excedendo devietur.* At sunt infinitò plures qui hodie excedunt in funesta relaxatione, quàm in praxi austeriore, eodem laudatissimo Episcopo teste, his verbis: *Nimium, nimiumque funesta horrendæ relaxationis experimenta in Diœcesi nostra deprehendimus. Sed & dicere licet, quamvis quam id infinitò varius sit, quosdam etiam fuisse, qui, mente quidem optimâ, sed zelo nimio, violabant leges Ecclesiæ, dum se recta agere existimabant. Et hos quidem facilè emendavimus: cùmque non peccarent nisi nimiâ, si ita loqui licet, virtute, & ardentiori amore illius quam arbitrabantur veritatis; semper invenimus eos paratos sequi, Christiana cum docilitate, lumen quod ipsis exhibebamus. Ubi alii, qui à Deo non aberrabant, nisi quòd nimis adhærerent soli lumini rationis, aut humano intuitu ducerentur, semper nobis visi fuerunt à parendo alieniores, & qui difficiliùs se paterentur ad officium revocari.* Cùm igitur infinitò plures laxitate peccent, quàm rigore, & isti facilius emendentur, quàm illi, hinc vero divinæ gloriæ salutisque animarum zelo nequaquam moveri rursus ostendunturqui dum tam acriter, tamque animosè declamant & vociferantur adversus pauciores excedentes in austeritate; nullum tamen similem zelum ostendunt adversus infinitò plures excedentes in laxitate: ipsis econtrà fœdere junctisunt; tametsi majorem animarum stragem, majusque divinæ gloriæ præjudicium hodie inferat excessus in laxitate, quàm in austeritate, ut infrà videbitur. Uterque proinde cavendus excessus. Cùm enim discretum esse oporteat animarum Directorem, eaque una sit ex præcipuis qualitatibus in ipso requisitis, cavendum ipsi omne extremum, sicque vitanda Charybdis nimiæ severitatis, ut non incidat in Scyllam nimiæ laxitatis. Nam ut sapienter Gerson t. 3. Alph. div. amo. c. 6. *discretio tenetur, cùm quis medium tenet in omnibus.* Teste etenim Philosopho 2. Ethic. 6. *excessus & defectus, vitii est; mediocritas, virtutis.* Et ideò Mellifluus Doctor l. 1. de Consid. ad Eugen. *Tene medium* (inquit) *si non vis perdere modum.*

Sicui necessarium est tenere medium, vitareque 26
extremum, maximè Directori animarum. Utpote qui si eas dirigat secundùm laxiores opiniones, ducit eas per latam & spatiosam viam, quæ (Veritate teste) ducit ad perditionem; & licèt sibi blandiatur, sub specie benignitatis & misericordiæ: reverà tamen immisericors est & crudelis; sicut crudelis est corporalis Medicus, qui sub specie compassionis, parcit ab asperis medicamentis, dum necessaria sunt ægris. Et ideò væ eis dicit Spiritus sanctus Ezech. 13. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas*, decipiendo scilicet animas molliori directione suâ, laxioribusque suis opinionibus, velut pulvillis & cervicalibus, sub quibus molliter conquiescentes, vivunt & moriuntur in peccatis.

Si verò eas dirigat secundùm opiniones rigidio- 27
res, dum immoderatâ austeritate suâ hominum imbecillitatem non pensat, viam salutis (aliàs patentem) imbecillibus præcludit, miserosque, propriæ infirmitatis conscios, in desperationem adigit, dum succumbentes infirmitati, animos & curam salutis abjiciunt. Ideòque Salvator Matth. 23. eos arguit, qui *alligant onera gravia, & importabilia; & imponunt ea in humeros hominum.* Dominus quoque Ezech. 13. suam adversus eos indignationem declarat, *pro eo* (inquit) *quòd fecistis mœrere mendaciter cor justi, quem ego non contristavi.* Quem in locum Imperfectus (seu Joannes noster 44. Patriarcha Hierosolymitanus) super Matthæum: *Tales sunt* (inquit) *nunc etiam Sacerdotes, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt. Qui dicunt, & non faciunt. Et sic dum pœna præsentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicuti enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse est, aut ut fascem abjiciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, aut ut pœnitentiam suam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet.* Ambrosius quoque indiscretos illos serm. 5. in Psal. 118. perstringit dicens: *Sunt etiam in nobis qui timorem Dei habent, sed non secundùm scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere .... quia non com-*

pœnitentur naturæ, nec æstimant possibilitatem.

28 Quia verò difficile est sic in cunctis medium tenere, ut neque Director animarum declinet in nimiam laxitatem, neque in nimiam severitatem (teste namque Gregorio 3. Moral. 29. *sæpè dissoluta remissio, misericordia vult videri. Plerumque etiam* (ut idem ait l. 31. c. 17.) *in ulcisciendis vitiis crudelitas agitur, & justitia putatur*) ideò res maximè ardua est, regimen animarum, meritòque ab eodem Gregorio & Nazianzeno *ars artium* nuncupata, tantique æstimata à Cardinale Berullo, ut unius animæ magis arduam pronuntiaverit curam, quàm unius regni, quàmlibet amplissimi. Enimverò " vel nimiâ remissione, atque „ indulgentiâ, vel districtiori quàm par est severi„ tate non prolabi, hoc opus, hic labor est " (inquit Contenson Th. ment. & cord. to. 9. dissert. un. c. 2. specul. 3.) " nec sine affuso sibi divinæ „ sapientiæ lumine, potest quis jura Dei ita tueri, „ ut hominum infirmitatem non opprimat; nec „ sic hominum imbecillitati obsequi, ut in jura „ Dei non peccet..... Quàm difficile, quàm lubricum, quàm charitatis & prudentiæ plenâ „ copiâ indigens, ministerium est Sacerdotum! „ ne, dum ignorantes docere volunt, cæcus cæco „ ducatum præstet; vel dum lapsos conantur eri„ gere, ipsi collabantur; ne denique pernicioso „ obsequio vulnus benignâ obtrectantes manu, „ ægritudinem foveant, seque ipsos vulnerent. „ Hinc (B. Francisco Salesio 1. p. Introd. c. 6. „ teste) Avila ex mille unum ad Directoris mu„ nus eligendum censebat. Ipse verò ex decem „ millibus discernendum imperat. Quia paucio„ res sunt, quàm dici potest, qui tantæ provin„ ciæ sunt pares. Hinc B. Theresia, quantum pe„ riculum sit à semidoctis, tenui & exiguâ eru„ ditione præditis, in vita sua testatur.

29 Quid ergo faciet in re tam difficili & ardua, animarum Director, ut nec deflectat in acerbam severitatem, nec in dissolutiorem remissionem; ut nec justo rigidior fit, nec mollior segniorque in retinendo sacerdotali vigore? Cantet Domino *misericordiam & judicium*, & sicut Gregorius Magnus ait in Pastorali, *insit ipsi justè consolans misericordia & sæviens disciplina: sicut in Arca Testamenti erat virga & manna.* Peccatori lapso, sauciato, & semivivo relicto, oleum infundat & vinum; oleum benignitatis, ne desperet; vinum severitatis, ne plaga putrescens periculosior fiat.

30 *Hanc utique sententiam suo Dominus Jesus commendavit oraculo* (inquit B. Laurentius Justinianus de Instit. Prælat. c. 9.) *cùm de homine descendente ab Hierusalem in Hiericho, & à latronibus vulnerato loquitur. Transiens* (inquit) *quidam Samaritanus, misericordiâ motus, alligavit vulnera ejus, vinum & oleum infundens. Per vinum videlicet justitiam, & per oleum misericordiam & compassionem significans.*

31 Et ratio est, quia non solùm cavenda est in peccatoribus desperatio, per nimiam severitatem; sed & peccandi audacia præsumptioque, seu spes præsumptuosa, de Dei misericordia, per nimiam absolvendi facilitatem, pœnitentiæque imponendi remissionem. *Utroque enim homines periclitantur* (inquit Augustinus serm. 47. de verb. Dom.) *& sperando, & desperando.* Et sicut idem S. Doctor ait epist. 153. novissed. edit. *sicut est aliquando misericordia puniens; ita & crudelitas parcens.*

32 Necessaria proinde est justitiæ & misericordiæ, benignitatis & severitatis temperatura. Ad quam quia cælesti opus est prudentiâ, quæret aliquis, ecquis nobis istius prudentiæ Doctor & Ductor erit? Non illi profectò qui vel traduntur vel sequuntur opiniones cap. 5. recensitas, utpote alienas (ut nobis videtur) à traditione praxique Sanctorum, & quæ si veræ sunt, lata & facilis est via salutis, quam suprema Veritas Deus, arctam esse definivit; & Christianus esse poterit, cæloque idoneus, qui, post enormia crimina, vivens in deliciis, nec re, nec voto, fecerit dignos pœnitentiæ fructus, nec crucem suam bajulaverit, Christum sequens. Quibus Evangelium perspicuè contradicit.

Cælestis ergo illius prudentiæ Doctores & Duces illi præ cæteris esse debent, qui præ cæteris eâ claruerunt, Christus, Apostoli, Patres, & sanctissimi Præsules. Utpote quos sapientiæ lumine, charitatisque & misericordiæ visceribus adeò implevit Dominus, ut minimæ ovis Christi salvandæ gratiâ libentissimè posuissent animas suas. Qui, licèt tam insignis misericordiæ spiritu repleti, cælestisque luminis abundantiâ perfusi, sacerdotalem vigorem cum misericordia Christiana sic sociarunt, ut enormiter lapsis, præsertim consuetudinariis, *pro salutaribus dilationum remediis, exitiosa properatæ communicationis venena* (prout Clerus Rom. epist. 30. ad Cyprian. loquitur) nequaquam subministrarint; arboresque rationales, juxta Evangelii præceptum, magis ex fructibus, quàm ex foliis æstimaverint; internamque proinde cordium affectionem factis potiùs quàm verbis expenderint; nec internam magnorum peccatorum pœnitentiam satis exploratam habuerint, per hoc quòd ad Sacerdotes, & Sacramenta (sicut Pharisæi olim, & Sadducæi ad Joannis baptisma) confugerent; sed per hoc quòd pœnitentiæ ipsorum opera fructusque perspicerent: illos utique fructus, quos sancti Præcursoris ore faciendos Spiritus sanctus edixit: *facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* 33

Ista ergo est cælestis prudentia Sanctorum; ista vera, justa & sapiens misericordia; non illa, quæ mores non emendat, sed dum vitia parcente manu (faliaci compassionis specie) contrectat, peccandi fomitem, pereundique cautam subministrat. Sciebant utique Sancti, dictum à Spiritu sancto: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem* (id est adulatio) *peccatoris non impinguet caput meum.* Ps. 140. Et Proverb. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Et Ps. 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* 34

Sciebant sibi dictum à benignissimo misericordissimoque Domino: *Vos estis sal terræ*; ideòque Christi oves, impurâ vitiorum labe tabescentes, salis sui acrimoniâ sanandas: *salis quippe ea virtus est* (ait Chrysostomus hom. 15. in Matth.) *ut laxa quæque & mollia acrimoniâ suâ urendo & constringendo, diffluere non permittat. Forti* proinde *atque acri animo opus esse* iis, de quibus Christus: *Vos estis sal terræ: sorti* (inquam) *animo, qui probris & maledictis lacerari non refugiat: cùm multò magis timendum sit, ne, si adulari & dissimulare velit, ipse corrumpatur, salis instar insatuati, quod ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur.* 35

Sciebant *Apostolos*, istâ Christi voce admonitos; *fuisse Doctores Orbis universi* (prosequitur Chrysostomus ibidem) *sed severos*, atque ex ipsis Paulum tradidisse Corinthium incestuosum satanæ, *in interitum carnis, ut spiritus ipsius salvus fieret.* 1. Cor. 5. Discipulum quoque, quem diligebat Jesus, tametsi famosum latronem benignissimè susceperit, non tamen protinus absolvisse (licèt in lachrymas resolutum, amarèque plorantem) sed post continuam orationem, assiduaque tum latronis ipsius, tum Apostoli, cum ipso & pro ipso jejunia, ut videre est apud Eusebium Histor. Eccles. lib. 2. c. 17. 36

Sciebant dictum & verè dictum ab Ambrosio: *Verè miseretur, qui cum justitia & sapientia miseretur.* Et à Cypriano: *Qui peccantem blandimentis* 37

adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta, sed nutrit. Seque proinde alienis irretiendos criminibus, si ea degeneri clementiâ foverent; nec se Pastores animarum futuros, sed lanios, ut S. Cyprianus ait.

38 Sciebant denique rursus dictum ab Augustino epist. 93. quòd *melius est cum severitate diligere, quàm cum lenitate decipere.* Sciebant & alia ejusmodi dicta Sanctorum. Quibus se conformantes, miscuerunt severitatem cum lenitate, justitiam & sapientiam cum benignitate, piè sævientem disciplinam cum misericordia consolante. Concludo proinde cum Simeone Archiepiscopo Tessalonicensi in Dialogo de Sacram. Pœnit. *Nemo seipsum seducat, existimans se accuratiùs quàm Patres judicare.... Neque iterùm quis deceptus, videri affectet magis quàm Patres infirmis compati, languidè & remissè agens, & imprudenter cadentibus concidens. Quis ita audax fuerit, ut confidat se Patribus humaniorem & clementiorem esse? .... Gratia est secundùm successionem. Nam à gratiarum fonte Domino.... in Apostolos ejus venit, ab Apostolis in Patres, à Patribus nostris ad nos. Igitur si quæ sunt Patrum observemus, successio gratiæ erit in nobis, &c.*

CAPUT VII.

Majus est hodie periculum excedendi per laxiorem, quam per severiorem administrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

39 Laudata illa cælestis medicinæ præcepta, Sanctorumque exempla, tanto minùs negligere debemus, quanto majus hodie periculum est peccandi nimiâ indulgentiâ, quàm nimiâ severitate, prout To. 1. Prolegom. 2. c. 15. demonstravi ex pluribus & fortioribus illecebris, quibus Confessarii hodie tentantur ad peccandum mollitie, quàm ad peccandum rigore. Quia, ut ibi dixi, & hîc repetere operæ pretium est, ad peccandum rigore, vix alio tentantur illicio, quàm indiscreto zelo, qui (attentis circumstantiis sæculi præsentis) non tam illecebrosus est, quàm septem vel plures illecebræ, quibus alliciuntur ad peccandum mollitie. Ad quod

40 Prima illecebra est amor hominibus placendi, timorque displicendi, unicuique in hoc statu naturæ corruptæ adeò insitus, ut rara sit avis in terris, qui à debito vigore ex illo amore non deficiat. Majori namque parti hominum (utpote abhorrentium arctam viam crucis & pœnitentiæ, etiam post crimina multa perpetrata) non placent nisi Doctores & Confessarii qui loquuntur placentia, confuuntque pulvillos & cervicalia, sub quibus molliter conquiescunt. Cæteri verò adeò displicent, ut probris & maledictis lacerentur, traducanturque (quamvis utplurimùm falsò) ut Rigoristæ, Jansenistæ, Novatores, Reformatores, ab ipsis etiam Doctoribus & Confessariis, contrariæ doctrinæ & praxeos sequacibus & asseclis.

41 Secunda illecebra est amor popularis æstimationis, timorque notarum istarum in populo. Quas ne incurrant, & ut popularem æstimationem in populo acquirant, facerdotalem vigorem multi, & valdè multi remittunt, maluntque indulgentiorum Confessariorum multitudini sese aggregare, quàm propter sacerdotalem fortitudinem, Deique & proximi charitatem (non quærentem quæ sua sunt) pungi frequentissimis stimulis popularis conturneliæ.

42 Tertia illecebra est naturale desiderium habendi multitudinem pœnitentium, ob suam vel familiæ suæ reputationem, vel ob aliud interesse. Nam quia multitudo non minùs fugit Confessarios pungentes, quàm arctam salutis viam, mavultque Confessarios ungentes, hac de causa Confessarii plerique à debito rigore ad nimiam indulgentiam deflectunt.

Quarta illecebra est naturalis amor Patris spiri- 43
tualis in filios filiasque pœnitentiæ. Ob quem amorem parentes (experientiâ teste) sæpiùs peccare solent per defectum rigoris, quàm per excessum.

Quinta illecebra est inclinatio naturalis conci- 44
liandi sibi pœnitentes, timorque dimittendi ipsos turbatos & insatisfactos. Quo Confessarii non pauci inflectuntur ad condescendendum pœnitentibus. Ne cum ipsis malè sint, vel ab ipsis deserantur.

Sexta illecebra est facilitas operis. Condescende- 45
re quippe pœnitentibus, facile est; fortiter obsistere, difficile. Ob rationes antè datas. Homines autem proniores esse solent ad facilia, quàm ad difficilia.

Septima illecebra est jucunditas operis. Jucun- 46
dum namque est pœnitentibus satisfacere; morosum & injucundum, insatisfactos dimittere.

Tot ergo & tantis illecebris tentati & illecti 47
Confessarii ad ipsis satisfaciendum, tot & tantis territi difficultatibus in contrarium, hisce allicientibus & terrentibus succumbunt, nisi fortitudine magnâ continuò elevent sese supra naturalem suam inclinationem. Ad quod quia magnâ & continuâ opus est violentiâ; violentum autem, utpote contra naturam, in paucis contingit (eò quòd res sit valdè difficilis, & ideò pauci gradiantur per difficilem salutis viam) inde fit quòd à paucis hodie Confessariis vigor sacerdotalis teneatur, & à longè pluribus remittatur, ita ut hoc maximè tempore verum sit quod Augustinus ait epist. 21. edit. noviss. *Nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius, Episcopi, aut Presbyteri officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius.* Econtrà, *nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi, aut Presbyteri.... officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.* Propterea etiam maximè hoc tempore timendum, multùmque timendum, ne verum sit quod Chrysostomus hom. 3. in Acta dicit: *Non arbitror inter Sacerdotes, multos esse qui salviantur, sed multo plures qui pereant.* Nisi enim valdè multi ex ipsis à debito vigore deficerent, S. Thomas Villanovanus conc. in fer. 6. post Dom. 4. Quadrag. non diceret: *Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum, & Pastorum blandiens adulatio?* Nec S. Franciscus Salesius in suis Instruct. & Constitut Synodal. tit. 9. c. 5. deploraret, quòd per nimiam absolvendi facilitatem *sanguis Christi profanationi exponitur, & Presbyteri iteratarum prolapsionum, & illorum malorum sese reos constituunt, quæ ex falsis nascuntur absolutionibus, quibus perit tum Presbyterorum, tum pœnitentium multitudo infinita,* Nec S. Carolus Borromæus in Instruct. Pastor. p. 2. c. 18. conqueretur, quòd *Confessariorum incuria maximam præbet ansam, cur in omnibus ferè opificiis & exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles.* Ergone major pars Confessariorum ab Evangelico rigore deficit in nimiam mollitiem? Omninò, inquit magnus ille Vir Antonius Godæus, Vencensis Episcopus: quia Confessarii & Directores animarum *majori ex parte minimè respiciunt ad veram Dei gloriam, nec ad regulas Evangelii, nec ad Sanctorum exempla, nec ad proximi detrimentum, ut meritò dicere possimus cum Psalmista:* "Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum." Sic ille in sua Ecclesia-"

stica Historia ad annum Christi..... Fredericus Cardinalis Borromæus, S. Caroli Borromæi Patruelis & imitator, & in ejusdem Archiepiscopatu Mediolanensi post aliquot annos successor, volum. 3. all' adunanza de Confessori ragionamento 1. 2. 3. 4. & 5. pariter deplorat, pauciores esse Confessarios, qui datas à S. Carolo Confessariis Instructiones, pro neganda, vel differenda absolutione, sequi velint. Cumque ragionamento quarto retulisset exemplum Confessarii Regularis, qui in celebri Italiæ urbe feminam divitem & nobilem, fornicandi consuetudine irretitam, absolvere noluisset, nisi priùs emendationis argumenta dedisset, eidemque feminæ (cum ira reponenti: *Si meis te precibus exorabilem præbuisses, Basilicam Monasterii tui ex lapidea argenteam aureamque fecissem*) fortiter respondérat: *Maledicta femina, pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Cùm istud (inquam) exemplum Cardinalis Fredericus retulisset, subjungit: *O quàm beata forent Monasteria, si plures istiusmodi Religiosos enutrirent! O quàm beati forent populi, si à tam generosis Pastoribus regerentur! Multi quidem etiamnum hodie Confessarii post aurum non abeunt. Verùm plurimi sequuntur auram popularem, & famæ celebritatem; seque tanto illustriores arbitrantur, quanto ipsos, in Pœnitentiæ Tribunalibus positos, major ægrarum animarum turba circumcingit. Quasi verò laus foret Medici, circum se innumerabilem habere ægrorum exercitum, quorum ne unum quidem posset sanare. Ecclesia est instar agri. Justi sunt fructus. Peccatores ejus spinæ. Laus agricolæ spiritualis est in multitudine fructuum; ejus verò dedecus in multitudine spinarum.* Hinc ibidem, & ragionamento 2. addit, plures eorum, qui corpus suum jejuniis & flagellis castigant, aliaque multa opera bona præstant, cum tantis illis operibus perire: quia confitentibus manus nimis incontideratè imponunt, imponendoque peccatis alienis communicant, & pluribus causa sunt perditionis æternæ, quorum animas de manu ipsorum requiret Dominus. Qui si elevassent sese supra naturalem inclinationem placendi hominibus, vitia omnia resecassent. *Tolle* enim (ait Chrysostomus, seu Joannes Hierosolymorum Episcopus XLIV. homil. 43. oper. imperf. in Matth.) *tolle hoc vitium à Clero, ne velint hominibus placere, & omnia vitia resecantur.*

CAPUT VIII.

Moderni Pontifices, Sanctique hujus & præcedentis sæculi, magis conquesti sunt de pernicie animarum, per dilatatam, quam per coangustatam cæli viam inducta.

48 QUod Romanos Pontifices, assertionis nostræ veritas perspicua est ex Decretis Alexandri VII. & Innocentii XI. quibus centum & decem Propositiones, à plerisque traditas, ob nimiam laxitatem, nuper proscripserunt; nullâ condemnatâ ob excessum rigoris, tametsi plures hoc titulo, seu colore, ad condemnationem Innocentio XI. oblatæ fuerint. Nonnullas quidem, ob nimium rigorem, Alexander VIII. proscripsit; sed longè pauciores, & longè à paucioribus traditas; imò aliquas à nullis. Nec eas ab aliquo traditas dixit Alexander VIII. prout dixerunt Alexander VII. & Innocentius XI. publicèque demonstrarunt est, earum delatores falsissimè & calumnioissimè de iis innocentissimos accusasse.

Quoad Sanctos hujus ac præcedentis sæculi,
49 eadem veritas pariter conspicua est ex S. Thoma Villanovano, S. Carolo Borromæo, & Salesio n. 47. laudatis, qui licèt non probaverint nimiam severitatem, præcipua tamen Ecclesiæ damna, animarumque pernicies non adscripserunt nimiæ Confessariorum & Pastorum severitati, sed nimiæ indulgentiæ, seu mollitiei, prout ibidem vidimus. Nec certè S. Carolus Borromæus in actis Ecclesiæ Mediolanensis, suaque Pastorum & Confessariorum Instructione, pastoralem sollicitudinem suam tam ostendit in corrigendis excessibus rigoris, quàm in corrigendo defectu vigoris, uti manifestum faciunt tot querelæ sanctissimi Cardinalis adversus Confessarios mollius & remissiùs agentes. Quos ut ad sacerdotalem vigorem, depositâ omni humanâ consideratione revocaret, sic eos adhortatur in concione habita in II. suo Concilio Mediol. *Oportet nos depositis cupiditatum nostrarum perturbationibus, oculisque in cælum conjectis, non utilitates nostras, non commoda, non hominum honores spectemus; non rebus nostris, non popularibus studiis, non laudi, non gloriæ nostræ, sed Christo serviamus, cui omnem gloriam, omnem laudem, omnem honorem debemus. Neque enim est cur aut nobispsis, aut hominibus placeamus. Siquidem quis inde fructus, si nosipsos amantes, animæ nostræ jacturam faciamus? Ecquæ utilitas nobis existet, si iram Dei in nos concitantes, hominum benevolentiam populari quâdam indulgentiâ concilemus? Audiamus Paulum clamantem:* " Si hominibus placerem, Christi servus non essem. " *Dissipat autem Deus ossa eorum, qui hominibus placent, inquit Propheta.*

Nec verò (prosequitur ibidem) *est cur à muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his pastoralibus nostris studiis actionibusque animos eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis; vel quia populares illæ..... voces audiantur; non ferunt hæc tempora veterum canonum severitatem. Sic jamdiù viximus, sic vixerunt, ita egerunt, qui ætate antecesserunt. Vitæ institutum non est quod immutemus. At nos hæc, atque adeò alia ejusmodi contemnamus. Proponamusque nobis ob oculos libertatem illam spiritûs, & virtutem, quâ armati Patres nostri Apostoli, quâ muniti Martyres, quâ instructi ordinis sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius..... quâ affecti alii religiosi viri, Apostolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus, quasi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissi salute, forti constantique animo adhibuerunt illam quasi censuriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem.*

Eorum ferè exemplo adducti nos quoque, Apo- 51
stolicâ illâ constantiâ, & Evangelicâ virtute (quâ unâ nihil est in Evangeliis Pastoribus illustrius, nihil magis necessarium) sine metu & constanter certè agamus..... quod Evangelium docet, quod Christus jubet, quod ratio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ authoritas dignitasque postulat. Nam si contrà à nobis fiat, in formidoloso illo Dei judicio, cùm animarum, quæ in fidem & curationem nobis traditæ sunt, rationem reddemus, tum aliorum nos accusantium vociferationes, & irati Judicis nos item acerbè objurgantis, eas voces audiemus: Si speculatores eratis, cur cæci? Si Pastores, cur gregem vobis commissum errare permisistis? Si sal terræ, quonammodò evanuistis? Si lux eratis, cur sedentibus in tenebris & in umbra mortis non illuxistis? Cætera quæ addit relege to. 1. Prolegom. 1. c. 3.

An non hinc satis intelligere potest cordatus 52
Lector, Calusticas opiniones c. 5. recensitas, in ædificationem non esse, sed potius in destructionem Christianæ pœnitentiæ, qualem Prophetæ, Christus, Apostoli, SS. Patres magnis saltem peccatoribus necessariam prædicant? *Rem verè operosissimam esse, ad Sacramentum Pœnitentiæ ri-*

tè accedere, ait cum ſanctis Patribus S. Carolus Borromæus. Quomodò operoſiſſima, ſi neceſſaria ad id præparatio, vera utique contritio, plenaque cordis converſio, etiam poſt ingentia crimina, eorumque conſuetudinem, frequentemque repetitionem, tam facilè comparetur, ut Caſuiſtæ illi opinantur? Veram pœnitentiam, ſaltem poſt ejuſmodi crimina, eſſe raram, Ambroſius, Pacianus, aliique Patres atteſtantur. Quomodò rara, ſi tam facilis, ut ſine præmiſſis laborioſæ pœnitentiæ operibus ordinariè comparetur, nec ejuſmodi peccatoribus pœnitentia magna injungenda ſit, ne quidem poſt abſolutionem peragenda? Si ita eſt, vera eſt ejuſmodi peccatorum perſuaſio, minimo negotio veram pœnitentiam agi poſſe. Atqui perſuaſio iſta veræ Chriſtianæque pœnitentiæ magis exitioſa eſt, quàm peſtis corporali vitæ.

53 Porrò vera pœnitentia remedium eſt malorum omnium, humanæque infirmitatis præſidium unicum, unica poſt lapſum, ad ſalutem via. Videte ergo quot malorum authores eritis, ſi laxiora opinamenta illa ſectando, in cauſa ſitis, quòd à lapſis vera non agitur pœnitentia; quæ ſi non veraciter agitur, ſpecieque ipſius contentus peccator, veram ſe egiſſe putet pœnitentiam, cùm longè ab ea ſit, fiunt noviſſima hominis iſtius pejora prioribus. Quia ſpiritus nequam, ad eum rediens, à quo revera non exierat, ſed exire ſimulaverat tantùm, adducit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe.

CAPUT IX.

Sancti Patres in hiſce diſceptationibus aſſumendi Judices.

54 Iſti ſunt enim, quos Spiritus ſanctus *dedit nobis ... Paſtores, & Doctores ... in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti ... ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris.* Epheſ. 4.

55 Iſti ſunt, ad quos Spiritus ſanctus nos remittit Deuter. 32. *Interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi.* Eccli. 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum. Ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis. Quoniam ab ipſis diſces intellectum.*

56 Iſti ſunt, de quibus Leo Magnus epiſt. 6. *Frequenter quidem, in diverſarum quæſtionum ambiguo, fratrum corda titubantia, Spiritu Dei inſtruente, ſolidavimus, reſponſionum formas vel ex ſacrarum Scripturarum diſciplina, vel ex Patrum regulis colligentes.* De quibus etiam Gregorius VII. l. 3. epiſt. 10. *Videntes ordinem Chriſtianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum cauſas diù prolapſas, & ſuadente diabolo conculcatas, concuſſi periculo & manifeſtâ perditione gregis Dominici, ad ſanctorum Patrum Decreta, doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione noſtrâ ſtatuentes, ſed primam & unicam Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam & ſectandam eſſe cenſuimus. Neque enim alium noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ introitum Chriſti ovibus.... ab ipſo monſtratum... ab Apoſtolis prædicatum, & à SS. Patribus obſervatum, in Evangelica, & in omni Scripturarum divinarum pagina didicimus.*

57 Iſti ſunt, de quibus Concilium VIII. Conſtantinop. act. 10. c. 1. *Ut rectam regiamque divinæ juſtitiæ viam ſine erroris offenſa teneamus, ſanctorum Patrum correcta, velut inextinctæ quædam, ſemperque ardentes faces, ſequenda ſunt.*

58 Iſti ſunt, à quibus, *tamquam ab Apoſtolicis viris, converſationis in Eccleſia percepimus ordinem* (inquit Damianus epiſt. 18.) *ſicut ab Apoſtolis fidem. Et ideò propemodum non mutamus diſciplinæ modum* ab ipſis *traditum, ſicut illibatum tenemus fidei fundamentum.*

Iſti ſunt, quos *adimplevit Dominus ſpiritu ſa-* 59
pientiæ & intellectus, Eccli. 15. ut minùs ſapientes per ipſos, tamquam cæleſti ad hoc lumine perfuſos, inſtruerentur.

Iſti denique ſunt, quos Paſtores, Magiſtros & 60
Patres Eccleſia agnoſcit. Quos ipſamet Concilia conſuluerunt, velut Judices & Oracula, ex quibus definitionum ſuarum regulam deprompſerunt, quoſque coluerunt, velut fideliſſimos teſtes Eccleſiaſticæ Traditionis, & velut reſplendentia ſidera, in quibus Sol juſtitiæ puriores radios ſuos expreſſit, ut Nazianzenus ait orat. 1.

Nihil proinde juſtius, nihil rationabilius, quàm 61
ut nos quoque ad ipſos recurramus, atque ex ipſorum oraculis diſcamus, quid hiſce in diſceptationibus tenere debeamus. Agitur enim de re inter graviores graviſſima, à qua innumerabilium pœnitentium, & Confeſſariorum ſalus æterna dependet. Cujus profectò deciſio ſecurè non petitur ex iis Authoribus, qui ſua morum dogmata potiùs depromunt ex humanis fallacis ingenii ſui rationibus & adinventionibus, quàm ex traditione, quæ per ſanctos Patres, velut canales fideliſſimos, ad nos derivatur.

CAPUT X.

Poſt ſanctos Patres, traditionem, Eccleſiæque hiſce de rebus ſenſum, diſcere nos oportet potiſſimùm ab Epiſcopis, altiſque Prælatis, qui primas in Eccleſia partes obtinent.

VEritas aſſertionis ex Scripturis, Patribus & 62
Conciliis certiſſima eſt: utpote ex quibus conſtat Epiſcopos *regere Eccleſiam Dei*, Act. 20. ſuarumque Eccleſiarum jure divino eſſe *Doctores*, 1. Timoth. 3. quibus à Deo commiſſum eſt, *ut attendant ſibi & doctrinæ*, ibidem c. 4. alioſque *exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*, ad Tit. 1.

Ipſos etiam Spiritus ſanctus Apoc. 1. 2. & 3. vo- 63
cat *Angelos Eccleſiarum*. Et iidem à SS. Patribus appellantur *Eccleſiæ luminaria*. Hieronymus adverſus Lucifer. Nicolaus I. epiſt. 21. ad Epiſcopos Synodi Sylvanect. *Apoſtolorum Succeſſores*. Concil. Trid. ſeſſ 23. c. 4. *Et apud nos locum Apoſtolorum tenentes*. Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium. Et 54. ad Marcellam. Quibus *tota ſcientia, poteſtas & authoritas Sacerdotii à Deo optimo, Authore & principio omnis myſterii & perfectionis data eſt*. Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. c. 5. Quique, ut lib. 5. Capitular. c. 163. ex Proſpero dicitur, *ſunt divinæ voluntatis Indices, Eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores, pravæ doctrinæ hoſtes, ... columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium..... diſpenſatores regiæ domûs, quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus & officia ſingulorum, &c.*

Ipſos denique tamquam legitimos controver- 64
ſiarum fidei & morum Judices, Concilia & Patres ſemper agnoverunt. Teſte namque Hieronymo Apolog. in Rufin. l. 2. Origenis errores per Ægypti & Paleſtinæ Epiſcopos primùm, deinde per S. Epiphanium & Theophylum, Epiſcopum Alexandrinum, proſcripti fuere. Teſte quoque Euſebio l. 2. Hiſtor. Eccleſ. c. 22. 23. & 24. Paulus Samoſatenus à vicinis Epiſcopis condemnatus fuit. Sicut & Arius ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino, teſte Theodoreto l. 1. Hiſt. Eccl. c. 2. Necnon Eutyches à proprio Epiſcopo Flaviano. Cujus ſententiam approbavit Concil. Calcedonenſe. In quo Legati S. Leonis Papæ

act.

act. 3. dixerunt *hæreticum istum fuisse secundùm canones à proprio Episcopo condemnatum.* Unde Innocentius II. epist. ad Episcopos Gall. 193. apud Bernard. *contra veteres* (inquit) *errores, viri Ecclesiarum Pastores viriliter insurgentes, eorum prava dogmata, cum ipsorum Authoribus, condemnarunt, &c.*

65 Si itaque Episcopi sint Ecclesiarum Rectores & Doctores, ab ipsis meliùs quàm à Casuistis infelicis hujus sæculi, Ecclesiæ sensum & traditionem, quoad controversiam præsentem, discere debemus.

66 Si Apostolorum sint successores & locum tenentes; sicut ergo Apostolorum, *sic Episcoporum est*, de dogmatibus c. 5. commemoratis, deque Ecclesiæ sensu & traditione *judicare*, ut S. Bernardus ait epist. 189.

67 Si Angeli sint Ecclesiarum: sicut ergo *Angelorum*, sic Episcoporum *ministerium* est, tollere scandala de regno Dei, uti rursum Bernardus ait epist. 200. Et sicut *inferiores Angelorum Ordines purgantur ab ignorantia.... per Spiritus superiores, à quibus evehuntur ad sublimiores, puriores & clariores illustrationes visionum divinarum.* Dionysius ubi suprà c. 6. Sic Sacerdotes inferiores, in disceptationibus de divini verbi intelligentia, de Ecclesiæ sensu & traditione, aliisque ejusmodi, ab ignorantia purgantur, & ad puriores clariores-que illas rationes evehuntur per Episcopos, ad quos comparantur, sicut Angeli inferiores ad superiores: cùm inferiores etiam Sacerdotes Angeli dicantur Malach. 2. Siquidem, ut Dionysius dicit ibidem c. 5. *lex est sanctissima à Deo constituta, ut res inferiores per superiores ad divinissimum lumen ipsius eleventur.* Ideò namque Episcopi sedent in *Ecclesiæ throno*, & in ipsis Christum in Ecclesiæ throno sedentem cernere debemus (uti S. Pachomius se cernere testabatur, prout habetur in vita ipsius c. 27.) ideò etiam ab Ecclesia semper agniti fuerunt tamquam legitimi omnium ejusmodi controversiarum Judices, & tamquam Ecclesiæ divino jure Doctores, ut judicium & doctrinam ipsorum in omnibus fidei & morum disceptationibus suscipiant Sacerdotes inferiores, cæterique fideles, atque ipsorum judicio potiùs credant quàm proprio; ad ipsosque potiùs, pro dubiorum suorum decisione, recurrant, quàm ad seipsos, vel ad alios privatos Doctores. Ad quos enim fideles olim in dubiis suis, pro eorum decisione, post SS. Patres, recurrebant, nisi ad Episcopos? Longè ergo tutius adhuc hodie, in dubiis seu controversiis circa Scripturæ vel Ecclesiæ sensum, vel traditionem, ad ipsos recurritur, quàm ad privatos Casuistas, quos Ecclesia & Patres non agnoscunt, tamquam depositarios verbi Dei, & traditionis, sicut agnoscunt Episcopos.

68 Denique si Episcopi sint *Ecclesiæ luminaria*: ad ipsos ergo spectat, in omnibus ejusmodi dubiis & quæstionibus, errorum tenebras dissipare, & fideles instruere, &c. Ipsi ergo, post SS. Patres, præ cæteris reverenter audiendi sunt, & ab ipsis potiùs quàm à privatis Casuistis discendus est Ecclesiæ sensus & traditio, in omnibus fidei & morum controversiis. Nec ipsis, de Ecclesiæ sensu & traditione docentibus, gregemque sibi commissum instruentibus, ab inferioribus Sacerdotibus in faciem est resistendum, prout à quinquaginta & amplius annis publicis in Concionibus factum conquesti sunt Galliarum Episcopi, & nuper adhuc magno cum strepitu, nimiaque animositate factum est ab Authore Pentalogi, mihi quidem amicissimo, natalibusque & libris editis celebri; sed circa præsentem disceptationem magis, ut mihi videtur, animoso, quàm solido, prout ex dicendis apparebit.

CAPUT XI.

Invectivæ Sanctorum, veterum ac novissimorum, necnon gravissimorum Cardinalium & Episcoporum adversus assertam per propositiones cap. 5. enarratas facilitatem absolvendi reos gravium criminum, consuetudinarios, recidivos, &c. priusquam magnis precibus, gemitibus, aliisque laboriosæ pœnitentiæ ac pietatis operibus justo tempore pulsaverint ad fores divinæ misericordiæ, ad impetrandam plenæ conversionis gratiam. Cujus facilitatis praxim Sancti vocant misericordiam falsam, veram crudelitatem, piam impietatem, blandam perniciem, &c.

§. I.

Invectivæ Cypriani, Cleri Romani, Sanctorum Confessorum Moysis, Maximi, &c.

IN eam imprimis vehementer invehitur Cypria- 69
nus in libro de lapsis, & in variis epistolis suis. Cùm enim Cypriani tempore controversia exorta foret inter Episcopos, & lapsos in idololatriam persecutionis tempore, *qui omnes peccatum quidem fatebantur, & publicè deflebant* (inquit Morinus l. 9. c. 3. n. 8.) sed quasi hoc sufficeret, obtentis ad id litteris à SS. Confessoribus & Martyribus, absque præviis aliis pœnitentiæ operibus, absolvi importunè efflagitabant, & à nonnullis Sacerdotibus quâdam erga ipsos misericordiâ motis absoluti fuerant.

Istud est quod Cyprianus graviter reprehendit, 70
& adversus taliter absolventes lib. de lapsis c. 7. insurgit in hunc modum: *Cùm scriptum sit, qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant. Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit.... Oportet Dei Sacerdotem, non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum, virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putaminibus amputatis, medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cùm senserit sanitatem. Emersit enim (Fratres dilectissimi)* NOVUM GENUS CLADIS.... ACCESSIT, SUB MISERICORDIÆ TITULO, MALUM FALLENS, ET BLANDA PERNICIES. CONTRA EVANGELII VIGOREM, CONTRA DOMINI AC DEI LEGEM, TEMERITATE QUORUMDAM LAXATUR INCAUTIS COMMUNIO (id est peccatorum remissio, quæ vocabulo illo olim exprimebatur, ut Morinus ostendit lib. 3. c. 12. n. 2.) IRRITA ET FALSA PAX; PERICULOSA DANTIBUS, ET NIHIL ACCIPIENTIBUS PROFUTURA. *Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus excussa est, gravissimi extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis, altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur.* A DIABOLI ARIS REVERTENTES, AD SANCTUM DOMINI SORDIDIS ET INFECTIS NIDORE MANIBUS ACCEDUNT.... VIS INFERTUR CORPORI EJUS ET SANGUINI.... *pacem putant esse, quam quidam verbis fallentibus venditant.* NON EST PAX ILLA, SED BELLUM..... QUID INJURIAM BENEFICIUM VO-

CANT ? QUID IMPIETATEM VOCABULO PIETATIS APPELLANT ? ... *hoc sunt ejusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas.* ... NON CONCEDIT PACEM FACILITAS ISTA, SED TOLLIT; *nec communicationem tribuit sed impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia, & alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occultâ populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur peccatorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum, longâ & plenâ pœnitentiâ deprecetur; cùm scriptum sit:* " Memento unde excideris, & age pœnitentiam. " *Nemo se fallat ... Dominus orandus est, Dominus nostrâ satisfactione placandus est. Siquis præproperâ festinatione temerarius remissionem peccatorum dare sibi cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere,* NON TANTÙM NIHIL PRODEST, SED OBEST PLURIMÙM. PROVOCASSE EST IRAM, NON SERVASSE, id est non suspendisse, SENTENTIAM, *nec misericordiam priùs deprecandam putare, sed contempto Domino, de sua facultate præsumere.*

Et epist. 55. ad Cornelium: Hujusmodi facilitate *datur opera .... ne vulnera lachrymis abluantur.* PAX VERA FALSÆ PACIS MENDACIO TOLLITUR, *salutaris sinus matris novercâ intercedente præcluditur, ne de pectore oreque lapsorum fletus & gemitus audiatur.*

71 Sic etiam Clerus Romanus epist. 31. ad Cyprianum: *Absit ab Ecclesia Romana, vigorem suum tam profanâ facilitate dimittere, & nervos severitatis* EVERSA FIDEI MAJESTATE *dissolvere, ut cùm adhuc non tantùm jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ,* PROPERATA NIMIS REMEDIA COMMUNICATIONUM, *utique non profutura, præstentur, & nova,* PER MISERICORDIAM FALSAM, *vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris, ad eversionem majorem, eripiatur & pœnitentia. Ubi enim indulgentiæ medicina poterit procedere, si etiam ipse Medicus, interceptâ pœnitentiâ, indulget periculis; si tantummodò obruit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem?* HOC NON EST CURARE; SED, SI DICERE VERUM VOLUMUS, OCCIDERE.

72 Similiter Moyses & Maximus, Presbyteri; Nicostratus & Ruffinus, Diaconi, aliique Confessores epist. 26. ad eumdem Cyprianum: *Animadvertimus te congruente censurâ & eos dignè objurgasse, qui immemores delictorum suorum, pacem à Presbyteris, per absentiam tuam, festinatâ & præcipiti cupiditate extorsissent; & eos qui,* SINE RESPECTU EVANGELII, SANCTUM DOMINI CANIBUS, ET MARGARITAS PORCIS, PROFANA FACILITATE DONASSENT: *cùm grande delictum .... non oporteat, nisi .... cautè moderatèque tractari .... ne, dum volumus importunè ruinis subvenire, alias majores ruinas videamur parare. Ubi enim divinus metus relinquetur, si tam facilè peccantibus venia præstetur? Fovendi sunt enim animi ipsorum* (lapsorum) *& ad maturitatis suæ tempus nutriendi, & de Scripturis sanctis, quàm ingens & super omnia peccatum commiserint, instruendi.... Infidelis enim cicatrix, quam citò festinans Medicus induxit, & ad quemlibet casum medela rescindetur, si non fideliter de ipsa tarditate remedia præstentur. Citò rursus in incendium flamma renovatur, nisi totius ignis, etiam usque ad extremam scintillam, materia restinguatur, ut meritò hujusmodi homines sciant sibi, etiam de ipsa mora, magis consuli, & fideliora, necessariis dilationibus, remedia præstari.*

§. II.

Invectivæ SS. Ambrosii, Chrysostomi, Leonis, Hormisdæ, Gregorii Magni, Isidori.

LAudatus sanctus Ambrosius in Psal. 118. ad versum, *viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei*, sic habet: *Quando vulnus grande ac vetus est, & diù serpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit.... Citò enim refricatur vulnus, quod sanatum medicinæ lege non fuerit... Ideòque bonus Medicus hujusmodi ægrum legitimè dicit esse curandum, ut possit medicina proficere. Lege ergo miseretur, qui cum justitia sapientiaque miseretur, ut ea dimittat, quæ scit jure posse dimitti: ne, cùm alterius miseretur, seipsum faciat legi obnoxium.... Consideremus etiam, ne ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injustè. Plerùmque enim non coërcere delinquentes,* MAJORIS AUSTERITATIS EST QUAM SI ULCISCARIS. *Traduntur enim in passiones ignominiæ, qui, cùm aliquid inhonestum fecerint, nullum culpæ pretium referunt.* 73

Et ad versum, *miserere mei secundùm eloquium tuum: In ipsa* (inquit) *Ecclesia, ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma justitiæ, nequis à communionis consortio abstentus, brevi lachrymulâ, atque ad tempus paratâ, vel etiam uberioribus fletibus, communionem* (id est absolutionem) *quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Hoc ideò dictum est, ut sciamus, secundùm verbum Dei, secundùm rationem, dispendandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse, si serpentis interiùs vulneris inveniat cicatricem, cùm debeat resecare ulceris vitium, ne latiùs serpat; tamen à secandi undique proposito, lachrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit:* NONNE ISTA INUTILIS MISERICORDIA EST, *si propter brevem incisionis vel exustionis dolorem, corpus omne tabescat, vitæ usus intereat?*

Et post Ambrosium Chrysostomus homil. 4. in 2. ad Corinth. in morali: *Si quispiam Christianis hominibus convenire dixerit humanitatem erga fratrem peccantem exhibere, discat ille, humanitate eum uti, qui irascitur; non eum, à quo præmaturè qui peccat vocatur, nec peccati sui sensu afficitur. Uter enim* (quæso) *febre ac phreneti laborantem misericordiâ prosequitur, an qui in lecto eum sternit, ac vinculis adstringit, atque à noxiis cibis ac potionibus arcet? an qui ei mero se ingurgitandi facultatem præbet, ac sui juris & arbitrii eum esse jubet, omniaque facere, quæ ab homine sano, atque incolumi valetudine fieri debent? An non morbum quoque hic exulcerat, qui humanitatis officio sibi jungi videtur? cùm contrà ille morbum pellat ac profliget? eodem modo hic quoque judicamus. Humanitatis enim est, ægrotis non ubique indulgere, ac præposteris ipsorum cupiditatibus abblandiri. Nemo eum, qui apud Corinthios stupri se crimine obstrinxerat, tam amabat quàm Paulus, qui eum satanæ tradi jubebat. Nemo rursus tam eum oderat, quàm is qui peccanti applaudebant & obsequebantur.... Quocirca nos etiam has humanitatis clementiæque leges addiscamus. Nam & tu, si æquum videris, qui in præcipitia fertur, frænum injicis, acriter inhibes, ac sæpè flagellas. Atqui cruciatus hoc est. Verùm hujusmodi cruciatus salutem ei adfert. Eamdem igitur erga eos qui peccant rationem tene. Vinculis eum, qui facinus improbum admisit, coërce, usquedum ipse Deum sibi propitium ac placidum reddiderit. Si vincula ipsi injecero, Deus jam non vinciet. Sin autem in vincu-* 74

Iis eum non tenuero, sed statim absolvero, *ejusmodi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant.... Si enim nosipsos judicaremus, non utique judicaremur.* PROINDE NON EST QUÒD HANC REM CRUDELITATIS ET SÆVITIÆ ESSE ARBITRERIS, SED SUMMÆ CLEMENTIÆ ET BENIGNITATIS, PRÆSTANTISSIMÆQUE MEDENDI RATIONIS, NEC VULGARIS ERGA PECCATORIS SALUTEM CURÆ.

75 Et post Chrysostomum S. Leo Papa epist. 79. *Abjicienda prorsus pestifera hæc à pastorali vigore patientia, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.*

76 Et post Leonem Hormisdas Papa epist. ad univers. Provinc. quæ extat in fine Pœnitent. Halitgarii to. 5. Biblioth. Patr. QUÆ EST ISTA INIMICA BENIGNITAS! *palpare crimina, & vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare? Verè dico, quia illi ipsi, quibuscum* PERICULOSA ET FALSA MISERICORDIA *indulgere videmur, cùm ante Tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes, quòd dum asperitatem linguæ eorum expavimus, aut falsa blandimenta & periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, nos eos,* DUM ILLIS INUTILITER INDULGEMUS, *in peccatis permanere, aut etiam ipsa peccata augere permiserimus.... O pietas! ô misericordia! uni parcere, & omnes per exemplum malum in discrimen adducere. Non ita suadet sanctus & beatissimus Martyr Cyprianus, dicens: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec perimit delicta ille, sed nutrit*, &c.

77 Et post Hormisdam Gregorius Magnus Pastor. l. 2. c. 8. *Pulvillos sub omni cubito manûs ponere, est cadentes à sua rectitudine animas, atque in hujus mundi se dilectione reclinantes blandâ adulatione fovere. Quasi enim pulvillo cubitum, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cùm correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat.*

78 Et post illos omnes Isidorus l. 2. sent. c. 13. *Sunt qui pœnitentibus securitatem cièò pollicentur, quibus benè per Prophetam dicitur: Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax, & non erat pax. Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti, & non legitimè pœnitenti promittit securitatem.*

§. III.

Invectivæ Concilii Toletani III. Romani sub Gregorio VII. Britannici, Lateranensis, Rothomagensis.

79 TEmpore Gregorii Magni Concilium Toletanum III. can. 11. acri invectivâ reprehendit præsumptionem eorum, qui quoties peccare libuisset, toties à Presbyteris absolvi volebant. Ad quam præsumptionem coërcendam, eos absolvere prohibet ante impletam pœnitentiam: *Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundùm Canones, sed sœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent. Ideò pro coërcenda tam execrabili præsumptione, id à S. Concilio jubetur, ut secundùm formam Canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc est ut prius eum, quem sui pœnitet facti, Communione suspensum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manûs impositionem crebrò recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicut sacerdotalis contemplatio probaverit, eum Communioni* (per absolutionem, seu reconciliationem, ut perspicuum est ex contextu) *restituat. Hi verò, qui ad propria vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem labuntur, secundùm priorum Canonum severitatem damnentur.* Illis verbis haud dubium, execrabilem & pernicioſam censeri absolutionem eorum qui toties absolvi expostulabant, quoties peccare libuisset. Si enim fœdissima eorum pœnitentia, si execrabilis præsumptio toties absolutionem postulandi; haud dubiè execrabilis & pernicioſa Concilio visa est facilitas toties eos absolvendi. Dumque ad excludendam hanc facilitatem statuit pœnitentiam impleri, antequam per absolutionem reconcilientur, apertè significat fœdissimam eorum pœnitentiam à se censeri, qui post graviora crimina, ante absolutionem præstare nolunt laboriosa pœnitentiæ opera, per quæ impetrent plenæ conversionis donum; sed iis nondum præstitis, consequi volunt absolutionis beneficium. Quos prohibet absolvi, nisi ex præstitis pœnitentiæ operibus sacerdotalis contemplatio probaverit ipsos esse plenè conversos. Cujus oppositum quia Concilium præsumit in casu, quo ad propria vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem relabuntur, ideò erga tales servari vult veterum Canonum severitatem, secundùm quam relapsi in gravius crimen post pœnitentiam & absolutionem, denuò non absolvebantur, nisi in fine vitæ. Proinde haud dubium videtur, à Concilio Toletano improbari plurium Juniorum facilitatem, quâ ipsos statim in solo verbo ipsorum, secundùm opiniones cap. 5. recensitas, absolvunt. Cùm eos absolvant, quorum pœnitentia istius Concilii judicio fœdissima est, & execrabilis præsumptio, quâ ante actam pœnitentiam, toties absolvi postulant, quoties peccare libuerit.

Unde Illustrissimus D. Godæus, Vencienſis Episcopus, considerans verba allegata Concilii Toletani to. 4. Histor. Eccles. l. 2. c. 127. *Textus* (inquit) *adeò fortis est & clarus, ut glosâ opus non sit, ad hoc ut inde pateat, quàm falsæ sint pœnitentiæ majoris partis peccatorum nostri sæculi, quamque culpabiles sint Confessarii, qui ad divinas istas regulas non solùm non conantur accedere, sed & eas vituperant, & condemnant velut noxias saluti animarum.*

80 Diù post Concilium istud, Concilium Romanum VII. sub Gregorio VII. *Admonemus* (inquit) *omnes, qui æternæ damnationis pœnas evadere, & veræ beatitudinis gloriam cupiunt intrare, ut à falsis sibi caveant pœnitentiis. Sicut enim falsum baptisma non lavat originale peccatum; ita post baptismum falsa pœnitentia non delet nefas commissum. Ideòque valdè necessarium est, ut qui se aliquod grave crimen commisisse cognoscit, animam suam prudentibus & religiosis viris committat, ut per veram pœnitentiam, peccatorum suorum consequatur veniam. Hæc est enim vera pœnitentia, ut post commissum alicujus gravioris criminis, utpote meditati homicidii, & sponte commissi, seu perjurii.... vel aliorum his similium, ita se unusquisque ad Deum convertat, ut, relictis omnibus iniquitatibus suis, deinde in fructibus bonæ operationis permaneat.... Unde inter omnia vos hortamur, ut in accipiendis pœnitentiis, non ad illos curratis, in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia; qui animas hominum magis ad interitum, quàm ad salutem ducunt, esse Veritate, quæ dicit:* " si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt: " *sed ad eos qui, religione & Scripturarum doctrinâ instructi, viam veritatis & salutis* (arctam utique, non latam) *vobis ostendere valeant*, à quibus illi soli absolvantur, qui post commissum alicujus gravioris criminis, sic per opera pœnitentiæ se conversos probant ad

Deum, ut relictis omnibus iniquitatibus suis, ipsem magnam faciant, quòd deinceps in fructibus bonæ operationis permansuri sint. Cujusmodi certè non sunt majori ex parte peccatores sæculi nostri, eadem graviora crimina frequenter post Confessionem repetentes, maximè consuetudinarii.

81 Aliud Concilium in Britannia minore per Legatos suos celebrari fecit idem sanctissimus zelosissimusque Pontifex, *ad falsam pœnitentiam abolendam*, prout habet inscriptio Concilii. Ut enim Binius observat in notis suis ad istud Concilium, *frequens erat in Britannia hoc tempore, quòd, absque aliqua emendatione, peccantes, in iisdem peccatis perseverantes, absolverentur. Hoc malum Ecclesiæ Gregorius Papa jubilatum volens, Legationem decrevit in Britanniam minorem, ibique mandavit celebrari Concilium, quo pœnitentia illa, quâ populus seductus erat, planè proscriberetur.* Ubi per peccantes, in iisdem peccatis perseverantes, ii haud dubiè intelliguntur, qui post Confessionem in fructibus bonæ operationis non permanentes, solita crimina facilè & citò repetebant. Illos enim in peccatis suis perseverare Patres censuerunt, qui post Confessionem illa non emendant, sed in ea facilè ut antè relabuntur; utpote qui ne tunc quidem plenâ voluntate ea relinquere censentur, cùm confitentur, prout ex dicendis constabit.

82 Post Gregorium VII. Innocentius II. celebravit Concilium Lateranense II. in quo can. 21. declarantur mala, quæ sequuntur ex falsa pœnitentia: *quia inter cætera unum est quod sanctam maximè conturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia: Confratres nostros & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis animas decipi, & in infernum detrahi patiantur*, falsò pœnitentes absolvendo. Cujusmodi pœnitentium varia ibi refert exempla.

83 Concilium denique Rothomagense anni.... sic habet: *Nimiâ facilitate & frequentia indulgendi omnia graviora crimina, Ecclesiastica disciplina enervatur, & ad eadem aut majora perpetranda erigit hominum audacia.*

§. IV.

Judicium Sanctorum novissimorum de iisdem.

84 S. Anctus Thomas Villanovanus conc. 3. in Dom. 4. Quadrag. censet quòd absque dignis pœnitentiæ fructibus, quibus contra relapsum fortiores efficiantur, statim absolvere eos, *qui post Confessionem statim redeunt ad peccatum suum.... licet dicant in Confessione, quod verè proponant emendationem, sit eos decipere*, indignosque absolvere. Quòdque Confessarius ipsis credere non debet, nisi effectivè jam emendatis. Verba cap. 12. proferemus.

85 Concione verò in feriam 6. post eamdem Dominicam sic loquitur: *Ilium qui a Domino vivificatus, desiderio salutis à vitiorum sepulchro foras egreditur, vos, ô Sacerdotes, solvite.... prius ergo vadat, & concubinam è domo expellat* (& idem est de alia quacumque proxima peccandi occasione; atque adeò de peccandi consuetudine) *pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam, prout potest, resarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita solvat, offenso fratri reconcilietur, & veniam petat, & tunc ad Confessarium redeat, & absolvatur. Hic rectus est ordo, hic in Lazari suscitatione à Domino servatus est. Hunc ordinem ne transgrediaris.*

86 *O Medice! cur fœtentem solvis? cur indigno veniam promittis? cur cui absolutionis beneficium exhibeas, non discernis? Duas tibi claves Dominus dedit, unam discernendi* (dignos absolutione) *alteram judicandi, absolvendi scilicet*, dignos, *& ligandi* indignos, & non satis probatos dignos: *Et tu sine discretionis examine, neminem ligas, omnes absolvis. Unâ tantùm clave* (judicandi scilicet) *neque integrâ quidem uteris, sed dimidiatâ* (quia neminem ligas) *heu! heu ventrem meum doleo: in domo Dei horrendum vidi.* Quidnam horrendum? *Pastores, Domini sui oves jugulantes: Medicos, populi sui ægrotos occidentes: Judices, turpibus blandientes: Censores, flagitia palpantes: Cæcos, gregem Domini dirigentes. An non horrendum hoc?..... O miseri,* ANIMARUM NON CURATORES, SED INTERFECTORES! NON CONSULTORES, SED DECEPTORES! *quid respondebitis Domino, pro grege, quem vestris blanditiis decepistis?* ..... QUID ECCLESIAM DOMINI HODIE PERDIT, NISI CONFESSARIORUM ET PASTORUM BLANDIENS ADULATIO? .... *Væ miseris.... vulnera liniunt, vermem conscientiæ extinguunt, stimulum peccati auferunt, & securos peccatores ad inferna demittunt. Qui si timorem populo incuterent, forsitan illum à vitiis revocassent. Cui comparabimus adulatores istos?* .... *similes sunt hominibus, qui à ripa pereuntibus in flumine manum porrigunt, & violentiâ fluminis ipsi cum aliis demerguntur. ... Pendere namque peccatorum assentatores suos post se peccatores in præcipitia rapiunt, & secum ad inferna deducunt.*

Hæc contra quosdam Confessarios nostri temporis, PIE IMPIOS, ET IMPIE PIOS *dicta sint, qui, ne confitentes aliqualiter contristent, illos in sua nequitia manere permittunt. At quanto melius esset ad modicum contristare, quam in æternum damnare!.... Non te pigeat, ô Sacerdos! ægros moribus ad pœnitentiam contristare.*

87 Post Villanovanum S. Carolus Borromæus in Instructione Confessorum p. 2. in primis cap. 1. dicit, *summoperè cavendum esse multis Confessariis, ne in gravem reprehensionem incideris eorum inducta; cùm de tanto numero confitentium tam exiguam emendationem videmus in iis qui toties, & tam multis annis hoc Sacramentum frequentarunt*, ob nimiam haud dubiè in absolvendo facilitatem, & in pœnitentia imponenda remissionem. Ob quam etiam cap. 12. addit quòd Confessariorum *vel incuria vel negligentiâ, vel alia de causa sæpè accidit, quòd absolutionis beneficium iis impertiantur, qui eo revera indigni sunt; ac proinde multi in eisdem sæpè peccatis hærent, cum animarum suarum lamentabili ruina.*

88 Et cap. 17. loquens de modo, quo Confessarius se gerere debet cum iis qui sunt in occasione peccandi per se licita, sed respectu ipsorum periculosa (cujusmodi *plurimis esse solent, in castris esse, mercaturam sequi, magistratus obire, Advocati & Procuratoris officia exercere, aliaque id genus, quæ dum quis tractat, fit sæpè ut vocibus blasphemis, furtis, injustitiâ*, &c. Deum graviter offendat) postquam dixit quòd *hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiu in antiqua occasione perseverat, sed æquum est, ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur.* Protinùs addit: *Atque hic vigilandum est eò diligentiùs, quò manifestum est hac in parte Confessarios incuriâ suâ* (id est ignavâ facilitate, quâ tales homines, contra regulam proximè dictam, absolvunt) *maximam præbere causam, cur in omnibus ferè opus sit iis, & exercitationibus publicis, peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles.*

89 Simili modo c. 14. conquestus fuerat quod *hâc tempestate luxus vestium* (& alia quælibet peccandi licentia) *ad summum, quem cognoscere potuit, vertisse videtur evasisse, magna ex parte culpâ*

& negligentiâ Confessariorum, qui.... nullo cum scrupulo eos absolvunt.

90 Post S. Carolum S. Franciscus Salesius in Institutionibus & Constitutionibus suis Synodalibus (quas in ordinem digessit, auxit, ipsique dicavit Successor ipsius, in dedicatoria sic S. Francisco alloquens: *Grand Saint.... nous n'y parlons que par votre bouche; nous ne nous y faisons entendre, que comme un foible écho de vos paroles divines.... enfin nous n'y établissons que des veritez solides, tirées de plusieurs de vos ouvrages, & appuyées sur votre doctrine*) tit. 9. c. 5. sic habet: *Nihil perinde Ecclesiam dedecorat; nihil ita ejus violat disciplinam; nihil ita fovet peccatores in somnolenta peccandi consuetudine, quam probrosus ille mos, quo quidam Presbyteri peccata relaxant, non tamquam Judices, qui prudenti & gravi criminum discussione discernant, num pro eo possint pronuntiare; verùm tamquam mancipia, quæ præcipiti & adulante indulgentiâ peccatoribus blandiuntur. De istis adulatoribus dicit Cyprianus, quòd inducant in Ecclesiam dulcem crudelitatem, misericordiæ & clementiæ nomine palliatam. Eumque quam dant pacem* (id est absolutionem) *idem Cyprianus irritam esse & falsam pacem asserit, dantibus periculosam, & nihil accipientibus profuturam.*

91 Et ut constet quinam Confessarii istos committant abusus, regulas quasdam subjungit differendæ absolutionis; ex quarum non observantia abusus illi proveniunt: *Eapropter ut abusus isti eradicentur, Confessarii different absolutionem* pluribus in casibus ibi enarratis, signanter iis qui *vitiosis habitibus eradicandis nervos omnes non intenderint, in Confessione aliàs admoniti & correpti.... Legi poterunt plures casus, in quibus pœnitentem dimittere oportet, in Institutionibus S. Caroli.*

Salesio proinde Judice, Confessarii istis in casibus statim absolventes, Ecclesiam maximè dedecorant, Ecclesiæ violant disciplinam, peccatores fovent in somnolenta peccandi consuetudine, inducunt in Ecclesiam dulcem crudelitatem, pietatis ac misericordiæ nomine larvatam, &c.

92 Sed quid si peccator spondeat vitæ emendationem, proximæ occasionis abjectionem, &c. illine Confessarius debet credere, statimque absolvere? Non, inquit: *siquidem varii Presbyteri se faciles exhibent in danda peccatorum absolutione, modò peccatores spondeant emendationem, & elongationem a proxima occasione peccandi.... diligenter inquirendum est, num idem non sæpiùs promiserint? Nam si idipsum identidem promiserint, nec promissum impleverint, Presbyter illorum verbis non debet credere, sed differre absolutionem, quousque ab istis occasionibus peccandi recesserint, & quoadusque per aliquod temporis spatium ad eas non redierint. Nam si detur absolutio sine spe probabili quòd pœnitens stabit promissis, sanguis Christi profanationi exponitur, & Presbyteri iteratarum prolapsionum, & illorum malorum se reos constituunt, quæ ex falsis nascuntur absolutionibus.* QUIBUS PERIT TUM PRESBYTERORUM, TUM POENITENTIUM MULTITUDO INFINITA.

93 Pœnitentem autem, cui tunc absolutio negatur, vel differtur, suaviter monendum dicit, *quòd ipsi hoc pacto ortum detur... faciendi aliquam pœnitentiam, ad veram pœnitudinem obtinendam; quòdque non desint rationes dubitandi, an verè peccatum deserere decernat, cùm post tot promissa non fecerit*; quia scilicet firma solidæ pœnitudinis fundamenta non jecit, quamdiù nullam aut vix ullam pœnitentiam ad veram pœnitudinem obtinendam fecit.

§. V.

Eminentissimorum Cardinalium Gropperi, Fredevici Borromæi, Bellarmini, Lecani, Forbinii querelæ de iisdem.

LAudatis Sanctis succinit Joannes Gropperus 94
(Vir egregiæ sanctimoniæ & doctrinæ, quem Paulus IV. teste Sacchino renuentem in Cardinalium adlegit Collegium) in sua Institutione Catholica, ubi plurimum redarguit negligentiam, imperitiamque Sacerdotum, in congruis pœnitentiis imponendis, eamque dicit esse causam fœdissimorum malorum & scandalorum, quæ videmus *in Ecclesiam agminatim inundasse.* Ideòque pag. 231. vehementer monet Sacerdotes, ut caveant, *ne vulneri, dum adhuc pus intùs est, parcenti manu cicatricem obducant, sed potiùs secato eo, & aperto, fortiorem pœnitentiæ medicinam, dum omnis putredo evacuetur, infundant*; addirque eos, *qui hanc tam necessariam & salutarem curam negligunt.... saucios & semivivos, non attrectato vulnere, inani spe lactare, eâque implentos, in mortem æternùm duraturam, dum impœnitentes manent, nullosque dignos pœnitentiæ fructus edunt, præcipitare.*

Succinit & Cardinalis Fredericus Borromæus, 95
S. Caroli Borromæi Patruelis, & in Archiepiscopatu Mediolanensi post aliquot annos Successor, tom. 3. all' adunanza de Confessori, ragionamento 1. 2. 3. 4. & 5. ubi vehementer redarguit Confessarios, qui S. Caroli, de absolutione certis casibus neganda vel differenda, regulas ideò sequi nolunt, quia major pars Confessariorum eas non sequitur, ragionamento 3. eos iniquis comparans mercatoribus, in monopolia conspirantibus, in quibus non tam attenditur quid justum, Deo gratum, & publico bono proficuum, quàm quod turpi lucro acquirendo magis sit accommodum. Confer cætera quæ ex ipso retulimus num. 47.

Succinit etiam Cardinalis Bellarminus conc. 8. 96
in Domin. 4. Adventûs: *Illi se ministros & dispensatores non agnoscunt, qui quasi non essent Domino rationem reddituri, summâ facilitate omnibus manum imponunt, & tam contritos, quàm non sufficienter contritos.... tam satisfacere paratos*, ut oportet, *quàm non paratos* (quales sunt pro majori parte, qui post graviora vel sæpè repetita crimina, ad Confessionem sine prævîis pœnitentiæ operibus veniunt) *quasi propriâ potestate & authoritate absolvunt. Isti suâ imperitiâ & superbiâ corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt. Nec enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi. Veniunt homines onusti peccatis, & qui millies in ea ceciderunt. Et venisunt sæpè sine ullo signo doloris* (nisi quòd confiteantur & ore dicant, se dolere) *vel pridie, vel ipso die summæ celebritatis, & statim absolvi, & ad sanctorum mysteriorum communionem accedere volunt. Et nos* JUDICES INCONSIDERATI, DISPENSATORES INFIDELES, *omnibus manum imponimus, omnibus dicimus, ego te absolvo, vade in pace.* SED VÆ NOBIS, CUM DOMINUS RATIONEM PONET CUM SERVIS SUIS. *Servi sumus, dispensatores sumus, non domini sumus. Causam Dei agimus, non nostram. Offensas Dei, non nostras remittimus. Bona Dei, non nostra dispensamus. Hinc videlicet S. Augustinus epist. 148. Nihil est* (*inquit*) *in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Presbyteri officio, si perfunctorie & adulatorie res agatur. Sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Et S. Joannes Chrysostomus homil. 3. in Acta:* NON TEMERE DICO, SED UT AFFECTUS SUM, AC SENTIO: NON ARBITROR INTER SACERDOTES MULTOS ESSE QUI SALVI FIANT, SED MULTO PLURES QUI PEREANT. UNIUS ENIM ANIMÆ PERDITIO TANTAM HABET JACTURAM, UT NULLA RATIONE POSSIT ÆSTIMA-

91. *Terribilia sanè verba, & quæ meritò quemlibet Confessarium admonere debent, ne indiscriminatim omnibus quomodolibet accedentibus manum imponat*, sed pœnitentibus verbo & facto inculcare, *Sacramentum Pœnitentiæ esse baptismum laboriosum*.... utpote quod *requirit gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos pœnitentiæ, preces, jejunia, eleëmosynas, & alia id genus opera*, prout *Ecclesia Catholica docet, & semper Patres .... docuerunt.* Quorum citatis testimoniis, nominatim Cypriani, Nazianzeni, Ambrosii, Theodoreti, subdit: *Quid opus est tam multis testimoniis hominum? cùm ipse Spiritus sanctus in Scripturis sanctis semper cum pœnitentia planctum amarum, cordis contritionem, cinerem & cilicium, jejunia & eleëmosynas conjungat.*

97 Et concione 9. *Veniunt nonnulli ad Confessionem. Adferunt unam sarcinam peccatorum, quam duo equi ferre non possent.... Et tamen nullæ sunt lachrymæ, nulli gemitus, nulla signa veri doloris* (nisi quòd confiteantur, ut suprà) *quin etiam nonnulli vix genua figere dignantur in terra; sed uno genu duntaxat, & illo super pulvinari interdum posito, ita manent, quasi furari absolutionem, & statim aufugere vellent. Nec vestium pompam deponunt, nec ullum signum doloris ostendunt* (nisi ut suprà) *hæccine est contritio?.... Scripturæ sacræ, cùm de pœnitentia loquuntur, ubique cinerem & cilicium commemorant, & nunc planctum amarum, nunc luctum unigeniti adhibendum esse docent. Doctores verò profectò mirum est quid dicant, cùm de pœnitentia verba faciunt. Siquidem eam baptismum laboriosum, baptismum lachrymarum, &c. vocant. Beatus Gregorius Nazianzenus orat. 2. de baptismo:* " Recipio (*inquit*) pœnitentes, si lachrymis rigatos videro. " *Audite beatissimum Cyprianum in serm. de lapsis:* " Quàm magna „ deliquimus, tam granditer defleamus.... pœ„ nitentia crimine minor non fit. Putasne Domi„ num citò posse placari, quem verbis perfidis „ abnuisti:?.... Orare oportet impensiùs, & ro„ gare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac „ fletibus ducere, tempus omne lachrymosis la„ mentationibus occupare.... cineri & cilicio vo„ lutari, &c. " Hactenùs Bellarminus.

98 Cardinalis quoque Le Camus, Episcopus Gratianopolitanus (ob egregia merita, vitæque sanctimoniam ab Innocentio XI. ad Purpuram evectus) in Epistola Pastorali, præfixa posteriori parti Theologiæ Moralis Francisci Geneti, multùm laudat istum Authorem, qui in hac parte *Sacerdotibus Jesu Christi* (inquit) *ostendit rectum clavium usum* (opinionibus cap. 5. relatis diametraliter adversum) *quem servare debent in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, si suâ abuti nolint potestate, nec semetipsos ligare, dum volunt alios solvere. Ipsis pariter ostendit, quàm verè in Institutionibus S. Francisci Salesii dicatur, nihil esse quod Ecclesiam majore contemeret probro, quod tantopere enervet disciplinam, quodque peccatores in iniquitatibus & abominationibus suis æquè faciat indormiscere, quàm abusus absolutionis, quem faciunt Sacerdotes, illam impartiendo, pedissequi ad instar, magis quàm Judicis.* Et addit: *In miserabili hoc tempore* (*quo facilius reperire est peccatores justæ severitati disciplinæ Ecclesiasticæ paratos se subjicere, pœnasque peccatis promeritas suscipere, quàm Confessarios ad eas secundùm Ecclesiæ spiritum imponendas dispositos*) *non dubitamus fore, ut nonnulli imprudentes peccatorum adulatores, per quos in Ecclesiam* (*ut D. Cyprianus ait*) *sub misericordiæ titulo blanda pernicies, & impietas sub vocabulo pietatis irrepit, contra sanctam illam salutaremque doctrinam* (*in laudata posteriori parte traditam, & à nobis hic propugnatam*) *insurgant.* Verùm.... *conscientia nos urget ad zelum nostrum tantò magis acuendum in illius defensionem.... quò fortiores conatus adhibentur ad illius oppressionem*, &c.

Et Cardinalis Forbinius, dum foret Episcopus 99
Diniensis, in Epistola Pastorali, quâ Casuistarum Apologiam opiniones cap. 5. recensitas propugnantem condemnat, hanc affert, quia peccatorum *remedia corrumpere conatur, & introducere pro Sacramento Pœnitentiæ regulas, quæ planè ejus virtutem & efficaciam destruunt, ac de tam salutaribus & necessariis remediis efficiunt lethale venenum; cùm teneat, quod.... non sit necessarium, ad acquirendam absolutionem.... dereliquisse consuetudinem criminum, quantumvis inveteratorum.* Contra quam opinionem Diœcesis suæ Pastores & Confessarios instruens: *Recordamini* (inquit) *vos à me duplicem potestatem accepisse; & sicuti secundùm decretum Dei absolvere debetis eos, qui cum Lazaro... exonerarunt se pondere consuetudinis, & gravitate lapidis, quo in sepulchro claudebantur; ita econtrà ligare debetis eos, qui, cùm adhuc funibus peccati constricti sunt, ostendunt habere se horrorem ab iis qui eorum vincula disrumpere possunt* salutari absolutionis dilatione, medicinalimque satisfactionum impositione. *Si enim eos velitis absolvere, timendum est, ne vosmetipsos ligetis, ut S. Ambrosius notat..... Meminisse debetis vobis à Jesu Christo prohibitum, dare sanctum canibus, qui continuò ad vomitum revertuntur, mittereque Evangelii margaritas, & pretiosissimum mysteriorum nostrorum ante infames illos porcos, adhuc inhærentes luto & stercori sordidarum voluptatum suarum*, &c.

§. VI.

Celeberrimorum Episcoporum adversùs eosdem censuræ.

ANno 1643. prodiit eximii Doctoris Antonii 100
Arnaldi Liber *de frequenti Communione*, adversus opiniones cap. 5. exhibitas. Quem nedum supra viginti Parisienses Doctores, sed & sexdecim, tum Archiepiscopi, tum Episcopi, non solùm approbarunt, sed & suum fecerunt, & magnificis laudibus, velut sanctissimam doctrinam, sanctorum Patrum traditione firmatam, verumque Ecclesiæ spiritum continentem extulerunt: Cùmque laudatum Authorem in odium atque invidiam vocare, doctrinamque, libro ipsius contentam, infamare adversarii niterentur; epistolâ ad Urbanum VIII. anno 1644. conscriptâ, ipsum, velut paternæ traditionis exscriptorem, laudare perrexerunt; traditamque illo libro doctrinam, velut utilissimam, imò necessariam ad præmuniendos fidelium animos adversus inducta noviter à nonnullis (quod, inquiunt, *oculis, & quotidianâ experientiâ comperium* habemus) *quædam periculosa dogmata, quibus..... divinorum Sacramentorum usus, qui sacer omnino ac salutaris esse debet, in perniciosum, ac piis omnibus deplorandum abusum sæpè convertitur.* Vide suprà n. 11.

In epistola verò anno sequenti scripta ad Innocentium X. *Eò alacriùs* (inquiunt) *atque securiùs librum illum* (de frequenti Communione) *ut priùs sanctissimo Prædecessori vestro, ita nunc Sanctitati Vestræ iterùm commendamus, quòd quem fructum ex eo fideles omnes percepturos certis argumentis sperabamus, eum nunc illos & percepisse hactenus, & in dies magis ac magis percipere videamus, dum ejus beneficio verè sanatis animarum vulneribus, Ecclesiæ fideles, ut Christi membra, Deique filii, verè Christianam ac Deo dignam vitam agere studuerunt, Calvinistis etiam non paucis,... ad pietatem æquè ac Catholicam fidem*

conversis. Ita enim sanctissima Magni Card. Caroli Borromæi doctrina, in eo libro fidelissimè exposita, mentes affecit, atque à vitiorum illecebris abstractas, ad morum integritatem innocentiamque transtulit, ut sicut in opere isto Sanctum illum, quasi vivum ac spirantem, & Ecclesiam Dei etiamnum docentem intuemur; ita ipsius felicissimi temporis, in animarum salubri conversione, exprimi quamdam imaginem efformarique cernamus.... ita ut communem Patrem non sine aliqua commotione auditurum arbitremur, quibus artibus libri hujus, & virtute atque eruditione clari Authoris adversarii IN DOCTRINAM TOT DEI, SUMMORUM PONTIFICUM, AC CONCILIORUM ORACULIS CONFIRMATAM INSURREXERUNT. *Aut enim sententiarum verissimarum & fundatissimarum vellicatione, aut locorum ipsâ contextûs serie clarissimorum obscuratione, aut rerum certissimarum in detortos ac planè alienos sensus distractione, aut pravarum consectionum sophisticâ deductione, aut contumeliarum inusitatâ acerbitate, ita libellos suos impleverunt, ut dum alienam famam temerè appetunt, suam justo Dei judicio projeciße videantur.*

101 In ejusdem verò libri approbatione, Octavius de Bellegarde, Archiepiscopus Senonensis, *Hic liber* (inquit) . . . *Sacramenti utriusque abusum, qui contra Ecclesiæ leges ac mentem vulgò increbruit, . . . tam nervosè ac luculenter exponit, ut dubitari nequeat, quin . . . maximam utilitatem sit Ecclesiæ allaturus.*

102 Bernardus, Episcopus S. Papuli, in ejusdem approbatione: *Ad hujus ætatis languorem & corruptelam utilissimum, imò necessarium fuit hoc argumentum altiùs penitiùsque tractari. Quicumque integrè ac Christianè sentiunt, absolutissimi hujus operis evulgati gratiam Authori debent, Sanctorum, Conciliorum, Ecclesiæque antiquam doctrinam summâ fide profert . . . ad ejus denique cultum & usum tanto rationum pondere trahis, ut ei non obsequi, nihil aliud esse videatur, quàm pertinaciæ contumaciæque litare. Non minùs tuta salus animas eò revocari, unde blanditia indulgentiaque nimia eas detorsit; quàm periculosa pernicies, cujus miserrimam licentiam turpis & fœda assentatio induxit.*

103 Et Dionysius, Episcopus Briocensis, in istius libri similiter approbatione: Author *in integrum restituendo utiliter studet Pœnitentiæ Sacramento, cujus omnes partes hâc ætate convulsas videmus. Contritionem nimiâ leviorum attritionum tenuitate pœnitentiæ fignorum fiduciâ. Confessionem innumeris versutiis ac fucis quibus vulgus imbuitur. Satisfactionem laxiori adversus peccatorum duritiem indulgentiâ, promiscuâque præmaturè absolvendi facilitate*, &c.

104 Anno 1657. typis Parisiensibus prodiit Apologia Casuistarum, in qua cùm sequentes legerentur propositiones: prima pag. 49. *Theologorum doctrina, de absolutione non neganda, magis etiam locum habet in iis, qui repetitis sæpè juramentis, ebrietate, spurcitiâ, validum horum habitum & consuetudinem contraxerunt. Quamvis enim illa consuetudo, voluntate contractâ, proximæ habeat occasionis locum, quâ ad supradicta peccata propelluntur, sæpè tamen hæc consuetudo voluntaria dies non potest; cùm eam oderint, ac deponere optent.*

Secunda pag. 162. *Non est necessarium, ut Confessor sibi persuadeat, fore ut pœnitens mutandæ in melius vitæ propositum exequatur, neque quòd hoc probabiliter judicet; sed sufficit, quòd pœnitenti adesse judicet generale propositum, licèt præsentiat ipsum brevi relapsurum. Contraria Jansenistarum doctrina tendit ad desperationem, & evertit Sacramentum Confessionis. Ubi enim invenientur pœnitentes, de quibus Sacerdos certitudinem habere possit, quòd in eadem flagitia non relabentur? Hanc si expectet Sacerdos, nihil opus est Pœnitentiæ Sacramento. Quod nec iis necessarium est, qui baptismi innocentiam conservarunt, nec iis concedendum, qui eam amiserunt; utpote de quorum non relapsu certitudo haberi non potest.*

Tertia ibidem: *Debet ergo pœnitentem Sacerdos absolvere, tametsi in crimina relapsurum esse sentiat. Addunt Theologi, quòd licèt de se pœnitens judicaret, se brevi relapsurum, ipsum nihilominùs toties quoties absolutione dignum esse, dummodò tempore Confessionis peccatum ipsi displiceat. Quò enim vehementiùs timet iteraturum relapsum, tantò studiosiùs confugere debet ad Confessionis remedium, ut illius ope convalescat*, &c.

Ludovicus Henricus de Gondrin, Archiepisco- 105
pus Senonensis, in censura istius Apologiæ, de istis propositionibus sic censuit: *Istæ propositiones periculosæ sunt, ad fovendam peccati libidinem excogitatæ, Sacramento ac virtuti Pœnitentiæ injuriosæ, judiciariæ authoritatis, quæ in Sacerdotibus, tamquam Christi Ministris, residet, destructivæ, eosque aliorum criminum participes efficiunt.* Hæc censura in Synodo generali Senonensi, ad instantiam ipsius Synodi, publicata fuit anno 1658.

Vicarii Generales Eminentissimi D. Cardinalis 106
Retzii, Archiepiscopi Parisiensis, in censura ejusdem: *Doctrina hæc est temeraria, in praxi periculosa, scandalosa, tendens ad relaxationem Sacramenti Pœnitentiæ, retinet peccatores in peccatis suis, inducit in ordinarios relapsus, & exponit Confessarios periculo abutendi absolutione.* Subscribunt huic censuræ, præter duos Vicarios Generales, octo insignes Theologiæ Doctores, Gamachæus, Seguier, Gaudin, Gauquelin, Henault, Aleaume, Richecœur, Louvet.

Annas de Levy de Vantadour, Archiepisco- 107
pus Bituricensis, in censura ejusdem: *Condemnavimus, & condemnamus librum, cui titulus:* Apologia Casuistarum, &c. *tamquam perniciosissimum, continentemque in omnibus ferè paginis, plures propositiones exitiosas, periculosas, absurdas, scandalosas, temerarias, ac præsertim propositiones contentas in extracto nobis oblato per Promotorem nostrum* (quas inter sunt secunda & tertia num. 577. relatæ) *tamquam omnes vel scandalosas, vel falsas, vel erroneas, vel contrarias Scripturæ sanctæ, mandatis Dei, regulis Evangelii, Ecclesiæ canonibus, & Patribus.*

Ægidius, Episcopus Ebroicensis, in censura 108
ejusdem, declarat, se ideò eam condemnare, quia *destruit debitum & obligationem ... Confessariorum erga suos pœnitentes, eos inducens ad dandam nimis temerè absolutionem peccatoribus, absque eo quòd eos retrahant à consuetudine peccandi, etiam supponendo, quòd in idem reincident.*

Nicolaus, Episcopus Bellovacensis, in censura 109
ejusdem, facta ad instantiam trecentorum & ampliùs Curatorum, synodaliter congregatorum: *Non patiemini quòd tractetur Sacramentum hoc tam profano modo* (prout Apologia ista tradit).... *si vos verè intendatis conscientiam vestram puram tenere coram Supremo Judice, cujus nonnisi dispensatores ac ministri estis. Malum alieni eritis à crudeli mollitie illius Authoris, qui docet quòd Sacerdos debeat absolvere pœnitentem, licèt supponat, quòd reincidet in suum peccatum; imò quamvis ipsemet pœnitens se brevi relapsurum judicet.*

Illustrissimi Aquitaniæ Episcopi, Alectensis (cu- 110
jus elogium ab Innocentio XI. emanatum habes suprà n. 13.) Appamiensis (de cujus sanctitate, heroïcisque virtutibus oculatum testimonium reddit piissimus Contensonus to. 2. Theol. mentis & cordis differt. 1. c. 1. speculat. 1. §. *Sanctitas Ecclesiæ Romanæ*) Convenensis, Vazatensis, & Conseranensis, in censura ejusdem damnant ipsam,

quia sibi Apologista *difficultatem non facit, fidelium salutem periculo exponendi per sacrilegas absolutiones, quas dare permittit existentibus in occasionibus proximis, & habitibus criminum.*

111 Magnus Vencensis Episcopus, Antonius Godæus, Episcopalium virtutum ornamentis, Concionum facundiâ, scriptorum eruditione multitudineque toto orbe celeberrimus, in Mandato Synodali anni 1659. quo & S. Caroli Instructiones promulgavit, dictamque Apologiam confixit, post laudatas Instructiones illas, in quibus *reperietis* (inquit) *methodum sanctam, atque ad peccatores à pravis habitibus suis eruendos salutarem.... quâ per discretam rationabilemque severitatem, in veram pœnitentiæ viam constituuntur, vosque efficimini fideles sanguinis Christi dispensatores, pœnitentiumque vejtrorum* (*sicut reverà Christus vos instituit*) *Judices; non verò eorum mancipia, quales vos esse volunt Casuistæ, dum obligatos vos volunt ad impartiendam illis etiam absolutionem, de quibus nullam futuræ emendationis concipitis spem.* Damnat deinde Apologiam, dictas Instructionibus adversam, utpote quæ *statim atque prodiit in lucem, stupendam in omnibus, quotquot eam legerunt, excitavit indignationem. Author quippe illius ad hoc collimasse videtur, ut unum in corpus omnes colligeret sordes, aberrationes, & corruptiones, in novioribus Casuistis dispersas; quas tantâ tuetur audaciâ, ut prodigiosa cæcitas ipsius digna sit gemitibus..... Stylus ipsius demissus, ratiocinatio puerilis, probationes invalidæ, Patrum allegatorum falsificatio impudentissima, conclusiones falsæ sunt & periculosæ. Totum operis corpus venenatum spirat furorem adversus defensores Ethices Christianæ, quos odiosos reddere conatur affecto hæreticorum* (seu Jansenistarum) *nomine. Quos enim ut tales traducit, Curati sunt Parisienses, Rothomagenses, aliarumque præcipuarum Galliæ urbium. Sanctissimi sunt Episcopi, Sacerdotes eximiæ virtutis, spectatæ probitatis Religiosi, quorum publica professio est, quinque damnatas à S. Pontifice propositiones damnare, debitamque S. Sedi, prout Catholicos decet, reddere submissionem.*

112 Nec soli illi, sed & complures alii Episcopi, scilicet Rothomagensis, Aurelianensis, Andegavensis, Nivernensis, Cabilonensis, Tullensis, Lexoviensis, Cadurcensis, Suessionensis, eamdem Apologiam, tamquam opinionibus periculosis refertam, Christianæque de moribus & pœnitentia doctrinæ labefactivam damnarunt.

113 Denique omnes penè Galliarum Episcopi, in solemnissimo & frequentissimo totius Cleri Gallicani Conventu anni 1655. nimiam absolvendi facilitatem, per illas Apologiæ propositiones concessam, apertè damnarunt, non solùm dum S. Caroli Instructiones, illis adversas, suis expensis excudi, per omnesque Diœceses, velut aggerem propositionibus illis oppositum, divulgari curarunt; sed & dum in Epistola, Instructionibus præfixa, gravissimis hisce verbis in facilitatem illam absolvendi insurrexerunt: *Non mediocri nos dolore afficit pernicioſa quamplurimorum Confessariorum in danda pœnitentibus suis absolutione, quam illi falsis pietatis coloribus prætexunt, quasi hoc modo illos à peccatis paulatim avertant, & à desperatione ac Religionis contemptu retrahant. Neque enim tantam in ipsis malitiam præsumimus, ut particulare suum, vel Communitatum suarum commodum attendant in dirigendis pœnitentibus suis, qui ad pœnitentiæ balneum, quo numquam mundantur, accedunt, atque ex frequenti carnis Christi manducatione, non fortiores, ut par esset, sed debiliores evadunt, semperque æquè pleni sunt amore sui, & mundi, ac si in idolorum mensa consedissent.* Et infrà: *Tam deplorabili malo remedium efficacius invpræsentiarum opponere non valuimus, quam S. Caroli Borromæi.... Instructiones, quas impensis nostris excudi curavimus, ut ex iis Confessarii discerent modum, quo administrare debent Pœnitentiæ Sacramentum.* Quo remedio solemnis ille Cœtus idcò contentus fuit, quia (teste Godæo in supradictâ Apologiæ censura) tunc instabat tempus Cœtum illum terminandi, nec proinde supererat tempus tanto malo obviandi per censuras juridicas, licèt *ad lecturam propositionum omnes in illo Cœtu congregati tantum conceperint de iis horrorem, ut suas sibi aures vix non obturaverint, ne propositiones illas audirent; uti Nicæni Concilii Patres obturaverunt, ne Arii blasphemias, ex quodam libro ipsius excerptas, audirent.* Hactenùs Godæus.

§. VII.

Specialiter exhibetur censura gravissima, æquissimaque Illustrissimi Atrebatensis Episcopi, una cum insignibus de pœnitentia regulis, censuram confirmantibus.

ANno 1675. septimâ Novembris prodiit cen- 114
sura Illustriss. D. Guidonis de Seve, laudatissimi Atrebatentium Episcopi, adversus aliquot propositiones R. P. Jacops è Soc. Jesu Duaci S. Th. Professoris. Quarum prima hæc est: *Si pœnitens deferre nolit occasionem proximam, v. g. famulus intra tempus locationis suæ familiam, in qua peccat cum domestica; caupo, qui solet inebriari, &c. potest absolvi. Quia licet ex justa causa* (*qualis est hic*) *exponere se proximæ occasioni peccandi* (dum scilicet absque gravi incommodo deseri non potest, uti exponebat R. P. Jacops) *modò absit voluntas peccandi.*

Secunda: *Si occasio proxima deseri non possit absque gravi damno temporali, ut caupo, auriga, chirurgus, qui solent peccare in illis artibus, nec alias norunt, si nulla sit emendatio, sunt Authores qui docent equidem absolvendos esse, nec cogendos ad deserendam occasionem proximam. Quia si dolor appareat efficax, negatio evitandi illam occasionem non apparet illi dolori contraria. Cùm permanere in illa occasione non sit per se peccatum. Alias non licuisset primâ vice in ea permanere.*

Tertia: *Non est licitum Confessario differre absolutionem pœnitenti, quando Confessarius non est certus moraliter, aut saltem probabiliter non credit fore, ut possit posteà ipsemet dare absolutionem. Quia in hoc casu pœnitens obligaretur ad bis confitendum.*

Quarta: *Non est licitum Confessario differre absolutionem consuetudinariis, licèt in illis nullam videat emendationem actualem.*

Quinta: *Si consuetudinarii gravium criminum non possint absolvi, nisi notabili tempore ab iis abstinuerint; quia aliàs non constabit Confessario de contritione pœnitentis. Etiam consuetudinarii peccatorum venialium non poterunt absolvi, nisi diù ab illis abstinuerint.*

Sexta: *Non est licitum differre absolutionem pœnitenti, ex eo præcisè quòd reincidat in idem peccatum grave.*

Septima: *Confessarius habet rationabile, seu sufficiens motivum credendi quòd pœnitens sit verè contritus* (*post relapsus, vel dum adhuc est in consuetudine, vel occasione proxima peccandi*) *quando pœnitens attestatur se verè esse contritum, & Confessario clarè & manifestè non constat contrarium. Cùm pœnitens in illo tribunali sit testis & actor. Et id quod S. Augustinus dicit sermone 39. de tempore:* " Ad emendanda crimina vox pœnitentis sola non sufficit, " *non est huic doctrinæ contrarium. Non enim dicimus verba sufficere ad remissionem peccati, sed ad persuadendum Confessario, quòd pœnitens sit dispositus.*

De hisce propositionibus sapientissimus ille E- 115
pisco-

piscopus, imploratâ (ut ait) ope Spiritûs sancti, præhabitâque consultatione plurimorum virorum, pietate & eruditione spectabilium, tam sæcularium, quàm Regularium, plurimorum quoque Doctorum celebriorum Universitatum, pronuntiavit, doctrinam istis propositionibus contentam, *periculosam, falsam, scandalosam, temerariam, tendentem ad relaxationem Sacramenti Pœnitentiæ, imponentem Confessariis obligationem dandi absolutiones injustas, temerarias, præcipitatas, manifestè contrariam Evangelicæ doctrinæ.* Idcòque omnibus suæ Diœceseos Ecclesiasticis, præsertim Concionatoribus & Confessariis, inhibuit, propositiones illas, seu aliquam illarum, docere vel practicare.

116 Isti censuræ tres addidit insignes de pœnitentia Litteras Pastorales. In quarum secunda centum viginti duas tradidit præclarissimas veræ pœnitentiæ regulas, censuram confirmantes. Ex quibus ad rem nostram principaliùs faciunt sequentes.

117 Prima: "Via stricta, per Scripturam sacram „ perspicuè tradita, per mundanos homines semper in Ecclesia fuit condemnata. Et duæ do„ ctrinæ, duæque traditiones sibi invicem con„ tradicentes. Sed nos divina justificabit, non „ mundana.

118 Secunda: "Sacratiorum regularum abusus, „ qui à nonnullis fieri potest, earum usum im„ pedire non debet.

119 Quinta: "Severitas, sicut non semper adhi„ benda est; sic nec semper omittenda. Pruden„ tis Confessoris est discernere, quando sit vel „ non sit adhibenda. Qui tamen eam considerare „ debet, velut remedium plerisque in casibus, „ sine quo peccator vel nunquam, vel nonnisi „ admodùm difficulter ad salutem pertingeret.

120 Sexta: "Caveat pro hodiernæ Ecclesiæ usu „ habere relaxationem, quam ignorantia, cor„ ruptorum Authorum lectio, & sæpè mollis ac „ remissa complacentia Confessariis quamplurimis suasit. Caveat Ecclesiæ, Conciliorum, & „ sanctorum Patrum spiritum, in directionibus „ Christianis, quæ sibi severiores videbuntur, „ damnare. Tametsi enim disciplina Ecclesiæ in„ clinatior facta sit, non tamen in totum destru„ cta. Multum quidem detraxit pudori, sed non „ totum pœnæ. Nec per datam Episcopis facul„ tatem, pœnitentiam publicam in privatam com„ mutandi, liberum Confessariis reliquit, secre„ tis pœnitentiis detrahere quidquid in eis labo„ riosum est, & satisfactorium.

121 Octava: "Quàmlibet justum medium in sen„ tiendo teneas, difficulter evades censuram, „ dum veras pœnitentiæ regulas prædicabis, dum „ soli adhærebis doctrinæ Ecclesiæ, in Conciliis „ & SS. Patribus expressæ, dum apertè damnabis „ abusus illi adversos. Ut suo quisque sapit au„ ditori, vel nimiùm laxus, vel nimiùm rigidus „ audit. Stat pro ratione sola præventio, pro suo „ quisque gustu judicat. Cui nuda placet veritas, „ vel ex ipsius inimici ore eam recipit: ab iis „ alienus, qui sapientem discretumque pro pœ„ nitentia zelum, habent pro zelo inconsidera„ to, qui ultra justos limites efferatur.

122 Nona: "Quantum in te est, nulli parti ad„ dictus esto. Nullius sis, nisi quem Paulus ex„ pressit, dicens: *ego autem Christi.* Quisquis „ inter Christianos author est divisionis, destruc„ tor est charitatis. Ab odiosis proinde nomini„ bus abstinendum, quibus fideles alii ab aliis se„ se discernant. Omnes unum sumus in Christo, „ omnes unius Magistri discipuli. Quamdiù Ec„ clesiæ fidem servamus, nomen aliud non ag„ noscimus, nisi Christiani & Catholici.

123 Decima: "In iis quæ fidei non sunt, & circa „ quæ suam Ecclesia mentem, aut propensionem non aperuit, nihil iniquius, quàm pro- "
prias opiniones nimis ardenter tueri, & alienas "
damnare. Sequamur quam putamus veritatem, "
& conscientiæ nostræ dictamen; nec constitua- "
mus nos censores cujuscumque opinionis con- "
trariæ, quamdiù os Ecclesiæ locutum non est. "

Vigesima secunda: "Dum remedium aliquod 124
curando peccato necessarium Confessarius ra- "
tionabiliter credit, existimare non debet, pœ- "
nitentem esse dispositum, si eo uti renuerit; "
quin ipsum potiùs amare peccatum suum, dum "
unicum quo curari potest respuit remedium. "

Vigesima tertia: "Praxis abominanda est, ab- 125
solutionem nunquam negare vel differre pœ- "
nitenti, solo ore dicenti, se proponere emen- "
dationem, tametsi vita præcedens, frequentes- "
que relapsus ipsius suadeant oppositum, nulla- "
que præbuerit indicia conversionis. "

Vigesima quarta: "Quot sunt peccatores, fæ- 126
pissimè confessi, qui tamen pœnitentiæ Sacra- "
mentum numquam receperunt? Quot Con- "
fessarii isto in ministerio incanuerunt, rarò "
tamen Sacramentum istud ritè administrarunt? "

Vigesima septima: "Confessarius hujus Sa- 127
cramenti dispensator est, non dominus. Illud "
ergo secundùm Ecclesiasticas regulas (ex Epis- "
coporum sanctionibus, Patribus, Conciliis, "
& Scriptura repetendas) ministrare debet. Ad "
eruendam veritatem Casuistæ facem præferre "
possunt.... Nihil autem statuere. Hoc enim "
Christi est, & eorum quibus Ecclesiæ regimen "
Christus commisit. "

Trigesima prima: "Sacramenti Pœnitentiæ 128
administratio, ministeriorum omnium est ma- "
ximè formidandum, virtutem scientiamque "
postulans specialem, ut ei fiat satis. Quot ani- "
mæ per Confessariorum ignorantiam, vel ne- "
gligentiam perierunt? Quot perierunt etiam "
Confessarii ob sufficientis luminis, virtutisque "
defectum, qui alio in statu salutem fuissent "
consecuti? "

Trigesima tertia: "Nec meliores, nec utilio- 129
res famulos dæmon habet, quàm malos Con- "
fessarios. "

Trigesima quarta: "Unde fit ut tot Christiani, 130
imò tot Presbyteri, vivant tam parùm Christia- "
nè? Alii culpam conferent in amorem utilita- "
tis propriæ; alii in defectum pietatis, aut reli- "
gionis; alii in officii sui ignorantiam. Non mi- "
nori forsitan ratione in eorum Confessarios cul- "
pa conjiceretur. "

Trigesima quinta: "Quibus non calumniis im- 131
petitur Confessarius, dum pravam nihil mora- "
tus consuetudinem, putat sibi absolvendos non "
esse, qui prætendunt, illius consuetudinis præ- "
fidio gravissima excusari crimina; à quibus idcir- "
cò absolvendos se existimant absque pœniten- "
tia? Verùm enimverò si mundus eum damnet, "
& calumnietur in terris, Christus ipsum justifi- "
cat in cælis. Quod ipsi ad consolationem de- "
bet esse satis. "

Quadragesima octava: "Nunquam abusus, " 132
quàmlibet generalis, pro lege esse debet. Chri- "
stus (Augustino teste) Veritatem se dixit, non "
consuetudinem. Duorum istorum concordia "
rara est. Quia pauciores semper sunt amatores "
veritatis, quàm mendacii sectatores ac defenso- "
res. "

Sexagesima octava: "Dum Confessarius pro- " 133
babiliter existimat fore ut peccator se non emen- "
det, & meritò timet, ne in gravia relabatur pec- "
cata, quantumvis oppositum polliceatur, differ- "
re ipsi debet absolutionem, ut hâc probatione "
cognoscat promissionis ipsius veritatem, propo- "
sitique firmitatem. "

Sexagesima nona: "Non facilè credimus ho- " 134

„ mini in eo, in quo datam fidem fefellit. Secun-
„ dòque decepti, non credemus tertiò, abſque
„ cautione ſufficienti, niſi adſit juſta graviſque
„ cauſa. Prudentiam iſtam pro rebus adhibeamus
„ divinis, quam filii hujus ſæculi adhibent pro
„ mundanis. Si non minùs ametur pretioſus Chri-
„ ſti ſanguis, quàm propria utilitas aut pecunia;
„ profectò non exponetur profanationi, facilitate
„ tam temerariâ, magis quàm pecunia amiſſioni.

135 Septuageſima: " Dum tibi peccator ſæpiùs con-
„ feſſus eſt enorme crimen, licèt ipſum modò
„ credas meliùs diſpoſitum, & compunctum, op-
„ timum ſubinde erit ipſi differre tantiſper abſo-
„ lutionem, majoris ſecuritatis, periculique ca-
„ vendi gratiâ. At dum idem crimen eodem mo-
„ do confitetur, non adhibitâ poſt ultimam Con-
„ feſſionem ullâ ad illud vitandum diligentiâ, o-
„ pus non habes aliâ regulâ, quàm ratione hu-
„ manâ, ut quid agendum ſit videas. Aut pœni-
„ tens ille impoſtor eſt, aut impoſtorem meritò
„ cenſebis. Neque enim interiora pœnitentis, quo-
„ rum cognitio ſoli Deo reſervata eſt; ſed exte-
„ riora ipſius, & quæ per opera manifeſtat, Ec-
„ cleſiaſticæ diſciplinæ regula ſemper fuerunt.

136 Septuageſima prima: " Dum Pœnitentiæ Sa-
„ cramentum pœnitenti ad converſionem ſæpiùs
„ inutile fuit: dum nec omninò ſe, nec partim
„ correxit; dum nullos adhibuit conatus novos ad
„ ſuperandum peccatum; ſed in eodem planè ſta-
„ tu remanſit, & diſpoſitione eadem, in qua idem
„ crimen aliis vicibus, ſine ullo pariter emenda-
„ tionis fructu confeſſus fuit: Confeſſarius ipſum
„ abſolvere non poteſt, abſque periculo ſacrilegii:
„ cùm rationabiliter præſumere poſſit & debeat,
„ quòd abuſus fuerit, & iterùm abutetur hoc Sa-
„ cramento.

137 Septuageſima ſecunda: " Sciat Confeſſarius,
„ ſibi æquè datam peccata retinendi, quàm re-
„ mittendi poteſtatem, ſeque proinde æquè tene-
„ ri ad exercendam certis in caſibus priorem ac
„ poſteriorem. Nequit igitur conſcientiæ ſuæ ſa-
„ tisfacere, niſi juſtam faciat cæſuum diſcretio-
„ nem, in quibus hanc vel illam exercere debeat.

138 Septuageſima tertia: " Quemadmodùm Eccle-
„ ſia frequenter abſolvit eos, quos Deus non ab-
„ ſolvit; quia ab ipſis decipitur. Sic non rarò li-
„ gatos relinquere poteſt eos, quos Deus ſecretò
„ per veram cordis contritionem abſolvit; eò quòd
„ ex una parte frequenter ab ipſis decepta, juſtam
„ habeat rationem ſuſpectam habendi fidem pol-
„ licitationemque ipſorum; ex alia verò parte ſcru-
„ tari nequeat ſecreta cordium, nec in iis cogno-
„ ſcere veritatem converſionis interioris, quam
„ Spiritûs ſancti gratia in ipſis quolibet tempore
„ operari poteſt.

139 Septuageſima quarta: " Ridicula excuſatio eſt
„ dicentium: ſi non abſolvam illum, alius abſol-
„ vet. Dum enim conſtat abſolutionem injuſtam
„ fore, ſacrilegamque, numquid non melius eſt,
„ ut alius crimen iſtud committat, quàm tu?

140 Septuageſima quinta: "Prudentia humana non
„ credit hominem de extremo ad extremum mo-
„ mento tranſire: nec hoc facilè credit prudentia
„ & Moralis Chriſtiana; ideòque facilè non cre-
„ dit, magnum peccatorem ritè converſum, quan-
„ do inter peccatum converſionemque vix niſi
„ momentum interceſſit.

141 Centeſima decima octava: " Si Confeſſarii im-
„ penſiùs legerent fontem Moralis Chriſtianæ,
„ Scripturam ſcilicet, ubique reperirent pœniten-
„ tiam ſociam eſſe converſionis. Si Vitas luſtra-
„ rent Sanctorum, nec unum ex ipſis ſine labore
„ ſalvatum invenirent. Si Patres de pœnitentia
„ tractantes conſulerent, in omnibus rigorem
„ conſpicerent. Si Veteres omnes de hoc argu-
„ mento tractatores evolverent, nullum ex ipſis
reperirent, mollioris erga criminoſos praxis pa- "
tronum. Si ergo mollior quiſque Confeſſarius "
ſuum cum pœnitentibus agendi modum con- "
ferat cum doctrina Scripturæ, Conciliorum, Pa- "
trum; ſi (inquam) cogiter quali ipſorum dolo- "
re contentus ſit, quem ſufficere exiſtimet, qua- "
les pœnitentias, ſeu ſatisfactiones imponat: vel "
Scripturam, Concilia, Patres damnabit; vel mol- "
liorem ſuum agendi modum, ſi propriam amet "
ſalutem, emendabit. "

Centeſima decima nona: " Sibine Confeſſa- " 142
rius diſcretus & ſapiens perſuadere poteſt, gran- "
dia crimina, tam ſeverè olim caſtigata, ſufficien- "
ter hodie reparari per ſatisfactionem, nihil au- "
ſteri præ ſe ferentem, pœnitentiamque nihil niſi "
pœnitentiæ nomen habentem? "

Centeſima vigeſima: " Inconceptibile eſt, " 143
quòd ubi ne juſtis quidem alia eſt via ſalu- "
tis, niſi via crucis; peccatoribus & pœnitentibus "
alia patcat via, dulcis, grata, facilis, & ſine alio "
labore, ſine alia cruce, niſi quòd ea Confeſſario "
pandere debeant crimina, de quibus apud mun- "
danos homines non ſemel gloriati ſunt, quæque "
nonnunquam publica ſunt. "

Centeſima vigeſima prima: " Si de impoſitæ " 144
pœnitentiæ rigore pœnitens conqueratur, mo- "
nendus eſt, ut meminerit ſe magis tigidam ſibi "
ipſi legem in Baptiſmo impoſuiſſe, quam ſer- "
vare oporteret, tametſi innocentiam cuſtodiſ- "
ſet; ita ut ne in iſta quidem hypotheſi ſuavio- "
rem vitam ducere poſſet, ſi ſecundùm Evan- "
gelium vivere vellet. "

Centeſima vigeſima tertia: " Sicut contritionis " 145
vehementia; ſic licitarum abrenuntiatio, & il- "
licitarum mortificatio voluptatum, ſubinde ef- "
ficere poteſt partem pœnitentiæ. Quod & de ſince- "
ra humilique peccatorum verecundorum Con- "
feſſione, reſpectivè ad certas perſonas, admo- "
dùm pudibundas, inſignis hujus ſæculi Epiſ- "
copus aſſeruit, &c. "

Centeſima vigeſima quarta: " Unde fit, quòd " 146
adeò difficiles ſimus in remittendis offenſis con- "
tra nos commiſſis; tam faciles verò in remit- "
tendis offenſis contra Deum? Ex hoc procul "
dubio, quòd Dei gloriam minùs amemus, quàm "
propriam. "

Centeſima vigeſima ſexta: " Ad veram pœ- " 147
nitentiam, juxta SS. Patres, haud ſatis eſt non "
relabi in peccatum; haud ſatis illud ex toto cor "
de deteſtari; inſuper operibus pœnitentiæ eluen- "
dum eſt, vel reipsâ, vel voluntate. Primum à "
pleriſque fit Chriſtianis; ſecundum & tertium "
à paucioribus. Fide interim conſtat, actum eſ- "
ſe de ſalute peccatoris, niſi pœnitentiam egerit: "
niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

Centeſima vigeſima ſeptima: " Meminerit " 148
Confeſſarius, pœnitentiam alterum eſſe baptiſ- "
mum, ſed laborioſum, eoque ex capite à pri- "
mo baptiſmo diſcretum. Benè proinde perpen- "
dat, ac præ oculis habeat Concilii Tridentini "
pro hujus Sacramenti adminiſtratione regulam. "
Hanc viam tam ſecuram, tam apertam, ſi ſe- "
cutus fuerit, aberrare non poterit. "

Centeſima vigeſima octava: " Dum quid- " 149
piam aſperum pœnitenti Confeſſarius impone- "
re tenetur, contra falſam compaſſionem, con- "
trarium ordinariè ſuggerentem, armet ſe cogi- "
tatione ſalutis ipſius, inde proventuræ, memi- "
neritque dictum ab Apoſtolo Paulo, quidquid "
in pœnitentia durum apparet, leve eſſe, pœnæ "
comparatum æternæ, quæ per hoc redimitur. "

Centeſima vigeſima nona: " Judex haud mi- " 150
nùs diligit reum quem condemnat, quàm in- "
ſontem quem abſolvit. Nec minorem Chirur- "
gus dilectionem habet erga fratrem, cui gan- "
græna tum amputat membrum, quàm erga ex- "

„ tranеum, minùs infirmum, quem leniore ma-
„ nu contrectat. Applicet hoc Confessarius pœ-
„ nitenti, cujus Judex est, ac Medicus. *Horro-*
„ *rem operis fructus excusat*, inquit Tertullianus.
151 „ Centesima trigesima prima : " Ubi nulla est
„ pœna, nulla pœnitentia.

§. VIII.

Episcopi Atrebatenſis cenſuram, ſubnexaſque pœnitentiæ regulas, tamquam ſacris Litteris, Eccleſiæ ſenſui, Patrumque Traditioni conformes, approbarunt, ſuaſque fecerunt triginta & unus Epiſcopi. Cenſuraſque ab Atrebatenſi propoſitiones complures ex ipſis pariter cenſurarunt.

152 A Trebatenſis Episcopi cenſuram plurimùm collaudarunt, confirmaruntque celeberrimi ſanctiſſimique Epiſcopi, Michaël, Archiepiſcopus Bituricenſis; Carolus Franciſcus, Epiſcopus Conſtantienſis; Franciſcus, Epiſcopus Ambianenſis; Ignatius de Grobendonc, Epiſcopus Namurcenſis; Gilbertus, Epiſcopus Tornacenſis; Nicolaus, Epiſcopus Bellovacenſis; Franciſcus, Epiſcopus Bolonienſis; Eduardus, Epiſcopus Nivernenſis; Ludovicus, Epiſcopus Virodunenſis; Joannes, Epiſcopus Bayonenſis; Martinus, Epiſcopus Oloronenſis; Claudius, Epiſcopus Agennenſis; Henricus, Epiſcopus Andegavenſis; Felix, Epiſcopus Catalaunenſis; de Ligny, Epiſcopus Meldenſis; Petrus Joannes Franciſcus, Epiſcopus S. Pontii; Ludovicus, Epiſcopus Agathenſis; Daniel de Coſnac, Epiſcopus Valentinus; Stephanus Le Camus, Epiſcopus Gratianopolitanus, nunc S. R. E. Cardinalis; Joannes, Epiſcopus Senonenſis; Henricus, Epiſcopus Luſſenſis; de la Val, Epiſcopus Rupellenſis; Nicolaus, Epiſcopus Alectenſis; Franciſcus, Epiſcopus Sarlatenſis; Jacobus, Epiſcopus Condomicenſis, & alii uſque ad triginta unum, prout Atrebatenſis ipſe teſtatur in ſua ad Paſtores & Confeſſarios Inſtructione cap. 8. his verbis : *C'eſt ce que nous avons condamné dans notre Cenſure, & trente & un Evêques avec nous.*

153 Plurimi etiam famoſiſſimarum Univerſitatum S. Theologiæ Doctores allatam Epiſcopi Atrebatenſis cenſuram approbaverunt.

154 Propoſitiones verò ab Atrebatenſi cenſuratas, Epiſcopus Ambianenſis in Epiſtola ad Atrebatenſem cenſet *indefenſabiles*; Namurcenſis, *perniciosas, indiſcretiſſimas, graviſſimum veræ ſanctæque adminiſtrationi Sacramenti Pœnitentiæ præjudicium inferentes, cumque doctrina Domini Salvatoris, & Præcurſoris ipſius incompatibiles, &c.* Tornacenſis, *zizania in agro Domini ſparſa, perniciosamque morum hæreſim*; Nivernenſis, *falſas, ſcandalosas, temerarias, Evangelicæ doctrinæ manifeſtè contrarias*; Virodunenſis, *doctrinam perniciosam*; Bayonenſis, *periculoſas, ad morumque relaxationem tendentes*; Oloronenſis, *Religionis puritatem corrumpentes*; Andegavenſis, *tam Sacerdotibus quàm pœnitentibus perniciosas*; Luſſenſis, *ignavas laxitates; quæ, dum peccatoribus abblandiuntur, fovent peccatum; dumque remedii tollunt amaritudinem, tollunt virtutem*; Bolonienſis, *erroneas & ſcandalosas*; Bellovacenſis, *maximè erroneas, periculoſas, adulatorias, peccatorum impœnitentiæ faventes*; Rupellenſis, *contrarias diſciplinæ ſemper in Eccleſia ſervatæ*; Alectenſis, *novas, & laxas, &c.* Quæ omnia conſtant ex laudatorum Epiſcoporum litteris prælo datis ad Atrebatenſem. Unde in tertia ſua de Pœnitentia Epiſtola Paſtorali §. 24. dicit, poſt tot ſanctorum Epiſcoporum reddita ſibi teſtimonia, non eſſe dubitandum, totum quod in ſuis de Pœnitentia regulis, duabuſque de eadem anterioribus Litteris Paſtoralibus tradidit, ex doctrina Eccleſiæ eſſe depromptum : *Nous nous ſommes étudiez, Dieu nous eſt témoin, à n'y rien mestre de nous mêmes, & de notre propre eſprit. Et.... nous pouvons avancer hardiment..... aprés le témoignage, que tant de ſaints Evêques nous ont rendu, que.... vous n'y trouverez rien, qui ne ſoit puiſé dans la doctrine de l'Egliſe.*

Illuſtriſſimus D. Ludovicus Foucquetius, Epiſcopus Agathenſis, in epiſtola ad laudatum Atrebatenſem anni 1676. *Duæ* (inquit) *inſignes litteræ veſtræ, ſanctæque de pœnitentia regulæ, iis comprehenſæ..... omnino ſunt ſanctorum Patrum, Conciliorum, divinarumque Scripturarum. Plenæ ſunt ſpiritu Dei, quotidie per puram Traditionem Eccleſiæ ſuæ loquentis, ſicut olim Patribus noſtris locutus eſt per Prophetas, Apoſtolos, Apoſtolorumque Succeſſores, qui nos præceſſerunt. Omnis alia loquela novitia eſt* (audiat Author libri cui titulus : *Hydra profanarum novitatum.* Et alterius, cui titulus : *Tempeſtas novaturiens noviſſima*, &c.) *Omnis alia vox de terra eſt, omnis alia traditio phariſaica eſt, omnis alia doctrina in ſola aberratione vanitatis corruptæ ratiocinationis fundata eſt.... Nec alios habet Doctores, niſi qui ſemetipſis erexerunt cathedras peſtilentiæ, quique dum pruriunt auribus, & ſenſibus, æternæ mortis ſomno indormiſcere faciunt jacentes in ſepulchro corruptionis ſuæ*, &c. 155

Et in approbatione libri, cui titulus : *Amor pœnitens*, ſive *de divini amoris ad pœnitendum neceſſitate, & recto clavium uſu*, ab Illuſtriſſimo D. Epiſcopo Caſtorienſi adverſus eaſdem opiniones conſcripti : *Mihi* (inquit) *liber ille viſus eſt, in iis quæ tractat, plenus Religione Chriſtiana, pietate Catholica, Apoſtolica veritate, & Traditione Romana.... Sacerdotes, quibus formidandum onus pœnitentes ligandi, aut ſolvendi.... concreditum eſt.... legitimum tanti miniſterii uſum ſolidè explicatum confirmatumque videbunt, contra recentiorum quorumdam hominum commenta.* 156

Similiter Illuſtriſſ. D. Nicolaus de Pavillon, Epiſcopus Alectenſis (de quo ſuprà n. 13.) in epiſtola ad laudatum Atrebatenſem anni 1676. *Numquam* (inquit) *ſatis deploranda eſt eorum cæcitas, qui tam pio conatui* (Epiſcopi Atrebatenſis) *ſeſe opponunt, falſas & laxas opiniones publicando, quæ ad nihil aliud valent, niſi ad fovendum homines in omni vitiorum genere... Sed præ cæteris regulæ à Te obſervatæ, de neganda differendaque certis in caſibus abſolutione, mihi videntur ſpiritui Evangelii, doctrinæque Eccleſiæ conformes.* 157

Et Illuſtriſſimus D. Henricus Arnauld, Epiſcopus Andegavenſis, in epiſtola ad Atrebatenſem anni 1676. adverſus obtrectatores iſtius doctrinæ ſic habet : *Agitur de perditione Sacerdotum, ſi per crudelem indulgentiam iis dent ſanctum ſanctorum, quos eo cenſere debent indignos, adimiturque ſpes veræ ad Deum converſionis peccatorum, ſi per ignavam mollitiem Sacerdotum in ſuis foveantur exceſſibus. Et ita nobis eſt.... cauſa altiùs ingemiſcendi, quod audiamus..... illo ipſo tempore, quo divina providentia inſignes ſuſcitat Prælatos, eximiæque eruditionis Thologos, zelo zelatos pro manutenendis veræ ſalutariſquæ pœnitentiæ regulis, inquieta & turbulenta non deſint ingenia, quæ piis ipſorum conatibus totis obſiſtunt viribus, omnique calumniarum & invectivarum genere, odioſum reddere ſatagunt modum ſecuriorem certam faciendi ſalutem peccatorum, per veram ſolidamque converſionem*, &c. 158

Et Franciſcus, Epiſcopus Sarlatenſis, in epiſt. ad eumdem, ejuſdem anni : *Sponſa unigeniti Filii Dei, ſemper valdè zeloſa pro ſua puritate, plurima congregavit Concilia, & quamplurima edidit oracula, tam ad manutenendam juſtam diſciplinæ* 159

ſuæ ſeveritatem, quàm ad conſervandam fidei ſuæ integritatem. Nunc que ejuſdem eſt ſenſus, quòd nos oporteat continuò vigilare ad impediendam ingeniorum quorumdam licentiam, quæ non ceſſant per ſubtilitates falſas, Moralem enervare Chriſtianam, ex eaque auferre quidquid laborioſum ac difficile reputat amor proprius, infelicemque efficere conſcientiarum pacem, per fictam peccatorum cum Deo reconciliationem. Doctores illi carnis & ſanguinis, qui non quærunt (ut Apoſtolus ait) niſi doctrinas fabuloſas, ad abblandiendum hominibus, nihil magis perniciоſum excogitare potuerunt, quàm adſtringere Confeſſarios ad dandam pœnitentibus illis abſolutionem, qui adhuc plenè inhærent malis conſuetudinibus ſuis, perſeverantque in proximis peccati occaſionibus; ſic enim magis eos in ſuis confirmant criminibus, quàm corrigant.

160 Epiſcopus quoque Luſſenſis, in epiſtola ad eumdem, ejuſdem pariter anni: *Vix* (inquit) *errores ſunt perniciоſiores, quàm qui pœnitentiam concernunt... nihil quippe funeſtius Chriſti fidelibus, quàm medicamentum, ſanandis ipſorum ægritudinibus neceſſarium, vertere in toxicum, fontemque alterare & corrumpere, unde poſſunt ſperare vitam, poſt lapſum in lethalem culpam..... Quapropter..... Illuſtriſſ. D. Epiſcopus Atrebatenſis, Paſtoralis officii ſui debitum prorſus implevit..... cenſurâ ſuâ adverſus ignavas quaſdam relaxationes, quæ peccatum fovent, dum peccatoribus abblandiuntur, remediique tollunt virtutem, dum tollunt avaritudinem.*

161 Denique Eminentiſſimus D. Cardinalis Forbinius, in Epiſtola Paſtorali anno 1672. conſcripta, dum adhuc eſſet Epiſcopus Dinienſis, eaſdem opiniones dicit eſſe contra præſcriptum Evangelii, & contrarias ſpiritui Eccleſiæ.

162 Et Illuſtriſſ. D. Epiſcopus Cabilonenſis, in Epiſt. Paſtor. ejuſdem anni, necnon Illuſtriſſ. D. Joan. Franciſcus de Montgaillard, Epiſcopus S. Pontii Pomeriarum, in approbatione Amoris Pœnitentis eas vocat *commenta ab Evangelii dogmatis, Chriſtianiſque moribus aliena.*

CAPUT XII.

De gratia, ſeu dono pœnitentiæ, Deique erga peccatores miſericordia, Authores propoſitionum cap. 5. recenſitarum philoſophantur ex ſenſu ſuo; non ex divina Scriptura, neque ex traditione: ex quibus diſcere ac definire nos oportet, qualem erga peccatores miſericordiam Deus exerceat.

163 TAntam Dei erga peccatores, etiam grandes, etiam citò & facilè in ejuſmodi crimina relabentes, etiam conſuetudinarios, miſericordiam Novaturientes Calviniſtæ prædicant, ut ex miſericordia Dei concludant, eorum omnium facilem eſſe converſionem, nec ad eam tempore, nec magnis precibus, nec pœnitentiæ operibus præparatoriis, ſecundùm ordinariam divinæ miſericordiæ œconomiam, opus eſſe; eò quòd Deus ex miſericordia ſua (ut ipſi putant) ultrò paratus ſit gratiam ad id neceſſariam omnibus dare. Ita Franciſcus Reymakers, Carolus ab Aſſumptione, &c. conſtatque ex propoſitionibus, quarum elenchum cap. 5. texuimus.

164 Verùm edilerant (quæſo) nobis, ex qua id divina Scriptura habeant? Ex qua traditione? Cùm inde non habeant; imò ex utraque contrarium infrà demonſtraturi ſimus: talem ergo Dei erga peccatores miſericordiam dè ſuo comminiſcuntur; & per hujuſmodi commenta peccatoribus abblandientes, eoſque mortiferâ ſuavitate, velut Sirenarum carmine (ut Damianus loquitur) demulcentes, peccata fovent, atque (ut Baſilii verbis utar) *enervant auſteritatem & vigorem Scripturarum, vitioſos utiliter perſtringentem; eunuchizantes* (ut V. Petrus Cantor ait) *quod virile & robuſtum eſt in arcu Domini.*

Recolenda igitur doctrina Angelica 3. p. q. 1. a. 3. *Ea quæ ex ſola voluntate Dei proveniunt, ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quatenùs in ſacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innoteſcit.* Atqui illa, quam Deus exercet erga peccatores, miſericordia, ex ſola Dei voluntate provenit, ſupra omne debitum peccatoris (ſcriptum eſt enim Exodi 33. *miſereбor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Et Rom. 9. *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.*) Nobis ergo innoteſcere non poteſt, niſi quatenùs in ſacra Scriptura traditur, vel ab Eccleſia per Patrum traditionem declaratur. Eccleſia namque & Patres legitimi ſunt ſacræ Scripturæ Interpretes. Nec cuiquam licitum eſt, eam ad privatos ſenſus ſuos contra communem ſanctorum Patrum ſenſum detorquere. Cùm privatos ejuſmodi ſenſus (maximè peccatoribus abblandientes, quibus peccata non emendantur, ſed foventur) Eccleſia & Patres ſemper improbarint. Nominatim Baſilius in c. 1. Iſa. cujus verſum 22. *Caupones tui miſcent vinum aquâ*, iis applicat, *qui Scripturam ipſam in aquam convertunt, permiſcentes quæ ſuo ipſorum intellectu excogitarunt, in extremam perniciem auditorum. Dum enim ſtudio adnituntur, ut, indulgendo eorum voluptatibus, demereantur eorum gratiam, per blandiloquia, & ſuaves ſermones aſſentando, alunt eorum vitia in perditionem; per hæc enervantes auſteritatem & vigorem Scripturarum, vitioſos utiliter perſtringentem.* In eo imitatores Pſeudo prophetarum, de quibus Hieronymus contra Jovinianum: *Pſeudo prophetæ ſemper dulcia profitentur.* 165

Habemus quidem ex Scriptura, habemus ex traditione, tantam eſſe Dei erga peccatores miſericordiam, ut gratiam & veniam nunquam deneget verè pœnitentibus, ſed peccatores quoſcumque, dummodò plenè converſos, per Pœnitentiæ Sacramentum toties quoties, & abſque termino, in gratiam recipiat; nec divinæ, ſeu miſericordiæ, ſeu potentiæ difficile eſſe, quamlibet grandes & inveteratos peccatores ſubitò convertere. Sed nullibi Scriptura, nec traditio docet, quòd magnos peccatores, præſertim conſuetudinarios ac recidivos, ordinariè ſubitò, abſque præmiſſis pœnitentiæ operibus, plenè convertere ſoleat. 166

Secundò habemus ex Scriptura, habemus ex traditione, veræ ac plenæ converſionis gratiam nulli denegari, petenti ut oportet. Sed neque Scriptura, neque traditio docet, eam magnis peccatoribus ordinariè tribui, non petentibus ut oportet; nec docet eos ut oportet petere, qui nonniſi leviter & momentaneè petunt, nec ad eam obtinendam pœnitentiæ operibus ad fores divinæ miſericordiæ pulſant, poſteaquam ſpiritui gratiæ contumeliam ſæpiùs fecerunt, pretioſumque Chriſti ſanguinem, & ſuſceptum diviniſſimum Sacramentum, criminibus facilè & citò repetitis, frequenter polluerunt. 167

Tertiò habemus ex divina Scriptura, habemus ex traditione, tantam eſſe Dei erga peccatores miſericordiam, ut eorum nonnullos de malis convertat in bonos, qui de bonis ſe converterant in malos. Sed non habemus, iſtum eſſe curſum ordinarium divinæ miſericordiæ, ut voluntate abſolutâ & efficaci toties velit recidivos convertere de malis in bonos, quoties de bonis ſe convertunt in malos. Nec quòd id frequenter vel ordinariè faciat. Cùm Scriptura ex adverſo maledictiones & væ comminetur iis, qui nonniſi tribu- 168

los proferunt, & spinas peccatorum, postquam venientem super se Sacramentorum imbrem sæpè biberunt.

169 Quartò habemus ex Scriptura, habemus ex traditione, nonnullos ex electis subinde cadere & resurgere. Sed non habemus, istum esse ordinarium divinæ misericordiæ erga peccatores processum, ut assiduos in gravia relapsus in ipsis permittat, ad finem ipsos assiduè resuscitandi per Pœnitentiæ Sacramentum. Imò tales recidivos, secundùm communes divinæ providentiæ leges, censendos esse de numero reproborum, ex Scriptura & Patribus cap. 75. ostendemus.

CAPUT XIII.

Specialiter quoad hoc redarguuntur Steyartius, & Author Pentalogi Diaphorici.

170 UT Dei misericordiam magnificare videretur Doctor Steyartius, suamque de facilitate conversionis, sine pœnitentiæ operibus, doctrinam, aliaque sua laxioris viæ opinamenta facilius tueretur, angustam salutis viam (de qua Luc. 13. v. 24. & ex qua Hesselius in confut. novit. fid. contra Lutherum probat, ordinariè peccatores nonnisi per opera pœnitentiæ justificari) in Thesi Lovanii defensa 26. Julii 1695. sic interpretatus est, ut diceret, quòd *angusta porta, est porta Religionis Christianæ, etiam quatenùs à vulgo fidelium (ne ad nescio quos rigores restrictio fiat) observatur.* Sic ille; sed non sic Scriptura, nec Patres. Si enim ita esset, sequeretur, omnes illos per angustam portam intrare, adeòque salvari, qui vivunt ut vulgus fidelium, eoque modo Religionem Christianam observant, sicut vulgus fidelium observat. Quod si verum esset, qui vult salvus esse, Christi crucem non deberet tollere & portare, nec effici sicut parvulus, nec sibi vim inferre, &c. (ista namque pauci faciunt de vulgo;) salvari quippe possent superbi, avari, peccatores laborem pœnitentiæ refugientes, quorum (sicut stultorum) infinitus est numerus in vulgo fidelium. Peccatoribus proinde omnibus (nisi sint plusquàm vulgares) tametsi pœnitentiam Evangelicam non facientibus, securitatem Steyartius pollicetur. Sed non sic Christus, non sic SS. Patres. Siquidem Christus loco citato, & Matth. 7. v. 14. dicit paucos ex iis qui quærent intrare (id est ex fidelibus) intraturos in regnum cælorum. Idem unanimi voce contestantur SS. Patres, à nobis to. 1. laudati. Nec mirum, quia pauci ex ipsis sunt veri Christi discipuli; pauci (inquam) Christum sequuntur per viam crucis, pauci efficiuntur sicut parvuli, pauci sibiipsis vim inferunt. Violentum enim, cùm sit contra naturam, in paucis contingit; non igitur contingit in vulgo fidelium. Plusquàm vulgares sunt, qui Christum verè sequuntur per viam crucis, Christianæque humilitatis.

171 Nec magis de divinis Scripturis, aut Patribus, sed de adinventione sua, deque figmento suo Author Pentalogi Diaphorici, in Appendice illius fol. 7. sequentem hypothesim statuit: *Si quoties recidivus se immutat de bono in malum, toties divina misericordia vult recidivum immutare de malo in bonum, quis accusabit adversus recidivum? Deus qui immutat voluntatem, quis est qui condemnet? Has vocamus divinæ misericordiæ divitias.* Sic vocat ipse. Sic alii cap. 5. relati. Sed non sic Scriptura, non sic Prophetæ, non sic Apostoli, non sic Evangelistæ, non sic Pontifices, non sic Patres. Imò non sic ratio christiana. Si enim divina misericordia toties vellet recidivos immutare de malis in bonos, quoties de bonis ipsi se immutant in malos, nullus recidivus in peccatis suis moreretur, sed in bono semper statu, in quem post ultimum relapsum, per divinam misericordiam immutaretur. Nullus ergo recidivus periret. Quod asserere, nec Scriptura, nec traditio permittit.

172 Nec magis de divinis Scripturis, nec de Patribus, sed de suo idem Pentalogi Author ibidem cap. 6. n. 51. quasi divino circa electionem hominum consilio interfuisset, comminiscitur tres electorum, seu prædestinatorum classes: *Eliguntur* (inquit) *quidam, qui per Baptismum remissionem consecuti, à gratia baptismali numquam cadunt.... Eliguntur alii, qui à gratia baptismali cadere permittuntur; sed vel post totam vitam pessimè actam in fine resurgunt; vel recuperatam semel gratiam, beneficio Sacramenti Pœnitentiæ, numquam amittunt. Eliguntur & alii, quos continuò permittit Deus cadere, ut per Sacramentum Pœnitentiæ continuò resurgant. In his supra omnem* (inquit) *hominum misericordiam superexaltatur Dei misericordia.* Quia tametsi in sacris Litteris rarissimum habeamus exemplum Latronis, qui post totam vitam pessimè actam, verè in fine pœnituit, & misericordiam invenit: nullum tamen invenimus exemplum eorum, qui post assiduam Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ profanationem, toties per Pœnitentiæ Sacramentum resurrexerunt, quoties illud profanarunt. Nec juxta communes divinæ providentiæ leges, minùs rara est per Pœnitentiæ Sacramentum vera resurrectio, rara (si umquam vera) electio illorum, qui in pessima scelera post suscepta frequenter Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, assiduè relabuntur; quàm illorum qui totam pessime vitam agunt. Sed sicut isti, secundùm communes divinæ providentiæ leges utplurimùm de numero sunt reproborum, eorumque pœnitentia sera, rarò est vera, juxta communissima Sanctorum pronuntiata, *qualis vita, finis ita: pœnitentia sera, rarò vera*, &c. Sic & de illis dicendum, & quidem majori cum fundamento, ob majorem ingratitudinem, majoremque contumeliam spiritui gratiæ, sanguini Christi, susceptisque Sacramentis illatam.

173 Ubi ergo ipse in sacris Litteris, ubi in Patribus tertiam illam electorum classem invenit? Ubi ordinariam illam erga peccatores assiduè recidivantes misericordiam? Illius certè prædicatio non Prophetica est, non Evangelica, non Apostolica, non antiqua; sed nova, deque nupera speculatione ipsius conficta. Neque enim Prophetæ, neque Christus, neque Apostoli, neque veteres Patres, aut Theologi eam prædicarunt. An ipse (cum Paulo) raptus ad tertium cælum, ibi audivit arcana verba, de tertia illa electorum classe, ordinariaque œconomia divinæ erga dictos peccatores misericordiæ? Illam tota hactenùs Antiquitas ignoravit. Novitia proinde est prædicatio illius. Nec tamen novos Apostolos misit Deus, qui eam prædicarent; nec ullum ipsius indicium, ullum exemplum Spiritus sanctus in sacris Eloquiis, vel in Patribus exaravit.

174 Justos quidem aliquos divina Scriptura commemorat, quos Dei misericordia semel iterùmque labi permisit, ac deinde resuscitavit. Sed duas id ob rationes fecit, quæ in recidivis post Confessionem & Communionem assiduè peccata repetentibus non procedunt; sed ratio prorsus contraria. Quippe justos illos, ut David & Petrum, semel iterumque labi permisit, tum ut ipsi, tum ut alii, ipsorum exemplo, humiliores cautioresque efficerentur. Si autem divina misericordia (secundùm ordinariam providentiam) eos assiduè resuscitaret, qui post Confessionem & Communionem assiduè in crimina relabuntur, nec ipsi cautiores humilioresque evaderent; imò minùs cauti, minùsque timorati; utpote ipse illâ assiduæ resuscita-

tionis lactati, non fræno timoris repressi. Et reliqui peccatores eamdem sibi misericordiam (utpote ordinariam) pollicentes, tantò securiùs, licentioſiùsque in crimina ruerent, quantò minori divinæ justitiæ timore inde cohiberentur, majorique illius misericordiæ spe ad id allicerentur.

175 Non est igitur talis erga peccatores Dei misericordia ex proprio cerebro prædicanda; sed talis, qualem Scriptura divina, qualem traditio prædicat. Arcenda est quidem à peccatoribus desperatio, sed arcenda quoque de Dei misericordia vana spes & præsumptio; ne peccatores per eam seducantur, in suisque peccatis foveantur. Ut enim Augustinus serm. 47. de verb. Dom. *ex utroque homines periclitantur, & sperando, & desperando.* Utrumque proinde cavendum, ut peccatores, utroque periculo evitato, & à malo declinent, & de misericordia Dei non desperent. Utrumque Pentalogi Author arcere non videtur à peccatoribus, sed vanæ spei habenas ipsis laxare novitiis suis infundatisque commentis, n. 171. & 172. commemoratis. Sicut & dum in elucidatione circa usum absolutionis, & in libello quem intitulavit, *La Verité opprimée*, &c. dicit quòd minima probabilitas sufficiat ad non leviter credendum, quòd pœnitens sit dispositus ad absolutionem. Dum item in libro, quem falsò inscripsit, *defensionem praxis communis Ecclesiæ* fol. 90. sufficienter contritos censet, absolutioneque dignos, *qui non habent vires sese emendandi.* Et dum ibidem fol. 97. Deum introducit, sic alloquentem peccatores, qui, ob mollitiem suam, facere non possunt fructus dignos pœnitentiæ, nec vitam tempore notabili emendare: *Venite ad me, debiles peccatores, & remittam vobis omnia peccata vestra. Non postulo à vobis emendationem notabili tempore, nec fructus dignos pœnitentiæ. Non postulo nisi folia. Confitemini corde contrito, & remittam vobis omnia peccata vestra. Fuistisne decem, vel viginti annis peccantes ex habitu? venite ad me: non postulo à vobis emendationem notabili tempore, nec fructus dignos pœnitentiæ. Non postulo, nisi folia. Confitemini corde contrito, & remittam vobis omnia peccata vestra, in quibus habituati estis, per absolutionem Ministri mei* (tametsi de illa contritione vestra non habeat nisi minimam probabilitatem, ut suprà.) *Centiesne & centies in eadem peccata relapsi estis, sine ullo conatu ad emendationem? venite ad me: non postulo à vobis emendationem notabili tempore, nec fructus dignos pœnitentiæ. Non postulo nisi folia. Confitemini corde contrito, & remittam vobis omnes relapsus vestros, per absolutionem Ministri mei. Vitamne duxistis enormiter flagitiosam? Nullumne est crimen, quod non commisistis? venite ad me. Non postulo à vobis fructus dignos pœnitentiæ. Non postulo nisi folia. Confitemini corde contrito, & remittam vobis omnia peccata vestra, quantumcumque numerosa, quantumcumque enormia, per absolutionem Ministri mei.* Sic ille, addens esse *excessum divinæ misericordiæ*, memoratos peccatores noviſſimis sæculis absolventis, super sola Confessione ipsorum, tametsi nec vires habeant faciendi fructus dignos pœnitentiæ, nec diù vitandi relapsum.

176 Sed non sic Gregorius Magnus lib. 6. in cap. 15. libri 1. Reg. *Tunc benè conversum peccatorem cernimus, cùm dignâ afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Joannes Baptista malè conversos Judæos ad se confluentes increpans ait: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* IN FRUCTU ERGO, NON IN FOLIIS, AUT RAMIS POENITENTIA COGNOSCENDA EST. *Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba, quid nisi folia? Non ergo folia propter seipsa, sed propter fructum expectanda sunt. Quia idcirco omnis peccatorum Confessio recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram,* FRUCTU STERILEM MALEDIXIT, QUIA CONFESSIONIS ORNATUM NON RECEPIT SINE FRUCTU AFFLICTIONIS. *Satis ergo dum confitetur, & honorari vult, non affligi & humiliari, quid designat, nisi eos qui Confessionem sterilem habent, & fructum non habent, qui decorem Confessionis verbis humilibus præferunt, sed verborum virorem non humilitate pœnitentiæ sequuntur.*

Et quid dico, non sic Gregorius? ampliùs dico: non sic Christus, non sic Christi Præcursor, non sic Apostoli, non sic Prophetæ. Si enim Christus foliis Confessionis esset contentus, nec requireret pœnitentiæ fructus, ficum *foliis decoram, fructu sterilem*, non maledixisset, nec violentiam pro vitiis extirpandis sibi illatam in Evangelio requireret, dicens: *regnum cælorum vim patitur.* Et ad cæleste regnum non solos eos admitteret, qui contendunt intrare per angustam portam, & ambulant per arctam mandatorum viam. Nec Christi Præcursor diceret: *genimina viperarum, quomodò fugere poteritis à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Ecce Joannes Baptista dignos pœnitentiæ fructus expressè requirit ad effugiendam venturi Judicis iram, ac per consequens ad veniam & misericordiam obtinendam. Audet nihilominùs Pentalogi Author introducere Christum in eo Præcursori suo contradicentem. Emendationem denique Spiritus sanctus in sacris Litteris ubique requirit. Isa. 1. *Quiescite agere perversè, discite benè agere. Quærite judicium, subvenite oppresso... Et venite, arguite me, dicit Dominus*, si, posità hâc conditione, non pepercero. Et Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet... omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Istam ergo conditionem expressè requirit. Ipsique proinde Pentalogi Author expressè contradicit. 177

Itaque perspicuum est, ipsum non de Scripturis, sed de corde suo prophetare in supradictis. Et utinam ea prophetaret, quæ apta sunt peccatoribus è cœno vitiorum eruendis! Sed ad hoc oportet ipsis Dei timorem incutere, non autem ipsos ablactare vanâ spe misericordiæ, quam non solùm absque Scriptura, & absque traditione, sed & contra Scripturam, & contra traditionem prædicat, & tanta cum fiducia prædicat, ac si eam ex Dei verbo scripto vel tradito didicisset, solusque Novator, vel à fide devius ipsi contradicere posset. 178

Sed quid de corde suo similia prophetantibus Scriptura dicit? *Væ Prophetis insipientibus* (ait Dominus Ezech. 13.) *qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.... vident vana.... in consilio populi mei non erunt.... eò quòd deceperint populum meum, dicentes, pax, & non est pax. Et ipse ædificabat parietem: illi autem liniebant eum luto, absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quòd casurus sit.....ubi est litura, quam linistis?.....Complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento.... Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.... Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos captis animas volantes, & dirumpam eos .... pro eo quòd .... confortastis manus impii, ut non reverteretur à via sua mala, & viveret.* 179

Audiat ergo peccator, non Pentalogi Authorem, sed Ludovicum Granatensem l. 1. ducis peccatorum 3. p. c. 27. dicentem: *Optima spes est, si peccata fugias, & Deum invoces: sin autem in peccatis tuis perseveres, non est illud sperare, sed præsumere; non est hoc sperare misericordiam, sed* 180

est

est rem indignam illâ facere, atque illam offendere. Quemadmodum enim Ecclesia non prodest illis qui exeunt ab illa, ut malè faciant; sic etiam æquum est ut misericordia Dei non prosit his qui in peccatis perseverant. Illud ante omnia divini verbi dispensatores considerare deberent, qui sæpè non animadvertentes, apud quos conciones habeant, MALIS PRÆBENT OCCASIONEM IN PECCATIS PERSEVERANDI. RESPICERE DEBERENT, QUÒD SICUT CORPUS INFIRMUM, SEU ÆGROTUM, QUÒ PLUS COMEDIT, HOC MAJUS ACCIPIT DETRIMENTUM; ITA ETIAM ANIMA IN PECCATIS OBDURATA, QUÒ PLUS ILLO GENERE FIDUCIÆ LACTATUR, EÒ AMPLIUS INDURATUR, *& movetur ad perseverandum in peccatis.... Desine itaque, mi frater, & derelinque spem illam præsumptuosam. Recordare quia Dominus, ut misericors, ita quoque justus est. Quemadmodum itaque ad misericordiam respicis, ut speres; ita quoque ad justitiam, ut metuas.*

181 Audiat & Florentium Harlemiensem Carthusianum, in lib. cui titulus: *Via vitæ* p. 2. c. 24. *Comperiuntur Confessarii & Concionatores, qui peccatores aliud docent nihil, quàm ut multùm confidant divinæ benignitati & misericordiæ, quàm lubenter Deus veniam rogantibus peccatoribus ignoscat. Ajt de justitia Dei, & ipso per magnam contritionem placando, satisfactionibusque pro peccato adimplendis, nihil aut parùm loquuntur. Quo fit ut populus fallatur, & minoris faciat in peccata labi, audiens peccata tam facilè dimitti. Atque hujusmodi Confessarii, necnon Concionatores hodie conquiruntur, laudantur, vocanturque Concionatores qui consolantur homines. Verum est, quòd timeatur, ne simile consolatorum genus potiùs deteriores peccatores reddat, quàm correctiores, sicut Medicus.... qui ægrum... semper blandè tractat. De hujusmodi apud Ezechielem terribilis est sermo Dei, inquientis, quòd isti populum decipiunt, dicentes, pax, pax, & non est pax..... Neque absimilis est prædicatio eorum, qui è suggestu de benignitate Dei, atque illius misericordia semper dicunt, & justitiæ non meminerunt; qui multa de spe verba faciunt; nulla verò, aut paucissima de timore, & angustia portæ, quæ ducit ad cælum. De quibus iterùm Dominus apud dictum Prophetam: Væ qui conjunxerunt pulvillos,* &c.

182 Dicant nihilominùs Concionatores, dicamus omnes qualem juxta Scripturam & Patres misericordiam erga peccatores Deus exerceat, & qualiter superexaltet misericordia judicium, sitque super omnia opera ejus. Utique

1°. quia multos peccatores per merita Christi salvat, omnes alioqui damnandos. Propter Christum enim *homines, & jumenta salvabis Domine, cum multiplicaveris misericordiam tuam Deus.* Ps. 35.

183 2°. quia eos, *qui exerrant, partibus corripit, & de quibus peccant admonet, & alloquitur, ut relictâ malitiâ credant in se; & judicans dat locum* in peccatis *pœnitentiæ.* Sap. 12. In tantum quòd *in multa patientia sustinet vasa iræ, apta in interitum.* Rom. 9.

184 3°. quia quantumcumque peccaverint; si verè & plenè pœnituerint, *cor contritum & humiliatum non despicit.* Ps. 50.

185 4°. quia creaturam à se aversam, misericordiâ suâ præveniendo revocat, conversam recipit, receptam perficit, perfectam coronat, inquit Augustinus.

186 5°. quia etiam millies, imò infinities relapsorum, *nullas patitur veniæ moras vera conversio.* S. Leo epist. 91.

187 6°. quia etiam in finem vitæ dilata, vera equidem *pœnitentia numquam est apud Deum sera.* Hieronymus ep. 48. ad Sab. c. 4. Fulgentius ep. 7. c. 7.

7°. quia electis ipsa etiam peccata cooperari 188
facit in bonum, Rom. 6. junctâ interpretatione Augustini, ipsisque peccata, quàmlibet innumera, condonat, ablutosque baptismate, vel ad mortem in baptismali conservat innocentia; vel siquando inde excidere permittat, per secundam post naufragium tabulam, in pristinam suam restituit amicitiam, nec semel, sed quoties verè pœnituerint.

Istas misericordias Domini in æternum canta- 189
re debemus; sic tamen, ut judicium cum misericordia cantemus: *misericordiam enim & judicium cantabo tibi Domine*, Psal. 100. Et in Deo *misericordiam & veritatem amat Scriptura conjungere*, Augustinus in Psal. 87. Et in Deo misericordia & judicium, *justitia & pax osculatæ sunt*, Ps. 84.

Foret haud dubiè misericordia magna, si Deus 190
omnes homines salvaret, si omnes eximiè sanctos efficeret, si peccatores omnes efficaciter converteret, si Unigeniti sui satisfactione contentus, aliam ab ipsis non exigeret, si finalis perseverantiæ donum omnibus, saltem Christianis, vel saltem majori eorum parti concederet. Verùm aliter visum est divinæ sapientiæ, ordinatissimæque providentiæ; aliter divinæ justitiæ. Nec habet hîc quòd conqueratur recta hominis ratio; sed habet dumtaxat quòd cum Apostolo exclamet: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*

Nemo proinde *sibi multum de misericordia Dei* 191
blandiatur (ait rursum Augustinus in Psal. 44.) sed (ut idem ait in Psal. 32.) *cùm acceperis misericordiam, benè utere, ut bonam rationem reddas, cùm judicium venerit.* Verè quidem Apostolus: *Superexaltat misericordia judicium.* Verè Psalmista: *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Verùm sicut sacri isti textus verissimi sunt, tametsi divina misericordia non salvet, nisi partem longè minorem hominum; imò nonnisi partem longè minorem Christianorum: tametsi majorem hominum partem in tenebris infidelitatis relinquat: tametsi dimittat gentes ambulare vias suas: tametsi malè utplurimùm mori permittat, qui malè vixerunt: tametsi nonnisi pauciissimos Catholicos eximiè sanctificet, cùm posset omnes: tametsi exiguum dumtaxat numerum elegerit, seu prædestinaverit, cùm omnes eligere potuisset. Sic iidem sacri textus verissimi sunt, tametsi ad veram pœnitentiam efficaciter ordinariè non perducat, sed in peccatis suis mori permittat eos, qui per frequentem Sacramentorum abusum, frequentemque in grandia crimina relapsum, pretiosum Christi sanguinem frequenter polluunt, spiritui gratiæ frequenter contumeliam faciunt, vixque ullam (si ullam) pro emendanda vita sibi vim inferentes, perpetuum faciunt Confessionum relapsuumque circuitum, parùm vel nihil sollicite de præstandis iis, quæ ad impetrandam misericordiam Mich. 6. requirit Dominus: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Si enim hujusmodi peccatores ad veram pœnitentiam & salutem utplurimùm efficaciter promoveret, plures sacri textus (infrà referendi) veri non essent, quòd scilicet ad misericordiam & salutem impetrandam necessaria sit vitæ emendatio, necessarium ambulare per arctam viam, necessarii fructus pœnitentiæ, &c. Nec verum esset, quòd ambulantes per viam latam utplurimùm ambulent in perditionem. Nec denique verum, quod cum SS. communiter Patribus, præcipuisque Doctoribus Scholasticis, & sacris Interpretibus, docet Cardinalis Bona in princip. vit. Christ. p. 2. §. 50. atque *infallibili Scripturarum testimonio* censet evinci, scilicet *exiguum esse numerum electorum, & multò minorem, quàm sit numerus reproborum, etiamsi*

de solis orthodoxæ fidei cultoribus (exclusis parvulis, qui ante usum rationis obeunt) sermo sit. Quod & à nobis multiplici divinarum Scripturarum, & SS. Patrum authoritate, multiplici item ratione to. 1. hujusce Theologiæ Sanctorum Prolegom. 2. cap. 16. ostensum est.

192 Benè quidem sperare licet de salute eorum, qui sub vitæ exitu, signa dant pœnitentiæ. Flagitiosorum tamen hominum (quorum longè major est numerus, quàm timoratorum) *pœnitentia sera*, post vitam in continuis peccatis, vel in perpetuo Confessionum & relapsuum circulo peractam) juxta SS. Patres *rarò est vera.*

CAPUT XIV.

Tametsi Ecclesia nunquam dubitaverit de tanta Dei in condonandis peccatis misericordia, ut peccatores quoscumque, quamlibet multorum & enormium criminum reos, toties in gratiam recipiat, quoties ad ipsum toto corde conversi pœnitent sicut oportet. Nunquam etiam dubitaverit de data sibi ab unigenito Filio Dei potestate toties remittendi peccata, post baptismum commissa, quoties debita cum dispositione suis ea clavibus subjiciuntur. Non ideò unquam credidit, absolutionem à se impartiendam peccatoribus quibuscumque, se contritos asserentibus, statim atque peccata sua confessi, absolutionem petissent, cum verbali promissione emendationis, tametsi manifesta non esset indispositio ipsorum.

193 PRobatur 1°. quia tantaolim cum districtione Ecclesia usa fuit suâ illâ potestate, ut pluribus sæculis semel dumtaxat, extra mortis articulum, absolverit post baptismum lapsos in graviora crimina, quæ publicâ multabat pœnitentiâ, solùmque in morte absolverit relapsos in ea, seu aliquod eorum, post unam pœnitentiam & absolutionem. Priorem partem antiquissimorum Patrum testimoniis probat Morinus, l. 5. c. 27. Hermæ nimirùm (S. Pauli discipuli) Clementis Romani, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis. Quod & cap. 28. demonstrat ex Concilio Eliberitano, Paciano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & Concilio Toletano III.

194 Posteriorem partem, quòd solùm in morte absolverit relapsos, &c. multis rationibus & authoritatibus probat ibidem c. 29. & 30. Et idem cum Morino tradunt Albaspinæus (Episcopus Aurelianensis) observationum l. 2. observat. 2. & Dionysius Petavius in doctissimis suis ad Epiphanium admonitionibus hæresi 59. Qui omnes pariter ostendunt, relapsos in dicta crimina, privatæ pœnitentiæ beneficio, ad communionem pacemque reverti minimè potuisse, glossasque Scholasticorum verbis & praxi Antiquorum non satisfacere.

195 Graviora porrò crimina, erga quæ tam districta fuit veteris Ecclesiæ disciplina, fuerunt idololatria, homicidia, mœchia, fornicatio, eorumque manifestæ species. Fornicationem namque (hohie, proh dolor! communissimam) inter graviora illa fu sse computatam, perspicuum est ex Tertulliano l. de pudicitia c. 1. & 12. Paciano paræneti ad pœnit. Chrysostomo hom. 17. in Matthæum, &c. His à sæculo quarto addita fuere sacrilegium (ut videre est apud Augustinum hom. 27. inter 50.) perjurium, falsum testimonium, furtum, rapinæ, ebrietas assidua, &c. ut videri potest apud Cæsarium homil. 8. Fulbertum Carnot serm. 2. ad populum, Morinum l. 5. citato c. 4.

196 Imò certum aliquibus viris doctis videtur ex Cypriano epist. 52. Innocentio I. epist. 3. ad Exuperium, & variis canonibus Concilii Eliberitani, nonnullorum criminum reis, ut mœchiæ, &c. ante Zephirini Papæ tempora, austerioris disciplinæ studio, absolutionem, in quibusdam Provinciis, etiam in morte, negatam fuisse, eorumque reos ad Deum pro venia remissos fuisse, prout ostendunt Merbesius dissert. 4. de pœnit. q. 79. Morinus l. 9. c. 15. Cardinalis Bona de rebus liturg. lib. 1. c. 17. ubi sic: *Quibusdam sceleribus, quæ atrociora visa sunt, omnem prorsus veniæ spem, omnem pœnitentiam* Ecclesia *denegabat: adeò ut qui ea commisisset, quamvis à divina misericordia eorum remissionem veræ contritionis subsidio obtineret, nunquam tamen posset cum Ecclesia reconciliari. Ea erant idololatria, homicidium & adulterium.* Constat hoc ex Tertulliano l. de pudicitia, ubi jam factus Montani asseclа, propterea invehitur in Decretum Zephirini Papæ (quo dixerat: *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto.*) Idem liquet ex Concilio Eliberitano, & ex epistola Innocentii I. ad Exuperium, in qua ait, duriorem fuisse observantiam tempore persecutionum, ne communionis concessa facultas, homines de reconciliatione securos, non revocaret à lapsu. Reditâ autem Ecclesiæ pace, rigorem illum in misericordiam commutatum esse.

197 Nec in quibusdam dumtaxat Provinciis rigorem antedictum observatum fuisse, sed tribus prioribus sæculis in solemni more fuisse, ut videlicet idololatræ, mœchi, & homicidæ, non obstante quâcumque pœnitentiâ, ne in morte quidem absolverentur, Merbesius loco citato post Albaspinæum probare conatur. Saltem id in solemni more fuisse, etiam in Romana Ecclesia, erga relapsos in aliquod ex dictis criminibus, viri eruditi censent.

198 Quidquid de eo sit, apostatis, & ab Ecclesia ejectis (si post suam ejectionem pœnitentiam agere non curassent, sed toto postea vitæ tempore voluptatibus se dedissent) sicut & totâ post Baptismum vitâ impiis, pœnitentiam demùm in morte poscentibus, absolutionem tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, non desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ, negatam fuisse, Morinus optimè demonstrat lib. 10. c. 1. & 2.

199 Incredibile verò est, omnibus supradictis absolutionem negatam fuisse, cò quòd certa crederetur indispositio ipsorum; imò certum videtur ex ipsis plerosque vel certò moraliter dispositos fuisse, vel solùm incertò, seu dubiè indispositos; cùm ex ipsis plerique pœnitentiam & absolutionem cum lachrymis, gemitibus, & precibus magnis peterent.

200 Secundò assertio probatur, quia Ecclesia, veteresque Patres semper horruerunt, & vehementer horruerunt se periculo exponere margaritas spargendi ante porcos, id est Sacramenta conferendi indispositis, ut Morinus ostendit lib. 1. cap. 17. *Incredibilis est* (inquit) *ea cura & sollicitudo, quâ afficiebantur, & quasi torquebantur, ne id aliquando contingeret. . . . . Ne igitur in Sacramentorum administratione fallerentur, & cum impuris, hoc est peccatoribus, ea communicarent, eos per varios purgationis modos, scelerum confessione præmissâ, multis annis deducebant. Si quid verò sceleris novi exoriebatur, tum Concilia frequentia celebrabant Episcopi, ut quâ ratione puniendum & expiandum esset, providerent. Nec hâc sollicitudine contenti, si quid paulò insolentius accidebat, Episcopos longè dissitos, & præcipuè Romanum Pontificem, de remediis insolenti morbo adhibendis consulebant. Imò cùm purgationis peccatorum modus erat vel remittendus, vel intendendus,*

dentius, eâdem diligentiâ & sollicitudine vicinos consulebant, Concilia habebant, nec unquam patiebantur, privatim conflictos curationis modos peccatoribus adhiberi. Siquis id feciſſet facinus, ſtatim severâ cenſurâ vindicabant.

201 *Ne autem in hac curatione & communione fallerentur, hanc antiquam regulam obſervabant, iis eſſere conciliationem & communionem redhibendam, quibus Deus redderat, juxta divinam ſententiam Actor.* 10. *latam:* " Quod Deus purifica-„ vit, tu commune ne dixeris. " *Credebant inſuper, atque hoc erat potiſſimum totius diſciplinæ pœnitentialis fundamentum, operum canonicè pro peccatis injunctorum ſedulâ præſtatione internam cordis compunctionem augeri & accendi, iram Dei mitigari, Deum pœnitentibus placari, pœnas æternas, peccatis debitas, non modo fruſtrari, ſed etiam extingui, ita ut qui injunctum à Sacerdote opus humiliter perfeciſſet, peccatorum veniam à Deo promereretur, ac proinde ab Eccleſia eamdem meritò conſequeretur: eò quòd rata haberet Deus in cœlo, quæcumque Eccleſia in terra de peccatis judicia faceret. Non negabant peccatoris compunctionem tam ardentem & inflammatam eſſe poſſe, ut uno momento perfectam à Deo peccatorum remiſſionem obtineret, omneſque inferorum pœnas extingueret. Sed & hoc rarum eſſe, & ſiquando contingeret, incognitum eſſe profitebantur. Ideò ut pœnitentium converſionem explorarent, atque illius inflammationem pœnitentes à Deo promererentur, opera varia injungebant, quibus diligenter peractis, eos purgatos eſſe & ſanatos, Deo œconomiam Eccleſiæ approbante, non dubitabant, atque ut verè tales à Deo habitos reconciliabant, & Communione donabant. Si verò morbo correpti, pœnitentiam petebant, aut grave aliquod periculum ipſorum animæ aut corporis metueretur, morbo urgente, aut periculo alio imminente, reconciliationem concedebant, pœnitentiâ nullâ, aut brevi impoſitâ, ægrotis autem tantùm indicatâ eâ conditione, ut ſi morbo ſuperſtites eſſent, eam exequerentur. Sed cùm præter verba, gemituſque morientis, nihil eſſet iis de ſinceritate, & juſta quantitate compunctionis compertum, de ſalute tardè pœnitentium diffidere plurimùm, nihil velle certi affirmare prædicabant. Abſolvebant tamen, rati potius eſſe (in dubio cujus longius examen temporis anguſtiæ non patiebantur) favere pœnitenti, quàm Sacramento: cùm Sacramentum propter pœnitentem ſit inſtitutum.*

202 His præmiſſis deinde Morinus ex perſpicuis antiquorum Patrum teſtimoniis demonſtrat, ipſos diligentiſſimè ſemper caviſſe, *ne quemquam abſolverent, quem priùs à Deo vel abſolutum, vel Sacerdotum miniſterio curatione peractâ abſolvendum, quantum homini judicare fas eſt, certò non crederent.* Igitur certum eſt ipſos non credidiſſe, ſe debere abſolvere confitentes toties quoties abſolutionem poſcerent, nec ipſorum manifeſta foret indiſpoſitio; imò ordinariè non priùs ipſos abſolviſſe, quàm certa ipſis appareret ipſorum diſpoſitio, quantum fas eſſet homini judicare. Et eamdem fuiſſe antiquorum Scholaſticorum ſententiam ex ipſorum teſtimoniis cap. 18. demonſtrat.

203 Capite verò 19. demonſtrat, quòd ſuam illam praxim tunc Patres temperabant, cùm pœnitentium mors urgebat, vel aliquod ſalutis periculum imminebat. Tunc enim (inquit) *tam certa ſinceræ pœnitentiæ argumenta non judicabant attendenda.* Cùm enim atrocitas Decianæ perſecutionis lapſorum ingentem multitudinem Eccleſiæ peperiſſet, & ipſi (imprudentium Confeſſorum litteris muniti) pacem ſibi redhiberi, nullâ actâ pœnitentiâ, inſolenter efflagitarent, Cyprianus cum Clero ſuo, Clerus quoque Romanus (Sede vacante per mortem Fabiani) Decreto proviſorio ſtatuerunt, pacem lapſis moribundis dari; ſanos verò expectare, donec (perſecutione ſedatâ) Concilia celebrarentur, ibique quâ ratione pax unicuique reddenda foret, definiretur. Sedatâ paulò perſecutione, Romæ & in Africa habitis Conciliis, ſtatutum eſt, pacem Libellaticis dandam, nullâ aliâ actâ pœnitentiâ, præter eam, quam à ſuo ſe lapſu egiſſe probabant. Sacrificatorum verò pœnitentiam diù trahendam, antequam pax ipſis redderetur, niſi mors urgens aliud exigeret. Si nullo periculo urgerentur, ipſos non reconciliandos, priuſquàm impleſſent pœnitentiæ tempus ſibi recenter conſtitutum. Quia tamen paulò poſt ſtatutum iſtud nova perſecutio imminere viſa eſt, decretum eſt ut nullâ interpoſitâ morâ pax omnibus redderetur. Quia Concilia tunc habita cenſuerunt, ſufficere quòd ex eorum gemitibus & inchoata pœnitentia probabilis conjectura haberetur, Deo acceptam eſſe poſſe ipſorum reconciliationem. Hæc omnia ex epiſt. 52. & 54. Cypriani, pulcherrimiſque rationibus, ab eodem Cypriano deductis, perſpicuè ibi probat, oſtendens à Cypriano ſolidiſſimè diſſolvi omnia in contrarium objecta.

Interim videat hinc Lector, veteres Patres ad 204
abſolutionem dandam lapſis in enorme crimen (quale erat in perſecutione idolis ſacrificaſſe) extra mortis vel ſalutis periculum haud fuiſſe contentos probabili conjecturâ, ex ipſorum fletibus & inchoata pœnitentia petitâ, de diſpoſitione ipſorum; ſed certius argumentum iſtius diſpoſitionis requiſiſſe. Nec proinde extra mortis vel ſalutis periculum ipſos ad abſolutionem diſpoſitos cenſuiſſe ex ſolis fletibus & inchoata pœnitentia, multò minùs ex ſolis verbis ipſorum; ſed certiora ad id credendum argumenta poſtulaſſe. Ex quo manifeſtè tandem conficitur, Eccleſiam & Patres, extra mortis & ſalutis periculum, olim non abſolviſſe lapſos in enorme crimen, quoties abſolutionem confitentes poſcebant, tametſi manifeſta non eſſet indiſpoſitio ipſorum: nec per conſequens, extra periculum illud, ante impletum pœnitentiæ tempus, ipſis ſe diſpoſitos aſſerentibus ordinariè credidiſſe in ſolo verbo ipſorum, tametſi manifeſta non appareret ratio in contrarium: cùm ne ipſos quidem diſpoſitos crediderint, dum non ſolis verbis, ſed & fletibus & inchoatâ pœnitentiâ ſe diſpoſitos aſſerebant, tametſi manifeſta non eſſet indiſpoſitio ipſorum. Quod ex dicendis magis magiſque demonſtrabitur.

CAPUT XV.

Rei grandium criminum, v. g. fornicationis, olim ſacramentaliter non abſolvebantur, niſi poſt actam pœnitentiam canonicam.

VEritas iſta conſtabit ex dicendis cap. 17. & 18. 205
Vide ibi.

CAPUT XVI.

Quando ſpeciales ob cauſas, v. g. ob mortis periculum, ante actam pœnitentiam canonicam, dictis peccatoribus abſolutio data fuit, abſolutionis iſtius valorem & fructum Patres in dubium revocaverunt.

ITa Morinus lib. 4. c. 11. n. 11. ubi ſic: *Quam-* 206
quam variis occaſionibus explicatis, aliiſque occurrentibus, nullâ impoſitâ pœnâ abſolutionem & communionem graviter peccantibus Patres largirentur (verbis & fletibus præſentibus eorum contenti, uti n. 9. præmiſerat) *longè tamen pluris faciebant fructum reconciliationis, pœnitentiâ legitimè*

actâ, datæ; quàm ejusdem sine acta pœnitentia concessæ. Nam sicut reconciliationis moribundis ante susceptam pœnitentiam, cùm sani essent, concessæ fructum in dubium revocabant; sic & fructum istius, de qua loquimur. Quod inde probat, quia ideò *Cornelius Papa epist.* 46. (inter Epistolas Cypriani) *cùm dixisset, omnes illos Schismaticos* (Maximum, Urbanum, Sidonium, Macarium, & plerosque fratres, qui se eis adjunxerant, & *summis precibus* veniam & reconciliationem petierant) *fuisse receptos* (studio utique recolligendæ fraternitatis, ne ipsorum multitudo in schismate perseverans, tandem periret) *addit:* "OMNIA „ AUTEM REMISIMUS DEO OMNIPOTENTI, IN „ CUJUS POTESTATE SUNT OMNIA RESERVATA. Et Clerus Romanus epist. 31. cùm censeret lapsis moribundis reconciliationem, ante actam pœnitentiam, esse præstandam, si lachrymis & gemitibus verè pœnitentis animi signa ederent, *addit quoque:* "DEO IPSO SCIENTE QUID „ DE TALIBUS FACIAT, ET QUALITER JUDICII „ SUI EXAMINET PONDERA; *nobis tamen anxiè „ curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem; nec verè pœnitentes „ accusent nostram quasi duram crudelitatem.* Eodem modo Cyprianus epist. 52. in eadem causa quam suprà retulimus (in causa utique Trophimi Episcopi, qui in persecutione idolis sacrificaverat, atque ideò ab Ecclesia *abstentus* prorsus defecerat, secumque in ruinam populi multitudinem præcipitaverat:) *Redeunte* (inquit) *postea ad Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pœnitentiâ deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces, & in Ecclesiam Domini, non tam Trophimus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerant, admissus est, qui omnes Ecclesiam regressuri non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent.* Itaque salutis populi curâ, *tractatu cum collegis habito, susceptus est Trophimus, pro quo sati faciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus.* Eâ lege ut sacerdotalia munera non exerceret. Quia pœnitentiæ taliter susceptæ Patres non omninò fidebant.

CAPUT XVII.

Compendiosè describitur pœnitentia canonica, olim præscripta reis gravium criminum, quatuorque illius gradus, seu stationes, variaque earumdem impositiones super pœnitentibus.

207 IN exordio Christianæ Religionis tantus fuit Ecclesiæ zelus pro manutenenda in Christianis innocentia, & gratia baptismali, ut (teste Cardinale Bona ubi suprà) penè incredibilia sint quæ fecit, ad incutiendum horrorem improbitatis fidelibus. Severitas Apostoli erga Corinthium incestuosum, doctrinaque ipsius 1. Cor. 4. *ne commiscerentur fornicariis, & si is qui frater nominatur, esset fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere*, primis fidelibus pro lege fuit, ita ut Corinthium illum, post anni circiter pœnitentiam, in gratiam & communionem non receperint, nisi, *ne abundantiori tristitiâ absorberetur*, & periret, perque amissionem seu perditionem ipsius *circumveniretur à Satana.* 2. Cor. 2.

208 Ideò ergo rigidam valdè pœnitentiam imposuit reis criminum, quæ graviora visafunt, quæ quidem pœnitentia exomologesis vocabatur, consistebatque in longa serie mortificationum, jejuniorum, prostrationum, humiliationum, abstinentiâ à societate fidelium, & non solùm à participatione, sed & à conspectu sacrorum mysteriorum, aliisque piis exercitiis, quæ ad incutiendum peccatorum horrorem, ad compunctionem augendam, ad divinamque misericordiam peccatoribus conciliandam idonea videbantur. *Exomologesis* (ait Tertullianus lib. de pœnit. cap. 9.) *prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; cæterùm pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ; plerùmque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire noctes diesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.*

His annexam fuisse abstinentiam, seu (ut Veteres loquebantur) abstentionem, nedum à participatione, sed & à conspectu sacrorum mysteriorum, norunt in antiquitate versati, & de hoc aliquid diximus libro præcedenti. Neque verò Veteres permittebant, criminum saltem enormium reis, Dominici corporis participationem, nisi priùs conscientiam suam expurgassent jejuniis, orationibus, eleëmosynis, &c. *Unusquisque consideret conscientiam suam* (ait Augustinus serm. 152. de tempore, seu potius Cæsarius serm. 52.) *& quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, priùs orationibus, jejuniis vel eleëmosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic ad Eucharistiam præsumat accedere.* 209

Atque ex iis quidem exercitiis alia fixa fuerunt, semperque & ubique per totam Ecclesiam observata, cujusmodi erat, peccata confiteri, Sacerdoti se regendum & curandum tradere, à turba secedere, à licitis se voluptatibus mortificare, jejuniis, orationibus, eleëmosynis, aliisque pietatis, præsertim misericordiæ operibus incumbere, ab Eucharistia abstinere. Quæ postrema, prima erat, communissima, & maxima pœnarum omnium, quæ pœnitentibus imponebantur, teste Bellarmino lib. 1. de pœnit. c. 21. 210

Alia non ita fixa fuerunt, nec generalia, sed particularia, seu particulariter observata, vel aliquibus dumtaxat, non in omnibus locis seu Provinciis, vel non omni sæculo, vel non in omnibus, sed in certis dumtaxat circumstantiis, cujusmodi fuerunt determinatio temporis pœnitentiæ pro quolibet crimine, distinctio quatuor graduum seu stationum, ipsumque pœnitentiæ publicæ exercitium, à quo plerumque excusati fuerunt Ecclesiastici, sicut & uxores in adulterium lapsæ. 211

Duratio itaque exomologeseos, seu pœnitentiæ canonicæ, fixa non fuit, nec tam longa duobus tribusve prioribus Ecclesiæ sæculis, sicut postea, sed Episcoporum judicio commissa, qui eam & imponebant, & tempus illius determinabant. Quod ab initio non fuisse tam longum, sicut post Montani Novatique hæresim, constat ex Clemente Romano l. 2. Constit. Apost. c. 16. aiente: *Castiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut septem hebdomadarum, ut delicti genus & ratio poposcerit, atque ita dimitte eum,* id est absolve. Constat item ex supradictis de Corinthio incestuoso, post actam unius anni pœnitentiam reconciliato. Necnon ex facto Joannis Evangelistæ, qui juvenem initiatum, lapsum in latrocinii & homicidii crimina, post aliquot mensium jejunium, lachrymasque continuas, tam ipsius, quàm Apostoli & Ecclesiæ pro ipso, expiavit, ut videre est apud Eusebium Histor. Eccles. l. 2. c. 7. Tempus itaque illius usque ad Montanum brevius, post Tertullianum longius fuit: vix tamen annum unum alterumve excess- 212

sit. Quod etiam urgentibus de causis fuit abbreviatum.

Sub tertii dumtaxat sæculi finem pœnitentiæ tempora, eaque longiora, variè tamen pro varietate criminum & locorum, per sacros canones taxata fuerunt, occasione hæresis Novatianorum, quæ in eo sita fuit, quòd cum Montanistis Novatiani perperàm asserrent, non esse in Ecclesia potestatem peccata post baptismum commissa remittendi. Quod quia eo prætextu asserebant, quia potestatem illa remittendi dicebant nihil aliud esse nisi incentivum delinquendi: ne hoc aliquâ veri specie ab ipsis dictum videretur, visum est Patribus, eum pœnitendi modum & ordinem certis legibus stabilire, qui peccatores à delinquendi facilitate deterreret.

Illâ proinde occasione veteres Patres quatuor 214 pœnitentiæ gradus, seu stationes constituerunt, per quas peccatores transire oportebat, priusquàm absolutionis atque Eucharistiæ gratiam consequerentur. Prima statio *flentium* dicebatur, secunda *audientium*, tertia *prostratorum*, quarta *consistentium*. Sic tamen ut Episcopus, habitâ ratione fervoris, vel teporis, seu negligentiæ pœnitentium, abbreviare vel protrahere posset tempus, quo quisque in qualibet statione deberet permanere.

In prima statione (quæ primitùs magis fuit ad 215 pœnitentiam dispositio, quàm pœnitentiæ statio) peccatores *in porticu extra Ecclesiam commorabantur* (ait Cardinalis Bona ubi suprà) *peccata sua publicè confitentes, & deplorantes, cilicio & cinere sordidati, & ad misericordiam excitandam omni ex parte compositi. Nihil ad illos pertinebat Missa Catechumenorum, nullæ super eos manuum impositiones erant, nullæ orationes recitabantur; sed fideles privatim Deum orabant, ut illis veram pœnitentiam largiretur..... A templi vestibulo exclusi, ne prædicationem quidem audire poterant, pietatem duntaxat ingredientium implorabant, ut pro ipsis apud Episcopum & Clerum intercederent.*

In secunda statione, *audientium*, admissis ad 216 pœnitentiam, câque taxatâ, per manuum impositionem, permittebatur introitus in Ecclesiam, sic tamen ut starent *juxta portam illius in Narthece, ubi lectionem Scripturarum, earumque interpretationem, & sermonem audiebant, ab illa lugubri & humili deprecatione absoluti.* Sed finitâ lectione, & sermone, egredi compellebantur, nec ipsis fas erat cum fidelibus in Ecclesia orare, nec publicarum orationum participes esse. Pro ratione autem contritionis & humiliationis citiùs ab hac statione ad tertiam transferebantur.

In tertia statione, *substratorum*, manebant 217 *intra ambitum ecclesiæ usque ad ambonem, ultra quem progredi nefas illis erat.* In ea statione, publicarum orationum participes effecti, *jejuniis, precibus, humiliationibus, aliisque operibus laboriosis affligebantur.* Et *in singulis synaxibus preces super illos in genua procumbentes cum manuum impositione fundebantur; idque per longum tempus, & interdum per plures annos. Atque interim in eorum mores diligens inquisitio fiebat, an verè contriti essent, an sincera eorum conversio.* Nondum autem ipsis fas erat sacra intueri mysteria, nec iis interesse, sed post Evangelii lectionem, illiusque expositionem, ab Ecclesia dimissi, in pœnitentiæ operibus adeò exercebantur, ut in Occidente à sæculo quarto usque ad octavum non conjugatis interdictus fuerit matrimonii contractus, ipsisque conjugatis matrimonii usus, interdicta quoque militia, negotia sæcularia, & quidquid ipsis esse potuit occasio vel causa relapsûs, ut videre est apud Morinum l. 5. c. 21.

In quarta statione, *consistentium*, fas ipsis erat 218 fidelium precibus & sacrificio assistere, ad finem usque; non tamen offerre munera ad altare, nec Eucharistiam sumere. In quo fideles ab ipsis discernebantur. Si quispiam inquirat, quamdiù in singulis stationibus singuli detinebantur? Respondeo quòd in prima statione alii detinebantur per annum, alii per duos, alii per plures annos, pro criminum varietate, pœnitentiumque fervore. Tamdiù saltem in ea manebant, donec satis constaret, ipsos sincerè velle converti, pœnitentiæque opera, ad divinæ justitiæ satisfactionem necessaria, amplecti.

In secunda statione detinebantur, donec in divi- 219
norum judiciorum timore firmati, solidisque instructionibus corroborati, idonei fierent cum fervore & perseverantia laboriosis pœnitentiæ operibus suscipiendis, sibi in tertia statione imponendis, de quibus suprà.

In tertia morabantur, quamdiù necessarium vi- 220
debatur ad satisfaciendum divinæ justitiæ, per opera proximè dicta. Post quæ fidelium communioni per manuum impositionem restituebantur, sed nondum juri suscipiendæ Eucharistiæ.

In quarta statione manere jubebantur, donec in 221
ipsis conspiceretur tantum pietatis studium, tantum odium improbitatis, tanta puritas mentis, quanta requiritur ad participationem divinissimæ Eucharistiæ. Ad quam, ad perfectumque proinde cum Ecclesia reconciliationem, elapso consistentiæ tempore, per ultimam manuum impositionem admittebantur.

Interim verò quadruplices manuum impositio- 222
nes apsis esse factas eruditi cum Albaspinæo observant. Prima fuit, cùm ad pœnitentiam agendam in principio admittebantur: (semper enim pœnitentiæ impositioni conjuncta erat manuum impositio, ait Morinus lib. 6. cap. 5. n. 2.) & ista dicta fuit *manuum impositio in pœnitentiam.* Secunda, & crebrò repetita fuit in tertia statione, prout in illius explicatione dictum est. Tertia, cùm impletâ statione substrationis, recipiebantur in communionem minorem, fiebantque consistentes. Quarta, cùm impletâ consistentiâ, admittebantur in communionem majorem, sacræ utique Eucharistiæ participationem.

CAPUT XVIII.

Absolutio sub finem tertiæ vel quartæ stationis, non ante, regulariter data fuit.

§. I.

Ostenditur, canonicè pœnitentibus absolutionem datam non fuisse, cùm manus ipsis imponerentur in pœnitentiam.

QUærunt eruditi, quandonam canonicè pœni- 223
tentes sacramentaliter à peccatis absolutionem reciperent? Nonnulli, sed pauciores, minùsque in antiquitate versati, censent eam percepisse, cùm ipsis manus primò imponerentur in pœnitentiam. Sed hoc esse non potest.

Primò, ob argumenta §. sequenti proferenda. 224
Secundò, quia per manuum quidem impositionem in pœnitentiam, peccatores admittebantur ad pœnitentiam, sive ad jus agendi pœnitentiam (quod jus in magna tunc erat æstimatione, nec omnibus indiscriminatim concedebatur, uti postèà videbitur;) sed non eo ipso admittebantur ad sacramentalem absolutionem. Aliud quippe fuit sacramentalis absolutio; aliud admissio ad pœnitentiam. Quemadmodùm aliud fuit sacramentalem petere absolutionem; aliud petere admissionem ad pœnitentiam. Quæ duo Augustinus distinguit ep. 180. ibi: *aliis baptismum petentibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ actionem.* Si aliud

est reconciliatio, seu absolutio, quàm pœnitentiæ actio: igitur aliud est quoque manuum impositio in pœnitentiam, seu pœnitentiæ actionem, quàm manuum impositio in reconciliationem, seu absolutionem sacramentalem. Unde nec quicumque manuum impositionem, veteri Ecclesiæ more, accipiebant in reconciliationem, seu absolutionem sacramentalem, eam accipiebant in pœnitentiæ actionem, ut Presbyteri & Diaconi, quibus manuum impositio fiebat in sacramentalem absolutionem; non tamen in pœnitentiæ actionem. Teste namque Leone Magno epist. 92. *alienum tunc erat à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, pro crimine aliquo, per manûs impositionem, remedium accipiant pœnitendi.*

225 Tertiò, manuum impositio in pœnitentiam à Diaconis in necessitate fiebat, teste Cypriano epist. 13. *Si infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud Presbyterum quemcumque præsentem; vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possunt, ut manu eis in pœnitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dare eis Martyres desideraverunt.* Atqui certum est Diaconos nunquam, ne in necessitate quidem, sacramentaliter absolvere potuisse. Igitur certum est illam manuum impositionem in pœnitentiam, non fuisse absolutionem sacramentalem.

226 Quartò, Concilium Arausicanum I. can. 3. tria hæc distinguit, 1°. acceptam pœnitentiam, 2°. communionem sine reconciliatoria manuum impositione, 3°. legitimam & canonicam communionem cum reconciliatoria manuum impositione: *qui decedunt de corpore, pœnitentiâ acceptâ* (ecce primum) *placuit sine reconciliatoria manuum impositione* (per quam pœnitentes integrè pœnitentiâ functi, à pœnis canonicis solemni manûs impositione absolvebantur) *eis communicari* (ecce secundum, per quod pœnitentes admittebantur in communionem, seu societatem fidelium, per simplicem reconciliationem, seu à peccatis absolutionem, sine qua pœnitentes ad societatem fidelium non admittebantur) *quod morientis sufficit consolationi, secundùm definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem frequenter viaticum nominarunt.* (quo nomine vel intellexerunt absolutionem à peccatis, vel aliquid eam supponens, sine qua certè viaticum istud non sufficeret morientis consolationi.) *Quòd si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem, cum reconciliatoria manûs impositione, à pœnis canonicis absoluti percipiant.* Ecce tertium. Et secundum quidem sequitur ordine primum. Prior ergo fuit manuum in pœnitentiam impositio, quàm à peccatis absolutio.

227 Quintò, Concilium Cartaginense IV. can. 76. pœnitentiæ acceptionem similiter distinguit à simplici reconciliatione per manûs impositionem: *Qui pœnitentiam in infirmitate petit, accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem* (id est à peccatis absolvatur) *& infundatur ori ejus Eucharistia.* Certissimum proinde est, aliud veteribus Patribus fuisse impositionem manuum in pœnitentiam, aliud à peccatis absolutionem, primamque à secunda fuisse sejunctam.

§. II.

Gravium criminum reos, canonicè pœnitentes, Ecclesia olim sacramentaliter non priùs absolvit (regulariter loquendo) quam pœnitentiam magna saltem ex parte peregissent.

228 HAnc assertionem tantâ consensione docent communiter in antiquitate periti, ut communis sensus consensusque ipsorum cuique cordato sufficere deberet ad id probandum. Sic enim tradunt apud Morinum lib. 9. c. 1. duo sapientissimi Cardinales, Osius & Bellarminus: quibus concinunt Cardinalis Gropperus tract. de discipl. Eccles. Cathol. & Cardinalis Bona loco citato. Sic etiam tradunt (apud eumdem Morinum ibidem) Joannes Maldonatus, Dionysius Petavius, Albaspinæus (Aureliæ Episcopus) Marianus Victorius (Amerini in Italia Episcopus) Doctores Colonienses in Enchiridio edito in Synodo Colonienſi anno 1536. Joannes Filesacus (Facultatis Parisiensis Decanus) Hugo Menardus, Matthæus Galenus (Cancellarius Duacensis) Joannes Hauchinus (Archiepiscopus Mechliniensis) Joannes Langhecrucius, Guilielmus Estius, Franciscus Sylvius. Quibus unà cum Morino, subscribunt Cabassutius in notitia Ecclesiast. dissert. 8. Christianus Lupus ad can. 11. & 13. Concilii Nicæni, Merbesius in Summa Christiana to. 2. de pœnit. q. . . . Joannes Dartisius ad partem 2. Decreti causâ 26. q. 6. & 7. Hamelius Theol. Speculat. & Pract. to. 7. tract. de pœnit. c. 2. 3. 4 & ult. Nicolaus Josephus Laverdurius in tr. de modo quo se debet gerere Confessarius, &c. necnon in defensione ac vindiciis illius.

Et validè fundatur communis ista eruditorum 229
doctrina. 1°. in exemplo Apostoli, quo Authore Ecclesia Corinthium incestuosum Deo & sibi non reconciliavit, nisi post actam circiter per annum pœnitentiam, & ne tunc quidem, nisi *ne abundantiori tristitiâ absorberetur*, ut suprà visum est.

2°. in exemplo Joannis Evangelistæ, qui ju- 230
venem initiatum, lapsum in latrocinii crimen, pariter non expiavit, nisi post plurium mensium jejunium, lachrymasque continuas, ut videre est apud Eusebium Histor. Eccles. l. 2. c. 7.

3°. in libro, quem in præcipua (post Scriptu- 231
ras canonicas) æstimatione veteres Patres habuerunt, libro utique tertio Hermæ (qui dictus fuit *Pastor*, quem Origenes, Eusebius, Hieronymus, Sedulius aiunt fuisse S. Pauli discipulum, quem ipse Rom. 16. vult salutatum, quemque sæculo 2. Irenæus allegando laudavit:) ibi namque in fine similitudinis septimæ, Angelo dictante, sic scripsit: *Numquid putas protinus aboleri delicta eorum, qui agunt pœnitentiam? Non proinde continuò; sed oportet eum, qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, & humilem animosè præstare se in omni negotio, & vexationes multas variasque perferre. Cumque perpessus fuerit omnia quæ illi instituta fuerint, tunc forsitan qui eum creavit... commovebitur erga eum clementiâ suâ.... si viderit ejus.... cor purum esse ab omni opere nequissimo.* Et in fine similitudinis nonæ: *Cumque vidisset Dominus bonam atque puram pœnitentiam eorum, & posse eos in ea permanere, jussit priora peccata eorum deleri.*

4°. in Tertulliano, cujus luculenta ad id te- 232
stimonia profert Morinus c. 3. n. 4. & 5.

5°. in Edicto Zephirini Papæ apud eundem 233
Tertullianum in lib. de pudicitia: *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Audisti, quibus dimitteret? *pœnitentiâ functis.*

6°. in primâ Decretali Innocentii I. in qua sic: 234
Sacerdotis est attendere ad Confessionem pœnitentis, & ad fletum atque lachrymas corrigentis, & tum jubere dimitti, cùm viderit congruum satisfactionem.

7°. in epist. 91. Leonis Magni: *Misericordia* 235
*Dei ita lapsibus subvenit humanis... ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgen-

tianiſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum, Homo Chriſtus Jeſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem, SALUBRI SATISFACTIONE PURGATOS, *ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

236 8°. in teſtimoniis Cypriani, Paciani, Ambroſii, Auguſtini, Gennadii, Eligii, quæ apud Morinum cap. 3. citato videri poſſunt. Qui & idipſum probat ibidem ex controverſia, quæ fuit inter Catholicos ex una parte, & Montaniſtas Novatianoſque ex altera parte. Quæ in eo fuit, quòd Catholici, poſt actam pœnitentiam, capitalia peccata confeſſis abſolutionem dandam; Montaniſtæ verò & Novatiani, à ſolo Deo expectandam docerent.

237 9°. in querela Cypriano aliiſque Epiſcopis in Concilio congregatis delata per Fidum Epiſcopum, *de Victore quodam Presbytero, quòd* utique ei (ut Cyprianus narrat epiſt. 59.) *antequam pœnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Therapius*, Epiſcopus, *immaturato tempore, & præproperâ feſtinatione pacem dederit.* Ad quam querelam Cyprianus cum Concilio: *Quæ res* (inquit) *nos ſatis monuit, receſſum eſſe à Decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur.*

238 10°. in Sozomeno Hiſtor. l. 7. c. 16. deſcribente morem Eccleſiæ Romanæ circa pœnitentes: poſtquam enim deſcripſit humiles actiones, ab ipſis in Eccleſia fieri ſolitas, fletus, gemitus, &c. ſubdit: *Privatim deinde ſponte ſuâ quiſque vel jejuniis, vel lotionum ciborumve abſtinentiâ, vel aliis, quibus juſſus eſt, ſemetipſum affligens, tempus expectat, in quantum Epiſcopus præſtituit. Elapſo demum præfinito die, pœnâ jam quaſi debito quopiam exolutâ, à peccatis abſolvitur, & populo in Eccleſia conjungitur. Hæc Romani Sacerdotes ab ipſo inde exordio ad noſtram uſque memoriam cuſtodiunt.* Id eſt uſque ad annum circiter 440.

239 11°. In Concilio Toletano III. can. 11. *Comperimus per quoſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm Canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent. Et ideò pro coërcenda tam execrabili præſumptione, id à S. Concilio jubetur, ut ſecundùm formam Canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc eſt, ut priùs eum, quem ſui pœnitet facti, à communione ſuſpenſum faciat inter reliquos pœnitentes ad manûs impoſitionem crebrò recurrere.* EXPLETO AUTEM SATISFACTIONIS TEMPORE, *ſicut ſacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni reſtituat. Hi verò, qui ad propria vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem labuntur, ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem damnentur.* In hoc Canone ad coërcendam execrabilem præſumptionem, quâ peccatores à Sacerdotibus toties abſolvi ſeu reconciliari poſtulabant, quoties peccare libebat, ſtatuit, ut ſecundùm formam veterum Canonum, pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis tempus priùs impleretur, quàm reconciliatio, ſeu abſolutio daretur. Per reconciliationem quippe abſolutionem à Concilio intelligi, conſtat ex his verbis: *toties à Presbyteris ſe reconciliari*, id eſt abſolvi, *expoſtulant.* Siquidem abſolutio Communionem Euchariſticam neceſſariò tunc, uti nunc, præcedere debebat. Quòdque pœnitentiam non præceſſerit, ſed ſubſecuta fuerit, conſtat ex finali clauſula: *at verò qui ad propria vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem labuntur*, &c. Si enim pœnitentiam reconciliatio præceſſiſſet, omnis lapſus, qui contigiſſet infra pœnitentiæ tempus, contigiſſet poſt reconciliationem; ſicque Concilium (poſt ly *infra pœnitentiæ tempus*) fruſtrà addidiſſet, *vel poſt reconciliationem.* Denique *reconciliatio* in allato canone abſolutionem non minùs ſignificat, quàm in can. 12. Toletani II. *Qui poſt pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutinè à reconciliationis gratia differendus eſt* (ſicut ſanus) *ſed... ſtatim ei reconciliatio adhibenda eſt, ne priùs ab humanis rebus æger abſcedat, quàm donum reconciliationis accipiat.*

12°. in Ivone Carnotenſi epiſt. 228. ubi di- 240
cit, internum Judicem, Deum, quia interiorem pœnitentis diſpoſitionem conſpicit, ſæpè priùs remittere peccata, quàm ea remittat Eccleſia, quæ tantùm videt exteriora: *Judex internus tantò remittit celeriùs, quantò ſolus magis videt interiùs. Judex verò, qui tantùm videt in facie, uſque adeò delinquentes, ſub peccati pœna detinet, donec per manifeſtum pœnitentiæ fructum, quis ſit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum ſatisfit interno Judici: & idcircò indilata datur ab eo peccati remiſſio, cui manifeſta eſt interna converſio. Eccleſia verò, quia occulta cordis ignorat, non ſolvit* (id eſt ſacramentaliter non abſolvit: ſolutio quippe Lazari, ad quam ibi alludit, ſecundùm omnes Patres ſignificat ſacramentalem abſolutionem) *ligatum, licèt ſuſcitatum, niſi de monumento elatum, id eſt publicâ ſatisfactione purgatum. Hinc eſt quòd Eccleſia ſua crimina confitentes à Sacramentorum communione ſuſpendit, & in cinere & cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, ſi jam ſunt intùs vivificati, cùm longâ fuerint pœnitentiæ maceratione probati.*

§. III.

Abſolutio ſacramentalis peccatoribus canonicè pœnitentibus conceſſa non fuit ante completam ſubſtrationem.

SIc tradit eruditorum pars longè maxima. Et 241
adeò certum exiſtimat Morinus lib. 6. c. 21. n. 1. ut *anteà dari potuiſſe, nulla* (inquit) *cum probabilitate, ut mihi videtur, dici poſſit.* Ob argumenta §. præcedenti deducta, quæ probant ante exantlatos pœnitentiæ labores, adeòque ante finem ſubſtrationis conceſſam non fuiſſe.

In fine verò ſubſtrationis, ſeu tertiæ ſtationis, 242
conceſſam fuiſſe, pluribus argumentis probat Morinus cap. 21. citato, eademque communis eſt ſententia. Tametſi probabile ſit variarum Eccleſiarum variam quoad hoc fuiſſe diſciplinam, & qualdam Eccleſias in fine ſubſtrationis eam tribuiſſe; qualdam in fine conſiſtentiæ dumtaxat.

Enimverò *ſi ſpecialiter ſermo ſit de conſuetudine* 243
Eccleſiæ Romanæ, Cardinalis Bona ubi ſuprà *ex Sozomeno l. 7. c. 6. & Nicephoro l. 12. c. 18. manifeſtè colligi cenſet, dilatàm Romæ abſolutionem uſque ad finem quarti gradûs*, id eſt conſiſtentiæ. *De hac enim Eccleſia tractantes, Pœnitentes commemorant, qui Miſſæ intererant, nec tamen Euchariſtiæ participes erant. Et eos aiunt*, " peractâ Miſſâ in terram cum fletu corruiſſe, quibus oc- " currens Pontifex, ſimiliter cum lachrymis col- " labebatur, & eos erigens, pro illis orabat, ac " deinde dimittebat. Illi verò privatim jejuniis, " & aliis pœnis ſe affligebant, ac poſteà, elapſo " tempore ab Epiſcopo conſtituto, à peccatis ab- " ſolvebantur. " *Non ergo ſubſtratis* (ait Cardinalis Bona) *qui cum Catechumenis exibant, ſed conſiſtentibus, qui ad finem Miſſæ manebant in Eccleſia, abſolutio dari ſolebat.*

Eumdem modum ſervatum in Africa, ut intra 244
Miſſarum ſolemnia abſolverentur pœnitentes, pre-

ximè ante Orationem Dominicam, non obscurè docet Optatus Milevitanus lib. 2. his verbis: " Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad altare reversi, Dominicam Orationem prætermittere non potestis.

245 Favere etiam videtur D. Basilius epist. ad Amphiloch. in qua enumeratis quatuor stationibus: *In autem* (inquit) *expletis, erit Sacramentorum particeps.* Cùm enim dicit, *Sacramentorum*, insinuare videtur, non solùm Eucharistiæ, sed & Sacramenti Pœnitentiæ tunc fore participem.

CAPUT XIX.

Confutantur Juniores, aientes, absolutionem, dilatam ad finem usque substrationis, vel consistentiæ, non fuisse sacramentalem pro foro interno; sed cæremonialem, pro foro externo dumtaxat.

246 Sic utique putant noster Carolus ab Assumptione, Henneguierius, Author Tempestatis Novaturientis, Carolus Franciscus Reymakers, aliique Noviores, in recentiorum Casuistarum lectione, magis quàm in antiquitate versati. Sed opinio ista (ne dicam aberratio) ideò rejicienda est, quia favere videtur hæreticis, negantibus absolutionem, olim ab Ecclesia datam, sacramentalem fuisse. Quod profectò difficulter ostendi poterit, si illa, de qua agitur, sacramentalis non fuerit.

247 Favere item videtur impio Calvino lib. 3. Instit. c. 4. §. 19. Molinæo l. 7. de la *nouveauté du Papisme* controvers. 8. c. 13. Melanchtoni Apolog. Confess. August. articulo de confessione & satisfactione, aientibus, laboriosa pœnitentiæ opera, olim in pœnitentiam imposita, & à pœnitentibus practicata, rem merè politicam fuisse, nec in foro interno valuisse ad satisfaciendum Deo, sed in foro externo dumtaxat, ad satisfaciendum Ecclesiæ: *Scholastici* (ait Melanchton) *viderunt in Ecclesia esse satisfactionem: sed non animadverterunt illa spectacula instituta esse, tum exempli causâ, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Ecclesia. In summa non viderunt esse disciplinam, & rem prorsus politicam. Ideò superstitiosè finxerunt, eas non ad disciplinam, coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere.*

248 Cùm enim testimonia, quæ ex Patribus, & praxi veteris Ecclesiæ, Catholici proferunt, ad probandum absolutionem, post Confessionem datam, sacramentalem fuisse, clariora non sint iis, quibus probavimus absolutionem, olim post satisfactionem datam, sacramentalem fuisse: si hoc ex dictis testimoniis efficaciter non concludatur; nec istud facile concludi poterit. Et si absolutio, post satisfactionem, sive post exantlatos pœnitentiæ labores data, non fuerit sacramentalis, sed cæremonialis tantùm; idem de satisfactione, seu laboribus istis hæretici concludent. Nec ipsos laudati Juniores facilè convincere poterunt,

§. I.

Quinque argumentis opinio illa confutatur.

249 Igitur ad istos hæreticorum errores fortiùs & efficaciùs propulsandos, veritatemque propugnandam, opinio illa Juniorum confutatur. 1°. quia si canonicè pœnitentium absolutio, post impletam satisfactionem data, sacramentalis non fuisset, sed cæremonialis; canonicè pœnitentes Sacerdos, statim post Confessionem, ante omnem satisfactionem, sacramentaliter reconciliasset: post satisfactionem verò, ipsos non Deo, sed Ecclesiæ dumtaxat reconciliasset, fideliumque societati restituisset. At hoc rationabiliter dici nequit. *Quo enim jure* (ait Morinus l. 9. c. 2.) *quàve prudentiâ sceleris reo, scelusconfitenti, statim* pepercissent veteres Patres, *absolutionemque* sacramentalem, omnis culpæ *averruncatricem, æternæ pœnæ expunctricem, amicitiæ Dei conciliatricem, confestim, sine ulla probatione, sine ulla doloris, an fictus sincerusque esset, experientia, largiti fuissent? Ut autem per quamdam externam cæremoniolam ad fidelium societatem admitteretur, jam per absolutionem factus Dei amicus, vitæ æternæ hæres, per multos annos variis experimentis ipsius conversio tentari debuisset? Sanè probatio ante sacramentalis absolutionis concessionem fieri debuit, ne margaritæ porcis contra Christi mandatum projicerentur, ut in causa absolutionis à peccatis monent Gregorius Nyssenus in epist. ad Letojum, & Augustinus.... At secundùm hanc sententiam pretiosa absolutionis margarita pœnitere se profitenti statim prostituta fuit, deinde an cæremoniolâ foret dignus, diligentissimè & scrupulosissimè multis annis inquisitum fuit.*

Secundò, tantisper sibi veritatis amicus ob oculos proponat ea quæ capite 17. ex veteri disciplina fusius retuli, *tuncque* (inquit Morinus) *judicet, an æquum sit pœnitentem, post reconciliationem cum Deo, ab Ecclesia sic excipi. Primùm in fletu degebat, Scripturarum auditione, & Ecclesiæ ingressu indignus habitus; à quibus tamen non prohibebantur Ethnici, Judæi, nedum Catechumeni. Deindè in fletu aliquot annis commoratus, Ecclesiæ portam subibat, Scripturarum lectionem, & sermones ad plebem auditurus. Quibus peractis, ne pœnitentibus substratis commisceretur, statim à Diaconis pellebatur. Aliquot similiter annis hoc opprobrium passus, multis jejuniis & macerationibus aliquot aliis annis, & pluribus affligebatur, quotidianis manuum impositionibus fuberat, & super eum sic prostratum Episcopus cum Clero Deum deprecabatur, ut illius misereretur, peccatorum veniam indulgeret, & Ecclesiæ meretur aggregari.* Atqui probabile non est, Patres ut impium, Ethnicum, Judæum & publicanum tractaturos, atque à sacris suis eliminaturos eum quem Deo reconciliassent; super eum velut à dæmonio possessum precaturos, quem Dei amicum, & cum ipso intimè conjunctum crederent. Deinde probabile non est, quòd SS. Patres ad rem maximam, translationem utique peccatoris à statu filii iræ atque vindictæ, ad filii & amici Dei dignitatem, nullam præviam satisfactionem nec castigationem postulaverint. Ad rem autem comparativè minimam, justi nimirùm cum justis hominibus, filii Dei cum filiis Dei, & fratris cum fratribus externum commercium, tam dura, tam ardua, tam diuturna, scilicet lachrymas nocturnas diurnasque, preces humillimas frequentissimè repetitas, plurium annorum jejunia, chameunias & macerationes, tamquam necessariam præparationem exegerint. Denique probabile non est, nullum apparatum bonorum operum, nulla suspiria, nullos gemitus, nisi fortè levissimos & momentaneos, nullos corporis cruciatus, ad gratiam Dei post enormia crimina recuperandam, sed folia dumtaxat confessionis, verbaliumque promissorum requisisse. Ad externam verò communionem justi cum justis, vix ullo bonorum operum apparatu, vix ullis lachrymis, gemitibus, humiliationibus, vix ullis supplicationibus & promissionibus, vix ullis corporis cruciatibus, tametsi valdè diù perpessis, contentos fuisse. 250

Tertiò, *omnia quotquot nobis supersunt de hisce rebus testimonia* (pergit Morinus) *evidentissimè vel demonstrant, vel innuunt, Ecclesiam semper sibi continenter reconciliasse, & aggregasse, quotquot credidit Deo reconciliatos, reconciliationemque cum Deo rationem esse, & regulam reconciliationis* 251

nis externæ cum Ecclesia. Videri potest Clemens Romanus l. 2. c. 20. ubi sic : *Pax & tranquillus portus est Ecclesia Christi, in quam peccatores, absolvendo, restituis sanos, & à macula liberos.* Videri possunt & alia testimonia, quibus Morinus l. 6. c. 21. ostendit, absolutioni à peccatis semper conjunctam, seu necessariò consecutam fuisse admissionem ad societatem fidelium, participationem orationum, assistentiam mysteriorum. Quam ob causam communionis nomine, non Communionem Eucharisticam, sed absolutionem à peccatis veteres Canones frequenter intellexerunt (ut videre est apud Morinum l. 6. c. 21.) eò quòd per eam peccator communioni fidelium restitueretur.

252 Quartò, probabile non est, veteres Patres faciliores fuisse in remittendis peccatis post Baptismum cõmissis, quàm in remittendis commissis ante Baptismum. Cùm uno ore semper tradiderint, peccata post Baptismum commissa, longè difficiliùs remitti, quàm quæ ante Baptismum. Faciliores verò fuissent in remittendis peccatis post Baptismum commissis, si statim post editam Confessionem regulariter ea remisissent; faciliores (inquam) fuissent in iis remittendis, etiam remissione perfectâ, sive cum Eucharistiæ Communione conjunctâ. *Certum est enim, & exploratum* (ait Morinus) *antiquissimis sæculis Communionem Eucharisticam à peccatorum indulgentia non fuisse tempore secretam. Deinde quando separatio in multis Ecclesiis facta est, paucissimos, vel potiùs nullos labores veniam consecutis impositos. Evehebantur enim ad consistentiæ stationem, cui Canones, præter mysteriorum abstinentiam, nullos labores tribuunt.....* At non minùs certum est Catechumenos, Baptismum postulantes, doloremque de peccatis protestantes, non statim, sed post longum magnumque examen, baptizatos fuisse. Siquidem Catechumenatus, lege ordinariâ, biennio duravit, aliquando tribus, quatuor, quinque annis. Si in Catechumenatu graviter peccassent, sæpè Baptismus in vitæ finem dilatus fuit. In casu extraordinario, magnique in Christianismum zeli demonstratione, vix minùs viginti diebus antiquiùs, posteà tribus septimanis ante Pascha, ex Catechumenis optimi ad Baptismum in Paschate suscipiendum electi fuerunt, & singulis illis diebus variis jejuniis, & laboriosis operibus, peccatorum etiam Confessione, purgati fuerunt, ut Baptismo in Paschate suscipiendo idonei redderentur. Hæc omnia tamquam certissima tradit Morinus. Ergo major fuisset facilitas remittendi peccata post Baptismum commissa, quàm antè commissa, si statim post Confessionem, ante pœnitentiæ actionem, remissa fuissent.

253 Quintò, rigor tribus primis sæculis Ecclesiæ observatus, negandi scilicet in morte reconciliationem Apostatis, & totâ post Baptismum vitâ impiis, necnon ejectis ab Ecclesia, qui pœnitentiam, dum sani essent, petere neglexerant, & demùm in periculo mortis, morbo urgente, petebant; rigor ille (inquam) non solùm fuit de negata ipsis reconciliatione externa & cæremoniali, verùm etiam sacramentali. Similiter ergo rigor differendi reconciliationem usque ad impletam pœnitentiam, non solùm fuit de dilata usque tunc reconciliatione cæremoniali, verùm etiam sacramentali. Cùm non sit ratio dilationem istam restringendi ad solam reconciliationem cæremonialem, potiùs quàm illam negationem; nec mirum videri debeat, quòd Ecclesia nonnullis peccatoribus absolutionem usque ad peractam pœnitentiam distulerit, quæ nonnullis eam, in ipso etiam mortis articulo, antiquissimis temporibus negavit. Quòd autem tribus primis Ecclesiæ sæculis erga dictos peccatores rigor ille servatus fuerit, testatur imprimis Innocentius I. rigorem illum excusans epist. 3. ad Exuper. c. 2. dicens : *Quæsitum est quid de his observari oporteat, qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt? De his observatio prior durior : posterior interveniente misericordiâ inclinatior est. Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessâ pœnitentiâ, ne totum penitùs negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, ne Novatiani hæretici, negantis veniam, asperitatem & duritiem subsequi videamur.*

Idem constat ex S. Cypriano epist. ad Antonian. 254 Necnon ex Concilio Arelatensi 300. Episcoporum can. ult. dicente : *De his, qui apostatant, & numquam se ad Ecclesiam repræsentant, nec quidem agere pœnitentiam quærunt, & posteà infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.* Ergo secundùm Canonem illum ejusmodi peccatoribus communio, id est sacramentalis absolutio, ne in mortis quidem periculo data fuit, antequam dignos pœnitentiæ fructus, recuperatâ valetudine, fecissent. Quòd enim ibi communionis nomine peccatorum venia, seu absolutio & reconciliatio sacramentalis intelligatur, pluribus demonstrat Morinus l. 10. c. 1. n. 6. & seqq. Perspicuumque est ex allatis Innocentii I. verbis. Innocentium quippe per *communionem* & *viaticum* intelligere peccatorum veniam, & sacramentalem absolutionem, *nulla vel levissima est dubitandi ratio*, ait Morinus n. 10.

Primò namque dicit, tandem concessam esse, 255 ne Novatianismum sequi videretur Ecclesia. Controversia verò inter Catholicos & Novatianos fuit de venia & absolutione sacramentali. 2°. eam communionem vocat reconciliationem, quæ concessâ pœnitentiâ negata fuit; non igitur reconciliatio, concessâ pœnitentiâ, statim concessa fuit, prout adversarii prætendunt. 3°. communio illa, secundùm Innocentium I. à perpetuo exitio vindicat : subdit enim : *Tribuetur ergo, cum pœnitentia, extrema communio, ut homines ejusmodi.... à perpetuo exitio vindicentur.* Est igitur absolutio à peccatis interna & sacramentalis, non externa & cæremonialis dumtaxat. Hæc enim sola à perpetuo exitio non vindicat. 4°. antiquissimis illis temporibus sacramentalis absolutio ab Eucharistia non separabatur, ut norunt in antiquitate periti. Cui ergo concedebatur Eucharistia, concedebatur à peccatis absolutio sacramentalis. 5°. si nomine communionis absolutio non intelligeretur, frustrà *observatio illa prior* ab Innocentio dicta fuisset *durior*, & *posterior inclinatior*. Cùm prior illa (de sola Communione Eucharistiæ explicata) Innocentii sæculo, & multis post sæculis observata fuerit. 6°. prior illa observatio ideò usurpabatur, ne (ait Innocentius) lapsi essent de reconciliatione securi. Non igitur concedebatur ipsis per observationem priorem peccatorum venia, sed per posteriorem dumtaxat.

§ II.

Quinque aliis argumentis eadem opinio refellitur.

SExtum argumentum ex eo petitur, quòd pri- 256
mâ illâ duriorique observantiâ mitigatâ, non-

nullorum saltem criminum absolutio sacramentalis ad finem vitæ dilata fuerit, & in fine dumtaxat concessa, ut constat ex Felice III. epist. 7. necnon ex Concilio Valentino I. c. 3. ubi apostatas, qui à Catholica fide ad hæresim deficientes altero se baptismo polluerant, satisfactio quidem, seu pœnitentia non negatur, sed eam agere jubentur *usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, quam ab eo plenè sperare debebant, qui..... tam dives in misericordia est, ut nemo desperet.* Idem patet ex commonitorio Augustini de susceptione Manichæorum, ubi sic de iis: *Non facilè admittantur ad baptismum, si Catechumeni sint, nec ad reconciliationem, si pœnitentiæ locum acceperint, nisi periculo mortis urgente.* Neque verò dilatio illa fuit solius reconciliationis cæremonialis cum Ecclesiâ; sed sacramentalis cum Deo; sicut baptismi dilatio, dilatio fuit baptismi sacramentalis, non cæremonialis dumtaxat. De utraque enim pariformiter Augustinus loquitur, & Concilium Valentinum de ea apertè loquitur, dum ait: *non tamen sine spe remissionis.* Loquitur enim de spe remissionis apud Deum obtinendæ, ut perspicuum est ex contextu.

257 Septimò sic argumentor: reconciliatio, secundùm veteres canones, usque ad mortem respectivè ad nonnullos peccatores differenda, sed nulli pœnitenti (secundùm Concilium Nicænum I.) in morte deneganda, sacramentalis fuit, non cæremonialis dumtaxat. Similiter ergo reconciliatio, quæ usque ad impletam pœnitentiam differenda fuit. Consequentia bona est, quia nulla prorsus ratio est aliter de ista, quàm de illa philosophandi. De veritate antecedentis dubitare non permittit S. Syricius Papa epist. 1. c. 3. de Christianis idololatriâ pollutis sic aiens: *Si resipientes fortè aliquando fuerint ad lamenta conversi, his quamdiù vivunt, agenda pœnitentia, & in ultimo fine suo, reconciliationis gratia tribuenda: quia, docente Domino, nolumus mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Quæ postrema verba planè demonstrant, ibi Pontificem agere de reconciliatione necessaria ad hoc ut pœnitens non moriatur in mortali crimine, sed vitâ vivat æternâ. De quo etiam dubium non relinquit, dum reconciliationis gratiam absolutè nominat (quam pariter absolutè nominant canones, reconciliationis gratiam ad pœnitentiæ finem differri jubentes) siquidem reconciliatio, & reconciliationis gratia, absolutè loquendo, semper in causa pœnitentiæ cum absolutione (sacramentali) permutatur, inquit Morinus l. 9. c. 3. n. 22. De illa quippe omnes intelligunt Carthaginense IV. c. 76. de infirmo obmutescente sic loquens: *Dent testimonium qui eum adierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continùò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & ori ejus infundatur Eucharistia.* De illa quoque omnes intelligunt verba ista Leonis Papæ epist. 91. ad Theodorum: *Mediator Dei & hominum Jesus Christus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Et cui dubium esse potest de illa loqui Victorem Uticensem, dum lib. 2. persecut. Vandal. inducit Catholicos, Sacerdotum suorum exilia plangentes: *Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiâ obstrictos peccatorum vinculis soluturi?* Nulli etiam dubium est de ea loqui Augustinum, dum epist. 228. edit. novissi. haud minùs necessariam dicit reconciliationem in morte, quàm baptismum, ad vitandum exitium æternum; dumque inde probat necessitatem Ministrorum Ecclesiæ in morte: *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema....quantus in Ecclesia fieri soleat concursus; aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem.... Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de sæculo isto, vel non regenerati exeunt, vel ligati. Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt!*

Octavò, si Romana Ecclesia pœnitentes sacra- 258
mentaliter, ante omnem pœnitentiæ actionem, ipsâmet pœnitentiæ impositione absolvisset, solamque politicam & cæremonialem reconciliationem ad finem pœnitentiæ distulisset, non cum olim rigorem servasset erga pœnitentes, quos post acceptam & inchoatam pœnitentiam, ante illius finem mori contigisset, ut etiam post mortem ipsos Ecclesiasticis precibus ac sacrificiis privasset. Neque enim probabile est, Romanam Ecclesiam censuisse, pro iis nec preces, nec sacrificia esse offerenda, quos (quantum homini judicare fas est) in gratia & amicitia Dei mortuos, utpote à peccatis sacramentaliter absolutos esse credidisset. Ipsos verò precibus & sacrificiis per aliquot sæcula privasse, non est dubium. Quamvis enim varia quoad hoc fuerit variarum Ecclesiarum praxis & opinio, (siquidem Concilii Vasensis Patres pro iis preces & sacrificia offerenda censebant) S. Leo epist. 91. super hac quæstione consultus, respondit: *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquàm ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humanâ conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, exutus carne non poterit:* Nonnulli quidem, ut refert idem Pontifex, volebant pœnitentium illorum actiones meritaque examinari, atque ex iis judicandum, ah Ecclesiasticis suffragiis forent digni. Sed S. Leo respondit, hoc examen non esse necessarium; eò quòd Deus justitiæ suæ reservasset, quod sacerdotale ministerium implere non potuisset; sicque disposuisset, *ut quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multùm enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.* Quem totum S. Pontificis contextum quisquis non præoccupatâ mente ponderaverit, inde liquidò concludet, non fuisse olim Ecclesiæ Romanæ morem, pœnitentes ante pœnitentiæ finem sacramentaliter absolvere. Quòd enim de ea S. Leo loquatur (præter dicta) inde manifestum est, quòd per *constituta remedia*, post peractam pœnitentiam conferenda, non aliud quàm sacramentalem absolutionem intelligat; per ea namque intelligit reconciliationem, quam paulò ante januam vocaverat ad communionem Sacramentorum. Dixerat enim paulò ante: *Ecclesiæ Præpositos confitentibus actionem pœnitentiæ dare, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittere.* Intelligit ergo reconciliationem illam, quæ janua est ad communionem Eucharistiæ, illam utique reconciliationem multùm utilem atque necessariam, per quam peccatorum reatus sacerdotali supplicatione solvitur, à qua ante obitum excidere nemo non metuere debet. Illam haud dubiè, quam sancti Patres sanxerunt nulli pœnitenti in morte negandam, quamque Concilii Nicæni Patres vocant *maximè necessarium viaticum*; Vasenses (de illo ipso casu loquentes, de quo S. Leo) *Sacramentorum viaticum*, dictis pœnitentibus ideò non negandum, quia *dum se diutiùs reos statuunt, indignos salutiferis remediis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset.* Quæ profectò tam emphatica, tamque magnifica epitheta plus significant, quàm externam cæremo-

niam

niam, ab Ecclesia institutam, per quam minor excommunicatio solvitur, & ad aliorum fidelium societatem pœnitens admittitur, ad quam sacerdotale ministerium in casu necessitatis minimè est necessarium.

259 Nonò, sententia quæ asserit, sacramentalem absolutionem statim ab initio in ipsamet pœnitentiæ impositione concessam fuisse, non concordat cum historia, quam ex Augustino refert Ivo p. 1. c. 191. & Gratianus cap. *sanctum est* de Consecrat. dist. 4. utique de Catechumeno & pœnitente, in eadem navi periclitantibus, quorum ille baptismum à pœnitente petiit & obtinuit; pœnitens verò, *ne periculosè vitam finiret* (ut enim paulò ante dixerat, *pro peccato, de quo agebat pœnitentiam, amiserat sanctitatem*, id est gratiam sanctificantem) *petiit ab eo ipso quem baptizaverat, ut eum reconciliaret, & factum est.* Tametsi enim reconciliatio, quam à Laïco illo petiit, non fuerit absolutio sacramentalis (utpote quæ à solo Sacerdote, non à Laïco concedi potest) sed sacramentale aliquod, ab aliquibus Ecclesiis, in absentia veri Sacramenti, & Ministri illud conferre valentis, institutum, & à Catholica Ecclesia tunc non improbatum: nihilominùs ingens timor illius pœnitentis, ne non reconciliatus periculosè vitam finiret, satis demonstrat, illum pœnitentem ab initio sacramentaliter absolutum, seu Dei amicum factum non fuisse (neque enim periculum est, ne Dei amicus malè vitam finiat) ideòque jure merito petisse reconciliationem à Laïco illo; per quam licèt non fuerit sacramentaliter absolutus, per ipsam tamen (velut sacramentale quoddam) interna de vita graviter periclitantis dispositio in tantum excitabatur & incalescebat, ut à Deo precibus Ecclesiæ Sacramenti effectum pœnitens promereretur.

260 Decimò, reconciliationem, post actam pœnitentiam olim concessam, cæremonialem non fuisse, sed sacramentalem, patet ex eo quòd eam antiqui Patres cum baptismo frequenter comparent, paremque utrique effectum tribuant, prout videre licet apud Morinum lib. 9. cap. 3. n. 12. ubi sic: " Eadem est ratio absolutionis à peccatis in „ baptizatis, post actam pœnitentiam, & baptismi in Catechumenis, post Catechumenatum. „ Ideò Patres sæpissimè reconciliationem, veniam, communionem, absolutionem, & ejusmodi synonyma baptismo æquiparant, ad utrumque suscipiendum eamdem animi dispositionem exigunt, & utrique eumdem effectum tribuunt. Illis quoque sæculis, ut statim post „ baptismum Communione Eucharisticâ donabatur baptizatus; sic post absolutionem pœnitens... „ In canonibus autem Eliberitanis sæpè idem crimen retardat in Catechumenis baptismum, in „ baptizatis verò Communionem, ut can. 37. *Eos, „ qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine „ mortis fuerint constituti, baptizari placet. Si fi„ deles fuerint, dandam esse Communionem.* Can. „ 37. *Delator siquis extiterit fidelis, & per dela„ tionem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel inter„ fectus, placuit eum nec in fine accipere Commu„ nionem. Si levior causa fuerit, intra quinquen„ nium accipere poterit Communionem. Si Cate„ chumenus fuerit, post quinquennii tempora ad„ mittatur ad baptismum.* Eadem comparatio in„ stituitur cap. 10. 45. & 46. Sic cap. 63. & „ 68. cap. 3. & 4. & cap. 42. Est igitur evidentissimum idem in baptizatis operari Commu„ nionem in isto Concilio, quod in Catechume„ nis baptismum. Sed baptismus remissionem „ peccatorum operatur. Ergo & Communio. Non „ igitur aliud in isto Concilio significat Commu„ nio, quàm absolutionem à peccatis. Sic etiam „ Tertullianus in lib. de pœnit. baptismum in Catechumenis perpetuò comparat cum absolu- "
tione à peccatis in baptizatis, docetque Catechumenos actâ pœnitentiâ baptizari, ut baptizati actâ pœnitentiâ absolvuntur. Et Cyprianus epist. 13. pœnitentes in fine vitæ absolvi jubet, & Catechumenos baptizari. Ita S. Augustinus lib. 1. de adult. conjug. ad Pollentium dixit, eamdem rationem esse dandi baptismum Catechumenis, & reconciliationem pœnitentibus: *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccuparit.* Id repetit in commentario ad universam Ecclesiam pro recipiendis Manichæis: *Nec facilè admittantur ad baptismum, si Catechumeni sint; nec ad reconciliationem, si pœnitentiæ locum acceperint, nisi periculo mortis urgente, vel siquos aliquanto tempore probatos esse cognoverit Episcopus....* Idèo in antiquissima illa pœnitentium præsentatione, quæ fit Pontifici ab Archidiacono, post actam pœnitentiam in Cœna Domini, quæ incipit, *adest, ô Venerabilis Pontifex*, non semel comparantur in eodem remissionis effectu, baptismus & reconciliatio. " Hactenùs Morinus, qui cap. 2. n. 16. ad idem exhibuerat Cyprianum in sua contra Stephanum Papam controversia epist. 74. in fine suam exponentem opinionem, de hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, quos volebat rebaptizari, si ab hæreticis extra Ecclesiam baptizati fuissent; *sed eos, qui baptizati in Ecclesia prius fuerant, & sic ad hæreticos transierant*, oportere (inquiebat) *cum redeunt, actâ pœnitentiâ, per manûs impositionem solam recipi, & in ovile, unde erraverant, restitui.* Illud ergo (secundùm ipsum) in hæreticis baptizatis in Ecclesia operabatur illa manuum impositio, id est reconciliatio, post actam pœnitentiam, quod baptismus in hæreticis extra Ecclesiam baptizatis, peccatorum utique remissionem, & incorporationem in Ecclesia. Non erat ergo reconciliatio merè cæremonialis, sed sacramentalis, ut sacramentalis baptismus secundùm Cyprianum.

§. III.

Tandem opinionis illius falsitatem demonstrant rationes, propter quas antiqui Patres tam laboriosa pœnitentiæ opera canonicè pœnitentibus imposuerunt.

PRima namque ratio fuit, ne communicatione cum impiis, per opera illa nondum purificatis, contagionem criminis in se contraherent, ut videre est apud Morinum l. 1. c. 17. Hoc autem timere non potuissent, si pœnitentes, quibus ea imponebant, non post, sed ante operum illorum adimpletionem sacramentaliter absolvissent. Quomodò namque in se contrahere potuissent contagionem criminis jam remissi, communicando cum iis quos, per absolutionem sacramentalem jam antè purgatos, Deoque acceptos, & gratos esse sciissent? Quomodò contagionem illam timuissent ab iis, quos non impuros, sed à Deo purificatos credidissent; cùm scriptum sit: *quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris?* Quomodò communicare timuissent cum iis, quos credidissent sacramentali absolutione dignos factos, ut cum Deo ipso, tamquam filii cum Patre communicarent? Quomodò indignos censuissent ad habendam cum fratribus communionem, qui indigni non essent ad habendam communionem cum Deo? Quomodò majorem requisiissent sanctimoniam ad habendam societatem cum hominibus, quàm ad habendam societatem cum Deo? 261

Secunda ratio fuit, ut interim Patres explorarent, an pœnitentium conversio sincera foret, ac plena, 262

sive ex toto corde; atque adeò fide digna, talisque, ut pœnitentes redderet sacramentali absolutione dignos, sine periculo absolvendi indignos. Hoc enim innumeris locis Patres ipsi testantur, ut Morinus ostendit ibidem c. 16. & 17. Non igitur pœnitentes absolverunt, priusquàm opera illa peregissent. Aliàs absolvissent nondum exploratos an sincerè ac plenè conversi essent, cum periculo absolvendi indignos.

263 Tertia ratio fuit, ut operibus illis, humiliationibusque & afflictionibus pœnitentialibus, divinam sibi misericordiam pœnitens alliceret, plenæque conversionis gratiam impetraret, uti videbimus cap. 26. Non ante ergo, sed post opera illa peracta, sacramentalem absolutionem veteres Patres impenderunt; utpote quam illis solis impenderunt, quos plenè conversos præsumpserunt. Plenè autem conversos non præsumpserunt, nisi eos, qui operum illorum adimpletione divinam sibi misericordiam conciliantes, ab ipsa plenæ conversionis gratiam impetrassent. Si enim ante illorum adimpletionem ipsos plenè conversos præsumpsissent, ad impetrandam plenæ conversionis gratiam opera illa frustrà imposuissent.

264 Quarta ratio fuit, ut per opera illa peccatores à Deo veniam, æternique ignis extinctionem impetrarent. Quis enim nescit, priùs media præstanda, quàm finis obtineatur? Si igitur eum in finem opera illa præscripserunt, priùs ea præstari voluerunt, quàm absolutione donarent, per quam æternus ignis extinguitur, veniaque à Deo conceditur. Quòd autem eum in finem, & non ob solam politicam, nec solùm ad Ecclesiæ satisfactionem in foro externo opera illa præscripserint, eleganter ostendit Episcopus Castoriensis in Amore suo pœnitente p. 2. c. 14. §. 2. Si enim (inquit) petas à Tertulliano, cur exomologesis tam acerba & diuturna lapsis imponebatur, l. de pœnit. c. 9. non respondet, id à SS. Patribus unicè factum ut Ecclesiæ in foro externo satisfieret; sed *ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians ... temporali afflictione æterna supplicia ... expungat.* Si petas ab eodem Scriptore, quo fine exercenda sint laboriosa pœnitentiæ opera: *Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.*

265 Si assiduum Tertulliani lectorem S. Cyprianum consulamus, ut ab eo discamus fructum finemque eorumdem operum? Serm. de lapsis dicit, quòd operibus illis *peccata purgantur*, atque *à morte animæ liberantur*, eademque esse media, per quæ peccator Dei misericordiam, peccatorum veniam, sententiæque damnationis abolitionem impetrat: *Si precem quis toto corde faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest ... potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere.*

266 Si interrogemus S. Pacianum, utrùm pœnitentia subsecuta fuerit absolutionem sacramentalem; an verò eam præcesserit, sicut opus meritorium mercedem, & dispositio formam præcedit? S. Doctor respondebit, inter remissionem peccatorum, quæ datur in Baptismo, & eam quæ datur per absolutionem sacerdotalem, illud discriminis intercedere, quòd illa, tamquam liberale munus, sine longa præparatione; hæc verò nonnisi post multi molestique laboris merita donetur: *Baptismus enim* (inquit epist. 31. ad Simpron.) *Sacramentum est Dominicæ Passionis, pœnitentiæ venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratiæ donum est, id est gratuita donatio. Labor verò iste paucorum est, qui post casum resurgunt ... qui sanis interitu reviviscunt*, &c.

Ad idem laudatus Episcopus profert & ponderat testimonia SS. Ambrosii, Augustini, Prosperi, Leonis Magni, Cæsarii, Gregorii Magni, Isidori Hispalensis, Eligii, & Basilii Seleucienſis. Quæ apud ipsum videri possunt. 267

CAPUT XX.

Sola absolutio sacramentalis criminum publicorum, canonicâ pœnitentiâ mulctatorum, ad finem usque prostrationis, seu tertiæ stationis, regulariter dilata non fuit; verùm & occultorum.

SUppositum negant Juniores præcedenti cap. relati, negant (inquam) occulta crimina, quàmlibet gravia & enormia, olim castigata fuisse pœnitentiâ canonicâ. Et, quod mirum est, pro se allegant Morinum, qui ipsis diametraliter adversatur, uti proximè videbitur. Allegant etiam Chrysostomum homiliâ 21. ad populum Antioch. dicentem: *Nec hoc est tam mirabile, quòd peccata nobis dimittit Deus; verùm ipsa non revelat, nec manifestare facit, nec accedentem cogit in medio patrata edicere; sed sibi soli rationem reddere vult & confiteri.* Necnon Augustinum serm. 16. de verb. Dom. rigorosos Ministros tam benigni Dei increpantem his verbis: *Solus nosti, & coram omnibus vis arguere? non es corrector, sed proditor.* 268

Verùm Chrysostomus, Nectarii successor, fa- 269
ctique ipsius defensor, quo (ut ait Bellarminus l. 3. de pœnit. c. 14.) publicam occulti criminis pœnitentiam & confessionem abrogaverat (quam Ecclesiarum Episcopi occasione Novatianæ hæreseos instituerant) solùm vult publicam criminis occulti confessionem divino jure non esse præceptam, sed secretâ confessione Deum esse contentum. De quo hîc quæstio non est. Augustinus verò ibi fideliter non refertur, manifestèque agit de correctione fraterna (de qua etiam quæstio non est.) Explicans enim fraternæ correctionis modum, à Salvatore præscriptum: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Quare? (petit Augustinus) *quia peccavit in te. Quid est in te peccavit? Tu scis quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære, cùm corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te* (*quæ verba in objectione subdolè omissa sunt*) *& eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor.*

Morinum denique pro sua illa opinione non 270
allegarent, si in fonte legissent. Cùm lib. 5. c. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. (ut dixi) diametraliter ipsis adversetur. Siquidem c. 8. Doctores plures refert & celebres, *qui docuerunt pœnitentiam de criminibus occultis antiquitùs publicè fieri solitam, atque etiam à Patribus fieri præceptam.* Ad hoc (inquam) refert Ruardum Tapperum, Hesselium, Lindanum, Petrum Soto, Bullingerum, Alanum Copum, Gregorium de Valentia, Cardinalem Perronium, Cardinalem Bellarminum, Roffensem (qui & ipse Cardinalis fuit & Martyr) Concilium Provinciale Colonienſe, Henriquez, Dionysium Petavium, Albaspinæum, Franciscum Hallerium, quibus ipse subscribit: addens, quòd cùm crimen publicum ex pœnitentia publica non reveletur, multò minùs occultum. Capite 9. suam hanc sententiam, & laudatorum Doctorum, tribus argumentis ex antiqua disciplina erutis, deinde S. Augustini variis testimoniis demonstrat. Cap. 10. idem probat ex sanctis Leone, Innocentio, Isidoro, Eligio. Cap. 11. idem demonstrat ex antiquis canonibus, qui propter crimina occultissima Clericos quosvis ab officio deponunt, aut in multos annos suspendunt. Confirmatque hanc praxim illustrissimis exemplis, & antiquis Orientalium Fa-

nitentialibus, & canonum Commentatoribus, apud quos in hunc diem viget. Cap. 12. idem ostendit ex Tertulliano & Paciano. Cap. 13. idem ex S. Cypriano. Cap. 14. idem ex Origene, S. Ambrosio, Concilio Ancyrano; variisque idipsum rationibus confirmat. Cap. 16. quinque explicat differentias inter pœnitentiam propter peccata publica, & eamdem propter occulta publicè nèctam. Solùm hîc referam quartam & quintam. Quarta (inquit) differentia fuit, quòd *pœnitentem ob peccata publica, necesse erat crimen publicè confiteri... Sed publicè ob peccata occulta pœnitentem nullo modo necesse erat publicè confiteri....* Quinta differentia: *cùm peccatum erat publicum, ad pœnitentiam publicè agendam peccatores excommunicatione, & omnimodâ ab Ecclesia expulsione cogebantur. At cùm peccatum erat occultum, pœnitentiæ publicæ actio erat spontanea, hoc est, ad eam cogi non poterant ullâ excommunicatione, aut Sacramentorum publicâ negatione. Peccatori equidem ejusmodi, secretò confitenti, nisi pœnitentiam canonicam agere vellet, reconciliationem secretò denegabat Sacerdos; sed quod ultrà in eum ageret, non habebat. Nam, ut docet S. Augustinus homiliâ postremâ lib. 50. homil.* „ Nos à Communione prohibere quemquam non „ possumus... nisi aut sponte confessum, aut in „ aliquo, sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio „ nominatim convictum. Quis enim sibi utrum- „ que audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & ac- „ cusator & Judex? " Ecce quanta contra memoratos Noviores Morinus argumenta profert.

271 Illis tamen sequentia adjicere lubet. 1°. testimonium Catechismi Romani, Pii V. in fine tractûs de pœnitentia: *Sæpissimè illud ab Ecclesia observatum est, ut cùm ab aliquo publicè flagitium commissum esset, publica etiam pœnitentia ei indiceretur.... Quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora essent, interdùm fieri solitum erat.*

272 2°. testimonium desumptum ex Institutione Christiana Moguntinensi §. de satisfact. ubi dicit, quòd *olim satisfactionem publicam injungebant non pro manifestis tantùm, sed etiam pro occultis delictis gravioribus.*

273 3°. testimonium desumptum ex tractatu sacerdotali, quem Stephanus Episcopus Posnaniensis per totam Diœcesim suam observari præcepit cap. de Sacram. Pœnit. §. *de pœnitentiis* injungendis secundùm canones, ubi postquam actum est de pœnitentiis secundùm canones injungendis pro criminibus publicis, expressè etiam agitur de iis imponendis pro occultis peccatis.

274 4°. errorem aientium pœnitentiam publicam solùm impositam fuisse ob publica crimina, solùmque pro foro externo, non pro interno; eorum (inquam) errorem videri manifestum, ex eo quòd pœnitentiam canonicam olim Ecclesia imposuerit ob crimina, quæ in notitiam hominum non venerant, ut patet ex Pœnitentiali Romano ab Halitgario Episcopo Cameracensi, & Atrebatensi, ex scriniô Romanæ Ecclesiæ sub finem sæculi noni sumpto, l. 6. c. 2. ubi statuitur, quòd Clericus minorum Ordinum, cum uxore vel sponsa alterius congressus, si filium genuerit, septem annos pœniteat. Si *autem filium non genuerit, & in notitiam hominum non venerit* (nota) *tres annos pœniteat, unum ex his in pane & aqua. Diaconus aut Monachus septem*, &c. Patet item ex collectione canonum Isaaci Episcopi Lingon. tit. 3. c. 9. ubi: *Mulier habens virum, si adulterium perpetraverit, & occultè ad Confessionem venerit, septem annos pœniteat.*

275 5°. idem error rursum manifestus est ex eo quòd olim pœnitentia canonica imposita fuerit ob concupiscentiam, quæ internus est actus: siquidem in extracto canonum pœnitentialium à S. Carolo Borromæo digestorum in ordinem præceptorum Decalogi, ad decimum præceptum legitur: *Siquis concupiscit fornicari, si Episcopus, pœnitebit annos septem. Si Presbyter, quinque. Si Diaconus vel Monachus, tres. E quibus unum in pane & aqua. Si Clericus vel Laicus, annos duos.*

6°. illius antiquæ praxeos tot esse argumenta 276
meritò dicit Morinus c. 9. quot ferè canones ante mille annos pro criminum punitione conditi. Quandoquidem canones & antiqui Patres, de peccatorum graviorum remediis & pœnitentia agentes, universim & indiscriminatim ordinariè loquuntur: neque enim distinguunt inter publica & occulta crimina; sed gravioribus illis criminibus absque distinctione publici & occulti pœnitentiam præscribunt.

7°. illis etiam personis Ecclesia pœnitentiam 277
canonicam præscripsit, quas specialibus de causis pœnitentiam publicam agere noluit, si clàm, non publicè deliquissent. Ob speciales quippe causas illas, sic personarum illarum pœnitentiam à vulgi oculis subducendam censuit, ut quo temporis spatio cæteros palàm in oculis hominum pœnitentiam agere coëgit, eodem personas istas, in oculis solius Dei & Angelorum pœnitentiam agere voluit.

Constat hoc duobus exemplis in antiquitate 278
certissimis. Primum est mulieris quæ adulterium clanculò commisit. Quæ olim dum clanculò peccatum suum Sacerdoti confitebatur, ne publicâ suâ pœnitentiâ adulterii sui suspicionem faceret, periculumque proinde foret ne ob id malè tractaretur, vel fortè etiam occideretur, clàm agere jubebatur pœnitentiam, adversus adulteros canonibus præscriptam, statutoque iisdem canonibus adversus eosdem tempore, ut videre est apud Basilium epist. 2. ad Amphiloch. can. 34.

Alterum exemplum est Clericorum sacris mi- 279
nisteriis addictorum, quos nemo eruditus ignorat pœnitentiæ publicæ vulgò addictos non fuisse; non ideò tamen à pœnis canonicis fuisse exemptos. Ut enim Leo Magnus ait ep. 92. ad Rusticum Narbonensem, tametsi *alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo per manûs impositionem remedium accipiant pœnitendi.* Nihilominùs *hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Qualis satisfactio? Canonica utique, sive qualis ipsis secundùm canones injungitur. Quomodò Diaconum Gerontium Ambrosius, teste Sozomeno lib. 8. c. 6. *præscripto tempore manere domi, & pœnitentiâ expiari jussit.* Et in Pœnitentiali Romano Halitgarii suprà citato Clericus clàm adulteratus tribus annis pœnitere jubetur, unum ex his in pane & aqua; septem verò annis, si Diaconus fuerit. Et Gregorius Magnus in epist. ad Januarium Episcopum Calaritanum: *Qui post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulteriùs non accedat.* Et Martinus I. epist. ad Amandum Episcopum Trajectensem: *Qui semel post suam ordinationem in lapsum* (carnis) *ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipisci; sed sufficiat lamentationibus, fletibusque assiduis, quoadusque vixerit, in eadem pœnitentia durare, ut commissum delictum divinâ gratiâ extinguere valeat.* Unde Morinus l. 4. c. 14. 15. 16. observat, per mille & ampliùs annos, Sacerdotibus, sive clàm, sive palàm in carnis flagitia lapsis, reditum ad suam dignitatem nullum patuisse. Quod usque adeò olim servatum fuit, & etiamnum servatur apud Græcos, ut Sacerdos & Diaconus ad Confessionem sacramentalem non admittantur, nisi secundùm Deum securum faciant Confessa-

rium, quòd si rei sunt criminis quo prohibentur à sacri Ordinis ministerio, non ampliùs ministrabunt, ut testantur Morinus l. 5. c. 11. n. 2. & Arcudius l. 4. c. 2.

His conformiter Julianus Pomerius l. 2. de vit. contempl. c. 7. dicit, quòd *hi qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti, aliquod occultè crimen admittunt, ipsi se vanâ persuasione decipiunt, si eis propterea videtur, communicare, & officium suum implere debere, quòd homines occultatores criminis sui fallunt .... Imò verò dupliciter contra se iram divinæ indignationis exaggerant, quòd & hominibus innocentiam fingant, & contempto Dei judicio, abstinere se ab altari propter homines erubescant.*

Ab altari ergo, suique Ordinis ministerio abstinere debebant; atque ita licèt pœnitentiæ publicæ cum Laicis eatenùs non subjicerentur, quatenùs veste detritâ, sacco induti, in Ecclesia non comparebant, manuum impositioni cum Laicis succumbentes; occulta tamen non erat abstinentia ipsorum ab altaris ministerio, sacerdotalique seu clericali officio; sed publica, fidelibusque nota.

280 Atque ex his omnibus luce meridianâ clarius apparet, pœnitentiam publicam, non ob publica dumtaxat crimina, sed ob occulta quoque indictam fuisse, non solùm in foro externo, sed & in foro interno. In quo criminum occultorum rei ante pœnitentiam actam non magis absolvebantur, quàm rei criminum publicorum. Quæcumque enim cap. 18. & 19. argumenta protulimus, æquè militant pro criminum occultorum, quàm pro publicorum reis.

Legendus Morinus ubi suprà c. 26. ubi demonstrat, Ecclesiam Catholicam in hunc usque diem sibi conservasse authoritatem peccata occultissima pœnis ac remediis publicis castigandi sanandique, per censuras utique à jure latas; quæ ex communi Theologorum, Canonistarumque sententia à censuris ab homine latis in hoc præcipuè differunt, quòd istæ postulent crimen notorium, vel legitimè probatum, atque insuper rei admonitionem, ut legitimè infligantur: censuræ verò à jure latæ nihil horum; sed statim, crimine sive publicè, sive occultè perpetrato incurruntur; quia ipsa criminis perpetratio censuram infert, sententiamque ipso jure latam exequitur (saltem dum lex declarat eam incurri ipso jure, absque alia declaratione) ipsaque etiam lex, ante crimen lata, monitionis vice fungitur. Hanc porrò authoritatem sibi vendicat Ecclesia (ait optimè Morinus) ut legem ferre possit, quæ subditos ad executionem pœnæ in seipsos obliget, nullo, præter seipsum, accusante, examinante, teste, Judice, vindice. Itaque quòd crimen publicum sit, vel occultum, nihil refert; sola attenditur criminis perpetratio, quam eodem momento lex censurâ punit.

Istius vulgatissimæ certissimæque doctrinæ occasione (prosequitur laudatus Author) à Theologis & Canonistis agitatur ista quæstio, an Ecclesia censuram ferre possit in peccatum prorsus internum, nullo actu externo proditum. Sanè (inquit) viri gravissimi, & numero non pauci, censuerunt Ecclesiæ authoritatem hucusque se extendere. Hos inter Suarez disp. 4. de Censur. sect. 2. n. 2. enumerat Glossam in cap. *cogitationis* de pœnit. dist. 1. & in Clementin. 1. de hæret. §. *verum*, S. Antoninum ..... Panormitanum ..... Majorem ..... Rosellam .... Adrianum ..... Albertum Pighium .... Cordubam .... Joannem Medinam .... Ab istorum Doctorum sententia (cui favent ea quæ dixi tom. 2. lib. 1. de potestate Ecclesiæ in actus merè internos) vix aut ne vix quidem discedit Tertullianus in libro de pœnitentia, ut Morinus testatur.

Cæteri quidem maximo agmine censent Ecclesiæ censuras in peccata merè interna, seu spiritualia, sese non extendere de facto (quidquid sit de potestate) nisi exteriori actu aliquo prodeant, vel cum eo conjuncta sint. Ita Suarez, Tannerus, Bonacina, Hugolinus, & alii communissimè, dicentes, hæresim purè mentalem v. g. censuræ excommunicationis obnoxiam non esse; sed si in actum exteriorem prodeat, tametsi occultissimum, satis esse ad incurrendam censuram. *Dicere* enim, *actus, quamvis externos, si occulte, & absque teste fiant, non esse materiam excommunicationis, aut propter eos non incurri excommunicationem, non solùm hactenùs apud Doctores, seu Canonistas, seu Theologos est inauditum, sed & rationi, & authoritati manifestè repugnat* (ait Tannerus disp. 6. de pœnit. q. 10. dub. 3. n. 55.) *ac propterea tutum non est asserere.*

Hinc receptum Antistitum consuetudine videmus, ut sæpiùs qui intra præscriptum diem damni alicujus authorem non patefacit, cùm id sciat, in eum excommunicationem ferant, inquit Hugolinus lib. de censur. tab. 1. cap. 9. §. 12. Hinc etiam qui ficto titulo per fraudem ordinatus est, ab Ordinum usu ipso facto suspensus est, sive fraus nota sit, sive ignota, seu occulta. Estque eadem ratio irregularitatis, & depositionis, licèt (secundùm Canonistas) censuræ non sint (censuræ namque tantùm considerantur ut pœnæ peccatis ab Ecclesia inflictæ:) nam si Sacerdos quispiam homicidium perpetraverit, tametsi occultissimè, & absque teste, eo ipso irregularis efficitur, nec Ordinis sui ministerio fungi potest.

Posito verò hoc principio, ab omnibus concesso, & hactenùs ab Ecclesia universa practicato, crimina occultissima censuris plectendi; evidenter apparet, crimina occultissima pœnis publicis ab Ecclesia plecti posse: cùm certo certius sit, pœnas censuris inflictas esse publicas: utpote quæ latère non possunt. Nam Sacerdos excommunicatus v. g. celebrare non potest. Aliàs irregularis efficitur. Istud verò publicum esse, negari non potest; nam Sacerdos excommunicatus non solùm abstinere debet à celebratione, sed & à Communione, à Missæ auditione, ab Officii Ecclesiastici cum aliis recitatione, à communi fidelium conversatione, &c. Quod profectò non publicum esse non potest.

Video quidem incommodum istud objici posse, quòd si criminum occultorum reis, ea occultè confitentibus, Judex sacramentalis publicam olim imponere potuerit pœnitentiam, potuit ergo crimen confessum revelare. Quod tamen nunquam fieri potuisse, certissimum est. Sed prorsus neganda est sequela: 1°. quia, ut S. Thomas ait in 4. dist. 14. q. 1. a. 5. q. 1. ad 1. *Sacerdos non revelat Confessionem, talem pœnitentiam injungendo, quamvis suspicio oriatur illum aliquod enorme peccatum commisisse. Non enim culpa pro certo scitur ex pœna: quia quandoque aliquis pœnitentiam pro alio facit, ut legitur in vitis Patrum..... Si autem peccatum sit publicum, ipse pœnitens, exequendo pœnitentiam, Confessionem a se factam manifestat.* Ita etiam Alensis 4. p. Sum. q. 14. m. 6. a. 1. ad penult. Joannes de Friburgo l. 3. Sum. tit. 34. q. 8. Sylvester verbo *pœnitentia*. Paludanus in 4. dist. 14. q. 6. ubi aliâ id ratione probat: *quia multi faciunt graves pœnitentias sibi non impositas, non habentes graves culpas. Imò illi sæpè majoris sunt pœnitentiæ, qui sunt minoris culpæ.* 281

2°. Judex sacramentalis nullo modo revelare potest crimen publicum quod audivit, magis quàm occultum: neque enim de publica meretrice vel alio peccatore publico dicere potest: confessus est mihi peccatum suum magno cum animi dolore; posse nihilominùs sacramentalem Judicem publico peccatori publicam in foro interno pœniten-

tiam imponere, *credo* (inquit Vasquez) *omnium esse sententiam contra Navarrum.* Estque ita definitum in cap. 1. de pœnit. & remiss. & clarissimè in Tridentino sess. 14. c. 8. de reform. Igitur talis pœnitentiæ injunctio non censetur confessi criminis revelatio.

3°. nihil certius, quàm quòd reis confitentibus homicidium, adulterium, fornicationem, &c. secretò commissa, Confessarius imponere tenebatur pœnitentiam per sacros Canones indictam, plurium utique annorum jejunia per quadragesimas, & legitimas septimanæ ferias. Dumque Sacerdos homicidium occultè à se perpetratum adhuc modò confitetur, tenetur ipsi injungere ut à celebrando abstineat, ipsique (nisi id pollicetur) absolutionem denegare. Nec propterea censetur crimen confessum revelare. Nec id unquam Ecclesia permisit, dum canonicas pœnitentias illas injungi voluit, non obstante suspicione multorum de gravi aliquo crimine, propter quod pœnitentiæ illæ adimplebantur. Aliàs damnanda foret Ecclesia, quæ per tot sæcula ejusmodi pœnitentias injungi voluit. Sicut & Confessarii, etiamnum aliquot hebdomadarum jejunium in pane & aqua, sic jejunare inassuetis, ob crimina valdè enormia injungentes. Qui tamen magis damnari non possunt, quàm Ecclesia ipsa, totque Sancti, qui similia toties injunxerunt.

CAPUT XXI.

Ab eo tempore, quo pro peccatis dumtaxat publicis acta fuit pœnitentia publica, pro occultis occulta (id est à sæculo circiter septimo) quemadmodùm peccatores publici olim absoluti regulariter non fuerunt, nisi post actam pœnitentiam publicam; ita nec occulti nisi post occultam.

282 EX dictis superiori capite satis apparet, communem veteris Ecclesiæ morem fuisse, publicam etiam pro occultis criminibus gravioribus pœnitentiam agere. Qui mos in Ecclesiis Orientis solùm usque ad Nectarii tempus duravit, cujus exemplum cæteri Orientales Episcopi statim secuti sunt. Verum in Ecclesiis Occidentis morem illum usque ad sæculum circiter septimum durasse, argumento est, quòd axioma istud: *De peccatis publicis publicè, de occultis occultè pœnitendum:* circa annum 700. vulgari cœperit, ut videre est apud Morinum l. 7. c. 1.

283 Ab eo itaque tempore sicut sacramentalis publicorum criminum absolutio regulariter data non fuit, nisi post actam publicè canonicam pœnitentiam; ita sacramentalis occultorum criminum graviorum absolutio data non fuit, nisi post actam occultè canonicam pœnitentiam. Siquidem inter occultum & publicum pœnitentem ab eo tempore non pœnarum, sed solius solemnitatis discrimen fuit; & iisdem pœnis ac remediis canonicis, publica publicè, occulta occultè sanata fuerunt, uti rursùm Morinus ex antiquis Pœnitentialibus & Sacramentariis, illorumque sæculorum Canonibus & Patribus comprobat ibidem c. 21. & 22.

284 Quòd si iisdem remediis occulta occultè, sicut publica publicè, curabantur, & sanabantur, solâ exceptâ solemnitate: non igitur discrimen fuit, in eo quòd publica nonnisi post actam pœnitentiam absolverentur; occulta verò ante actionem pœnitentiæ: sed eodem pariformiter tempore occulta occultè absolvebantur, quo publica publicè, post actam utique pœnitentiam.

285 Unde ab eo tempore quo criminibus publicis publica, occultis occulta fuit injuncta pœnitentia (id est ab anno circiter 700.) *nusquam* (inquit Morinus l. 9. c. 17. n. 5.) *leges in canonibus, aut Authoribus illorum temporum, hanc distinctionem, aut quid simile: si occultum fuisset crimen, statim absolutio concederetur; si publicum, post actam pœnitentiam. Sed uno & eodem prorsus modo ubique criminibus occultis & publicis pœnitentia indicitur, actiones quæ necessariò publicæ sunt, si excipias; quibus canones pœnitentiam occultam eximunt. Solam moribundorum hypothesim à lege generali excipiunt. Tum etiam sæpiùs edicunt... statim post Confessionem eos esse reconciliandos, & Eucharistiæ viatico pascendos,* sive occulti peccatores fuerint, sive publici.

Denique *omnia argumenta, quibus probatum est,* 286 *absolutionem in pœnitentia publica concedi post pœnitentiæ actionem, idem de pœnitentia privata demonstrant.* Patrum quippe hac de re testimonia generalia sunt, & eorum canones indistincti. Et ubi canones non distinguunt, neque nos distinguere debemus. Bartol. in l. un. *quorum legatorum.* Jason in l. *triticum* ff. de verb. oblig. n. 6. Si enim ex proprio cerebro, sine legis authoritate, distinctiones liceat fabricare, cui legi non facilè illudetur? *Legis interpretationem* (ait Morinus l. 9. c. 2. n. 1.) *si de ea dubitetur, ex præcedentibus factis, aut ex aliarum legum collatione venari oportet, non ex fictis cerebri nostri distinctionibus, quæ pervicacibus ingeniis numquam desunt. In rebus physicis & metaphysicis hæc tolerari possunt. At in rebus moralibus, quæ integrè pendent ex hominum legibus & institutis, legibus ostendendum est hoc esse institutum, & exemplis hoc esse usurpatum. Tantum in his creditur, quantum hujusmodi argumentis demonstratur.*

Nullum autem pro sua illa distinctione argu- 287 mentum ex Veterum exemplis, canonibus, vel Patrum scriptis habent Juniores. Nos econtrà pro assertione nostra habemus expressum testimonium libri 5. Capitular. c. 52. ubi ex antiquo Canone, seu Decreto sic refertur: *Nemo Sacerdotum, populi sibi peccata confitentium, sine authoritate canonum judicare præsumat. Et ut quando unicuique quisquam Sacerdos sibi scelera sua confitenti juxta prædictum canonicum modum pœnitentiam tribuit, manus ei secundùm canonicam authoritatem imponat, cum orationibus, quæ in Sacramentario ad dandam pœnitentiam continentur. Si verò occultè & sponte confessus fuerit, occultè fiat. Et si publicè ac manifestè convictus aut confessus fuerit, publicè ac manifestè fiat, & publicè coram Ecclesia juxta canonicos pœniteat gradus.* POST PERACTAM VERÒ SECUNDUM CANONICAM INSTITUTIONEM PŒNITENTIAM, OCCULTE VEL MANIFESTE RECONCILIETUR: *& manus ei, cum orationibus, quæ in Sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponatur, ut divinis precibus & miserationibus absolutus à suis facinoribus esse mereatur. Quoniam sine manûs impositione nemo absolvitur ligatus,* &c.

At (inquis) Morinus l. 9. c. 14. dicit, *plerisque* 288 *peccatorum gravium generibus ex more quo nunc, & ab aliquot sæculis observatur, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis concessum fuisse* absolutionis beneficium.

Respondeo ita esse, sed de peccatorum gravium generibus pœnitentiâ canonicâ mulctatis Morinum ibi non loqui; imò de istis ibidem aliter loqui, sicut & aliis locis à nobis laudatis.

CAPUT XXII.

Ex illa Ecclesiæ praxi facilè videt, quisquis oculos habet, veram in remittendis retinendisque peccatis misericordiam & benignita-

tem, seu divinæ benignitatis & misericordiæ imitationem, omnem non excludere rigorem, nec tantam in peccatoribus absolvendis, pœnitentiisque injungendis exigere remissionem, quantam hodie, juxta opiniones cap. 5. relatas, plurimi practicant Confessarii.

289 PRobatur: quia impium est, veterem Ecclesiam, ob rigorem c. 17. 18. 19. 20. & 21. enarratum, cum impio Calvino crudelitatis, & inhumanitatis, seu nimii rigoris arguere. Nec solùm impium, sed & blasphemum. Cùm optimis de causis, Sponsi sui gloriam, filiorumque suorum salutem concernentibus, rigorem illum tenuerit. Cùm igitur, non obstante tanto rigore, crudelis non fuerit, sed verè misericors, Christique Sponsi sui (qui dixit, *discite à me, quia mitis sum*) animata spiritu: veræ ergo lenitatis, mansuetudinis ac misericordiæ Christi defectus, iis jure objici non potest, qui licèt hodie omnem illum rigorem ob hominum imbecillitatem non servent, imò partem illius longè majorem omittant; eumdem tamen sequuntur spiritum, eoque animati illas ipsas rationes præ oculis habentes, ob quas illum olim rigorem Ecclesia servavit, in tantum aliquid de illo veteris Ecclesiæ rigore retinent, in quantum exigit doctrina & spiritus veteris Ecclesiæ, qui etiam spiritus & doctrina est Ecclesiæ modernæ.

290 Tametsi igitur omnis rigor Canonum (quem suprà enarravimus) non sit hodie servandus, nec in usum revocandus, utpote ab Ecclesia (ob moralem hoc tempore servandi impossibilitatem) justissimè temperatus; non ideò in totum est negligendus. Quia licèt in totum servanda hodie non sit eadem quæ olim exterior disciplina; servandus est tamen idem interior spiritus, sive idem finis principalis spectandus, & ad eumdem illum finem, per media convenientia, & moraliter necessaria, collimandum. Variatâ siquidem exteriori disciplinâ, invariatus manet, semperque manebit interior Ecclesiæ spiritus: cùm interior Ecclesiæ spiritus, sit ipsemet Spiritus sanctus, ipsemet Spiritus Christi, animans corpus Christi, quod est Ecclesia; & hoc sensu *Canones* (secundùm interiorem eorum spiritum) *Spiritu Dei conditos* Leo Magnus affirmet epist. 84. Sicut ergo Spiritus Dei non mutatur, mutatis operibus ad extra (juxta illud Augustini lib. 1. Confess. c. 4. *opera mutas, nec mutas consilium*;) sic interior Ecclesiæ spiritus non mutatur, mutatâ exteriori disciplinâ; sed æquè idem manet interior spiritus, quàm eadem Ecclesia, quæ certè non maneret eadem, si alius eam regeret spiritus. Denique tametsi *mutentur Constitutiones particulares* (inquit Fagnanus cap. *non debet* de cognat. & affin. n. 11.) *tamen finis legis, qui est primùm in intentione Legislatoris, est invariabilis.* Proinde declinandum hodie non est in extremum contrariæ laxitatis, ex eo quòd servandum hodie non sit oppositum extremum dicti rigoris; nec dici potest totum illum rigorem esse penitùs, sive ex omni sua parte abrogatum; sed pro humana hodie possibilitate in tantum aliquid de illo veteri Ecclesiæ rigore conservandum, in quantum necesse est ad spiritum illum sequendum, finemque principalem consequendum.

291 Ideò namque Canones antiquos (quos Concilium Attiniacense post Leonem Magnum firmatos Dei Spiritu dixit) præ oculis habere debet animarum Director, non ut eos ad unguem servet, sed ut eorum spiritum sequatur, sicut in pœnitentiis imponendis; ita & in absolutionibus impertiendis. Neque enim Canones illi considerandi sunt velut præcepta merè cæremonialia, seu cæremonias merè externas disciplinamque merè politicam continentes. Hoc enim dicere, est cum hæreticis dicere, totum veteris pœnitentiæ in prisca Ecclesia apparatum eò tantùm institutum fuisse, ut homines isto terriculamento à peccatis cohiberentur. Quòd si præcepta illa merè cæremonialia non fuerint, & politica, sed ex parte saltem moralia; nihil rationabilius dici potest, quàm quòd partim saltem ideò ab Ecclesia condita fuerint, quòd censeret peccatores, saltem graviorum criminum reos, tam facilè ordinariè ad justificationem non disponi, sicut Casuistæ non pauci hodie existimant, nec Confessarios de dispositione ad eam requisita sat certò ordinariè judicare posse, nisi labores & fletus peccatis proportionati præcedant. Cùm potior ratio, quæ meræ disciplinæ non sit, assignari nequeat, ob quam Ecclesia labores illos ante justificationem injunxerit.

Neque verò dici potest, illos eâ potissimùm ratione injunxisse, ut per labores illos pœnitentes pervenirent ad Baptismi integritatem, per plenam integramque peccatorum quoad culpam & pœnam remissionem. Tum quia aliàs Ecclesia debuisset labores illos, non ante, sed post justificationem subeundos injungere, prout hodie ad pleniorem pœnæ temporalis remissionem injunguntur. Sic enim ad effectum illum efficaciores reddunter, utpote de condigno meritorii. Tum quia aliàs Ecclesia, ob istam potissimùm rationem, pessimè tam diù ipsis distulisset absolutionem, culpæque proinde mortalis ac pœnæ æternæ remissionem; utpote quâ obtentâ pœnitentes longè facilius per labores illos consecuti fuissent dictam pœnæ temporalis remissionem.

Itaque per Canones illos Ecclesia docere nos 292
voluit, pœnitentiæ labores saltem peccatoribus magnis ordinariè necessarios esse ad iram Dei placandam, impetrandumque pœnitentiæ donum, & ut Sacramentorum Ministri docerentur ea fideliter ac prudenter dispensare. Propterea namque Cyprianus in l. de lapsis, & alibi sæpè dicit, ordinariè *contra Evangelii vigorem, & contra Dei legem* facere Sacerdotes, ante laboriosa pœnitentiæ opera idololatriæ reos absolventes. Cleros etiam Romanus istâ facilitate *fidei majestatem dissolvi* dicit. Moyses, Maximus, Nicostratus, Rufinus aliique sancti Confessores (quorum verba cap. 11. referuntur) arguunt taliter absolventes, atque ad sacram Communionem mittentes, tamquam qui *sine respectu Evangelii, sanctum Domini canibus, & margaritas porcis profanâ facilitate donassent.*

Similiter Ambrosius in Psal. 118. ad versum, 293
miserere mei secundùm eloquium tuum, ex hoc versu, id est Dei verbo, redarguit eos qui graviorum criminum reos, post brevem lachrymulam absolvunt. Quos ait secundùm verbum Dei non dispensare misericordiam, eò quòd ei non faciant justitiam. Verba ipsius cap. 11. similiter habentur. Libro etiam 2. de pœnit. c. 9. ejusmodi facilitatem absolvendi censet esse contra divinum præceptum. Quo scilicet præceptum est: *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos.* Quo item (addo ego) Deuteron. 27. *maledictus* dicitur, *qui errare facit cæcum in via.* Quod facit Sacerdos qui errantem ad viam rectam per justam severitatem non reducit. Facit etiam contra illud Levitici 19. *nec coram cæco pones offendiculum*, dum nimiâ absolvendi facilitate divinæ justitiæ severitatem peccatoribus abscondit, estque in causa, cur sibi persuadeant tam grande malum non esse peccatum, quod tam facilè condonatur. Facit denique contra illud 1. Timoth. 5. *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quod ad nostrum propositum applicat S. Pacianus apud Morinum l. 5 c 2.

His itaque divinis regulis instructa Mater Ec- 294
clesia,

clesia, atque hoc spiritu animata Canones suprà dictos condidit, qui proinde quâ parte continent media ordinariè necessaria ad servandum divina illa præcepta, censeri nequeunt in desuetudinem abiisse, nec contrariâ consuetudine abrogati esse. Cùm dubium non sit Ecclesiæ Canones, quatenùs aliquid divini juris admixtum habent, præscriptamque in Evangelio vitæ institutionem interpretantur, firmant, & ad particulares casus applicant, semper obligare. Ut enim S. Thomas ait quodlib. 9. a. 15. *quantum ad hoc quòd jura illa antiqua continent jus naturale*, vel divinum, *abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationabilem.*

CAPUT XXIII.

Tametsi in curandis animarum morbis, sive in absolutionibus impartiendis, & pœnitentiis injungendis, animarum Medicus, seu Confessarius, hodie ad amussim sequi non debeat veteris Ecclesiæ morem; aliquousque tamen imitari debet. Eodem quoque, quo veteres Patres, spiritu debet esse animatus, id est eundem in finem collimare, easdemque, quas ipsi, rationes sibi proponere.

295 ALiud esse ad amussim sequi, aliud imitari, manifestum est ex eo quòd Evangelico oraculo, *estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est*, divinam perfectionem imitari jubeamur, quam ad amussim sive perfectè assequi nobis impossibile est. Itaque quòd Medicus animarum aliquousque imitari debeat veteris Ecclesiæ morem in curandis animarum morbis, sive in absolutionibus concedendis, injungendisque pœnitentiis, inde perspicuum est, quòd in curandis animarum morbis Canones suprà dictos respicere debeat velut normas *divino Spiritu dictatas, & totius Orbis reverentiâ consecratas*, uti Leo Magnus ait. Nam in quantum Christi & Ecclesiæ filius, agi debet spiritu Christi & Ecclesiæ, quo Canones illi conditi sunt. *Qui enim Spiritu Dei aguntur* (qui Ecclesiæ spiritus est) *hi sunt filii Dei.* Et, ut præcedenti capite dictum est, in varietate disciplinæ, invariatus manet Ecclesiæ spiritus, quo Canones illi sic conditi sunt, ut aliqua ex parte non contineant jus purè humanum, sed aliquid divini juris habeant admixtum. Quisquis proinde verè animatus est Spiritu Christi & Ecclesiæ, regulas illas non spectat, ut merè politicas Romanorum, Græcorum, Persarum leges, sed ut aliquid de cælesti institutione declarantes, ad formandos Christianorum mores, saltem quoad ea quæ num. 272. dixi.

296 Ideò ergo sapientissimi Theologi, S. Bonaventura in Confessionali c. 3. p. 1. Angelus de Clavasio in Summa Angelica verbo *Confessio* 6. n. 7. Bartholomæus de Chaymis Interrogatorii, seu Confessionalis sui p. 4. c. 1. docent quòd Confessarius sibi ob mentis oculos proponere debeat Canones pœnitentiales, qui lumen sibi, pœnitentique afferant; quo videant quemadmodùm pro peccati ratione pœnitentia agenda & imponenda sit. In tantum ut S. Bonaventura loco citato dicere non dubitet, quòd *vix nomen Sacerdotis constabit in eo qui Canones pœnitentiales ignorat.*

297 Ideò etiam S. Carolus Borromæus in Sacramentali Ambrosiano (quod virorum pietatis studio flagrantium, & doctrinæ laude clarorum, sexque Conciliorum Provincialium auxilio adjutus elaboravit, prout in præfatione testatur) tit. *Instructio Pœnitentiæ* sic ait: *Patres docuerunt, quàm necessaria admodùm sit Sacerdotibus Canonum scientia. Etenim si omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentiâ solùm & pietate, sed justitiâ etiam metienda sunt, certè norma hæc è Canonibus pœnitentialibus sumatur oportet. Sunt namque ii quasi Regulæ quædam, quibus cùm ad culpæ commissæ gravitatem rectè dignoscendam, tùm ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam Sacerdotes Confessarii ita dirigantur, ut ubi singula, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque contriti cordis dolorem pertinent, accuratè perpenderint; tum demùm pœnitentiam judicio ac prudentiâ suâ moderentur.* Et in Instruct. Pastor. p. 2. c. 20. *Confessarius Canones pœnitentiales ad unguem scire oportet. Nam quamvis illi possint & debeant secundùm prudentis & timorati Confessarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diversaque conditio, aliæque circumstantiæ ostendent; utilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, atque ad eos tamquam ad amussim respicere, quantum conveniens erit. Et quidem Confessarius, etsi pro modo antiquo Canonum pœnitentiam non habet sequi; tamen pœnitenti nonnumquam articulos in iis explicatos tractabit, ut sic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviusculam, quam ipsi dedit* (respectivè ad canonicam) *alacriùs exequatur.*

Similiter Concilium Mediolanense anni 1565. 298
Constitut. p. 2. tit. 6. monet, ut *Confessores canones pœnitentiales benè noverint.* Et Concilium Bituricense anni 1584. tit. 21. c. 8. *Sacerdotes canones pœnitentiales discant, ut modum & rationem pœnitentiæ injungendæ melius intelligant.* Et Synodus Osnabrugensis anni 1628. c. 17. §. 8. *Requiritur* (in Sacerdote) *scientia canonum pœnitentialium.* Et Synodus Pragensis anni 1605. anno 1650. jussu Archiepiscopi recusa, tit. de pœnit. *Confessarii canones pœnitentiales memoriæ mandent, ut singulis criminibus congruam satisfactionem injungere valeant.*

Catechismus quoque Romanus de Pœnitent. 299
Sacram. c. 113. *In irroganda satisfactionis pœna Sacerdotes nihil suo arbitratu statuendum esse; sed omnia justitiâ, prudentiâ, & pietate dirigenda existimabunt. Atque ut hâc regulâ peccata metiri videantur, & pœnitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit interdùm eis significare, quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum canonum præscripto* (*qui pœnitentiales vocantur*) *constitutæ sint.*

Denique Guillielmus Parisiensis de Sacram. Pœ- 300
nit. c. 55. dicit, quòd *nec dubitandum est, Confessores sequi debere canones pœnitentiales, quatenùs & fragilitati nostrorum temporum, & qualitati pœnitentium congruit.*

Si canones illos omni ex parte abrogatos sapien- 301
tissimi illi Doctores, & cum illis S. Carolus Borromæus, & laudata Concilia censuissent, eorum scientiam adeò Sacerdotibus necessariam non prædicassent, nec Confessarios obligassent, ut eos respicerent, velut normam, quam in pœnitentiis imponendis (eademque est ratio de absolutionibus impartiendis) non quidem perfectè assequi, sed imitari deberent, quantùm fragilitati nostrorum temporum, & qualitati pœnitentium congruit.

Jam dicta plusquàm sufficiunt ad demonstran- 302
dum, quòd eodem hodie spiritu Confessarius animatus esse debeat, quo veteres Patres, seu vetus olim Ecclesia. Ut verus namque Ecclesiæ filius, Ecclesiæ Matris suæ spiritu esse debet animatus. Idem est autem (ut suprà dixi) hodie Ecclesiæ spiritus, qui fuit olim. Neque variatâ disciplinâ exteriori, variatur interior Ecclesiæ spiritus, sed manet semper idem. Quandoquidem ab eodem hodie Spiritu sancto dirigatur, prout olim, ad eumdemque finem principalem collimet, & iisdem rationibus principalibus in praxi sua moveа-

tur. Igitur Confessarius iisdem rationibus principalibus moveri debet, eumdemque finem principalem sibi proponere. Cùm eodem quo Ecclesia spiritu animatus esse nequeat, nisi eumdem in finem collimet; easdem proinde rationes, saltem principales, sibi proponat.

CAPUT XXIV.

Rationes principales, ob quas laboriosam olim pœnitentiam, ante gravium criminum absolutionem, Patres exegerunt, demonstrant aliquid de rigore illo adhuc hodie retinendum, ad consequendos fines, quos sibi veteres Patres proposuerunt: dummodò non damnetur Ecclesiæ moderna praxis, juxta quam Confessarii, ante peractam satisfactionem, iis hodie absolutionis beneficium impartiuntur, quos juxta divinæ Scripturæ & Sanctorum regulas, judicant plenè converſos.

303 VArias diuturnæ laboriosæque illius pœnitentiæ, dilatæque absolutionis causas Morinus refert l. 1. c. 14. 15. 16. 17. Et l. 3. c. 1. & seqq. Et l. 9. c. 4. Prima ratio, cur tam duras longasque pœnitentias exegerunt, illa est, quam post SS. Patres Tridentinum allegat sess. 14. c. 8. quòd scilicet crimina post baptismum commissa valdè longèque graviora essent commissis ante baptismum, Deoque specialiter injuriosa, ratione baptismi, in quo justificati & amici Dei facti sumus. *Profectò divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerunt; aliter verò qui semel à peccato, & dæmonis servitute liberati, & accepto Dei dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidarunt.*

304 Hanc rationem plurimùm illustrat Morinus l. 3. c. 1. 4. 5. 6. & 7. illustrissimisque Patrum testimoniis confirmat, ostenditque quòd ideò crimina post baptismum commissa sine magnis fletibus & laboribus regulariter non remittantur, atque ideò Sacramentum Pœnitentiæ laboriosus baptismus à Patribus fuerit nuncupatus.

305 Quia verò Patres magnam laboriosamque pœnitentiam non solùm requisierunt in vindictam & satisfactionem majoris eorum gravitatis, sed & ad placandam Dei iram, eâque placatâ obtinendam dispositionem necessariam ad peccatorum veniam; ideò laboriosam illam pœnitentiam ante absolutionem requisierunt.

306 Hanc rationem etiamnum procedere, conspicuum est ex eo quòd nec minùs gravia modò sint crimina post baptismum commissa, quàm olim, nec facilius sit corruptissimo hoc sæculo divinam justitiam placare, veniamque peccatorum, & media ad illam necessaria, veram utique solidamque à peccatis conversionem à divina misericordia obtinere, quàm primis Ecclesiæ sæculis, in quibus longè magis abundabat sanctitas, & longè minùs regnabat iniquitas. Interim nihil magis hodie peccatores fugiunt & abhorrent, quàm duros pœnitentiæ labores, quibus olim peccatores se lubentissimè subjiciebant.

307 Secunda ratio fuit, quia animarum vulnera, maximè graviora, sic se habere Patres censuerunt, similique modo curanda, sicut graviora corporum vulnera, quæ morâ indigent, ut secundùm medicinæ leges curentur. Et sicut nimis festina curatio, debitique ad sanandum rigoris remissio, vulnus corporale non sanat, sed auget; ita & de gravioribus animarum vulneribus Patres senserunt. Sic Cyprianus ratiocinatur in lib. de lapsis. Sic Clerus Romanus epist. 31. ad Cyprianum. Sic sancti Martyres & Confessores apud Cyprianum epist. 26. Sic Ambrosius in Psal. 118. in hunc versum: *miserere mei secundùm verbum tuum.* Eâdem quoque corporalis vulneris comparatione Patres utuntur, ut ostendant, diuturniore & molestiore pœnitentiâ indigere peccatores inveteratos, & sæpiùs relapsos, quàm alios.

308 *Si secundò, & tertiò, & adhuc frequentiùs, in eodem loco membra frangantur* (ait post Origenem Augustinus serm. 38. de temp.) *potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt; & tamen post longas & multas tribulationes, vix erit antequam ad pristinum statum ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis esse credenda est.* Hanc quoque rationem hodie non cessare, per se manifestum est. Si etiam hac in re vulnerum spiritualium curatio similis esse debeat curationi vulnerum corporalium; non mirum quòd Patres, ut spirituales Medici, longas illas & magnas molestias à peccatoribus exegerunt ante eorum curationem, seu sanationem spiritualem, etiam imperfectam; quemadmodùm Medici corporales eas exigunt ante sanationem corporalem.

309 Tertia ratio dilatæ absolutionis usque ad peractos pœnitentiæ labores (quam potissimam vocat Morinus l. 9. c. 4. in fine) fuit quia conversio vera & solida, seu plena (ad validam fructuosamque absolutionem necessaria) præsertim post graviora crimina, paulatim ordinariè acquiritur, & à Deo per bona opera, longasque & ferventes orationes gradatim impetratur. Quam rationem *capite libri tertii ultimo* (inquit Morinus) *non indiligenter explicavimus.* Atque ita esse, nos ex Scripturis & Patribus cap. 40. & 41. demonstrabimus. Sequiturque ex ratione prima. Laboriosa namque pœnitentiæ opera, post graviora crimina, non solùm necessaria sunt ad satisfaciendum pro pœna temporali, quæ solvenda supereſt post veniam peccati; sed & ordinariè ad impetrandam ipsammet peccatorum veniam, evadendamque pœnam æternam (prout ex Scriptura & Patribus ostendemus cap. 41. §. 1. & 2.) Si autem necessaria sint ad obtinendam peccatorum veniam, evadendamque pœnam æternam: per consequens necessaria sunt ad impetrandam dispositionem, sine qua nec peccati veniam peccator obtinere potest, nec æternam pœnam evadere. Hanc etiam rationem hodie procedere certissimum est. Neque enim plenæ conversionis donum minùs hodie, quàm olim, requiritur ad veniam peccatorum obtinendam per absolutionis beneficium. Nec facilùs vel citiùs à Deo hodie, quàm olim, impetratur.

310 Quarta ratio fuit, quia antiqui Patres admodùm exhorruerunt, ne Sacramenta cum indignis communicarent, atque ideò diligentissimè semper caverunt, ne quemquam absolverent, quem priùs à Deo vel absolutum, vel per plenæ conversionis gratiam à Deo visitatum, per Sacerdotum proinde ministerium mox absolvendum, quantum homini fas est, non cognoscerent. Ideò ergo reos graviorum criminum ordinariè non absolverunt, nisi per dignos pœnitentiæ fructus, & laboriosa opera se à Deo vel absolutos, vel (ut proximè dictum est) visitatos ostenderent. Ex dignis namque pœnitentiæ fructibus, & dictis operibus, non ex sola confessione, seu oris protestatione, cognoscendam voluerunt plenam animi conversionem, prout infrà cap. 48. & seqq. demonstrabitur. Quod cùm in ipsa quoque divina Scriptura fundatum sit, etiamnum procedit. Nec minùs hodie diligenter cavendum, ne Sacramenta indignis, seu porcis margaritas conferamus; ne proinde eos absolvamus, quos à Deo vel absolutos, vel per plenam

cona

conversionis gratiam à Deo visitatos non cognoscimus.

311 Hanc rationem tangit Gregorius hom. 26. in Evangel. *Ut ligandi atque solvendi potestas ritè exerceatur, videndum quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam* (de pœnitentia externa, seu externis pœnitentiæ operibus haud dubiè loquitur; cùm de ea certissimè loquatur, ex qua humanitùs cognoscimus, peccatorem à Deo interiùs per compunctionis gratiam visitatum. Sequitur enim) *ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, pastoralis sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Judicis. Quod benè quatriduani mortui resurrectio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia mortuum Dominus vocavit, & vivificavit, dicens, Lazare veni foras; & postmodùm is qui vivens egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est: cùmque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis, Solvite eum, & sinite abire. Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quàm virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debeamus per pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem cognoscimus per suscitantem gratiam* (plenæ utique conversionis ad absolutionem sufficientis) *vivificare*, vel completè in actu secundo (si compunctio sit charitate perfecta) vel in actu primo proximo, si sit imperfecta, quæ peccatorem saltem idoneum reddat, qui per ministerium reconciliationis absolvatur.

312 Hanc doctrinam, sicut à superioribus Patribus, Eucherio Lugdunensi Episcopo homil. post Domin. IV. Quadragesi. Augustino serm. 8. de verb. Dom. & hom. 27. inter 50. Ambrosio l. 2. de pœnit. c. 4. traditam Gregorius accepit; sic posteriores Patres, velut sacrum depositum, ab ipso acceperunt. V. Beda in lib. scintillarum c. 74. Concilium Aquisgranense anni 816. c. 37. Christianus Drutmarus Corbiensis Monachus in exposit. Matth. c. 10. S. Eligius Noviodunensis Episcopus homil. 11. Qui & hom. 4. ante absolutionem exigit, ut peccator veterem hominem exspoliet cum actibus suis, & novum induat, & salutaris pœnitentiæ operibus se dignum præstiterit, qui à Deo invisibiliter (in actu primo vel secundo, ut suprà) absolveretur: Nos *quia vices Christi agimus* (inquit) *quos ille invisibiliter absolvendo dignos suâ reconciliatione judicat* (id est dignos qui ipsi reconcilientur, per eos quibus dedit *reconciliationis ministerium*, ut suprà) *nos visibiliter reconciliando per officium nostri ministerii absolvimus*. Eos absolutione dignos ex dignis pœnitentiæ fructibus, seu dictis operibus cognoscentes.

313 Quinta ratio fuit, quia sancti Patres pœnitentiam, à qua citò & facilè receditur, non probarunt, nec receperunt, nec taliter pœnitentes verè & plenè pœnitentes censuerunt, nec absolutione dignos, sed ad hoc pœnitentiam solidam requisiverunt & constantem: graviorem Christo contumeliam fieri censentes, si quis se Christi filiis aggreget, mox eum proditurus, quàm si à Christo alienus esse perseveret. Ista quippe causa fuit unius tantùm olim pœnitentiæ. Ista causa tantæ cautionis, nedum in peccatoribus absolvendis, sed & ad pœnitentiam recipiendis. Cùm melius esse judicarent, pœnitentiæ iter non inire, quàm *in ipsa pœnitentia aliquid facere, quod postea indigeret pœnitentiâ*, ut Ambrosius loquitur l. 2. de pœnit. c. 11. Ista etiam causa fuit Augustino dicendi: *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non irridentes, mutate vitam.* Ista denique causa, propter quam Concilium Agathense can. 11. statuit, *pœnitentiam juvenibus facilè committendam non esse, propter ætatis fragilitatem* tantam, ut à bonis propositis ingenii & ætatis mobilitate facilè & citò deficiant.

Salutari utique absolutionis dilatione, laboriosis pœnitentiæ operibus conjunctâ, sancti illi viri, divino lumine illustrati, pœnitentiæ stabilis & impœnitendæ firma jacere voluerunt fundamenta. Cujus oppositum faciunt, qui, præproperâ absolvendi facilitate, & levissimorum pro gravissimis delictis pœnitentiæ operum molli injunctione, causa sunt cur innumerabilium hodie Christianorum hominum vita, in perpetua confessionum & criminum vicissitudine consistat (quod profectò indignum est fidei majestate, & Evangelii sanctimoniâ:) suâ enim illâ facilitate mollitieque efficiunt, ut vim acerbitatemque morbi sui non sentientes ægroti, in illum reincidere denuò non reformident. Imò quasi *ludus* illis sit *peccando cadere in mortem*, inquit Augustinus serm. 34. de diverf. Dumque tam facilè & tam citò, cum modica & ferè nulla pœnitentia, sibi delicta dimitti malè præsumunt, istaque præsumptio ex eorum animis criminum memoriam abolet, lachrymas comprimit, gemitus sedat, divini judicii metum adimit, à Deo derelicti traduntur in passiones ignominiæ, in gravioraque & turpiora fœdissimè prolabuntur. Quæ omnia nostro hoc sæculo quotidie conspicimus. Et ideò Ambrosius ad illa verba Psal. 118. *de lege tua miserere mei: Vulnus* (inquit) *grande & tetrum perfectioris medicinæ remedia deposcit.... Citò enim refricatur, quod sanatum lege medicinæ non fuerit..... Ideòque bonus medicus hujusmodi ægrum legitimè dicit esse curandum.... Lege ergo miseretur, qui cum justitia sapientiaque miseretur... plerùmque enim non coërcere delinquentes, majoris austeritatis est, quàm si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominiæ, qui cùm aliquid injustum commiserint, nullum culpæ pretium ferunt.* 314

Sexta ratio fuit puritas magna, quam exegerunt in sumpturis Eucharistiam, ad quam quia festinant absoluti, S. Cyprianus in lib. de lapsis vehementer invehitur in eos, qui sic præcipitant absolutionem, ut peccatores, parvâ post gravius crimen temporis morâ interpositâ, sanctum Domini invadant, vim quasi inferentes corpori & sanguini Christi. 315

Cùm igitur omnes illæ rationes etiamnum militent, & eadem hodie Ecclesia sit, quæ fuit olim, idem hodie interior Ecclesiæ spiritus, qui fuit olim, idem hodie infallibile de fide & moribus judicium, quod fuit olim (quemadmodùm enim primis sæculis Ecclesia fuit columna & firmamentum veritatis; ita est & hodie, & futuris erit sæculis) sicut prioribus sæculis falli non potuit in suo judicio, quo cum Patribus passim omnibus judicavit de gravitate longè majore criminum post baptismum commissorum, quàm ante baptismum; de animarum vulneribus eâ ratione curandis (cum proportione) quâ curantur vulnera corporum; de plenæ conversionis dono (post graviora crimina) per magnas preces, gemitus, & opera pietatis, ordinariè paulatim, & gradatim impetrando; de non absolvendo, nisi quem Deus per gratiam compunctionis visitaverit, & visitasse innotuerit per dignos pœnitentiæ fructus; de non probanda pœnitentia, à qua citò & facilè receditur, uti nec Christianorum vita perpetuis confessionum & relapsuum circulis involuta; de magna puritate ad fructuosam Eucharistiæ sumptionem requisita, &c. Ita nec hodie falli potest, idem judicando. Et sicut certum est, eamdem hodie esse, quæ fuit olim, criminum gravitatem; eamdem sanctitatem Sacramentorum; eamdem difficultatem placandi Deum post graviora crimina; eamdem difficultatem post illa obtinendi plenæ conversio- 316

nis donum, &c. Ita certum est eumdem in substantia de his esse Ecclesiæ sensum, qui fuit olim, idem judicium, quod fuit olim. Quod enim olim judicavit, infallibiliter judicavit. Infallibile verò judicium suum Ecclesia numquam mutat. Quemadmodùm ergo infallibili judicio rationes suprà dictas olim approbavit; sic & hodie approbat.

317 Cùmque aliunde certum sit ea quæ in praxi requirit in administrante & suscipiente Sacramenta, conformia esse rectissimo infallibilique judicio, quod habet circa ista; nec minùs certum, judicium Ecclesiæ, de rebus eodem modo se habentibus, semper esse idem. Tandem ex his omnibus conficitur, certum esse, Ecclesiam, hisce sæculis, quantùm ex se, sive in quantùm non cogitur condescendere & dissimulare, propter infirmitatem & torporem filiorum suorum, eadem hodie requirere in administrante & suscipiente Sacramenta, quæ olim requisivit. Eadem (inquam) quantùm ad substantiam & finem intentum (cùm idem sit spiritus interior, idem proinde finis principalis ipsius; ab eodemque Spiritu sancto instruatur, & regatur) tametsi non requirat eadem quantùm ad hoc vel istud determinatum medium. Quo fit ut, licèt hodiè non exigat illas pœnitentiæ solemnitates, quas olim exigebat; nec ut peccator exerceatur in quatuor pœnitentiæ stationibus suprà dictis; nec ut tot annis subire jubeatur tot determinatè jejunia; tot annis interdictus sit à percipienda Eucharistia; neque ut ante reconciliationem & communionem divinæ justitiæ satisfecerit satisfactione plenâ, &c. sed determinationem mediorum relinquat arbitrio Sacerdotum, quibus commissum est reconciliationis ministerium. Eamdem tamen dispositionem interiorem requirit in peccatoribus ut absolvantur, & ut divinæ Eucharistiæ participes fiant: eamdem proinde sollicitudinem & animum ad illam acquirendam; ita ut hodie (sicut olim) peccatores totis viribus satagere debeant, ut per media convenientia, scilicet orationes, gemitus, & sui coram Deo humiliationes, à Deo impetrent plenæ conversionis donum, per quod dispositi fiant ad absolutionis beneficium, vi cujus exeuntes de statu peccati, transeant in statum filiorum Dei; sive interim iisdem per omnia quoad hoc mediis utantur, quibus olim, sive non: dummodò iis utantur, quæ fidei majestas, & oracula sacra requirunt, semperque proinde & ubique in Ecclesia practicata sunt. Unde tametsi ad plenam conversionem absolutè necessarium non sit, corpus involvi cilicio; enecari vigiliis, inediis, humicubationibus; cruentari flagellis, &c. (nec enim omnibus ista possibilia sunt, atque in his Ecclesia & sæcula variarunt) necesse tamen est, & semper fuit (regulariter loquendo) indulgere gemitibus, orationi insistere, mundi pompis renuntiare, peccatorum occasionibus & incentivis nuntium mittere, aliisque pietatis operibus diù multùmque pro peccatorum gravitate, multitudine, tenacitate, pulsare ad fores divinæ misericordiæ, pro obtinendo grandi illo plenæ conversionis dono. Quoad hoc enim numquam Ecclesia variavit; sed hæc è divinis Litteris didicit, Patres semper consenserunt, & præcipui Ecclesiæ Doctores etiamnùm consentiunt.

318 Atque ex his perspicuè apparet, quàm verè cap. 23. ex S. Borromæo, S. Bonaventura, &c. dixerimus, notitiam Canonum, & praxeos olim servatæ in curandis animarum morbis, animarum Directoribus, si non omninò necessariam, certè utilissimam esse, ut præ oculis habentes ea quæ ab antiquis Patribus requisita fuere vel practicata, debitam similium idæam forment, debitam utique idæam gravitatis peccatorum post baptismum commissorum; atque ex iisdem Canonibus discant quòd à gravioribus adeò facile non sit resurgere, plenæque conversionis donum à Deo obtinere, sicut varii Juniores docent; quòd donum istud multis precibus operibusque pœnitentiæ ac pietatis à Deo debeat gradatim impetrari; quòd ordinariè fidendum non sit momentaneis lachrymulis & gemitibus, nisi aliis pœnitentiæ signis, seu dignis pœnitentiæ fructibus vehementer adminiculentur; quòd eâ facilitate vera pœnitentia non peragatur, quâ putant multi, qui vel nullum, vel vix ullum molestæ pœnitentiæ laborem assumere volunt, ut à peccatorum vinculis (quibus adstringuntur) sese liberent; quòd plena conversio post graviora crimina ordinariè non sit negotium unius momenti vel horæ, &c. Cùm idem sit hodie Pœnitentiæ Sacramentum, eadem divinæ misericordiæ & gratiæ œconomia, eadem se à peccatorum vinculis plenè extricandi difficultas, eadem gratiæ & misericordiæ Dei ad plenè se extricandum necessitas, idem ordo providentiæ, &c. qui & quæ olim judicio Patrum fuerunt.

319 Et debitam quidem idæam gravitatis criminum post Baptismum commissorum Director animarum formare, pœnitentibusque imprimere potest & debet, attentâ gravitate canonicæ pœnitentiæ cuique graviori crimini olim impositæ, attento utique quòd peccator tantùm lugere debebat, & gravissimè pœnitere, diuturnisque & molestissimis jejuniis in pane & aqua, multis item & magnis humiliationibus, necnon exclusione à societate fidelium, & participatione Sacramentorum, imò & à conspectu divinorum mysteriorum affligi, priusquàm absolutionem & communionem impetrare posset. Attento denique quòd nonnulla ex illis adeò gravia plerique Patres reputarunt, v. g. puerorum stuprum, ut eorum reis ne in fine quidem absolutionem & communionem reddendam censuerint.

320 Insuper notitia illa animarum Directoribus utilissima, si non omninò necessaria est, ad hoc ut pœnitentes molestiam & labores pœnitentiæ, post graviora, imò gravissima crimina, abhorrentes, facilius induci queant ad acceptandam & alacriter implendam pœnitentiam, in comparatione pœnitentiæ olim pro similibus criminibus impositæ leviusculam. Ad quod multùm juvabit pœnitentibus ostendere, quòd æquè gravia hodie crimina sint, quàm olim, quòdque proinde æqualem pœnitentiam mereantur.

321 Sed & spiritus fortitudinis, relucens in sacris canonibus, præsique veterum Patrum, animare debet Confessarios ad eumdem spiritum imbibendum: ex notitia namque & lectione veterum canonum, dum vident quod olim Sancti fecerunt, accenduntur ad imitanda potiùs exempla fortitudinis Sanctorum, quàm mollitiei Juniorum. Cùm idem hodie sit (prout toties dixi) interior Ecclesiæ spiritus, qui fuit olim, eodemque proinde spiritu agi debeat Ecclesiæ Minister, seseque in tantum antiquitati conformare, in quantum proximi salus exigit.

322 Fructus ergo præcipuus, quem ex lectione veterum Patrum, canonumque, percipere debemus, est ut ex illis colligamus & hauriamus relucentem in eis interiorem Ecclesiæ & Sanctorum spiritum, debitamque idæam rerum, quas & nobismetipsis, & pœnitentibus imprimere nos oportet.

323 Et quia ex ipsis aliqua sunt, non solùm requisita lege Ecclesiasticâ, sed & ipsâmet lege æternâ, prout cap. 22. ostendimus, & hujusmodi censeri nequeunt abrogata, sed hodie æquè ac olim necessaria; æquè hodie, quàm olim, sunt à peccatoribus exigenda.

CAPUT XXV.

Peccatoribus misericors & justus Dominus peccata non remittit, nisi plenè sive toto corde

conversis : semiplena proinde conversio, seu displicentia de peccatis, ad peccatorum veniam non sufficit, sed plena requiritur.

324 DEmonstratur, quia peccatoribus Deus in sacris Litteris veniam non promittit, nisi sub hac conditione, si ad ipsum toto corde revertantur. Deuteron. 4. v. 29. *Cùm quæsieris Dominum.... invenies eum ; si tamen toto corde quæsieris eum, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Et c. 30. v. 1. 2. & 3. *Si ductus pœnitudine cordis tui... reversus fueris ad Dominum.... in toto corde tuo, & in tota anima tua, redimet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui.* 3. Reg. 8. v. 48. *Si reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua.... exaudies in cœlo... & propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te.* Joël. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et alibi sæpiùs.

325 Idem docent Patres, Cyprianus in lib. de lapsis: *Convertamur ad Dominum mente totâ ..... Ad Dominum toto corde redeamus.* Cæsarius hom. 1. *Principalia mala ingenti rugitu, & gemitu, & fonte indigent lachrymarum.... oportet, sicut super mortuum conclamatum, ita super extinctam animam dari planctus: & quomodò solet mater orbata super amissione unici filii sui fracto pectore lamentari..... necesse est super hanc unicam, mucrone confossam, totum pondus doloris effundi.* S. Thomas Supplem. q. 3. a. 1. *Peccatum, quod à fine ultimo avertit, super omnia displicere debet*; ex toto proinde corde. Eodem modo loquuntur cæteri.

326 Si peccator pœnitere debeat ex toto, adeòque pleno corde: per consequens pœnitere debet ex plena voluntate. Cùmque pœnitentia *ita demùm præparet ad remissionem peccatorum, si novæ vitæ propositum, & veteris odium contineat*, uti Tridentinum definit sess. 14. c. 1. sicut ipsa esse debet ex toto corde, plenaque adeò voluntate; sic vitæ veteris odium, & novæ propositum esse debet ex toto corde, & plena voluntate. Non enim ex toto corde pœnitet, qui ex toto corde vitam veterem non odit, novamque ex toto corde non promittit. Et nisi voluntas toto corde peccatum oderit, illudque peccator plenâ atque integrâ voluntate cavere velit, peccandi voluntatem ex toto non abjicit (quod tamen ad contritionem, etiam imperfectam, requirit idem Concilium, cùm dicit ibidem c. 4. quòd per eam, *si voluntatem peccandi excludat.... pœnitens.... viam sibi ad justitiam parat*) quandoquidem voluntas, seu amor peccati ex toto non abjiciatur, nisi per actum contrarium, atque incompatibilem cum tali voluntate & amore. Voluntas autem semiplena non peccandi, odiumque peccati semiplenum dumtaxat, secum compatitur amorem & voluntatem peccati; quemadmodùm voluntas semiplena surgendi, in pigro, secum compatitur voluntatem non surgendi, juxta illud : *Vult, & non vult piger.*

327 Unde Augustinus lib. 8. Confess. tria docet. 1°. se ex toto non abrupisse voluntatem & amorem peccati, quamdiù solùm habuit semiplenam voluntatem non peccandi, seque Deo dandi. 2°. duas in se contrarias fuisse voluntates, quamdiù voluntas ipsius se ad Deum convertendi semiplena permanit; unam scilicet peccandi, alteram peccato valedicendi. 3°. voluntatem peccato valedicendi tamdiù mansisse inefficacem, sive absque effectu, quamdiù plenè, integrè & ex toto id non voluit. Posteaquam enim dixisset, se voluisse convertere se ad Deum, ipsique servire, cap. 5. sic loquitur : *Sed velle meum tenebat inimicus, & inde* (id est per eam quam contraxeram peccandi consuetudinem) *mihi catenam fecerat, & constrinxerat me... Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus.... nondum erat idonea ad superandam priorem, vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova; illa carnalis, ista spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.... Cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur.* Capite verò 8. sic prosequitur : *In illa grandi rixa interioris domûs meæ... ego fremebam spiritu, indignans turbulentissimâ indignatione, quòd non irem in placitum & pactum tecum, Deus meus.* Quia tamen indignatio illa nondum plena erat & integra, nondum ex toto contrariam excludebat voluntatem. Volebat quidem Augustinus peccato ex toto valedicere, seque totum Deo dare; sed ex toto non fiebat quod volebat, quia ex toto non volebat, prout manifestè declarat c. 9. *Unde hoc monstrum, & quare istud? Imperat animus corpori, & paretur statim; imperat animus sibi, & resistitur... imperat animus, ut* plenè *velit animus, & non fit quod imperat.....* Quare ? Rationem subjungit dicens : *sed non ex toto vult, non ex toto imperat.... ideò non est quod imperat.* Unde infert : *non igitur monstrum, partim velle, partim nolle; sed ægritudo animi est: quia non totus assurgit, veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideò sunt duæ voluntates; quia una earum tota non est ; & hoc adest alteri, quod deest alteri. Sic ægrotabam* (addit cap. 11.) *donec* per plenam peccato valedicendi voluntatem, *abrumperetur totum* quod supererat de voluntate peccandi, *quo jam exiguo tenebar*, &c. Qualiter verò id factum sit, ibi & cap. seq. ostendit.

Certissimum proinde est quòd ad abjiciendam 328
ex toto peccandi voluntatem, necessaria sit plena & integra non peccandi voluntas, plenaque & capitalis à peccato aversio. Eam quippe requiri ad veniam in Sacramento recipiendam, constat tum ex laudatis Oraculis sacris, tum ex SS. Doctoribus, tum ex Tridentino citato, tum ex perpetuo Ecclesiæ sensu. Utpote quæ per undecim vel duodecim sæcula pœnitentium voluntatem, eorumdemque à peccato aversionem, nec tot laboribus, humiliationibusque, nec tanto temporis spatio explorasset, si ad contritionem cum Sacramento sufficientem non peccandi voluntatem plenam & fortem non requisiisset, sed semiplenam ac debilem sufficere censuisset ; si etiam non requisiisset plenum & capitale peccati odium, sed sufficere credidisset debile, ac semiplenum.

CAPUT XXVI.

Explicatur peccatoris plena conversio, ostenditurque quòd sit totius hominis interioris exteriorisque mutatio.

QUid sit peccatoris plena conversio, non ex 329
novitiis juniorum Casuistarum placitis, sed ex sacris Litteris, & Theologia Sanctorum discere nos oportet. Ex sacris verò Litteris n. 324. citatis, doctrinaque Sanctorum, plena peccatoris conversio rectè definitur, transitus ab amore prædominante creaturæ ad amorem prædominantem Dei, quo peccator interiùs exteriùsque totus immutatur : interiùs per odium detestationemque peccati ; exteriùs per illius fugam, novamque vitam, legi Dei conformem. Per quid enim homo fit peccator, nisi per amorem prædominantem creaturæ, quo creaturam præfert Deo, magis amans creaturâ frui, quàm Deo, sicque Dei amorem abjiciendo ne regnet in corde ipsius, juxta illud 1. Reg. 8. *Me abjecerunt, ne regnem super eos.* Et Hierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ*

vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, &c. Et Luc. 19. *Nolumus hunc regnare super nos*? Atqui omnis conversio mutationem sonat in oppositum. Mutari ergo in amorem oppositum debet amor peccatoris, ut plenè convertatur. Igitur mutari debet in amorem prædominantem Dei, prout divina Scriptura requirit in locis allegatis, dum ad conversionem requirit *toto corde Deum quærere, in toto corde reverti ad Dominum*, &c. Neque enim toto corde Deum quærit, nisi qui toto corde amat. Siquidem corde Deus non quæritur nisi amando; toto proinde corde non quæritur nisi toto corde amando, quod est amore prædominante amare. Ergo plena peccatoris conversio rectè definitur, *transitus ab amore prædominante creaturæ, ad amorem prædominantem Dei*. Ideò verò additur, *quo peccator interiùs exteriùsque totus immutatur*, &c. Quia & hoc ad plenam conversionem peccatoris divina Scriptura requirit. Isaiæ namque 1. dicitur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* (ibi mutatio est interioris hominis) *quiescite agere perversè, discite benè facere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam* (qui contrarium antè faciebatis) hîc mutatio hominis exterioris. Similiter Hierem. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium vestrorum* (ecce mutatio interior) .... *accingite vos ciliciis, plangite & ululate*, &c. ecce mutatio exterior. Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris..... projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis*. Sicque mutate vitam; sed *ante omnia facite vobis cor novum, & spiritum novum*: quia ad cor novum, nova vita sequitur, sicut & ad plenam mutationem interioris hominis, plena mutatio hominis exterioris.

Ante Prophetas istos Samuel 1. Reg. 7. dixerat: *In toto corde vestro revertimini ad Dominum* (& sic mutate cor) *auferte Deos alienos de medio vestrûm, Baalim & Astaroth*; hoc pacto mutantes vitam exteriorem. Ubi ergo plena conversio, ibi totius hominis, interioris exterioris que mutatio. Idque apertè etiam insinuat Apostolus Rom. 6. dum peccatores conversos, seu potiùs eorum conversionem describens, exemplo Christi per Resurrectionem transeuntis de morte ad vitam, eos hortatur ut similiter transeant à peccato ad justitiam, & ut peccatum, sive amor prædominans creaturæ in ipsis ampliùs non dominetur: *Christus* enim *resurgens à mortuis, jam non moritur; mors illi ultrà non dominabitur*. Et *qui mortui sumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo*? *Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quomodò Christus surrexit à mortuis.... ita & nos in novitate vitæ ambulemus..... Hoc scientes, quia vetus homo noster*, interior & exterior, *crucifixus est, ut destruatur opus peccati, & ultrà non serviamus peccato.... scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultrà non dominabitur.... Ita & vos existimate mortuos quidem peccato, viventes autem Deo.... Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, id est exteriori homine, *ut obediatis concupiscentiis ejus*. Sed *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*.

Et ratio idipsum confirmat: quia ut peccator plenè convertatur, debet ei amarum sapere in animo, quod antè dulcissimum sapiebat; & quod oblectabat in corpore, in mente jam cruciet, ut Augustinus, & alii Patres docent. Exempli gratiâ, ut homo impudicitiæ vel ebrietati antè deditus plenè convertatur, debet ex toto corde dolere de impudicitiis vel ebrietatibus commissis, easque ex toto corde detestari & odisse; ideòque toto corde proponere, se quodvis malum subiturum potiùs quàm ad pristinas impudicitias vel ebrietates revertatur. Si autem hoc faciat ex toto corde, eo ipso interiùs exteriùsque totus est immutatus.

Totus namque immutatus est interiùs, sive corde & affectu, ut per se patet; jam enim toto corde & affectu detestatur & odit, quod antè toto corde amabat & amplectebatur. Ad totalem verò immutationem cordis, sive affectûs principalis & in corde dominantis, cæteri affectus illum consequentes, eique subservientes immutantur. Per consequens voluntas, quæ priùs de impudicitia vel ebrietate gaudebat, jam de illa toto corde tristatur & dolet: quia illam, quam antè toto corde amabat, toto jam corde detestatur. Fit ergo objectum doloris & tristitiæ, quod priùs objectum erat gaudii & lætitiæ; & contrà fit objectum gaudii ac lætitiæ, quod antè objectum erat doloris ac tristitiæ. Et sic de aliis affectibus. Quia videlicet odio jam habetur & horrori, quod antè diligebatur, & desiderabatur. Fit igitur totalis mutatio amoris, gaudii, doloris, tristitiæ, reliquorumque affectuum internorum. Fit proinde totalis mutatio hominis interioris.

Porrò ex mutatione totius hominis interioris sequitur mutatio totius hominis exterioris; mutatio proinde totius vitæ. Hæc quippe fructus est, effectusque naturalis illius. Quia scilicet homo exterior regitur ab interiori, sequiturque imperium ipsius, dum homo interior plenè, sive ex toto imperat, prout n. 327. vidimus. Neque est qui hoc revocare possit in dubium quoad id quod in homine exteriori liberum est ac voluntarium. Cùm tota libertas & voluntareitas hominis exterioris, ipsi ab interiori homine proveniat, & appetitus exterior subditus sit imperio appetitûs interioris, sicut scriptum est: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, Genes. 4. Tunc proinde solùm homo exterior non sequitur ad imperium hominis interioris, dum ex toto seu plenè non imperat, prout Augustinus ibidem docet. Et idem implicitè Gregorius dicit, dum l. 2. in 1. Reg. c. 3. dicit, quòd *conversio peccatoris est.... in renovatione interioris hominis, cùm peccatori, jam divinâ inspiratione correcto, & malum displicet quod amavit; & bonum placet quod odit*. Quia, ut proximè dixi, ad renovationem interioris hominis, si plena sit, atque ex toto corde, renovatio sequitur hominis exterioris. Quod & ampliùs conficitur ex dicendis cap. 27. & 37. §. 2.

CAPUT XXVII.

Ex sanctis Doctoribus explicatur plena sese emendandi voluntas, ad plenam conversionem requisita.

PLena voluntas, juxta sanctos Doctores, Augustinum & Aquinatem, illa est quâ fit quod volumus, dum in potestate voluntatis est quòd fiat. Quæ quidem propositio probatur 1°. quia dum voluntati conjuncta est potestas, nihil obstat, ne fiat quod voluntas vult, nisi quia plenè, sive ex toto non vult, prout Augustinus tradit l. 8. Confess. c. 9. *Unde hoc monstrum, & quare istud? Imperat animus corpori..... ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium.... Imperat animus sibi.... & non fit quod imperat*. Audi causam: *sed non ex toto vult. Non ergo ex toto imperat. Nam.... in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult... Non utique plena imperat. Ideò non est quod imperat. Nam si plena esset... jam esset quod imperat.*

337 2°. quia S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 4. sic habet: *Non est perfecta, id est plena, voluntas, nisi sit talis, quæ opportunitate datâ operetur.* Ad operationem namque, ubi non deest potestas, solâ opus est plenâ & perfectâ voluntate, ut Chrysostomus ait Prolog. in Joan. *Videsne solâ nobis opus esse voluntate? voluntate (inquam) non qualibet, & vulgari; sed exquisitâ*, id est integrâ, forti & efficaci *Quodcumque enim* tali voluntate *imperavit sibi animus, impetravit*, ait Seneca.

338 3°. quia, ut ibidem S. Thomas præmisit, *omnis inclinatio, vel motus perficitur in hoc quòd consequitur finem, vel attingit terminum*, in quem tendit. Omnis ergo voluntas perfecta seu plena consequitur finem, quem plenè vult, si possit. Unde Opusc. 16. p. 2. c. 3. (si tamen istius Opusculi S. Thomas sit Author) plenam describens voluntatem, *plena voluntas* (inquit) *aut est respectu habiti, aut respectu habendi. Si respectu habendi, quidquid actuali, absolutâ, & plenâ voluntate mihi volo, id, si possum mihi acquirere, acquiro*, nulla negligens media ad id absolutè vel respectivè necessaria. *Item ejus oppositum nolo; & ideò, si possum effugere, effugio..... Quod verò habitum plenâ voluntate mihi volo, id, si possum conservare, conservo. Et quantò voluntas plenior, tantò sollicitudo conservandi diligentior.*

339 4°. id quod sancti illi Doctores asserunt, fundamentum habet in Scriptura: scriptum est enim Luc. 1. *Esurientes*, id est magnum, plenumque, & integrum desiderium justitiæ habentes, *implevit bonis.* Et Matth. 5. *Beati qui* taliter esuriunt & *sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Ecce Deus desideratam justitiam dat, eam plenè atque integrè desiderantibus, sive esurientibus, ac sitientibus. Quisquis igitur eam non habet, sive eâ non saturatur, ideò est quia eam plenè & integrè non desiderat, nec esurit, nec sitit. Nec enim taliter desideranti, esurienti, sitienti Deus deest. Si Deus illis non deest, nec potestas deest. Si nec Deus deest, nec potestas; nec tamen fiat, quod homo desiderat, esurit, ac sitit; sola ergo plena voluntas, plenum desiderium, plena fames ac sitis illi deest.

340 5°. iste est communis hominum sensus, in singulis humanæ vitæ officiis. Neque enim homines censent, eum plenè, atque ex toto corde velle, qui non facit, quod se velle dicit, si in potestate ipsius sit ut fiat. Quippe ub duo solum requiruntur, ut aliquid fiat, potestas scilicet & voluntas, nemo non credit plenam voluntatem deesse, dum non fit, id ad quod non deest potestas. Quis enim credit, diviti plenam adesse voluntatem dandi mutuum, aut eleëmosynam petenti, si non det, dum dare potest?

341 Ex his manifestè concluditur, Confessarium non posse nec debere credere, plenam sese emendandi voluntatem adesse peccatori, qui, cùm possit, sese non emendat, vel necessaria ad emendationem media negligit. Nam qui potest ad finem optatum pervenire, nihil negligit, nihil ad id necessarium non facit, si plenè vult. Nihil enim negligit, nihil non facit miles ad gloriam acquirendam, vel conservandam, dum plenè atque ex toto corde vult eam acquirere, vel conservare. Nihil etiam negligit, nihil non facit avarus ad congregandum vel conservandum aurum, dum id plene vult. Nihil negligit, nihil non facit infirmus ad sanitatem, mendicus ad eleëmosynam consequendam, dum id plenè vult, &c. Si ergo peccator plenè atque ex toto corde vellet se emendare; similiter nihil negligeret, nihil non faceret, ut se tandem emendaret. Maximè cùm pari, imò majori ardore, atque efficaciâ sui emendationem per mandatorum custodiam prosequi debeat, quàm miles gloriam, avarus aurum, infirmus sanitatem, mendicus eleëmosynam, &c. Mandatorum quippe custodia diligenda est super aurum & topazion, super humanam gloriam, super corporis sanitatem, super vitam ipsam, & super bona quæcumque temporalia. Ubi igitur peccatoris non apparet emendatio, humana præsumptio est, medium aliquid ad id necessarium neglexisse, cùm potuisset non negligere: emendationem proinde plenè atque ex toto corde non voluisse.

Hinc quia concubinario medium ad emendatio- 342
nem necessarium est ejectio concubinæ, plenè atque ex toto corde non creditur velle emendationem, nisi plenè atque ex toto corde velit concubinam ejicere; quam si ejicere neglexerit, humana præsumptio est, quòd eam ejicere, seseque emendare plenè atque ex toto corde non voluerit. Cùm enim ad propositum finem perveniri nequeat nisi per media ad id necessaria; perspicuum videtur, quòd plenâ voluntate non velit finem, qui plenâ voluntate non vult media necessaria ad finem. Quâ ratione Christiani innumeri ex hoc ipso convincuntur plenâ voluntate pervenire non velle ad patriam, id est vitam æternam, dum plenâ voluntate ambulare non volunt per arctam viam, quæ sola ducit ad vitam. Nam, ut Augustinus tr. 28. in Joan. ait: *qui recusat viam, quid requirit patriam?*

Ne ergo facilè credas, concubinario plenam 343
adfuisse concubinam ejiciendi voluntatem, si, post pollicitationem de ea ejicienda, pollicitationi non steterit. Non enim præsumitur toto corde, plenâque voluntate promisisse, qui, cùm potuit, promissum non præstitit. Idem applica recidivis, qui promiserunt hæc vel illa media, ad cavendum relapsum necessaria adhibere, si promissis non steterint.

Nec dicas, ipsos habuisse quidem plenam me- 344
dia illa adhibendi, seseque emendandi voluntatem, dum promiserunt, sed eam postmodùm ex humana inconstantia mutasse. 1°. quia plena sese emendandi voluntas utplurimùm solet esse constans, hoc saltem sensu, quòd facilè & citò mutari non soleat. Plena quippe voluntas, juxta Augustinum suprà relatum, non est voluntas debilis, languida & semisaucia; sed integra, fortis & robusta. Talis autem voluntas facilè & citò non deficit; quia transit in affectum cordis. Quam ob causam avaritiæ & impudicitiæ peccata in avaris, impudicis, &c. facilè & citò non deficiunt, quia, ut Psalmo 72. dicitur, *transierunt in affectum cordis*, propter plenam scilicet & fortem iis immorandi voluntatem.

2°. ratio cur Judæi fuerunt inconstantes in bo- 345
no, seu Dei obsequio, est quia Deo ex amore non servierunt sed ex timore; ideòque non ex toto corde (neque enim ex toto corde fit, juxta Augustinum, quod fit ex timore pœnæ, non ex amore justitiæ:) propterea ergo de iis Psal. 105. dicitur: *Citò fecerunt, obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt*, id est constanter non tenuerunt, *consilium ejus.* Inconstantia igitur hominis in bono, à quo quispiam facilè & citò deficit, non est in bono quod ex toto vult corde, plenâque voluntate; sed quod ex toto corde non vult. Nam qui ab eo citò deficiunt, illud ex toto corde se non voluisse demonstrant, uti Gregorius Magnus ait 8. Moral. 24. *Bona se non ex corde toto tenuisse ipsi testes sunt, qui hæc citò dimiserunt.* Si enim bona toto corde tenuissent, hæc citò non dimisissent, tametsi vitro fragiliores. Quia, ut Augustinus dicit homil. 28. inter 50. nunc serm. 17. c. 7. *vitrum, etsi fragile est, tamen* diligenter *servatum diù durat.* Siquidem *invenies calices ab avis & proavis, in quibus bibunt nepotes. Tanta fragilitas custodita est per annos.*

3°. homo inconstans non est in solo emen- 346

dationis negotio, sed in quocumque alio. Quemadmodùm ergo in nullo alio negotio tanta est hominis inconstantia, ut facilè & citò recedat ab eo quod semel plenè atque ex toto transiit in affectum cordis, nisi fortis aliqua ratio in contrarium occurrat, vel præsentes circumstantiæ mutentur. Ita nec in emendationis negotio tanta est hominis inconstantia, ut facilè & citò mutet emendationis voluntatem, quam plenè atque ex toto transire fecit in affectum cordis. Cùm nulla ad id fortis ratio occurere possit, nec aliis ad id illecebris sollicitetur. Sed sicut iisdem, quibus antcà, tentationibus recidivus exagitatur; sic per easdem causas, sub iisdem motivis, à peccato revocetur, quibus antecedenter excitatus, peccato valedicere decreverat. Est enim idem Deus qui prohibet, idem infernus quem comminatur, idem paradisus quem promittit perseveranti in bono, &c. Cùm igitur omni alio in proposito, plenè atque ex toto corde concepto, stantibus iisdem motivis, & circumstantiis, homo tempore notabili constans esse soleat; credibile non est, in solo emendationis proposito adeò inconstantem esse, ut, stantibus iisdem motivis, ac circumstantiis, ab eo facilè & citò deficiat. Dum igitur facilè & citò deficit, longè probabilius est, voluntatem ipsius non fuisse plenam, propositumque ex toto corde conceptum non fuisse, quàm ex toto corde conceptum facilè & citò mutatum fuisse.

CAPUT XXVIII.

Explicatur & plenum peccati odium, ad eandem necessarium.

347 QUemadmodùm ex dictis cap. 25. ad commissorum criminum veniam necessaria est conversio peccatoris ad Deum ex toto corde; ita & aversio à peccato mortali ex toto corde. Per consequens necessarium est ingens & capitale peccati mortalis odium, quo illud plenè atque ex toto corde super omne odibile ac detestabile oderimus ac detestemur. Siquidem malum est objectum odii, sicut bonum est objectum amoris. Sicut ergo quantò majus est bonum, tantò majori est amore prosequendum; ita quantò majus est malum, tantò majori prosequendum est odio. Peccatum verò mortale malorum omnium maximum est, adeò ut ne ipsa quidem ignis æterni gehenna cum malitia peccati mortalis comparanda sit. Maximo igitur odio est prosequendum, ita ut de eo fine horrore vehementi ne cogitare quidem possimus; sicut nec de gehenna illa; & non solùm ipsum, sed & quidquid ipsius nobis causa fuit, vel instrumentum, nobis horrori sit; sicut juveni uxori horrori est crudelis trucidator dilectissimi mariti sui, & quidquid causa fuit, vel instrumentum trucidationis ipsius. Hinc est enim quòd *contritionem* in omni statu necessariam, *sancti Patres peccati detestationem atque odium definiunt supra omne quod odio haberi potest*, inquit Ludovicus Granatensis conc. 2. de Pœnit.

348 Quid enimverò est mortale peccatum? Audi peccator, & contremisce: nec enim poteris vehementem de eo horrorem non concipere, vindictamque magnam in ipsum non decernere, si attentâ mente recogitaveris, quid feceris, dum illud commisisti, v. g. fornicando, adulterando, impudicitias exercendo, comessationes & ebrietates sectando, inimicum odiendo, &c. Quippe hoc faciendo, creaturæ Deum, summum utique bonum bono viliissimo postposuisti, eligens creaturâ potiùs frui quàm Deo. Horribilis est ista electio. *Væ animæ audaci* (ait Augustinus) *quæ speraret, si à te recessisset, se aliquid melius habituram.*

2°. imò Deo diabolum prætulisti, de Deoque ipsum quodammodò triumphare fecisti. Ut 349
enim Tertullianus de pœnit. c. 5. *non leviter in Dominum peccat, qui cùm æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem regressu suo erigit.... nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit.*

3°. per mortale peccatum, fœdus in baptis- 350
mate cum Deo initum violasti, filiique Dei, fratris Jesu Christi, hæredis cæli prærogativam abjecisti, ut hæres esses possessorque sæculi, filiusque & mancipium diaboli.

4°. Filium Dei conculcasti, sanguinem, re- 351
demptionemque ipsius contempsisti, & Spiritui gratiæ contumeliam fecisti. Scriptum est autem: *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Hebr. 10.

5°. *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus* 352
es Domini Creatoris tui. Deuteron. 32. v. 18. *Dereliquisti Deum factorem tuum, & recessisti à Deo salutari tuo.* Ibid. v. 15.

6°. Cassum reddidisti omne super te consi- 353
lium misericordiæ Dei, inutilesque effectus omnes illius, dum gratiam justificantem, atque adeò filiorum Dei adoptionem, cælestemque gloriam volens amisisti, Deumque abjecisti ne regnaret super te, & dereliquisti fontem aquæ vivæ, ut *foderes tibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

7°. Dei legem, peccata prohibentem, infer- 354
nique supplicio punientem, adeòque Deum ipsum contempsisti, & quantum in te fuit destruxisti, dum ei subditus esse noluisti; imò optasti ut non esset, qui quod velles, te facere prohiberet; non esset etiam, qui te peccantem puniret.

Hæc fecisti, & non horreas vehementer teipsum! 355
non tibimet indigneris! non fremas & frendeas contra stupendam ingratitudinem, cæcitatem, turpitudinem & impudentiam tuam! Si sic affectus non sis, peccatorum tuorum gravitatem, & quid sit Deum (tantum benefactorem tuum) offendisse, nequaquam agnoscis. Si enim agnosceres, capilli omnes capitis tui perhorrescerent ad solam cogitationem, quâ recogitares, quomodò fieri potuerit, quòd tu, creatura rationalis, datâ tibi ratione adeò abuti potueris, ut vel ad minimum ejusmodi flagitium committendum determinare teipsum potueris. Hoc est enim quod S. Maria Magdalena de Pazzis comprehendere nunquam potuit, quomodò utique ad rem tam horribilem creatura rationalis teipsam determinare posset.

Jam verò si tanto odio & horrore peccatum 356
mortale sit prosequendum & persequendum, fieri certè vix aut ne vix quidem potest, ut qui tanto illud odio prosequitur, facilè & citò illud repetat; sicut fieri vix potest, ut juvenis vidua cum crudeli dilectissimi sui mariti trucidatore, quem summo & capitali odio prosequitur, facilè & citò reconcilietur.

Per consequens vix aut ne vix quidem credi 357
prudenter potest, peccatorem illum plenum hujusmodi odium, plenamque peccati detestationem concepisse, qui facilè & citò cernitur in illud reincidisse. Quis enim cum hoste infensissimo post plenum & capitale odium, citò in gratiam redit? quis tenerrimo ipsum amore citò complectitur? quis se ipsi in servum & mancipium citò voluntariè tradit, uti se tradit peccator in servum & vile peccati mancipium, juxta illud Joan. 8. v. 51. *Qui*

facit

facit peccatum, servus est peccati? Certè vidua, de qua proximè, à nullo sapiente crederetur plenum & capitale odium contra mariti sui trucidatorem ex toto corde concepisse (tametsi aliquod illius specimen verbis, ejulationibus, querimoniis & clamoribus exhibuisset) si facilè & citò, puta tertio, vel quarto, vel sexto post trucidationem die, trucidatori illi reconciliata, seipsi in uxorem tradidisset; sed id totum ab omnibus, vel simulatè, vel saltem ex toto corde non processisse crederetur. Idem ergo de peccatoribus credendum, qui licèt verbis, ejulatibus, & protestationibus multis plenum se de peccatis odium concepisse in speciem demonstrent, cum illo facilè & citò, nimirùm quarto, vel sexto post Confessionem die, in illud reincidentes, se illi rursus in servos & mancipia tradunt.

CAPUT XXIX.

Pleni odii peccatorum, plenæque proinde conversionis, seu pœnitentiæ signa, seu effectus ex Apostolo 2. Cor. 7. recensentur.

358 Sicut ex fructibus arbor, sic ex effectibus voluntas plenè conversa, plenoque odio peccata detestans cognoscitur. Quemadmodùm enim vera charitas, sic vera conversio ac pœnitentia esse nequit otiosa, sed in opera convenientia prorumpit. Unde quod Gregorius de charitate dicit, *operatur magna, si est; si autem operari renuit, non est:* hoc & de peccatoris conversione ac pœnitentia dicendum. Neque enim pœnitentia verbalis, superficialis, & otiosa, pœnitentia vera est, vel saltem non plena, neque eâ contentus est Deus; sed sicut per Joannem de charitate dicit, *filioli, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate*, opere utique charitatis nostræ veritatem demonstrantes; sic & de pœnitentia dicere intelligitur: Peccatores, *non pœniteat vos verbo, neque linguâ, sed opere & veritate*, faciendo utique id quod Matth. 3. jubet: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Hosce fructus Apostolus loco citato recensct, dicens: *Quæ secundùm Deum tristitia est*, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, Græcè *pœnitentiam impœnitendam*, id est à qua pœnitens facilè & citò non recedit. Quod probat ex effectibus quos producit: *Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.*

359 Hæc sunt ergo, quæ (secundùm Apostolum) operatur pœnitentia secundùm Deum, si plena sit, sive ex toto corde.

Primò namque operatur *sollicitudinem*, illam scilicet de qua Mich. 6. *Indicabo tibi .... quid Dominus requirat à te, utique facere judicium & justitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*, sollicitudine magnâ cavendo relapsum, sive divinæ Majestatis offensam, ait Dionysius Carthusianus de arcta via salutis, in procem. addens, quòd *ad hanc timoratam, & sollicitam cum Deo conversationem hortatur nos Paulus, dicens:* "Cum „ metu & tremore salutem vestram operamini." Hieremias quoque, cùm ait: "Maledictus, qui „ facit opus Dei negligenter.

Secundò operatur *defensionem*, id est præcautiones & præmunitiones necessarias ad vitandum relapsum.

Tertiò *indignationem*, quâ scilicet *indignatur homo sibimetipsi*, id est horret & fremit contra seipsum, quòd tam pravè egerit, prout Hilarius Sardus, B. Lanfrancus, Remigius Antisiodorensis, & Dionysius Carthusianus exponunt ad eum Apostoli locum.

Quartò *timorem*, non solùm divini judicii, infernalisque tormenti, sed maximè iterationis peccati. Verè namque pœnitens vehementer timet incidere in manus Dei, & reincidere in foveam peccati, ait idem Dionysius Carthusianus ibidem.

Quintò *desiderium* magnum, seu propositum firmum, & voluntatem plenam emendationis.

Sextò *æmulationem*, seu zelum, quo peccator irascitur sibi, & iis qui ipsum ad peccandum induxerunt.

Septimò *vindictam.* Quia, ut B. Lanfrancus 360
ait, vindictam operatur pœnitentia vera, dum pœnitentes *quod deliquerunt vindicant* in seipsos. Enimverò, ut Hilarius Sardus (sub Ambrosii vel Ambrosiastri nomine vulgò erroneè citatus) *necesse est ut* peccator *vindicet eum, cujus erga se sentit affectum. Et in seipsum vindicat, qui se causâ delicti affligit.* Per vindictam ergo intelligitur punitio peccati. Qui enim veraciter pœnitet, peccatum commissum in seipso puniendo ulciscitur, *infligendo sibi pœnam, secundùm culpæ mensuram*, ait Dionysius Carthusianus.

Isti sunt igitur effectus, quos vera plenaque operatur, & ex quibus proinde cognoscitur pœnitentia. Unde S. Thomas Villanovan. conc. in fer. 6. post Domin. 4. Quadrag. *Apostolum* (inquit) *audiamus. Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, indignationem, vindictam. Hæc omnia bona, tristitia quæ secundùm Deum est, operatur in homine*, si plena sit. Et qui sic affecti non sunt, grandem peccatorum suorum malitiam, & quid sit Deum offendisse, non recognoscunt. Tametsi enim absque vindicta & punitione externa (utpote ob temporis & virium defectum subinde impossibili) pœnitentia esse possit vera & plena; indignatio tamen, ac per consequens appetitus vindictæ jam dictus, seu desiderium & votum, bonaque voluntas eam pro mensura peccatorum suorum, ac virium corporis & animæ præstandi, ad pœnitentiæ veritatem ac plenitudinem est omnimodè requisita, uti latiùs ostendemus, dum de satisfactione agemus.

Porrò si *hæc omnia operatur in homine tristitia,* 361
seu pœnitentia, *quæ secundùm Deum est*, dum vera est, ac plena. In iis ergo hominibus, in quibus ea non operatur, vel vera non est (saltem in oculis hominum) vel certè non plena. Et hoc valdè notandum, ut Confessarius prudenter judicet de magnorum peccatorum, maximè recidivorum consuetudinariorumque conversione & pœnitentia vera ac plena. Cùm enim interna peccatorum conversio ipsi nota non sit in seipsa, sed soli Deo (cui soli manifesta sunt secreta cordium, & qui, ut Origenes ait l. 2. in epist. ad Rom. *solus est qui secundùm veritatem*, quæ nunquam deficit, *potest habere judicium*) ipsi solùm nota esse potest per signa externa, ex quibus homines prudentes de occultis dijudicare solent. Inter signa verò externa pœnitentiæ veræ ac plenæ, nulla sunt minùs fallacia quàm opera, quæ efficere solet pœnitentia vera ac plena: cùm cætera signa absque operibus, maximè absque emendatione, nimis fallacia sint, uti demonstrabitur in sequentibus. Opera verò illa, ab Apostolo recensita, absque emendatione esse non solent. Cùmque Confessarius de pœnitentis sui vera ac plena pœnitentia habere non possit certitudinem physicam, & infallibilem, sed moralem dumtaxat, vel (ut benè Illustrissimus D. Episcopus Atrebatensis in sua Instructione cap. 3.) *fiduciam rationabilem, signis solidis & vehementibus innixam*; nec verba, vel momentanei gemitus dictorum peccatorum sint ejusmodi signa (utpote nimis sæpè fallentia, ut experientia docet) solidiora certè non supersunt, nec vehementiora, nec minùs fallentia, quàm

opera illa, cum emendatione conjuncta. Ad ea proinde Confessarius attendere debet, ut munere suo fideliter & prudenter fungatur. Sed ista omnia uberius, uti dixi, demonstrabuntur in sequentibus.

CAPUT XXX.

Pœnitentia vera & plena, magnorum præsertim peccatorum, de peccatis commissis pœnas exigere, & laboriosa esse debet.

362 SEquitur ex proximè dictis, ex eo utique quòd operetur in homine peccatorum *vindictam*. Necnon ex eo quòd *à punitione* (ut S. Isidorus ait in exhort. ad pœnit.) *pœnitentia nomen accepit, quasi punitentia, dum ipse homo punit pœnitendo quod malè admisit. Nam* (inquit l. 6. origin.) *nihil aliud agunt, quos veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerunt, impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcit, justumque judicium nullus contemptor evadet.* Quod & totidem verbis Augustinus dicit epist. 158. Unde & Author lib. de ver. & fals. pœnit. c. 19. sub Augustini nomine citari solitus, *Pœnitere* (inquit) *est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando.* Et paulò post: *Pœnitentia est vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse.* Idque velut Augustini oraculum tradunt Magister lib. 4. dist. 14. Gratianus dist. 3. c. *pœnitentia*, cùmque ipsis Theologi & Canonistæ passim omnes. Unde & Tridentinum sess. 14. c. 2. dicit, quòd post innocentiam baptismalem aliquo crimine amissam, *ad plenam & perfectam peccatorum remissionem.... per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus; ut meritò pœnitentia laboriosus quidam baptismus à SS. Patribus dictus fuerit.*

363 Ad quæ sacri Concilii verba " quisquis animum advertere voluerit " (ait Illustrissimus Atrebatensis ubi suprà c. 2.) " non poterit non „ deprehendere.... paucissimas esse inter Christianos pœnitentias, quæ notas præferant, quas hîc „ exigit Synodus, ut veræ sint. Adeòque plerasque „ earum, quibus hoc nomen tribuitur, non esse nisi pœnitentiarum species & phantasmata. Proinde dici posse, nunquam in Ecclesia fuisse tam „ paucos pœnitentes veros, etsi nunquam fuerint „ & confessiones magis iteratæ, & absolutiones „ frequentiores.

364 „ Verùm si à pœnitentibus convertamus oculos ad illorum Directores, qui ipsis Sacramentum reconciliationis & gratiæ (quæ una ipsis superest post innocentiæ naufragium salutis tabula) administrant; potestne non observari pari „ admiratione & dolore, quàm pauci ministerio „ suo fideles sint, cùm certè difficillimum sit, aut „ potiùs omninò impossibile, verba Concilii, quæ „ jam recitata sunt, cum ignava illa ac molli innumerorum Confessariorum directione conciliare? A quibus utique peccatores, in Sacramento Pœnitentiæ ducuntur per viam suavem, „ gratam, inter medias voluptates, & delicias sæculi, nullo injuncto labore. Nam illorum pœnitentia, cùm absque laboribus sit, vera pœnitentia non est; & qui illos per vias istas ducunt, cæci sunt, & duces cæcorum.... qui aut „ metu fortè displicendi, aut ignavâ spe commodi, scientes & volentes illos perdunt. "Siquidem „ hanc *per fletus & labores* directionem, ut alibi „ dicit Synodus, *divinæ justitiæ ratio exigere videtur.* Sed quia illa vel peccatoribus, mundo „ & carnis voluptati addictis, vel pœnitenti isti „ ignavo non congruit, sufficit hoc sæculo nostro corrupto ut non observetur.

Sanè (aiunt Tridentini Patres) *& divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo ingratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam Clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione, seu punitione, peccata dimittantur, ut occasione acceptâ peccata leviora putantes, vel ut injurii & contumelioſi Spiritui sancto, in graviora labamur.* " Decet " insuper " ut intelligat " peccator " juxta S. Augustinum, ludum " non esse, Deum contemnere, & creaturam ipsi " præferre. Decet, juxta S. Gregorium, ut ultrò renuntiando voluptatibus licitis, reparet ini- " quitatem, quâ se infeliciter tradidit illicitis. Hæc " absque dubio dispositio est, quâ culpam repa- " rare deberet verus & sanctus pœnitens, & ad " quam eum ducere deberet bonus Director. Ve- " rùm etsi istam agendi rationem exigat divina " justitia; non continuò eam exigit commodum " Directoris, qui timet pœnitentem suum à se a- " lienum reddere; non eam exigit naturæ pro- " pensio; non teneritudo fœculi. Ideòque eam " non amplectimur. " Imò ratiunculas & cavillationes excogitamus contra argumentum ex Tridentino deductum. At frustrà, uti cap. 41. ostendemus.

Alio argumento, ex Historia Ecclesiastica petito, 365
Illustrissimus Atrebatensis probat, pœnitentiam necessariam ad impetrandam admissorum criminum veniam esse debere laboriosam. " Novatiani " (inquit) " quos iniqui & immode- " rati rigoris spiritus ab Ecclesia separavit, cùm " olim quererentur de indulgentia, quam pecca- " toribus verè se convertere volentibus Ecclesia " exhibebat, dando eis, quorumcumque crimi- " num rei forent, pœnitentiam, modò eam ex- " plendam susciperent, ac deinde, ubi eam ex- " pleverant, veniam concedendo. Novatiani " (inquam) dicebant probari crimina, dum ita " facilè remittebantur: *qui sæpiùs*, aiebant, *re- " medium criminis monstrat, crimen ostendit.* " Respondebat illis Ecclesiæ nomine S. Episcopus Pacianus epist. 3. *Fortasse paterer hoc credi, si pœnitentia deliciæ putarentur, cui tantus labor impenditur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lachrymæ, cui gemitus sempiterni.* " Inde ostendens periculum non esse, ne pœnitens, tam " durè habitus, ad peccatum redeat, iterùmque " se subeundis pœnis illis & laboribus subjiciat; " concludit enim: *Volet ergo ille sanatus iterùm secari, rursus exuri?*

Quid hoc sæculo objectioni illi respondere " possent, qui in iniquo se fundantes abusu, eam " rationem tenent, quæ, juxta sanctum illum Præ- " sulem, si in Ecclesia stabilita foret, esseque " menti illius conformis, justas esse probarent il- " lorum hæreticorum querelas; quas ipse tam di- " sertè verbis mox relatis condemnat? Sed quò " non progreditur cæcitas, dum proprio commo- " do favet, & cupiditati blanditur? Scimus, fra- " tres mei, nec possumus non cum horrore di- " cere, scimus peccatores, posteà verè compun- " ctos, questos fuisse, se pro satisfactione crimi- " num enormium, quæ plurium annorum pœni- " tentiâ primis sæculis castigata fuissent, accepis- " se pœnitentias tam leves, ut referre pudeat, qua- " les sunt quinquies Pater, & quinquies Ave, aut " decades aliquot Rosarii, ita ut arbitrati minimè se per pœnitentias, criminibus suis tam pa- " rum congruas, Deo satisfecisse, alios Directo- " res intelligentiores quæsierint, qui aliis ipsos viis " ducerent, solâ illis religione persuadente, vias " istas, vias Ecclesiæ esse non posse.... "

An

„ An non licerèt mihi hîc exclamare cum Cy-
„ priano, deplorante abusum similem, qui per
„ Diœcesim ipsius diffundebatur... *Emersit, fra-
tres dilectissimi, novum genus cladis, & quasi pa-
rum persecutionis procella sævierit, accessit ad cu-
mulum, sub misericordiæ titulo, malum fallens,
& blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem,
contra Domini ac Dei legem, temeritate quorum-
dam laxatur incautis communicatio. Irrita & fal-
sa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus
profutura.... Pœnitentia de pectoribus excussa est,
gravissimi extremique delicti memoria sublata est.
Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis
profundis visceribus infixa, dissimulato dolore con-
tegitur*, &c.

„ Si hoc Spiritûs sancti Oraculum verum sit,
„ (de quo dubitare non licet) quid de iis cen-
„ sendum, qui hodie ita laborant, ut pœnitentiam
„ illam (laboriosum utique baptismum à SS. Pa-
„ tribus dictam) efficiant baptismum suavem &
„ laboribus vacuum, ita ut, quemadmodùm ex
„ illis quidam (extorquente confessionem verita-
„ te) agnovit, faciliùs hodie peccata remittantur,
„ quàm committantur?

366 Hactenùs Illustrissimus Episcopus Atrebatensis, quem alterum sæculi nostri Carolum Borromæum jure vocaveris; verum utique imitatorem zeli pastoralis, fortitudinisque sacerdotalis ipsius. Quid igitur de iis censendum, qui post commissa grandia crimina, homicidium, adulterium, fornicationem, blasphemiam, perjurium, & similia, ex solo sui amore, ignavia ac mollitie, pauculas duntaxat preces in pœnitentiam acceptare volunt, nihil autem de solitis deliciis, corporisque voluptatibus per se licitis detrahere, nec ullas corporis macerationes subire, nec elëmosynas facere, &c. Quid? nisi quòd sanctorum Patrum judicio tales censendi non sint verè ac plenè conversi?

367 Verè namque ac plenè conversus, peccatum vero ac pleno odio prosequitur, persequiturque. Quisquis verò peccatum vero plenoque odio persequitur, illud in seipso pro posse ulciscitur, juxta Apostolum cap. præcedenti relatum. Idque divina justitia exigit, uti definivit Tridentinum, definivit & Traditio, pœnitentiam propterea vocans *baptismum laboriosum*. Quisquis ergo pœnitentiam laboriosam facere detrectat, cùm posset, quomodò commissa crimina vero ac pleno odio odit, & in seipso ulciscitur, ac punit: cùm id facere nolit, quod divina justitia ab ipso exigit? Volupe est audire Tertullianum l. de Pœnit. c. 11. eos irridentem, qui pro commissis deliciis *incommoda corporis* subire *reformidant. Num ergo* (inquit) *in coccino & tyrio pro deliciis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, & pulverem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri, vel æris, unguibus repastinandis. Siquid ficti nitoris, siquid coacti ruboris, in labia aut genas urgeat. Præterea exquirito balneos lætiores hortulani, maritimivè recessus. Adjicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini. Cùmque quis interrogarit, cuinam ea largiaris? deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & exerucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.* Si secundùm Tertullianum deridiculus esset, qui mediis illis in deliciis sic responderet: ergo deridiculè pœniteret, non verè. En mverò si magistratum ambientes *neque pudet, neque piget, incommodis animæ & corporis.... & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ atria nocturnis & diurnis salutationibus non occupant? Ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis congregationibus congreges, sed exules à libertatis, & lætitiæ felicitate. Idque totum propter unius anni volaticum gaudium. Nos quod securium virgarumque petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? Et castigationem victûs atque cultûs, offenso Deo, præstare cessabimus? Qui istæ recusant, hi sunt, de quibus Scriptura commemorat, væ illis, qui delicta sua velut procero fune nectunt. Si tu, qui talis es, de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit, & pœnæ potiùs magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.... Igitur cùm scias adversus gehennam esse.... in exomologesi..... subsidia, cur salutem tuam deseris?* Hactenùs Tertullianus.

Cyprianum n. 365. audivimus, qui & in l. de 368
lapsis: *Lamentari* (inquit) *eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus (sicut admonet ipse Dominus) Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus, & saginâ largiore distentus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat? Quis hilaris & lætus incedit, quando mortem suam defleat? ... An ille ingemiscit, & plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi, quod perdidit, cogitare? Accipere pretiosa ornamenta, & monilia elaborata, nec divini & cælestis ornatûs damna deflere? .... Siquem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres facie inculcâ, veste mutatâ, negletto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis? Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta, peccasse, nec satisfacere.*

Quid verò Ambrosius? Lib. 2. de pœnit. c. 6. 369
sic loquitur: *Audiant, qui agunt pœnitentiam, quomodò agere debeant, quo studio, quo affectu, quâ mentis intentione, quâ intimorum concussione viscerum, quâ cordis conversione.* Vide (*inquit*) Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo. Conversum est cor meum in me. *Cognovisti intentionem animi, fidem mentis, cognosce & habitum corporis.* Sederunt (*inquit*) in terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, deduxerunt in terram Principes, virgines Hierusalem defecerunt in lachrymis, oculi mei caligaverunt, turbatus est venter meus, effusa est in terram gloria mea. *Sic flevit & Ninive populus.* Et c. 10. *An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis? ubi vini effusio? ubi ipsius copulæ confugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minùs indulgendum, quàm natura postulat..... Vivendum ita ut vitali huic moriamur usui, seipsum homo abneget, & totus immutetur.... Unde benè Dominus ait:* "Qui
„ vult post me venire, abneget semetipsum, &
„ tollat crucem suam, & sequatur me.

Nec dissimiliter Augustinus epist. 54. *Nihil a-* 370
liud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerit, impunitum esse non sinat. Gregorius l. 6. in 1. Reg. 2. *Tria in unoquoque veraciter pœnitente consideranda sunt, videlicet conversio mentis, confessio oris, & vindicta peccati.* Et in cap. 15. libri 1. Reg. *Quid prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? Tunc namque benè conversum peccatorem cernimus, cùm dignâ afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde & Dominus, arborem solis decoram, sed fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fru-*

ctu afflictionis. Itaque *vita nostra* (ait hom. 2. in Evang.) *ad tempus amarescat in pœnitentia, ne æternam amaritudinem sentiat in vindicta.* Denique omissis pluribus Sanctorum testimoniis (quæ proferentur ubi de satisfactione) Bernardus tract. de grad. humilit. c. 18. *Quem veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret.*

371 Verissimæ sunt ergo sequentes de satisfactione & pœnitentiarum impositione regulæ (quas laudatus Atrebatensis Episcopus tradit in Epistola sua Pastorali 2.) à triginta & uno Episcopis plurimùm commendatæ & approbatæ : 1. *Quilibet Confessarius (laxioribus tantùm loquor) cogitet quo pacto pœnitentes examinet, quo dolore contentus sit, quem sufficere existimet, quas satisfactiones imponat. Nisi ausfit damnare Patres, Concilia, Scripturam; seipsum damnet oportet, emendetque suam dirigendi rationem, si saluti suæ consultum velit.*

2. *Credatne eruditus & pius Confessarius, gravia crimina, & peccata quæ hominem æterno Dei odio dignum efficiunt, & quæ antiquitùs puniebantur tam severè, hodie expiari satisfactionibus, quæ nihil austeri habent? Pœnitentiis, quæ nihil habent pœnitentiæ, nisi nomen?*

3. *Concipi non potest, quòd cùm una ad cælum via justis sit crux; fingatur alia peccatoribus & pœnitentibus, suavis, jucunda, & laboris expers. Nisi laboriosum dixeris Confessario exponere peccata, quæ peccator laudi sibi frequenter duxit inter mundanos, & quæ nonnunquam sunt publica.*

4. *Pœnitens queritur, nimis acerbam à te sibi pœnitentiam impositam? Dic ut memor sit, quamvis reus non esset, ipsum sibimetipsi duriorem imposuisse legem in baptismo. Et quamvis baptismi innocentiam servasset, Evangelium fortassis non permitteret, ipsum suavius vivere, si vivere vellet Christianè.*

372 Ex his omnibus sequitur, in justificatorum numero non computandos, nec tam pœnitere, quàm pœnitentiæ larvam exhibere censendos, *qui* (ut Cyrillus Alexandrinus ait l. 8. de ador. in spir.) *cùm assiduè peccent, non tamen peccati maculas abluunt. Neque* tales (inquit) *pretio dato crimina possunt depellere, quòd mentis infirmitate* (id est ignaviâ & mollitie) *sudores pœnitentiæ perferre, & Deum ejusmodi laboribus placare nolunt.* Væ ergo, væ innumeris peccatoribus, qui laboriosæ pœnitentiæ operibus grandia delicta à se post baptismum commissa eluere nolunt. Scriptum est enim: *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Quid est *nisi pœnitentiam egeritis?* Act. 26. 20. id satis declarat Apostolus, cùm dicit: *Annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Et Luc. 11. 32. Ninivitæ *pœnitentiam egerunt, ad prædicationem Jonæ. Et*, ut dicitur Jonæ 3. 5. *crediderunt Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem*, &c.

CAPUT XXXI.

Pro admissis post baptismum criminibus, præsertim gravioribus, non sufficit dolor parvus & remissus, sed magnus requiritur atque intensus.

373 Hæc de re pulchrè solidèque disserit Petrus de Soto, de quo Emin. Cardinalis Pallavicinus Histor. Conc. Trid. l. 13. c. 8. testatur, quòd *amplæ de se laudis* materiam eidem Historiæ suppeditarit. Et l. 20. c. 13. quòd *summam obtinebat existimationem severæ probitatis solidæque scientiæ.* Et centum propè annis ante Pallavicinum Otho Cardinalis, & Episcopus Augustanus, in epistola præfixa tractatui ipsius de Institutione Sacerdotum, dicit quòd isto in opere *Vir ille & verbo & opere ad docendum ea quæ sunt pietatis potens, multa ad doctrinam sanam & Catholicam, multa ad officium Pastorum Ecclesiæ, & reformandam eorum totiusque Cleri vitam & mores pertinentia, tanto pietatis studio, & tanto dicendi ordine composuit, ut dignus nobis videatur hic Liber, qui ad promovenda pietatis studia in publicum edatur, omnibusque animarum curam, vel jam administrantibus, vel in futurum administraturis communicetur. Damus igitur vobis doctissimi simul & pientissimi, & nunquam satis laudati hujus Viri de Institut. Sacerd. librum, omnibus qui curam animarum suscipiunt non solùm utilem, sed & necessarium*, &c.

Et reverà tanta cum pietate soliditateque conscriptus est liber ille, ut dolendum sit quòd tam 374
parum hodie teratur, solique à plerisque legamur novelli Casuistæ *prurientes auribus*, quibus studium fuisse videtur, cæli viam dilatare, quam suprema Veritas, Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit.

Laudatissimus igitur Petrus de Soto Instit. Sacerdot. lect. 15. tres refert sententias, *duas extremas, & reliquam mediam. Nam altera est requirentium dolorem summum, id est summo conatu, & totis viribus productum. . . . . Altera extrema sententia est, nullum certum gradum intensionis in dolore voluntatis requiri*, nec absolutè, nec respectivè, *sive in ordine ad aliorum dolores: ita scilicet, ut sive intensiùs de peccatis doleat, quàm de aliis malis, sive minùs intensè, id sufficiat, quantumvis exiguus sit ille dolor, minimus (inquam) aliorum affectuum voluntatis*, ut ipsos docere ait lect. 14. Ita (ait) nonnulli (*Scotum, ut dicunt, sequentes*) *qui putant se multùm consulere infirmis conscientiis. Et probant* 1°. *quia nusquam in Scriptura ad certum gradum doloris, vel dilectionis adstringimur . . . . . Deinde quia ad recedendum à Deo, & peccandum, nullus conatus requiritur. Ergo neque ad convertendum nos in Deum.* Denique Deus necessariò diligendus non est super omnia intensivè, sed tantùm appretiativè, ita ut voluntas in Deum, velut in summum bonum, ut sic apprehensum per intellectum, *quantumvis tepidè & remissè*, satisfaciat. Ergo *similiter de contritione.* 375

Tertia media Antiquorum de voluntatis dolore, est quòd etsi non requiratur summus, hoc 376
est totis viribus & conatu productus & elicitus, nec certi aut determinati alicujus gradûs, tamen requiritur ut major sit omni alio dolore, qui est in verè pœnitente, ita ut plus de peccato doleat, quàm de aliquo alio malo, *quod ei evenire posset. B. Bonaventura* inquit *requiri, ut dominetur cæteris doloribus. Et B. Thomas, ut excedat alios dolores.*

Prior igitur illa sententia, si tamen alicujus est, 377
requiri scilicet totum conatum & omnes vires, manifestè nimia esset, & impossibile quiddam imponens homini, saltem pro hujus vitæ infirmitate. Id probatur, quia in hac vita omnes vires nostras extendere in diligendum Deum impossibile est, ut sine peccato esse non possumus, & sine inordinata aliqua concupiscentia. Quare proficere & renovari de die in diem jubemur.

Si dicas necessarium quidem non esse summum 378
conatum, qui in hac vita haberi potest. *Nam hunc certum est non posse tantum esse, quin possit adhuc major inveniri. Nam in eo semper proficiendum est: sed de summo qui in hac vita habetur ab his qui omnibus renuntiant non necessariis affectibus, & rebus, ut uni dilectioni & pœnitentiæ vacent. Notum est nec id necessarium esse. Nec enim ab omni pœnitente requiritur, ut omnibus ita renuntiet. . . . Denique nec ullâ aliâ ratione intelligi potest illa sententia esse vera.* Id quod sa-

tis probet diversitas graduum charitatis & pœnitentiæ. *Est enim charitas incipiens, est proficiens, est perfecta.* Et certum est charitatem perfectam non esse necessariam in pœnitentia, & multò minus summum gradum charitatis perfectæ. *Est enim in dictis gradibus magna latitudo, ita ut (B. Gregorio teste) Benedictus incœperit ab altiori gradu, quàm ad quem multi proficientium & perfectorum perveniant . . . .*

379 *Cæterùm quod secunda sententia illa tenet, sufficere videlicet pœnitentiam minùs intensam, & ex minori conatu, quàm sit dolor aliarum rerum,* & simul illa distinctio, quam de charitate & *pœnitentia docet* (quòd scilicet Deum amare debeamus super omnia appretiativè, & dolere de peccato super omnia alia mala appretiativè, sed non intensivè, quoad partem rationalem, sive superiorem animæ) *neque consonat Scripturæ & Patribus, neque rationi ipsi convenit, neque utilis est animabus; imò magis periculosa.* Quæ omnia sunt nunc breviter probanda.

§. I.

Probatio assertionis ex Scriptura.

380 PRimum igitur, quòd utique sententia illa non consonet Scripturæ, probat Sotus ex iis Scripturæ locis, quibus apertè jubemur Deum super omnia diligere. Matth. 10. *Qui amat patrem & matrem plusquàm me, non est me dignus.* Luc. 14. *Qui non odit patrem suum & matrem*, &c. *non potest meus esse discipulus.* Si jubemur odisse patrem & matrem propter Deum (dum scilicet impediunt nostrum in Deum amorem) profectò jubemur Deum diligere plusquàm patrem & matrem. Unde Augustinus l. 1. de doctr. Christ. docet, ordinatum amorem postulare, ut Deum plus cæteris diligamus, ita ut nihil ampliùs, vel æquè diligamus. Itaque cùm Scriptura sacra his vel æquivalentibus verbis utatur, *plus diligendus est Deus*, &c. *quare id non ita intelligendum* (ait Soto) *sicut in aliis rebus*, cùm dicimus hoc plus alio diligi, aliquem plus unam rem quàm aliam diligere, &c.? Quibus verbis nihil aliud significamus, quàm amorem intensivè perfectiorem.

381 Sicut autem Scriptura jubet, Deum plusquàm creaturam quamcumque diligere, ac per consequens exigit conatum magnum ad amandum Deum; sic in pœnitentia Prophetarum verba postulant conatum magnum. Quid enim nisi magnum, amatumque pro peccatis magnis dolorem requirit Scriptura, dum requirit *dolorem quasi parturientis, rugitum quasi ursi, luctum unigeniti*, contritionem *amaram*, planctum & luctum *scindentem cor*, &c. *Dole* (inquit Michæas c. 4.) *& satage filia Sion quasi parturiens.* Isaïas c. 59. *Rugiemus quasi ursi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus.* Hieremias c. 6. *Accingere cilicio. . . . luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Joël c. 1. *Plange quasi virgo super virum pubertatis suæ.* Et c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro . . . in fletu, in planctu. Et scindite corda vestra.*

382 Deinde *si eos, qui nobis in exemplum pœnitentiæ in Scriptura positi sunt, consideremus* (pergit Soto) *quid aliud inveniemus, quàm intensissimos & acerbissimos dolores? In David innumera sunt verba: rugiebam à gemitu cordis mei. Lavabo per singulas noctes lectum meum. Ninivitæ clamant ad Dominum in fortitudine. Ezechias reputat omnes annos suos in amaritudine animæ suæ. Denique & verba & opera innumera sunt in Scriptura. Quomodo ergo his convenit docere, nullo conatu, nullis viribus opus esse? Quod igitur dicunt, non reperiri in Scriptura præceptum de intensione aliqua, vel conatu, certè non putamus dici posse sine errore.* Enimverò præter sacra testimonia n. 381. relata, quemadmodùm Scriptura præcipit ut Deum diligamus ex toto corde; ita jubet ut ad Deum convertamur ex toto corde, & ut scindamus corda nostra. Quo loquendi modo non solùm exprimitur præcipiturque æstimatio seu appretiatio, *sed & vehementia doloris*, ut Maldonatus observat de pœnit. c. 1. & nos alibi probavimus. Et *qui illos Sanctorum clamores* mox enarratos *intelliget* (ait Tridentinum sess. 14. c. 4.) *facilè intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione processisse.* Cùmque idem Concilium, veteresque Patres, ex allatis sacris textibus, & Sanctorum exemplis, probent descriptæ ibi pœnitentiæ necessitatem in omni statu, ex iisdem rectè concluditur, quanta esse debeat pœnitentia, etiam novi Testamenti, etiam cum Sacramento Pœnitentiæ. Maximè cùm ex iisdem sacris textibus magnorum criminum pœnitentiam, in novo etiam Testamento, esse debere magnam ac vehementem sancti Patres concluserint, istoque sensu textus illos concordi sensu intellexerint, uti videbitur §. seq. Idcò etiam Apostolus 1. Cor. 5. Corinthium incestuosum acerrimè castigaverit, ut acerrimè doleret. Nec priùs ipsum reconciliaverit, quàm abundantiorem tristitiam demonstravit, prout colligitur ex 2. Cor. 7.

Aliud verò quod adferunt contrarii Authores, 383
quòd scilicet quocumque conatu à Deo receditur; non multùm eos juvat. Primò quia cùm malum ex singulis constet defectibus, non mirum si faciliùs fiat. Facilius caditur, quàm resurgitur. Secundò quia in omni peccato non est dubium creaturam Deo vel præponi, vel æquari.

§. II.

Ejusdem probatio ex Traditione Sanctorum.

COncordi quippe calculo SS. Patres (quos den- 384
so agmine refert Morinus l. 1. c. 12 13. & 14.) ingentem de peccatis ingentibus dolorem semper requisierunt, prout ostendit ex Herma (Apostolorum discipulo) Justino, Tertulliano, Cypriano, Clero Romano, Ambrosio, Chrysostomo, Paciano, Augustino, Cæsario, Eligio, Gregorio, Hieronymo, Vigilio, Eucherio, Isidoro, Bernardo, &c. Non omnium hîc, ne prolixior sim, sed aliquorum dumtaxat exhibebo testimonia. Et Cypriani quidem suprà n. 368. habes testimonium, ibi namque *acrem planctum* requirit. *Quanta putas,* 385
& qualis necessaria est pœnitentia? quærit Ambrosius scribens ad Virg. lapsi. Et respondet: *quæ aut æquet crimina, aut excedat.* Unde probat? *Dicit enim Deus . . . . convertimini ad me in toto corde vestro . . . . majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus.* Ecce ex necessitate conversionis ad Deum ex toto corde, probat pœnitentiæ magnitudinem debere esse secundum magnitudinem peccati, uti n. 382. deduximus.

S. Basilius homil. super illud, *attende tibi*: sic 386
habet: *Magnum est, & grande peccatum*, quod commisisti? *multâ opus habes confessione, lachrymis amaralentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso & continuato jejunio.*

Augustinus serm. 34. de diverss. c. 12. *Gravia* 387
& mortifera nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritûs, & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur. Et serm. 58. de temp. *Si in aliqua crimina, vel capitalia peccata aliquis fuerit diabolicâ calliditate prostratus . . . . cum ingenti rugitu & gemitu Deum sibi reconciliare contendat.*

Gregorius in cap. 8. lib. 3. Reg. *Difficilis osten-* 388
ditur reconciliatio criminosorum . . . . ergo commo-

veri ad lachrymas cum magna fortitudine debemus.

389 Cæsarius Arelat. homil. 1. explicatâ peccatorum capitalium & levium distinctione, de priorum remissione sic fatur: *Homo ipse se decipit, si cùm in medullis suis sibi fervere sentiat morbum, per superficiem corporis molle deducat unguentum. Hæc itaque principalia mala ingenti rugitu, & gemitu, & fonte indigent lachrymarum, atque per lachrymas clamandum est cum Propheta: rugiebam à gemitu cordis mei. Oportet itaque sicut super mortuum conclamatum, ita super extinctam animam dari planctus: & quomodo solet mater orbata super amissione unici filii sui fracto pectore lamentari; ita convenit super unicam suam, sed sub spe reparationis affligi.... necesse est super hanc unicam, criminum mucrone confossam, totum pondus doloris effundi.* Et homil. 29. *Non putemus tam facilè remitti posse admissa semel crimina, multùm opus est fletus, multus gemitus... totâ incumbendum est spiritûs compunctione.... non sufficit summis labris dicere, peccavi, parce & remitte.... Et Saûl dicebat, peccavi; sed non obtinuit illam veniam, quam David unâ pœnitentiæ voce promeruit. Et hoc quare? Quia non compensabatur cum magnitudine criminis levis humiliatio supplicantis. Non levi agendum est contritione, ut debita illa solvantur, quibus mors æterna debetur.*

390 Vigilius Papa in epist. ad dictum Cæsarium to. 1. Concil. Gall. *Tale commissum non parvâ cordis afflictione valet expiari.*

391 Eucherius Lugdun. homil. 5. ad Monachos: *Non putemus tam facilè remitti posse inusta semel crimina, & profundo vulnere in animæ ipsius impressa visceribus. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis dolores.*

392 Isidorus l. 2. de div. Offic. c. 16. *Quantò in peccando fuit ad malum promptior mentis intentio, tantò devotior debet esse in pœnitendo.* Quod & dicit Author sermonum ad Fratres in Eremo serm. 11. & Rabanus Maurus l. 2. de Instit. Cler. c. 29.

393 Bernardus, vel quisquis est Author libri de modo benè vivendi c. 27. *Quanta fuit tibi intentio ad peccandum, tanta sit ad pœnitendum devotio.... Grandia peccata, grandia lamenta desiderant.*

394 Petrus Blesensis l. de Confess. Sacram. *Non sine dolore cordis acerbissimo, & anxiâ cordis afflictione sanantur, quæ longo usu inolita, & intimis animarum medullis infixa sunt; nec horariâ & levi contritione redimi possunt, quibus mors æterna debetur.* Et epist. 61. *Non tam facilè sine fletu, & gemitu cordis, acerboque dolore sanantur, quæ prævaluerunt in præcordiorum medullis. Nec leviter culpa remittitur, nisi cum quantitate peccati humilitas pœnitentiæ compensetur.* Et rursus in citato libro de Confess. *Sic igitur dolor pœnitentiæ cor conterat, ut in spiritu vehementi conterat naves Tarsis.*

395 *Manifestum est igitur* (concludit Morinus l. 1. c. 13.) *ingentem dolorem, propter Dei offensam conceptum, gravemque peccati detestationem, & ferventem Dei dilectionem, cum ardente, seipsum (juxta Ecclesiæ mandatum) puniendi desiderio conjunctum, esse interiorem animi præparationem reconciliationi criminum capitalium necessariam,* ex Patrum omnium sententia. A quibus tamen, ut ait in principio cap. seq. *peccatorum ratio semper habita fuit. Sicut enim quò graviora fuerunt crimina, eò severiores pœnas, ut par erat, iis imposuerunt: ita quoque acriorem & vehementiorem animi ad Deum conversionem à pœnitentibus exposcerunt.* Ita ille, addens, *istam propositionem communi naturæ lumine perspicuam videri posse, animisque hominum insitam, & velut divinitùs consignatam. Hinc Poëtis Theatrisque omnibus decantatissimus Oedipus, patris interfector, matrisque incestificus, tanta crimina, (licèt ignoranter commissa) censuit justâ animi pœnitentiâ expiari non posse, quamquam oculos sibi eruisset, patriamque & regnum exul deseruisset.*

§. III.

Tertia probatio ex communi Ecclesiæ sensu, communique doctrina veterum Scholasticorum, seu illustriorum Theologorum.

TAmetsi *rem ita se habere,* ut §. præcedenti dictum est, *manifestissimum* censeat Morinus loco citato, *idque demonstrare* (inquit) *perinde sit ac clarissimo soli mortale lumen inferre;* propter eos tamen, qui tempestatem novaturientem novissimam suscitant, vel suscitatam fovent, dicentes contritionem, vel attritionem, quàmlibet remissam, ad peccatorum, quàmlibet gravium, remissionem sufficere, lubet id confirmare 1°. ex communi sensu Ecclesiæ. Quid est enim quòd tam varia, tamque ardua pœnitentiæ opera exegit à magnis peccatoribus, antequam eos absolveret? Quia credidit, & hoc erat potissimum pœnitentialis disciplinæ fundamentum (ait rursum Morinus l. 1. citato c. 17. n. 4.) *operum canonicè pro peccatis injunctorum sedulâ præstatione, internam cordis compunctionem augeri, & accendi, iram Dei mitigari, Deum pœnitentibus placari, pœnas æternas peccatis debitas.... extingui.... Non negabat peccatoris compunctionem tam ardentem & inflammatam esse posse, ut uno momento perfectam à Deo peccatorum remissionem obtineret; sed hoc & rarum esse, & sibi quando contingeret, incognitum esse profitebatur. Ideò ut pœnitentium conversionem exploraret,* an satis inflammata esset, *atque ut illius inflammationem pœnitentes à Deo promererentur, opera varia injungebat, quibus diligenter peractis, eos.... reconciliabat, & communione donabat.* Quorsum verò ita, si nulla opus erat inflammatione ad sacramentalem reconciliationem, sed contritio vel attritio, quàmlibet remissa, ad eam satis erat? Si sic Ecclesia credidisset, pro impetranda inflammata contritione, tam varia, tamque multa & ardua pœnitentiæ opera non exegisset: neque enim tot, tam variis, tamque arduis opùs erat ad promerendam remissam contritionem, nec consequenter ad obtinendam cum Sacramento remissionem. 396

2°. id confirmo, quia pro magnis peccatis magnam contritionem vel attritionem, & tantò majorem, quantò majora fuissent peccata commissa, illustriores Scholastici cum SS. Patribus necessariam censuerunt. Alexander de Ales, SS. Thomæ & Bonaventuræ Magister 4. p. Sum. q. 17. m. 2. a. 1. docet, *dolorem qui est in displicentia voluntatis, debere esse maximum. Debet enim maximè & summè displicere, quòd offenderit Deum, & illum suo peccato amiserit.* Et q. 68. m. 1. a. 3. requirit intensionem in dolore, ut sit contritio. *Si* enim (inquit) *alicui displiceret, quòd Deum offendisset per peccatum, & illa displicentia* in intensione *non excederet displicentiam amissionis unius oboli, nulli est dubium, quin illa displicentia insufficiens esset, ad hoc quòd esset dolor contritionis.* Cumque sibi objecisset definitionem contritionis, in qua nulla determinatur intensio doloris: *Imò* (inquit) *ipsa definitio insinuat, dolorem debere aliquo modo intendi..... per hoc quòd in ea ponitur cum proposito confitendi & satisfaciendi. Cùm enim confessio & satisfactio de peccatis gravibus gravem pœnam importent, patet quòd non cuilibet parvo dolori pro peccato convenit illa definitio. Quia parvus dolor non exerceret ex se firmum propositum confitendi & satisfaciendi.* Guilielmus Parisiensis suprà n. 99. dicit, *longè majorem partem pœni-* 397

tentium longè esse à condigno & congruo dolore pœnitudinis, & propter hoc à remissione peccatorum, atque à virtute & effectu Sacramenti pœnitentialis.

398 S. Thomas Supplem. q. 3. a. 1. *In contritione est duplex dolor. Unus est in ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, qui nihil aliud est quàm displicentia peccati præteriti. Et talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores. Quia.... peccatum super omnia displicere debet.* Et ad 4. *Quantitas displicentiæ de aliqua re debet esse secundùm quantitatem malitiæ ipsius.* Unde quia major est malitia peccati, in quantum est offensiva Dei, quàm in quantum est nociva peccanti, peccator *plus debet odire culpam, in quantum est offensa Dei, quàm in quantum est nociva sibi.* Et a. 3. *Quantùm ad dolorem superioris affectûs, requiritur quòd de majori peccato doleat magis. Quia ratio doloris est major in uno, quàm in alio, scilicet offensa Dei.* Et q. 5. a 3. *Dolor rationis, qui est in contritione, potest esse adèo parvus, quòd non sufficiat ad rationem contritionis, ut si minùs ei displiceat, quàm debeat ipsi displicere separatio à fine.* Et qq. disput. de verit. q. 24. a. 5. *Non qualiscumque motus voluntatis est sufficiens ad remissionem peccati; sed oportet esse aliquem modum, qui quidem hominis notus esse non potest.*

399 S. Bonaventura in 4. dist. 14. q. 2. n. 17. *Si quæratur, utrùm dolorem contritionis necesse sit esse maximum? Si dicatur de dolore sensualitatis, manifestum est quòd non. Si de displicentia rationis, aut quantùm ad intensionem motûs absolutè; & sic nec hoc modo oportet esse maximum. Si quantùm ad intensionem motûs in comparatione ad alios dolores, dico sicut de amore, quòd oportet quòd habeat prædominium.* Et iterùm: *Dolor quantumcumque parvus, sufficit, si sit gratiâ informatus. Sed eum numquam gratia informat, quin vendicet sibi in corde dominium* supra alios dolores *quoad actum vel motum voluntatis* rationalis, non sensualitatis.

400 Richardus de Media Villa in 4. d. 17. a. 1 q. 5. *Cùm contritio dicat actum pœnitendi charitate* habituali *formatum.... quantumcumque parva contritio sufficit pro quantumcumque magno peccato. Non sic autem dicendum est de attritione: cùm enim recogitantur peccata in speciali, necessaria est major attritio de majori peccato, quàm de minori.* Et ad 2. *Quantumcumque parva contritio concludit magnitudinem displicentiæ proportionatam magnitudini peccati. Non sic autem quantumcumque parva attritio, cujus magnitudo, si non proportionatur, eo modo quo possibile est, magnitudini adhæsionis, quæ fuit in peccando, non fit contritio de lege communi.*

401 Scotus in 3. d. 27. n. 16. docet, quòd licèt non teneamur diligere Deum super omnia, hoc sensu quòd amor Dei sit ferventior seu tenerior omni alio amore; nihilominùs tenemur diligere Deum intensivè super omnia, sive ex majori affectu: *Dico* (inquit) *quòd illud* SUPER OMNIA, *debet intelligi utroque modo* (scilicet extensivè & intensivè) *sicut enim teneor diligere Deum super omnia alia extensivè; ita etiam majori affectu, quàm aliquid aliud.* Ex quo consectarium est, peccatum (quod super omnia displicere debet, sicut Deus super omnia debet placere, seu diligi; cùm sit summum malum, sicut Deus summum bonum) ex mente Scoti displicere debere super omnia, tam intensivè (non absolutè, sed comparativè) quàm extensivè. Unde Faber Faventinus de pœnit. disp. 16. c. 2. Hiquæus in 4. dist. 14. q. 2. tenent de mente Scoti requiri contritionem intensam, non sufficere remissam.

402 Guilielmus de Monte Rocherio Enchirid. Sacerd. p. 2. de Sacr. Pœnit. tr. 2. c. 2. *Debet peccatum summè displicere voluntati, & magis quàm quodlibet aliud malum: sicut Deus, cui peccatum contrariatur, debet summè & super omnia à voluntate diligi. Debet ergo verè contritus sic esse affectus.... quòd nihil sibi magis aut æquè doleat, atque offendisse Deum.*

Godescalcus Rosemondus in suo Confession. 403
c. 11. imprimis n. 2. sic habet: *Attritio est quædam displicentia & dolor de peccatis, etiam propter Dei offensam, non tamen sufficiens ad delendum peccata, & ad constituendum peccatorem in statu gratiæ, & differt à contritione 1°. ex parte liberi arbitrii, quod non cum sufficienti conatu dolet de offensa divina.... sed imperfectè & remissè dolet. 2°. ex parte Dei, quia dolor gratiâ informatus dicitur semper contritio.... Quòdque difficillimum est scire, an dolor de peccatis sit attritio vel contritio.* Deinde a. 3. ex dictis colligit, *esse valdè difficile, præcipuè habituatis in vitio, agere veram pœnitentiam, & habere dolorem sufficientem, qui sit contritio. Unde liceèt minimus gradus contritionis sufficiens sit ad delendum quæcumque mortalia, quia numquam contritio est sine charitate,* seu gratia informante, ut antè: *non tamen sufficit minimus gradus, neque etiam mediocris displicentia; sed debet esse cordialis displicentia, vehemens detestatio, & dolor ex intimis cordis proveniens, ut sit contritio. Unde potest motus talis doloris & displicentiæ esse tam exiguus, quòd de congruo non mereatur formari charitate, & ita deficit à contritione, sine qua nullum peccatum remittitur* (nota benè.) *Et ideò temerarium valdè, periculosum, & reprehensibile est, ut dicit Adrianus VI. in quodlib. 5. peccatoribus omnibus veniam & securitatem de peccatorum remissione facilè polliceri. Unde nonnulli Prædicatores & Confessores in suis sermonibus, consiliis, & Confessionum auditione nimis laxi sunt & faciles, vitia gravia non satis increpantes, neque sufficienter ostendentes peccatoribus difficultatem contritionis & veræ pœnitentiæ* (ecce quomodò Rosemondus & Adrianus consonantes Petro Soto suprà relato, pariter redarguunt juniores Theologos, nimis laxam de Christiana pœnitentia ideam efformantes.) *Multi etiam temerariè confidunt in illo verbo: quâcumque horâ ingemuerit peccator, & conversus fuerit, vitâ vivet. Audiant & ipsi Augustinum de pœnit. d. 7. cap.* nullus: *Crede* (inquit ille) *qui dicit: quâcumque horâ, &c. etiam dicit, conversus fuerit; non versus Versum puto illum, qui dolet de crimine. Conversum verò, qui totus & omninò vertitur, qui jam pœnam non timet, sed ad bonum Dominum, id est Deum, festinat tendere..... Consonat verbum Isidori 2. de summo bono c. 13. Sunt qui pœnitentibus securitatem citò pollicentur, quibus benè per Prophetam dicitur Hierem. 6. Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, & non est pax. Cum ignominia curat contritionem, qui peccanti, & non legitimè pœnitenti promittit securitatem.* Denique a. 3. de quinque conditionibus veræ pœnitentiæ, pro tertia conditione requirit dolorem *vehementem.* Articulo 4. verò requisierat contritionem *calidam & amaram*: postquam enim dixerat aquas contritionis quatuor habere debere conditiones, ut mediante eâ peccatorum sordes abstergantur: Debet enim (inquit) lachrymarum illarum aqua esse munda..... 2°. calida... 3°. amara... 4°. viva. Quia verò plures, vel in omnibus his quatuor conditionibus, vel in aliqua earum deficiunt, idcò *horrenda Babylonis flumina maxima hominum etiam Christi fidelium multitudo ingressura est.*

Bromiardus, in Summa Prædicantium, verbo 404
contritio a. 3. de contritione sacramentali sic ait: *Ad hoc ut contritio sit peccatori utilis ad salutem, tres requiruntur conditiones. Videlicet quòd sit ve-*

ra: 2°. *quòd sit integra, seu universalis*: 3°. *quòd sit stabilis, sine proposito recidivandi.* Secundam deinde conditionem explicans, 2°. (inquit) *debet esse generalis ex toto corde, exemplo illius, qui propriâ negligentiâ amittit rem magni pretii, cum dolore cogitat omnia commoda rei amissæ, & pro omni ejus bonitate aggravat in cogitatione sua novum dolorem, considerando quòd illud quod amisit peccando, sit infinitæ bonitatis, & in infinitum, si posset, dolere deberet, & hoc est ex toto corde.*

405 Franciscus Richardotus, Episcopus Atrebatensis, Instruct. cap. 4. de Sacram. Pœnit. in vera contritione requirit *displicentiam grandem ac vehementem de offensa Dei.*

406 Ludovicus Granatensis conc. 2. de pœnit. loquens de contritione in omni statu necessaria: *Contritionem* (inquit) *SS. Patres peccati detestationem atque odium esse definiunt supra omne quod odio haberi potest, idque propter Deum super omnia dilectum.... Ex hoc autem apertè liquet, quantus esse debeat dolor, qui ex hoc ipsa detestatione consequitur. Si enim Deum super omnia, tamquam summum bonum, diligere tenemur; consequens est, ut quod cum summo amore diligimus, cùm possidemus, summo dolore lugeamus, cùm amisimus. Sicut enim pari homines odio mortem oderunt, qui vitam diligunt; ita cùm Deus & peccatum sibi mutuò adversentur..... efficitur planè, ut quanto quis amore Deum diligit, tanto peccatum odio detestari, tantoque de eo commisso dolore affici debeat. Propterea sicut Deus bonorum omnium summum atque maximum est; ita peccatum, quod illi adversatur, malorum omnium maximum est, adeò ut ne ipsa quidem ignis æterni pœna cum peccati malitia comparanda sit. Sicut ergo gehennam omnes summo odio detestantur; ita etiam, & multò adhuc majori odio peccatum horrere debent. Hoc igitur peccati odio, hâc peccatorum detestatione opus est*, &c.

407 Martinus Navarrus in Manuali c. 1. n. 1. *Antiquorum & Recentiorum secuti sententiam, definimus, quòd contritio est pœnitentia voluntaria cum dolore maximo, actuali, vel virtuali, peccati proprii jam commissi, quatenus est offensa Dei*, &c.

408 Joannes Maldonatus Soc. Jesu, de pœnit. c. 1. *Quemadmodùm Scriptura præcipit, ut Deum diligamus ex toto corde; ita jubet ut ad Deum convertamur ex toto corde. Hæc est autem contritio, toto corde dolere. Item ut scindamus corda nostra, ubi etiam exprimitur, non tantùm æstimatio, sed vehementia doloris.*

409 Joannes le Jeune, Presbyter Oratorii (quem mirè laudat Cazanaveus, Doctor Tholosanus, in approbatione operis ipsius de pœnit. nosterque Marrotius itidem Tholosanus Doctor, & passim alii corporali lumine ideò orbatum dicunt, ut cœlesti & divino copiosiùs infunderetur) in suo Oratorii Missionario de pœnit. & motivis ipsius serm. 18. *Felix anima* (inquit) *cui dici potest:* " Magna „ est sicut mare contritio tua. " *Talem esse oportet contritionem vestram, etiam imperfectam, seu attritionem. Aliàs infructuosa erit. Pro nihilo reputatis peccatum mortale committere. Nihil vobis facilius videtur, quàm illius veniam obtinere. Dicitis ad hoc necessarium non esse, nisi unum peccavi, nisi lachrymulam pœnitentiæ. Verum est non requiri, nisi unum peccavi. Sed non attenditis quale esse debeat istud peccavi, necessarium est esse unum bonum peccavi. Tale verò non est, sed inutile & infructuosum, nisi magis contristati sitis de peccato commisso, quàm de quocumque alio malo, quod accident vobis. Quemadmodùm enim mare majus est omnibus fontibus ac fluminibus totius mundi; sic veræ attritionis tristitia appretiativè major esse debet quàcumque aliâ tristitia.* Quod postquam probavit ex Scriptura suprà allata, *luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*, atque ex Doctoribus Cajetano, Pontio, Martinono. Probat etiam hâc ratione: *Malum est objectum odii ac tristitiæ; sicut bonum est objectum amoris. Ergo sicut quanto majus est bonum, tanto majori amore æstimationeque dignum; sic quanto majus est malum, tanto majori dignum est odio, & tristitiâ. Atqui peccatum malorum omnium maximum est. Nisi ergo de eo magis tristemini quàm de quocumque alio malo, tristitia vestra inordinata est, imperfecta est, vitiosa est.*

Fatendum nihilominùs, nec Scripturam, nec 410
Patres, nec Doctores suprà relatos, velle quòd contritio, seu perfecta, seu imperfecta, esse debeat absolutè summa, quæ esse potest in rerum natura. Tum ob ea quæ ex Soto dicta sunt n. 367. Tum quia aliàs vel esse deberet intensivè infinita (si talis in natura dabilis sit) vel intensivè tanta, quantam habuerunt actus Christi, qui absque comparatione majoris intensionis fuerunt, quàm sint, fuerint, & futuri sint actus cæterorum Sanctorum. Quos certum est debitam habuisse de peccatis contritionem, tametsi incomparabiliter minoris intensionis, quàm quæ fuit in actibus Christi.

Quid igitur ex allatis Scripturæ, Sanctorum & 411
Doctorum sententiis conficitur? Duo vel tria ut minimùm conficiuntur: 1°. dolorem quantumcumque intensivè parvum, seu remissum, haud sufficere ad remissionem (etiam sacramentalem) peccatorum quantumcumque enormium, prout nonnulli autumant; sed verissimum esse quod ait Alensis l. 4. q. 17. m. 2 § 3. quòd utique *potest esse dolor nimis parvus, nec sufficiens, ut gratiâ contritionis informetur. Si enim alicui displiceret quòd Deum offendisset per peccatum, & illa displicentia in intensione non excederet displicentiam amissionis unius obuli, nulli est dubium, quin illa displicentia insufficiens esset ad hoc quòd esset dolor contritionis*, id est dolor gratiâ informatus. Contritio enim sensu Alensis aliorumque Veterum nihil aliud erat quàm dolor gratiâ informatus; in eoque situm esse dicebant discrimen ipsius ab attritione; quæ secundùm ipsos intendi debebat, ut fieret contritio, id est dolor gratiâ informatus, secundùm id quod Alensis paulò post subjungit in responsione ad objectionem: *ipsa definitio insinuat dolorem debere aliquo modo intendi, ad hoc quòd fit dolor contritionis.* Nam, ut in sequenti responsione dicit, *dolor contritionis certam habet mensuram. Quæ autem illa sit, ille novit, quem nihil latet.* Similia dicit S. Thomas suprà n. 398. Enimverò perspicuum videtur, dolorem intensivè minimum, debilem, languidum & remissum, non esse quasi *rugitum ursi*, non esse quasi *luctum unigeniti*, non esse dolorem quasi *parturientis*, non esse *planctum amarum*, &c. non esse *ingentem rugitum*, non esse *grandem fletum*, non esse magnam cordis afflictionem, qualem Scriptura & Patres exigunt; sed esse *parvam cordis afflictionem*, quâ *grande commissum* (teste Vigilio Papa) *non valet expiari.*

2°. contritionem perfectam, quâ homo ju- 412
stificetur ante actualem Sacramenti susceptionem, *adeò vehementem, acrem, & incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit.* Sic enim Patres exprimunt in locis suprà relatis. Sic etiam Scripturam & Patres Catechismus Romanus intelligit p. 2. §. 46. ubi observat, quòd quia ad eum gradum pauci pervenirent, ideò Pœnitentiæ Sacramentum benignissimus Dominus instituit, per quod peccatorum remissio faciliori ratione, seu contritione non adeò vehementi posset obtineri.

3°. aliquam contritionis vehementiam in ipsa 413
etiam contritione imperfecta, saltem post grandia requiri crimina, quæ licèt non adæquet scelerum magnitudinem, tanta nihilominùs sit, ut

fortior

fortior sit omni affectu ad mortale peccatum, in tantumque prædominetur ac prævaleat omni alteri affectui hominis, ut homo toto corde paratus sit omnia alia mala incurrere, omniaque bona creata amittere, quàm mortale peccatum admittere, juxta dicta n. 346. &c.

414 Hoc autem quando in se contingat, magnus peccator cognoscere *non potest nisi operis attestatione*, inquit Soto lect. 17. *diligenter investiget an opera verè pœnitentis & conversi faciat. Quæ qualia sint, ex verbis & exemplis Scripturæ, & Patrum colligendum est. Certè summa illorum est vera & seria mutatio vitæ*, &c.

415 Sine operis attestatione, uti dixerat lect. 16. amoris & doloris cordis nostri quantitas non subjacet cognitioni nostræ. Est enim cor nostrum abyssus, &c. *Experiatur quilibet apud se, quoties quæ minùs amare putabat, oblatâ occasione deprehendit se multò magis amasse. Quod si in re aliqua dubium esse potest, maximè erit in dilectione Dei, utpote res tam longè à nobis distantis, & tam sublimis, ut meritò Gregorius dicat, de dilectione Conditoris non facilè mentem debere sibi credere, sine operis attestatione.... Auferatur persuasio quædam facilis, & (si cum venia dicere licet) levis. Dicat (inquiunt) voluntas: amo Deum præ omnibus bonis, & odio peccatum præ omnibus malis. Et factum erit utrumque.... Sed considerandum aliud esse amare, aliud dicere amo. Ista potiùs actum significant, quàm exercent, amo, aut volo. Hoc dicere non est amare; sed veraciter affici, uniri, &c. Itaque incipientibus Deum diligere, aut pœnitere, non dicamus: dic amo; dic doleo, &c. Sed admoneamus ut verè ament, & verè doleant, & amorem atque dolorem suum cupiant Deo*, & Confessario *probari, nec de his facilè sibi credant.*

§. IV.

Eadem assertio multiplici ratione roboratur.

416 SCripturæ, & Traditioni, ratio multiplex in favorem nostræ assertionis accedit. Primam rationem Petrus Soto petit ex natura amoris & doloris. *Si enim* (inquit) *consideremus naturam amoris atque doloris, quæ accidentia quædam sunt, & actus animæ, inveniemus apertè, non aliâ ratione unum plus alio diligi, aut de uno plusquàm de altero doleri, nisi secundùm intensionem ipsius affectûs, vel saltem non sine ea. Nam formæ accidentales, quæ intenduntur & remittuntur, non aliâ ratione perfectiores vel majores dicuntur aliæ aliis, nisi quia fortiores; ideòque contraria vincere & expellere possunt melius aliis imperfectioribus*, ut frigiditas aquæ calorem ignis, vel è contrario. *Ita igitur vel amor, vel dolor, ideò major est altero, quòd ipsum superare & vincere possit; quod non aliâ ratione fit, quàm quia & subjecto fortiùs inhæret, & in seipso perfectior est. Loquamur de charitate Dei, sicut de igne, ut Scriptura loquitur, alii amores sunt velut aqua, quæ contraria est igni.*

417 Et, ideò *B. Thomas, explicans quomodò una res plus aliâ diligi possit, duos tantùm invenit modos, scilicet ex parte boni, quod volumus amato; & sic Deus quædam plus aliis amat. Alio modo ex parte intensionis ipsius amoris. Ita ille a. 3. q. 20. 1. p. Et hoc ultimum docet simpliciter efficere, ut aliquid magis diligatur, cùm de dilectione naturali Dei in Angelis loquitur 1. p. q. 60. a. 5. Et denique in propria materia, quid sit alio magis diligendum charitatis amore, 2. 2. q. 26. a. 6. hoc tractans, primò eos arguit, qui omnes proximos æquali affectu diligendos dicunt: „ Ad illos (inquiens) opus est ut „ intensiorem affectum habeamus, quibus magis „ convenit esse benefici.* " *Et rursus ibidem a. 7. diversas species dilectionis ponens, secundùm diversa bona, quæ volumus his quos amamus:* " *Sed intensio (ait) dilectionis est attendenda per com-* " *parationem ad amantem, & secundùm hoc propin-* " *quiores intensiori affectu diligimus.* " *Vides itaque illum ignorare aliam rationem plus diligendi* (ex parte perfectioris actûs) *quam secundùm intensionem.... Distinctio illa appretiationis ab intensione nova est, nihil aliud habens quàm nomina: nisi quòd interim illâ persuasione ingeratur hominibus securitas quædam & tepiditas. Quod valdè timendum est.*

Secunda ratio est, quia ratio naturalis, & in- 418
commutabilis lex divinæ justitiæ dictat, quòd *quantitas displicentiæ de aliqua re, debet esse secundùm quantitatem malitiæ ipsius*, ut S. Thomas ait Supplem. q. 5. a. 1. ad 4. quòdque tantò major esse debeat dolor in voluntate, seu affectu rationali, quantò major est ratio dolendi; cùm affectus rationalis in dolendo sequi debeat rationem doloris. Denique quòd sicut summum bonum summo debet amore diligi, ita summum malum summo debeat odio haberi.

Tertia ratio est, quia (juxta Scripturam & Pa- 419
tres) nullus dolor sufficit ad gravium peccatorum remissionem, nisi procedat ex amore Dei sic appretiativè super omnia, ut habeat in corde prædominium, seu prævalentiam supra omnem affectum erga mortale peccatum. Cùm omnem affectum erga mortale peccatum excludere debeat; nec omnem excludere possit, nisi omni affectui ejusmodi prædominetur ac prævaleat. Istud proinde divini amoris, & doloris inde procedentis, prædominium meritò postulant P. Soto suprà, & D. Bonaventura apud ipsum. Estque haud dubiè de mente reliquorum, & de mente Spiritûs sancti, postulantis conversionem ad Deum, & à peccatis aversionem ex toto corde. Atqui prædominium istud & prævalentiam Dei amor in corde hominis habere non potest, nisi fortior sit omni affectu erga mortale peccatum. Amor verò debilis, languidus & remissus, fortior non est valdè intenso vehementique affectu ad mortale peccatum; præsertim si vetustate vel consuetudine roboratus sit; nec proinde idoneus est ad eum superandum; nec per consequens ad illi prævalendum & prædominandum: prout in semetipso expertum se dicit Augustinus l. 8. Confess. c. 5. *Voluntas nova quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Quia scilicet nondum erat plena & fortis, respectivè ad priorem istam, sed adhuc nimis debilis, remissa ac semisaucia, prout explicat ibidem, & in capitibus sequentibus.

Quarta ratio est, quia etiam contrariæ sententiæ 420
Authores fatentur, Deum ex pleno & toto corde amandum, deque peccatis toto corde dolendum appretiativè super omnia (id enim sacræ Litteræ & Patres apertè docent:) sed ad hoc necessaria est aliqua intensio. Si enim absque intensione fieret, vel fieret per solam voluntatem, quàmlibet remissam, Deum amandi, deque peccatis dolendi appretiativè super omnia: vel per hoc quòd Deus apprehenderetur ut summum bonum, & peccatum ut summum malum, & voluntas in Deum & peccatum, ut sic propositum, ferretur, quantumvis tepidè ac remissè? Neutrum dici potest. Non primum: neque enim mox ut homo vult Deum appretiativè super omnia amare, & de peccatis appretiativè super omnia dolere, pleno & toto corde id vult, sed (ut Augustinus dicit) necesse est ut id velit *fortiter & integrè*. Quod non fit sine voluntatis intensione. Non etiam secundum: quia homo plc. à voluntate, totoque corde non fertur semper in objectum ut amandum vel odiendum, sub omni excellentia vel malitia, sub

qua amandum vel odio habendum proponitur ab intellectu, prout experientia docet, & sapienter observat Card. de Lugo disp. 5. de pœnit. sect. 2. n. 21. Hoc ipso proinde quòd homo pleno & toto corde ferri intelligitur in Deum & peccatum, ut appretiativè super omnia diligendum, ista cordis plenitudo erga tam nobile objectum, propositum ut tale, arguit intensum, fortem, ac vehementem motum cordis erga tam nobile objectum. Cùm motu languido, remisso ac debili homo non intelligatur pleno & toto corde hîc & nunc ferri in illud, ut hîc & nunc super omnia amandum, tamquam summum & supremum bonum.

421 Quinta ratio est, quia ad hoc ut homo censeatur toto corde amare Deum, dolereque de peccato, appretiativè super omnia, debet toto corde esse taliter affectus, ut omnia potiùs amittere velit, atque efficaciter velit, quàm Deum; & omnia potiùs mala admittere quàm peccatum. Hoc autem non fit sine amoris & doloris vehementia, seu intensione. Neque enim fit, si amor Dei sit longè remissior & languidior amore creaturæ. Si enim amor Dei sit longè remissior & languidior; amor creaturæ, uti longè intensior, ita longè fortior est amore Dei. Per illum ergo homo longè fortiùs amat creaturam, quàm Deum. Quamdiù verò homo longè fortiùs amare intelligitur creaturam quàm Deum, non intelligitur toto corde paratus ad amittendam potiùs creaturam, quàm Deum. Quomodò enim toto corde paratus ad amittendum id quod secundùm partem superiorem seu rationalem longè fortiùs, intensiùs ac vehementiùs amat, potiùs quàm id quod debiliùs, remissiùs ac languidiùs amat? Quomodò toto corde paratus id deserere, cui fortiùs, & longè fortiùs adhæret, quàm Deo, cui longè debiliùs adhæret? Quomodò amor longè debilior, languidior ac remissior intelligi potest habere in corde hominis prædominium ac prævalentiam supra amorem longè fortiorem, intensiorem ac vehementiorem? Posset quidem hoc intelligi, si amor creaturæ solùm esset intensior amore Dei intensione sensibili, sive secundùm inferiorem ac sensitivam partem hominis. Verùm intelligi nequit, si longè intensior sit intensione rationali, sive secundùm superiorem ac rationalem hominis partem. Meritò proinde Maldonatus, in præclaro tractatu suo de Sacramentis, opinionem solùm requirentem dolorem de peccatis appretiativè super omnia, dicit esse veram; *sed potest* (inquit) *habere fucum.* Et Sotus loco citato: *distinctio illa* (ait) *appretiationis ab intensione, nihil aliud habet quàm nomina: nisi quòd interim illâ persuasione ingeratur hominibus securitas quædam & tepiditas. Quod valdè timendum est.*

§. V.

Opinio, seu persuasio, assertioni contraria, non videtur hominibus utilis, sed noxia.

422 DUm enim docet nullâ intensione opus esse; sed dolorem quàmlibet remissum sufficere, ingerit hominibus periculosam securitatem ac tepiditatem, ait Soto. *Profectò* (inquit) *satis ex nobis & infirmitate nostrâ proni sumus ad fugiendum laborem & conatum, maximè voluntatis, & præcipuè circa divina. Nam corpus quod corrumpitur aggravat animam. De verè* tamen *pœnitentibus dictum est: regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Violentiâ quâdam opus est sibiipsi illatâ, ut ad divina feramur, maximè post dejectionem peccati. Magno conatu & omnibus viribus, mihi crede, opus est* (ait alibi) *ut à fovea illa profundissima peccati ad Dei unionem, ab inferno inferiori ad summum cœlum, à longinqua regione ad domum paternam redeas, & assurgas.... Magna violentia inferenda est ipsi naturæ nostræ, ut vera agatur pœnitentia. Nihil durius cervici indomitæ, nihil amarius naturæ per peccatum erectæ, quàm veraciter se odisse, sibi displicere, & in anxietate Dei expectare misericordiam. Nihil infirmitati humanæ gravius, quàm sese tristibus & gravibus curis dedere. Et tamen utrumque horum maximè ad pœnitentiam necessarium est. Recogitandi sunt anni in amaritudine animæ, attentissimè dolendum est. Dole* (inquit Propheta) *& satage filia Sion quasi parturiens.* Et quid nobis aliud veteris Ecclesiæ praxis ostendit?

Denique quid aliud hâc persuasione fit (ait rursum lect. 5. citatâ) *quàm ut in divinis rebus, & his quæ Deo offerenda sunt, putemus tepidè, sine omni cura & animi intensione satisfieri, contra illud:* " *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* *Hierem.* 48. " *Quod sub typo animalium ab altero Propheta pulchrè arguitur:* " *Maledictus* (inquit) *dolosus, qui habens in grege suo masculum,* " *& votum faciens, immolat debile Domino.*" *Malach.* 1. *Nonne huic maledictioni proximum est ita docere, quacumque debilitate offeratur Deo vel charitas, vel pœnitentia, satis est? Quid est affectu tendere in Deum, ut summè dignum amari* (quod ipsi necessarium dicunt ad charitatem) *nisi summo affectu, comparatione aliorum affectuum qui in nobis sunt, illum diligere? Vel quid proderit ita eum considerare, si tepidè & remissiùs quàm alia quæ amamus, illum amemus? Quod verò videntur faciliorem viam pœnitentiæ aperire, parum juvat: aperiunt dubiam & periculosam, nec consentientem doctrinæ Patrum, nec oraculis Prophetarum, nec spiritui Ecclesiæ.* 423

Longè proinde *sit à te hæc persuasio, ut existimes minimo negotio veram pœnitentiam agi. Revera omnibus pietatis studiis, omnibus officiis & operibus virtutis, præcipuè Christianæ, & qualis à Deo exigitur, summoperè nocet perfunctoria quædam,* vel remissa & languida, *vel secundùm speciem tantùm executio. Quod malum quasi proprium novissimorum temporum & periculosorum, Paulus notavit:* " *habentes* (inquiens) *speciem pietatis; virtutem autem ejus abnegantes.*" At verò pœnitentiæ multò magis pestis hæc perniciosa est, utinam non frequentissima! Cùm enim in vera pœnitentia remedium omnium malorum totius vitæ sit, & infirmitatis humanæ unicum præsidium (*ad quod cui non est necessitas confugiendi?*) *si ea non veraciter*, vel certè non ut oportet, *agatur... & putemus nos veram*, & sufficientem, *egisse pœnitentiam, cùm longè ab ea simus, nonne illud Evangelii nobis eveniet: fiunt novissima illius pejora prioribus?* Cætera quæ addit, habes suprà n. 3.... 424

Relege & quæ ex ipso protulimus n. 4. 425

Attentâ etiam meditatione perpende ea quæ addidimus n. 5. Ea namque non satis perpenderunt plerique juniores Casuistæ. 426

CAPUT XXXII.

Seipsos decipiunt multi, & valdè multi, qui sese plenè conversos existimant, cùm non sint.

VEritas ista probatur 1°. ex dicendis cap. 35. ubi pœnitentiam veram ac plenam, qualem scilicet Deus exigit, saltem in magnis peccatoribus, post baptismum lapsis, præsertim consuetudinariis ac recidivis, raram esse, ex gravissimis Sanctorum, illustriumque Scriptorum testimoniis ostendemus. 427

2°. probatur ex eo quòd vera pœnitentia juxta Tridentinum sess. 14. c. 4. *non solùm cessationem à peccato, & novæ vitæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continet*, illudque plenum, atque ex toto corde, uti probavimus, 428

mus cap. 25. At verò multi, & valdè multi, tamesi peccata confiteantur, nec cessant à peccato, sed ad illud facilè & citò redeunt; nec vitam novam inchoant, sed pristinam continuant, nec veterem vitam, seu peccata sua toto ac pleno corde oderunt, ut satis ostendunt, ex eo quòd tam citò & facilè ad illa redeant.

429 3°. multi etiam, ac valdè multi ex ipsis plenam, fortem & efficacem se emendandi voluntatem non habere probantur per ea quæ dixi cap. 27. uti etiam per ea quæ dicta sunt cap. 28. probantur non habere plenum peccati odium.

430 4°. sed & multis, ac valdè multis, post multa & enormia peccata, deest plena voluntas pro illis convenienter satisfaciendi (quod tamen ad veram plenamque pœnitentiam ex dictis cap. 21. & 29. atque ex dicendis de satisfactione prorsus est necessarium:) sunt enim tam delicati & molles, tam segnes & torpentes in cura salutis, ut nihil de solitis deliciis remittere velint, nihil de fastu, nihil laboriosum, nihil quod carnem vel spiritum crucifigat, subire velint, sed pauculas ad summum preces acceptare.

431 5°. multi, & valdè multi ex dictis peccatoribus deficiunt ab orando ut oportet, pro obtinendo pœnitentiæ dono, nec accipiunt tempus ad formandam maturandamque pœnitentiam suam, ex dicendis cap. 37. ordinariè necessarium, sed ad Confessionem properant vel impœnitentes, vel nonnisi superficialiter aut semiplenè pœnitentes, post momentaneum utique pœnitentiæ sensum.

432 6°. vera pœnitentia, maximè post multa & enormia crimina, non est pœnitentia verbalis, nec superficialis, nec otiosa, sed necessariò prorumpit in opera pœnitentiæ cap. 29. ex Apostolo descripta. Opera verò ista in paucis, & valdè paucis ejusmodi peccatoribus reperiuntur.

433 7°. multi, & valdè multi putant veram pœnitentiam, etiam post multa & enormia crimina, adeò facilem esse, ut facillimè quovis momento, absque necessitate magnas & ferventes preces faciendi pro dono illius obtinendo, eam possint elicere, eamque revera se elicuisse putent, quando in quadam formula (*actûs contritionis* titulo prænotata) cum aliqua seu attentione, seu sensibilitate legerunt, & dixerunt: *Diligo te Deus meus super omne diligibile, hanc solùm ob causam, quia tu es summa & immensa bonitas. Doleo, heu! doleo, & eheu! pœnitet me, quòd te unquam offenderim. Numquam, numquam in æternum id amplius fiet. Parce Domine, parce & miserere per unigenitum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.*

434 Istæ quidem formulæ (quibus describuntur actus contritionis, amoris Dei, cæterarumque virtutum) laudabilissimæ sunt utilissimæque, respectivè ad pias animas, in quibus cùm habitet Spiritus sanctus, & frequentes divini amoris scintillas injiciat, non mirum, si amor ad amorosas illas voces & precationes excitatus, vehementiùs in ipsis exardescat. Utiles sint quoque peccatoribus, ut sciant quò tendere debeant, & quos affectus à Deo petere, atque in se excitare debeant, ut Deo reconcilientur.

435 Sed, ut benè observat Soto, aliud est dicere, *ex toto corde amo, doleo*, &c. aliud verè ex toto corde amare, dolere, &c. Sic multi, & valdè multi dicunt, volo esse humilis, patiens, mitis, &c. sed primâ occasione prodit se defectus fortis & plenæ voluntatis, dum ad primam occasionem contumelioſi, vel aliquo modo pungentis verbuli statim prætensa illa voluntas ad instar bullæ in aquis tactæ dissilit & evanescit; sicque innotescit, quòd *esse quidem humiles, sed sine despectu... esse patientes, sed sine contumeliis volunt*, inquit Gregorius l. 7. Moral. c. 14. At verò *qualis quisque apud se lateat, contumelia illata probat*, ait idem S. Pontifex l. 1. Dialog. c. 5. Sed & experitur quilibet apud se, quàm verè idem rursùm Gregorius in Pastorali p. 1. cap. 9. dicat, quòd *sæpè sibi de se mens ipsa mentitur; fitque ut aliud in imis* (hoc est intimis cordis recessibus) *intentio supprimat, & aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Et fingit se de bono opere amare, quod non amat; de mundi autem gloria non amare, quod amat.* Nec procul quærenda hujusce rei probatio, quam experientia quotidiana probat. *Experiatur quilibet* (ait Soto lect. 16.) *apud se, quoties quæ minùs se amare putabat, oblatâ occasione deprehendit se multò magis amasse*, suasque protestationes similes fuisse protestationibus peccatorum morientium, qui ubi jam Deo sistendos se vident, multis precibus & sponsionibus Judicem interpellant. Sed quales sint, passim exitus docet. Nam experientiâ compertum est istorum pleroſque, ut periculum effugerint, continuò promissa oblivisci, & ad pristinam sese vitam revocare. Ita ut (pergit Soto) *de dilectione Dei* (& idem est de dolore peccati) *meritò Gregorius dicat non facilè mentem sibi debere credere, sine operis attestatione.*

Ideò (pergit laudatus Author) *volumus de hac re admonere nostros, ut auferatur persuasio quædam facilis, & (si cum venia dicere licet) levis. Dicat (inquiunt) voluntas, amo Deum præ omnibus bonis, & odio peccatum præ omnibus malis, & factum est utrumque. Sed considerandum est, aliud esse amare, aliud dicere, amo. Ista potiùs actum significant, quàm exercent. Hoc dicere non est amare.* Dei amor, & de peccatis dolor in voluntate consistit, non in phantasia, vel cogitatione, vel precatiuncula, vel lectione formulæ, quâ dicimus & significamus nos Deum amare, deque peccatis dolere. Lectio namque ista amoris & doloris signum, seu protestatio est, sed signum in dictis peccatoribus fallacissimum, & protestatio utplurimùm falsa, si sermo sit de amore & dolore ex toto corde, plenaque voluntate, & sermo sit de peccatoribus, post multa & enormia crimina ad Dei amorem, deque peccatis dolorem sese jam primùm accingentibus, qui magnâ ferventium precum bonorumque operum instantiâ nondum se idoneos præstiterunt, quos ad veram pœnitentiam, suique amorem Deus per gratiam suam & misericordiam perducere dignetur. Nam, uti postea demonstrabimus, verissimè Petrus Soto lect. 17. docet, quòd *volentem verè & integrè pœnitere ante omnia divinæ bonitati, ejusque gratiæ inniti oportet, & per humilem instantemque orationem ante omnia gratiam pœnitendi sibi à Deo postulet necesse est*, collectis omnibus viribus interioribus, cogitationis scilicet, attentionis & affectionis; oportet considerare *quales in peccato simus, & qualia* seu quàm gravia *sunt peccata, & hoc ita consideremus, ut consideratio penetret voluntatis nostræ intima. His considerationibus affectus suos omni conatu oportet conformare, & non semel aut iterùm, sed frequentissimè etiam cum conatu proficiendi hoc agendum.* Denique *post hæc omnia diligenter suum hunc affectum pœnitentiæ* peccator *probet, an verus & integer sit, an non. Idque non aliter quàm operis attestatione*, &c. 436

Unde ibidem addit, *curandum esse Doctoribus, ut hanc periculosam persuasionem tollant.... quâ levissimum, imò ferè nullum putatur negotium esse verè pœnitere. Cùm tamen & maximum & arduum reputetur à Patribus, nec unius horulæ aut momenti.* 437

8°. tot sunt in animis nostris recessus (ait pius Contenson) tot latebræ, tot sæpissimè nebulæ, tot offusæ tenebræ (max mè post sæpiùs iterata crimina) ut seipsum peccator dignoscere non valens, in varios circa semetipsum labatur errores. Sæpè 438

enim passionem sensibilem reputat animi dolorem. Sæpè actum intellectûs, quo peccata improbat, accipit pro dolore voluntatis. Sæpè putat peccata sibi displicere, dum non displicent nisi effectus peccati, videlicet pœna, infamia, conscientiæ remorsus, &c. Sæpè velleitatem vel semiplenam & semisauciam voluntatem ampliùs non peccandi, accipit pro voluntate plena & sufficienti, initiumque conversionis pro plena atque integra conversione. Nec mirum, quia inter hanc & illam non satis discernere novit.

439 Et quamvis peccatores isti fortè sint Theologiæ periti, ideòque speculativè & in communi possint ista discernere; non tamen practicè & in individuo in causa propria. In qua animales facti, valdè inepti sunt ad interiorem statum conscientiæ suæ secundùm spiritum veritatis exactè dijudicandum. Teste namque Apostolo, *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei.* 1. Cor. 2. Teste etiam Gregorio l. 20. Moral. c. 15. *hoc plerùmque humanus animus habet proprium, quòd mox ut in culpam labitur, lux veritatis, quò habita negligitur, eò permittit justus Judex ut nec amissa requiratur.* Teste denique experientiâ, amor proprius, quo sibi quisque blanditur, *vehementer claudit ostium cordis*, prout idem Gregorius ait homil. 4. in Ezech. Et taliter excæcat peccatorem, solitum non intra semetipsum conversari, sed neglecto se, totum extra se effundi, ut ipsi frequenter ignota sit interna dispositio cordis sui, nec ipsius damna sentiat. Ut enim Bernardus dicit de convers. ad Clericos c. 4. *effusus animus interiora damna non sentit: quia nec intùs est.* Facilè proinde fit, quòd animus taliter effusus, proprioque insuper amore excæcatus, in sua de se existimatione sic fallatur, ut se à peccatis recessisse putet, quibus adhuc in imo cordis adhæret; seque debitè ad Deum credat esse conversum, dum in ipso fortior adhuc est cupiditas quàm charitas; neque Deus, sed diabolus adhuc dominium habet in corde ipsius.

440 Quod & ipsi facilè adverterent, nisi adeò extra se effusi, proprioque amore, & affusis peccatorum tenebris excæcati forent. Adverterent (inquam) se media ad obtinendum veræ conversionis donum, juxta Scripturam & Traditionem necessaria non adhibuisse, nec eum in finem orasse, quomodò & quantùm res tanta petenda est. Adverterent insuper, sibi valdè metuendum illud *væ*, de quo Bernardus ibidem c. 27. *Væ, qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, & placere velle præsumunt.* Denique adverterent se utplurimùm adhuc procul esse ab illa dispositione, in qua erat Augustinus, dum (ut narrat lib. 8. Confess. cap. 8.) *fremebat spiritu turbulentissimæ indignationis* contra seipsum, *quòd non iret in placitum & pactum cum Deo.* Et (ut addit cap. 11.) *excruciabatur, accusans semetipsum solito acerbiùs nimis.... dicebam enim apud me intùs* (inquit) *ecce modò fiat, modò fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum. Jam penè faciebam, & non faciebam; nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabam, & respirabam.... Et paulò minùs ibi eram, & paulò minùs jam jamque adiugebam, & tenebam; & non ibi eram, nec adiugebam, nec tenebam*; quia (ut explicat c. 8.) *pervenire illuc, nihil aliud erat quàm velle ire, sed velle fortiter & integrè* (in quo adhuc deficiebat) *hæsitans mori morti, & vitæ vivere, pluſque in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum.* Nondum proinde totus conversus erat. Quia plenè, sive ex toto nondum volebat.

441 Ad hæc si interiores oculos apertos, nec proprii amoris, peccatorumque suorum tenebris excæcatos haberent peccatores, qui Theologiæ sunt periti (maximè consuetudinarii & recidivi) facilè perspicerent, se vehementer decipi, dum se debitè conversos reputant, tametsi longè adhuc distantes ab illa Augustini dispositione, in qua nondum debitè seu plenè conversus erat; in qua utique adeò desiderabat ire in placitum & pactum cum Deo, ipsique fideliter servire, ut non solùm non relaberetur in pristina (prout ipsi faciunt) sed & ubertim fleret, fremeret, & valdè indignaretur contra seipsum, excruciareturque accusans seipsum quòd placitum illud nondum attingeret. Non ideò tamen totus conversus erat: quia nondum ex toto id volebat; sed adhuc hæsitabat mori morti, & vivere vitæ. Ecce ergo non quæcumque lachrymæ, nec quæcumque indignatio contra peccatum, nec quæcumque ab eo recedendi, Deoque obediendi voluntas facit plenè conversum. Non certè lachrymæ tales, quales puella illa fundebat, de qua Duvallius in vita nostræ B. Mariæ de Incarnatione narrat, quòd lachrymis & fletibus colliquescere solita erat inter confitendum peccatum, quod quatuor post horis rursus erat perpetratura. Confitebatur illa cum bonis voluntatibus & desideriis, sed bonis voluntatibus, quibus refertos inferos Author est Bernardus.

Non etiam plenè conversum facit pœnitentia, 442
cujus specimen divina Scriptura 2. Machab. exhibet in Antiocho, quod si ritè intueantur, qui facilè & citò ad solita crimina revertuntur, videbunt & suam sibi pœnitentiam, cum illa comparatam, esse debere suspectam. Quid enim ampliùs relucet in pœnitentia ipsorum, quàm in pœnitentia Antiochi, in quo plura certè & majora pœnitentiæ indicia fuerunt, quàm in ipsis? Siquidem peccatum suum confessus est, vehementer de eo se dolere testatus, pristinamque sanctæ Civitati libertatem, Judæis opes & copias se restituturum pollicitus, verique Dei nomen & gloriam toto se orbe prædicaturum, ac templum ipsius donis magnificentissimis exornaturum, denique sacrificiis ipsius sumptus de suo suppeditaturum. Et quamvis ex sacra narratione non appareat, indicia illa simulata fuisse: insufficientem tamen fuisse pœnitentiam ipsius, exinde constat, quòd iis omnibus Dei misericordiam promereri non potuerit. Eò quòd utique Dei misericordiâ per gravissima peccata sua factus indignus (quâ & dicti peccatores indigni sunt) sufficientis pœnitentiæ donum à Deo non acceperit. Et ipsi ergo *consuetudinarii* habent unde justè timeant, ne Dei misericordiâ post tam gravia crimina, totque in ea (post Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta) relapsus, facti indigni, sufficientis pœnitentiæ donum à Deo non acceperint; ideòque ne dolor quem de peccatis habere videntur, vel ex naturali aliqua causa seu motivo procedat, vel aliunde non sit sufficiens.

Nec refert quòd aliquandò sentire videantur 443
compunctionem, nec solùm timore pœnæ (ut Antiochus) verùm etiam ex affectu in Deum. Quia sensibilis compunctio ipsorum, sine dignis pœnitentiæ fructibus, præsertim emendatione vitæ, ipsis suspecta esse debet, utpote similis compunctioni illius puellæ, de qua Duvallius. Similis etiam compunctioni, quam quandoque sentiunt etiam perditæ vitæ homines, ille exempli gratiâ, de quo S. Aëlredus spec. char. c. 7. *qui licèt immani vitiorum gurgite absorptus, omni se spurcitiæ & immunditiæ traderet, nihil prorsus flagitii perhorresceret, in tali vita sæpiùs compungebatur. Nec solùm timore pœnæ, & peccatorum suorum recordatione; quod fortè nemo miraretur: sed etiam miro affectu in amoris Jesu dulcedinem resolutus, quodam mentis osculo ipsum videretur amplecti.* Facit hoc nonnunquam dæmon, perversorum hominum corda emolliendo, ipsosque (commovendo humores) ad lachrymas resolvendo, ut decepti sibi persuadeant, tibi benè esse

cum Deo. Et tametsi peccatores, à se aversos, divina pietas ejusmodi blanditiis subinde etiam præveniat, & ad se alliciat; plerique tamen seipsos decipiunt, dum istud conversionis incitamentum, & si vis, inchoamentum, reputantes illius complementum, illam promovere, veræque pœnitentiæ fructus producere negligunt. Qua in re miserabiliter falluntur cum iis, de quibus idem sanctus Aëlredus ibidem cap. 20. *O quàm miserabiliter falluntur, quam sunt suæ salutis proditores, qui vitiis innumerabilibus ac damnabilibus implicati, si quid hujus, de quo loqueris, experiantur affectûs, non solum sibi veniam de præteritis pollicentur; imò ad eadem securiùs quodammodò revertuntur, nec aliquid hoc spirituali incitamento proficiunt, sed sanctiores hinc semetipsos arbitrantes, in suis sordibus vel negligentiis impudentiùs volutantur. Fortè de talibus ait Apostolus: Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant. Numquid non genus hoc compunctionis excæcat oculos, aures obturat, illorum dumtaxat qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitentiæ fructibus, paucis his lachrymis æstimant abluendas?*

445 Itaque *non secundùm momentaneum illum, &, ut ita dixerim, horarium affectum, Dei pensandus est amor* (inquit rursum Aëlredus c. 17.) *quod & perspicuum est intueri contrariis exemplis. Cùm enim in tragœdiis, vanisque carminibus, quisquam injuriatus fingitur vel oppressus, cujus amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiosus prædicatur affectus; si quis hæc vel cùm canuntur audiens, vel cernens si recitentur, usque ad expressionem lachrymarum quodam moveatur affectu, nonne perabsurdum est ex hac vanissima pietate de amoris ejus qualitate capere conjecturam, ut hinc fabulosum illum nescio quem affirmetur amare, pro cujus ereptione, etiamsi hæc omnia verè præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expendi? Similis profectò ineptiæ est; imò multò majoris insaniæ, si quisquam luxuriosus, aut tepidus, occultâ Dei dispensatione, ob quosdam internos compungatur affectus, ad vana, & lubrica, & sordes pristinas denuò reversurus, secundùm steriles has lachrymas, ac momentaneos affectus, de ejus dilectione ferre sententiam.*

446 Ecce quot, & quàm graves ob causas peccatoribus, maximè consuetudinariis & recidivis, suspecta esse debet sua sine lachrymis, imò & cum momentaneis lachrymis, sed sterilibus, ac sine pœnitentiæ fructibus pœnitentia, quam facilè & citò subsequitur reditus ad pristina scelera. De ejusmodi certè pœnitentia diffidere, non est nimium diffidere, sed malam consuetudinem, animæque suæ periculum præcavere. Ad quod præcavendum S. Fulgentius de remiss. peccat. diù ante S. Aëlredum monuit, esse nonnullos, *qui scelerum suorum consideratione perterriti, pro iniquitatibus quidem suis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione discedunt.... Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi, & eadem peccata, quæ humilitate sermonis accusant, corde perverso contumaciter cumulant. Indulgentiam, quam lachrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi pravis operibus adimunt.... Ac sic inaniter verbis quærunt placare justum Judicem, quem factis iniquis magis irritant ad furorem: tales enim nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.*

447 Imprudenter ergo tales peccatores credunt se verè ac debitè pœnitere, se Deum ut oportet diligere, &c. Et tantò imprudentiùs, quantò verius quòd vel ipsi justi plerumque, ob aliquem (quem in seipsis sentiunt) affectum humilitatis, patientiæ, &c. sed in occasione sterilem, imprudenter se credunt verè humiles, patientes, &c. cùm ex oblata prima occasione appareat ipsos velle esse humiles, *sed sine despectu..... esse patientes, sed sine contumeliis*, &c. Sic & multi se Deum ex toto corde diligere putant, quia aliquem in se sentiunt affectum amoris in Deum. Sed quid idem Gregorius ait homil. 30. in Evangelia? *Ecce* (inquit) *si unusquisque vestrùm requiratur an diligat Deum, totâ fiduciâ, & securâ mente respondet, diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis:* "Si quis diligit me, sermonem meum servabit." *Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in epistola sua idem Joannes dicit:* "Qui dicit, diligo Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est...." *Ad vosmetipsos ergo, fratres, introrsus redite, si Deum verè amatis exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat* (nota) *quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione Dei lingua, mens, & vita requiruntur.*

CAPUT XXXIII.

Pauci peccatores, maximè consuetudinarii, & frequenter recidivi, post grandia crimina, assumere volunt media, sibi ad curandos animarum suarum morbos, cavendumque relapsum necessaria.

ET hinc ampliùs roborantur, quæ dicta sunt 448
cap. præcedenti: perspicuum namque est plenè conversos non esse, falsòque sibi contrarium persuadere eos qui toto corde assumere non volunt media sibi specialiter (attentâ speciali infirmitate suâ) ad cavendum relapsum necessaria. Ut enim suprà dixi, perspicuum est quòd plenâ voluntate non velit finem, qui plenâ voluntate assumere non vult media sibi necessaria ad finem.

Paucos verò peccatores, post crimina, vel e- 449
normia, vel sæpè repetita, plenâ voluntate ea assumere velle, liquet ex eo quòd pleraque ipsis (attentâ speciali infirmitate suâ) ad cavendum relapsum respectivè necessaria sint (præsertim si consuetudinarii sint) quæ aliis omnibus non tam necessaria sunt. Eò quòd plurima ipsis, attentâ speciali infirmitate suâ, sint peccandi occasio proxima, quæ aliis non sunt. Sicut infirmis, post febris absessum, ex reliquiis illius, adhuc retinentibus dispositionem ad illam, multa sunt valdè noxia, & febris denuò inductiva, quæ perfectè sanis talia non sunt. Siquidem assuetis peccare, præ aliis periculosæ sunt peccatorum suorum illecebræ, neque ipsis (tametsi verè conversis, Deoque reconciliatis) sublata est omnis ad relapsum proclivitas, nec peccati reliquiæ ex consuetudine comparatæ. Idcòque ipsis facile est in assueta recidere, & certò moraliter in ea recident, nisi magnam sibi suisque inclinationibus violentiam inferant, in tantaque infirmitate præ aliis laborent, vigilent & orent; nisi magno studio, ferventi intentione, & indefesso conatu pugnent contra vitia consueta; nisi denique contra ea se arment per exercitium contrariarum virtutum. Nam quia vitia, diuturnâ consuetudine roborata, altas in animo radices egerunt, sine magna violentia revelli non possunt, nec sine magna sui custodia, sine ingenti labore, sine indefessa oratione, aliisque armis spiritualibus, quibus pectus suum muniant, ne intrent in tentationem, & in laqueum carnis, mundi & dæmonis, à quibus indesinenter sollicitantur ad peccatum. At quàm pauci hæc præstant! Quàm pauci toto corde, plenâque voluntate præstare volunt!

Dicit interim Augustinus in Psal. 37. *Ne secu-* 450
rus sis, cùm confessus fueris peccatum, tamquam semper paratus ad confitendum, & committendum

peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo. Quid est curam gerere pro peccato tuo? curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operam ut sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulo agere, ut sanes peccatum. Hoc est, curam geram pro peccato, faciam omnia quæ facienda sunt ad abluendum & sanandum peccatum meum.

451 Dicit etiam Gregorius XI. Moral. 27. *Mens mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur quàm est, & nisi in statu suo arctâ custodiæ disciplinâ teneatur, semper in deteriora relabitur... Quia.... nisi mentis intentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur.*

452 Dicit Isidorus 2. sentent. 32. *Satis delicatè se palpat, qui vult sine labore vitia superare, dum peccati legem, quam sibi, deserviendo vitiis, fecit, sine violentia doloris resecare non possit.* Quid hoc est, nisi imitari reprobos, de quibus Gregorius 7. Moral. 14. dicit, quòd *recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur.... Esse quidem humiles, sed tamen sine despectu: esse contenti propriis, sed sine necessitate: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis volunt. Cumque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud est, quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiscunt?* Quid proinde aliud, quàm defectum plenæ voluntatis ostendunt? *Qui ventrem implens* (ait S. Nilus in lib. *de octo cogitationibus* in verbo gula) *pudicitiæ cultum profitetur, similis est ei qui se ignis impetum stupâ compressurum, aut flammam oleo extincturum policetur. Dum enim homines* (ait Damianus l. 1. ep. 15.) *non exigenti naturæ, sed impatienti gulæ deserviunt, velint nolint, libera libidini fræna laxantur. Venter enim, atque pudenda, contigua sibi sunt affinitate contermina; & cùm ille sine temperantiæ discretione reficitur, illa protinùs ad consumelias excitantur. Cibi scilicet* (sicut & potus) *illices sunt libidinum, & immoderatè percepti, proprii humoris exuberantiam mox ad pudenda transmittunt. Qui videlicet humores dum congesti pruriunt, & titillant, importunius expetunt, ut per coitum profluant.*

453 Consideret ergo peccator 1°. quòd SS. Patres uno ore dicunt, Christianum esse non posse hominem deliciarum, Apostolo 1. Tim. 5. de Christiana muliere dicente: *quæ autem in deliciis est, vivens mortua est.* Et Tridentino sess. 14. de extrema unctione attestante, quòd *tota vita Christiana, continua pœnitentia esse debet.* Si Christianus esse non potest homo deliciarum, quantò minùs peccator? Et si vita tota hominis Christiani, continua pœnitentia esse debet, quantò magis vita hominis peccatoris? Non facit ergo quod in se est ad obtinendam gratiam contra relapsum, si de solitis deliciis nihil remittere velit.

454 Consideret 2°. quod Gregorius VII. l. 7. ep. 10. de peccatoribus dicit: *Quisquis dignè vult pœnitere, necesse est ut ad fidei recurrat originem, & quod in baptismo promisit, diabolo scilicet & pompis ejus abrenuntiare, &... mandatis Dei obedire, sollicitus sit vigilanter custodire.... quoniam aliter simulatio dici potest, non pœnitentia.* Ad hoc verò præstandum, oportet Christum sequi per angustam portam.

455 Consideret 3°. quòd ne justi quidem secundùm Trident. sess. 6. c. 13. in observantia mandatorum perseverare possunt, *nisi cum timore & tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in oratione & oblationibus, in jejuniis & castitate.* Quod nisi fecerint, *in pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, victores esse non possunt, nisi* (inquam, prosequitur Tridentinum) *cum Dei gratia, Apostolo obtemperent, dicenti: debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus; si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Consideret denique 4°. quod scriptum est: 456
Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi apparebunt, nisi magnam sibi vim intulerint? Et si quilibet Christianus, etiam conjugatus, quamdiù medios inter hostes & laqueos vivit, secundùm Evangelicas regulas, abnegare debet seipsum, odisse animam suam, tollere crucem suam quotidie, laborare, vigilare, semper orare, mortificare membra sua super terram, &c. Si (inquam) ista sint media cuilibet Christiano necessaria ad observantiam mandatorum, effugiendosque laqueos inimicorum: quantò magis necessaria sunt peccatoribus, præsertim consuetudinariis, utpote magis infirmis, magis proclivibus ad peccandum, & magis debilibus ad resistendum inimicis, nisi præ cæteris se custodiant, vigilent, orent, & laborent?

Quòd autem supradictarum regularum Evan- 457
gelicarum observantia cuilibet Christiano, etiam conjugato, necessaria sit, ad observantiam mandatorum, fugamque peccatorum, audi B. Basilium in serm. de abdic. rer. ubi Christianum quemlibet, & maximè conjugatum sic alloquitur: *Non est igitur quamobrem tu, qui ad uxorem applicare animum maluisti, quasi de ea re tibi mundum amplecti licitum sit, desidiæ te des: quando eo majore tibi labore contendendum est, attentioreque animi utendum vigilantiâ, ut salutem invenias, velut qui sedem tibi in mediis laqueis, mediaque rebellium potestatum ditione delegeris, ubi peccatorum assidua ante oculos posita irritamenta habeas, adquæ concupiscenda omnes sensuum libidines tuorum assiduè loco velut emotæ impellantur. Quocirca intelligere debes, neutiquam effugere te posse, quin cum diabolo tibi sit decertandum, ex eoque nullo modo victoriam te, sine multis laboribus, pro Evangelicorum præceptorum conservatione susceptis, reportaturum. Qui enim* (quæso) *pugnam cum adversario poteris subterfugere, cum eo intra caveam pugnæ destinatam concluſus? quæ sine dubio universa est tellus, quæ sub amplissimo cæli hujusce ambitu continetur. Quam quidem ex historia Job accepimus assiduâ illum obambulatione perlustrare, circumireque, quasi rabiosum canem, quærentem quem devoret. Quòd si eum adversario inire pugnam non vis, in alium ex hoc ipso mundum commigres oportet, in quo ipse non sit. Tum licebit tibi.... citra periculum ferias indicere Evangelicis dogmatibus. Quòd si hoc impetrari non potest, artem eam dijcas convenit, per quam scienter cum eo scias dimicari. Hanc autem haud dubiè traditura tibi divina Scriptura est, ne ex imperitia ab eo superatus, sempiterno igni in perpetuum cruciandus dedare.* Audis, Evangelicas regulas supradictas servare, esse medium cuilibet Christiano necessarium ad evitandum peccatum, ac per consequens ad evitandum ignem sempiternum? Multò ergo magis idipsum necessarium est peccatoribus, quibus magna peccandi occasio est sua ex enormi crimine, vel ex peccandi consuetudine aucta infirmitas. A qua nisi supradictis mediis, per Evangelicas regulas illas præscriptis, sanari, & in pugna contra spirituales nequitias corroborari conentur, plenâ voluntate peccati recidivum cavere nondum velle convincuntur; sed adhuc manere velle in lubrico. Ut autem optimè Bernardus serm. 1. Pasch. c. 16. *Non satis piget occidisse hominem* (ut videtur) *qui adhuc manere disponit in lubrico.* Et sicut in-

firmus post febris absessum, ex ejus reliquiis adhuc dispositus ad illam, non censetur febris recidivam plenâ voluntate cavere velle, nisi cæteris cautiùs se velit custodire, ab iisque abstinere, quæ Medicus ad cavendum recidivum cavenda, cætera denique servare, quæ servanda præscribit: sic grandis peccator, maximè consuetudinarius, post suam conversionem peccati recidivum non censetur plenâ voluntate cavere velle, nisi cæteris cautiùs se custodire velit, ab iisque abstinere, quæ cælestis Medicus in Evangelio cavenda, cæteraque servare, quæ ibidem servanda præscribit.

CAPUT XXXIV.

Pauci etiam magni peccatores, maximè recidivi, & consuetudinarii, salutarem & convementem, pro facultate sua, admissorum criminum multitudine & gravitate satisfactionem acceptare volunt, atque ex hoc etiam capite pauci ex ipsis verè sunt ac plenè conversi.

458 DE tribus esse debet plena voluntas ad plenam conversionem requisita. Utique 1°. de vita imposterùm emendanda. 2°. de adhibendis mediis, ad cavendum relapsum tam absolutè quàm respectivè necessariis. 3°. de convenienter satisfaciendo pro peccatis commissis. Nec sufficit ista velle utcumque, sed velle oportet plenè, sive *fortiter & integrè*, inquit Augustinus l. 8. Confess. c. 8. Post quem S. Carolus Borromæus Instruct. Past. p. 2. §. 8. *Universi* (inquit) *quantùm in se est, eum animi dolorem, qui jure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma & constanti deliberatione animi, tum pro præteritis satisfaciendi, tum vitam imposterùm emendandi.* Suntque ista tria de ratione contritionis, uti posteà videbitur. At quàm pauci sunt, in quibus triplex illa voluntas fortis est & integra! Videmus longè majorem partem mundanorum hominum currere ad Confessarios dantes parvas pro peccatis magnis pœnitentias, & refugere dantes congruas. Sed quid de talibus S. Bernardinus Senensis? *Non plus habent contritionis* (inquit) *quàm diabolus*, to. 3. serm. 35. de amore conterente. Plura hac de re vide infrà, ubi de satisfactione.

CAPUT XXXV.

Plenam magnorum peccatorum, post baptismum lapsorum, præsertim consuetudinariorum, facileque & citò relabentium conversionem raram esse, testantur Sancti, Scriptoresque gravissimi.

459 PRimus hujusce rei testis est S. Pacianus epist. 3. ad Sympronianum, ubi dicit, quòd *labor ille paucorum est, qui post casum resurgunt.*

460 Secundus est S. Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 10. ibi: *Facilùs inveni, qui innocentiam servaverunt, quàm qui congruè egerunt pœnitentiam.* Ex quibus verbis arguitur sic: teste Ambrosio difficilius est innocentiam baptismalem, semel amissam, verâ pœnitentiâ recuperare, quàm ad finem vitæ servare. Si difficilius, rarius. Quod enim difficilius, rarius. Atqui rari sunt, qui baptismalem innocentiam ad finem vitæ servant. Ergo rariores, qui eam amissam verâ pœnitentiâ recuperant. Rariores enim dicit Ambrosius, qui eâ amissâ congruè agunt pœnitentiam, quàm qui eam ad finem vitæ servant.

461 Nec de sola ibi pœnitentia publica loquitur Ambrosius (de qua solùm obiter dicit, quòd iteranda non sit, quia una tantùm est pœnitentia, quæ publicè agitur) sed hoc uno excepto, in cæteris omnibus quæ in capite illo decimo antecedunt & sequuntur, de iis agit quæ necessaria sunt ad pœnitentiam, etiam non publicam, & ad recuperandam innocentiam perditam, quòd utique pœnitentia facienda sit cum humilitate, & oratione, & fletu; quòdque ad eam congruè agendam renuntiandum sit sæculo, sibi ipsi, atque pristinæ vitæ, tollendaque crux Christi. Quæ certum est necessaria non esse ad agendam solam pœnitentiam publicam, sed & privatam.

462 Tertius testis est Augustinus serm. 232. edit. novissi. ubi sic: *Abundant hîc pœnitentes, quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate pœnitentes, & eunt orare pœnitentes. Discutio pœnitentes, & invenio malè viventes... Mutamini, mutamini rogo... Quæro unum pœnitentem, & non invenio*, id est vix unum invenio. Iste namque est mitissimus sensus verborum Augustini.

463 Quartus testis est S. Gregorius ad illa verba l. 1. Reg. 6 *si fortè relevet manum suam*, &c. ipsum vehementer insinuans, cùm dicit: *Commoveri ad lachrymas cum magna fortitudine debemus. Quia siquis pœnitentiam austeram faciunt* (qui profectò rari sunt) *vix fiduciam salutis inveniunt, negligentes* (quales utplurimùm sunt consuetudinarii, & facilè recidentes) *salvi fieri quomodo possunt?*

464 Quintus testis est B. Albertus Magnus in Paradiso animæ, dicens, quòd *vera contritio est rara, teste D. Gregorio; nec semper credendum est, veram esse compunctionem, ubi gemitus apparent & lachrymæ.*

465 Sextò testes sunt omnes Sancti, qui paucos ex Catholicis adultis salvos fieri dicunt, in comparatione eorum qui pereunt. Non quia non confitentur, sed quia non benè, defectu debiti doloris ac pœnitentiæ. Dudum observavit hoc Guilielmus Parisiensis de Sacram. Pœnit. c. 6. dicens, quòd *incomparabiliter plus dolendum atque lugendum pro damno atque amissione spiritualium... quàm pro damno atque amissione quorumcumque temporalium. Major tamen pars pœnitentium, imò penè omnes è contrario facere videntur. Quia major pars pœnitentium incomparabiliter longè esse videntur à condigno & congruo dolore pœnitudinis, & propter hoc à remissione peccatorum, atque à virtute & effectu Sacramenti Pœnitentialis, & propter hoc pro remissione & absolutione reportare illusionem.*

466 Idipsum observavit Adrianus VI. quodlib. 3. q. 1. sine argumentis, atque ex ipso & cum ipso Rosemundus in Confess. c. 11. & seq. de contrit. postquam enim dixit *arduum cuilibet & valdè difficile esse, agere veram pœnitentiam, & habere dolorem sufficientem, qui sit contritio....* quia *dilectio Dei super omnia*, ad dolorem sufficientem necessaria, *est opus maximè arduum, & hominibus post lapsum summè difficile.... Ideò, ut dicit Adrianus VI.... major pars hominum, etiam Christi fidelium, est extra statum gratiæ.*

467 Similiter Bellarminus conc. 32. de Resurrect. Dom. §. *at inquis*: sic *certè Confessiones hoc nostro sæculo fiunt, ut ego vehementissimè reformidem illas audire*, defectu scilicet veræ pœnitentiæ. Nam (ut ait conc. 8. & 9. in Dom. 4. Advent. *Sacramentum Pœnitentiæ Baptismus est laboriosus.... requirens gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos pœnitentiæ, preces, jejunia, eleëmosynas, & alia id genus opera*, PROUT ECCLESIA CATHOLICA *tenet*, ET SEMPER PATRES *docuerunt*.... *Ipse etiam Spiritus sanctus in Scripturis sanctis.* At, ut paulò ante dixit, *ad Confessionem veniunt homines onusti peccatis... sine operibus istis, & statim volunt expedirs* (id est absolvi, & ad sacram mensam admitti) *quasi hoc negotium esset ludus puero-*

rum. Nonne hi Deum non placare, sed irridere voluisse videntur? Et addit pœnitentiam veram adeò raram esse, ut veræ pœnitentiæ opera *non solùm in moribus nostris, sed vix jam in libris reperiantur.* Quòdque ideò *quamplurimi turmatim in gehennam descendunt.... ex iis qui confitentur.* Denique quòd usque adeò *dilatavit infernus animam suam, ut descendant ad eum sine numero.*

Similia habet, & multis probat Cornelius à Lapide in cap. 2. Jacobi v. 13. Alfonsus quoque Rodriguez (apud Gobat tr. 6. de Pœnit. n. 182.) non sine plurium aliorum suffragio scribit, longè plures confessiones fieri sacrilegè, ex defectu propositi emendationis.

468 Quid verò S. Theresia? Post mortem apparens, suos monuit, ut in concionibus suis *vehementer inveherentur in confessiones malè factas. Quia via, per quam majorem animarum numerum diabolus in infernum pertrahit, sunt confessiones malè factæ, quibus medicina in venenum convertitur.* Sic habetur pag. 510. Operum S. Theresiæ, ex idiomate Hispanico in Gallicum traductorum per R. P. Eliseum à S. Bernardo Carm. Excalc. In Operibus quoque S. Hildegardis, per Taulerum explicatis, mos indignè atque infructuosè Sacramenta recipiendi, velut communis & valdè frequens enarratur, istamque ob causam Sancta illa prædicit futurum, ut divina justitia tot hæreses, atque in fide fluctuationes permissura esset.

469 Denique S. Carolus Borromæus Instr. Past. c. 18. quòd *magno numero* inveniantur *qui omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxerunt...* Et *qui nunquam ut oportet Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarunt.* Sanctus quoque Franciscus Salesius Introd. in vit. devot. p. 1. c. 6. *Frequenter accidit* (inquit) *confessiones ordinarias eorum qui vitam ducunt communem, vulgaremque, plenas esse magnis defectibus. Eò quòd frequenter vel nulla, vel modica adsit præparatio, vel requisita desit contritio.* Et in Constitut. Synodal. p. 4. tit. 9. cap 5. *Falsis absolutionibus*, falsis proinde pœnitentiis, *perit tum Presbyterorum, tum pœnitentium multitudo infinita.*

470 Imò (quod mireris) vel ipse Baunius, licèt aliàs laxioris non rarò doctrinæ, de pœnit. fol. mihi 223. reddit testimonium huic veritati: *Mihi* (inquit) *mirabile videri non soles, si paucos, atque adeò ne unum quidem de mille veri pœnitentis nomine reperiri posse dixerit Augustinus.... serm. 144. de temp. Nimirùm pauci in viam redeunt, pauci se, moresque corriguut.*

CAPUT XXXVI.

Pœnitentiam ad finem usque vitæ dilatam valdè suspectam habuerunt sancti Patres.

471 PUlcherrimas ad id probandum sententias SS. Patrum exhibet Morinus l. 3. de pœnit. c. 9. Specialiter id probatur ex famosis illis Ambrosii verbis in exhort. ad pœnit. *Qui positus in ultima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id est exit de corpore, fateor vobis, non illis negamus quod petit; sed non præsumimus dicere, quia benè hinc exit: non præsumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis benè vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam dum sanus est, & reconciliatus, si postea benè vixerit, securus est. Agens verò pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus. Pœnitentiam dare possum: securitatem dare non possum. Si tunc agere vis pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.*

Hæc verba Ambrosii tanto in pretio habuerunt alii Patres, ut idipsum iisdem penè verbis post Ambrosium dixerit Augustinus homil. 41. inter 50. Cæsarius Arelatensis homil. 44.

Celebris quoque ad idem est sententia Augusti- 472
ni serm. 57. de temp. *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Similia habent Salvianus, Isidorus Hispalensis, Rabanus, & Hugo Victorinus apud Morinum suprà.

Nec de iis solis Patres sic loquuntur, qui nota- 473
bilia tunc non dedissent signa pœnitentiæ; sed & de iis qui ea dedissent, anxii fuerunt, uti constat ex epist. Cleri Romani ad Cyprianum (quæ est 31. inter epistolas Cypriani) ubi loquens de iis qui pœnitentiam non recusabant, sed imminente morte peragere non poterant, sic ait: *Eorum autem, quorum vitæ suæ urgens exitus dilationem non potest ferre, actâ pœnitentiâ, & professâ frequenter suorum detestatione factorum, si lachrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodiderint, cùm spes vivendi secundùm hominem nulla subsliterit, ita demùm cautè & sollicitè subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera.*

Si tamen pœnitentiam agere cœperint, dum sa- 474
ni essent, & aste mortem reconciliati fuerint, licèt reconciliatio propter mortis periculum, statuta tempora anteverterit, tales de corpore securos exire censuit Augustinus homiliâ 41. citatâ: *Vis te de dubio liberare? vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & invenerit te novissimus dies, curre ut reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus es? quia egisti pœnitentiam eo tempore quo & peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, & non tu illa.* Idem habent Ambrosius, Cæsarius Arelatensis, & Isidorus apud Morinum suprà, sicut & Bernardus lib. de modo benè vivendi c. 27.

De iis autem pœnitentiæ procrastinatoribus, 475
qui eam ad vitæ finem ex proposito differebant, quid Cæsarius Arelatensis? Homil. 13. sic in eos invehitur: *Sed dicet aliquis, cùm ad senectam venero, & aliquâ nimiâ infirmitate fuero desperatus, tunc pœnitentiam petam. Non quidem dicimus pœnitentiam prodesse non posse. Certum est quia prodest, si cum grandi eleëmosyna illam unusquisque accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam tribuat, & quibuscumque fecit injuriam, veniam petat, & ita toto corde deliberet, ut si evaserit, quamdiù vixerit, illam cum rugitu, & gemitu, & cum multis eleëmosynis humiliter agat.* Sed nimis rarum est pœnitentiam veram ex toto corde tunc agi; econtrà: *multos novimus, dum sani essent, frequenter dixisse, pœnitentiam se toto corde desiderare; sed tamen quia illam statim agere noluerunt, sine ipsius remedio de hoc sæculo recesserunt.* Perculitur enim hâc animadversione peccator, *ut moriens oblivisceatur sui, qui vivens oblitus est Dei. Nam qui remedium animæ suæ, quando potuit, noluerit quærere; postea, etiamsi velit, dubium est utrùm mereatur accipere. Vix è centum millibus hominum* (ait Eusebius ad Damasum, de morte Hieronymi) *quorum mala semper fuit vita, meretur à Deo habere indulgentiam unus.... Qui, dum sanus est & juvenis, Deum offendere non formidat, in morte non merebitur divinam obtinere indulgentiam.* Reverà (inquit Bernardus serm. 38. ex parvis, sive serm. 75. de diversis) *si benè memini, in toto canone Scripturarum, unum latronem inveniet sic conversum.*

Sed quam ob causam (inquies) de salute Chri- 476
stiani pœnitentis, & reconciliationem in mortis

articulo

articulo petentis ; & ſuſcipientis , uſque adeò ſancti Patres diffidebant ; quandoquidem Catechumenum , vel etiam Ethnicum , in eodem mortis articulo baptiſmum petentem & ſuſcipientem , ſtatim poſt mortem ſalutem conſequi crediderunt ? Reſpondeo , cùm ratio hujus peti nequeat ex parte Sacramenti , neceſſariò petendam eſſe ex parte pœnitentiæ ad Sacramentum vel effectum Sacramenti requiſitæ. Utrobique quidem pœnitentia adultis peccatoribus neceſſaria eſt , ſed ideò longè facilior ante baptiſmum , quàm ante pœnitentiæ Sacramentum , quia gravitas criminum poſt baptiſmum commiſſorum longè major eſt, quàm ante baptiſmum ; eorumque proinde pœnitentia difficilior & rarior. Quia juxta SS. Patres debet eſſe longè major. Rectè proinde Morinus poſt Adrianum VI. rationem diſcriminis petit ex gravitate criminum poſt baptiſmum perpetratorum. Quia (inquit) ingentem admodùm contritionem poſtulant. Quippe crimina quæcumque ante baptiſmum commiſſa , ſine ullo labore & ſudore per baptiſmum integerrimè remitti Patres docuerunt apud eumdem Morinum ibidem c. 2. Crimina verò poſt baptiſmum commiſſa , ſine magnis fletibus, & laboribus non remitti tradiderunt , prout videre eſt ibidem cap. 3. Vide etiam Adrianum de Sacram. Pœnit. §. *ſecundò videndum*, & quodlib. 5. ubi rationem hanc clarè explicatam , benè perpendit.

477 Alteram cauſam priori addit Morinus, eamque plerique (inquit) Theologi ſpectarunt , de priori illa parùm ſolliciti : petiturque ex amore juſtitiæ , ex quo vera procedere debet pœnitentia ; qui amor tum difficillimè concipitur. Ut enim Scotus obſervat in reportatis ad lib. 4. ſentent. diſt. 20. poſt Authorem libri de vera & falſa pœnitentia c. 17. *quem verè pœnitet, oportet non ſolùm timere Deum judicem , ſed & juſtum diligere.* Vera proinde pœnitentia *oportet* (inquit Scotus) *quòd ſit voluntaria deteſtatio , & debitè circumſtantionata, maximè circumſtantiâ finis , ut quòd homo non ſolùm pœniteat propter timorem pœnæ , ſed timore filiali. Sed difficile eſt tunc dolere , niſi ex timore ſolùm , & ſi non ſit cum amore , non diſponit de congruo.* Hanc rationem *reddunt communiter Scholaſtici antiqui* (inquit Morinus) Albertus Magnus. . . . S. Thomas. . . . Richardus de Media Villa. . . . Thomas de Argentina. . . . S. Bonaventura. . . . Joannes de Friburgo.

CAPUT XXXVII.

Plena converſio magnorum peccatorum , maximè conſuetudinariorum , facilèque & citò reincidentium in crimina (præſertim tenacia , cujuſmodi ſunt fornicatio , pollutio voluntariè procurata , & ſimilia) eſſe non ſolet repentina , nec tempore perfici breviſſimo ; ſed imperfectè primum concipi , deinde paulatim magis magiſque augeri & firmari , tandemque ad neceſſariam plenitudinem perduci.

§. I.

Senſus aſſertionis.

478 DUm hoc aſſerimus , non volumus tempore opus eſſe , ad hoc ut converſis Deus peccata remittat. Momento enim ſit remiſſio , ſi debita adſit diſpoſitio, ſeu contritio. Nec volumus , Deo difficile eſſe , ſubitò conferre plenæ converſionis, ſeu contritionis donum. Siquidem hoc factum agnoſcimus in Matthæo , Latrone, Apoſtolo Paulo, & in illis tribus hominum millibus, quos uno miraculoſo Petri ſermone , breviſſimo tempore Deus in tantum illuminavit, ut Chriſtum agnoſcerent ; in tantum inflammavit , ut ex toto corde diligerent ; taliter diſpoſuit , ut ſolutis ignorantiæ cupiditatumque vinculis, finito ſermone, per baptiſmum filii Dei efficerentur.

Salvâ itaque omnipotenti virtute divinæ gratiæ ac miſericordiæ, id ubi & quando vult ſubitò efficientis , hoc unum volumus cum Eminentiſſimo Cardinale Denhoff. Inſtruct. Paſtor. §. 9. edit. Lovan. anni 1701. Et Eminentiſſimo Cardinale Aguirio diſſert. 8. in Can. XI. & XII. Concilii Tolet. III. excurſu 2. " quòd licèt Deus poteſtate abſolutâ , aut providentiâ ſingulari , vel " miſeratione magnâ , poſſit hominem , gravium " ſcelerum reum , ſubitò ad ingentem contritio- " nem movere efficaciter , & perfectè conver- " tere : nihilominùs , juxta curſum ordinarium , " ea inſignia & præſtantiſſima dona non largitur " ſubitò , ſed gradatim , ac mediâ impetratione , " factâ per opera pœnalia , in oratione , jejunio, " eleëmoſynâ , & fletu , & planctu , aliiſque morti- " ficationibus corporis & animæ ; per quos actus , " divino auxilio exhibitos , impetrat peccator ma- " jora , & uberiora auxilia , ad dilectionem Dei , " & contritionem , in eo gradu doloris , ac dete- " ſtationis de peccatis, ut, ſimul cum Sacramento Pœnitentiæ in re ſuſcepto , aut ejus voto , in " perfecta contritione clauſo , ſufficiat ad impe- " trandam peccatorum veniam. " Hactenùs Eminentiſſimus Aguirius. Et in hoc conſentiunt Suarez de divina grat. l. 8. c. 23. n. 3. aſſert. 1. Vaſquez 1. 2. q. 117. diſp. 210. c. 7. n. 47. Wiggers ibidem. Morinus de adminiſtr. Sacram. Pœnit. l. 9. c. 5. ubi ſic habet : " Sicut nemo negat converſionem perfectam hominis , etiam " ſceleratiſſimi , momento fieri poſſe : ſic omnes " conſentiunt " (nota benè : ſcribebat hoc Morinus circa annum 1640.) " hoc admodùm rarum eſſe, & extraordinarium , miraculi inſtar haberi, " ut plerique Scholaſtici loquuntur. Gradatim " enim homo impius ad Deum convertitur , & " aſcendit , paulatimque cordis malitiam exuit, " tandemque , poſt longum & vehementem gra- " tiæ cum concupiſcentia conflictum , Deus ani- " mæ dominatur, & anima juſtificatur. Hujus rei " illuſtriſſimum exemplum , quod omnium inſtar " eſſe poteſt , nobis præbet in converſionis ſuæ de- " ſcriptione S. Auguſtinus. "

Enimverò regulariter & ordinariè , Deus in or- 479
dine gratiæ eum imitatur curſum , quem ſervare ſolet in ordine naturæ , in quo res ad integritatem ſuam repentè non ſolet perducere , ſed ſenſim ac pedetentim. Peccatoris etiam converſio divinus eſt dies , qui (non ſecùs ac naturalis) ſuum habet diluculum, auroram , incrementum , priuſquàm meridianæ lucis plenitudinem attingat. Peccator quoque converſus eſt homo de terreno cæleſtis , de animali ſpiritualis , de iniquitatis cupiditatiſque ſervo ſervus juſtitiæ & charitatis : qui , itidem , ut homo naturalis , momento ſuæ formationis plenitudinem conſequi non ſolet ; ſed primùm concipitur ; deinde paulatim formatur. Peccator denique ob prædominantem in ſe malignum cupiditatis humorem , ſpiritualiter eſt infirmus. Quemadmodùm ergo corporaliter infirmus, à maligno humore , in corpore prædominante , purgari non ſolet ſubitò , ſed paulatim ; ſic nec ſpiritualiter infirmus ſubitò tranſire ſolet à prædominante in ſe cupiditate , ad charitatem prædominantem , prout ex dictis cap. 26. requiritur ad plenam converſionem. Unde Morinus loco citato concludit, quòd " longo tempore , multiſque præcedentibus actibus præparatoriis opus eſt. .. " ad dilectionis Dei gradum " (à peccatore) " aſſequendum, qui Deum creaturis omnibus præferat. "

§. II.

Prima probatio assertionis ex divina Scriptura.

480 PRimum itaque pro assertione argumentum petitur ex Evangelio, in quo Christus ostendit, Deum in ordine gratiæ solitum esse procedere, sicut procedere solet in ordine naturæ: in quo, uti numero præcedente dixi, res momento pervenire non solent ad integritatem suam, maturitatemque. Præter exempla quippe ibi relata, semen, mox ut terræ committitur, non corrumpitur, nec momento germinat, nec momento crescit in spicam, minùs in frumentum.

481 Quòd autem, secundùm Evangelium, Christus, divini seminis Sator, similiter procedere soleat in ordine gratiæ, constat, tum generaliter ex tot parabolis, quibus Salvator à similitudine rerum naturalium manuducere nos solet ad cognitionem rerum spiritualium, supernaturaliumque. Tum specialiter ex eo quòd seminis parabolâ & similitudine expressè utatur Marci 4. ad ostendendum modum, quo formatur in nobis regnum Dei: *Sic est* (inquit) *regnum Dei, quemadmodùm si homo jaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille. Ultrò enim terra fructificat*, non statim plenum frumentum, sed *primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.* Ad modum ergo istum, regnum Dei in nobis, plenaque conversio in peccatoribus, non simul & statim, sed paulatim & gradatim formatur, & pervenit ad plenitudinem. Ad hoc quippe significandum, similitudinem illam à Salvatore allatam esse, Basilius, Cyrillus, Alexandrinus, Gregorius, Prosper, aliique Patres testantur. Nam gratia conversionis reverà est spirituale quoddam semen, per quod in anima peccatoris formatur ipsius conversio, & per eam regnum Dei. Itaque *sicut in germinibus herbarum, atque lignorum, quæ terra producit, non una species, nec unum in omnibus genus est, sed singula quæque in sui seminis forma, & in suæ stirpis qualitate gignuntur; plenum autem decorem, non statim ut eduntur, accipiunt, sed certis & ordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitûs quantitatem, per succedentia sibi incrementa perveniant: ita & semina charismatum, plantæque virtutum, non in omni agro cordis humani totum hoc pariter, quod sunt futura, nascuntur* (verba sunt S. Prosperi, seu Juliani Pomerii l. 2. de vocat. Gent. cap. 11.) *nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & misericors Deus mirabiles ipsos suæ operationis effectus, & quibusdam mentibus, non expectatâ profectuum morâ, totum simul, quidquid collaturus est, invehit..... Multò tamen crebrior, multòque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim, quidquid superna largitas donat, accrescit.*

482 Secundùm argumentum petitur ex sacris testimoniis c. 28. relatis, ex quibus habemus, quòd ubi plena conversio, ibi totius sit hominis interioris exteriorisque mutatio. Quia, ut Augustinus relatus cap. *nullus* de pœnit. dist. 7. dicit, *convertitur, qui jam totus & omninò vertitur. Conversio* quippe *dicitur*, (inquit Gregorius l. 2. c. 3. in l. 1. Reg.) *quasi cordis undique versio. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cùm ad Creatoris nostri beneplacitum uterque noster homo* (exterior & interior) *reducitur; cùm & caro nostra, per iniquitatis odium, cohibetur à perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendat ad intentionem bonæ operationis.* Ad veram quoque pœnitentiam Ambrosius l. 2. de Pœnit. c. 10. requirit ut *seipsum sibi homo abneget, & totus mutetur; sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt, post amores meretricios, peregrè profectum, & abolito amore regressum, posteà veteri occurrisse dilectæ; quæ ubi, non interpellatam mirata, putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: ego sum. Responderit ille; sed ego non sum.*

Atqui mutatio totius hominis, post grandia crimina, vel sæpè repetita, maximè si fuerint consuetudine firmata, ordinariè non fit simul & semel, sed paulatim & successivè. Habet enim difficultatem magnam, ut probant sacri textus cap. 38. proferendi; nec fit sine multiplici & magna colluctatione inter partem superiorem & inferiorem, nec sine multa cogitatione, conatu, molimine. Inter superos quippe & inferos magnum chaos firmatum est, ut facilenon sit ab inferis ad superos transmeare, sive à cupiditate dominante, in charitatem prædominantem, maximè postquam cupiditas tenaces in corde radices egit, eaque vel consuetudine, vel frequenti repetitione firmavit. Neque enim cupiditas tenaciter radicata, facilè & citò solet exuri, plenèque eradicari, sed ad id opus est lixivià mordaciore, divinisscilicet timoris concussione, multâ consideratione, magnâ & frequenti (uti dixi) colluctatione, sicut proprio experimento demonstravit Augustinus, demonstravit (inquam) nec veterem hominem, in magno peccatore, vitreum esse, quem unico quasles verbere; nec novum hominem, post grandia crimina, &c. fringum esse repentinum, quem nox una, vel dies facilè germinet. 483 487

Novus ille homo suam habet inchoationem, conceptioni similem; deinde paulatim formatur, augescit, perficitur. A fide, vel timore capere solet exordium, juxta Tridentinum sess. 6. c. 6. promovetur spe, & tandem perficitur dilectione. Ad solidum verò timorem concipiendum, ordinariè multâ opus est consideratione novissimorum, attentâ mortis, & judicii subsequentis meditatione, tantâque terribilis & irrevocabilis sententiæ, infernaliumque supplitiorum ponderatione, ut hisce considerationibus mens tota concutiatur ac penetretur. Facilè verò & citò non penetratur, qui, cupiditatibus suis immersus, illa nonnisi leviter & momentanèe recogitat, ut fieri solet. Nec anima multùm feriri solet cogitationibus momentaneis, ad abjiciendas toto corde res, toto corde amatas. Nec facilè penetratur timore æternorum, temporalibus velut absorpta cupiditatibus. Facilè econtrà sibi persuadet, mortem, divinasque judicia à se remotissima esse, istâque persuasione fascinata, conversionem suam in dies differens, cum Augustino dicit, *cras, eras, sine modò, & sine modò*. Et istud *eras* in longum producitur, & *sine modò* non habet modum. 484

Nec spei motivo admodùm percellitur homo, carni immersus, nec spem firmam facilè concipit, dum videt, ad id quod sperat, se pervenire non posse, nisi per media quæ sibi videntur nimis amara & difficilia. Et ideò ordinariè nonnisi sensim ac pedetentim ad spem firmam assurgit, per multam longamque considerationem misericordiæ Dei, gratiæque ipsius sibi non defuturæ. 485 488

Tandem dilectio Dei ex toto corde non acquiritur, nisi mens à contrariis affectibus penitùs avocetur. Ad quod opus est seriâ recogitatione vanitatis & perniciositatis istorum affectuum, opus etiam præliis & colluctationibus magnis, antequam charitas victrix sit cupiditatis, à qua proximè vincebatur. In principio verò charitas esse solet debilis & languida, dum cupiditas interim fortis est ac robusta. Et antequam tanta fiat, ut cupiditate fortior evadat, ipsique prædominetur, mens tundenda & retundenda est multis ac magnis pia- 486

rum

rum cogitationum affectionumque ictibus, excitanda desideriis spiritualibus, fovenda carnalium desideriorum compressione, occasionumque allicientium fugâ, piis roboranda exercitiis, mortificationibus, orationibus, Deique ac justitiæ dulcedine usque adeò perfundenda, ut tandem amarum sapiat in animo, quod proximè dulcissimum sapiebat; jamque cruciet in mente, quod oblectabat in corpore. Ad hoc autem cùm necesse sit totum animæ fundum immutari, sicut cap. 26. dixi (aliàs namque fieri nequit, ut illam ipsam rem, quam, velut beatitudinem suum, toto cordis affectu peccator amplectebatur, toto jam cordis ejusdem affectu, velut fœdissimam, repudiet, odiat, ac detestetur;) consequenter necesse est ab uno extremo in oppositum extremum totaliter transire. Atqui *prudentia humana* (ut rectè Illustrissimus Atrebatensis in Epistola sua Pastorali 2. axiomate 75.) *non credit hominem momento ab uno ad aliud extremum transire. Nihilo facilius id credit prudentia moralis* & christiana.

487 Tertium ex Scriptura argumentum desumitur ex sacris textibus cap. 39. 40. & 41. referendis, in quibus Spiritus sanctus, ad impetranda Dei dona, ab ipsis etiam justis orationis requirit perseverantiam, & quamdam velut importunitatem, sicut & jejunia, magnos gemitus, aliaque pietatis ac pœnitentiæ opera, ad plenam conversionem. Hæc enim utplurimùm momento non fiunt. Ibidem etiam producitur versus quartus Psalmi 6. *Domine ne in furore.* Et infrà: *& anima mea turbata est valdè; sed tu Domine usquequò?* In quo Spiritus sanctus repræsentat animam peccatricem, diù secum luctantem (dum resipiscere incipit) ad Deumque pro misericordia impetranda clamantem; nec citò exauditam, sed diù dilatam à Medico, antequam obtineat suæ conversionis plenitudinem. *Quis non intelligat* (ait ibidem Augustinus) *significari animam luctantem cum morbis suis; diù autem dilatam à Medico, ut ei persuadeatur, in quæ mala se peccando præcipitaverit? Quod enim facilè sanatur, non multùm cavetur. Ex difficultate autem sanationis, erit diligentior custodia receptæ sanitatis. Non ergo tamquam crudelis Deus æstimandus est, cui dicitur: & tu Domine usquequo? sed tamquam bonus persuasor animæ, quid mali sibi ipsa pepererit. Nondum enim tam perfectè orat hæc anima, ut ei dici possit: adhuc loquente te dicam, ecce adsum.* Similia habet Gregorius, vel alius antiquus Pater, sub Gregorii nomine vulgatus, in eumdem Psalmum, ubi verba illa, *sed tu Domine usquequò*, sic explicat: *usquequò, id est, quamdiù differs sanare.* Et ad versum quartum: *Convertere Domine, ne* (inquit) *magis turberis supplico: ne ultrà misereri differas, peto*, &c.

§. III.

Secunda probatio ex Sanctorum traditione.

488 COmmunis namque Sanctorum traditio est, animam graviori crimine vulneratam, ordinariè non simul ac semel, sed sensim ac pedetentim curari, sicut corpus lethali vulnere sauciatum: ideòque spirituales Medicos expectare debere tempus curandis illis opportunum, sicut expectant Medici corporales. Sic enim tradunt Cyprianus, Clerus Romanus, Moyses, Maximus, Nicostratus, Rufinus, Ambrosius cap. 11. relati. Et Cyprianus quidem verbis ibi exhibitis sequentia subjungit: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit. . . . Putasne tu Dominum citò posse placari? . . . Orare oportet impensiùs. . . . . diem luctu transigere, vigilias noctes ac fletibus ducere. . . . justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur*, &c.

Similiter Origenes hom. 8. in cap. 13. & 14. Numer. *Si vulnus corpori infligatur, aut os confringatur, aut nervorum junctura resolvatur, sub unius horæ spatio hujusmodi vulnera solent corporibus accidere, & plurimis postmodùm cruciatibus ac doloribus exactis, multo vix tempore sanari. . . . Jam verò si accidat, ut in eodem vulnere, vel in eadem fractura, iterùm sæpiùs quis vulneretur, frequentiùsque frangatur, quantis hoc pœnis, & quantis potest cruciatibus medicari? Quanto autem tempore, si tamen potuerit, ad sanitatem perducitur? . . . Transi nunc ab exemplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur. . . . Et ideò consequentissima ratio est pœnæ, id est curæ & medicationis tempus extendi, & per unumquodque vulnus, pro qualitate plagæ, medendi quoque spatia propagari.* 489

Et Cyrillus noster Alexandrinus hom. 5. in Hierem. *Tempore opus est, sicut in vulneribus ad curationem, sic in conversione ad plenè & purè convertendum se ad Deum.* Similia habent S. Eligius hom. 15. & S. Cæsarius hom. 59. ità ut ex communi Patrum doctrina, ab infirmitatibus & vulneribus corporis, bona sit consequentia ad infirmitates vulneraque animæ, similisque ratio curæ istorum atque illorum. Nam, ut S. Cæsarius ait, *ipsis vulneribus vel fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus animarum.* Unde post allegatum modum curandi fracturas corporis, *similis* (inquit) *ratio in animarum fracturis, seu vulneribus esse credenda est.* 490

Eadem est Augustini doctrina in Ps. 6. v. 4. ut constat ex dictis n. 487. Eamque confirmat in expositione sequentium versuum. Siquidem ad *v. 5. Convertere Domine, id est* (inquit) *fac me plenè converti*, sive adjuva nos *ut perficiatur in nobis conversio.* Non ergo perficitur statim atque peccator converti incipit. Imò patitur, inquit, *spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conversione.* Et ad v. 7. *Laboravi in gemitu meo*, dicit peccatores, converti incipientes, laborare in gemitu suo, & nihilominùs *tamquam parum profuerit*, id est non sufficerit ad plenam conversionem, addere: *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, per lectum intelligens *voluptatem corporis, & omnem delectationem sæcularem. Quam delectationem lachrymis lavat, qui sese ab illa conatur expedire. Videt enim se damnare carnales concupiscentias, & tamen delectatione tenetur infirmitas, & in ea libenter jacet, unde surgere nisi sanatus animus non potest.* Itaque *tamquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati*, dies utique spiritualium, noctes carnalium desideriorum, *donec omnis nox transeat, & veniat unus dies* plenæ conversionis. Qui usquedum veniat, peccator lavare debet per singulas noctes lectum suum, *ut tantis lachrymis impetret efficacissimam de Dei misericordia medicinam.* Quod utique post longas preces ac gemitus contingit. Quia, ut ad v. 9. ait: *post laborem & gemitum & imbres creberrimos lachrymarum* (*in illa temporum varietate effusos*) *quia inane non potest esse, quod tam vehementer rogatur, ab eo qui fons est omnium misericordiarum. . . post tantas difficultates* (non ergo statim) *exauditam se pœnitentiæ animam significans. . . adjungit*: " Discedite a me, qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit " Dominus vocem fletûs mei. " 491

Non sum nescius, Juniores quosdam existimare, verba illa S. Doctoris ad v. 4. " Sed tu Domine usquequò? " *quis non intelligit animam luctantem cum morbis suis; diù autem dilatam à Medico, ut ei persuadeatur, in quæ mala se peccando præcipitaverit*, intelligenda esse de sanitate perfecta, per quam vir sanctus, qui à sanctitate per peccatum excidit, ad pristinum sanctitatis gradum restituitur. Sed mera est cavillatio. Palàm est enim 492

S. Augustinum ibi agere de sanitate, quam per culpæ mortalis remissionem peccator accipit. 1°. quia de illa agit Psalmus quem explicat. Dicit enim Psalmista: *Sed tu Domine usquequò? Convertere Domine, & eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. Quia non est in morte, qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?* 2°. S. Augustinum agere de sanitate, per remissionem mortalis culpæ, ipse demonstrat, dum in contextu addit: *Nondum enim tam perfectè orat anima, ut ei dici possit, adhuc loquente te dicam, ecce adsum.* Quisquis verò tam perfectè orat, ut justificetur, tam perfectè orat, ut ei Dominus dicat, *ecce adsum.* Adest enim per gratiam justificantem & charitatem habitualem, per quam Spiritus sanctus habitat in nobis. Et ut Chrysostomus ait homil. 27. in Genes. *ubi viderit* (Deus) *voluntatis nostræ firmum propositum, & ferventi desiderio ad se accedere, non tardat, neque differt, sed accelerat, suamque solitam liberalitatem exhibet, dicens: adhuc loquente dicam, ecce adsum.* 3°. eundem sensum reddunt verba sequentia in textu Augustini: *simul ut etiam illud agnoscat, quanta pœna impiis præparetur, qui se nolunt convertere ad Deum, si tantam difficultatem convertentes patiuntur; sicut alio loco scriptum est, si justus vix salvabitur, peccator & impius ubi parebunt?.... Dum autem nos convertimus, id est mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum novum, durum sentimus & laboriosum, ad serenitatem & tranquillitatem divinæ lucis, à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri.*

493 Non ergo de sanitate tantùm illa perfecta, sed de ea quam peccator in peccatorum remissione per gratiam justificantem accipit, ibi loquitur Augustinus, sicut & in Ps. 106. n. 4. ubi exemplificans in magno peccatore, primò nihil à Deo quærente, sed secundùm veterem hominem securè vivente, nihil putante aliud esse post hanc vitam, negligente, socordi, obrutum habente cor illecebris mundi, & mortiferis delectationibus consopitum: Talis (inquit) *ut excitetur ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, & tamquam de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum? Sed tamen à quo sit excitatus, ignorat. Incipit autem esse jam Dei, cùm cognoverit veritatis fidem. Sed antequam cognoscat, dolet errorem suum. Invenit enim se in errore, vult cognoscere veritatem, pulsat ubi potest, vagatur quâ potest, famem etiam patitur ipsius veritatis.... Ubi* in hoc statu *fatigatus exclamaverit ad Dominum, perducitur ad viam fidei.... Perducitur ergo ad Christum.... Cùm ergo ibi fuerit, jam sciens quid observare debeat, nonnunquam.... de suis viribus præsumendo, incipit confligere velle contra peccata, & propter superbiam superari. Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse viam* mandatorum, *propter compedes, ambulare. Inclusum se sentit difficultate viarum, & tamquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, quâ evadat, ut rectè vivat, non invenit... Exclamat ad Dominum. Liberat Dominus de necessitatibus, rumpit vincula iniquitatis, constituit in operatione æquitatis. Incipit ei jam facile esse, quod difficile fuerat, abstinere à malis, non adulterare, non furtum facere, &c. Facta est facultas, quæ fuerat antè difficultas.* Sed manifestum est ex contextu, quòd ad hoc non pervenit sine difficultate, nec subitò, sed cum tempore. Sequitur enim: *Posuit hoc Dominus sine difficultate primitùs præstare. Sed si hoc sine difficultate haberemus, largiorem hujus boni non agnosceremus. Si enim primitùs cùm vellet, posset, & non sentiret adversum se obnitentes cupiditates* (igitur, ob earum obstantiam, primùs, cùm vult, non potest) *nec vinculis suis gravata anima collideretur, suis viribus tribueret, quod se posse sentiret.*

Ex his conspicuum est, istud Augustini testimonium glossari non posse de homine justo, prout Juniores quidam prætendunt, ut vim ipsius declinent. Siquidem Augustinus ibi quadruplicem refert hominum tentationem, quarum primam vocat erroris, & famis, de qua procedunt verba illa, *invenit se in errore*, &c. Ex ista tentatione dicit hominem transire ad secundam, quam vocat difficultatis, de eaque dicit: *Cùm ergo ibi fuerit, jam sciens quid observare debeat, nonnunquam multùm sibi tribuendo, & quasi de suis viribus præsumendo, incipit confligere velle contra peccata, & propter superbiam superari. Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum*, &c. Post verba sequentia, quæ retulimus, demùm incipit agere de tertia tentatione, quam vocat tædii, ad quam hominem à secunda transire dicit. Ac demùm à tertia ad quartam, scilicet periculorum in regenda Ecclesia, quam solis Ecclesiæ Rectoribus convenire dicit. 494

Atqui certum est 1°. ea quæ dicit, incipiendo à verbis istis: *Invenis se ligatum difficultatibus cupiditatum*, &c. *Exclamat ad Dominum*, &c. procedere de homine in secunda tentatione existente, difficultatis utique in operando. 2°. hominem in secunda tentatione existentem, non esse justum, sed peccatorem. Tum quia de existente in secunda tentatione S. Doctor dicit: *Cùm fueris pressus consuetudine tuâ pravâ, humiliabitur cor tuum in laboribus, ut jam corde humiliato dicas clamare, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus! humiliatum est ergo in laboribus cor eorum; infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret eos.... Accepisti verbum, accepisti præceptum, nec desinis facere quod malè faciebas* (clarum est quòd talis justus non est).... *Et clamaverunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum salvos fecit eos. Liberati sunt de secunda tentatione. Restat tædii atque fastidii. Sed primò quid ipsi præstiterit liberatis videte. Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum disrupit.... contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum; propter injustitias enim suas humiliati sunt.* Luce meridianâ clarius est ista non dici de homine jam justificato, sed de injusto, qui ab injustitia liberatur. 495

Tum quia de homine justo dicit quòd non in secunda existat tentatione, sed in tertia: *qui jam est adjutus Spiritu, ut quemadmodùm noluit esse adulter, sic non sit; quomodò noluit esse fur, sic non sit.... quisquis ergo talis est, vicit illas cupiditates, & jam probabiliter conversatur inter homines sine querela morum* (quod utique justorum est) *excipitur tentatione tertiâ.* Sine ulla ergo ambiguitate ea quæ Augustinus dicit de difficultate, quam homo patitur in secunda tentatione, deque temporis morâ, antequam exaudiatur, de peccatore dicit qui conatur converti, sed nondum est plenè conversus. Et quamvis exemplificet in hominibus superbis, qui in viribus suis confidentes, propter superbiam superantur; immediatè ante numerum quartum dicit, similia contingere in omnibus vel ferè omnibus peccatoribus, qui converti incipiunt ad fidem: *quidquid, cùm loquor, agnoveris in te, noli cogitando quasi remanere in te, & putare quòd in sola te contingit; sed crede ista contingere in omnibus, aut propè in omnibus, qui veniunt ad hunc populum, & de manu inimicorum pretioso sanguine redimuntur.* Perspicuè ergo vult Augustinus, magnos peccatores, cor habentes obrutum illecebris hujus mundi, mortiferisque delectationibus consopitum, ordinariè nonnisi difficulter & paulatim ad plenam conversionem perduci; Deo sic disponente, ne suam sibi tribuant conversionem. *Si* enim *hoc primitùs, cùm volumus, & sine difficultate haberemus,*

mus, largitorem hujus boni non agnosceremus. Quæ ratio procedit in omnibus, vel propè omnibus peccatoribus, de quibus agimus, & non in solis qui se superbos esse sciunt & profitentur. Pauci enim tales sunt; plurimi verò, imò omnes vel propè omnes illi, de quibus agimus, rei sunt illius superbiæ, quæ causa sit subtractionis gratiæ, ipsos plenè convertentis statim atque Deus ipsis dat aliquod initium voluntatis illius. Saltem rei essent illius, nisi Deus plenæ conversionis gratiam ipsis conferret, usquedum peccator tam multis & magnis eam precibus, gemitibus & laboribus postularet, quomodò Deus vult eam postulari. Nam ipsos etiam justos Bernardus alloquens serm. 54. in Cant. *Tunc* (inquit) *subtractâ gratiâ ne dubites in causa esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis.* Enimverò tam prona est natura corrupta ad tribuendos sibi divinæ gratiæ effectus, ut Augustinus epist. 32. ad Paulinum, cùm dixisset, nihil sibi tribuendum, sed totum Deo: *hæc* (inquit) *ut ex animo confitear, meumque cor & lingua mea non dissonet, ora pro me frater.*

497 Augustino, cæterisque Patribus suprà adductis concinit Gregorius Magnus in explan. Psalmi 6. ad v. 3. *sed tu Domine usquequò*, ubi sic: *usquequò, id est quamdiù differs sanare* (audis dilationem?) *ecce in conspectu boni Medici, & curare valentis assisto, vulnera detego, preces emitto, dolores augeo, lachrymas effundo. Cur ergo his non obstantibus dissimulas?* id est nondum exaudis. Audi rationem: *omnis curatio, quantò difficilius acquiritur, tantò acquisita cautius custoditur.* Propterea ergo l. 4. c. 2. in lib. 1. Reg. dicit, quòd ii, *quibus peccata dominantur.... sæpè ad Deum cum precibus veniunt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt*, nisi post multas & longas preces, lachrymas & labores, prout alibi dicit.

498 Quid verò S. Laurentius Justinianus? *O quantis clamoribus introrsus* (inquit l. 2. de spir. resurr. animæ) *quantisve exhortationibus sacris excitatur peccator, antequam de morte, seu summo delictorum evigilet! Sed & vigil effectus, ô quot blanditiis, quot rationibus, quot promissionibus, quot exemplis, quot pulsatur terroribus, ac flagellis, priusquàm peccandi voluntatem abjiciat, & sincero animo, atque deliberatione constanti, totus divino mancipetur obsequio! Nec immeritò: tot quippe funibus tenetur adstrictus, quot sceleribus prægravatur, tantisque spiritualibus compeditus est vinculis, quanto caducis rebus immoderato inhæret affectu. Captivatur itaque consuetudine delinquendi, retrahitur à sensualitate, quæ pœnitentiæ jugo colla submittere recusat; repellitur suasionibus dæmonum, visibilium detinetur amore, amicorum & affinium detinetur blanditiis*, &c. Non solent certè tot tantaque vincula momento disrumpi, tot & tanta obstacula momento superari.

499 Unde Angelicus Doctor 1. 2. q. 113. a. 10. miraculosam reputat conversionem impii, quamdam justitiæ perfectionem, seu conversionis plenitudinem statim acquirentis: *Justificatio impii quandoque miraculosa est, & quandoque non. Est enim iste communis & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interiùs animam, homo convertatur ad Deum, primò quidem conversione imperfectâ*, id est inchoatâ, seu non plenâ, *ut postmodùm ad perfectam*, seu plenam *deveniat. Quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus dicit. Quandoque verò tam vehementer Deus animam movet, ut statim quamdam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in conversione Pauli.... Et ideo conversio Pauli tanquam miraculosa ab Ecclesia celebratur.*

§. IV.

Probatio tertia ab experientia.

CRedendum quippe est in omnibus vel propè 500
omnibus magnis peccatoribus ordinariè contingere, quod in conversione sua quilibet experitur, Augustino suprà n. 496. dicente, nemini persuasum esse debere, id quod in sua quispiam conversione expertus est, in se solo contingere; sed credere, *ista contingere in omnibus, aut propè in omnibus, qui veniunt ad hunc populum*, id est qui convertuntur ab infidelitate ad fidem, *& de manu inimicorum pretioso sanguine redimuntur*: adeòque credendum est in aliis similibus peccatoribus ordinariè contingere conversionis modum, similem ei quo Augustinus ipse conversum se fuisse narrat in Confessionibus suis.

Maximè cùm istud Augustinianæ conversionis exemplum ab ipsomet scribi, Ecclesiæque vulgari volucrit Deus, ut inde disceremus modum, quo peccatores inveteratos, & consuetudinarios divina gratia & misericordia convertere solet. At certum est Augustinum, statim ac converti voluit, non fuisse plenè conversum, nec brevissimo tempore, nec sine magna difficultate, sed post longam cunctationem & colluctationem, post multos gemitus & difficultates, uti de seipso ipse testatur l. 8 Confess. à cap. 1. ad 12. inclusivè. Post enarratum quippe superioribus libris studium suum ac desiderium inquirendæ veritatis; post depulsas tenebras variorum errorum, in quibus fuerat: cap. 1. enarrat, quomodò sibi placebat via ad vitam, ipse Salvator, sed ire per ejus angustias adhuc pigebat. Et quomodo Deus excitarit ipsum pergere ad Simplicianum, ut ab ipso edoceretur, quis esset aptus modus ad ambulandum in via Dei: *Mihi enim displicebat* (inquit) *quod agebam in sæculo. Et me non delectabant, sicut anteà, honor & pecunia, præ dulcedine tua, & decore domûs tuæ. Sed adhuc tenaciter colligabar ex femina.* Cap. 5. quomodò post colloquium cum Simpliciano, auditamque ab ipso Victorini conversionem, exarserit ad imitandum, Deoque vacandum. *Cui rei suspirabam* (inquit) *ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido. Et dum servitur libidini, facta est consuetudo. Et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas..... Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus.... nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova.... confligebant inter se..... Sed tamen consuetudo adversùs me pugnacior ex me facta erat..... Adhuc terrâ obligatus, militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodùm impediri timendum est. Ita sarcinâ sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium: qui tamen, superati soporis alitudine, remerguntur.... Certum habebam, esse melius tuæ charitati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat* (id est faniore judicio mentis præferebatur, tametsi infirmiore adhuc voluntatis affectu non eligeretur;) *hoc libebat, & vinciebat.* Et cap. 7. *Quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut sequeretur me conantem post te ire? & renitebatur.* Et cap. 8. *In illa grandi rixa intersoris domûs meæ.. ego fremebam spiritu, indignans turbulentissimâ indignatione, quòd non irem in placitum, & pactum tecum, Deus meus, in quod omnes*

dum esse, omnia ossa mea clamabant. Nondum tamen plenam ad id habebat voluntatem, quâ in ipso verificaretur velle ire, sed *velle fortiter & integrè, non semisauciam hac atque illac versare & jactare voluntatem..... Tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle, quod posse; & non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat, & mox ut vellem possem.... Ibi enim..... ipsum velle, jam facere erat, & tamen non fiebat.* Quia, ut prosequitur cap. 9. dum *imperat animus, ut velit animus.... nec facit tamen.... non ex toto corde vult, non ergo ex toto imperat.... & in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult.... non utique plena imperat, ideò non est quod imperat. Nam si plena esset..... jam esset. Non igitur monstrum partim velle, partim nolle; sed ægritudo animi est: quia non totus assurgit, veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideò sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, & hoc adest alteri, quòd deest alteri.* Cap. 11. *Sic ægrotabam, & exeruciabar accusans memetipsum solito acerbiùs nimis, ac volvens, & versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen.... Retinebant nugæ nugarum.... Retardabant tamen tunctantem me abripere, atque excutere ab eis, & transilire quò vocabar; cùm diceret mihi consuetudo violenta: putasne sine istis poteris? sed jam tepidissimè hoc dicebat.*

Post tantas cunctationes, colluctationes, deliberationes, c. 12. narrat quomodò vocis cœlestis, & Apostolici Codicis admonitu totus tandem conversus fuerit.

501 Denique experientia docet, quàm verè Angelicus Doctor 2. 2. q. 14. a. 4. ad 1. dicat, quòd tam in bono, quàm in malo, ut in pluribus proceditur, ab imperfecto ad perfectum, & gradatim, & pedetentim à semiplena voluntate ad plenam, prout homo proficit, vel in bono, vel in malo. Sicut enim justus non subitò procedit à plena voluntate obediendi Deo, ad plenam voluntatem consentientem mortali peccato; sed ad hoc disponitur per aliquam negligentiam præcedentem, ut idem S. Doctor ait ibidem q. 24. a. 12. ad 1. sic peccator non subitò procedit à plena voluntate consentiente mortali peccato, ad plenam voluntatem obediendi Deo; sed ad hoc disponitur per aliquam initialem & semiplenam voluntatem præcedentem. " Ante omnia opus est " (inquit Soto lect. 17.) " ut Deus ostendat nobis, quales „ in peccato simus, & qualia sint ipsa peccata.... „ non solùm proponens ante oculos, sed etiam „ agens ut consideremus, & ita consideremus, ut „ consideratio penetret voluntatis intima. Ad „ quod tempus requiritur, & consideratio multa. Quia, ut benè Suarez de div. grat. l. 8. c. 23. n. 3. „ homo ex sua conditione indiget tempore ad re„ cogitandum, & deliberandum, præsertim in re„ bus arduis & difficilioribus; cui conditioni mo„ tio divina secundùm ordinarium cursum se ac„ commodat.

502 Intellectus etiam magnorum peccatorum, præsertim consuetudinariorum, non solet subitò plenè illustrari; nec eorumdem voluntas subitò usque ad intima penetrari, nec plenè accendi; sed ad hoc utplurimùm tempore opus est, ut sit in illuminatione aëris. Siquidem crepusculum & aurora præcedunt, antequam plenè illucescat dies, sensimque aër illustratur, antequam perveniat ad meridiem. Nec subitò aër, vel aqua, sed pedetentim & gradatim, frigore depulso, pervenit ad caloris plenitudinem.

503 Simileque in seipsis experiri sese, dum ad justificationem disponuntur, peccatores fatebuntur, si diligentiùs examinentur. Fatebuntur (inquam) sibi momento plenam lucem non affulgere, nec voluntatem suam momento perduci ad penitùs abjiciendos rescindendosque nexus omnes criminum, quibus tantò tenacius, quantò diutiùs ac sæpiùs repetitis, alligati detinentur; nec denique momento compleri tantam affectuum morumque mutationem, ut in ipsis jam plenè prædominetur charitas, in quibus plenè antè prædominabatur cupiditas. Fatebuntur (inquam) sibi aliquamdiù luctandum fuisse cum famosa illa tenacique catena, antequam plenè disrumperetur, divinaque gratia ad plenam illam mutationem ipsos perduceret; prout de seipso fatìus est Augustinus.

§. V.

Probatio quarta à rationibus sex ex Augustino desumptis, quæ probant doctrinam ipsius, aliorumque sanctorum Patrum §. 3. relatam, non solùm procedere de conversione perfecta, verùm etiam de imperfecta, ad eam perducta plenitudinem, quæ ad absolutionem sufficiat.

504 RAtiones varias affert S. Augustinus, obquas peccatricem animam cum morbis suis luctantem, citò Deus non exaudit, sed diù plerumque differt, diùque luctari permittit, antequam plenæ conversionis gratiam ipsi tribuat. Rationes istæ petuntur ex parte divinæ sapientiæ, cui visum est talem gratiæ œconomiam ordinariè servare, in bonum pœnitentium. Tres priores profert in expos. Psal. 6. Quarum prima est, ut ei persuadeatur, in quæ mala se peccando præcipitaverit. Neque enim homines illud apprehendere solent ut grande malum, à quo citò & facilè liberantur; neque Deus id solet hominibus momento persuadere, sed plurium malorum sibi invicem succedentium experimento. Propterea quippe quinque annorum millibus distulit remedium peccati primi hominis, & Israëlitas, ob peccatum in deserto commissum, in deserto errare fecit 40. annis, nec ipsos, sed filios ipsorum, in terram promissam introduxit. Cùmque Manasses gravissimè peccasset, conversionis donum non obtinuit, nisi postquam gravissimis plurium annorum pœnis in captivitate edoctus, scelerum suorum magnitudinem agnovit. Nec Nabucodonosor, nisi post septem annos humiliationis. Nec Judæi, nisi post 70. annorum captivitatem, in eaque experimentum grandium malorum, quæ sibi per sua peccata pepererant. Nec à deicidio suo convertentur, nisi postquam longissimis gravissimisque exilii plurium sæculorum, & fortasse millium annorum pœnis eruditi, horribile scelus istud in fine mundi tandem confessi, Salvatorem à se crucifixum tandem recipient.

Secunda ratio est, ut peccator cautiùs imposterum custodiat receptam sanitatem, majorique sollicitudine caveat eam rursus amittere per relapsum. *Quod enim facilè sanatur* (inquit Augustinus) *non multùm cavetur. Ex difficultate autem sanationis, erit diligentior custodia receptæ sanitatis.* Et (ut Gregorius) *omnis curatio, quantò difficiliùs acquiritur, tantò acquisita cautius custoditur.* Deus igitur, sciens quòd homines diligenter custodire non solent bonum, quod amissum citò & facilè restituitur, illud citò restituere non solet. 505

Tertia ratio est, ut peccator etiam illud agnoscat, quanta pœna impiis præparetur, qui se nolunt convertere ad Deum, proprio experimento edoctus, quòd tantam difficultatem convertentes patiuntur. Hoc ergo ut peccatores intelligant, Deus ordinariè non vult peccatores citò & facilè convertere. Unde enim & quomodò ex conversionis difficultate intelligerent quanta pœna impiis sese non convertentibus præparetur, ü 506

se convertentes citò & facilè converterentur.

507 Quarta ratio (quam Augustinus profert serm. 5. de verb. Dom. c. 5.) est, ne gratia plenæ conversionis peccatori vilescat. Vileſceret enim, si citò & facilè obtineretur. Siquidem diù desiderata dulciùs obtinentur; citò autem data vilescunt. *Pete, quære, insta: petendo, quærendo, & instando crescet, ut capias. Quia crescit desiderium, & crescente desiderio crescit cor tuum* (alioqui nimis angustum) *ut tanti doni capax efficiatur. Servat tibi Deus, quod non vult citò dare, ut & tu discas magna magnè desiderare. Inde oportet semper orare, & nunquam deficere. Non quòd voluntatem nostram sibi velit innotescere* (ait ep. 130. ad Probam) *quam non potest ignorare; sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod præparat dare.* Illud *enim quod vult dare, valdè magnum est: sed nos ad capiendum valdè parvi & angusti sumus..... Tantò verò id quod valdè magnum est sumemus capaciùs, quantò id & fideliùs credimus, & sperabimus firmiùs, & desideramus ardentiùs.* At verò desideria dilata crescunt.

508 Quinta ratio petitur ex Augustini verbis proximè relatis: si enim Deus citò & facilè exaudiret converti volentem, citò & facilè ipsi concedendo desideratam plenæ conversionis gratiam; cor ipsius non efficeretur capax illius. Nec enim capax illius effici solet, nisi multùm eam desiderando. Ut autem multùm desideretur, exerceri debet in orationibus desiderium, sicut & fides & spes. Et ideò Deus non vult citò dare, ut peccator discat magna magnè desiderare. Magna quippe dona magnè desiderando, donorum illorum capax efficitur homo. Illa ergo Deus propterea citò non concedit, ut petendo, quærendo, pulsando, crescente fide, spe, ac desiderio nostro, doni desiderati capaces tandem efficiamur.

509 Sexta ratio (quam Augustinus tradit serm. 163. de verb. Apost.) est, ne peccator viribus suis suam tribuat conversionem. Luctam ergo peccator in se contrariorum desiderium sentire debet; in qua dum suam sentit infirmitatem, ad Deum clamare cogitur: *miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*, &c. & tamdiù clamare sinit illum Deus, donec experimento suo probet, à Deo esse conversionis donum. *Pugnantium* (inquit Augustinus) *vox est: miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.... Sana me Domine.... quoniam.... anima mea turbata est valdè. Et tu Domine usquequò? Quousque probes, quia ego subvenio. Si enim citò subvenirem, luctamen non sentires: si luctamen non sentires, tamquam de tuis viribus superbires, & per istam superbiam nunquam ad victoriam pervenires. Dictum est quidem, adhuc te loquente dicam, ecce adsum: sed Deus & cùm differt, adest: & quod differt, adest: & differendo adest. Ne præproperam cùm implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem.*

510 Istæ sunt rationes, propter quas Deus (secundùm Augustinum, aliosque Patres) nec momento, nec tempore brevissimo, perducere solet magnos peccatores, maximè inveteratos, consuetudinarios, & frequenter relabentes, ad plenam conversionem, seu spiritualem sanitatem. Quæ quidem rationes id probant non solùm de sanitate perfecta, per quam cum culpa remittitur omnis pœna (cujusmodi sanitas confertur in baptismo) vel per quam vir sanctus, qui à sanctitate excidit per mortale peccatum, redit ad pristinum sanctitatis gradum; verùm etiam de sanitate illa imperfecta, quæ consistit in reconciliatione cum Deo, per gratiæ sanctificantis infusionem, culpæ remissionem, & liberationem ab æterno supplicio, tametsi non ab omni pœnæ temporalis debito, &c. Ex istis proinde rationibus conspicuum est, allatam Augustini, aliorumque Sanctorum doctrinam, de sola non procedere conversione sanitateque perfecta, verùm etiam de imperfecta, proximè explicata. Primò, quia si sanitas ista, & conversio, facilè & citò acquireretur; peccatori facilè non persuaderetur, in quæ mala se peccando præcipitaverit. Eò quòd præcipuum ac supremum animæ malum, culpa utique mortalis, inimicitia cum Deo, gratiæ sanctificantis amissio, æternique supplicii reatus, citò & facilè curaretur. Secundò, quia si malum istud citò facilèque curaretur, non multùm caveretur. Tertiò, quia si se convertens nec multùm orare, nec multùm se affligere, nec multùm laborare deberet, ut inde liberaretur, non sentiret, quanta pœna impiis se non convertentibus præparetur. Quartò, sanitas ista (consistens in liberatione à præcipuo animæ malo) vilescet, nec diligentiùs custodiretur, dum amissa tam facilè recuperaretur. Quintò, homo tanti boni, tantique doni capax effici non deberet, illud magnè, sive diù multùmque desiderando; quandoquidem parvo momentaneoque desiderio, illius non solùm capacitatem, sed & donum obtineret. Sextò, denique homo bonum istud suis viribus facilè tribueret, quod tam citò & tam facilè compararet.

Accedit, prorsùs incredibile esse, quòd peccator, jam justificatus, tot & tantis difficultatibus tantisque dilationibus exercendus foret ad obtinendam remissionem, non culpæ lethalis, nec pœnæ æternalis, sed pœnarum temporalium dumtaxat; si nullis difficultatibus nec dilationibus exercendus foret, ad acquirendam justificationem, culpæque mortalis, ac pœnæ æternæ remissionem. Quæ cùm sit liberatio à malo incomparabiliter majori; est donum incomparabiliter majus, quàm remissio pœnæ temporalis. Si ergo doctrina & rationes Sanctorum procedunt de dono incomparabiliter minori; à fortiori procedunt de dono incomparabiliter majori. 511

Accedit item, quòd à peccandi facilitate peccator non tam cohibere se soleat difficultate recuperandi pristinum sanctitatis gradum, vel liberationem à purgatorio, quàm difficultate recuperandi liberationem à malo præcipuo antè dicto. 512

§. VI.

Argumentorum contrariorum imbecillitas ostenditur.

COntra superiorem assertionem, tam validis è Scriptura, traditione & ratione firmamentis vallatam, varia opponunt Juniores, laxitatis novaturientis defensores, & primò quidem ex Luc. 15. *citò proferte stolam primam.* 513

Sed imbelle argumentum. Quia præclarus Author librorum, quorum titulus, *Continuation des Essais de Morale*, demonstrat filium prodigum magnis & longis laboribus præparari debuisse, antequam audiret: *citò proferte stolam primam.* Nam diu antè debuit miseriam suam sentire, & agnoscere. Deinde eam deflere, & ad domum patris anhelare. Tertiò, pati famem. Quartò, porcorum manducare siliquas. Quintò, eas deserere. Sextò, magnis itineribus, in maxima rerum omnium egestate, ad patrem proficisci. Septimò, ipsum ut patrem diligere. Octavò, coram ipso profundè se humiliare. Nonò, peccatum suum confiteri magno cum dolore. Post hæc omnia demùm pater dixit: *citò proferte stolam primam.* Exemplo proinde isto firmatur assertio nostra, non infirmatur.

Secundò opponunt ex Ps. 31. *Dixi, confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ubi Ambrosius: *dixit pronuntiabo, & veniam meruit, antequam pronuntiaret.* 514

An ergo Steyartius, qui hoc objicit, censet adulteros & homicidas, qui novem mensibus in cri-

minibus istis enormibus insorduerunt (prout insorduit David) ordinariè momento veniam consequi? Fatetur quòd non. Vel ergo David diù ante verba illa pœnitere cœpit; vel immensi doloris donum, gratiâ extraordinariâ, momento obtinuit. Quia dolorem ipsius immensum fuisse, Ambrosius asserit.

515 Tertiò opponunt: Scriptura peccatores hortatur, ut citò convertantur, imò id eis præcipit. Eccli. 5. *Non tardes converti ad Dominum.* At non præcipit impossibile. Ergo citò converti possunt.

Concedo totum: quid enim inde? sequiturne, citò converti possunt, per gratiam utique, quam Deus dare potest, & ipsi à Deo per meritum Passionis Christi obtinere. Ergo ordinariè citò convertuntur? Imbelle profectò argumentum, à potentia ad actum.

516 Quartò opponunt illud Ambrosii in c. 1. Luc. *Nescit tarda molimina, Spiritûs sancti gratia.* Impertinens argumentum: cùm Ambrosius ibi de peccatoris non agat conversione, sed de Deipara Virgine, quæ, Deo jam plena, cum festinatione abiit in Montana.

517 Quintò opponunt ex Cælestino Papa epist. 2. c. 2. *Cùm Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti: cùm ille se obliget Judici, cui occulta omnia noverit revelari.*

Sed legatur contextus, & manifestè apparebit Cælestinum ibi solùm velle, pœnitentiam in extremis non negandam, sicque discurrere. Qui pœnitentiam in extremis denegant, perinde agunt, ac si Deus tunc per gratiam tuam succurrere non posset. Verùm id posse Deum, ex Scriptura latronis exemplo demonstrat. Tunc ergo Sacerdos pœnitentiam postulanti denegare non debet: quia vel est conversus, vel non? Si sic, Deus cordis inspector, conversionem ipsius videns, ipsum salvabit. Si non, ipse viderit: cùm se obliget Judici, cui occulta omnia noverit revelari. Solùm ergo vult Cælestinus, pœnitentiam quovis tempore, etiam in extremis, non negandam, etiamsi tunc peccator pœnitentiam secundùm canones agere nequeat.

518 Sextò opponunt Chrysostomum in parænesi priore seu epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Etiamsi peccator non omnem præ se fert pœnitentiam, brevem illam, & exiguo tempore factam non abnuit... Non enim ad temporis rationem, sed juxta affectum animi solet dijudicari pœnitentia .... Quacumque quis horâ se dejiciens vel unum dixerit verbum, in eo momento totius vitæ peccata simul abstergit.* Sic rursùm (cum aliis Junioribus) Steyartius arguit, ut probet, tempore opus non esse pro conversione peccatorum ordinariorum; tametsi fateatur, tempore opus esse pro conversione peccatorum enormium, obduratorum, consuetudinariorum, &c. Cùm tamen de peccatoribus ordinariis ibi non agat Os aureum, sed de enormibus, scortatoribus utique, adulteris, pædiconibus, &c. utpote in iis exemplificans.

519 Author tempestatis novaturientis, & alii quidam paulò aliter exhibent, opponuntque verba Chrysostomi, sic utique: *quantulamcumque, & quantumlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam*, &c. Verùm etsi locus ille Chrysostomi sic referatur à Magistro & Gratiano; reverà tamen Chrysostomus non habet vocem illam, *quantulamcumque*, ut videre licet in Edit. Paris. 1556. & Morinus ex textu Græco ostendit l. 5. c. 28. cujus textus sincera translatio sic habet: *Licèt quis non omnem demonstret pœnitentiam, & expleat satisfaciendi ordinem* (id est pœnitentiæ stationes) *brevem tamen, & exiguo tempore actam non aversatur*, id est (inquit Morinus) licèt quis pœnitentiæ stationes explere non possit, ardore tamen contritionis eas potest compensare. Non enim ad temporis rationem, sed juxta affectum animi solet dijudicari pœnitentia, ut suprà dixit. Sed non dicit hoc ordinariè fieri; imò contrarium apertè dicit in locis paulò post exhibendis.

Septimò opponunt verba sequentia ejusdem Chrysostomi orat. de S. Philogono, *nec istud perpende quòd breve tempus est, sed illud considera quòd benignus est Dominus; quandoquidem & Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei à se depulerint, nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo, amplectens Domini benignitatem, totum peragere potuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, cùm ad Christum accessisset, omnia probra diluit....* HÆC NON EGENT MULTIS DIEBUS, SED SOLO ANIMI PROPOSITO UNICO DIE PERFICIUNTUR. Ergo peccator, etiam grandis, etiam enormis, etiam consuetudinarius (siquidem omnes indiscriminatim Chrysostomus hortatur) ordinariè brevi tempore, etiam unico die, convertitur sufficienter ad absolutionem. Negat consequentiam ipse Chrysostomus, neque enim verbis illis docet quid ordinariè fiat, sed quid absolutè fieri possit, & aliquando fiat. Illa ergo quæ ibi dicit, absolutè & universaliter non egent multis diebus, sed solo animi proposito unico die aliquando perficiuntur. At neque hîc Chrysostomus dicit, plenam grandium peccatorum, etiam consuetudinariorum, conversionem unico die ordinariè perfici. Imò contrarium declarat, tum 1°. 520 in eadem oratione, dum peccatores communicare volentes sic alloquitur: *Adhortor vos omnes, ne negligenter, velut festo die cogente, ad divina mysteria accedatis; sed siquando parabitis hujus sacræ Hostiæ fieri participes,* MULTIS ANTE DIEBUS *repurgetis vosipsos per pœnitentiam, precationem & eleëmosynam*; denique *per hoc ut vacetis spiritualibus, nec denuò convertamini, canis in morem, ad proprium vomitum.* Tum 2°. in homilia ad verb. *Sponte peccantibus*, ubi (Perionio interprete) sic habet: *Dies quadraginta animi sanitati tribuis, & fortasse non totidem, & tibi placatum propitiumque fore Deum speras? jocaris, quæso, cùm hæc dicis.* Pluraque addit ibidem, ut ostendat modicum istud tempus non sufficere, nisi vehemens sit & magna cordis pœnitentia. Siquidem *magnâ* (inquit) *nobis opus est pœnitentiâ, crebrâ oratione, magnâ constantiâ*, &c. 3°. homil. 3. de pœnit. de fornicatore assueto sic habet: *Est quercini roboris cæsor, is quercum si velit cædere, securim accipit, incidit radicem. Si plagâ unâ percusserit, neque ceciderit infructuosa arbor, nonne secundam dederit? non quartam? non quintam? non decimam? Sic & tu fac. Quercus est fornicatio.... multo tempore in tua mente radicata... Meus sermo securis est. Uno audisti die. Quomodò uno die cadat, quæ tanto tempore radices immisit? Si enim bis, ter, si centies, si decem millies, non jam mirum. Modò incide vitam malam, & sortem consuetudinem.... & gratiam impetrasti.... Adeò turpis est res, consuetudo pessima, quòd nu statim potest abjici, nec tempore brevi.* 4°. homil. 22. in epist. ad Hebr. in Morali: *Melius est immundo luto pollui, quàm peccato. Nam qui illo est inquinatus, brevi tempore abluitur. Qui autem cecidit in barathrum peccati.... multo eget tempore, perfectâque pœnitentiâ, lachrymisque, ac planctibus, majorique ac vehementiori lamentatione, quàm quæ propter charissimas ostenditur.*

Opponunt octavò: S. Augustinus l. 2. contra 521
Cresconium cap. 9. *sive* (inquit) *ad bonum, sive ad malum parvo momento animus commutatur.*

Respondeo 1°. verum esse, quòd parvo momento animus aliquando convertatur, post peccatum non adeò magnum, nec consuetudine firmatum,

firmatum, nec frequenter repetitum, neque ex malitia, sed ex ignorantia commissum, neque magnæ adhæsionis; imò fatemur id aliquando etiam fieri post magna peccata, etiam consuetudine firmata, per gratiam extraordinariam, & miraculosam, prout in Matthæo & Latrone factum est, in quibus exemplificat Augustinus. 2°. Augustinum non dicere, quòd ista ordinaria sit divinæ gratiæ erga magnos peccatores œconomia. Imò contrarium manifestè docet in locis n. 487. 491. & seqq. relatis.

523 Instabis 1°. idem S. Doctor in Psal. 63. *Numquid* (inquit) *consilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam, non est locus, non est tempus? Nonne, si vis, quotidie fit? Nonne, si vis, modò fit? .... Ecce cùm loquor, muta cor, & factum est quod tam sæpè, & tam diù clamatur ut fiat.*

Respondeo, Augustinum aliud ibi non dicere, quàm peccatores, *si velint* (plenè scilicet, atque ex toto corde) *hodie, modò, dum loquor*, cor mutare; sed non dicere quòd magni peccatores id ordinariè momento, seu brevi tempore, ex toto corde velint. Quia tamen *Spiritus* sanctus *non modo ubi vult, sed & quando vult spirat, nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem, quam vix multo tempore alii consequuntur* (ait S. Bernardus serm. 38. ex parvis) & aliunde peccator quicumque facere debet quod in se est, ut è peccati statu citò exeat: Concionator eodem modo peccatores alloqui debet, quo Augustinus concione in Psalmum illum 63. Primò, ut qui se convertendi voluntatem nondum habent, saltem incipiant eam habere, corque suum mutare, quantum possunt. Secundò, ut qui inchoatam habent se convertendi voluntatem, ampliorem habere conentur, tantam utique quanta requiritur ad plenam conversionem. Tertiò, ut si qui fortè de auditoribus sint, quos Deus, ad vocem Concionatoris, gratiâ extraordinariâ convertere voluerit, per gratiam istam plenè convertantur; quandoquidem omni tempore & loco cor suum peccator mutare queat, plenèque converti, per gratiam quam Deus, concionis tempore, misericorditer concedere potest; tametsi eam ordinariè magnis peccatoribus, præsertim consuetudinariis, non concedat unius concionis tempore, sed post multas colluctationes, multasque preces & opera pietatis. Verissimè itaque Augustinus dicit: *si vis, hodie fit, si vis, modò fit.* Quia plena conversio fit omni momento, quo voluntas plenè vult; quod omni momento plenè velle potest, per gratiam quam Deus omni momento concedere potest, & magnis aliquando peccatoribus per misericordiam extraordinariam momento concedit. Sed quia eam ipsis ordinariè momento non concedit, in Psalmum 98. idem Augustinus dicit: *homo, quando vult, ægrotat; non quando vult surgit.* Quia, ut Gregorius Magnus lib. 14. Moral. c. 4. ait, *qui in peccatis se deficit, non mox, ut voluerit, surgit.* Et l. 6. c. 6. in lib. 1. Reg. *qui peccata nolunt vitare, cùm possunt, postea non possunt, si volunt: quia perfectè velle non possunt.*

524 Instabis 2°. serm. 82. c. 3. Augustinus rursùm dicit: *Citò fecisti mortiferam rem, sed remedium citò invenisti.* Ergo peccator citò convertitur.

Respondeo quædam esse peccata mortifera, quorum citò remedium invenitur. Talia quippe sunt peccata non adeò magna, neque ex malitia, sed ex ignorantia commissa, nec magnæ adhærentiæ, ut suprà dixi. Talia etiam sunt respectu eorum qui alias justi sunt, in gravem semel iram, contentionem, ebrietatem, rixam, judicium temerarium, morosam delectationem ex humana infirmitate cecidisse. Et de ejusmodi peccato loquitur Augustinus, de peccato utique quo quis ex subita ira peccavit in fratrem. Ait enim: *Peccasti in fratrem, fac satis* (id est da illi satisfactionem) *& sanatus es. Citò fecisti mortiferam rem, sed remedium citò invenisti*; in Evangelio utique dicente: *Si obtuleris munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare..... & vade priùs reconciliari fratri tuo, & sic veniens offeres munus tuum. Ecce ille reatus gehennæ quàm citò solutus est. Nondum reconciliatus, eras gehennæ reus: reconciliatus, securus offers munus tuum ad altare.* Nec tamen Augustinus ibi dicit homines, qui ex iracundia fratrem læserunt, ordinariè facilè adduci ad se humiliandum, & fratri satisfaciendum. Imò dicit verbis immediatè sequentibus: *Homines autem faciles sunt ad irrogandas injurias, & difficiles ad concordiam requirendam. Pete, inquit, veniam ab homine quem offendisti, ab homine quem læsisti. Respondet: non me humiliabo*, &c.

Instabis 3°. *Peccata* (ait Augustinus epist. 54.) 525
si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici Corporis separare.

Respondeo objicientes esse commiseratione dignos, qui ex verbis illis inferunt, ejusmodi peccata committentem (quæ excommunicatione non puniuntur) quotidie posse sacrâ Communione, quotidie proinde absolutione donari; citò proinde ac facilè curari. Quasi peccator, qui fornicationem (ne quid gravius dicam) quotidie committit, quotidie absolvi communicareque possit, utpote non habens peccatum tantum, propter quod excommunicatus sit. Qui sic putant, ex verbis Augustini pessimè intellectis inferunt consequens, unde rubore ipsos suffundi oporteret. Ibi ergo Augustinus de excommunicatione non loquitur, ad sensum quo de ea hodie loquimur; sed ad sensum quo tunc accipiebatur, pro separatione ab altari, ad agendam pœnitentiam. Eo quippe loco duos inducit inter se disputantes circa quæstionem, an Eucharistia quotidie accipienda sit? *Eligendi sunt dies* (dicebat unus) *quibus puriùs homo, continentiùsque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat.... Alius contrà: imò, inquit, si tanta est plaga peccati.... ut medicamenta talia differenda sint, authoritate Antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eâdem authoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam.... Cæterùm si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quispiam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici Corporis separare.* Hactenùs Augustinus, non in persona sua, sed duorum illorum disputantium, ut ad oculum patet. Quid verò ipse in propria persona? *Rectiùs* (inquit) *inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque, quod secundùm fidem suam piè credidit esse faciendum. Neuter enim eorum* (disputantium) *exhonorat* (id est exhonorare intendit) *corpus & sanguinem Domini, sed saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt.* Quod profectò non faceret fornicator, ab ara Veneris, corpore Venerem adhuc fumante, ad aram Christi quotidie convolando. Ad quod impediendum, fornicatio (Augustini tempore) canonicâ pœnitentiâ, & separatione ab altari puniebatur.

Opponunt nonò: S. Franciscus Salesius collat. 526
10. ad Religiosos dicit, *vix opus esse tempore* (ad eliciendum contritionis actum) *cùm tantùm opus sit, te coram Deo prosternere in spiritu humilitatis, & doloris quod ipsum offenderis.* Ergo magnis peccatoribus opus non est multo tempore, &c.

Ad ridiculam consequentiam risum teneatis

amici. Neque enim magnos ibi peccatores alloquitur Saleſius, ſed animas juſtas & religioſas. Quibus ideò vix tempore opus eſt ad eliciendum contritionis actum, quia in ipſis prædominatur charitas. Ridiculum proinde eſt, id extendere ad peccatores, præſertim magnos, & conſuetudinarios, &c. in quibus prædominatur, & ſæpè radices altas egit cupiditas: à qua prædominante ad prædominantem charitatem ordinariè nec facilis, nec momentaneus eſt tranſitus.

527 Opponunt decimò: S. Carolus Borromæus Confeſſarios monet, ut pœnitentes non ſatis contritos, ad plenam excitent contritionem, excitatoſque ſtatim abſolvant: *Confeſſarius pœnitentem, qui ſtudii nonnihil præſtitit, cui tamen aliquid neceſſarium ad debitam diſpoſitionem deeſt, adjuvet, ipſumque excitet ad tam acrem animi dolorem, quo de omnibus & ſingulis peccatis mortalibus doleat, ut eum ſecurè abſolvere poſſit.* Neceſſaria ergo contritio, ab iis qui ad eam ſtudii nonnihil poſuerunt, in ipſa confeſſione ſtatim obtineri poteſt. Quod & ſatis innuit, dum peccatorem admonet, ut *ſtatim quamprimùm peccatum mortale confeſſione eluat.* Et, ſi confiteri nequeat, *ſummo ſaltem dolore conteratur.*

Reſpondeo 1°. ad id anniti debere tam Confeſſarium, quàm pœnitentem; ſed S. Carolum non dicere quòd ad ſufficientem contritionem citò ordinariè perveniant magni peccatores, maximè conſuetudinarii, nullis præmiſſis pœnitentiæ operibus. 2°. non eſſe bonam conſequentiam: S. Carolus monet, ut peccator peccatum mortale ſtatim quamprimùm ſacramentali confeſſione eluat. Ergo peccator, grandium criminum reus, etiam conſuetudinarius, ſolet ſtatim quamprimùm conteri. Quia in conſequente ponitur, *grandium criminum reus*, &c. quod S. Carolus non poſuit in antecedente. Licèt conſequens iſtud concedi poſſit de peccatore, grandium criminum non reo, ex infirmitate ſemel lapſo in gravem iram, rixam, &c. ut dictum eſt n. 524. Licèt etiam magni peccatores facere debeant quod in ſe eſt, ut ſtatim convertantur, vel converti incipiant. Denique dum S. Carolus dicit, Confeſſarium adjuvare debere pœnitentem, ut plenè coateratur, non loquitur de peccatore quocumque, ſed de eo qui converſionem ſuam inchoavit, ſtudiique nonnihil adhibuit ad plenam contritionem habendam. Nec tamen omnes iſtos dicit, poſt Confeſſarii exhortationem, cenſeri poſſe ſufficienter contritos; ſed quia ex ipſis aliqui, à Confeſſariis adjuti, tales eſſe poſſunt, Confeſſarius anniti debet ad id ipſis procurandum, eoſque ſtatim abſolvere, quos ſufficienter contritos prudenter judicaverit. Qua in re S. Carolus tam pœnitentes, quàm Confeſſarios, ſic monet ad faciendum quod in ſe eſt, ut haud dubiè Confeſſariorum prudentiæ relinquat ſecundùm divinæ Scripturæ & SS. Patrum regulas dijudicandum, an poſt exhortationem cenſendi ſint vel non ſint ſatis contriti, ac per conſequens, an ſint vel non ſint abſolvendi.

528 Inſtabis, S. Carolus in Inſtitut. Seminar. Epiſc. tit. de officio Confeſſarii, jubet, ut Confeſſarius *moneat omnes, ne unquam ſibimetipſis mortalis culpæ conſcii, ſomnum capiant, ſed contractam peccati maculam ſtatim ſacramentali confeſſione eluant.*

Sed quid inde pro magnis peccatoribus, maximè conſuetudinariis, &c.? Tales ordinariè non ſunt Seminariſtæ, de quibus ibi S. Carolus; ſed ſiqui ex ipſis ſubinde ex fragilitate labantur in ſubitam iracundiam, vel delectationem moroſam, &c. ſuprà non ſemel diximus, contractam peccati mortalis maculam parvo tempore, antequam ſomnum capiant, ſacramentali confeſſione eluere poſſe: & ſiquando plenè contriti non ſint, dum confitentur; ad ferventem Confeſſarii admonſtionem plerùmque, brevi tempore, ad plenam contritionem excitari, ac per conſequens ſtatim abſolvi poſſe.

Opponunt denique: Deus eſt velox animarum 529
Medicus. Solet ergo peccatores, etiam magnos, etiam conſuetudinarios, &c. velociter & citò convertere.

Reſpondeo, Deum eſſe velocem animarum Medicum, id eſt animas peccatorum ad plenam converſionem perducentem, ubi & quando vult: ſed ſecundùm ordinariam providentiæ, ſuæ œconomiam non velle magnorum peccatorum, maximè conſuetudinariorum, animas ad plenam converſionem velociter perducere, ob rationes §. 5. ex Auguſtino allatas.

Inſtabis, Adam, magnus peccator, citò ad 530
Deum plenè converſus fuit; ſicut & S. Petrus, Magdalena, & alii quos Chriſtus parvo tempore convertit; Judæi quoque ac Gentes, initio naſcentis Eccleſiæ.

Reſpondeo 1°. legitimam non eſſe conſequentiam iſtam: Deus aliquando ſic fecit: ſolet ergo ordinariè ſic facere. Cùm hoc ſit arguere à particulari ad univerſale, vel quaſi univerſale.

Reſpondeo 2°. in caſibus illis ſpecialem fuiſ- 531
ſe rationem ſic faciendi. Imprimis in Adamo, ſi verum eſt quòd citò plenè converſus fuerit (quod adverſarii non probant, nec ſcio unde probari poſſit) ratio ſpecialis fuit, quia conveniens fuit quòd ſicut primas herbas, plantas, arbores, bruta, homines, Deus (ut Author naturæ) in ſua integritate ab initio creaverat; ſic primos peccatores (ut Author gratiæ) citò ad ſe per plenam ſeu integram converſionem revocaret; ut ſic primæ creationi rerum naturalium prima peccatorum converſio, ordini proinde rerum naturalium ordo ſupernaturalium reſponderet. Propterea namque Protoparentibus apparendo, ipſoſque ad peccati confeſſionem, atque pœnitentiam, ſenſibiliter invitando, utrumque per ſeipſum extraordinario modo convertit, quemadmodùm per ſeipſum ipſos creaverat.

Quemadmodùm etiam initio mundi naſcentis 532
neceſſaria fuerunt miracula illa naturæ, ad manifeſtandam omnipotentiam Creatoris; ſic initio naſcentis Eccleſiæ neceſſaria fuerunt miracula gratiæ, ad manifeſtandam omnipotentiam gratiæ Redemptoris; ad hoc etiam ut per ſubitaneas iſtas converſiones Eccleſia citiùs propagaretur. Eâ verò jam ferè ſatis propagatâ, miracula ſunt rariora; ſicut irrigatio plantarum & arborum rarior eſt, dum earum radices ferè ſatis in terra coaluerunt, prout D. Gregorius ait. Sicut enim ſi miracula naturæ quotidiana forent, teſte Auguſtino tr. 24. in Joan. aſſiduitate ſuâ inter homines vileſcerent; ſic & miracula gratiæ, qualis eſt ſubita magnorum peccatorum plena converſio. Ideò proinde Deus, tam in ordine gratiæ, quàm in ordine naturæ, *ſervavit ſibi quædam, quæ faceret opportuno tempore, præter uſitatum curſum ordinemque naturæ*, & gratiæ, *ut.... inſolita videndo ſtuperent, quibus quotidiana viluerunt.* Fiunt igitur aliquando miracula gratiæ, ſicut & naturæ, ut inſolita videndo excitentur, quibus quotidiana viluerunt. Sed ſicut miracula naturæ ſic ab initio mundi neceſſaria fuerunt, ut deinceps ea (quia ampliùs non neceſſaria) rarò faciat Author naturæ; ſic miracula gratiæ (in ſubita converſione plena magnorum peccatorum) initio naſcentis Eccleſiæ ſic neceſſaria fuerunt, ut deinceps ea (quia jam ampliùs non neceſſaria) rarò faciat Author gratiæ. Quia ſic ipſammet Dei clementiam decet; eò quòd ſic expediat ſpirituali ipſorummet peccatorum bono.

CAPUT

CAPUT XXXVIII.

Plena magnorum peccatorum, maximè consuetudinariorum, &c. conversio, secundùm ordinariam divinæ gratiæ œconomiam facilis non est, sed difficilis, difficiliorque in Sacerdote lapso, quam in Laico.

§. I.

Assertio probatur ex Scriptura.

533 IMprimis ex Eccles. 1. v. 15. *Perversi difficilè corriguntur.* Hierem. 13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere, cùm didiceritis malè.* Et c. 30. v. 12. *Insanabilis fractura tua.... Curationum utilitas non est tibi.*

534 Secundò ex Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci.... Gazæ.... Tyri.... Edom.... Filiorum Ammon.... Moab.... Juda.... Israël, & super quatuor non convertam eum. Quasi dicat* (ait S. Thomas Villanovanus conc. in fer. 6. post Domin. 4. Quadrag.) *tribus sceleribus aliquando parcam.... Non ut impossibilem, sed ut difficilem quatriduam* (id est consuetudinarii) *peccatoris ostenderet curationem.*

535 Aliud ex hoc loco, & similibus colligunt plerique Theologi, censentes cum Cyrillo Alexandrino l. 3. de adorat. in spir. & verit. & Authore libri de vita Christiana apud August. to. 6. certam divinæ misericordiæ constitutam esse mensuram, respectivè ad aliquos majorem, respectivè ad alios minorem, quâ impletâ Deus per gratiæ efficacis collationem ampliùs non miseretur, nec proinde peccator ampliùs convertitur, sed induratur. Sicut Pharao post primum in suum crimen relapsum, induratus fuit, secundùm Augustinum; Saül post primam inobedientiam à temporali regno reprobatus fuit. 1. Reg. 13. Samson de vinculis Philistinorum ter liberatus, post quartum in ea relapsum à Deo derelictus fuit, atque à spe sua dejectus, quâ se (ut antè) excutere putabat, dicens: *Egrediar sicut antè, & me excutiam; nesciens quòd recessisset ab eo Dominus.* Judic. 16. Pharao, Saül, Samson, suo illo exemplo exprimunt id quod peccatoribus accidere solet. Putant isti se toties à Deo convertendos, quoties lapsi & relapsi fuerint. Sed ipsis, sicut Damasco, Gazæ, Edom, Tyro, Moab & Judæ, dicit Dominus: *Super tribus sceleribus..... & super quatuor non convertam eum*, id est non dabo gratiam efficacem, quâ convertatur, ideòque vivet & morietur in peccatis suis. Accipe verba laudati Authoris lib. de vit. Christ. cap. 4. *Esse* (inquit) *certum peccatorum modum, atque mensuram, Dei ipsius testimonio declaratur. Et quòd unusquisque, vel celeriùs, vel tardiùs, prout peccatorum modum expleverit, judicetur, evidentissimè demonstratur, quando de Sodomorum & Gomorrhæorum interitu atque incendio, qui sua jam peccata repleverant, ad Abraham Deus loquitur, dicens: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum repletus est, & peccata eorum magna vehementer repleta sunt. De Amorrhæis verò.... qui sua nondum peccata finierant, quos post multos annos.... constat esse delectos: nondum repleta sunt peccata Amorrhæorum usque adhuc. Quo exemplo manifestissimè docemur, singulos tamdiù ut convertantur sustineri, quamdiù delictorum suorum cumulum non habuerint consummatum.* Patet hoc in allatis exemplis Pharaonis, Saülis, Sodomitarum, Amorrhæorum, & habitatorum Damasci, Gazæ, Tyri, &c. Patet & in filiis Israël, quos Deus in deserto sustinuit usque ad nonam rebellionem, sed per decimam impleverunt mensuram, ideòque non introierunt in terram promissionis. Patet denique in Angelis, quibus Deus non concessit nisi duo vel tria momenta ad salutem. Post certam itaque peccatorum mensuram, Deo notam, hominibus ignotam, solet Deus (ex Theologorum illorum sententia) subtrahere gratiam suam efficacem, sine qua nullus convertitur. Tametsi non unam eamdemque omnibus mensuram præscripserit Deus, sed uni unam, aliis aliam. Cujus enim vult, & quomodò vult, miseretur. Et quem vult indurat. Unus etiam citiùs (ut Saül & Pharao) alii seriùs indurantur. Quàm difficilis verò sit conversio induratorum, nemo est qui ignorat.

3°. ex Evangelio, salutis viam ipsis justis difficilem & arctam prædicante. Si enim talis est justis: quantò magis peccatoribus, maximè post grandia crimina, &c.? Via autem salutis non foret ipsis difficilis, si gratiæ amissæ per plenam conversionem recuperatio foret ipsis facilis. Si enim ipsis facile esset, gratiam amissam recuperare; facile quoque esset recuperatam conservare, in eaque perseverare; ob ea quæ dicturi sumus cap. 41. §. 20. ipsis ergo facilis esset salus. 536

4°. ex Evangelica historia resuscitationis Lazari, quæ secundùm Augustinum tr. 49. in Joan. Gregorium homil. 26. in Evangelia, aliosque Patres, figura fuit resurrectionis spiritualis peccatorum consuetudinariorum. Tres quippe mortuos Christus legitur corporaliter resuscitasse, videlicet filiam Archisynagogi, filium viduæ Naimitanæ, & Lazarum. Et filiam quidem Archisynagogi (figuram peccatoris, ex fragilitate lapsi, statimque surgentis) nondum elatam è paterna domo, datâ illi manu, facilè & citò revocavit ad vitam. Nec difficulter filium illum unicum matris suæ (figuram peccatoris aliquamdiù, sed non diù jacentis in morte animæ) quippe quem, extra portam civitatis elatum, sed nondum sepultum, tacto loculo, sine alia difficultate surgere jussit. Sed ut Lazarum in monumento & sepultura quatriduanum, fœtidumque (peccatoris consuetudinarii figuram) resuscitaret, *infremuit spiritu, & turbavit seipsum. Et lachrymatus est Jesus. Jesus rursum fremens in semetipso, voce magnâ clamavit: Lazare veni foras.* Joan. 11. Cur ita? Ut ostenderet quàm difficilis sit spiritualis consuetudinariorum resurrectio. *Quia difficilè surgit, quem moles consuetudinis premit*, inquit Augustinus loco citato. Ita etiam alii communiter Patres. 537

5°. ex Luc. 18. *Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Ubi per divitem non intelligitur divitias habens, sed divitias amans, seu avarus. Cui si difficilis sit salus, difficilis est pœnitentia seu conversio salutaris. Si autem salutaris conversio difficilis sit avaro; difficilis quoque est luxurioso, ambitioso, seu aliis desideriis & amoribus sæcularibus tenaciter alligato. 538

6°. *homo triginta & octo annos habens in infirmitate* (de quo Joan. 5.) haud dubiè figura est peccatoris inveterati, & consuetudinarii. Sed homo iste nonnisi miraculosè curatus est à Christo. Similiter ergo ad curationem peccatoris inveterati & consuetudinarii, gratiæ opus est miraculo. Unde Joannes Evangelista ibidem refert, quòd ad ejusmodi infirmorum curationem erat *Hierosolymis probatica piscina. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & movebatur aqua*, id est turbabatur. Quod utique miraculosè fiebat. 539

7°. ex Matth. 12. ubi Magister cælestis rationem assignat difficultatis, quæ est in conversione magni peccatoris, post pœnitentiam relapsi: *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per* 540

loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: revertar in domum meam, unde exivi. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & intrantes habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Ecce ergo causa dictæ difficultatis in relapso, utpote quem ante relapsum unicus spiritus malus possidebat, relapsum autem post pœnitentiam (quæ spiritum illum malum ejecerat) possident alii septem spiritus mali, primo nequiores. Quos primus ille spiritus malus secum ideò assumit, ne rursùm ejiciatur, sed in relapso illo absque timore iteratæ ejectionis habitet (inquit Nazianzenus.) Jam ergo non facilè ejicitur ut antè, utpote septupliciter fortior quàm antè. Ideò proinde fiunt novissima hominis illius pejora prioribus, non solùm quia relapsus in crimen post pœnitentiam, septupliciter pejor est primo crimine, verùm etiam quia dominium dæmonis in ipsum, septupliciter fortius est, quàm antè, vinculaque quibus ipsum sibi devictum devinctumque tenet, septupliciter fortiora sunt. Ad rumpendum proinde difficiliora: *si enim funiculus triplex difficilè rumpitur*, difficilius profectò rumpitur funiculus septuplex.

541 8°. allatam rationem mirificè illustrat Apostolus Hebr. 6. & 10. Siquidem cap. 6. *impossibile est* (inquit) *eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam..... Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem... proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. Voluntariè enim peccantibus nobis* (ait idem Apostolus ibidem c. 10.) *post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur propeccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Etenim *si irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

542 Scio priorem Apostoli textum, intellectum de impossibilitate omnimoda, à sanctis Patribus explicari de renovatione ad pœnitentiam, seu per pœnitentiam (ut exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, &c. per pœnitentiam intelligendo baptismum; qui cùm reiterari non possit, omninò impossibile est relapsis post baptismum, per eum renovari. At etiam scio eumdem Apostoli textum, intellectum de impossibilitate non omnimoda, sed morali, id est difficultate magna, ab omnibus penè sacris Interpretibus, qui post extinctam penitùs Novati hæresim scripserunt, magis planè ac genuinè exponi de renovatione per pœnitentiam propriè dictam, quæ non baptismum, sed (respectivè ad fideles lapsos) pœnitentiam significat lapsorum post baptismum. Hanc quippe pœnitentiam Apostoli verba planè & propriè significant. Dumque Apostolus impossibile esse dicit, lapsis post baptismum, per eam renovari, per impossibile intelligit valdè difficile, non quibusvis peccatoribus post baptismum lapsis, sed enormiter lapsis. Ita Cornelius à Lapide in cap. 6. ad Hebr. ad idem referens Anselmum, Lyram, Hugonem, Dionysium, Titelmannum, Riberam, &c. Quibus addo Clementem Alexandrinum in fine præsentis paragraphi referendum, Estium, & S. Thomam de Villanova conc. 5. in Dom. 4. Advent. Et conc. 3. in Dom. 3. Quadr.

543 Itaque Apostolus impossibile pro valdè difficili ponit, docetque quòd licèt peccatoribus, post baptismum lapsis in grande crimen, venia non sit impossibilis, dummodò legitimè pœniteant, ipsis tamen valdè difficile sit legitimè pœnitere. Quia Deus rarò talibus concedit pœnitentiæ donum. Ut enim S. Thomas Villanovanus advertit loco citato, *postquam Deus ex sua misericordia liberavit aliquem à servitute peccati, eripiens eum de potestate tenebrarum, & transferens in regnum filii dilectionis suæ*, nimis magna malitia, ingratitudo, & contemptus est, *iterùm se subjicere servituti peccati. Et quidem antequam nosceret peccati servitutem, & justitiæ pacem, nihil mirum. Sed postquam novit utrumque statum, commutare justitiæ delicias pro sentibus peccatorum..... peccatum est dignum omni supplicio, indignum misericordiâ. Exemplum: si quis pater filium maximis sumptibus eripuerit de servitute Turcarum, & ille se iterùm objiceret servituti: quis miserebitur ejus? Quis non dicat: moriatur stultus in sua servitute, ex quo sic voluit? Unde Apostolus, ostendens, quàm difficulter hujusmodi pœniteant, ait: impossibile est eos, &c.* ut suprà. *Impossibile, id est, valdè difficile. Propter malitiam. Propter contemptum. Propter ingratitudinem. Propter malitiam: noverant enim jam miseriam servitutis peccati: non possunt allegare ignorantiam. Propter contemptum: quia experti utrumque statum, delicias justitiæ pro voluptatibus commutarunt. Propter ingratitudinem: quia liberati misericorditer & potenter, neglexerunt.* Propterèa *justo Dei judicio deserti traduntur in reprobum sensum, & quasi contemptores contemnuntur, & fiunt pessimi. Nam, sicut ait Evangelium, non redeunt ad illud peccatum solum, sed etiam ad septem alia pejora, quibus indurantur*, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. *Sic Judas, qui aliquo tempore malus fuit, & vocatus ad Apostolatum, aliquo tempore respuit, quia deinde redit ad priorem avaritiam, habuit finem quem scitis. Ita... similes sunt illis, quos Dominus in manu validâ eduxit de servitute Pharaonis, & postquam gustaverunt manna, desiderabant cepas & pepones, & allia, & ollas Ægypti, & optabant redire in Ægyptum, quibus juravi* (inquit) *in ira mea, si introibunt in requiem meam. Sic isti, liberati à servitute peccati, gustaverunt bonum Dei verbum, & delicias sæculi venturi, & commutaverunt pro cepis & alliis voluptatum carnalium, reprobi & indigni cælesti patriâ.*

544 Si tam difficilis est conversio lapsorum in grande crimen post baptismum, certè non minùs difficilis est conversio lapsorum in grande crimen, post susceptum Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum, præsertim inveteratorum & consuetudinariorum. Quod enim Christiani olim plenâ cognitione protestabantur in baptismo, hoc hodie plenâ cognitione protestamur in confessione, nos utique non amplius redituros ad coinquinationes mundi, sed diabolo & operibus ejus seu peccatis sic abrenuntiare, ut ad ea amplius non simus redituri. Non minoris ergo, imò majoris gravitatis sunt peccata nostra post confessionem, quàm illorum post baptismum; nec minùs, sed magis indigna Dei misericordiâ. Tum quia commissa post baptismum, simulque Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum. Tum quia quæcumque Apostolus allegat ad demonstrandam gravitatem illorum, demonstrant parem, si non majorem, gravitatem istorum. Tam enim istorum, quàm illorum patratores, *sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti.* Et utrique insuper *gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi.* Utrique etiam sunt *terra illa sæpè venientem super se bibens imbrem... proferens autem spinas & tribulos.* Utrique tandem *Filium Dei conculcave-*

runt, & sanguinem Dei pollutum duxerunt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerunt. Non magis ergo istis, quàm illis, *voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio judicii*, &c. Nec magis istis, quàm illis, facilis est renovatio per pœnitentiam: quia non magis istis, quàm illis, facilis est vera sufficiensque pœnitentia; cujus donum quia relabendo contempserunt, eidemque dono, & sanguini Christi contumeliam fecerunt, eo se indignos reddiderunt. Unde Clemens Alexandrinus Hom. l. 2. posteriorem Apostoli locum suprà relatum, exponit de voluntariè peccantibus post pœnitentiam secundam, ut videre est apud Morinum l. 5. c. 28. n. 5.

§. II.

Secundò probatur ex traditione Sanctorum.

545 PRimò namque Apostolus 1. Cor. 5. Corinthium, post baptismum lapsum in incestum cum uxore patris sui, sathanæ tradidit ad interitum carnis, in eoque interitu per annum reliquit, ut spiritum ipsius per pœnitentiam salvum faceret, ostenderetque ejusmodi peccatorum facilem non esse ex toto corde pœnitentiam, sed difficilem.

546 2°. Justinus l. 1. sermonum serm. 19. *Perdifficilè* (inquit) *anima ad ea, quibus excidit, bona regreditur, & peregrè à malis, quibus assuevit, egreditur.*

547 3°. Cyprianus tr. de lapsis: *Putasne Dominum citò placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilegâ contagione violasti? Putasne eum facilè misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere..... stratos solo adhærere, in cinere & in cilicio volutari.*

548 4°. Chrysostomus hom. 87. in Matth. *Cùm semel quasi violentiâ, vel insano furore oppressa sit ratio, difficillimum est respiscere, nisi generosissima sit anima quæ opprimitur.* Homiliâ verò 30. dixerat quòd *quando anima corpore præstantior, tanto ejus curatio curatione corporis major ac difficilior est.*

549 5°. Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 10. *Facilius invenis qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Utpote quæ sine magnis laboribus & difficultatibus post graviora crimina non agitur, prout explicat scribens ad Virg. lapsa *Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, & membra singula dignâ castigatione punienda.... totum corpus.... cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat; cor vero sit liquescens sicut cera, injuriis inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum.*

550 6°. Augustinus Psal. 6. ad illa verba: *anima mea turbata est, sed tu Domine usquequò*, docet Deum nec citò, nec facilè exaudire animam peccatricem, tametsi pro suis delictis deprecantem: *ut ei persuadeatur in quæ mala se peccando præcipitaverit. Quod enim facilè sanatur, non multùm cavetur. Ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia receptæ sanitatis.* Et in Psalm. 106. *Potuit hoc Dominus sine difficultate præstare: sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnosceremus.* Tract. 49. in Joan. *Difficilè surgit, quem moles consuetudinis premit.*

551 7°. Theodoretus in epist. div. Decret. *Sunt medicabilia, etiam quæ post baptismum fiunt vulnera: medicabilia autem, non ut olim, per solam fidem*, id est non eâ facilitate, quâ per baptismum, qui est Sacramentum fidei; *sed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & jejunium, & orationem, & laborem, commissi peccati quantitati contemperatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus.*

552 8°. S. Prosper in Psal. 106. adducit, & suam facit doctrinam ex S. Augustino in eumdem Psalmum num. 550. relatam. Et l. 2. de vit. contemplat. c. 15. (si tamen liber iste non sit Juliani Pomerii:) *Fit justo Dei judicio... ut qui noluerint mala vitare, cùm possent, non possint vitare, cùm volunt.*

553 9°. Gregorius Magnus l. 4. c. 2. in lib. 1. Reg. sententiam proximè relatam habet, sicut & lib. 6. c. 2. ubi rationem affert, cur non possint, licèt velint, *quia perfectè velle non possunt.* Et l. 11. Moral. c. 5. *Sæpè nonnulli à pravis actibus exire cupiunt; sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt.* Et rursus l. 5. c. 4. in lib. 1. Reg. *Flagitiosorum conversio facilis non est.*

554 10°. Laurentius Justinianus lign. vit. to. 9. de pœnit. c. 3. *Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur, & labitur: quia ubi diù perstitit, ibi etiam, cùm noluerit, cadit. Lex enim peccati est violentia consuetudinis, quâ trahitur injustus animus, eo merito, quo in eam volens lapsus est.* Lib. 2. de spirit. resurrect. pluribus explicat difficultatem abjiciendi penitus voluntatem peccandi in consuetudinario: *Tot quippe funibus tenetur adstrictus, quot sceleribus prægravatur; tantisque spiritualibus compeditus est vinculis, quanto caducis rebus immoderato inhæret affectu. Captivatur itaque consuetudine delinquendi, retrahitur à sensualitate, quæ pœnitentiæ jugo colla subjicere recusat; repellitur suasionibus dæmonum, visibilium detinetur amore.*

555 11°. S. Anselmus l. de similitudin. c. 189. *Jocatur diabolus cum hominibus multis, quos irretitos suis laqueis, pro sua voluntate in diversa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim quidam..... avaritiæ, seu luxuriæ, & similium flammis succensi, ex mala consuetudine illis addicti. His contingit aliquando, ut sua facta considerantes, fleant, seque amodò à talibus cessaturos ore promittant, &, more avis irretitæ, liberos se volare autument. Sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur. Fitque hoc sæpiùs, nec omnimodè liberantur, nisi magno conatu & gratiâ funis rumpatur pravæ consuetudinis.*

556 12°. S. Aëlredus serm. 15. in Isa. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. O dura servitus! quæ etiam animum renitentem plerùmque cogit ad vitia, cùm violentiâ malæ consuetudinis ad illud impellitur vitium, quod detestatur: ut mirum in modum & peccatum ita velit ut faciat, ita nolit ut ploret.* Et serm. 24. *Qui ipsis passionibus manus dederit, & se servituti tradiderit vitiorum, omni virtute spoliatus, imberbis, & quasi in feminam resolutus agnoscitur.* Et ideò *multò facilius est ante lapsum vitia declinare, quàm datam eis semel manum eorum potestati subducere. Quòd si vinculis consuetudinis quis fuerit irretitus, in omnibus debilis, & inermis, & quasi femineus invenitur.*

557 13°. S. Bernardus ser. 81. in Cant. dicit, quòd consuetudinarius *premitur jugo voluntariæ servitutis, & est quidem pro necessitate miserabilis, pro voluntate inexcusabilis.* Et serm. de tripl. miser. *In gravioribus, & quæ ad mortem peccata sunt.... difficilis prorsus res, & soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere. Quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari, nisi in manu fortis.* Unde to. 2. serm. 75. dicit, quòd

licèt Deo difficile non sit subitò honestare pauperem, momentoque quàmlibet magnum convertere peccatorem; rari tamen sunt magni peccatores, præsertim consuetudinarii, quos unâ horâ convertit. Et serm. in festo sanctorum Petri & Pauli, dicit, *eorum qui post conversionem suam* (seu Monasticam professionem) *peccatis & vitiis implicantur, perpaucos reperiri qui redeant ad gradum pristinum, sed magis in sordibus positi sordescant adhuc.*

558 140. S. Thomas lect. 1. in cap. 6. ad Hebr. *Sicut* (inquit) *in corporalibus nullus status est ita periculosus, sicut recidivantium; ita in spiritualibus, qui post gratiam cadit in peccatum, difficiliùs surgit ad bonum.* Et in cap. 6. epist. ad Rom. *Consuetudo peccati quamdam necessitatem inducit ad peccandum.* Et 2. 2. q. 156. a. 3. ad 2. dicit peccantem ex habitu, difficiliùs sanari, quàm peccantem ex passione: quia errat circa finem, & quia habitus *difficilè tollitur. Non itaque putemus tam facilè remitti posse admissa semel crimina*, ait Cæsarius Arelatensis homil. 19.

559 Id profectò non crediderunt sancti illi pœnitentes, de quibus S. Joannes Climacus in scala Paradisi gradu 5. narrat, sese in quodam loco prope Alexandriam pœnitentibus deputato, vidisse quosdam totas noctes ad usque manè sub dio immotis pedibus stantes, & miserabiliter cum somno & natura luctantes, seque ipsos adhuc graviter objurgantes, ac conviciis insuper & contumeliis excitantes; assos frontibus humum ferientes, pavimentum lachrymis inundantes, seipsos diverberantes, & ex imo pectore & intimis visceribus situ leonum rugientes & ingemiscentes; qui *saxa ipsa verbis & vociferationibus, precibusque ad Deum fusis ad sensum commiserationis possent inflectere. Videre erat in illis linguas ardentes, & pro ritu canum ex ore promissas. Alii gravi solis æstu se cruciabant. Alii frigore se torquebant. Alii cùm modicum quid aquæ libassent, desierunt tantùm ut ne siti enecarentur. Alii cùm panem gustassent dumtaxat, illum rursus procul à se rejiciebant*, SE INDIGNOS DICTITANTES QUI CIBUM HUMANUM SUMERENT, *qui bestiarum opera exercuissent.*

560 *Erat videre in illis genua, quæ ex assidua geniculationum consuetudine callum obduxerant; oculos exesos atque debiles, altosque in sinus capitis receedentes. Genas habebant saucias, & ardore ferventium lachrymarum adustas; vultusque pallentes & emaciatas facies, nihil à mortuis, si conferres, differentes*, &c.

561 Maxima verò peccata, quæ ibidem ab hominibus laïcis, vitæ Monasticæ addictis, & sacros Ordines non habentibus, sic luebantur, erant *violatio signaculi castitatis, gula, sive comestio furtiva, & subitus furor*; ut gradu 4. & 5. licet videre. Et siquando quis occultè fuerat lapsus, DETECTO (apud Abbatem) *vulnere, petitoque emplastro, importunis precibus & lachrymis* rogabat eidem loco adjudicari, *ubi nullus culinæ fumus cernebatur; non vinum, non oleum, in cibum adhibebatur; non aliud quicquam à foco, præter panem & minuta oluscula, in mensam inferebatur*; & unde nemo umquam poterat efferre pedem, nisi postquam de eo *Præses* DIVINITÙS fuerat edoctus. Et quidem gradu 4. refertur, quòd frater quidam ex Alexandrino, trecentorum & triginta Monachorum Cœnobio, eò quòd alium quemdam fratrem tantummodò *ut nugacem & loquacem* criminatus fuerat, expulsus, in vestibulo portæ totos 7. dies substitit, assiduè aditum rursus ad Cœnobium, & delicti veniam precans: & licèt per 6. dies nihil omninò gustasset, non tamen nisi hâc conditione, *ut ad pœnitentium classem transiret*, rursum fuit admissus: quam conditionem cùm ille *obviis manibus amplexatus* fuisset, jussit eum Abbas ad præfatum carcerem deduci; in quo præter Laïcos Regulares, procul dubio & sæculares pœnitentiam agebant.

ROGABANT *illi sæpè eximium suum Pastorem* 562
& Judicem, uti collum numellis, & ferreis manicis brachia constringerentur; pedes cippo & robore, reorum ritu, includerentur; nec priùs inde expedirentur, donec sepulchro inferrentur: immò ne se communi hominum sepulturâ dignaretur; sed more pecudum vel in flumen abjiceret, vel feris in agro devorandos exponeret.

Ita nimirùm adhuc sæculo Christi 6. penè elap- 563
so Christiani agnoscebant, quàm horrendum sit, DEUM viventem offendere, atque in altera vita in ejusdem manus incidere. Tu verò, qui ejusdem Majestatem immensam illis multò gravius læsisti, ab iisdem disce, non solarum, earumque brevissimarum precum injunctionem à Sacerdotibus desiderare; &, quando jejunas, te omni cibo desiderabili, imò & pane ipso indignissimum judicare, nec pharisaïco fastu turgere. *Probè novimus*, inquiebant jam dicti pœnitentes, & nec oculos ad cælum levare audentes, *nos deinceps omni pœnâ & supplicio dignissimos: non possumus enim pro numero & multitudine peccatorum nostrorum satisfacere, etiamsi totus mundus convocatus nobiscum plangeret*; seque ipsos excitando dicebant: *Curramus! fratres, curramus! neque impuro & ærumnoso corpori nostro parcamus; sed macremus carnem nostram, quemadmodùm illa maclavit animas nostras.* Quid plura? *Omnes sessitabant,* 564
præ oculis semper mortem defigentes. Ecquid (inquiebant) *nobis fiet? Quæ sententia in nos proferetur? Quis finis vitæ nostræ? Eritne reditus nobis ad cælestem patriam? Eritne spes veniæ, tenebris confusis, objectis reis? Potuitne deprecatio nostra ad conspectum Domini pervenire? An meritò rejecta est, abjecta, & cum ignominia repudiata? Utrum admissa potuit aliquantulùm Judicem placare? Quantum profecit? Quid effecit? Quando ex impuro ore & corpore effusa est, non magnam profectò vim habuit.* Hæc & alia post longam, duram, luctuosamque pœnitentiam sanctissimi illi pœnitentes. Quæ fusiùs descripta videri possunt loco citato.

§. III.

Tertiò probatur à ratione.

ID demonstrant sex rationes c. 37. §. 5. ex Au- 565
gustino deductæ & explicatæ, prout eas relegenti & consideranti perspicuum fiet. Vide Recentiorum ad eas effugia ibidem præclusa, &, omnibus consideratis, videbis spirituali peccatorum illorum bono non expedire, plenæ conversionis donum ipsis citò & facilè concedi, ideòque clementiam Dei decere, ut citò & facilè non concedatur; sicut Tridentinum sess. 14. c. 8. declarat, divinam clementiam decere, *ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora reputantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.* Si propterea divinam clementiam decet, ne ita facilè peccata nobis remittantur quoad pœnam; eamdem pariter clementiam propterea decet, ne ita facilè nobis remittantur quoad culpam.

Est & alia ratio difficultatis respectivè ad con- 566
suetudinarios. Quia consuetudo ipsis altera natura est, ut est in proverbio. Difficile verò est naturam penitùs exuere. Nec facilè homo corrigit peccatum, ad quod faciendum necessitatur. Consuetudo verò peccati, quamdam necessitatem inducit ad peccandum, ut suprà S. Thomam (post Augustinum aliosque Patres) dicentem audivimus. Meritò proinde Cornelius à Lapide in cap. 2. Epist. Jacobi dicit, quòd contracto semel habi-

au peccandi, ex eo resurgere per pœnitentiam, & propositum efficax arduum est & difficile. Est enim propositum hoc serium res ardua, sublimis, difficilis, &c. Est item specialis ratio difficultatis respectivè ad peccatum luxuriæ: quia, ut S. Thomas docet 1. 2. q. 73. a. 5. ad 2. *est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo potest homo eripi.*

567 Denique peccatori, mortifero creaturarum amore tenaciter alligato, facile non est veræ contritionis, etiam imperfectæ, actum elicere, qui cum Sacramento sufficiat ad reconciliationem cum Deo. Ad hoc quippe necesse est dolere de peccatis super omnia, etiam supra ipsam pœnam æternam, ut constat ex dictis cap. 28. debetque proinde esse cum proposito cavendi peccatum super omnia; quod propositum (ut Cardinalis de Lugo observat disp. 5. de pœnit. n. 32.) includit voluntatem conditionatam, quâ velit pati etiam pœnam inferni, si id necessarium est ad vitandum peccatum futurum. Hoc autem supposito, videtur esse valdè difficile (ait Dicastillo de pœnit. tr. 8. d. 2. dub. 10. n. 237.) habere actum contritionis. Neque enim ad hoc ut dolor & propositum sit efficaciter de peccato super omnia mala, sufficit excellentia motivi, quod de se sit potens ad causandum dolorem & propositum super omnia. Quia (ut Cardinalis de Lugo rursum observat loco citato n. 21.) quòd motivum in se sit excellentius & potens ad causandum dolorem & propositum super omnia, non arguit voluntatem de facto ferri in objectum super omnia. Potest enim voluntas ferri in objectum, non pro dignitate v. g. in peccatum non cum tanta detestatione, quantam meretur, etiam dum in illud fertur sub motivo, quod potens sit ad movendum voluntatem ad illud pro sua dignitate detestandum. Videatur Navarrus de Jubil. & Indulg. notab. 27. ubi inde probat, paucos lucrari Jubilæa, quia admodùm difficile est esse verè pœnitentem. Quod saltem verum est post enorme crimen; præsertim sæpè repetitum, vel consuetudine firmatum. Videatur & Soto lect. 17. ubi dicit, quòd pro nihilo aut pro minimo (id est valdè facili) ducere remissionem peccati, & gratiam pœnitendi, unum est eorum, quæ maximè timenda sunt Christianis. Illudque curandum esse Doctoribus, ut hanc periculosam persuasionem tollant, quâ levissimum, imò ferè nullum negotium putatur esse, verè pœnitere. Cùm tamen & maximum, & arduum reputetur à Patribus, nec unius horulæ, aut momenti.

§. IV.

Solida non sunt quæ in contrarium objiciuntur.

568 OBjicit 1°. Junior quidam: *Rogum peccatorum extinguimus, non tam aquis multis* (inquit Chrysostomus homil. 5. de pœnit.) *sed parvis cum lachrymis: multus enim peccati ignis, quem modica extinguit etiam lachryma.* Ergo facilis est magnorum etiam peccatorum conversio: utpote ad quam modica sufficit lachryma; non necessaria proinde laboriosa pœnitentiæ opera. Imò *solùm Deus orationem vel parvam exigit* (ait homil. 10.) *atque universa dimittit peccata.*

Respondeo negando consequentiam, utpote quam negat vel ipse Chrysostomus, ut proximè apparebit. Quòd igitur in posteriori hoc loco dicit, quo sensu dicat, ipsemet subjungit: *Dico.... non ut ad inertiam compellam, sed à desperatione avocem. Nam ea nobis quàm inertia majora confert mala.* Non vult igitur parvam orationem peccatoribus magnis ad plenam eorum conversionem, universorumque peccatorum remissionem ordinariè sufficere (imò contrarium exprimit in locis proximè referendis) sed in casu aliquo raro, quo orationem parvam suppleat magna Dei misericordia, contritionem magnam concedentis ad orationem tempore parvam, seu modici temporis, sed magno deprecantis affectu seu fervore factam. Quod ordinarium esse non dicit Chrysostomus, sed ei perperàm affingit adversarius.

Eadem est responsio ad locum objectum ex ho- 569
mil. 5. ibi utique sermonem esse de lachryma corporaliter parva & modica, vel tempore modico fluente, sed ex magna & plena animi contritione manante. Ad quam contritionem Chrysostomus ibi non dicit magnos peccatores brevi tempore, vel sine magnis laboribus ordinariè pervenire. Imò contrarium verbis expressissimis pluribus in locis asserit. Utique homil. 12. in Epist. ad Hebr. *Qui cecidit in barathrum peccati, multo eget tempore, perfectâque pœnitentiâ, lachrymisque ac planctibus, majorique ac vehementiori lamentatione, quàm quæ propter charissimos ostenditur.* Homil. 9. in Epist. ad Hebr. explicans *quale esse debeat medicamentum pœnitentiæ, quod sufficit ad delenda & abstergenda omnia peccata nostra..... Et quomodò conficitur? Primùm* (inquit) *ex suorum peccatorum condemnatione & confessione.... Secundò, ex multa humilitate.... Oportet autem alia quoque addere humilitati, si talis sit, qualem B. David habebat, dicens: cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Nam quod est contritum, non exurgit, non ferit, sed est paratum ad malè patiendum. Talis est cordis contritio, etiamsi affecta fuerit contumeliis, etiamsi malè passa, quiescit, nec concitatur ad vindictam. Post humilitatem verò opus est intensis precibus, multis lachrymis, & interdiu & noctu* (nota benè singula).... *Et post orationem adeò intensam, multâ opus est eleëmosynâ.... deinde non irasci, neque injuriæ acceptæ meminisse, omnibus peccata remittere*, &c. An non hoc ipsum est quod asserimus? An non ista difficilia sunt peccatoribus, in contrarium assuetis? Imò sunt laboriosa pœnitentiæ opera quæ requirimus. Similia habet homil. 27. in Genes. *Exauditurus est & nos; si voluerimus in paucis illis diebus* (Quadragesimæ) *specimen quoddam afferre, & jejunii subsidio non abuti, & excusa socordia, continuis precibus placare Dominum, calentes profundere lachrymas, delicta nostra sedulò confiteri, necnon & alia, quæ exiguntur, afferre, animo* (inquam) *conteri & compungi, eleëmosynam dare largam* (dum adest facultas) *affectiones, quæ mentem nostram perturbant, refrænare, & ex anima eliminare, ita ut neque injurias illatas vindicare cupiamus, neque hostiliter in proximum affecti simus.* Ad istane sine difficultate ordinariè pervenit magnus peccator? Imò (ut ait homil. 87. in Matth.) ei *difficillimum est resurgere, nisi generosissima sit anima.* Maximè id difficillimum est consuetudinario: quia, ut ait homil. 80. ad pop. Antioch. *mala cum fuerint plurimùm immorata, potentiora fiunt. Et planta quidem nuper humi consita, facilè revellitur; per multum temporis radicibus firmata, non itidem. Et ædificium recenter fundatum à vexantibus facilè subvertitur; benè verò firmatum multa diruere conantibus præbet negotia.... Sic & vitioso accidit affectui, si se circa primordia in animam nostram inferentem non prohibuerimus, neque fores occluserimus, ingressus jam insanabilem morbum susceptoribus infert, nisi magnum sibi vim intulerint.* Propterèa hom. 14. in 2. ad Corinth. illos Sacerdotes erga lapsos summè benignos & misericordes esse docet, non qui citò solvunt, sed qui tamdiù medicantibus dolorosæ laboriosæque pœnitentiæ vinculis ligant, donec sese emendaverint, Deumque pœnitentiæ operibus sibi propitium reddiderint: *Si equum videris, qui in præcipitia feratur, frænum injicis, acriterque inhibes,*

ac sæpè flagellas. Atqui cruciatus hoc est. Verùm hujusmodi cruciatus salutem ei affert. Eamdem igitur erga eos qui peccant rationem tene: vinculis eum, qui facinus improbum admisit, coërce, usquedum Deum ipse sibi propitium reddiderit.... arctioribus divinæ iræ vinculis constringe. Si vincula ipse injecero, Deus non jam vinciet: sin autem in vinculis eum non tenuero, ejusmodi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant, &c. Vide suprà n. 74.

570 Objicit 2°. Henneguierus in *Tract. Theologico, quo demonstratur*, &c. ad plenam conversionem peccatoris, quàmlibet inveterati, consuetudinarii, &c. tria solùm requiruntur, amor Dei super omnia, inde natus dolor de peccatis in Deum commissis, atque ex utroque derivatum propositum firmum & efficax non peccandi de cætero. Ergo si primum facile sit, facile est secundum & tertium. Sed primum dicto peccatori facile est. Ut enim August. serm. 59. de temp. *in reliquis operibus bonis potest interdùm aliquis qualemcumque excusationem prætendere. ... Numquid potest dicere, non possum diligere?* Et alibi: *Quomodò est grave, cùm sit dilectionis mandatum? O suave nimis & dulcissimum mandatum!* exclamat S. Thomas à Villanova.

Respondeo negando subsumptum. Tametsi enim amare Deum super omnia, amore pleno & efficaci, absolutè & per se facile sit, jucundum, & suave habenti habitum charitatis; per accidens difficile est, respectivè ad dictum peccatorem, ob impedimentum mundanæ cupiditatis, quâ fortissimè & tenacissimè fascinatur, & alligatur. Et quia amor ille non est ipsi possibilis nisi ex dono Dei, qui illud ipsi facilè concedere non vult. Ob rationes § 3. & c. 37. § 5. deductas.

571 Objicit 3°. amor Dei super omnia respectivè ad dictum peccatorem saltem facilis est per gratiam, ipsi semper paratam, totiesque concessam, quoties illam ut oportet imploraverit.

Respondeo negando suppositum. Tametsi enim gratiam illam Deus semper paret & offerat voluntate antecedenti; eam plerumque subtrahit voluntate consequenti, ob frequentem illius abusum, post quem facilè illam non restituit, sed ob rationes locis relatis enarratas vult magnis precibus, ferventibus desideriis, & laboriosis operibus implorari, prout infrà ostendemus cap. 41.

572 Objicit 4°. usque adeò peccatoris justificatio facilè fit, ut in instanti fiat, juxta S. Thomam 1. 2. q. 113. a. 7.

Respondeo in tantum fieri in instanti, in quantum gratiæ sanctificantis infusio fit in instanti; sed liberum arbitrium magni peccatoris, præsertim inveterati & consuetudinarii, ad eam recipiendam, secundùm ordinariam divinæ gratiæ œconomiam, non disponitur in instanti, nec subitò. Et siquando id fiat, miraculosè fit, uti S. Thomam dicentem non semel vidimus. Nec S. Doctor id dumtaxat asserit de justificatione antonomasticè perfecta per infusionem gratiæ & charitatis, seu sanctitatis perfectæ: verùm etiam de justificatione perfecta, qualis communiter & ordinariè acquiritur per Pœnitentiæ Sacramentum. Vult enim S. Doctor eo modo miraculosam esse justificationem perfectam impii, quo miraculosa est sanitas perfecta hominis graviter infirmi (istâ quippe similitudine seipsum explicat:) nedum verò miraculosa est hominis graviter infirmi subitanea sanitas antonomasticè perfecta, id est sanitas excellenter robusta; verùm etiam sanitas perfecta, qualis per ordinariam curationem communiter recuperari solet post gravem morbum; quâ scilicet æger simpliciter dicitur sanitati restitutus, tametsi nondum excellenter roboratus viribus. Porrò (ut benè observat Obstratius in Apolog. doctr. de laborioso bapt.) non eadem in omnibus peccatoribus est conversionis difficultas ac tarditas; sed eò major, vel minor esse solet, quò magis in corde radicatus & tenax est amor creaturæ prædominans, quo peccatur. Unde major esse solet in consuetudinariis, quàm in recidivis; major (cæteris paribus) in frequenter, quàm in semel lapsis dumtaxat. Cæteris (inquam) paribus: quia semel lapsus ex certa malitia, difficilius convertitur, quàm plusquàm semel lapsus ex ignorantia, vel infirmitate (utpote gravius, diuturnius, & periculosius lapsus, juxta S. Thomam 1. 2. q. 87. a. 4.) semel etiam lapsus in peccatum maximè tenax, præsertim luxuriæ, difficilius convertitur, quàm bis aut ter lapsus in alio genere non viscoso. Quia, ut S. Doctor ait q. 73. a. 5. ad 2. *peccatum luxuriæ est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo potest eripi.*

CAPUT XXXIX.

Ad plenam conversionem magni peccatoris magna requiritur Dei gratia & misericordia, precibus magnis ordinariè impetranda.

573 NOn sine magna ratione Petrus Soto lect. 17. conqueritur, pœnitentiæ donum non satis æstimari à plerisque Christianorum, in pœnitentiæ negotio reverà sic se gerentibus, quasi minimo negotio vera ageretur pœnitentia, post commissa crimina. Quod quidem accidit ex mollitie & ignavia noviſſimorum horum temporum; sed cui magnum fomitem (inquit in addit. ad 5. p. Methodi Confess. tit. de Confess.) subministrant tanta, tamque varia & diversa, quæ doceri conspicimus, ut vehementer timeamus à variis & peregrinis doctrinis. Aliis persuasum est animo & intentione quantumvis remissis veram agi pœnitentiam...., Alii aliis pietatis & misericordiæ prætextibus statim consolari volunt, & securos reddere pœnitentes. Quibus omnibus verba hæc Cypriani respondent..... *Cùm scriptum sit, qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt,* &c.

574 Notet hæc Reymakers, qui in appendice suæ responsionis brevis n. 252. verè & sufficienter pœnitentes censet peccatores, qui oratiunculam continentem actum contritionis legunt, cum intentione seu voluntate eliciendi actum contritionis. Occasionem sic opinandi accipere potuit ex Methodo Confessionis loco citato, ubi sic: quicumque ex animo & devotè sequentes veritates dixerit, sciat se esse in gratia, etiamsi omnia prædicta peccata admisisset.

Domine Jesu Christe, sic vel sic contra tuam " infinitam bonitatem peccavi. Quod mihi imprimis displicet: ratione cujus pœnitentiam ago, " quia te offendi, qui totus es venerandus & co- " lendus, quòdque mandatum tuum transgressus " sum. "

Domine Jesu Christe, bonum habeo propo- " situm, tuo juvamine intercedente, mihi in fu- " turum præcavendi, ne recidam in peccatum, " & peccatorum occasiones pro viribus evitandi. "

Domine Jesu Christe, bonam habeo volun- " tatem, peccatorum meorum confessionem in- " tegrè faciendi tempore & loco, secundùm tuum " & sanctæ Matris Ecclesiæ præceptum, necnon " restituendi unicuique ablatum, cùm facultas " erit. "

575 Sed qualiter tres illæ veritates, ex Gersone sumptæ (prosequitur Soto in fine annotationis supradictæ) sint accipiendæ, hinc intellige. Primò hoc certò sciri non potest, an scilicet ex animo, eoque pleno, & devotè ex toto corde peccator dixerit; sed est nonnunquam de eo testimonium conscientiæ, quod nos possit consolari, si illæ veraciter, si ex toto corde, plenaque voluntate

luntate dicantur; non autem solo verbo, vel cogitatione, vel velleitate quadam. Cæterùm precationes illas, uti & alias ejusmodi, frequenter à peccatoribus magis labiis dici, vel cogitatione, vel velleitate, quàm corde toto & pleno, verissimè addit Soto. Ita namque esse, nec plenæ conversionis donum tam facilè acquiri, ut Reymaker putat, satis constat tum ex dictis n. 222. tum ex dictis cap. 27. & 28. ampliùsque constabit ex dicendis, & Sotus ipse ostendit in tract. de Institut. Sacerd. lect. 17.

576 Profectò non magni fieret pœnitentiæ donum, si tam facili & fere nullo negotio ordinariè comparari posset, nec in tam laboriosis & diuturnis pœnitentiæ operibus Ecclesia per duodecim sæcula pœnitentes detinuisset, priusquàm eos Deo reconciliasset. Arqui " diligentissimè curandum „ (ait Soto lect. illâ 17.) ut magni hoc donum „ pœnitentiæ & justificationis æstimetur. Ita enim „ fiet, ut & ardentiùs petatur, & à Domino miseri„cordiùs & liberaliùs donetur. Nam profectò „ pro nihilo, aut pro minimo ducere remissio„nem peccati, & gratiam pœnitendi, quantum „ nobis videtur, unum est eorum, quæ maximè „ timenda sunt Christianis, & quibus putamus „ maximè indignos fieri illis donis. Et propterea, „ sicut inter præcipua signa & conjecturas veræ „ pœnitentiæ & remissionis peccati (quæ nobis „ quærenda sunt, non ex nostro judicio, sed ex „ Scriptura) non minimum putamus esse, magni „ æstimare hoc donum, & Deo summè de hoc „ gratum esse: ita è contrario unum eorum quæ „ præcipuè nos suspectos reddere debent, & timi„dos, ne non sint nobis remissa peccata, nec con„cessum pœnitentiæ donum, est leviter hoc „ donum petrunisse, nec de eo humilibus ac „ ferventibus precibus, pœnitentiæque ac pietatis „ operibus impetrando valdè sollicitum fuisse.... „ Itaque timendum est populo Christiano, & ru„di, ne ex facilitate remissionis peccati, ac pœ„nitentiæ, quam illi putant.... hæc minoris „ quàm opus est faciat, quasi quotidiana... Quare nullam popularem opinionem putamus dili„gentiùs eximendam ab animis Christianis, quàm „ hanc, tam minimam æstimationem, & tam „ parvam considerationem horum donorum Dei, „ in remissione peccati.

577 „ Plenam igitur conversionem peccatoris lapsi „ in crimen, esse gratiæ divinæque misericordiæ „ donum, de fide est, & Scriptura docet Actor. „ 11. *pœnitentiam dedit eis ad vitam.* 2. Timoth. „ 3. *nequando Deus det illis pœnitentiam.* Tam „ magnum verò est donum istud, ut satis æsti„mari minimè possit. " Hæc Sotus loco citato ex tribus ostendit: ex magnitudine mali, unde per pœnitentiam liberamur; ex magnitudine boni, quod à malo illo liberati consequimur; ex magna misericordia, quâ Deus nullo nostro merito, indignis & damnationem promeritis, ex sola gratuita misericordia sua illud concedit.

578 De primo (inquit) magnitudine scilicet mali, unde per pœnitentiam liberamur, sive de gravitate peccati, non potest satis dici. Est contemptus Dei, & offensa, opere ipso atque facto abnegatio ipsius, & prælatio quædam creaturæ ipsi Deo in corde peccantis. Sed nihil magis immensam hanc gravitatem peccati ostendit, quàm quòd non sine Filii sui sanguine & morte placuit Deo peccata remitti. Et cùm rursùm post hanc remissionem, tanto pretio comparatam, peccamus; Paulo teste, rursùs crucifigimus ipsum Filium Dei, & ostentui habemus. Et, ut alibi ait, *quantò magis putatis deteriora mereri supplicia* (quàm transgressores legis veteris) *qui Filium Dei conculcaverint, & sanguinem Testamenti pollutum duxerint, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerint?* Quid potest in exaggerationem peccati gravius dici? Toti Trinitati contumeliam infert, sanguinem Christi polluit, ipsum conculcat. Denique ex gravitate pœnæ æternæ, scilicet damnationis, peccati gravitas patenter innotescit. Ab hisce verò malis omnibus pœnitentia liberat.

De secundo verò, magnitudine scilicet boni, 579
quod à tantis malis per pœnitentiam liberati consequimur, quantum scilicet donum sit remissionis gratia, quàm magna sint, quæ conferuntur à Deo cùm illa, satis ostendit, quòd sibi nos reconciliat Deus, & veram nobiscum init amicitiam atque fœdus. Quid verò majus quàm amicum esse Deo? *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et quàm intima hæc amicitia, per quam tota Trinitas nos inhabitat! *Ad eum* (inquit) *veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Spiritum quoque suum nobis dat, ut Joannes inquit: *In hoc cognoscimus, quia in eo manemus; quoniam de Spiritu sancto suo dedit nobis,* 1. Joan. 4.... Itaque hoc Dei donum non satis commendari potest, de quo meritò illud Salvatoris ad Samaritanam dicere possumus: *Si scires donum Dei,* Joan. 14. Denique B. Augustinus tanti hoc opus justificationis facit, ut verba illa Christi: *qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & majora horum faciet*, de hoc justificationis opere exponit, quòd cooperante Deo nos etiam facimus: *Prorsus* (inquit) *majus hoc esse dixerim, quàm est cœlum & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo & in terra. Cœlum enim & terra transibunt, prædestinatorum autem, id est eorum quos præscit Salus & justificatio permanebit. In illis tantùm opera Dei: in istis etiam imago Dei.* Et denique Angelorum creationi hoc opus ibi conferens: *Non* (inquit) *hîc audeo præcipitare sententiam. Intelligat qui potest, judicet qui potest, utrùm majus sit justos creare, quàm impios justificare? Certè enim si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ.* In quibus verbis magna certè est commendatio hujus divini doni. Si Deus propter hominem aliquem nunc integrum mundum, nec minorem quàm hic est quem habemus, de novo crearet, cœlum, terram, & cætera omnia, Angelos, & cuncta spiritualia: quanti fieret? Et tamen absque comparatione justificationis opus majus est. Imò pœnitentiæ donum Gregorius Magnus in Psal. 7. Pœnit. (si tamen ipse est Author) ad v. *non avertas te*, dicere non dubitat, quòd *unum est ex perfectis donis, descendentibus à Patre luminum, majus resurrectione mortuorum.* Utpote per quod homo de injusto fit justus. Quod tantum est bonum, ut justificatis omnibus Paulus dicat 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Quid potest majus dici?*

Jam tertium quod diximus, huic cumulo non 580
parum superaddit. Quòd scilicet à tantis malis Dei gratia & misericordia nos liberat, totque & tantis bonis ditat, absque merito nostro, imò repugnantibus omnibus nostris meritis.... *Commendat* (inquit Paulus) *Deus charitatem suam in nobis. Quoniam cùm adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Quantum verò hoc? ut cùm post hoc beneficium inimicos nos constituerimus, rursùs nos invitet ad amicitiam & recipiat?.... Denique & ita trahit, ut nisi traheret, nequaquam redire possemus. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Meritò itaque gloriatur Deus: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Isa. 43. & Ezech. 36. *Non propter vos ego faciam domus Israël, sed propter nomen sanctum meum.*

581 Quòd si tantum Dei donum, tamque gratuitum est conversio cujuslibet peccatoris; quantò majus Dei donum est conversio magni peccatoris, maximè consuetudinarii, vel qui per frequentes relapsus frequenter prophanavit Pœnitentiæ Eucharistiæque Sacramenta?

582 Magna proinde gratia, magna Dei misericordia necessaria est ad taliter immutandum cor ipsius, ut ex impuro purus, ex peccatore sanctus, ex carnali spiritualis, ex terreno cœlestis, ex veteri homine novus, ex captivo diaboli, & peccati servo, Dei filius efficiatur. De peccatoribus enim 2. Timoth. 2. Paulus dicit, quòd captivi à diabolo tenentur ad suam ipsius voluntatem. Et Joan. 8. Salvator ait, quòd *qui facit peccatum, servus est peccati*. Quis verò dubitet (ait Soto lect. 9.) tam fortem & crudelem Dominum non permissurum sibi servum, non tantùm omninò se relinquere, sibique rebellare, sed vel tantillùm à se recedere, nisi à superiori compellatur potestate, divinâ scilicet, quod gratiæ certè est. Manet miser peccator viribus omnibus destitutus, potestati illius totus traditus; de qua Job dixit: *Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari*. Nequit igitur vel tantillùm respirare ab ea servitute, nisi fortior supervenerit, qui fortem illum armatum, custodientem castrum suum, vicerit. Luc. 11.

583 Sed & qui peccavit, maximè si enormiter peccavit, &c. se quasi in profundissimam abyssum dejectum consideret necesse est, atque à seipso præcipitatum, & absorptum à vi & tempestate profundissimi maris. Magnâ verò gratiâ opus est, ut peccatorum pondere in tam profundam abyssum dejectus, & usque ad profundum illius demersus, in cælum assurgat, & in altum usque ad amplexum Dei assurgat, à prædominante creaturarum amore, quo tenaciter est adstrictus, ad prædominantem Dei amorem perveniat, de manuque tot & tam potentium inimicorum liberatus, in sanctitate & justitia Domino serviat. Hoc enim quàm difficile sit, ex dictis cap. 38. perspicuum est. Quantò verò difficilior operosiorque peccatorum conversio, tantò potentior ad eam gratia, tantò major Dei misericordia requiritur.

584 *Difficilis prorsus res* (ait S. Bernardus serm. de tripl. miseric.) *& soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere. Quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari.* NISI IN MANU FORTI. HÆC EST MAGNA MISERICORDIA, MAGNIS NECESSARIA PECCATORIBUS.

585 Magnâ denique Dei misericordiâ ad plenam magni peccatoris conversionem opus esse, Psal. 50. satis expressit Propheta Regius, dum pro adulterio & homicidio, post tantas gratias à Deo acceptas, à Nathan Propheta correptus, magnam Dei misericordiam imploravit dicens: *miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*. Ut enim ibi Augustinus, qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Et qui in magna est miseria, magnâ opus habet misericordiâ. Magnâ quoque medicinâ opus est, ad subveniendum gravi vulneri. Dum ergo dicit: *miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*; perinde est, ac si dicat (eodem Augustino interprete) subveni gravi vulneri, secundùm magnam medicinam tuam. Porrò magnam illam misericordiam magnis precibus ordinariè impetrandam esse, sequenti capite probabitur.

586 Nec tamen, cùm dicimus, plenam conversionem peccatoris magnum esse divinæ gratiæ & misericordiæ donum, negamus initium conversionis, & primam velut ipsius conceptionem, seu actus, quibus ad plenam conversionem disponimur, esse gratiæ donum. Prorsùs de fide est, quòd sit gratiæ donum. Principium namque primum pœnitentiæ, primaque jus origo est operatio divinæ gratiæ, quâ Deus hominem ad se vocat, prout Tridentinum definit sess. 6. c. 6. *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti*, &c. Huic operationi gratiæ accedit actus fidei, deinde timoris divinæ justitiæ, exinde spei, postea amoris Dei tamquam fontis omnis justitiæ, ac denique pœnitentiæ ex eo amore conceptæ, ut cum S. Thoma 3. p. q. 5. idem Concilium tradit ibidem. Omnes illi actus in peccatoris conversione concurrunt, vel actu, vel virtute, vel semper, vel frequenter. At omnes illi actus ex gratia sunt. De fide (*sine qua impossibile est placere Deo*) non est dubium. Est enim principium omnis bonæ cogitationis necessariæ ad conversionem. *Nec* enim *sufficientes sumus aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. 2. Cor. 3. Per fidem cognoscimus pœnas & supplicia impiis destinata, atque ex eorum cogitatione nascitur salutaris timor, de quo scriptum est: *Timor Domini expellit peccatum*. Timor verò pœnarum, quas fides docet, non solùm est bonus & utilis (præsertim imperfectis & incipientibus) sed & gratiæ Spiritûs sancti impulsus. Unde & illum à Deo Psalmista petit Ps. 118. *confige timore tuo carnes meas*. Et de illo Hierem. 3. Deus dicit: *timorem meum dabo in corde eorum*. Denique supernaturalem esse Alexander VIII. declaravit, dum propositionem hanc 14. inter 31. damnavit: *timor gehennæ non est supernaturalis*. Si timor est supernaturalis, quia fundatur in fide; spes quoque supernaturalis est, & gratiæ donum, utpote similiter fundata in fide, quâ credimus quòd Deus *benignus est, & præstabilis super malitia*. Joël. 2. Si fides & spes, à fortiori charitas, seu dilectio Dei tamquam fontis omnis justitiæ, pœnitentiaque inde concepta, supernaturalis est, & gratiæ donum, ut mille locis Scriptura contestatur.

CAPUT XL.

Magnam illam gratiam, seu plenæ pœnitentiæ donum, Deus præstat quidem omnibus petentibus, quomodò & quantùm res tanta petenda est (humili utique, ferventi & perseveranti oratione;) pauci tamen ex magnis peccatoribus, maximè consuetudinariis & frequenter relabentibus, gratiam illam & donum obtinent, quia pauci petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda est.

587 QUòd Deus pœnitentiæ gratiam & donum præstet omnibus petentibus, quomodò & quantùm res tanta petenda est, constat ex illis sacris textibus, & Patrum testimoniis, quibus Deus dona sua promittit petentibus ut oportet, *petite & accipietis*, &c. Necnon ex illis, quibus Deus testificatur se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Ex illis denique, quibus docemur, quòd Deus voluntate antecedente semper ex se paratus est veræ conversionis gratiam peccatoribus dare.

Quòd nihilominùs pauci ex dictis peccatoribus donum illud & gratiam plenæ conversionis recipiant, quia pauci petunt quomodò & quantùm res tanta petenda est, experientia docet: siquidem ex ipsis longè plurimi vel non orant pro illius obtentu, vel nonnisi leviter & momentaneè; non autem sicut Scripturæ & Patrum oracula docent orandum. Eò quòd utique non satis percipiant miseriæ suæ magnitudinem, doni pro quo orare debent excellentiam, pro illo denique obtinendo humiliter, ferventer, & perseveranter orandi necessitatem, quam Scriptura traditioque docet.

Pro

§. I.

Pro dono illo, à dictis peccatoribus obtinendo, sedulò, ferventer & perseveranter orandum Scriptura docet.

588 Dictos peccatores, volentes plenè converti, pro plenæ conversionis dono obtinendo, ante omnia divinæ bonitati inniti oportet (inquit Soto lect. 17.) & per humilem instantemque orationem, gratiam pœnitendi sibi à Deo postulare necesse est. Probant id imprimis Sanctorum & Prophetarum orationes, quibus tàm instanter illi hoc à Deo postulant, & confitentur se id à seipsis habere non posse. Unde illud Hieremiæ: *Converte me Domine, & convertar: quia tu es Deus meus.* Et quod sequitur est valdè considerandum; *postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.....*: Itaque opus est, ut Deus ostendat nobis quales in peccato simus, & quala sint ipsa peccata. Ostendat (inquam) non tantùm proponens ante oculos, sed etiam agens ut consideremus. Et ita consideremus, ut consideratio penetret voluntatis ipsius intima. Sunt plurima de hac re in Scriptura testimonia & exempla.

589 Et infrà: itaque qui peccavit, se quasi in profundissimam abyssum dejectum, atque à seipso præcipitatum cogitet (si verè credit) necesse est, & absorptum à vi atque tempestate profundissimi maris, non aliter certè quàm Jonas fuit in ventre ceti. Et ita opus est ut (sicut ipse oravit) & ipse oret, & clamet ad Deum pro gratia pœnitentiæ, sciens quòd non possit se magis à peccato excutere, quàm demersus ille ex tanta profunditate potuit emergere. Hinc sunt voces illæ Prophetarum. Psalmistæ quidem Psalm. 68. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi: & non est substantia* (hoc est non sunt sufficientes vires meæ ad resurgendum.) *Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.* Propterea clamat: *Salvum me fac Deus.* Et inquit: *Laboravi clamans*, &c. *dum spero in Deum meum..... Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me. Eripe me de luto, ut non infigar. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Exaudi me Domine: quoniam benigna est misericordia tua. Et ne avertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velocitèr exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam*, &c. Hieremias quoque clamat: *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum. Dixi, periì. Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo.* Oratio Jonæ huc pertinet: *Tota abyssus vallavit me, pelagus cooperuit caput meum.* Quibus omnibus dicti peccatores docentur, qualiter orare debeant pro impetrando pœnitentiæ dono.

590 Secundò idipsum probatur, quia Scriptura usitatum hunc nos docet divinæ providentiæ ordinem, ut gratiæ suæ dona, nisi petentibus, & multùm petentibus elargiri non soleat. Ad id enim significandum Salvator Matth. 7. & Luc. 11. orationis, non momentaneæ, sed indeficientis & ferventis necessitatem docet, dum ait: *Petite, & dabitur vobis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.* Neque enim Christus, *qui petere præcepit.... obiter postulare jussit; sed cum sedulitate multa, & magna intensione*, ait Chrysost. homil. 24. in Matth. Enimverò *quanam* (inquit in Psal. 120.) *venia dabitur ei, qui pro anima morte affecta mollis est & languidus?* Itaque *opus est intensis precibus, & multis lachrymis interdiu & noctu*, ait hom. 9. in epist. ad Hebr. *Opus est* (ait homil. 27. in Genes.) *continuis precibus invocare Dominum, calentes profundere lachrymas.* Consonat Gregorius in exposit. Psal. 4. Pœnit. dicens: *Moveant illum lachrymæ tuæ, & quàdam illum importunitate quærendi semper ad eum alta de profundo cordis suspiria educito. Clamet peccator* (addit in Psal. 6.) .... *agnoscat se esse in profundo, ut ad Deum sua perveniat oratio*, de profundis clamavi ad te Domine. *In quo notandum, quia non ait*, clamo; *sed* clamavi. *Habes in hoc perseverantiæ documentum, ut si primò non exaudiris, ab oratione non deficias; imò precibus & clamoribus insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quàdam importunitate vinci. Ideò tibi dicit*: Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Idcò etiam Christus non solùm jussit petere, sed cum sedulitate multa quærere, & perseveranter pulsare: *Petite, quærite, pulsate. Si perseveraverit pulsans*, &c. Quia non sufficit vox ad Deum clamans, sed etiam requiritur manus piis operibus pulsans, & in pulsando perseverans. Jussit etiam in orando non deficere. Luc. 18. *Oportet semper orare, & numquam deficere.* 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* Jussit denique videre magnitudinem doni, quo indigemus, piisque operibus, gemitibus, & orationibus tamdiù vigilanter incumbere, donec illud obtineamus, cùm dixit: *Videte, vigilate, orate.* Ut enim Augustinus 12. Confess. *longior est impetratione petitio, & operosior est manus pulsans, quàm sumens.*

Ad quod amplius inculcandum Luc. 11. & 18. 591
sub duplici parabola docet, quàdam velut importunitate Dei dona ab ipsis etiam justis (quantò magis à peccatoribus) impetranda, exemplo scilicet amici, qui importunitate suâ, pulsationeque perseveranti ab amico necessarios panes quasi per vim impetrate. Luc. 11. Exemplo item viduæ, quæ importunitatum suarum molestiâ, ab iniquo Judice quasi etiam per vim extorquet, quod postulat. Luc. 18. Quòd si pro impetrando v. g. dono humilitatis, vel patientiæ, vel mansuetudinis, ipsimet justi tam diù, tam ardenter, tam studiosè pulsare debeant ad fores divinæ misericordiæ, ut viduam istam Evangelicam, & amicum importunum æmulari videantur: quantò magis peccatores id præstare debent pro impetrando dono, cælestium donorum maximo, vel ex maximis uno, plenæ utique conversionis dono? Quòd proinde momentaneâ precatiunculâ à Deo postulare non sufficit, sed assiduâ prece, continuis gemitibus, omnique piorum operum genere piam divinæ misericordiæ quasi vim inferant oportet, donec tandem obtineant.

Ad idem significandum Psal. 4. v. 4. Spiritus 592
sanctus (teste Augustino sæpiùs laudato) repræsentat peccatricem animam diù secum luctantem, dum resipiscere incipit, ad Deumque pro misericordia impetranda clamantem, nec citò exauditam, sed diù dilatam à cælesti Medico, antequam obtineat conversionis suæ plenitudinem. Vide sacros textus cap. 37. & 38. productos, quibus idem Spiritus sanctus ad plenam peccatoris conversionem, multos gemitus, orationes, & opera pia docet regulariter esse necessaria.

§. II.

Sacris textibus Traditio concinit.

EX Traditione namque duo habemus. Primum 593
est, quòd orandi gratiam initiumque seu ali-

qualem voluntatem conversionis, per gratuitam misericordiam, & sancti Spiritûs operationem à Deo peccator accipiat, ut ampliorem deinde voluntatem, plenæque conversionis gratiam precibus, ac piis laboribus impetret. Cùm enim nec orandi voluntatem, nec conversionis initium peccator habeat per naturam, sed per gratiam: orandi gratia primitùs ipsi gratis à Deo datur, ut per eam cætera deinde impetrentur. Unde Arauf. II. can. 3. *Siquis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti, inventus sum à non quærentibus me, palàm apparui his qui me non interrogabant.* Et can. 4. *Siquis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per S. Spiritûs infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti, præparatur voluntas à Domino.*

594 Igitur *hujus gratiæ adjutorium semper est nobis à Deo poscendum* (ait Fulgentius epist. 6. c. 7.) *sed ne ipsum quod poscimus, nostris viribus assignemus. Neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi divinitùs fuerit attributus. Ut ergo desideremus auxilium gratiæ, hoc ipsum quoque est opus gratiæ. Ipsa namque incipit infundi, ut incipiat posci. Ipsa quoque amplius infunditur, cùm postentibus datur.* Et l. 1. verit. prædest. c. 16. *Ut gratia Dei cognoscatur, & diligatur, desideretur, ac postuletur, prius datur homini non cognoscenti, non diligenti, non desideranti, neque postulanti. Quamvis enim* (ait Prosper, vel Julianus Pomerius lib. 2. vocat. Gent. c. 8.) *omnia bona dona sunt Dei, & à Deo; tamen quædam etiam non petita tribuuntur, ut per ipsa quæ accepta sunt, ea quæ nondum sunt data quærantur.*

595 Initium ergo aliquod conversionis, seu illius qualecumque desiderium, Deus gratuitâ suâ misericordiâ tribuit peccatoribus, quibus tribuit. Sed istud conversionis initium, seu desiderium, non est plena integraque conversio, ad justificationem, etiam sacramentalem, requisita. Siquidem aliquod conversionis initium ac desiderium habebant *ex Principibus multi*, de quibus Joan. 12. dicitur, quòd *crediderunt in eum*: sed non idcò habuisse necessariam conversionis plenitudinem, seu integritatem, perspicuum est ex eo quod de iis subditur ibidem, quòd adhuc *dilexerunt gloriam hominum, magis quam gloriam Dei.* Et Augustinus inchoatè conversus erat, quando auditâ per Simplicianum Victorini conversione, exemplum ipsius imitari cupiebat, rectumque approbans, iniquum reprobabat, Deumque gratis colere volebat. Ista tamen *voluntas nova* ipsius *nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam*, uti de seipso tellis est lib. 8. Confess. c. 5.

596 Secundum proinde quod ex traditione habemus, est quòd peccator, qui per gratuitam Dei misericordiam aliquod conversionis accepit initium, orationisque gratiam, orare debeat, & instanter orare, pro tanta plenitudine conversionis, ut omnem penitùs abjiciat peccandi voluntatem; & à quo accepit inchoatè velle, accipiat plenè velle; & à quo accepit velle, accipiat & perficere. Primò, quia (ut sapienter monet Prosper contra Collat. c. 8.) *cùm donatum nobis fuerit bonum velle, non statim invenimus & facere, nisi quærentibus, & petentibus, & pulsantibus, ut qui dedit desiderium, præstet effectum.* Et ut non minùs sapienter Augustinus in Psal. 6. dum orare incipit anima peccatrix, utplurimùm *nondum tam perfectè orat, ut ei dici possit, adhuc loquente te dicam, ecce adsum.*

597 Secundò, quia Ecclesiæ per duodecim sæcula praxis tot laboribus & humiliationibus tamdiù explorandi voluntatem peccatorum (qui pœnitentiam petierant, & agere cœperant) manifestum facit, quòd qualecumque conversionis initium desideriumque Ecclesia non censuit sufficiens ad penitùs abjiciendam peccandi voluntatem, nec ad conversionis plenitudinem, necessariam ad peccatorem Deo reconciliandum; sed quòd ad eam obtinendam, peccator tantò majoribus precibus, gemitibus, & piis operibus incumbere deberet, quantò majoribus ac sæpiùs repetitis criminibus eâ se magis reddidit indignum.

Tertiò idipsum demonstrat perpetua ejusdem 598
Ecclesiæ praxis, orandi pro impetranda peccatoribus gratia conversionis, quâ ad veram, seu plenam & integram pœnitentiam Deus eos perducere dignetur. Pro quo Ecclesia universa publicis in precibus semper oravit, teste Cœlestino Papa ad Episc. Gall. c. 11. ubi sic: *Sanctarum Ecclesiarum Præsules, totâ secum Ecclesiâ congemiscente, postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietate sua liberentur, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur.* Quod & usque in hodiernum diem Ecclesia tota publicis in orationibus postulat feriâ sextâ Parasceves. Et in Litaniis majoribus; *Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.* Unde *cùm legem credendi, statuat lex supplicandi*, teste Cœlestino Papa in Epistola citata: ex illis Ecclesiæ precibus conspicuum est, ipsam nunquam credidisse, gratiam necessariam peccatoribus, ut ad veram pœnitentiam perducantur, ipsis ultrò, vel semper, vel regulariter adesse, sed precibus impetrandam esse.

Quartò idipsum demonstratur ex communi do- 599
ctrina sanctorum Patrum. Suprà audivimus Chrysostomum. Sed lubet hìc exhibere textum integrum ipsius in Psalm. 129. quem ex parte retulimus: *Vidi sæpè mulieres, propter virum peregrinantem, & infantem ægrotantem, ita de profundis orantes, & tantos fontes lachrymarum emittentes, ut tandem voti sui essent compotes. Si autem mulieres ito inflammantur in orationibus pro viro & infante: quænam verò venia dabitur ei, qui pro anima morte affecta mollis est & languidus?* Ad hoc itaque *opus est intentis precibus*, ait hom. 9. in epist. ad Hebr. *Nisi* enim *magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincula conemur errorem*, inquit Innocentius I. epist. 91. inter epist. August. *Resipiscentes* (ait Cyrillus noster Alexandr. hom. 5. in Hierem.) *& initium conversionis habentes, aiunt, peccavimus, & non obedivimus. Neque enim simul ac volumus obedire, continùo obedimus. Etenim tempore* (id est prece aliquamdiù continuatâ, non momentaneâ dumtaxat) *opus est, sicut in vulneribus ad curationem, sic in conversione ad plenè & purè se convertendum ad Deum.*

Similia habet Augustinus in Psal. 6. Et propte- 600
reà alibi monet, ut homo, qui mandata servare, peccandique voluntatem abjicere *voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit*, &c. Et Gregorius lib. 4. c. 2. in librum 1. Reg. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Quibus ergo peccata dominantur, per se ab eorum jugo liberari nequeunt.* Nam sæpè ad Dominum *cum precibus veniunt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt. Nisi* (ut n. 590. ex ipso audivimus) *quadam importunitate quærendi*, &c.

Plenæ itaque conversionis gratia, secundùm 601
Scripturam, & Traditionem, omnibus peccatori-

bus ultrò à Deo ordinariè non confertur, sed juxta solitum divinæ providentiæ ordinem necesse est ut multis & ferventibus precibus imploretur. Sic enim vult Deus, ob rationes cap. 22. allegatas. Videri potest Bernardus serm. 56. in Cant. c. 4. Si enim gratiam illam peccatoribus omnibus ultrò dari credidisset, non utique dixisset: *Sponsus* quidem *æqualiter atque indifferenter præsto ubique est, divinæ utique præsentiâ Majestatis, & magnitudine virtutis; gratiæ tamen exhibitione, seu inhibitione, quibusdam longè, quibusdam prope esse dicitur. Cæterùm à Sanctis piâ dispensatione ad tempus, & non ex toto, sed juxta aliquid aliquando se longè facit: peccatoribus autem, de quibus dicitur:* superbia eorum ascendit semper; *& iterùm:* inquinatæ sunt viæ eorum in omni tempore: *semper valdèque longè est, atque in ira hoc, & non in misericordia.*

602 Et ratio idipsum confirmat: si enim *adjutorium Dei*, ad implenda mandata necessarium, ne Sanctis quidem ultrò à Deo confertur, sed (ut Arausic. II. dicit can. 10.) *etiam renatis & sanctis semper est implorandum, ut.... in bono possint operè perseverare.* Et si (secundùm Tridentinum sess. 6. cap. 11.) gratia necessaria ad implenda Dei præcepta, ultrò non semper adest justis, sed à Deo precibus est imploranda, juxta celebrem Augustini sententiam, ab eodem Concilio usurpatam: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis:* Quomodò gratiam ad plenam conversionem necessariam Arausicanum & Tridentinum credidit ultrò sic semper adesse peccatoribus, ut eam precibus implorare non debeant? Si etiam justi (secundùm idem Concilium Tridentinum ibidem) *cum timore & tremore salutem suam operari debent in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, in jejuniis & castitate*, ne à justitia excidant, sive ut in ea perseverent: Quantò magis peccatores, ut justitiam recuperent, à qua voluntariè exciderunt, eique, sive Spiritui gratiæ contumeliam fecerunt? Non enim facilius est justitiam voluntariè perditam recuperare, quàm acceptam custodire. Immò id per se loquendo difficilius est, ut experientia docet, innuitque Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 10. dicens: *Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Et ratio est, quia ad recuperandam justitiam, voluntariè perditam, necesse est ut totus homo, cum omnibus affectibus suis, sic mutetur, ut cupiditas, quæ fortior erat charitate, ipsamque proinde vincebat, à charitate vincatur. Facilius verò est, per charitatem jam fortiorem, cupiditatisque victricem, compescere cupiditatem, jam victam debilitatamque, quàm cupiditatem, jam fortiorem & victricem, per charitatem superare. Facilius item fortiora ad vincendam cupiditatem auxilia habenti, ipsam vincere, quàm non habenti auxilia tam fortia. Fortiora verò ad vincendam cupiditatem auxilia habet justus, quàm peccator. Cùm copiosiora, uberiora & fortiora gratiæ dona in viva membra corporis sui Christus, tamquam caput influat, quàm in membra mortua. Denique cùm insufficientiæ indigentiæque argumentum oratio sit, tantò quis magis indiget oratione, & operibus adminiculantibus orationem, quantò magis indigens est atque insufficiens. Atqui peccatores magis indigentes sunt quàm justi. Ergo.

CAPUT XLI.

Ad magnam illam gratiam misericordiamque impetrandam, magnis peccatoribus, maximè consuetudinariis, ac recidivis, ordinariè non sufficit vox ad Deum clamans, sed requiritur & manus, & animus, magnis gemitibus, pœnitentiæque laboribus, ad fores divinæ misericordiæ pulsans: id est orationi jungenda sunt interna externaque pœnitentiæ opera; non ut satisfactoria pro pœna temporali, quæ solvenda superest, culpâ remissâ; sed ut impetratoria gratiæ conversionis, remissionisque culpæ mortiferæ, ac pœnæ æternæ.

TAnti momenti est veritas ista, ut inde tota 603
ferè rectè administrandi Pœnitentiæ Sacramenti ratio, atque adeò innumerarum animarum salus æterna dependeat. Quapropter animus est omni argumentorum genere eam demonstrare. 1°. quidem ex divina Scriptura. 2°. ex unanimi Sanctorum doctrina. 3°. specialiter ex Chrysostomo, quem præ cæteris opponunt juniores Casuistæ. 4°. ex Summorum Pontificum oraculis. 5°. ex Conciliis antiquis & novissimis. 6°. ex eo quòd Ecclesia per tot olim sæcula magnos peccatores magnis ac longis pœnitentiæ laboribus, ad obtinendam peccatorum veniam, pœnæque æternæ remissionem, ac plenæ conversionis gratiam, ante sacramentalem absolutionem exercere non præcepisset, si labores illos ad dictos fines necessarios non credidisset. 7°. ex Ecclesiæ modernæ sensu, per publicas ipsius preces nobis manifestato. 8°. ex eo quòd Concilium Tridentinum eundem sensum confirmet, dum Pœnitentiæ Sacramentum, sensu SS. Patrum, esse dicit *baptismum laboriosum.* 9°. ex eo quòd hæretici calumniati sint Ecclesiam modernam, quòd, suâ de laborum illorum necessitate doctrinâ, sentiret, peccatorem non justificari gratis, sed ex merito operum, seu laborum illorum. 10°. ex eo quòd doctrinam de necessitate operum illorum, velut fidei, Ecclesiæque Catholicæ, etiam modernæ, doctrinam, unanimi calculo tradiderint fidei adversus Lutherum & Calvinum defensores. 11°. ex eo quòd istum Ecclesiæ modernæ esse sensum, nos doceant Ecclesiæ Principes, gravissimi utique Cardinales & Episcopi. 12°. ex Institutione Christiana Concilii Moguntini, Catechetibus Trevirensibus, & Enchiridio Concilii Colonienſis. 13°. ex Sanctis novissimis, Thoma Villanovano, Francisco Xaverio, Carolo Borromæo, & Francisco Salesio. 14°. ex eo quòd ista sit doctrina præcipuorum Theologorum, etiam modernorum. 15°. ab exemplo ipsorummet Barbarorum, Schismaticorumque Moscovitarum. 16°. à validissimo rationum theologicarum firmamento. Quarum prima petitur ex eo quòd eadem hodie sit, quæ olim, criminum gravitas; non facilior proinde ex parte Dei eorum remissio, nec facilior peccatorum conversio. 17°. ex eo quòd labores illos divina exigat justitia. 18°. sicut & divina clementia ob spirituale bonum pœnitentis. 19°. ex eo quòd eosdem postulet reverentia Sacramento, & gratiæ sanctificanti debita. 20°. ex eo quòd justitia perdita sine illis non magis recuperari possit, quàm habita conservari. 21°. ex eo quòd dona cælestia Deus velit, magnis precibus, lachrymis, & laboribus, etiam à justis impetrari. 22°. ex eo quòd oratio sine jejunio, &c. nihil magnum obtineat. 23°. ex eo quòd assertam necessitatem probent rationes, quibus Augustinus probat conversionis difficultatem. 24°. specialiter pro consuetudinariis, ex eo quòd prava consuetudo tamdiù maneat proxima peccandi occasio, quamdiù contrariis actibus non expugnatur. 25°. ex eo quòd opinio contraria animabus non sit utilis, sed noxia.

§. I.

Assertio probatur ex divina Scriptura.

604 SIquidem magnos fletus, pœnitentiæque labores Scriptura exigit, nedum à justificatis, ad remissionem pœnæ temporalis, sed & à peccatoribus, ad remissionem culpæ mortalis, pœnæque æternæ; ac per consequens ad impetrandam sufficientis conversionis gratiam, sine qua nulli adulto remittitur mortalis culpa, nec pœna æterna. Hieremiæ namque cap. 4. v. 8. dicitur: *Accingite vos cilicijs, plangite & ululate.* Quod utique peccatoribus Propheta dicit, ad lavandum à malitia cor ipsorum. Sequitur enim v. 14. *Lava à malitia cor tuum Hierusalem, ut salva fias.* Præcedit autem v. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Juda*, &c. Quasi dicat, convertimini ad Dominum, cumque in finem accingite vos ciliciis, &c. ut conversi peccatorum veniam obtineatis. Ad obtinendam verò peccatorum veniam accingere se non debuissent ciliciis, nec plangere & ululare, si absque externis hujusmodi pœnitentiæ laboribus, secundùm ordinariam gratiæ œconomiam, converti potuissent.

Præterea cap. 6. v. 26. Propheta dicit: *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Quod si necessarium sit ad avertendam iram Dei temporalem; multò magis ad avertendam iram æternam.

605 Sed & Joël. 2. v. 12. dicitur: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Ad peccatorum utique veniam obtinendam. Sequitur enim: *quis scit si convertatur & ignoscat?* Et nunquid jejunio, fletu, & planctu opus esset ad effugiendam pœnam temporalem, si istis opus non esset ad effugiendam pœnam æternam? Pœnæ quidem temporalis meminerunt Prophetæ, sed ad figurandam pœnam æternam. Teste namque Apostolo 1. Cor. 10. v. 11. *hæc omnia in figura contingebant illis.*

606 Qua de re ne dubium supereffet, Christi Præcursor Luc. 3. fructus dignos pœnitentiæ à peccatoribus exigit, ad fugiendam iram venturam, id est pœnam ignis inextinguibilis, prout explicat ibidem v. 12. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Similiter Christus Luc. 13. pœnitentiæ actionem postulat ad fugiendum æternum interitum: *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Pœnitentiæ utique actionem, tam externam, quàm internam, prout Authores omnes Ecclesiastici, Græci, & Latini interpretantur. Enimverò à punitione pœnitentia nomen accepit. Unde Luc. 10. 13. *in cinere* (inquit) *& cilicio pœnitentiam egissent.* Et Luc. 11. 32. *Ninivitæ..... pœnitentiam egerunt, ad prædicationem Jonæ.* Nemini verò incognitum est, qualem pœnitentiam egerunt.

607 Apostolus quoque Paulus Act. 26. *Annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Quæ opera? 2. Cor. 9. esse dicit non solùm interna, sed & externa, sollicitudinem placandi Deum, fugiendique pericula peccati, defensionem contra relapsum, vindictam, seu punitionem peccati, &c.

608 Rursus idem Apostolus 1. Cor. 5. *Judicavi.... tradere hujusmodi in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Ubi per interitum carnis, laboriosa pœnitentiæ externæ opera, per quæ maceratur caro, Zephirinus Pontifex, cumque ipso Ecclesia Romana & Carthaginensis intelligit apud Tertullianum lib. de pudicitia c. 13. sicut & Origenes hom. 24. in Levit. Pacianus paræn. ad pœnit. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 12. in fin. Augustinus lib. de fid. & oper. c. 26. satisque littera ipsa innuit. Carnis igitur maceration-em, per laboriosa pœnitentiæ opera externa, ab incestuoso Corinthio Apostolus postulavit ad salutem animæ ipsius, ad plenam proinde ipsius conversionem. Unde post illam, non ante, ipsum absolvit.

Eadem requirit Frater Domini Jacob. 4. v. 8. 607
Emundate manus, peccatores, & purificate corda duplices animo. Miseri estote, id est affligimini, vel affligite vos, ut Græcus textus habet, *& lugete, & ploratè, risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Dei*, &c.

Unde sic arguitur: Scriptura veteris & novi Te- 610
stamenti, ad obtinendam peccatorum veniam, ac pœnæ æternæ remissionem, plenamque proinde conversionem (sine qua non conceditur peccatorum venia, nec pœnæ æternæ remissio) secundùm ordinariam divinæ misericordiæ œconomiam, requirit opera pœnitentiæ, non solùm interna, sed & externa; utpote manifestè designata in veteri Testamento per *cilicium, jejunium, luctum, fletum, planctum*; in novo per *fructus dignos pœnitentiæ*, per *interitum carnis*, conversionem risûs in luctum, &c. Ea igitur magni saltem peccatores facere debent ad obtinendam plenæ conversionis gratiam, eâque mediante peccatorum, ac pœnæ æternæ remissionem. Sicque allata utriusque Testamenti sacra testimonia intellexerunt omnes sancti Patres, cumque ipsis Catholici omnes, qui fidem Catholicam Ecclesiamque contra Lutheranos, & alios hæreticos scriptis suis defenderunt, ut ex sequentibus apparebit. Tridentinum verò sess. 4. prohibet, ne quis contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari audeat.

§. II.

Secundò probatur ex unanimi sanctorum Patrum doctrina.

UNanimi quippe consensu SS. Patres docent, 611
magnis saltem peccatoribus remissionem culpæ mortalis, pœnæque æternæ, ordinariè non fieri, nisi per magnos gemitus, & laboriosa pœnitentiæ opera.

Ita imprimis Zephirinus Papa, cum Ecclesia Romana apud Tertullianum l. de pudicitia eorum sensum referentem: *Hic jam carnis interitum* (de quo Apostolus 1. Cor. 5.) *in officium pœnitentiæ interpretantur; quòd videatur jejuniis & deditâ operâ malæ tractationis, carnem exterminando, satis Deo facere, ut ex hoc argumententur, fornicatorem, imò incestum illum satanæ ob Apostolo traditum, non in perditionem, sed in emendationem, quasi posteà veniam ob interitum, id est conflictationem carnis consecuturum. Igitur & consecutum.*

Ita etiam Tertullianus ipse l. de pœnit. c. 9. 612
aiens, per exomologesim, id est pœnitentiæ labores & opera, interna & externa, æterna supplicia extingui. Et c. 11. per ea Deum reconciliari peccatori. Capite verò 12. addit, non alio pretio Deum solitum veniam largiri. Quamvis ergo Tertullianus, jam hæreticus, conatu magno contenderit, externos pœnitentiæ labores, peccatorum veniam & remissionem non impetrare: ipsemet tamen, adhuc Catholicus, capite illo 9. cum Ecclesia dixerat, exomologesim id efficere, ut *in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione, æterna supplicia extinguat.* Et c. 11. *Maceror & excrucior, ut Deum reconciliem mihi.* Et cap. 12. *Gehennam exomologesis extinguit.* Nec alio, secundùm ip-

sum, pretio veniam Deus largiri solet: nam *quid tam ineptum, quàm pœnitentiam non explere, & veniam delictorum justinere? hoc est pretium non exhibere, & ad mercem manum mittere.* Additque Dominum pœnitentiæ probationem priùs inire, mercedem perennis vitæ concessurum.

613 Similiter Origenes homil. 2. in Levit. *Per duram & laboriosam pœnitentiam fit remissio peccatorum.*

614 Cyprianus lib. de lapsi. *Iram & offensam ejus jejuniis, fletibus, planctibus sicut admonet ipse placemus.... Quibus à morte animæ liberantur.... Putasne tu Dominum citò placari, quem verbis perfidis abnuisti?.... Putasne eum facilè misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare eum oportet impensius.... diem luctu transigere.... in cilicio & sordibus volutari.... justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleëmosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.... si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest.* Epist. 7. *Ad placandum & exorandum Dominum, non voce solâ, sed & jejuniis, & lachrymis, & omni genere deprecationis ingemiscamus.* Epist. 55. ad Cornel. Pap. redarguens Presbyteros, sine actâ priùs pœnitentia lapsos reconciliantes: *Datur,* (inquit) *opera, ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur; ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera falsæ pacis mendacio tollitur.* Et l. de opere & eleëmos. *Raphael* Tob. 12. v. 8. *ostendit.... deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum & operum accessione fulciantur.*

615 Idem tradunt reliqui Patres. Paulanus in paræneſi ad pœnit. lapsis ad veniam proponit *scalpellum propheticum: Convertimini ad Dominum Deum vestrum, simulque in jejunio, & fletu, & planctu... qui poterit tolerare salvabitur.* Et cum Apostolo proponit *interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Remedia denique suggerit ad impetrandam misericordiam, ne pereant: *Siquis ad balneum voce, vocasse delicias; siquis ad convivium roget, dicere: ista felicibus; ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quò mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia priùs tentare, quam pereas.*

616 Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 4. *Deus expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos; expectat lachrymas nostras, ut profundat pietatem suam.* Et ad virg. lapsi. c. 8. peccator, *si tibiipsi non pepercerit.... & futuras pœnas.... compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat.* Chrysostomum specialiter dabimus §. sequenti.

617 Augustinus serm. 34. de diverſ. c. 12. *Sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis.... & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur.* Et serm. 58. de temp. *Peccator, qui criminibus insuevit, cum ingenti rugitu & gemitu Deum sibi reconciliare contendat.... & in se bonis operibus contendat Dei imaginem reformare, ut inter filios mereatur agnosci à Patre, ne ab illa æterna beatitudine.... proficiatur in tenebras exteriores.* V. in Append. sermon. Aug. serm. 258. Et serm. 50. inter 50. homilias, nunc serm. 351 tres actiones pœnitentiæ distinguens, quarum una agitur ab adultis ante baptismum; altera à justis per totam vitam: *Tertia* (inquit) *actio pœnitentiæ est, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In hac ergo pœnitentia, majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut à seipso judicatus non judicetur à Domino,* &c.

Prosper, seu potiùs Julianus Pomerius lib. 2. 618
de vit. contempl. c. 7. *Si* (inquit) *peccatores ipsi judices fiant, &, velut suæ iniquitatis ultores, voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia.*

Cæsarius Arelatensis homil. 1. *Mortificatione* 619
præsenti futura mortis sententia prævenitur... dumque exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi judicii offensa sedatur, & ingentia debita labor solvit exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor æternus. Et homil. 8. *Nisi peccator dignè, si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleëmosynas erogaverit.... æternâ illâ flammâ sine remedio cruciabitur.* Ex quo loco colligitur, istâ pœnitentiæ opera non esse semper necessaria in re, sed aliquando sufficere in voto, seu proposito, dum utique per temporis angustiam, viriumvè defectum, in re impleri non possunt. Sermone etiam 59. qui in Biblioth. PP. est hom. 14. *Laboremus* (inquit) *ne nobis crimina, vel capitalia peccata surrepant. Si verò in hoc malum fuerit aliquis diabolicâ calliditate prostratus.... cum ingenti rugitu & gemitu Deum sibi reconciliare contendat. Nec erubescat pœnitentiam agere... sed citò in se bonis operibus contendat Dei imaginem reparare, ut inter filios mereatur agnosci à Patre: ne ab illa æterna beatitudine exclusus, & à convivio nuptiali projectus, ligatis manibus & pedibus projiciatur in tenebras exteriores.*

Gregorius Magnus hom. 10. in Evang. *A regione* 620
nostra superbiendo, inobediendo, & c. discessimus; sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus.

Isidorus in exhort. ad pœnit. dicit quòd *per pœ-* 621
nitentiæ labores anima de sempiterno interitu saluti perpetuæ restauretur. Hæc est enim via, per quam de inferis ad cælum recurritur, de peccato ad justitiam redditur, de offensione ad gratiam revocatur.

Gregorius VII. in Concilio V. Romano mo- 622
net peccatorem, nondum ad veram pœnitentiam perductum, ut *interim quidquid boni facere poterit... faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.* Quod etiam monet Pœnitentiale Romanum tit. 9. c. 14. & Urbanus II. in Concilio Claromont. c. 22.

Petrus Damianus in suo Gomorrhiano c. 22. 623
Quisquis... nefandæ turpitudinis se contagione fœdaverit, nisi fructuosæ pœnitentiæ fuerit satisfactione purgatus, numquam habere Dei gratiam poterit, numquam Christi corpore & sanguine dignus erit, numquam cælestis patriæ limen intrabit.

Alia aliorum Patrum ad idem testimonia 624
Morinus exhibet c. 12. citato. Illis addi possunt testimonia Sanctorum, qui suprà c. 38. docent, peccatoris, in grave crimen lapsi post baptismum, conversionem ordinariè laboriosam, difficilemque esse. Neque enim talis esset, si absque magno labore & planctu fieri soleret. Sed *quid opus est ad antiquos Patres recurrere* (ait doctissimus piissimusque Card. Aguirius dissert. 8. ad Can. XI. & XII. Concil. Tolet. III. excursu 10.) *in re adeò manifesta omnibus iis pœnitentibus & Sacerdotibus, qui stupore quodam, aut ignorantiâ extremâ non amiserunt communem sensum?*

§. III.

Confutantur Juniorum ad duo superiora argumenta responsiones.

AD sacra testimonia §. 1. ex veteri Testamento producta respondent aliqui Juniores, ea 625

ad novum Testamentum non pertinere. Tum quia in veteri Testamento ad peccatorum remissionem opus fuit contritione perfectâ; nunc autem sufficit imperfecta. Tum quia Deus nunc misereturcopiosiùs, ignoscitque faciliùs, quàm in veteri lege.

Respondeo assumptum istud tolerari non posse: quia, teste Apostolo Rom. 15. *quæcumque . . . . scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, in tantum, ut illa etiam, quæ Judæis in figura contigerunt, scripta sint *ad correptionem nostram*, ut asserit idem Apostolus 1. Cor. 10. Quod sicut in aliis omnibus, sic in iis quæ de pœnitentia scripta sunt, præcipuè locum habet; utpote quæ ad novum Testamentum propriè pertinere constat ex prædicatione Christi, Præcursoris, & Apostolorum de necessitate pœnitentiæ ad peccatorum remissionem. Necnon ex Tridentino sess. 14. c. 1. testimonium inducente Propheticum, *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Et cap. 4. clamores sanctorum pœnitentium veteris Testamenti, exemplumque Ninivitarum allegante. Quod & moderna facit Ecclesia, prout videbitur § 8. & seqq.

626 Tam ergo in novo Testamento, ad obtinendam gratiam contritionis imperfectæ, quàm in veteri, ad obtinendam gratiam contritionis perfectæ, opera pœnitentialia ordinariè requiruntur. Nec verum est quòd in nova faciliùs ignoscat Deus, quàm in veteri lege, hoc sensu, quòd in nova lege pœnitentialia opera non requirat, sicut in veteri; sed hoc dumtaxat sensu, quòd copiosiores in nova gratias per effusum Filii sui sanguinem largiatur, per quas peccator efficaciùs movetur ad agendam pœnitentiam, quàm in veteri lege. Quo etiam sensu misereturcopiosiùs, quia plures in nova lege ad pœnitentiam Dei gratia & misericordia adducit, quàm in veteri.

627 Secundò ad testimonia Patrum, Steyartius in suis de pœnitentia Aphorismis §. 15. n. 7. respondet, ea debere explicari juxta disciplinam illius temporis, quæ hodie defiit: ex sanctis proinde Patribus probari non posse, opera pœnitentiæ hodie requiri. At responsio ista minùs adhuc tolerabilis est. Tum quia sic respondere, est omnes SS. Patrum sententias eludere, totamque ipsorum de pœnitentia doctrinam, ad stabiliendos hodiernos mores inutilem reddere; quæ tamen basis est, ac fundamentum totius Religionis ac vitæ Christianæ; utpote quæ (juxta Trident. sess. 14. tit. doctrina de Sacram. extrem. unct.) *perpetua pœnitentia esse debet.* Tum quia non minùs regulas morum, quàm fidei, oportet nos à SS. Patribus accipere. Tum quia suas illas de pœnitentia regulas SS. Patres ex divinis testimoniis §. 1. relatis desumpserunt; regulæ proinde illæ æquè immobiles sunt ac invariabiles, quàm illæ quas divina Scriptura tradit; quæ cùm contineant jus naturale vel divinum, per humanam in contrarium consuetudinem abrogari non possunt. Tum denique quia SS. Patres non solùm fuerunt à Deo dati Doctores Ecclesiæ sui temporis, sed Ecclesiæ etiam modernæ; quæ propterea ipsos velut Doctores suos agnoscit ac veneratur, eorumque testimoniis utitur, sicut & Theologorum Principes, Magister sententiarum, S. Thomas, &c. eorum testimoniis utuntur ad suam de moribus ac de pœnitentia doctrinam stabiliendam. Ergo non solùm à Deo dati sunt, ut ab ipsis discceremus disciplinam istius temporis, jure humano institutam; sed ut ab ipsis discceremus morum ac pœnitentiæ regulas jure naturali vel divino præscriptas.

628 Tertiò Author tractatûs de operibus pœnalibus respondet, sanctos Patres vel agere de peccatoribus publicis, v. g. Idololatris, Apostatis, & similibus, seu etiam consuetudinariis, obduratis, &c. non de peccatoribus ordinariis, v. g. fornicatoribus; vel agere adversus Novatianos, non admittentes, per pœnitentiam peccata remitti; vel contra hæreticos alios, negantes necessitatem satisfactionis in pœnitentia.

At recipi etiam non potest ista responsio: quia licèt ipsorum nonnulli de Apostatis agant, & Idololatris; eorum occasione magnis omnibus peccatoribus remedium generale præscribunt, opera scilicet pœnitentiæ, ut Cyprianus l. de lapsis, ubi postquam varia lapsorum genera descripsit, variaque eorum remedia præscripsit, de iis etiam loquitur, qui nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti fuerant, sed de hoc tantùm cogitaverant; tandemque ad omnes generatim peccatores sermonem convertit, dicens: *Convertamur ad Dominum mente totâ. . . . . Rogare qualiter debeamus, dicit ipse: Revertimini, inquit, ad me ex toto corde vestro, simulque in jejunio, & fletu, & planctu*, &c. Paciannum etiam loqui de lapso vel semel in fornicationem, ostendit Card. Aguirius in paræneſim Paciani n. 157. Ambrosium quoque generaliter loqui, videre est l. 1. de pœnit. c. 11. & 12. Idem de aliis Patribus facile est ostendere.

Etiam plerique Novatiani apud Ambros. l. 1. de pœnit. cap. 2. aiebant se, exceptis gravioribus, quibusdam criminibus relaxare veniam. Non itaque mortalia omnia censuerunt per pœnitentiam irremissibilia. Imò nec Montanistæ: cùm Tertullianus (jam Montanista) l. de pudicitia peccata distinguat in remissibilia & irremissibilia. Opera denique pœnitentiæ à sanctis Patribus nedum requisita fuisse ut satisfactoria, sed & ut impetratoria gratiæ & veniæ, liquet ex allatis ipsorum testimoniis.

Quartò aliquis fortasse respondebit, testimonia 629
Scripturæ & Patrum nimiùm, adeòque nihil probare. Requirunt enim jejunia, cilicia, &c. quæ tamen necessaria non sunt.

At testimonia illa non eò protulimus, ut ex iis probaremus necessitatem jejuniorum, ciliciorum, &c. sed necessitatem operum externorum; quæ tamen necessariò non esse debent ea ipsa, quæ verbis suis exprimunt: sed vel illa, vel aliqua alia, loco, tempori, disciplinæ Ecclesiæ, & personarum circumstantiis, peccatorumque gravitati, numero, durationi, tenacitati, &c. accommodata ac proportionata; adeòque in aliis majora, in aliis minora. Non quasi hæc ita necessaria sint, ut sine iis peccator Deo reconciliari absolutè non possit; sed quòd ista sit via ordinaria, per quam, & non aliter Deo reconciliari solet, prout explicatum est suprà. Siqua testimonia Patrum ampliùs exigere videantur, secundùm Ecclesiæ modernæ disciplinam sic moderanda sunt, ut tamen id quod divini juris est, maneat inconcussum. Et quamvis hactenus dicta vera sint, valida nihilominùs foret absolutio peccatoris, qui nulla opera pœnitentiæ externa præmisisset, si interiùs satis contritus existeret. Neque enim opera illa externa necessaria sunt, necessitate Sacramenti, sed necessitate medii, ad obtinendam debitam contritionem ordinariè requisiti.

§. IV.

Tertia probatio assertionis specialiter ex Chrysostomo, quem præ cæteris prose allegant adversarii.

IPse namque hom. 12. in epist. ad Hebr. in Mo- 630
rali dicit, quòd *qui cecidit in barathrum peccati, multo eget pœnitentiæ tempore, lachrymisque ac planctibus, majorique ac vehementiori lamentatione, quàm quæ propter charissimos ostenditur, ut ab inquinamento peccati sui abluatur.* Et hom. 9. in eandem: *Si iterùm lapsi simus. . . . dedit medicamentum pœnitentiæ, quod sufficit ad delenda & abstergenda omnia peccata nostra, si modò vide-*

rimus cujusmodi sit medicamentum pœnitentiæ, & quomodò conficitur. Dicit autem confici 1°. *ex suorum peccatorum condemnatione & confessione.* 2°. *ex multa humilitate.* 3°. *iis adjungit cor contritum, paratum ad malè patiendum; quia contritio, etiamsi affecta contumeliis, etiamsi malè passa, quiescit, nec concitatur ad vindictam. Post hæc* (inquit) *opus est intensis precibus, multis lachrymis, multâ eleëmosynâ.... Deinde non iratos, neque injuriæ acceptæ meminisse, omnibus peccata remittere.* Quibus jejunium addit serm. 1. de jejunio: *Jejuna ut audiaris.... sit jejunium propter conversionem.* Homil. de Jona Propheta: *Ad veram pœnitentiam quid aliud nisi jejunium necessarium est?* Hom. 27. in Genes. *Deus exauditurus est nos, si voluerimus.... quadragesimalis jejunii subsidio non abuti, & excusiâ socordiâ continuis precibus placare Dominum, calentes profundere lachrymas, delicta nostra sedulò confiteri, necnon & alia quæ exiguntur afferre, animo* (inquam) *conteri & compungi, eleëmosynam dare largam, affectiones quæ mentem nostram perturbant, refrænare.... ita ut neque injurias illatas vindicare cupiamus,* &c. Perspicua sunt verba ista, nec commentario indigent. Opera namque pœnitentiæ externa & interna requirit *ad abluendum peccati inquinamentum, ad delenda peccata nostra, ad veram pœnitentiam, propter conversionem, ad placandum Dominum.*

631 Unde homil. 14. in 2. ad Corinth. in Morali ad Sacerdotem ait: *Vinculis eum, qui facinus improbum admisit, cœrce, usquedum Deum ipse sibi propitium ac placidum reddiderit.... acrioribus divinæ iræ* (id est dolorosæ laboriosæque pœnitentiæ) *vinculis constringe. Si vincula ejusmodi ipse injecero, Deus non jam vinciet: sin autem in vinculis eum non tenuero, ejusmodi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant. Si enim nosipsos judicaremus, non utique judicaremur.*

Tamdiù verò ipsum vinculis istis detinendum dicit, donec in melius fuerit commutatus. Ad hanc quippe objectionem: *verùm sat diù pœnas expenderunt.* Respondet: *Quamdiù quæso? Annum unum & alterum, aut tres? Atqui temporis moram non quæro, sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius commutati* (ad hoc ergo pœnas illas requirit) *& res tota confecta erit. Quod nisi ita sit, nihil profectò temporis diuturnitas emolumenti attulerit. Neque enim sæpiùsne obligatum vulnus fuerit, quærimus, sed an obligatio illi quidquam profuerit. Ac si quidem etiam ad exiguum tempus adhibita profuit, non jam amplius adhibeatur. Si autem nondum eam adhibuisse juvat, etiam post decem annos adhibeatur.* Alia Chrysostomi testimonia habes cap. 37. §. 6. & cap. 38. §. 4.

§. V.

Quarta probatio ex Summorum Pontificum pronuntiatis.

632 Zephirini Papæ ea de re pronuntiatum n. 611. vidimus. Audivimus etiam n. 620. Gregorium Magnum. Et n. 622. Gregorium VII. S. Innocentius I. epist. 22. c. 4. assumit ut à Catholicis omnibus concessum, per satisfactiones, seu labores pœnitentiales, crimina purgari, seu auferri. Cùm enim Catholici quidam hæreticos ad Ecclesiam redeuntes reciperent, cum honoribus quos in hæresi obtinuerant, prætexentes ordinationis benedictione crimina omnia auferri. *Ergo si ita est* (ait Pontifex) *applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri,* &c. *quia benedictione ordinationis crimina... putantur auferri. Nullus sit pœnitentiæ locus; quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit.* Similiter S. Leo ser. 5. de collectis & eleëmosynis: *Eleëmosynæ* (inquit) *peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt.* Idem ergo de reliquis operibus pœnitentialibus censuit, eaque ad id necessaria magis saltem peccatoribus satis innuit, dum epist. 91. non solùm dicit, quòd *per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparatur æternæ,* sed & addit à Christo traditam Præpositis Ecclesiæ potestatem ipsos reconciliandi, sed hâc conditione, *salubri satisfactione purgatos.* Denique Urbanus II. in Conc. Claromontano c. 22. magnum peccatorem monet, ut jejunet, & eleëmosynas det, *ut ad veritatis viam possit reverti.*

§. VI.

Quinta probatio ex Conciliis antiquis & novissimis.

633 Noti sunt enim Canones Conciliorum Eliberitani, Ancyrani, Arelatensis I. Nicæni I. Agathensis, Epaunensis, &c. quibus magni ac diuturni labores pœnitentiales peccatoribus magnis, ad impetrandam Dei misericordiam, peccatorum veniam, vitandamque inferni gehennam indicuntur, nec nisi iis adimpletis absolutio conceditur. Numero quoque 622. exhibuimus Con. Roman. V. sub Gregorio VII. peccatores admonens, qui nondum plenè dispositi sunt ad pœnitentiam, ut *interim faciant quidquid boni poterunt, ut omnipotens Deus cor eorum illustret ad pœnitentiam.* Conc. item Claromontanum magnum peccatorem monens, ut jejunet, & eleëmosynas det, *ut ad veritatis viam possit reverti.* Canones illos Spiritu Dei conditos Leo Magnus testatur epist. 44. In totum non esse negligendos, Concilia novissima, Mediolanense anni 1565. Bituricense an. 1584. Pragense an. 1605. Osnabrugense an. 1628. satis significant, dum declarant, eorum notitiam Confessariis esse necessariam. Ad quid? Non ut eos ad amussim sequantur in praxi, quoad ea quæ sunt disciplinæ (utpote hodie per piæ Matris Ecclesiæ indulgentiam moderatæ) sed quia si omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, *non prudentiâ solùm & pietate sed justitiâ etiam metienda sunt* (ait S. Carolus Borr. in Sacramentali Ambrosiano) *certè norma hæc è Canonibus Pœnit. sumatur oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus cùm ad culpæ commissæ gravitatem cognoscendam, tum ad modum obtinendi conversionem plenam, tum ad imponendam pro ratione gravitatis peccati veram pœnitentiam Sacerdotes Confessarii dirigantur.* Undeidem S. Carolus in eodem Sacramentali (quod virorum pietatis studio flagrantium, & doctrinæ laude clarorum auxilio adjutus, sex interim Conciliis Provincialibus celebratis, elaboravit) tit. *Instructio pœnitentiæ*, conformiter ad sacros Canones illos sic ait: *Parochus... maximè videbit, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat: id quod & Confessoribus, & pœnitentibus periculosum est: cùm id à sacris Litteris, & à Conciliorum Decretis, & à SS. Patrum sententia alienum sit. Nam divinæ Litteræ, ab iis qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejunio, & fletu, & planctu,* &c. Videri possunt Acta Ecclesiæ Mediolanensis edit. Paris. an. 1645. à pag. 405. ad 417.

§. VII.

Sexta probatio, ex eo quòd Ecclesia per tot sæcula, magnos olim peccatores, magnis ac longis pœnitentiæ laboribus, ad obtinendam peccatorum veniam, pœnæque æternæ remissionem, ac plenæ conversionis gratiam, ante absolutionem exerceri non jussisset, si id ad dictos fines necessarium non censuisset.

634 Constat ex dictis c. 15. 18. & 19. quòd Ecclesia olim, præeunte Apostolo 1. Cor. 5. longa & laboriosa pœnitentiæ opera, jejunium, fletum, planctum, corporis macerationem, &c. magnis peccatoribus, in sacris Canonibus præscripserit,

nec ipsos sacramentaliter absolvi permiserit, nisi posteaquam opera illa sedulò exequendo, se conversos probassent. Decem quoque argumentis c. illo 19. probatum est, decipi Juniores, aientes, absolutionem ad finem subsistrationis, vel consistentiæ dilatam, non fuisse sacramentalem, sed cæremonialem dumtaxat. Et ibidem ostendimus varias quidem istius disciplinæ rationes fuisse, nimirùm ad fideles à magnis saltem criminibus deterrendos, ad conversionem internam Ecclesiæ comprobandam, &c. Præcipuam tamen rationem fuisse, ut per opera ista peccatores necessariam cordis contritionem, câque mediante peccatorum veniam, pœnæque æternæ remissionem obtinerent, uti sapienter observarunt Maldonatus to. 2. de Sacram. c. 2. Estius in 4. dist. 15. §. 10. Lensæus l. de Eccles. satisf. c. 1. & seqq. Albaspinæus Episc. Aurelianensis, observ. 22. Neercaselius Episc. Castorienſis in Amore suo pœnitente p. 2. c. 14. §. 2. Morinus l. 1. de pœnit. c. 10. & l. 3. c. 11. & 12. in fine. Sylvius ad Supplem. q. 14. concl. 2. Card. de Aguirre dissert. 8. in Can. XI. & XII. Conc. Tolet. III. excursu 5. n. 203. aiens, eas macerationes diuturnas ab Ecclesia injunctas fuisse, ut iis mediantibus impetrarent à Deo remissionem peccatorum, sive (quod perinde est) nova auxilia gratiæ, quibus converterentur, & omninò placarent Majestatem Dei offensam.

635 Unde sic argumentor: Ecclesia olim laboriosa peccatoribus injunxit pœnitentiæ opera ante sacramentalem absolutionem peragenda, ut per ea à Deo impetrarent necessariam contritionem, seu cordis conversionem, câque mediante sacramentalem peccatorum remissionem. Censuit ergo opera illa necessaria, regulariter loquendo, ad impetrandam sufficientem contritionem, sacramentalemque peccatorum remissionem. Admisso antecedente consequentia negari non potest: frustrà namque ad finem illum opera tam laboriosa exegisset, si ad finem illum nullo modo necessaria censuisset. Antecedens negant quidem hæretici, Lutherus, Calvinus, Melanchton, &c. sed cum Patribus affirmant hæreticorum debellatores Catholici, uti videbitur infrà §. 11. Eritne hodie Catholicus, qui cum hæreticis illis sentire malit, quàm cum Patribus & Catholicis Scriptoribus, quos ad hæreticos illos debellandos Deus suscitavit? Quos nullus sapiens negare potest, Ecclesiæ quoad hoc sensum probè intellexisse. Aliàs Ecclesiæ causam malè defendissent. Malè proinde Deus Ecclesiæ providisset tales defensores circa Ecclesiæ sensum unanimiter errantes, in re non parvi momenti, in qua Ecclesiam contra hæreticos defendebant.

636 At, inquiunt adversarii, iste quidem fuit sensus veteris Ecclesiæ; sed alius est sensus modernæ. At contrà: rationes principales, ob quas laboriosa olim pœnitentiæ opera ante peccatorum remissionem necessaria olim censuit, probant adhuc hodie necessaria esse, uti constat ex dictis c. 24. Cùm igitur, variatâ licèt disciplinâ, variatus non sit, sed idem permaneat Ecclesiæ spiritus, in eundemque finem collimet, ut probatum est c. 23. eâsdemque proinde rationes principales sibi Ecclesia hodie proponat, quas sibi olim proposuit: Si ob rationes illas olim Ecclesia censuerit ante peccatorum remissionem laboriosa pœnitentiæ opera magnis saltem peccatoribus esse necessaria, id etiam moderna censet Ecclesia. Maximè cùm ratio principalis istius necessitatis petatur ex jure divino, sive ex Scriptura veteris ac novi Testamenti, unanimi SS. Patrum sensu sic intellecta, ut visum est suprà: Jus autem divinum idem sit hodie, quod fuit olim. Nec certè alia est hodie, quàm fuit olim, divinæ gratiæ in convertendis peccatoribus disciplina, nec alius divinæ providentiæ ordo. Nec alius quoad hoc sensus Ecclesiæ modernæ, quàm veteris, prout ostendi n. 609. & ampliùs probabunt argumenta §. 8. 9. 10. 11. 12. & seqq. deducenda.

§. VIII.

Septima probatio ex Ecclesiæ modernæ sensu, nobis innotescente ex publicis precibus ipsius.

QUia videlicet etiamnùm Ecclesia, in publicis precibus suis, apertè significat, Deum laboriosis pœnitentiæ operibus placandum, ad misericordiam ipsius, seu peccatorum veniam, pœnæque æternæ remissionem impetrandam. Optimè id probat Eruditiss. Obstratius ex Pont. Rom. tit. de expulsione publicè pœnitentium in fer. 4. Ciner. in quo Pontifex, vel Archipresbyter, imponendo cineres super capita singulorum, dicit: *memento... Age pœnitentiam* (in cilicio utique, quod ipsi paulò post imponit) *ut habeas vitam æternam.* Imponendo verò cilicium, orat ut pœnitens illud portando veniam & indulgentiam divinæ misericordiæ consequatur. Orat etiam Deum, ut satisfactione placatus, non inferat ipsis mortem æternam. Ac tandem monet pœnitentes, ut jejuniis, orationibus, peregrinationibus, eleëmosynis, & aliis bonis operibus invigilent, ut Dominus ad dignum fructum pœnitentiæ eos perducat. 637

Deinde feriâ 5. post Cineres sic orat: *Deus qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris. Deus qui peccatoribus per jejunium veniam præbes.* Feriâ 4. post Domin. 4. Quadrag. *Nostra tibi, quæsumus, Domine, sint accepta jejunia, quæ nos... expiando tuâ gratiâ dignos efficiant.* Et feriâ 3. post Dom. Pass. *Peccata nostra castigatione voluntariâ cohibentes, temporaliter potiùs maceremur, quàm suppliciis deputemur æternis.* Igitur Ecclesiæ, etiam modernæ, sensus est quòd pœnitentiæ operibus Deus offensus placetur, peccatorum venia impetretur, mors æterna vitetur, peccator ad veram pœnitentiam perducatur, & à suppliciis æternis liberetur. 638

Eundem Ecclesiæ modernæ sensum §. §. seqq. probabimus ex Conc. Trid. Necnon ex eo quòd Ecclesiam modernam Lutherani & Calvinistæ calumniati sint, quòd sua de necessitate pœnitentialium operum doctrina contradiceret Apost. Rom. 8. dicenti justificari hominem gratis. Ex unanimi quoque testimonio & consensu eorum, qui circa tempus exortarum hæresum, Lutheranæ & Calvinianæ, fidem Catholicam, Ecclesiæque modernæ doctrinam adversus hæreses illas defenderunt. Denique ex Sanctis noviſſimis, atque ex graviſſimis Cardinalibus & Episcopis, seu eorum Instructionibus, Catechesibus, & Litteris Pastoralibus, à quibus (utpote Ecclesiæ Principibus) Ecclesiæ modernæ sensum discere nos oportet, potiùs quàm à privatis Casuistis novaturientibus. 639

§. IX.

Octava probatio ex Concilio Tridentino.

CErtum est 1°. Ecclesiæ modernæ sensum 640
contineri in hisce verbis Conc. Trid. sess. 14. c. 2. *Alius est præterea baptismi, alius pœnitentia fructus. Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem, per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus; ut meritò pœnitentia laboriosa quidam baptismus à SS. Patribus dictus fuerit.*

Certum est 2°. eo sensu pœnitentiam à Conc. Trid. laboriosum quemdam baptismum appellari, quo appellatus fuit à Patribus, in quorum authoritate se fundat. Atqui certum est 3°. pœnitentiam eo præcipuè sensu baptismum laboriosum à SS. 641

Patribus

Patribus appellatam, quòd per eam culpæ mortalis, pœnæque æternæ remissio, sine magnis nostris fletibus & laboribus ordinariè non fit. Ergo certum est eam eodem sensu laboriosum baptismum appellari à Tridentino. Quòd autem illo præcipue sensu à SS. Patribus appellata sit baptismus laboriosus, sequentia ipsorum testimonia manifestant.

641 Siquidem hoc sensu Clemens Alexandrinus apud Eusebium l. 3. histor. c. 17. vel 23. scribit, Juvenem, post baptismum in scelera grandia lapsum, & S. Joannis Apostoli exhortatione conversum, carnis maceratione, orationibus & lachrymis secundò baptizatum, scelerum veniam obtinuisse.

642 S. Gregorius Nazianzenus orat. 50. in sancta lumina: *Quantum* (inquit) *locum lachrymarum baptismus tenet; verum asperior est, & laboriosior; quo quidem ille tingitur, qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lachrymis lavat. . . . qui lugens & contristatus ingreditur; qui Manassis respiscentiam, ac Ninivitarum humilitatem (cui misericordia remissionis peccatorum impertita est) imitatur; qui Publicani verbis in templo utitur, ac supra insolentem & superbum Pharisæum justificatur; qui denique Cananææ in modum deprimitur, & misericordiam implorat*, &c.

643 Theodoretus in epitome divinorum Decretorum cap. de pœnit. in fine: *Sunt ergo medicabilia, etiam quæ post baptismum fiunt, vulnera; medicabilia autem, non, ut olim, per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & jejunium, & orationem, & laborem, facti peccati quantitati respondentem. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec divina eis facilè impertiri.* Nolite, *inquit Christus*, dare sanctum canibus, nec margaritas porcis. *Has habet Ecclesia leges de pœnitentia.* Hoc itaque sensu pœnitentia baptismus laboriosus à SS. Patribus dicitur.

644 Unde etiam S. Chrysostomus homil. 4. de pœnit. lachrymas pœnitentiales secundum baptismum appellat: *Petrus tunc sentiens cœpit flere, & non flevit modò, sed amarè, secundum baptismum per lachrymas ex oculis ostendens. Cùmque flevisset amarè, delevit peccatum.*

645 Anastasius Sinaïta orat. in Psal. 6. narrat historiam, quæ tempore Mauritii Imperatoris contigit, de insigni prædone, quem morti proximum sic orantem inducit: *Quo modo illos, qui, post undecimam horam venientes, nihil dignum mercede effecerant, admisisti; eodem & meas, meas hasce exiguas lachrymas excipe, purgans me atque baptizans in eis, in morte saltem mihi peccatorum condonationem tribue, tamquam baptismum aliquem.*

646 S. Damascenus l. 3. orthod. fid. c. 10. varia recensens baptismata, *sextum* (inquit) *baptisma in pœnitentia & lachrymis versatur, estque sanè grave, & durum*, &c. Quomodò fit? *Per asperam* (ait in histor. Barlaam & Josaphat c. 11.) *pœnitentiam, & calentes lachrymas, & labores, & sudores.* Et quid per ejusmodi baptismum consequimur? sequitur, & dicit: *Per viscera misericordiæ Dei nostri purgationem ac remissionem peccatorum consequimur. Etenim per Domini gratiam lachrymarum fons baptismus appellatur; tametsi alioqui labore & tempore opus habeat.* Hactenus Damascenus, Ecclesiæ & SS. Patrum haud dubiè sensum more suo edisserens. Eodem modo loquuntur S. Isidorus Hispalensis l. 2. de offic. c. 24. Haimo l. 1. Commentarii in Apocal. c. 3. Rabanus Maurus l. 2. de Instit. Cleric. c. 29. &c.

647 Planè ergo constat, pœnitentiam à SS. Patribus ideò baptismum laboriosum appellatam, quòd magnorum saltem criminum remissionem per eam quidem obtineamus, sed ordinariè non sine labore multo. Constat proinde, eodem sensu pœnitentiam à Tridentino baptismum laboriosum appellari: cùm ab ipso sic appelletur sensu Patrum.

Sic proinde Tridentinum & Patres meritò intellexerunt non minùs sapientiâ quàm purpurâ Eminentissimi Cardinales, doctrinâ ac pietate insignes, Bellarminus, Aguirius, Denhoffius, & Ursinus, uti videbitur §. 12. 648

Secundò, idcircò ad illam novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, juxta Tridentinum, sine magnis nostris fletibus & laboribus pervenire nequaquam possumus, quia divina id exigit justitia. Ait enim: *divinâ id exigente justitiâ.* Atqui divina justitia labores illos exigit non solùm pro remissione pœnæ temporalis, sed & maximè pro remissione pœnæ æternæ, culpæque mortalis, uti probabitur §. 14. 649

Tertiò, dum Tridentinum dicit: *alius est baptismi, alius pœnitentiæ fructus*, &c. non agit principaliter de fructu baptismi laborioso, seu pœnitentialis, qui sit remissio omnis pœnæ temporalis, sed de fructu qui sit remissio culpæ mortalis, pœnæque æternæ. Pœnitentia ergo principaliter propter hunc effectum, debet esse baptismus laboriosus. Probatur antecedens, quia Tridentinum in verbis illis non agit principaliter de fructu qui rarissimè, sed de fructu qui per Pœnitentiæ Sacramentum communiter obtinetur: quemadmodùm enim leges, sic Conciliorum definitiones esse solent de iis quæ communiter, non de iis quæ perrarò contingunt. Perrarum autem est quòd per Pœnitentiæ Sacramentum totius pœnæ temporalis obtineatur remissio: fructus verò qui per illud communiter obtinetur, est remissio mortalis culpæ, pœnæque æternæ. 650

Quartò, Tridentinum eâdem sess. 14. c. 4. agens de contritione requisita ad justificationem peccatoris, in Sacramento Pœnitentiæ, declarat, hanc contritionem *non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud:* " Projicite à " vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis " cor novum. " *Et certè qui illos Sanctorum clamores consideraverit:* " Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo. " Lavabo per singulas noctes lectum meum. Re- " cogitabo tibi omnes annos meos, in amaritu- " dine animæ meæ: " *& alios hujus generis, facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.* Odio (inquam) non sterili, sed laborante ad vindictam, punitionem & destructionem peccatorum commissorum. Quid enim aliud significant verba ista: *Laboravi in gemitu meo*, &c. 651

Quintò, juxta Tridentinum sess. 6. c. 6. peccator ad justificationem disponitur per fidem, spem, Dei dilectionem, & inde conceptum peccati odium. Ista proinde omnia peccator à Deo obtinere debet, ut justificetur. Quæ cùm magna sint Dei dona, Deus ea concedere non solet, magno saltem peccatori; nisi multùm oranti, roganti, laboranti, per pœnalia pœnitentiæ opera, uti probabitur §. 18. 652

Sextò, juxta idem Tridentinum ibid. c. 13. vel ipse justus cum timore & tremore salutem suam operari debet *in laboribus, in vigiliis, in orationibus, in jejuniis* &c. ut justitiam acceptam conservet. Atqui nihil minus requiritur ad recuperandam justitiam perditam, quàm ad conservandam justitiam habitam, uti probabitur §. 19. & 20. 653

Septimò, rationes quibus Tridentinum sess. 14. c. 8. probat necessitatem laboriosæ satisfactionis pro pœna temporali, quæ solvenda superest culpâ remissâ, æquè, imò fortiùs probant necessitatem laboriosæ pœnitentiæ ad obtinendam remissionem culpæ mortalis, pœnæque æternæ. Confer quæ dicturi sumus n. 660. 654

§. X.

Nona probatio ex eo quòd hæretici novissimorum temporum, Lutherani, Calviniſtæ, &c. calumniati ſint Eccleſiam modernam, quaſi, ſuâ de laborioſorum pœnitentiæ operum neceſſitate doctrinâ, ſentiret quòd peccator non juſtificetur gratis.

655 ISTam hæreticorum calumniam teſtantur ac refellunt Petrus Soto, lect. 11. & alii Catholici Doctores §. ſequenti referendi. Iſtius verò calumniæ umbra nulla fuiſſet, ſi Eccleſiæ doctrina tunc non fuiſſet, magnum ſaltem peccatorem ad juſtificationem, per opera illa, ordinariè diſponi debere. Unde hoc non negat, ſed tacitè admittit Tridentinum, dum calumniam illam refutat ſeſſ. 6. c. 8. ſolùm negans opera illa eſſe meritoria juſtificationis. Quia, ut ait, *nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promereatur*, merito ſcilicet propriè dicto, ſeu condigno, cui præmium, non modò congruum, ſed & debitum ſit; quod ſolùm impedit gratuitam juſtificationem. *Catholici* (inquit Bellarminus l. 1. de pœnit. c. 5.) *non docent contritione, ſeu aliis pœnitentiæ operibus, nos emereri remiſſionem peccatorum. Audiunt enim Catholici omnes Tridentinam Synodum, diſertis verbis concionantem: nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, mereri gratiam juſtificationis; & ideò gratis per Chriſtum homines juſtificari. Itaque contritionem, diſpoſitionem eſſe volunt Catholici, non meritum remiſſionis peccatorum.* Similiter Stapletonus in Promptuar. Cathol. in feſto S. M. Magd. §. 1. *Hæc pœnitentiæ pars, quam contritionem Catholici vocant, remiſſionem peccatorum præcedit, non ut cauſa meritoria, & efficiens, ſed ut neceſſaria diſpoſitio. Hæc autem explicatio non eſt importuna, propter hæreticos, qui calumniantur doctrinam hac in parte Catholicam, quaſi has prævias remiſſionis peccatorum partes ita docèremus, ut vi ac virtute & merito earum Deum nobis peccata remittere aſſeramus.*

656 Erravit proinde cum hæreticis junior quidam Caſuiſta, cumque ipſo Doctor Martin, dum in Apologia pro praxi communi pœnitentiæ p. 86. contra neceſſitatem laborioſorum pœnitentiæ operum objecit, quòd ſi opera illa neceſſaria forent ad remiſſionem mortalis culpæ, pœnæque æternæ, remiſſio illa non fieret per virtutem Sacramenti ex opere operato, ſed per virtutem ac meritum operum illorum ex opere operantis. Quia ſicut error eſt id putare de neceſſitate contritionis; ita & id putare de neceſſitate operum illorum. Horum proinde neceſſitas pœnitentiæ Sacramentum haud magis deſtruit, quàm neceſſitas contritionis. Nec certè Sacramentum iſtud Eccleſia deſtruxit, dum opera illa per tot ſæcula requiſivit.

§. XI.

Decima probatio ex eo quòd doctrinam de neceſſitate laborioſorum pœnitentiæ operum, velut fidei, Eccleſiæque Catholicæ, etiam modernæ, doctrinam, unanimi conſenſu tradant fidei adverſus Lutherum & Calvinum defenſores.

657 MAximi profectò ponderis apud ſenſatos eſſe debet argumentum ab unanimi tantorum virorum conſenſu petitum; utpote quos elegit Deus, ut fidem Catholicam, Eccleſiæque Catholicæ doctrinam, hac ipſa in cauſa, contra hæreticos eam impugnantes tuerentur; quique proinde ad hoc à Deo electi & deſtinati, Eccleſiæ (etiam modernæ) ea in re ſenſum quàm optimè intellexerunt, nobiliſſimiſque ſcriptis ſuis nobis declararunt.

658 Quòd autem fidei & Eccleſiæ Pugiles doctrinam illam, velut fidei & Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, unanimi conſenſu tradiderint, luculentè demonſtrat eruditiſſimus Obſtratius, in libro cui titulus: *Doctrina de laborioſo baptiſmo aſſerta*, adductis perſpicuis teſtimoniis Ruardi Tapperi, Petri Soto, Lindani, Heſſelii, Raveſtenii, Lenſæi, Haræi, Caniſii, Alberti Pighii, Gerardi Billichii Carmelitæ, Conrardi Clingii, Franciſci Panigarolæ, Eſtii, Bellarmini, Maldonati, quibus addi poſſunt Joannes à Daventria, aliique plures Controverſiſtæ.

Porrò ad iſtius veritatis evidentiam duplicis ge- 659
neris opera Catholici illi Pugiles diſtinxerunt, præparatoria utique, & ſatisfactoria. Præparatoria culpæ remiſſionem juſtificationemque præcedunt; ſatisfactoria ſubſequuntur. Non eſt iſta diſtinctio nova. A multis ſæculis Guilielmus Pariſienſis meminit operum præparatoriorum, nempe jejuniorum, diſciplinarum, orationum & oblationum; quibus gratiam quærunt qui nondum acceperunt, uti vidimus n. 163. Georgius Caſſander ad art. 6. de bonis operibus fidelium, triplicis generis opera diſtinguit. Primò juſtificatorum. Secundò impiorum ac infidelium. Tertiò eorum qui jam aliquâ cognitione peccati compuncti ſunt, & ſemina quædam ac initia conceperunt, nondum tamen plenam juſtificationem & gratiam conſecuti. Quæ OPERA PRÆPARATORIA VOCARI SOLENT. De quibus ait, quòd OMNES AGNOSCUNT, opera ejuſmodi eſſe dona Dei per Spiritum ſanctum, quibus ipſe eorum quos juſtificare conſtituit, animos movet, diſponit & PRÆPARAT [illegible] ad hanc juſtificationis gratiam conſequendam: exemplificans in Cornelio, de quo Auguſtinus de prædeſt. ſanct. cap. 1. Tapperus quoque tomo 1. explicationis Articulor. Facultatis Lovanienſis pag. 245. varia eſſe dicit opera pœnitentiæ: *Quædam enim præcedunt juſtificationem, quibus ad eam* PRÆPARAMUR, *& Deus ad facilius reconciliandum provocatur.... De quibus operibus plerumque loquuntur Sancti, quando hortantur ad pœnitentiam... Hujuſmodi enim operibus ſuos electos gratiâ præveniente ad veram pœnitentiam & peccatorum remiſſionem Deus præparat... Alia ſunt opera juſtificationem etiam tempore ſequentia, quando culpa mortalis ac pœna æterna ſunt condonata. De quibus ſolis loquitur art. ſextus* Facultatis Lovanienſis, dicens, quòd *ſatisfactio eſt perſolutio pœnæ plerumque adhuc debitæ, remiſſâ jam culpâ.* Et ideò opera hujuſmodi ſatisfactoria vocantur. Et de iis ſolis Scholaſtici loqui ſolent, dum de ſatisfactione agunt: quia (ut Maldonatus ait cap. 2. de ſatisfact.) *de ſatisfactione pro culpa Theologi Scholaſtici nullam faciunt mentionem; quin imò putant fieri non poſſe ab homine peccatore; eò quòd duo præcipuè in ſatisfactione requiruntur* (inquit Catechiſmus Romanus de Sacram. Pœnit. n. 103.) *primum, ut is qui ſatisfacit, juſtus ſit & amicus Dei*, &c.

Doctrinam itaque, quæ aſſerit, pœnitentiæ opera 660
præparatoria, etiam externa, orationes, jejunia, eleëmoſynas, ſeu alia ejuſmodi, ad impetrandam plenam converſionem, eâque mediante culpæ ac pœnæ æternæ remiſſionem, magnis ſaltem peccatoribus, maximè conſuetudinariis, facilèque, citò, ac frequenter relabentibus, ordinariè eſſe neceſſaria, velut Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, à Patribus omnibus traditam, Catholicæ fidei defenſores adverſus hæreticos unanimiter propugnaſſe, allegatis ipſorum verbis Obſtratius demonſtrat ubi ſuprà.

Tapperus namque apud ipſum loco citato pag. 661
46. operum illorum præparatoriorum neceſſitatem probat ex Jona, Joële, & frequenti Patrum doctrina: probat & ratione: " Nam jejuniis, eleëmoſynis, & orationibus Deum placari in ſuperioribus oſtenſum eſt. Hujuſmodi enim operibus " ſuos electos gratiâ præveniente ad veram pœnitentiam, & peccatorum remiſſionem Deus " præparat; quæ tamen omnia uſque ad Spiritus " ſancti inhabitantis adventum pro peccatis per " juſtitiam

„ justitiam non satisfaciunt : inclinant tamen Dei „ Patris clementiam, ut propter Filium misercatur, & in gratiam recipiat.... efficax namque „ odium peccati omnia hæc operantur. Qui verò se non afflixerit (inquit pag. 275.) post gravem culpam admissam, ut Deum sibi propitium reddat, meritò timere debet, quòd non verè, nec satis pro dignitate peccatum suum odiat ac detestetur : nam sicut charitas operatur magna, si inest, potentiaque & opportunitas non deest ; & si operari (tunc) renuit, charitas non est : ita & pœnitentia.

662 „ Sed & insinuant SS. Patres (ait pag. 231.) „ non esse veram pœnitentiam, per quam in Dei „ gratiam revertimur, nisi tantum fuerit odium „ peccati, ut in nobis ipsis ipsum vindicemus, „ pro quantitate & magnitudine culpæ laboriosa „ & pœnalia opera sustinendo.

663 Denique pag. 264. velut absurdam, & manifestissimis Scripturarum testimoniis contrariam rejicit Calvini sententiam : " non enim sustinet, „ quòd precibus, lachrymis, jejuniis, & aliis hujusmodi pœnitentiæ operationibus nos ad Dei „ gratiam nobis conciliandam præparemus.... „ contra manifestissima Scripturarum testimonia: „ dicit enim Dominus ad Joëlem : *Convertimini „ ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, „ & planctu.* Similiter apud Jonam Prophetam, „ & Evangelia, commendant pœnitentiam quæ „ fit in cinere & cilicio. *Quam magna* (inquit „ Cyprianus) *deliquimus, tam granditer deflea„ mus.... Putasne facilè eum misereri tui, quem „ tuum non esse dixisti ? Orare oportet impensiùs, „ diem luctu transigere, vigilias noctes & fletibus „ insomnes ducere, in cilicio & sordibus volutari, „ justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur.*

664 Cum Confessionem Lutheranam Ducis Wittembergensis Legati ipsius 24. Januarii 1562. Concilio Tridentino obtulissent, quâ bonis operibus ad expiationem peccatorum, & placationem divinæ iræ, & meritum vitæ æternæ negabatur consulendum, negabatur & orationis ac jejunii utilitas ac necessitas ad placandum Deum, ab ipsoque obtinendam remissionem peccatorum. Petrus Soto à Concilio delectus fuit ad Catholicam Confessionem Lutheranæ illi opponendam, fidemque Ecclesiæ tuendam, quod cum plausu Concilii sequentibus præstitit articulis. " Primò sentiendum.... „ juxta Ecclesiæ Catholicæ hunc sensum, bonis „ operibus, quæ ex divina gratia fiunt, ita esse fi„ dendum, ut & ad expianda peccata, iram Dei „ placandam, & vitam æternam consequendam „ necessaria sint. Secundò, non solùm exigitur „ oratio in Scriptura, ut excitetur fides (uti di„ cebat Lutherana Confessio) sed etiam ut re„ missionem obtineat, & post remissionem satis„ faciat residuæ pœnæ. Tertiò, jejunium non „ solùm ad carnem subjiciendam spiritui, sed ad „ placandum etiam Deum, satisfaciendumque „ ipsi etiam pro peccatis, & Christi meritum no„ bis.... applicandum, necessarium esse, Ni„ nivitarum exemplum ostendit, & Catholici Pa„ tres docent. " Quibus verbis apertissimè docet, opera bona, orationem & jejunium necessaria esse, non solùm ad delendam pœnam temporalem, quæ residua est post culpam remissam, sed & ad iram Dei placandam, & ut remissio peccatorum obtineatur : & hunc esse *Ecclesiæ Catholicæ sensum*, & hoc docere Patres Catholicos. Unde in Institut. Sacerd. lect. 8. docet, pœnitentiam & actus ejus quandoque unico citissimo & subito actu fieri, & hoc quidem rariùs, ut in Latrone & Paulo : cæterùm communiùs sensim, paulatim & successivè fiunt in peccatorum conversione. Hoc agente nostrâ erga divina tarditate & pigritiâ, aut nimio ad peccata & nosipsos affectu. Et lect. 17. curandum Doctoribus ut hanc periculosam persuasionem tollant.... quâ levissimum, imò ferè nullum putatur negotium esse, verè pœnitere ; cùm tamen & maximum & arduum reputetur à Patribus, nec unius horulæ, aut momenti, sed magnæ certè partis vitæ, aut totius. Et de remediis pecc. lect. 5. necessariam esse docet sequestrationem pœnitentium à Sacramentorum participatione, modò satisfactionibus condignis interim præparentur. Hæc enim sunt fructus digni pœnitentiæ, quos petit Dominus. Et ut dixit lect. 16. de contritione; *duo necessaria sunt ad veritatem pœnitentiæ, sicut & charitatis.... Primum, ut non otiosa sit, sed in opera convenientia prorumpat*, per ea sumendo de peccatis commissis vindictam. *Sicut enim Joannes dicit : non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate ; ita & nos dicamus : non pœniteat nos verbo, nec linguâ. Ubi adverte duo posita esse quæ diximus. Primum, opus externum, in quod videlicet charitas & pœnitentia prorumpunt*, quo utique de peccatis vindicta sumitur. *Secundum, veritas, quæ ad ipsa interiora cordis pertinet, ut videlicet erga Deum & peccatum, ut illa digna sunt, se habeat cor nostrum.*

Guilielmus Lindanus, ex Doctore Lovaniensi 665
Episcopus Ruremundensis, deinde Gandavensis, *vir doctissimus, profligator hæreticorum, & norma Orthodoxorum Antistitum* (inquit Baronius ad annum 440.) qui *exilia, proscriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes penè frequentes, inconcusso robore fidei causâ sustinuit* (ut addit in Martyrol. ad 23. Septembris) in Apologetico contra Lutherum cap. 12. defendit Catholicam Petri Soto Confessionem, de necessitate operum *ad expianda peccata, iram Dei placandam, & vitam æternam consequendam*, eamque *perpetuo Patrum Orthodoxorum consensu confirmatam* asserit. Et *ita sentiendum esse juxta Ecclesiæ Catholicæ sensum.* Et tom. 2. pag. 77. dicit, quòd externa pœnitentiæ opera, dum *ab improbis & rebellibus fidelibus fiunt, nihil merentur quidem ; sunt tamen ad recuperandam Dei opt. gratiam peccatis dudum amissam necessaria, sicuti præclarum Corinthii illius Paulini discipuli* (*traditi Sathanæ in interitum carnis*) *Doctoris & Sacerdotis exemplum abundè contestatur.*

Ravestenius in confutatione Confessionis Mini- 666
strorum, qui in Antuerpiensem irrepserant Ecclesiam, pag. 45. *Manifestissimum est quòd promissiones de justificatione, reconciliatione, & gratia Dei requirant conditiones quasdam à credentibus ; utpote pœnitentiæ, orationis, operum misericordiæ, humilis susceptionis Sacramentorum, ut bona promissa possint consequi.*

Et in Apologia contra Illiricum pag. 211. *Sen-* 667
tit Illiricus, quidquid præter fidem adhibetur ad justificationem obtinendam à Deo, nec medium esse apprehendendi eam, nec ad eam consequendam necessarium, sed refutant impiam ejus & blasphemam sententiam manifestissima Scripturarum testimonia, quæ perspicuè docent opera misericordiæ media esse... acquirendæ reconciliationis & justificationis, atque adeò etiam necessaria..... Obsecro te, Christiane Lector, quid possit magis impium, ac detestandum adferri, quàm quòd labores pœnitentiæ negentur vel media consequendæ salutis, vel ad consequendam salutem necessaria, cùm pœnitentiæ labores, & Scripturarum authoritas, & tota Patrum antiquitas, tantoperè fidelibus commendent ut media quædam necessaria ad salutem consequendam, vel imprimis commendantes & requirentes.

Joannes à Daventria in articulum 4. Confes- 668
sionis Augustanæ, docet, quòd *ad peccatorum remissionem, nostrique justificationem.... bona opera necessaria sint, quòdque si hoc negent Lutherani, errant.... struuntque rudi plebeculæ laqueum, quo*

in suum ipsorum pertrahantur interitum.

669 Per bona verò opera illa, ab ipso intelligi laboriosa pœnitentiæ opera, pag. 40. manifestat, dicens: *Illa fides nimirùm justificat impium, quâ non tantùm credit peccatorum remissivem, verùm quâ toto conatur pectore, quâ manibus pedibusque nititur, ut laborem absolvat, quem Deus voluit peccatorem subire.... voluntas autem Patris est, ut tu peccatis valedicens, pœnitentiæ te exercitatione per fidem talem exhibeas, qui peccatorum à Deo mereatis remissionem accipere.* Nam, ut in impugnatione art. 12. dicit, *verè pœnitent, veræ pœnitentiæ fructus parere debet, jejunare, orare, eleemosynas facere, propter gloriam & mandatum Dei, uti tenet Ecclesia, & docent Catholici,* & (ut proximè antè dixit) *nonnulli jam heterodoxi, quod tam pertinaciter negarunt hactenus, nunc, vel nolentes, veritatis evidentiâ convicti, cum Theologis apertè docent, licèt adhuc persistentes negare necessitatem satisfactionis pro pœna temporali solvenda, culpâ dimissâ. Quæ causa fortè fuit Concilio Tridentino magis expressè tractandi de necessitate satisfactionis pro pœna temporali, quàm de necessitate operum præparatoriorum.*

670 Hesselius in Catechismo p. 2. c. 8. describens varios gradus, per quos Deus peccatorem ad justificationem perducit: *Peccator*, inquit, *spe erectus in Christum, audet à Deo peccatorum veniam postulare. Ac deinde cognoscit ex Scripturis, Deum nolle misereri, nisi misericordibus, quapropter incipit nonnullam facere misericordiam, dimittens saltem in se peccantibus. Discit præterea à pœnitentibus requirere mortificationem carnis, adeòque jejunat, ut potest, & carnem nonnihil castigat. Atque hæc est ordinaria via ad obtinendam remissionem peccatorum, prout Scriptura nos docet.* Cap. 10. ostendit, mortem Christi *paratam esse omnibus medicinam, sed iis qui ex animo pœnitentes, crebris orationibus & lachrymis invocant Christum.... neque ullum regulariter anteà justificat, quàm hæc omnia diligenter expleverit.*

671 Idem in confutatione novitiæ fidei, tamquam dogma Catholicum tradit, peccatorem regulariter per laboriosa pœnitentiæ opera ad justificationem præparari, atque ex Patribus cap. 20. & 21. demonstrat, *Deum peccatoribus non illicò placari, sed continuis operibus justis ad veniam flectendum... Deum, naturâ propriâ clementem, velle misereri nostri, & ignoscere peccata nostra, si nos ejus visceribus viam aperiamus in nobis, non quidem solâ fide.... sed derelinquendo viam nostram pravam, flendo & jejunando, atque orando more Ninivitarum. Hæc* (inquit) *certum & indubitatum Dei verbum.*

672 Haræus ad hæc verba Isaiæ 43. 25. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates vestras, propter me*, „ inferunt hæretici: ergo non requiruntur pœni„ tentiæ opera ad remissionem peccatorum impe„ trandam. Sed respondeo, sicut necesse est ho„ minem fide præparari ad consequendam pecca„ torum veniam, etiam secundùm hæreticos; „ ita & pœnitentiæ opera prærequiruntur, non „ tamquam meritoria remissionis peccatorum, aut „ justificationis, sed tamquam præparatoria. Et „ hoc est quod Concilium Tridentinum definivit „ sess. 6. c. 8.

673 Estius ibidem hoc ipsum iisdem penè verbis tradit. Nec dubium, quin utrique id de iis pœnitentiæ operibus intelligat, quæ ab hæreticis negabantur ad finem illum necessaria, v. g. à Calvino apud Tapperum suprà, non sustinente quòd precibus, lachrymis, jejuniis, & aliis hujusmodi pœnitentiæ operibus, nos ad Dei gratiam nobis conciliandam præparemus. Quia putabat hæc adversari sufficientiæ satisfactionis Christi. Ad quod Estius in 4. dist. 15. §. 10. respondet, satisfactionem Christi per se sufficientissimam esse ad tollendam pœnam æternam & temporalem; sed divinitùs sic ordinatum, ut illa nobis non applicetur, nequidem ad solutionem pœnæ æternæ, nec proinde mortalis culpæ, nisi & ipsi per opera quædam pœnalia Christo compatiamur.

Albertus Pighius controversiâ secundâ de fide 674
& justificatione: " Non hæc rectè damnant Lu„ therani in Anabaptistis, & in aliis, quòd sen„ tiunt Spiritum sanctum nobis dari per nostras „ præparationes & opera.... quid enim aliud in „ universa Scriptura Deus exigit à nobis? Præ„ quirit ergo illa in nobis opera, quibus tales red„ dimur (averti utique à via veteri, humiliari, „ contriti corde, cum sollicito timore mandatis „ ejus obsequentes) velut præparationes quas„ dam ad justificationem. Unde controversiâ 9. „ de pœnit. concludit, non esse rem tam levem, „ tam facilem, tamque perfunctoriè agendam, „ (quàm vulgò creditur) pœnitudinem, per quam „ Deo reconciliari credimus; imò ex toto corde „ nobis quærendam salutem nostram ubique cla„ mat divina Scriptura, & sancti Patres nos „ commonefaciunt. "

At videbor (dixerat controversiâ secundâ) 675
arctiorem, quàm sit, salutis viam facere. At " Christus ipse testis est, arctam esse viam quæ " ducit ad vitam.... nec invenïri, nisi à paucis. " Proinde & nobis, ne in ea aberremus... magno„ perè & metuendum, & cavendum est. Ego " certè qualem à Christo & Apostolis doceri " video, talem & explicare conatus sum pro vi„ ribus, nihil de meo addens, nihil detrahens. "

Conradus Clingius in locis communibus præ- 676
cipua fidei Catholicæ capita, quæ anteà verbo prædicaverat, juxta formam ac morem (ut ipse testatur) Catholicæ Ecclesiæ, scripto etiam asserens libro 22. hæreticam propositionem, *Sola fides justificat, & salvat*, sic refellit: " ut promissio & „ verbum Dei non creditur & apprehenditur sine " fide; ita nec sine labore.... promissio Dei ad " quo respicit, primò ad fidem.... secundò ad " opus, cui promissio fit.... est promissio divina " pro oratione, eleemosynis, jejunio.... remis„ sio peccatorum & vita æterna; sed rem harum " promissionum non apprehendit sola fides, nisi " fidei adjunctum sit opus. " Et cap. 3. " Pro„ missio remissionis peccatorum non soli fidei, " nec solis pœnitentiæ operibus, sed utrisque " simul promissa est. " Et cap. 5. " in secunda " redemptione & liberatione à peccatis (post bap„ tismum commissis) exiguntur illa media, sine " quibus Christi sanguis non distribuitur, id est " sine pœnitentia, oratione, jejunio, eleemosyna, " &c. & non solum sufficit ingemiscere pro pec„ catis, quia & de qui fructus exiguntur Matth. 3. "

Franciscus Panigarole in lect. Catholic. super 677
Eccles. dogmat. p. 2. lect. 11. contra Calvinum sic habet: " Dixi vobis Deum... nunquam nos „ justificare sine operibus pœnitentiæ... tria ope„ rum genera reperiuntur in nobis, vel opera " nostra considerare possumus tripliciter: scilicet " vel ut dispositiva, vel ut meritoria, vel ut sa„ tisfactoria. Priusquàm sumus in gratia, opera " nostra quoad gratiam dispositiva sunt, seu præ„ paratoria: postquam sumus in gratia, opera " nostra quoad pœnam temporalem, quæ residua " est, satisfactoria sunt, & quoad gloriam me„ ritoria... Non dicimus opera pœnitentiæ mereri " nobis primam gratiam, sed ad illam nos dispo„ nere, ideòque sine illis operibus de potentia or„ dinaria, nunquam fore, ut Deus nos justificet. " Exempli gratiâ, potestne quis mereri infusio„ nem animæ, quam Deus corpori infundit? Vos " ô matres! postquam concepistis infantem.... " potestisne mereri ut Deus illi immittat animam "

„ rationalem? certè non; neque enim mereri
„ possumus rem tam grandem... & tamen verum
„ est, Deum non immittere animam, nisi in ute-
„ ro matris organizatus sit embrio; & ubi primùm
„ organizatus est, Deum illi mox animam ratio-
„ nalem infundere, nec unquam meremur per opera
„ pœnitentiæ, sed ita nos per ea opera disponi-
„ mus, ut ubi illa veræ fidei jungimus, Deus nos
„ semper justificet... Hanc ob causam opus non
„ est, Calvine, ut ita labores in allegandis nobis
„ authoritatibus, quæ ostendunt remissionem pec-
„ catorum dari per gratiam: nam & nos id dici-
„ mus. Verùm cùm addis, si datur per gratiam,
„ opera pœnitentiæ nec utilia sunt, nec necessa-
678 „ ria. Respondemus, opera necessaria non esse
„ ad gratiam promerendam, sed Deum ea velle,
„ ut per ea nos ad gratiam disponamus.... Quid
„ proficis, Calvine, dum tot authoritates impor-
„ tunè allegas; omnes quidem probant.... pri-
„ mam justificationem nobis dari per Dei mise-
„ ricordiam, & non per nostra merita; sed nulla
„ ex eis probat (quod probari non potest) nimi-
„ rùm Deum post fidem, non velle etiam opera
„ pœnitentiæ, tamquam dispondentia, antequam
„ nos justificet. Quare adhæreamus *doctrinæ Ca-*
„ *tholicæ*, quæ utique tradit velle Deum opera
„ pœnitentiæ, tamquam dispondentia (ordinariè
„ loquendo) priusquàm nos justificet." Opera,
inquam, pœnitentiæ, quæ Calvinus negabat ad jus-
tificationem necessaria, non sustinens quòd pre-
cibus, lachrymis, jejuniis, &c. nos ad Dei gra-
tiam nobis conciliandam præparemus, ut suprà
n. 185.

Bellarminum, istis omnibus concinentem, da-
bimus §. seq.

§. XII.

Undecima probatio ex eo quòd istum esse Ecclesiæ modernæ sensum nos doceant ejusdem Ecclesiæ Proceres, gravissimi scilicet Cardinales, & Episcopi complures, in suis Institutionibus, Epistolisque Pastoralibus.

679 CArdinalis namque Bellarminus conc. 8. Dom. 4. Adventûs hæc habet verba observatione dignissima. " Duo baptismata Deus instituit, u-
„ num aquæ frigidæ... alterum aquæ ferventis.
„ Percipite, quæso, rem istam. Hoc enim est ca-
„ put præcipuum totius controversiæ inter Catho-
„ licos & Lutheranos. Priori baptizantur qui ve-
„ niunt ex infidelitate; posteriori, qui post bap-
„ tismum lapsi sunt, hoc est, inquit, Sacramen-
„ tum Pœnitentiæ (Auditores) baptismus est la-
„ borioſus, baptismus lachrymarum, balneum
„ aquæ ferventis, quod requirit gemitus, contri-
„ tionem, lamenta, fructus dignos pœnitentiæ,
„ preces, jejunia, eleëmosynas, & alia id genus
„ opera, *prout Ecclesia Catholica tenet, & sem-*
„ *per Patres docuerunt..... Ipse etiam Spiritus*
„ *sanctus in Scripturis sanctis.* Quare (Auditores
„ optimi) si bonam, si unicam, si salutarem con-
„ fessionem facere vultis, si verè cum Deo in gra-
„ tiam redire.... balneum istud calidum magno
„ animo ingredi debetis, & primùm diù, & mul-
„ tùm in amaritudine animæ peccata abluere,
„ tum Sacerdotem probum & eruditum adire.
Verba ista clara sunt, non indigent commentario. Habent inde Juniores (quibuscum disputamus) quòd timeant nimium suum cum hæreticis con-sensum, atque ab Ecclesia Catholica, à Patribus omnibus, & à Spiritu sancto in Scripturis sanctis dissensum. Cùm balneum istud lachrymarum, la-mentorum, fructuum dignorum pœnitentiæ, pre-cum, jejuniorum, eleëmosynarum, ingredi adeò necessarium Bellarminus ex istimet lapsis post bap-tismum, si salutarem confessionem facere, cum-que Deo in gratiam, per culpæ & pœnæ æternæ remissionem, redire velint, ut dicere non dubitet, quòd hoc *Ecclesia Catholica tenet*; quòd *sic sem-per Patres docuerunt*; *ipse etiam Spiritus sanctus in Scripturis sanctis.* An non ergo pudor est do-ctrinam istam exoticam vocare, prout Juniores illi vocant, nescientes quid dicant, neque quid lo-quantur.

Verba illa Bellarmini plurimùm laudat Cardi-nalis Aguirius differt. 8. in can. 11. & 12. Concilii Tolet. III. excursu 2. cùmque ipso n. 148. & 149. " inhærentes " (inquit) " non modò 680
Conciliis, Canonibus & Patribus, nec solùm "
gravissimis Cardinalibus, Episcopis & Theolo- "
gis horum temporum, sed & rationi manifestæ, "
fundatæ in doctrina fidei, & experimento fre- "
quenti, dicimus, maximè oportere, ut gra- "
vium peccatorum rei, præsertim relapsi, ante- "
quam confiteantur, vel ut minimùm ante- "
quam absolvantur, præmittant aliquanto tem- "
pore, juxta numerum, & gravitatem scelerum, "
fructus dignos pœnitentiæ, exterioris, interio- "
risque.... licèt enim Deus potentiâ absolutâ... "
possit hominem, gravium scelerum reum, su- "
bitò ad ingentem contritionem movere efficaci- "
ter, & perfectè ad se convertere; nihilominùs "
juxta cursum ordinarium, ea insignia & præstan- "
tissima dona non largitur subitò, sed gradatim, "
ac mediâ impetratione, factâ per opera pœ- "
nalia, in oratione, eleëmosyna, jejunio, & "
fletu, & planctu, aliisque mortificationibus cor- "
poris & animæ. Per eos actus divino auxilio "
exhibitos paulatim impetrat peccator... contri- "
tionem in eo gradu doloris ac detestationis de "
peccatis, ut simul cum Sacramento Pœniten- "
tiæ... sufficiat ad impetrandam peccatorum ve- "
niam. In ea mutatione cordis ab uno ad aliud "
extremum, & successione actuum salutarium, "
impenditur, & impendi abs dubio debet, juxta "
communem rerum cursum, aliquantum tem- "
poris, veluti (ut minimùm) nonnullæ hebdo- "
madæ, vel saltem aliquot dies. Nec tamen pro "
omnibus idem tempus exigi debet (ut ait n. "
158.) nec requirendæ satisfactiones æquè pœ- "
nales, pro inæqualibus peccatis, secundùm gra- "
vitatem & numerum. "

Excursu verò primo n. 133. eos vehementi in- " 681
vectivâ perstrinxerat, qui non modò in aliquod "
mortale, sed in varia, aut plurima lapsi, vix "
jejunio aliquo, austeritate, fletu aut planctu "
præmisso, accedentes ad confitendum, statim "
absolvi volunt, & mitti ad Communionem. "
Quòd si Sacerdos pius, doctus & versatus in "
disciplina Ecclesiastica, ac sacris Canonibus, "
illos hortetur ad jejunandum, plangendum & "
orandum, non dico integris annis, non men- "
sibus, sed aliquot hebdomadis, aut saltem die- "
bus antequam absolvantur, ut veram de peccatis "
contritionem, & totius cordis conversionem "
impetrent.... videbis illos impatienter omninò "
id ferre, & vociferari adversus Sacerdotes ejus- "
modi, eosque incusare velut crudeles & carni- "
fices conscientiarum. " Quid de iis sapientissimus
Cardinalis? " Hoc novo injustissimæ accusatio- "
nis & criminationis scelere (audiant Juniores "
suprà dicti) longè iniquiores effecti, adeunt "
quempiam alium Sacerdotem, ignarum, re- "
missum, palponem, aut nullius zeli circa dis- "
ciplinam Ecclesiasticam, & absque ulla contri- "
tione de novo scelere commisso, ac de aliis "
præcedentibus, levi satisfactione impositâ, sta- "
tim assequuntur, aut extorquent ab eo præpro- "
peram absolutionem, & intempestivam Com- "
munionem, utramque ingenti dantis & acci- "
pientis damno. "

Audiamus S. Cyprianum aureo libro illo de " 682

„ lapsis..... clamantem adversus ejusmodi pœni-
„ tentes..... Brevius, nec minùs opportunè S.
„ Ambrosius lib. 2. de pœnit. c. 9..... Quid di-
„ ceret Ambrosius, quid etiam Cyprianus de ple-
„ risque falsis pœnitentibus nostri ævi, qui adeò
„ imparati, adeò indispositi, adeò nullis veræ
„ pœnitentiæ fructibus exercitati, confitentur sce-
„ lerum multitudinem, ita ut absolutionem non
„ patiantur sibi differri per aliquod tempus, nec
„ interea præscribi opera aliquot pœnalia, quibus
„ à Deo impetrent veram totius cordis contritio-
„ nem, & convenientem dispositionem ad veniam
„ assequendam? Hos sanè divino spiritu repre-
„ hendit Chrysostomus hom. 31. de S. Philogono
„ circa finem longâ increpatione, sed præsertim
„ hisce verbis.... Adhortor vos omnes ne negli-
„ genter, veluti festo die cogente, ad divina my-
„ steria accedatis; sed siquando parabitis hujus
„ sacræ hostiæ fieri participes, multis antè diebus
„ repurgetis vosmetipsos per pœnitentiam, preca-
„ tionem, & eleëmosynam, denique per hoc ut
„ vacetis spiritualibus, nec denuò convertamini,
„ canis in morem, ad vomitum. Sed quid opus
„ est ad antiquos Patres recurrere in re adeò
„ manifesta omnibus iis pœnitentibus & Sacerdo-
„ tibus, qui stupore quodam, aut ignorantiâ ex-
„ tremâ, non amiserunt communem sensum.
Hæc verba benè perpendant iidem Juniores, vi-
delicet Doctor Martin, Desirantius, Sabranus,
&c. sicut & immediatè sequentia. " Sanè doctis-
„ simus & piissimus Cardinalis Bellarminus sæpe-
„ numerò id grande malum nostrorum tempo-
„ rum variis locis lamentatur.

683 Cardinalis Denhoff anno 1696. non minori zelo, nec sapientiâ, Instructionem edidit Pastoralem de Sacram. Pœnit. in qua §. 3. Edit. Lovan. anni 1701. sic habet: " Tertiò pœnitentes ante con-
„ fessionem in eo peccant, quòd dolorem con-
„ tritionis differant ad illud usque tempus, quo
„ coram Sacerdote procumbunt. Quippe difficili-
„ oris, quàm vulgò creditur, negotii est sincera
„ ad Deum conversio, post vitam aliquamdiù in
„ peccato mortifero, præsertim in prava consue-
„ tudine peractam. Nam tria quædam prorsus hîc
„ simul requiruntur, 1°. sincera detestatio om-
„ nium delictorum, mortem animæ inferentium,
„ quæ voluntatem his conglutinatam ita abrum-
„ pat, ut ne vel ullum jam amplius velit. 2°.
„ firmum mentis propositum ea deinceps evitan-
„ di: quæ propositi firmitudo hoc omninò habet
„ adjunctum, ut quæ ad finem hunc obtinen-
„ dum apta sunt, iedulò sibi paret, & adhibenda
„ curet. 3°. animi promptitudo, quâ paratus
„ sit ad placandum, uti par est, Deum offensum,
„ cum pœnitentia peccatis adaptata. Unde liquet
„ fieri vix posse, ut lapsi, culpæ mortiferæ rei,
„ per istas temporis angustias, ea omnia in ani-
„ mo, quæ recensuimus, rite disponant: nisi mi-
„ raculo quodam ejusmodi adsint gratiæ auxilia,
„ quæ exiguo temporis momento, quod beato
„ latroni contigit, conversionem operentur. Quod
„ quidem ita esse, sancti Patres perspectum ha-
„ buere, à quibus pœnitentia laboriosus baptismus
„ fuit appellatus. Hinc Tridentina Synodus, ubi
„ hæc verba commemorat, ait: *nos ad novita-*
„ *tem & integritatem vitæ spiritualis, per Sacra-*
„ *mentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus*
„ *& laboribus, pervenire nequaquam posse.* Qui-
„ bus verbis satis indicat, quid agendum sit his,
„ qui, perdendo gratiam sanctificantem, vitam
„ animæ perdiderunt: nimirum faciendos esse va-
„ rios actus pœnitentiæ, ut se præparent ad impe-
„ tranda à Deo auxilia necessaria, quibus tandem
„ toto pectore ad ipsum convertantur: *divinâ id*
„ *exigente justitiâ*, ut ibid. eadem testatur Syno-
„ dus. Defectu istiusmodi præparationis, quæ fit
per actus pœnitentiæ frequentes, & ad pœni-
tentium necessitudinem accommodatos, id ac-
cidit quod ait S. Ambrosius: *Facilius inveni*
(inquiens) *qui innocentiam servaverint, quàm*
qui congruè egerint pœnitentiam, lib. 11. de Pœ-
nit. cap. 10.

Paragrapho 9. sic prosequitur: " Ex commu- 684
ni doctrina Theologorum, inquit Cardinalis de
Lugo de Sacram. Pœnit. sect. 10. n. 170. po-
test Confessarius aliquando obligare pœniten-
tem ad implendam pœnitentiam ante absolu-
tionem. Quod licèt non possit per modum vin-
dictæ, & punitionis, potest saltem facere per mo-
dum medicinæ, quando judicat id esse necessa-
rium, vel utile pœnitenti: ex eo quòd soleat
facilè omittere postea pœnitens pœnitentias sibi
impositas: vel ut Confessarius certus sit de pœ-
nitentia impleta: vel ob alios fines, ut docent
Suarez, Reginaldus, & alii, quos refert & sequi-
tur Bonacina de Sacram. Pœnit. disput. 5. q. 5.
sect. 3. p. 2. n. 20. "

Inter alios, quos dicit, fines is comprimis 685
adnumerandus est, ut pœnitens eum animi sta-
tum obtineat, quo cum Deo reconciliari possit,
cùm hic proprius sit hujus Sacramenti fructus:
quem statum non solent exiguo temporis spatio
adtingere, qui longâ peccandi consuetudine de-
tinentur. Hinc oportet ut sese præparent preci-
bus humilibus, ac piis operibus, & repetitis acti-
bus virtutum, quæ vitiis dominantibus adver
santur. Id verum esse agnoscit D. Bernardus
serm. de tripl. misericordia, & mirificè rem illu-
strat: sicut sunt peccata minima, sunt mediocria, sunt & magna; sic & apud Deum misericor
dia parva, mediocris & magna. Unde conclu-
dit in hunc modum: *Magnus ergo peccator mag-*
nâ misericordiâ opus habet: ut ubi abundavit
delictum, superabundet & gratia. Idcircò Rex
David, post adulterii flagitium, Deum rogat:
Miserere mei Deus secundùm magnam miseri-
cordiam tuam. Hanc autem misericordiam
magnam non largitur Deus magnis peccatoribus
sine præcedenti luctu gemituque, nec sine mul-
ta pœnitentiæ exercitatione, flagitante hanc
œconomiam justitiâ Dei, ut è Tridentino Con-
cilio sumus edocti. Ad *quam* tamen *novitatem*,
inquiens, *& integritatem per Sacramentum Pœ-*
nitentiæ, sine magnis nostris fletibus & labori-
bus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire ne-
quaquam possumus. Sessione 14. cap. 2. de Pœ-
nit. Et sanè rationi prorsus est consentaneum,
ut ad impetranda à Deo magnæ misericordiæ
beneficia, cujusmodi sunt copiosa gratiæ opi-
tulantis auxilia, quibus omninò & peculiariter
opus est ad conversionem peccatoris, qui diu-
tinâ vitiorum consuetudine languescit, longè
major etiam præcedat apparatus pœnitentiæ,
quàm siquis nuper admodùm in crimen aliquod
infortunio sit prolapsus. "

At præter divinam justitiam, quæ id postulat, 686
ipsa quoque vitia consuetudine adhærentia, quæ
vehementer ad peccandum stimulant, aliquo
planè temporis spatio oppugnanda sunt ante
absolutionem: ut Sacerdos, dum eam impen-
dit pœnitenti, sit morali modo certus hunc es-
se ab illis jam satis liberatum: quod tum de-
mùm credere possit, quum viderit frequentiam
delictorum ex consuetudine profluentium, per
præcedentia pœnitentiæ exercitia, ad hanc rem
idonea, notabiliter esse diminutam. Ad hæc
eandem in administrando munere prudentiam
à Sacerdotibus requirit ipsa reverentia, quæ
debetur gratiæ sanctificanti, quæ principalis est
Sacramenti fructus; quam non decet expo-
proximo periculo expulsionis ex anima illius,
qui propediem in crimen est relapsurus, ut ob

acquisitum

„ acquisitum animi habitum meritò timetur. Ob
„ consimilem rationem Theologi, secundùm di-
„ vum Thomam, communiter docent, baptis-
„ ma non esse dandum prolibus infidelium, tam-
„ etsi gratiæ hujus Sacramenti sint capaces, prop-
„ terea quòd periculum subest, ne ad maturio-
„ rem ætatem provecti, illam profanè dissipent,
„ imitando superstitionem parentum.

687 Ne quis verò existimet Denhoffii doctrinam in solis consuetudinariis inveteratis habere locum, §. 12. sic pergit: " Si recens est consuetudo, „ cùm & hæc tamen veluti funis sit, ex multiplicatis peccandi actibus contortus, qui miserum „ & infelicem reum fortiter ligatum tenet, dicente Psalmographo: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*: etiam hîc consultum erit, ut „ plusculum temporis, quo rumpi possit, illi detur: Ita & docuit, & fecit magnus Indiarum „ Apostolus S. Franciscus Xaverius, ut in vita „ ejus narrat Horatius Turselinus: *Confessionem, „ atebat, non continuò sequetur absolutio; sed biduum triduumvè dabitur eorum pectoribus cer- „ tarum rerum meditatione præparandis: ut interim animarum maculas lachrymis ac voluntariis „ eluant pœnis: siquid cui debent, restituant: si- „ multatibus, siquas habent, depositis, redeant „ cum inimicis in gratiam: à libidinis consuetudine, cæteriquæ quibus impliciti sunt flagitiis „ expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrunt „ rectius, quàm sequuntur.* Lib. 6. cap. 17.

688 „ Quibus confirmat Vir sanctas, quæ nos suprà „ indicavimus, docetque Sacerdotes modum utiliter differendi absolutionem, & utendi cum „ Christiana prudentia utràque potestate, à Domino Jesu Christo traditâ, solvendi nimirum, „ atque ligandi. Nam ligandi verbum, teste Magno Theologo, non tantùm significat non absolvere, sed etiam adstringere pœnitentem ad „ exercenda opera pietatis & resipiscentiæ, quibus „ præparari possit ad absolutionem postea recipiendam. Ita ut ex hujus Doctoris sententia, „ Sacerdotes, qui hoc negligunt, non exercendo „ omnes ministerii sui partes, à mente Summi „ Sacerdotis Jesu Christi aberrent.

689 „ Neque arbitremini exhortationes vestras, „ quæ exiguo tempore inter confitendum cursim „ & velut in transitu fiunt, supplere posse, erga „ homines pravâ consuetudine implicatos, quod „ deest præparationi, quæ per exercitationes pœ- „ nitentiæ præcedere debet: cùm ejusmodi non „ solùm mortui jaceant, sed etiam sub grandi „ perversæ consuetudinis lapide sepulti: adeò ut „ gratiæ auxilio minimè vulgari, & quasi miraculo opus sit, ut è tali profundo subitò eruantur. Cùm autem putandum non sit confitentes „ id auxilium nactos esse, ob subitarum conversionum raritatem, id erit vobis amplectendum, „ quo nec Sacramentum, nec salus pœnitentis „ in periculum veniat: quia præsto sunt remedia „ lege communi adhibenda, nempe ut justum „ temporis spatium pœnitenti adsigneris, quo se „ ad impetrandam absolutionis beneficium præ- „ paret, id agendo quod innuit Concilium Trid. „ sess. 14. de pœnit. c. 2. scilicet ut tempus aliquod „ exigat genitibus ex animi dolore profectis, & „ operibus pœnitentiæ suprà descriptis.

690 „ Denique §. 14. assertam à se doctrinam, cum „ sacris Canonibus, etiam recentioribus, necnon „ cum doctrina Ecclesiæ dicit esse congruentem. Institutiones istæ sapientissimi Cardinalis Denhoffii tam justæ, tam fundatæ, tam discretæ & sapientes, tam conformes spiritui Ecclesiæ modernæ vitæ sunt Eminentiss. Cardinalibus Aguirio & Ursino, ut eas prior, in Hispanicam linguam traductas, sumptibus suis imprimi, per totamque Hispaniam dittrahi fecerit. Posterior easdem quoque ipse, anno 1700. vel 1701. à se adoptatas, jussuque suo reimpressas, per totam Archidiœcesim Beneventanam (cujus est Archiepiscopus) Confessariis observandas jusserit notificari.

Nec prætermittendi duo alii pientissimi sapientissimique Cardinales, scilicet Bona, & Capisuc- 691
chus. Cardinalis namque Bona in litteris ad R. D. J. Roucourt, Plebanum Bruxellensem, Authorem Libelli, cujus inscriptio est, *Manuductio ad pœnitentiam* (in quo Author docet, gratiam conversionis non omnibus peccatoribus tribui, sed ab ipsis pœnibus & piis laboribus à Deo postulandam) lecto Libello isto, Authori ultimâ Martii 1674. rescripsit, " Libellum illum non „ posse displicere, nisi iis, qui à pœnitentia ma- „ximè alieni, non percipiunt quæ sunt Spiritûs „ Dei, à modernaque Ecclesia illorum dumtaxat „ nimium rigorem damnari, qui veteris Ecclesiæ „ erga pœnitentes disciplinam, quæ à multis sæ- „culis in desuetudinem abiit, nunc in usum re- „vocare conantur, quorum indiscretum zelum „ tu quoque non probas." Eminentissimus verò Capisuccus, in Approbatione Theologiæ Moralis egregii (ut vocat) Doctoris Francisci Genet, Episcopi Vasionensis, declarat ipsius doctrinam (quâ assertio nostra continetur) nedum *sanam, solidam, & tutam, sed & ad componendos fidelium mores necessariam.* Eamque latinè versam, sibique dicatam, novis typis imprimi fecit S. D. N. Clemens XI. prout mihi nuntiarunt Litteræ Romanæ de 20. Decembris 1704. Eam verò sibi dicari passus non fuisset Summus Pontifex, si doctrinam contineret à sensu & usu Ecclesiæ modernæ alienam. Non sunt etiam prætermittendæ laudes, quas libro *de frequenti Communione*, eandem pariter doctrinam propugnanti, decerunt quatuor alii Eminentissimi Patres, nempe Cardinalis de S. Clemente, qui doctrinæ illius, *Dei & Ecclesiæ causam* esse dixit: Cardinalis Palotta, quòd *ex doctrina illa Dei gloria, Confessariorum institutio, pœnitentium salus dimanarit*: Cardinalis Caponi, qui dixit, quòd *doctrina illa foret doctrina S. Caroli, quodque pro S. Petri adversarius haberet adversarios ipsius*: Cardinalis de Lugo, qui dixit, *se ex lectis illa doctrina plurimum profecisse, nullosque in eo errores contineri, nisi quos sola passio per consequentias malè deductas confingebat, solaque doctrinæ lectio refellebat*, uti vidimus cap. 2. n. 12.

Denique nec prætermittendum, quòd idem ille 692
liber, *de frequenti Communione*, ad S. Inquisitionem Romanam delatus, immunis ab omni reprehensione (post diuturnum ac districtum examen) non transisset, si assertam per illum ordinariam operum præparatoriorum (ante absolutionem magnorum peccatorum) necessitatem Ecclesiæ modernæ sensui & usui contrariam Eminentissimi Cardinales Generales Inquisitores censuissent. Librum verò illum nullâ reprehensione dignum unanimi judicio ipsi censuerunt, uti visum est ibidem n. 11.

Etidem censuerunt de Huyghenii Methodo, de- 693
que Thesibus Eruditissimi ac Perillustris D. Henrici Denis (Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonici-Theologi) eandem necessitatem asserentibus; uti de Huyghenii Methodo censuisse testatus est Eminentiss. D. Cardinalis Tanarius, tunc Apostolicus Bruxellis Internuntius, in epistola ad D. Carnero Gubernatori Belgii à secretis de 27. Septembris 1680. De dictis verò Thesibus idipsum, jussu S. Congregationis, Serenissimo Principi Electori Coloniensi, Illustrissimus D. Nuntius Coloniensis declaravit, uti fidem facit epistola à me originaliter visa, Excellentissimi D. Baronis de Karg, Magni Cancellarii S. C. S. E. cujus verba exhibet Motivum Juris pro Seminario Leodien-

li, ſicut & epiſtola ipſiuſmet Sereniſſimi Electoris ad P. Sabran, quam per extenſum refert Liber, cui titulus: *S. Facultatis Theologicæ Colonienſis ſapientiſſimum judicium vindicatum*, &c.

694 A graviſſimis Cardinalibus ad Epiſcopos pariter graviſſimos tranſeamus, & primo quidem loco triginta duos proferimus Archiepiſcopos & Epiſcopos, eodem capite 2. commemoratos, qui antedictum librum de frequenti Commun. honorificentiſſimis approbationibus exornarunt, doctrinamque ipſius ſuam fecerunt, fidelibuſque ſibi commiſſis commendarunt, velut perpetuam Eccleſiæ doctrinam.

695 His adjungimus viginti ſex Archiepiſcopos atque Epiſcopos, qui Ritualis Alectenſis Inſtructiones (quibus eadem neceſſitas traditur) anno 1669. approbarunt, tamquam non continentes niſi *puriores Evangelii regulas, ſanctioreſque veritates, quas nobis Canones præſcribunt.*

696 Adjungimus & unum ſupra triginta Archiepiſcopos, qui præclaras Illuſtriſſimi D. Guidonis de Seve, Epiſcopi Atrebatenſis, de pœnitentia regulas, Epiſtolaſque Paſtorales magnoperè commendarunt, velut *ſpiritui Eccleſiæ conformes.* In regulis verò illis, Paſtoralibuſque Epiſtolis, laborioſorum pœnitentiæ operum neceſſitatem perpetuò inculcat, ſicut & in Paſtorali Inſtructione ad Paſtores & Confeſſarios ſuæ Diœcelis, cujus cap. 2. neceſſitatem iſtam copioſè demonſtrat, conſtantemque Traditionis & Concilii Tridentini doctrinam, ac Spiritûs ſancti Oraculum eſſe oſtendit; eoſque qui doctrinam illam impugnant, contra Eccleſiam, & ultimi Concilii doctrinam ſentire demonſtrat. Eandem neceſſitatem probat Illuſtriſſ. D. Gilbertus de Choiſeul in explicatione ſingul. part. Sacram. Pœnit. ad Paſtores cæteroſque Confeſſarios ſuæ Diœc. ſicut & Illuſtr. D. Joan. Neercaſelius Epiſc. Caſtorienſis, in Belgio fœderato Vicar. Apoſtol. in 2. p. Amoris ſui pœnitentis, & Epiſt. Paſtorali illi præfixa, ad Clerum & populum ſuæ curæ concreditum: ubi profert teſtimonium unius ex Eminentiſſimis Eccleſiæ Antiſtitibus, ſcribentis ad magnæ pietatis & doctrinæ virum, nihil eo in opere contineri, niſi præſtantiſſimis Theologis probatum, & niſi conforme doctrinæ SS. Patrum, ſacris Canonibus, Decretis Summorum Pontificum, ſenſibus & diſciplinæ, tum S. Caroli, tum optimorum totius Galliæ Epiſcoporum.

§. XIII.

Probatio duodecima ex Inſtitutione Chriſtiana Concilii Moguntini, Catecheſibus Trevirenſibus, & Enchiridio Concilii Colonienſis.

697 INſtitutio Chriſtiana, juxta quam Concilium Provinciale Moguntinum (anno 1549. celebratum) voluit vaſtiſſimæ iſtius Provinciæ fideles erudiri, tit. de Sacram. Pœnit. ſic habet: " Non ſimulatione (non enim irridetur Deus) ſed ex toto corde peragenda eſt vera & ſalutaris pœnitentia.... paratæ autem ad pœnitentiam voluntati adjungenda eſt ſubmiſſa omnium actionum humilitas. Reſiſtit enim ſuperbis Deus; humilibus autem dat gratiam.... Adeò ut ne juſtus quidem placere Deo, niſi per humiliationem valeat: quantò minùs peccator veniam impetrabit, niſi, dum pœnitet, etiam humilietur. Quod Dominus exigit, dicens: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu.*... Multùm autem efficax ad veniam erit pœnitentia, ſi internum cordis dolorem fons oculorum lachrymæ demonſtrent.... Sed ne lachrymæ etiam ſimulationem abſcondere putentur, veram cordis triſtitiam, veraſque lachrymas, victûs, veſtitûſque, ac totius vitæ auſteritas commendet, ut quod per voluptatum illecebras caro peccavit, externâ iſtâ afflictione dependat." Neque tamen exiſtimet quiſquam converſionem plenam conſummari, niſi uſque ad cordis emundationem iſta humiliatio penetret: homo depoſitis vitæ prioris flagitiis, ac piè vivendi exercitiis ſe tradens, dignos pœnitentiæ fructus ex tota undique vita ſua depromat, ut ſuperbiam pellat humilitas, libidinem caſtitas excludat, avaritiam liberalitas, crapulam abſtinentia, charitas odium, vitiaque omnia virtus contraria compenſet. Sic enim & Apoſtolus jubet: *Deponite vos* (inquit Epheſ. 4.) *ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria carnis; renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite hominem novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.*" Et tit. de contrit. " Admonendi ſunt homines, ne converſionem à peccatis de ſuis viribus præſumant, ſed à Deo precibus, lachrymis, totiuſque pietatis exercitiis expectant." Et rurſus ibidem: " Amaram valdè contritionem ſuſcipiat peccator, perpenſâ peccatorum ſuorum multitudine & gravitate, ut dicat cum Ezechia: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et cum Davide: *Laboravi in gemitu meo*, &c. Deum audiat, acerbam valdè & laborioſam pœnitentiam exigentem: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra*, &c." Et tit. de ſatisfactione: " Multos tulit ætas noſtra, qui confuunt pulvillos ſub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas. Qui contra Evangelii vigorem facilitatem promittentes, malitiam hominum in immenſum augent. Nimirùm iſta diaboli eſt nociva perſecutio, ſub falſa ſecuritate incautas animas ad certum interitum venantis. Dum ſpe facilis veniæ nihil metuitur, ſcelera ſceleribus cumulantur."

Similia habent Catecheſes Trevirenſes, authoritate & juſſu Joannis Archiepiſcopi Trevirenſis anno 1590. publicatæ. " Quis modus " (inquiunt pag. 303) " ac via rectè agendi pœnitentiam? " primum volentem agere integrè, ante omnia " divinæ bonitati, ejuique gratiæ inniti oportet, " &, per humilem inſtantemque orationem, ante omnia gratiam pœnitendi ſibi à Deo poſtulare neceſſe eſt." Et pag. 307. " Opus eſt, ut " (peccator) oret & clamet ad Deum pro gratia " pœnitentiæ, ſciens quòd non poſſit ſe magis à " peccato excutere, quam (Jonas) demerſus ex " tanta profunditate potuit emergere." Quod haud dubiè intelligunt de oratione alata jejunio, ſeu macerationecorporis & miſericordia: quia oratio ſine jejunio & miſericordia nihil impetrat, juxta Sanctorum doctrinam §. 21. exponendam. Enimverò devotam haud dubiè orationem Catecheſes Trevirenſes poſtulant. *Tria* verò *ſunt, per quæ ſtat fides, conſtat devotio, manet virtus* (ait Petrus Chryſologus ſerm. 43.) *oratio, jejunium, miſericordia. Quod oratio pulſat, impetrat jejunium, miſericordia accipit. Oratio, miſericordia, jejunium.... neſciunt ſeparari.* Nec ſine iſtis peccator, maximè conſuetudinarius, & recidivus, ordinariè ſic convertitur, ut totus mutetur, id eſt non ampliùs ea ſequatur, ea diligat, iis delectetur, quæ priùs ſectabatur, diligebat & ad ſuam proſequebatur delectationem. Quod ante abſolutionem talis peccatoris exigit Eccleſia Trevirenſis in Agenda ſua, ſeu Rituali, hiſce verbis: *Niſi pœnitens peccata reipſa relinquat, dicatur ei: Amice benè facis quòd habeas bonam voluntatem emendandi te. Et quia id potes, & debes, vade, quamdiù es in iſta bona voluntate, fac quod dicis, & poſteà revertere, & abſolvam te.*

Concilium quoque Colonienſe in Enchiridio de

de Sacram. Pœnit. fol. 92. hæc habet : " Gratia " ergo prævéniens, quâ Deus hominem incitat ut " justificetur, gratia quidem Dei est eximia, sed " non sufficit, nisi accedat gratia justificans.... Ad " hanc enim gradibus quibusdam pervenitur..... " Deus initio bonum cogitationem nobis inspi- " rat, quâ ad Deum respicere, & peccatum no- " strum agnoscere incipimus.... sed frequenter " tardus aut nullus sequitur affectus..... sæpè... " infirmitate præpediti nondum rem tantam (cum " Deo reconciliationem) ex animo desideramus; " sed adjuvante sensim gratiâ cupimus ut desidere- " mus; scimus bonum, nec delectat agere; sen- " sim verò proficiente gratiâ, cupimus ut & de- " lectet. Hoc autem votum quo cupimus deside- " rare, quædam voluntatis præparatio est, quæ " fidem justificantem præcedit.

700 " Hæc ergo voluntatis præparatio sua quidem " opera habet, quæ tamen sunt mera Dei dona, " justificationem antecedentia. Nam homo cùm " agnoscit peccatum suum, cùm gravitatem pœ- " næ secum mente volutat, incipit temperare à " malitia, gemere, lachrymari, tundere pectus, " restituere alienum, facere eleëmosynam de pro- " prio, sitire justitiam, hoc est remissionem pec- " catorum, eandemque precibus apud Dominum " ambire satagit. HAS CORDIS PRÆPARATIONES, " & voluntatis conatus ac studia ad pietatem vi- " dere licet in Cornelio illo Centurione Act. 10. " &c." Et fol. 88. " Cùm pœnitentia Dei gra- " tuitum donum sit, ab illo & precibus, & la- " chrymis, animi saltem, aliisque piis studiis ex- " petenda est. Quòd si non statim contingit quod " ambitur, non est tamen desistendum à benè " cœptis." Et de justificatione fol. 144." pœnitu- " tudine tactis mentibus, ope Spiritûs, quædam " opera pœnitentiæ gignuntur in nobis.... quæ " nos suprà.... PRÆPARATIONES CORDIS, AC STU- " DIA AD PIETATEM appellavimus..... qualia " sunt, temperare à malitia, dolore, conteri, " gemere, lachrymari, tundere pectus, restituere " alienum, facere eleëmosynas, sitire justitiam... " & id genus alia; quæ etsi neque mereantur ju- " stificationem, neque accipiant, nisi fides (ju- " stificans) accedat, ea tamquam præambula, & " adminicula necessaria, sine quibus ad justifica- " tionem (ordinariè) non pervenitur, requirit, " &c.

§. XIV.

Probatio decima-tertia ex Sanctis novissimis.

701 SAnctum Bernardum dabimus cap. 70. Petrum Bletensem c. 71. S. Aëiredum c. 73. S. Thomam Aquinatem §. seq. S. Vincentium Ferrerium c. 76. Ad Sanctos sæculi 16. & 17. veniamus. Priùs hîc exhibendum (præter ea quæ exhibebuntur loco citato) id quod Mellifluus Doctor ait serm. 91. de diverf. *Confessionem debet semper comitari myrrha & thus, id est mortificatio carnis & oratio spiritûs. Alterum sine altero, aut parum, aut nihil prodest, utrumque alteri suffragatur, dum constat quòd alterum sine altero reprobatur.* Et serm. 55. in Cant. *Si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique judicabimur. Bonum judicium, quod me illi districto, divinoque judicio subducit & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultus iræ judicatus præsentari, non judicandus... Judicabo proinde mala mea; judicabo & bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire jejuniis, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ.*

S. Thomas Villanovanus conc. in fer. 4. post Domin. 1. Quadrag. sic habet : *Quid dicturi sumus?.... Ubi hodie verum pœnitentem? ubi vel unicum reperies Ninivitam? Dic mihi, ô pœnitens, si vera est pœnitentia tua, si dolor non fictus, ut quid mollibus vestiris?.... Hæcne sunt insignia pœnitentiæ? Hæc opera lachrymantis?.... Ille verus est dolor, quem comes adstipulatur & consonat vita. Si verè pœnitens, cur ergo non vivis ut pœnitens? An non attendis in isto Ninivitarum exemplo, divinam quid placaverit iram? Numquid jejunium, vel saccus? Numquid cilicium vel cinis? Numquid infantium ejulatus? ploratus hominum? ululatus jumentorum? Non hoc utique solum: sed quid potius? Scripturam attendite:* " Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & " misertus est. " *Hec morum conversio, hæc vitiorum correctio, verum fuisse dolorem ostendit, qui tot signis se prodebat, & Deum illi placatum reddidit & benignum. Et nos igitur, fratres, si Deum propitium nobis cupimus invenire, similia faciamus.* Deus igitur opera præparatoria requirit in peccatoribus, quibus propitius reddatur; laboriosa (inquam) pœnitentiæ opera, cum morum conversione, & vitiorum correctione, quæ verum ipsorum dolorem ostendant. Et numquid laboriosa pœnitentiæ opera ante absolutionem Villanovanus requirit, dum conc. in fer. 4. post Domin. 4. Quadrag. dicit: *Priùs ergo vadat, & concubinam à domo pellat, pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam, prout potest, resarciat, mercenariorum labores & pauperum debita solvat, offenso fratri reconcilietur, & veniam petat, & tunc ad Confessarium redeat & absolvatur. Hic rectus est ordo.... hunc ordinem ne transgrediaris. Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, &c. Quid Ecclesiam hodie perdit, nisi Confessariorum.... blandiens adulatio: væ miseris, &c.*

S. Franciscus Xaverius, Orientis Apostolus, prout refert Turfellinus l. 6. vitæ ipsius c. 17. *Siquando locupletes atque opulenti Negotiatores, Magistratus, aut Præsides vitæ solutioris ad Confessionem accederent, ante omnia censebat, eos esse sedulò admonendos, ut sumpto spatio bidui triduive, intentius anteactam vitam suam inquirentes, delicta omnia, si diffiderent memoriæ, mandarent litteris, doloris que sensum contritionemque à Deo suppliciter peterent, &c. Neque tamen à Confessione absolvendos illicò, sed posteaquàm ea quæ deberent, persolverent..... Itaque* Patri Gaspari de talibus hominibus præcipit in hunc modum: *Confessionem non continuò sequetur absolutio, sed biduum triduumve dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis, ut interim primò* ANIMORUM MACULAS VOLUNTARIIS ELUANT POENIS. *Secundò, si quid debent, restituant. Tertiò simultates, si quas habent, deponant. Quartò redeant cum inimicis in gratiam. Quintò à libidinis consuetudine; sextò, & à cæteris flagitiis, quibus impliciti sunt, expediantur. Hæc omnia absolutionem præcurrunt rectiùs, quàm sequantur. Namque ejusmodi homines in ipsa Confessione promittunt se cuncta facturos; post absolutionem, fidei datæ immemores, promissa irrita cadere patiuntur. Proinde elaborandum est ut absolvendi repræsentent, quod præstare debent absoluti,* &c. Hæc Xaverius epist. 9. l. 5. Et rursùm : *Auditu eorum culpis, ipsos jube sustinere per aliquot dies, comparando se ad veram peccatorum detestationem,* &c. Sic refert Card. Aguirius ubi suprà excursu 3. de differenda absolutione, & præmittendis aliquot operibus sive fructibus pœnitentiæ dignis.

Porrò licèt vir sanctus inter confessionem & ab- 702
solutionem bidui aut triduí moram exempli gratiâ adferat (inquit Contensonus to. 9. c. 2. spec. 3.) quo magis peccatores ad pœnitentiam induceret, eosque refractarios brevi ac facili aditu allectaret; est tamen judicio illius omninò consentaneum, ut, cùm opus fuerit, pœnitentibus longius temporis spatium concedatur.

S. Carolus Borromæus in Instruct. Pastor. c. 10. *Res* (inquit) *verè operosa est, ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè accedere.* Quomodò adeò operosa, si tam facilis, uti Juniores prædicant? Sed aliter censuit Antistes ille sanctissimus. Didicerat nempe à Tridentino, non sine magnis fletibus & laboribus in Sacramento Pœnit. Deo peccatorem ordinariè reconciliari. Didicerat id quod in sacramentali Ambrosiano tit. Instruct. pœnit. disertè monet, quòd utique *divinæ Litteræ ab iis qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejunio, & fletu, & planctu.* Quod quia à paucis præstari noverat, in dicta Instruct. c. 17. *S. Confessarius* (inquit) *posuerit majorem industriam in peccatoribus examinandis, non dubium est, quin plures deprehendet, qui nunquam* (*ut oportuit*) *Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint.*

703 " B. Caroli vestigia secutus est S. Franciscus Salesius " (ait contenson loco citato) " ..... " qui, ut in ejus vita proditum est, S. Borromæum sibi ducem imitandum proposuerat ... " Fuit quidem illi, fateor, cælestis instillata lenitas, atque ex mia mansuetudo.... Verumtamen iis " quos regendos susceperat, pœnitentiæ studium " & praxim, arctamque mortificationis viam, " quæ sola in cælum ducit, vehementer indicebat. Et quia probè noverat, cor non posse divinâ charitate mutari, quin pœnitentiæ laboriosæ exercitationibus vitiorum stirpes evellat..... " ideò pœnitentiæ labores, pro gravitate criminum, animabus, quantùm erant ad eos ferendos idoneæ, imponere solebat. Quippe noverat, " quòd *purgatio & medicamentum ordinarium peccatorum nonnisi paulatim & difficulter nascitur*, " inquit p. 1. Instrod. c. 5. " Unde c. 6. " *accidit sæpè* (inquit) *ut ordinariæ Confessiones illorum, qui vitam vivunt communem & vulgarem, magnis scateant defectibus. Nam aut præparatio nulla præmittitur, aut valdè exigua, & contritio necessaria deest.* Propterea etiam in " Constit. Synodal. tit. 9. c. 5. *iis qui vitiosis habitibus .... eradicandis omnes nervos non intenderunt, in Confessione alias commoniti*, differendam dicit absolutionem, *suaviter eos monendo, quòd ipsis hoc pacto otium detur .... faciendi aliquam pœnitentiam, ad veram pœnitudinem obtinendam.*

§. XV.

Probatio decima-quarta ex præcipuis Theologis, antiquis & modernis, à quibus assertio nostra traditur.

704 NAm imprimis Theologorum Princeps sanctus Thomas lib. 3. contra Gent. c. 158. ad hanc quæstionem, *qualiter homo à peccato liberetur*? sic respondet: " Oportet quòd voluntas recedat à peccato per contraria his, per quæ in peccatum inclinata fuit. Fuit autem inclinata in peccatum per appetitum & delectationem circa res inferiores. Oportet igitur quòd à peccato recedat per aliqua pœnalia, quibus affligatur propter hoc quod peccavit. Sicut enim per delectationem tracta fuit voluntas ad consensum peccati; sic per pœnas confirmatur in abominatione peccati: " Quod confirmat rationibus sequentibus: " quia oportet cum, qui de peccato resurgit, non solùm detestari peccatum præteritum, sed etiam vitare futurum. Est igitur conveniens ut affligatur pro peccato, ut sic magis confirmetur in proposito vitandi peccatum. Præterea ea quæ cum labore & pœna acquirimus " (gratiam scilicet, Deique amorem) " magis amamus, & diligentiùs conservamus.... Sed homini resurgenti à peccato hoc maximè necessarium est, ut statum gratiæ, & Dei amorem diligenter conservet. Est ergo conveniens, ut laborem & pœnam sustineat, ut gratiæ statum, & Dei amorem acquirat. Ad hæc " ordo justitiæ hoc requirit, ut peccato pœna reddatur. "

Vides, benigne Lector, iis ferè rationibus, 705
conversionis difficultatem, & laboriosorum pœnitentiæ operum, ad eam obtinendam, necessitatem à S. Doctore probari, quibus suprà c. 37. §. 5. probata fuit à S. Augustino. Et ideò in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. dicit, quòd præparatio ad gratiam gratum facientem quandoque diù antè incipit, quàm infundatur. Discere hoc potuit S. Thomas à Guilielmo Parisiensi, cum quo vixit quidem, sed ipsum secutus est in Academia Parisiensi. Siquidem Guilielmus Parisiensis c. 6. de Sacram. Pœnit. sic habet: " Motus gratiæ prævenientis & præparantis sunt ad motus gratiæ gratum facientis, sicut " aratio, rigatio & seminatio ad vivificationem " seminis & exortum.... qui enim piis lachrymis " & eleëmosynâ, & sacris exercitationibus jejuniorum, disciplinarum, orationum & obligationum gratiam quærunt, quam nondum acceperunt, nullatenus dubitandum est, quin gratiam quandam prævenientem habeant, & præparantem eos ad gratiam gratum facientem... " omnibus enim præcedentibus aut præparatoriis " operibus illis, quasi mollificatur cor humanum, " ut ei conjungatur & imprimatur Christus. " Per consequens præparatoria illa opera ordinariè necessaria esse vult ad mollificandum cor peccatoris; sicut aratio, rigatio, & seminatio necessaria est ad vivificationem & exortum seminis. Et cap. 19. " quia attritio Dei donum est, sicut omnis præparatio ad gratiam suffragiis Sanctorum, eleëmosynis, sacris lectionibus, sacris meditationibus, " auditu verbi Dei, piis excitationibus, ac sanctis " exercitationibus (utique jejuniorum, disciplinarum, orationum, &c. prout antè expositum) " procuranda erit, & à Deo impetranda, & piis istdem adminiculis postulanda à Patre misericordiarum, & obtinenda erit. " Et ideò, ut S. Thomas ait in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. " præparatio ad gratiam gratum facientem quandoque diù antè incipit, quàm gratia infundatur. Estque communis & consuetus " cursus justificationis " (ait 1. 2. q. 113. a. 7. & 10.) ut homo convertatur ad Deum primò conversione imperfectâ " (per opera illa) " ut postmodùm perveniat ad perfectam. "

Denique idem Guilielmus Parisiensis de Sacra- 706
mento Pœnit. fol. 48. " Impossibile est " (inquit) " membrum, quod non adhæret corpori viventi, aut alicui ex membris ejus, vitam " accipere; & corpus, quod non adhæret animæ, " necesse est esse mortuum. Propterea vivere volentibus vitâ gratiæ, adhærendum est corpori " ipsius Ecclesiæ, cohabitatione scilicet & comitatu sanctorum. Adhærendum similiter Deo " multâ, imò jugi & assiduâ frequentatione ipsius, assiduè audiendo eum in suis eloquiis, " loquendo ei confessione, oratione, & laudibus, " famulando ei, saltem in suis, hoc est consulendo, adjuvando, fovendo, benefaciendo " suis. Qui autem sic Deo & Ecclesiæ fonti diù " adhæserit, ciò vitæ gratiæ particeps erit. "

Cardinalis de Alliaco, Episcopus Cameracen- 707
sis, verba ista Ps. 6. *sed tu Domine usquequò*, iisdem penè verbis exponit, quibus Augustinus, iisdemque rationibus laboriosam esse demonstrat peccatoris conversionem: siquidem loquens ex persona animæ pœnitentis, " usquequò Domine (inquit) sanitatem differs? Non est dilatio ista " crudelitas tua; sed ideò differs, ut dum me " diù luctari permittis cum vitiis, ex hoc persuadeas animæ meæ, in quæ mala se præcipitavit, " & ut inde cautior sit. Nam ex difficultate &

" dilatione sanationis fit diligentior custodia re-
" ceptæ sanitatis. Vel ideò perfectam mihi differs
" curationem, quia imperfectam tibi offero ora-
" tionem.... Ideò converterè Domine, hoc est,
" fac me ad te perfectè (id est plenè) converti,
" hostibus multis impeditam, & oppressam,
" tamquam inhærentem perplexitatibus hujus sæ-
" culi, & spinas quasdam dilacerantium deside-
" riorum in ipsa conversione patientem." Requirit ergo perfectam orationem (alatam proinde, ut suprà n. 698.) ad obtinendam perfectam seu plenam conversionem.

708 Adrianus VI. quodlib. 5. "Reprehensibile est
" valdè, peccatoribus veniam & securitatem de
" peccati remissione facilè polliceri... Gratianus
" exponens allegatum verbum Prophetæ: *Conver-*
" *ti* (inquit) *dicitur, qui omninò jam vertitur*;
" cujus vox & cogitatio ita mortificationi defudat
" peccati, sicut priùs servierat iniquitati. Et hoc
" voluisse videtur Propheta, cùm ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, &*
" *fletu, & planctu, dicit Dominus.* Item Ambro-
" sius l. 2. de pœnit. *Facilius inveni qui innocen-*
" *tiam servaverit, quàm qui congruè egerit pœni-*
" *tentiam.* Ob cujus defectum quodlib. 3. q. 1.
" sine argum. dicit, quòd major pars hominum,
" etiam Christi fidelium, est extra statum gratiæ.

709 Infinitus esset, si cæterorum verba sigillatim referrem. Sufficiet proinde loca indicare, in quibus similiter loquuntur. Assertioni itaque nostræ, præter Doctores suprà laudatos, & sapientissimos Cardinales & Episcopos laudatos §. 12. subscribunt Rosemundus (Adriani VI. Discipulus) in suo Confessionali c. 11. de contrit. a. 1. Driedo de captiv. Gent. hum. tr. 4. c. 6. Hesselius in Catech. p. 2. c. 8. Ellius in 4. dist. 15. §. 10. Morinus l. 5. de Pœnit. c. 5. Franciscus Ribera (S. Teresiæ Confessarius) in cap. 2. Joël. ad v. 18. A Lapide in cap. 2. Oseæ ad v. 14. Joannes Maldonatus to. 2. de Pœnit. c. 1. 2. & 3. Emericus de Bomis tr. de Sacram. Altar. Arnaldus l. de freq. Commun. Contensonus to. 9. dissert. un. c. 2. specul. 3. Merbesius de Pœnit. dissert. 4. q. 53. Iveninus de Pœnit. q. 9. c. 4. a. 7. Jacobus Boudartius to. 5. de Sacram. Pœnit. tr. 4. §. 14. edit. 2. Dionysius Werlensis Capucinus in suo Pseudo-pœnitente correct. c. 1. a. 2. & 3. Jacobus Segnerus in Præfat. libri, cui titulus: *Instructio pœnitentis*, Hennebelius in novissima declaratione sua, coram Apostolica Sede factâ die 18. Septembr. 1700. Cui 21. Februarii 1701. per Actum publicum subscripserunt Guilhelmus Marcellus Claes S. Th. D. & Academiæ Lovan. pro tempore Rector, G. Huyghens S. Th. D. Henricus de Charneux S. Th. D. Guilielmus Renardi S. Th. D. Florentius Sullivane S. Th. D. Franciscus Verchuren S. Th. Doctor, suam hac de re doctrinam Cardinalis Aguirii verbis expressam sic exponentes.

710 " Primò, non ob quævis peccata interna, ex
" objecto mortalia, ut superbiæ, avaritiæ, iræ, in-
" vidiæ, &c. opera præparatoria passim injungenda
" esse hominibus, qui cætera christianè vivunt.

711 " Secundò, similiter necessidem passim ea injun-
" genda, etsi venerint ad peccata ex objecto mor-
" talia externa, ut sunt rixæ, contentiones, &c.

712 " Tertiò, siquis lapsus sit in fornicationem,
" aut aliud crimen paris adhæsionis & gravitatis,
" difficilem & tardam passim esse ejusmodi pecca-
" toris conversionem, adeòque impetrandam &
" Confessario probandam per opera.

713 " Quartò, opera illa esse hæc, & hujusmodi, à
" locis, consortiis, aliisque peccandi occasionibus
" abstinere, reluctari adversus tentationes, orare,
" aliaque officia hominis Christiani sedulò obire,
" facere diligenter quæ sunt status & officii sui par-
" ticularis: jejunare, si id patiantur vires corpo-
" ris, & officii ratio: eleëmosynas, si facultas ad-
" sit, erogare, cessare à peccato: quæ satis labo-
" riosa sunt peccatori alia agere assueto."

Quintò, tempus, quo opera ista ante absolu- " 714
tionem peragenda sunt, tùm ut impetretur con- "
versio, tùm ut ea satis probetur Confessario, "
definiri non posse, sed debere passim esse nota- "
bile, si comparetur ad tempus, quo peragi so- "
let præparatio illa ordinaria, quæ à plerisque "
hodie adhibetur."

Sextò, expendenda verò esse hæc, gravitatem " 715
nimirum, & adhæsionem peccatorum, modum "
quo peccata commissa sunt, an ex ignorantia, "
an ex malitia: durationem quâ in peccatis hæsit "
peccator, fervorem quo pœnitentiam agit, ten- "
tationibus & peccato resistit, occasiones fugit, "
orat, &c."

§. XVI.

Probatio decima-quinta ab exemplo vel ipsorum Moscovitarum.

IPsi namque, licèt Barbari ac Schismatici, Chri- 716
sti fidelibus, S. Sedi Apostolicæ adhærentibus, suo ruborem injiciunt exemplo; utpote qui hoc ipso sæculo, antequam confitentur, esse per octo dies continuos austero & rigido jejunio affligunt, nihil aliud sumentes, quàm panem induratum, & vilem acidumque potum; ut proinde viscerum dolores, & invaletudinem contrahant, testante id de visu, & habitatione cum iis diuturna, Adamo Olecrio *Itineris Persici* c. 30. Sic ex ipso refert Eminentiss. Aguirius ubi suprà excursu 2. An non ipsi exurgent in judicio contra ignavos ac molles Catholico-Romanos, qui non solùm post aliquod grave crimen, sed post plurima commissa, nullo præmisso jejunio, austeritate, fletu, aut planctu, accedentes ad confessionem statim absolvi volunt, & mitti ad Communionem." Quòd si Sacerdos pius, doctus, & versatus in disciplina Ecclesia- "
stica" (ait idem Eminentissimus excursu 1.) illos hortetur ad jejunandum, plangendum... "
aliquot hebdomadibus, aut saltem diebus, ut "
veram de peccatis contritionem, & totius cor- "
dis conversionem impetrent, quâ Deum gra- "
vissimè offensum sibi concilient, seseque ad "
veniam disponant, videbis illos impatienter omni- "
nò id ferre, & vociferari adversus Sacerdotes "
ejusmodi, eosque incusare velut crudeles & "
carnifices conscientiarum. Hoc novo injustissi- "
mæ accusationis & criminationis scelere jam "
longè nequiores effecti, adeunt quempiam a- "
lium Sacerdotem, ignavum, remissum, pal- "
ponem, aut nullius zeli circa disciplinam Ec- "
clesiasticam, &, absque ulla contritione de no- "
vo scelere commisso, ac de aliis præcedenti- "
bus, levi satisfactione impositâ, statim assequun- "
tur, aut extorquent ab eo præproperam absolu- "
tionem, & intempestivam Communionem, u- "
tramque ingenti dantis & recipientis damno." Hactenùs Eminentissimus.

§. XVII.

Probatio decima-sexta à validissimo rationum Theologicarum firmamento. Quarum prima petitur ex eo quòd eadem hodie sit, quæ olim, criminum gravitas; non facilior proinde ex parte Dei eorum remissio, nec facilior peccatorum conversio.

EAmdem esse hodie, quæ olim fuit, criminum 717
gravitatem, nemo est qui revocare possit in dubium: eadem quippe divina Majestas est, quæ offenditur; eadem offendentium vilitas; eadem divina lex, per cujus violationem Deus offenditur; eædem denique, seu similes circumstantiæ.

Si eadem criminum gravitas; non apparet quo 718

ex capite Deus ex parte sua facilius ea hodie remittat, quàm olim; vel cur hodie gratiam conversionis facilius concedat, quàm olim. Cùm eadem hodie sit lex Dei convertens animas, quæ fuit prioribus Ecclesiæ sæculis; eadem proinde Deus à peccatoribus hodie exigit, ad gratiam conversionis ipsis concedendam, quæ olim exegit.

§. XVIII.

Probatio decima-septima ex eo quòd pœnitentiæ labores ad criminum, maximè grandium, remissionem divina exigat justitia.

719 QUòd eos divina exigat justitia, Tridentinum declarat verbis suprà relatis: *ad quam tamen vitæ novitatem & integritatem, per Sacramentum Pœnitentiæ, SINE MAGNIS NOSTRIS FLETIBUS, ET LABORIBUS, DIVINA ID EXIGENTE JUSTITIA, pervenire nequaquam præsumat.* Si verò divina justitia id exigat ad integram remissionem pœnæ temporalis, culpâ jam remissâ; à fortiori id exigit ad ipsam quoque culpæ pœnæque æternæ remissionem. Rationem verò cur divina id exigat justitia, Gregorius Magnus profert lib. 4. in 1. Reg. hisce verbis: *Quibus peccata dominantur, per se ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam sæpè ad Deum cum precibus veniunt; sed exaudiri non possunt. Divino siquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare, cum possent, non possint vitare, cùm volunt. Et qui sponte incurrunt mala prænogita, fugere non possint experta, nisi cum magna difficultate & labore, seu magnis precibus, laborioseque pœnitentiæ operibus diù pulsent ad fores divinæ misericordiæ.* Et, ut Tridentinum ait sess. 14. c. 8. *divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* Peccatores ergo, qui de criminibus veniam obtinere volunt, sed laboriosa pœnitentiæ opera eum in finem facere renuunt; similes sunt homini qui mercem alienam sibi volunt comparare, sed nolunt pretium illius solvere, ut Tertullianus advertit in l. de Pœnit. c. 6. dicens: *Quid tam ineptum, quàm pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? Hoc est pretium non exhibere, & ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hâc pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* Justitiæ quippe lex non permittit impunitum esse peccatum, sed vel à Deo illud æternùm puniri vult, vel temporaliter ab homine, Augustino teste, qui ait in Psalm. 50. *Non Domine, non erit impunitum peccatum meum; novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam. Non impunitum erit: sed ideò volo ut tu me non puniasi; quia ego peccatum meum punio.* Idem docet S. Gregorius l. 9. Mor. c. 17. *Aut enim ipse hoc homo in se penitùs punit; aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* Itaque *exomologesis* (ut Tertulliani verbis utar ubi suprà c. 9.) *in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungitur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustratur, sed extinguit.* Siquidem *expectat Deus gemitus nostros temporales, ut remittat perpetuos.* Ambrosius l. 1. de Pœnit. c. 4. Et *necesse est prævaricatricem animam tartareis pœnis, & gehennæ ignibus tradi; nec aliud remedium constitutum esse post baptismum, quàm pœnitentiæ solatium... Peccator ergo, si sibiipsi non pepercerit, à Deo illi parcetur; & si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ spatio compensaverit, seipsum ab æterno judicio liberat.* Idem ibidem. Proinde *si peccatores, velut suæ iniquitatis ultores, in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia.* S. Prosper, vel Julianus Pomerius l. 2. de vit. contempl. c. 7.

§. XIX.

Probatio decima-octava ex eo quòd labores illos divina pariter exigat clementia, ob spirituale bonum pœnitentis.

SI enim tam facilè peccator gravium criminum 728
veniam ordinariè consequeretur, ut ad eam consequendam vel nullos, vel modicos subire deberet pœnitentiæ labores, *ludus* ipsi *esset peccando cadere in mortem*, ut Augustinus dicit. Ne hoc ergo contingat, vel ipsummet spirituale pœnitentis bonum, benevolaque Dei erga peccatorem misericordia postulat, ne tam facilè ipsi peccata remittat. Quod & ampliùs demonstrabunt rationes §. XXIII. ex S. Augustino deducendæ.

§. XX.

Probatio decima-nona ex eo quòd non minùs id ipsum postulet reverentia Sacramento, effectuique ipsius, gratiæ utique sanctificanti debita.

HAnc rationem nobis subministrat Eminentissi- 731
mus D. Cardinalis Denhoffius in sua Pastorali Instructione §. 9. Ubi postquam probavit, divinam justitiam exigere ut peccator, maximè consuetudinarius, pœnitentiam inchoet, antequam absolvatur, subjungit, reverentiam debitam gratiæ sanctificanti (quæ principalis est fructus Sacramenti Pœnitentiæ) id etiam poscere: quia reverentia ipsi debita non permittit ipsam exponi proximo periculo expulsionis ex anima illius, qui propediem meritò timetur relapsurus, si post grande crimen, maximè consuetudine firmatum, vel quod magnæ sit adhærentiæ (cujusmodi est peccatum luxuriæ, de quo diabolus dicitur maximè gaudere, ait S. Thomas 1. 2. q. 73. a. 5. ad 2. quia *est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo potest eripi*) illius veniam seu absolutionem absque pœnis pœnitentiæ laboribus facilè fuerit consecutus. Ob consimilem rationem (inquit sapientissimus Cardinalis) Theologi secundum D. Thomam communiter docent, baptisma non esse dandum prolibus infidelium, tametsi hujus Sacramenti sint capaces, propterea quòd periculum subest, ne, ad maturiorem ætatem provecti, illam profanè dissipent, imitando superstitionem parentum.

§. XXI.

Probatio vigesima ex eo quòd justitia, seu gratia justificans, perdita, sine laboribus illis ordinariè non magis recuperari possit, quàm habita conservari.

ARgumentum istud in forma sic confici potest: 732
nihil minus requiritur, ad hoc ut peccator justitiam peditam recuperet, quàm ut justus eam habitam conservet. Sed ut justus eam habitam conservet, cum timore & tremore salutem suam operari debet *in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate*, uti docet Tridentinum sess. 6. c. 13. Si hæc ergo Concilium Generale noviſſimum requirat à justis, ut justitiam acquisitam conservent; non pauciora certè requirit à peccatoribus, ut justitiam amissam recuperent. Sola major propositio indiget, si tamen indiget, probatione. Probatur ita quetum ex eo quòd (Ambrosio teste) facilius sit justitiam acceptam conservare, quàm amissam congruâ pœnitentiâ recuperare. Tum quia ratio propter quam Tridentinum illa docet justis esse necessaria, eate-

ris paribus magis urget in peccatore, quàm in justo. Si enim operibus illis, velut armis defensivis, justi indigeant, ob pugnam, quæ ipsis superest, cum carne, diabolo, &c. (*formidare enim debent ad pugna, quæ superest, cum carne, cum diabolo*, &c. ait Tridentinum) magis illis peccatores indigent, ob majorem pugnam, quam magis formidare debent, cum carne, cum diabolo, &c. quia in ipsis prædominatur cupiditas, quæ pugnam illam & majorem reddit, & difficiliorem, & periculosiorem, sicut & inimicos reddit fortiores. Ubi econtrà in justis prædominatur charitas, quæ pugnam illam minorem efficit, & faciliorem, & inimicos debiliores. Dixi *cæteris paribus*: quia justo fortè difficilius est, gratiam ad longum tempus, v. g. viginti annorum, conservare, quàm peccatori eam tempore breviori recuperare. Sed per hoc non enervatur præsens argumentum: quia ratio & doctrina Concilii Tridentini non solum procedit pro longo illo tempore, sed & pro breviori: cum indefinita sit & universalis: indefinitè namque & universim, cum SS. Patribus, Tridentinum docet, justum omni tempore divinum auxilium orationibus, ac piis operibus implorare debere. *Quod enim tempus intervenit* (ait Gelasius Papa epist. ad Episcop. Gall. c. 9.) *quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſisque... adjutor & protector orandus est... clamante Apostolo, non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aëris hujus, & contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Ideò, nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequicquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conamur errores, cùm pares nos ad resistendum non liberum arbitrium; sed Dei solum reddere possit auxilium.* Innocentius I. epist. 118. inter Augustinianas. Ob hanc itaque rationem adjutorium Dei etiam renatis & sanctis semper est implorandum, prout docet Tridentinum. Ergo à pari, imò à fortiori, etiam à peccatoribus, præsertim magnis, dum converti incipiunt, ut plenæ conversionis gratiam obtineant. Eò quòd tunc acriùs à dæmone & concupiscentia tententur, ut à proposito desistant. Dicit enim Bernardus de convers. ad Clericos c. 11. *Quotidianis discimus experimentis, eos qui converti deliberant, tentari acriùs à concupiscentia carnis, & urgeri graviùs in operibus luti & lateris, qui Ægyptum egredi, & Pharaonis imperium effugere meditantur.* Similia habent Cyrillus l. 1. de ador. in spir. Gregorius Magnus l. 5. in cap. 14 lib. 1. Reg. Isidorus l. 2. c. 9. Vide hæc omnia validè confirmata suprà n. 602.

§. XXII.

Probatio vigesima prima ex eo quòd dona cælestia Deus velit magnis precibus, lachrymis, & laboribus, etiam à justis impetrari.

723 MAgnum esse plenæ conversionis donum, illudque cæleste, constat ex dictis cap. 39. docetque Augustinus tr. 27. in Joan. aiens, majoris esse misericordiæ impios justificare, quàm justos creare. Et Gregorius in Psalm. 7. esse *unum ex perfectis donis, descendentibus à Patre luminum, majus resurrectione mortuorum.* Magna verò dona cælestia, ne à justis quidem ordinariè impetrantur, nisi multùm rogantibus, gementibus, & laborantibus: quantò minùs à peccatoribus, præsertim magnis? Ipsamet Deipara (uti narrat S. Brigitta, apud Cornelium à Lapide in cap. 31. Proverb. ad v. 27. sibi ab ipsa revelatum fuisse) nullam gratiam à Deo accepit, nisi prævio magno labore, precibus & lachrymis. Ideòque hortatur eandem, ac quosvis fideles, ut iisdem mediis gratiæ dona sibi procurent. Non enim aliam esse viam ad gratiam, quàm mortificationem & crucem. Et S. Nilus epist. 317. scribens Athanasio defensori, cæleste aliquod donum sine labore à Deo obtinere satagenti: *Haud dissimilis es* (inquit) *petenti: vellem videre pluvias, sed nolo frigore rigescere. Verumtamen quomodò fieri potest, ut absque frigore pluvias obtineas? quomodò ergo appetis exorasque tibi spiritualem aliquam gratiam sine dolore & afflictione? Opus est eum qui vult munus quodpiam cæleste obtinere, multas sufferre afflictiones, & tentationes, & angustias (quæ omnia validissimæ hyemis rationem præ se ferunt) & sic postmodum Spiritûs sancti fructus deme.* Et S. Chrysostomus S. Nili Magister, hom. 24. in Matth. *Auxilium Dei orationum perseverantia promeretur. Propterea & petere præcepit Salvator, & se daturum spopondit. Nec tamen obiter jussit, sed cum sedulitate multa, & intensione.* Et hom. 9. in epist. ad Hebr. *Opus est intensis precibus, multis lachrymis, & interdiu, & noctu.... & post orationem adeò intensam, multâ opus est eleëmosynâ*, &c. Et hom. 27. in Genes. *Exauditurus est nos, si voluerimus.... jejunii subsidio non abuti, & excussâ socordiâ, continuis precibus placare Dominum, calentes profundere lachrymas..... eleëmosynas dare largas, affectiones, quæ mentem nostram perturbant, refrænare*, &c.

§. XXIII.

Probatio vigesima secunda ex eo quòd oratio, sine jejunio, &c. nil magnum obtinere soleat.

PRopterea namque Cyprianus epist. 7. *Ad placandum* (inquit) *& exorandum Dominum,* 724
non voce solâ, sed & jejuniis, & lachrymis, & omni genere deprecationis ingemiscamus. Tria sunt (ait Petrus Chrysologus serm. 43.) *per quæ stat fides, constat devotio, manet virtus; oratio, jejunium, misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat jejunium, misericordia accipit. Oratio, misericordia, jejunium, sunt hæc tria unum: dant hæc sibi invicem vitam. Est enim orationis anima jejunium: jejunii vita, misericordia est. Hæc nemo reseindat: nesciunt separari. Horum qui unum habet, ista qui simul non habet, nihil habet. Ergo qui orat, jejunet; qui jejunat, misereatur; audiat petentem, qui petens optat audiri. Auditum Dei aperit sibi, qui surdum supplicanti non claudit auditum. Jejunium jejunator intelligat; esurientem sentiat, qui vult Deum sentire quòd esurit. Misereatur, qui misericordiam sperat.... Qui præstari sibi vult, præstet. Improbus petitor est, qui quod aliis negat, sibi postulat... Ergo misericordia, oratio, jejunium, sint unum patrocinium pro nobis ad Deum, pro nobis hæc advocatio sint una. Una hæc pro nobis oratio sit trijormis.... Hæc cui in cœlestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris.*

Similiter Augustinus in Psal. 42. in fin. *Hæc* 725
justitia humanis in hac vita, jejunium, eleëmosyna, & oratio. His orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, jejunium, & eleëmosynam.

Et rursum Cyprianus l. de opere & eleëmosyna sub initium. *Ostendit* (Archangelus Raphaël Tob. 12. 8.) *orationes nostras & jejunia minùs posse, nisi eleëmosynis adjuventur; deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum & operum accessione farciantur. Revelat Angelus, & manifestat, & firmat, eleëmosynis petitiones nostras efficaces fieri.* 726

Et Gregorius Magnus hom. 16. in Evangel. 727
Nemo sibi abstinentiam solam credat sufficere, cùm per Prophetam Isa. 58. Dominus dicat: "Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? ....." Frange esurienti panem tuum, &c. "*Illud ergo jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos ma-*

nus eleëmosynarum levat; quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde caro tua affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Quisquis ergo congruè vult pœnitere, oret, jejunet, pauperis misereatur. Pœnitentiæ sapor est jejunium, ait Os aureum serm. de Pœnit. qui incipit: *Providâ mente.* Et ut Basilius hom. de jejunio, *pœnitentia sine jejunio friget*; sive, ut Augustinus l. 1. contra Julian. c. 5. *pœnitentia sine jejunio vacua est.* Rursus Os aureum serm. 5. de pœnit. *Pœnitentia sine eleëmosyna mortua est; & sine plumis volare nequit pœnitentia, pœnnas eleëmosynæ non habens.*

§. XXIV.

Probatio vigesima-tertia ex eo quòd assertam à nobis pœnitentialium operum laborumque necessitatem probent rationes, quibus Augustinus suprà cap. 37. §. 5. conversionis probavit difficultatem.

728 PRima quippe ratio fuit, ut animæ peccatrici persuadeatur in quæ mala se peccando præcipitaverit. Neque id ipsi persuaderetur, si absque ullis, vel ferè ullis pœnitentiæ laboribus, criminalium culparum, pœnæque æternæ remissionem, & plenæ conversionis gratiam facilè posset obtinere. Quia homines apprehendere non solent ut grande malum, à quo facilè liberantur.

729 Secunda ratio fuit, ut peccator cautiùs receptam custodiat sanitatem. Quod enim facilè sanatur, non multùm cavetur. Facilè autem sanaretur, si absque ullis vel ferè ullis pœnitentiæ laboribus sanitatis partem præcipuam, peccatorum utique ac gehennæ remissionem, ordinariè consequi posset. Aliter ergo divina providentia disposuit, ut ex difficultate sanationis imposterùm sit diligentior custodia receptæ sanitatis.

730 Tertia ratio fuit, ut peccator simul illud agnoscat, quanta mala impiis præparentur, qui se nolunt convertere, dum experitur quòd tantam difficultatem convertentes patiuntur. Tantam verò non paterentur, si nullos pœnitentiæ labores subire deberent, ut ad plenam conversionem pervenirent.

731 Quarta ratio fuit, ut peccator discat magna magnè desiderare; plenæ proinde conversionis gratiam ardenter desiderare, instanter petere, pro eaque obtinenda nihil negligere, nec sibi parcere.

732 Quinta ratio fuit, ne gratia plenæ conversionis vilesceret. Vilesceret autem, si absque prævijs pœnitentiæ laboribus obtineretur.

733 Sexta ratio fuit, ne conversionem suam suis viribus tribueret, si ad eam facilè perveniret. Dum enim peccator magnam in sui conversione difficultatem non sentiret (quam profectò non sentiret, si absque magnis pœnitentiæ laboribus ad plenam ordinariè conversionem perveniret) tamquam de suis viribus superbiret, & per istam superbiam in pugna contra concupiscentias suas nunquam ad victoriam perveniret, nec contra prædominantem cupiditatem Dei charitas prævaleret.

§. XXV.

Probatio vigesima-quarta ex eo quòd peccator consuetudinarius censeri nequeat plenè conversus, quamdiù prava consuetudo manet ipsi proxima relabendi occasio. Qualis tamdiù manet, quamdiù contrariis actibus non expugnatur.

734 QUòd prava peccandi consuetudo proxima sit peccandi occasio, experientia & Sancti docent. Experientia (inquam) quæ docet hominem assuetum vel venialibus quibusdam, quæ Taulerus inhærentia vocat (quia iis animus per affectum inhæret) vix unquam eorum affectum plenè, sive ex toto corde deponere, sed semper, vel ferè semper, oblatâ occasione, in ea reincidere. Quia tametsi conatum aliquem adhibeant ad corrigendum eorum habitum; utplurimùm vellà adjacet eis, perficere autem non inveniunt, nisi multo labore, multâ sui humiliatione, multâ prece, valdè frequenter & ferventer repetitâ, pulsent ad fores divinæ misericordiæ. Si tanta est difficultas exuendi totaliter voluntatem, vincendique consuetudinem ejusmodi venialium; certè non minor est difficultas exuendi totaliter voluntatem, vincendique pravam consuetudinem mortalium. Ideòque absque multo etiam labore, humiliatione, prece frequenti, & ferventi, ordinariè non vincitur ejusmodi consuetudo. Debet autem saltem eò usque vinci, ut jam amplius non necessitet, seu quasi necessitet moraliter ad relapsum, nec ad eum fortiter impellat. Quamdiù enim ad eum necessitat, vel quasi necessitat, seu ad eum fortiter impellit, proxima est relabendi occasio. In qua quamdiù peccator voluntariè manet, plenè conversus reputari non potest. Quia ex toto corde peccatum non vult deserere. Ut ise expertum fatetur Augustinus l. 8. Confess. c. 5. etiamsi bonam sese convertendi voluntatem haberet cœpisset: quia (inquit) *velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido: Et dum servitur libidini, facta est consuetudo: Et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus, quasi anulis quibusdam sibi innexis, tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, de* consuetudine illa emendanda, *nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Gregorius quoque Magnus l. 11. Moral. c. 5. *Sæpè* (inquit) *nonnulli à pravis actibus exire capiunt; sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt. Quia* (ut ait l. 6. c. 2. in lib. 1. Reg.) *perfectè velle non possunt.* Conformiter Anselmus l. de similitudin. c. 189. *Jocatur diabolus cum hominibus multis, quos irretitos suis laqueis, pro sua voluntate, in diversa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim quidam, ut v. g. dicam, avaritiæ, seu luxuriæ, & similium flammis succensi, ex mala consuetudine illis addicti. His contingit aliquando, ut, sua facta considerantes, se amodò à talibus cessaturos ore promittant, &, more avis irretitæ, liberos se avolare autument. Sed quia pravo usu irretiti, ab hoste tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur, sitque hoc sæpiùs, nec omninodò liberantur, nisi magno conatu, & gratiâ, finis abrumpatur malæ consuetudinis.* Et S. Aelredus serm. 15. in 11a. *Scit qui expertus est, quomodo vitiis subditus miserabiliter ab ipsis concutitur, & quasi obsessus undique lapidatur. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati. O dura servitus! quæ etiam animum renitentem plerumque cogit ad vitia: cùm violentiâ malæ consuetudinis ad illud impellitur vitium, quod jam detestatur, ut mirum in modum & peccatum ita velit ut faciat, ita nolit ut pleret.* Verissimè ergo Gregorius l. 4. Moral. c. 25. *Cùm culpa in usum venerit, ei jam animus, etsi appetat, debilius resistit. Quia quot vicibus pravæ frequentationis adstringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur.* Debet igitur animus adversus vim pravæ consuetudinis per actus contrarios & laboriosa pœnitentiæ opera in tantum roborari, ut consuetudini pravæ jam bona omninò prævaleat, & *violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi*, inquit Augustinus tr. 49. in Joan. Neque enim aliter prava consuetudo ordinariè delinit esse proxima occasio relabendi. Dicit namque Isidorus l. 2. sent. c. 32. *Satis delicatè se palpat, qui vult sine labore vitia superare, dum peccati legem, quam sibi deserviendo vitiis fecit, sine violentia doloris resecare non possit.*

Probatio

§. XXVI.

Probatio vigesima-quinta, ex eo quòd peccatores sine prævis pœnitentiæ operibus post grande crimen absolvi volentes, utplurimùm sint mundani homines, qui vel in deliciis, vel desidiosè vivunt, nec aliter vivere volunt. Tales autem censeri non possunt sincerè ac plenè conversi; utpote non habentes firmum efficaxque propositum deinceps non peccandi, mandataque servandi.

735 COnveniunt omnes, sincerè ac plenè conversum censeri non posse, qui firmum efficaxque non habet propositum deinceps non peccandi, mandataque servandi; nec in iis propositum istud adesse, quibus non adest firma ac plena voluntas sibi comparandi adhibendique media ad finem istum necessaria. Porrò media illa Christus & Apostoli nobis præscripserunt, sequentia utique: contendere intrare per angustam portam; carnem suam crucifigere cum vitiis & concupiscentiis; mortificare membra sua super terram; vigilare & orare, ut non intremus in tentationem; semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferre; in omnibus sollicitè ambulare cum Deo, &c. Quæ omnia, tot inter tentationes & concupiscentias sæculi, tantò magis necessaria sunt peccatoribus ad servanda mandata, cavendamque recidivam peccati, quantò per peccatum facti sunt infirmiores, debiliores, & ad peccatum procliviores. Nam quò quispiam magis est debilis & infirmus, eò magis sollicitus esse debet de continendo se ab omnibus, quæ recidivam causare possunt, sicut & de roborando se, per media proximè dicta, adversus insidias diaboli, & concupiscentias sæculi. Nisi ergo peccator id absolutè efficaciterque velit, recidivam absolutè efficaciterque cavere non vult. Quod tamen necessarium est ad plenam conversionem, sicut & ad justificationem & salutem. Enimverò si peccator, absque mediis antedictis, plenè converti posset, consequenter justificari salvarique posset. Atqui hoc non potest, juxta Evangelium Matth. 7. ad id requirens absolutam efficacemque voluntatem sequendi Christum per angustam portam, & arctam crucis viam. Nam *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, ibid. c. 10. Estque adeò arcta crucis via, per quam jubemur sequi Christum, ut c. 11. dicatur: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et Luc. 13. Veritas clamat: *Contendite* (græcè, *agonizate*, id est quasi in agone & agonia constituti, extremas summasque vires exerite, ait Cornelius à Lapide in c. 7. Matth. arctando scilicet & constringendo concupiscentias passionesque vestras, & mortificando sensus ac membra vestra) *intrare per angustam portam.* Quòd si Evangelium hoc requirat ab omnibus Christianis, quantò magis à peccatoribus? in quibus, etiam remissâ culpâ, *remanent dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ*, ait S. Thomas p. 3. q. 86. a. 5. tametsi remaneant debilitatæ, & diminutæ, ita quòd homini non dominentur. Quia sicut non mox ut febris abscessit, cessat debilitas per febrim causata: sicut etiam (ut S. Bernardus ait, tract. de Conv. ad Cler. cap. 17.) *interdùm corporeus oculus... festucâ... jam sublatâ... aliquandiù caligare videtur... neque ut ferrum extraxeris, continuo vulnus redditum est sanitati: sed tunc primùm necesse est adhibere fomenta, & operam dare curationi. Nemo ergo, sentinam ejiciens, mundum se protinùs arbitretur; quinimò noverit, se multis purificationibus indigere, nec modo lavandum aquâ; sed & purgandum & examinandum igni.*

736 Quemadmodùm ergo recenter à febre curatis necessaria est specialis custodia contra relapsum in febrim: sic consuetudinariis, recenter à peccato conversis, necessaria est specialis custodia contra relapsum in peccatum. Necessaria, inquam, est specialis sollicitudo cavendi à peccatorum occasionibus & illecebris. Quia recenter conversis illecebræ illæ periculosæ sunt, & à multis infirmi præ aliis abstinere debent; utpote qui ad aliorum fortitudinem comparare sese non debent; & quibus, ob superstitem indispositionem, post recentem febris abscessum, nociva sunt multa, quæ perfectè sanis nociva non sunt; à quibus nisi cæteris sollicitiùs custodire se velint, febris recidivam efficaciter evitare non volunt. Propterea ergo recenter conversis, sua illa infirmitas magna est relapsûs in peccatum occasio, nisi congruis, aptisque remediis, fugâ occasionum, instantiâ orationum, praxi mortificationum, cæteris sollicitiùs fuerit custoditæ: nisi etiam cavere velint à vita desidiosa & voluptuosa, & juxta præscriptum Tridentini sess. 6. c. 13. salutem suam operentur *in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus, jejuniis & castitate.* Quod si plenâ voluntate præstare nolint, plenâ voluntate peccati recidivam non volunt cavere, nec suam illam infirmitatem curare; utpote quæ laboribus exiguis curari non potest, nec vitâ remissiore, & voluptuosâ.

Alioqui, ne post peccata quidem multa & magna, opus esset tantâ contentione, agonizatione, & violentiâ sibi illatâ, prout Evangelium docet, si per vitam desidiosam, remissam, & voluptuosam, ad salutem perveniri posset, tresque animæ hostes, cum tribus mundi concupiscentiis, superari. At contrarium Veritas docet, quia, ut S. Bonaventura ait serm. 1. in Domin. 4. Quadrag. *Christus Rex Regum statuit decretum, quòd nullus eum possit videre, nisi sit secum crucifixus. Et hoc decretum est tantæ generalitatis, ut cum nullo dispensetur, sed quilibet teneatur accipere crucem mortificationis in suo corpore.* Et sicut paulò post dicit, *exemplo multitudinis Christum sequentis per desertum, propter signa sanitatis, quæ videbant super infirmos fieri corporaliter, informantur omnes spiritualiter sequi Christum per desertum asperitatis & pœnitentiæ, ut à suis infirmitatibus liberentur.* Nec mirum, quia, ut Gregorius ait l. 11. Moral. c. 28. *mens etiam pia & recta, nisi in statu suo arctâ custodiæ disciplinâ teneatur, semper in deteriora dilabitur. Unde nunc, cùm ad meliora nititur, quasi contra ictum fluminis conatur. Cùm verò ab intentione ascendendi resolvitur, sine labore ad ima ducitur. Quia enim in ascensu labor est, in descensu otium* (ad ima ergo descendit, qui desidiosè vivit) *intraturos per angustam portam Dominus admonet, dicens: Contendite intrare per angustam portam. Dicturus quippe angustæ portæ introitum, præmisit,* CONTENDITE: *quia nisi mentis intentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur.* Idem docet Chrysostomus hom. 70. in Matth. *Magno studio regnum cæleste capiamus. Nemo enim (inquam) desidiâ corruptus illuc introire poterit.* Propter quod homil. 22. in Genes. *Dum adhuc tempus habemus* (inquit) *omnem deponentes ignaviam, virtutem amemus, peccatum odio habeamus. Nisi enim & ad istam amore, & desiderio quodam immenso nos contulerimus, & ignaviam valdè oderimus, neque hujus damnum effugere, neque illam amplexari poterimus.* Et quomodò plenè conversi censeri possunt, quomodò mandata possunt servare, salutem proinde consequi, cùm scriptum sit 1. Timoth. 5. *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est?* Quomodò amatores sæculi mandata servare possunt, cùm iterùm scriptum sit: *Siquis diligit mundum, charitas Patris non manet in eo.* 1. Joan. 2. Certi sint peccatores, se gratiam non consecuturos & salutem, nisi spiritum habuerint crucis 737

& pœnitentiæ ; per consequens nisi renuntiaverint vitæ deliciosæ ac desidiosæ, incedentes per viam arctam, ipsis in Evangelio præscriptam, extra quam salus esse non potest. Quia *via lata* (ait Augustinus in Ps. 39.) *mortifera est, latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus angustus in æternum. Lata via* (inquit Hieronymus in cap. 7. Matth.) *est sæculi voluptas, quam appetunt homines. Angusta, quæ per labores & jejunia panditur..... Per latam multi ambulant, angustam pauci inveniunt. Latam non quærimus..... sponte se offert, & errantium via est.*

738 Legi meretur præclara hac de re Instructio Episcopi Atrebatensis c. 1. ubi ex grandi hac christianaque veritate, quòd arctam crucis viam sequi debeat, quisquis vult ad salutem pervenire, concludit, " in errore magno versari tot Christianos, " qui non desertâ viâ latâ sæculi, ad Sacramenta accedunt : tot etiam Confessarios, qui eos " in vitiis suis fovent, directione adeò ignavâ & " molli, ut, quamquam peccatores isti baptismi " sui innocentiam servassent tam fideliter, ac eam " per crimina sua amiserunt infideliter, deberent " eos tamquam Christianos, ad vias duriores ac " molestiores constringere. Neque enim vita deliciarum & voluptatis est vita Christiana. Est- " que veritas constans, eaque fidei, Christianos, " qui spatiosas mundi vias ambulant, quorum " vita in mediis sæculi deliciis, corde nunquam " ab iis avulso agitur, qui cupiditatibus toti addicti sunt, quorum unus scopus est, una cura, " unum in mundo negotium, aut avaritiæ, aut " ambitioni, aut voluptatibus suis satisfacere.... " qui dum semper laborant, semper otiantur, " quia nunquam vel parum laborant Deo. Tales, utpote in via lata ambulantes, justi esse " non possunt. Nec enim justi esse possunt, nisi " sint in via arcta. Domicella mundi v. g. quæ " seipsâ occupatur dies totos, ut hominibus placeat ; quæ modo mundano & immodesto se " vestit ; quæ dum modum (*la mode*, ut aiunt) " habet velut speciem quamdam religionis, collo & humeris nudis laqueos tendit innumerorum hominum castitati ; cujus cor mundo plenum est, nunquam Deo ; quæ templum non " ingreditur, nisi ut majori illic pompâ, & gravi- " ori crimine immodestiam suam oculis Dei " ostentet, ipsique Christo Jesu in altaribus no- " stris quodammodò insultet : mulier (inquam) " ista, semper in gaudio, in voluptatibus, in deliciis, estne in via arcta ? Minimè sanè. Est ergo in via perditionis. Nunquid confitetur ? Sæpissimè. Non ergo suus eam novit Confessarius? " Versatur cum illa frequenter. Nunquid hæc agendi ratio in mundo communis est, at simul prorsus damnanda ? Quot in hac effigie cognoscere licet, qui in perniciem suam currunt, dum " fortè Confessarius tantum charitatis non habet, " ut eos admoneat, timore displicendi ; aut non " tantum firmitatis, ut, post inutilia monita, cogat eos, negando Sacramentum (quo nocentiores fiunt) vitam mutare..... Quot apud " mundum honesti, qui alias non habent regulas, " quàm sæculi, semper in comessationibus, nec tamen ebrii ; semper circa fortunam suam occupati, desiderio immoderato, & ambitione, quæ " limites non habet, nec tamen injusti ; semper in " voluptatibus, quas non damnat mundus, nec " tamen impudici ? Hi omnes inceduntne per viam " arctam ? Nunquid incedunt per viam spatiosam ; ac proinde per viam perditionis ? Hi omnes nunquam aut debito conscientiæ, aut Ecclesiæ præceptis de Confessione & Communione " annua satisfaciunt ? Nulla interim mutatio. Unde hoc ? An quòd practicè convicti non sumus, " tenendam esse viam arctam, ut veniatur ad cælum ? An quòd hæc veritas salutis sterilis maneat in mente, nec ad cor usque transeat ? An " quòd nec ad mentem fortè ipsam perveniat ? An " quòd excæcet ipsos cupiditas ? An quòd versentur in ignorantia ? An quòd fortè Directores & Confessarii veritatem istam ignorent, & sint duces cæci, qui aliis ducatum præstant ? An quòd " oblivisçantur aut negligant de hoc pœnitentes " suos instruere ; aut pœnitentes monita ipsorum " contemnant ? Quæ breviter est origo illius cæcitatis, quæ tantùm non eversum it fundamenta " Christianismi, stabilitumque speciem quamdam " hæreseos, in re morali, periculosiorem (si dicere liceat) Christianis, quàm quæ ad fidem spectat ? Cùm tam frequens sit impugnari in Ecclesia ejusmodi veritates practicas, quàm est rarum (apud Catholicos) illic impugnari eas, " quæ in sola hærent speculatione. Abundè sæculum nostrum suppeditat exempla, de quibus " non ingemiscere non possumus. Et omnes errores isti, quibus moralis respersa est, & è quibus aliqui in ipsa principia, & legem naturæ " impingunt, ex quo fonte alio scaturisse potuerant, nisi quòd ignoraretur, tum magnum illud principium, de necessitate ingrediendi viam " arctam, tum indispensabile præceptum, quo tenetur Christianus naturæ suæ sensa ac desideria " oppugnare ; simul quòd parum animadvertere- " tur, quorum se debitorem constituerit in bap- " tismo ? Hactenùs Illustrissimus ac zelosissimus " Episcopus Atrebatensis. Qui pluribus deinde " ex Scriptura & Traditione argumentis rem " hanc, maximi certè momenti, prosequitur. "

§. XXVII.

Probatio vigesima-sexta ex eo quòd opinio asserta negans laboriosorum pœnitentiæ operum necessitatem, non sit animabus utilis, sed noxia.

739 IN præsenti assertione, sicut & in aliis præcipui momenti, prolixum me, partim necessitas, tantæque rei momentum, partim salutis animarum zelus voluit : pœnitentes namque, etiam post multa enormiaque crimina, utplurimùm deprehenduntur ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere, contenti perfunctoriâ veniæ petitione, post examen conscientiæ, ante Confessionem. Magnis precibus, gemitibus, laboribus, pulsandas à se divinæ misericordiæ fores, pro impetrando necessariæ contritionis dono, ne noverunt quidem ; persuasi, necessariam contritionem ita esse in sua potestate, ut eam facilè momento, dum volunt, obtineant ; seque satis contritos, dum aliqualem habent contritionis sensum ; ita ut ad id necesse non sit multùm orare, nec se affligere ; imò, si vel unam pro criminibus suis lachrymulam stillaverint, se multum, & plusquàm necesse sit, præstitisse.

740 Et quænam istius persuasionis causa ? Partim cæcitas, ex nimio sui amore mollitieque proveniens : partim inconsideratio, nimiaque animi dissipatio, quâ fit ut nunquam satis perpendant, quid sit Deum offendere, præsertim enormi crimine : partim denique ignorantia Concionatorum & Confessariorum, qui, seducti laxioribus plurium Casuistarum opinamentis, contra noxiam illam persuasionem, peccatores non solùm non instruunt, sed & instruentes, velut Rigoristas & Stringones apud imperitam plebem traducunt. Quo fit, ut peccatores, necessariæ instructionis defectu, vel omninò negligant media, secundùm Scripturam, Concilia, Patres, ad debitam contritionem necessaria ; vel ea non assumant, quomodò & quantùm oportet. Unde, quia deficiunt in necessariis ad gratiam conversionis impetrandam, eam non impetrant ; ac proinde à debita conversione, & tandem à salute deficiunt : eò quòd post Confessionem,

cum

cum tali defectu peractam, imò post centenas similes, in iisdem vivant criminibus, in quibus tandem pereunt, justo Dei judicio incidentes in Confessarios vel ignorantes, vel laxiora sectantes, à quibus cum defectu illo præcipitanter absolvuntur, *contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem*, ait Cyprianus l. 1. de lapsi. Verùm (inquit) *est irrita & falsa pax*, seu absolutio, *periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Quamdum Confessarii iis dant, qui necessariæ contritionis gratiam justis operibus non obtinuerunt, *solatium æternæ spei adimunt, arbores à radice subvertunt.* Nec ista tam est absolutio quàm persecutio, *per quam subtilis inimicus, impugnandis adhuc lapsis, occultâ populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur peccatorum gemitus.* Similiter Clerus Rom. epist. 31. ad Cyprianum, dicit quòd præproperâ ejusmodi absolutione *miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia.* Eripitur & Dei metus (aiunt SS. Confessores Moyses, Maximus, Rufinus & Nicostratus epist. 26. ad eundem:) *ubi enim divinus metus relinquitur, si tam facilè peccantibus venia præstetur? fovendi sunt enim animi ipsorum, & ad maturitatis suæ tempus nutriendi*, ut non antè ipsis venia seu absolutio præstetur, quàm contritio ipsorum multis ac ferventibus precibus, justisque operibus ad maturitatem, seu debitam plenitudinem pervenerit.

§. XXVIII.

Solida non sunt argumenta, quæ contra assertam necessitatem Casuistæ juniores objiciunt.

741 OBjiciunt 1°. numquam opera impetratoria, seu præparatoria Christus à peccatoribus exegit, antequam eis peccatorum veniam concederet, sed eam absque mora concessit.

Respondeo primò, incertum esse, an plures ex ipsis, antè, per pœnitentiæ opera, prædicatione Joannis Baptistæ, vel Christi, non forent præparati. Secundò, nullum unquam peccatorem à Christo sine absolutione dimissum; nec unquam à Christo impositam ulli satisfactionem, vel requisitam sacramentalem Confessionem, ut per se peccata dimitteret: modo tamen isto Ecclesiam cum peccatoribus agere non debere; nec proinde cum eis per omnia agere debere, ad modum quo egit Christus. Tertiò, Christum habuisse potestatem contritionis, etiam perfectæ, imò perfectissimæ, gratiam subitò largiendi, &, ut Dominum, hac in parte liberalius agere potuisse, quàm possit servus. Denique Christum, utpote cordium inspectorem, absque mora absolvisse, quos internè satis contritos vidit: Ecclesiam verò, quia occulta cordis ignorat, eos solùm absolvere, quos satis contritos ex operibus externis cognoscit.

742 Objiciunt 2°. dubitari non potest, quin peccatores à Confessariis per universam Ecclesiam communissimè absque præviis operibus illis præparatoriis absolvantur.

743 Ut imbelli suo illi argumento authoritatem concilient Juniores, suam illam praxim, in Libellis & Thesibus suis, *communem Ecclesiæ praxim* appellant. Sed quàm immeritò, præsenti capite pluribus argumentis demonstratum est. Enimverò neque ex communi, neque ex communissima modernorum Confessariorum praxi, Ecclesiæ modernæ sensus & praxis erui debet, sed ex divinis Scripturis, ex Conciliis, ex sanctis Patribus, & Sanctis noviſſimis, ex ipsius Ecclesiæ precibus, ex Concilio Generali noviſſimo Tridentino, ex fidei & Ecclesiæ adversus hæreticos noviſſimis defensoribus, ex Ecclesiæ Principibus, &c. ex quibus omnibus dictorum operum necessitatem Ecclesiæ modernæ sensui & usui conformem esse demonstravimus, sicut & ex Epistola Pastorali Innocentii XII. sub initium anni 1700. edita, quâ per suum in Urbe Vicarium, pro addiscenda Ecclesiæ modernæ doctrina, Confessarios hortatur, ut doctrinam sequantur, non in novellis, infundatisque Casuistarum modernorum opinionibus, vel praxi, sed in doctrina praxique sanctorum Patrum fundatam.

Instabis: fieri non potest, ut longè major pars 744
Confessariorum Pœnitentiæ Sacramentum malè administret, major item pars pœnitentium illud malè, & sine fructu suscipiat. Contrà: oppositum verum esse, sequentibus demonstratur argumentis.

Primò, quemadmodùm (ut sapienter à Roma- 745
no Philosopho dictum est in lib. de beata vita cap. 2.) *cùm de beata vita agitur, à majori parte non benè arguitur*; ita nec cùm agitur de bona Sacramenti Pœnitentiæ administratione. Per consequens, *non est quòd mihi illud defensionum more respondeas: Hæc pars major esse videtur. Ideò enim pejor: quippe non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant in praxi. Argumentum pessimi, turba est. Quæramus quid optimè factum sit, non quid usitatissimum, & quid nos in possessione felicitatis æternæ*, vel legitimæ administrationis, &c. constituat, *non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit.*

Secundò, tanta est humanæ naturæ corruptio, 746
ut quemadmodùm plures sunt mali quàm boni Christiani; ita etiam plures mali quàm boni pœnitentes; plures denique mali quàm boni Confessarii. Enimverò benè fungi officio Confessarii, à sacerdotalique vigore non deficere, difficillimum est naturæ corruptæ (eò quòd longè pluribus fortioribusque illecebris Sacerdotes & Confessarii hodie tententur ad sequendam laxitatem, quàm ad sequendam Christianam austeritatem, uti vidimus cap. 7.) viam verò difficilem multitudo declinat, nec nisi pauciores sectantur, uti Veritas in Evangelio testatur, cùm de lata & arcta via loquitur.

Tertiò, ideò sanctus Franciscus Salesius Phi- 747
lotheam suam monuit, ut in Confessarium suum eligeret, non solùm unum è mille (prout Avila dixerat) sed unum è decem millibus. Quia (inquit) *pauciores sunt, quàm putemus, apti tanto muneri.*

Quartò, terribiliùs D. Hieronymus apud Euse- 748
bium epist. ad Damasum ait; *Ecce mundus ubique fervet Sacerdotibus; & tamen tam sunt rarissimi Sacerdotes boni, quòd vix, è centum, bonus reperiatur unus.* Et Chrysostomus homil. 3. in Acta: *Non arbitror inter Sacerdotes, multos esse qui salvi fiant, sed multò plures qui pereant.*

Quintò, Fredericus Cardinalis Borromæus, S. 749
Caroli Patruelis & Imitator, atque in Archiepiscopatu post aliquot annos Successor, vol. 3. *All' adunanza de Confessori*, ragionam. 1. 2. 3. 4. 5. " pauciores esse dicit Confessores, qui sancti Ca- "
roli regulas in administratione Sacramenti Pœ- "
nitentiæ sequi velint; eò quòd eorum plurimi "
sequantur auram popularem, & famæ celebri- "
tatem, sequetantò illustriores arbitrantur, quan- "
tò ipsos in Pœnitentiæ tribunalibus positos ma- "
jor ægrarum animarum turba circumcingit. "
Quasi verò laus foret Medici, circum se innu- "
merabilem habere ægrotum exercitum, quo- "
rum ne unum quidem posset sanare. " Et addit, "
plures eorum, licèt vitæ austerioris, non ob- "
stantibus jejuniis suis, flagellationibus, & ope- "
ribus bonis, perire; eò quòd confitentibus nimis "
inconsideratè manus imponant, imponendoque "
peccatis communicent alienis, & pluribus cau- "
sa sint perditionis, quorum animas Deus de "
manu ipsorum requiret. " Similiter Magnus Ven-
ciensium Episcopus, Godæus, in sua Historia Ec-

clef. ad annum. . . altum ingemiscit, quòd "animarum Directores majori ex parte minimè respiciunt ad veram Dei gloriam, nec ad regulas Evangelii, nec ad Sanctorum exempla, nec ad proximi detrimentum, ut meritò dicere possimus cum Psalmista: *Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Cum his omnes penè Galliarum Episcopi, seu solemnissimus & frequentissimus eorum Conventus anni 1655. in epistola Instructionibus sancti Caroli præfixa: *Non mediocri* (inquiunt) *nos dolore afficit perniciosa quamplurimorum Confessariorum in danda pœnitentibus suis absolutione facilitas, quam illi falsis pietatis coloribus prætexunt, quasi hoc modo illos à peccatis avertant, à desperatione ac Religionis contemptu retrahant*, &c.

750 Sextò, bonorum Confessariorum paucitatem diù ante ipsos testatum est Pœnitentiale Romanum tit. 9. c. 11. his verbis: *Diversis curationum generibus animarum vulnera sanare debent Confessarii. Sed quia hoc paucorum est. . . . ideò solerter admonemus doctum quemque Sacerdotem Christi, ut non ex suo sensu, sed secundùm Canonum statuta, & traditiones Patrum, universa disponat.*

751 Septimò, de eadem testimonium quoque perhibet sanctus Pontifex Gregorius VII. lib. epist. 10. dum sic loquitur: *Sacerdotalis culminis dignitas, tum imperitiâ, tum negligentiâ Sacerdotum... ex longo jam tempore peccatis exigentibus fuit collapsa. Ex qua quidem re, quasi ex pestifera radice, innumera mala exorta sunt, adeò ut usque ad hæc temporaliter cætera quæ malè pullulant vitia, falsæ nihilominùs pœnitentiæ consuetudo inoleverit.*

752 Atque hinc octavum petitur argumentum: quia si major Confessariorum pars non deficeret à sacerdotali vigore, sacerdotalisque culminis dignitas in majori Sacerdotum Confessariorumque parte collapsa non esset, falsæ pœnitentiæ consuetudo tanta non esset, ut longè rarior sit pœnitentia vera quàm falsa, saltem post grandia crimina, vel consuetudine roborata. Atqui longè rariorem esse sancti Patres contestantur, Ambrosius utique, Pacianus, Augustinus, & cum ipsis Guilielmus Parisiensis, Albertus Magnus, Adrianus VI. Rosemundus, cap. 35. laudati. Ergo. Quòd autem falsæ pœnitentiæ consuetudo tanta non inolevisset, sanctus Gregorius VII. satis indicat verbis proximè exhibitis. Et ratio est, quia peccatores non jubentur à Confessariis confessioni, vel saltem absolutioni præmittere opera præparatoria ad obtinendam gratiam, quâ ad veram pœnitentiam perducantur, sed sine illis à majori parte Confessariorum sine vera & plena pœnitentia absolvuntur. Inde ergo falsæ pœnitentiæ consuetudo. Et ideò Petrus de Soto in Institutione Sacerdotum (jussu Eminentissimi Domini Othonis Cardinalis, & Episcopi Augustani editâ, & ab eodem Cardinale, ut à Professoribus in Seminario suo doceretur, & à Pastoribus observaretur, adoptatâ, plurimùmque commendatâ) de remed. peccat. lect. 5. *De his* (inquit) *qui multis peccatis & frequentibus transgressionibus assueverunt, vitam sine Dei timore in licentiosa libertate agentes... dicimus, multò esse certius, nullâ ratione admittendos esse ad Communionem, nisi transactis non paucis diebus pœnitentiæ. Ubi fatemur, non parvam esse difficultatem, non propter rationem aliquam, sed propter consuetudinem; & summam certè incuriam curandi animarum salutem, quâ factum est, ut vix sit inter Sacerdotes, qui de hoc cogitet, & rarior inter pœnitentes, qui sibi patiatur hoc imponi. Videtur itaque, aut desperandum esse de plurimis pœnitentium, aut condescendendum huic consuetudini.* Non hoc tamen permittit Soto, quia (inquit) *hic non possumus aliud respondere, quàm in hac tanti momenti re, ad antiquam Ecclesiam nobis esse confugiendum, & illius authoritate resistendum facilitati horum temporum. Talem itaque. . . . mox post vix enarrata peccata, & levi susceptâ satisfactione, ad Altare mittere, non videmus quâ ratione fieri possit.* Et ideò lect. 7. ipsis præscribenda dicit opera præparatoria, *orationem, recollectionem, pias considerationes, jejunia, &c. agenda... priusquàm absolvantur... ita ut non per unam tantùm, sed per plures etiam hebdomadas his teneantur exercitiis. His verò qui non omninò ab his alieni sunt, vel minùs assueti peccatis, minora atque breviora.*

Nonò, communis illa praxis majoris partis Confessariorum non solùm est radix & causa falsarum pœnitentiarum, sed & ingentium innumerabiliumque aliorum malorum. Siquidem praxis illa causa est, quòd *de tanto numero confitentium tam exiguam emendationem videamus in iis qui toties, & tam multis ab hinc annis Pœnitentiæ Sacramentum frequentarunt*, prout sanctus Carolus conqueritur Instruct. Pastor. p. 2. cap. 1. Incuriâ etiam, negligentiâ, vel mollitie, vel nimiâ absolutionem præcipitandi facilitate praxim illam sequentium, *multi in iisdem semper peccatis hærent, cum animarum suarum lamentabili ruina*, ut ait cap. 12. Magna quoque ex parte *culpâ & negligentiâ eorumdem Confessariorum accidit, quòd hac tempestate luxus, vestium ad summum verticem videatur evasisse.* Ibid. cap. 14. Sed & manifestum est Confessarios illos, molli *incuriâ suâ, maximam præbere causam, cur in omnibus ferè opificiis, & exercitationibus publicis, peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles. Quòdque tam multi inveniantur* (inter eos qui talia exercent) *omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxisse, & qui nunquam ut oportuit Sacramento Pœnitentiæ peccata expiarunt.* Ibidem cap. 17. Idque confirmat sanctus Thomas Villanovanus, cùm dicit conc. in fer. 6. post Domin. 1. Quadrag. *Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio?* Et S. Franciscus Salesius Constitut. Synod. tit. 9. cap. 5. dum deplorat, quòd per nimiam absolvendi facilitatem *perit tum Presbyterorum, tum pœnitentium multitudo infinita.* Similiter Eminentissimus D. Cardinalis Le Camus (ob vitæ sanctimoniam, egregiaque merita ab Innocentio XI. ad Purpuram evectus) in Decretis suis Synodal. tit. 6. cap. 6. sect. 2. dicit, quòd præcipua causa impœnitentiæ peccatorum, frequentiumque in pristinos excessus relapsuum, est nimia Confessariorum quorumdam facilitas in præcipitandis absolutionibus. Et Cardinalis Bellarminus conc. 8. in Domin. 4. Advent. *Nec enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Denique communis praxis modernorum Confessariorum causa est, quòd digna pœnitentiæ opera, *non solùm in moribus nostris, sed vix jam in libris reperiuntur* (ait idem Cardinalis conc. 8. in eandem Dominicam)... *Et quid inde sequitur, nisi ut quamplurimi turmatim in gehennam descendant, ex iis qui confitentur, quòdque ita dilatavit infernus animam suam, ut descendant ad eam sine numero.* Enimverò, "quid est" (inquit P. Segneri, laudatissimus è Soc. Theologus) "quòd referente Innocentio IV. animæ à sancto quodam Eremicola visæ sunt in infernum depluere, sicut media in hyeme volvulini vis depluunt? Num quia Christiani non confitentur? Minimè gentium. Utquid igitur? Quia nunquam benè, nunquam sincerè cum dolore, firmoque emendationis proposito confitentur, ita ut cum Augustino dicere liceat quòd confitendo *non rumpunt peccata, sed interrumpant.*" Confer ea quæ dixi cap. 7. & adde 1°. quòd Confessariorum incuriâ *tantum* (inquit Catechismus Rom. p. 2. n. 939.) *de veteris disciplinæ se-*

veritate remissum est, atque ita charitas refrixit, ut jam plerique ex fidelibus, ad peccatorum veniam impetrandam, nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis (cum pleno scilicet atque efficaci peccati odio, plenaque & integra illud destruendi voluntate) *necessarium putent; sed illud satis arbitrentur, si speciem tantùm doloris habeant, superficialem utique doloris sensum, cordis intima non penetrantem*, eoque ad momentum habito, Confessario dicant, ex toto se corde dolere, licèt reverà ex toto corde intimè non tam doleant propter Deum offensum, quàm propter aliquod incommodum, quod peccando incurrunt, uti de peccantibus ex habitu, seu consuetudine S. Thomas dicit 1. 2. q. 78. a. 2. ad 2. quòd *plerùmque pœnitent de peccato, non quia eis peccatum secundùm se displiceat, sed propter aliquod incommodum, quod peccando incurrunt.* Aliquo ex istis modis ordinariè, & utplurimùm ad Confessionem accedunt consuetudinarii, facilèque ac frequenter in eadem gravia relabentes, dum accedunt absque præmissis aliquanto tempore laboriosis pœnitentiæ operibus præparatoriis, ut experiuntur seduli & prudentes Confessarii, dum eos penitiùs examinant. A majori nihilominùs Confessariorum parte absolvuntur, sicut absolvebantur tempore Petri de Soto, ut ipse testatus est suprà n. 752. non ista tamen, sed contraria Ecclesiæ praxis erat, teste Driedone de captiv. gen. hum. l. 4. c. 1. ubi de eo qui vel semel in grande crimen lapsus est post baptismum, dicit, quòd circa eum *Ecclesia adhibet districtiorem disciplinam, exigens ab eo lachrymas, gemitum, satisfactionem, nec absolvit compunctum, nisi videris confessum, & perseverantem in precibus, & lachrymis.* Quod & testantur Petrus Soto in refut. Confess. Wittemberg. Lindanus, Lensæus, Bellarminus, & alii hæreticorum impugnatores suprà relati.

755 Addo 2°. quòd communissima sit praxis, quam S. Bernardinus Senensis commemorat serm. 53. de amore conterente, nec tamen censeri queat Ecclesiæ praxis: *Occurrit* (inquit) *in Confessione, sicut in mercatoribus vendentibus pannos ejusdem bonitatis, conditionis & collationis, & unus vendit pannum suum pro minori pretio, quàm qui vendit majori. Ita hodie accidit in Confessione, quia Confessores, qui dant minores pœnitentias, habent majorem concursum, quàm dantes magnas, & sic mercatura fit de pœnitentiis, & sic peccatores decipiuntur, & mittuntur ad inferos, & isti qui veniunt ad tales, qui dant minores pœnitentias, causâ evitandi bonos Confessarios, causâ non habendi congruas pœnitentias & magnas, non plus contritionis habent quàm diabolus.* Se tamen toto corde contritos dicunt, absolvunturque à majori parte Confessariorum; sed certissimè praxim illam, licèt communissimam, improbat Ecclesia, non probat.

756 Certissimè etiam non probat, sed improbat aliam praxim, tametsi in Ecclesia communissimam, de qua testatur Conc. Moguntinum in Instit. Christiana suprà relata tit. de satisfact. *Non in occultis solùm, verùm etiam in publicis delictis, nemo ferè quisquam aliam quàm privatam pœnitentiam imponi sibi sustinet, eamque tantâ negligentiâ injungunt Sacerdotes, tantâ levitate & contemptu* (*id est tam parvâ delicti sui æstimatione*) *suscipiunt & gerunt laici, ut quidquid nunc in Ecclesia pœnitentiæ vice agitur, ludus, jocusque, non pro delictis satisfactio videri possit.* Quod de suo etiam tempore usque adeò testatur Bellarminus, ut conc. 9. Dom. 4. Advent. deploret, quòd digna pœnitentiæ opera non solùm in moribus nostris, sed vix jam in libris reperiuntur. Imò *eò usque mollities animorum, ac disciplinæ elanguescentis dissolutio processit, ut jam de vera pœnitentia, ac sincero amore Dei loqui penè sit nefas* (aiebat anno 1644. Octavius Archiepiscopus Senonensis, in suis ad Card. Franciscum Barbarinum) *hoc videlicet artificium humani generis hostis excogitavit, quo satiscentis Religionis degenerem illam laxitatem pro ipsa Religione obtruderet..... ita alitur quorumlibet licentia flagitiorum, ita crux Christi evacuatur: jam enim crimen ludus est, & pœnitentia penè crimini datur.*

Rursus aliam praxim communissimam, utique 757
nimis facilè & præmaturè absolvendi, describens idem Cardinalis Bellarminus ibidem conc. 8. *Veniunt* (inquit) *homines omnisti peccatis, & qui millies in ea ceciderunt, & veniunt sæpè sine ullo signo doloris*, nisi quòd confiteantur, & ore dicant se dolere, *vel pridie, vel ipso die summæ celebritatis, & statim absolvi, & ad sacrorum mysteriorum communionem accedere volunt. Et nos Judices inconsiderati, dispensatores infideles.... omnibus dicimus, Ego te absolvo* (ecce qualem describit communissimam sui temporis praxim)..... *Sed væ nobis, cùm Dominus rationem ponet cum servis suis.*

Denique, ut alia exempla præteream, duo so- 758
lùm adjiciam. Imprimis major pars pœnitentium nescit requisita ad veram conversionem, nec de iis ipsos utplurimùm instruunt Confessarii, teste Eminentissimo Denhoffio §. 11. dicente: *Nesciunt plerique confitentes, quid prorsus requiratur ad dolorem supernaturalem, & specialiter ad veram animi contritionem, sive perfectam, sive imperfectam, opus esse, ut in tantum immutet voluntatem peccatoris, ut jam non solùm affectum à peccato retrahat, sed insuper odio illud prosequatur, uti disertè tradit sacrum Concilium Tridentinum.*

Sed & experientia docet, paucos esse, qui 759
sciunt, quòd juxta Scripturam, qui vult justificari, debet (firmo saltem proposito) angustam ingredi portam, quia *angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & lata porta & spatiosa via ducit ad perditionem.* Matth. 7. Qua de re satis dixi §. 26. At quàm paucis peccatoribus persuasum est id sibi necessarium? Ne ipsi quidem Confessarii ad id satis attendunt, nec de eo sibi confitentes instruunt, prout Patris spiritualis erga spirituales filios charitas exigit. Quia, prout Eminentissimus Denhoffius rursum testatur §. 2. *hodie tam rara est vera charitas in Ministris Sacramenti Pœnitentiæ, ut in plerisque vix umbra illius appareat. Quidam putant esse charitatis, concedere absolutionem cuicumque petenti, nihil pensi habentes, sitne vitam datura, an mortem, pro diversa pœnitentium præparatione. Alii credunt pertinere ad charitatem, ut levem pœnitentiam imponant, quamquam hæc neque cum perpetratis delictis ullâ proportione congruat, neque delinquenti, ad ea quibus opus habet, assequendum sit idonea. Alii charitatis officium arbitrantur, non demonstrare lapsis miserandam conditionem, in qua hærent, vano scilicet prætextu, ne posthac scientes & volentes contra conscientiam peccent, etiam ubi ignorantia non est sine culpa.... Hujusmodi charitas similis est illi, quâ Medicus medicinam, alioquin optimam, præberet ad nutum ægroti, non discernens utrùm hic & nunc salutem datura sit, an illatura mortem.* Vel quâ præscriberet *unguenta ac dulces potiones, ubi opus est sectionibus & pharmacis amaris: vel denique, quâ nollet indicare grave mali periculum, ut rebus suis æger maturè prospiciat, nempe ne eum pavore conturbet. Vera charitas Christiana quærit omnis generis remedia, lenia juxta ac fortia, dulcia & amara, quibus juvare possit lapsos, ut è miserando vitiorum statu resipiscant. Et quia, secundùm Apostoli dictum, charitas patiens est, benigna est*, 1. Cor. 13. 4. *magnam Sacerdotibus qui eâ præditi sunt, inspirat patientiam, & benignitatem erga pœnitentes.* Ecce

quot ex capitibus inaniter arguitur à communissima modernorum Confessariorum praxi.

760 Objiciunt 3°. praxis mox absolvendi peccatores, etiam magnos, absque præviis pœnitentiæ operibus præparatoriis, definitivè approbata est per Alexandrum VIII. in Decreto de die 7. Septembris 1690. quo sequentes damnavit propositiones: 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei ipsâmet quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.*

761 Respondeo antecedens esse certissimè falsum: quia praxis seu consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, quam Alexander VIII. suo illo Decreto definivit habendam pro usu, non pro abusu, sola est praxis absolvendi peccatores, mox ut cognoscuntur sufficienter contriti, absque prævia satisfactione pro pœna, remissâ jam culpâ, quæ post absolutionem peragi potest. Sola quippe praxis ista censeri potest Ecclesiæ praxis. Sola per Ecclesiam approbata. Sola denique, quam Theologi omnes absque controversia fatentur esse Ecclesiæ modernæ praxim. Non autem praxis illa, quâ juniores Casuistæ prætendunt mox absolvendos peccatores quoscumque, etiam magnos, etiam recidivos, etiam consuetudinarios, absque præmissis aliquanto tempore operibus præparatoriis, ad impetrandam, Confessarioque probandam sufficientem conversionem, seu contritionem suam. Quam praxim, licèt plurimorum Confessariorum sustentet authoritas, multique temporis diuturnitas confirmet; probabile non est, Ecclesiæ modernæ praxim esse. Nec certè talis probari potest, nisi vera sit hæc propositio universalis: *Omnis consuetudo moderna administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, quam plurimorum hominum sustentat authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmat, ab Ecclesia habetur pro usu, non pro abusu.* Si enim universalis ista non sit vera; si (inquam) non omnis, sed aliqua particularis dumtaxat consuetudo moderna, quam plurimorum hominum sustentat authoritas, &c. ab Ecclesia habeatur pro usu, non pro abusu: pro sua illa particulari consuetudine (proximè dicta) juniores Casuistæ concludere non possunt, nisi contra Dialecticæ leges, secundùm quas ex puris particularibus nihil sequitur. Atqui certissimum est universalem illam non esse veram; certissimum (inquam) non omnem consuetudinem modernam administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, quam plurimorum hominum sustentat authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmat, ab Ecclesia haberi pro usu, non pro abusu. Aliàs ab Ecclesia pro usu, non pro abusu haberentur omnes modernæ consuetudines, à numero 749. ad 760. recensitæ; utpote quas certum est plurimorum hominum authoritate sustentari, & multi temporis diuturnitate confirmari. Istud verò prorsus improbabile est: cùm ex iis aliquæ, si non omnes, per Innocentium XI. & per Concilium Tridentinum, & per Patres omnes improbentur, per solasque novellas & infundatas opiniones approbentur. Declarat autem Innocentius XII. rectam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, in novellis insundatisque opinionibus non esse fundatam (prout illæ sunt) sed in doctrina praxique SS. Patrum. Vide suprà cap. 2.

762 Quisquis igitur falli non vult in re tanti momenti, modernæ Ecclesiæ hac de re sensum & praxim discat potiùs à SS. Patribus, ab Ecclesiæ modernæ Principibus, ab ejusdem Ecclesiæ adversus novissimos hæreticos defensoribus, à Concilio denique Tridentino, quàm à novitiis Casuistis, vel privatis Confessariis novellas opiniones sequentibus, non doctrinam praximque SS. Patrum. Opera verò præparatoria, magnis saltem peccatoribus, ad obtinendam, Confessarioque satis probandam conversionem suam, ante absolutionem ordinariè esse necessaria, docent uno ore SS. Patres, docent Ecclesiæ modernæ Principes (sapientissimi utique Cardinales & Episcopi) docent concorditer ejusdem Ecclesiæ adversus novissimos hæreticos defensores, docet Tridentinum, ut in superioribus est demonstratum.

Hæc plusquàm sufficiunt ad demonstrandam 763
objectionis imbecillitatem. Solùm proinde addo, in tanta varietate doctrinæ circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, aliam non esse praxim, quæ verè, & absque controversia dici queat praxis, seu consuetudo Ecclesiæ modernæ, nisi illa quam suprà dixi, juxta quam utique Pœnitentiæ Sacramentum ab omnibus per Ecclesiam universam administratur, non exigendo satisfactionem ante absolutionem, prout antiqui Canones exigebant; sed ante peractam satisfactionem absolvendo pœnitentem, quem Confessarius cognoscit satis esse contritum, nisi justis de causis dilationem absolutionis, per modum medicinæ præservativæ à relapsu, prudenter aliquando judicet expedire. Istam ergo, non aliam Alexander VIII. intellexit, per praxim & consuetudinem modernam. Neque enim intellexit praxim aliquam, seu consuetudinem modernam, de qua controversia est, sine an non sit praxis Ecclesiæ modernæ (cùm praxes modernæ controversæ sint admodum variæ, ut suprà vidimus; & si earum aliquam Pontifex intellexisset, eam certis quibusdam notis designasset, & à cæteris distinxisset: hoc enim necessarium fuisset, ne suam quisque praxim modernam ab Ecclesia per Alexandrum VIII. approbatam prætenderet; sicque controversiam Pontifex suâ definitione non terminasset, sed auxisset:) solum ergo intellexit praxim seu consuetudinem modernam, quam omnes Catholici per modernam Ecclesiæ praxim sine controversia intelligunt. Qualis est sola quam suprà dixi. Sensus quidem modernæ Ecclesiæ est, rigorem omnem veterum Canonum Pœnitentialium non esse hodie necessariò servandum, nec privatâ authoritate in usum revocandum: utpote ab Ecclesia justissimè temperatum. Sed non ideò in totum est negligendus, quòd non sit in totum sequendus. Quia licèt ex modernæ Ecclesiæ sensu in totum servanda non sit, quæ olim servata fuit, exterior disciplina: servandus tamen est idem interior spiritus, idemque finis principalis præ oculis habendus, ad eumque per media moraliter necessaria collimandum, uti sæpius dixi.

Objiciunt 4°. satisfactionem ante absolutio- 764
nem à nobis exigi, dum exiguntur laboriosa pœnitentiæ opera, utpote quæ sunt satisfactoria.

Respondeo ea à nobis non exigi ut satisfactoria pro pœna temporali, dimissâ jam culpâ; sed ut impetratoria contritionis & remissionis culpæ. Nec velle nos, cum Petro de Osma, confitentes, non peractâ pœnitentiâ, absolvendos non esse, licèt sufficienter contritos. Neque enim volumus pœnitentiam esse debere peractam, id est integrè actam (prout ille volebat, & antiqua consuetudo exigebat;) imò volumus, peccatores absolvi posse, etiam ante inchoatam pœnitentiam externam, si sufficienter contriti deprehendantur.

Objiciunt 5°. Tridentinum sess. 6. c. 14. a- 765
gens de lapsis, & eorum reparatione, dicit, *Christiani hominis . . . . pœnitentiâ contineri . . . . satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia*

pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, unà cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali, quæ (ut sacræ Litteræ docent) non tota semper, ut in Baptismo fit, remittitur. Ergo opera pœnitentialia necessaria non sunt ad remissionem culpæ, pœnæque æternæ, sed ad remissionem solius pœnæ temporalis.

Respondeo negando consequentiam. Quia manifestum est ex ipso verborum tenore, totoque contextu, Tridentinum (cùm dicit satisfactionem per jejunia, &c. non fieri pro pœna æterna, sed pro temporali) loqui juxta communem linguam & sensum Scholasticorum istius temporis, qui de satisfactione pro culpa loqui non solebant, dum de satisfactione agebant (uti Maldonatus observat cap. 2. de satisfactione) sed de satisfactione pro sola temporali pœna: opera verò pœnitentialia pro culpa & pœna æterna vocare solebant præparatoria, non satisfactoria, prout vidimus §. 11. Unde Tridentinum apertè significat, de ea se satisfactione tantùm agere, quæ absolutionem, atque adeò justificationem, culpæque proinde ac pœnæ æternæ remissionem consequitur, cum ait, satisfactionem per jejunia, &c. *non fieri pro pœna æterna, quæ vel Sacramento .... unà cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali, quæ non tota semper remittitur, remissâ culpâ.* Qua in re Calvinum non puduit, Tridentinos Patres ac Theologos arguere, quòd distinguerent opera satisfactoria, & præparatoria: *fingunt enim* (inquit) *distinctionem pœnæ & culpæ. Culpam remitti fatentur Dei misericordiâ: sed eâ remissâ, pœnam restare, quam persolvi Dei justitia postulat. Ad pœnæ igitur (remissâ culpâ) remissionem propriè spectare satisfactionem. Quæ est ista, bone Deus, desultoria levitas? Culpæ remissionem nunc gratuitam fieri concedunt, quam precibus, & lachrymis, aliisque omne genus præparationibus emereri subindè docent.* Et reverà opera illa Tridentino probata fuisse ostendimus §. 9. Unde Pallavicinus l. 8. Histor. Trident. c. 14. circa verba ista cap. 8. sess. 6. *gratis justificari ideò dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur*, observat, *placuisse quibusdam, ut diceretur, fidem absque operibus justificare; sed hoc à pluribus repudiatum, animadvertentibus, præter fidem, esse quædam opera utilia ac necessaria ad habendam justitiam.* Ideòque retenta esse verba quæ nunc extant. Vasquez quoque l. 2. disp. 203. c. 9. ostendit, ex Tridentino non benè probari, per opera pœnitentiæ, justificationem antecedentia, nos non satisfacere pro culpa & pœna æterna.

766 Objiciunt 6°. Praxis assertionis nostræ solùm est in usu Ecclesiarum Gallicarum, Belgicarumque; solùm proinde in usu apud paucos.

Respondeo 1°. quamvis ita esset, non ideò aliena esset à vera praxi Ecclesiæ, etiam modernæ. Cùm moderna Ecclesiæ praxis non sit illa, quæ apud plures per Orbem Sacramenti Pœnitentiæ Ministros est in usu; sed quæ juxta sanctorum Patrum praxim & doctrinam (quæ ipsius quoque Ecclesiæ modernæ, juxta Innocentium XII. praxis & doctrina est) in usu esse debet, etsi tantùm in usu sit apud pauciores. Quia, ut suprà dictum est, non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant in praxi; nec illud semper bonum, seu benè factum, quod est usitatissimum. Imò *argumentum pessimi, turba est*, ut optimè Seneca.

Respondeo 2°. assertionis nostræ praxim in usu quoque esse Ecclesiæ Romanæ, aliarum Matris & Magistræ. Cùm probabile non sit Cardinalem Aguirium, in ipsa Romanæ Ecclesiæ facie, palàm (approbante S. Palatii Magistro) in ipsius etiam S. Pontificis oculis, docuisse praxim, quâ nemo in Ecclesia Romana utitur, sicut & docuit Cardinalis Bellarminus, Cardinalis item Denhoffius & Ursinus, atque cum ipsis Emericus de Bonis, Paulus Segneri, &c. Cùmque doctrina & praxis, pro qua decertamus, apud Sedem Apostolicam jam dudum examinata fuerit, probabile non est quòd à reprehensione & improbatione transiisset immunis (uti reverà transiit, dum eidem Apostolicæ Sedi delatus fuit Arnaldi Liber de freq. Commun. Huyghenii Methodus remittendi, &c.) si adversarctur usui omnium in Ecclesia Romana. Denique probabile non est, nullum in Ecclesia Romana usum esse quoad hoc Canonum novissimorum horum sæculorum, doctrinæque ejusdem Ecclesiæ in Ritua.i Romano comprehensæ, nullum etiam satisfac.re intentioni, quam Christus habuit duplicem Sacerdotibus potestatem conferendo, ligandi & solvendi. Teste verò Cardinale Denhoffio pag. 224. & 225. Gallicæ Editionis, praxis, pro qua decertamus, omninò conformis est sacris Canonibus novissimorum horum sæculorum, doctrinæque ejusdem Ecclesiæ, &c. Paginâ verò 209. dixerat, omninò conformem esse duplici illi potestati, ligandi scilicet & solvendi:

enim necesse est, ut omnem de pœnitentia doctrinam exprimant Ritualia, quæ ritus & cæremonias præcipuè tradunt. Atque, ut benè Doctores Lovanienses in declaratione an. 1701. cui titulus, *Via pacis* p. 32. *etsi quædam Ritualia, Pastoralia, & Episcoporum Instructiones de operibus præparatoriis absolutioni præmittendis mentionem non facerent* (quam tamen ex iis nonnulla faciunt, signanter Instructiones Cardinalium Episcoporum, Deshoffii, Ursini, & Sacramentale Ambrosianum S. Caroli Borromæi, Institutio Christiana Concilii Moguntini, &c.) *non tamen sequeretur, illorum sensum esse, quòd ea exigi non deberent. Nam multa aut jam ex sacris Litteris, Conciliis, Patribus, vel aliundè nota esse supponunt; aut certè inde petenda relinquunt* (*v. g. facilis, an difficilis soleat esse peccatorum conversio? Repentina, an tarda? Fierine soleat per opera pœnalia, an sine illis? Quæ conversionis signa, &c.?*) *Ideòque brevissimè tantùm dicere solent, requiri dolorem, vel conversionem. Item absolvi non posse, qui doloris vel conversionis signa non præbent* (*signa utique, juxta Scripturam, Concilia, & Patres sufficientia*) *sed quo modo dolor ille acquiri soleat, vel ad conversionem veniri: aut quæ signa doloris, vel conversionis sint, non explicant.*

768 Non ergo sequitur: quædam Ritualia de operibus præparatoriis explicitè mentionem non faciunt: igitur ea non exigunt. Sufficit enim quòd de iis meminerint implicitè, cùm dicunt requiri dolorem & conversionem, item doloris & conversionis signa. Dolorem enim & conversionem, post grandia saltem crimina, juxta Scripturam & Patres, acquiri non solere nisi per opera, eademque doloris & conversionis signa esse, jam aliundè notum supponunt.

CAPUT XLII.

Ex doctrina capitibus superioribus demonstrata infertur primò, nimis laxam videri regulam administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, quam tradit Author libri, cui titulus: Praxis solida, & per Ecclesiam communissima, remittendi & retinendi peccata.

769 Libri istius fama publica Authorem facit R. P. Antonium à Burgundia, è Soc. J. S. Th. Lov. Professorem. Facit & Joannes Pollenter ad propositionem 69. ab Innoc. XI. damnatam, necnon Author petulantis Libri, cui titulus: *Doctrina non Universitatis Lovanienses.* In præfatione prioris Libri, Author, ad impartiendam licitè absolutionem, extra necessitatem, a. 2. §. 3. & 4. & a. 3. §. 4. n. 305. contentus esse videtur conversione probabili, ita ut hoc ipso quòd Confessarius probabile aliquod habet motivum de sufficienti dispositione pœnitentis, ipsum licitè possit absolvere. Unde passim ad hoc sufficere dicit probabile judicium de sufficienti pœnitentis dispositione. Cùmque nullibi requirat, ut judicium istud sit magis probabile, imò ne quidem ut æquè probabile sit, ac oppositum: velle videtur sufficere judicium minùs probabile, & hoc in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, in qua licitum non est absolutionem impendere super materia dubia.

770 At hoc profectò solidum non est, nec proinde praxim solidam fundare potest, utpote ab Innocentio XI. damnatum propos. 1. 2. & 3. Tametsi ergo, ad prudenter impendendam absolutionem, necessaria non sit tanta certitudo, quanta extra necessitatem necessaria est, dum materia est sensibilis; non sufficit tamen probabilitas quæcumque, sed tanta requiritur, ut pro morali habeatur certitudine; eò quòd tam magna sit, ut licèt subinde tenuis in contrarium probabilitas occurrere queat, in concursu tamen longè majoris in contrarium probabilitatis, hîc & nunc moraliter non videatur attendenda, uti latiùs explicavi in materia de opinione probabili: ubi ex Philosopho, Boëtio, Angelico Doctore, aliisque Doctoribus antiquis, ostendi, tantam probabilitatem in moralibus, in quibus haberi nequit omnimoda certitudo, pro morali certitudine reputari.

Verùm enimverò probabilitatem tantam non 771
exigit Author ille, uti nec Carolus ab Assumptione, qui in Elucidat. circa usum Absol. in præfat. pag. 3. & c. 1. p. 10. *minima* (inquit) *probabilitas sufficit, ad non leviter credendum quòd pœnitens sit contritus, & ut absolvi possit.* Quod quomodò ab Innocentio XI. in dictis propositionibus damnatum non sit, non video.

Sed ad solidæ (minimè profectò solidæ) praxis 772
Authorem revertamur. Respondens ipse ad argumentum, quo concludebatur, absolutionem consuetudinariis differendam primâ vice quâ se accusant de peccatis consuetudinis, eo quòd utique consuetudinarii passim, primâ se accusantes vice, verâ tunc contritione caruisse, ex post facto deprehendantur, eò scilicet quòd ipsorum contritio nullum sortita sit effectum, & non alia consuetudinarius hic contritionis signa det, quàm alii passim consuetudinarii. Num. 130. "Dico," inquit, "1°. "falsum esse quòd nullum in consuetudinariis "passim, primâ se vice accusantibus, contritionis effectum possint deprehendere. 2°. Ut id "verum esset, non ideò judicari non posset, illos "veram tunc contritionem habuisse. Non vices "unæ, sed plures judicium hoc impediunt. 3°. "Ex eo quòd consuetudinarius unus verâ caruerit contritione, putandus non est câ carere alius, "etsi non alia quàm priùs signa doloris dederit. "Quia ex eo quòd unus mentiatur homo v. g. "judicari non potest, & mentiri alium, similia "simili asserentem modo. Ex eo quòd plures Mercatores imponant emptoribus, judicari non potest, quòd alius itidem imponat iisdem. At si "constaret nobis, quòd idem hic jam sæpiùs mentitus sit, sæpiùs mentibus imposuerit; non facilè "judicabimus, eum iisdem non imponere, dum "eodem quo antè semper extremo agit modo."

Hæccine tua illa praxis solida, R. Pater? Itane 773
Confessarios doces, in negotio maximo, unde infinitarum pendet animarum salus? An non tibi metuendum est, ne istas Salvatoris querimonias innoves: *filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt?* Quis non imprudentiæ & incuriæ arguet eum, qui tam perfunctorie sæcularia negotia pertractaret? Quis, inquam, non imprudentem diceret Mercatorem, qui aureos emptoris nummos, quem esse scit de sorte eorum, qui vel adulterinos, vel suspectos obtrudere solent, pro sinceris acceptaret, statim atque sinceros emptor esse affereret, absque recursu ad lapidem Lydium, aliudvè exactæ probationis argumentum? Quis ipsum non irrideret, si, tali in casu, hoc uno contentus foret argumento, quòd tametsi istius farinæ homines in ejusmodi rebus esse soleant suspectæ fidei, de hoc individuo homine non constet esse talem, adeòque prudentia permittat benè de ipso præsumere?

Sed, ad ampliùs detegendam istius Scriptoris 774
infirmam firmitatem, percurramus singula quæ dicit: Potest judicari (inquit) consuetudinarios, primâ se vice de peccatis suæ consuetudinis accusantes, passim habere veram contritionem. Igitur ordinariè statim possunt absolvi. Nihil antecedente isto vacillantius. An consequente sit aliquid dissolutius? cordatorum esto judicium. An non frequens est, talibus consuetudinariis ad debitam dispositionem aliquid deesse, vel sufficientem utique dolorem, vel propositum tam efficax, quàm requi-

rit istius sortis peccatorum infirmitas? Testatur id frequens experientia, fatenturque quamplurimi consuetudinarii, dum Deus illuminat tenebras, convertitque corda ipsorum. Itaque contrà talis sortis peccatores de sufficientis dispositionis defectu probabilis est præsumptio, vel justus timor, fundatus in iis quæ in similibus frequenter contingunt.

775 Quæro jam primò per quid elidatur præsumptio ista, vel timor, & in quo argumento fundetur prudens præsumptio in contrarium? Ecce tibi argumentum: Ex eo quòd consuetudinarius unus verâ caruerit contritione: imò ex eo quòd eâ consuetudinarii, etiam primâ vice se accusantes, frequenter careant, putandus non est eâ carere alius, etsi non alia quàm prius, imò etsi non alia quàm isti alii, signa doloris dederit. Verùm:

776 Quæro secundò quare iste alius putandus non sit eâ carere, eò quòd consuetudinarii frequenter eâ careant, quia consuetudinarii sunt; quorum conversio difficilis esse solet, & suspecta, nisi ad impetrandam plenæ conversionis gratiam præmiserint longa pietatis ac pœnitentiæ exercitia? Cur similium hîc simile non est judicium, quamdiu aliud hîc & nunc non innuunt circumstantiæ?

777 Quæro tertiò cur iste consuetudinarius in individuo magis putandus sit habere sufficientem contritionem, quàm contritionis defectum; cùm æquale vel majus sit argumentum istud putandi, quàm illud, attentis iis quæ consuetudinariis accidere solent?

778 Quæro quartò solidam istius consequentiæ probationem: Hic consuetudinarius non est putandus carere verâ contritione. Igitur prudenter puto quòd eâ non careat, nec fallat seipsum, dum se habere putat, non obstante contrariâ de consuetudinariis præsumptione. Istam consequentiam nego esse solidam: quia ad judicium prudens de una parte contradictionis, non sufficit quòd pro altera contradictionis parte non sit judicandum: aliàs prudenter judicari posset, arenas maris numero esse pares. Aliunde nudum consuetudinarii se dispositum asserentis testimonium, ad prudens istud judicium minimè sufficit, uti sæpiùs demonstravi. Denique ad prudens hac in re judicium non sufficit, quòd fieri possit, hunc in individuo consuetudinarium satis esse contritum: quia à potentia ad actum, legitima non est consequentia. Solent tamen adversariis nostris ejusmodi consequentiæ esse in usu: Talis vel talis peccator, non obstante consuetudine, vel frequenti facilique relapsu, potest esse contritus. Ergo prudenter credi potest contritus.

779 Unde ad eludendam vim argumenti, quo arguimus, consuetudinariorum conversionem ordinariè esse difficilem, nec brevi post peccatum tempore perfici solitam, sed post multas colluctationes, & non modica pœnitentiæ exercitia (quod suprà peremptoriè probavimus) & hinc infirmus, consuetudinarios, absque illis, ordinariè non esse etiam primâ vice absolvendos. Prætensè solidus Author noster, illationem hanc videns esse legitimam, falsitatem antecedentis a. 2. §. 9. evincere conatur, assumendo sibi probandum, quòd à consuetudinariis, brevi post peccatum tempore, contritio vera concipi possit. Quod cùm nullus neget, in vanum ad id probandum argumenta multiplicat: utpote quæ ad nihil serviunt, nihil ad rem faciendum Lectoribus imperitis, ut apud imperitos triumphare videatur. Sed imbecille argumentum rident periti, si sic arguat: Consuetudinariorum conversio momento fieri potest; igitur momento ordinariè fit.

780 In vanum etiam a. 3. sect. 2. §. 1. velut assertionem nostram impugnans, sibi ad probandum assumit, validam esse datam pœnitenti absolutionem, etsi de interiore ejus contritione per externa pœnitentiæ opera Sacerdoti non constet. De hoc enim nemo est qui dubitet, quando revera adest debita interna dispositio. In vanum denique ibidem §. 2. multus est ad probandum, non esse necessarium, ut absolutio ordinariè differatur, donec peracta sit debita pœnitentia. Neque enim contrarium asserimus, nec asserunt illi quibus hoc imponit: quibus idcircò perperàm imponit damnatum dogma Petri de Osma.

In vanum denique practicator ille prætensè so- 781
lidus, praxim ordinariè statim absolvendi consuetudinarios, primâ quâ se de consuetudinis suæ peccatis accusant vice, seu etiam praxim absolvendi peccatores, hoc ipso quòd habetur probabile motivum de sufficienti ipsorum dispositione, vocat non solùm praxim solidam, sed & per universam Ecclesiam communissimam, ut, assumpto specioso illo titulo, Confessarii ab opposita deterreantur praxi, tamquam habente contra se sensum & praxim universalis Ecclesiæ, uti prætendit a. 2. §. 2. n. 203. Quòd enim hoc falsissimum sit, constat ex dictis cap. præcedenti §. 28. à num. 744. ad 760.

Nec certè fundata esse potest ista prætensio, nisi 782
vera sit universalis ista propositio: *Omnis praxis per Ecclesiam communissima, est praxis Ecclesiæ* (nam si non omnis, sed aliqua particularis dumtaxat talis sit, contra Dialecticæ regulam infertur, praxim ordinariè, & statim primâ vice absolvendi consuetudinarios esse talem: ex puris enim particularibus nihil sequitur.) Atqui universalem istam propositionem non esse veram, imò certissimè esse falsam, pluribus argumentis ibidem est demonstratum. Sicut & consequentiam istam: *Hæc doctrina, vel praxis est communissima per Ecclesiam: igitur est doctrina, vel praxis Ecclesiæ*: in errores, atque hæreticis præcipitium ducere, Ecclesiæque probrosam & injuriosam esse.

Non semper ergò faciendum quod communissimè fit, quodque multitudo etiam Confessariorum facit. Imò à multitudine recedendum (ait Card. Bona, princip. vit. Christ. p. 2. c. ult.) & cum paucis sanctis & electis vivendum, juxta illud: *Vive cum paucis, si vis regnare cum paucis.*

CAPUT XLIII.

Infertur secundò, ad fundandum prudens judicium de dispositione magnorum peccatorum, maximè consuetudinariorum, facilèque & citò relabentium, fallacia, insufficientiaque esse plena conversionis signa, quæ proferunt Reymackers, Author tempestatis novaturientis, aliique Juniores: præsertim si non semel ea præstiterint absque ullo promissæ emendationis effectu.

Signa illa sunt 1. voluntaria, humilis & dolo- 783
rosa Confessio. 2. lachrymæ. 3. gemitus. 4. tunsio pectoris. 5. tristitia vultûs. 6. alacris pœnitentiæ impositæ acceptatio. Horum uno, vel altero, docent Confessarium debere esse contentum, ad prudenter credendum pœnitentem satis esse contritum, ipsumque proinde absolvendum. Et probant testimoniis quibusdam Sanctorum, quæ verissima sunt in sensu Sanctorum, quando scilicet signa illa non eliduntur per contraria signa factorum, seu operum: secùs quando eliduntur. Porrò eliduntur per contraria signa factorum, quando ex post facto apparet, seu non semel apparuit, signa illa non esse, seu non fuisse nisi folia, absque ullo promissæ emendationis fructu. Eò quòd utique consuetudinarii, & recidivi, post præstita non semel signa illa, utique post Confessionem, lachrymas, gemitus, &c. pari

quàm anteà facilitate, ac promptitudine redierint ad confessa crimina. Ex isto namque post facto rectè colligitur, signa illa fuisse fallacia, & defectuosa, uti posteà demonstrabitur. Per consequens rectè idem concluditur de similibus signis, posteà repetitis. Quia *similium simile est judicium*, atque *ex præteritis*, ut S. Thomas ait, *oportet nos quasi argumentum sumere de præsentibus & futuris*. Enimverò, dum facta non correspondent verbis, lachrymis, vel gemitibus, &c. talis unusquisque præsumitur, non qualem se probat verbis, vel lachrymis, &c. sed qualem se probat factis: quia *melior est vox operis, quàm vox oris*. Et *plenius est opere docere, quàm voce*, prout Sancti docent. Nec verò solis verbis, vel lachrymis suis, &c. sed & factis, seu operibus suis, peccator ostendit cor suum, juxta illud: *paria sunt mentem suam declarare facto, quàm verbis*, L. *Paulus respondet*, & L. *de quibus* ff. de legibus. Idque S. Thomas 3. p. q. 84. a. 1. confirmat, dicens: *Peccator, per ea quæ facit, & dicit, ostendit cor suum*. Et in Ps. 48. *Propositum optimè manifestatur per operationem*. Si ergo consuetudinarius, suâ confessione, vel lachrymis, aut gemitibus, pectorisvè tunsione, seu alacri pœnitentiæ acceptatione testetur se ex toto corde dolere; contrarium verò testetur factis & operibus suis: Confessarius prudenter credere non potest testimonio confessionis, vel lachrymarum, &c. contra æquale vel melius testimonium factorum & operum. Atqui factis & operibus suis testatur, se ex toto corde non doluisse, nec emendationem ex toto corde proposuisse, dum post oris confessionem, lachrymas, gemitus, pectoris tunsionem, vel alacrem pœnitentiæ acceptationem, facilè & citò repetit confessa crimina. Quia festino illo, facilique relapsu (præsertim si frequens fuerit) testatur suam oris confessionem, lachrymas, gemitus, &c. non processisse ex corde plenè & totaliter contrito, uti plusquàm centum argumentis infrà demonstrabimus ex Scriptura & Patribus, &c. ostendendo, verum esse quod dicit Natalis Alexander Theol. Dogm. tom. 4. in fine, quòd licèt ex fragilitate, seu infirmitate cadere iterùm possimus in lethale peccatum, post pœnitentiam; vera tamen ex toto corde pœnitentia non ita desultoria sit, ut plerisque videtur; non instar marini æstûs veniens & rediens; non instar feriarum, quibus gaudent febricitantes, post diem unum aut alterum febri agitandi; non instar mundanæ lucis, quæ quotidie oritur & occidit.

784 Et ideò SS. Doctores, tametsi multa dicant in laudem confessionis, lachrymarum, gemituum, &c. signa tamen ista non habent pro veris & sufficientibus signis animi ex toto corde pœnitentis, si post confessionem, lachrymas, &c. peccata facilè & citò repetantur, de issque eodem modo philosophantur, ac de signis prædestinationis, quæ communiter adferuntur; quæ utique signa sufficientia non sunt, nisi quando conjunguntur cum non peccare. Ut enim benè S. Ambrosius in 1. Corinth. 2. vel quisquis alius est Author istius Commentarii: *Hæc est vera pœnitentia, cessare à peccato; sic enim probat dolere se, si de cætero desinat*. Et, ut Gregor. l. 3. in 1. Reg. 6. *perfectè convertitur, qui cùm semel, quod pravè egerat, plangit; quod denuò plangat, ultrà non repetit*.

785 De lachrymis verò & gemitibus eorum qui peccata facilè & citò post lachrymas repetunt, quid SS. Patres? *Numquam diluunt gemendo peccatum: quia non desinunt peccare post gemitum*, S. Fulgentius l. 1. de remiss. peccat. cap. 12. Similiter Augustinus tunsionem pectoris dicit quidem signum esse contritionis; sed & hoc dicit: *qui pectus tundit, & non corrigit, peccata solidat, non tollit*. Et, *pectora tundere, & hæc eadem* (peccata) *facere, nihil est aliud, quàm peccata pavimentare*. Serm. 332. noviss. edit.

Et hinc est quòd confessio, lachrymæ, gemitus, tunsio pectoris, & melioris vitæ protestationes eorum, qui vitam in criminibus duxerunt, & in fine, seu periculo mortis, signa illa exhibent, à Patribus habentur velut signa suspecta: quia experientia docet, vix aliquem ex ipsis reperiri, qui, cessante periculo, ad assueta crimina non redeat, & citò non obliviscatur eorum, quæ metu mortis pollicitus est. 786

Hinc est etiam, quòd peccator, qui sæpiùs cum lachrymis, gemitibus, tunsione pectoris, & alacri pœnitentiæ acceptatione, spopondit proximam occasionem peccandi, quam dimittere tenetur, se dimissurum; bona aliena se, cùm possit, restitutum; debita (quibus est solvendo) se soluturum; cum inimico se reconciliaturum, &c. nec eorum quidquam fecit, sed promissa semper violavit; dum idem posteà, cum iisdem lachrymis, gemitibus, tunsione pectoris, & alacri pœnitentiæ acceptatione rursum promittit, non obstantibus lachrymis illis, &c. non sit fide dignus, sed absque absolutione dimittendus, donec promissa opere impleat, uti docent sancti Thomas Villanovanus, Franciscus Xaverius, Carolus Borromæus, & variis in Conciliis declaratur, quæ posteà proferentur. 787

Dictis ergo lachrymis, gemitibus, &c. meritò id applicatur, quod Cardinalis Bona in princip. vit. Christ. p. 1. §. 44. ait: *Solida animi jucunditas* (die pariter solida animi pœnitentia) *non in fervoris affluentia, non in sensibili dulcedine, non in mollibus quibusdam affectibus, & lachrymis consistit. Nam etiam Turcæ, & alii infideles, in suis precibus, & sacrificiis, hæc interdum experiuntur*. Enimverò in vita B. Mariæ de Incarnatione Duvallius narrat, puellam quamdam fletibus colliquefieri solitam, inter confitendum peccatum, quod quatuor post horis repetitura erat. Nec defuêre, inquit Arnaldus de frequenti Commun. p. 2. cap. 12. qui cùm totam noctem humi cubuissent, flagelliisque se conscidissent, postridie in idem relaberentur peccatum, cujus tam acerbas à se pœnas exegerant. 788

Applicatur & quod Gregorius l. 6. in cap. 15. l. 1. Reg. dicit: *Quid prodest cum lachrymis confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ..... nam qui corde non convertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur*, etiam cum lachrymis, cum gemitu, cum singultu, cum pectoris tunsione, &c.? *Signum ergo veræ conversionis, non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ*, conjuncta cum emendatione. *Unde Joannes Baptista malè conversos Judæos ad se confluentes increpans, ait:* "Gemmina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite" ergo fructus dignos pœnitentiæ. "*In fructu ergo, non in foliis, aut ramis, pœnitentia cognoscenda est,... Confessionis ergo verba* (etiam cum lachrymis) *quid sunt, nisi folia?* 789

Dixi, ex mente S. Gregorii, *conjuncta cum emendatione*; sic enim seipsum explicat l. 2. cap. 3. in l. 1. Reg. *Sunt nonnulli, qui se & de nequitia accusant criminis, & pravitatem non corrigunt voluntatis. Ista non est vera conversio: quia vera conversio, non in ore accipitur, sed in corde: converti enim, simul verti est: conversio quippe dicitur, quasi cordis undique versio*. Dumque Ezechiel dixit: "Quâcumque die conversus fuerit, vitâ vivet," *dixit conversum, non tantùm versum..... vertitur à peccato, qui jam vult dimittere peccatum: convertitur, qui jam totus, & omninò vertitur*. Augustinus telatus cap. *nullus* de pœnit. dist. 7. Et hoc est quod sequitur apud Gregorium: *Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cùm ad Creatorem* 790

Creatoris nostri beneplacitum uterque noster homo (exterior scilicet & interior) *reducitur*; *cùm & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur à perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis.*

791 Tertiò, iisdem rectè applicatur doctrina Petri Blesensis, tract. de Confess. ubi acriter invehens in consuetudinarios, qui vel aliquamdiù peccata differentes, non satis ea lugent, vel lugentes non deserunt, (postquam prioribus dixit, *non sine dolore cordis acerbissimo, & anxia cordis afflictione sanantur, quæ longo usu inolita, & intimis animarum medullis infixa sunt: nec horariâ & levi contritione redimi possunt, quibus mors æterna debetur*) posteriores admonet, ut eorum pœnitentiam perseverantia comitetur. Quia lachrymæ, & alia ejusmodi pœnitentiæ opera, nequaquam profutura sunt, si ad vomitum quis revertatur. *Nemo itaque de momentanea contritione, vel affluentia lachrymarum præsumat.... Si senseris in te gratiam compunctionis, & affluentiam lachrymarum; non tamen ideò te statim arbitreris Domino reconciliatum*, seu reconciliatione dignum..... *Gratum Deo est sacrificium lachrymarum, & pro omnibus delictis sufficiens holocaustum; sed quibus? confitentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum, sed.... continuantibus dignos pœnitentiæ fructus.*

792 Confirmat idipsum S. Aëlredus, S. Bernardi synchronus, in specul. charit. cap. 7. quia *etiam peritæ vitæ homines, subinde sentiunt aliquid compunctionis, etiam usque ad lachrymas ipsas, gemitus*, &c. profertque exemplum magni peccatoris, qui, *cùm immani vitiorum gurgite absorptus, omni se spurcitiæ traderet, nihil prorsus flagitii perhorrescens, in tali vita sæpiùs compungebatur, sæpiùs lachrymabat, nec solùm timore pœnæ, & peccatorum suorum recordatione, quod fortè nemo miraretur; sed etiam miro affectu in amoris Jesu dulcedinem resolutus, quodam mentis osculo ipsum videretur amplecti.* Fit hoc plerùmque dæmonis arte, qui sæpè perversorum, etiam hæreticorum, sic corda emollit, humoresque commovendo ad lachrymas flectit, ut decepti arbitrentur, sibi benè cum Deo esse. Fit etiam plerùmque, occultâ Dei dispensatione, ad hoc ut peccator sensibili istâ compunctione provocetur ad plenè & integrè se convertendum. Fallitur tamen non rarò peccator, *dum istud conversionis inchoamentum, pro conversionis accipit consummatione*, seu plenitudine; sive, ut D. Gregorius ait, *dum plenitudinis consummationem æstimat, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat.... Qui si inchoationi suæ non passim crederet.... mentem ad tentationem, & ad adversa præpararet, & vitiis venientibus postmodùm tam firmiùs resisteret, quàm ea sagaciùs prævidisset.*

793 *O! igitur, quàm miserabiliter falluntur* (pergit Aëlredus cap. 20.) *quàm sunt suæ salutis proditores, qui vitiis innumerabilibus ac damnabilibus impliciti, siquid hujus, de quo loqueris, experiantur affectûs, non solùm sibi venium de præteritis pollicentur; imò ad eadem securiùs quodammodò revertuntur, nec aliquid hoc spirituali incitamento proficiunt, sed sanctiores hinc semetipsos arbitrantes, in suis sordibus, vel negligentiis, impudentiùs volutantur.* Fortè de talibus ait Apostolus: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant. Numquid hoc genus compunctionis excæcat oculos, aures obturat illorum dumtaxat, qui immanissimas vitiorum sordes, sine pœnitentiæ fructibus, paucis his lachrymis æstimant abluendas?* Itaque (ut cap. 17. dixerat) *nequaquam secundùm momentaneum illum, &, ut ita dixerim, horarium affectum Dei pensandus amor*, nec verus de peccatis ex toto corde dolor. *Quod ex contrariis exemplis perspicuum est intueri. Cùm enim in Tragœdiis, vanisque carminibus, quisquam injuriatus fingitur, vel oppressus, cujus amabilis pulchritudo, fortitudo mirabilis, gratiosus prædicatur aspectus, siquis hæc, vel cùm canuntur, audiens, vel cernens, si recitentur, usque ad expressionem lachrymarum quodam moveatur affectu: nonne perabsurdum est, ex hac vanissima pietate, de amoris ejus qualitate capere conjecturam, ut hinc fabulosum illum, nescio quem, affirmetur amare, pro cujus ereptione, etiamsi hæc omnia verè præ oculis gererentur, ne modicam quidem substantiæ suæ portionem pateretur expendi? Similis proinde ineptiæ est, imò multò majoris insaniæ* (attendat Reymakers, qui lætum jis putat esse cerebrum, qui signa ejusmodi sufficere non putant) *si quisquam luxuriosus, aut tepidus, ob quosdam internos compungatur affectus, ad vana & lubrica, & sordes pristinas denuò reversurus, secundùm steriles has lachrymas ac momentaneos affectus, de ejus dilectione*, vel ex toto corde conversione, *ferre sententiam.* Sanè 794
hæc voluntas (prosequitur c. 18.) *seu dilectio*, vel ex toto corde conversio, non *secundùm momentaneos quosque affectus, sed secundùm duo quædam judicanda est, passionem scilicet, & actionem; si videlicet ea, quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter sustineat, & ea quæ jusserit, ferventer adimpleat.* Nihil proinde consultius, nihil prudentius facere potest Confessarius, nisi ut, per justum temporis spatium, in consuetudinariis, & frequenter relapsis, accuratiùs exploret vitæ & factorum seriem, & inde videat, an stabilem ex toto corde conversionem præ se ferant, iisque mediis sollicitè & ferventer utantur, quæ necessaria sunt, ad impetrandam plenæ conversionis gratiam, & consuetudinario recens converso necessaria sunt ad cavendum relapsum. Ut enim scriptum est Prov. 18. v. 9. *qui mollis & dissolutus est*, sive, ut Aquila vertit, *ignavus*, Theodotion *remissus in opere suo, frater est suæ operæ dissipantis.* Id est, peccator mollis, & ignavus in practicandis mediis, necessariis ad obtinendam plenæ conversionis & emendationis gratiam, germanus est frater illius, qui destinato animo hærere vult in peccatis. Unde Septuaginta (apud Corn. à Lapide) textum illum sic vertunt: *qui non medetur sibi in operibus suis, frater est perditis seipsum.* Mederi autem sibi in operibus suis, est nihil negligere necessarium ad peccatorum curationem, vitæque emendationem. Quæ ubi non apparet, non apparet plena pœnitentia. Hæc enim requirit *dolores ut parturientis*, Ps. 47. Ad quæ verba Augustinus: *Quid sunt dolores ut parturientis, nisi dolores pœnitentis? Ubi parturientem audis, fœtum expecta. Parturit vetus homo, sed nascitur novus homo.*

CAPUT XLIV.

Tertiò infertur æquitas ac justitia censuræ, quâ Illustrissimus D. Guido de Seve, laudatissimus Episcopus Atrebatensis, & unus supra triginta Episcopi cum ipso, propositionem hanc: Confessarius habet rationabile seu sufficiens motivum credendi, quòd pœnitens sit verè contritus (post relapsus, aut adhuc in habitu peccati, vel in occasione proxima existens) quando pœnitens attestatur, se verè esse contritum, & Confessario clarè & manifestè non constat contrarium: *hanc (inquam) propositionem damnarum velut* periculosam, falsam, scan-

dalosam, temerariam, tendentem ad relaxationem Sacramenti Pœnitentiæ.

795 CEnsuram istam, post invocationem Spiritûs sancti, consultationemque plurimorum Doctorum, Sæcularium & Regularium, magnæ probitatis & doctrinæ, laudatissimus Episcopus ille publicam fecit 7. Nov. 1675. Quam, cùm tot sapientes Episcopi Galliæ & Belgii non solùm approbarint, sed & valdè collaudarint, magni apud Sapientes ponderis esse debet: cùm Ecclesiæ sensum hac in parte (post SS. Patres) ab Episcopis, tamquam primas in Ecclesia partes tenentibus, suarumque Diœceseon jure divino Doctoribus, addiscere nos oporteat: ipsâque Ecclesiæ, & SS. Patrum, imò Christi ipsius sensum contineri, partim demonstraverimus capite præcedenti, partim demonstraturi simus capitibus sequentibus.

796 Interea censuræ istius æquitatem manifestam faciunt rationes sequentes. Prima: Etiamsi relapsus, etiam frequens, etiam facilis & festinus, in crimina, non sit signum manifestum defectûs contritionis in peccatore, solo verbo, vel ejusmodi signo, contritionem suam testificante (cùm relapsus ille absolutè provenire queat ex mutatione, non ex carentia doloris & propositi:) quia tamen crimen grave hostis est infensissimus, quem pleno & capitali odio, verè atque ex toto corde contritus prosequi debet, rarumque & infrequens est, quòd cum hoste infensissimo, quem pleno & capitali odio prosequitur, fœdus & amicitiam facilè & citò quis renovet: rarius quòd id frequenter aliquis faciat: rarissimum, & vix, imò ne vix quidem auditum, quòd à capitali odio ad amicitiam, ab amicitia ad capitale odium, reciprocâ vicissitudine quispiam transiens, in circulo talium odiorum, & amicitiarum, vitam transegerit. Ideò rarum etiam & infrequens est, quòd cum gravi crimine, quod pleno & capitali odio pœnitens jamjam prosequebatur, fœdus & amicitiam facilè ac citò renovet: rarius, quòd frequenter id aliquis faciat: rarissimum, & vix, imò ne vix quidem auditum, quòd à capitali odio ad amicitiam, ab amicitia ad capitale odium, reciprocâ vicissitudine transiens, in circulo talium odiorum, & amicitiarum, vitam transegerit. Atqui in obscuris non præsumitur, quod rarum & infrequens est; multò minùs quod rarissimum, & vix auditum; sed quod plerumque fieri consuevit. Siquando igitur peccator à Confessione ad grave crimen facilè & citò transeat, & maximè si frequenter id faciat, in circuloque Confessionum, & facilium relapsuum, vitam transigat, non præsumitur crimen illud pleno & capitali odio prosequi, dum confitetur: imò probabilissimè præsumitur, ab eo, quo crimen istud prosequi debet, odio deficere, & cum illius defectu confiteri, nisi signum manifestum, sive moraliter certum, det in contrarium. Talis proinde peccator non solùm præsumi non debet contritus, in verbo quo se contritum dicit, dum manifestè non constat contrarium; quin potiùs præsumi debet non contritus, nisi contritionis signa in eo appareant manifesta, ut dicit Alex. IV. cap. *super eo*, de hæret. in 6.

797 Secunda ratio: Adnibere nos oportet illam prudentiam pro rebus divinis, quam filii lucis hujus adhibent pro mundanis: nec faciliores esse ad credendum cum periculo profanandi pretiosi sanguinis Christi, quàm ipsi ad credendum cum periculo argenti sui & auri. Sed filii lucis hujus, cum periculo argenti sui & auri, non facilè credunt homini, in eo in quo non stetit verbo suo & promisso: nec secundò decepti, tertiâ vice exponunt se periculo, absque sufficienti cautione; multò minùs, si tertiò, quartò, & longè sæpiùs, verbo fallaci & sterili deceperit, nisi gravis fortè necessitas urgeat. Sine simili ergo cautione Confessarius credere non debet verbo fallaci & sterili pœnitentis, postquam sæpiùs simili verbo deceptus fuit.

Tertia ratio: Sacrilegium est absolvere peccatorem, cujus contritio dubia est: & multò magis, si contritio ipsius sit probabilissimè nulla, vel insufficiens. Sed credere consuetudinarium, vel frequenter, facileque & citò post multas confessiones relapsum; ipsum, inquam, credere absolutione dignum, & ut talem absolvere, absque alio signo contritionis ipsius, quàm quòd se contritum dicat, posteaquam sæpiùs id dixit, nec tamen se emendavit, est illum absolutione dignum credere, & absolvere, cujus contritio dubia est; imò probabilissimè nulla, vel insufficiens, ut ex præmissis constat. Saltem contritionem ipsius esse dubiam, probat ipsummet præcipuum argumentum, in quo se fundant Carolus ab Assumptione, & alii adversarii. Probant enim, imò demonstrare se putant, relapsum, quàmlibet frequentem, quàmlibet facilem & festinum, non arguere defectum veræ, sufficientisque contritionis, ex eo quòd effectus, qui provenire potest ex duabus causis, neutram determinatè inferat: cùm ergo, inquiunt, relapsus ille ex duabus causis provenire queat, vel scilicet ex defectu contritionis & propositi, vel ex mutatione propositi, neutram determinatè infert; sive non est signum unius potiùs quàm alterius. 798

Verùm argumentum sic in ipsos retorqueo: si 799
relapsus ille signum non sit defectûs potiùs, quàm mutationis propositi, ex eo quòd æquè provenire queat ex mutatione, quàm ex defectu propositi. Igitur ex eo quòd æquè provenire queat ex defectu, quàm ex mutatione propositi, signum non est mutationis potiùs, quàm defectûs propositi. Ergo ad minus, dubium est, an non proveniat ex propositi defectu: ac proinde ad minus, dubia contritio.

Nec argumenti vim elidit Junior quidam di- 800
cens, quod ubi ratio manifesta non apparet in contrarium, præsumitur ex propositi mutatione potiùs, quàm ex defectu provenire. Quia contrarium est verum, quòd utique, ubi signum manifestum non apparet in contrarium, præsumitur ex firmi & efficacis propositi, odiique, seu contritionis defectu, potiùs quàm ex sola propositi mutatione provenire. Sic enim Ecclesia & Patres præsumunt, ut suprà demonstravi; istamque præsumptionem esse probabilissimam, prima ratio hîc allata demonstrat.

At, inquit Junior ille, cùm pœnitens in Sacra- 801
mento Pœnitentiæ sit sui accusator, defensor & testis, sic suæ salutis memor esse præsumitur, ut cum pleno peccati odio, plenaque sese emendandi voluntate, Deo reconciliari quærat. Imò contrarium præsumitur: quia innumeri sunt, qui in eo deficiunt, ut constat ex eo quòd, ratione ejusmodi defectûs, innumeri malè confiteantur, & pereant, uti demonstravimus cap. 7. 32. 33. 34. & 41. §. 28. Innumeri enim in tanta vivunt suæ salutis incuria, ut justo Dei judicio permittantur seducere semetipsos, & aliquid ad reconciliationem cum Deo necessarium omittere, dum confitentur, ut ostendimus ibid. Præsumptio verò probabilissima est, tales esse consuetudinarios, frequenter, citò & facilè in crimina post Confessionem relabentes (ob dicta & dicenda) qui licèt falsum fortasse scienter non deponant, dum se satis contritos affirmant, falsum utplurimùm deponunt ex ignorantia crassa & supina, sive ex cæcitate sua, quæ in consuetudinariis tantò est major, quantò consuetudo diuturnior. Ut enim Cardinalis Bona princip. vit. Christ. §. 38. *hoc habet infelix consuetudo peccandi, ut quantò amplius quisque delinquit, eò magis mentis intuitus obscuretur.*

802 Nec magis elidit vim argumenti noſtri Carolus ab Aſſumptione, dicendo, contritionem dubiam non eſſe materiam dubiam Sacramenti Pœnitentiæ, ſed dubiam dumtaxat diſpoſitionem ad effectum ipſius. Primò, quia iſta Caroli opinio nova eſt, ſingularis, & contra omnes Doctores : eo proinde titulo meritò rejicienda. Secundò, contritionem eſſe materiam, vel quaſi materiam, ſeu partem materialem, definitum eſt in Conc. Trident. ſeſſ. 14 cap. 3. Tertiò, etiamſi non eſſet niſi diſpoſitio, ad effectum Sacramenti neceſſariò requiſita, ſacrilegium eſt, Sacramentum abſque neceſſitate exponere periculo fruſtrati effectûs.

CAPUT XLV.

Quartò infertur, Aſſertores ſuprà memoratæ propoſitionis, à ſapientiſſimo Domino Epiſcopo Atrebatenſi meritiſſimâ cenſurâ notatæ, abuti ſententiâ iſtâ Angelici Doctoris : In foro conſcientiæ creditur homini pro ſe, & contra ſe.

803 HOc dicit S. Thomas quodlib. 1. q. 6. a. 6. ubi ſic : *In foro judiciali creditur homini contra ſe, ſed non pro ſe ; in foro autem pœnitentiæ, creditur homini pro ſe & contra ſe.* Verùm id pro
804 ſe perperàm accipiunt Adverſarii. Triplici namque modo verba iſta S. Doctoris accipi poſſunt. 1. ſic ut omninò generaliter & abſque ulla reſtrictione intelligantur. 2. ſic ut per ea ſignificetur, non quòd ſemper, ſed quòd ordinariè credendum ſit pœnitenti pro ſe loquenti. 3. ſic ut tantùm ſignificetur, quòd in foro quidem judiciali non credatur homini pro ſe ; in foro tamen pœnitentiæ ſæpè credatur homini pro ſe loquenti.

805 Vel ipſi Adverſarii fatentur accipi non poſſe primo ſenſu, cùm verbis S. Thomæ hanc addant reſtrictionem : niſi manifeſta ratio appareat in contrarium. Volunt proinde accipienda ſecundo ſenſu, ita ſcilicet ut ordinariè oporteat credere pœnitenti ſe contritum aſſerenti. At perperàm. Quia certum eſt, ſanctum Thomam nolle, ut credatur pœnitenti, de ſua contritione teſtimonium ferenti, dum Confeſſarius prudenter judicare nequit, abeſſe morale periculum, ne pœnitens eo in teſtimonio vel decipiat, vel decipiatur : aliàs & pœnitens certiſſimè exponeretur morali periculo ſacrilegii, & Sacramentum morali periculo nullitatis & irreverentiæ. Quod certiſſimè non vult, nec velle poteſt S. Thomas. Atqui Confeſſarius non poteſt ordinariè prudenter judicare, quòd abſit morale periculum, ne in hoc teſtimonio pœnitens decipiatur. Primò, quia, ut Cardinalis Denhoff ſuprà monuit, " la plûpart des „ penitens ne ſçavent pas même ce qui eſt requis „ pour la douleur ſurnaturelle, & en particulier „ que la vraie contrition, ſoit la parfaite, ou „ l'imparfaite, doive tellement changer la volon„ té du pecheur, que non ſeulement il n'ait plus „ d'affection au peché, mais qu'il le haïſſe, ſe„ lon que l'enſeigne expreſſément le Concile de „ Trente. Quod etiam Catechiſmus Romanus docet, uti num. 754. fuit demonſtratum. Quo modo verò Confeſſarius ordinariè prudenter judicare poteſt abeſſe morale periculum, ne pœnitentes decipiantur, dum ſe contritos dicunt, ſi major eorum pars ne quidem ſciat, ſed ignoret, quid ad veram contritionem requiratur.

806 Secundò, S. Carolus Borromæus, S. Franciſcus Saleſius, S. Thomas Villanovanus, S. Teresia, Bellarminus, Clerus Gallicanus, aliique graviſſimi viri (cap. 41. §. 28. relati) multos & valdè multos aſſerunt, qui ſacrilegè confitentur ; qui tamen hac de re interrogati, ſe verè contritos incunctanter affirmant ; qui proinde in ea ſua aſſertione vel decipiunt, vel decipiuntur. Quòd ſi tam multi ſint, qui in eo decipiunt, vel decipiuntur ; quomodò in ſolo verbo ipſorum, Confeſſarius prudenter judicabit, quòd ordinariè non ſit morale periculum, de quo ſuprà : maximè ſi peccatorum enormitate, conſuetudine vel frequentiâ meruerint excæcari ?

Tertiò, S. Gregorius l. 20. Moral. c. 15. di- 807
cit, quòd *hoc plerùmque humanus animus habet proprium, quòd mox ut in culpam labitur, à ſui adhuc longiùs cognitione ſeparetur. Quia dum lux veritatis habita negligitur, permittit juſtus Judex, ut nec amiſſa requiratur.* Quòd ſi humanus animus, dum in culpam labitur, plerùmque à ſui longiùs cognitione ſeparatur ; quantò magis ſi frequenter, & maximè ſi ex conſuetudine, in culpam labatur graviorem, maximè carnis, quæ præ cæteris excæcat ? Quomodò ergo Confeſſarius prudenter judicare poteſt, quòd talis peccator ſe contritum aſſerendo, ordinariè nec decipiat, nec decipiatur ; præſertim ſi conſuetudinarius ſit, vel in graviorem culpam, non ſemel dumtaxat, ſed ſæpiùs lapſus fuerit, ideòque (juxta ſanctum Gregorium) à ſui cognitione longiùs ſeparatus & excæcatus ? Quomodò per conſequens prudenter judicare poteſt, quòd ordinariè non ſit morale periculum, ne talis peccator deceptus Confeſſarium decipiat, dum ſine præviis pœnitentiæ operibus ad obtinendam à Deo miſer cordiam, & contritionis gratiam, ſine prævia etiam emendatione ad tempus conſideratione dignum, aſſerit ſe dignum, cui fides adhibeatur, & abſolutio impendatur ?

Tertiò igitur ſenſu certo certiùs accipienda 808
ſunt objecta verba Angelici Doctoris, ſic ut importent, quòd in foro judiciali creditur homini dicenti contra ſe, ſed nunquam pro ſe ; in foro verò pœnitentiali, non ſolùm creditur homini contra ſe, ſed etiam ſæpiùs pro ſe, ſignanter dum teſtatur facta ſua, quæ certè poteſt cognoſcere, & Confeſſarius ea ſcire non poteſt niſi ex ipſo, ut quòd tentationi fortiter reſtiterit, peccandi occaſiones diligenter vitaverit, hæc vel illa pœnitentiæ opera poſt peccatum fecerit, hæc vel illa adverſus recidivam remedia adhibuerit, &c. Similiter dum ſe contritum dicit, nec ratio aliunde habetur, quæ Confeſſarium de eo reddat prudenter dubium, tunc etiam Confeſſarius ipſi credere debet. Non autem quandocumque ratio manifeſta non apparet in contrarium. Aliàs ipſi fidem abſolutionemque deberet, etiamſi ratio æquè probabilis, imò probabilior appareret in contrarium. Quod eſt certiſſimè falſum, ob ea quæ dicta ſunt cap. 42.

CAPUT XLVI.

Quintò infertur, de ſufficienti converſione, ſeu contritione magni peccatoris, maximè citò & facilè relabentis, vel conſuetudinarii, ordinariè prudenter non judicari ex ſolis verbis, quibus dolere ſe, emendationemque promittere dicit, etiamſi verbis illis adjungat gemitus, tunſionem pectoris, lachrymaſque momentaneas, aliaque ejuſmodi ſigna : præſertim ſi Confeſſarius non ſemel expertus fuerit, ſigna illa hactenùs ſterilia fuiſſe, id eſt abſque fructu melioris vitæ.

RAtio eſt, quia ex una parte, eadem, vel ſimi- 809
lia verba, etiam cum ejuſmodi lachrymis, & genitibus, proferunt etiam qui contriti non ſunt, vel ſaltem non ſufficienter contriti. Ex alia parte

verò, facta, seu opera eorum, qui vel ex consuetudine, vel alias facilè & citò in solita crimina relabuntur, non correspondent verbis, vel aliis ejusmodi signis, quibus se plenè dolere dicunt, & emendationem proponere. Atqui, dum facta non correspondent verbis, vel aliis ejusmodi signis, factis potiùs creditur, quàm verbis: quia *melior est vox operis, quam vox oris*, Petrus Blesensis Comp. in Job, & in invect. Et *plenius est opere docere, quàm voce*, S. Leo serm. de S. Laurentio. Concinit S. Bern. serm. 59. in Cant. Saltem indubitatum est, nos æquè loqui, seu secretum cordis declarare facto, quàm verbo, secundùm illud: *paria sunt mentem suam declarare facto, quam verbis*, L. *Paulus respondet*, & L. *de quibus* ff. de Legib. Si ergo peccator verbis suis testetur, se verè ac plenè dolere; contrarium verò testetur factis, seu operibus suis: Confessarius prudenter credere non potest verbis, potius quàm factis. Atqui dum frequenter, facilè, & citò post confessionem in crimina relabitur, factis, seu operibus suis ostendit illum, quem antè se habuisse significavit, de peccatis dolorem, & odium, eaque emendandi propositum, vel non fuisse verum, sed fictum, vel saltem non fuisse plenum, & integrum, prout centum & duodecim argumentis demonstrabitur infrà. Per consequens idem ostendit de dolore, odio, & proposito præsenti; utpote de cujus veritate, & plenitudine, sola etiam verba, & signa exhibet, ita similia, quæ in confessionibus præcedentibus exhibuit: quæ, cùm non fuerint nisi folia & flores, absque fructu promissæ emendationis; ideòque humanâ præsumptione non fuerint signa veræ, vel saltem plenæ voluntatis vitæ melioris, plenique odii peccati; eadem est de verbis & signis præsentibus præsumptio. Quia *similium simile est judicium, & idem, manens idem, præsumitur facere, & facturus idem.* Atque *ex præteritis* (ut S. Thomas ait 2. 2. q. 49. a. 1. ad 3.) *oportet nos quasi argumentum facere de futuris.* Ex vita etiam præterita, quamdiù nulla in contrarium apparent signa manifesta, præsumitur de præsenti, cap. *Mandata*, & cap. *Cùm in juventute* de præsumption. Et ideò S. Th. 2. 2. q. 11. a. 4. ad 1. de hæreticis relapsis dicit, quòd quamvis *in judicio Dei semper recipiantur redeuntes; quia Deus scrutator est cordium, & verè redeuntes cognoscit; hoc tamen Ecclesia imitari non potest. Præsumit enim eos non verè reverti, qui, cùm recepti fuissent, iterùm sunt relapsi.* Nisi utique pœnitentiæ signa in eis apparuerint manifesta, uti dicit Alex. IV. cap. *super eo* de hæreticis in 6. ubi ipsis absque ejusmodi signis, negari vult Eucharistiæ & Pœnitentiæ Sacramenta. Quia scilicet, nisi manifesta pœnitentiæ signa dederint, præsumuntur ex corde vero & pleno non reverti: sicut, ex ipsorum relapsu, primus eorum reditus, seu prima conversio præsumitur non facta ex corde vero & pleno, uti dicit Conc. Narbonense anni 1235. can. 11. his verbis: *Sufficiat tales semel per falsam conversionem Ecclesiam decepisse.* Igitur ex post facto, seu ex relapsu, primam relabentium conversionem Ecclesia præsumit fuisse falsam, vel saltem non plenam. Et ideò idem præsumit de secunda, quamdiù de veritate & plenitudine ipsius non adsunt nisi signa primis similia. Quia, uti dixi, ex vita præterita Ecclesia præsumit de præsenti. Et ratio, propter quam ex post facto, sive relapsu, Ecclesia præsumit primam conversionem fuisse falsam, vel non verè ex toto corde factam, est, quia si primâ vice verè ex toto corde ad Ecclesiam rediissent, à susceptâ fide, per relapsum in hæresim, tam facilè & citò non defecissent. Cùm verâ fide firmitatem assensûs importet, quâ homo firmiter assentitur iis quæ divinitùs revelata sunt: adeòque verum esse fidelem Ecclesia non præsumat, qui saltem eatenùs non est in fide firmus, & constans, quatenùs à fide facilè, & citò non excidit. Rationem hanc tangit S. Doctor art. 4. cit. in O. & ad 3., ubi ipsorum inconstantiam, per facilem relapsum manifestam, allegat tamquam signum, quòd verè reversi non fuerint.

Simile ex post facto judicium fecerunt olim SS. Patres, dum eos Christianos, qui, ortâ persecutione, ne quid Christi causâ paterentur, ante congressionem cum Tyranno, Christo renuntiarant, judicarunt, non tam persecutione cecidisse, quàm persecutione demonstratum, quòd ne quidem ante persecutionem verè ex toto corde fideles fuerant, sed mundanis cupiditatibus victi, à fide jam exciderant, secundùm illud Apostoli ad Timoth. 6. v. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide.* Sic D. Cyprianus arguit in lib. de lapsis: *Sequi Christum quomodò possunt, qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quomodò Cælum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus prægravantur?* Idem argumentum repetit epist. 64. ad Epictetum aiens, quòd *manifestissimè comprobarint, nec antè se Religioni, sed ventri potiùs, & quæstui, profanâ cupiditate servivisse*, tametsi in lib. de lapsis, aliter censuerit de iis, qui post diros cruciatus succubuerunt.

Similiter Socrates lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 13. dicit, quòd motâ, sub Juliano Apostatâ, persecutione, confestim veri & falsi Christiani, tamquam in fornace persecutionis, omnibus innotuerunt. Veri namque, & ex toto corde Christiani, cingulum depositum, quidvis ferre parati potiùs quàm Christum negare. Cæteri, qui verè ex toto corde Christiani non erant, sed hujus sæculi divitias & voluptates veræ felicitati præferebant, sine ulla cunctatione ad sacrificandum sese contulerunt.

Si tale fuit veterum Patrum judicium, de iis qui à fide facilè & citò exciderunt; quantò magis de iis, qui non semel, sed frequenter id fecerunt? prout Eubolium Sophistam fecisse Socrates ibidem commemorat, qui *ad Imperatorum mores sese fingens & accommodans, sub Imperatore Christiano, Christianum, sub Ethnico, Ethnicum se profitebatur*: & licèt tandem pro foribus Ecclesiæ se pronum abjiciens, his vocibus usus fuerit: *Calcate me, ut sal insipidum*; ab Ecclesia creditus non fuit verè conversus; sed, ut Socrates prosequitur, *sicut anteà, levis & inconstans*, id est, non firmiter, sive ex toto corde Christianus, *ita etiam posteà.*

CAPUT XLVII.

Infertur sextò, consuetudinarium non idèò protinùs judicandum plenè conversum, adeòque satis dispositum ad absolutionem, vel primò quòd sint primæ vices, quibus confitetur, à tempore quo peccare incœpit, & jam se humiliter de peccatis accusat, totoque corde de iis se dolere affirmet. Vel secundò quòd aliquoties jam antè confessus, à Confessario nunquam specialiter fuerit admonitus, nec ulla unquam ad consuetudinem extirpandam remedia fuerint ipsi præscripta: nunc autem ad ea se paratum exhibeat. Vel tertiò quòd ab ea Confessione, in qua de ea extirpanda admonitus fuit, ad hoc nonnihil allaboraverit, nec toties ut antè ceciderit, nec tam facilè & citò.

RAtio primæ & secundæ partis est, quia omnes passim Sancti & Theologi docent, con-

ſuetudinarium ordinariè, non facilè & ſubitò, ſed difficulter & paulatim converti; idque in reſuſcitatione Lazari figuratum plerique Patres aiunt, & in converſione Auguſtini demonſtratum Theologi graves aſſerunt. Quomodò ergo conſuetudinarius prudenter creditur toto corde converſus, primâ vice quâ conſuetudinem confitetur, ſi alia converſionis ſigna non adferat, quàm quòd humiliter confitendo, ſe toto corde contritum affirmet, vitamque emendare velle pronuntiet: cùm id alii etiam conſuetudinarii, non plenè converſi, paſſim affirment & pronuntient?

814 At, inquit Simon Bourguinonus, qui primâ vice confitetur, teſtis eſt omni exceptione major; utpote qui fidem Confeſſario datam nondum violaverit: non eſt ergo, cur ipſi, ſe toto corde contritum aſſerenti, fides denegetur.

815 At, contrà ego: licèt fidem Confeſſario datam nondum violaverit, non protinùs eſt teſtis omni exceptione major: cùm in propria cauſa ſit teſtis cæcus, & tantò magis cæcus, quantò per longam peccandi conſuetudinem magis excæcatus. Nec ideò, quia fidem Confeſſario datam nondum violavit, contra ordinariam divinæ providentiæ œconomiam, ſubitò obtinuit plenæ converſionis gratiam, nec abſque ſignis extraordinariis, eam obtenturus præſumitur, niſi poſt multas colluctationes, multaſque & ferventes preces, necnon alia pietatis ac pœnitentiæ opera, prout ex divina Scriptura, communique Sanctorum traditione, Eccleſiæ ſenſu & praxi, ac multiplici ratione, in ſuperioribus eſt demonſtratum. Ex nullo proinde Theologico principio, abſque extraordinario ſigno, abſque multa colluctatione, abſque multis & ferventibus precibus, abſque præmiſſis multis pœnitentiæ & pietatis operibus, conſuetudinarius ille præſumi poteſt ſubitò plenè converſus.

816 Quòd enim uſquemodò à Confeſſariis monitus non fuerit, & nunc monitus omnia ſe facturum promittat, hoc quidem indicium aliquod eſt inchoatæ fortaſſe converſionis; ſed, abſque mediis ordinariè requiſitis, indicium non eſt plenæ converſionis; quæ tamen Confeſſario probanda eſt, ut talis prudenter judicetur ad abſolutionem diſpoſitus. Non probatur autem ſufficienter ſolis verbis, quibus ſe toto corde converſum dicit. Cùm, in propria cauſa, nullus ſit teſtis minùs idoneus, quàm ipſe, ob cæcitatem, quæ obſtat, ne veram cordis ſui diſpoſitionem benè dignoſcere poſſit. Non probatur etiam ſufficienter ex hoc, quòd verbis lachrymulas addat, & gemitus: cùm verbis lachrymas & gemitus frequenter addant plerique non plenè converſi. Nec denique ex hoc quòd ſe paratum exhibeat ad remedia; quia ad hæc etiam ſe verbo paratos exhibent, qui tamen pleno ac toto corde parati non ſunt.

817 Accedit quòd, cùm ſubitanea, ſeu brevi tempore acta, talis pœcatoris converſio plena & integra, extraordinaria ſit, abſque ſigno extraordinario, ſolis plenè converſis conveniente, præſumenda non ſit. Abſque ſigno itaque extraordinario, nullum eſt principium Theologicum, in quo fundare ſe poſſit Confeſſarius, ut credat ejuſmodi peccatorem tam facilè & tam citò plenè converſum, totumque mutatum ad unum ſuum monitum. Cùm id rarum ſit & extraordinarium: ordinariè proinde non præſumendum.

818 Ratio tertiæ partis eſt, quia, quòd talis peccator nonnihil laboraverit, ad extirpandam ſuam pravam conſuetudinem, nec toties ut antè peccaverit, ſignum quidem eſt hominis adverſus concupiſcentias luctari incipientis, volentiſque & aliquo modo conantis ſe convertere; ſed non protinùs eſt ſignum hominis jam plenè converſi. Cùm ex Confeſſionibus Auguſtini conſtet, ipſum adverſus concupiſcentias ſuas diù multùmque luctatum fuiſſe, numerum etiam peccatorum ſuorum diminuiſſe, antequam plenè converſus fuiſſet. Conſtat etiam quòd tunc volebat quidem & conabatur converti, ſed nondum plenè volebat: *Voluntas enim nova* (inquit l. 8. cap. 5.) *quæ mihi eſſe cœperat .. nondum erat idonea ad ſuperandam priorem* voluntatem, *vetuſtate roboratam*. Quia, uti c. 8. 9. & 10. dicit, nondum erat plena.

At quomodò (inquies) Auguſtinus volebat & 819
conabatur converti, nec tamen ideò plenè erat converſus: cùm converti, nihil aliud ſit quàm velle converti?

Reſpondet ipſe cap. 8. verum eſſe, quòd converti nihil aliud ſit, quàm velle converti, ſed *velle fortiter & integrè: non ſemiſauciam hac atque hac verſare & jactare voluntatem, hac parte aſſurgentem, cum alia parte cadente luctantem.*

Præterea ſi non toties ut antè peccaſſe, ſignum 820
eſſet ſufficiens plenæ converſionis, conſuetudinarius ſolitus in menſe centies peccare, toties quoties (poſt centenos relapſus) per annos plures ſtatim abſolvi poſſet, ſi ſingulis bimeſtribus Confeſſionibus, ad tres vel quatuor vices peccatorum numerum diminuiſſet, tametſi interim in eadem peccata, in prima Confeſſione 96. vicibus, in ſecunda 92. in tertia 88. in quarta 84. & ſic cum proportione deinceps relapſus fuiſſet. At talis, juxta ſanctos Patres, communemque Eccleſiæ & hominum ſenſum, dici non poteſt toties quoties confiteri cum pleno peccati odio, plenaque illud ampliùs non committendi voluntate; nec dici poteſt plenè converſus, nec totaliter immutatus, ſed partialiter ad ſummum. Talis proinde cenſeri necdum poteſt ad abſolutionem ſufficienter diſpoſitus. Confer ea quæ habentur infrà num. 1117.

CAPUT XLVIII.

Infertur ſeptimò, ſigna ex quibus prudenter judicatur de ſufficienti diſpoſitione magni peccatoris, maximè conſuetudinarii, vel facilè & citò relapſi, eſſe pœnitentiæ opera, cum vitæ emendatione conjuncta. Quod probatur primò ex Evangelica regula, ex fructibus eorum cognoſcetis eos, *Matth. 7. quâ ſicut falſi Prophetæ, ſic falſi pœnitentes diſcernuntur à veris, & non plenè converſi à plenè converſis: & contrà.*

QUiſquis totam iſtius Evangelii ſeriem conſi- 821
deraverit, videbit, ibi quidem à Salvatore mentionem fieri de falſis Prophetis; ſimul tamen regulam tradi, quâ omnis hypocrita, qualis aliquo modo eſt fictus pœnitens, detegi poſſit. *Attendite* (inquit Veritas) *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*, externis operibus ſuis ſe veros Dei famulos ſimulando; *intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.*

De falſis ergo Prophetis, tamquam ſimulatoribus ſanctitatis vel pietatis, à qua intrinſecùs alieni ſunt, ideòque hypocritæ ſunt, procedit Evangelica hypocritas detegendi regula, quam Chriſtus tradit ibidem, dicens: *à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Eſtque proinde regula detegendi hypocritas in univerſum, quæ (ut S. Hieronymus ad iſtum locum ait) *de omnibus intelligi poteſt, qui aliud habitu ac ſermone, aliud opere demonſtrant.* Sicque eam Auguſtinus intellexit l. 2. ſerm. Dom. in monte c. 12. dicens: *quod homo qui in profeſſione Chriſtianitatis inuſitato ſqualore intentos in ſe hominum oculos facit .... ex cæteris ejus operibus poteſt con-*

fici, utrùm hoc contemptu superflui cultûs, an ambitione aliquâ faciat. Quia & sub ovina pelle cavendos lupos Dominus præcepit (citato utique cap. 7. Matthæi) *sed ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos.*

822 Enimverò Christus ibi non docuit modum detegendi hypocritas dumtaxat, sed & omnes qui suo desunt officio. Siquidem occasione acceptâ ab eo quod dixit de hypocritis, generalem tradit regulam cognoscendi bonas vel malas arbores rationales. Neque enim de solis Prophetis falsis, vel hypocritis consequenter adjunxit: *Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere*; sed de omnibus hominibus, de quibus proinde verificatur, quod post verba ista rursum concluserit: *igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Concluserit ergo rationales arbores quascumque à nobis cognosci, non ex foliis, sed *ex fructibus*, prout expressit Lucas cap. 6. *unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur.* Inde ergo non solùm cognoscuntur veri & falsi Prophetæ, veri & falsi Doctores; verùm etiam veri & falsi Christiani, veri & falsi pœnitentes, sicut & debitè & indebitè pœnitentes. Enimverò Christus Matth. 7. ut ostendat se generaliter loqui, subjungit: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona* (nota generalitatem) *fructus bonos facit*, si ad debitam maturitatem, seu integritatem pervenerit: *mala autem arbor malos fructus facit.... omnis arbor, quæ* (adepta incrementum sufficiens ad fructificandum) debito tempore *non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Quam sententiam ipse etiam Præcursor Christi Luc. 3. protulit, postquam dixerat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

823 Lege reliquum textum Matth. 7. atque ex generalibus aliis documentis, quæ immediatè sequuntur, ampliùs videbis, Christum generaliter loqui: *Non omnis* (inquit) *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram... Omnis qui audit... & non facit, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam*, &c. Quæ de omnibus hominibus, non de solis Prophetis & Doctoribus, dici perspicuum est.

824 Ex Evangelio itaque sic arguitur 1°. omnis arbor ex fructibus cognoscitur, non ex foliis. Omnis homo, & omnis voluntas est arbor. Christus quippe *homines arbores posuit*, inquit Augustinus serm. 292. in Natali S. Joan. Bapt. *Et quasi arbor voluntas est*, ait Gregorius in cap. 5. lib. 1. Reg. post Augustinum Enchirid. 5. Ergo omnis homo, & omnis voluntas ex fructibus cognoscitur, non ex solis foliis. Si omnis homo, & omnis voluntas: ergo omnis pœnitens. Verè ergo & falsò pœnitens, debitè & indebitè pœnitens, ex fructibus cognoscitur. Non ex aliis quàm fructibus pœnitentiæ. Ex his igitur, non ex foliis dumtaxat, vera debitaque pœnitentia cognoscitur, sicut & homo seu voluntas verè ac debitè pœnitens. Sed ab hominibus non cognoscitur ex solis fructibus internis (quia ipsis interiora cordis non patent; ideòque de illis, tamquam per se sibi occultis, non judicat Ecclesia:) igitur ex fructibus externis; vel certè ex internis simul cum externis, à pœnitente Confessario manifestatis; sed sic ut ex fructibus externis, actuum interiorum veritatem efficaciamque colligat Confessarius, atque, ut Gregorius ait homil. 18. in Ezech. *per hoc quod videmus, cognoscamus operantis animum, quem non videmus.*

825 Atqui vera debitaque pœnitentia non cognoscitur, nec à falsa & indebita discernitur ex fructibus externis quibuscumque, si conjuncti non fuerint cum præcipuo pœnitentiæ fructu, scilicet emendatione vitæ, morumque mutatione. Sine hac quippe peccator semper manet peccator, arborque mala, tametsi jejunet, oret, confiteatur, lachrymetur, eleëmosynas eroget, aliaque externa pœnitentiæ opera faciat: utpote quæ ab ipsis etiam hypocritis fieri posse, Augustinus observat l. 2. serm. Dom. in monte cap. 24. Et ideò optimè Chrysostomus homil. 3. ad populum de Ninivitis agens: *Quid inevitabilem iram solvit? Num jejunium solum & saccus? Nequaquam; sed totius vitæ mutatio. Unde hoc manifestum? Ab ipsis propheticis verbis. Deus enim ira locutus, & illorum jejunio conciliationis causam dicens; sic inquit: & vidit Deus opera ipsorum. Qualia opera? Quòd jejunaverunt? Quòd saccum induerunt? Nihil horum. Sed hæc omnia tacens: quoniam conversus est quisque à vitiis suis malis, pœnituit mali, quod dixerat ipsis facere Dominus. Cernis quòd non jejunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & benevolum reddidit.*

826 Igitur ex emendatione vitæ, tamquam præcipuo pœnitentiæ fructu, vera pœnitentia cognoscitur, à falsaque discernitur: *Ista* quippe *est vera pœnitentia* (inquit Augustinus) *quando sic convertitur quis, ut non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat*, serm. 7. de temp. Et ideò homil. 41. inter 50. pœnitentiam illam reputat irrisoriam, quæ est sine mutatione vitæ: *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non irridentes, mutate vitam.*

827 Isti tamen pœnitentiæ fructui, tametsi præcipuo, in sacrisque eloquiis præ cæteris requisito, post grandia crimina accedere debet districtæ pœnitentiæ satisfactio, ut alibi dixi. Ut enim Augustinus ibidem homil. ult. *non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum.... compatientibus eleëmosynis, &c. Quid enim prodest à peccatorum perpetratione desistere* (ait Petrus Damian. opusc. de perfect. Monach. c. 6.) *nisi & hæc ipsa, quæ perpetrata sunt, studeat quis districtiæ pœnitentiæ satisfactione delere?*

828 Emendationi proinde jungenda est (post magna scelera) districta satisfactio & satisfactioni emendatio, ut debita pœnitentia cognoscatur, ab indebitaque secernatur. Siquidem *ut.... secundùm Baptistæ vocem, dignos pœnitentiæ fructus faciamus.... non satisfactionis modus tantùm servandus est; sed etiam purgationis necessitas perquirenda. Nec pro sola satisfactione à licitis continendum; sed etiam pro expellendis, vel minuendis passionibus, quæ vitiosâ consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum.* S. Aëlredus in spec. charit. c. 40.

829 Ideò utramque jungit Basilius Seleucensis orat. in Jonam: *Hæc veræ pœnitentiæ sunt indicia, lugens anima, lachrymantes oculi, discessio à malitia, impietatis fuga, carnis contritio, animi compressio, injustitiæ devitatio.* Et Petrus Blesensis tract. de Confess. sacram. *Nemo de momentanea contritione, vel affluentia lachrymarum præsumat.... sine fructibus pœnitentiæ.... Gratum* quidem est *Deo sacrificium lachrymarum, & pro omnibus deliciis sufficiens holocaustum. Sed quibus? confitentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum; sed in spiritu humilitatis, & in animo contrito fugientibus ad pia viscera Jesu, & continuantibus dignos fructus pœnitentiæ.*

830 Atqui ex hisce fructibus consuetudinariorum & recidivorum (post Confessionem solita crimina facilè & citò repetentium) pœnitentia non cognoscitur esse vera debitaque; nec enim vitam emendant, nec perpetrata crimina districtâ satisfactione castigant; & quamvis ea castigarent, sine vitæ emendatione

emendatione non sufficeret ad debitam pœnitentiam. Igitur pœnitentia ipsorum censenda non est vera & insufficiens; sed vel falsa, vel insufficiens.

CAPUT XLIX.

Probatur secundò ex aliis verbis Salvatoris ibidem: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c.

831 ALiud ex eodem Evangelio argumentum sic formari potest: Veritate teste ibidem, *non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Ergo non omnis qui Christo dicit, *Domine, Domine*, verè atque pleno corde hoc dicit, verèque atque ex pleno corde subjicit se dominio ipsius. Nec credere debemus, Christum verè ac plenè dominari omni homini, Christo oretenùs dicenti, *Domine, Domine*, etiam ubi ratio manifesta non apparet in contrarium. Aliàs credere deberemus, omnem hominem, hoc oretenùs dicentem, salvari, ubi non est evidentia contrarii. Cùm certò salvandi sint omnes, quibus Christus verè ac plenè dominatur.

832 Tametsi igitur omnis, cui Christus verè ac plenè dominatur, certissimè intraturus sit in regnum cælorum; non omnis tamen oretenùs ipsi dicens, *Domine, Domine*, dominio ipsius verè ac plenè se subjicit; nec hoc credere debemus. Similiter ergo, tametsi omnis qui verè & plenè de peccatis commissis pœnitet, certissimè gratiam consequatur; non omnis tamen qui dicit oretenùs, *pœnitet me*, verè & plenè de iis pœnitet; nec hoc credere debemus.

833 Sed sicut ille est credendus verè ac plenè subjectus dominio Christi, qui sic dicit, *Domine, Domine*, ut *faciat voluntatem Patris* ipsius, *qui in cælis est.* Sic ille credendus est verè & plenè pœnitens, qui sic dicit, *pœnitet me*, ut faciat voluntatem Patris cælestis, quæ est ut faciamus *fructus dignos pœnitentiæ*, Luc. 3. & impleamus illud Isa. 1. *Quiescite agere perversè, discite benè facere.* Audiat hoc & faciat quisquis verè vult pœnitere, & per pœnitentiam justificari. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur.* Rom. 2.

CAPUT L.

Probatur tertiò ex similitudine arboris, de qua ibidem.

834 REdeamus ad similitudinem arboris, quâ Christus utitur in illo Evangelio. Ex ea hic denuò argumentor: arbor ex fructibus malis cognoscitur esse mala: ergo voluntas ex operibus malis cognoscitur esse mala. Sed voluntas mala tamdiù censetur vivere in peccatore, quamdiù ex ipsa prodeunt solita opera mala; sicut arbor mala tamdiù censetur vivere in radice, quamdiù ex ipsa prodeunt soliti fructus mali. Quamdiù ergo peccator non mutat mores de malis in bonos, nec vitam emendat, tamdiù censetur in ipso vivere voluntas mala. Et sicut arbor tamdiù non censetur mutata de mala in bonam, quamdiù producit fructus malos; nec censetur mutata de mala in plenè bonam per solam productionem foliorum bonorum, sed per solam productionem fructuum bonorum; sic voluntas tamdiù non censetur mutata de mala in bonam, quamdiù producit opera mala; nec censetur mutata de mala in plenè bonam per solam productionem foliorum bonorum, quæ sunt verba confessionis, lachrymæ momentaneæ, gemitus steriles, promissa bona absque effectu; sed per solam productionem illorum operum bonorum, quæ Scriptura vocat fructus dignos pœnitentiæ. Denique sicut arbor tamdiù censetur sterilis & infœcunda, quamdiù fructum non producit in tempore suo; sic voluntas se emendandi, Deoque satisfaciendi, in peccatore, tamdiù censetur sterilis & infœcunda, seu inefficax, quamdiù non producit effectum in tempore suo. Et ita totam Venerabilium Patrum authoritatem censuisse, laudatumque Evangelium intellexisse, constabit ex dicendis.

CAPUT LI.

Probatur quartò ex plerisque aliis comparationibus, parabolisque, tam ex Matth. 7. quam ex Luc. 8. desumptis, ex quibus vera pœnitentia à falsa, plenaque à non plena discernitur.

NIhil rationabilius dici potest, quàm tale esse 835
discrimen debitè & indebitè pœnitentis, quale est discrimen debitè & indebitè semen cæleste recipientis. Tale item discrimen veri pœnitentis à ficto, quale veri sapientis à stulto. Cùm verus pœnitens viro sapienti meritò comparetur, & fictus stulto; debitèque pœnitens, debitè recipiat verbum Dei; quod indebitè pœnitens indebitè recipit; fructus denique præcipuus cælestis illius seminis sit pœnitentiæ fructus. Sicut ergo Christus virum sapientem à stulto in Evangelio discernit per hoc quòd sapiens solidum & stabile ædificium jaciat, quod ad flatum contrariorum ventorum facilè non cadit; stultus econtrà faciat ædificium infirmum & instabile, quod ad flatum ventorum contrariorum facilè concidit: sic verum pœnitentem à ficto, vel indebitè pœnitente discernendum insinuat, per hoc quòd verè debitèque pœnitentis pœnitentia ædificata sit supra petram fortis atque efficacis voluntatis, quæ ad flatum contrariorum ventorum seu tentationum facilè non concidit; ficti verò vel indebitè pœnitentis pœnitentia ædificata sit super arenam infirmæ & inefficacis voluntatis, quæ ad flatum contrariarum tentationum facilè concidit. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea* (ait Christus Matth. 7.) *assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super* firmam *petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Veri & falsi, seu debitè & indebitè pœnitentis imaginem Christus hinc delineandam indigitavit. Verus enim pœnitens audit verbum Dei, & facit. Falsus, seu indebitè pœnitens, audit, sed non facit. Prior ergo (teste Veritate) similis est viro sapienti, ædificanti solidum ædificium supra petram; posterior similis stulto, ædificanti super arenam. Quia pœnitentia ipsius ædificata non est supra petram voluntatis fortis & efficacis, sicut pœnitentia prioris; sed super arenam voluntatis languidæ, imbecillæ & inefficacis. Non mirum proinde si ædificium illud facilè collabatur, statim atque ingruunt pluvia, flumina, venti tentationum, libidinum, cupiditatum, passionum; à quibus citò & facilè non dejicitur pœnitentia ædificata super petram plenæ efficacisque voluntatis. Quam ideò Apostolus 2. Cor. 7. *pœnitentiam stabilem* appellat.

Simile discrimen inter veram & falsam, debi- 836
tamque & indebitam pœnitentiam, Christus insinuat per parabolam seminis, diversitatemque subjecti illud recipientis. Implicata quippe cælitùs pœnitentia haud dubiè est verbum Dei, de quo Christus Luc. 8. *Semen est verbum Dei. Exiit*

ergo *qui seminat, seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam.... aliud cecidit supra petram.... aliud cecidit super spinas.... Et aliud cecidit in terram bonam.* Attendat pius & cordatus Lector, animam verè ac debitè pœnitentem hîc non designari per terram secus viam, neque per petram, neque per spinas, seu terram spinis repletam, sed per solam terram bonam: qualis reverà est anima verè ac debitè pœnitens. Unde cùm sola terra bona semen debitè recipiat; non illa quæ est secus viam, neque petrosa, neque spinosa: illi soli censendi sunt verè ac debitè pœnitentes, qui hîc comparantur terræ bonæ; non illi qui comparantur terræ secus viam, vel petrosæ, vel spinis repletæ.

837 Videamus ergo quinam à Christo comparentur terræ secus viam; qui terræ petrosæ; qui terræ spinis repletæ; qui terræ bonæ: & inde apparebit, eos qui similes sunt tribus prioribus, censendos non esse verè ac debitè pœnitentes; sed eos solos qui similes sunt terræ bonæ. Quosnam igitur Veritas similes esse dicit terræ secus viam? *hi sunt* (inquit) *qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum*, Luc. 8. Vel (ut Matth. 13.) *omnis qui audit verbum Dei, & non intelligit.... hic est qui secus viam....* Sicut enim terra secus viam continuò calcatur ab hominibus; ideòque semen in ipsam cadens non intrat in intima cordis ipsius, sed manet in extima superficie; sic homo secus viam hujus sæculi continuò calcatur à sæcularibus desideriis, quibus animalis factus non intelligit verbum Dei (*siquidem animalis homo non percipit quæ Dei sunt*) illudque non recipit intra intima cordis, sed in extima tantùm illius superficie; ideòque citò & facilè illius obliviscitur, estque *auditor verbi, & non factor*, à Jacobo comparatus *viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo*, in quo quia imago habet debile esse, & intentionale potiùs quàm reale, ideò debilem facit impressionem: *consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit*, Jacob. 1. Ista ergo prima est differentia recipientium verbum Dei.

838 Secunda differentia est eorum, quos Christus comparat petræ, seu terræ petrosæ; & hi sunt (inquit) *qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Ipsos Matth. 13. Salvator vocat *temporales*, qui, factâ tribulatione, seu tentatione, *continuò scandalizantur*. Rursus attende (Lector) quòd tales, tametsi cum gaudio, id est libenter recipiant verbum Dei, ipsâ veritate delectati, justitiamque suâ syndereſi approbantes; quia tamen in tempore tentationis continuò scandalizantur, facilèque & citò abjiciunt verbum, quod libenter susceperant, à Salvatore vocantur *temporales, radicem non habentes*. Quid per radicem aptiùs intelligitur, quàm voluntas firma, seu firmum propositum? Sic utique verba illa Salvatoris sacri Interpretes exponunt, nominatim Dionysius Carthusianus in cap. 13. Matth. & 8. Lucæ, per radicem intelligens, *stabile fundamentum*, seu firmum propositum. Videri potest Augustinus serm. 1. in Psalm. 90. ubi exponens eadem verba ex Matth. 13. *Cùm venisset* (inquit) *Dominus ad exponendum petrosa, hoc ait: hi sunt, qui audiunt verbum, & ad horam gaudent ad verbum, & in tribulatione, quæ fit propter verbum, continuò scandalizantur. Quid enim dixerat de his quæ exierant*, id est cecidérant *in petrosis? exorto sole* (inquit) *aruerunt, quia non habebant altam radicem. Hi sunt ergo, qui ad horam gaudent ad verbum, & cùm persecutio facta fuerit propter verbum, arescunt. Quare arescunt? quia non habebant firmam radicem. Quæ est radix? charitas. Hoc enim dicit Apostolus: in charitate radicati & fundati.*

Per altam proinde radicem Augustinus intelligit firmam charitatem, firmam voluntatem bonam, firmum propositum.

Attende etiam (Lector) ad illud Sap. 4. *spuria vitulamina*, seu (ut Dionysius Carthusianus legit ad citatum locum Lucæ) *adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.* Et intellige spuria vitulamina, seu adulterinas plantationes dici, quæ non dant, sive non habent stabilem firmitatem, seu altam radicem. Quam cùm non habeant voluntates & proposita, à quibus facilè & citò recedituntur, concludo ejusmodi voluntates (secundùm Scripturam) non tam veras voluntates esse, quàm spurias & adulterinas. "Talem voluntatem habent homines corde instabiles" (prosequitur Dionysius Carthusianus in cap. 8. Luc.) "instar ovi versatilis. Et sicut arbor idcircò radice privatur, quia valdè multoties transplantatur; sic "hi virtutum radicibus non firmantur, quia nimis facilè de bono in malum mutantur. Con- "tra quod scriptum est Eccli. 5. *Non te ventiles "in omnem ventum, esto firmus in via Domini, "& in veritate sensûs tui.* Apostolus quoque: "*stabiles* (inquit) *estote & immobiles.*" Quòd- que ventilantes se in omnem ventum inde probentur pleno & sincero corde non velle bonum, Jesus filius Sirach loco citato significat dicens: *non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Sic enim peccator probatur de duplici lingua.* Sic fecit Saül, qui dum persequeretur David, bisque traditus fuisset in manus ipsius, videns quòd David ipsi pepercisset, dixit, *peccavi*, promittens non ultrà prosequi ipsum; sed citò resiliens à proposito, iterùm prosequebatur; ideòque creditus non fuit verè ex toto corde, sed vel fictè, vel non plenè id proposuisse, nec pœnituisse.

Tertia differentia eorum est, qui à Christo com- 840
parantur terræ spinis repletæ, & *hi sunt* (inquit) *qui audierunt, & à sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum.* In ipsis ergo verbum Dei impeditur à sæculi sollicitudinibus, divitiarumque & voluptatum amore, ne fructificet. Tales sunt, qui per Dei gratiam habent quidem inspiratum sibi motum pœnitentiæ, habent desiderium aliquod conversionis, sic tamen ut in ipsis nondum prædominetur charitas, sed cupiditas, seu amor divitiarum, ac voluptatum. Quorum proinde bona voluntas & conversio nondum est plena, nec expedita; sed impedita, & suffocata per dictam cupiditatem.

Ecce in nullo horum trium generum reperiun- 841
tur verè ac debitè pœnitentes. In solo ergo quarto genere reperiuntur. Quarta ergo differentia est illorum, qui à Christo dicuntur similes terræ bonæ, in qua cælesti semen non recipitur in sola superficie cordis, prout in primo genere; nec ad horam recipitur, &, defectu firmæ radicis, in tempore tentationis citò & facilè abjicitur, prout in secundo genere; nec per suffocationes & prædominantes spinas cupiditatum à fructu impeditur, prout in tertio genere: sed in intimo cordis receptum, in eoque firmiter radicatum, nec impeditum, ibi firmiter retinetur (hoc saltem sensu, quòd nec citò nec facilè abjiciatur) juxta illud: *hi sunt qui in corde bono* (per dona naturæ) *& optimo* (per dona gratiæ, prout Carthusianus explicat) *verbum retinent*, ideòque *fructum afferunt in patientia.* Quare Christus addit *in patientia*? quia veræ & fructiferæ pœnitentiæ gratia, post multa & gravia peccata, est patienter expectanda, multisque lachrymis ac piis laboribus imploranda.

Ne quis verò existimaret, nomine *terræ bonæ* 842
solos perfectos ibi designari, tripartitam in illa fruc-

tificatione differentiam Salvator induxit, dicens, quòd in terra illa bona cæleste semen, id est verbum Dei, *aliud fecit fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum*, secundùm differentiam recipientium, scilicet perfectorum, in quibus refert fructum centesimum; proficientium, in quibus sexagesimum; & incipientium, in quibus trigesimum, prout Dionysius Carthusianus observat ad cap. 13. Matthæi. Tam ergo imperfectè (dummodò verè ac debitè) quàm perfectè pœnitentes designantur *per terram bonam*, in qua cæleste semen profert fructum. Ad quod tamen quatuor sunt necessaria. 1°. quòd semen recipiatur in intimo corde terræ, non in superficie dumtaxat. 2°. quòd in terra firmiter radicetur, & conservetur, ut suprà. 3°. quòd non impediatur nec suffocetur per cupiditatem prædominantem. Quartum requisitum est patientia in expectanda & imploranda gratia, ut suprà. Quia verò vel in aliquo, vel in aliquibus illorum requisitorum, vel in omnibus utplurimùm deficit pœnitentia consuetudinariorum, in solitaque crimina, post confessionem, facilè & citò relabentium: non mirum quòd pœnitentia ipsorum utplurimùm vel falsa sit, vel saltem non debita, quòdque pœnitentiæ fructum non afferant in patientia, nec sint in quarta differentia supradicta, sed in aliqua ex tribus prioribus, vel in omnibus.

CAPUT LII

Probatur quintò ex Joan. 14. Siquis diligit me, sermonem meum servabit, *&c.*

843 PRæter ea quæ de hoc argumento dixi libro præcedenti n. 519. & seqq. ubi ex pulcherrima S. Aëiredi sententia demonstravi, quòd verus Dei amor non probetur verbis, nec momentaneis & sterilibus affectionibus. Ex verbis illis Joan. 14. arguo sic: omnis ex toto corde conversus, diligit Deum (quia conversio ad Deum ex toto corde, non est sine amore Dei ex toto corde, uti demonstrabitur infrà, ubi de contritione;) sed qui diligit Deum, sermonem ipsius non solùm servat, dum diligit, sed ex vi præsentis dilectionis, sermonem Christi in futurum *servabit*, ut Veritas dicit. Neque enim dicit: *siquis diligit me, sermonem meum servat*; sed *servabit*. Ex quo Gregorius homil. 30. in Evangelia infert: *probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis*, utique juxta verba Veritatis proximè citata, non utique operis momento transeuntis, sed operis in futurum manentis, uti ampliùs significant sequentia verba Veritatis: *& ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ad quæ verba Gregorius ibidem: *Videte, quid Veritas dicat: veniemus, & mansionem apud eum faciemus. In quorumdam enim corda venit, & mansionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt; sed, recurrente postea tentationis tempore, hoc ipsum quòd compuncti fuerant, obliviscuntur; sicque ad perpetrata peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Qui ergo Deum verè diligit..... in ejus corde Dominus & venit, & mansionem facit: quia sic eum divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore tentationis tempore facilè non recedat..... Ad vosmetipsos ergo, fratres charissimi, introrsus redite; si Deum verè amatis, exquirite: nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione Conditoris, lingua, mens, & vita requiritur. Nunquam amor Dei est otiosus. Operatur enim magna* (sensu dicto) *si est: si verò operari renuit, sed ab operando justitiam citò & facilè recedit, qui se diligere dicit, verus Dei amor non est.* Vide libro præcedenti n. 545. & conclude, quòd sicut solis verbis non probatur vera Dei dilectio; ita nec vera pœnitentia. Et sicut ad probationem amoris vita requiritur; ita & ad probationem pœnitentiæ. Denique sicut (Authore Gregorio) veri amoris defectus rectè arguitur in iis qui, tempore tentationis, hoc ipsum quòd compuncti fuerant obliviscentes, sic ad perpetrata redeunt, ac si hæc minimè planxissent; ita in iisdem rectè arguitur veræ pœnitentiæ defectus.

Quod totum ex allato Evangelico textu cum 844
Gregorio rectè deducitur. Necnon ex 1. Joan. 3. *Filioli, nemo vos seducat: qui facit justitiam, justus est.... qui facit peccatum, ex diabolo est.... Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate*, in occasione opere demonstrandâ, per actus virtuosos, pios, & charitativos, inquit Dionysius Carthusianus ibidem: patetque ex eo quod immediatè præcedit: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate*, ita ut veritatem dilectionis in occasione demonstremus per exhibitionem operis. Nam, ut Salomon contestatur Prov. 17. *omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Meritò proinde subdit Joannes: *In hoc*, id est per exhibitionem operis in occasione factam, *cognoscimus quoniam ex veritate sumus*, id est veraciter, non fallaciter diligimus, *& in conspectu ejus suademus corda nostra*, id est verè coram Deo ostendimus sinceritatem cordium nostrorum.

CAPUT LIII.

Probatur sextò ex Jacobi 2. Quid prodest, si fidem dicat quis se habere; opera autem non habeat..... Ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ostendam tibi ex operibus fidem meam. Fides sine operibus mortua est.

TExtum hunc Dionysius Carthusianus ibi sic 845
explicat: dicit fidem sine operibus, tempore opportuno productis, mandatorumque custodiâ, non magis proficuam esse, quàm pulchra verba sine effectu profint indigenti, secundùm quod Apostolus dicit ibidem: *Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis: ite in pace, calefacimini, & saturamini; non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera* (id est, inquit Carthusianus, executionem præceptorum, loco & tempore opportuno) *mortua est in semetipsa*: quia fides illa non est viva, quæ per charitatem non operatur. *Sed dicet quis* (habens fidem per dilectionem operantem) *tu fidem habes* (sine operibus) *& ego opera habeo* (cum fide) *ostende mihi fidem tuam sine operibus* (quasi improperatoriè diceret: *hoc facere nequis*, ait Augustinus) *& ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, id est per opera fidei, quæ exerceo, tibi ostendam me fidem habere.

Unde sic argumentor 1°. homo homini se- 846
cundùm Apostolum non potest ostendere, seu probare fidem suam per sola verba sterilia, sed per opera. Idem ergo dicendum de pœnitentia.

2°. sicut non creditur homini, dicenti se ha- 847
bere fidem, quando in omni ferè occasione facit opera contraria fidei: sic non creditur homini, dicenti se ex toto corde pœnitere, emendationemque proponere, quando in omni ferè occasione facit opera contraria illi pœnitentiæ ac proposito. Cùm non sit ratio quoad hoc aliter philosophandi de pœnitentia, quàm de fide.

Confer quæ de hoc argumento dixi libro præcedenti n. 514. & 515.

CAPUT LIV.

Septimò ex Conciliis, Nicæno, Ancyrano, &c.

848 PRimò, Conc. Ancyranum can. 5. 7. & 16. examinari vult pœnitentium vitam, & præcedentem, & quæ consecuta est, ut sic, & non aliter, ipsis clementia & misericordia concedatur.

Secundò, Concil. Nicænum I. can. 12.. *Quicumque*, inquit, *& timore, & lachrymis, & tolerantiâ, & bonis operibus conversionem & opere, & habitu ostendunt..... liceat Episcopo humaniùs cum iis agere.* Et can. 18. edit. noviss. *Illud præcipuè observetur, ut animus, & propositum eorum.... requiratur: Quicumque enim cum lachrymis perseverantibus, & bonis operibus, omni tempore conversionem suam, non solo habitu* (Isidori versio habet: *non verbis solis*) *sed opere, & veritate demonstrant.... meritò orationibus communicabunt*, &c.

Tertiò, Conc. Laodicense can. 2. post diversorum peccatorum lapsus, ad communionem admitti solùm permittit eos, *qui in oratione, & confessione, & pœnitentia fortiter perseverantes, se à malis perfectè*, id est plenè *conversos demonstrant.*

CAPUT LV.

Octavò ex SS. Patribus, Cypriano, Basilio, Nazianzeno, Nysseno, Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, ad fidem dictis peccatoribus adhibendam, absolutionemque impartiendam, non linguam tantùm, sed manus etiam & opera, velut signa plenam conversionem probantia, requirentibus.

849 PRimò namque opera requirit Cyprianus, dum in lib. de lapsis ait: *Putasne Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? cui patrimonium præponere maluisti? cujus templum sacrilegâ contagione violasti?... Orare oportet impensiùs, & rogare, diem luctu transigere, vigilis noctes & fletibus ducere.... justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur.... pœnitenti, operanti, deprecanti, roganti potest Deus clementer ignoscere: potest in acceptum referre quidquid pro talibus vel petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

850 Secundò, opera requirit Basilius epist. ad Amphiloch. c. 5. dum recipi vult hæreticos, non sine judicio, sed examinatos, *an veram pœnitentiam ostendant, & si fructus habent, qui salutis studium testificantur.* Capite verò 3. dixerat: *Qui propter carnis voluptatem gratiam vilipendit, per carnis afflictionem, & omnis generis servitutem, ad temperantiam à voluptatibus deficiens, à quibus fuit oppugnatus, perfectam suæ curationis demonstrationem exhibebit.* Et postea quam 83. Canonibus varias pœnas criminibus imponendas statuit, can. 84. causam præcipuam impositionis pœnarum illarum enarrat, ut sequitur: *Hæc autem omnia scribimus, ut pœnitentiæ eorum fructus probetur. Non enim hæc omninò tempore judicamus* (multò minùs solis verbis pœnitentis) *sed modum pœnitentiæ attendimus.* Et in cap. 1. Isa. *Non enim qui dixit, peccavi, mox si relapsus in eodem peccato perdurat, talis verè confitetur; sed qui deprehenso peccato suo... illud odio infensè persequitur.*

851 Tertiò, opera requirit Gregorius Nazianzenus orat. 39. dicens à se pœnitentes non recipi, nisi humiliatos, & emendatos: *Nec ipse quidem eos recipio, qui vel nullo modo, vel non satis deprimuntur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt.*

852 Quartò, opera requirit Gregorius Nyssenus in Epist. Canon. ad Letojum, cum dicit, tot pœnitentiæ stationes, tam longam illius durationem, tot corporis afflictationes, olim idcò fuisse præscriptas, ut per hæc conversionis sinceritate & plenitudine probatâ, pœnitens diligenter & accuratè purgatus ad Sacramentorum communionem admitteretur. Sincerè enim & sufficienter eos pœnitere veteres Patres censebant, qui multis annis non cessassent varia castigatæ & emendatæ vitæ edere argumenta. Ideò Nyssenus addit ibidem: *In omni peccati specie, ante omnia respiciendum, qualis sit ejus, cui medela adhibetur, affectio & dispositio*, examinando scilicet vitam fervoremque pœnitentium in pœnitentia agenda. Inde namque perspectâ sinceritate sufficientiâque conversionis ipsorum, licitum esse dicebat, celeriùs ipsos reconciliare: *In iis, qui diligentiori conversione usi fuerint, & vitâ suâ* (nota: non solis ergo verbis, vel sterilibus lachrymis) *reditum ostenderint ad id quod bonum est, licet tempus auditionis contrahere... & celeriùs communionem reddere.*

Quintò, opera requirit Ambrosius lib. 2. de pœnit. c. 10. *An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi ipsius copulæ conjugalis usus?..... renuntiandum est sæculo, somno ipsi minùs indulgendum, quàm natura postulat; interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus est orationibus; vivendum ita ut vitali huic moriamur usui; seipsum sibi homo abneget, & totus immutetur, sicut quendam adolescentem fabulæ ferunt propter amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellata.... dixerat, ego sum: respondérit ille, sed ego non sum.* Et ad Virg. lapsæ c. 8. *Pœnitentia non verbis agenda est, sed & actu.* Quo actu? carnis afflictationibus, cordis contritione, vitæ mutatione, aliisque pœnitentiæ operibus, ut explicat ibidem. Et in 2. Cor. 2. (si tamen opus ipsius sit: tale equidem est, ut extet inter opera ipsius) *pœnitentia vera est cessare à peccato. Sic enim probat dolere se, si de cætero desinat.* 853

Sextò, opera requirit Chrysostomus, sed vitæ præsertim emendationem, dum homil. 3. ad populum Antioch. de Ninivitis agens: *quid* (inquit) *inevitabilem iram solvit? Num jejunium solum & saccus? Nequaquam; sed totius vitæ mutatio. Unde hoc manifestum? Ab ipsis propheticis verbis. De Dei enim ira locutus, & illorum jejunio, conciliationis causam dicens, sic inquit: & vidit Deus opera ipsorum. Qualia opera? Quòd jejunaverunt? Quòd saccum induerunt? Nihil horum. Sed hæc omnia tacens: quoniam conversus est quisque à vitiis suis malis, pœnituit mali, quod dixerat ipsis facere Dominus. Cernis quòd non jejunium* (solum) *periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum Barbarum placatum & benevolum reddidit. Hæc dixi, non ut jejunium contemnamus, sed ut jejunium honoremus. Honor enim jejunii, non ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga. Jejunas? demonstra mihi per ipsa opera. Qualia* (inquit) *opera? Si pauperem videris, miserere, qui ipsis antè inimicissimus eras. Si inimicum videris, conciliare. Si amicum laudabiliter agentem videris, ne invideas. Si mulierem videris speciosam, prætereas, qui contrarium hisce omnibus antè faciebas.* Uno verbo pœnitentiæ tuæ veritatem sufficientiamque totius vitæ mutatio demonstret, ita ut non os tantùm jejunet, sed & oculus, & auditus, & manus, & omnia corporis membra. 854

Et homil. 14. in 2. ad Corinth. in Moral. respondens ad querelam, quâ quis ipsi objiciebat, peccatores in pœnitentiæ operibus ab ipso nimis diù detineri, sic ait: *Verùm nimis diù pœnas expenderunt, inquis. Quamdiù quæso? Unum annum, & alterum, aut tres? Æqui temporis moram non quæro, sed animæ correctionem.... Hoc itaque sat*

demonstres, sintne compuncti, sintne in melius commutati, & res tota confecta est.

855 Septimò, S. Augustinus homil. 41. inter 50. vitæ mutationem cum laudatis Patribus adeò necessariam censet, ad ferendum judicium de veritate pœnitentiæ, ut sine ista mutatione ipsam reputet irrisoriam, semelque relapsum, longo illo tempore, quo pœnitentiæ tempus olim decurrebatur, neget esse verum pœnitentem: *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non irridentes, mutate vitam. Si ergo pœnites, tur facis quæ malè fecisti? si fecisse pœnitet, noli facere. Si adhuc facis, certè non pœnites*, judicio utique Ecclesiæ. Quia in te non apparent indicia, quibus Ecclesiæ probetur tua pœnitentia. Ad hoc quippe tibi tempus illud Ecclesia præfixit, ut dignis pœnitentiæ fructibus, præsertim emendatione vitæ, ipsi satisfacias, id est probes te verè esse conversum, uti docet Enchirid. cap. 65. *Quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel aliqua signa* (ipsum satis probantia) *procedit.... rectè constituuntur, ab iis qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.*

856 Octavò, si Augustinus credidisset pœnitentiam Ecclesiæ Ministris satis probari verbis, vel lachrymis sterilibus pœnitentis, sine aliis pœnitentiæ operibus, credidisset eam satis probari foliis sine fructibus (verba quippe sine operibus serm. 44. de verb. Dom. ab ipso vocantur *folia sine fructibus*, dum Judæi habentes verba legis, & facta non habentes, ab ipso dicuntur *pleni foliis, & fructus non habentes.*) At verò non credidit Augustinus, pœnitentiam Ecclesiæ Ministris satis probari foliis sine fructibus. Cùm ejusmodi pœnitentiam (ut pote sterilem, non fœcundam) serm 50. de temp. censuerit insufficientem ad veniam peccatorum. *Dolete qui intellexistis: corrigimini si doluistis. Quamdiù laudare, & non facere? Verum est* (inquis) *quod Veritas dicit, nihil verius. Fiat ergo quod verum est. ... Testatur Veritas per Joannem .... facite fructus dignos pœnitentiæ .... jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur..... Quisquis ergo istos fructus non fecerit, sine causa putat per sterilem pœnitentiam se mereri veniam peccatorum ... Parum est itaque recedere à peccatis, si præterita curare neglexeris; sicut scriptum est:* " Fili peccasti? ne adjicias iterum." *Et ne hoc solo securum se esse putaret*, " & de priſtinis (*inquit*) deprecare, ut tibi dimittantur. " *Sed quid proderit deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ, ut tanquam sterilis arbor excidaris, & in ignem mittaris?*

857 Nonò, si statim atque peccator animi compunctionem verbis manifestat, sive ore dicit se dolere, emendationemque proponere, secundùm Augustinum maturus esset absolutioni, cessarent rationes quas allegat enarrat. in Psal. 6. ad illa verba: *Sed tu Domine usquequò?* Ubi loquentem inducit peccatricem animam, diù luctantem cum morbis suis; diù dilatam à Medico, ut ei persuadeatur in quæ mala se peccando præcipitaverit. Anima quippe illa, cum aliqua cordis amaritudine, jam antè dixerat: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei Domine, quia infirmus sum. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valdè.* Augustino tamen teste, anima ista nondùm tam perfectè orabat, ut ei dici posset: *Adhuc loquente te dicam, ecce adsum*; id est pœnitentia ipsius nondum matura erat absolutioni, sed absolutio ipsius adhuc erat differenda, *ut ei persuadeatur in quæ mala se peccando præcipitaverit.* Et quia *quod facilè sanatur, non multùm cavetur.* Et iterum, quia *ex difficultate sanationis erit diligentior custodia acceptæ sanitatis.* Istæ (inquam) Augustini rationes cessarent, si Sacerdos credere deberet pœnitentem satis dispositum ad absolutionem, statim atque hoc verbis exprimit, dum manifesta ratio non apparet in contrarium. Ob facilitatem quippe absolutionis peccator non multùm caveret peccatum, sed ad illud cavendum negligentior fieret. Nec ipsi persuaderetur in quæ mala se peccando præcipitaverit. Siquidem ex facilitate illa potiùs sibi persuaderet levitatem quàm gravitatem pœnarum, quæ ipsum manerent. Nullius ergo roboris forent rationes Augustini. Quod cum dici nequeat, consequens est Augustinum prorsus alienum esse ab illa facilitate, ampliùsque ad absolvendum postulare, quàm folia verborum. Imò vitæ emendationem requirit: *Non audio quid sonet* (ait tr. 3. in epist. Joan.) *sed video quid vivat.*

CAPUT LVI.

Nonò, ex eo quòd laudatis Patribus concinant Innocentius I. Gregorius Magnus, Cæsarius Arelatensis, Ivo Carnotensis, Bernardus, Thomas Cantuariensis, Thomas Villanovanus, &c.

SIquidem Innocentius I. epist. 7. *Sacerdotis* (inquit) *est judicare, ut attendat ad confessionem pœntentis* (non tamen ad eam solam) sed & *ad lachrymas corrigentis* (nota ly *corrigentis*) *ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem*, id est dum sibi satis probata fuerit conversio ipsius, sive ut Leo I. ait epist. 79. c. 6. *dum conversorum animos perspexerit esse devotos.* Neque enim pensanda est pœnitentia *quantitate temporis* (ait Concilium Cabilonense sub Carolo Magno c. 34.) *sed ardore mentis, & mortificatione corporis.* 858

Sed nihil expressius, quàm quod Gregorius Magnus ait lib. 6. in cap. 15. libri 1. Reg. *Signum veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque benè conversum peccatorem cernimus, cùm dignâ afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Et infrà: *in fructu ergo, non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia?* 859

S. Cæsarius serm. 57. (qui extat to. 5. operum S. Augustini in Appendice edit. novist. serm. 256.) loquens de pœnitente, qui operibus pœnitentiam non ostendit, *Ego timeo* (inquit) *ne fortè iste talis pœnitens, nec in conscientia sua habuerit, quod in operibus non ostendit. Quia etsi id non sit manifestum, quia cor videre non possumus; tamen secundùm Evangelicam sententiam*, " ex fructibus eorum cognoscetis eos, " *dum ea quæ suprà scripta sunt* (restitutionem malè raptorum, reconciliationem ex toto corde cum inimicis, eleëmosynam, &c.) *implere penitùs non videmus. Cùm hæc ita sint, quis nos poterit prohibere, ut eum credamus non benè de hac luce migrasse, quem bona opera cognoscimus non fecisse? Ecce quid mihi de subitanea pœnitentia videatur, charitati vestræ exposui*, &c. Et serm. 59. in Append. 258. *Qui non erubuit pœnitenda committere, citò in se bonis operibus contendat Dei imaginem reparare, ut inter filios mereatur agnosci à Patre: ne ab illa æterna beatitudine exclusus, & à convivio nuptiali projectus, ligatis manibus & pedibus, projiciatur in tenebras exteriores*, &c. 860

Ivo Carnotensis epist. 228. Edit. Paris. anni 1610. *Quærit Fraternitas Tua, quomodò conve-* 861

miant inter se Prophetica sententia, quæ dicit: „ In quacumque hora peccator ingemuerit, salvus erit, " *& Synodalis, quæ peccata sua confitentes aliquandiù à corporis & sanguinis Christi communione suspendit. Repugnare enim tibi videtur, seu dissentire sententiam Corporis & Capitis, ut quos Caput, id est Christus, celeriter à peccato liberat, eos Corpus Christi, id est Ecclesia, sub pœna peccati diù ligatos retineat. Quæ quæstio facilè solvitur, si interni Judicis animadversio, & humanæ fragilitatis consideratio diligentiùs attendatur. Cùm enim criminalis culpa delinquentem separet à capite, & à corpore; rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tanto remittat celeriùs, quantò solus magis videt interiùs. Judex verò qui tantùm videt in facie* (quomodò tantùm videt sacramentalis Judex) *usque adeò delinquentes sub peccati pœna detinet, donec per manifestum pœnitentiæ fructum, quis sit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno Judici; & ideò indulata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Ecclesia verò* (sive Ecclesiæ Minister) *quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licèt suscitatum, nisi de monumento elatum; id est publicâ*, id est externâ seu ad sensum patente *satisfactione purgatum. Hinc est quòd Ecclesia sua crimina confitentes à Sacramentorum communione suspendit, & in cinere & cilicio positos, ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, si jam sunt intùs vivificati, cùm fuerint longâ maceratione probati.*

862 Nec verum est quod noster Carolus ab Assumptione ait: Ivonem ibi solùm agere de externo & cæremoniali, non de interno & sacramentali Ecclesiæ judicio. Primò, quia agit de illa ipsa peccati per Ecclesiam remissione, quam Christus, qui videt interiùs, citò concedit, dum internam dispositionem conspicit. Quam remissionem dicit non tam citò concedi ab Ecclesia, seu Ecclesiæ Ministro; quia solùm videt in facie, non in corde, uti Christus; ideòque delinquentes non absolvit, donec per externos pœnitentiæ fructus, quis sit pœnitentis affectus intelligat.

Secundò, quia notum est eruditis, verba ista: *Ecclesia, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, nisi de monumento elatum*: alludere ad historiam Evangelicam resuscitationis Lazari, quæ ab omnibus passim Patribus exponitur de absolutione sacramentali.

Tertiò, verba quoque ista: *ut per hoc experiatur, si jam sunt intùs vivificati*, &c. manifestè alludunt ad celebrem Gregorii Magni sententiam: *illos debemus per Pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Quæ à Theologis omnibus de sacramentali absolutione intelligitur. Quam lapsis in gravia crimina olim Ecclesia non concedebat, nisi satisfactione purgatis, câque publicâ, si publica fuissent crimina.

863 Quas quidem satisfactiones Calvinus & Melanchton dixerunt fuisse disciplinam, & rem purè politicam. Sed hoc ideò confinxerunt, quia Pœnitentiæ Sacramentum, & sacramentales satisfactiones hæreticè sustulerunt. Caveant proinde Catholici veterum Patrum, de peccatorum absolutione, satisfactione, & operibus, sententias ad hæreticorum istorum sensum detorquere. Quod an faciat Carolus ab Assumptione, aliorum esto judicium.

864 Post Ivonem Bernardus epist. 107. docet, ex operibus, non ex verbis cognosci, an simus filii Dei, & an Filius Dei suscitaverit nos ab operibus mortuis, ad opera vitæ. Quia non ex foliis, neque ex floribus, sed ex fructu arbor bona malavè cognoscitur. Denique à fructibus eorum (ait) cognoscetis eos.

Post Bernardum S. Thomas Cantuariensis l. 3. epist. 95. de pœnitentia loquens, sic ait: *Sicut Christus nunquam reprobat veram; sic semper aspernatur, & reprobat fictam; utramque* (per suos in terris Vicarios) *examinans ex contritione cordis, & convincens ab operibus suis. Nam arbor ex fructu cognoscitur, & opera cujusque testimonium perhibent de eo.* 865

Post Thomam Cantuariensem S. Thomas Villanovanus conc. 6. in Dom. 4. Advent. *Samaritana aquam vitæ petit à Domino, dicens:* " Domine da mihi hanc aquam. " *Cui dicitur à Domino:* " Vade, voca virum tuum. " *Ut quid Domine, nonne sine viro poterit recipere aquam vitæ?.... Nota mysterium.... Cùm peccator plorat peccata, mulier venit ad puteum absolutionis: pœnitentia sanatur. Sed non sufficit mulier, id est contritio, sive dolor de præteritis. Adducat virum constantem & robustum, id est propositum firmum abstinendi de cætero à peccatis, sine quo non portabit aquam in hydria conscientiæ suæ. Sed, ô quam multi sunt, qui respondere possunt, etiam dum peccata lachrymantur:* " Domine non habeo virum: " *Ita enim est, nam adulterinum est illud propositum quod habent. Vis agnoscere quod propositum sit legitimum? Et quod adulterinum?* Ex vita cognoscendum dicit. *Vide si est vir conscientiæ. Quod agnoscetur in duobus. Nam primò vir non est alteri nuptus. Secundò vir agit vitam conjugalem. Adulter verò stuprat & vadit. Si propositum est legitimum, nuptum est conscientiæ, nam quietat eam..... Si post confessionem statim mutat propositum, & redis, crede tunc anima, hunc quem habes, non est tuus vir. Nam non egit vitam longam cum uxore conscientia.* 866

Et conc. 3. in Dom. 3. Quadrag. loquens de iis qui leviter, facilè & citò post confessionem relabuntur: *Licèt* (inquit) *in confessione dicant, quòd verè proponunt, non credas.... Unde de hujusmodi consulo Confessoribus, ut mittant eos in domos suas, & cùm invenerint correctos & emendatos, tunc absolvant.... Pater Augustinus: pœnitentes, quid agitis? quid prodest quòd humiliamini, si non immutamini? Ex his quæ dicta sunt, colligo, quòd tota vita, tota salus nostra principaliter pendet ex correctione vitæ.* Et conc. in fer. 6. post Dom. 4. Quadragesf. *Cùm Ninive civitatis excidium per Prophetam Dominus comminaretur, jejunaverunt incolæ, planxerunt, vestiti sunt saccis, in cinere sederunt, cum lachrymis clamaverunt. Sed quid ait Scriptura?* " Et vidit Deus opera eorum, quòd conversi sunt de via sua " mala, & misertus est super malitiam, quam " locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit. " *Non ait: vidit gemitus, vidit lachrymas, vidit saccos, vidit cineres. Sed quid vidit?* " opera co„ rum, quòd conversi sunt de via sua mala. *Si vitia non deseruntur, frustrà Dei misericordia lachrymis imploratur.... O peccator, si verè plorat, veni foras: fuge concupiscentiam, dimitte lasciviam, expelle mulierculam, solve catenam. Aliàs non credo lachrymis.* Multò minùs verbis solis. *Priùs ergo vadat, & concubinam è domo pellat, pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi lædam, prout potest, resarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita solvat, offenso fratri reconcilietur, & veniam petat. Et tunc ad Confessarium redeat, & absolvatur. Hic rectus est ordo, hic in Lazari suscitatione à Domino servatus est. Hunc ordinem ne transgrediaris. O Medice!..... cur indigno veniam promittis? Cur cui absolutionis beneficium exhibeas, non discernis*, &c.? Audiat hæc Carolus ab Assumptione, audiant alii Juniores, & fateantur sibi contrariam esse doctrinam Sanctorum.

CAPUT LVII.

Decimò ex mandato Innocentii XI. facta Procuratoribus Generalibus Ordinum Mendicantium, quo per eos Provinciis notificari jussit, ut Confessarii ex fructibus pœnitentes dijudicarent, nec eos consuetudinarios absolverent, qui post tertiam & quartam admonitionem sese non emendarent.

867 ID ex epistola R. P. Joannis Baptistæ à Sabbio, Procuratoris, & Commissarii Generalis Capucinorum ad omnes sui Ordinis Provinciales scripta, probat Illustrissimus D. Castoriensis lib. 2. Amoris pœnitentis c. 7. §. 4. Ex mente enim & jussu Sanctissimi, scribit monendos Confessarios, ut ad correctionem vitæ, verumque de peccatis dolorem, ac firmum emendationis propositum pœnitentes suos inducant, eos etiam beneficio absolutionis privando, quos ex factis viderint non esse sufficienter dispositos & præparatos ad illam recipiendam.

Sed & eximius D. Nicolaus Josephus de la Verdure, S. Theologiæ Doctor & Professor primarius, in alma Universitate Duacensi, vir magnæ eruditionis & probitatis, in vindiciis Tractatûs de modo quo Confessarius se gerere debet erga recidivos, a. 3. in fine testatur, ex testimonio duorum Provincialium diversorum Ordinum se accepisse, S. D. Innocentium XI. declarasse, suam intentionem esse, ut Confessarii non sint faciles in conferenda absolutione sacramentali mulieribus, quæ pectore & scapulis nimiùm denudatis incedunt. Quæ SI POST TERTIAM ET QUARTAM ADMONITIONEM SE NON EMENDENT, EAS ABSQUE ABSOLUTIONE DIMITTANT.

CAPUT LVIII.

Undecimò, praxis veteris Ecclesiæ demonstrat, plenam magnorum peccatorum conversionem pœnitentiæ operibus esse probandam.

868 CApite 55. & 56. vidimus quàm verè Morinus lib. 1. cap. 16. n. 1. asseruerit, quòd SS. Patres cuilibet peccatori jactanti crimina sua se odio prosequi, & ab iis cessare velle profitenti, non credebant. " Hujus rei experimentum exige-
" bant, oculatas habebant manus, ut fert prover-
" bium, credebant hac in causa quod videbant;
" nisi grave aliquod & imminens salutis peri-
" culum ab ista inquisitione eos arceret.

Et hoc veteris Ecclesiæ praxis ostendit: utpote quæ reos gravioris criminis, idololatriæ, homicidii, adulterii, fornicationis, &c. ne ad agendam quidem pœnitentiam admisit in solo verbo, vel lachrymis ipsorum momentaneis, sed probatos dumtaxat diuturnis humiliationibus, lachrymis multis, fideliumque intercessione, simul & testificatione. Postquam (inquam) ex his satis apparuit, quòd peccata seriò detestari, emendareque vellent, ut compertum est omnibus in antiquitate versatis.

869 Ideò etiam tantam temporis moram in probandis pœnitentibus, tot pœnitentiæ stationes, tot corporis afflictationes, tot & tantas humiliationes vetus Ecclesia requisivit, ut experiretur, num sincera integraque foret conversio ipsorum, & (ut Petrus Alexandrinus cum Gregorio Nysseno ait) *digna cui fides adhiberetur.* Quam profectò istius disciplinæ rationem, vel præcipuam, vel ex præcipuis unam fuisse, argumento est, quòd siquando ex animi ardore, laboribusque & humiliationibus subeundis devotione, atque totali veteris hominis immutatione, ante præscripti temporis finem, plena eorum conversio Episcopis comperta fuisset, breviori tempore pœnitentes reconciliabant. Plenæ igitur conversionis, vitæque emendationis probationem veteres Patres intendebant, ab opinione Noviorum evidentissimè alieni.

Eam quippe ob causam, tam longam pœniten- 870
tiam, totque illius stationes, afflictiones, & humiliationes, Ecclesia non requisisset, si plenam conversionem solis pœnitentium verbis, vel sterilibus lachrymis, sine aliis pœnitentiæ fructibus, satis probari credidisset. Nec est cur ipsorum absolutionem usque ad finem tertiæ vel quartæ stationis distulisset, si ipsos ad absolutionem, in solo verbo ipsorum, satis dispositos, istamque dispositionem, sine aliis pœnitentiæ fructibus, satis probatam censuisset. Sed istum non fuisse sensum ipsius, tunc maximè ostendit, cùm maxima Christianorum multitudo, quos dira persecutio, Cypriani tempore, prostraverat, ad Ecclesiam redire gestiens, Sacramentorum participationi misericorditer restitui postulavit, eumque in finem Martyres apud Ecclesiam deprecatores adhibuit. Sed nec Martyrum deprecationibus, nec lapsorum lachrymis, nec turbis ac tumultibus subsecutis Ecclesia moveri potuit ad ipsos reconciliandos, antequam pœnitentiam ipsorum duris ac diuturnis pœnitentiæ laboribus probatam haberet, ut videre est apud Cyprianum epist. 52. ad Antonianum, & epist. 55. ad Cornelium, tametsi nunquam se obtulerit causa opportunior ad misericordiam, quàm tunc.

Porrò sicut iste non fuit veteris Ecclesiæ sen- 871
sus, de peccatorum graviorum reis: sic nec iste est Ecclesiæ modernæ sensus, de peccatoribus in graviora, v. g. in hæresim relapsis, ut constat ex dictis cap. 21. Nec iste etiam hodie sensus est de consuetudinariis, ut vel inde patet, quòd Ecclesia moderna per Innocentium XI. damnaverit propositionem hanc ordine sexagesimam: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Neque enim propositionem istam Ecclesia damnavisset, si verbis ipsius, absque actuali emendatione, fidem adhiberi posse credidisset: quam adhiberi non posse certum est, dum emendationis spes nulla apparet: quia dum verba, quibus emendationem pollicentur, digna non sunt, quibus adhibeatur fides, præsumptio moraliter certa est, verba ista non procedere ex toto corde, neque ex plena & efficaci se emendandi voluntate.

Emendationis verò spes nulla apparet, dum 872
consuetudinarius (idem est de recidivo) sæpiùs emendationem promisit, nec promissa umquam implevit, nec majorem jam affert cautionem futuræ emendationis suæ, quàm hactenùs attulit. Ut enim sanctus Thomas ait 2. 2. q. 49. a. 1. ad 3. *ex præteritis oportet nos quasi argumentum sumere de futuris.* Postquam ergo Confessarius experientiâ didicit, pœnitentem sæpiùs emendationem absque effectu promisisse, inde quasi argumentum sumere debet, quòd nec in futurum se emendabit, nisi manifestiora futuræ emendationis signa afferat, quàm ea hactenùs absque effectu attulit. Verum de ista propositione condemnata plura dicturus ium infrà, ubi doctrinam, quæ peccatores quoscumque, quàmlibet recidivos, & consuetudinarios, docet absolvendos esse, in verbo quo se ad absolutionem dispositos aiunt, ostendam esse condemnatam, non solùm propositione illâ 60. sed & 1. 2. & 3. per eumdem Innocentium XI. damnatis, ac per consequens sensui Ecclesiæ modernæ prorsus contrariam.

CAPUT LIX.

Duodecimò, idipsum demonstrat communis hominum sensus.

873 INterrogetur namque vel ipsum vulgus, quid de consuetudinariis, facilèque & citò relabentibus judicet? & apparebit, quòd licèt se conversos dicant, conversos vulgus non credat eos, qui ante confessionem impudici erant, avari, superbi, vindicativi, &c. si citò post confessionem ipsos adhuc, ut antè, videat impudicos, avaros, superbos, vindicativos, &c. imò eos conversos non credet, quamdiù in ipsis non videbit opera & vitam conversorum, v. g. conversos non credet ab impudicitia ad castitatem, quamdiù non videbit quòd eas occasiones, consortia, dicta, facta fugiant, & omittant, quæ antè frequentabant, dicebant, faciebant: quamdiù etiam ipsos non videbit modestiam, temperantiam, & circumspectionem in dictis & factis amare, colere, observare, à quibus anteà erant alieni. Hæc cùm aliquamdiù præstitisse videbit, vel audiet, ipsos credet factos ex impudicis castos, adeòque ab impudicitia ad castitatem conversos; aliàs non credet. Et idem est de conversione consuetudinariorum & recidivorum, à superbia ad humilitatem, ab avaritia ad liberalitatem, à vindicta ad mansuetudinem, &c. Usque adeò verum est, vel ipsum vulgus, communi sensu edoctum, non ex verbis, sed ex operibus, maximè ex emendatione vitæ, de conversione judicare; & tunc saltem verbis non credere, cùm in ipsis opera non videt conversorum, sed eadem quæ videbat antequam confiterentur.

CAPUT LX.

Decimò-tertiò, id etiam ratio demonstrat.

874 PRobatur, quia ubi non sufficiunt verba, vel signa verbis æquivalentia (quæ æquè in promptu habent verè & sufficienter non contriti, quàm contriti) necessariò recurrendum ad alia signa. Non supersunt autem, nisi pœnitentiæ opera, præsertim emendatio vitæ. Quod addo, quia cætera quoque opera, absque emendatione, non contriti quandoque exhibent; sed, cum vitæ emendatione, opera pœnitentiæ moralem faciunt certitudinem. Tum quia ulteriora signa non supersunt, ex quibus de contritione Sacerdos judicet, nec proinde redargui potest, si fortè fallatur, iis fidem adhibendo; uti meritò redargueretur, si solis verbis, vel signis æquivalentibus fidem adhiberet: cùm minùs fallacia contritionis signa habere possit. Tum quia Sacerdos, fidem adhibendo operibus, cum emendatione conjunctis, regulam sequitur Evangelicam, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, Matth. 7. v. 20. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, Jacob. 2. v. 18. Quod enim Apostolus de fide dixit, meritò applicatur pœnitentiæ: *Ostende mihi pœnitentiam tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus pœnitentiam meam.*

CAPUT LXI.

Decimo-quartò, propterea SS. Patres censuerunt, magnis peccatoribus non esse annuendum, dum medicinæ & ligaturæ impatientes, tamquam sanati, statim solvi, & ad altare mitti volunt.

875 ID maximè apparuit Cypriani tempore: cùm enim maximam Christianorum multitudinem dira persecutio prostravisset, atque ex iis plurimi ad Ecclesiam redire volentes, Sacramentorum participationi misericorditer restitui postularent, eumque in finem sanctos Martyres apud Ecclesiam deprecatores adhiberent; ipsis viriliter Cyprianus, & alii sancti Episcopi restiterunt, & ne Martyrum quidem deprecationibus, nec lapsorum lachrymis, nec turbis ac tumultibus subsecutis, moveri potuerunt, ad impartiendam ipsis absolutionem, & communionem, antequam plenam conversionem ipsorum laboriosis ac diuturnis pœnitentiæ operibus probatam haberent, prout videre est apud Cyprianum in lib. de lapsis, necnon epist. 52. ad Antonianum, & 55. ad Cornelium, tametsi nulla unquam se obtulerit opportunior ad misericordiam occasio, quàm tunc. In priori verò epistola illa ad Antonianum Cyprianus scribit ut sequitur: *Persecutione sopitâ, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & Scripturis diù ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent. ... nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, & ad communicationem temerè prosilirent, sed traheretur diù pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum*, ad ferendum prudens de sufficienti ipsorum conversione judicium. Additque Cornelium Papam, cum plurimis Episcopis Romæ habito Concilio, in eamdem secum sententiam consensisse. Romani istius Concilii mentionem facit Eusebius l. 6. Histor. Eccles. c. 33. dicens, in eo convenisse Episcopos 60. Presbyteros totidem, cum Diaconis pluribus; in eoque statutum fuisse, eos qui lapsi in certamine fuerunt, fraternâ miseratione curandos, & fomentis pœnitentiæ medicandos. Conformem eadem de re Cleri Romani, sanctorumque Confessorum Maximi, & aliorum in custodia pro Christo constitutorum, sententiam suprà non semel exhibuimus.

CAPUT LXII.

Ex his omnibus tandem infertur, centumque & duodecim argumentis probatur, absolutionem mox impendendam non esse magnis peccatoribus, præsertim consuetudinariis, vel facilè ac citò relabentibus, qui absque prævia pœnitentiæ operibus præparatoriis, absque etiam vitæ emendatione, ad confessionem accedunt; sed ipsis, tamquam non conversis, vel saltem de insufficienti conversione suspectis, absolutionem differendam. Ad cujus probationem quinquaginta priora argumenta proferuntur.

876 SIquidem hoc probant imprimis argumenta viginti sex, quibus cap. 41. probavimus, secundùm ordinariam divinæ gratiæ œconomiam, esse necessarium, ut magnorum criminum rei, præsertim consuetudinarii, vel facilè & citò relabentes, absolutioni præmittant interna externaque pœnitentiæ opera præparatoria, velut impetratoria doni plenæ conversionis, & ut signa eam Confessario probantia.

877 Deinde hoc ipsum probant quatuordecim argumenta, quibus à cap. 42. ad 61. ostendimus, plenam magnorum peccatorum conversionem, maximè consuetudinariorum, vel facilè & citò relabentium, Confessario non satis probari per verba, lachrymas, gemitus, & similia signa confitentis, quæ æquè in promptu habent verè ac plenè non con-

converſi, quàm converſi; ideòque probandam per opera pœnitentiæ, cum emendatione vitæ conjuncta. Hactenùs ergo quadraginta argumentis probata eſt aſſertio noſtra.

Argumentum quadrageſimum primum.

878 DEſumitur ex divina Scriptura, & Patribus, ad peccatorum remiſſionem requirentibus totius cordis converſionem: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Totius autem cordis converſio in dictis peccatoribus ordinariè non fit tempore breviſſimo, ſed nonniſi poſt multam conſiderationem, ſui coram Deo humiliationem, magnas preces, & pœnitentiæ labores, uti probatum eſt cap. 37. & 38. Si ergo peccator abſque iſtis venerit ad Confeſſionem, differendus eſt, ut iis ſe præparet ad abſolutionem.

Argumentum quadrageſimum ſecundum.

879 PLena converſio, juxta Scripturam & Patres, totius eſt hominis interioris exterioriſque mutatio, uti probatum eſt cap. 26. docentque SS. Patres ibidem, & c. 37. n. 479. laudati. Nec certè alios converſos, nobis exhibent ſacræ Paginæ, ſive veteris, ſive novi Teſtamenti, niſi quorum cor mutatum eſt, & vita. Eſtque id adeò impreſſum animis omnium, non laborantium præjudiciis opinionum præconceptarum, ut ne ipſum quidem vulgus converſum cenſeat hominem confeſſum, ſi vitam non mutet. Adeò vel ex ipſa vi vocis *converſio*, vel ex communi hominum ſenſu, vel quaſi per ſe notum eſt, veram converſionem non eſſe, abſque mutatione vitæ. Atqui nec mutatio vitæ, nec proinde mutatio totius hominis interioris exterioriſque apparet in iis qui criminoſam vitam ſuam non emendant: imò contrarium apparet, dum poſt Confeſſionem ad crimina ſua facilè & citò redeunt, ut antè. Unde nec tales communi hominum ſenſu mutati cenſentur, ſed iidem qui anteà.

Argumentum quadrageſimum tertium, quartum, & quintum.

880 PEtitur ex tribus argumentis, quibus cap. 38. probatum eſt, plenam magni peccatoris, maximè conſuetudinarii, vel facilè relabentis, converſionem ordinariè facilem non eſſe, ſed difficilem. Qualis profectò non foret, ſi abſque magnis precibus, humiliationibus, & laborioſis pœnitentiæ operibus (ſine quibus peccatores illi ad Confeſſionem venire ſolent) ordinariè fieret.

Argumentum quadrageſimum ſextum.

881 PLena magni peccatoris, maximè conſuetudinarii, &c. converſio rara eſt, uti pluribus oſtenſum eſt cap. 35. Quod autem rarum eſt, ordinarium non eſt. Ordinariè ergo credendum non eſt dictis peccatoribus, ſe plenè converſos aſſerentibus; ſed id ſignis pluſquàm ordinariis Confeſſario ſuo probare debent, dictis ſcilicet pœnitentiæ operibus, cum emendatione conjunctis.

Argumentum quadrageſimum ſeptimum.

882 AD plenam converſionem neceſſe eſt, ut peccator tranſeat, ſive transformetur ab amore prædominante creaturæ, ad amorem prædominantem Dei; ſive neceſſe eſt ut in peccatore, in quo creaturæ amor fortior erat amore Dei (ita ut creaturam amaret pluſquàm Deum, imò creaturam amabat *uſque ad contemptum Dei*, ut loquitur Auguſtinus) ex adverſo jam Deum amet pluſquàm creaturam, & uſque ad contemptum creaturæ, ita ut paratus ſit creaturam potiùs perdere, quàm Deum. Scriptum eſt enim: *Qui amat patrem & matrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Matth. 10. Et, *Siquis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios.... adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Atqui rarò vel nunquam accidit frequens ac facilis alternatio in iſto tranſitu. Siquidem ad hoc totus animæ fundus, totuſque homo interior exterior que immutandus eſt. Quòd ſi vix, aut ne vix quidem accidit frequens & facilis alternatio de una cupiditate ad aliam oppoſitam, ita ut quiſpiam hoc die v. g. prorſus ſit liberalis, cras totus avarus; tertio die liberalis, inde avarus; & ita deinceps (hoc enim nullus vidit, vel quàm rariſſimè, ſi unquam vidit, licèt ad hoc totus animæ fundus non ſit mutandus) quantò minùs de cupiditate dominante ad dominantem charitatem, &c.? Rem ergo incredibilem comminiſcuntur Juniores, dum comminiſcuntur facilem ac frequentem, etiam continuum tranſitum ab amore prædominante creaturæ, ad amorem prædominantem Dei, deinde ex adverſo, atque ita frequenter & facilè. Per conſequens incredibile eſt quòd illi ſint verè ac plenè converſi, quorum vita eſt facilis ac frequens, vel continua, aut ferè continua alternatio à cupiditate prædominante ad prædominantem charitatem, à charitate ad cupiditatem, & ita ſucceſſivè, &c.

Argumentum quadrageſimum octavum.

AD plenam converſionem magni peccatoris, 883
divina Oracula, & Sancti ingentem requirunt dolorem, planctum amarum, dolorem quaſi parturientis, rugitum quaſi urſi, luctum unigeniti, &c. prout viſum eſt cap. 30. Rari autem ſunt de dictis peccatoribus, qui talem ac tantum de peccatis ſuis, licèt magnis, habent dolorem; aliàs ad illa tam facilè & citò non redirent. Quis enim unquam vidit hominem toto corde citò & facilè redamaſſe & repetiſſe id de quo proximè talem ac tantum habuit dolorem?

Argumentum quadrageſimum nonum.

AD plenam converſionem divina Oracula & 884
Sancti poſtulant etiam plenum & capitale de peccatis odium, uti vidimus cap. 28. Iſtius verò odii apparentia, in dictis peccatoribus, ordinariè nulla eſt; imò apparentia magna in contrarium. Tum quia qui capitaliter ſeu toto corde peccatum odit, facilè & citò illud non repetit: inſolitum quippe eſt hominibus, ſocietatem & fœdus facilè & citò inire cum inimico, quem odio capitali abhorrent, & averſantur. Nec homines credere ſolent talè odium præceſſiſſe, dum tam citò & facilè tranſit in amorem ex toto corde. Tum quia per regulam à communiter accidentibus, odium plenum & capitale in iſtis non præſumitur, in quibus non apparent effectus, quos ejuſmodi odium producere ſolet, ſed effectus potiùs contrarii. Atqui peccatum facilè & citò repetere, illique novo fœdere facilè & citò ſociari, ſeque illi in ſervum tradere, eſt effectus contrarius illis, quos plenum & capitale odium producere ſolet, & eò magis contrarius, quò frequentiùs id fit. Quòd enim frequenter quiſpiam ſe in ſervum tradat, totoque corde ſubjiciat capitali inimico ſuo, adeò inſolitum eſt apud homines, ut vix ullum, imò nullum hujuſce rei exemplum afferri queat. In hujuſmodi verò rebus, prudens hominis (non intuentis cor) judicium formari debet, ſecundùm quod de ſimilibus homines prudentes dijudicare ſolent; de virtute ſcilicet efficaciaque cauſarum, ſecundùm effectus quos producere ſolet.

Argumentum quinquageſimum.

AD plenam converſionem, omnium confeſ- 885
ſione, neceſſaria eſt plena voluntas ſe emendandi, ſive firmum propoſitum peccata deinceps vitandi; quæ propoſiti firmitudo hoc omninò habet adjunctum, ut quæ ad finem hunc obtinendum apta ſunt & neceſſaria, ſedulò ſibi paret, &

adhibenda curet, ait Eminentissimus Cardinalis Denhoffius § 3. Nulla verò in dictis peccatoribus apparent signa à Sanctis tradita, plenam illam voluntatem probantia, sed contraria potiùs. Enimverò plena voluntas aliquid faciendi, prout cap. 27. ex Augustino & Aquinate, imò ex ipso quoque Evangelio ostendimus, illa est, quâ fit quod volumus, dum in nostra est potestate. Plena proinde sese emendandi voluntas in peccatore, est quâ de facto se emendat, dum potest. Igitur plenam sese emendandi voluntatem habere non censetur, qui se non emendat, cùm potest. Si enim plenam se emendandi voluntatem haberet, nulla negligeret media ad emendationem necessaria, sed iis se præcautionibus & armis muniret contra relapsum, ut facilè & citò non relaberetur. Taliter namque munitus, & armatus, divinâque ope adjutus (quæ non deest facientibus quod in se est) contra fragilitatem & inconstantiam suam roboratus esset, & fortis effectus. Nec ab isto robore & fortitudine facilè ac citò excideret, dummodò sollicitè compararet sibi media ad non excidendum necessaria, cum timore ac tremore salutem suam operando in laboriosis pœnitentiæ operibus, orationibus, jejuniis, aliisque pietatis, ac mortificationis exercitiis, ab ipsomet Salvatore in Evangelio præscriptis, juxta dicta cap. 41. § 26. Uno verbo eam in salutis suæ negotio, negotiorum maximo, sollicitudinem & præcautionem adhiberet, eaque media ad optatum finem consequendum præstaret, quæ homines sæculi pro rebus terrenis adhibere solent. Quod profectò si faceret, voluntatem, in negotio tanti momenti, ex humana fragilitate & inconstantia facilè & citò non mutaret, magis quàm in rebus illis terrenis. In quibus sicut homo (licèt ex se inconstans) non adeò tamen inconstans est, ut facilè & citò mutet plenam aliquid faciendi voluntatem; sic nec in salutis negotio non adeò inconstans est, ut facilè & citò plenam mutet se emendandi voluntatem. Neque enim probabile est in solo salutis negotio talem ac tantam esse hominis inconstantiam. Vide quæ dixi capite illo 27.

CAPUT LXIII.

Argumentum quinquagesimum primum, & quinquagesimum secundum.

886 *Quinquagesimum* conficitur sic: in dictis peccatoribus non apparent signa seu effectus magni doloris, ac pœnitentiæ, de peccatis, quos Apostolus recenset 2. Cor. 7. cùm docet, quòd qui verè ex toto corde de commissis peccatis tristatur & pœnitet, id ostendit ex fructibus, seu effectibus istius tristitiæ, seu pœnitentiæ, qui sunt *sollicitudo* magna cavendi relapsum; *defensio*, seu præcautiones & præmunitiones ad id necessariæ. *Timor* Dei, desideriumque efficax nihil negligendi in re tanti momenti; *zelus* seu ardens studium adhibendi media omnia ad finem illum necessaria; *vindicta* seu inflammata voluntas puniendi se. Deoque per vindictam contra se exercitam satisfaciendi pro criminibus patratis. Quando (amabo) & ubi visum est, hominem tantis præsidiis, præcautionibus, & armis circumvallatum, facilè & citò rediisse in pristina crimina! Pœnitentia talis esse non solet, nisi dum cordis intima penetravit. Dum ea verò penetravit, esse solet firma & stabilis, prout ipsemet Apostolus declarat dicens, quòd talis *tristitia secundùm Deum, pœnitentiam stabilem* seu impœnitendam *operatur*. Et certè nunquam vidimus pœnitentem, pœnitentiâ tam validè munitâ, ab ea facilè & citò recessisse. Et quamvis hoc physicè fortassis aut metaphysicè non sit impossibile: quia tamen insolitum est, & inusitatum, de eo humana præsumptio non est; sed dum à pœnitentia sua quispiam citò & facilè recedit, maximè si frequenter hoc faciat, humana præsumptio est eam intima cordis non penetrasse, sed superficialem fuisse. Sic enim à communiter accidentibus judicare solent homines, ut constat in exemplo uxoris, cujus maritum dilectissimum inimicus crudeliter jugulavit. De quo videnda quæ dixi capite 28.

Argumentum quinquagesimum secundum: iis- 887
dem peccatoribus deest utplurimùm cordialis ac plena voluntas, animique promptitudo, quâ parati sint ad placandum, uti par est, Deum offensum, ipsique satisfaciendum per opera pœnitentiæ, peccatis ac viribus suis proportionata (sine qua tamen voluntate ac promptitudine non est plena conversio, seu contritio, ut constat ex dictis cap. 34.) pauci siquidem ex ipsis, etiam post grandia, ac sæpè repetita crimina, etiam carnis, carnem suam crucifigere volunt, vel aliquid, aut certè nonnisi valdè modicum quid de solitis deliciis ac voluptatibus remittere, quo Deo satisfaciant: eò quòd non intelligant quid sit Deum offendere. Conveniens quippe pro peccatis satisfactis hodie tam rara est, ut peccatorum pars longè maxima, non tam pœnitere, quàm pœnitentiæ larvam exhibere videantur. Quod inde constat, quòd, teste S. Bernardino to. 3. serm. 35. de amore conterente, hodie longè minorem pœnitentium concursum habeant, qui magnas, & peccatis proportionatas, quàm qui parvas ac ferè nullas injungunt pœnitentias: *Occurrit enim* (inquit) *in Confessione, sicut in mercatoribus vendentibus pannos ejusdem bonitatis, conditionis, & collationis, & unus vendit pannum suum pro majori pretio quàm alter. Certè ille mercator habebit majorem concursum qui vendit minori pretio, quàm qui vendit majori.* Ita hodie accidit in Confessione: nam Confessores, *qui dant minores pœnitentias, habent majorem concursum, quàm dantes magnas; & sic fit mercatura de pœnitentiis. Et hi qui vadunt ad Confessores, qui dant minores pœnitentias, causâ evadendi bonos Confessores, causâ non habendi congruas pœnitentias, & magnas, non plus habent contritionis, quàm diabolus.* Similem, imò acriorem adhuc eorum censuram vide apud S. Vincentium Ferrerium serm. 1. §. de quinta virtute, & B. Henricum Suso l. de 9. rumb. c. 9. Teste etiam Bellarmino conc. 9. in Domin 4 Adventûs, *olim quidem cùm multò melius Christiani intelligerent necessitatem pœnitentiæ, quàm nos faciamus, cùmque apud se cogitarent & perpenderent, quantò facilius hic in terris, quàm in Purgatorio satisfieri possit pro peccatis; pœnitentias longiores, atque asperrimas, septem, quindecim, viginti, triginta annorum, interdùm etiam totius vitæ, libentissimè admittebant, & explebant, ut ex libro Tertulliani de pœnit. & aliis vetustis Authoribus cognosci potest. At verò hodie ita delicati, ita teneri effecti sumus, ut vix paucorum dierum jejunia, pro multis sceleribus atque delictis, sustineri possint. Cilicia verò & cineres, vigiliæ, humicubationes, flagella, & aliæ carnis afflictiones, non solùm in moribus nostris, sed vix jam in libris* (qui passim amantur, ac præ aliis æstimantur) *reperiuntur.* In Concilio Toletano X. *legimus Potamium quemdam, qui, cùm Episcopus esset, & semel tactu femineo sordusset, ipse se primum, nullo cogente, in ergastulo quodam concluserit, atque ibi novem mensium pœnitentiam egit. Deinde ad Concilium litteras dedit, quibus peccatum suum sponte suâ prodidit. Patres verò Concilii illius, pœnitentiam ei perpetuam, quousque viveret, injunxerunt, ut perpetuò in humilibus & abjectis officiis deservivet. Et nihilominùs affirmarunt, humaniùs & misericordiùs multò cum illo actum esse, quàm antiquorum*

tiquorum regulæ & severitas patiantur. Et quantum (obsecro) nos ab hoc genere pœnitentiæ absumus! Sed quid ait Scriptura? Qui timet pruinam, cadet in eum nix. Job. 6. *Nos exiguæ & brevis pœnitentiæ austeritatem formidamus, & longissimas Purgatorii vel gehennæ incurremus. Unde tantus torpor in nobis? tanta segnities? tanta teneritudo? Nisi ex eo quòd non intelligimus, quid sit Deum offendere? Et quid hinc sequitur? nisi ut quamplurimi turmatim in gehennam descendant, non solùm ex iis qui non confitentur, sed etiam qui confitentur.... Verè dico vobis, dilatavit infernus animam suam, & descendunt ad eum sine numero*, defectu veræ ac plenæ pœnitentiæ. *Labor* quippe *iste paucorum est* (ait S. Pacianus epist. 3.) *qui post peccatum resurgunt.... qui carnis interitu reviviscunt.*

888 Ex eodem fundamento R. P. Dionysius Werlensis, Provinciæ Colonicnsis Capucinus, in suo Pseudopœnitente, concludit, plurimos malè confiteri: quia plurimos confitentes verâ & christianâ attritione carere, manifestum est ex eo quòd plurimi fructiferam satisfactionem juxta doctrinam Ecclesiæ injungendam fugiant, & omninò declinent.

Hujusmodi homines *insanos* vocat Speculum virtutum ab erudito Anonymo Scriptore Seraphici Ord. S. Francisci anno 1485. editum tit. de conscientia, ubi sic: "Insanorum hominum magnus est numerus, qui sine discrimine ad Confessarios simplices, & confitentium animas curare negligentes accedunt; id quod tamen in causa corporis sui mortalis vix facerent. Etenim si infirmi, vel saucii forent, morbis & vulneribus suis expertissimum utique, quem invenire possent, Medicum vel Chirurgum exquirerent. At verò luxuriosi, superbi, avari, aliisque peccatis (quæ vel deserere, vel dignis pœnitentiæ operibus emendare nolunt) implicati, sui in peccatis similes, vel saltem simplices Confessarios quærunt, quò graviores, quas meruerunt, pœnitentias evitent, fugiuntque sapientes & rectos; adeòque cæcus cæcum in foveam inferni, vel, ut minimum, horribilis Purgatorii ducit."

CAPUT LXIV.

Argumentum quinquagesimum tertium & quinquagesimum quartum.

889 *Argumentum quinquagesimum tertium:* consuetudinarii & recidivi, crimina sua facilè & citò repetentes, propriissimè sunt impii, vitam non emendantes. Igitur absolvi non possunt, quamdiù tales sunt. Absolvi quippe non possunt, nisi illi quibus Deus veniam & misericordiam promittit. Atqui veniam & misericordiam nullibi Deus in Scriptura promittit impiis, nisi vitam emendantibus. Istam namque conditionem Deus exigit Isa. 1. Ezech. 18. Matth. 3. &c. Isaiæ namque 1. *Quiescite* (inquit) *agere perversè, discite benè facere. Quærite judicium, subvenite oppresso..... Et venite, arguite me, dicit Dominus*, si posità istâ conditione non peperecero. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis.....& custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet.... omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Matth. 3. *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quorum principalis est emendatio, ut posteà videbitur. Nec peccatoribus, tametsi scelera sua confitentibus, misericordiam pollicetur Deus Prov. 28. nisi relinquant ea: *qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Nec vitam Christus in Evangelio spondet, nisi sub conditione observantiæ mandatorum: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Plenaque est divina Scriptura ejusmodi textibus.

Argumentum quinquagesimum quartum.

SI peccatores, post confessionem, vitam non corrigentes, sed in confessa crimina facilè & citò relabentes, cum debita contritione confiterentur, confitendo fierent de peccatoribus justi. In ipsis proinde, post confessionem, apparerent opera propria justorum, eorumque ipsis conveniret descriptio, quam divina Scriptura facit. At neque in ipsis apparent opera propria justorum (imò opera potius impiorum) neque ipsis convenit descriptio illa justorum. Siquidem vivunt in criminibus, ut antè, & tamdiù in illis vivere moraliter censentur (secundùm Scripturam, communemque sensum hominum) quamdiù per vitam contrariam se correctos & emendatos non ostendunt. Neque enim pios, pudicos, temperantes, justos, sed impios, impudicos, ebriosos, injustos, communis hominum sensus & loquendi modus appellat, qui licèt Sacramenta frequentent, vitam non ducunt piam, pudicam, temperantem, justam, sed in solitas impietates, impudicitias, intemperantias, injustitias, post suscepta Sacramenta assiduè relabuntur. Solos etiam piè, pudicè, temperanter, & justè viventes divina Scriptura vocat pios, pudicos, temperantes, justos; impios verò, impudicos, intemperantes, injustos, qui non emendant vitam impiam, impudicam, intemperantem, injustam, quantumcumque Sacramenta frequentent. Nihil denique in sacris Litteris solemnius, quàm rationales arbores ex fructibus cognosci, justumque & impium ex operibus dijudicari. Et quænam sunt opera justorum? De iis Discipulus, quem amabat Jesus, ait in 1. epistola sua c. 3. *Qui facit justitiam, justus est.... Qui facit peccatum ex diabolo est.... Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Et de justificatis Paulus ad Galat. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Rom. 6. quòd *mortui sunt peccato*, v. 2. *in novitate vitæ ambulant*, v. 4. in ipsis *vetus homo crucifixus est, ut destruatur opus peccati, & ultrà non serviant peccato*, v. 6. *liberati à peccato, servi facti sunt justitiæ*, v. 18. A quibus omnibus longissimè distant, qui, mox ut Sacramenta frequentarunt, carnis desideria perficiunt, vivuntque, ut antè, in vitiis & concupiscentiis, nec ambulant in novitate vitæ, nec serviunt justitiæ, sed peccato. De iis proinde non loquitur Hieronymus epist. ad Rustic. dum ait: *justi vocabulum non amittere, qui semper per pœnitentiam resurgit.* De iis (inquam) non loquitur, qui confessa, post pœnitentiam, crimina assiduè repetunt; sed de iis qui repetunt peccata justorum, seu venialia; sic enim habet: *Septies in die cadit justus, & resurget. Si cadit, quomodò justus? Si justus, quomodo cadit? Sed justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.* Et 891
ubi (quæso) Scriptura, seu veteris, seu novi Testamenti, justos vocat eos, quorum vita assidua est confessionum, & criminum, post confessionem facilè & citò repetitorum, alternatio, seu vicissitudo? Inter justos quidem veteris Testamenti Scriptura recensct Abel, Enos, Enoch, Noë, Abraham, Loth, Isaac, Jacob, Joseph, Moysen, Josuë, Samuelem, David, Ezechiam, &c. Inter justos verò novi Testamenti, recensct Christi Apostolos, & Discipulos, primosque illos Christianos, quorum aliqui justitiam quidem semel acceptam amiserunt; nulli tamen confessa crimina assiduè repetierunt; imò de primorum Christianorum per tria sæcula successoribus Patres testantur, quòd nulla committerent crimina, vel adeò rara, ut beata Blandina (prout Eusebius refert lib. 5. Hist. Eccles. c. 1.) Tyranno dicere non dubitaret: *Christiana*

sum, & *nihil apud nos geritur mali*. Et illi Patres, qui pro Christianis Apologias conscripserunt, scilicet Justinus, Tertullianus, Origenes, Minutius Felix, &c. Christianorum vitam à perpetrandis criminibus alienam eleganter describunt: *Qui olim* (adhuc Gentiles) *stupris lætabamur* (ait Justinus in secunda sua pro iis Apologia) *nunc castitatem solam complectimur. Qui magicis artibus utebamur, bono & æterno nos consecramus dicamusque Deo. Qui pecuniarum & possessionum fructus & proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea quæ habemus, in commune conferimus, & cum indigentibus communicamus. Qui odiis ac cædibus mutuis inter nos grassabamur, &.... cum eis qui contribules nostri non essent, communem locum non habebamus, nunc.... familiariter simul vivimus, & pro inimicis oramus*, &c. Tertullianus in Apologet. adversus Gent. c. 3. testatur Gentiles, videntes mutationem morum, in iis qui Christo nomen dederant, exclamare solitos: *Quæ mulier?... quis juvenis?.... facti sunt Christiani. Ita nomen emendationi imputatur.* Et cap. 40. *Hoc sumus.... universi, quod & singuli, neminem laudantes.... probi... pii... casti*, &c. Cap. 44. *Quis ilic sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor*, &c.? Cap. 45. *Nos soli innocentes.* Et ad Scapulam c. 2. *In silentio & modestia agimus,.... nec aliunde noscibiles, quàm de emendatione vitiorum.* Origenes l. 4. contra Celsum asserit, ea vitia, quibus Gentiles sordebant, *non esse inter Christianos, si propriè Christianum accipias; aut siqua inveniuntur etiam inter hos, certè non inter illos, qui ad cœtus communes admittuntur.... nisi fortè perraro talis aliquis cæteros lateat.* Minutius Felix: *Non notaculo corporis, sed innocentiæ & modestiæ signo facilè nos dignoscimus.* Prisci denique Christiani, factâ à Tyranno quæstione de illorum vita & moribus, respondebant, *Christianos crimina non committere*, uti de beata Blandina vidimus.

Tales itaque sunt justi, quos Scriptura & Patres commemorant. Criminibus verò deditos, ad eaque post Confessionem facilè & citò redeuntes *iniquos* Scriptura vocat, & à regno cælorum excludit. 1. Cor. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii... neque adulteri, neque molles.... regnum Dei possidebunt.*

892 Quòdque ipsis non conveniat descriptio justorum, quam facit Scriptura veteris & novi Testamenti; sed ipsis potiùs descriptio conveniat iniquorum, impiorumque, probatur ex Psal. 1. ubi de justo dicitur, quòd *non abiit in consilio impiorum, sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die & nocte. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Illi verò de quibus agimus, crimina assiduè repetendo, assiduè abeunt in consilio impiorum; nec eorum voluntas est in lege Domini, quam assiduè transgrediuntur; nec tamquam lignum plantatum secùs decursus aquarum, fructum bonorum operum dant, sed negant in tempore suo. Quorum etiam folium boni propositi (cujus speciem præferunt, dum confitentur) statim post Confessionem defluit, nec prosperantur opera quæ faciunt post eamdem. Ipsis ergo non convenit Psalmistica descriptio justorum; sed impiorum descriptio, quæ à contrario sensu proximè subjungitur ibidem: *Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Interprete namque Augustino serm. 1. in Psal. 34. *ventus tentatio est. Quando venerit tentatio, tollitur pulvis, nec stat, nec resistit tentationi*, sed ei citò & facilè cedit, sicut pulvis vento. Quod profectò facit, qui, post promissam in Confessione emendationem, citò & facilè repetit confessa crimina.

Justum etiam describens Ecclesiasticus cap. 27. 893
homo sanctus (inquit) *in sapientia* boni propositi *manet sicut sol. Stultus*, id est impius, *sicut luna mutatur.* Non illud, sed istud facit peccator, de quo agimus. Siquando enim proponat emendationem, statim à proposito resilit.

Similem descriptionem Christus facit Matth. 894
7. ubi de justo, seu mandatorum observatore, *omnis* (inquit) *qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti* (tentationis) *& irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super* firmam *petram.* De impio verò: *omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: & descendit pluvia*, &c. *& cecidit*, &c. Sicut enim citò & facilè cadit domus super arenam ædificata; sic & peccator, de quo hîc agitur. Confer quæ hac de re dixi libro præcedenti à num. 552. ad num. 565.

Et ratio idipsum confirmat: quia justos ab impiis non discernit sola Sacramentorum, vel etiam jejuniorum, ciliciorum, &c. frequentatio; sed sola vitæ mutatio, sine qua nullus impius efficitur pius, nullus impudicus efficitur pudicus, nullus injustus efficitur justus, &c. A sola quippe vita pia, pudica, &c. non à Sacramentorum frequentia (quæ justis & impiis esse potest communis) homo fit pius, pudicus, &c. 895

Ex his liquidò colligitur 1°. verum esse quod 896
suprà dixi, vitæ emendationem fructum esse præcipuum veræ plenæque conversionis, seu pœnitentiæ: utpote sine quo cæteri fructus, & opera pœnitentiæ non discernunt justum ab impio, nec sufficiunt ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ. Idque Apostolus non prætermisit, dum fructibus secundùm Deum fructus & opera recensuit, & præcipuè sollicitudinem cavendi relapsum, defensionem seu præcautiones & præmunitiones necessarias contra illum, timorem illius, desiderium efficax melioris vitæ, zelum seu ardens studium nihil negligendi necessarium ad illam. Non prætermisit etiam Basilius Seleuciensis, dum orat. in Jonam, veræ pœnitentiæ indicia recensuit: *hæc veræ pœnitentiæ sunt indicia, lugens anima, lachrymantes oculi, discessio à malitia, impietatis fuga, carnis contritio, animi compressio, injustitiæ devitatio.* Chrysostomus quoque homil. 14. in 2. Epist. ad Cor. in morali, cùm sibi proposuisset querelam, seu objectionem cujuspiam dicentis, peccatores ab ipso in pœnitentiæ operibus nimis diù relinqui, respondet: *Verùm satis diù pœnas expenderunt, inquis. Quamdiù (quæso) unum annum & alterum, aut tres? Atqui temporis moram non quæro, sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius commutati, & res tota confecta erit.* Augustinus homil. 50. *Cùm peccator mores in melius commutaverit, & cùm in se ipse protulerit severissimæ medicinæ.... sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur*, &c. Isidorus Hispal. lib. 2. sent. c. 13. *Ille pœnitentiam jam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, ut in futurum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterùm admittit peccatum, quasi siquis lavet laterem crudum, quem quanto magis lavat, tantò amplius lutum facit.* Et c. 16. *Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.* Gregorius Magnus Pastoral. p. 3. admonit. 31. *Admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen desinunt, ut ante districti Judicis oculos eis se esse similes agnoscant, qui ve-*

nientes ante faciem quorumdam hominum, magnâ cum submissione blandiuntur; recedentes autem, inimicitias ac damna, quæ valent, atrociter inferunt. Quid est enim culpam flere, nisi humilitatem Deo suæ devotionis ostendere? Et quid est post fletum prava agere, nisi superbiùs in eum quem rogaverant inimicitias exercere? Et S. Aëlredus in spec. charit. c. 40. *Ut.... secundùm Baptistæ vocem, dignos pœnitentiæ fructus faciamus.... non satisfactionis modus tantùm servandus est, sed etiam purgationis necessitas perquirenda. Nec pro sola satisfactione à licitis continendum, sed etiam pro expellendis, vel minuendis passionibus, quæ vitiosâ consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum.*

897 Et ideò antiqui Patres non solùm non admittebant pœnitentes ad reconciliationem, nisi post longum tempus, ut constat ex supradictis; sed nec nisi post correctionem, vitæque emendationem, ut colligitur ex Chrysostomo, Augustino, Isidoro, Gregorio, proximè relatis. Imò Cardinalis Bona lib. 1. de reb. liturg. c. 17. observat, pœnitentes ne quidem admissos fuisse ad agendum in Ecclesia pœnitentiam publicam, & famosè intellectam nomine pœnitentiæ, nisi priùs constaret admissa flagitia eos seriò detestari, & verè optare dignos facere pœnitentiæ fructus, ac mores emendare. *Ideò* (inquit) *in area ultra omne Ecclesiæ tectum, diù ante porticum permanebant, ubi, sacco indùti, & cinere aspersi, omnium fidelium, Ecclesiam ingredientium, pedibus provoluti, rogabant, ut pro ipsis apud Episcopum & Presbyteros, ac universam fraternitatem intercederent, ut jus agendæ pœnitentiæ impetrarent.*

898 Colligitur 2°. in iis qui verbalia promissa melioris vitæ continuò violant, nec lachrymas, nec tunsionem pectoris, nec cæteros quidem fructus & opera pœnitentiæ, signum esse sufficiens plenæ conversionis, seu plenè correctæ emendatæque voluntatis internæ; cùm externa emendatio ad internam sequeretur, si interna vera esset ac plena. Ob ea quæ dixi cap. 26. Cùm igitur consuetudinarii ac recidivi, de quibus agimus, se nunquam emendent, censeri non possunt dispositi ad veniam seu absolutionem. Cùm ex dictis impii sint & iniqui, promissa melioris vitæ nunquam servantes. Impiis autem & iniquis, promissa melioris vitæ non servantibus, maledictionem, iram & væ Scriptura comminatur, ut patet ex Psal. 5. *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Psal. 10. *pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulfur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 33. *mors peccatorum pessima.* Psal. 36. *peccatores peribunt.* Psal. 72. *perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Psal. 91. *inimici tui peribunt, & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.* Psal. 144. *omnes peccatores disperdet.* Prov. 20. v. 26. secundùm Septuaginta, *ventilator est impiorum Rex sapiens, & immittet illis rotam malorum.* Job. 6. *involutæ sunt semitæ greſſuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt.* Eccli. 2. *væ bis qui dereliquerunt viam rectam, & diverterunt in vias pravas.* Isa. 1. *væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate..... super quo percutiam vos ultrà, addentes prævaricationem*, post illius confessionem? *....derelinquetur filia Sion*, &c. Isa. 3. *væ impio in malum.* Hierem. 2. *quàm vilis facta es iterans vias tuas!.... confunderis..... quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum in ea.* Ezech. 18. *si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius.... in prævaricatione, quâ prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.*

CAPUT LXV.

Argumentum quinquagesimum quintum.

Peccatores, post Confessionem Communionemque facilè, citò ac frequenter ad vomitum redeuntes, justissimum, atque in divina Scriptura & Patribus fundatissimum Confessario timorem incutiunt, ne ipsos Deus, ob supinam suæ salutis incuriam, dereliqueris, plenæ saltem conversionis gratiam subtrahendo. Ipsorum ergo conversionem, saltem plenam, justissimè habet suspectam.

QUòd enim tales supinâ utplurimùm laborent 899
salutis incuriâ, patet ex eo quòd dignos pœnitentiæ fructus, post crimina multa, post multa Sacramenta violata, multa item promissa absque effectu, facere negligant, & contra relapsum vigilare non sint solliciti; denique sic vivant, quasi pro salutis cura sufficeret Confessio ac Communio, cum gentili vita. Atqui hæc ad vitandam supinam salutis incuriam non sufficiunt, sed contra relapsum vigilare debent, ut toties in Evangelio Dominus vigilandum inculcat. Debent item curam gerere pro peccatis suis, juxta illud Psalm. 37. *quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo*, sive (ut Augustinus legit) *curam geram pro peccato meo. Ne securus sis* (inquit Augustinus enarratione in illum Psalmum n. 24.) *cùm confessus fueris peccatum tuum, tamquam semper præparatus ad confitendum & committendum peccatum. Sic pronuntia*, id est confitere, *iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo. Quid est curam gerere pro peccato tuo? ..... semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulò agere, ut sanes peccatum..... hoc est, curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæ facienda sunt, ad abolendum & sanandum peccatum meum.* A quo alienissimi sunt consuetudinarii & recidivi, confessa crimina assiduè repetentes, ad eaque post Confessionem & Communionem facilè & citò redeuntes.

Alienissimi quoque sunt à tribus præstandis, quæ 900
(secundùm Bernardum serm. 3. in vigil. Nativit.) ipsis præstanda sunt, utique talis præteritorum *pœnitudo & dolor, ut risum in luctum, cantum in planctum, & gaudium in mœrorem convertas, & incipiant tibi displicere quæ vehementer antè placuerunt, & illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas..... Secundò, correctio, ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coërceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas, & tactas servire corpus sanctitati, quod iniquitati antè servierat. Pœnitudo enim sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait: unus ædificans, & unus destruens, quid prodest eis nisi labor? qui enim baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, nihil proficit lavatio ejus. Sed quia hæc diutiùs haberi non possunt, nisi circa se multâ circumspectione mens indefessa vigilet & attendat.* Tertiò requiritur *sollicitudo, illa scilicet de qua Mich. 6. indicabo tibi, ô homo!.... quid Dominus requirat à te, utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

A tribus istis præstandis alienos esse peccatores 901
antedictos, inde perspicuum est, quòd nec oties, nec tam facilè, nec tam citò solita crimina repeterent, si illa præstarent. Laborant igitur supinâ salutis incuriâ. Atqui supina incuria salutis justissimum timorem incutit, ne ob illam plenæ conversionis gratiâ sint destituti. Eò quòd supina salutis incuria sit unum ex peccatis illis, quæ, juxta divinam Scripturam, & Patres, vel obstruunt,

vel exsiccant fontem divinæ misericordiæ, quæque à Theologis passim omnibus inter reprobationis signa meritò recensentur. Siquidem Deuter. 8. dicitur: *Observa & cave, nequando obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus..... Sin autem..... prædico tibi, quòd omninò dispereas.* Proverb. 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Et cap. 19. *Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur*, per gratiæ subtractionem. Hierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Hebr. 8. *Quoniam ipsi non permanserunt*, sed permanere neglexerunt, *in testamento meo*, sive in pactis & pollicitationibus, quæ toties mihi fecerunt: *& ego neglexi eos, dicit Dominus.* Enimverò si servus inutilis à Domino reprobatur, & infructuosa ficus maledicitur, secundùm Evangelium: quid fiet ei, qui supinâ laborat salutis incuriâ, & post multa patrata crimina, post multa violata promissa, Deo facta, multa etiam violata Sacramenta, facere negligit dignos pœnitentiæ fructus? Talibus in persona Pharisæorum Christi Præcursor Matth. 3. & Luc. 3. ait: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* id est quomodò fugere poteritis à ventura ira? *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quasi dicat, aliter nec venturam iram fugere poteritis, nec obtinere misericordiam. *Omnis* quippe *arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Quem fructum bonum? illum (inquit Augustinus serm. 60. de verb. Evang. Matth. 6. n. 12) de quo superiùs ait: *Facite fructus dignos pœnitentiæ. Quisquis itaque fructus istos non fecerit, sine causa putat per sterilem pœnitentiam mereri veniam peccatorum.* Quid igitur dicendum de iis, qui magnæ illi salutis incuriæ addunt perfidiam magnam in violando toties promissa Deo facta, irritumque toties faciendo pactum cum ipso solemniter initum? De ea capite sequenti.

CAPUT LXVI.

Argumentum quinquagesimum sextum.

Timorem illum vehementer auget incuriæ illi addita perfidia magna in violando toties promissa Deo facta, totiesque irritum faciendo pactum, cum ipso solemniter initum.

902 UT enim præclarè ex Patribus ostendit Illustrissimus D. Episcopus Castorientis in Amore suo pœnitente l. 2. c. 6. Sacramentorum, non solùm Baptismi, sed & Pœnitentiæ & Eucharistiæ perceptio, est solemnis & sacra cæremonia, quâ crimina abjurantes, ac detestantes, vovemus & juramus nos in Dei cultu & observantia mandatorum ipsius esse mansuros. Eò igitur major est perfidia hominis, quò plura per illam Sacramenta, vota & juramenta violantur: si enim perfidia magna fuit, vel semel violasse votum & promissionem in Baptismo solemniter factam, in quo (ut Philo Carpathiorum Episcopus, S. Epiphanii discipulus, ait exponens illud Cantic. *soror mea hortus conclusus, fons signatus*) fidelis anima, facta Christi Sponsa, *signaculum Jesu Christi accepit, ex ejus sacratissimo sanguine perlota. Unde non licet amplius Sponsæ adulterino diaboli sigillo insculpi, ne dicam inuri. Gravis enim injuria fit divinissimo Sponso, dum quæ ipse suo pretiosissimo sanguine lavit, & sanctissimè insculpsit, eadem nostrâ nos ignaviâ & improbitate patimur ab ejus adversario ac nostro turpissimè fœdari, atque deleri.* Quantò major perfidia est, post semel violatum baptismale illud votum, ac juramentum, perfidiam perfidiæ, non semel, sed sæpiùs, imò sæpissimè addidisse, toties violando votum ac juramentum, factum in susceptione Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quoties ad pristina crimina post Sacramentorum istorum susceptionem homo rediit? Nam, ut Augustinus docet epist. 59. ad Paulinum q. 5. *baptismi votum maximum, quo nos vovimus in Christo mansuros*, sancti altaris oblatione perceptâ prædicari, id est celebrari, seu solemnius reddi: *voventur omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros.*

In Sacramento quoque Pœnitentiæ involvi votum, seu pactum melioris vitæ, S. Joannes Climacus docet initio gradûs 5. Pœnitentia est renovatio baptismatis. Pœnitentia est pactum cum Deo initum de vita priore emendanda & meliore instituenda. Unde S. Grodogangus, Metensis Episcopus, in Regula Canonicis conscripta cap. 32. jubet, ut pœnitentes fœdera baptismi sacrilegè violata renovent, idque in prisca Ecclesia moris fuit, uti testatur Claudius Fleury, Ducis Veromanduorum Institutor, in libro de moribus Christianorum a. 36. his verbis: *dum Episcopi erant in procinctu ut pœnitentes reconciliarent, eos exhortabantur, ut spem in divina misericordia collocarent, & in vita emendanda omne studium ponerent, jubentes ut elatâ in altum manu promitterent, se isti studio esse vacaturos.* Sic practicabat S. Eligius, uti videre est apud ipsum hom. 7. de pœnit. ubi pœnitentes alloquens: *Si* (inquit) *quantum humanæ fragilitati scire permittitur, dignè pœnituistis, & deinceps ne talia facere velitis, totâ mentis contentione promittitis, dexteras manus vestras in sublime extendite, & abhinc cœlestem conversationem, & vitam Deo dignam gerere ostendatis.* 903

Hoc etiam advertit Magnus Venetensis Episcopus, Antonius Godellus, hom. 11. Dom. 4. Advent. ubi fœdus in susceptione Sacramenti Pœnitentiæ cum Deo initum, tamquam magnificam promissionem, solemnemque sacramentum describens, ait illud absque perfidia violari non posse: *quando inter Principes pacis fœdus conciliatur, variæ adhibentur solemnitates, ad majorem fœderi firmitatem procurandam. Juratur pax coram sanctis altaribus, tanguntur Evangelia, offert Episcopus sacrificium corporis Domini, ejus inter manus pax juratur, ut nemo illud pacis fœdus violare possit, nisi & temeratæ religionis, & proditæ fidei reus esse, & haberi velis. Peccator! ubi tu promisisti quòd Deum amplius non offenderes? Nonne in perceptione Sacramenti? Et quodnam hoc Sacramentum? Nonne in perceptione Sacramenti Pœnitentiæ? Cur hoc Jesus Christus instituit, & qui intuitu? Nonne intuitu suæ misericordiæ? Postquam baptismalem perdideras innocentiam, postquam vinculum promissa de abrenuntiando diabolo, pompisque & operibus ejus, haud quidem merebaris aliud subsidium, nec dignus eras, qui rursus in Dei gratiam recipereris: merebaris eò quòd quæsieras perire naufragio. Eripere tamen periculo, & in portum salutis te Christus voluit denuò recipere. Quippe planxeras peccatum tuum, sponderas te ad illud nunquam rediturum. Et nihilominùs in illud iterùm abivisti præceps, nihili faciens promissa & juramenta, quibus te iterùm Deo adixeras.* 904

Quid igitur de illis censendum, quorum vita, sicut continua est confessionum & relapsuum circuitio, sic continua est fœderum cum Deo initorum, & fœdifragiorum, promissionumque Deo factarum, juramentorum, & votorum, & votifragiorum vicissitudo? Talibusne Deus toties ordinariè dat conversionis gratiam, quoties tantam perfidiam committere placuerit, ac deinde con- 905

fiteri? Non, quia Eccli. 12. v. 3. dicitur, *non est ei benè, qui assiduus est in malis.* Et (ut S. Pacianus ait epist. 3.) *scriptum est, assiduè peccanti non misereor.* Et de talibus Job. 6. dicitur: *involutæ sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt.* Quod profectò signum est reprobi sensûs, seu reprobationis eorum, juxta illud Gregorii Magni l. 7. Moral. c. 14. *Benè ergo de reprobis dicitur: involutæ sunt semitæ gressuum eorum: quia recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur, quasi extra se tensi, ad semetipsos per circuitum redeunt,* &c.

906 Enimverò si vel semel perfidus, ut S. Thomas ait l. 3. contra gent. c. 161. *in quantum ordo rerum exigit, gratiam non debet recipere.* Numquid eam ordinariè recipit, qui perfidiarum, post continua promissa, & juramenta, non facit finem? Verum quidem est quòd, *quia Deus, præter ordinem rebus inditum, operari potest, sicut cùm cæcum illuminat, vel mortuum resuscitat: interdùm ex abundantia bonitatis suæ, etiam eos qui impedimentum gratiæ præstant, auxilio suo prævenit, avertens eos à malo, & convertens ad bonum; & sicut non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos sanat, ut & in illis quos curat, opus virtutis ejus appareat, & in aliis ordo naturæ servetur: ita non omnes qui gratiam impediunt auxilio suo prævenit, ut avertantur à malo, & convertantur ad bonum; sed aliquos, in quibus vult suam misericordiam apparere, ita quòd in aliis justitiæ ordo manifestetur.* Utplurimùm verò, seu frequentiùs Deus agit secundùm quod ordo rerum exigit, quàm præter ordinem illum. Nam & longè pauciores cæcos illuminat, mortuosque resuscitat, quàm in cæcitate & morte relinquat, &, à corporalibus ad spiritualia transeundo, longè minor est numerus eorum, in quibus vult misericordiam suam apparere, postquam ei perfidiâ suâ impedimentum præstiterunt, quàm eorum, in quibus justitiæ suæ ordinem manifestat (ut constat ex eo quòd secundùm Scripturam & Patres longè minor sit numerus eorum qui, post grandia vel sæpè repetita crimina, verè ac plenè pœnitent, quàm eorum qui vel non verè, vel non plenè pœnitent, prout ostendimus cap. 32. 33. 34. 35., sicut & longè minor numerus eorum, quos divina misericordia salvat, quàm eorum quos justitia damnat; minor, inquam, numerus electorum quàm reproborum:) justissima ergo & longè major causa timendi est ne iis quorum semitæ in continuo perfidiarum & juramentorum circuitu sunt involutæ, Deus per justitiam plenæ conversionis donum subtrahat, quàm sperandi quòd illud eis per misericordiam suam (cui continuum continuis perfidiis suis impedimentum præstant) impertiat. Cùm scriptum sit Eccli. 5. *non adjicias peccatum super peccatum*, perfidiam super perfidiam. *Et ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores*, perfidiam super perfidiam, peccatum super peccatum post confessionem continuò adjicientes, respicit *ira illius.* Et ibidem c. 26. *Qui transgreditur*, seu (ut alia versio habet) *redit à justitia ad peccatum*, maximè qui frequenter id facit, *Deus paravit illum ad romphæam*, id est ad corporis animæque damnationem. Unde ibidem c. 34. tales comparantur ædificantibus & destruentibus quod ædificarunt, qui in vanum ædificant: *unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis nisi labor?* sic & eorum pœnitentia vana esse dicitur ibidem: *qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid proficit lavatio ejus? sic homo qui jejunat pro peccatis suis, & iterùm eadem faciens, quid profuit humiliando se? orationem ejus quis exaudiet?* Ad quæ verba Gregorius Pastor. p. 3. admonit. 3. *baptizatur à mortuo, qui lavatur fletibus à peccato. Sed post baptisma tangit mortuum, qui culpam post lachrymas repetit.* Nihil ergo proficit lachrymis suis, nec orationem ipsius Deus exaudiet. Quod saltem utplurimùm verum est de iis qui adeò frequenter id faciunt, ut ambulent in circuitu lavationum seu confessionum, & redituum ad peccatum.

Nec solùm id verum est de iis qui post con- 907
fessionem redeunt finaliter ad peccatum. Qui enim in isto circuitu ambulant in vita, ambulabunt & in morte (juxta illud, *qualis vita, finis ita.* Et ad Galat. 6. *quæ seminaverit homo*, in vita, *hæc & metet*, in morte) & sic nihil proficient confitendo, nec orationem ipsorum Deus finaliter exaudiet, sed morientur finaliter in peccatis suis, uti fusiùs ostendam cap.....

Quæ cùm ita sint, videant, qui tales inemen- 908
datos absolvunt, quanto novorum votifragiorum, sacrilegiorum, æternæque damnationis periculo eos exponant. Videant, quanto seipsos periculo exponant absolvendi indignos & sacrilegos. Videant an suâ illâ facilitate absolvendi obnoxium vicissitudini juramenta & vota Deo facta violandi, ac iterùm renovandi, similes non sint illi Monachorum Præfecto, qui Monachum obnoxium vicissitudini sua vota violandi, & iterùm renovandi, arbitratur ad fidem Deo servandam benè præparatum, hoc ipso quòd perfidiam suam agnoscit & confitetur, brevi eam iteraturus. Videat, an, post vota & juramenta toties à perfido homine violata, religio & prudentia permittat iterùm ad jurandum & vovendum ipsum admittere, priusquàm ipsum in tantum probaverit, consideratione magnitudinis & multitudinis perfidiarum suarum, terribilisque ponderis divinorum judiciorum, ut eorum terrore perculsus, perfidiarumque suarum fœditate confusus, ad Deum diù multùmque confugerit, orando, gemendo, se humiliando, ipsius opem contra suam infirmitatem implorando, seipsum affligendo, contra libidines & passiones suas luctando, donec tandem emendatus, servandis promissionibus, votis, & juramentis idoneus judicetur; ita ut non parùm probabile sit, quòd juraturus sit in veritate, speque affulgeat, quòd ea Domino redditurus sit, quæ promiserit, voverit, & juraverit. Sine ista quippe spe & probabilitate, eùm non liceat votum & juramentum recipere; nec licet ad Sacramentorum participationem (in qua melioris vitæ votum & juramentum editur) admittere. Cùm igitur spes & probabilitas ista non affulgeat in iis qui se semper accusant, & nunquam emendant, semperque promittunt vitam meliorem, & nunquam perficiunt: Religio & christiana prudentia exigit, ut antequam Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ participes fiant, priùs per aliquod tempus explorentur, & probentur ut suprà.

CAPUT LXVII.

Argumentum quinquagesimum septimum.

Eundem timorem superauget ingratitudo stupenda, post tot gratias, & Sacramenta suscepta.

RAtio est, quia (ut Author Soliloquiorum ait 909
apud S. Augustinum to. 6. c. 18.) ingratitudo *est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans, & exurens omne bonum, obstruens fontem divinæ misericordiæ super homines.* Cujus figuram habemus in Israëlitis, quos per prodigia magna de Ægyptiaca servitute liberatos, & innumeris beneficiis (quæ recensèt Chrysostomus serm. contra Judæos, Gentiles, & hæreticos to. 5.) in deserto 40. annis cumulatos, ob nimiam eo-

rum ingratitudinem, quia post tot & tanta beneficia dixerunt Aaroni, *da nobis Deos qui nos præcedant*; ad idque vim magnam ipsi fecerunt, illis adeò offensus fuit Deus, ut juraverit in ira sua, ipsos non intraturos in requiem suam. Quia nempe Deus avertit faciem suam, subtrahitque gratiam suam à nimiùm ingratis. Vide Isa. 1. ubi Judææ & Hierusalem, ob nimiam suam ingratitudinem, væ Propheta comminatur, & desertionem: *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.... væ genti peccatrici.... super quo percutiam vos ultrà, addentes prævaricationem? terra vestra deserta*, &c. Vide & cap. 5. ubi Dominus per Isaïam contra domum Israël, nomine vineæ ibi ad litteram significatam, & spiritualiter contra peccatricem animam, pluribus & magnis beneficiis nimis ingratam, rursus comminatur desertionem: *& nunc ostendam vobis quid faciam vineæ meæ, auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Et quis non videt populum Judaïcum, ob nimiam ingratitudinem, & perfidiam in Salvatorem, penitùs desertum, sine Rege, sine Sacerdote, sine templo, sine sacrificio, sine Prophetis, sine Prædicatoribus, sine Deo, in perpetuam infamiam, desolationem & opprobrium cunctis gentibus?

910 In sensu verò spirituali Interpretes sancti potissimum Isaïæ locum intelligunt de anima peccatrice, magnis à Deo beneficiis acceptis nimiùm ingrata. Ita Glossa ordinaria ibidem, S. Hieronymus, S. Cyrillus, S. Thomas, aliique SS. Patres. Audi S. Hieronymum in illum locum: *Tollitur* (inquit) *Dei auxilium ab iis qui indigni sunt*, ob nimiam ingratitudinem suam, *ut quia non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia.* S. Cyrillus in eundem locum dicit, animam peccatricem deseri, per hoc quòd Deus eam *curâ superná nudet & destituat.* Verba ista explicans, *& non putabitur, & non fodietur, id est* (inquit) *nulla ei cura impendetur, quæ eam possit corrigere, & in melius reducere.* S. Thomas ad eundem locum sic habet: *Auferam sepem ejus, id est auxilia Angelorum, quibus contra hostes protegebatur.... Et ponam eam desertam, id est relinquam eam incultam, sicut desertum. Non putabitur admonitionis aut correctionis vomere, quando peccat*, &c.

911 Similia videre est in aliis Prophetis, ut Hieremia. Postquam enim cap. 2. Deus conquestus est, quòd ingrati beneficiis, relicto fonte aquæ vivæ, adoraverint idola; postquam capitibus sequentibus multa similia objecit eis. Cap. 6. vocat eos *argentum reprobum*, quia Dominus projecit eos. Cap. 7. & sequentibus denuntiat templum abjiciendum, & terram Juda redigendam in solitudinem, nec eis profutura sacrificia, nec orationes Hieremiæ pro ipsis; sed eos disperdendos & abjiciendos. Cap. 15. *Non est* (inquit) *anima mea ad populum istum, ejice illos à facie mea, & egredientur.* Igitur ob nimiam ingratitudinem deseruntur.

Similiter Ezech. 16. Deus, ob eorum ingratitudinem magnam, dicit se traditurum eos in vastationem, & ignominiam omnibus gentibus: quia post beneficia multa & magna, despexerunt juramentum, ut irritum facerent pactum.

Et Osee 10. 12. & 13. arguens Israël ingratitudinis, post tot beneficia, minatur ipsi exitium & perditionem.

Denique Matth. 23. Salvator iisdem prædicit desertionem, ob ingratitudinem: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te*, ut te ad pœnitentiam provocarent, *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta.*

Et cap. 11. maledictionem & reprobationem Corozaïn & Betsaïdæ, civitatibus ingratis, comminatur, in quibus plurimas fecit virtutes, nec tamen reversi sunt à vitiis suis malis, dicens, quòd *remissius erit Tyro & Sidoni, imò & terræ Sodomorum in die judicii, quam illis.*

Quid igitur fiet ingratis peccatoribus, quorum 912
illi figura fuerunt? Quid (inquam) fiet peccatoribus, qui postquam in baptismo, liberati à dæmonica servitute, plenissimâ remissione peccatorum acceptâ, facti sunt filii & templum Dei, istud Dei templum violarunt, postque tot alias gratias & participationes Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, semper ingrati, ad vitam meliorem nunquam reducunt, sed Deo mala pro bonis semper reddunt? Quam non habent causam timendi suam à Deo derelictionem (desertione illâ Judæorum & Israëlitarum præfiguratam?) hic est enim spiritualis intellectus figurarum illarum. Et hoc est quod Spiritus sanctus significat Proverb. 17. *qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.* Et Sap. 16. *ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua supervacua.*

His conformiter S. Thomas Villanov. conc. 3. 913
in Dom. 3. Quadrag. loquens nominatim de consuetudinariis ac recidivis nostris: *Satis notum est* (inquit) *quòd postquam Deus ex misericordia sua liberat aliquem à tanto malo, eripiens eum de potestate tenebrarum, & transferens in regnum Filii dilectionis suæ, quanta cæcitas, quanta negligentia, quanta malitia, quanta ingratitudo est, iterùm se subjicere servituti peccati. Et quidem antequam nosceret peccati servitutem, & justitiæ pacem, nil mirum. Sed postquam novit utrumque statum, commutare justitiæ delicias pro sentibus peccatorum... peccatum hoc dignum est omni supplicio, indignum misericordiâ. Exemplum: Siquis pater filium maximis sumptibus eriperet de servitute Turcarum, & ille se iterùm objiceret servituti. Quis miserebitur ejus? Quis non dicat: moriatur stultus in sua servitute, ex quo sic voluit? Unde Apostolus ostendens quàm difficulter hujusmodi pœniteant, ait:* Impossibile eos qui semel sunt illuminati, gu- " staverunt etiam donum cœleste, & participes " facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilomi- " nùs bonum Dei verbum, virtutesque sæculi ven- " turi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœ- " nitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Fi- " lium Dei. " *Impossibile, id est valdè difficile. Propter malitiam. Propter contemptum. Propter ingratitudinem. Propter malitiam: noverant enim jam miseriam servitutis peccati. Non possunt allegare ignorantiam. Propter contemptum: quia experti utrumque statum, delicias justitiæ pro voluptatibus commutarunt. Propter ingratitudinem: quia liberati misericorditer & potenter, neglexerunt. Non quia, si pœniteant, non recipiantur, sed quia eis difficilis pœnitentia. Quia justo Dei judicio deserti, traduntur in reprobum sensum, & quasi contemptores contemnuntur, & fiunt pessimi. Nam, sicut ait Evangelium, non redeunt in idem peccatum solum, sed etiam ad septem alia pejora, quibus inquinantur,* " & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. " *Sicut Judas... Quia Judas aliquo tempore malus fuit. Et vocatus ad Apostolatum, aliquo tempore relipuit. Sed rediit ad priorem avaritiam, & habuit finem quem scitis.*

Ipsi significantur & similes sunt illis, quos Dominus in manu valida eduxit de servitute Pharaonis, & postquam gustaverunt manna, desiderabant cepas, & pepones, & allia, & ollas Ægypti, & optabant redire in Ægyptum. " Quibus juravi (inquit)

„ quit) in ira mea, si introibunt in requiem meam. *Sic isti liberati à servitute peccati, gustaverunt bonum Dei verbum, & delicias sæculi venturi, & commutaverunt pro cepis & alliis voluptatum, reprobi & indigni sunt cœlesti patriâ.*

Quàm gravis sit illa ingratitudo, & quantùm Deus odiat illam, ostendit verbo & exemplo. Verbo Exech. per totum. Exemplo.... uxoris Loth, cui præcepit Deus tria: " Ne steteris in omni circum „ regione. Noli respicere post tergum. In monte „ salvum te fac.... *Propter quid Domine non vis ut respiciat post tergum?.... propter quid versa est in statuam?.... Totum hoc factum est, ut monstraret Deus, illis quos eduxit de Sodoma vitiorum, quantùm detestatur non solùm redire ad Sodomam, id est ad vitia præcedentia, à quibus liberati sunt; sed neque respicere, nec desiderare, nec concupiscere. Propter hoc terribile illud exemplum reliquit mundo in illa muliere. Non mea est expositio, Fratres, non P. Augustini, non Hieronymi; sed Christi, qui ait Luc. 17.* Mementote uxoris Loth, *qui reditis ad vomitum Sodomæ. Illam attendite, illam statuam præ oculis habete. Timete ne fiat in vobis spiritualiter, quod in illa factum est corporaliter. Hæc est enim justissima pœna retrospicientium & redeuntium, scilicet ut fiant statuæ, amisso sensu, amisso judicio, amisso lumine rationis. Ex persona facta est statua. Statua non sentit minas, nec flagella, non ignominiam, non infamiam.... omni motu, omnique sensu spirituali cordis amisso. O gravissima pœna!* ô secunda post infernum vindicta, eò periculosior, quò minùs sentitur! Isti viventes mortui sunt, sine sensu, & sine spiritu. Unde propter hoc difficilior eorum conversio: quia non habent dolorem, neque contritionem, neque sensum miseriæ, in qua sunt.

CAPUT LXVIII.

Argumentum quinquagesimum octavum.

Amplius adhuc timorem illum auget Dei irrisio & contemptus.

914 DEum quippe irridere & contemnere censentur, qui emendationem semper promittunt, nec unquam præstant, imò utplurimùm ne conatum quidem ad emendationem, nec vim ullam ad hoc sibi inferunt. Quemadmodùm ergo hominem irridere & contemnere censeretur, qui ab homine veniam de colapho semper peteret, colaphumque citò post petitam veniam rursus impingeret, maximè si frequenter id faceret; ita similiter, &c. Unde Isidorus l. 2. sent. c. 16. *Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.*

Atqui scriptum est: *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet,* ad Galat. 6. Scriptum est item: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles,* 1. Reg. 2. *Maledicti erunt, qui contemnunt me,* Tob. 16. *Væ qui spernis, nonne & ipse spernêris?.... cùm fatigatus desieris contemnere, contemnêris,* Isa. 33. Ut autem S Thomam Villanovanum dicentem n. 913. judivimus, de contempto Deo & justitia meritò arguuntur, *qui experti utrumque statum, delicias justitiæ pro voluptatibus commutarunt,* sicut Christum contempserunt Judæi, dum ipsum Barabbæ postposuerunt, & Judas, dum triginta argenteis ipsum vendidit.

915 Deinde Deum contemnere arguuntur, qui Dei metum abjiciunt, quem crimina sua confitendo concepisse videbantur. Metum autem Dei tantò magis abjiciunt, quantò magis (post frequentem Confessionem) iterant crimina sua. Ut enim Tertullianus l. de pœnit. c. 5. *Cur te deliquisse pœnituerat, nisi quia Dominum timere cœperas? Cur igitur quod metûs gratiâ gessisti, rescindere maluisti, nisi quia timere desisti? Neque enim timorem alia res quàm contumacia subvertit.* Contumacia autem sine contemptu non est.

Prætereà *Deum despicit* (prosequitur Tertullianus) *qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit,* vel se fugiturum sæpiùs promisit, *resumens, intellectui suo, id est Dei dono contumeliam facit.* Si enim (Apostolo teste Rom. 2.) *divitias bonitatis contemnit,* qui, post multa patrata scelera, Dei erga se longanimitate & patientiâ non movetur ad pœnitentiam: multò magis ille qui, post multa illa scelera sæpiùs condonata, ad ea assiduè, facilè & citò revertitur. Et *tantò magis* tunc *contemnitur Dei bonitas* (ait Doctor Angelicus 3. p. q. 88. a. 1.) *quantò majus est beneficium, peccatum remittere, quàm peccatores sustinere.* 916

Denique *Deum non leviter contemnit* (ait rursum Tertullianus loco citato) *qui cùm æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiasset, & hoc nomine ipsum Domino subjecisset, rursus eundem,* suo ad peccatum regressu, *erigit,* Deoque præponit, ipsi servire, & obedire malens quàm Deo, *& exultationem ejus seipsum facit, ut denuò malus, recuperatâ prædâ suâ, adversus Dominum gaudeat.... Nonne enim.... diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicatò pronuntiasse* (facto, si non verbo) *eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit.* Quàm gravis verò & intolerabilis Dei contemptus, diabolum Deo meliorem saltem facto pronuntiare! Tantò verò gravior & intolerabilior est, quantò post Confessionem & Communionem frequentior; *tantòque* proinde talis peccator *magis est perosus Deo, quantò æmulo ejus diabolo acceptus.* Talis proinde meritò ut contemptor contemnitur, & *traditur in reprobum sensum,* ait S. Thomas Villanovanus ubi suprà. 917

CAPUT LXIX.

Argumentum quinquagesimum nonum.

Eundem denique timorem vehementiorem rursus efficit præsumptio de misericordia Dei, seu abusus illius ad peccatum, circumstantias antè memoratas frequenter concomitans.

PRobatur, quia consuetudinarii & recidivi, de quibus agimus, utplurimùm ideò tam frequenter, tam citò, & tam facilè, post Confessionem ac Communionem, ad pristina crimina redeunt, quia seduci se patiuntur à diabolo, ipsis persuadente, *quia citò Deus totum ignoscit, ut se homo non corrigat,* inquit Augustinus serm. 20. de eo quod scriptum est: *cor mundum crea in me Deus.* In qua persuasione non parùm ipsos confirmat nimia plurimorum Confessariorum in absolvendo facilitas. Dum enim quàm facilè ab hominibus, tam facilè à Deo se absolvi existimant, contingit ut in ipsis *redundantia clementiæ cælestis libidinem faciat humanæ temeritatis.... toties delinquendo, quoties ignoscitur* (ait Tertullianus l. 6. de pœnit. c. 7.) sicque de divina misericordia *commeatum faciunt delinquendi.* 918

Verùm *assiduè peccanti Deus* ordinariè *non miseretur,* ait Pacianus epist. 3. Scriptum est enim: *Ne adjicias peccatum super peccatum, & ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Eccli. 5. Et rursus scriptum est: *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas! confunderis.... quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum in ea.* Hierem. 2. 919

Unde Augustinus serm. 22. de verbis 3. Psalmi 920

67. c. 9. *Ne nobis* (inquit) *tantùm de ipsius misericordia blandiamur, si non fuerimus conati adversus peccata nostra, nec si aliqua, maximè capitalia, fecerimus, speremus ita futuram misericordiam, ut ei conjungatur iniquitas. Numquid enim & eos qui nihil egerunt, quemadmodùm correcti viverent.... ibi constituturus est, ubi constituit... fideles suos, benè de se meritos, sibi servientes, ambulantes in castitate, modestia, humilitate*, &c.

921 Similiter V. Beda in scintillis c. 33. ex Isidoro: *Qui malè agere non desistunt, vanâ spe indulgentiam de Dei pietate requirunt, quam rectè quærerent, si ab actione prava cessarent.*

922 Denique (ut Ludovicus Granatensis ait l. 1. Ducis peccatorum p. 3. c. 27.) æquum est ut misericordia Dei & Sacramenta subtrahantur, qui taliter & toties iis abutuntur ad peccandum. Si enim servus inutilis projiciebatur in æternum incendium; quantò magis servus suæ salutis supinè incurius, servus admodùm perfidus, servus stupendè ingratus, servus irrisor & contemptor Domini sui, servus Domini bonitate abutens ad ipsum offendendum? Et si maledictionis & reprobationis filii, misericordiâque indigni sint qui aliquid eorum sunt, vel disjunctivè; quantò magis qui hæc omnia copulativè? Hac de re plura capite sequenti.

CAPUT LXX.

Argumentum sexagesimum.

In consuetudinariis, facilèque, ciò ac frequenter in crimina relabentibus, vitam proinde cadendo & confitendo transigentibus, plura vehementioraque signa sunt reprobationis, nulla vel modica prædestinationis: vehemens ergo suspicio est, Confessiones Communioneque ipsorum utplurimùm laborare defectu debitæ dispositionis.

923 Si enim debita cum dispositione, adeòque fructuosè, utplurimùm confiterentur & communicarent in vita; debita etiam cum dispositione, adeòque fructuosè, utplurimùm confiterentur, communicarentque in morte: neque enim minori cum dispositione confiteri, & communicare solent in morte, quàm in vita; quinimò instantis judicii timore correpti, sæpè vehementiùs in morte deplorant peccata sua, quàm in vita. Frequens autem Confessio Communioque fructuosa, signum est non modicum prædestinationis: eò quòd Sacramenta ista cum debita dispositione, & fructu, ordinariè recipientes, & frequenter recipientes in vita, taliter etiam ordinariè recipiant in morte, juxta vulgatum istud: *qualis vita, finis ita.* Igitur à contrario sensu, si nullum vel modicum in ipsis signum sit prædestinationis; multa econtrà, vehementiaque signa reprobationis; consequens est quòd Sacramenta illa cum defectu debitæ dispositionis, ideòque sine fructu, ordinariè recipiant in vita; & consequenter in morte.

§. I.

Ostenditur in illis nulla utplurimùm esse signa prædestinationis.

924 Primò id ostenditur per inductionem. Quia neque in ipsis ullum est signum prædestinationis ex septem illis, quæ P. Ruiz disput. 56. sect. 3. n. 13. profert ex S. Bernardino: neque ullum ex quindecim, quæ n. 5. adfert ex Vega: neque ullum ex iis quæ ipse superaddit, vel quilibet superaddere potest. Quia nullum ex omnibus illis est prædestinationis signum, nisi conjungatur cum vita christiana, sive cum tribus illis, quæ ad vitam christianam Bernardus exigit apud Platum l. 3. de bono statûs religiosi c. 32. *Si contines te* (inquit) *à peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.* Hæc enim tria, secundùm divinam Scripturam, peccatoribus necessaria sunt ad salutem, & in tribus illis christiana vita consistit; sine qua, secundùm doctrinam Ecclesiæ, ne frequens quidem Confessio & Communio signum est prædestinationis, ut constat ex propositione 56. ab Innocentio XI. damnata: *Frequens Confessio & Communio, in iis qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* Quæ propositio, teste ipsomet Innocentio XI. desumpta est ex aliquo libro, seu libris, vel ex Thesibus, utique ex Thesibus Namurci propositis ad disputandum die 15. Septemb. 1676. Quarum Thesium Author per *gentiliter* viventes non intellexit homines revera Gentiles, seu Paganos (utpote quorum nullus Confessionis & Communionis Sacramenta frequentat; & siquis eorum frequentaret, sacrilegè, & consequenter ad suam damnationem, non ad salutem frequentaret: neque enim aliud venire potuit in mentem Authoris Catholici) intellexit ergo Christianos, non christianè, sed criminosè viventes, & post Sacramentorum illorum frequentationem sese non emendantes, sed ad solita mox crimina redeuntes: quos Augustinus serm. 261. edit. novist. vocat, *quasi confitendo fideles, sed malè vivendo infideles.* Quorum frequens Confessio & Communio, cum ex Ecclesiæ declaratione censeri nequeat prædestinationis signum; consequens est ex illa Ecclesiæ declaratione, quòd frequens Confessio & Communio ipsorum, saltem utplurimùm, infructuosa sit, ex defectu debitæ dispositionis; quòdque proinde, saltem utplurimùm, Confessionis & Communionis Sacramenta sine debita dispositione frequentent. Si enim cum debita dispositione frequentarent, fructuosè frequentarent. Frequens verò Confessio & Communio fructuosa, à Doctoribus meritò dicitur esse prædestinationis nota: cùm Dominus Joan. 6. dicat: *Siquis* cum debita dispositione, & fructu, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Cum igitur dictorum Sacramentorum frequentatio, sine debita dispositione, & fructu, secundùm allatam Ecclesiæ doctrinam, signum non sit prædestinationis; signum est reprobationis. Eò quòd utique sic frequentare, sit ad judicium, non ad remedium frequentare, & quantò sæpiùs quis illa sic frequentat, tantò magis Judam proditorem imitatur, de quo Christus ait: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Enimverò qui in vita sua utplurimùm ad judicium, non ad remedium, Sacramenta illa frequentat, necessarium malis suis remedium in morte præcludit. Necessarium quippe malorum in morte remedium, est fructuosa in fine vitæ susceptio Sacramentorum. Quæ postquam in vita quis utplurimùm infructuosè recepit, in fine etiam vitæ utplurimùm infructuosè recipit, juxta illud: *qualis vita, finis ita.* Neque enim dignus est (per fructuosam Sacramentorum susceptionem) in fine accipere solatium, qui improbè vivendo, & sine debita dispositione Sacramenta, dum viveret, recipiendo, non cognovit se moriturum. Et qui toties, & tamdiù Sacramentis, & divinâ misericordiâ abusus est ad peccandum, non est dignus in morte accipere remedium. Æquum namque est (inquit Granatensis l. 1. Ducis peccatorum p. 3. c. 27.) ut misericordia Dei, & Sacramenta finaliter non prosint iis, qui totâ penè vitâ in peccatis perseverarunt.

Et ideò Lumbierus noster ad propositiones ab Innocentio XI. damnatas observat. 14. §. 2. post eumdem Granatensem to. 2. concion. de temp. concion. 2. (dicentem quòd *peccatorum confessio, sine eorum fuga, ad æternam salutem nihil juvat*) sapienter observat, quòd quæcumque adferuntur præde-

prædestinationis signa, talia non sint, nisi conjungantur cum non peccare, vel cum emendatione vitæ, dignisque fructibus pœnitentiæ, in iis qui peccarunt. Et ibidem redarguit zelum insipientem, seu potiùs indiscretionem & imprudentiam *nonnullorum Missionariorum, qui curam omnem sui laboris, & quasi suæ gloriæ, & felicis exitûs suæ Missionis punctum in eo ponunt, ut in oppidis Communionem quotidianam, & frequentiam Sacramentorum inducant..... Reputant enim magnum suarum concionum fructum, si in oppidis locorum ceutum, totidem Communiones quotidianas instituerint. Et inducunt ad quotidie communicandum viles & infimæ sortis feminas, v.g. lotrices, licèt posteà toto die, cum victûs..... rixaturæ sint*, &c. Quæ omnia ibidem refellit.

927 Secundò ostenditur ex Apostolo docente, quòd prædestinatis & electis omnia cooperentur in bonum. Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Et quidem *usque adeò* prorsus omnia (inquit Augustinus de corrept. & grat. c. 9.) ut ipsa etiam peccata, in quæ subinde labi permittuntur, ipsis cooperentur in bonum: nam *siqui eorum deviant, etiam hoc ipsum eis facit proficere in bonum. Quia humiliores redeunt, atque doctiores*, ut patet exemplo David & Petri, quorum uterque sic labi permissus est, ut uterque suam inde recognoscens infirmitatem, gratiæque necessitatem, humilior, doctiorque, seu cautior effectus fuerit. Atqui peccata eorum, qui ea post Confessionem & Communionem assiduè repetunt, nec se emendant, non cooperantur ipsis in bonum; neque enim humiliores fiunt, & doctiores, neque cautiores, seu sollicitiores adversus relapsum; neque meliores, sed deteriores (cùm tantò gravius peccent, quantò sæpiùs in ea, post suscepta Sacramenta, relabuntur, ob circumstantiam ingratitudinis, totiesque conculcati Dominici sanguinis, toties profanati divinissimi Sacramenti, toties Spiritui gratiæ illatæ contumeliæ:) ergo signum est ipsos non esse de numero prædestinatorum, seu electorum, sed reproborum.

928 Quòd autem ex peccatis suis ipsi non evadant humiliores, doctioresque, inde perspicuum est, quòd si inde humiliores, doctioresque evaderent, evaderent & cautiores, vigilantioresque & sollicitiores contra relapsum. Deum proinde impensiùs orarent, pro gratia impetranda contra relapsum, carnem macerarent, sibi violentiam inferrent, peccandi occasiones periculaque cautiùs declinarent, eos denique facerent dignos pœnitentiæ fructus (sicut David & Petrus) quibus fortiores fierent contra peccatum. Quod si facerent, non pari quàm antèà facilitate promptitudineque relaberentur, sed vel penitùs, vel saltem notabiliter se emendarent. Quorum cùm nihil in ipsis contingat, manifestum est assiduas relapsiones ipsorum, ipsis non cooperari in bonum; imò cùm econtrà in dies efficiantur deteriores, debilioresque, signum evidens est easdem relapsiones ipsis cooperari in malum. Quod signum est reprobationis.

929 Tertiò illi soli censendi sunt de numero prædestinatorum, qui in vita conformes sunt imaginis Filii Dei, Apostolo Rom. 8. contestante, eos qui secundùm propositum vocati sunt sancti, prædestinatos à Deo, *ut conformes fierent imaginis Filii sui.* Sed dicti peccatores in vita sua conformes non sunt imaginis Filii Dei, sed planè difformes. Censendi igitur non sunt de numero prædestinatorum, sed reproborum.

§. II.

Proferuntur sex indicia reprobationis eorum.

930 PRimum est, quod petitur ex improba vita, utpote quæ omnium firmissima est reprobationis nota, uti sapienter observat Jacobus Salianus l. 8. de amore Dei c. 22. Atqui consuetudinariorum, & recidivorum, qui sua semper crimina confitentur, & nunquam emendant, vita est improba, seu flagitiosa, ut constat ex dictis c. 64. Enimverò non obstante Sacramentorum frequentatione ipsi sunt impii, quibus Deus per Scripturam comminatur væ, maledictionem, iram, mortem in peccatis, rotam malorum, seu malorum sine fine circuitum, ut probatum est n. 898.

Secundum est supina salutis incuria. Ob sacros 931
textus & Patres c. 65. productos. Videri potest S. Thomas Villanovanus conc. 3. Dom. 3. Quadrag. ubi distinguit quinque status hominum. Quorum primus est innocentium, qui nunquam à baptismo fuerunt mali. Secundus perversorum, qui semper fuerunt mali. Tertius conversorum, qui fuerunt mali, & jam sunt boni. Quartus fragilium, qui ad tempus mali, & ad tempus boni, sic tamen ut oderint peccata, contra ea luctantes, & vim sibi non modicam inferentes, sicque fragiles sunt ad peccandum, ut diligentes sint ad surgendum, & non diù in peccato perseverent. Quintus impiorum, qui quasi totâ vitâ sunt in peccato, uti sunt illi qui sua quidem confitentur crimina, sed ad illa assiduè, citòque & facilè redeunt.

Primus (inquit) *status optimus.... Tertius....* 932
tutus est.... Secundus..... malus..... Quartus status..... dubius & periculosus. De quinto statu, eorum scilicet qui *quasi totâ vitâ sunt in peccato*, & *ad Pascha* quidem *confitentur*, sed *statim redeunt, & toto anno cum summa incuria permanent in peccato..... pauciissimi salvantur. Nam quomodò fiet hoc? Totâ ferè vitâ sunt habitatio dæmoniorum: & post mortem erunt cum Deo & Angelis? non credo. Nec mihi opponas quòd in morte pœnitent multi, & recipiunt Sacramenta..... Nam illa pœnitentia periculosa est, & valdè incerta...., Ideò..... Bernardus: in toto canone unum solum lego, id est latronem. Undè cùm in communi vita habeatur tanta incuria salutis, timeo quòd de communi vita pauci salvantur.*

Tertium est perfidia magna. Quartum, ingra- 933
titudo stupenda. Quintum, Dei contemptus & irrisio. Sextum, præsumptio de misericordia Dei, abususque illius ad peccandum, juxta dicta cap. 66. 67. 68. & 69. Et sex quidem superiora Theologi passim omnes inter reprobationis indicia recensent. Quia juxta Scripturam & Patres divinæ misericordiæ fontem obstruunt, vel exsiccant.

§. III.

Novem alia indicia seu argumenta reprobationis ipsorum ex sacris textibus.

SEptimum ad idem argumentum est, quia, se- 934
cundùm ordinarias divinæ providentiæ leges, verum est Apostolicum istud ad Galat. 6. *quæ seminaverit homo*, in vita, *hæc & metet*, in morte. Verum etiam commune SS. Patrum effatum: *qualis vita, finis ita.* Item: *raro benè moritur, qui malè vixit*; quia, ut optimè S. Cæsarius Arelatensis homil. 13. *utplurimùm percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei.*

Et quamvis peccatores, quorum tota quasi vita 935
in peccatis fuit, Deum in fine vitæ quærere videantur, per Sacramentorum susceptionem, Deum non inveniunt, sed in peccatis suis utplurimùm moriuntur, cum iis de quibus Joan. 8. *quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Et cum impiis, de quibus Ps. 1. *impii tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Ideò non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum... Iter impiorum peribit.* Et hoc est quod S. Thomas Villanovanus observat suprà n. 913.

Octavum argumentum est, quia interprete D. 936
Gregorio l. 7. Moral. c. 14. de peccatoribus, qui

ad consueta semper mala replicantur, & inter confitendum bona quidem cupiunt, sed post confessionem à malis nequaquam recedunt, Job. 6. dicitur: *involutæ sunt semitæ gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt.* Sed hoc *de reprobis dicitur*, ait idem Gregorius ibidem. Igitur reprobi sunt qui hoc faciunt.

937 Nonum argumentum est, quia hoc quod Eccli. 26. dicitur: *Qui transgreditur*, seu (ut alia versio habet) *redit à justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam*, id est corporis animæque damnationem, saltem de illis verificatur, qui assiduè vel frequenter id faciunt.

938 Decimum argumentum est, quia Hebr. 6. reprobi, & maledicto proximi dicuntur, qui divinæ gratiæ imbrem in malorum operum spinas frequenter convertunt: *Terra sæpè venientem super se bibens imbrem, proferens autem*, non fructus bonorum operum *sed spinas & tribulos* repetitorum sæpè criminum, *reproba est, & maledicto proxima.* Hoc autem faciunt peccatores, post susceptа frequenter Sacramenta, ad sua semper redeuntes crimina.

939 Undecimum argumentum est, quia 2. Petri 2. illi qui *oculos habent plenos adulterii, & incessabilis delicti* (uti habent, qui post confessionem peccare non cessant) vocantur *maledictionis filii*, id est reprobi, *fontes sine aqua*, quia lieca est confessio ipsorum, *nebulæ turbinibus* passionum, & sæcularium desideriorum *agitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur.* Cur ita? Quia reverti non cessant ad vomitum suum post multa promissa in contrarium: *si enim refugientes*, id est refugere promittentes, *coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri*..... promissionum suarum immemores, *his rursum implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus*, ob suam ingratitudinem, perfidiam, Deique contemptum. *Melius enim erat eis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reverti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*, quod servare sponderunt, ipsoque mandatum suam Sacramentorum susceptione frequenter sigillarunt. *Contigit enim illis illud veri proverbii: canis reversus ad vomitum. Et sus lota in volutabro luti.* Proverbium istud habetur Proverb. 6. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum; sic imprudens iterans stultitiam suam.* Et quo Bernardus serm. 3. de Assumpt. *Sicut canis reversus ad vomitum fit odibilis multo plus quàm antea; sic fiet filius gehennæ multipliciter, qui, post indulgentiam delictorum, in easdem de novo sordes incidit.* Tales igitur utplurimum excluduntur à regno cælorum, sicut canes, de quibus Apocal. 22. *foris canes*, id est extra cælum, prout sacri Interpretes passim exponunt. Videri potest Cornelius à Lapide in istum locum.

940 Duodecimum argumentum est, quia peccatorius istis, frequenter ad vomitum post confessionem redeuntibus, confusionem & miseriam in morte minatur Dominus Hierem 2. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas! .. confundêris.. quia oblivioni Dominus confidentiam tuam, & non habebis prosperum in ea.* Denuntiat & defectionem, sive elongationem à Deo Thren. 1. *peccatum peccavit Hierusalem* (Vatablus vertit hic: *graviter & assiduè peccavit*) *propterea instabilis facta est.* In Hebræo habetur *nida*, id est *elongata.*

941 Decimum tertium argumentum est, quia Apostolus Hebr. 10. dicit quòd *voluntariè peccantibus nobis, post acceptam gratiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Quod Glossa ibidem explicat de assiduè peccantibus, seu redeuntibus ad peccata sua post pœnitentiam: *non aut Apostolus, volentibus*, sed voluntarie peccantibus. *Quia voluntarius est, qui in aliquo assiduus est: Volens verò, qui ad tempus.* Talibus ergo *non relinquitur pro peccatis hostia*, id est *non proderit his Passio Domini Salvatoris* (ait Labata verbo *peccatum* propos. 19.) propter moralem impossibilitatem conversionis. Moraliter quippe impossibile est peccatis assuetum converti: eò quòd consuetudo altera natura sit, quam exuere valdè difficile, atque hoc sensu moraliter impossibile est. Idque longè difficilius est ei qui post frequentem condonationem ad consueta semper crimina redit. Quia, ut Augustinus ait apud Fromondum in cap. 6. ad Hebr. *dum divinæ gratiæ imbrem in malorum operum spinas convertit, obduratur*, per subtractionem gratiæ, quæ ob frequentem abusum ipsi subtrahitur.

Decimum quartum argumentum est, quia ambulantes per latam, non per angustam viam, censendi sunt de numero reproborum (cùm ambulent per viam perditionis, non per viam salutis: siquidem lata porta, & spatiosa via, Christo teste, *ducit ad perditionem*; arcta verò est *quæ ducit ad vitam*, Matth. 7.) Sed peccatores, post Confessionem & Communionem vitam non corrigentes, ad confessaque crimina, v. g. fornicationes, immunditias, obrietates, &c. assiduè redeuntes, ambulant per latam, non per angustam viam. Cùm angusta salutis via, de qua Christus, haud dubè sit via evangelica, contraria vitiis & concupiscentiis, sæcularibusque desideriis (per quæ manifestè ambulant) illa utique via, de qua Christus Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur*, quam sibi peccatores illi non inferunt. Illa, de qua ibidem c. 10. *Non veni pacem mittere* cum mundanis cupiditatibus (quibus ipsi assiduè consentiunt) *sed gladium*, quem contra eas nunquam, vel ferè nunquam exerunt. Illa, de qua Luc. 9. *dicebat ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie* (à quo illi longissimè distant).... *qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam*, destruendo vitia & concupiscentias illius. Quod nec faciunt. Illa, de qua Apostolus Rom. 12. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.... Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri.* Et 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum... ne... reprobus efficiar.* Et ad Tit. 2. *Abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, castè, & justè vivamus in hoc sæculo*, legitimè certando contra vitia contraria, dictaque desideria: quia *nemo coronabitur, nisi legitimè certaverit.* 2. Timoth. 2. Quisquis proinde per viam illam non ambulat (certum est autem dictos peccatores per eam non ambulare) certum est quòd non ambulet per arctam, id est evangelicam salutis viam; sed per latam & spatiosam. Ergo certum est quòd ambulet per viam perditionis. Et adeò certum, ut, teste Salvatore Matth. 7. cavendi sint velut Pseudoprophetæ, qui aliam salutis viam docent, vel evangelicam illam viam emollire conantur, sub specie humanitatis, & ovinæ mansuetudinis. Postquam enim ambulare jussit per viam arctam, *Attendite* (inquit) *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestibus ovium, intrinsecùs autem*, si non intentione, saltem effectu, *sunt lupi rapaces*, qui perdunt gregem. Iterùm dico, id adeò certum esse, ut Tridentinum Sess. 14. de Extrema Unct. inde concludat, quòd *tota vita Christiana, continua pœnitentia esse debeat.* A quo cùm alienissima sit vita peccatorum illorum, quæ tota penè est in peccatis, tota in defectibus, concupiscentiis, vitiis, & sæcularibus desideriis; perspicuum est per latam & spatiosam viam ambulare; ac proinde ipsos reprobis accensendos esse, non prædestinatis.

Decimum quintum argumentum est, quia censendi non sunt de numero electorum, sed repro-

borum, qui non vivunt secundùm mandata Dei (cùm unica salutis via, sit, via mandatorum, juxta illud, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*) Sed peccatores, vitam criminosam non corrigentes, ad eamque post Confessionem & Communionem assiduè redeuntes, non vivunt secundùm mandata Dei (si enim secundùm ea viverent, se corrigerent, juxta illud Psal. 118. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.*) Ergo censendi non sunt de numero electorum, sed reproborum.

§. IV.

Gravissimorum Doctorum hac de re judicium.

944 PRopterea Doctores gravissimi & celeberrimi censent eos, qui post Confessionem & Communionem ad solita crimina semper redeunt, facilèque & citò redeunt, ordinariè censendos esse de numero reproborum. Sic enim censet S. Thomas Villanovanus, cujus verba habes capite præcedenti §. 2.

945 Sic etiam Bellarminus l. 1. de arte moriendi c. 12. ubi sic: *Siquis inveniatur, qui Sacramenti sacrosancti frequentet mysteria, vel omnibus Dominicis, vel etiam quotidie (si Sacerdotio fungatur) & tamen neque à peccatis lethalibus sibi caveat, neque in bonis operibus seriò se exerceat.... lucris pecuniarum inhiet, carnis illecebris delectetur, &c. ipse certè carnem Dominicam ad judicium sibi manducat, &.... Judam proditorem imitatur, de quo Christus ait: Melius erat ei si natus non fuisset homo ille.* Generaliùs loquitur ibidem l. 2. c. 16. ubi inter reprobos & damnatos numerat ferè *innumerabiles, qui non didicerunt bellare bella Domini, sed absque ulla resistentia, suscipiunt vulnera diaboli, & moriuntur morte primâ, quæ est peccatum lethale. Et quia timidi*, seu incurii, *sunt in agenda pœnitentia (cùm non audeant castigare, & in servitutem redigere corpus suum*, à quo consuetudinarii, facilèque & citò recidivantes, utplurimùm abhorrent) *ideò incidunt in mortem secundam, quæ est gehenna.*

946 Sic Ludovicus Granatensis to. 2. concionum de temp. conc. 2. *Asseverare non dubito, inter omnia mala, quibus nunc mundus premitur, hoc mihi vel omnium maximum, vel unum inter maxima connumerandum videri, quòd intelligam maximam hominum turbam in summo salutis æternæ discrimine versari, dum hoc modo confitentur, & vix peractâ Confessione, in eadem crimina relabuntur.*

947 Sic Cornelius à Lapide in cap. 2. epist. S. Jacobi v. 13. ubi postquam dixit, authoritate & ratione suaderi, plures ex adultis Christianis damnari, quàm salvari: illis, qui utplurimùm damnantur, accensèt eos qui malos habent habitus inebriandi se, fornicandi, rixandi, pejerandi, &c. qui mox à Confessione ad suas cupiditates & scelera redeunt.

948 Sic Franciscus Labata in Thesauro Morali to. 2. verbo *recidivatio* propos. 4. *Fieri potest, ut qui è numero electorum est, relabatur; sed frequens prolapsio, apertissimum signum est damnationis.*

949 Sic Julius Cæsar Recupitus in eruditissimo Opere de signis prædest. & reprob. tr. 2. c. 6. *Omnes ii qui ita mortaliter peccant, ut cadendo & resurgendo vitam transigant, regulariter & juxta leges communes pertinent ad reprobos.*

950 Sic noster Antonius à S. Martino in laudatissimo libro, cui titulus: *Les conduites de la grace*, &c. p. 1. verit. 8. ubi dicit, facilè & citò post Confessionem in pristina crimina recidentes, ordinariè esse in malo statu, in eoque ordinariè mori, desperatam denique esse eorum salutem. Similia habet Drexelius in Zodiaco Christ. signo 11.

CAPUT LXXI.

Argumentum sexagesimum primum.

Tam justa suspicio est, ipsorum pœnitentiam, dum confitentur, vel esse fictam, vel non esse plenam ac sufficientem, quàm justa suspicio est, ipsorum Confessionem, & Communionem, esse infructuosam. Atqui de hoc justissima suspicio est. Ergo, &c.

MAjor propositio est certa, quia certissimum 951
est, Sacramentorum illorum fructum ab iis recipi, qui ea cum debita dispositione recipiunt. Si igitur ea utplurimùm infructuosè recipiant, signum certissimum est, quòd ea non recipiant cum debita dispositione. Reciperent autem cum debita dispositione, si forent debitè pœnitentes. Justa ergo suspicio est non esse debitè pœnitentes.

Minor verò propositio, quòd utique justissima suspicio sit, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta ab ipsis infructuosè recipi, ex Scriptura, Patribus, doctrinaque Aquinatis, & Theologorum passim omnium, demonstrata est libro præcedenti cap. 42. & 43.

CAPUT LXXII.

Argumentum sexagesimum secundum.

Juxta sacros textus, meritò suspecta est magnorum criminum pœnitentia, à qua facilè & citò receditur.

PRobatur ex Apostolo 2. Cor. 7. Et Eccli. 3. Pœ- 952
nitentia namque, si vera & plena est, juxta Apostolum ibidem aliquid stabilitatis habet. Tametsi enim necessariò talis esse non debeat, ut semel habita nunquam amittatur, nec universim falsa sit pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa; veram nihilominùs plenamque enormium criminum pœnitentiam, saltem catenùs stabilem esse, quatenùs ea facilè & citò non repetuntur, Apostolus ibi significat, dum ait: *quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam, in salutem, stabilem operatur.* Quia vox *stabilem* ibi secundùm Chrysostomum & textum Græcum refertur ad pœnitentiam, inquit à Lapide in eum locum. Sic enim textus Græcus habet: *quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam impœnitendam in salutem operatur.* Et verò pœnitentia, de qua peccator facilè & citò pœnitet, id est à qua per relapsum facilè & citò discedit, nullos ponit ex pœnitentiæ fructibus, ibidem ab Apostolo recensitis, ut experientia docet. Ex toto proinde contextu, Græcoque & Latino textu inter se collatis, colligitur, veram & plenam de peccatis, saltem gravioribus, pœnitentiam, hoc saltem sensu, stabilem esse debere, quatenùs ab ea nec citò, nec facilè peccator excidit per relapsum, per quem quasi pœniteat de pœnitentia.

Quod & confirmat Sapiens Eccli. 3. *Qui diligit Deum* (uti diligit omnis qui pœnitet ut oportet) *orabit pro peccatis, & continebit se ab illis.* Quod profectò non solùm verificatur pro tempore quo diligit. Cùm textus ipse amplius evidenter significet; neque enim dicit: *Qui diligit Deum, orat pro peccatis, & continet se ab illis*; sed *continebit se.* Quomodò etiam Salvator Joan. 4. non dicit: *Siquis diligit me, sermonem meum servat*, sed in futurum *servabit.* Vide dicta libro præcedenti n. 551.

CAPUT LXXIII.

Argumentum sexagesimum tertium.

Eorumdem pœnitentiam vel falsam, vel non plenam, vel suspectam, veteres habuerunt Patres, & Ecclesia antiqua.

953 NEque enim credibile est, quòd veteres Patres tàm difficiles fuissent in absolutione concedenda relapsis, v. g. in fornicationem, adulterium, &c. post actam de iis publicam pœnitentiam, si censuissent, veram plenamque pœnitentiam nihil stabilitatis habere debere, sed tam facilem esse transitum ab ea ad relapsum, à relapsu ad pœnitentiam, & sic deinceps, ut Adversarii prædicant. Incredibile est (inquam) quòd si hoc censuissent, tam difficiles fuissent in concedenda dictis relapsis absolutione, ut non solùm indignos censuerint qui ad publicam rursus pœnitentiam admitterentur, sed & ut privatim arbitrio suo pœnitentiam agentes, ab ipsis etiam privatim absolverentur, etiam in morte; sed ad Deum ab ipsis pro absolutione remitterentur. Sed hoc, in nonnullis saltem Provinciis & Ecclesiis, fecisse cap. 19. vidimus. Saltem ante mortem ipsis absolutionem Ecclesias, etiam Romanam, non concessisse, Doctores conveniunt. Cur autem tam durè cum relapsis illis egissent, si veram plenamque eorum pœnitentiam credidissent? Ut enim concedamus aliquam politiæ Ecclesiasticæ rationem ea in re habuisse, atque hoc pacto Christianos à relapsu terrere & prohibere voluisse; potissima certè ratio istius politiæ omninò fuisse videtur, quia licèt vera plenaque pœnitentia post relapsum in enorme crimen possibilis sit, rara tamen est, ideòque difficile hominibus est cognoscere quandonam contingat. Quam difficultatem ut Christiani sensibiliter apprehenderent, ob illamque relapsum sollicitissimè caverent, tam difficiles fuerunt in relapsorum absolutione. Quorum profectò veram plenamque pœnitentiam si tam facilem & obviam credidissent, nimis durum atque à divinæ misericordiæ imitatione alienum fuisset, absolutionem iis, quos plenè conversos credidissent, vel in ipsa etiam morte negare, vel saltem ad mortem usque differre. Cùm Christianos à relapsu sine ista duritie terrere potuerint. Ideò ergo ne in extremis quidem absolverunt, vel absolutionem ad mortem usque distulerunt: quia plenam ipsorum conversionem, post tam enormem relapsum, tam raram & difficilem crediderunt, ut de ea in casibus illis sibi non satis compertum existimaverint, prout Hermæ, Clementis Alexandrini, & Ambrosii verba ibidem relata innuunt.

954 Denique si pœnitentia relabentium frequenter in gravia crimina, veteris Ecclesiæ usu & sensu, judicata fuisset utplurimùm vera & idonea ad absolutionem, nullum coforem seu apparentiam habuisset accusatio, quâ S. Joannes Chrysostomus accusatus fuit de nimia facilitate absolvendi frequenter relabentes. Fuit autem de nimia ista facilitate accusatus (tametsi falsò & calumniosè, ut Morinus ostendit l. 5. c. 28.) nec est verisimile quòd in Synodo, sine ullo colore, seu specie apparenti, accusatus fuerit: igitur pœnitentia frequenter relabentium, veteris Ecclesiæ sensu & usu, judicata non fuit utplurimùm vera & idonea ad absolutionem. Major videtur perspicua, quia, ut colorem haberet accusatio ista, fundari debuit in eo quòd Sacerdotes & Episcopi ab Ecclesia tunc haberentur gravis criminis rei, si toties absolverent relapsos, quoties post relapsum, cum aliquo dolore, sua ipsis crimina confessi fuissent. Non est autem cur propterea ab Ecclesia habiti fuissent rei gravis criminis, nisi Ecclesia censuisset, illâ facilitate absolvi indignos, seu indispositos. Tametsi enim rigor aliquis erga dictos peccatores, secundùm Canones tunc observandus fuerit, rigorem tamen illum Episcoporum discretioni ac prudentiæ Canones in multis relinquebant, prout constat ex Concilio Nicæno I. cap. 12. *Liceat Episcopo humanius aliquid de iis statuere.* Minor autem propositio, quòd utique de nimia illa facilitate Chrysostomus in Synodo ad Quercum accusatus fuerit, constat ex eo quòd articulorum, de quibus ibi accusatus fuit, sextus iste fuerit: *quòd aditum aperit peccatoribus, dicens: si iterùm pecces, iterùm pœnitentiam facito; & quoties peccaveris, accede ad me, & ego te curabo.* Cujus accusationis falsitatem vide apud Morinum loco citato.

CAPUT LXXIV.

Argumentum sexagesimum quartum.

Eorum pœnitentiam falsam, vel suspectam habuerunt Hermas & Clemens Alexandrinus.

HErmas quippe, Pauli Apostoli discipulus, à 955 Patribus antiquis laudatissimus, lib. 2. cui titulus, *Pastor*, mandato 4. sic habet: *Dico tibi, quòd post vocationem illam magnam* (per baptismum) *siquis tentatus fuerit à diabolo, & peccaverit, unam pœnitentiam habet. Si autem subinde* (id est identidem, modò cadendo, modò resurgendo) *peccet, & pœnitentiam agat, non proderit homini talia agenti* (saltem si facilè à pœnitentia in peccatum cadat:) *difficilè enim vivet Deo;* id est difficilè evadet nova in Deo creatura, qui proprius est veræ pœnitentiæ effectus. Per consequens pœnitentia ipsius utplurimùm erit falsa, vel certè insufficiens ad peccatorum remissionem. Quia, ut ait l. 3. in fine similitudinis septimæ, tunc demùm Deus peccata remittit, *si viderit ejus qui pœnitentiam agit, cor purum ab omni peccato nequissimo.* Et in fine similitudinis nonæ: cumque vidisset Dominus bonam atque puram pœnitentiam eorum, & *posse eos in ea permanere, jussit priora eorum peccata deleri.* Non antè ergo deleri jussit, quàm vidit in eis pœnitentiam stabilem, id est à qua facilè & citò non recedetur: pœnitentiam enim modo isto stabilem designant verba ista, & *posse in ea permanere.*

Unde Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. ante medium, eundem Hermam, seu sententias ipsius referens, confirmansque expositionem sententiæ proximè relatæ, à nobis factam, *quem* (inquit) *pœnitet eorum quæ fecit, ea amplius* (facilè) *non facit, vel dicit: quia, propter ea quæ peccavit, animam torquens, benè agit.* Quia tamen magna est diaboli in hominem invidia, hominisque ad malum fragilitas, *dedit Deus, cùm sit multæ misericordiæ ... pœnitentiam secundam.... Continuæ autem, & se invicem excipientes post peccata pœnitentiæ* (id est continuus transitus à peccato ad pœnitentiam, à pœnitentia ad peccatum) quia nihil habent stabilitatis, nihil proinde soliditatis, *nihil differunt ab iis qui omninò non crediderunt, præterquàm in eo solo, quòd se peccasse senserunt... Apparentia igitur est pœnitentiæ, non pœnitentia, veniam sæpè petere eorum, quæ sæpè peccavimus.* Quid clarius?

CAPUT LXXV.

Argumentum sexagesimum quintum.

Idem censent Tertullianus, & Ambrosius.

NAm Tertullianus l. de pœnit. c. 2. pœnitentiæ vanitatem concludit ex subsequentis c. 956

mendationis defectu : *ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana.* Et eam quidem vanam concludit, quia *caret fructu suo, cui Deus eam fecit*, fructu utique salutis ; sed ideò carere censuit fructu salutis, quia veram non censuit, sed simulatam ; ut inde patet, quòd ibidem c. 5. eos non existimet pœnitentes veros, sed hypocritas, qui ad ea facilè reverturtur, de quibus pœnituerunt : *Ista* (inquit) *ingenia de semine hypocritarum pullulare consueverunt ; quorum individua cum diabolo amicitia, quorum pœnitentia nunquam fidelis.* Si eorum individua cum diabolo amicitia, pœnitentiaque nunquam fidelis : censet igitur eos amicitiam cum diabolo ne tunc quidem abjicere, cùm Pœnitentiæ Sacramentum suscipiunt ; nec proinde tunc verè pœnitere. Ideò verò id censet, quia post susceptionem illius facilè ad sua redeunt crimina. Si enim pœnitentiam peccatorum, ab ea facilè recedentium, veram censeret, cap. 7. adhuc Catholicus non sic assereret, grandium criminum, post baptismum commissorum, *pœnitentiam secundam*, ut protinùs adderet, quòd Deus eam *permisit patere.... sed jam semel, quia jam secundo: sed amplius nunquam, quia proximè frustrà.* Cur *proximè frustrà?* Quia ex post-facto, sive ex facili post secundam relapsu, eam non credit esse veram, seu verè ex toto corde ; sed fictam, & ideò vanam & infructuosam.

957 Eamdem ob causam S. Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 10. *Meritò reprehenduntur* (inquit) *qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant. Quia luxuriantur in Christo* (id est ludunt de bonitate Dei, & gratia Sacramentoque Christi:) *si enim verè agerent pœnitentiam, iterandam posteà non putarent*, id est facerent tam stabilem, ut non facilè posteà committerent, propter quod pœnitentiam iteratò agere deberent.

CAPUT LXXVI.

Argumentum sexagesimum sextum.

Similiter Chrysostomus & Gregorius Nyssenus.

958 CHrysostomus enim homil. 7. in cap. 3. ad Colost. ad istam objectionem : *Dicit quis, parce illis paululùm, & ad ejus imbecillitatem te tantillùm accommoda.* Non responderet : *Sed quousque tandem? Semel, & iterùm, & tertiò ejus ingratitudini dare aliquid possumus ; sed non perpetuò :* si cum Adversariis existimaret, recidivum toties censendum absolutione dignum, quoties relabitur, relapsumque confitetur, seque valdè dolere dicit. Verùm hoc non sufficit Chrysostomo, emendationem requirit, ut credat ipsum verè ex toto corde dolere, plenâque voluntate relapsum vitare velle, prout videre est epist. 5. *Confiteris peccata tua, teque tui miseret supra modum. Scio equidem satis. Verùm id non requiro solum ; cupio autem... ut primùm te obsequentem præbueris... Vehementer te damnare, profiterique peccatorem, commune est, ut sic dixerim, cum infidelibus. Multos à Scena, tam viros, quàm mulieres, cum turpitudinem suam perpendunt, sui miseret : at non collimant ad verum scopum... quia non est... cùm peccatorum abolitione, quòd ea sic enuntient.* Ad quod ibidem à peccatore exigit, *ut assidua cura contineat, nequando ad vitia relabatur*, tantumque ad id conatum adhibeat, *qui ipsum retinere sufficit, ne in contrarium relabatur.* Et homil. 14. in 2. ad Corinth. in Morali rem *summæ clementiæ, & benignitatis*, præstantissimæque medendi rationis esse dicit, peccatorem (de quo suprà) citò non absolvere, sed tamdiù dolorosæ laboriosæque pœnitentiæ vinculis ligare, donec se emendaverit. *Si* enim (inquit) *in vinculis eum non tenuero, ejusmodi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant. Si enim nosipsos judicaremus, non utique judicaremur.* Deinde ad hanc objectionem, *verùm sat diu pœnas expenderunt.* Respondet : *Quamdiù, quæso? Annum unum & alterum, aut tres? Atqui temporis moram non quæro, sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius commutati, & res tota confecta erit.* Nam, *nisi ita sit, nihil profectò temporis diuturnitas emolumenti attulerit. Neque enim sæpiùsne obligatum vulnus fuerit, quærimus, sed an obligatio illi quidquam profuerit. Ac siquidem etiam ad exiguum tempus adhibita profuit, non jam ampliùs adhibeatur. Si autem nondum eam adhibuisse juvit, etiam post decem annos adhibeatur.*

Nyssenus etiam Epist. Canon. ad Letojum can. 959
4. vitæ emendationem requirit ad prudens judicium de veritate pœnitentiæ, pœnitentisque reconciliatione : *In iis autem qui diligentiori conversatione usi fuerint, & vitæ suæ ad id quod bonum est, reditum ostenderint, licet* Ecclesiæ Ministro *tempus auditionis contrahere, & communionem reddere.*

CAPUT LXXVII.

Argumentum sexagesimum septimum.

Similiter Augustinus & Gelasius Papa.

QUia Gelasius Papa epist. 3. negat ab iis spe- 960
randam veniam, qui factis, nullâ utique subsecutâ emendatione, ostendunt veram se non agere pœnitentiam, neque ex toto corde peccandi abjicere voluntatem : siquidem *remitti culpæ de præterito potest, correctione sine dubio subsequente. Nam si deinceps finitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis assensio* ; ac si apertè dicat, quòd Sacerdos talem absolvens non sit ipsi benignus, sed sibi & ipsi malignus, peccatum ipsius fovendo, suoque consensu se participem ipsius efficiendo.

Quid verò Augustinus? *Pœnitentes* (ait serm. 961
nunc 393.) *pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam.... Si pœnitens es,... cur facis quod malè fecisti?..... Si adhuc facis, certè non es pœnitens.* Igitur censet pœnitentes, vitam non mutantes, sed facilè relabentes, non esse verè, sed irrisoriè pœnitentes, vel saltem non plenè conversos. Hoc enim significant verba ista : *pœnitentes..... si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam.* Significant (inquam) veram non censeri pœnitentiam, sed irrisoriam, vel non plenam, absque mutatione vitæ ; nec peccatores censeri verè ac plenè conversos, quamdiù adhuc labuntur in crimina. Quia vita ipsorum nondùm est mutata : *si adhuc facis* (inquit) *certè non es pœnitens.* Quod si verum erat de illis pœnitentibus, quorum pœnitentia, Augustini tempore, pluribus durabat mensibus, imò pluribus annis : quo toto tempore multis indulgebant fletibus, macerabantur jejuniis, incumbebant orationibus, exercebantur humiliationibus : si (inquam) non obstantibus tot fletibus, jejuniis, orationibus, humiliationibus, non censebantur verè ac plenè conversi, ac pœnitentes, si vel semel toto illo tempore relapsi fuissent ; sequitur à fortiori consuetudinarios nostros, facilèque ac citò relabentes, quamdiù tales sunt, Augustini judicio, non censeri verè ac plenè conversos ; cùm nec ipsi vitam mutent, & in comparatione eorum, de quibus Augustinus, nihil penè faciant, ut ad plenam conversionem perveniant, sintque longè deteriores iis, de quibus Augustinus. Enimverò, juxta Augustinum, audienda non est lingua pœnitentis, quando aliud factis loquitur. Et sicut qui verbo confitetur, quòd Jesus est Christus, sed facto negat, verè est Anti-

christus; sic qui verbo se pœnitentem profitetur, sed facto se impœnitentem ostendit, verè censendus est impœnitens. Audiamus ergo S. Doctorem tr. 3. in epist. Joan. explicantem verba ista: *quicumque negat quoniam Jesus est Christus, ipse est Antichristus.* Ibi sic loquitur: *Jam quæramus quis neget* (similiter quæramus nos, quis verè sit impœnitens, vel non plenè pœnitens?) *& non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogentur, omnes uno ore confitentur Jesum Christum:* similiter omnes peccata sua confitentes, protestantur toto se eo de pœnitere. *Quiescat paululùm lingua, vitam interroga. Si invenerimus hoc, si ipsa Scriptura nobis dixerit, quia negatio,* sicut & impœnitentia, non solùm linguâ fit, sed & factis: *certè multos invenimus Antichristos* (impœnitentes) *qui ore profitentur Christum* (vel pœnitentiam) *& qui moribus dissentiunt à Christo* (à vera pœnitentia.) *Quisquis* verò *factis negat Christum* (vel facit contrarium fructibus pœnitentiæ) *Antichristus est* (impœnitens est.) *Non audio quia sonet, sed video quid vivat. Opera loquuntur, & verba requirimus?* Opera sunt contraria pœnitentiæ, non ergo attendamus ad verba sonantia pœnitentiam. Dicit enim: *Non attendamus ad linguam, sed ad facta... Quiescat paululùm lingua, & vitam interroga... Non audio quid sonet, sed video quid vivat.* Vita consuetudinarii, vel facilè relabentis, non est vita plenè conversi: quia post confessionem, verbalesque promissiones, lachrymasque & gemitus steriles, priora crimina facilè repetendo, satis ostendunt cor suum à peccato totaliter non recessisse, quidquid in contrarium dixerint. Ergo *pœnitentes, si verè estis pœnitentes, mutate vitam.*

CAPUT LXXVIII.

Argumentum sexagesimum octavum.

Similiter etiam Gregorius Magnus, & Isidorus.

962 Dicit enim Gregorius Magnus: *Bona se* (v. g. pœnitentiam) *non ex corde tenuisse, ipsi sibi testes sunt, qui hæc citò dimiserunt*, l. 8. Moral. c. 24. Et hom. 30. in Evang. *Deus in quorumdam corda venit, & mansionem non facit; quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt, sed* quia non ex toto corde, *hoc ipsum quod compuncti fuerant*, recurrente tentatione, facilè *obliviscuntur; sicque ad perpetrata peccata* citò *redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Qui ergo Deum verè ex toto corde diligit* (quod illi non faciunt).... *in ejus corde Dominus & venit, & mansionem facit: quia sic eum divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore*, tentationis tempore, facilè *non recedat.* Et l. 2. c. 3. in l. 1. Reg. Vera *conversio peccatoris non est in humilitate confessionis, sed in renovatione interioris hominis, cùm peccatori, jam divinâ gratiâ* CORRECTO, *& malum displicet quod amavit, & bonum placet quod odit. Nam sunt nonnulli, qui se & de nequitia accusant criminis, & pravitatem non corrigunt voluntatis. Qui profectò converti ad Deum non creduntur: quia vera conversio in ore non accipitur, sed in corde; converti enim simul verti est. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cùm ad Creatoris nostri beneplacitum uterque noster homo reducitur; cùm & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur à perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis.*

963 Aliàs conversio non est vera, sed vel falsa, vel irrisoria, vel certè non plena: *Irrisor est enim, & non pœnitens* (ait Isidorus l. 2. sentent. c. 16.) *qui adhuc agit quod pœnitet, nec Deum videtur placere subditus, sed subsannare superbus.* Nec de illo solo hoc dicit, qui eo ipso tempore, quo pœnitet, actu vel propositò adhuc agit quod pœnitet, sed de eo etiam, qui postquam pœnituit, crimen illud repetit quod deflevit. Quippe subjungit, *quosdam accipere lachrymas ad pœnitentiam, & effectum pœnitentiæ non habere: quia inconstantiâ mentis, nunc recordatione peccati lachrymas fundunt; nunc revivisc ente usu, ea* QUÆ FLEVERANT *iterando committunt.* Non ideò ergo dicit, eos pœnitentiæ effectum (remissionem utique peccatorum) non habere, quia simul, dum lachrymas fundunt, crimina iterant; sed postquam ea FLEVERANT. Quod certè dum frequenter faciunt, & facilè post lachrymas faciunt, Deum haud minùs irridere & subsannare videntur, quàm ille hominem irridere subsannareque videretur, qui post incussum ipsi colaphum, vel sputum injectum, veniam ab ipso peteret, & post veniam petitam, colaphum vel sputum iteraret, ac deinde iterum veniam peteret, sicque frequenter faceret. Similem ergo pœnitentiam meritò Isidorus infructuosam dicit, quia inconstantem, sive nihil stabilitatis habentem, & potiùs irrisoriam, quàm veram.

CAPUT LXXIX.

Argumentum sexagesimum nonum.

Ex Conciliis Toletano III. sub S. Leandro, & Romano ac Britannico, sub Gregorio VII.

COncilium enimverò Toletanum III. can. 11. 964
fœdissimè pro suis peccatis pœnitentiam agere dicit peccatores, *si quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent*; præsumptionemque ipsorum damnat ut *execrabilem*, dum subdit: *Ideò pro coërcenda tam execrabili præsumptione, id à S. Concilio jubetur, ut secundùm formam canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc est, ut priùs eum, quem sui pœnitet facti, à Communione* (atque adeò à sacramentali absolutione, quæ tunc à Communione non separabatur) *suspensum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manûs impositionem crebrò recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicut sacerdotalis contemplatio probaverit, eum Communioni restituat.* Quòd si pœnitentia eorum redarguatur ut fœdissima, haud dubiè redarguitur ut non vera, vel certè non plena. Ex canone proinde illo Cardinalis Aguirius dissert. 8. in canonem illum rectè infert, magnos peccatores ordinariè non censeri plenè conversos, nec dispositos ad absolutionem, dum sufficientia pœnitentiæ opera non præmiserunt ad impetrandam à Deo veræ contritionis gratiam. Maximè si relapsi fuerint. Quia de relapsis eodem canone statuitur: *Hi verò qui ad priora vitia, vel intra pœnitentiæ tempus* (per canones præscriptum) *vel post reconciliationem relabuntur, secundùm severitatem priorum canonum damnentur.* Ex alternativa ista, *vel intra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem*, Aguirius n. 157. infert, manifestum esse, quòd durante toto tempore pœnitentiæ, per canones præscriptæ, & à Sacerdotibus intimatæ, data non fuerit sacramentalis reconciliatio, sed solùm post illam. Relapsos verò post reconciliationem Concilium Toletanum ideò damnari voluit secundùm severitatem canonum antiquorum, id est ad pœnitentiam iteratò agendam non admitti; quia ipsos æstimavit longè magis impœnitentes, seu falsò vel non plenè pœnitentes, quàm non relapsos: cùm ne iteratâ quidem pœnitentiâ dignos exstimaverit. Manifestum est ergo, quòd eorum conversionem longè magis suspectam habuit.

Nec eorum conversionem minùs suspectam habuit Concilium Romanum, anno 1080. sub Gregorio VII. celebratum, cùm docuit, pœnitentiam, ut vera sit, stabilem ac permanentem esse debere (saltem hoc sensu, quòd ab ea facilè non recedatur) 965

tur. *Hæc est* enim (inquit) *vera pœnitentia, ut post commissum alicujus gravioris criminis .... ita se unusquisque ad Deum convertat, ut relictis omnibus iniquitatibus suis, deinde in fructibus bonæ operationis permaneat.*

966 Eorumdem conversionem suspectam quoque habuit Concilium Britannicum, ad falsam pœnitentiam abolendam ab eodem Gregorio VII. congregari jussum, in quo falsa declarata est pœnitentia eorum, qui tunc temporis in iisdem peccatis permanentes absolvebantur, prout videre est apud Binium in notis ad istud Concilium. Porrò per peccatores in iisdem peccatis permanentes, eos intellexit, qui post confessionem illa non emendant, sed in ea facilè, ut antè, relabuntur. Ejusmodi namque peccatores à Patribus existimati sunt in iisdem peccatis permanere; quia ne tunc quidem, cùm ea confessi sunt, existimati sunt ea ex toto corde plenaque voluntate reliquisse; imò ex post-facto, ex facili utique relapsu, censuerunt peccandi voluntatem ex toto tunc abjectam non fuisse, sed in intimo cordis vivam mansisse. Cùm enim arbor, quæ proximè mortua credebatur, paulò post adhuc pullulat, virgultaque diffundit, signum est radicem ipsius in corde terræ omninò mortuam non fuisse, sed vivam mansisse. Et idem est de febri citò redeunte, postquam curata videbatur.

CAPUT LXXX.

Argumentum septuagesimum.

Ex ipsomet Gregorio VII. & D. Anselmo.

967 EOrum namque pœnitentiam *infructuosam*, adeòque falsam, vel certè non plenam, Gregorius VII. epist. 10. dicit, *quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel simili, vel deteriori, vel parùm minori permaneatur*, sensu utique Patrum proximè dicto. Hoc autem facere censentur, qui facilè relabuntur, sicut exempla mox allata in simili ostendunt. *Quisquis igitur* (subjungit Pontifex) *dignè vult pœnitere, necesse est ut ad fidei recurrat originem* (Evangelium utique, dignos fieri jubens fructus pœnitentiæ, quorum præcipuus emendatio est) *& quod in baptismo promisit (diabolo scilicet, pompisque & operibus illius* prorsus *abrenuntiare, &... mandatis Dei* obedire) *sollicitus sit vigilanter custodire*, tam vigilanter utique se contra relapsum præmuniendo, ut facilè non relabatur. *Quicunque ergo taliter pœnituerit* (QUONIAM ALITER SIMULATIO DICI POTEST, NON POENITENTIA) *illi peccatorum suorum remissionem Apostolicâ freti potestate largimur.*

968 Nec dissimile est judicium S. Anselmi l. de similit. c. 189. dicentis, quòd diabolus plerosque consuetudinarios decipiat falsâ imagine pœnitentiæ, dum se conversos putant cùm non sint, quamdiù pravæ consuetudinis vim non excutiunt: *Jocatur diabolus cum hominibus multis, quos irretitos suis laqueis, pro sua voluntate in diversa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim quidam (ut v. g. dicam) avaritiæ, seu luxuriæ, & similibus flammis succensi, ex mala consuetudine illis addicti. His contingit aliquando, ut sua facta confitentes, fleant, seque amodò à talibus cessaturos ore promittant, &, more avis irretitæ, liberos se volare autument. Sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, nolentes in eadem vitia deficiunt: fitque hoc sæpiùs; nec omnimodè liberantur, nisi magno conatu*, &c.

CAPUT LXXXI.

Argumentum septuagesimum primum.

Ex notione seu descriptione pœnitentiæ, à sanctis unanimiter Patribus tradita, & recepta: Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterùm non committere.

ITa S. Ambrosius serm. 34. Gregorius homil. 34. Isidorus l. 2. sent. c. 16. Eligius homil. 8. 11. & 16. Alcuinus de virt. & vit. c. 11. Elogii verba homil. 8. sunt sequentia: *Fructus dignus pœnitentiæ est transacta flere peccata, & eadem iterùm non agere, sicut scriptum est:* " Ne adjicias peccatum super peccatum. Lavamini, dicit Dominus " (*per Isaiam Prophetam*) " & mundi " estote. " *Lavatur itaque, & mundus est, qui & præterita plangit, & iterùm non admittit. Lavatur, & non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit; sed post lachrymas flenda hæc quæ fleverat repetit. Pœnitentem hominem dico* (ait Ambrosius serm. 33.) *qui plangit quod peccaverat, & rogat Dominum, ut non iterùm faciat. Pœnitentem hominem dico, qui post concupiscentiam suam non vadit, & voluptatibus suis se privat. Pœnitentem hominem dico, qui diligit quod antè neglexit, & quod fecerat malè, deserit. Pœnitentiam loquor* (inquit Chrysostomus homil. 10. in Matth.) *quâ non solùm abstinemus à præteritis, sed quod potius est in opera pietatis incumbimus:* " Facite " (*clamat Joannes Baptista*) " dignos fructus pœnitentiæ. " *Quo autem pacto ejusmodi fructus offerre poterimus? Si videlicet opera præteritis criminibus omni ex parte contraria exerceamus. Ista est filioli vera pœnitentia* (ait Augustinus serm. olim 7. de temp. nunc 117. Append.) *quando sic convertitur quis, ut ad peccatum non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat.* Concinit Fulgentius l. 1. de remiss. peccat. c. 12. *Nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.* 969

Quibus profectò sententiis Patres non volunt, veram pœnitentiam gravioris criminis absolutè esse irretractabilem, irreiterabilemque, ita ut verus pœnitens nunquam posteà relabi, pœnitentiamque iterare possit; uti voluerunt Novatiani (quorum errorem Patres damnarunt, confutaruntque;) sed hoc saltem volunt, quòd vera pœnitentia, sive quæ vere est (prout esse debet) ex toto corde, facile & citò non retractetur, nec abjiciatur per relapsum. Aperte namque sonant, verum pœnitentem sic mala commissa plangere, ut plangenda iterùm non committat. Quod cùm (salvâ fide) sic intelligi nequeat, ut verus pœnitens nunquam posteà relabatur: sic saltem intelligitur, ut pœnitens, *post commissum gravioris criminis* (verba sunt Concilii Romani suprà relati) *sic in fructibus bonæ operationis permaneat*, ut facilè & citò non relabatur. Iste namque mitissimus est sensus sententiarum illarum, duas inter extremitates medius, inter nimium scilicet hæreticorum rigorem, nimiamque plurium Casuistarum laxitatem. 970

At, inquiunt Casuistæ, argumentum istud dudum solvit Magister sentent. l. 4. dist. 14. prout & S. Thomas 3. p. q. 84. a. 10. S. Bonaventura, aliique veteres Scholastici, dicendo primò quòd pœnitere, *est anteacta peccata deflere, & flenda non committere* (*actu vel proposito*) *tempore quo ea deflet.* Secundò, quòd desinat esse pœnitens, hoc ipso quòd relabitur. 971

At contrà ego: licèt iste unus sit sensus, sufficiens ad scopum Magistri, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, &c. ad ostendendum utique, quòd dicta illa Sanctorum, errori non faveant Novatianorum, qui (ut Gratianus refert in prœmio distinctionis 3. de pœnitentia) *pœnitentiam* negabant *reiterari posse, asserentes quod sicut charitas semel habita nunquam amittitur* (quod absolutè falsum est,) *ita pœnitentia semel verè celebrata, nullâ sequenti culpâ maculatur. Si verò criminalis culpa illam aliquandò sequatur, vera pœnitentia non fuit,*

nec veniam unquam à Domino impetravit. Quod hæretici illi probare nitebantur dictis illis Sanctorum. Quibus optimè Gratianus, Magister, S. Thomas, S. Bonaventura, & alii veteres Scholastici respondent, quòd dicta illa Sanctorum non sint universaliter ac necessariò vera, ea intelligendo relativè ad diversa tempora, sed relativè ad idem tempus, hoc sensu, *pœnitentia est anteacta peccata deflere, & flenda non committere, tempore quo ea flet.*

972 Sed quamvis iste unus sit sensus ipsorum; non est tamen unicus; sed præter illum (qui solus est necessariò & universaliter verus) sancti Patres alium intenderunt, non quidem necessariò & universaliter, sed utplurimùm & ordinariè verum, videlicet quòd verus pœnitens, post commissum alicujus gravioris criminis, nec ipso pœnitentiæ tempore, nec post illud facilè & citò relabatur: quem in scopum dicta illa Sanctorum allegant sapientissimi Cardinales, Episcopi, Doctores, etiam Regulares omnium Ordinum. Et istum sensum manifestè indigitat contextus sanctorum Patrum, quo v. g. S. Eligius dicit: *Lavatur, & non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit, sed post lachrymas* (ecce relatio ad tempus lachrymas subsequens) *flenda hæc quæ fleverat repetit.* Similiter Fulgentius: *Nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.* Et Isidorus cap. 78. laudatus: *Effectum pœnitentiæ non habent, quia inconstantiâ mentis, nunc recordatione peccati lachrymas fundunt; nunc revivisente usu, ea* QUÆ FLEVERANT *iterando committunt.* Et Ambrosius loco citato: *Si verè agerent pœnitentiam, iterandam* (per iterata postea peccata) *non putarent.* Et Gregorius Magnus l. 3. Pastor. admonit. 31. infructuosam dicit pœnitentiam hominis relabentis, non quia crimina repetit, dum lavatur fletibus à peccato, sed *quia culpas* POST LACHRYMAS *repetit*, ipsique applicat istud Eccli. *Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid proficit lavatio ejus?*

973 Nec hoc eliditur, dicendo cum Magistro (rursus contra Novatianos responsionem istam adferente) *Ille etiam qui post lachrymas repetit quæ flevit, lavatur ad tempus, sed mundus non est.... illâ munditiâ, quæ sit ei sufficiens ad salutem: quia est momentanea, & non perseverans.* Quandoquidem Patres & hoc velint, & insuper quòd pœnitentia, à qua facilè & citò receditur, ordinariè non sufficiat ad peccatorum remissionem, etiam ad tempus. Nam & hoc manifestè declarant, dum aiunt, eam non esse veram, sed irrisoriam. Dum item Fulgentius ait, tales *nunquam* (ergo nec ad modicum tempus) *diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.* Dum item Clemens Alexandrinus suprà argumento 64. eorum pœnitentiam *apparentiam* vocat *pœnitentiæ, non pœnitentiam*; additque eam nihil differre à pœnitentia infidelium, qui sine fide peccatorum veniam non possunt obtinere. Dum etiam Tertullianus talium pœnitentium *ingenia* dicit *de semine hypocritarum* ordinariè *pullulare, quorum individua cum diabolo amicitia, quorum pœnitentia nunquam fidelis.*

CAPUT LXXXII.

Argumentum septuagesimum secundum.

Ex istis aliis Sanctorum pronuntiatis: Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Vulnus iteratum sanatur tardiùs. Frequenter peccans, & lugens, vix veniam meretur. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poscere, & mala denuò iterare.

974 Referuntur can. *inanis* de pœnit. dist. 3. & habentur penè eadem apud Isidorum in sinonymis ante caput de castitate. Canone verò *Diacono* dist. 93. additur sententia ista: *assiduè peccantium non miseretur Deus.* Quod Glossa ibidem sic exponit: *iteratò non miseretur de facili.*

Porrò ex iis omnibus rectè concluditur, pœnitentiam eorum, qui facilè & citò post eam crimina repetunt, Sanctorum judicio non censeri ordinariè sufficientem ad peccatorum remissionem. Si enim ordinariè sufficiens esset, fructuosa esset, inanis non foret, ordinariè veniam mereretur, &c. Cujus oppositum SS. Patres asserunt.

975 Neque oraculis istis: *Vulnus iteratum sanatur tardiùs. Frequenter peccans, & lugens, vix veniam meretur. Assiduè peccantium, iteratò de facili non miseretur Deus*, &c. congruit responsio Magistri, in fine argumenti præcedentis relata, quòd utique *frequenter peccans, & lugens*, veniam finalem non mereatur, defectu perseverantiæ. Quia oracula illa non dicunt recidivis illis veniam esse impossibilem, & nunquam contingentem (prout impossibilis est venia finalis, absque perseverantia, nec unquam contingit;) sed vix & rarò contingentem, & non sine ingenti difficultate, *vix veniam meretur, non miseretur de facili*, &c.

CAPUT LXXXIII.

Argumentum septuagesimum tertium.

Ab infirmitatibus & vulneribus corporis SS. Patres arguunt ad infirmitates & vulnera animæ, simileque de istis ac de illis judicium ferunt. Atqui gravis infirmitas corporis sufficienti remedio curata non censetur, dum facilè & citò redit. Ergo similiter, &c.

976 Sanctus Cyprianus, Origenes, Ambrosius, Cæsarius, Eligius, &c. à modo cognoscendi curandique infirmitates & vulnera corporis, frequenter arguunt ad modum cognoscendi & curandi infirmitates & vulnera animæ: *Istis vulneribus vel fracturis corporum* (inquit Cæsarius hom. 59.) *infirmitates cognoscere possumus animarum.* Unde post allegatum modum curandi fracturas corporis, *similis* (inquit) *ratio in animarum fracturis, seu vulneribus esse credenda est.* Hinc Origenes hom. 8. in cap. 13. & 14. Numer. *Si vulnus corpori infligatur, aut os confringatur, aut nervorum junctura resolvatur, sub unius horæ spatio hujusmodi vulnera solent corporibus accidere, & plurimis posteà cruciatibus, ac doloribus exactis, multo vix tempore sanari..... Jam verò si accidat, ut in eodem vulnere, vel in eadem fractura iterùm sæpiùs quis vulneretur, frequentiùsque frangatur, quantis hoc pœnis, & quantis potest cruciatibus medicari? quanto autem tempore, si tamen potuerit, ad sanitatem perducitur?... Transi nunc ad exemplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur..... Et ideò consequentissima ratio est pœnæ, id est curæ & medicationis tempus extendi, & per unumquodque vulnus, pro qualitate plagæ, medendi quoque spatia propagari. Ubi enim indulgentiæ poterit medicina proficere* (ait Clerus Romanus ad S. Cyprian. epist. 31.) *si etiam ipse Medicus, interceptâ pœnitentiâ, indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Aperiendum est vulnus, & secandum* (ait Cyprianus l. de lapsis) *& putaminibus amputatis medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodùm, cùm senserit sanitatem.* Et alia hujusmodi habent SS. Patres. Quemadmodùm ergo similis est modus cognoscendi

cendi & curandi vulnera animæ, quàm corporis; ita similis est modus cognoscendi recuperatam animæ sanitatem, ac corporis. Non censetur verò post febrim aut vulnus recuperata sanitas corporis, dum febris citò redit, aut vulnus citò recrudescit (tunc enim vulnus à Medicis censetur opertum fuisse, non sanatum.) Similiter ergo post inflictum animæ vulnus per peccatum, vulnus illud per pœnitentiam non censetur sufficienter curatum, dum citò redit, &c.

CAPUT LXXXIV.

Argumentum septuagesimum quartum.

Patribus antiquis succinunt Sancti novissimi. Imprimis Bernardus serm. 1. de Resurrect.

977 IBi namque Mellifluus Doctor, agens de duplici (non de triplici, prout infundatè aliqui putant) pœnitentium genere, primo scilicet eorum, qui post lamenta pœnitentiæ, ad carnales non redeunt consolationes, quos dicit Pascha cum Christo celebrare. Secundo eorum, qui, cùm visi essent pœnitentiam in Quadragesima egisse, Christi passionibus communicasse, ipsique denuò complantati, per baptismum lachrymarum, pœnitentiæ, & confessionis, peccatorum veniam obtinuisse; post Pascha ad solitas citò redeunt iniquitates. De istis dicit, quòd *ex sola consuetudine, & simulatione quadam humiliatio illa processit.* Ex tam cito proinde relapsu arguit pœnitentiam ipsorum ne tempore quidem Quadragesimæ veram fuisse, sed simulatam; nec ab ipsis honoratum fuisse tempus Passionis; sicut ab ipsis non honoratur tempus Resurrectionis.

978 Quòd enim de iis hoc dicat, qui visi sunt in Quadragesima pœnitentiam egisse, Christi passionibus communicasse, &c. & non de tertio aliquo pœnitentium genere, eorum scilicet, qui *toto tempore Quadragesimæ ad instantes inhiant dies Resurrectionis* (ut volunt aliqui Juniores) ex duobus perspicuum est. 1°. ex eo quòd de illis ipsis, in quorum persona dixerat: *communicavimus passionibus Christi, complantati ei denuò sumus per baptismum lachrymarum, pœnitentiæ & confessionis*, immediatè subjungat: *Sic amatores sæculi, toto tempore Quadragesimæ, ad instantes inhiant dies Resurrectionis. Heu! ut liberiùs indulgeant voluptati.* 2°. ex eo quòd de iisdem consequenter adjiciat: *Sic honoratis miseri Christum, quem suscepistis? Venturo paratis hospitium, castigantes corpora, eleëmosynas impendentes. Et ecce susceptum proditis inimicis; imò exire compellitis, priores nequitias admittendo.* Ex quo deinde infert, ipsos cum Christo non resurrexisse, id est de morte animæ ad vitam non transiisse: utpote quorum pœnitentia & humiliatio *ex sola consuetudine temporis, & simulatione quadam processit.* De iisdem ergo dicit: Licèt *nihil minus reverentiæ Resurrectionis tempus exigat, quàm Passionis, vos neutrum honoratis:* quia ex post-facto *deprehensi estis, aut penitùs impœnitentes, aut tepidè*, non proindè plenè, & ex toto corde *pœnitentes. Redite ergo prævaricatores ad cor, & in toto corde quærite Deum, & odite malum, pœnitentes non verbo tantùm, & linguâ, sed & in spiritu & veritate.* Si sic divus Bernardus censuerit de recidivis, qui tempore Passionis confessi sunt peccata sua cum gemitu, corporis castigatione, eleëmosynis, &c. quantò magis sic censuit de recidivis nostris, qui non gemitu, non corporis castigatione, non eleëmosynarum largitione, sed oris dumtaxat confessione asserunt se dolere?

979 De iis quidem recidivis agit ibi Bernardus, qui tempore Quadragesimæ *ad instantes inhiant dies Resurrectionis, ut liberiùs indulgeant voluptati.* Sed cui dubium, ad eos inhiare recidivos nostros, ferè omnes, ut liberiùs repetant convivia, potationes, saltationes, &c. cùm nullis quadragesimalia jejunia magis odiosa sint, quàm ipsis?

Nec ideò Bernardus recidivos suos per suam 980
illam pœnitentiam justificatos fuisse censet, quia dicit, Christi passionibus communicasse, ipsi denuò complantatos, venturo Christo hospitium præparasse, Christum denique suscepisse. Non enim propterea vult ipsos revera Christum spiritualiter suscepisse, nec ipsi spiritualiter complantatos fuisse; sed quoad externam dumtaxat apparentiam; eò quòd ex post-facto, tam facili utique, tamque festino relapsu colligat id totum ex simulatione quadam, vel saltem non ex toto & pleno corde processisse, sed ex tepido corde, ad justificationem non sufficiente.

CAPUT LXXXV.

Argumentum septuagesimum quintum.

Ex eodem Mellifluo Doctore serm. 2. de Assumptione B. Mariæ, aliisque sententiis ipsius, præcedens argumentum roborantibus.

IBi similiter Doctor ille sanctissimus, explicans 981
verba ista: *mulier quædam excepit eum in domum suam*, posteaquàm dixit, quòd peccatoris conscientia est carcer; tortores, ratio & memoria; quòdque peccatorem de domo carceris educere Dominus incipit in Confessione: *ipsa est enim scopa, quâ mundatus carcer, & ornatus deinceps regularium institutionum juncis quibusdam pulchrè virentibus, de carcere redit in domum, in qua Christum debet suscipere.* Addit: *habet ergo mulier jam domum* suam, ubi suscipiat eum, cui super tantis *beneficiis extat obnoxia; sed væ ei, si eum recipere* spiritualiter *renuit, si non detinet, si non cogit manere secum..... Rediens enim, qui priùs ejectus est, mundatam quidem, & ornatam domum invenit, sed vacantem*, & desertam.

Relinquitur siquidem mulieri domus sua deser- 982
ta, *quam salvatoris hospitio dignam exhibere neglexit. Quomodò* (inquis) *poterit ne domus, emundata confessione priorum delictorum, & observatione regularium institutionum ornata, indigna adhuc judicari habitaculo gratiæ, Salvatoris ingressu? Poterit sine dubio, si superficiestenùs emundata, & juncis* (*ut dictum est*) *strata virentibus, interiùs plena sit luto. Quis enim suscipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum sepulchris, quæ videntur aforis speciosa, intrinsecùs autem spurcitia & sanies universa replevit? Esto siquidem ut aliquando ipsâ superficie delectatus, incipiat primum apponere pedem ei qui hujusmodi est, primam aliquam visitationis suæ gratiam indulgendo: nunquid non refiliet illicò cum indignatione?.... Neque verò ingressum ejus exterioris potest conversationis tenuis superficies sustinere: quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus ejus habitatio est. Quòd si nequaquam spiritus disciplinæ subditum manifestè peccatis corpus inhabitat; fictum utique non modò declinat, sed & effugit, atque declinat ab eo.*

Ecce ergo domus peccatoris, mundata est qui- 983
dem peccatorum confessione, & ornata quibusdam ornamentis exteriorum operum, seu observatione regularium institutionum; sed adhuc vacans, & indigna habitaculo gratiæ, Salvatoris ingressu. Quandonam hoc contingit? quando peccandi voluntas, in intimis cordibus latitans, superficietenùs quidem crasa est, non ex toto intrinsecùs eradicata. Quod ex effectibus ipsius colligitur, ex festino utique faciliique relapsu. Cùm enim arbor pullulat, virgultaque diffundit, satis apertè ostendit, radicem adhuc vivere, & succum fugere. Sic etiam dum citò post Confessionem quis pre-

rumpit in scelera, satis clarè manifestat, radicem, quam prava voluntas in corde egerat, in cordis intimo adhuc vivere, non penitùs eradicatam esse. Talis proinde est fictus ille, quem spiritus sapientiæ effugit. *An enim aliud est quàm fictio execranda, si peccata superficietenùs radas, non intrinsecùs eradices?* (prosequitur Bernardus) *Certus esto, quòd pullulabit uberiùs.* Atque inde apparebit, penitùs eradicatam non fuisse. Quo tandem fiet, ut *emundatam, sed vacantem domum, cum nequioribus septem, qui confessione ejectus fuerat, hostis malignus intrabit.* Unde hoc colligit? ex festino facilique ad peccatum regressu. Sequitur namque: *Reversus enim ad vomitum canis, odibilis erit multò plus quàm antè. Et fiet filius gehennæ multiplicitèr, qui post indulgentiam delictorum* (superficialiter apparentem) *in easdem denuò sordes incidit, ut sus lota in volutabro suo.*

984 *Vis videre mundatam, ornatam, & vacantem domum? Hominem intuere, qui confessus est, & deseruit manifesta peccata præcedentia ad judicium, & nunc solas movet manus ad opera mandatorum, corde penitùs arido, ductus consuetudine quâdam* (quâ observat exteriora præcepta jejuniorum, abstinentiarum, Confessionis, Communionis) *planèque quasi vitula Ephraim, docta diligere tritura. Exteriorum, quæ ad modicum valent, nec unum iota præterit: sed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim servus est propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia, aut singula intùs vitia fovens. Et mentitur iniquitas sibi: sed Deus non irridetur. Videas enim interdùm sic palliatum hominem, ut seducat etiam semetipsum; penitùs non attendens vermem, qui interiora pascitur. Manet enim superficies, & salva sibi omnia arbitratur.* „ Comederunt (*ait Propheta*) alieni robur ejus, & ignoravit.... " *Nam & inveteratâ occasione ebullire saniem, quæ latebat in ulcere, & excisam, non extirpatam arborem in sylvam pullulare videas densiorem.* Ecce iterùm Bernardus manentem in ipso, non superficiem, sed radicem malæ voluntatis, in corde adhuc viventem, colligit ex eo quòd in occasione sanies ipsius ebulliat, & arbor pullulet ut antè. Quod cùm in consuetudinariis & recidivis nostris manifestè videamus: igitur Bernardi judicio, ficta vel superficialis, non plena & intima est pœnitentia ipsorum, dum confitentur; suntque utplurimùm homines palliati, seducentes semetipsos; non enim attendunt vermem, interiora depascentem, &c. Si enim forent veraciter ex toto corde conversi, oblatâ occasione se converterent; sicut qui veraciter humiles sunt, patientes, &c. oblatâ occasione se humiles & patientes ostendunt. Cujus si contrarium ostendant, nec ante occasionem humiles patientesque fuisse creduntur. Nam, ut D. Gregorius ait l. 1. Dial. c. 5. *qualis quisque apud se latet, contumelia illata probat.* Cui concinens Bernardus, de grad. humilit. cap. 18. *qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret.* Cujus verò simulata confessio est, unâ vel levi contumeliâ, aut exiguâ pœnitentiâ interrogatus, jam humilitatem simulare, jam simulationem dissimulare non potest. 985 986

Sed & serm. 3. in festo Apostolor. Petri & Pauli: *Eorum* (inquit) *qui, post conversionem suam, peccatis & vitiis implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, & post missam manum ad aratrum, retro respiciunt, tepidi & carnales facti.... eorum utique perpaucos invenias, qui post hæc redeant in gradum pristinum; sed magis in sordibus positi sordescant adhuc.* 987

Et serm. 3. in Vigil. Nativit. dicit, scientiam salutis, non omnium esse, nec multorum, sed paucorum, triaque in peccatoribus operari, sive per tres gradus ipsos ad obtinendam peccatorum remissionem perducere. *In primo* (inquit) *gradu, operatur pœnitudinem & dolorem, ut risum in luctum, gaudium in mœrorem convertat, & incipiant tibi displicere, quæ vehementer antè placuerant, & illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas.... In secundo gradu operatur correctionem, ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coërceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati antè servierat. Pœnitentia enim sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait Eccli. 34.* " Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest eis nisi labor? Unus orans, & " unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? " Qui enim baptizatur à mortuo, & iterùm tangit " eum, nihil proficit lavatio ejus; " *sed, juxta Salvatoris sententiam, verendum est, ne ei aliquid deterius contingat. Sed quia hæc diutiùs haberi non possunt, nisi circa se multâ circumspectione mens indefessè vigilet, & attendat; in tertio gradu operatur sollicitudinem, ut jam sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo.... Hic jam respirare incipit peccator à tribulatione malorum.*

Si tria media ista necessaria sint peccatori, ad 988 peccatorum remissionem, & à peccatis liberationem: igitur pauci consuetudinarii, & recidivi nostri, ad eam satis dispositi sunt: utpote qui (experientiâ teste) utplurimùm ea negligunt, præsertim secundum & tertium. Sicut & utplurimùm negligunt id quod idem Sanctus serm. 91. de diversi, velut necessarium exigit: *Confessionem debet semper comitari myrrha & thus, id est mortificatio carnis, & oratio cordis. Alterum enim, sine altero, aut nihil, aut parum prodest.* Imò carnis mortificationem, velut nimis molestam, abhorrent. Veraciter proinde non pœnitent: *Si enim veraciter pœniterent, laborem pœnitentiæ non abhorrerent*, inquit de gradib. humil. c. 18.

CAPUT LXXXVI.

Argumentum septuagesimum sextum.

Ex Petro Blesensi, & S. Ælredo.

PEtrus Blesensis tr. de Confess. sacram. dicit, 989 pœnitentiam esse debere perseverantem: quia opera pœnitentiæ, quàmlibet laboriosa, *nequaquam pœnitenti profutura sunt, si ad vomitum revertatur. Nemo itaque de momentanea contritione, vel affluentia lachrymarum præsumat.... Si senserit in se gratiam compunctionis, & affluentiam lachrymarum, non tamen ideò se statim arbitreris Domino reconciliatum. Est quidem gratum Deo sacrificium lachrymarum, & pro omnibus delictis sufficiens holocaustum. Sed quibus? Confitentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum, sed in spiritu humilitatis, & in animo contrito fugientibus ad pia viscera Jesu, & continuantibus dignos pœnitentiæ fructus.*

S. Ælredus, S. Bernardi synchronus, in spe- 990 cul. charit. c. 20. *O! quàm miserabiliter falluntur, quàm sunt suæ salutis proditores, qui, vitiis innumerabilibus ac damnabilibus impliciti siquid bujus, de quo loqueris, experiantur affectûs*, compunctionis utique, *non solùm sibi veniam de præteritis polliceantur; imò ad eadem securiùs quodammodò revertuntur, nec aliquid hoc spirituali incitamento proficiant, sed sanctiores hinc semetipsos arbitrantur, in suis sordibus, vel negligentiis, impudentiùs voluntantur. Fortè de talibus ait Apostolus:* " Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non " videant, & aures ut non audiant. " *Numquid hoc genus compunctionis excæcat oculos, aures obturat illorum dumtaxat, qui immanissimas vitiorum sordes, sine pœnitentiæ fructibus, paucis his lachrymis æstimant abluendas?* Itaque (ut c. 17. dicit) ut- *quaquam secundùm momentaneum illum, &, ut ita*

dixerim, horarium affectum, Dei pensandus amor, vel verus ex toto corde de peccatis dolor. Quod posteaquàm probavit exemplis eorum, qui in Tragœdiis momentaneos erga personas repræsentatas in se experiuntur affectus pietatis, amoris, &c. pro quibus tamen *ne modicum quidem substantiæ suæ paterentur expendi*, de quibus perabsurdum esset, *ex hac vanissima pietate, de amoris ejus qualitate capere conjecturam.* Concludit hunc in modum: *Similis ineptiæ est, imò multò majoris insaniæ, si quisquam luxuriosus, aut tepidus, ob quosdam internos compungatur affectus, ad vana, & lubrica, & sordes pristinas denuò reversurus, secundùm steriles has lachrymas, ac momentaneos affectus, de ejus dilectione*, vel plena ex toto corde conversione *ferre sententiam. Sanè hæc voluntas*, seu Dei dilectio, vel ex ea procedens conversio, *non secundùm momentaneos quosque affectus, sed secundùm duo quædam judicanda est, possessionem felicem, & actionem, si videlicet ea quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter sustineat, & ea quæ jusserit, ferventer adimpleat.* Quod nisi accuratiùs exploratâ, per justum temporis spatium, serie vitæ ipsorum, in consuetudinariis & rec divis, Confessarius videat, de plena ipsorum conversione prudens judicium, juxta S. Aëiredum, ferre nequit.

CAPUT LXXXVII.

Argumentum septuagesimum septimum.
Ex B. Alberto Magno, S. Thoma Aquinate, Alexandro IV.

991 BEatus Albertus Magnus, S. Thomæ Magister, in Paradiso Animæ, seu libello de veris virtutibus, cap. 39. *Vera* (inquit) *contritio rara est, teste D. Gregorio. Nec semper credendum est veram esse compunctionem, ubi gemitus apparent & lachrymæ.... Argumentum falsæ contritionis habet, qui, quamvis peccata commissa defleat, tamen continuò post dolorem, eadem, vel alia committere non formidat.*

992 S. Thomas Aquinas, Theologorum Princeps, nullibi de recidivis (quod sciam) expressè agit, nisi 2. 2. q. 11. a. 1. ad 1. ubi totus est noster. De hæreticis quippe relapsis dicit, *quòd in judicio Dei semper recipiuntur redeuntes: quia Deus scrutator est cordium, & verè redeuntes cognoscit. Sed hoc Ecclesia imitari non potest. Præsumit enim eos non verè reverti, qui, cùm recepti fuissent, iterùm sunt relapsi.* Quia scilicet ex subsecuto relapsu, præsumit primum reditum ipsorum non fuisse verè ex toto corde. Et quia *ex præteritis oportet quasi argumentum sumere de futuris*, prout idem S. Doctor ait 2. 2. q. 49. a. 1. ad 3. idem præsumit de secundo reditu. Igitur ex relapsu (saltem citò & facilè consequente) juxta S. Thomam, imò juxta Ecclesiæ sensum, rectè præsumitur defectus veræ vel plenæ conversionis præcedentis, nisi utique præsumptio ista elidatur per manifesta signa in contrarium. Id enim Angelicus Doctor haud dubiè intelligit conformiter ad cap. *super eo* de hæret. in 6. ubi Alexander IV. expressè statuit, ne hæreticus relapsus ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ recipiatur, nisi manifesta dederit pœnitentiæ signa, ait Illustrissimus Fagnanus ad cap. *ad abolendam* de hæret. n. 50. Sic namque Alexander IV. habet loco citato: *Super eo quod scriptum legitur, Ecclesia nulli claudit gremium redeunti. Quòdque hi qui, post abjurationem erroris, si deprehensi fuerint in abjuratam hæresim recidisse, sæculari decernuntur judicio sine ulla prorsùs audientia relinquendi. Cum Scripturæ hujusmodi videantur sibi invicem adversari; quid tenendum sit, per Sedem edoceri Apostolicam postulasti: Nos itaque Inquisitioni vestræ, de Fratrum nostrorum consilio, respondemus, quòd taliter deprehensis, etiamsi (ut dictum est) sine ulla prorsus audientia*, in foro externo, *relinquendi sunt judicio sæculari; si tamen pœniteant, & pœnitentiæ signa in eis appareant manifesta* (nota benè) *nequaquam sunt*, in foro interno, *humiliter petita Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ deneganda.*

Signa itaque pœnitentiæ, non qualiacumque, 993
sed manifesta exigit Pontifex, ut tales præsumantur verè reverti. Ex quo Fagnanus infert, non sufficere quòd tales de sua pœnitentia doceant *bonis operibus* (multò proinde minùs solis verbis oris sui: siquidem *plenius est opere docere, quàm verbis.* S. Leo serm. de S. Laurent.) nisi etiam appareat eos abstinere à malis. Nam *nec signa eleëmosynarum*, aut lachrymarum prosunt, ubi peccata non deseruntur, cap. *qui admissa*, cap. *qui vult*, cap. *nihil prodest* de pœnit. dist. 3.

At dicet quis (prosequitur Fagnanus n. 60.) 994
multos esse pœnitentiæ gradus, quemadmodùm & peccatorum, satisque esse ut peccator nunc incipiat modicè pœnitere eorum quæ gessit. Jam enim futurum, ut uberiores & ampliores veræ pœnitentiæ fructus ferat, Deumque brevem illam & exiguam pœnitentiam (ut ait Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum) non abnuere, sed magnâ pensitare mercede.

Sed respondetur (inquit oculatissimus ille cæ- 995
cus) levem quidem pœnitentiam non spernendam, sed eam tamen non sufficere relapso, ad obtinendam absolutionem, antequam perfectior fiat, ejusque habeamus signa evidentia & perspicua, juxta textum in dicto cap. *super eo.*

Maneat ergo certum ex canone illo *super eo*, 996
hæreticos relapsos, ac deinde iterùm revertentes, ab Ecclesia non præsumi verè conversos, sufficienter ad absolutionem, nisi manifesta dederint plenæ conversionis signa. *Cùm* (ut Concilium Narbonense anni 1235. can. 11. ait) *sufficiat tales per falsam conversionem semel Ecclesiam decepisse*; ex post-facto proinde, sive ex relapsu, argumentum dedisse de falsitate primæ conversionis suæ. Ex hoc namque Ecclesia præsumit falsitatem secundæ etiam conversionis: quia *ex præteritis oportet quasi argumentum sumere de futuris*, ut S. Thomas ait. Ex vita quoque præterita præsumitur de præsenti, cap. *mandata*, & cap. *cùm in juventute* de præsumpt.

Ratio verò cùr ex post-facto, sive ex relapsu, 997
Ecclesia præsumit primam conversionem vel veram non fuisse, vel non plenam, est quia si primâ vice ad Ecclesiam verè ex toto corde rediissent, per relapsum in hæresim à fide citò & facilè non excidissent: cùm vera fides firmitatem assensûs, seu assensum firmum & constantem importet, ad ea quæ divinitus revelata sunt. Hanc rationem tangit S. Thomas citatâ q. 11. a. 4. ad 1. & 3. dum ait, hæreticos relapsos ideò ab Ecclesia non recipi: quia *quando recepti iterùm relabuntur, videtur esse signum inconstantiæ eorum circa fidem.*

Atque hinc apparet ab hæreticis relapsis quoad 998
hoc rectè argui ad magnos alios peccatores, post conversionem relapsos; cùm etiam ad veram conversionem ipsorum necessarium sit firmum constansque propositum non relabendi, citusque & facilis relapsus ipsorum videatur esse signum inconstantiæ propositi ipsorum.

Et ideò licèt Deus, interius Judex, tantò ipsis 999
peccata remittat celerius, quantò solus veram ipsorum conversionem magis videt interiùs; *Judex* tamen, *qui tantùm videt in facie* (ait Ivo Carnotensis epist. 228.) *usque adeò delinquentes sub peccati pœna detinet, donec per manifestum pœnitentiæ fructum, quis sit pœnitentis affectus, intelligat. Per internum enim gemitum satisfit inter-*

no Judici, & ideirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Ecclesia verò, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licèt suscitatum, nisi de monumento elatum, id est publicâ satisfactione purgatum. Hinc est quòd Ecclesia sua crimina confitentes à Sacramentorum communione suspendit, & in cinere, & in cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, si jam sunt intùs vivificati, cùm fuerint longâ pœnitentiæ maceratione probati. Hactenùs Ivo Carnotensis (qui obiit 1115.) verbis illis conformiter cap. *Super eo* apertè docens Sacerdotes, magnis peccatoribus absolutionis beneficium non impendere, nisi dum per manifesta emendatæ vitæ opera, visibilesque pœnitentiæ fructus illis se probaverint esse conversos. Quod in relapsis maximè procedit. Ob rationem suprà allatam.

1000 Sed ad S. Thomam redeamus, circa quem mira est RR. PP. Henneguieri, S. Th. Doctoris Ordinis Prædicat. & Caroli ab Assumptione, Fratrum nostrorum Discalceatorum Exprovincialis in Gallo-Belgio; mira (inquam) utriusque viri doctissimi, mihique amicissimi hallucinatio, dum plenis buccis vociferantur, sua opinamenta, superioribus assertionibus nostris contraria, per Angelicam doctrinam ipsius demonstrativè stabiliri; cùm ne probabiliter quidem suadeantur. Quæ ex S. Doctore profert noster Carolus, profert quoque Henneguierus, nec alia iste, quàm ille. Videamus ergo quid Henneguierus proferat, quidque ex iis concludat. Nostram (inquit) sententiam Doctori Angelico planè esse conformem, ex tribus quatuorvè notum relinquitur. Primum, quòd nihil in oppositum ab ipso adducunt illi qui à nobis dissentiunt.... Secundum, quòd ex mente ipsius nunquam conveniat, dispositis reconciliationem protelare. Tertium, quòd, juxta ipsum, relapsus argumentum sit liberi & inconstantis animi, non impœnitentis. Demùm, quòd omnes.... adversùs assertionem nostram objectiones & instantiæ, condignis responsionibus à S. Doctore præoccupatæ sint. Hactenùs ille in suo Tract. Theol. *quo demonstratur*, &c. art. 15.

1001 Sed primum à veritate alienum esse constat ex dictis à n. 992. & ampliùs constabit ex dicendis.

1002 Secundum pro nunc dissimulamus, quia nihil inde contra veritatem, pro qua nunc decertamus.

1003 Contra tertium militat hoc argumentum: relapsus hæretici, secundùm Ecclesiæ præsumptionem, & S. Thomam, argumentum est animi impœnitentis, prout ostensum est suprà: igitur & relapsus citus & facilis cujuscumque alterius magni peccatoris. Siquidem ratio quæ probat unum, probat & alterum, uti etiam ostendimus num. 998.

1004 Contra quartum: S. Doctor solvit quidem nonnullas authoritates, secundùm quod ab hæreticis contra Catholicam veritatem perperàm objiciuntur; sed eas ne attingit quidem, secundùm quod iis assertio nostra firmatur. Nec novum, aut inconveniens est, iisdem argumentis firmari veritatem, quibus hæretici abuntur ad tuendum suum errorem. Cùm iis quotidie Scripturis ad sui abutantur erroris defensionem, quas Spiritus sanctus dictavit ad veritatis revelationem. Sic Praxeas sacro isto testimonio, *Ego & Pater unum sumus*, abusus est ad negandam divinarum Personarum Trinitatem, quo Catholici probant Patris & Filii consubstantialitatem. Sic Henneguierus ipse iisdem authoritatibus probat physicam suam prædeterminationem, quibus Calvinistæ abutuntur ad asserendam gratiam & providentiam necessitantem.

1005 Verè ergo Henneguierus non dixit, argumenta omnia pro assertione nostra, à S. Doctore condignâ solutione esse soluta: verius econtrà dixisset, S. Doctorem condignâ solutione duo palmaria contra assertionem nostram argumenta præoccupasse. Primum Henneguierus petit ex Angelica ista doctrina: *nunquam veritas prioris actûs excluditur per actum contrarium sequentem.* Sed hoc Scholæ Angelus condignâ solutione præoccupavit loco suprà citato, dicendo, quòd Ecclesia *præsumit eos non verè reverti, qui cùm recepti fuissent, iterùm sunt relapsi.* Si hoc Ecclesia præsumit de semel relapsis, post suam in Ecclesia receptionem; quantò magis de frequenter relapsis, &c. ?

Alterum palmare Henneguieri argumentum petitur ex Matth. 18. ubi Dominus Petro mandat, ut fratri peccanti dimittat usque septuagies septies, id est quoties peccaverit. Quod S. Doctor solvit 2. 2. q. 11. a. 4. ad 2. dicendo, quòd *Dominus loquitur Petro de peccato in eum commisso, quod est semper dimittendum, ut fratri redeunti parcatur. Non autem intelligitur de peccato in proximum, vel in Deum. Quod non est nostri arbitrii dimittere.* Qua de re plura infrà, dum ad istud Henneguieri argumentum plenius respondebimus.

Dicat modò ipse, unde probet istud assertum 1006
suum: *Dico ego, quòd relapsus etiam frequens in peccatum, nota sit animi, non impœnitentis, & ad Sacramentum indispositi, sed inconstantis & mutabilis?* *Hoc* (inquit) *ex me non dico, sed ex S. Doctore, quantùm ad utrumque manifesto.* Videamus ergo manifestam ex S. Doctore probationem. Posterius probat ex 4. ad Annibald. dist. 14. a. 4. ad 3. *Dicendum, quòd de necessitate pœnitentiæ est, ut pœnitens habeat propositum, peccatum iterùm non committendi. Potest tamen hoc ejus propositum immutari. Non tamen sequitur quòd prima ejus pœnitentia non fuerit vera. Nec est inconveniens, quòd voluntas, quæ præterita deflet, iterùm in peccata consentiat, propter libertatem ejus.*

Prius demonstrare se putat ex 3. p. q. 84. a. 10. ad 4. ubi sic: *Quòd autem aliquis postea peccet, actu vel proposito, non excludit quin prima ejus pœnitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actûs excluditur per actum contrarium sequentem. Sicut enim verè cucurrit, qui postea sedet; ita verè pœnituit, qui postea peccat.*

Totam istam Angelicam doctrinam totus ad- 1007
mitto, in sensu Angelici Doctoris. Admitto (inquam) fieri posse, ut qui verè pœnituit, postea labatur in peccatum, de quo verè pœnituit. Admitto etiam consequentiam istam non esse legitimam: *relapsus est, ergo non verè pœnituit.* Neque enim gratia, per pœnitentiam recuperata, inamissibilis est, prout Calvinus somniavit. Neque etiam vera pœnitentia sic est irretractabilis, vel interabilis, ut fieri non possit transitus à pœnitentia ad peccatum, & rursus à peccato ad pœnitentiam, uti putarunt Montanistæ & Novatiani, contra quos S. Doctor disputat.

Sed quid inde concludit Henneguierus? Ergo 1008
(inquit) nulla est connexio, nulla consequentia, à lapsu & relapsu, quàmlibet frequenti, ad impœnitentiam. Nec proinde ex relapsu, quàmlibet frequenti, in dubium aut suspicionem venire potest veritas pœnitentiæ illius qui sacro tribunali sistitur.

Fateor nullam esse connexionem, nullam consequentiam infallibilem & absolutè necessariam ex relapsu, quàmlibet frequenti, ad impœnitentiam. Quod ad summum sibi vult S. Thomas. Quia post lapsum & relapsum, quàmlibet frequentem, peccator à peccato ad gratiam, à relapsu ad iteratam pœnitentiam per Dei misericordiam, & omnipotentis gratiæ efficaciam absolutè assurgere potest, etiam de repente. Siquidem omnipotentissimæ gratiæ ac misericordiæ Dei modum, mensuram, vel terminum, malitia hominis, quàmli-

bet iterata ac multiplicata, imponere non poteſt.
1009 Legatur, & relegatur S. Doctor, in locis allegatis, & apparebit, tum ex titulo, tum ex corpore articuli, ſeu articulorum objectorum, ſcopum ipſius alium non eſſe, niſi oſtendere, quòd charitas, ſeu gratia per pœnitentiam recuperata, amiti poſſit, Pœnitentiæque Sacramentum non ſolùm ſemel, ſed & ſæpiùs ab eodem homine cum fructu valeat uſurpari. En titulus articuli 10. q. 84. 3. p. *Utrùm Sacramentum Pœnitentiæ debeat iterari?* Et primò quidem, de more ſuo, velut pro ratione dubitandi ponit, tum authoritatem Apoſtoli ad Hebr. 6. *impoſſibile eſt*, &c. Tum quædam Patrum teſtimonia ſuprà relata, quæ videri poſſent favere hæreticis, contendentibus Pœnitentiæ Sacramentum iterari non poſſe. Deinde in corpore articuli ſic procedit: *Reſpondeo dicendum, quòd circa pœnitentiam quidam erraverunt, dicentes, non poſſe hominem per pœnitentiam ſecundò conſequi veniam peccatorum. Quorum quidam, ſcilicet Novatiani, hoc in tantum extenderunt, ut dicerent, poſt primam pœnitentiam, quæ agitur in baptiſmo, peccantem non poſſe iteratò reſtitui. Alii verò fuerunt hæretici (ut Auguſtinus dicit in lib. de pœnit.) videlicet Montaniſtæ, qui poſt baptiſmum dicebant quidem eſſe utilem pœnitentiam, non tamen pluries, ſed ſemel tantùm. Videntur autem hujuſmodi errores ex duobus proceſſiſſe. Primò quidem ex eo quòd errabant circa rationem veræ pœnitentiæ. Cùm enim ad veram pœnitentiam charitas requiratur (ſine qua non delentur peccata) credebant quòd charitas ſemel habita non poſſet amitti, & per conſequens pœnitentia, ſi ſit vera, nunquam per peccatum tollatur, ut ſic ſit neceſſe eam iterari. Sed hoc improbatum eſt in ſecunda parte, ubi oſtenſum eſt quòd charitas ſemel habita propter libertatem arbitrii poteſt amitti.*

Secundò, ex eo quòd errabant circa æſtimationem gravitatis peccati. Putabant enim adeò grave eſſe peccatum, quòd aliquis committit poſt veniam impetratam, quòd non ſit poſſibile ipſum remitti. In quo quidem errabant & ex parte peccati (quod, etiam poſt remiſſionem conſecutam, poteſt eſſe & gravius, & levius, quàm fuerit primum peccatum remiſſum) & multò magis contra infinitatem divinæ miſericordiæ, quæ ſuperat omnem numerum & magnitudinem peccatorum.... Et ideò miſericordia Dei peccantibus per pœnitentiam veniam præbet abſque ullo termino..... Unde manifeſtum eſt quòd pœnitentia pluries eſt iterabilis.

1010 Ex his conſpicuum eſt, ſcopum unicum, in quem collimat S. Doctor, eſſe dictos errores confutare, veritatemque Catholicam illis oppoſitam confirmare. Si ergo *intelligentia dictorum ex cauſis aſſumenda eſt dicendi*, ut D. Hilarius ait, manifeſtum eſt S. Doctorem, in iis quæ ſubjicit pro reſponſione ad objectam ſibi Apoſtoli authoritatem, & teſtimonia Patrum, ſolùm velle nihil iis contineri, contrarium doctrinæ, quam in corpore articuli ſtabilivit; ea proinde non eo rigore accipienda, ac ſi fieri non poſſet, ut ſemel veniam conſecutus, poſtea relaberetur; nec ſic ut vera pœnitentia iterabilis non eſſet; vel Pœnitentiæ Sacramentum ſæpiùs cum fructu recipi non poſſet; nec denique ſic ut relapſus, etiam frequens, poſt ſuſceptum Pœnitentiæ Sacramentum, foret infallibile ac neceſſarium fictæ pœnitentiæ ſignum, tolleretque veritatem ipſius, ſi fuerit. Certum eſt enim quòd non. Quia certum eſt, eum qui verè pœnituit, poſſe deinde peccare, ac poſt peccatum rurſus verè pœnitere.

1011 Ecce ergo totum quod ſibi vult S. Doctor. Ecce unicum quod intendit. Sed quid inde contra nos? Nihil, ne per umbram quidem. Ubi ergo prætenſa demonſtratio tua, Henneguiere? Ubi manifeſta contra nos S. Thomæ doctrina? Ubi (quæſo) vel quando aſſeruimus, ſemel veniam conſecutum, iterùm labi non poſſe, hec gratiam amittere? vel pœnitentiam veram iterari non poſſe? vel Pœnitentiæ Sacramentum non poſſe cum fructu ſæpiùs recipi? vel denique relapſum, etiam frequentem, eſſe adeò infallibile ac neceſſarium fictæ pœnitentiæ argumentum, ut oppoſitum per infinitam Dei miſericordiam, omnipotentiſque gratiæ efficaciam nunquam contingere poſſit? Abſint à nobis errores iſti. Cum Catholicis omnibus toto corde per omnia ſuſcipimus, tuemur, amplectimur doctrinam Angelicam illis adverſam.

Quænam eſt igitur aſſertio noſtra? Cum ſanctis Patribus ſuprà relatis, cum Sanctis noviſſimis proximè referendis, cum ſapientiſſimis Cardinalibus, Epiſcopis ac Theologis, Sæcularibus ac Regularibus omnium Ordinum, aſſerimus, facilem ac feſtinum in gravia crimina relapſum, præſertim frequentem, poſt ſuſcepta ſæpiùs Pœnitentiæ atque Euchariſtiæ Sacramenta, ſignum ſeu argumentum eſſe, non evidens & infallibile, neque abſolutè neceſſarium, ſed utplurimùm verum, fictæ vel non plenæ pœnitentiæ; ſecùs ſi peccatorem poſt longum tempus, magnamque reſiſtentiam, ſæpiùſque reportatam de tentatione victoriam, & adhibitam magnam ſollicitudinem cavendi relapſum, ex mera fragilitate relabi contingat. Ecce aſſertionem noſtram verbis perſpicuis expreſſam. Adhucne dicet Henneguierus, Angelicam doctrinam ei manifeſtè eſſe contrariam? Illam ne attingit quidem, nec vel apparenter impetit, ſed ſolam erroneam Montaniſtarum, Novatianorum, Calviniſtarum opinionem ſuprà relatam. 1012

Dic (amabo!) eximie Pater Magiſter, eſtne legitima argumentatio iſta: *Veritas prioris actûs nunquam neceſſariò excluditur per actum contrarium ſequentem. Igitur ex contrario actu ſequente, quàmlibet facilè & citò, quàmlibet frequenter iterato, nunquam habetur rationabilis præſumptio, vel ſuſpicio contra veritatem prioris actûs?* Si contendas argumentationem iſtam eſſe legitimam, 1°. à S. Thoma totus abſcedis, quem totum eſſe tuum perperàm dicis. 2°. S. Doctorem adverſari vis doctrinæ Eccleſiæ & SS. PP. non ſine injuria ipſius. 1013

Primum oſtendo, te utique à S. Doctore totum abſcedere: utpote qui argumentationem iſtam legitimam eſſe procul dubio negat, dum 2. 2. q. 11. a. 4. ad 1. de hæreticis relapſis ait, quòd *in judicio Dei ſemper recipiantur redeuntes; quia Deus ſcrutator eſt cordium, & verè redeuntes cognoſcit. Sed hoc Eccleſia imitari non poteſt. Præſumit enim eos non verè reverti, qui, cùm recepti fuiſſent, iterùm ſunt relapſi.* Unde hoc præſumit? ex eo quòd non credat eos priùs verè reverſos fuiſſe, ideòque nec modò verè reverti. *Ex præteritis enim oportet quaſi argumentum ſumere de futuris.* Ibid. q. 49. a. 1. ad 3. Eſtne Angelica iſta doctrina ei contraria, quâ ſuprà dixit, *nunquam veritas prioris actûs excluditur per actum contrarium ſequentem?* Nullo modo. Manifeſtum eſt ergo, quòd licèt veritas prioris actûs per actum contrarium ſequentem nunquam excludatur in oculis Dei; aliquando tamen excluditur in humana præſumptione. Neque enim alio modo verum eſt, quòd nunquam veritas prioris actûs excluditur per actum contrarium ſequentem, quàm quo modo verum eſt, quòd nunquam veritas præſentis actûs excluditur per actum contrarium præcedentem. Quemadmodùm enim verè cucurrit, qui poſtea ſedet; ſic verè modò pœnitet, qui antè peccavit. Igitur ſi hoc univerſaliter verum foret in humana præſumptione, Eccleſia rationabiliter non præſumeret non verè reverti eos, qui, cùm antè recepti fuiſſent redeuntes, poſtea fuerunt relapſi, id eſt ex eo quòd prio- 1014

rem reditum præsumat fuisse falsum, rationabiliter non præsumeret, etiam præsentem reditum esse falsum. Quod cùm apertè sit contra Angelicum Doctorem, manifestum est quòd, dum Angelicum istud dictum, *nunquam veritas prioris actûs*, &c. contendis universaliter esse verum, etiam in humana præsumptione, à S. Doctore totus abscedis.

1015 Ostendo etiam secundum, te utique velle doctrinam S. Thomæ adversam esse doctrinæ Ecclesiæ, & SS. Patrum. Quia si ex actu contrario sequente, quàmlibet citò & facilè, imò & frequenter iterato, juxta S. Doctorem nunquam habeatur rationabilis præsumptio, nec suspicio contra veritatem prioris actûs; nec consequenter ex contrario actu præcedente contra veritatem actûs præsentis, sequitur 1°. irrationabilem esse præsumptionem, quâ Ecclesia (teste S. Doctore) *præsumit* hæreticos relapsos *non verè reverti, qui, cùm recepti fuissent, iterùm sunt relapsi.* At si hoc velle vis S. Thomam, ipsum cum Ecclesia committis, Ecclesiæque præsumptionem Angelicæ doctrinæ contrariam facis. Sequitur 2°. eum qui consuetudinem habet peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, dummodò ore proferat se dolere, emendationemque proponere, præsumendum verè pœnitere; absolutionem proinde ipsi protelandam non esse. Si enim propositio ista S. Doctoris: *Nunquam veritas prioris actûs excluditur per actum contrarium sequentem*, nec veritas præsentis actûs per actum contrarium præcedentem, ex mente S. Doctoris procedat universaliter, & absque exceptione, etiam secundùm humanam præsumptionem; consequenter procedit in habente consuetudinem peccandi contra legem Dei, &c. tametsi emendationis ipsius spes nulla appareat, dummodò ore proferat se dolere, &c. Talis proinde præsumendus erit verè pœnitens, & absolutione dignus. Quod est ab Ecclesia damnatum per Innocentium XI. propos. 60.

1016 Quòdque ex contrario actu sequente, sive ex post-facto SS. Patres nonnunquam præsumant contra veritatem actûs præcedentis, demonstratur ex eo, quòd eos Christianos, qui, ortâ persecutione, ne quid Christi causâ paterentur, ante congressionem cum Tyranno, Christo renuntiarunt, sancti Patres judicarint, non tam persecutione cecidisse, quàm persecutione demonstratum fuisse, quòd neque ante persecutionem verè fideles fuerant, seu mundanis cupiditatibus victi, à fide exciderant, juxta illud 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide.* Ita arguit D. Cyprianus serm. de lapsis, inter alia dicens: *Sequi Christum quomodo possunt, qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quomodo cælum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus prægravantur?*

1017 Aliud fuit Cypriani judicium de lapsis, qui post diros cruciatus succubuerunt: *Cùm enim nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro in colluctatione, non animus deseruit*: nullum proinde in ipsis argumentum deficientis in ipsis fidei ante persecutionem; sicut in illis, qui insatiabili temporalium bonorum cupiditate victi, à fide defecerunt, nec tam Christianæ Religioni, quàm mundo & sæcularibus desideriis servierunt. Quorum ideò perfidiam ante congressionem apparuisse dicit, ita ut persecutio index potiùs fuerit præteriti lapsûs ipsorum, quàm causa futuri. Quod & Cyprianus repetit epist. 64. ad Epictetum, de ipsis aiens, quòd *manifestissimè comprobarint, nec antè se Religioni, sed ventri potiùs & quæstui profanâ cupiditate servisse.*

1018 Eâdem ratione Socrates l. 3. Histor. Eccles. c. 13. dicit, quòd *motâ sub Juliano Apostata persecutione, confestim tum qui veri, tum qui falsi Christiani essent, tanquam in fornace probationis, omnibus innotuerunt. Nam illi qui sincerè totoque corde Christiani erant, cingulum deposuerunt, quidvis ferre parati, potius quàm Christum negare.... Cæteri verò, qui non ex animo, seu toto corde, Christiani erant, sed divitias & honores hujus sæculi veræ felicitati præferebant, sine ulla cunctatione ad sacrificandum sese contulerunt.*

Si tale fuit veterum Patrum judicium de iis, 1019
qui à fide citò & facilè exciderunt; quantò magis de iis, qui id non semel, sed frequenter fecerunt? Qualis fuit Echebolius Sophista, de quo Socrates eodem libro: *Hic* (inquit) *ad Imperatorum mores sese fingens, atque accommodans, Constantio quidem regnante Christianam se Religionem ardentissimè colere simulavit; Juliani verò temporibus Gentilium superstitioni supra modum addictus apparuit. Post obitum autem Juliani, rursus Christianam Religionem profiteri voluit. Etenim pro foribus Ecclesiæ se pronum abjiciens, his vocibus usus esse dicitur:* "Calcate me, ut sal insipidum:" "*Hujusmodi fuit Echebolius: sicut antea levis & inconstans; ita etiam postea.* Et sicut antea non verus ex toto corde Christianus, Socratis aliorumque Patrum judicio; ita nec postea.

Quid ad hæc Henneguierus? Adhuene dicet, 1020
contrariis operibus sequentibus, seu relapsibus, quàmlibet citò, facilè ac frequenter contingentibus, in dubium aut suspicionem venire non posse veritatem actûs præcedentis, eò quòd S. Thomas dicat: *Nunquam veritas prioris actûs excluditur per actum contrarium sequentem*? Verùm aliter Ecclesia, aliter Patres sentiunt, ut vidimus, & S. Thomas cum ipsis. Aliter (inquam) Cyprianus, aliique Patres cum ipso, de iis censuerunt, qui, ortâ persecutione, ante congressionem Christo renuntiarunt. Et nunquid de vera ex toto corde sinceritate Echebolii, in cultu Christianæ Religionis, tempore Constantii Imperatoris, rationabile dubium, imò justa in contrarium suspicio fuit, ex eo quòd posteà in fide se adeò inconstantem exhibuerit, &, pro Imperatorum varietate, tam citò & facilè Religionem mutarit? Temerènè id judicavit vel suspicatus est Socrates? Temerènè judicarunt Cyprianus, aliique Patres, dum judicarunt ut suprà? Temerarius sit, qui hoc asseruerit.

Rectè proinde ac sapienter Episcopus Castorien- 1021
sis in suo Amore pœnitente l. 2. c. 4. arguit hunc in modum: " Uti prisci Patres ex fide vel perfidia, quam positi in persecutione Christiani ostendebant, ipsi colligebant, quales ante persecutionem fuissent: ita sæpè licet colligere, ex iis quæ, peractâ Confessione, perceptâque Communione, Christiani religiosè vel irreligiosè agunt, quales tum fuerint, cùm sua peccata Sacerdoti confitebantur, & Communione donabantur. "

Certè nulli dubium esse potest, quin Echebolio leviores & inconstantiores eos omnes habuissent, qui non bis aut ter, diversis sub Imperatoribus, instar Echebolii, datam Deo fidem fallunt, sed qui sæpè decies uno anno, in usu Sacramentorum se Deo vovent, & paulò post, votorum immemores, se iterùm criminibus dedunt. "

Si ergo Echebolius ille jure habitus est Christia- 1022
nus simulatus, vel Christianus non ex toto corde; eò quòd verus ex toto corde Christianus Christum tam facilè abnegare, à veraque fide deficere non soleat: isti etiam jure habentur pœnitentes simulati, vel pœnitentes non ex toto corde; eò quòd verus pœnitens, saltem ex toto corde, pœnitentiam tam facilè abnegare, sesèque criminibus iterùm dedere non soleat. Quemadmodùm enim ad veram fidem assensus requiritur firmus & constans;

sic ad veram ex toto corde pœnitentiam propositum requiritur firmum & constans amplius non peccandi, ut suprà dixi.

1023 Quemadmodùm etiam inconstans in fide ab Ecclesia non præsumitur verè ex toto corde fidelis; sic (cum proportione) inconstans in pœnitentia non præsumitur verè ex toto corde pœnitens. Si enim crimen, de quo quis est pœnitens, paris est gravitatis quàm infidelitas, non est cur de facili relapsu in ejusmodi crimen eo modo non præsumamus, quo Ecclesia præsumit de facili relapsu in infidelitatem. Verè namque ex toto corde pœnitens, quantò gravius est crimen de quo pœnitet, tantò sollicitiùs cavet relapsum in illud. Sicut ergo facilè relapsus in hæresim, sine manifesto veræ pœnitentiæ indicio donandus non est iteratâ absolutione: ita nec facilè relapsus in aliud crimen paris gravitatis.

De relapsis in crimen minùs grave aliter fortè videbitur alicui judicandum; nisi relapsus sit ita frequens, ut ratione frequentiæ adæquet gravitatem relapsûs in hæresim, aliamvè infidelitatem. Sed alia non desunt argumenta, propter quæ meritò suspecta est facilè & citò in ea recidentium pœnitentia.

1024 „ Profectò certissimum est “ (ait iterùm Castoriensis) “ eos qui Echebolio, jacenti ante fores „ Ecclesiæ, & humillimâ voce clamanti, *calcate „ me, ut sal insipidum*, credere noluerunt, sed „ uti falsum, levem & inconstantem repulerunt, sine manifestis veræ ex toto corde pœnitentiæ indiciis “ nullatenùs istis fidem præbituros fuisse, „ qui Sacramenta Pœnitentiæ, & corporis Christi, centenis vicibus suscipientes, totidem vicibus inhonorarunt & violarunt. “ Nullatenùs, inquam, credituros, quòd Sacramenta illa ipsi verè & spiritualiter susceperint.

„ Quamvis ergo nunquam veritas prioris actûs „ (si reverà fuerit) “ excludatur per actum contrarium sequentem “ (fieri enim nullo modo potest, ut actus, qui reverà fuit, reverà non fuerit) „ prudentissimè tamen ex actibus subsequentibus, „ tamquam ex indicibus internorum affectuum, „ de sinceritate priorum actuum judicium sæpè „ ferri potest.

1025 „ Hoc enim nisi verum foret, non abiisset in „ proverbium, quòd in dejectione à fortuna & „ gloria illud sit commodi, ut cognoscere possi„ mus, quos nobis, quos fortunæ nostræ habui„ mus amicos; “ veros proinde amicos à spuriis discernere valeamus. Verus namque amicus, amicum verè diligens propter se, non propter fortunam ipsius, ipsum non deserit propter fortunæ dejectionem.

1026 „ Hoc nisi verum foret, imprudenter collegissent Ecclesiæ Doctores, Pharaonem, ne tunc „ quidem, quando, sævientibus plagis, suum „ crimen accusabat, verè ad Dominum fuisse „ conversum: quia, illis cessantibus, statim ad „ genium redibat.

1027 „ Hoc nisi verum foret, non rectè judicassent „ Patres, Saülem, quando à Samuële correptus „ confitebatur crimen suum, dicens: *peccavi, „ quia prævaricatus sum sermonem Domini*, non „ fuisse verè pœnitentem. Non enim aliunde hoc „ judicarunt, quàm ex illis peccatis, quæ post „ istam confessionem legitur perpetrasse.

1028 „ Hoc nisi verum foret, nunquam dixisset B. „ Albertus Magnus: argumentum falsæ contri„ tionis habet, qui, quamvis peccata commissa vehementer defleat, tamen continuò post dolorem „ eadem, vel alia committere non reformidat.

1029 Hoc nisi verum foret (addo ego) Gregorius Magnus l. 8. Moral. c. 24. non dixisset: *bona se non ex corde tenuisse, ipsi sibi testes sunt, qui hæc citò dimiserunt.* Neque Ecclesia præsumeret (uti teste S. Thoma præsumit) eos non verè ad fidem reverti, qui eam facilè post conversionem deserunt. Neque Augustinus, & omnes Patres, eorum in fine pœnitentiam suspectam haberent, & valdè dubiam, qui totam penè vitam in criminibus duxerunt. Neque Clemens Alexandrinus, argumento 64. relatus, diceret: *Continuæ autem & se invicem excipientes post peccata pœnitentiæ, nihil differunt ab iis, qui omninò non crediderunt, nisi quod se peccasse senserunt.... Apparentia igitur est pœnitentiæ, non pœnitentia, veniam sæpè petere eorum quæ sæpè peccavimus.* Neque Fulgentius, aliique Patres suprà argum. 71. & 72. *Nunquam desinunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.*

Hoc denique nisi verum esset, Gregorius, Ber- 1030
nardus, aliique Sancti non dicerent, veros humiles, patientes, &c. oblatâ occasione probari. Et omnes passim homines irrationabiliter præsumerent in omni vitæ humanæ officio. Quis enim ad prandium v. g. invitatus, si ad prandium veniens ab invitante sæpiùs exclusus ac repulsus fuerit, non præsumit fictè se invitatum fuisse? Quis creditor non credit simulatam fuisse promissionem sibi à debitore factam de solvendo debito, si sæpiùs absque causa promisso contravenerit, cùm facilè posset solvere? Et si uxor cum interfectore mariti sui nuptias contraheret, statim post data indicia capitalis erga illum odii, quis non præsumeret odium istud verum non fuisse, sed simulatum? Et quis maritus non præsumeret fictitias esse veniæ petitiones, & promissiones uxoris adulteræ, de adulterio ampliùs non committendo, si statim post illas adulteria repeteret, & maximè si frequenter id faceret? Et sic de mille aliis?

Et quid dico? Nonne Christus ipse arboris ra- 1031
tionalis, seu voluntatis bonitatem, vel malitiam discerni vult ex fructibus, quos suo tempore producit? Et nunquid in Evangelio satis indicat, veram ex toto corde pœnitentiam similem esse domui firmiter ædificatæ, quæ ad flatum contrariorum ventorum facilè non concidit? Falsam econtrà similem domui super arenam ædificatæ, *ideòque* ad flatum ventorum contrariorum facilè concidenti?

CAPUT LXXXVII.

Argumentum septuagesimum septimum.

Ex eo quòd Henneguieri, aliorumque Adversariorum opinio non stet cum variis aliis documentis S. Thomæ.

IMprimis non stat cum descriptione plenæ vo- 1032
luntatis, quam S. Doctor facit suprà cap. 27. utpote ex qua conficitur, plenam sese emendandi voluntatem haud præsumi in iis, qui in confessa crimina facilè & citò relabuntur, prout ibidem ostendimus.

Secundò non stat cum eo quod S. Doctor ait 1033
q. 27. de verit. a. 2. ad 9. *Habenti gratiam non est facile illum actum exercere, per quem gratia amittitur.* Quia licèt, remissâ culpâ, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, *quæ dicuntur peccati reliquiæ; remanent tamen debilitatæ, ita quòd homini non dominentur*, sed charitas iis dominetur, 3. p. q. 86. a. 5. Si ergo fructuosa foret absolutio peccatorum de quibus agimus, facilè non relaberentur, nec relabendo gratiam habitam amitterent. Cujus oppositum in ipsis experimur.

Tertiò facilis relapsus veri pœnitentis in crimi- 1034
na, non stat cum doctrina ista S. Thomæ 3. p. q. 84. a. 8. ad 2. *Vera pœnitentia.... præservat hominem à peccatis futuris.* Maximè suscipientem Pœnitentiæ Sacramentum, per quod infunduntur

homini charitas & aliæ virtutes, seu habitus supernaturales. Quia, ut rectè Ludovicus Granatensis to. 2. concion. de temp. conc. 2. charitas, non verbotenùs, sed reipsà Dominum diligit super omnia, peccatumque super omnia odit: „ vera enim charitas, quæ veræ pœnitentiæ be„ neficio per Spiritum sanctum effunditur in cor„ dibus nostris, magis Deum diligit, *quàm cupiditas millia auri & argenti*, ait S. Thomas ibidem q. 70. a. 4. Per eam proinde justus adeò roboratur, ut fortior in ipso sit charitas, quàm cupiditas. Et ideò facilè non cedit allicienti cupiditati, nec facilè amittit charitatem, nec alios habitus supernaturales. Quia, ut S. Thomas rursum ait 1. 2. q. 49. a. 1. habitus est *qualitas de difficili mobilis*. Et a. 2. ad 2. *habitus dicuntur illæ qualitates, quæ secundùm suam rationem habent, quòd non de facili transmutentur... Ex quo patet, quòd nomen habitus diuturnitatem quamdam importat.* Et q. 100. a. 9. habitus virtutis *firmiter & immobiliter habet se in bono*: quia *firmitas propriè pertinet ad habitum*. Nec mirum: quia habitum habens charitatis, aliasque virtutes infusas, & dona, promptè & delectabiliter movetur ad faciendum bonum, & declinandum à malo. Siquidem charitas supra naturalem *dilectionem Dei, addit promptitudinem quamdam & delectationem, sicut habitus quilibet virtutis*. Ibidem a. 3. ad 1. Et per habitus supernaturales justi *suaviter & promptè à Deo moventur ad bonum æternum consequendum*. qu. 100. ad 2. Maximè per habitum charitatis: quia *nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum, sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur*. 2. 2. q. 23. a. 2. Cum istis profectò documentis non stat opinio dicens, facilem esse transitum etiam frequentem de gratia ad peccatum de peccato ad gratiam, & sic viciſſim.

1035 Quarìò S. Thomas 1. p. q. 20. a. 4. ad 4. docet, quòd veri *pœnitentes plerùmque* sive utplurimùm *cautiores, humiliores, & ferventiores resurgunt*. Quod cùm plerùmque non fiat in peccatoribus æquè facilè ac citò post confessionem crimina repetentibus ac antè; signum est ergo quòd non sint veri pœnitentes, vel saltem quòd de eo sit rationabile dubium.

1036 Quintò, lect. 1. in cap. 6. ad Hebr. docet recidivum, qui *post gratiam cadit in peccatum, difficiliùs surgere ad bonum*. Et 1. 2. q. 113. a. 10. miraculosam esse subitam conversionem magni peccatoris. Quæ profectò non stant cum asserta ab Adversariis facilitate & promptitudine transeundi de peccato ad gratiam, & contrà.

1037 Sextò, 3. p. q. 84. a. 1. docet, quòd *peccator, per ea quæ dicit & facit, ostendit cor suum à peccatis recessisse*. Non vult ergo solis dictis ipsi quoad hoc adhibendam fidem (prout Adversarii prætendunt) saltem dum dictis facta sunt contraria, sive dum per citum facilemque relapsum ostendit cor suum à peccatis nondùm plenè recessisse. Ut enim ait Supplem. q. 2. a. 4. *ille qui* verè & plenè *conteritur, dolet de peccato præterito, & cavet futurum*.

1038 Septimò, Opusc. de usuris c. ult. docet, usurarium divitem absolvendum non esse in solo verbo, quo se restituturum pollicetur; sed ad id restitutionem actualem requirit. Posteaquam enim dixit, quòd Confessarius absolvere non debeat usurarium, nisi *cùm videt signa restitutionis faciendæ in pœnitente*: addit, quòd signa illa sunt in divitibus (id est habentibus unde restituant) restitutio plena, quantum possunt, aut dilatio obtenta ab iis, quibus restituere tenentur; in pauperibus verò promissio, *quâ spondent, quòd si aliquando ad frugem prosperitatis venirent, se restituturos pro sua facultate*, nisi ii remiserint, quibus restitutio debetur. In divitibus ergo, qui jam restituere possunt, S. Doctor contentus non est promissione, ut absolutione donentur; sed requirit quòd *restitutionem faciant plenam, aut dilationem petierint ab iis, quibus tenentur restituere*. Cur ita? Quia (inquit Henneguierus) qui, potens ante absolutionem restituere, non restituit, voluntariè manet in proxima occasione continuandi injustam rei alienæ detentionem; eò quòd restitutio, in hujusmodi hominibus, sit valdè difficilis, &, obtentâ absolutione, utplurimùm negligatur. At simile est in consuetudinariis, facileque & citò relabentibus (inquam ego) maximè si frequenter id faciant: nam & ipsi, dum ante absolutionem sese non emendant, cùm possunt, voluntariè manent in proxima occasione sese non emendandi post absolutionem; eò quòd & ipsis emendatio sit valdè difficilis, &, obtentâ facilè absolutione, utplurimùm negligatur. Et cui dubium, tunc saltem Confessarium id rationabiliter præsumere, vel saltem meritò timere, dum sæpiùs expertus est? Ad nostra ergo castra, seu potiùs S. Doctoris, Henneguierus redeat, laxiorum Casuistarum castris derelictis.

CAPUT LXXXVIII.

Argumentum septuagesimum octavum.

Ex S. Vincentio Ferreris.

SAnctus Vincentius Ferrerius serm. 1. Dom. infra Octavam Epiph. *Sunt multi* (inquit) *qui subitò convertuntur, quando aliquam audiunt bonam prædicationem, & proponunt benè vivere, & paulatim desistunt. Hoc nihil valet: quia scilicet propositum istud non est firmum & constans.* Et serm. 6. post *Lætare*, explicans verba ista, *Lazare veni foras*, hæc habet: *Sic peccator.... debet exire foras, extra dimittendo peccata. Quia aliàs non est absolvendus.* Serm. 4. dictæ Dominf. Octav. Epiphan. *Qui perdit Christum ex peccato, non potest ipsum invenire, nisi post triduum, id est post tria opera pœnitentialia. Primum est, cordis contritio..... Secundum est oris confessio.... Tertium est vitæ correctio. ... Correctio fit, quia si fuisti superbus, vanus, pomposus, &c., de cætero sis humilis, & sic de aliis vitiis & virtutibus. Hoc modo post triduum invenitur Christus, in manibus Sacerdotum, ad dignè communicandum.* Non ergo à consuetudinariis, & recidivis, sese non emendantibus.

CAPUT LXXXIX.

Argumentum septuagesimum nonum.

Ex S. Thoma Villanovano.

ANtistes ille sanctissimus, in quem, *cum cælesti sapientia, virtutum omnium bona devenisse*, in Actis Canonizationis ipsius pronuntiavit Fabritius Cardinalis Fabellus conc. 6. in Domin. 4. Advent. Edit. Bruxellens. anni 1685. § 3. enarrans necessaria ad veram pœnitentiam: *Tertium* (inquit) *principale est propositum emendandi vitam, verum & firmum. In hoc multi decipiunt seipsos, proponentes ad modicum tempus cessare. Væ misero captivo peccatori, in quo regnat consuetudo peccandi. Quàm difficilè potest ab ea liberari! Quam difficile est, ut sui emendationem veraciter proponat, & sine fictione!* Quod posteaquàm explicuit per figuram mulieris Samaritanæ, cui cùm dixisset Dominus: *vade voca virum tuum*. Respondit ipsa, non habeo virum. *O quàm multi sunt* (prosequitur Villanovanus) *qui respondere possunt, etiam dum peccata lachrymantur, Domine non habeo virum! Ita enim est: nam adulterinum est illud propositum, quod habent*: quia, ut antè dixit,

nos

non habent *propositum firmum abstinendi de cætero à peccatis. Vis cognoscere quod propositum sit legitimum? Vide, si est vir conscientiæ. Quod agnoscimus in duobus. Nam primò vir non est alteri nuptus. Secundò vir agit vitam conjugalem..... Si propositum est legitimum, nuptum est conscientiæ: nam quietat eam..... Si statim post confessionem mutas propositum & redis, crede nunc animæ, hunc quem habes, non est tuus vir. Nam non egit vitam longam cum uxore conscientia.*

1041 Et conc. 3. in Dom. 3. Quadrag. *Videant.... qui post confessionem statim redeunt ad peccatum suum, quàm malè securi sunt. Non enim fuit illa vera pœnitentia, sed falsa. Unde in decretis distinct. de pœnitentia dicitur: irrisor est, & non pœnitens, qui hoc agit quod pœnitet; neque videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Vera enim pœnitentia est, præterita mala plangere, & plangenda iterùm non committere. Nam qui ad mala, quæ ploraverat, redit, hic agere pœnitentiam aut nescit, aut dissimulat. Non quòd ad veram pœnitentiam requiratur, quòd peccator nunquam ampliùs redeat ad peccatum, sed requiritur propositum verum & firmum non redeundi. Quod utique non est in illis, qui tam leviter, tam facilè, tam citò relabuntur..... Et licèt in confessione dicant, quòd verè proponunt, non credas. Quia decipiunt seipsos. Unde de hujusmodi consulo Confessoribus, ut mittant eos in domos suas, & cùm invenerint correctos & emendatos, tunc absolvant. Melius est enim differre, quàm decipere eos. Pater Augustinus: pœnitentes, quid agitis? quid prodest quòd humiliamini, si non mutamini?*

1042 Ecce Villanovanus expressissimè totus est noster. Non ideò tamen Novator. Non ideò Rigorista. Non ideò novam, impracticabilem, exoticam, vel à communi sensu alienam doctrinam tradidit, ut videre est in serie Actorum Canonizationis ipsius. Nec nos ergo Novatores vel Rigoristæ sumus, nec doctrinam novam, impracticabilem, &c. tradimus, prout Juniores aliqui vociferantur. Siquidem *anno* 1649. *die* 16. *Novembris* (ut legitur in Actis illis) *demandatum est examen operum ab eodem Beato editorum, Cardinali Cornelio, adhibitis Patribus Hilarione, & Alciato. In Congregatione habita* 7. *Martii* 1650. *pronuntiatum fuit: nihil in prædictis operibus contra fidem, ac bonos mores, nec aliquam doctrinam novam, à communi Ecclesiæ sensu alienam, contineri.*

CAPUT XC.

Argumentum octuagesimum.

Ex S. Carolo Borromæo.

1043 SAnctus Carolus in Instructionibus Pastorum p. 2. c. 1. inprimis monet se ideò in unum cas contulisse, *ut Confessarii Pœnitentiæ Sacramentum administrent, eo cum fructu, qui maximus esse possit: is verò* (inquit) *in sincera vitæ emendatione positus est; nevè in tanti ponderis negotio, cum propriæ conscientiæ summo onere convenientem non adhibuisse diligentiam videantur. Id quod summoperè timendum est multis, ne scilicet in gravem reprehensionem incideriat eorum industria* (seu modus Sacramentum istud administrandi) *cùm de tanto numero confitentium tam exiguam emendationem videamus, in iis qui totiès, & tam multis abhinc annis hoc Sacramentum frequentarunt.* Patenter ergo innuit, eos Confessarios non laudabiliter, sed reprehensibiliter hoc Sacramentum administrare, qui sic administrant, ut ex magno numero confitentium sibi, exigua appareat emendatio. Exigua verò apparet in consuetudinariis & recidivis, qui, non obstante facili & frequenti relapsu, statim absolvuntur. Summoperè ergo timendum, ne dum facilè absolvuntur, indignis absolutio detur, juxta quod cap. 12. subdit. Ibi namque sic habet: *Ut Confessariis pleniùs instruantur, nec absolutionis beneficium iis impartiantur, qui eo reverà indigni sunt* (*id quod vel inturvà, vel negligentiâ, vel alia de causa sæpè accidit, ac proinde* (id est propter hanc causam) *multi in eisdem semper peccatis hærent, cum animarum suarum lamentabili ruina.*) *Idcircò ex plurimorum Theologorum, cùm Sæcularium, tum Regularium diversorum Ordinum consensu quædam, quæ in frequentiori consuetudine agendi à Confessariis observanda sunt, inferiùs annotavimus. Quandocumque verò ab iis pœnitentes vel absolvent, vel relinquent ligatos, volumus, ut secundùm quod infrà dicetur, sua consilia dirigant.*

His præmissis S. Carolus plures designat casus, 1044
in quibus, vel differri, vel negari vult absolutionem. Primus (eodem c. 12. specificatus) est dum aliquis suâ negligentiâ ignorat fidei articulos, præcepta Decalogi & Ecclesiæ: *Si* (inquit) *aliàs à Confessario, vel speciatim à Pastore suo, hac de re admonitus fuerit, neque tamen tantum studii adjunxerit, quantum debuit pro capacitate suæ personæ, eousque absolutionem differat, donec aliquo modo satisfaciat.* Tunc igitur iteratâ pollicitatione Confessarius non debet esse contentus, sed solâ satisfactione, seu pollicitationis vel admonitionis impletione.

Secundum casum exprimit c. 13. dum patres 1045
& matres-familias, filios & servos, vel ancillas suas non compellunt ad supradicta addiscenda, vel non advigilant, ut Decalogi & Ecclesiæ præcepta servent, vel, quod pejus est, ab eorum observatione eosdem prohibent (uti faciunt qui servos & ancillas usque adeò diebus profestis detinent, ut diebus festis operari quodammodò compellant, vel tempus audiendi Sacrum non tribuant) vel non curant ab iis præcepta jejunia servari, nec transgredientes reprehendunt, vel servos corrigi nolentes, quique cæteris scandalo sunt, è domo suâ quamprimùm non expellunt. In omnibus hisce casibus negari vult absolutionem, nisi promittant emendationem. Verùm *si sæpiùs fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tamdiù absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.*

Tertium casum exprimit ibidem, dicens: *Con-* 1046
fessarius eumdem cum iis modum servabit, qui contra Conciliorum nostrorum decreta.... diebus festis operantur, vel à venditionibus, & similibus, quæ in illis prohibentur, non abstinent.

Quartum casum exprimit ibidem in fine: *Idem* 1047
(inquit) *servetur cum iis, quæ in immoderato corporis ornatu & fastu mortaliter peccant.* Iis ergo omnibus differri vult absolutionem, usque ad emendationem actualem, si sæpiùs admoniti promissa non servaverint.

Quintum casum cap. 15. declarat his verbis: *Non* 1048
solùm eos absolvere non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt; sednec illos etiam, qui quamvis asserant, peccatum se velle deserere; tamen unà dicunt videri sibi non se commercium illius esse relicturos: nisi ea velint remedia apponere, sine quibus Confessarius judicat ad vomitum redituros.

Sextum casum immediatè subdit ibidem: *Dif-* 1049
feratur adhuc absolutio, donec videatur aliqua emendatio illis, qui quantumvis dicant, & promittant relinquere peccata; nihilominùs Confessarius judicat probabiliter, illos peccata non relicturos.

Scio in variis translationibus S. Caroli sic textum 1050
ipsius referri: *Est præterea consultum, absolutionem differre, donec evidens appareat emendatio, in iis, qui tametsi dicant, ac polliceantur, quòd se eximent à peccato: tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat.* Unde Junioribus quibusdam visum est S. Carolum

per vocem *consultum*, significare voluisse, quòd istud non sit præcepti; sed consilii dumtaxat.

1051 Sed contrà est 1°. quòd textus quem produximus de verbo ad verbum concordet cum expressione, quam vernaculâ linguâ suâ fecit S. Carolus his verbis: *Si differisca anco l'assolutione, finche si vede qualche emendatione, a quelli che quantunque dichino, & promettino di lachiar il peccato, nondimento il Confessore giudica probabilmente, che non lo lascheranno.* 2°. quòd sequens casus, quem S. Carolus illicò subjungit, seu verba quibus eum exprimit, satis indicent S. Carolum loqui de debito, non de simplici consilio.

1052 Septimum itaque casum exprimit sic: *Idem faciendum est cum iis (scilicet ut differatur absolutio) qui cùm multos annos in peccatis suis perdurant, nullâ interim adhibitâ operâ in emendationem vitæ, in eadem peccata iterùm atque iterùm labuntur.* Attentis certè dictis, & dicendis, incredibile est quòd hîc non loquatur de debito (si enim in casibus minùs urgentibus differri vult absolutionem; à fortiori in isto.) Atqui expressè dicit, quòd hîc idem faciendum sit quod ibi, sive quòd differenda sit absolutio, sicut ibi. Vult igitur quòd ibi, sicut hîc, differri debeat.

1053 Octavum casum declarat cap. 16. ubi postquam duplicis generis distinxit occasiones peccati mortalis; alias utique quæ per se in peccatum inducunt; alias quæ in illud inducunt ex conditione peccantis, ita ut Confessarius metuere possit, quòd ex perverso, quem diù induit, habitu, imposterùm non magis abstinebit quàm priùs à peccato, si in iisdem occasionibus versetur. Addit prioris generis exempla sequentia, artem profiteri tabellis chartaceis, vel aleis ludendi, concubinam fovere, persistere in assidua collocutione, aspectu, quotidiano congressu cum feminis, & similibus turpium amorum irritamentis. Primò dicit, quòd irretitum occasione suâptè naturâ trahente in consensum peccati mortalis, *velut quòd concubinam alit, vel quid hujusmodi, Confessarius absolvere non debet, nisi priùs occasionem illam prorsus abscindat.* 2°. in aliis exemplis, *ut aleâ ludere, communiter conversari periculosè cum feminis*, &c. absolvere non debet, *si eis nuntium remittere non polliceatur.*

1054 3°. *si spondeat, aliàs tamen, cùm de eodem fidem fecerit, vitam non emendaverit, absolutionem differat, usquedum emendationis quædam argumenta videbit.*

1055 4°. si post susceptа & observata remedia, quæ solers & circumspectus Confessarius adhibuit, *non se emendaverit, non absolvatur, donec impedimentum sustulerit, vel nisi quid aliud à nobis acceperit, quod convenire videatur.*

1056 Posterioris generis exempla c. 18. *Ea* (inquit) *facta sunt, quæ etiamsi per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit, peccata relapsurus sit, si in iisdem operibus, in quibus anteà versatus est, perseveret. Tales, ob mundi corruptelam, plurimùm esse solent, in castris esse, mercaturam sequi, Magistratus obire, Advocati & Procuratoris officia exercere, aliaque id genus, quæ dum quis tractat, fit sæpè, ut vocibus blasphemis, furtis, injustitiâ, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, & aliis ejusdem farinæ sceleribus, quibus Deus offenditur, tantam sibi eorum consuetudinem adsciverint, ut conjectari liceat, si in iisdem officiis maneant, cùm se rursus ad eadem illæ oblaturæ sint occasiones, quòd foriorem animum ad resistendum peccatis non opponent, quàm hactenùs fecerint, quodque inde sequitur, in idem lutum ex integro prolabentur.*

1057 Itaque de iis dicit, imprimis quòd Confessarius *hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiù in antiqua consuetudine perseverat; sed æquum est ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur.* Atque hîc (inquit) *vigilandum est eò diligentiùs, quò manifestum est, hac in parte Confessarios incuriâ suâ maximam præbere causam, cur in omnibus ferè opificiis, & exercitationibus publicis, peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles.... Quamobrem magno numero inveniet Confessarius, inter eos qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxisse. Qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia priùs accedat, quâ simul & ab involucris hujusmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.*

Deinde addit quòd *multò magis Confessarius* 1058 *circa ea efficiorum actionumque discrimina extirpanda allaborare debet, quæ nullam vel necessitatem Reipublicæ, vel utilitatem secum ferunt.... ut chorreis intereſſe, agere cum blasphemis, versari in scurris, malorum se sodalitatibus hominum adjungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesque actiones, in quibus utplurimùm peccare mortaliter homines solent. Qui quidem antè non debent absolvi, nisi animo alienato penitùs illa ipsa se desertum polliceantur.*

Dicit tamen quòd *si probabiliter sibi Confessa-* 1059 *rius persuadeat, posse se fidem primæ, vel secundæ pœnitente sibi promissioni factæ dare, quòd scilicet occasionem auferet, poterit ipsum promissionis intuitu absolvere. Sin autem fidem semel atque iterùm fregerit, ac tertiò jam idem polliceatur, absolutionem differat, usquedum reipsâ videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo priùs vixerat.*

Nonum casum profert eodem cap. 18. *de iis* 1060 *qui actus nostris Conciliis.... prohibitos, vel per se aliàs illicitos exercent.* Ipsos Confessarius *non absolvat, nisi priùs rescindantur, satisfactioque conveniens pro iis præstetur.*

Nemini dubium esse potest, quòd S. Carolus 1061 in omnibus casibus supradictis negari vel differri velit absolutionis beneficium, *ne Confessarii illud iis impartiantur qui eo reverà indigni*, atque adò indispositi *sunt*; id enim ipse declarat citato cap. 12. cùm dicit, *idcircò in frequentiori consuetudine agendi* observanda esse quæ circa casus illos statuit, uti num. 1043. vidimus. Vult igitur absolutionem in illis casibus ipsis negari vel differri, tamquam indispositis, vel de indispositione rationabiliter suspectis.

Hoc posito, doctrinam nostram S. Carolus per- 1062 spicuè tradit, Adversariisque manifestè contradicit. 1°. dum in primo casu differri vult absolutionem usque ad satisfactionem, seu emendationem, relapsis in negligentiam addiscendi articulos fidei, præceptaque Decalogi & Ecclesiæ, post admonitionem Pastoris vel Confessarii.

2°. dum in secundo casu similiter vult eam usque ad impleta promissa differri patribus & matribus-familias, relapsis in defectus memoratos, si sæpiùs fuerint reprehensi, nec sese correxerint.

3°. dum in tertio casu idem statuit de relapsis in opera servilia, vel venditiones prohibitas diebus festis.

4°. dum in quarto casu idem quoque servari vult circa relapsos in immoderatum corporis ornatum, & factum mortaliter peccaminosum.

In casibus istis, postquam pœnitens admonitus 1063 promissis non steterit, Confessarius juxta S. Carolum ipsi rursùm promittenti credere non debet, *in frequentiori consuetudine agendi*; sed ipsi velut indispositio vel de indispositione rationabiliter suspecto absolutionem suspendere, donec promissa servaverit. Nec ad hoc ut ipsi non credat manifestam requirit rationem in contrarium; utpote quæ vel non est in casibus supradictis, vel est in omnibus pariter in grave crimen relapsis post Con-

fessarii admonitionem, frustratamque emendationis vitæ promissionem, semel atque iterùm ipsi factam. Quod proinde in quatuor casibus illis S. Carolus vult observari; idem haud dubiè in cæteris casibus intendit, in quibus pœnitens, post Confessarii admonitionem, frustratamque, non solùm semel atque iterùm, sed & sæpiùs, ac longè sæpiùs emendandæ vitæ promissionem, toties relapsus fuit, quoties confessus.

1064 5°. si Confessarium S. Carolus *in frequentiori consuetudine agendi* sic agere vult cum relapsis semel atque iterùm, post unam alteramvè admonitionem, promissionemque semel atque iterùm violatam; à fortiori cum consuetudinariis, post plurimas admonitiones, plurimas quoque promissiones violatas.

CAPUT XCI.

Argumentum octuagesimum primum.

Ex aliis Regulis, traditis ab eodem S. Carolo.

1065 SExtò S. Carolus assertionem nostram tradit, dum in quinto casu dicit, quòd Confessarii eos *absolvere non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt.* Neque enim id constanter decernere censentur, qui peccatum mortale facilè & citò repetunt, ut constat ex dictis cap. 27.

1066 7°. assertionem nostram rursum tradit, dum in casu sexto vult, ut *differatur adhuc absolutio, donec videatur aliqua emendatio, illis qui, quantumvis dicant, vel promittant relinquere peccata, tamen* Confessarius *judicat probabiliter illos peccata non relicturos.* Hoc enim judicat probabiliter de consuetudinariis & recidivis, qui jam sæpiùs promiserunt relinquere peccata, nec unquam reliquerunt, nec modò majorem adferunt cautionem pro assecuranda veritate promissionis suæ, quàm antè.

1067 8°. dum in septimo casu rursus statuit, absolutionem differendam consuetudinariis, *qui postquam multos annos in peccatis suis perdurant, nullâ adhibitâ operâ in emendationem, in eadem iterùm atque iterùm relabuntur.* Est enim ipsissima assertio nostra, doctrinæ Adversariorum diametraliter adversa, ut constat tum ex propositionibus ipsorum cap. 4. relatis. Tum ex eo quòd secundùm Carolum nostrum ab Assumptione, nullam operam vel conatum in emendationem adhibuisse, etiam post millena emendationis proposita, & promissa, non sit signum animi ad absolutionem indispositi, nec ipsi proinde tanquam indisposito vel de indispositione suspecto differendam absolutionem. Cujus oppositum à S. Carolo perspicuè doceri, constat ex allata doctrina ipsius.

1068 9°. dum in octavo casu declarat, existentem in occasione, per se atque ex natura sua pertrahente in peccatum mortale, absolvendum non esse, *nisi priùs occasionem illam prorsus abscindat.* Consuetudo quippe mortalis peccati per se atque ex natura sua pertrahit ad mortale peccatum, estque occasio illius per se, interna quidem, non externa, sed tantò fortior & ad peccatum proclivior, quantò intimior, uti demonstratum est cap. 41. §. 25. Priùs igitur pro posse abscindenda est, juxta S. Carolum, quàm absolutio concedenda.

1069 10°. dum in eodem casu similiter declarat, absolutionem illi differendam, qui aleâ ludit communiter, conversatur periculosè cum feminis, &c. tametsi spondeat iis occasionibus nuntium mittere, si *aliàs cùm de eodem fidem fecerit, vitam non emendaverit.* A fortiori igitur eam differri vult illi, postquam sæpiùs de eo fidem fecerit, nec vitam emendavit. Et tantò magis à fortiori, quantò sæpiùs de eo fidem frustrà fecit.

Quòd si remedia contra relapsum à solerte & circumspecto Confessario præscripta in se prompto animo susceperit, indeque Confessarius speret occasionem convertendam de proxima in remotam, permittit quidem S. Carolus talem absolvere. Sed si posthac *non se emendaverit, non absolvatur* (inquit) *donec impedimentum sustulerit.* 1070

11°. dum in eodem casu dicit, existentem in occasione per accidens, sive per se non mala, neque ex natura sua pertrahente in peccatum, sed quæ ipsi in particulari occasio sit, attentâ speciali conditione ipsius; dum (inquam) dicit talem non absolvendum, *si Confessarius existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiù in antiqua consuetudine perseverat; sed æquum esse ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio, per temporis intervallum expectetur.* 1071

12°. dum addit, id maximè observandum circa eos, qui versantur in occasione per accidens, quæ nullam Reipublicæ necessitatem vel utilitatem adfert. In qua existentes, *antè non debent absolvi* (inquit) *nisi animo abalienato penitùs illa ipsa se deserturos polliceantur.* Quòd *si datam de eo fidem semel atque iterùm fregerit, ac tertiò jam idem polliceatur, absolutionem differat, usquedum reipsà videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo priùs vixit.* Quàm patenter Adversariis sanctus Carolus contradicit! 1072

Differendæ absolutionis casus, à S. Carolo assignati, frequentissimi sunt, & *in frequentiori consuetudine agendi* à Confessariis observandi, ut suprà vidimus. *Nos rarò id facimus, faciendumque volumus*, inquit junior Casuista disput. Theol. a. 4. §. 4. Igitur praxis ipsius contraria est praxi à S. Carolo præscriptæ. 1073

In omnibus illis casibus absolutio, juxta sanctum Carolum, differenda est peccatoribus, tamquam indispositis, vel dubiè dispositis. Idem Junior hoc negat, cum R. P. Carolo ab Assumptione, aiens, imprimis solùm differendam, dum leviora remedia nihil operantur, & tunc solùm erit *per modum medicinæ.* Per quod uterque non satis effugere videtur laxitates, animarum perniciem inferentes. Quod enim unâ manu largitur, alterâ retrahit Carolus, prout constat ex 23. propositione ipsius cap. 5. relatâ, quâ asserit, quòd ne titulo quidem medicinæ, seu cavendæ reincidentiæ, absolutio differenda sit, dum pœnitens ex statuto suæ religionis, vel ratione beneficii, vel ad lucrandam indulgentiam plenariam (in civitatibus magnis, modò in ista, modò in illa Ecclesia frequentissimam, ac penè quotidianam) communicare debet, vel celebrare. Ergo frequentissimè ac ferè quotidie Confessarius absolvere debebit pœnitentem, quàmlibet consuetudinarium, quàmlibet recidivum, post frustrata omnia promissa, millenosque relapsus, dicentem se contritum. Sicut & eum, qui sæpiùs promisit se dimissurum occasionem, & non dimisit; prout idem Carolus docet Pental. c. 6. per totum, frequenterque repetit in elucidatione illius. 1074 1075

His autem S. Carolus manifestissimè contradicit. Et meritò, quia laxitatem nimiam, saluti animarum noxiam, inducere videntur, ipsius sancti Caroli judicio. Inde enim *sæpè accidit* (inquit c. 12.) *quòd multi in iisdem semper peccatis hærent, cum animarum suarum lamentabili ruina.* Et, ut ait c. 18. *manifestum est hac in parte Confessarios maximam præbere causam, cur in omnibus ferè opificiis, & exercitationibus publicis, peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles,* quæ ibi recenset. Denique ob debiti rigoris defectum in hac parte *magno numero invenies* Confessarius, *inter eos qui talia* opificia vel officia, Magistratus, Consiliarii, Advocati, Procuratoris, Mercatoris, &c. *exercent, omnem vitam ferè in* 1076

peccatis mortalibus duxiſſe. Qui quidem abſolutionis capaces exiſtimari non debent (proſequitur S. Carolus) *niſi diligentia priùs accedat, quâ ſimul & ab involucris hujuſmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.* Ipſos nihilominùs abſolutionis capaces dicti Juniores exiſtimant, in ſolo verbo, quo pollicentur ſe diligentiam illam adhibituros, tametſi ſæpiùs id ipſum polliciti, nunquam præſtiterint. Ex quo tandem ſit (quod ſanctus Carolus ibidem deplorat) quòd dum tales (pro lucranda v. g. indulgentia) abſolvunt, tanquam abſolutionis capaces (quos S. Carolus ait exiſtimari non debere capaces) eos abſolvant, quorum plures alius Confeſſarius melioris induſtriæ *deprehendet, qui nunquam (ut oportuit) Sacramento Pœnitentiæ peccata ſua expiarunt.* Sed de his plura in ſequentibus.

CAPUT XCII.

Argumentum octuageſimum ſecundum.

Ex magna authoritate illius doctrinæ S. Caroli in Eccleſia.

1077 EXhibita S. Caroli doctrina tantò majori in pretio habenda eſt, quantò majoris eſt authoritatis. Maximæ verò authoritatis eſſe, dubitari non poteſt, cùm Inſtructiones Paſtorum & Confeſſariorum (in quibus continetur) decreto tertii Concilii Mediolanenſis à S. Carolo compoſitæ, à quarto Concilio Provinciali fuerint approbatæ, earumque obſervantia oppidò commendata. Quod quidem Concilium, poſt magnam diſcuſſionem & nonnullorum Patrum Purpuratorum contradictionem, *à Romana Sede laudatum & probatum fuit*, ut Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Caſtorienſis teſtatur in Amore ſuo pœnitente l. 2. c. 18. §. 1. in fine.

1078 Sed & eaſdem Inſtructiones Eccleſia Gallicana comprobavit, commendavitque in ſolemniſſimo & frequentiſſimo totius Cleri Gallicani Conventu anni 1655. 1656. 1657. Cùm enim Epiſcopis congregatis delatæ eſſent graviſſimæ querelæ contra varias Caſuiſtarum corruptelas, nominatim contra defenſam ab ipſis nimiam facilitatem abſolvendi conſuetudinarios & recidivos; nec Epiſcopis ſupereſſet tempus maturiùs procedendi circa ſingulas illas Caſuiſtarum laxitates: Generalis Cœtus ſuis expenſis S. Caroli Inſtructiones excudi, & ad omnes Epiſcopos dirigi curavit, ut omnes Confeſſarii ex illis diſcerent, *quâ ratione in ſui officii adminiſtratione ſe gerere debeant.* In litteris verò, quibus eas ad omnes totius regni Epiſcopos deſtinarunt, ut in eorum Diœceſibus promulgarentur, hanc earumdem Inſtructionum commendationem inſeruerunt: *Nulli dubitamus, quin gratum ſitis habituri, quòd veſtris in manibus poſuerimus dogmata adeò ſancta, adeòque neceſſaria his temporibus, quæ finis & fex ſæculorum dici merentur. Quando autem veſtrâ authoritate in veſtris Diœceſibus publicabuntur, iſtâ virtute & gratiâ pollebunt, quibus opus eſt eis, ut medicis & ægris utiles evadant. Vos itaque obteſtamur, ut in hac occaſione poteſtatem, quâ vos Deus inſtruxit, exeratis, tum ad cohibenda illa criminum diluvia, quibus divina ira, ne Galliæ parcat, laceſſitur; tum ad reſtaurandam in fidelium mentibus caſtiſſimam Evangelii doctrinam, cui ab aliquo tempore tanta labes illata fuit.*

1079 Eaſdem Inſtructiones ſuo quoque exemplo commendavit S. Franciſcus Saleſius, dum ſibi S. Carolum in exemplum directionis animarum propoſuit, ut habetur in ejus vita. Sicut & dum Conſtitutionum Synodalium tit. 9. c. 5. n. 3. docuit eas eſſe ſequendas.

1080 Quod & reipsâ fecit Eminentiſſimus D. Cardinalis Grimaldi, Archiepiſcopus Aquenſis, dum juſſit, ut ſuæ Diœceſis Confeſſarii abſolutionem negarent, vel differrent in caſibus à ſe præſcriptis, qui ſimiles ſunt iis, quos S. Carolus in dictis Inſtructionibus præſcripſerat. Denique, quod præcipuum eſt, eaſdem Inſtructiones ſuas fecit, Confeſſariiſque Romani Diſtrictûs commendavit Innocentius XII. uti vidimus cap. 1.

CAPUT XCIII.

Argumentum octuageſimum tertium.

Ex S. Franciſco Xaverio.

ISte ſanctiſſimus Indiarum Apoſtolus epiſt. 9. inter novas Xaverianas lib. 5. interprete Petro Poſſino Societatis Jeſu, ſic habet: *Cùm ſub manum venient, qui & egeant, & capaces opis ſint, & alioquin vitæ ſtatum ſatis habeant compoſitum, ut & lubeat, & curent dare operam excolendo animo, auditis eorum culpis, ipſos jube juſtinere per aliquot dies, comparando ſe ad veram deteſtationem peccatorum ex dolore Dei ſummè amabilis offenſi. Hoc maximè in iis obſervandum, quibus inter irritamenta peccandi, & benè operandi obſtacula, vitam agentibus pro humana fragilitate, non tutò creditur ſine pignore pollicentibus in futurum meliora. Ejuſmodi ſunt, qui graves inimicitias exercuere cum nondum reconciliatis adverſariis: qui flagitioſi amoris commercia nondum ſic abrumpunt, ut in lubrico redituræ occaſionis, tuti à lapſu putentur: denique qui rem alienam detinentes, reddendi moras hactenùs neglexerunt. Hos omnes, poſt confeſſionem, exercebis meditationibus aſceticis, ad ſtatum illorum accommodatis, & ſic demùm, ubi ſatisfeciſſe videbuntur, abſolves*, &c. Et paulò poſt: *Peccata confeſſis, cum ſignificatione pœnitentiæ, & abſolvi poſcentibus, ne annuas, antequam ſatisfactionem repræſentarint in triplici præſertim genere, odiorum, amorum, & injuſtæ detentionis rerum alieni juris. Jube priùs reconciliari palàm cum inimicis gratiam: procul amoveant offendicula pudicitiæ: iniquè occupata dominis reponant: expleant denique ſiquid aliud præverti ad ſecuritatem expediat: nec ſolâ promiſſione defungantur; nam cum hominibus horum tractuum, tam promptis & liberalibus ad obligandam fidem, quàm ad exolvendam tardis ac ſegnibus, cum arrha in manu tranſigendum eſt.*

Reſpondet Gobat de Sacram. tr. 7. n. 320. S. 1083 Xaverium ſic tradere accommodatè *ad hominum horum tractuum*, id eſt ad ingenia Indorum, diuturnamque vitam agentium in Indiis: quaſi doctrina ipſius alibi non procederet.

Sed contrà manifeſtè: ſi hominibus illorum tractuum, ſive Indorum, non creditur tutò ſine arrha in manu; eò quòd *tam prompti & liberales ſint ad obligandam fidem, quàm ad exolvendam tardi & ſegnes.* Eadem certiſſimè ratio eſt cæterorum hominum, etiam Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, Belgarum, Germanorum, &c. qui peccatorum nexibus ſic irretiti ſunt, ut pariter ipſi tam prompti & liberales ſint ad obligandam Confeſſario fidem, quàm ad exolvendam tardi & ſegnes. Eadem proindè ratio eſt quorumcumque conſuetudinariorum, recidivorumque, qui ſemper emendationem pollicentur, & nunquam ſeſe emendant.

Nec ipſis ergo, de mente S. Franciſci Xave- 1083 rii, tutò creditur ſine arrha in manu, id eſt ſine actuali emendatione. Nec proinde ante emendationem tutò ipſis conceditur abſolutio. Ad quod ſignificandum, Xaverius non dixit, id practicandum in tribus dictis generibus dumtaxat, ſed dixit principaliter id practicandum in illis; *in tri-*

plici (inquit) *præsertim genere*, &c. Non ergo in illis unicè, sed & in aliis, ubi locum pariter habet ratio allata à S. Francisco Xaverio.

CAPUT XCIV.

Argumentum octuagesimum quartum.

Ex S. Francisco Salesio.

1084 SAnctum Salesium totum esse nostrum, patet ex eo quòd Constitut. Synodal. titulo 9. c. 5. sancti Caroli Instructiones commendet, sequendasque doceat. Necnon ex eo quod ibidem addit: *Quandoquidem plures Confessarii in absolutione impendenda se faciles exhibent, ad eam quam pœnitentes faciunt pollicitationem sese emendandi, occasionem proximam deserendi, &c. Diligens examen instituendum est, an fidem in antea dis confessionibus jam tum promiserint. Si id quidem polliciti fuerint, nec tamen steterint verbo, non est quòd Confessarius fidem habeat, donec sint ab occasione sejuncti, & quidem donec aliquo tempore illam non repetentes vixerint.* Et rursus: *Confessarii different absolutionem illis, quos hâc gratiâ indignos judicabunt. Cujusmodi sunt.... qui vitiosis habitibus blasphemiæ, luxuriæ, &c. eradicandis omnes nervos non intenderunt, in confessione aliàs commoniti.* Videant Juniores, quàm bellè Salesio consentiant. Plura ex Salesio habes in superioribus.

CAPUT XCV.

Argumentum octuagesimum quintum.

Ex Concilio Tridentino.

1085 PRæter ea quæ ex Tridentino protulimus cap. 41. §. 9. tamquam ordinariè necessaria, magnis saltem peccatoribus, ad impetrandum plenæ conversionis donum, & utplurimùm ab ipsis, maximè à consuetudinariis ac recidivis negliguntur; observanda sunt verba ipsius sess. 14. c. 4. *Declarat igitur S. Synodus hanc contritionem, non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium* (vehemens utique, uti paucis post lineis declarat) *continere.* Atqui vehementis istius odii apparentia modica vel nulla est, in iis qui crimina sua facilè repetunt. In iis etiam non apparet cessatio à peccato, nec novæ vitæ inchoatio; imò nec illius quidem propositum tam firmum, quale ex mente Concilii requiritur, tale utique, ut ad vitanda crimina etiam cum vitæ dispendio sint parati, virtute proinde cujus adeò solliciti sint de vitando relapsu, ut eum in finem nihil necessarium negligant. Si enim nihil ad hoc necessarium negligerent, facilè & citò non relaberentur, prout experientia docet in justis, *cum timore & tremore salutem suam operantibus in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis & castitate*, prout idem Concilium ab ipsis requirit sess. 6. c. 13.

CAPUT XCVI.

Argumentum octuagesimum sextum.

Ex Innocentio XI. propositionem hanc 60. *ut minimùm tanquam scandalosam, & in praxi perniciosam* damnante: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

1086 SI judicio Ecclesiæ damnata est propositio illa: Ergo causa terminata est quoad consuetudinarios, habentes consuetudinem blasphemandi, fornicandi, se inebriandi, seu alia peccata contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ committendi, in quibus emendationis spes nulla apparet, tametsi ore profetant se dolere, & proponere emendationem. Quandoquidem, eo non obstante, Ecclesia per Innocentium XI. declaret negandam, vel differendam ipsis absolutionem, contrariam opinionem damnans *ut minimùm tanquam scandalosam, & in praxi perniciosam.*

Atqui spes emendationis nulla apparet, dum 1087
consuetudinarius (& idem est de recidivo) sæpiùs emendationem promisit, nec promissa unquam implevit; nec majorem jam affert cautionem futuræ emendationis suæ, quàm hactenùs attulerit. Ut enim S. Thomas ait 2. 2. q. 49. a. 1. ad 3. *ex præteritis oportet nos quasi argumentum sumere de futuris.* Ex eo proinde quòd pœnitens nunquam impleverit promissa facta, quòd se emendaret, oportet Confessarium quasi argumentum sumere, quòd nec implebit in futurum, quidquid dicat, vel promittat, quamdiù majorem non dat cautionem in contrarium, quàm hactenùs dederit; quamdiù (inquam) dicta & promissa sua aliis non fulcit signis & indiciis, quàm quæ hactenùs fuerunt, absque effectu. Postquam ergo Confessarius multiplici experimento didicit, quòd pœnitens nunquam se emendaverit, tametsi emendationem ore, vel aliis ejusmodi signis absque effectu promisit; jam non habet spem fundatam quòd imposterùm se emendabit, quamdiù aliud istius spei fundamentum pœnitens ipsi non adfert, quàm quod hactenùs inane fuit, & absque effectu. Igitur est de numero eorum, de quibus loquitur propositio condemnata. Est enim pœnitens habens consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, in quo emendationis spes nulla apparet. Dicere ergo, quòd tali consuetudinario nec neganda sit, nec differenda absolutio, dum ore profert se dolere, & proponere emendationem, judicio Ecclesiæ est propositio scandalosa, & in praxi perniciosa, & ut talis condemnata.

Quid ad hæc Adversarii? Henneguierus, in 1088
epist. doctrinali ad suum quondam discipulum, putat evadere condemnationem, dicendo propositionem 60. ab Innocentio XI. ideò damnatam, quòd illius Authores intenderent, debere citra dilationem absolvi consuetudinarios, modò vocetenùs doleant, emendationemque proponant, tametsi reipsà nullus sit dolor, nullum propositum verum & efficax, nec in specie quidem emendationis spes. Noster verò Carolus ab Assumptione, in damnati Pentalogi sui elucidatione, aliisque opusculis suis, ex adverso putat, consuetudinarium (de quo damnata illa propositio) non ideò habendum ut indispositum, seu vero sufficientique dolore ac proposito destitutum, quòd nulla in ipso spes emendationis appareat: & adhuc post damnatam illam propositionem, contendit, ipsum, dummodò ore proferat se dolere, emendationemque proponere, etsi nulla emendationis spes appareat, habendum ut dispositum, absolutioneque dignum, nec ipsi tamquam indisposito, sive titulo indispositionis, negandam differendamvè absolutionem, tametsi titulo remedii contra relapsum, sive titulo cavendæ reincidentiæ ipsius in peccatum, subinde differenda sit, dum Confessarius eum in finem judicat necessarium.

Sed neuter satisfacit argumento. Non Henne- 1089
guierus. Ut enim sapienter arguit Illustriss. D. Gilbertus de Choiseul, Tornacensis Episcopus, in responsione ad illam epistolam Henneguieri, effugium istud mera est cavillatio, prorsus aliena ab Authoribus, ex quibus desumpta est propositio ab Innocentio XI. proscripta, ipsis quoque injuriosa. Quis enim, nisi penitùs profligatæ perditissimæque

conſcientiæ (quales ipſos fuiſſe, ſine ipſorum injuria nequit vel cogitari) aſſeruerit, citra omnem dilationem abſolvendum eſſe eum, *in quo nullus reverà ſit dolor, nullum verum & efficax propoſitum, nec in ſpecie quidem emendationis ſpes.* Hoc planè negare eſt Pœnitentiæ Sacramentum, cujus prima & præcipua pars materialis eſt contritio. Non id ergo voluerunt damnatæ propoſitionis Authores, quod ipſis Henneguierus imponit; ſed ideò damnatam propoſitionem tenuerunt, quia exiſtimarunt, verum dolorem, firmumque ampliùs non peccandi propoſitum, benè ſtare cum tanta peccatoris fragilitate, ut pro certo credatur rediturus ad peccatum, ut videre eſt in Baunio cap. 5 §. 2. producto, cui propoſitionem illam adſcripſerunt, qui S. Sedi eam damnandam obtulerunt, & reverà excerpta eſt ex verbis ipſius ibidem exhibitis. Idem videri poteſt in Joanne Sancio in ſelect. diſp. 9. & 10. ubi eandem propoſitionem tuetur. Et reverà cùm uterque doceat, eos qui ſua peccata confitentur, quàmlibet recidivos & conſuetudinarios, ideò toties quoties abſolvendos eſſe, quia ipſis ore dicentibus ſe eſſe contritos, fides adhibenda eſt, non docent eos abſolvendos, in quibus nullus ſit dolor, & propoſitum verum; ſed verum dolorem propoſitumque in iis eſſe credendum, qui eum ſe habere dicunt. Quod ipſum Henneguierus diſertè aſſerit diſſert. p. 2. a. 4. concluſ. 3. his verbis: *Accedenti ad confeſſionem, & dicenti ſibi ineſſe verum de peccatis dolorem, cum abſoluto emendationis propoſito, quantumvis relapſo & conſuetudinario, ſi aliud non obſtiterit, fides adhiberi debet, nec eſt quòd in eo pro abſolutione conferenda*
1090 *Confeſſarius hæſitet.* Quibus verbis relatis, ſic in Henneguierum Tornacenſis Epiſcopus inſurgit loco relato: " Nullo, ut opinor, tua propoſitio
„ commentario indiget. Vide porrò quænam ſit
„ ſexageſima, quæ à S. Sede damnata eſt; & fa-
„ ctâ comparatione... an non ambæ coincidant?
„ *Pœnitenti* (hæc eſt 60. propoſitio damnata)
„ *habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei,*
„ *naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nul-*
„ *la appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſo-*
„ *lutio, dummodò ore proferat ſe dolere, & propone-*
„ *re emendationem.*
1091 „ *Accedenti ad Confeſſionem.* Hæc tuæ propoſi-
„ tionis verba primo damnatæ propoſitionis vo-
„ cabulo, *pœnitenti*, reſpondent. Credis ſiquidem,
„ eum qui accedit ad Confeſſionem, eſſe pœniten-
„ tem. Aliàs cum non abſolveres. Et damnatæ
„ propoſitionis Authores aliter vocabulum iſtud,
„ *pœnitenti*, non intelligunt: nec enim certò ſciunt,
„ ſed credunt tantùm eſſe pœnitentem.
1092 „ Et *dicenti, ſibi ineſſe verum de peccatis dolo-*
„ *rem, cum abſoluto emendationis propoſito, quan-*
„ *tumvis relapſo & conſuetudinario.* Hæc tuæ
„ propoſitionis verba iſtis planè damnatis concor-
„ dia ſunt: *habenti conſuetudinem peccandi contra*
1093 „ *legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ.* Verum quí-
„ dem eſt, addi proſcriptæ propoſitioni: *etſi e-*
„ *mendationis ſpes nulla appareat.* Sed addita hæc
„ verba nihil tuo ſenſui adjiciunt. Quæ enim ſpes
„ apparet emendationis, in eo qui tam frequen-
„ ter relapſus, &, ut tuâ utar loquendi formulâ,
„ *ita conſuetudinarius eſt*, ut non frequentiùs re-
„ labi, & majori, atque (ut ita dicam) obſtina
„ tiori conſuetudine implicari non poſſe videa-
„ tur? Hoc porrò tua verba, *quantumvis relap-*
„ *ſo & conſuetudinario*, planè ſignificant. Quid
„ enim *quantumvis relapſo & conſuetudinario* ad-
„ di poteſt? Tuam verò mentem ſequentibus ver-
„ bis, quibus eam occultare voluiſti, vel invitus
„ aperis: *ſi nihil aliud obſtiterit.* Significas quippe
„ tam frequentes lapſiones, ut frequentiores eſſe
„ non poſſint, tamque obfirmatam conſuetudi-
„ nem, ut magis obfirmari non poſſit, abſolu-
tioni prorſus non obſiſtere, & ſiquid confitentis reconciliationem retardare debeat, id ab alio capite eſſe repetendum. Cùm igitur tali peccatori, confitenti, & dicenti ſe pœnitere, aſſeris *debere fidem adhiberi, nec eſſe quòd pro abſolutione conferenda Confeſſarius hæſitet.* Quid aliud innuis, quàm quod ſignificant damnatæ propoſitionis verba? Hæc autem ſunt: *nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.* Bonæ fidei Grammaticos, Dialecticos, Theologos appello; nec ullum ſuſpicor non eodem ſenſu tuam & damnatam propoſitionem eſſe intellecturum... Ut autem nullum relinquas de tua mente dubitandi locum, ſic, propoſitionem 1094
commentando, tu reipſum interrogas. *At qui fiet, ut toties relapſus, credatur pœnitens? Aliud* (tibi ipſi reſpondes) *ſignum, aliam ad conjuſcendum regulam non ſuggeſſit Chriſtus, quàm ſi dixerit, pœnitet me.* Nihil ergo præter verba exigis, ut abſolvas, & nihili æſtimas tam expreſſum Chriſti ſermonem: *à fructibus eorum cognoſcetis eos*, contemniſque propheticam Præcurſoris vocem, & perpetuam SS. Patrum traditionem, quibus conſtat, fructus iſtos, *dignos pœnitentiæ fructus* eſſe oportere. "

Et infrà: " *Stat aliquem* (inquis) *poſt relapſus* 1095
centies & centies reiteratos, concipere verum
dolorem de ſuis peccatis, & conſuetudine (quan-
tumvis inveteratâ) nequicquam obſtante, habere
abſolutiſſimum deinceps non peccandi mortaliter
propoſitum. Unde ſtare intelligas, ignoro (ait Epiſcopus) & ut coram Deo id per omnipotentem Dei gratiam ſtet, addo egò, Confeſſario tamen credibile non eſt, in ſolo verbo pœnitentis, toties dato, ſemperque violato; " ſed video te (pergit Illuſtriſſimus) iſtâ conſecutione tuum commentarium concludere. Ergo, *ſi aliud non ob-* " 1096
ſtiterit, non eſt unde Confeſſarius interpretetur,
pœnitentem non eſſe diſpoſitum ad præſentis abſo-
lutionis beneficium. Uſque adeòne te excæcat,
Frater, in tuo ſenſu abundandi cupido, ut ipernas Sanctiſſimi Pontificis cenſuram, quâ damnavit eos, qui aſſerunt, *pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi non eſſe differendam abſolutionem, dummodò ore proferat ſe dolere.* Nec enim differendam eſſe, *viſum eſt Spiritui ſancto, Pontifici Maximo, & toti Eccleſiæ*, niſi propter ſolum peccandi conſuetudinis impedimentum " (quod utique peccator abjecturum ſe ſpopondit, & nunquam verbo ſtetit, quamquam ore proferat ſe dolere) " ac propterea exiſtimat Innocentius, nullam ſpem emendationis in iſto homine apparere (ideòque talem non abſolvendum;) tu verò, ſi nullum aliud ſit.. impedimentum, doces eum... eſſe abſolvendum, in eoque ſpem emendationis apparere, quia ſimpliciter dicit, ſe dolere. " Hactenùs Illuſtriſſimus Epiſcopus.

Nec noſter Carolus argumento magis ſatisfacit, 1097
quàm Henneguierus: quia damnatam propoſitionem docet, in eo ipſo ſenſu, in quo eam tradiderunt Authores, ex quibus excerpta eſt, & quibus eam adſcripſerunt, qui damnandam obtulerunt, uti manifeſtum eſt ex verbis & propoſitionibus Baunii c. 5. relatis. Nec enim aliâ ratione, ſive Baunius, ſive Sancius, ſive alius quiſpiam damnatæ propoſitionis Author, cenſuit conſuetudinarium indilatè abſolvendum, niſi quia cenſuit fidem adhibendam ipſi, ore dicenti ſe contritum, niſi ratio manifeſta appareat in contrarium; adeòque abſolutionem ipſi, tamquam indiſpoſito, nec negari poſſe, nec differri. Quæ ipſiſſima eſt Caroli ab Aſſumptione doctrina, tantò certiùs damnata, quantò frequentiores ſunt occaſiones, in quibus ne titulo quidem cavendæ reincidentiæ, ſeu

seu remedii relapsibus adhibendi, docet absolutionem non negandam, differendamvè. Nam idem Author damnati Pentalogi sui cap. 7. ne cavendæ quidem reincidentiæ titulo absolutionem differri vult, dum consuetudinarius, ex statuto suæ Religionis, vel ratione beneficii, vel ad lucrandam indulgentiam plenariam (cujus lucrandæ occasio in magnis oppidis singulis penè Dominicis & Festis, imò frequentiùs adhuc occurrit) communicare debet, vel celebrare.

1098 Accedit, quòd idem Author (ut suprà observavi) alterâ manu retrahat, quod unâ concedit, dum absolutionis dilationem, etiam cavendæ reincidentiæ titulo factam, dicit esse remedium violentum, magis periculosum, quàm sit absolutio indilatè concessa; ideòque vix vel rarissimè adhibendum. Quam laxitatem etiam extendit ad illum consuetudinarium, qui sæpiùs promisit dimittere occasionem proximam peccandi, nec dimisit; cui, rursus idem promittenti, dicit fidem adhibendam, nec absolutionem titulo indispositionis differendam, sed titulo cavendæ reincidentiæ, ut videre est in eodem Pentalogo cap. 6. in fine. Sed hoc iterùm alterâ manu cap. 4. in fine retrahit, dum ibidem ait, quòd *Minister Sacramenti, titulo Medici, magis obligatur ad sanandum maculam ex peccato commisso præsentem, dando absolutionem..... quàm præservare à reincidentia*, &c.

1099 Magnâ proinde æquitate, nec minori sanioris doctrinæ zelo, duo Illustrissimi Episcopi, Tornacensis & Atrebatensis, tam Caroli ab Assumptione, quàm Henneguieri, doctrinam, variis ipsorum libellis editam, tamquam ab Ecclesia damnatam, nimiamque laxitatem præ se ferentem, suis in Diœcesibus sub pœna excommunicationis prohibuerunt, scriptisque solidissimis confutarunt.

CAPUT XCVII.

Argumentum octuagesimum septimum.

Ex tribus primis propositionibus, ab eodem Innocentio XI. proscriptis.

1100 TRes primæ propositiones ab eodem S. D. Innocentio XI. condemnatæ sunt. Prima: *Non est illicitum, in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Secunda: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem.*

Tertia: *Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Tres hasce propositiones Innocentius XI. damnavit ut scandalosas, & in praxi perniciosas.

1101 Ex prima infero, esse illicitum, in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, sequi opinionem Adversariorum, quæ dicit, consuetudinarios & recidivos, etiam post centenos relapsus, facilè & citò post confessionem contingentes, ordinariè statim absolvendos, si dicant sese dispositos, dum ratio manifesta non est in contrarium. Si enim licitum foret opinionem illam sequi in praxi, licitum foret, in collatione seu administratione Sacramenti Pœnitentiæ, sequi opinionem probabilem, relictâ tutiore quoad valorem. Atqui prima propositio damnata, quæ dicit, *relictâ tutiore*, haud dubiè id dicit de tutiore quoad valorem, uti constat ex antithesi, quæ in ea fit, inter opinionem *probabilem de valore* & contrariam tutiorem: quæ antithesis non esset bona, nisi, nomine opinionis tutioris, intelligeretur tutior quoad valorem, sicut nomine *opinionis probabilis* intelligitur probabilis quoad valorem. Probatur major, quia opinio nostra, quæ dicit, istos consuetudinarios & recidivos non esse credendos dispositos, ideòque non statim absolvendos, si non est moraliter certa (ob argumenta hactenùs deducta) saltem est probabilis, & valdè probabilis (utpote tot & tantis argumentis suffulta, atque à tot & tantis Doctoribus, Cardinalibus & Episcopis tradita) neque hoc nisi temerarius negare potest. Estque haud dubiè tutior quoad valorem Sacramenti: cùm eam sequendo nullum sit periculum frustrati valoris ipsius; quod periculum eo ipso constat esse in praxi opinionis contrariæ, quo constat eam non esse certam, sed ad summum probabilem, si tamen est probabilis (quod ob argumenta adducta & adducenda non concedimus.) Si ergo licitum foret, in collatione seu administratione Sacramenti Pœnitentiæ, relictâ opinione nostrâ, sequi opinionem Adversariorum, licitum foret, in collatione seu administratione Sacramenti Pœnitentiæ, sequi opinionem probabilem de valore, relictâ tutiore quoad valorem. Quod damnatum est propositione illâ primâ.

Ex secunda propositione similiter infero, Judicem sacramentalem, seu Confessarium, non posse ordinariè judicare, consuetudinarium & recidivum, facilè & citò post confessionem in pristina crimina relabentem, esse dispositum (adeòque absolutione dignum) ex eo quòd Confessario dicat se esse talem, dum ratio manifesta non apparet in contrarium. Si enim id judicet, in circumstantiis in quibus ratio probabilior, etsi non manifesta, apparet in contrarium, judicat secundùm opinionem minùs probabilem: utpote quæ eo ipso minùs probabilis est, quo contra se rationem habet probabiliorem. Nec suppositum istud negari potest. Dum enim pœnitens dicit se dispositum, ratio probabilior Confessario æquè apparere potest in contrarium, quàm ipsi in contrarium apparere possit ratio manifesta, uti per se clarum est, & adhuc manifestabitur infrà. 1102

Ex tertia propositione infero, minimam probabilitatem non sufficere Confessario, ad prudenter credendum pœnitentem esse dispositum, nec proinde ad ipsum prudenter absolvendum; improbabilemque videri opinionem Caroli ab Assumptione in suæ Elucidationis præfatione, ejusdemque Elucidationis decursu, non semel atentis, quòd, cum error facti excusetur per quamcumque probabilitatem, *minima probabilitas sufficit ad non credendum leviter, pœnitentem esse contritum. Et sicut adorans hostiam, quam consecratam credit in solo verbo alterius, non facit injuriam Sanctissimo Sacramento: sic qui pœnitentem absolvit, quem pœnitentem credit in solo verbo ipsius, Sacramento Pœnitentiæ non facit injuriam.* Si enim minima probabilitas sufficiat ad prudenter agendum, ubi Sacramenti valor & effectus periclitatur, minima probabilitas generatim sufficit ad prudenter agendum. Quod Ecclesiæ judicio scandalosum est, atque in praxi perniciosum, & ut tale damnatum. Et quis scandalosum non censeat, asserere, quòd non faciat injuriam Christo, qui cum minima probabilitate adorat panem, longè probabiliùs judicans non consecratum? 1103

In damnatam proinde propositionem illam tertiam incidit Carolus ab Assumptione, dum asserit Confessarium debere credere pœnitenti, dicenti se dispositum, ipsumque absolvere, dum ratio manifesta non apparet in contrarium. Neque enim assertio ista potest esse vera, nisi vera sit propositio ejusdem num. præcedenti relata. Quia si pœnitentis dicto fides adhibenda sit, quando ratio manifesta non apparet in contrarium, eidem dicto fi- 1104

des adhibenda est, etiam quando ratio probabilissima, & propè ad rationem manifestam accedens (nondùm tamen ad eam perveniens) appareret in contrarium. Ipsi proinde fides adhibenda est, & absolutio impendenda, dum dictum illud non facit nisi minimam probabilitatem (cùm facere non possit nisi minimam probabilitatem, dum in contrarium apparet ratio adeò probabilis, ut propè accedat ad manifestam rationem.) Igitur assertio ista incidit in tertiam propositionem, ab Innocentio XI. damnatam.

CAPUT XCVIII.

Argumentum octuagesimum octavum.

Ex variis Censuris gravissimorum Galliæ Episcoporum.

1105 CEnsuras illas habes suprà cap. 11. §. 6. Cùm enim Pirotus Jesuita in Apologia Casuistarum sequentes docuisset propositiones: *Theologorum* doctrina, de absolutione non neganda, magis *etiam locum habet in iis qui repetitis sæpè juramentis, ebrietate, spurcitiâ, validum horum habitum & consuetudinem contraxerunt. Quamvis enim illa consuetudo, voluntate contracta, proximæ habeat occasionis locum, quâ ad supradicta peccata propelluntur; sæpè tamen hæc consuetudo voluntaria dici non potest: cùm eam oderint, ac deponere optent.*

Secunda: *Non est necessarium, quòd Confessarius sibi persuadeat, quòd pœnitens executioni mandabit suum propositum, neque quòd id judicet probabiliter: sed sufficit quòd cogitet pœnitentem illâ horâ habere propositum generale, licèt præsentiat ipsum brevi relapsurum. Contraria Jansenistarum doctrina tendit ad desperationem, & evertit Sacramentum Confessionis, &c.*

Tertia: *Debet ergo pœnitentem Sacerdos absolvere, tametsi in crimina relapsurum esse sentiat. Addunt Theologi, quòd licèt de se pœnitens judicaret se brevi relapsurum, ipsum nihilominùs toties quoties absolutione dignum esse, dummodo tempore confessionis peccatum ipsi displiceat. Quò enim vehementiùs timet iterùm relapsurum, tantò studiosiùs conjugere debet ad confessionis remedium, ut illius ope convalescat.*

1106 Propositiones istas Illustrissimus D. Ludovicus Henricus de Gondrin, Archiepiscopus Senonensis, in Censura istius Apologiæ hâc censurâ notavit: *Propositiones periculosæ sunt, ad fovendam peccati libidinem excogitatæ, Sacramento ac virtuti Pœnitentiæ injuriosæ, judiciariæ authoritatis, quæ in Sacerdotibus, tamquam Christi Ministris, residet, destructivæ, eosque alienorum criminum participes efficiunt.* Hæc censura (cui varii Theologi subscripserunt) in Synodo Generali Senonensi, ad instantiam ipsius Synodi, publicata fuit anno 1658.

1107 Simili censurâ eadem confixerunt Vicarii Generales Eminentiss. D. Cardinalis Retzii, Archiepiscopi Parisiensis, eique subscripserunt (præter ipsos) octo insignes Theologiæ Doctores, Gamachæus, Seguier, Gaudin, Gauquelin, Henault, Alcaume, Richecœur, Louvet.

1108 Eadem *vel scandalosas, vel falsas, vel erroneas, vel contrarias Scripturæ sanctæ, mandatis Dei, regulis Evangelii, Ecclesiæ Canonibus, & Patribus censuit Annas de Levi de Vantadour, Archiepiscopus Bituricensis.*

1109 Eadem quoque velut *inducentes ad dandam nimis temerè absolutionem* damnavit Ægidius, Episcopus Ebroicensis. Et velut *crudelem mollitiem* inducentes, Nicolaus, Episcopus Bellovacensis. Sicut & quinque Aquitaniæ Episcopi. Et Magnus Vencensis Episcopus, Antonius Godæus, &c. cumque ipsis Archiepiscopus Rothomagensis, & Episcopi Aurelianensis, Andegavensis, Nivernensis, Cabilonensis, Tullensis, Lexoviensis, Cadurcensis, Suessionensis. Et Eminentiss. D. de Forbin de Janson (dum esset Episcopus Divionensis) in censura Apologiæ. Et omnes penè Galliarum Episcopi in solemnissimo frequentissimoque totius Cleri Gallicani Conventu anni 1655. Episcopi Atrebatensis censuram sequenti cap. subjiciemus.

Præterire hîc non possum verba, memoratu 1110
digna, Episcopi Cabilonensis in Epist. Pastoral. ad Confessar. suæ Diœces. data anno 1672. *Repetam hîc quàm possim fortissimè, quod toties antè dixi, nullatenùs concedendam esse peccatoribus inveteratis temerariam & præcipitatam absolutionem; at multum spatii relinquendum medicandis vetustis illorum plagis; nec posse nos aliter agere, nisi omninò neglectam velimus illorum salutem, neglecta principia Religionis maximè inviolabilia, cum aperto rerum sanctissimarum abusu. Quid enim aliud quàm illas indignissimè tractant, & pudendæ profanationi Sacramentum exponunt, qui hoc conferunt personis tam malè dispositis, ut sunt peccatores inveterati, & sanguinem Jesu Christi concredunt fallaci illorum verbo, cui ne minimam rem temporalem tuto crederemus. Quo jure licet illis, qui pro tribunali adeò formidabili sedent, ut ibi non hominis exerceant judicium, sed Domini, absolvere criminosos, qui semper in criminibus suis hærent? Quibus juxta sanctos Patres ludus est communio pacis, qui perpetuum faciunt pœnitentiæ & relapsûs in peccata circulum, & qui consequenter in seipsis jugiter circumferunt sententiam supremi Judicis: Non in vanum potestatem ligandi æquè ac solvendi nobis concessit Deus. Hanc autem dispensatam oportet, non quomodolibet; at juxta ejus voluntatem; quæ est (teste Gregorio) ut Confessarius perquirat motus divinæ gratiæ in animabus, & neminem absolvat in terra, nisi quem per veram Deus compunctionem visitat, & quem in cœlo suâ reconciliatione & pace dignum judicat. Quapropter omninò necesse est ut in iis sit verus & supernaturalis conversionis motus, qui includat dolorem ac detestationem omnium criminum commissorum, & sincerum propositum.... An autem dici potest dolorem de præterito, & propositum de futuro esse vera, dum pœnitens se non emendat; at semper, ut canis ad vomitum, ad priora sua vitia revertitur? In confesso est quòd Confessarius non possit ei credere sine maxima imprudentia, & certo profanationis periculo. Hoc ut evitet, miseris his pœnitentibus absolutionem differat, & per bona illorum opera aliquamdiù experiatur, bonane & firma sit eorum voluntas, donec explorando noscat, vera fuisse promissa, ex mutatione vitæ, exercitiis virtutum contrariarum, & ex constanti usurpatione mediorum, quibus pravi habitus vinci queunt..... Siqui adhuc sint Confessarii, qui contrariâ utuntur praxi, non aspicianiur ut lex, aut exemplum; sed caveantur, ut abusus summè perniciosus, maximèque contrarius spiritui Ecclesiæ.* Quæ omnia latè ac præclarè zelosissimus ille Antistes ibidem probat.

CAPUT XCIX.

Argumentum octuagesimum nonum.

Ex præclara Censura, sapientissimisque de pœnitentia regulis Illustrissimi D. Guidonis de Seve, laudatissimi Episcopi Atrebatensis, adversus propositiones septem P. Jacops.

CEnsuram istam, latam post invocationem 1111
Spiritûs sancti, consultationemque plurimorum Doctorum, Sæcularium ac Regularium, eximiæ probitatis ac doctrinæ, plurimorumque Magistrorum celeberrimarum Universitatum, relatam habes suprà c. 11. & 44. Nec ne-

cesse

cesse est hîc repetere: cùm ex dictis ibidem manifestè constet, eâ assertionem nostram per omnia confirmari. Quemadmodùm & per sapientissimas de pœnitentia Regulas, eodem loco enarratas. Quas cùm insignes Episcopi supra triginta comprobarint, plurimùmque collaudarint, Censura illa & Regulæ, apud Cordatos, & Sapientes, magni ponderis esse debent. Quia Ecclesiæ sensum hac in parte, post SS. Patres, ab Episcopis, & aliis qui primas in Ecclesia partes tenent, præ cæteris, addiscere nos oportet, uti demonstravimus c. 13. Vide interim ea, quæ pro demonstranda istius Censuræ æquitate diximus citato cap. 44.

CAPUT C.

Argumentum nonagesimum.

Ex casibus, in quibus negandam vel differendam absolutionem, sapientissimi docent Cardinales, & Episcopi.

1112 EMinentissimus namque Cardinalis Grimaldi, Archiepiscopus Aquensis, casus ordinarios, quibus Confessarii absolutionem vel differre debent, vel negare, sequentes assignat: 1°. si pœnitens inimicitiam aliquam gerit, & ex animo non ignoscit, suaque ex parte facere detrectat quod oportet ut cum inimico reconcilietur.

2°. quando pœnitens est in proxima peccati mortalis occasione, absolvendus non est, nisi eam deseruerit, si possit. Si autem deserere nequeat, absolutio suspendenda est, donec sint emendationis signa, & fundamentum credendi, quòd imposterum abstinebit à relapsu, secundùm medelas salutares, quas Confessarius ipsi præscribet.

3°. neque iis impendenda est absolutio, qui aliis peccandi præbent occasionem, nisi eam tollant, &, quantùm in ipsis est, remedium afferant malo, cui causam seu occasionem dederunt.

Tales sunt qui aperiunt forum aleatorium, vel tenent Conventus (vulgò *Assemblées*) in quibus committuntur impietates, blasphemiæ, excessus, libertas immoderata, aut alia peccata.

Qui componunt, excudunt, aut divendunt pravos libros, vel scripta, quibus continentur quæ sunt contra fidem, pudicitiam, vel bonos mores.

Qui habent, faciunt aut vendunt picturas & imagines lascivas, & quæ possunt ad peccatum incitare.

Mulieres & puellæ, quæ sinum nudant, postquam satis monitæ sunt de malo, quod in immodesto illo se vestiendi modo latet. Neque etiam danda est ipsis sacra Communio, dum in tali habitu accedunt.

1113 Circa libros memorabilis est sententia Gersonis in Dom. 4. Adventûs: "Dico tres assertiones. „ Prima: si esset mihi liber Romantii de Rosa, qui „ esset unicus, & valeret mille pecuniarum libras, „ comburerem eum potiùs, quàm eum venderem „ ad publicandum sicuti est. Secunda: si scirem „ ipsum non egisse pœnitentiam, non potiùs rogarem pro ipso, quàm pro Juda. Et augmentant hi, qui in malo eum legunt, pœnam suam, „ si est damnatus, vel in purgatorio. Tertia: si audirem confessionem personæ, quæ eo uteretur, „ præciperem ei ut multa deleret, vel prorsus eum „ abjiceret. Et sic de fœdis picturis, quæ inflammant, vel factæ sunt pro amatoribus vel amatricibus stultis.

4°. dum pœnitens injustè detinet bonum alienum, aut postquam intulit injuriam, vel detrimentum proximo, in bonis vel honore, non vult reparare damnum & restituere, aut integrè, vel partim, prout facultas adest, satisfacere, neganda est ipsi absolutio.

5°. qui dediti sunt alicui professioni, vel arti, quam experientiâ didicerunt sibi moraliter impossibile esse exercere, absque offensa Dei, absolutione donandi non sunt, nisi eam se deserturos polliceantur.

6°. differenda est absolutio iis qui consuetudine peccati alicujus mortalis implicati sunt, donec in ipsis videantur signa emendationis.

7°. deneganda est etiam absolutio peccatoribus publicis. Item iis qui scandalum publicum dederunt, donec publicè etiam satisfecerint, & scandalum, quantùm in ipsis est, sustulerint.

8°. Confessarii absolvere non debent eos, nec confessionem audire, quorum peccatorum fuerunt participes, seu complices.

9°. non est danda absolutio ignorantibus præcipua fidei nostræ principia, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, præcepta Dei & Ecclesiæ, dum ignorantia illa denotat exiguum affectum ipsorum pro salute sua, aut dum adeò rudes sunt, ut in ipso temporis articulo edoceri nequeant.

10°. eos pariter recusabunt absolvere, qui ea ignorant, quæ necessariò pro statu & conditione sua scire tenentur. Item eos qui muniis statûs & conditionis suæ fungi notabiliter negligunt. Super his autem debent Confessarii pœnitentes suos interrogare.

11°. Chirurgi & Barbitonsores, qui barbam radunt Dominicis aut Festis diebus, in officinis suis, vel alibi, absolvendi non sunt, nisi spondeant se deinceps id non facturos; quemadmodùm nec absolvendi sunt, qui ex consuetudine, & absque justa necessitate, diebus Dominicis aut Festis ab Ecclesia præscriptis vacant operibus servilibus.

Si autem cogitas (inquit Eminentissimus Grimaldi ex S. Bonaventura in Confess. c. 4. de usu clav.) *quia totâ die à multis Confessariis contrarium fieri videmus. Respondeo, tanto pejus: & qui hos Canones non servant, gravissimè peccant.*

Similiter Eminentiss. D. Cardinalis Le Camus, 1114
Episcopus Gratianopolitanus, casus nonnullos designavit, quibus differenda vel neganda sit absolutio.

"Primò" (inquit Constit. Synodal. tit. 6. a. 6. sect. 2.) "cùm quorumdam Confessariorum " in danda præcipitantiùs absolutione, non expensâ ferò dispositione pœnitentium, nimia facilitas, præcipua causa sit, quòd in impœnitentia " hæreant peccatores, & in pristina vitia frequenter relabantur: Injungimus ipsis, ut studiosè " & fideliter executioni mandent Decretum Eminentissimi Cardinalis Grimaldi, Archiepiscopi " Aquensis, pro Diœcesi nostra receptum & probatum in Synodo celebrata Gratianopoli 17. " Maii 1674. Item ut servent præscripta, quæ " sequuntur, circa casus, in quibus differenda " vel neganda absolutio est, quibus conscientiam " illorum oneramus, ut in tremendo Dei judicio " illorum rationem reddant. "

Secundò: Confessarii, vi potestatis quam " habent tam retinendi, quàm remittendi peccata, " absolutionem dare, differre, vel negare non " debent, nisi juxta regulas, & spiritum Ecclesiæ; " neque suscipient leviter eos absolvendos, qui- " bus absolutio negata vel dilata fuerit ab alio: " verùm ad primum suum Confessarium eos re- " mittent, nisi appareat evidenter, malè eum of- " ficio suo functum fuisse. Non etiam absque " magnis rationibus mutabunt pœnitentias à primis Confessariis impositas, & à pœnitentibus " acceptatas: cùm destruere non debeant alii, " quod alii ædificant. Quare exhortamur Confessarios omnes, ut in his manus jungant, & aliis " alii sanctè respondeant. "

Tertiò, Confessarii absolvere non debent eos, " qui sunt in consuetudine peccati, præcipuè con- "

„ cubinarios, usurarios, blasphemos, ebriosos,
„ nisi ratio sit credendi, quòd se ab occasionibus
„ peccati mortalis proximis separaverint, & reme-
„ diis, quæ præscripta fuerant, adhibitis, cona-
„ tus notabiles fecerint, ut è prava sua consue-
„ tudine emergerent. Nec eos absolvent, qui
„ præcipua fidei mysteria, & quorum cognitio ad
„ salutem necessaria est, ignorant. Nec viros,
„ qui sine Judicis Ecclesiastici vel Sæcularis au-
„ thoritate à suis uxoribus separati sunt. Nec eos
„ qui bona aliena detinent, nec pro sua facultra-
„ te volunt integrè aut partim restituere. Nec eos
„ qui satisfactiones sibi impositas implere renuunt:
„ qui legata pia, quibus onerati sunt, solvere de-
„ trectant: qui in detrimentum tertii coram Ju-
„ dice dederunt testimonium, nec damnum, cùm
„ possent, resarcierunt: qui gerunt inimicitias,
„ & ne in mortis quidem articulo reconciliari vo-
„ lunt: qui non cessant dies Dominicos & Festos
„ labore vetito profanare: qui postquam moniti
„ fuerunt, negligunt curare, ut proles & dome-
„ stici ad Catechismos veniant, ubi de rebus ad
„ salutem necessariis instruantur. Nec mulieres
„ absolvantur, quæ ad pompam, magnificen-
„ tiam, & supra conditionem suam se vestiunt,
„ quæque viris suis expensas creant, excedentes
„ modum, & bonis illorum non respondentes:
„ quæ consuetudinem habent fucandi faciem,
„ aut sinum nudant, vel humeros eâ immodestiâ,
„ ac impudentiâ, quam Gentiles honesti erubuis-
„ sent. Sine absolutione etiam dimittent omnes,
„ in quibus non videbunt signa veri & supernatu-
„ ralis doloris; item sinceri ac fortis propositi ab-
„ stinendi à peccatis, & solidam pœnitentiam fa-
„ ciendi.

„ Quartò, quod attinet ad peccatores publicos,
„ & eos qui frequenter in eadem peccata mor-
„ talia labuntur, non eos absolvent, extra mor-
„ tis periculum, nisi eorum emendationem, &
„ pœnitentiam medicinalem, quæ illis impositа
„ fuerat, impletam viderint. Quòd si pœnitentes
„ se sistere neglexerint, non est quòd Confessarii
„ se turbent: quippe qui fecerint quod potuere,
„ ut eos ad redeundum disponerent; sed satis sit
„ ipsis, Deum pro iis orare, ut gratiam agnos-
„ cendi, & convertendi se, ipsis impertiatur.

„ Quintò, siquis deprehendatur in occasione
„ proxima Deum offendendi, cogent eum hanc
„ deserere. Quòd si id absque sui, aut alieni ho-
„ noris detrimento facere non possit, prudenter
„ dispicient, tum ne exteriùs manifestetur pecca-
„ tum pœnitentis: tum ne profanetur Sacramen-
„ tum, administrando illud indignis.

„ Sextò, si pœnitentes confiteantur, injuriam se
„ aliquam intulisse Confessario, ob quam ad re-
„ stitutionem teneantur; cùm æquum non sit Ju-
„ dicem, eum esse in causa propria, ad alium eos
„ Confessarium remittet. Si verò sit eos audiendi
„ necessitas, ita se geret, ut accusari non possit,
„ quòd suis commodis nimiùm addictus sit.

„ Septimò, cùm status Ecclesiasticorum, sta-
„ tus sit perfectionis, illi absolvi non debent, quo-
„ rum vita tota sæcularis est; qui dissolutiùs & li-
„ beriùs vivunt quàm Laici; qui togam talarem
„ non gestant nisi rarò; &, cùm beneficium ha-
„ beant, quæ pauperum sunt, criminosè consu-
„ munt.

115 Illustrissimus D. de Grignan, Archiepiscopus Arelatensis, in Decreto edito anno 1676. *differenda est* (inquit) *absolutio illis qui implicati sunt consuetudini alicujus peccati, donec videantur in illis signa emendationis.*

116 Illustrissimus D. Joannes Neercaselius, Episcopus Castoriensis, per fœderatas Belgii Provincias Vicarius Apostolicus, in Decreto quo Jubilæum Innocentii XI. anno 1677. promulgavit, Sacerdotibus omnibus injungit, ut in concionibus suis populum doceant, quòd inter alios casus quos ibi designat, in quibus Sacerdotes absolutionem concedere non possunt, *illos absolvere non possint, qui semper eadem peccata mortalia confitentur, & semper in eadem, aut similia relabuntur. Et quòd illis cedat in salutem, magnamque utilitatem, quòd ipsis absolutio differatur, & interea præscribantur aliqua remedia, ad illorum radicatam consuetudinem, & mortales affectus extirpandos.* Quod Decretum cùm quidam Missionarius Jesuita promulgare renuisset, Romam Episcopus transmisit, ubi summoperè laudatum fuit.

117 Illustrissimus D. Pavillonus, Episcopus Alectensis, in suis Instructionibus de Sacram. Pœnitentiæ quinque casus ponit, in quibus differenda est, aut neganda absolutio. *Quintus est, quando pœnitens est in consuetudine peccati mortalis, & non corrigit vitam suam.* Deinde quærit: *si Confessarius videat pœnitentem, cui distulit absolutionem, in decursu suæ pœnitentiæ non tam sæpè ac antè relabi in suum peccatum consuetudinis, & diminuere de peccatorum numero, quomodò erga illum se debet gerere Confessarius?* Ad hoc respondet: *Confessario hîc opus esse magnâ discretione: cùm periculosum sit absolutionem dare illi qui sese corrigere incœpit; at relabitur adhuc sæpè in peccatum suum. Relapsus enim illi in peccata mortalia, licèt minùs frequentes, evincunt pœnitentem illum necdum verè & perfectè esse sanatum; sicut nemo dicet illum non amplius esse epilepticum, seu morbo caduco, vel morbo sontico laborare; quia non reincidit in epilepsiam nisi semel in mense, nòn tamen anteà bis tervè in illam incidebat singulis septimanis. Et Patres semper computaverunt inter falsas pœnitentias, peccatorum illorum pœnitentias, qui in suæ pœnitentiæ decursu relaberentur in peccata, de quibus se accusaverant. Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Illis ergo Confessarius ob oculos ponere debet illa Filii Dei verba Joan. 8.* " Vade, & jam amplius noli peccare; " *& illos animare ut laborent majori curâ & sollicitudine pro acquirenda vera & perfecta sanitate. Illos autem alio modo tractare, non est ipsis exhibere charitatis officium, nec sequi prudentiam Spiritûs Dei.*

118 Illustrissimus D. Antonius Godeau, Episcopus Vencensis, Instruct. Synodal. tit. de Sacram. Pœnit. *Quantùm ad peccatores.... qui continuò in eadem relabuntur crimina, illos Confessarii non absolvent, nisi postquam viderint eorum emendationem, & adimpleverint pœnitentiam ipsis impositam, extra necessitatis casum.*

119 Episcopus Agennensis in lib. cui titulus: *Les devoirs du Chrétien*, p. 4. instruct. 12. quærit: *illi qui malè capiunt, quòd Confessarius ipsis differat absolutionem, ut illos liberet à consuetudine peccandi, habentne firmum propositum emendationis? Resp. Non. Ostendunt enim continuo suo relapsu 1°. quòd non confiteantur nisi per consuetudinem. 2°. quòd verè non doleant de peccato. 3°. quòd nec timorem, nec amorem Dei habeant. 4°. quòd sint in periculo æternæ damnationis.*

Episcopus Senensis (vulgò Seez) inter casus, quibus differenda est absolutio, docet, consuetudinariis eam regulariter differendam esse.

120 Denique (pluribus omissis) suprà laudatis consentiens Illustrissimus D. Episcopus tunc Ruremondensis, modò Antuerpiensis, in Decreto de administr. Pœnit. Sacram. de die 8. Aprilis 1700. Confessariis injungit, ut pœnitentes exactiùs examinent circa scitu necessaria, ac peccata status & officii. Ne quocumque prætextu, hominum concursu, &c. dimidient confessiones. Nullos præcipua fidei mysteria ignorantes absolvant, præcipuè dum ignorantia orta est ex incuria la-

futis, vel ita hebetes sunt, ut instrui tantillo tempore non valeant. Minimè itidem absolvant in occasione proxima manentes, quam possunt & debent relinquere, & consequenter scandalosos, non reparantes scandala. Consuetudinarios minimè absolvant. Qui quotannis in Kevelaer confluunt, iisdem onusti peccatis mortalibus, eos non absolvant; sed instruant tales pœnitentes, ut petant primò per Christi merita, & intercessionem B. V. M. cordis conversionem. Et ne unus sit ædificans, & alter destruens, nullus pœnitentem justa de causa ab alio dimissum absolvat.

CAPUT CI.

Argumentum nonagesimum primum.

Ab authoritate Cardinalium, pietate & eruditione insignium.

1121 ASsertionem quippe nostram tradunt (præter Eminentissimos DD. Grimaldum, Le Camus, & Forbinum, cap. præcedenti relatos, præter Eminentissimos quoque Bellarminum, Baronium, Fredericum Borromæum, Cardinalem ab Harrach, Bona, & alios relatos cap. 11.) Gaspar Cardinalis Carpegna, Innocentii XII. in Urbe Vicarius, dum in Epist. Pastorali, jussu Suæ Sanctitatis anno 1700. Confessariis Districtûs Romani conscripta, pro regula administrandi Pœnitentiæ Sacramentum præscribit Instructiones S. Caroli Borromæi; sicut & Cardinales Aguirius & Denhoffius, quorum testimonia formalissima habes suprà c. 41. §. 12. Porrò Aguirius, citatis adversus lapsos, & relapsos, statim absolvi volentes, Patribus antiquis: *Quid opus est* (inquit) *ad antiquos Patres recurrere in re adeò manifesta omnibus, iis pœnitentibus, & Sacerdotibus, qui stupore quodam, aut ignorantiâ extremâ non amiserunt communem sensum? Sanè doctissimus & pissimus Cardinalis Bellarminus sæpenumero id grande malum nostrorum temporum deplorat*, & conc. 9 in Domin. 4. Advent. ait: " Quàm „ multi veniunt " (ad confitendum) " onusti „ peccatis, in quæ jam millies ceciderunt. Et „ veniunt pridie, vel ipso die summæ celebrita- „ tis. Et statim " (*jejuniorum, eleëmosynarum, orationum, ac pœnalium operum cordis & corporis dispositione præmissâ*) " volunt expediri " (*id est absolvi, & ad Communionem mitti*) " quasi hoc „ negotium esset ludus puerorum. Nonne hi „ Deum non placare, sed irridere voluisse viden- „ tur? *Et tamen cùm adeò multi peccatis onusti veniant ad confitendum, in quæ jam millies ceciderunt* (*ut resumam verba Bellarmini*) *quàm pauci sunt, quibus per aliquot hebdomadas, imò & dies paucos, differatur absolutio? Quàm rari forsan, quibus non statim indulgeatur Communio? Quàm pene nulli, qui, addito novo eo sacrilegio, non redeant ad vomitum?* Ad quem ut non redeant, multis antè diebus seipsos repurgare debent per pœnitentiam, precationem, eleëmosynam, & occupationem in spiritualibus, uti docet Chrysostomus apud ipsum. Idipsum latè prosequitur excursu 2. & 3.

1122 Denhoffius verò præter ea quæ cap. 41. ex ipso exhibuimus, §. 3. insigne doloris supernaturalis, plenæque conversionis argumentum esse dicit, si constet peccatorem generoso animo operam dare, ut peccati vincula disrumpat, seque in libertatem asserat. Etenim cùm gratia plenæ conversionis non sit otiosa, si non appareat iste principalis effectus ipsius, omninò concludendum esse dicit, vel ejusmodi gratiam peccatori nondum adesse (ipsumque proinde ad absolutionem dispositum necdum esse) ideòque monendum ut eam à Deo enixè petat. Vel certè signum esse, quòd gratiæ auxilio plenè nondum consentiat. Quidquid verò horum fuerit, certum est affectum doloris in ipso nondum esse sufficientem.

Ideò etiam in respons. ad objectionem duodecimam, *diximus* (inquit) *non uno loco, raram esse in his qui identidem relabuntur veram pœnitentiam*, plenam utique. Paragrapho verò 11. *exploratum* esse dicit, *solum ipsius confitentis de suo dolore, & animi proposito testimonium non esse satis* ad ipsum absolvendum: *quoniam cùm ipse accusator sit, idemque reus, testimonium ejus in propria causa suspectum haberi debet, si Sacerdoti, qui fungitur officio Judicis, aliundè sufficientibus indiciis appareat, rem secùs habere; vel certè de veritate multùm dubitet.* Quod postquam probavit ex eo quòd plerique pœnitentes nesciant requisita ad verum sufficientemque dolorem, plerique etiam illum se habere putent, fallentes semetipsos. Probat insuper ex eo quòd *neque eidem, velut ægroto, qui recipiendæ sanitatis causâ ad animorum Medicum accedit, penitùs credendum. Quid, obsecro, censendum esset de judicio Medici, qui ex sententia ipsius ægri existimaret abesse febrim, dum secundùm artis præcepta apparerent signa contraria? Et eum artis suæ peritum putabimus, qui, contra leges à Patribus traditas, & è sanioris consilii Authoribus collectas, credit verbis confitentis, qui se à vitiorum febri liberum pronuntiat; quamquam ex ipsa confessione detegi possit, animum ejus sub malæ cupiditatis imperio detineri?* 1123 1124

Vos ergo judicate, eos qui vobis confitentur delicta, tametsi voce aliud adtestentur, carere vero dolore 1°. *si ad confessionem accedant cum quadam elati animi ostentatione, quasi parati ad insultandum Ministro Jesu Christi, animi impatientiam & indignationem præ se ferentes, quoties quis piam interrogantur, quo animæ ipsorum status dignosci queat.* 2°. *si peccata sua recitent, ac si facta quædam communia & adiaphora denarrarent, magis ad memoriam exonerandam, quàm ad sublevandam conscientiam.* 3°. *si vitia sua confitendo, culpam in alium devolvant; & ubi se accusare debent, identidem excusare studeant.* 4°. *quando comperietis eos, de industria crimen aliquod celare voluisse, quod solâ Confessarii investigantis curâ detectum fassi sint.* 5°. *si reluctentur adversus opera pœnitentiæ, modo suprà demonstrato ritè peragenda.* 6°. *si nolint amplecti quæ, ad vitandum relabendi periculum sunt adhibenda: nam, ut dici solet, qui non vult media, nec finem velle censetur.* 7°. *si de eorum sint grege, qui studio sibi quærunt Sacerdotes indoctos, aut indulgentes; qui libros volvunt & revolvunt, donec inveniant Authorem quempiam suis faventem affectibus: in hoc similes ægrotis, qui Medicos quærerent, vel minùs peritos, vel sanè tales, qui artem profitentur omne morborum genus malagmatis curandi. Possint etiam comparari clientibus quibusdam sordidæ conscientiæ, quos nulla cura tangat de justitia causæ, quam coram Judice lite versant; satis sibi prospectum esse rati, siquis vel è trivio Causidicus dicat bono jure niti; etsi justitiâ penitùs destituantur.* 1125

De eorum verò sufficienti dolore meritò dubitari, qui facilè & citò relabuntur, satis declaravit suprà, cùm dixit, raram in ipsis esse veram pœnitentiam. Idem §. 9. censet de dolore consuetudinariorum, qui ad confessionem sese non præparaverunt precibus, humilibus ac piis operibus, & tamdiù repetitis actibus virtutum, vitiis dominantibus adversantium, ut notabiliter sint emendati. 1126

CAPUT CII.

Argumentum nonagesimum secundum.

Ab authoritate Concilii Provincialis Pragensis

annis 1605. postea recusi anno 1650. jussu Cardinalis ab Harrach, Archiepiscopi Pragensis; sicut & ab authoritate Ritualium & Manualium plurimarum Diœceseon, & plusquam octogenta Episcoporum.

1127 SIquidem in Concilio illo tit. de pœnit. pag. 78. Confessarius monetur, ut *quos in graviora crimina frequenter ex prava consuetudine incidisse animadvertit, iis ad aliquot dies, atque adeo menses, prout morbi gravitas exegerit, absolutionem differat; ita tamen ut illos* per piorum exercitiorum *injunctionem sanare, non autem in desperationem, aut confusionem inducere, pie prudenterque procuret.*

1128 Illustriss. D. Henricus, Episcopus Cabilonensis, in Institutionibus Confessariorum Diœceseos suæ c. 2. octo designat casus, in quibus absolutio, juxta S. Carolum Borromæum, & Rituale Cabilonense, differenda est. Secundus verò casus est consuetudinariorum, *qui peccati mortalis habitum contraxerunt; quem* (inquit) dubium non est *ab iis esse contractum, dum de tali crimine sæpius quis confessus est, absque ulla emendatione.*

1129 Eundem casum ponit Nicolaus Pavillonus, sanctæ memoriæ Episcopus Alectensis, in suis de Sacramento Pœnitentiæ Institutionibus, à viginti sex Archiepiscopis & Episcopis anno 1669. approbatis, tamquam non continentibus *nisi puriores Evangelii regulas, sanctioresque veritates, quas nobis Canones proponunt*, &c.

1130 Illustrissimus quoque Guido, Episc. Atrebat. absolutionem differri vult consuetudinariis ac recidivis in Epistolis suis Pastoralibus, quas Episcopi supra triginta approbarunt, & magnoperè commendarunt. Quemadmodum & viginti novem Archiepiscopi atque Episcopi, qui Arnaldi librum de frequenti Communione, non solùm approbarunt, elogiisque magnificis exornarunt, sed & adoptarunt, & suum fecerunt.

1131 Cumque ipsis illustriss. D. Guilielmus, Episcopus Petrocorensis, in Præfatione ad Pastores, & alios Ecclesiasticos Diœceseos suæ, præfixa Conferentiis Ecclesiasticis ejusdem Diœceseos, ipsos omnes exhortatur ad studium praximque doctrinæ in iis traditæ, quam declarat solidam esse, securam, atque ex divina Scriptura, Patribus, Conciliis, Theologisque solidioribus depromptam. Primâ verò Parte Conferentiarum illarum q. 1. & 2. assertio nostra de absolutione consuetudinariis & recidivis differenda non solùm traditur, sed & copiosè probatur.

1132 Manuale Diœceseos Atrebatensis, ab uno è clarissimis & sanctissimis Episc. Atrebatensibus compositum (teste Guidone Episcopo moderno) statuit, ne facilè concedatur absolutio peccatori in peccata relabenti, quando eam postulat; sed differatur ad tempus aliquod, *etiamsi aliquando non repugnet, cum toties verè contritum esse, quoties ad confitendum accedit.*

1133 Rituale, seu Officiale, Agendavè Trevirensis sic habet: *Nisi* ipsà *peccata relinquat pœnitens* (frequenter relapsus) *dicatur illi: Amice, benè facis, quòd ostendas te habere bonam voluntatem emendandi te. Et quia id potes, & debes, vade, & fac statim, quamdiu es in ista sancta voluntate, & postea revertere, & absolvam te.*

1134 Eadem penè verba habet Parochiale Leodiense anno 1591. editum, jussu Reverendissimi Domini Ernesti, Episcopi Leodiensis.

1135 *Videat diligenter Sacerdos* (aiunt Ritualia Catalaunense, Remense, Petrocorense, &c.) *ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces. Quales sunt..... qui vitiosos habitus blasphemiæ, luxuriæ, &c., à Confessariis correpti, corrigere non studuerunt.*

CAPUT CIII.

Argumentum nonagesimum tertium.
Ab authoritate plusquam mille quingentorum Parochorum primariarum Urbium Regni Galliarum, ex quibus valdè multi fuerunt doctrinâ & virtute præclari.

GRavissimum profectò est argumentum, supe- 1136
riori capite deductum, ab Authoritate tot Ecclesiæ Principum, atque Antistitum, maximè cùm ex ipsis non pauci sapientiæ & sanctimoniæ laude insigniter claruerint. Nec absque temeritate judicio ipsorum quis præferret judicium Juniorum Casuistarum; Ecclesiæque modernæ sensum & usum istis melius notum esse contenderet, quàm illis: utpote quem, uti sæpiùs dixi, discere nos oportet ab iis qui primas in Ecclesia partes obtinent. Cùm ex Scripturis, Patribus, & Conciliis, Episcoporum sit *regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. 28. Suarumque Ecclesiarum jure divino sint *Doctores.* 1. Timoth. 3. 2. Ipsis etiam à Deo commissum sit, *attendere sibi & doctrinæ.* Ibidem c. 1. v. ult. Item *exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Tit. 1. 9. Denique *Angeli* sint *Ecclesiarum.* Apoc. 1. 3.

Et quid de Episcopis SS. Patres? Sunt *Eccle-* 1137
siæ Luminaria. Hieronymus adversus Lucifer. Nicolaus I. epist. 21. ad Episcop. Synodi Sylvanectè. *Apostolorum Successores.* Concilium Trident. sess. 23. cap. 4. *Apud nos Apostolorum locum tenentes.* Hieronymus epist. 85. ad Evagr. & 54. ad Marcellam. *Ipsis tota scientia: potestas & authoritas Sacerdotii à Deo optimo Authore, & principio omnis mysterii & perfectionis, data est.* Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. c. 5. Sunt *divinæ voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium.... Dispensatores regiæ domûs, quorum arbitrio in Aula Regis æterni dividantur gradus & officia singulorum.* Lib. 5. Capitul. c. 163. ex D. Prospero.

Denique Episcopos, legitimos controversiarum 1138
fidei & morum Judices, Concilia & Patres semper agnoverunt. Per ipsos namque Origenis errores condemnati fuerunt. Hieronymus Apol. in Rufin. lib. 2. Per vicinos Episcopos Paulus Samosatenus. Eusebius lib. 2. Histor. Eccles. c. 22. Per Alexandrum Episcopum Alexandrinum Arius. Theodoretus lib. 1. Histor. Eccles. c. 2. Per Flavianum Episcopum Constantinopolit. Eutyches, & hoc *secundùm Canones* factum fuisse, Legati Leonis Papæ in Concilio Chalcedon. dixerunt Act. 3.

Quid plura? *Contra veteres errores Eccle-* 1139
siarum Pastores viriliter insurgentes, eorum prava dogmata cum ipsorum Authoribus condemnarunt. Innocentius II. epist. ad Episcop. Gall. 193. apud S. Bernardum.

Si *Ecclesiarum Rectores* sint & *Doctores*; igitur 1140
Episcoporum (sicut Apostolorum) est de dogmatibus, Ecclesiæque sensu & traditione *judicare*, ut S. Bernardus ait epist. 189.

Si *Angeli* sint Ecclesiarum: *sicut* ergo *inferio-* 1141
res Angelorum ordines purgantur ab ignorantia per Spiritus superiores, à quibus evehuntur ad sublimiores, puriores & clariores illustrationes visionum divinarum, ut Dionysius ait loco citato c. 6. Sic Sacerdotes inferiores, in controversiis de divini verbi intelligentia, Ecclesiæque traditione & sensu, per Episcopos ab ignorantia purgantur, &c. *Lex quippe est sanctissima, à Deo constituta, ut res inferiores per superiores ad divinissimum lumen ipsius eleventur.* Dionysius ibid. c. 5.

Si denique sint *Ecclesiæ Luminaria*: igitur ad 1142
ipsos spectat, in omnibus ejusmodi controver-

sis, & quæstionibus, errorum tenebras à mentibus fidelium dissipare. Reverenter proinde à Sacerdotibus inferioribus audiendi sunt, tanquam sedentes in *Ecclesiæ throno*, & velut magna Ecclesiæ Luminaria, à quibus lumen mutuare oportet sidera inferiora.

1143 Post Episcopos, omnes ferè Hierarchici Sacerdotes adversus dogmata assertioni nostræ contraria zelum suum ostenderunt, præcipuè verò Parochi plusquàm mille quingenti Parisienses, Rothomagenses, Ambianenses, Nivernenses, Bellovacenses, Ebroicenses, Andegavenses, Senonenses, Lexovienses, &c. mirum in iis insectandis, & ad suos respectivè Episcopos deferendis, fidei ardorem manifestarunt. *Judicium autem tam magni Cœtûs Presbyterorum* (è quibus complures S. Th. Doctores, plerique doctrinâ, pietate, atque experientiâ in animarum regimine conspicui) *qui in urbibus regni Galliæ præcipuas animas regunt, & conscientias dirigunt, parvi non est faciendum*, ait Illustrissimus D. Pagnanus, ad cap. *ne innitaris* de Constitution. n. 289. Qui & ipse ibidem n. 336. dogmata illa tamquam periculosa rejicit.

1144 Eorum, & imprimis Vicariorum Generalium Ecclesiæ Parisiensis, zelum imitatus Amatus Coriacheus, Vicarius Generalis Archiepiscopatûs Mechlinienſis vacantis, in Decreto anni 1667. emendari volens abusum, quo in gravia scelera recidivi, nimis facilè & temerè à quibusdam Confessariis absolvuntur, Confessarios omnes istius Archidiœcesios admonuit, ut dum in alios solvendi, in istos ligandi exerceant potestatem. Quod Decretum anno 1668. innovavit, ipsos exhortans, ut *quoad hujusmodi recidivos & incorrectos, eâ utantur Ecclesiasticæ disciplinæ œconomiâ, quam S. Carolus per Diœcesim suam, cum grandi animarum lucro, per Instructiones suas Pastoribus & Confessariis observandam præscripsit.*

CAPUT CIV.

Argumentum nonagesimum quartum.

Ex numerosissimo agmine insignium Theologorum, stantium pro assertione nostra.

1145 STant namque pro ea (præter Albertum Magnum, S. Thomam, & alios antiquos; præter laudatos etiam Cardinales, & Episcopos) Franciscus Genet (modò Episcopus Vasionensis) in Theologia sua Morali, per Magistrum S. Palatii approbata, & honorificè commendata, tandemque Latino idiomate recusa, & S. D. N. Clementi XI. dicata, to. 4. tr. 6. c. 15. & 12. Daniel Episcopus Petrocorensis in Theol Morali ad usum Seminarii sui anno 1698. edita to. 4. l. 2. tr. 1. cap. 7. q. 9. §. *iis autem suspendenda*. Carolus Gobinetus, magni nominis Doctor Sorbonicus, in lib. cui titulus: *Instruction sur la Pénitence*. Raymundus Bonal, in Gallico Cursu suo, Merbesius in Summa Christiana (cujus mentionem honorificam facit Cardinalis Aguirius ubi suprà n. 160.) to. 2. dissert. 4. q. 48. Antonius Le Felon lib. cujus titulus est: *Conversio peccatoris*. Necsen Th. Mor. Christ. tr. 14. in Append. Hennebesius in Systemate Sacram. Pœnit. §. 3. 4. 5. & 6. Jacobus Boudartius, insignis Ecclesiæ Colleg. S. Petri Insulis Canonicus-Theologus Manual. Th. to. 3. tr. 4. de Pœnit. §. 14. Huyghens in sua Methodo remitt. & retin. pecc. Nicolaus Josephus de la Verdure, egregius S. Th. Doctor Duacensis, in tract. tripl. tr. 3. a. 2. & communiter Doctores Lovanienses Lovinus, Scaille, Vianæus, Vincent, Decharneux, Sullivane, Claes, Renardi, &c. Communiter etiam præcipui nominis Doctores Sorbonici, atque imprimis triginta celeberrimi illi, qui ab insigni Galliæ Antistite anno 1665. consulti, *an absolvi possint illi, qui sunt in consuetudine alicujus peccati mortalis, & non corrigunt se, nec ullum dant signum veræ emendationis*? Responderunt: *Differenda est absolutio illis qui sunt in consuetudine alicujus peccati mortalis, qui devo non corrigunt se, nec ullum dant signum veræ emendationis, secundum Regulam S. Caroli Borromæi*, &c.

Istis accedunt plusquàm centum Sorbonici Doctores, qui ab Illustriss. D. Petro Joanne Francisco, Episcopo sancti Pontii Pomeriarum, consulti super variis propositionibus, ad propositionem vigesimam sextam, cujus Author 1°. *Novatores & Eucharistiæ hostes* appellabat eos qui ab ea graviores peccatores arcebant ad quatuor, sex, &c. menses. 2°. dilationem istam criminabatur *auferre penitùs desiderium, gustum memoriamque divini alimenti, odiosumque reddere illius, & confessionis usum*. 3°. *Communionem ne consuetudinarios quidem, qui diu fecerunt in infamibus enormibusque peccatis, amplius differendam, quàm ad decem vel quindecim dies, imò sæpe nonnisi ad quatuor vel quinque*. Primum dictum redarguunt, velut nimis audax & temerarium, Concilii-sque, 1147 Eliberitano & aliis, imò Ecclesiæ universæ injuriosum: cujus antiqua disciplina fuit peccatoribus magnis absolutionem Communionemque, non solùm ad plures menses, sed & ad plures annos differre. Alia quidem est hodie Ecclesiæ disciplina; sed idem spiritus invariataque regula, Confessariorumque obligatio, in Oraculo isto Salvatoris fundata: *nolite sanctum dare canibus*; sicut & in Apostolico dicto: *probet seipsum homo*, innumerisque SS. Patrum & Conciliorum testimoniis; quæ in hodiernum usque diem differtè commendantur in Ritualibus, dum ibi statuitur, ne Communio, nec absolutio concedatur, nisi iis qui prudenter judicantur præditi dispositionibus ad eam necessariis, sex utique illis, quas Concilium Tridentinum exigit sess. 6. c. 6. utpote sine quibus peccator nequit justificari. Atqui ex iis aliquæ, imò pleræque valdè frequenter desunt confitenti, nec eas acquirere solet nisi tempore notabili.

Et ideò Rituales passim omnes, Ecclesia proin- 1148 de universa, cujus S. Carolo: *Videat* (inquit) *diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio: ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris*, &c. Sunt igitur confitentes, quibus ob indispositionem neganda, sunt quibus differenda est absolutio. Neganda quippe iis est, quorum voluntas ita determinata est ad malum, ut nolint restituere, ignoscere, &c. Differenda verò est iis, quorum necdum plena, vel non satis exploraia est voluntas abjiciendi peccatum, vel proximam peccati occasionem, &c. & ipsis differenda est quoadusque ad plenam & satis exploratam voluntatem pervenerint. *Certum* quippe *est* (ait Cardinalis de Lugo) *quando dilatio ... necessaria est ad explorandum propositum pœnitentis, de quo non satis constat, posse & debere differri absolutionem*. De pœnit. disp. 14. sect. 10. Mutatio verò ista voluntatis in peccatoribus magnis, maximè iis, de quibus in propositione, fieri non solet subitò, sed ad id quandoque necessarium est tempus notabile; nec pravæ consuetudinis violentia uno frangitur ictu, sed multis ad hoc utplurimùm opus est ictibus, conatibus magnis, 1149 diuturnis conflictibus, uti suo nos exemplo docet Augustinus l. 8. Confess. c. 5. & seqq. *Lex enim peccati est violentia consuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam invitus animus, ex merito, quo in eam volens illabitur*.

Non ideò tamen fixa statuenda est regula differendi pœnitentes *ad quatuor vel sex menses, vel integros annos*. Neque enim attendenda est men-

sura temporis, sed doloris ac dispositionis pœnitentis. Ad quam explorandam ordinariè quidem opus est tempore, non in omnibus tamen eodem, sed in nonnullis longiore, in aliis breviore. Et quemadmodùm sunt, quibus necessaria non est quadrimestris probatio; sunt etiam qui post annuam tales sunt, quales erant in principio, vel etiam pejores.

1150 Nec quisquam ad quatuor vel sex menses, vel ad annum sic remittendus est, ut jubeatur non reverti ad confitendum ante elapsum terminum illum; quin salutaribus potiùs monitis & adminiculis juvandus est, & urgendus ut identidem ad Confessionem redeat, usquedum obtinuerit absolutionem. Prudentisque Confessarii est sic ipsum illicò non terrere, ut absolutionem Communionemvè sperare non possit nisi post quatuor vel sex menses; sed absque temporis designatione hortandus est ut ad eam sedulò se disponat, tantò citiùs absolvendus, quantò citiùs se dispositum probaverit.

1151 Secundum quoque dictum intolerabile Sorbona censuit, utpote veteri pariter Ecclesiæ injuriosum, quasi divinæ alimoniæ desiderium gustumque abstulisset, magnos peccatores ad menses & annos à Communione segregando. Quod & hodiedum Episcopi practicant erga peccatores nonnullos, v. g. publicos usurarios, concubinarios, &c. Ipsa potiùs est præcipitata, atque adeò indigna Communio, quæ gustum illius aufert: *Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet pœnitentiam agere*, uti probat Cyprianus in tr. de lapsis.

1152 Tertium dictum Doctores illi censuerunt horrorem incutere, prorsusque alienum esse à doctrina Ecclesiæ, usuque ipsius, nedum antiquo, sed & hodierno erga nonnullos peccatores, ut dictum est. Dictumque illud satis confutatum existimarunt per ea quæ allegat pius doctusque Jesuita, Emericus de Bonis in tr. de Sacram. Altaris, ubi

1153 sic: " Est qui postquam innumera crimina, & " horrenda scelera Sacerdoti patefecerit, perendino, aut tertio die carne & sanguine Christi " refici non timeat. Quod sanè non est permittendum. Quoniam qui habitum peccati contraxit, nonnisi magno nisu resipiscere, magnâque " animi contentione excitare in se salutiferum peccatorum dolorem solet. Quemadmodùm arbor " annosa, non unico ictu dejicitur; nec vas aliquo tetro liquore imbutum, si semel frigidè abluitur, odorem amittit, sed opus est ut diù in " cinere & lixivio ferveſcat. Eâdem quoque agendi ratione erga illos homines utendum est, qui tam sæpè ad sua peccata recurrunt. Subeant, " post expositа expansaque flagitia, pœnarum & laborum genera, quibus sentiant, doleant & " detestentur præteritas culpas. Quod quia ab illis non exigitur, citò suum vomitum resorbent.

1154 " Multi pii prudentesque testantur, innumeros " homines, qui peccatis priùs obstricti erant, " quòd eam rationem tenuissent, dilatâque absolutione sæpiùs ad tribunal, ut animi sui statum " identidem aperirent, illis redire jussissent, impositâ interim delictorum pœnâ, pristinos mores in melius mutavisse, & magno gaudio, magnoque deinceps in virtute progressu infandam peccandi consuetudinem abjecisse.

1155 " Durum equidem & grave primò ipsis videbatur, toties sine absolutione, & piacularibus " pœnis oneratos remitti: verùm multi postea severitatis illius fructum & utilitatem experti, gaudentes, & ut de se optimè meritis gratulantes " redière, futurum fatentes fuisse, nisi ejusmodi austeritate essent cohibiti, laudabiliorem vitam " ut nunquam instituerent. Magno dolore procul dubio, dum Chirurgus humorem pungit, ægrotus afficitur; sed sanatus gratias agit, mercedemque pro beneficio rependit. "

Si Confessarii majorem severitatem adhiberent, multò major frequentiorque pravorum " 1156
hominum emendatio consequeretur; non iis " dem semper criminibus obnoxios homines cerneremus, neque subinde, ut faciunt, Confes- " sarios mutarent, ut aliquem tandem inveniret " mollem, facilemque, qui leves imponat pœnas, " qui sinat ipsos, quoties libuerit, etiam moribus " immutatis, ad Eucharisticam mensam accedere; " quem deinde inventum, tamquam peritissimum " prædicant. Cæteros, qui perversorum morum " institutorumque mutationem exigunt, tamquam " incommodos, scrupulosos," rigoristas," hu- " manæque fragilitati nimiùm duros reprobant. "

Sed miseri illi animarum Rectores non cer- " 1157
nunt, pravos homines in vitiis suis propterea " suâ indulgentiâ detineri, atque in pristina pec- " cata relabi. Medicus qui, ne molestus sit ægroto, vulnus gangrenâ vitiari finit (quod, si va- " lidum unguentum, ignem etiam aut scalpellum " maturè adhibuisset, sanari potuerat) non misericors, sed crudelis haberi debet. Idipsum tam " multis peccatorum reis ob nimiam Confessario- " rum lenitatem & indulgentiam accidit. Offe- " ret sese aliquis, cujus ad expiandas noxas multis diebus jejunia & cilicia essent imponenda " (etiam ante absolutionem, ad impetrandam conversionis gratiam peragenda) " huic semel Rosarii preces," post absolutionem persolvendæ," aut septem Pœnitentiæ Psalmi recitandi imponentur. Et quoniam illæ pœnæ non sunt molestæ, fit ut illi citò suis se rursus criminibus inquinent," & Confessarii illi alienorum criminum (teste Tridentino sess. 14. c. 8.) participes efficiantur. " Quòd si illi ipsi Confessarii rationem Deo de illis hominibus sibi reddendam " esse, etiam atque etiam apud se cogitarent, multò impensiùs sibi cauturos esse existimo. " Terribile namque est, incidere in manus Dei viventis, rationem exacturi de tot animabus nimiâ istâ mollitie perditis.

Testimonium illud Emerici de Bonis prolixiùs 1158
exhibui, quàm à laudatis Doctoribus allegatum fuit. Qui deinde rationem refellunt, quâ Author propositionis 26. suum illud dictum colorare nititur, *ne pœnitentes* (inquit) *majori destituantur præsidio infirmitatis suæ.* " Tametsi ratio ista probabilis esset, si per infirmitatem, peccatum non " intelligeretur mortale, nec affectus ad peccatum (conveniunt quippe Doctores absolutionem, Communionemque notabili tempore non " differendam iis quos Confessarius prudenter judicat affectum non habere ampliùs ad peccatum, sed verè ex toto corde contritos esse.) Sed " de talibus non agit propositio; imò de iis potiùs qui ob inveteratam infamis peccati consuetudinem, violentiam ipsius brevi illo decem vel " quindecim dierum spatio ordinariè exuere non possunt. Tales proinde censendi sunt initium " quidem habere bonæ voluntatis, sed nondum " voluntatem integram & plenam, nondum proinde satis validam & fortem, ad perrumpendam superandamque pravæ illius consuetudinis " violentiam. " Hactenus sapientissimi illi Doctores,

CAPUT CV.

Argumentum nonagesimum quintum.

Ex eo quòd eidem assertioni nostræ, præter Doctores Saculares, suffragentur quamplurimi Regulares spectatæ probitatis, & eruditionis, ex omni Ordine, etiam Societatis Jesu.

Enim-

1159 ENimverò ei suffragantur ex Ordine nostro Stephanus à S. Franciſco Xaverio, Turoniæ Provincialis, doctrinâ, pietate, vitæque Monasticæ zelo eximius, in Exhortationibus Monasticis super Reg. Carm. Exhortat. 62. Daniel à Virgine Maria, Provincialis Belgicæ, in Proœmio Instructionis ad Christianam pœnitentiam, Raymundus Lumbier, Aragoniæ semel & iterùm Provincialis, Regius Concionator, Supremæ Inquisitionis Qualificator, in Universitate Cæsaraugustana S. Theologiæ Doctor & Antecessor primarius, pro Archiepiscopatuque Cæsaraugustano Examinator Synodalis, eruditione clarus, in Theologicis Observationibus suis circa propositiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatas observat. 15. §. 7. Antonius à Porta, vir celeberrimus, in eruditissimo Opere, cui titulus: *Les conduites de la grace sur la conversion des ames pecheresses*, p. 1. verit. 8. discursu 1. 2. & 3. Franciscus à Puero Jesu in Instructione ad ritè suscipiend. Pœnit. Sacram. c. 32. 33. 34. & 35. Et ex parte Andræas à Matre Dei, Carmelitarum nostrorum Discalceatorum Definitor Generalis, Theol. Mor. to. 4. de Relig. tr. 17. de voto & juram. n. 167. & 170.

1160 Deinde ex Carthusianis Florentius Harlemiensis, Prior Carthusiæ Lovaniensis, in via vitæ p. 2. c. 21. Antuerpiæ edita anno 1542.

1161 Ex Ordine Præmonstratensi Havermans in Examine libelli, cui titulus: *Pentalogus Diaphoricus*, &c. Florentius de Cocq in Princip. Theol. to. 3. c. 7. sect. 7. Petrus van Ginderdeuren in Conclusionibus Theol. de Pœnit. conclus. 38. & 39.

1162 Ex Ordine Prædicatorum, præter Albertum Magnum, & S. Thomam, Petrus Soto in additione ad 5. p. Methodi Confess. de Pœnit. Ludovicus Granatensis (à S. Francisco Saliesio tantopere commendatus) to. 2. concion. de temp. conc. 2. Ludovicus Lopez 1. p. Instruct. c. 25. col. antepenult. Bartholom. Medina l. 1. Sum. c. 14. §. 2. & 4. Prado c. 32. q. 8. n. 22. Contenson to. 9. dissert. un. c. 2. specul. 3. Cornelius Mieulet, & Michaël Roupin in Thesibus anno 1683. coram Reverendissimis Episcopis Tornacensi & Atrebatensi defensis. Natalis Alexander Th. Dogm. & Mor. to. 4. c. 6. a. 6. reg. 4. Et c. 7. a. 3. reg. 11.

1163 Ex Seraphico Ordine S. Francisci Nicolaus Divionensis, Capucinorum Lugdunensium Exprovincialis, in suo Pharaone reprobato conc. 17. Hubertus Massart in libello Gallico, cujus inscriptio est, *Remontrance charitable*, anno 1676. typis dato, cum approbatione RR. PP. d'Astroy, & Jacobi, magnaque ex parte Simon Bourguinonus in sua *Praxi Media*, &c. à resolutione 4. & deinceps, & apud ipsum Petrus Marchantius. Dionysius Werlensis in suo *Pseudo-pœnitente converso* cap. 1.

1164 Ex Ordine S. Augustini Christianus Lupus variis in locis, specialiter in approbatione libri Antonii Le Felon, quem inscripsit, *Conversio peccatoris*. Franciscus Farvacques in Thesi cui præsedit 4. Novembris 1688. Antonius Parys in Thesi quam pro adipiscendo Licentiæ gradu defendit 4. Julii 1683. Leonardus Van-Roy Th. Mor. p. 4. tr. 1. de Sacram. Pœnit. c. 5. q. 2.

1165 Ex Societate Jesu S. Franciscus Xaverius argum. 83. laudatus, Bellarminus conc. 8. & 9. in Dom. 4. Advent. Canisius l. 1. de corrup. verb. Dei c. 11. Franciscus Ribera in cap. 2. Joël. ad v. 18. Cornelius à Lapide in c. 2. Osee ad v. 14. junctis iis quæ habet in cap. 3. Malach. ad v. 3. & in cap. 2. epist. Jacobi ad v. 13. Joannes Maldonatus to. 2. de pœnit. c. 2. & 3. Emericus de Bonis in tr. de Sacr. Alt. Julius Cæsar Recupitus tr. 2. de numero prædest. & reprob. c. 6. Azorius 1. p. Instit. Mor. l. 11. c. 3. Paulus Segneri, Theologus Pontificius in Instruct. Confess. c. 4. & in Instruct. pœnit. Claudius la Colombiere, Religiosus exemplaris probitatis, & non mediocris eruditionis in doctrina Sanctorum, to. 3. concionum conc. 63. faventque Lessius in Resol. verbo *Confess.* casu 7. Layman Th. Mor. l. 5. tr. 6. c. 4. Tannerus to. 4. q. 9. disp. 6. n. 112. 119. &c. Henriquez l. 4. c. 18. & 29. Et l. 5. c. 8. Antonius Terillus in Reg. Mor. q. 72. n. 24. ubi dicit, quòd *qui in continuis quodammodò peccatis & relapsibus vitam transigunt, frequentissimè verum est, eorum dolorem non esse sufficientem.*

Pro Carmelitis nostris non absc rit ipsis exhibere verba nonnullorum quos ex Ordine nostro protulimus. Itaque noster Stephanus à S. Franciſco Xaverio, ubi suprà, vel ipsos Religiosos confitentes gallico idiomate sic alloquitur: " Votre contrition doit être efficace, c'est à dire qu'elle " doit enfermer une resolution forte & determinée de mourir plûtôt, que de tomber dans " les mêmes fautes. Il est fort à craindre, que " cette douleur ne nous manque dans plusieurs " de nos Confessions. Les pechez mortels sont " si horribles" (loquitur animabus timoratis) " qu'ils attirent eux-mêmes, par leur laideur, & par " leurs mauvais effets, cette espece de contrition. " Mais les pechez veniels étant plus legers, & ne " nous paroissant pas si épouvantables, ne nous " impriment pas si facilement cette douleur. Et " nos continuelles rechûtes dans les mêmes offenses, dont nous nous accusons toûjours, nous " font un témoignage assez probable, pour ne pas " dire tout-à-fait certain, que nous n'avons pas " cette disposition interieure, quand nous nous " confessons. " 1166

Jugeons, Messieurs, des affaires de notre " 1167
conscience, comme des affaires temporelles; " mais n'est-il pas vrai que quand nous formons " un dessein absolu de faire une chose, qui est " en notre pouvoir, nous la faisons, & que si un " homme nous avoit dit souvent qu'il voudroit " faire une chose, & qu'il ne la fit point, il passeroit dans les esprits pour un menteur, ou pour " n'être pas raisonnable? Que dirons-nous d'un " Religieux, qui se confesse deux ou trois fois la " semaine, & toûjours des mêmes fautes? Qu'en " pouvons-nous dire, sinon que sa contrition est " fausse, que sa penitence est vaine, qu'elle est " illusoire, qu'elle n'est qu'apparente? " Si sic ipse censuit de pœnitentia venialium, quantò magis de simili pœnitentia mortalium?) " Je m'accuse, dit-il, d'avoir rompu le silence, de n'avoir " pas assisté à quelques heures de l'Office, d'avoir manqué à mon oraison, de ne m'être pas " retiré en notre cellule, d'avoir censuré interieurement la conduite de mes Superieurs, & " d'en avoir murmuré exterieurement, d'avoir " repliqué quand ils m'ont commandé quelque " chose, & de n'avoir obéi qu'avec chagrin, " d'avoir mal parlé de mon prochain, d'avoir " agi par humeur, & par inclination, plûtôt que " par des motifs surnaturels, de n'avoir pas eu " de fidelité d'offrir mes actions à Dieu. Mais, " mon Pere, vous accusez-vous souvent de toutes " ces fautes? Il répond qu'il s'en accuse ordinairement en toutes ses confessions. Mais vous " en accusez-vous toûjours avec douleur? Vous " en accusez-vous toûjours avec une ferme resolution de ne les plus commettre? Oüi. Je n'en " crois rien: si vous en aviez une veritable contrition, vous n'y retomberiez pas si également. "

Il en est de la contrition, comme de la foi. " 1168
Il la faut montrer par ses œuvres. Vous avez " la voix de Jacob, mais vous n'en avez pas les " mains; vous n'en avez pas aussi le cœur. Votre penitence, pour parler avec S. Chrysostome, "

" n'eſt qu'une penitence de Theatre; un Acteur " qui fait le Roi, qui porte la pourpre, le ſcep- " tre, & la couronne. Mais quoi qu'il ait ces ap- " parences de la dignité royale, il n'en a pas la " verité. Ainſi, quoi que vous parliez comme " font les penitens, vous n'avez pas neanmoins " la verité de la penitence. Votre cœur n'eſt point " touché: votre cœur n'eſt point changé: votre " cœur n'eſt point converti. Vous faites l'Acteur: " vous repreſentez ce que vous n'êtes pas.

1169 " Je ſçai bien, Meſſieurs, que nous recou- " rons à nos foibleſſes: nous rejettons nos fautes " ſur l'occaſion, & ſur la tentation. Nous di- " ſons que nous avons une bonne volonté de nous " corriger, dans le temps que nous nous confeſ- " ſons: mais qu'aprés nous ſommes emportez " par les differens objets, qui ſe preſentent à nous. " Mais eſt-ce là une excuſe, qui nous puiſſe dé- " fendre? Ah! ſi nous avions une forte reſolu- " tion de ne pas retomber dans nos pechez, " nous prendrions d'autres précautions, pour " nous ſoûtenir. Nous n'avons pas cette incon- " ſtance pour les choſes de la terre. Nous ne l'a- " vons que pour les interêts de notre ſalut. Mais " qu'arrivera-t-il de ces confeſſions? Je ne veux " pas trop penetrer en ce qui ſe paſſe dans votre " interieur: j'en laiſſe à Dieu le jugement. Je " vous prie neanmoins de me permettre de vous " dire, que j'en crains beaucoup les effets. Je " crains pour pluſieurs Religieux, qui ſont toû- " jours les mêmes, que leurs confeſſions ne " ſoient des ſacrileges, & qu'en confeſſant des " pechez veniels, ils ne commettent des pechez " mortels. Je crains qu'ils n'apportent à ce tribu- " nal, non ſeulement des volontez flottantes, & " comme indifferentes & inſenſibles à leurs " maux, mais même des volontez attachées à " leurs deſordres, & à toutes les occaſions qui " les entretiennent: & ainſi que quand le Prê- " tre viſible leur dit, *je vous abſous*; le Prêtre " inviſible ne leur diſe, *je vous condamne*. Je " crains que Jeſus Chriſt ne deſavoüe ſon Lieu- " tenant. Je crains que le Maître ne porte une " ſentence contraire à celle de ſon ſerviteur.

1170 " Noſtri verò Danielis à Virgine Maria hæc ſunt verba: " Quis credere poterit verè te ſuper pec- " catis tuis conteri, eorum te pœnitere, eis te " ex corde toto renuntiare, ea cavendi firmum " te habere propoſitum, te malle amittere omnia bona, & honorem, & omnes pœnas ſuſtinere (quod totum ſimul requirit vera contritio) quàm ad ea reverti; & quòd brevi ea reiteres? Hoccine eſt verè conteri? Profectò non arbitror. Quis enim te dicet cujuſpiam pœnitere, quod illicò poſt iterùm perpetras? Nolim tamen negare, aliquem verâ, & eâ quâ oportet contritione, ſua peccata confeſſum, fragilitate humanâ iterùm in eadem poſſe relabi. At dico, dum quis ſæpè, ac fermè ſemper de iiſdem ſe accuſans, illicò poſt iterùm ad ea revertitur, id eſſe admodùm veriſimile ſignum, non veram ac debitam, cum firmo emendationis propoſito, ejus fuiſſe contritionem.... Sanguineis lachrymis deplorandum eſt, id eſſe multis Chriſtianis commune malum, qui, confeſſione factâ, brevi iterùm ad eundem vivendi morem redeunt, ut canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti. Fit iſtud, quia non verè eos peccatorum ſuorum pœnitet, aut non firmiter ea emendare proponunt.... Ore peccata ſua accuſant..... ſed non corde. Non enim ex corde eis renuntiant, aut non verè & debitè (id eſt ex toto corde) ea proponunt cavere.

1171 Similiter loquitur Franciſcus à Puero Jeſu, meus quondam in ſpiritualibus Magiſter, dum Philoſophiæ ſtuderem in Carmelo noſtro Gandavenſi: " Exprimi (inquit) non poſſunt abuſus, " cæcitates & ſacrilegia, quæ hâc tempeſtate in " Sacramento Pœnitentiæ committuntur. Eò ven- " tum eſt, utplurimi comperiantur, qui ſatis eſſe " arbitrantur, peccata ſua confiteri, non emen- " dando vitam ſuam, neque peccata verè & ſeriò " deſerendo, aut pœnitentiam agendo, fallentes " ſeipſos, credenteſque quòd per ejuſmodi Con- " feſſiones à Deo peccatorum ſuorum remiſſio- " nem conſequantur. Diſcurrunt à Confeſſario " ad Confeſſarium, quærentes alicubi quempiam, " qui ne verbum quidem profert, quique exiguam " imponit pœnitentiam. Si in Confeſſarium inci- " dant, qui veritatem ipſis edicit, rectamque & " medicinalem pœnitentiam imponit, illum am- " pliùs non accedent. Sed animum hîc advertite: " è quo ſpiritu & fundo id proficiſcitur? Quæ eſt " ratio? Alia præter hanc nulla, quia latente af- " fectu quodam adhuc manent affixi peccatis ſuis, " nec ipſorum converſio è meditullio cordis pro- " venit, nec ipſos verè pœnitet, nec abſolutum " firmumque propoſitum habent vitam reverà mu- " tandi, deſerendique peccata ſua. Talium " (in- quit c. 34.)" abſolutio nullius eſt valoris. Et qui hunc in modum agit, ſacrilegium committit. " Pœnitentes (ait c. 32.) in mortale lapſi, de- " bent tempus vacuum & opportunum otium ſi- " bi comparare, illudque impendere, ut ſe ad " Confeſſionem ritè præparent, ut verum dolo- " rem in ſe eliciant, & ſeriò ſe accingant orationi. " Alioquin nunquam obtinebunt neceſſariam ad " confitendum diſpoſitionem."

Et rurſus cap. 34. " Non ſolùm ſacrilegium 1172
committit Confeſſarius, qui peccatori impara " to abſolutionem impendit.... ſed & præterea in " dolum adducit animas inſciorum hominum, " qui, proh dolor! ſatis eſſe autumant peccata " confiteri, & percipere abſolutionem. Verùm, " inquies, meliora ſperant, & perſuaſum habent, " illos jam ritè diſpoſitos eſſe. " Reſpondetur, quòd Confeſſarium oporteat eſſe virum ſapien- tem, prudentem & peritum, gnarum proinde, quòd " dum peccator in malo radices egit, dum frequenter in peccata relabitur, &c. conſequen- " ter verum non habeat dolorem, nec firmum " propoſitum à peccatis ſe continendi. Et quam- " vis (ut ſuprà) fieri poſſit, ut peccator poſt ſe- " riam pœnitentiam relabatur; dum equidem re- " labitur, præſumptio eſt contra ipſum. Eſto e- " tiam Confeſſarius non careat ratione ſecùs ſpe- " randi; attamen in dubio minimè licet S. Sa- " cramentum periculo nullitatis & profanationis " exponere. "

In benè diſcernenda interna pœnitentium diſ- 1173
poſitione, " omnis difficultas poſita eſt. Eſtque " res iſta tanti momenti (teſte S. Carolo Borro- " mæo) ut à ritè adminiſtrando Pœnitentiæ Sa- " cramento dependeat inordinationum & abu- " ſuum omnium exterminatio, ſcelerum emen- " da, ſanctæ Eccleſiæ bonum, omnium denique " animarum ſalus. Atque à defectu illius origi- " nem ducunt omnia peccata; & propterea inor- " dinationum, abuſuum, & peccatorum omnium, " quæ in Chriſtianiſmo perpetrantur, non medio- " crem cauſam, ſaltem ex parte, præbent Con- " feſſarii, quòd officio ſuo, ut oportet, non fun- " gantur. "

Eòque (quod ſanguineis lachrymis deploran- 1174
dum eſt) jam deventum eſt (inquit c. 35.) quòd " pœnitentes " videantur velle ex Sacramento Pœ- " nitentiæ facere dumtaxat Sacramentum Con- " feſſionis. Unuſquiſque enim confiteri quidem " deſiderat, ſed pars maxima renuit veram agere " pœnitentiam, & peccata ſua piis ſatisfactionum " operibus delere: quod arguit illorum converſio-

nem

" nem, doloremque non esse sincera. Etenim si
" interna illorum pœnitentia foret vera.... fieri
" non posset, quin pœnitentia interna externè
" prorumperet in opera ; quemadmodùm fieri
" nequit, ut arboris radix vivida sit, & tempore
" suo nec fructus, nec folia proferat. Hinc colli-
" gendum, quòd languor, quem hodie videre
" est in parte longè maxima Christianorum, ne
" verbum quidem correptionis, nec asperitatem
" ullam pro enormibus peccatis suis sustinentium,
" non derivetur è naturali corporis agritudine,
" verùm è deficiente spiritu pœnitentiæ..... Et
" quia affectu suis adhuc peccatis latenter alli-
" gantur, & adhærescunt, eapropter semper reci-
" dunt, eademque (absque sincera illorum re-
" nuntiatione, & emenda) confitentur peccata.
" Sicque in peccatis suis semper perseverant, con-
" trahentesque inveteratam mali consuetudinem,
" sanari nequeunt.

1175 " Hinc Confessarii plerique, languorem istum
" considerantes, veriti ne congruam pœnitentiam
" non explerent," blandulè illos habent, exilemque
" pœnitentiam injungunt, rati melius esse illos
" exigua cum pœnitentia ad purgatorium mitte-
" re, quàm cum magna (quam adimpleturi non
" essent) ad infernum. Atque eo pacto videmus,
" quòd hujusmodi peccatores in sua hærescant
" peccandi libertate, vitæque dissolutione. Obdu-
" rescunt itaque, & impudentiores evadunt, quàm
" Gentiles. Est proinde quòd hujusmodi Confes-
" sarii sibi caveant, ne alienorum (uti monet Tri-
" dentinum) peccatorum participes efficiantur.

1176 " Quàm frequentes numerare est Confessa-
" rios, quorum ista est in extremis vitæ querela,
" dum conscientiæ remorsu & angore torquentur,
" supremo Judici omnium, quas audierunt, con-
" fessionum jam jam reddituri sunt rationem ;
" ideòque pertimescunt se ob aliena damnandos
" peccata, quorum coram Deo fortasse participes
" facti sunt. Quippe confessiones excipere, Dei-
" que vices in dijudicandis inscrutabilibus homi-
" num conscientiis agere, res est formidine &
" periculo plena. Hoc est quod non paucos haud
" modicæ eruditionis, bonæque conscientiæ viros
" ab excipiendis deterret confessionibus, ob mag-
" num artis illius periculum. Nam quia pars ma-
" xima venientium ad confessionem ritè non sunt
" dispositi, ob defectum contritionis, firmique
" propositi emendationis, idcircò metuunt, ne in-
" dispositos absolvant. " Hactenùs Religiosus ille piissimus, virtuteque, zelo, atque exemplari vitâ clarissimus.

CAPUT CVI.

Argumentum nonagesimum sextum.

Ex eo quòd eandem assertionem nostram tradant illustriores Concionatores, Ascetique Scriptores omnes, vel ferè omnes.

1177 MAgnum veritatis argumentum est communis Sapientum consensio ; siquidem *communis consensio videtur mihi naturæ vox*, ait Philosophus 1. Topic. *Quodque omnes, aut quamplures sentiunt, id falsum esse non est putandum.* Idem in lib. de divin. per somnia. Denique *quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Tertullianus lib. de præscript. c. 28. Communis igitur consensus illustriorum verbi Dei Præconum, Scriptorumque Asceticorum cum tot sapientissimis Theologis suprà laudatis, cumque Sanctis passim omnibus, antiquis & novissimis, quorum etiam in superioribus testimonia exhibita sunt, magnum profectò est assertæ veritatis argumentum.

1178 Illustriores porrò Concionatores passim omnes assertioni nostræ consentire pronum esset demonstrare, verbatim adductis eorum testimoniis, pro assertione nostra expressissimis. Sed quia hoc nimis prolixum foret, designare sufficiet loca, in quibus ea facilè quisque reperiet. Videri ergo possunt Franciscus Labata in Magno suo Concion. Apparatu to. 2. verbo *recidivatio.* Antonius Caignet, S. Theol. Doctor, in Anno suo Pastorali p. 2. conc. in Domin. 3. Quadrag. Joannes le Jeune, corpore cæcus, sed mente illuminatissimus, Missionarius verè Apostolicus, in administrando Pœnitentiæ Sacramento exercitatissimus (qui innumeras Deo lucrifecit animas) in suo Oratorii Missionario, seu Concionibus in Adventum & Quadragesimam p. 1. in præliminaribus monitis ad Curatos juniores. Et ibidem conc. 10. Jacobus Biroat, S. Theol. Doctor, Consiliarius & Concionator Regius, Ordinis Cluniacensis, to. 1. Concion. in Quadrag. conc. in fer. 2. post Domin. 3. Quadrag. Nicolaus Divionensis in suo Pharaone reprobato conc. 17. Claudius de la Colombiere to. 3. conc. 63. Volpiliere, S. Theol. Doctor, to. 1. conc. 19. Et passim alii.

Scriptores quoque Ascetici eidem assertioni no- 1179
stræ calculum suum passim adjicere, constat ex Thoma Cantipratano, & Ludovico Granatensi proximè legendis, Florentio Harlemiensi, Carthusiano, in l. inscripto, *Via vitæ*, sive *Liber spiritualis, instruens quomodo Christianus*, &c. Paulo Zehentner in promontorio malæ spei §. 1. Authore libri, *Discours de pieté*, serm. 17. in Octav. Corp. Christi, Platelio in libello, cui titulus, *Revûe de l'homme interieur*, c. 5. §. 6. Haynceufe, Noüet, Crasset, le Maître, &c. in suis Meditationibus, dum de recidivis agunt. Infinitos alios omitto.

CAPUT CVII.

Argumentum nonagesimum septimum.

Specialiter ex Cantipratano, & Ludovico Granatensi.

THomas Cantiprat., Episcopi Camerac. Suf- 1180
fraganeus, l. 2. de Apibus c. 30. §. 9. suo exemplo declarat, Confessarios difficiles esse debere in absolutione consuetudinariis impartienda. Refert namque peccatorem ad se cum Pastore suo venisse, ut à peccatis absolveretur, maximè à peccato mollitiei, quâ se fœdè polluere solitus erat. Sed quòd difficulter adduci potuerit, ad ipsum absolutione donandum : eò quòd aliàs à similibus pollutionibus ipsum non semel absolvisset, impositâ pœnitentiâ salutari ; & nihilominùs recidisset. Quòd tamen victus importunis precibus Pastoris, ipsum absolverit, hâc conditione, acceptatâ à peccatore, quòd si rursum relaberetur, divina ipsum justitia mox puniret. Sic absolutus, statim ad vomitum rediit ; sed divinæ justitiæ illicò vindictam sensit, auditus ingeminasse, *vindicta Dei super me, vindicta Dei super me.* Quibus in verbis, infelicem animam in manus dæmonis exspuit. *Quem* (inquit) *cùm ad Diœcesanum Episcopum mittere vellem, quasi gravius affligendum, à Sacerdote rogatus sum, ut tali conditione absolverem pœnitentem, ut flexis genibus coram nobis rogaret Dominum, ut si postmodùm recidivaret in scelere, eum mox vindicta divina puniret. Consensi ego conditioni ; & heu mihi misero quòd consensi ! Mox ille flexit genua, vindictam in se recidivantem precatus est. Absolvi eum* (auditis quàm difficulter) *recessit gaudens. Sed feriâ 3. post sanctum Pascha, instigante diabolo passus est recidivam ; moxque horrificè clamans, vindicta Dei super me, vindicta Dei super me* (*ut mihi postea Sacerdos retulit*) *amarissimâ morte mulctatus est.*

1181 Quid verò Ludovicus Granatensis? L. 1. Ducis peccator 3. p. c. 25. ostendit difficilem esse peccatorum conversionem, difficultatemque illius nasci, *non ex impedimentis & occupationibus, quas illi imaginantur; sed ex malo habitu, & corrupta perversæ consuetudinis vitæ nequiter anteactæ, quam mutare, mors quædam esse videtur, ut dici solet.... Proficiscitur etiam hæc difficultas ex parte dæmonis, qui peculiare quoddam imperium habet in anima, peccato mortali obnoxia.... Nascitur etiam ex eo quòd Deus procul abest ab anima, turpitudine peccati immunda.... Procedit denique.... ex corruptione potentiarum animæ nostræ, quæ graviter perturbantur, & corrumpuntur per peccatum, licèt non in seipsis, in suis tamen operationibus & effectibus.* Cap. 26. *Video te vix ab infirmitate convaluisse, & vix è lecto surrexisse, cùm statim ad primum vitæ genus recurris, & revocas omne id, quod (quamdiù infirmabaris) proposueras. Quare tibi considerandum relinquo, quid de tua pœnitentia censeam*; idem utique quod de pœnitentia nautarum, qui gravissimâ tempestate jactati, à Deo veniam petunt, miraque promittunt; sed cessante tempestate, protinùs ad solita redeunt, promissorumque obliviscuntur. Hinc in Memoriali vitæ Christianæ, p. 2. in Prologo: *Malorum* (inquit) *omnium, hodie grassantium, maximè deplorandum, seu deplorandus est modus, quo plerique hodie Christiani tempore ab Ecclesiastatuto confitentur: si enim personas quasdam pias & timoratas excipias, quæ in animarum suarum vigilant custodia, videre est tam modicam in cæteris omnibus præparationem, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum absque dolore, dignoque conscientiarum suarum examine accedant. Unde fit, quòd citò post Confessionem Communionemque ad pristinas redeant dissolutiones.* Talibus applicat illud Hierem. 3. *Non est reversa ad me in toto corde suo, sed in mendacio.*

1182 To. 2. concion. de temp. conc. 2. posteaquam ostendit, dari veras & falsas pœnitentias, sicut veras & falsas religiones, veram & fictam humilitatem, fictamque eorum esse pœnitentiam, de quibus Ps. 77. *& dilexerunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.* " Hæc (inquit) falsa pœnitentia „ erat, quia cùm foris pœnitentiæ imaginem ver„ bis præ se ferret, intùs tamen à veræ pœniten„ tiæ ratione abhorrebat. De qua item Dominus „ per Prophetam conqueritur, cùm ait: *& non est „ reversa ad me in toto corde suo, sed in mendacio.* „ *Mendacium* autem hujusmodi conversionem „ vocat, vel quia pœnitentis animi speciem im„ probus homo præ se fert, " sed in corde veritatem ejus non habet. " Vel certè quia mentitur, „ cùm non implet quod promisit, quando à pec„ catis, quæ se damnare ac detestari professus est, „ non recedit." Post hæc (inquam) sic prosequitur: " talis eorum pœnitentia esse videtur, qui „ ubi primùm scelera sua hoc tempore confessi „ fuerint, in eadem protinùs relabuntur; neque „ de prava consuetudine, & licentia jurandi, pe„ jerandi, mentiendi, detrahendi, maledicendi, „ malè precandi, atque concupiscendi, quidquam „ remittunt, nec ullum virtutis ac pietatis offi„ cium amplectuntur; sed iidem omninò perma„ nent, qui antè fuerant. Quos verisimile est Sa„ cramenti virtutem & gratiam minimè percepis„ se. " Quod pluribus deinde probat argumentis.

CAPUT CVIII.

Argumentum nonagesimum octavum.

Ex eo quòd prudentia Confessario non permittat fidem adhibere consuetudinariis, ac recidivis, se toto corde contritos asserentibus, quamdiù se non emendant.

RAtio est quia ex tot authoritatibus, quas attu- 1183
limus, illud ut minùs conficitur, relapsum, saltem citum & facilem in gravia crimina, justum Confessario timorem incutere debere, ne falsa, vel certè non plena fuerit præcedens recidivorum pœnitentia, & ne verba, quæ ab ipsis dantur in confessione sequenti, majori fide digna non sint, nec promissa fideliùs exequenda. In istis ergo circumstantiis prudentiæ dictamen est, præcipitandam non esse absolutionem, sed differendam, ne fortè detur peccatori ad eam non satis disposito. Enimverò prudentia Christiana dictat, nos non minorem adhibere debere cautelam circa res Dei, quàm filii sæculi hujus adhibent circa res mundi; quos certè videmus facilè non fidere homini ea in re, in qua ipsos fefellit. Nec nos ipsi faciè credimus homini ea in re, in qua fidem nobis non servavit. Si bis verba data fefellerit, non credemus tertiò, absque cautione sufficienti, quæ nos securos faciat, nisi cogat gravis causa. Christiana ergo prudentia non permittit divinam ei substantiam, pretiosum utique Christi sanguinem credere, cui terrenam substantiam non crederemus. Hoc enim à prudentia Christiana abhorrere censet Tertullianus de Bapt. c. 18. dum *cautiùs agitur in sæcularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur.*

Confirmatur 1°. in nullo alio negotio fide dignus est, qui fidem sæpiùs fefellit, nisi extraordinaria det suæ sinceritatis argumenta. Neque enim sine illis fide digna est uxor quæ marito datam sæpè violavit fidem de non adulterando. Nec famulus qui hero suo denuò dat fidem de non furando, quam sæpiùs antè dedit, & fregit. Nec injuriator qui de novo dat fidem de non injuriando, quam jam sæpiùs dedit, & fefellit. Ergo nec fide dignus est peccator, qui de novo dat Confessario fidem de relapsu cavendo, quam jam sæpiùs dedit, & non servavit. 1184

Respondent quidam Juniores, Deum esse magis misericordem quàm homines. Verum est, infinitè Deus est magis misericors. Sed numquid ideò quia Deus infinitè magis est misericors, quàm homo, peccator, qui Deo & Confessario sæpè violat fidem de relapsu cavendo, fide magis dignus est, quàm injuriator ille, famulus, uxor, &c.? Quæ est consequentia ista: *Deus magis misericors est, quàm homo. Ergo peccator, qui sæpè Deo & Confessario fidem dat, & nunquam servat, fide magis dignus est, quam homo, quocumque alio in negotio sæpè fidem homini dans, & nunquam servans?* Ex hoc quòd Deus infinitè magis misericors sit, quàm homo, sequitur quidem, quòd Deus infinitè pronior sit ad parcendum verè conversis, quàm homo. Non sequitur autem quòd peccator in verbo suo magis credendus sit, sive fidem de cavendo relapsu sæpè violatam magis servaturus, quàm dicta uxor, famulus, injuriator, &c. Ad rem proinde nihil penitùs facit major Dei misericordia, quàm hominis. 1185

Confirmatur 2°. in admissione Novitiorum ad professionem, prudentia non permittit vocem habentibus, fidem adhibere Novitio, notabilis in Regulam prævaricationis reo, sæpiùs relapso, qui de emendatione fidem sæpiùs dedit, & nunquam servavit; foretque valdè imprudentes, qui talem inemendatum admitteret. Similiter ergo in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, prudentia non permittit illius Sacramenti Ministris, fidem adhibere legis divinæ prævaricatoribus, sæpè relapsis, qui de emendatione fidem sæpiùs dederunt, & nunquam servarunt; forentque valdè imprudentes, qui tales inemendatos absolutione donarent. Neque enim prudentia magis ipsis permittit exponere se periculo administrandi Sacramentum indignis; quàm exponere se periculo admittendi 1186

ad Religionem indignos, nimiâ facilitate credendi, dictis in circumstantiis.

1187 Confirmatur tertiò, quia certum est prudentiam non permittere Confessario fidem habere peccatori de contritione sua testimonium ferenti, dum morale est periculum, ne peccator eo in testimonio non solùm decipiat Confessarium, sed & seipsum. Neque enim prudentia ipsi permittit exponere se morali periculo deceptionis, in re tanti momenti, in qua utique periculum illud deceptionis conjunctum habet periculum irreverentiæ & nullitatis Sacramenti. Atqui morale est periculum, ne peccator eo in testimonio Confessarium decipiat, vel à seipso ipse decipiatur, maximè dum peccator vel consuetudinarius est, vel post ejusmodi testimonium sæpiùs, citò, & facilè relapsus, & hactenùs inemendatus. 1°. quia, ut sapienter advertit Eminentissimus Denhoffius §. 11. nesciunt plerique peccatores quid prorsus requiratur ad contritionem supernaturalem, etiam imperfectam, quòd utique in tantum immutare debeat totum hominem interiorem exteriorem-que, ut ex toto corde jam amet, quod antè oderat, & ex toto corde odio habeat, quod antè amabat. 2°. etiam dato quòd id scirent, nulli in dispositione cordis sui discernenda magis cæci sunt, quàm magni peccatores, præsertim consuetudinarii, & recidivi; cùm consuetudo & frequens relapsus mirum in modum excæcet: nulli proinde facilius seducunt seipsos. 3°. S. Gregorius l. 20. Moral. c. 15. dicit, quòd *hoc plerùmque humanus animus habet proprium, quod mox ut in culpam labitur, à sui adhuc longiùs cognitione separetur. Quia dum lux veritatis habita negligitur, permittit justus Judex, ut nec amissa requiratur.* Quomodò ergo morale periculum non est, ne, dum ex toto se corde contritum asserit, nec decipiat, nec decipiatur, maximè si consuetudinarius, vel in graviorem culpam non semel dum-taxat, sed sæpiùs lapsus & relapsus sit, ideòque, juxta S. Gregorium, à sui cognitione longius separatus, magisque excæcatus? Quomodò tunc morale periculum non est, ne dum se toto corde contritum asserit, *mentiatur iniquitas sibi*, juxta oraculum Spiritûs sancti? Profectò si *sæpè de se sibi mens ipsa mentitur* (prout idem Gregorius testatur) hoc maximè verum est in consuetudinariis & recidivis nostris. In quibus consequenter maximè verum est, quod laudatus Eminentissimus loco citato ait, *statuendum esse tanquam exploratum, manifestumque, solum ipsius confitentis de suo dolore & animi proposito testimonium non esse satis. Quoniam cùm ipse accusator sit, idemque reus, testimonium ejus in propria causa suspectum haberi debet. Si Sacerdoti, qui fungitur officio Judicis, aliunde sufficientibus indiciis (licèt non manifestis) appareat rem secùs habere, vel certè de veritate multùm dubitet.* 4°. prudentia non permittit credere signis æquè vel magis suspectis de falsitate, ac de veritate. Tale verò est testimonium consuetudinariorum, recidivorumque de sua ex toto corde contritione, quam dum non probant nisi per signa hactenùs fallaciter præstita; humana præsumptio est, quòd dum alia modò signa non exhibent, quàm illis omninò similia, signa præsentia æquè fallacia sint, seu de falsitate æquè suspecta, quàm præterita: cùm ex præteritis rationabilis sit conjectura de præsentibus omninò similibus. 5°. Confessarius prudenter credere non potest verbali testimonio eorum, qui sæpiùs admoniti in confessione, ut præcipua fidei mysteria, aliaque saluti necessaria addiscerent, sæpiùs id promiserunt, sed semper ex salutis incuria neglexerunt. Nec eorum, qui proximam mortaliter peccandi occasionem se desertu-ros sæpiùs pollicti sunt, nec tamen deseruerunt. Nec usurariorum, aliorumque injustorum detentorum rei alienæ, qui eam restituere sæpiùs spoponderunt, & non restituerunt, cùm possent. Nec debitorum, qui sæpè protestati sunt, debita sese soluturos, nec solverunt, cùm essent solvendo. Nec inimicitias gerentium, qui sæpè promiserunt, quòd se cum inimicis reconciliarent, nec fecerunt. Nec peccantium ex habitu, qui frequenter fidem dederunt, se seriò allaboraturos vitiosis habitibus suis eradicandis, & prorsus neglexerunt. Talibus (inquam) Confessarius prudenter non credit, nec absolutionem impendit, absque cautione operum, etiamsi ratio manifesta non appareat in contrarium, uti docent Concilia, cumque ipsis S. Thomas Villanovanus, S. Carolus Borromæus, S. Franciscus Xaverius, S. Franciscus Salesius, postèa referendi. Et quoad usurarios concinit Doctor Angelicus opusc. 42. (aliàs 73.) de usuris, edit. Paris. Qui etiam hæreticis post relapsum in hæresim, secundò revertentibus, tametsi verè se reverti asserentibus, 2. 2. q. 11. a. 4. ad 1. credi non vult. Quia, inquit, *Ecclesia..... præsumit eos non verè reverti.* Similiter ergo consuetudinarios, & recidivos, toto se corde contritos asserentibus, qui sæpiùs emendationem pollicti sunt, nec se tamen emendarunt, Confessarius, absque cautione operum, prudenter non credit, nec absolutionem impendit, etiamsi ratio manifesta non appareat in oppositum.

CAPUT CIX.

Argumentum nonagesimum nonum.

Ex eo quòd id non solùm sit contra regulas prudentiæ, sed & contra zelum, & curam salutis peccatorum illorum.

QUia scilicet vehementer obest ipsorum saluti, quòd eorum verbis & promissis, absque cautione operum, facilè credatur. Dum enim ipsi in Confessarios incidunt facilè credentes, facilèque proinde absolventes; istâ facilitate seducti, non satagunt veræ plenæque conversionis gratiam à Domino magnis orationibus, & pœnitentiæ operibus, prout oportet, impetrare. Et propterea nec plenè convertuntur, nec peccatorum remissionem consequuntur, nec emendantur, sed in solitis criminibus vivere pergunt: & sicut in illis vivunt, sic & moriuntur, & in æternum percunt. Ut proinde de talibus Confessariis meritò Cyprianus dixerit, quòd *hoc sunt lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas... Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit; nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem .. per quam subtilis inimicus, impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, & dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, & comprimatur peccatorum gemitus*, &c. 1188

CAPUT CX.

Argumentum centesimum.

Ex eo quòd id pariter sit contra religionem Sacramenti Pœnitentiæ.

UTpote quæ non permittit citra necessitatem eos absolvere, quorum indispositio, tametsi non manifesta, est tamen valdè probabilis, vel saltem dubia. Cùm scriptum sit, *Nolite margaritas spargere ante porcos*; nec Sacramenti religio permittat, ipsum absque necessitate exponere periculo frustrati valoris, & effectûs. Atqui peccatorum illorum indispositio, si certa non sit & ma- 1189

nifesta, valdè probabilis est, vel saltem dispositio, seu plena conversio dubia. Est enim justus & valdè rationabilis timor, ne conversio, seu contritio, vel non sit in voluntate, sed in sola cogitatione, vel solùm in cordis superficie, non in intimo corde, nec cum plena, sed cum semiplena ad summum, & semisaucia non reincidendi voluntate, prout argumenta superiora demonstrant.

1190 Videri potest Epist. Pastoralis Illustr. D. Episc. Catalaunensis, ad suæ Diœcesis Confessarios, data anno 1672. in qua sic: *Repetam hic quam possum fortissimè, quod toties antè dixi, nullatenus concedendam esse peccatoribus inveteratis temerariam & præcipitatam absolutionem; at multum spatii relinquendum medicandis vetustis illorum plagis; nec posse nos aliter agere, nisi omninò neglectum velimus illorum salutem, neglecta principia Religionis maximè inviolabilia, cum aperto verum sanctissimarum abusu. Quid enim aliud, quàm illas indignissimè tractant, & pudendæ profanationi Sacramentum exponunt, qui hoc conferunt personis tam malè dispositis, ut sunt peccatores inveterati* (sicut & consuetudinarii, citòque & facilè relabentes) *& sanguinem Jesu Christi concredunt fallaci illorum verbo, cui nec minimam rem temporalem tutò crederemus? Quo jure licet illis, qui pro tribunali adeò formidabili sedent, ut ibi non hominis exerceant judicium, sed Domini, absolvere criminosos, qui semper in criminibus suis hærent? Quibus, juxta sanctos Patres, ludus est communio pacis? Qui perpetuum faciunt pœnitentiæ & relapsûs in peccata circulum, & qui consequenter in se ipsis jugiter circumferunt sententiam supremi Judicis: Non in vanum potestatem ligandi æquè ac solvendi nobis concessit Deus. Hanc autem dispensatam oportet, non quomodolibet; at juxta ejus voluntatem, quæ est (teste Gregorio) ut Confessarius perquirat motus gratiæ divinæ in animabus, & neminem absolvat in terra, nisi quem per veram Deus compunctionem visitat, & quem in cœlo suâ reconciliatione & pace dignum judicat. Eapropter omninò necesse est, ut in eis sit verus & supernaturalis conversionis motus, qui includat dolorem ac detestationem omnium criminum commissorum, & sincerum propositum.... An autem dici potest dolorem de præterito, & propositum de futuro esse verum, ac plenum, dum pœnitens se non emendat; at semper, ut canis ad vomitum, ad priora sua vitia revertitur? In confesso est quòd Confessarius non possit ei credere, sine maxima imprudentia, & certo profanationis periculo. Hoc ut evitet, miseris his pœnitentibus absolutionem differat, & per bona illorum opera aliquamdiù (ex præscripto Evangelis) experiatur, bonane & firma sit eorum voluntas, donec explorando noscat vera fuisse promissa ex mutatione vitæ, exercitiis virtutum contrariarum, & ex constanti usurpatione mediorum, quibus pravi habitus vinci queant.... Siqui adhuc sunt Confessarii, qui contrariâ utuntur praxi, non aspiciantur ut lex, aut exemplum; sed caveantur ut abusus summè perniciosus, maximèque contrarius spiritui Ecclesiæ.* Similia habet Illustrissimus D. Forbinus de Janson, Episcopus Dinensis (modò Eminentissimus S. R. E. Cardinalis) in Epist. Pastor. anni 1660.

CAPUT CXI.

Argumentum centesimum primum.

Ex eo quòd insuper sit contra officium boni Judicis, Medici, & Doctoris, quod Confessarius gerit.

1191 Ratio est, quia Judicis est secundùm judicii regulas judicare; Medici secundùm regulas medicinæ; Doctoris secundùm regulas doctrinæ. Judicis proinde est secundùm judicii regulas discernere, an causa satis instructa sit ad judicium ferendum. Medici, an æger, secundùm medicinæ regulas, dispositus sit ad medicinam ipsi cum fructu applicandam. Doctoris, an ista vel illa doctrina bona sit, & conveniens discipulo, &c. Nec in istis Judex credere debet reo, Medicus ægro, nec Doctor discipulo. Alias rerum invertitur ordo, secundùm quem testimonium rei in propria causa quoad hoc debet esse suspectum, nec Judex submittere se debet judicio rei; sed reus judicio Judicis. Judex quidem sacramentalis à reo (utpote suisipsius accusatore) discere debet quid fecerit, & non fecerit; nec enim aliunde scire potest. Verùm an ex factis, à reo in confessione expositis, resultet probatio sufficientis dispositionis ad absolutionem, adeò certum est, Confessarii, tamquam Judicis, esse ex principiis artis suæ judicare, ut improbabile sit, atque (ut D. Bonaventura ait) *inauditum philosophandi genus*, asserere quòd Confessarius id à reo debeat discere, & quoad hoc ipsi credere.

Neque id solùm procedit de Confessario tan- 1192
quam Judice, sed & tanquam Medico & Doctore. Nam, ut Eminentissimus Denhoffius §. 11. rectè ait, peccator recipiendæ sanitatis causâ, ad Confessarium, velut animæ suæ Medicum accedit. Quemadmodùm ergo Medicus corporalis ab ægro quidem discere debet, quid in corpore suo sentiat, & quoad hoc ipsi credere; sed an id quod æger sentit, curabile sit, & an corpus ipsius febriat an non, & an hîc & nunc dispositum sit ad hoc ut medicina ipsi proficua sit, Medici est ex medicinæ regulis judicare; nec quoad hoc ægro debet credere. Similiter ergo Confessarius, tamquam spiritualis Medicus, à pœnitente discere quidem debet facta, ex quibus ferendum est judicium de dispositione animæ ipsius, & ipsi credere quoad illa credere: sed an facta illa satis ostendant ipsum liberum à febre spirituali, sive ab affectu peccati; vel an satis ostendant ipsum dispositum ad curationem spiritualem, seu absolutionem, Confessarii est ex principiis artis suæ, sive ex Theologiæ regulis, Scriptura scilicet & traditione judicare; nec quoad hoc pœnitenti debet credere.

Denique sicut risu & explosione dignus ab om- 1193
nibus æstimaretur Medicus corporalis, qui in illis ægroti sui testimonio crederet, quotiescumque ratio manifesta in contrarium ipsi non appareret, ipsique medicinam applicaret, quando vellet (contra communem quippe sensum ageret, atque ex hoc ægrotum suum sæpè occideret, medicinam indebitè applicando;) sic risu & explosione dignus ab omnibus censeri deberet Medicus spiritualis, qui, in re simili, pœnitentis, seu spiritualis infirmi sui testimonio crederet, quotiescumque ratio manifesta in contrarium non appareret, ipsique absolutionem concederet, quando vellet; quia per hoc ipsum spiritualiter sæpè occideret, indispositio absolutionem concedendo. Meritòque ipsi peccator in die judicii exprobraret, quòd ipsi contra rationem, contra sensum communem, contra suæ artis regulas credidisset. Deus quoque ipsi meritò exprobraret, quòd, in hoc peccatorem audiendo, fidelis & prudens dispensator non fuisset pretiosi sanguinis Filii sui; utpote quem secundùm divinam suam voluntatem, sibi per oracula Scripturarum, per doctrinam Sanctorum, & per ordinem divinitùs institutum non dispensasset, secundùm quem peccator, tamquam reus, sequi debet judicium Confessarii tamquam Judicis, Medici & Doctoris sui, non contrà.

CAPUT CXII.

Argumentum centesimum secundum.

Ex eo quòd incredibile sit, Christum voluisse,

ut sui in administrando Pœnitentiæ Sacramento Ministri, omnibus prudentiæ luminibus renuntiantes, id verum esse credant, quod rationi & prudentiæ de falsitate suspectissimum est. Tale verò est testimonium consuetudinarii, & recidivi, totoſe corde dolere, emendationemque promittere asserentis, dum nullum aliud præbet suæ sinceritatis indicium, nisi sola verba, vel alia ejusmodi signa, quæ sæpè hactenùs fallaciter, sive absque effectu usurpavit.

1194 ILlud esse incredibile manifestum est ex eo quòd Christus econtrà prudentiam fidelitatemque postulet à Ministris, quos constituit super familiam suam, & quibus dispensationem commisit mysteriorum suorum: *Quis putas* (inquit) *fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Testimonium verò istud, quod consuetudinarii & recidivi reddunt de contritione sua ex toto corde, &c. rationi & prudentiæ de falsitate esse suspectissimum, dum aliud non præstant argumentum veritatis illius, nisi sola verba, seu alia ejusmodi signa, quæ sæpè hactenùs fallaciter, seu absque effectu præstiterunt, non minùs manifestum efficiunt superiora argumenta, confirmatque ratio. Quòd utique nimis irrationabile sit, Confessarium, id est Judicem, & Medicum, adstringere ad credendum reo, & ægroto, in iis in quibus sæpissimè sibimetipsi blandiri, cæcutire, seque ipsum adeò seducere solet, ut ne ipse quidem sibi in iis tutò credere possit.

1195 Propterea libenter hîc exscribo præclarum de hoc argumento discursum Illustrissimi D. Episcopi Castoriensis, in Amore suo pœnitente lib. 2. c. 18. §. 6. *Quis dicet* (inquit) *eorum pollicitationibus prudenter credi posse, qui eùm anteà sæpè in promissis vani fuerint, nullum novum suæ sinceritatis indicium proferunt? Quis sibi, nisi falli velit, persuadebit, istum suorum criminum ex animo toto pœnitere, qui, post usurpatum Pœnitentiæ Sacramentum, mox illa repetit, tametsi nullâ vi ad illa coactus, nullis insolitis novisque ad illa attractus illecebris? Extra confessionis tribunalia, qui semel malus, semper præsumitur malus, quidquid dicat, quidquid promittat, nisi operibus comprobaverit se esse mutatum: quid est quòd in solo confessionis tribunali, ubi vice Christi, qui est prudentia & sapientia æterna, Sacerdos præsidet, non semel malum, sed sæpè malum, sæpè fictum, sæpè falsum, nihilominùs sincerum & verum debebit æstimari, tametsi nulla proferat suæ sinceritatis & veracitatis argumenta, quibus anteà non fefellerit? Quis hoc credet, nisi qui credit voluisse Christum, ut sui in pœnitentiæ tribunalibus Vicarii omnibus prudentiæ luminibus renuntient, leveſque corde, citò, sine indicio, omnibus credant? Nisi qui credit noluisse Christum, ut discernant tanquam Judices sensibus perfecti, sed ut, contra divinum mandatum, pueri sensibus effecti, id verum arbitrentur, quod rationi ac prudentiæ de falsitate suspectissimum est. Nisi qui credit, voluisse Christum, ut illi, quos voluit esse lucem mundi, ab ipsis tenebris, hoc est obscuratis & excæcatis peccatorum mentibus, lumen mutuentur? Nisi qui credit, voluisse Christum, ut animarum Medici, in arte medicandi minùs sapiant quàm ægroti? Nisi qui credit, voluisse Christum, ut Pastores in pœnitentiæ tribunalibus ducantur ab ovibus, non sanis illis quidem, sed à scabiosis, sed à seductis atque infectis? Nisi qui credit, Christum voluisse, artem artium, regimen animarum* (quod in administratione Pœnitentiæ Sacramenti maximè consistit) *dependere, non à cœlestibus divinæ prudentiæ luminibus, non à Scripturarum oraculis, non à sanctorum Patrum doctrina, non à sacris Conciliorum Decretis, sed à fallacibus reorum verbis, sed à temerariis illorum promissis, sed à cæcis illorum judiciis*, quibus Confessarius credere debeat, id est Judex reo, Medicus infirmo, Doctor discipulo?

CAPUT CXIII.

Argumentum centesimum tertium.

Ex eo quòd sancti Patres censuerint, Sacramentalem Judicem, gravioris criminis reo credere non oportere, dum ligaturæ impatiens, tamquam sanatus, statim solvi vult, ad cœlestemque mensam involare.

ATque hinc apparet, nimis absurdum censuis- 1196
se Patres, si oporteret Medicum medendi rationem discere ab ægroto, Pastores pascendi rationem ab ove, Judices judicandi rationem à reo. Nam ut hoc manifestum facerent, lapsis lapsu graviore, ad absolutionem, communionemque festinantibus, obsecuti non sunt, nec ipsis se dispositos asserentibus crediderunt, sed fortissimè restiterunt, uno ore prædicantes, alto vulneri diligentem & longam medicinam esse necessariam; Dominum graviori crimine offensum non citò placari; citis ac præcipitatis absolutionibus pacem animabus non concedi, sed tolli; salutem non promoveri, sed impediri; præproperè & festinanter absolventes, peccatoribus ad absolutionem properantibus obtemperando, hoc esse quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas; quòdque animarum ruinæ hoc pacto non reparentur, sed majores parentur. Ista utique, aliaque ejusmodi docet Cyprianus in lib. de lapsis, ut vidimus plusquàm unâ vice.

Propterea etiam docuerunt, lapsos, ad absolu- 1197
tionem taliter festinantes, tractandos ut ægrotos noxia cupientes, quibus annuendum non est, sed fortiter obsistendum, animoque ipsorum à Sacerdotibus, velut Medicis spiritualibus, fovendos, & ad maturitatis, id est maturæ pœnitentiæ tempus expectandum suaviter animandos, & quàm ingens peccatum commiserint instruendos; convincendos denique tam citò non sanari graviora animæ vulnera, maximè repetita, uti nec corporis; patientiam ad hoc esse necessariam, nec sine ea sperandam ab ipsis sanitatem. *Infidelis* enim *cicatrix, quam citò festinans Medicus induxerit.* Ita rursum Cyprianus ibidem, variisque in Epistolis. Ita etiam Clerus Romanus, & sancti Confessores apud ipsum.

Ipsis concinens Ambrosius in Psal. 37. *Medicus* 1198
(inquit) *medendi tempus expectat, ut digestis ægritudinibus medicinæ subsidia deferat; ne acerba adhuc & immatura* (ut asserunt) *ægritudo, curationis remediis reluctetur, & beneficium sentire non possit.* Et alio loco: *Medicinæ periti cùm vident natas ægritudines.... medicinam quidem non adhibent, sed tamen medicinæ tempus expectant; nec deserunt invalidum, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt, palpant delinimentis, ne aut intermissa ægritudo desperatione animi gravescat, aut crudior medicinam respuat, eò quòd ad maturitatem pervenire nequeat, si indigestæ insolens rerum hujusmodi Medicus adhibeat manus.* Et in Psalm. 36. *Medicus non statim adhibet medicamenta languori. Si dolor fervet, fomenta adhibet, ut mitescat dolor. Si febris exæstuat, remedii tempus expectat.... Ægroto dicit, expecta, desinat febris, digeratur commotio. Citò enim refricatur vulnus, quod sanatum medicinæ lege non fuerit* (ait serm. 4. in Psal. 118.).... *ideòque bonus Medicus hujusmodi ægrum legitimè dicit esse curandum* (id est lequa-

dùm medicinæ leges) ut possit medicina proficere. *Nemo dicit Medico corporali, quemadmodùm sit curandus* (ait in Psal. 37.) *novit Medicus quæ singulis vulneribus medicamenta conveniant*, novit quando & quomodò applicanda sint. *Si dixerit Medicus medicinæ genus, quo curari æger debeat, & ille fastidiat, discedit Medicus, & ægrum relinquit. Vide eum, qui curari velit, omni genere Medico acquiescentem.* Si acquiescat Medicus spiritualis ægroto præmaturè curari volenti, contra medicinæ regulas agens, legitimè ipsius non miseretur, dicit serm. 5. in Psalm. 118.

1199 Et ideò Chrysostomus homil. 14. in 2. ad Corinth. Sacerdotem illum verè benignum & misericordem erga peccatores dicit, non qui citò solvit, sed qui tamdiù medicantibus eum dolorosæ pœnitentiæ vinculis ligat, donec correctum viderit: *non est* (inquit) *quòd hanc rem crudelitatis ac sævitiæ esse arbitreris, sed* SUMMÆ CLEMENTIÆ ET BENIGNITATIS, PRÆSTANTISSIMÆQUE MEDENDI RATIONIS, NEC VULGARIS ERGA PECCATORIS SALUTEM CURÆ. Auream hanc Aurei Oris sententiam memini me non semel descripsisse; sed repetere non piget, ad retundendam importunam simul & imperitam quorumdam Juniorum querimoniam, inclamare non cessantium assertionem nostram esse nimis duram, & immisericordem, continereque rigorem impracticabilem. Dura potiùs & immisericors est opinio ipsorum, continetque laxitatem, Sanctorum judicio absque ingenti animarum exitio impracticabilem.

1200 Nec verò Sanctorum doctrinam eludere possunt dicendo, quòd solùm voluerint peccatores in vinculis detinendos, non ad remissionem mortalis culpæ, sed ad satisfactionem pro pœna temporali, vel ad extirpandas peccatorum reliquias, habitusque ex peccato restantes. Contrarium quippe constat tum ex dictis cap. 37. §. 5. & cap. 41. §. 24. Tum ex eo quod S. Ambrosius l. 2. de pœnit. cap. 9. dicit, quòd utique *nonnulli ideò poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi Communionem* (per absolutionem) *velint: hi non tam se solvere* (à culpa) *cupiunt, quàm eâ Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam* à culpæ reatu *non exuunt, & Sacerdotis induunt. Præceptum est, nolite dare sanctum canibus, &c.* Quæ postrema verba manifestum faciunt, peccatores illos nondum esse justificatos.

CAPUT CXIV.

Argumentum centesimum quartum.

Ex modo quo veteres SS. Patres processerunt in determinandis nonnullis casibus, magnorum peccatorum reconciliationem concernentibus.

1201 EX modo quippe illo manifestè conficitur, SS. Patres non censuisse judicium de sufficienti dispositione magni peccatoris ad reconciliationem, seu absolutionem, adeò facile, ut ad id sufficeret Sacerdoti, fidem habere pœnitenti, se toto corde contritum asserenti, dum ratio manifesta non apparet in contrarium. Quinimò rectum ea de re judicium, post lapsum in enorme peccatum, visum est ipsis negotium tanti momenti, ut novo insolitoque casu occurrente, Episcopi se solis non auderent ea de re judicium ferre, sed plures Coëpiscopos consulerent, vel etiam ad id determinandum Concilia congregarent, uti videre est in epist. 23. Cypriani l. 3. in qua habetur, sex Episcopos Cyprianum consuluisse, nec se solis determinare ausos fuisse, an post triennii pœnitentiam fervenți & generoso animo peractam, reconciliatio iis tutò concedi posset, qui coram Magistratu & populo tormenta fortissimè passi triumpharant, sed postea gravissimis à Proconsule pœnis diutissimè cruciati, Christum tandem negaverant. Super quo puncto sex illi Episcopi non solùm Cyprianum consuluerunt, sed & ipsum rogarunt ut & alios ipse Episcopos consuleret. Quibus respondens Cyprianus, laudat justum ipsorum in re tanta errandi timorem: *Quoniam scripsistis, ut cum pluribus Collegis de hoc ipso tractem plenissimè, & res tanta exigit majus & impensius de multorum collatione negotium: tractabo cum singulis plenius, ut de eo quod consuluistis figatur apud vos, & referibatur vobis firma sententia, multorum consilio ponderata.*

Quod plus est, nec ipse Cyprianus, nec Clerus 1202
Romanus (ad quem Ecclesiæ cura per mortem S. Fabiani Pontificis devoluta erat) ausi sunt quidquam determinare circa lapsos in ea, quæ tunc fuit, persecutione. Quippe Cyprianus expectandum censuit persecutionis finem, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Confessores ad aliquid determinandum convenire possent. Clerus verò Romanus, approbatâ Cypriani cunctatione, respondit, expectandam novi Pontificis creationem.

Quid (quæso) opus tantâ Episcoporum cunctatione, & consultatione, si signum sufficiens animi satis pœnitentis, etiam in magno peccatore, etiam consuetudinario & recidivo, erat vel solum dictum pœnitentis (ratione manifestâ non existente in contrarium) vel humilis confessio illius criminis, vel momentaneus gemitus, etiam non obstante cito & facili, imò & frequenti relapsu, prout Juniores prætendunt? 1203

CAPUT CXV.

Argumentum centesimum quintum.

Ex eo quòd opera ad probandam magnorum peccatorum pœnitentiam adeò necessaria existimarint SS. Patres, ut pœnitentiam ipsorum, ad finem vitæ dilatam, habuerint valdè dubiam & suspectam; eò quòd eam probare non possent per opera, sed per verba dumtaxat & gemitus.

AD fidem magnis peccatoribus adhibendam, 1204
& absolutionem impendendam, sanctos Patres contentos non fuisse linguâ, seu verbali protestatione, vel etiam gemitibus momentaneis ipsorum, sed opera, tamquam signa probantia, vitæque emendationem requisiisse, constat ex dictis cap. 55. & 56. Ex dictis etiam cap. 36. certum est, eorumdem peccatorum pœnitentiam, ad finem usque vitæ dilatam, iisdem Patribus admodùm fuisse suspectam & dubiam. Et ob plures quidem rationes Patribus ita visum: sed earum una, nec minima fuit, quòd veram solidamque pœnitentiam non ex verbis & gemitibus sterilibus, sed ex operibus dijudicandam, per eaque probandam censuerint. Hanc quippe rationem profert Augustinus serm. 57. de tempore, vel fortè Cæsarius sermone nunc 255. in Append. serm. Aug. *Errores pristinos* (inquit) *relinquat*, quem gravium atque ingentium peccatorum conscientia gravat, *& pœnitentiam petat, ut .... exomologesi satisfactione mundetur. Nec ad illud se servet, ut in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non possit. Inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio. Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, sed opera quæruntur. Datur quidem, etiam in extremis, pœnitentia, quia non potest denegari. Sed authores tamen esse non possumus, quòd quisquis petierit, mereatur absolvi. Quomodò enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodò agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodò pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera fa-*

tisfactionis operari poteſt? Et ideò pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur. Videatur Cæſarii ſermo 57. ubi de tali peccatore dicit: *Pœnitentiam illi dare poſſum; integram tamen ſecuritatem dare non poſſum. Deus tamen.... ipſe ſcit, quâ fide, aut quâ intentione animi pœnitentiam petiit. Ego verò timeo, ne fortè iſte talis pœnitens nec in conſcientia ſua habuerit, quod in operibus non oſtendit. Quia etſi cor videre non poſſumus, tamen, ſecundùm Evangelicam ſententiam,* " ex fructibus eorum cognoſcetis eos, &c.

1205 Videatur & Morinus l. 1. c. 17. ubi ſic: *Si* (peccatores) *morbo correpti pœnitentiam petebant... reconciliationem concedebant* (antiqui Patres) *pœnitentiâ nullâ, aut brevi impoſitâ; ægroto autem tantùm indicatâ, eâ conditione, ut ſi morbo ſuperſtites eſſent, eam exequerentur. Sed cùm, præter verba, gemituſque morientis, nihil eſſet iis de ſinceritate, & juſta quantitate compunctionis ejuſmodi compertum, de ſalute tardè pœnitentium diffidere plurimùm, nihil velle certi affirmare prædicabant.*

CAPUT CXVI.

Argumentum centeſimum ſextum.

Ex eo quòd pœnitentia eorum, qui confeſſa crimina facilè, citò ac frequenter repetunt, majorem habeat apparentiam pœnitentiæ theatralis, *quam ſolidæ & veræ.*

1206 EJuſmodi pœnitentiam Chryſoſtomus apud Stephanum noſtrum à S. Franciſco Xaverio *theatralem* vocat, nec abſque ratione. Quid eſt enim quòd duorum v. g. in Theatro pugnantium, dum, unus velut ab altero occiſus procumbit, occiſio ipſius non reputatur niſi *theatralis*, niſi quia ſic occiſus, poſt Tragœdiam, ſurgit, vivit, agit ut antè? Quid eſt ſimiliter, quòd lachrymæ uxoris, ſuper mariti morte plorantis, ſed ſtatim poſt exequias ridentis, gaudentis, ſaltantis, joculantis ut antè, comicæ reputantur, potiùs quàm veræ, niſi eandem ob rationem? Quo ergo fundamento nos, qui cor hominis non videmus, ſed externa dumtaxat opera; quo (inquam) fundamento, aliud judicabimus de pœnitentia ejus, qui, poſt confeſſa grandia crimina, ridet, ſaltat, joculatur, deliciosè flagitioſèque vivit, & agit, ut antè, niſi quòd comica potiùs & theatralis fuerit, quàm vera & ſolida? Nullus quippe in ipſis, poſt Confeſſionem, apparet effectus veræ ſolidæque pœnitentiæ, magis quàm in pœnitentibus comicis & theatralibus, poſt Comœdiam; ſed vita carnalis, voluptuoſa, ſuperba, vana, flagitioſa, gentilis, ut antè.

CAPUT CXVII.

Argumentum centeſimum ſeptimum.

Ex eo quòd, ſecundùm doctrinam Sanctorum, abſque cautione operum, credendum non ſit exiſtentibus in occaſione proximâ peccati mortalis, eam ſe deſerturos pollicentibus, poſteaquàm fidem de eo datam ſervare neglexerunt. Cur ergo potiùs, abſque cautione operum, credendum eſt conſuetudinariis, & recidivis, emendationem pollicentibus, poſteaquàm fidem de eo datam non ſervarunt, ſed neglexerunt?

1207 COnſequentia bona eſt: cùm par ratio ſit conſequentis, atque antecedentis; nec peccator magis credibilis ſit in uno quàm in altero caſu; nec S. Thomas de uno aliter quàm de altero philoſophetur. Vel ergo neutri, abſque operum cautione, vult eſſe credendum, vel utrique. Quod nullo modo eſt veriſimile.

Ipſi quidem, tam in caſu antecedentis, quàm in caſu conſequentis eſſe credendum, ubi ratio manifeſta non apparet in contrarium, exiſtimat Carolus ab Aſſumpt. in Pentalogo ſuo Diaphorico fol. 98. hiſce verbis: *Qui promiſit ſæpiùs dimittere occaſionem peccandi, & non dimiſit, non ideò præſumitur non habere voluntatem relinquendi, nec ex hoc præciſè capite debet ei, titulo indiſpoſitionis, ſeu deficientis voluntatis, denegari abſolutio.*

Sed in eo, ſicut & in aliis ſuis multis de pœ- 1208
nitentia opinionibus, ipſe eſt ſingularis, & non ſolùm contradicit Theologis paſſim omnibus, ſed & Conciliis, Patribus, & Sanctis noviſſimis, Thomæ Villanovano, Franciſco Xaverio, Carolo Borromæo, & Saleſio.

Siquidem Concilium Lateranenſe II. can. 22. ſic habet: *Falſa ſit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nullâ ratione prævalet.*

Concilium etiam Romanum anni 1078. ſub Gregorio VII. *Quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit... recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi negotium derelinquat, vel officium deſerat,* &c.

Similiter loquitur S. Gregorius homil. 24. in Evangelia. Falſi proinde pœnitentes ſunt, adeòque ad abſolutionis beneficium indiſpoſiti, qui ejuſmodi occaſionem non dimittunt, taleſque habendi ſunt, qui adhuc in ea ſunt, poſtquam eam deſerere ſæpiùs polliciti ſunt. Neque enim peccatum toto ſe corde odiſſe, firmumque atque efficax illius vitandi propoſitum habere credendi ſunt, juxta SS. Patres, qui dum proximam illius occaſionem abjicere poſſunt & debent, fidem datam de ea abjicienda violantes, in ea voluntariè perſiſtunt.

Et ideò S. Thomas Villanovanus conc. in fer. 1209
6. poſt Domin. 4. Quadrag. poſtquam §. 2. protulit memorabilem hanc ſententiam: *Sunt qui teneritudine animi pro commiſſis & gemitus imo pectore mittunt, & oculorum fonte lachrymas affluenter effundunt; ſed nullo animi vigore peccati jugum à ſe abjiciunt. Statim enim poſt lachrymas redeunt ad plorata. His à Chriſto dicitur:* " Tollite lapidem. " *Quaſi dicat, placet quòd commiſſa ploratis; ſed deplorata iterùm non repetatis. Qui enim lavatur à mortuo, & iterùm tangit mortuum, quid illi profuit lavatio?* §. 3. *Quidam* (inquit) *cum peccatis etiam propoſitum peccandi ſibi reliquiſſe videntur, ſed occaſiones delinquendi non fugiunt. His per Confeſſionem non ſuſcitantur: quia non omnino foras exeunt..... Fruſtrà enim oculus plorat, ſi animus in crimine perſeverat. O peccator! ſi verè ploras, veni foras. Fuge concupiſcentiam, expelle mulierculam, ſolve catenam. Aliàs non credo lachrymis.... Etiamſi millies juraveris, etiamſi obteſtando promiſeris, nunquam tibi credam. Illum autem qui à Domino vivificatus, deſiderio ſalutis, à vitiorum ſepulchro foras egreditur, vos, ô Sacerdotes! ſolvite, & ſinite abire. Cavete, ne eum in ſepulchro ſolvatis. Priùs exeat, ut ſolvatur.... Priùs ergo vadat, & concubinam è domo pellat... Et tunc ad Confeſſarium redeat, & abſolvatur. Hic eſt rectus ordo, hic in Lazari ſuſcitatione à Domino ſervatus. Hunc ordinem ne tranſgrediarn. O Medice! cur fœtentem ſolvis? Cur indigno veniam promittis?... Heu! Heu! in domo Dei horrendum vidi. Paſtores, oves Domini jugulantes. Medicos, populi ſui ægrotos occidentes. Judices, turpibus adblandientes. Cenſores, flagitia palpantes. Cæcos, gregem Domini dirigentes... O miſeri, animarum non curatores, ſed interfectores!*

non consultorei, sed deceptores! Quid respondebitis Domino, pro grege quem vestris blanditiis decepistis?... Væ miseris! non ægritudinem, sed contritionem ac confessionem peccatorum curant, quam augere debuissent, promittentes pacem, quibus non est pax; & veniam, quibus æterna damnatio parata est.... Sic animas mortuas & securas à suis pedibus mittunt, tantò miseriores, quantò securiores. Vulnera liniunt, vermem conscientiæ extinguunt, stimulum peccati auferunt, ac securos peccatores ad inferna demittunt: qui si timorem populo incuterent, forsitan illum à vitiis revocassent.

1210 S. Carolus Borromæus, in Instructione Pastorum p. 2. designans casus, in quibus absolutio neganda, vel differenda est titulo indispositionis (uti vidimus cap. 90.) c. 16. inter eos ponit casum existentis in occasione peccandi, v. g. ejus *qui concubinam alit, vel quid hujusmodi, Confessarius eum absolvere non debet, nisi priùs illam ipsam occasionem prorsus abscindat. In aliis verò, ut aleâ ludere communiter, in venereis aspectibus diù esse, conversari periculosè cum feminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuntium remittere non polliceatur; vel si spondeat, aliàs tamen cùm de eo fidem fecerit, vitam non emendaverit, absolutionem differat, usquedum emendationis quædam argumenta videbit.*

1211 Et ista quidem doctrina est S. Caroli de occasionibus quas vocat proximas per se; eò quòd tales sint, ut per se, seu suâpte naturâ in peccatum inducant. Alias namque esse dicit occasiones per accidens proximas, quæ licèt per se in peccatum non inducant, respectivè tamen ad talem hominem, attentâ speciali ipsius complexione, fragilitateque, ob perversum quem induit habitum, seu consuetudinem, adeò in peccatum aliiciunt, ut Confessarius jure metuat, quòd homo ille impostèrùm à peccato non magis abstinebit quàm antè, si ea in occasione permaneat. *Tales* (ait S. Carolus) *ob mundi corruptelam, plurimis esse solent, in castris esse, mercaturam sequi, Magistratus obire.... aliaque id genus, quæ dum quis tractat, fit sæpè ut vocibus blasphemis, furtis, injustitiâ, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, & aliis ejusdem furinæ sceleribus... tantam sibi eorum consuetudinem adsciverint, ut conjectari liceat, si in eisdem officiis maneant, cùm se rursus eædem oblaturæ sint occasiones, quòd fortiorem animum ad resistendum peccatis non opponent, quàm hactenùs fecerint; quodque inde sequitur, in idem lutum ex integro prolabentur. Omnes qui sunt hujusmodi, secundùm Augustinum, vel negotium ipsis periculosum deponant, vel saltem absque licentia & obedientia pii & probati Sacerdotis non exerceant*, ab ipso per opportuna remedia sic armati, ut spes rationabilis sit, occasionem ipsi sic armato non futuram ampliùs proximam. Qui tamen Sacerdos, *hominem eo modo constitutum* (consuetudinarium utique) *absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiù in antiqua occasione perseverat; sed æquum est, ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per aliquod temporis intervallum expectetur.* Cæcus sit, qui non videt S. Carolum ibi agere de consuetudinariis in functionibus illis ex se bonis peccare solitis. De iis verò officiis actionibusque, *quæ nullam vel necessitatem Reipublicæ, vel utilitatem secum afferunt... ac facillimo negotio sæpissimè ad diversa peccata trahunt, ut choreis interesse, agere cum blasphemis, versari in scurris, malorum se sodalitatibus hominum adjungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesque actiones exercere, in quibus utplurimùm peccare mortaliter homines solent. Qui quidem antè non debent absolvi, nisi animo abalienato penitùs illa ipsa se deserturos polliceantur. Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitente sibi promissioni factæ dare, quòd facilitet occasionem auferet, poterit eum promissionis intuitu absolvere. Si autem fidem semel atque iterum fregerit, ac tertiò jam idem policeatur, ipsi nec* credat, nec absolutionem impendat, sed *absolutionem differat, usquedum reipsà videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo priùs vixerat.*

S. Franciscus Xaverius l. 1. epist. 1. *Jube priùs...* 1212
procul amoveant offendicula pudicitiæ, ante absolutionem utique: quia ejusmodi hominibus *sine arrha in manu* fides non est adhibenda, nec absolutio largienda.

S. Franciscus Salesius Constitut. Synodal. tit. 9. c. 5. *Quandoquidem plures Confessarii sese faciles exhibent, ut impendant absolutionem ad eam, quam faciunt pœnitentes pollicitationem se emendandi, occasionem proximam deserendi, &c diligens examen instituendum est, an idem in anteactis Confessionibus jam tum promiserint. Si quidem id polliciti fuerint, nec tamen steterint verbo, non est quòd Confessarius fidem habeat, donec sint ab occasione sejuncti. Et quidem donec aliquo tempore illam non repetentes vixerint.*

Quamvis ergo Juniorum quorumdam opinio 1213
sit, existentem in proxima occasione posse ter vel quater absolvi, priusquàm de facto deserat, si deserere promittat. Contrarium docent Sancti illi, cumque ipsis S. Antoninus 2. p. tit. 2. c. 11. Cajetanus, Navarrus, Suarez, Joannes Martinez To. 1. Oper. Moral. c. 15. q. 15. §. 4. Concubinarium ne primâ quidem vice absolvi posse, non expulsâ priùs concubinâ, communis est sententia Doctorum. Enimverò Magistra rerum experientia testis est, quàm parum fidendum sit promissioni ipsius: cùm vix unquam concubinam abjiciat, ante ejectionem absolutus. Videri possunt Bartholomæus de Chaymis in suo Confessionali c. 4. Et Directorium concubinariorum ante annos ducentos impressum q. 5. Margarita Confessorum tit. de scientia requisita in Confessore. Chapeaville de casib. reservat. tit. de exam. Confessariorum.

CAPUT CXVIII.

Argumentum centesimum octavum.

Ex Rituali Romano, dicente, Videat diligenter Sacerdos quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa *sufficientia* doloris *ex toto corde*, & vitam in melius emendare nolunt. *Signa verò illa non magis dant consuetudinarii & recidivi, de quibus agimus, quam bonorum alienorum detentores injusti, qui ea non restituunt, cùm possint, etsi restituere non semel promiserint. Ubi etiam agitur de negligentibus restituere famam injustè læsam, & addiscere mysteria fidei dantibus & non tollentibus causam scandali, &c.*

TAles absolvendos non esse, nisi factâ restitu- 1214
tione, nec ipsorum promissis fidem adhibendam, absque illa cautione, satis indicat ipsummet Rituale Romanum, dum subjungit, absolvendos non esse, qui *aliena, si possint, restituere nolunt.* Nolunt enim, qui non faciunt, cùm possunt: quia ubi ad aliquid faciendum duo solùm requiruntur, potestas & voluntas, quibus potestas non deest, sola deest voluntas. Tales proinde nulla dant signa doloris ex toto corde, nec vitam in melius emendare velle censendi sunt. Nec per

cor-

consequens consuetudinarii & recidivi nostri; quibus etiam cùm non desit se emendandi possibilitas, sola deest voluntas. Aliàs exequerentur quod sæpiùs polliciti sunt, sicut injustus ille bonorum alienorum detentor.

1215 De quo non solùm Rituale Romanum, à Paulo V. approbatum, sed & Concilium Mediolanense I. anni 1565. p. 2. tit. 6. cum S. Carolo dicit: *Caveant Confessores, ne, ante debitam satisfactionem, illos absolvant, quibus cùm facultas adsit aliena restituendi, vel legata, quæ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque, ut id facerent, in superiori confessione præceptum sit* (& procul dubio spoponderunt, sponsionisque intuitu absoluti sunt) *præstare tamen neglexerunt; exceptis illis qui periculosè ægrotant; quos tamen moneant, ut id quod debent quamprimùm persolvant.*

1216 Conformiter Concilium Burdigalense anni 1583. tit. de pœnit. *Neminem Parochi absolvant eorum, qui, cùm præcedente confessione se ablata restituturos, aut legata ad pias causas soluturos esse polliciti, cùm facultas adfuisset, neglexerint.*

1217 Et rursum S. Carolus in Instruct. Pastor. p. 2. c. 17. *Ante restitutionem, debitamque satisfactionem*, Confessarius *eos non absolvat, qui aliquatenùs ad aliquid hujusmodi adstricti sunt, modò id facere possint. Eos tamen excipimus, qui ex gravi periculosaque infirmitate decumbunt*, &c. In Italica etiam Instructione, quam servari voluit à Regularibus, in Diœcesi sua approbatis: *Ne Regulares iis impartiantur absolutionem, qui restitutionibus, solvendisque piis legatis obstricti sunt, nisi priùs isti officio faciant satis, si, cùm possint, illud neglexerunt, & in præcedenti confessione, tametsi alteri Sacerdoti factâ, de eo adimplendo moniti fuerunt.*

1218 Similiter S. Thomas Villanovanus ubi suprà: *Priùs ergo vadat... pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam, prout potest, resarciat.... Et tunc ad Confessarium redeat, & absolvatur.*

1219 Et S. Franciscus Xaverius l. 5. epist. 9. *Iis non tutò creditur, sine pignore pollicentibus in futurum meliora ... qui rem alienam detinentes, reddendi moras hactenùs neglexerunt.* Et infrà: *Absolvi poscentibus ne annuas.... antequam satisfactionem repræsentaverint*, qui rei sunt *injustæ detentionis rerum alieni juris. Jube priùs inquè occupata dominis reponant..... Nec solâ promissione defungantur. Nam cum hominibus horum tractuum, tam promptis & liberalibus ad obligandam fidem, quàm ad exsolvendam tardis & segnibus, cum arrha in manu transigendum est.*

Et Salesius ubi suprà: *Confessarii differant absolutionem illis, quos hâc gratiâ indignos judicabunt. Cujusmodi sunt, qui.... dum sunt solvendo, obligantur que, bona alterius non restituerunt*, &c.

1220 Hæc quæ dixi tam in præsenti capite, de injustis detentoribus bonorum alienorum non absolvendis, nisi factâ reipsâ restitutione, quàm in capite præcedenti, de non absolvendis existentibus in occasione proxima peccati mortalis, nisi eâ dimissâ, suffragio suo & doctrinâ confirmant tres Eminentissimi, pariterque sapientissimi, atque insigni pietate celebres Cardinales Grimaldi, Le Camus (dum casus designant, in quibus absolutio neganda est vel differenda) & Denhoffius §. 11. & 12. ubi explicans verba Ritualis Romani, quibus dicit absolvendos non esse, *qui proximam peccandi occasionem deserere nolunt* (quod profectò nolunt, qui non deserunt, cùm deserere possint, & teneantur) occasionem proximam appellat, *quâ præsente ita quis incitari se sentit ad peccandum, ut in periculo versari censendus sit, ne tentationi succumbat.* Monetque, *non opus esse ad hoc ut occasio dicatur proxima, ut crebrò faciat incidere in delictum; sufficit enim ut præsens adsit, & semel iterumvè non ita pridem ad peccandum permoverit; aut ut fortes pariat tentationes, tametsi necdum in crimen pellexerit. Quia nunquam licet, ut se aliquis exponat tali periculo.* Similiter infrà ad object. 15. dicit, occasionem proximam non definiri, *quæ sæpè ad peccatum pertrahit*, sed *quæ, cùm adest, fortiter ad peccandum allicit. Nam à tali illecebra ad consensum uno tantùm lubrico passu fit progressus.*

Paragrapho verò 11. dicit 1°. quòd sicut absque actuali restitutione, absolvendus non est qui proximum injustè læsit in bonis; ita nec qui injustè læsit in fama. Cùm par sit utriusque restituendi obligatio. Quemadmodùm ergo absolvendus non est, qui jam semel aut iterùm rei alienæ restitutionem promisit, nec fidem servavit, cùm posset; ita nec qui semel aut iterùm promisit restituere famam, &c. 2°. famam cujusque lædi, sive falsa imputando crimina, sive propalando ignota. Utroque enim facto fit injuria. 3°. denigrari famam, licèt id, quo lædi possit, cum dubii significatione referatur, de puella v. g. dicendo, aiunt puellam istam stuprum passam: nam hoc loquendi modo si non penitùs interimitur, saltem diminuitur bona fama virginis, eique non levis macula infertur. 1221

Paragrapho 13. docet cum eodem Rituali Romano, absolutione donandos non esse, *qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant.* Ad hoc quippe tenentur, ut *quos exemplo suo ad malos mores* peccator *provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet viam.* Tridentinum sess. 24. de reform. c. 8. Unde Concilium Mediol. I. tit. *De his quæ pertinent ad Sacram. Pœnit.* sic habet: *Quemadmodùm à sancta Tridentina Synodo jussum est, publicè peccantibus publicam pœnitentiam imponant* Confessarii; *neque illud publicæ pœnitentiæ genus, nisi datâ ab Episcopo facultate, secretâ aliâ pœnâ commutare audeant.* Ita etiam Cardinalis Grimaldi in Decreto quo declarat casus negandæ vel differendæ absolutionis. Ubi addit, nec his concedendam absolutionem, qui præbent aliis occasionem peccandi, nisi illam amoveant, &, quantùm in se est, remedium afferant malo, cui ansam dederunt. 1222

Hujusmodi sunt (inquit) qui aperiunt forum aleatorium, vel Conventus, in quibus committuntur impietates, blasphemiæ, excessus, libertas immoderata, aut alia peccata.

Qui componunt, excudunt, aut divendunt pravos libros, vel scripta, quibus continentur quæ sunt contra fidem, pudicitiam, aut bonos mores.

Qui habent picturas & imagines lascivas, & quæ possunt ad peccatum incitare, item qui eas faciunt aut divendunt.

Mulieres & puellæ, quæ sinum nudant, postquam admonitæ fuerunt de malo, quod in immodesto illo vestiendi se modo latet. Neque etiam danda est ipsis Communio, dum in tali habitu accedunt. Hactenùs Eminentiss. D. Grimaldi, cumque ipso Eminentiss. D. Cardinalis Le Camus. Et reverà certum est mulieres illas & puellas multis esse causam peccati, &, ut S. Carolus ait cap. 14. ita *vitam instituere, ut nullam, vel parvam salutis proximi habeant curam*, quo suæ satisfaciant vanitati, desiderioque non Christiano placendi hominibus. Propter quod Innocentius XI. declaravit, intentionem suam esse, ut, si post tertiam monitionem se non emendent, absque absolutione dimittantur.

Denique tres illi Eminentissimi docent, ad absolutionem dispositos non esse, qui ignorant præcipua sanctæ Religionis nostræ mysteria, aliaque quæ scire quisque debet, Pater, Ave, Dei & Ecclesiæ præcepta, si utique ea ignorent ex salutis incuria. Et idem est de Judicibus, Advocatis, Medicis, Chirurgis, aliisque id genus, qui professionis suæ eam non habent quam oportet peritiam, vel suo, ut oportet, officio non funguntur. *Manifestum est* 1223

enim *quòd quicumque negligit habere, vel facere id quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis.* S. Thomas 1. 2. q. 76. a. 2. Unde in Conc. Rom. anno 826. celebrato sub Gregorio II. statuitur, quòd *Confessarii, Judices, Medici, &c. absolvi non debent, quando ignorant, & negligentes sunt in addiscendo ea quæ sunt ad ipsorum officium exercendum.*

1224 Sanctus quoque Carolus c. 13. *Si patres* (inquit) *aut matres-familiæ fuerint, qui curæ suæ subditos, sive filios, & filias, servos & ancillas (quæ particulatim interrogare meminerit Confessarius) cùm rudimenta fidei non teneant, addiscere non compellunt; vel non advigilant, ut Decalogi & Ecclesiæ Romanæ præceptis obediant; vel (quod pejus est) eosdem prohibent, ut faciunt, qui servos & ancillas usque adeò occupatos diebus profestis detinent, ut propriâ necessitate urgente diebus festis operari quodammodò cogant; vel temporis tantum non tribuant, ut, secundùm Ecclesiæ præceptum, sacro officio Missæ interesse queant; aut qui nescientes quinam eorum, qui in familia sua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiscuè tempore quadragesimali, aut aliis jejuniorum diebus, cœnam, vel tempore antemeridiano escam, ante horam debitam in ædibus suis præbent, vel dari patiuntur; aut siquando hæc præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt, vel si servi corrigi nolint, & cæteris scandalo sint, è domo sua quamprimùm eos non ablegant. In omnibus his peccatis, nisi reipsà præsient officium suum, negligentiamque in familiæ administratione commissam, quantùm ad ea quæ dicta sunt attinet, imposterùm emendare promittant, nullo modo eos absolvat. Quòd si in se recipiant ea se facturos, nec horum admonitis unquam à Confessario, vel Pastore... fuerint, poterit eos absolvere. Quòd si sæpiùs fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tamdiù absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.* Ipsis ergo post violata sæpiùs promissa non vult esse credendum, donec promissa appareant. Nec per consequens consuetudinariis & recidivis. Ob eandem prorsus rationem. Quoad ignorantes necessaria necessitate medii, clarum est incapaces esse absolutionis. Sed de his aliàs.

CAPUT CXIX.

Argumentum centesimum nonum.

Ex eo quòd facilitas fidem adhibendi, absolutionemque statim impendendi magnis peccatoribus, maximè consuetudinariis & recidivis, in verbo ipsorum, causa sit ingentium malorum.

1225 TEstantur id Sancti, veteres ac novissimi. Atque imprimis D. Cyprianus in l. de lapsis, dicens, quòd Sacerdotes tam faciles in credendo, & absolvendo, *hoc sunt ejusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas*, &c.

2°. Clerus Romanus ibidem, quòd *hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.*

3°. sancti Confessores, Moyses, Maximus, Nicostratus, Rufinus aiunt, hoc esse *sine respectu Evangelii, sanctum Domini canibus, & margaritas porcis profanâ facilitate donare: cùm grande delictum.... non oporteat nisi.... cautè moderatèque tractari.... ne dum volumus importunè ruinis subvenire, alias majores ruinas videamur parare. Ubi enim divinus metus relinquitur, si tam facilè peccantibus venia præstetur?.... Citò rursus in incendium flamma renovatur, nisi totius ignis, etiam usque ad extremam scintillam, materia restinguatur.*

4°. S. Ambrosius: *Citò refricatur vulnus, quod sanatum medicinæ lege non fuerit.* Et addit, quòd *ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injustè. Plerùmque enim non coercere delinquentes, majoris austeritatis est, quam si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominiæ, qui, cùm aliquid inhonestum fecerint, nullum culpæ pretium referunt.... Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.* 1226

5°. Chrysostomus: *Si* peccatorem *in vinculis non tenuero*, sed statim absolvero, *ejusmodi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant.*

6°. Hormisdas Papa: *Quæ est ista immanis benignitas, palpare crimina, & vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare? Verè dico, quia illis ipsi, quibuscum periculosâ & falsâ misericordiâ indulgere videmur, cùm ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nosmetipsos causas dicturi sunt, dicentes, quòd... nos eos, dum illis inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut etiam ipsa peccata augere permiserimus.* 1227

7°. S. Augustinus serm. 278. aliàs 34. de diverss. dicit, quòd facilitas illa facit, quòd homini *ludus sit peccando cadere in mortem.* 1228

8°. Concilium Rothomagense anni.... *Nimiâ* (inquit) *facilitate & frequentiâ omnia indulgendi crimina, Ecclesiastica disciplina enervatur, & ad eadem, aut majora perpetranda, crescit hominum audacia.*

9°. S. Thomas Villanovanus concion. in fer. 6. post Dom. 4. Quadrag. *Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio? Vulnera* (inquit) *liniunt, vermem conscientiæ extinguunt, & securos de accepta absolutione peccatores ad inferna demittunt.* 1229

10°. S. Carolus Borromæus cap. 12. Ex nimis facili absolutione eorum, *qui reverà indigni sunt, contingit, quòd multi in eisdem sæpè peccatis hærent, cum animarum suarum lamentabili ruina,* & ut dixerat cap. 1. quòd *de tanto numero confitentium, tam exiguam emendationem videamus in iis qui toties, & tam multis annis hoc Sacramentum frequentarunt.* 1230

11°. S. Franciscus Salesius Constit. Synodit.... c. 9. *Nihil perinde Ecclesiam dedecorat, nihil ita ejus violat disciplinam, nihil ita fovet peccatores in somnolenta peccandi consuetudine, quàm probrosus ille mos, quo quidam Presbyteri peccata relaxant, non tanquam Judices.... verùm tanquam mancipia, quæ præcipiti, & adulante indulgentiâ peccatoribus blandiuntur.* 1231

De istis adulatoribus dicit Cyprianus, quòd inducant in Ecclesiam dulcem crudelitatem, misericordiæ & clementiæ nomine palliatam; eamque, quam dant, pacem irritam esse, & falsam pacem asserit, *dantibus periculosam, & nihil accipientibus profuturam.* 1232

12°. Bellarminus conc. 8. Dom. IV. Advent. *Isti qui, quasi non essent rationem Domino reddituri, summâ facilitate omnibus manum imponunt, suâ imperitiâ ac superbiâ corrumpunt populos, & ea veræ pœnitentiæ viam præcludunt. Nec enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Concione verò 9. ejusdem Dominicæ ostendit, per facilitatem absolvendi faciè & citò relabentes, absolvi impœnitentes, cùm dicit: *Hodie multi, & fortasse omnes, crimina sua confessi sunt; quàm multi ex his, qui, non dico post unum mensem, aut post unam hebdomadam, sed cras, hâc horâ rursum erunt in pristino suo cœno. Id verò quid significat? Nonne eos ex consuetudine confessos esse, non quòd animum haberent, & propositum forte & plenum verè relinquendi peccata?* 1233

13°. Emericus de Bonis Jesuita tr. de Sacram. Altar. *Confessarii & Directores diligentiùs attendant* 1234

dere sibi debent, ut ne judiciorum Dei experiantur acerbitatem, qui dispensati tam pretiosi thesauri accuratam ab eis rationem reposcet. Ipsi secum reputent, indulgentiâ illâ & nimiâ facilitate indignos ad Communionem (per absolutionem) *admittendi, multos eâ duritie, eoque animi stupore erga res divinas obrigescere, ut ne quidem statûs illius miserrimi, in quo torpent, sensum habeant salutarem. Quo fit, ut cùm prius reverentes & venerabundi ad augustissimum Sacramentum accederent, jam id absque timore, veneratione & pietate suscipiant. Quòd inde manifestissimè patet, quòd nonnunquam eodem die* (*horrendum dictu, & Angelis ipsis detestabile, quodque valeat soli tenebras effundere, terram tremefacere, & elementa permiscere*) *ad suas sordes revertantur.*

1235 14°. Jacobus Segnerus, Theologus Pontificius, celebris per Italiam Missionarius, in Instruct. pœnitentis cap. 18. *Sancti Patres, Doctoresque celebriores, majoris Christianorum partis jacturam tribuunt modico usui dilatæ absolutionis certis in casibus* (maximè in casu recidivorum sese non emendantium, de quibus ibi loquitur.) *Quid est enim quòd, teste Filio Dei, adeò modicus est numerus electorum, comparatione vocatorum ad fidem,* "multi sunt vocati, pauci verò electi? " *Quid est quòd, referente Innocentio IV. animæ à sancto quodam Eremicola visæ sunt in infernum depluere, quemadmodùm media in hyeme volvuli nivis in terram depluunt? An quia Christiani non confitentur? Minimè gentium: rarò namque Christianus absque confessione moritur. Ut quid igitur? Quia nunquam benè, nunquam sincero cum dolore, firmoque emendationis proposito confitetur, ita ut cum Augustino dicere liceat, quòd*" confitendo non „ rumpunt peccata, sed interrumpunt.

1236 15°. Meritò proinde Illustrissimus D. Guido de Seve, Episc. Atrebatensis, in secunda Epistola sua Pastorali regulâ 23. *Praxis* (inquit) *abominabilis est, absolutionem nunquam negare vel differre pœnitenti, solo ore dicenti, se proponere emendationem, tametsi vita præcedens, frequentesque relapsus ipsius suadeant oppositum, nullaque præstiterit signa conversionis, nisi quòd ore dixerit se dolere, emendationemque proponere.*

1237 Enimverò per praxim illam fit 1°. ut consuetudinarii & recidivi in errorem mittantur, dum se absolutos putant, cùm non sint. 2°. quòd pœnitentia de cordibus ipsorum excutiatur, de eaque per media sæpè dicta comparanda amplius non cogitent: quia cùm absolutionem obtinuerint, se satis pœnituisse putant. 3°. quòd peccatorum suorum sensus ipsis adimatur, debita de peccatis lamentatio conquiescat, dolor fileat, delictorum memoria evanescat, comprimatur peccatorum gemitus, sistatur fletus oculorum, nec Dominum toties offensum humilibus & laboriosis pœniten-
1238 tiæ operibus placare peccator satagat. 4°. per consequens fit quòd peccator securus vivat in peccatis suis, nec satis unquam pœniteat in vita; nec consequenter in morte. Et ideò miserè pereat, & in æternum pereat. 5°. quòd nunquam è peccati statu exeat, sed in miserrimo illo statu Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta ad judicium suum
1239 sacrilegè semper accipiat. 6°. quòd nunquam Pœnitentiæ Sacramento peccata sua expient, nunquam à pravis consuetudinibus, & malis habitibus suis curentur, nunquam, ut oportet, redeant ad cor suum, nunquam sentiant peccatorum suorum magnitudinem, nec magnitudinem periculi, in quo versantur, nunquam ad meliorem frugem se recipiant, nunquam bonam & christianam vitam incipiant, nec in ea firmentur, sed totam vitam in perpetuo confessionum & relap-
suum circulo ambulantes, ad vomitum suum câ
1240 semper facilitate redeant, quâ absolvuntur. 7°. inde ergo fit quòd tanta hodie sit peccatorum li- 1240
centia, quòdque in omnibus ferè opificiis, artibus, officiis, & exercitiis, abusus intolerabiles inveniantur, ut S. Carolus deplorat c. 18. Ex quo tandem fit quòd *pereat multitudo infinita*, uti S. Salesius observavit. Ista frequenter repeto, quia nunquam satis ad ea reflectunt Juniores.

Unum ergo ex horribilioribus suppliciis, qui- 1241
bus consuetudinarios & recidivos divina justitia frequenter punit, est quòd permittat ipsos in molles indulgentesque Confessarios incidere, à quibus in solo verbo, quo se dolere, emendationemque proponere dicunt, absque alia cautione absolvuntur, inquit Segnerus ubi suprà c. 9. Ubi meritò addit, plurimos Confessarios in inferno ardere, & in æternum arsuros esse, pro alienis peccatis, quorum participes effecti sunt, per nimis faciles & præcipitatas illas absolutiones, quibus causa fuerunt perditionis tot animarum, pro quibus Christus mortuus est.

CAPUT CXX.

Argumentum centesimum decimum.

Ex eo quòd ingentia mala illa per se sequantur ex nimia illa facilitate credendi, & absolvendi, ideòque juxta doctrinam Sanctorum Confessariis imputentur.

QUòd Confessariis imputentur, manifestè do- 1242
cent Sancti capite præcedenti laudati, Cyprianus utique, Clerus Romanus, sancti Confessores, Ambrosius, Hormisdas, Villanovanus, Carolus & Salesius, cumque ipsis Bellarminus, Emericus de Bonis, & Segnerus.

Et ratio est duplex. Prima, quia mala illa ex dicta facilitate sequuntur per se, non per accidens dumtaxat. Sequuntur quippe non rarò, sed frequenter, & utplurimùm, imò ferè semper, prout experientia docet. Effectus verò utplurimùm sequentes ex causa aliqua, per se sequi censentur; per accidens verò illi, qui rarò & ut in paucioribus sequuntur, prout tradit explicatque S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 5. Atqui mala quæ per se sequuntur ex causa aliqua, tametsi directè non sint volita, censentur indirectè voluntaria ponenti causam illam, etiamsi formaliter & actu prævisa non fuerint, prout S. Doctor tradit ibidem; eò quòd utique potuerint debuerintque prævideri: *Si eventus sequens non sit præcogitatus* (ait S. Doctor) *tunc distinguendum est. Quia si per se sequitur ex tali actu, & ut in pluribus, secundùm hoc eventus sequens addit... ad malitiam actûs. Manifestum est enim, pejorem esse actum, ex quo nata sunt multa mala sequi.* Si verò per accidens, & ut in paucioribus; *tunc eventus sequens non addit... ad malitiam actûs.*

Secunda ratio est, quia mala illa ex dicta praxi 1243
seu facilitate sequuntur culpâ ipsorummet Confessariorum; utpote per facilitatem illam peccantium contra officium boni Confessarii, nec satis consulentium pœnitentium saluti, nec Sacramentorum reverentiæ & honori, uti probatum est cap. 108. 109. 110. 111. Certum est autem, mala, quæ per se, sive utplurimùm sequuntur ex causa culpabili, causam illam culpabiliter ponentibus imputari.

CAPUT CXXI.

Argumentum centesimum undecimum.

Ex eo quòd nulla mala per se sequantur ex praxi contraria, dictis utique peccatoribus non credendi, nec absolutionem impendendi, nisi per opera pœnitentiæ probatis, & emendatis: quin

ingentia potiùs bona ex ea per se sequuntur. Sola proinde per se tuta est. Et ideò sola in praxi sequenda.

2244 VEritas ultimæ partis argumenti, quòd utique sola praxis dictis peccatoribus non credendi, &c. per se tuta sit, sola proinde in praxi sequenda, perspicua est ex eo quòd sola illa opinio, vel praxis per se tuta sit, quæ ex una parte nec per se mala est, nec per se causa ullius mali; quin ingentium potiùs per se causa bonorum: ubi contraria praxis & opinio ex adverso per se mala esse probatur ex hoc quòd per se causa sit ingentium malorum, & causa privationis ingentium bonorum. Ita verò est in proposito. Et ideò tutum non est opinionem & praxim, mala illa per se causantem, bonisque privantem, præferre opinioni & praxi mala illa, per se avertenti, bonaque ista per se causanti. Cùm igitur ex dictis constet, tanta mala per se provenire ex præcipiti illa consuetudinariorum recidivorumque absolutione; idque testentur Sancti, cumque ipsis sapientissimi Theologi, experientiaque idipsum demonstret: Cùm etiam proximè demonstraturi simus ingentia econtrà bona ex dilata ipsis absolutione per se pullulare, nullaque ex ea mala per se provenire: tantò magis redarguendi sunt illi absolutionum præcipitatores, quantò gravius est peccatum, tantis bonis neglectis, tantorum malorum participem fieri: & quantò fortiùs centum & decem argumenta superiora probant, dictos peccatores, vel impœnitentes esse, vel non satis pœnitentes, vel de carentia sufficientis pœnitentiæ, seu contritionis, vehementer suspectos. Quâ si revera careant (uti carere ut minùs probabile est, imò valdè verisimiliter argumenta illa demonstrant) carent dispositione necessitate medii necessariâ ad valorem, vel certè ad fructum Sacramenti. Nihil proinde peccatoribus illis proderit probabilitas contrariæ opinionis (si tamen probabilis sit) si eam Confessarius in praxi sequatur. Imò summè oberit; quia defectu dispositionis ad justificationem & salutem necessitate medii necessariæ, peribit per praxim illius opinionis frater, pro quo Christus mortuus est. Imò peribit infinita fratrum multitudo, & peribit culpâ ipsius; eò quòd in re controversa, unde infinitarum animarum salus dependet, secutus fuerit opinionem non tutam à periculo Sacramentum administrandi sine materia necessitate medii necessaria ad justificationem & salutem. Quod profectò illicitum esse constat ex prima propositione per Innocentium XI. damnata: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

2245 Est igitur prorsus illicitum opinionem illam sequi in conferendo Pœnitentiæ Sacramento, relictâ nostrâ, quæ ideò tutior est (si non unicè tuta) primò, quia (præ contraria) est in sacris Litteris fundatissima.

Secundò, Ecclesiæ, etiam modernæ, sensu & usu est probatissima.

Tertiò, traditione authoritateque Sanctorum, veterum ac novissimorum, est munitissima; non verò opposita.

Quartò, plurimorum Ecclesiæ Principum, Cardinalium scilicet & Episcoporum, necnon insignium Theologorum judicio sola tuta.

Quintò, rationum Theologicarum munimine est solidissima. Ista omnia constant ex dictis in superioribus.

2246 Sextò, dictis peccatoribus est saluberrima, ob fructus ingentes ex praxi illius provenientes. Per eam namque suus Sacramentis honor affertur, dùm innumeræ Sacramentorum Pœnitentiæ atque Eucharistiæ profanationes impediuntur.

Per eam innumeri peccatores ad veram plenamque pœnitentiam perducuntur, quorum omnis, vel ferè omnis alioqui pœnitentia vel ficta, vel defectuosa fuisset, vel de alterutrò vehementer suspecta, prout SS. Patres, & sapientissimi Episcopi, & celebres Doctores, & innumeri Pastores & Confessarii contestantur.

Per eam iidem peccatores in bona & Christiana vita firmantur, qui aliàs ipso plerùmque confessionis die, vel non diù post, velut canes, ad vomitum suum redirent.

Per eam proinde eorum christiana evadit vita, quorum aliàs gentilis erat; à praviisque habitibus & consuetudinibus curantur, qui aliàs vel per totam vitam, vel ferè per totam, in iisdem permansissent.

Per eam fit, ut peccatores, morbi sui gravitatem sentientes, in illum recidere diligentiùs caveant, lamentabilisque status sui horrore & periculo concussi, orationibus & piis operibus Deum placare, veræque ac plenæ conversionis donum ab ipso impetrare satagant, eoque obtento, firmiter proponant in quodcumque aliud potiùs malum, quàm in tam miserabilem statum rursus incidere.

Per eam denique fit, quòd peccatores emendati pro malis commissis dignos faciant pœnitentiæ fructus, operumque salutarium praxi salutem suam assecurent. Neque enim dilatæ absolutionis praxis, pro qua decertamus, ex magnorum peccatorum, maximè consuetudinariorum & recidivorum, animis criminum admissorum memoriam obliterat, nec lachrymarum gemitumque fontem exsiccat, nec mortiferis ægritudinibus laborantes fallaci recuperatæ salutis opinione eludit, nec malè securâ obtinendæ toties quoties absolutionis confidentiâ ipsos deteriores efficit, ut (Sanctorum testimonio) efficit praxis contrariæ opinionis; sed meliores effectos, emendatosque, & sic tandem absolutos & justificatos, latagere facit, ut per bona opera certam suam vocationem faciant & electionem. Quæ omnia adeò vera sunt, ut si dilatæ absolutionis praxim, quam asserimus, concordi uniformitate Confessarii sequerentur, brevi reformaretur Christianus Orbis, qui per contrariam praxim majori ex parte in dissolutionem abit & perditionem. Idcòque praxis illa nostra longè humanior est benignioreque praxi contrariâ, prout testantur Cyprianus, Clerus Romanus, Chrysostomus, Ambrosius, &c. cap. 11. commemorati. *Certi sumus* (ait Clerus Romanus epist. 30. ad Cyprianum) *quòd spatio productioris temporis amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse medicinam; si tamen desint, qui* (prout faciunt Adversarii nostri) *illos arment ad periculum proprium, & in perversum instruentes, pro salutaribus dilationis remediis, exitiosa deposcant illis properatæ communicationis venena. Vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem* (ait Cyprianus) *gratias aget postmodum, cùm senserit sanitatem. Si quisquam Christianis hominibus convenire dixerit humanitatem* (ait Chrysostomus) *discat ille, humanitate eum uti, qui irascitur; non eum à quo præmaturè, qui peccat, vocatur, nec peccati sui sensu afficitur sinitur.... humanitatis enim est non ægrotis ubique indulgere,* &c.

Nec soli Sancti testes sunt ingentium bonorum ex dilatæ absolutionis, sed ipsorum testimonio accedit primò testimonium Fredrici Cardinalis Borromæi to. 3. all' adunanza de Confessori ragionam. 4. ubi postquam inter alia dixit, fuisse in celebri Italiæ Urbe Confessarium, apud quem femina admodùm dives & nobilis confessionem suam facere

consueverat, fornicandi consuetudine irretita. Quam cùm Confessarius persuadere satageret, ut se emendaret, postmodùm absolvenda, nec ipsam peccandi illecebras & occasiones præscindere paratam inveniret, sui ipse officii memor, declaravit inidoneam quæ Sacramenta perciperet. Cui cùm illa repositisset, quòd si suis se precibus exorabilem præbuisset, Ecclesiam sui Monasterii ex lapidea argenteam & auream feciſſet: Confessarius, vibrato in eam isto Petri fulmine: maledicta femina, *pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri*, ab illa discessit. Post illud (inquam) exemplum enarratum, exclamat: *O quàm beata forent Monasteria, si plures istiusmodi Religiosos enutrirent! O quàm beati forent populi, si à tam generosis Pastoribus regerentur!*

Accedit secundò testimonium Cardinalis Denhoffii in Instructione sua Pastorali, dum ad tertiam respondet objectionem; testimonium quoque Cardinalium de S. Clemente, Palotta, Capponi & de Lugo suprà n. 12....

1248 Tertiò, testimonium sexdecim Archiepiscoporum, Episcoporumque, in Epistola ad Innocentium X. n. 11. producta, ubi sic: *Quem fructum ex eo libro* (de frequenti Communione, ubi differendæ, ut suprà, absolutionis necessitas, & praxis edocetur) *fideles omnes percepturos certis argumentis sperabamus; eum nunc illos & percepisse hactenùs, & in dies magis ac magis percipere videmus, dum ejus beneficio verè sanatis animarum vulneribus, Ecclesiæ fideles, ut Christi membra, Deique filii, verè Christianam ac Deo dignam vitam agere studuerunt.*

Quartò, testimonium Magni Vencientium Episcopi Godæi in Mandato Synodali anni 1659. *In illis* (S. Caroli Instructionibus, ubi eadem praxis edocetur) *reperietis Methodum sanctam, atque adpeccatores à pravis habitibus eruendos salutarem... quia per discretam rationabilemque severitatem efficimini fideles sanguinis Christi dispensatores, pœnitentiumque vestrorum (sicut revera vos Christus instituit) Judices; non verò eorum mancipia, quales vos esse volunt Casuistæ, dum obligatos vos volunt ad impartiendam illis etiam absolutionem, de quibus nullam futuræ emendationis concipitis spem*, &c.

1249 Et quid dico testimonium Magni Vencientium Episcopi? Dicere debui, totius Cleri Gallicani in celeberrimo Conventu Generali anni 1655. cujus jussu Instructiones illæ S. Caroli novis typis mandatæ, ad omnes Regni Episcopos per epistolam iisdem præfixam missæ sunt, plurimùmque commendatæ, velut efficax remedium adversus *infelicem plerorumque Confessariorum in concedenda promiscuè pœnitentibus absolutione facilitatem, quam falsis pietatis coloribus prætexunt; ut scilicet hâc benignitate illos à peccato sensim retrahant, & ne in desperationem.... eos conjiciant....* Et infrà: *Ubi documenta tam sancta authoritate Episcopali in Diœcesibus vestris promulgata fuerint, accedet eis robur omne, & benedictio necessaria, ut prosint & Medicis, & ægris, utque hoc pacto reprimatis torrentem criminum, quæ iram divinam in Galliarum Regnum provocant, animosque fidelium ad sacras Evangelii regulas, quæ tantoperè nuper depravatæ sunt, restauretis.*

1250 Immò, quod longè gloriosius testimonium est, ipsemet Episcopus Episcoporum, Innocentius XII. per suum in Urbe Vicarium, Eminentissimum Cardinalem Carpegna, easdem Instructiones sequendas proponit, *ut sacras leges, & monita sapientissima, & tamquam regulam auream, quâ perversos populi Christiani mores facile est restaurare*, ut videre licet in epistola ejusdem Eminentissimi cap. 2. exhibita.

Non ergo mirum quòd omnes penè Galliarum Episcopi, qui sanctissimas Instructiones illas suis in Diœcesibus promulgarunt, fructus uberes ex earum praxi expertos sese contestentur. Nominatim Illustrissimus D. Episcopus Atrebatensis, qui in præfatione suæ Instructionis ad Pastores & Confessarios sic loquitur: *Non possumus non vobis dicere, hanc esse praxim illam omninò sanctam, & Spiritui Ecclesiæ conformem, quæ in Missionibus per Diœcesim nostram, & Ecclesias vestras institutis, fructum tam uberem, & conversiones tam insolitas & prodigiosas, quarum ipsi testes estis, produxit.*

Est-ne qui plura velit testimonia? En duorum è Societate Jesu Theologorum insignis pietatis ac doctrinæ. Plusquàm à centum annis, anno utique 1595. Romæ excusus fuit tractatus de SS. Altaris Sacramento, cujus Author, Emericus de Bonis, S. Ignatio adhuc superstite in Societatem admissus, testeque Alegambio, *Instituti ejus zelator & observator exactus*, in eo sic loquitur: *Multi Confessarii pii prudentesque testantur, innumeros homines, qui peccatis prius obstricti erant, quòd eam rationem tenuissent, dilatâque absolutione, sæpiùs ad tribunal, ut animi statum identidem aperirent, illis redire jussissent, impositâ interim delictorum pœnâ, pristinos mores in melius mutavisse, & magno gaudio, magnoque deinceps in virtute progressu, insandam peccandi consuetudinem abjecisse.*

Durum equidem & grave primò ipsis videbatur, toties sine absolutione, & plerisque pœnis oneratos remitti: verum multi postea severitatis illius fructum & utilitatem experti, gaudentes, & ut de se optimè meritis gratulantes redire, futurumque facentes fuisse, nisi ejusmodi austeritate essent cohibiti, laudabiliorem vitam ut nunquam instituerent. Magno dolore procul dubio, dum Chirurgus humorem pungit, ægrotus afficitur; sed sanatus gratias agit, mercedemque pro beneficio rependit. Eâdem verò ratione curanda sunt vulnera animorum, quâ corporum, uti SS. Patres Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus, & alii passim omnes docent.

Ex eadem Societate Paulus Segnerus, Theologus Pontificius, Missionarius per totam Italiam zelosissimus in Instruct. Confess. c. 4. *Experimento discès* (inquit) *quod pœnitentem non absolutum subinde remittere, ipsum ad se revocat, ut majus odium, majorem concipiat horrorem peccatorum suorum..... Iterùm dico, adeò efficax est illa absolutionis suspensio, ut in animabus quibusdam eundem producere videatur effectum, quem ignis in lethargicis operatur; cùm eas à funesto illo revocet sopore, quo detinentur, efficiendo per confusionem sanctam, quam in ipso causat, ut vehementer timeat relapsum in pristina scelera, sollicitusque sit de illo cavendo. Fieri quidem potest, ut inde primò concipiat tristitiam aliquam, sed ideò salutarem, quia adauget conceptum de peccatis dolorem, ita ut contritio ipsius, primitùs debilis & languida, nec idonea ad superandos leviores concupiscentiæ motus, minoresque peccati illecebras, adeò roboretur, ut jam idonea sit ad resistendum gravioribus tentationibus, quæ ipsi accidere possent.*

Et propterea remedium istud communi Doctorum passim omnium judicio est approbatum; eoque sapientes ac prudentes Confessarii utuntur magno cum fructu. Ipsemet, uti confido, usu & experimento discès, quàm multi per discretam applicationem illius vitam mutarint, pravosque exuerint habitus, à quibus per multorum annorum laborem se nequiverant extricare.

In Instructione verò pœnitentis c. 8. dicit, dilatam aliquanto tempore absolutionem esse *remedium pluribus in casibus ordinariè unicum ad impe-*

diendam peccati recidivam. Enimverò nemo unus est Medicus, quamlibet in sua arte peritus, atque expertus, qui aliquanto tempore non cunctetur antequam judicium ferat, num infirmus suus verè liber sit à febri longa & continua, ne per recidivam decipiatur. Si ista sit praxis Medicorum corporalium, uti quotidiana docet experientia; quidni & spiritualium? Capite verò 9. praxeos istius utilitatem magnam ostendit exemplo S. Raymundi, qui per sanctam hanc severitatem curavit Aragoniæ Regem.

CAPUT CXXII.

Argumentum centesimum duodecimum.

Ex eo quòd easdem ob rationes improbanda sit nimis festina absolutio magnorum peccatorum, maximè consuetudinariorum, & recidivorum, ob quas improbatur nimis festinus baptismus adultorum. Cùm similia mala proveniant in illo, sicut in isto casu.

1251 AB Ecclesia non probari præmaturum adultorum baptismum, inde manifestum est, quòd velit rationabili ipsos tempore instrui & probari, antequam baptizentur. Ideò Concilium Cartaginense IV. can. 85. statuit, ut *baptizandi nomen suum dent, & diù abstinentiâ vini & carnis, ac manûs impositione crebrâ examinati baptizentur.* Imò prisca olim Ecclesia non permittebat adultos (citra casum urgentis necessitatis) baptizari, nisi in vigilia Paschatis & Pentecostes, & secùs facientes corripiebat, ut videre licet apud Leonem Papam to. 1. epist. 136. edit. noviss. Paris.

1252 Nec Ecclesia moderna præproperas magis probat baptismi collationes, prout colligere est ex hoc quòd cùm nonnulli Indiarum Missionarii, magis gloriantes in multitudine, quàm in virtute baptizatorum suorum, neglectis salutaribus moris, ad instruendos probandosque Catechumenos necessariis, ipsos præproperè baptizarent, de ipsis gravissimè conquesti Franciscus Heliopolitanus, & Petrus Berytensis Episcopi (qui in Tunchini & Cochinchinæ Regnis incredibili cum fructu Christum annuntiabant) pro feliciori Evangelii propagatione, Instructiones quasdam ediderint, quas Eminentissimus D. Cardinalis Bona, jussu S. Congregationis de propaganda fide recensens, testatus est Apostolico spiritu fuisse conscriptas, & easdem Typographus ejusdem Congregationis Romanis typis evulgavit.

In istis porrò Instructionibus, Româ probante, Episcopi illi sic loquuntur: "Longè absunt à pia „ illa, & tam necessaria sollicitudine quidam In- „ diarum Operarii, qui obvios quosdam, vix ex- „ ploratâ illorum voluntate, unâ aut alterâ in- „ structione contenti, sacro baptismi fonte ab- „ luunt. " Quanta verò mala ex festinato taliter baptismate proveniant, sic enarrant: "Incredibi- „ le dictu est, quantùm eorum in numerandis „ multis à se baptizatis cura, in excolendis incu- „ ria & segnities, in delectu nimia credulitas, „ præmaturâ baptismatis administratione, offece- „ runt fidei benè (ut par est) stabiliendæ, necnon „ etiam nomini Christiano. Enimverò compro- „ batum est experientiâ, Christianos pejores non „ inveniri, quàm qui ante competentem instru- „ ctionem ad baptismum admissi sunt; quippe quâ „ facilitate Christo nomen dederunt, eâdem utplu- „ rimùm nuntium ei remittunt; & videre est ali- „ quos, qui & Christianorum simul & idolorum „ templa solent frequentare; quodque miserabi- „ lius est, deteriores multi sunt, quàm ante bap- „ tismum, & correctionis omninò impatientes.

Ad quorum malorum remedium laudati Episcopi eos solos ad baptismum admittendos statuunt, qui per integros 40. dies instructi, pisque Christiani hominis exercitiis probati fuerint: quamobrem etsi hodie Sacerdotibus commit- " tatur judicium de Catechumenorum instructio- " ne, aliisque necessariis conditionibus..... ut iis " sanctum baptisma confratur; rectius tamen & " securius nobis visum est, cum Patribus, & " Conciliis, Catechismi tempus non breviori " quàm 40. dierum spatio vulgò definere, nec " alios ad baptismum admittendos, nisi qui an- " te 40. dies nomen dederint. Cùm etiam expe- " rientiâ, quæ sacris Canonibus consonat, satis " notum sit, diuturniorem moram esse poruti- " lem ad obtinendam in Christiana fide perseve- " rantiam. Atque adeò hac in parte habenda erit " ratio venientium ad fidem. Qui enim laudatam " anteà vitam duxerint, ferentque præ se docili- " tatem, atque pietatem, prædicti temporis in- " stitutio eis sufficiet, ac interdùm brevior; si ta- " men anteà sat benè instructi sint, & (quod ra- " rissimè contingit) urgentissima necessitas postu- " labit. Diutiùs probari debent rudiores, & ob- " tusioris tardiorisque ingenii, servi, & qui tem- " poralis pœnæ vitandæ gratiâ fidem videntur " amplecti velle, aut sperant aliquid lucri & " commodi se consecuturos ex eo quòd Christia- " ni fiant: ii denique qui levis & inconstantis " animi signa aliquando dederunt."

Nec ob vitæ incertitudinem, quotidianaque mortis pericula, moræ illæ prætermittendæ sunt. *Neque enim hæc mora periculum conjunctum habet* (ait Catechismus Romanus p. 2. de bapt. n. 36.) *cùm illis qui rationis usu præditi sunt, baptismi suscipiendi propositum atque consilium, & malè actæ vitæ præteritæ pœnitentia satisfactura sit ad gratiam & justitiam, si repentinus aliquis casus impediat, quominùs salutari aquâ ablui possint. Contrà verò hæc dilatio aliquas videtur utilitates afferre. Primùm enim, quantùm ab Ecclesia providendum est, nequis ad hoc Sacramentum ficto & simulato animo accedat; eorum voluntas quâ ad baptismum accedunt, magis exploratur atque perspicitur. Deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, & Christianæ vitæ institutionibus eruditiuntur perfectius. Præterea major religionis cultus Sacramento tribuitur.*

His ex Catechismo Romano allegatis, iidem Episcopi sequentia monita subjungunt. Primò, ut Catechumenorum menti illuminandæ, formandisque moribus Missionarii diligentissimè incumbant. 2°. " ut id caveant apprimè, ne fortè eò dementiæ abripi se sinant unquam, ut " baptizandorum numerum copiosiorem potiùs " desiderent, quò habeant unde glorientur, quàm " bonas in iis dispositiones, & congruam insti- " tutionem. 3°. ut ut ardentibus votis Catechu- " meni baptismum expetant, & prærequisitis dis- " positionibus sint eruditi, his tamen Sacramen- " tum hoc Missionarii priùs non concedant, quàm " pertentatâ illius desiderii efficaciâ compererint " eos idola foras projecisse, atque detestari, " Gentilium superstitiones procul ablegasse, & " quæcumque ex diabolica officina prodeunt sa- " crilegia, & alia id genus proculeasse; unâ re- " tentâ uxore, alias domo expulisse; omnes ini- " micitias ex animo deposuisse; pro illatis injuriis " quantùm licuit satisfeciisse. Sicut à sacro bap- " tismatis fonte rejiciendi sunt, qui vitiis ac pec- " catis obstinatè adhærent; ita procul dubio ab eo " repellendi, qui nolunt interioris conversionis " signa operibus dare: cùm inde pateat, infectam " peccati amore voluntatem adhùc gerere. Ne- " que admittendi etiam illi erunt, qui, quod à se " exigitur jure, possuntque præstare ante baptismi " susceptionem, nonnisi eo suscepto effecturi se

„ se spondent.... Nimirùm docuit Missionario-
„ rum experientia, in infidelium regnis Catechu-
„ menos ex baptismi desiderio multa polliceri,
„ quæ nisi ante baptismum impleant, nunquam
„ postea mandant executioni. " Hactenùs lauda-
ti Episcopi.

1253 Rationes verò ab ipsis allegatas pro non festi-
nanda baptismi collatione, pariter suadere non fe-
stinandam absolutionem, respectivè ad peccatores
sæpè dictos, facilè videt, quisquis ad eas seriò reflec-
tit. Quemadmodùm enim baptismi dilatio in-
struendis & formandis Catechumenorum mori-
bus necessaria est, nec omittenda ob humanæ vitæ
incertitudinem; idem dicendum de absolutionis
dilatione, respectivè ad consuetudinarios & reci-
divos nostros.

2°. quemadmodùm Missionarii, qui, præ-
termissâ salutari morâ, Catechumenis instruen-
dis, & formandis ipsorum moribus necessariâ,
baptismum ipsis citò conferunt, stabiliendæ in ip-
sis fidei, Christiano nomini, & animarum saluti
quàm maximè officere, Episcopi illi testantur:
ita Confessarii, qui, prætermissâ salutari absolutio-
nis dilatione, formandæ & perficiendæ consue-
tudinariorum recidivorumque conversioni neces-
sariâ, absolutionem ipsis citò conferunt, stabi-
liendæ ipsorum conversioni, Christiano nomini,
animarumque saluti quàm maximè obsunt.

3°. quemadmodùm Catechumenis, tametsi
instructis, baptismus, licèt ardenter desideratus,
conferendus non est, nisi priùs ex fructibus bonæ
conversationis noscantur pristinis renuntiasse cri-
minibus, moresque Christianos induisse; sic à for-
tiori absolutio consuetudinariis ac recidivis, qui
fidem de emendatione sæpiùs datam non servà-
runt, etiam ardenter desiderantibus conferenda
non est, nisi priùs ex fructibus bonæ conversa-
tionis sese emendare noscantur.

4°. quemadmodùm Catechumenis (licèt e-
mendationem spondentibus) habenda non est fi-
des, nec baptismus conferendus, nisi ante ejus
susceptionem ea præstiterint Christiani hominis
officia, quæ possunt & debent; eò quòd baptismi
desiderio multa polliceri soleant, quæ post bap-
tismum susceptum non implent. Id multò magis
locum habet in consuetudinariis & recidivis, qui
fidem datam, post absolutionem, frequenter vio-
larunt. Quorum proinde executio ante absolu-
tionem jure exigitur.

5°. quemadmodùm experientia docet, Chri-
stianos pejores non inveniri, quàm qui ante pro-
batam per opera eorum conversationem ad bap-
tismum admissi sunt (quâ enim facilitate Christo
nomen dederunt, eâdem utplurimùm nuntium
ei remittunt;) sic pariter experientia docet, Chri-
stianos pejores non inveniri, quàm consuetudi-
narios ac recidivos, qui ante probatam per opera
eorum conversionem passim absolvuntur: quâ
enim facilitate absolvuntur, eâdem redeunt ad cri-
mina sua, imò deteriores fiunt, criminibus illis
addendo Sacramentorum profanationes & sacri-
legia.

6°. quemadmodùm Missionarii quàm maxi-
mè cavere debent, ne popularem autam, & famæ
celebritatem affectantes magis glorientur in bap-
tizatorum à se hominum multitudine, quàm in
virtute, bonaque educatione: sic Confessarii quàm
maximè etiam cavere debent, ne popularem au-
ram similiter affectantes, magis glorientur in pœ-
nitentium suorum multitudine, quàm in vera ple-
naque eorum conversione. Ideòque non debent
(maximè post violata sæpè promissa) ipsis absо-
lutionem ordinariè concedere, quàm pertentatâ
propositi ipsorum efficaciâ, ex fructibus bonæ con-
versationis compererint, ipsos idola pravarum
cupiditatum foras ejecisse, eaque detestari, gen-
tilem vitam, seu criminosam procul ablegasse,
proximas peccandi occasiones dimisisse, inimici-
tias omnes ex animo depositisse, pravas consue-
tudines per actus contrarios sic subjugasse, ut am-
plius ipsis non dominentur, &c. Neque enim
Confessarii in istis fidem adhibere debent solis ver-
balibus promissis, vel etiam momentaneis lachry-
mis pœnitentium, sicut nec Missionarii Catechu-
menorum.

Si ad ista attenderent Confessarii laxioris viæ, 1254
se tantò illustriores non arbitrarentur, quantò ip-
sos in pœnitentiæ tribunalibus positos major ægra-
rum animarum turba circumcingit. Quia, uti sa-
pienter observat Cardinalis Fredericus Borromæus
ubi suprà, laus non est Medici, circum se habe-
re innumerabilem ægrorum exercitum, quorum
ne unum quidem sanare possit.

Atque utinam solùm esset dedecus Confessario-
rum, non etiam crimen, in multitudine ejus-
modi pœnitentium! At reverà est cum dedecore
crimen, dum indispositos contra Evangelii vigo-
rem, & contra Dei leges absolvendo, ipsos non
curant, sed occidunt, dumque cæcus cæco du-
catum præstat, ambo in foveam perditionis ca-
dunt. Istam namque ob causam Confessarios
multos æternùm perire Cardinalis Fredericus ibi-
dem ostendit, etiam eos (inquit) qui austeram
& religiosam alioqui vitam ducunt. Pereunt enim
(inquit) tamquam communicantes peccatis alie-
nis, & tamquam causa perditionis multarum ani-
marum, quas requiret Dominus de manibus ip-
sorum. Ita etiam Emericus de Bonis, ubi suprà,
& Segnerus omninò videndus in Institutione Con-
fessarii c. 5. ubi errorem & causam perditionis ip-
sorum pulcherrimè, licèt non sine dolore, descri-
bit. Idem sentiunt Bellarminus conc. 8. in Do-
min. 4. Advent. & S. Franciscus Salesius in Con-
stitut. Synodal. tit. 9. c. 5. cùm dicit, quòd per
falsas absolutiones PERIT, TUM PRESBYTERO-
RUM, TUM POENITENTIUM MULTITUDO INFINITA.

CAPUT CXXIII.

Magnus peccator, corde sincero, voluntateque non languidâ, sed forti quærens animæ suæ bonum, indulatam non quærit peccatorum suorum absolutionem, nec Confessarium nimis indulgentem.

RAtio est tum quia voluntate forti & sincerâ 1255
quærens salutem animæ suæ, pro ea securè
obtinenda id facere & pati non refugit, quod sæ-
culi homines pro securè obtinendo temporali ali-
quo bono, non languidè, sed fortiter concupito,
faciunt & patiuntur, v. g. Aulici ut à Rege ob-
tineant officium aliquod lucrosum, vel honorifi-
cum (cùm nihil minus faciendum & patiendum
sit pro securè obtinendo bonorum omnium ma-
ximo, & æterno, quàm pro temporali, & respe-
ctivè ad illud minimo.) At quid non faciunt, &
patiuntur ipsi, ut secure bonum istud obtineant?
Quâ assiduitate non adsunt Regi, ipsiusque se præ-
sentant obtutibus, quot periculis sese non expo-
nunt, quot repulsas non patiuntur, nec propterea
à ferventer orando & sollicitando desistunt, nec
ab impigrè laborando? Et post hæc se benè remu-
neratos arbitrantur, si tandem officium illud ob-
tineant? Cur ita? Quia non languidè, sed fortiter
illud desiderant. Fac ergo peccator, ut securè
obtineas bonum bonorum maximum, & evites
malum malorum maximum, quod illi, ut secu-
rè obtineant bonum tam modicum, si vis ut tibi
credatur, dicenti, te non languidè, sed fortiter
illud desiderare. Nec à quærendo & sollicitando
desiste, siquando statim non obtineas, quod non

latis fortiter desideras, idque Confessarius colligat ex languida & nimis imperfecta dispositione tua.

Tum quia voluntate forti & sincerâ quærens animæ suæ bonum, quærit peccatorum remissionem veram & stabilem, per Sacerdotis absolutionem. Porrò vera non est peccatorum remissio, nisi data sufficienter dispositio, id est verè ex toto corde conversio. Aliàs nihil ipsi absolutio prodest, imò obest plurimùm. Quia dum verè se absolutum credit, cùm non sit, sollicitus jam non est de postulanda à Deo, per ferventes preces, & alia pietatis opera, vera ac plena sui conversione. Quæ quamdiù deficit, tamdiù manet in peccatis suis: tamdiù proinde manet non absolutus. Quemadmodùm verò inæstimabile bonum est absolutio vera, per quam verè remittuntur peccata, peccatorque de mancipio diaboli efficitur filius Dei, transitque de morte ad vitam; terribile econtrà malum est, per absolutionem falsam, mancre in peccatis suis, conceptâque falsâ securitate, credere quòd spiritualiter vivas, cùm mortuus sis, ideòque negligere curam & sollicitudinem recuperandi vitam.

1256 Nec tamen sufficit quærere vitam, oportet & stabilem, eo saltem sensu, ut vita animæ recuperata facilè & citò postcà rursum non amittatur. Parum enim prodest, vitam recuperasse, si recuperata per relapsum facilè & citò rursum amittatur. Imò plurimùm nocet, eò quòd inde status peccatoris longè deterior efficiatur. Dum enim diabolus extortam sibi prædam recuperat, *assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis istius pejora prioribus.* Matth. 12. 45.

1257 Nonnullis quidem peccatoribus utilius est statim absolvi, iis utique, qui seipsos ante Confessionem, per opera pœnitentiæ, cum emendatione conjuncta, sat diù probaverunt, per actusque pravis operibus contrarios, in bono firmaverunt. Verùm aliis, quorum extra dubium plena non est conversio, procul dubio utilius & optabilius est tam citò non absolvi; ob periculum ne verè non absolvantur, ob veræ vel plenæ conversionis defectum. Ipsis verò utilior est dilatio absolutionis, quâ fit ut stimulentur ad Deum humilibus & frequentibus precibus; pœnitentiæque operibus exorandum pro obtinendo veræ ac plenæ conversionis dono.

1258 Et ideò peccatores, sincero corde animæ suæ bonum & salutem quærentes, non fugiunt, nec horrent, imò omni diligentiâ quærunt Confessarium, qui excutiat torporem, qui vituperet, qui increpet, qui mollis & adulator non sit, nec præceps in absolvendo, qui norit, & varias suggerat artes ac vias omne deinceps peccatorum genus evitandi, vitamque corrigendi, qui animæ vulnera manu parcente non tractet, sed convenienti pœnitentiâ castiget. Talis enim demùm muneris sui partes implet. Atqui Confessarium, muneris sui partes implentem, ad curandos animæ suæ morbos, non minori sollicitudine peccator quærere debet, quàm talem Medicum corporis sui quæreret, si corpore infirmus esset; vel Advocatum talem, si majoris momenti litem sustineret. Neque verò, ubi de animæ salute agitur, cuilibet Confessario se committere debet. Cùm scriptum sit: *Ne subjicias te omni homini pro peccato.* Eccli. 4. 31. Et *cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. 14. Nec certè minus sibi periculum imminet à spirituali Medico, quàm à Chirurgo, qui vulnus purgaret quidem, sed vel non alligaret, vel manu parcente tractaret, dum foret secandum. Huic porrò similes sunt Confessarii molles, qui præmaturè absolvunt, prout sancti Patres tradunt. Ei quoque similes sunt Confessarii illi, qui auditâ peccatoris Confessione, piscium instar muti, non monent, non consilia suggerunt, non opera pœnalia imponunt, cavendis imposterùm peccatis idonea, non alia melioris vitæ præcepta tradunt. Non mirum proinde, quòd (experientiâ teste) qui à talibus Confessariis, studio quæsitis, à peccatis absolvuntur, vix à sacro tribunali domum redeunt, cùm ad solita crimina, ad lucra utique injusta, obscœnos amores, blasphemias, &c. revertuntur, non aliter, quàm si de ejusmodi delictis esse nunquam accusassent. Tragicum hujusce rei exemplum ex P. Joanne Lorino apud Philippum Dou- 1259
treman Pædag. Christ. c. 14. sect. 2. histor. 3. narrat P. Segnerus in suo Christiano instructo p. 3. discursu 17. " In urbe Italiæ " (inquit) " cujus nomen certis de causis tacetur, Nobilium quis- "
piam, cùm rem suam inopum injuriis multùm "
auxisset, à Parocho suo, noxarum venià non "
impertità, facessere jussus est, propterea quod "
ad malè parta reddenda induci non posset.... "
Accessit diversorum è diversis sacris familiis tri- "
bunalia, nec tamen vel unum reperit, qui sine "
Sacramenti injuria censeret absolvendum.... "
Post longam tamen in quærendo diligentiam, "
magno suo malo in aliquem incidit eorum, qui, "
ut Propheta loquitur, *consuunt pulvillos sub* "
omni cubito, & cervicalia sub omni capite pec- "
catorum, ad dormiendum suaviter mortis suæ "
somnum. Hic igitur... cùm omnes, quos priùs "
adierat Nobilis, Confessarios damnasset, ut "
nimiùm rigidos, pœnitentem suum maximâ vo- "
luntate absolvit, hominemque eâ facilitate ita "
sibi devinxit, ut non pœnitentem modò multo "
tempore, sed & amicum retineret, à quo cre- "
bra ad eum veniebant munera, nec raro lau- "
tam ad mensam conviva adhibebatur. Ita semel "
à cœna, dum Confessarius ad suum Cœno- "
bium, Nobilis cubitum se contulit; hic subito "
& violento symptomate oppressus suffocatus- "
que vivere desiit. Interim dæmones gemini, "
famulorum hujus heri habitum mentiti, accur- "
runt ad Cœnobium, & Monachum, jam ad "
quietem capiendam compositum, magno tu- "
multu evocant; festinaret quàm ocissimè, he- "
rum jam animam agere. Nihil moratus Con- "
fessarius, lecto, domo se proripit, & ad ædes "
Nobilis festinus cum mentitis illis ducibus ac- "
currit. Scalas dum ascendere parat, stantem ea- "
rum in capite Nobilem, talari domestică veste "
indutum, intuetur. Delusum se ratus, queri "
cœpit de molestia sibi tam importuno tempore "
illata. Sed respondit Nobilis: plus satis verum "
est, quòd habeam pessimè, æternis enim cru- "
ciatibus addictus sum, ob sacrilegas tot anno- "
rum Confessiones. Ut tamen ea in re solus in "
culpa non fui, ita & pœnarum socium habe- "
bo. Tu enim, tu ipse, qui toties à noxis per- "
peràm me absolvisti, eâdem mecum à divina "
justitia sententiâ fulminatus es. His dictis, po- "
sito famulorum schemate, prodeunt dæmones, "
& singuli singulos complexi, summo cum stre- "
pitu..... videri desierunt, quin vel vestigium "
gemini illius cadaveris, ex oculis subducti, un- "
quam deinceps, aut ullibi appareret..... Eat "
nunc qui volet (inquit Segnerus) & dormien- "
tem quærat Confessarium: eos autem ut diffi- "
ciles & asperos traducat, qui quod oportet mo- "
nent, corrigunt, & cæteras officii sui partes "
fortiter & suaviter implent. Nemo ex sententia "
tam facilè prolata quidquam habebit emolu- "
menti, præter unum dæmonem, qui duas se- "
cum auferet animas, rei nimirùm perperàm ab- "
soluti, & Judicis injustè absolventis." Hucusque P. Segnerus, qui paulò antè dixerat, alienas esse ab ore sciò dolentis & pœnitentis querelas, &c

de Confessario, à quo increpatus fuit, vel inabsolutus, tamquam nimis aspero & inhumano. Nec certè signum animi seriò pœnitentis, magis est studio quærere sibi Confessarios in absolvendo faciles, quàm faciles in dandis pœnitentiis levibus pro commissis gravibus. Quos qui studio quærunt, Confessariosque dantes pœnitentias peccatis proportionatas fugiunt; S. Bernardinus Senensis censet non plus habere contritionis, quàm habeat diabolus.

CAPUT CXXIV.

Variis casibus absolutio differri potest, licèt sufficienter existimetur contritus.

1160 EX pœnitentis consensu differri posse, conveniunt omnes Theologi, velut in re certa. Sed &, absque consensu ipsius, ex rationabili causa differri posse, *communis & vera sententia affirmat*, inquit Cardinalis de Lugo disp. 14. de Sacram. Pœnit. sect. 10. *Nam licèt* (inquit) *pœnitens, legitimè dispositus, Confessione factâ, habeat jus ad sententiam; non tamen habet jus, ut statim proferatur sententia: potest enim Judex arbitrari, quomodo & quando debeat utilius proferri sententia. Quando ergo meritò timet, pœnitentem, nunc absolutum, facilè relapsurum statim in eadem crimina, nisi ipsâ difficultate & dilatione absolutionis territus, agnoscat melius gravitatem peccati, poterit differre absolutionem, ut pœnitens utiliter admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum alias subiret.*

1161 *Similiter ex communi doctrina Theologorum potest aliquando obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante absolutionem, per modum medicinæ, quando judicat id esse necessarium vel utile pœnitenti, ex eo quòd soleat facilè omittere postea pœnitentias sibi impositas, vel ut Confessarius certus sit de pœnitentia impleta, vel ob alios fines.*

Et ratio à priori est, quia Confessarius non solùm est Judex, sed & Medicus. Unde sicut in pœnitentia imponenda exercet officium Judicis punientis; ita simul exercere debet officium Medici curantis; atque adeò procurare, quòd impositio pœnitentiæ sit in utilitatem & medicinam pœnitentis, quò reddatur magis cautus & fortis contra tentationes.... Ad utrumque enim habet jus Confessarius, nec à pœnitente prohiberi potest, ne in ipsa absolutione utrumque exerceat. Et experientia multorum pœnitentium ostendit quòd hoc remedio brevi tempore solent curari, reddunturque magis cauti, denique hoc modo melius concipiunt necessitatem perseverantiæ in proposito non peccandi; in eoque proinde proposito firmantur, nec ita facilè postea relabuntur. Hæc omnia Lugo supra, cum communi (ut ait) Theologorum sententia.

1162 Meritò proinde Illustrissimus D. Episcopus Atrebatensis propositionem hanc censurâ notavit: *Non est licitum differre absolutionem pœnitenti ex eo præcisè quòd reincidat in idem peccatum grave.* Cum extra dubium sit meritò differri ob circumstantias se tenentes ex parte relapsûs, v. g. ob relapsûs frequentiam, ob non adhibita contra relapsum congrua remedia, &c.? Non est tamen absolutio universim differenda lapso in grave peccatum, primâ vice quâ peccatum illud confitetur. Si enim mox à peccato commisso se totum pœnitentiæ dedisset, eaque inter confitendum signa daret, quibus fidem Confessarius prudenter negare non posset, non est cur teneretur absolutionem ipsi differre. Imò nec prudenter eam pœnitenti sufficienter dispositio differret, quando ex dilatione magis timeret damnum spirituale pœnitentis, quàm utilitatem speraret.

1163 Addunt Doctores Lovanienses in declaratione per Hennebellum, Delegatum suum, coram Apostolica Sede facta die 18. Septembris 1700. (cui deinde 21. Februarii 1701. Lovanii coram Magnifico Rectore D. Claës per actam publicam subscripserunt, tum Rector ipse Magnificus, tum Huyghenius, De Charneux, Hennebellus, Renardi, Sullivanus, Verschuren, S. Theologiæ Doctores) „primò non ob quævis peccata interna, ex objecto mortalia, ut superbiæ, avaritiæ, iræ, „ invidiæ, &c. opera præparatoria passim injun- „ genda esse hominibus, qui cæterà christianè vi- „ vunt. „

Secundò similiter nec iisdem passim ea injun- „ genda, etsi venerint ad peccata ex objecto mor- „ talia externa, ut sunt rixæ, contentiones, &c. „

Addo & ego 1°. per recidivos hîc eos intelli- 1164
gi, qui post confessionem in confessa crimina relabuntur, sive facilè relabantur, & frequenter, sive non facilè, nec frequenter. In quo à consuetudinariis distinguuntur, utpote qui, propriè loquendo, soli sunt, qui ex frequentatis actibus vitiosis, eorum habitum, seu propensionem in eos magnam contraxerunt, ex qua fit quòd in eos facilè & frequenter, etiam absque gravi tentatione labantur.

Addo 2°. cum Illustrissimo D. Gilberto de Choyseul, Episcopo Tornacensi, in sua brevi ac dilucida explicatione singularum partium Sacramenti Pœnit. cumque Steyartio in Conclus. Theologico-pract. Conclus. 34. & Hennebello in Systemate Sacram. Pœnit. §. 3. & 4. duas recidivorum classes esse distinguendas, alteram recidivorum ex malitia, alteram recidivorum ex fragilitate. Prioribus quidem, ad cavendam nimiam laxitatem, ordinariè differendam absolutionem, ob insufficientem, vel non satis exploratè sufficientem dispositionem: sed cum posterioribus, ad declinandam nimiam severitatem, benigniùs agendum. Ex quo constat, assertionem nostram inter extremas duas esse mediam.

Per recidivos ex malitia, eos intelligo, qui semper promittunt, & nunquam sese emendant, nec vim sibi notabilem inferunt contra relapsum, nec convenientia contra eum remedia sedulò practicant, nec cum tentatione (dum recurrit) multùm luctantur, sed facilè & citò succumbunt, nec solitas peccandi occasiones fugiunt, nec victorias notabiles adversus tentationem reportant. Idcòque post confessionem non diu sibi cavent à relapsu. Qui ejusmodi sunt, satis intelliguntur non habere veram, vel saltem plenam sese emendandi voluntatem; sed vel nullam, vel ad summum semiplenam, & (ut Augustinus loquitur) *semisauciam*. Differendi proinde sunt, dum veram & plenam habeant, suaviterque monendi, ut interim ferventes orationes, humiliaque & laboriosa pœnitentiæ opera faciant, ad plenam conversionem, plenamque se emendandi voluntatem à Deo impetrandam.

Per recidivos ex fragilitate, intelligo eos, qui facilè & citò non reincidunt, sed congruis aptisque remediis contra relapsum se armant, vim sibi notabilem contra eum sibi inferunt, occasiones devitant, Deum ferventer orant, contra tentationes multùm luctantur, iisque sæpiùs fortiter restiterunt, victoresque sæpiùs extiterunt, sed post multas victorias & resistentias, & luctam magnam, graviori tentationi semel succubuerunt. Cum talibus enim mitiùs agendum, quàm cum iis qui facilè & citò succubuerunt, ex epist. 53. Cypriani colligitur. Et ratio dictare videtur. Non videntur ergo mox absolutione privandi, sed juvandi, & ad conatus acriores animandi, modò Confessarius videat, eos non languidè, sed sedulò agere, atque ad totalem emendationem, non frigidè, sed seriò & sincerè anniti, statimque post lapsum, cum humilitate magna, & lachrymis, Dei clementiam imploràsse.

eaque jam pœnitentiæ signa dare, ex quibus prudenter credere possit, ipsos sat esse contritos.

1265 Meminisse tamen oportet, illis ex fragilitate recidivis non solùm cavendas esse peccandi occasiones, quæ ab omnibus communiter cavendæ sunt, sed & illas, quæ, attentâ speciali suâ infirmitate, peccati periculum sibi præ aliis adferunt. Quia (ut Bernardus ait serm. 1. Pasch. c. 16.) *non satis cecidisse piget hominem, qui adhuc manere disponit in lubrico.... sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis.* Et quia tales in medio laqueorum specialiter ambulant, facileque est animum ipsorum, ex peccati reliquiis infirmum, peccati illecebris capi, nisi congruis aptisque mediis sanari satagant; non levi studio, nec parvo conatu, sed ferventi mentis intentione, ipsis recenter conversis opus esse, suprà dixi ex sancto Cyrillo Alexandrino, qui l. 4. de ador. in spir. docet, exiguis laboribus hanc rem non perfici, nec unquam ab iis, qui remissiorem voluptuosamque vitam amplectuntur. Ostenditurque in simili: quia homo sic conversus similis est illi, qui à febri vel vulnere nuper curatus fuit, certans tamen adhuc cum morbi reliquiis: qui, licèt à febri liber sit, adeò tamen debilis est, ut nisi sedulò provideatur, de relapsu vehementer periclitatur. Propterea ergo cautus esse debet, & circumspectus, ut satanæ, ob ereptam sibi prædam irrendenti, resistat, uti fusiùs explicat Antonius Le Felon in l. cui titulus, *Conversio peccatoris*, cap. 11. Sibi proindè tales præ cæteris dictum putent, quod Tridentinum ait sess. 6. c. 13. *Videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis & castitate: formidare enim debent.... de pugna, quæ superest, cum carne, cum mundo, cum diabolo; in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti: Debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

1266 Hæc dicta sint in gratiam & compassionem recidivorum ex fragilitate, non in gratiam facilè reincidentium. Illi enim, non isti, firmam utcumque fuisse suam non relabendi voluntatem ostendunt, ex hoc quòd diuturno satis tempore fideliter impleverint, quod Confessario promiserant, adhibitisque remediis à Confessario præscriptis, recurrentium tentationum procellis facilè & citò se obrui passi non sunt. Ostendunt quoque fortem fuisse suam illam voluntatem, ex hoc quòd iisdem tentationibus viriliter resistendo, multas de illis victorias non semel reportarunt; tametsi post multas luctas & victorias graviori tentationi succubuerint, ex hoc quòd in oratione non perseverando, sed præceptum istud negligendo, *oportet semper orare, & non deficere*, aliquo ipsis torpore irrepente, tandem à superveniente gravi tentatione supplantati fuerint. Nam de facilè relabentibus ex hactenùs dictis aliter est philosophandum. Tametsi enim Rituale Romanum ipsis suadeat, sæpè, puta semel in mense, vel in certis solemnibus diebus confiteri; non tamen dicit ipsis, dum confitentur, absolutionem mox impendendam esse; sicut nec hoc dicit Sanctorum aliquis, nec dicunt Emericus de Bonis, Segnerus, & alii assertionis nostræ Patroni, licèt tales monendos esse doceant ut identidem, v. g. semel in mense, ad Confessarium revertantur, statûs sui rationem reddituri, opportunaque consilia recepturi.

CAPUT CXXV.

Ex dictis demonstratur, sententiam nostram à nonnullis ei adversantibus, sub horrida larva per impostoram repræsentari.

1267 DEmonstratur (inquam) sententiam nostram de absolutione malorum peccatorum, maximè consuetudinariorum & recidivorum, non esse *novam, inauditam, à nemine practicatam, nec practicabilem, rigidissimam, sapientem crudelitatem, nec inducentem animas in desperationem*, prout Junior Casuista per imperitiam, & impostoram manifestam vociferatur in libello immodesto, cui titulus, *Apologia pro praxi communi pœnitentiæ*. Quomodò enim *nova & inaudita* est doctrina, quam cum Patribus passim omnibus, cum Sanctis novissimis, cum Scriptoribus omnibus, qui contra Lutherum Calvinumque scripserunt, sapientissimi docent Cardinales, Episcopi & Theologi, tam Sæculares, quàm Regulares omnium Ordinum, uti demonstravimus suprà? Quomodò *nova & inaudita*, quæ (teste Eminentissimo Aguirio) *inhæret non modò Conciliis, Canonibus, Patribus, non solùm gravissimis Cardinalibus, Episcopis & Theologis horum temporum, sed etiam rationi manifestæ, fundatæ in doctrina fidei, & experimento frequenti*? Quomodò à nemine *practicata & impracticabilis*, quæ, teste eodem Eminentissimo, fundata est *in experimento frequenti*, & revera maximo cum animarum fructu à millenis & millenis Parochis, Confessariisque religiosissimis practicatur, uti cum Episcopis quamplurimis, Emericus de Bonis, Paulus Segnerus, aliique testes omni exceptione majores contestantur; quam denique olim, cum rigore incomparabiliter majore, per duodecim sæcula, Ecclesia Orientalis & Occidentalis practicavit, uti etiam demonstravimus in superioribus?

Quomodò *rigidissima, sapiens crudelitatem*, & *inducens in desperationem*, quæ, Chrysostomo judice, est *summæ clementiæ & benignitatis, præstantissimaque medendi rationis, nec vulgaris erga peccatorum salutem curæ*, homil. 14. in 2. ad Cor. in Morali? Oppositam potiùs crudelem & inhumanam esse docet Cyprianus, dum de sectatoribus illius dicit, quòd *hoc sunt peccatoribus, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas.* Quia *solatium æternæ spei adimunt, arborem à radice subvertunt, per eosque subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occultâ populatione grassatur*, &c.

1268 Fateatur ergo Scriptor ille, ista *conviciante magis levitate, quàm convincente veritate* dicta esse, prout Augustinus loquitur l. de unit. Eccles. c. 5. Qui & illud mirabile esse observat l. de fide & oper. c. 18. non rarò usuvenire, quòd illi alios de novitate perperàm incusent, qui ipsimet Novatores sunt. Usuvenit etiam (ait iterùm Eminentissimus Aguirius differt. 10. in Can. 11. & 12. Concilii Toletani III.) Scriptorem aliquem à nonnullis incusari nimiæ severitatis; *non quia sententiæ ipsius strictiores justo sunt, sed quia illorum conscientia laxa est, ut hic quodammodò locum habeat dictum illud vetus: pedes tui non calcant spinas, sed habent.*

1269 Refutatis nihilominùs impostoris non contentus Junior ille, eodem in libello pag. 11. addit Huyghenium, aliosque assertionis nostræ sequaces velle, *opera pœnitentiæ præparatoria exerceri ante absolutionem, donec habitus & consuetudines malæ sint destructæ, vel ferè destructæ, totaliter utique.* Pag. 28. à nobis negari absolutionem peccatori, si semel aut bis peccet. Pag. 2. & 29. consuetudinariorum conversionem longo tempori à nobis alligari. Pag. 7. à nobis determinari longum tempus, ante quod affirmamus ipsos ordinariè non posse esse dispositos ad absolutionem. Quæ omnia prorsus aliena sunt à veritate. Quod enim de Huyghenio dicit, Huyghenius ipse diserte negat in Apologia suæ §. 10. aliisque in locis. Negat similiter Antonius Le Felon in Conversione

peccatoris cap. 11. Negamus & nos, ad veram plenamque conversionem, adeòque & absolutionem consuetudinariorum solùm exigentes, ut pravos habitus, quibus ad peccandum, juxta SS. Patres, morali quâdam necessitate veluti compelluntur, eatenùs destruxerint, ut jam non ampliùs necessitatem illam, seu quasi necessitatem inducant, nec jam ampliùs fortiores sint charitate, sed charitas illis prævaleat, & fortior sit, licèt eorum aliquæ adhuc superstites sint reliquiæ; nec proinde habitus illi ex toto destructi sint, nisi in proposito forti & efficaci.

1170 Nec minùs à veritate alienum est, à nobis negari absolutionem peccatori, si semel aut bis peccaverit. Imò toties (absque termino) ipsum absolvimus, quoties post peccatum, vel relapsum, quàmlibet frequenter iteratum, ex toto se corde conversum ostenderit.

Denique verum non est, consuetudinariorum conversionem longo tempori à nobis alligari, vel à nobis longum tempus determinari, ante quod ordinariè non possit converti, vel à nobis misericordiæ Dei mensuram poni, vel tempora definiri. Figmenta sunt ista omnia, larvæ sunt, sunt impostura. Si enim consuetudinariorum conversionem longo tempori non alligaverint antiqui Patres, nec vetus Ecclesia, licèt ipsos ordinariè non absolverint, nisi post pœnitentiæ opera diù exercita; nec ideò mensuram posuerint divinæ misericordiæ, nec tempora definierint: multò minùs nos, qui consuetudinariorum absolutionem ad tempus absque comparatione brevius ordinariè differimus. Dicimus ergo cum D. Chrysostomo ubi suprà: *Temporis moram non requiro, sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius commutati, & res tota confecta erit; quod nisi ita sit, nihil profectò temporis diuturnitas emolumenti attulerit. Neque enim sæpiùs ne obligatum vulnus fuerit, quærimus, sed an obligatio illi quidquam profuerit. Ac si quidem ad exiguum tempus adhibita profuit, non jam amplius adhibeatur. Si autem nondum eam adhibuisse juvit, etiam post decem annos adhibeatur.*

Dicimus etiam cum Hennebello & aliis Doctoribus Lovaniensibus in declaratione n. 1343. relata, *siquis lapsus sit in fornicationem, aut aliud crimen paris adhæsionis, & gravitatis, difficilem & tardam passim esse ejusmodi peccatoris conversionem; adeòque impetrandam, & Confessario probandam per opera.* Et *opera illa esse hæc, & hujusmodi: à locis, consortiis, aliisque peccandi occasionibus abstinere, reluctari adversus tentationes, orare, aliaque officia hominis Christiani sedulò obire, facere diligenter quæ sunt status & officii sui particularis, jejunare, si id patiantur vires corporis, & officii ratio, eleëmosynas (si facultas adsit) erogare, cessare à peccato. Quæ satis laboriosa sunt peccatori alia agere assueto.*

Tempus, quo opera ista ante absolutionem peragenda sunt, tum ut impetretur conversio, tum ut ea satis probetur Confessario, definiri non posse; sed debere passim esse notabile, si comparetur ad tempus, quo peragi solet præparatio illa ordinaria, quæ à plerisque hodie adhibetur.

Expendenda verò esse hæc: gravitatem nimirùm, & adhæsionem peccatorum; modum quo peccata commissa sunt; an ex ignorantia, an ex infirmitate, an ex malitia; durationem, quâ in peccatis hæsit peccator; fervorem, quo pœnitentiam agit, tentationibus & peccato restitit, occasiones fugit, orat, &c.

Hactenùs sapientissimi illi Magistri coram Apostolica Sede: quæ nihil hactenùs in illa declaratione reprehendit.

CAPUT CXXVI.

Observatio præambula ad solutionem argumentorum, quæ ab Adversariis objiciuntur, ex qua argumentorum illorum imbecillitas generaliter ostenditur.

ARgumentorum illorum imbecillitas inde perspicua est, quòd dum per ea Adversarii sententiam & praxim nostram (de absolutione magnis peccatoribus, maximè consuetudinariis & recidivis ordinariè mox non concedenda) incusare prætendunt velut nimis rigorosam, imprudentem, & humanæ fragilitatis rationem non habentem, eo ipso veteris Ecclesiæ praxim de nimio arguant rigore, deque imprudentia & indiscretione, & quidem à fortiori: siquis enim rigor sit in praxi nostra, centesima, imo plusquàm centesima ex parte minor est rigore veteris illius praxis. Cùm ergo veterem illam praxim de nimio rigore, imprudentia, & indiscretione, absque ingenti temeritate, imò absque errore arguere nullus possit, qui Ecclesiam, ut oportet, veneratur (cujus authoritate praxis illa vim & robur habuit) de nimio etiam rigore, imprudentia, & indiscretione nullus absque ingenti temeritate sententiam & praxim nostram potest arguere. Uti nec de ullo alio inconveniente: quia nulla inconvenientia magis, imò longè minùs sequi nata sunt ex praxi nostra, quàm ex illa praxi Ecclesiæ antiqua, longè majores ac diuturniores rigores exigente, & injungente. 1171

Contra praxim proinde nostram non magis militant divinæ Scripturæ testimonia, vel citæ absolutionis exempla, quæ Adversarii proferunt, quàm contra veterem illam praxim. Et idem est de nonnullis Chrysostomi, seu aliorum Patrum sententiis, quas similiter objiciunt. Ad ista tamen, tam Scripturæ, quàm Patrum testimonia, specialiter respondimus cap. 37. 38. & 41. 1172

Nec eidem praxi nostræ magis obsunt populares difficultates objici solitæ, quàm eidem praxi antiquæ, prout ostensum imus.

CAPUT CXXVII.

Ex dictis populares difficultates, quæ objici solent, in pulverem rediguntur.

OBjicies 1°. fieri potest quòd magnus peccator, etiam consuetudinarius, vel recidivus hîc & nunc verum ac sufficientem habeat de peccatis suis dolorem. Eum autem habenti nec neganda, nec differenda est absolutio. 1173

Concessâ majore, concedo etiam minorem, modò dolorem illum Confessario sufficienter probet: secùs, si eum ipsi sufficienter non probet, de eoque Confessarius rationabile habeat dubium, prout habet in casu de quo agimus, & prout olim habuit de talibus Ecclesia.

Objicies 2°. in dubio, utrùm quis sit vel non sit sufficienter contritus, Confessarius debet eum ut sufficienter contritum habere; prout in dubio, an quis sit vel non sit bonus, debet eum ut bonum habere, meliorem in partem interpretando quod dubium est, quando manifesta non apparent indicia malitiæ ipsius, prout docet S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 4. 1174

Respondeo Angelicam doctrinam istam non procedere in foro judiciali, sive sacramentali, sive extrasacramentali; in quo probanda est probitas, & contritio proximi, ut judicetur probus, vel contritus, & in quo Judex sacramentalis consulere debet honori Sacramenti, & saluti proximi, ideòque non potest absolutionis proferre sententiam, nisi in favorem illius, qui argumentis sufficientibus probatur esse dignus, uti constat ex praxi veteris Ecclesiæ. Et ne in privato quidem extrajudiciali judicio Angelica doctrina illa procedit, dum agitur de adhibendo nostris, vel alienis ma-

lis remedio. *Cùm* enim *debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit, ad hoc ut securius remedium apponatur, quòd supponatur id quod est deterius*, ait S. Doctor ibidem ad 3. In sacramentali verò judicio maximè agitur de adhibendo malis alienis remedio: quod reverà non adhiberetur, si confitens supponeretur contritus, & ut talis absolveretur, dum reverà contritus non esset. Quia absolutio non solùm foret inutilis, sed & noxia.

1275 Objicies 3°. Confessio peccatoris, non coacta, sed voluntaria, cùm sit opus ex se bonum, & divinitùs inspiratum, fundat rationabilem præsumptionem, quòd inspirata non fuerit absque dispositionibus requisitis.

Respondeo 1°. non omnes qui confitentur, id facere ex motu divinæ inspirationis; imò plerosque ad Confessionem spontè venire ex consuetudine, ne videantur impii, vel aliis difformes, prout Eminentissimus Cardinalis Denhoffius observat. 2°. certum esse non omnes spontè venientes, venire debita cum dispositione. Aliàs omnes absolvi possent: cujus oppositum tradit Rituale Romanum, & omnes Patres. 3°. multos ad Confessionem spontè venire, qui non habent nisi semiplenam se emendandi voluntatem, quâ partim volunt, partim nolunt. Non omnes proinde, quibus inspirata est se emendandi voluntas, plenam de emendando se voluntatem habere, sive integram & fortem; sed plerùmque qualem habuit Augustinus, antequam plenè converteretur. Ad absolutionem verò talis voluntas non sufficit, sed fortis & plena requiritur, quam Os aureum exquisitam vocat Prolog. in Joannem: *Videsne* (inquit) *solâ nobis opus esse voluntate? voluntate* (*inquam*) *non quâlibet & vulgari, sed exquisitâ.*

1276 Objicies 4°. necesse non est quòd Confessarius judicet emendationem de facto secuturam, sed satis est quòd judicet peccatorem habere hîc & nunc se emendandi voluntatem, licèt posteà mutandam, ideòque mansuram absque effectu.

Respondeo necesse esse quòd Confessarius prudenter judicet peccatorem habere hîc & nunc voluntatem plenam, exertam atque efficacem se emendandi. Sed ordinariè non posse prudenter id judicare de peccatoribus, de quibus agimus, prout veteris Ecclesiæ praxis, cæteraque argumenta superiora demonstrant.

1277 Objicies 5°. Confessarius cavere debet quidquid pœnitentis pacem turbare, vel ipsum à Confessione retrahere, vel in desperationem inducere potest.

Respondeo, quòd cavere debeat, ne id contingat culpâ & imprudentiâ suâ; vel etiam culpâ pœnitentis, dum eam impedire potest, salvo debito officii sui. Secùs, si hoc impedire non possit, nisi agendo contra officium boni Confessarii. Aliàs absolutionem ne quidem differre posset *habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ vel Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Quod Innocentius XI. damnavit propos. 60. In tali proinde casu Confessarius imitator esse debet veteris Ecclesiæ, imò & Christi, qui ab officio suo non destitit, ob scandalum Pharisæorum; sed dixit: *Sinite illos, cæci sunt.* Debet & imitator esse Apostoli, qui 2. Cor. 7. dixit: *Etsi contristavi vos, non me pœnitet.* Imitator & boni Medici, qui facere non desinit ea quæ officii sui sunt, licèt videat infirmum, velut phreneticum, in Medicum insanire. Imitator denique Chrysostomi, qui homil. 62. in cap. 18. Matth. *Non parum* (inquit) *metuo, ne aut his qui ad nequitiam proniores sunt.... majorem licentiam præbeam, aut temperantiores.... in desperationem inducam, ut, velut discipuli, dicant:* "quis potest salvari?" *Faciamus tamen, ut qui attentè audiunt, humiliores ac tutiores constituantur. Nam qui morbo laborantes incurabilis non dolent, etiam sine hac oratione, à desidia & ignavia sua non recedent. Quòd si hinc majores causas contemnendi arripuerint, non meis profectò verbis, sed amentiæ suæ culpa erit tribuenda.*

Meminerint ergo qui similia objiciunt, 1°. 1278
quòd si, dum Confessarius officium boni Confessarii exequitur, aliquid mali peccatoribus accidat, ut mors in peccato, desperatio, &c. id Confessario non esse imputandum, sed malitiæ & amentiæ ipsorum. 2°. felicem esse perturbationem, quæ ad meliora compellit, & salubriter ad modicum perturbari facit peccatorem, ut ad se rediens, conscientiæ suæ remorsibus compellatur ad meliorem vitam; ne alioqui æternaliter conturbetur, cum iis de quibus scriptum est Sap. 5. 2. *turbabuntur timore horribili.* 3°. veram non esse conscientiæ pacem, nisi cum Deo sit, per veram plenamque à peccatis conversionem. Pacem autem cum Deo frustrà peccator expectat, nisi peccatum deserat. Si enim in peccato perseverans pacem esse putet, dum ipsum Sacerdos præmaturè absolvit, non est illa pax vera, sed, ut Cyprianus ait in l. de lapsis, *falsa & irrita pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Quippe *non est pax impiis, dicit Dominus* Isa. 48. 22.

Cæterùm ipso in negotio Confessarius adeò dis- 1279
cretè & suaviter agere debet, ut simul reverentiæ Sacramenti consulat, & confitentis saluti. Ideòque maxima & suavissima cum charitate ipsum alloquendo, officii sui rationem reddere debet, quòd nihil tam in votis habeat, quàm ipsum Christo & Cælo lucrifacere, proficuamque ipsi absolutionem dare, quam, ob ipsius indispositionem, vel non satis exploratam dispositionem, modò dare non potest, ne se cum ipso in æternum perdat; daturus tamen quàm libentissimè, dum melius disposito proficuam dare poterit.

Quòd si peccator equidem non acquiescat, sed 1280
Confessarium indiscretionis, vel nimii rigoris incusset: omnia Christi amore Confessarius patienter sustineat. Non ideò tamen absolvat (utpote quâ tantò minùs est dignus, quantò magis indigeatur animæ suæ Medico & Judici, officio suo ritè fungenti;) sed cum mansuetudine magna protestatur, se nec zelo indiscreto, nec rigore inimio ad hoc moveri, sed veritate & charitate. Idque adeò verum esse, ut, si secùs faceret, pœnitens ipse extremo in judicio adversùs Confessarium exurgeret, quòd pro officio suo, saluteque ipsius, fortiùs non stetisset. Ipsi quoque in memoriam revocet ea quæ ipsi carnalis Medicus faceret, si corpore infirmus esset. Quomodò utique corporales Medici suis infirmis, *somnia quæ eis delectabilia esse videbantur, abscindunt* (verba sunt Augustini serm. 67. de temp. vel potiùs Cæsarii in Append. serm. Aug. serm. 249.) *& quod dulce est ad integrum interdicunt. Aliquoties etiam frigidam accipere non permittunt. Interdùm & amarissimas potiones bibere cogunt, & asperrimis ferramentis eorum vulnera frequenter incidunt. Hoc ergo quod pro sanitate corporum carnales Medici faciunt, pro animarum salute spirituales Medici exercere contendunt. Hæc ergo cogitate, fratres charissimi, & tam pro mea, quam pro vestra salute rationem me redditurum esse ante tribunal æterni Judicis, non ignorans, eligo aspera quidem sed salubria vobis medicamenta ingerere, ut vobiscum posteà in Angelorum consortio perpetuâ merear incolumitate gaudere.*

Quâ mansuetudine si necdum victus peccator in 1281
ira dicat: *Si me absolvere nolis, ad alium ibo.* Confessarius ipsi cum Cypriano suaviter reponat: *Amice vaseris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur,*

Ei minaris, qui pro te misericordiam Dei deprecatur; qui vulnus tuum sentit, quod ipse non sentis; qui pro te lachrymas fundit, quas forsitan ipse non fundis. Per me quidem licet; Confessarium adeas meliorem. Hoc tantùm vide, ne si quæras adulatorem, vel præmaturo desiderio tuo annuentem, justo Dei judicio invenias deceptorem. Malo sanè ut farcinam hanc alius portet quàm ego. Sed crede mihi, tuæ salutis amantissimo, sine meliori dispositione absolvere te nullus potest. Fac igitur hæc & illa opera bona, ut à Deo plenioris impetres contritionis gratiam, proficuâ tunc & salutari absolutione donandus. Quam si ab alio sine meliori dispositione accipias, scito, quòd grandis te sacrilegii, & æternæ damnationis periculo expones.

1282 Satis ergo videt cordatus Lector, nullum inconveniens, nullum malum, ex praxi tam rationabili, tamque suavi, natum esse sequi; sed si quod sequeretur, v. g. peccatoris desperatio, non ut in pluribus, sed in paucioribus, adeòque non per se, sed per accidens sequeretur, non ex Confessarii culpa, sed ex peccatorum malitia, vel propriæ salutis incuria, cujus causa non esset Confessarius. Unde nec talis accidentis rationem ullam habuerant SS. Patres, nec Ecclesia, per duodecim sæcula; nec Rituale Romanum, variis casibus negari vel differri volens absolutionem; nec Innocentius XI. eam concedi non permittens, pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, vel Ecclesiæ, &c. Ob vanum itaque ejusmodi prætextum caveat Confessarius facere contra officii sui debitum, indignis absolutionem impendendo: hoc enim faciendo, ipsis causa foret æternæ damnationis, æternæque proinde desperationis.

1283 Vanum dico prætextum: quia ordinariè vana est formido istiusmodi mali; utpote ordinariè nec probabilis, nec fundata. Neque enim probabile, neque fundatum est, quòd huic pœnitenti tuo id accidet, quod vix in simili casu accidit uni ex mille (probabile namque est quod frequenter, non quod rarissimè accidit;) vix autem uni ex mille ejusmodi pœnitentibus accidit, quòd propter dilatam sibi (magna cum charitate, ut suprà) absolutionem deperet, prout experientia demonstrat. Certum verò est, quòd malorum probabiliter non futurorum formido minùs movere debeat Confessarium ad absolutionem talibus peccatoribus mox dandam, quàm formido ingentium malorum, ex dictis cap. 119. probabilissimè oriturorum, junctа cum spe ingentium bonorum, ex dilatione absolutionis communiter provenientium, ipsum movere debeat ad absolutionem ipsis differendam. Idque propter tria, quæ simul juncta rem prorsus evincunt. Primò, quia formido malorum illorum ex absolutionis dilatione utplurimùm vana esse probatur ex dictis. Secundò, formido ingentium malorum ex mox data ipsis absolutione communiter provenientium econtrà fundatissima est, probabilissimaque, à communiter accidentibus. Tertiò, quia spes ingentium bonorum ex dilata talibus hominibus absolutione communissimè provenientium similiter fundatissima est, probabilissimaque, à communissima experientia cap. 121. comprobata. Atqui certissimum est, Confessario, secundùm regulas prudentiæ, majorem habendam rationem spei & formidinis fundatissimæ, probabilissimæque, quàm formidinis vanæ.

1284 Objicies 6°. siqua foret ratio absolutionis dictis peccatoribus differendæ, maximè ut sufficientia contritionis ipsorum Confessario probaretur, gratiaque plenæ conversionis per opera pietatis ac pœnitentiæ interim à Deo impetraretur. At ratio ista nulla est: quia opera pietatis ac pœnitentiæ, in statu peccati mortalis facta, mortua sunt; nec potest arbor mala fructus bonos facere, quibus Dei gratiam impetret.

Nego minorem. Tametsi enim opera pietatis ac pœnitentiæ, in statu peccati mortalis facta, proficua non sint retinentibus affectum ad mortale peccatum, nec ab eo se liberare incipientibus; proficua tamen sunt, non omninò mortua, iis qui ex spiritu compunctionis in novitate vitæ ambulare volunt, & incipiunt, prout ex Scriptura & Patribus ostendit Bellarminus l. 3. de bonis operib. in partic. c. 3. 4. docetque nominatim Augustinus tr. 44. in Joan. & l. 12. contra epist. Parmen. c. 8. Quòdque peccator incipiat vivificari, dum ei pœnitentia, & novæ vitæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, Ecclesia docet: quippe quæ per Constitutiones Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. contrariam propositionem meritissimè condemnavit.

Objicies 7°. saltem opera hominis per absolutionem justificati magis impetratoria sunt, quàm nondum justificati. Igitur dicti peccatores mox absolvendi sunt, ut per opera pietatis, in statu gratiæ facta, majorem impetrent gratiam contra relapsum. 1285

Verùm enimverò tutum non est in rebus tanti momenti, quæ à divina pendent voluntate, erraticam rationem purè humanam sequi & auscultare. Imò uniceè tutum divinis earum affatibus submittere, nobis innotescentibus per Scripturam, Traditionem, & praxim Ecclesiæ per duodecim sæcula; ex quibus habemus melius esse quòd dicti peccatores per humilis, laboriosæque pœnitentiæ opera præparatoria se disponant ad obtinendum firmæ & stabilis conversionis donum. Tametsi enim generaliter loquendo actiones hominis justificati magis meritoriæ sint, ac Deo gratæ, quàm hominis non justificati; consequens non est quòd convenientiores sint ad obtinendum illud donum, quod Deus concedit quibus, quando, & quomodò vult. Non vult autem ordinariè illud concedere, nisi exercentibus se in illis pœnitentiæ operibus, sicut firmæ humilitatis donum v. g. ordinariè conferre non vult nisi exercentibus se in humiliationibus. Et sic de aliis virtutibus. Antequam ergo Deus magno peccatori, præsertim consuetudinario & recidivo, firmæ & stabilis conversionis gratiam concedat, vult ut ad eam se disponat, per gratiam faciendo quod in se est, quodque Deus ab ipso exigit ad eam obtinendam, nimirùm ut ad eam se disponat per opera proportionata, quæ sunt humilis & laboriosæ pœnitentiæ opera non momentaneæ, sed diuturna, quibus homo 1°. coram divina Majestate se multùm humiliat & confundit, quòd eam pro nihilo offenderit. 2°. magnum de offensis in Deum commissis horrorem & odium concipit, & magnam contra seipsum indignationem. 3°. non levem de seipso vindictam sumit, seipsum puniendo. 4°. pro offensarum remissione per gemitus, lachrymas (saltem cordis) & orationes divinam misericordiam diu multùmque deprecatur. Ista sunt opera, istæ dispositiones, quibus homo voluntatem suam paulatim firmat ad declinandum à malo, & faciendum bonum; quibus proinde, secundùm Dei voluntatem, facit quod in se est ad obtinendum firmæ & stabilis conversionis donum; sine quibus denique illud concedere non solet. Aliæ sunt gratiæ, alia dona, quæ conceduntur justis, & ab ipsis præ aliis impetrantur, videlicet pax & gaudium in Spiritu sancto, quibus conscientiæ remorsus sedantur, fiducia habetur in die judicii, & alia ejusmodi, quibus homo minùs movetur ad concipiendum ingens odium horroremque peccati, quàm tui coram Deo humiliationibus, gemitibus, lachrymis, pœnitentiæ laboribus, &c. quibus proinde convenientiùs disponitur ad obti-

nendam voluntatem firmatam contra relapsum.

1285 Objicies 8°. melius est consuetudinarios & recidivos citò absolvere, quàm differre, ut fragilitas ipsorum, per Sacramenti gratiam, adversus recidivam roboretur. Cùm gratia hujus Sacramenti ab ea præservet.

Nego antecedens, cum Ecclesia & Traditione, quæ melius judicat absolutionem ipsis differre: quia ordinariè non judicat ipsos dispositos ad recipiendam gratiam Sacramenti, per quam fragilitas ipsorum à recidiva præservetur. Nec reverà gratiam illam ordinariè recipiunt, qui citò absolvuntur, prout à posteriori constat ex eo quòd ordinariè æquè citò & facilè post absolutionem relabantur, ac antè.

1287 Objicies 9°. praxis hodierna differendi absolutionem, usquedum peccator, per opera pœnitentiæ emendatus, vitam incœperit meliorem, nec conformis est Ecclesiæ praxi antiquæ, nec modernæ. Secundùm canones quippe antiquos publicis dumtaxat peccatoribus, vel publicè pœnitentibus absolutio differebatur. Ecclesia verò moderna Confessioni absolutionem conjungit.

Respondeo negando antecedens pro utraque parte. Quia licèt per omnia conformis non sit praxi Ecclesiæ sex priorum sæculorum, quæ publicam pœnitentiam statuebat, etiam pro criminibus occultis, & longè rigidiorem, diuturnioremque quàm modò: hodie tamen duo essentialia illius praxeos observamus, probationem utique per opera pœnitentiæ, antequam magnos peccatores absolvamus, atque ab Eucharistia separationem. Et in eo conformis est praxi Ecclesiæ à sæculo septimo ad duodecimum, quòd pro criminibus occultis nonnisi occultam imponamus pœnitentiam, tametsi etiam breviorem, minúsque rigidam. Tametsi verò praxim antiquam necesse non sit per omnia sequi, non est in totum negligenda, sed saltem in essentialibus, quæ divini juris sunt, sequenda, ut sæpè dixi.

1288 Praxis quoque nostra conformis est praxi hodiernæ Ecclesiæ Græcæ, quæ à quarto sæculo usque in præsens magnis peccatoribus canonicam etiam plurium annorum imponit pœnitentiam; licèt à tempore Patriarchatûs Nectarii amplius non publicam. Eamque impleri vult antequam ipsis Eucharistiæ usus permittatur. Est denique conformis praxi Latinæ Ecclesiæ præsentis, in omnibus casibus, in quibus majores Prælati illius differri volunt peccatoribus, velut indispositis, absolutionem. Et ideò eam ut talem approbant meliores etiam è Societate Theologi, Bellarminus, Emericus de Bonis, Segnerus, Cardinalis de Lugo, &c. tunc etiam cùm peccator creditur esse conversus, & Confessarius dilationem absolutionis expedire judicat ad procurandam ipsi conversionis stabilitatem, ipsumque à relapsu præservandum.

1289 Objicies 10°. dilatio absolutionis peccatorem exponit periculo damnationis. Si enim absque absolutione subitò interim moriatur, in statu peccati mortalis, absque remedio illius morietur. Et consequenter damnabitur.

Negatur antecedens. Neque enim Ecclesia, quæ tot sæculis magnis peccatoribus absolutionem distulit, ipsos propterea periculo damnationis exposuit. Mirumque profectò, quantùm hallucinantur Adversarii, qui præproperâ nihil profuturæ, imò potiùs obfuturæ absolutionis facilitate, existimant talium se peccatorum salutem in tuto collocare. Imò in magno valdè eam ipsi ponunt discrimine. Si enim contingat ipsos cum tali absolutione, probabiliùs invalida, mori, ob commissum sacrilegium, in majori erunt damnatione. Et quamvis tam citò non moriantur, peccatores equidem valdè probabiliter indispositos absolvendo, valdè probabili periculo damnationis ipsos exponunt. Quia peccatores sic absoluti, securos se putant, nec de procuranda sibi meliori dispositione solliciti sunt. Idcòque in statu peccati vivunt & moriuntur. Et illud periculum magis cavere debet Confessarius, utpote majus, & morale, non physicum dumtaxat. E duobus verò periculis, minus est eligendum, & physicum potiùs quàm morale dumtaxat. Quòd enim magnus peccator, maximè consuetudinarius, indispositus absolvatur, si mox absolvatur, valdè frequens est, ut superiora demonstrant argumenta. Rarum verò & infrequens est, in tanta Sacerdotum copia, quòd ad tempus dilatus, sine absolutione subitò moriatur. Et ideò periculum istud morale non est, sicut illud, sed physicum dumtaxat. Videri potest Eminentissimus Cardinalis Denhoff ad object. 7. ubi observat, metum illum damnationis ob dilationem absolutionis, mali dæmonis esse artificium. Tametsi enim timor damnationis utiliter se ingerat, ubi peccandi sese offert occasio, vel pœnitentia differtur; noxius est, dum impedit ne peccator tempus necessarium accipiat, debitèque se disponat ad obtinendam veram plenamque conversionem, per quam idoneus sit ad fructuosam absolutionem. Flagitiosus homo totum anni spatium, & fortassis ultrà, in criminibus hæret, nec ullo damnationis terrore concutitur. At ubi monetur aliquanto tempore se per opera pœnitentiæ disponere debere, ut fructuosè absolvatur, tunc demùm timore subitaneæ mortis & damnationis concutitur. Quis non intelligat hoc proficisci ab humanæ salutis hoste, qui sicut pudorem, quem in perpetrando crimine abstulit, confitendo restituit, ut à confitendo deterreat; sic mortis & damnationis timorem, quem peccando, & in peccatis manendo abstulit, confitendo reddit, quando prudens Confessarius judicat mox non absolvendum, ne sine pœnitentia necessaria absolutus, sine pœnitentia vivat, & moriatur.

Moneatur ergo peccator de isto dæmonis artificio, jubeaturque in Deo habere fiduciam, quisi vitam non eripuit peccanti, nec auferet pœnitenti, se ad dignam absolutionem per opera pœnitentiæ disponenti. Et ut tunc vitam tolleret, dummodò imperfectam saltem contritionem haberet, moreretur in statu salutis, summo Sacerdote J. C. supplente invisibiliter visibile Sacerdotis visibilis ministerium, cujus non defuisset sincerum in pœnitente votum. Iste namque est Ecclesiæ sensus, pluribus in Conciliis declaratus, nimirùm in Concilio Vasensi c. 2. ubi statuitur, eorum *qui, pœnitentiâ acceptâ, in bono vitæ cursu, satisfactionis compunctione viventes, sine Communione* (sic olim vocabatur absolutio) *inopinato nonnunquam transitu, in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac denique memoriam, Ecclesiastico affectu prosequendam. Quia nefas est eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutiùs reos statuunt, & indignos salutaribus mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum Viatico intercipiuntur.* Similiter in Concilio Carthaginensi IV. c. 79. *Pœnitentes, qui attentè leges exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Etiam Concilio Arelatensi II. c. 8. *De his, qui in pœnitentia positi, vitâ excesserunt, placuit nullam vacuum Communione debere dimitti, sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.* Ita quoque habetur in Concilio Aurelianensi I. & Toletano XI. Ita denique crediderunt SS. Patres, Ambrosius de obitu Valentiniani, Bernardus de hum. condit. cognit. Augustinus l. 4. contra Do-

nat.

nat. c. 24. & 25. ubi id sic ostendit: *Sicut in illo Latrone quod ex Baptismi Sacramento defuit, complevit Omnipotentis benignitas, quia non superbiâ vel contemptu, sed necessitate defuerat; sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est. ... Quibus rebus ostenditur, aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri; nec si unum horum defuerit, ideò putare debemus consequens esse ut & alterum desit, quia illud sine isto potest esse in infante; & hoc sine illo potuit esse in Latrone, complente Deo, sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset.*

1291 Objicies 11°. Confessarius debet esse benignus ac misericors, nec avarus dispensator, absolutionis, cujus Pater-familias cælestis largus est.

Respondeo, debere esse benignum, ac misericordem, non peccatores blandimentis adulantibus decipiendo, eorumque peccata fovendo (ut fit secundùm praxim Adversariorum, quam ideò SS. Patres vocant *misericordiam falsam, veram crudelitatem*) sed peccatores sanando, ipsos à peccatis revocando, & salutem ipsorum promovendo; quod fit secundùm praxim nostram, quam ideò *veram benignitatem misericordiamque* Chrysostomus vocat.

Neque secundùm praxim istam Confessarius avarus est, sed fidelis & prudens absolutionis dispensator, divinæque misericordiæ ac cælestis Patris-familias imitator, dum non absolvit, nisi quem prudenter credit à Deo absolutum, vel per ministerium suum hîc & nunc absolvendum, juxta illud Gregorii Magni: *Illos debemus per pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Aliter facere, est absolutionem & pretiosum Christi sanguinem prodigere, ac utrumque infideliter imprudenterque dispensare.

1292 Objicies 12°. tribunal pœnitentiæ, tribunal est misericordiæ. Nullus igitur à tribunali illo discedere debet, absque effectu istius misericordiæ.

Respondeo 1°. tribunal pœnitentiæ esse tribunal misericordiæ, simul & justitiæ; misericordiæ erga dispositos ad effectum misericordiæ. Erga indispositos, justitiæ. Neque enim tribunal est solvendi dumtaxat, sed & ligandi, uti constat ex Matth. 18. *quæcumque alligaveritis*, &c. Et Joan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Respondeo 2°. misericordiam erga indispositos ad absolutionem exerceri, quando ligandi potestas erga ipsos exercetur: *Nam & tu, si videris equum, qui in præcipitia fertur, frænum injicis, acriterque inhibes, acsæpè flagellas* (ait Chrysostomus sæpè relatus) *atqui cruciatus hoc est; verùm hujusmodi cruciatus salutem ei affert. Eandem igitur erga eos qui peccant rationem tene. Vinculis eum qui facinus improbum admisit coërce..... solutum & liberum eum ne linquas .... Si vincula ipse injecero, Deus jam non vinciet. Sin autem in vinculis eum non tenuero, ejusmodi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant..... Proinde non est quòd hanc rem crudelitatis ac sævitiæ esse arbitreris, sed summæ clementiæ, & benignitatis, præstantissimæque medendi rationis, nec vulgaris erga peccatoris salutem curæ.* Memoranda ista Chrysostomi verba sæpè repetere non piget, ad obstruendum os clamare non cessantium adversus praxim nostram, velut rigorem excessivum præ se ferentem.

1293 Objicies 13°. nisi pœnitens mox absolvatur, communicare non poterit. Si autem non communicet, illi qui hoc animadvertent, postquam confessus fuit, scandalizabuntur. Suspicabuntur enim commissum ab ipso grave peccatum, à quo non fuerit absolutus. Et sic ipsius confessio quodammodò revelabitur.

Respondeo 1°. argumenta ista omnia nimium probare, nemini utique confitenti ullo casu absolutionem negandam vel differendam, ne confessio ipsius reveletur. Hoc autem est istius revelationis arguere praxim totius Ecclesiæ veteris per duodecim sæcula; sicut & praxim Ecclesiæ modernæ, quæ in Rituali Romano variis casibus negari vel differri vult absolutionem.

Respondeo 2°. siquod inde scandalum oriatur, non est datum, sed acceptum. Non enim violatur secretum confessionis, etiam virtualiter, per solam dilationem absolutionis; utpote tam secretam, quàm est confessio ipsa. Neque per omissionem communionis, post confessionem; utpote quæ celari potest à pœnitente; & ut innotescat, sciri non potest causa, propter quam omittitur. Cùm varia esse possit, v. g. timor reverentialis, corporis indispositio, solutio jejunii naturalis, præceptum Confessarii, meliorem in pœnitente præparationem desiderantis, etiamsi ipsi dederit absolutionem, quæ etiam differri potest pœnitenti ad eam dispositò, prout ex communi sententia Theologorum docet Cardinalis de Lugo num. 1260. & 1261. laudatus. Siqua proinde oriatur suspicio criminis à pœnitente commissi, propter quod ipsi negata fuerit absolutio & communio, suspicio ista temeraria erit. Per consequens omissio illa propriè causa non est scandali, sed ad summum admirationis cujusdam, ob quam nec Confessarius desistere debet à debito officii sui, nec pœnitens vim inferre Corpori Christi, ut Cyprianus loquitur. Imò *peccator debet potiùs eligere, ut abstinendo reddatur suspectus, quàm communicando manducet indignus*, uti censet Summus idemque doctissimus Pontifex Innocentius III. l. 4. de Mysterio Missæ c. 13. Et ratio esse potest, quia sibi, non Confessario, peccator suspicionem illam, seu talem qualem infamiam imputare debet (si nolit eam in solam hominum temeritatem rejicere) quia culpa ipsius est, quòd ad Pœnitentiæ Sacramentum indispositus, vel non satis exploratè dispositus accesserit. Dum tamen confitens suspicionem illam allegat, benignè monendus est, quòd magis timere debeat judicium Dei, quàm temeriam suspicionem hominum. Magis jacturam animæ, quàm famæ. Magis sollicitus esse de tanti Sacramenti honore, deque æterna sua salute, quàm de vana hominum opinione.

Objicies 14°. Sacramentum Pœnitentiæ in- 1294
stitutum est, *ut per Sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari.* Tridentinum sess. 14. c. 2. Sufficit ergo ad ipsum confugere, & ad pedes Sacerdotis de peccatis pœnitere, emendationemque proponere, ad obtinendam sententiam liberationis, seu absolutionis.

Conceditur totum, modò pœnitentia illa, emendationisque propositum sit ex toto corde, plenâque (non semiplenâ dumtaxat, & semisaucià) voluntate, signis sufficientibus Confessario probata. Quod ordinariè non verificatur in iis, de quibus agimus, prout ipsi satis ostendunt, ex hoc quòd immundis animalibus similes, è lavacro ad volutabrum luti, è volutabro ad lavacrum citò & facilè redeuntes, facto ostendant se plenè non velle mundari; sed sordidi sordescere adhuc.

Objicies 15°. Ezech. 33. 12. scriptum est: 1295
Impietas impii non nocebit ei, in quacumque horâ conversus fuerit ab impietate sua.

Respondeo Prophetam non dicere *in quacumque hora*, sed *in quacumque die*. Sive interim dicat *in quacumque die*, sive *in quacumque horâ*, non loquitur de conversione superficiali, vel semiplena, nec de gemitu momentaneo, vel lachryma sterili, & absque effectu; sed de conversione ex toto corde, sive totali atque efficaci. Se-

quitur enim v. 14. *feceritque judicium & justitiam, & pignus restituerit .... in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum*, &c.

1296 Objicies 16°. si consuetudinariis & recidivis absolutio mox non concedatur, ad Confessionem ampliùs non revertentur, vel certè non confitebuntur ampliùs peccatum consuetudinis suæ.

Respondeo cum Eminentissimo D. Cardinale Denhoff, non ideò fas esse Sacerdoti Pœnitentiæ Sacramentum sacrilegè ministrare. Itaque postquam Confessarius magna cum charitate & suavitate fecerit quod officii sui est, si peccator perire velit, vel ampliùs confiteri noluerit, Confessarius animam suam coram Deo liberavit, nec ipsi perditio vel malitia peccatoris imputabitur, sed ipsi soli. Scriptum est enim Ezech. 33. 9. *Si autem annuntiante te ad impium, ut à vitiis suis convertatur, non fuerit conversus à via sua: ipse in iniquitate sua morietur: porrò tu animam tuam liberasti.* Econtrà verò, si Confessarius peccatorem indispositum absolveret, atque ob id ipse periret, culpâ Confessarii periret, animamque ipsius de manu Confessarii Dominus requireret, prout dicitur ibidem v. 6. 7. & 8. Objectio proinde ista similis est ei, quâ Medico quispiam diceret: *Cave ne istud vel illud remedium, licèt necessarium, infirmo tuo applices, quia ab eo tantum habet horrorem, quòd si illud applicaveris, te ampliùs non vocabit; ideòque morietur.* Cui Medicus, deesse non volens officio suo, meritò responderet, dolere se, quòd cum infirmo suo, de salute periclitante, agere nequeat secundùm regulas artis suæ. Quòd non ideò fas ipsi sit cooperari morti infirmi, agendo contra officium boni Medici.

1297 Objicies 17°. si emendatio consuetudinariorum & recidivorum, promptitudoque ad satisfaciendum Deo per opera pœnitentiæ requireretur ad ipsos absolutione donandos, pauci forent absolutione digni. Ferè omnes proinde repellendi.

Respondeo cum laudato Eminentissimo, si Confessarii omnes uniformiter agerent secundùm Dei & Ecclesiæ leges, peccatores aliam sibi præformarent pœnitentiæ idæam, eoque pacto ritè se disponerent ad absolutionem. Nimia ergo absolvendi facilitas plurimorum Confessariorum causa est, quòd consuetudinarii & recidivi eam sibi non efforment idæam pœnitentiæ, quam debent, ideòque valdè multi ex ipsis ad Pœnitentiæ tribunal accedant indispositi. Et ista nimia facilitas causa est impœnitentiæ ac perditionis valdè multorum, ut Sancti docent. Non ideò tamen Confessarius debet quemquam durè repellere, sed eos etiam, qui ob dilatam sibi absolutionem exulcerantur, suaviter monere, quòd id fiat ob salutem ipsorum, patienterque sustinere querimonias ipsorum, sperando futurum, ut ad meliorem frugem aliquando reversi, pro beneficio gratias acturi sint: *Certi enim sumus* (uti Clerus Romanus ad Cyprianum scribit epist. 30.) *quòd spatio productioris temporis, impetu ipsorum consenescente, amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse disciplinam; si tamen desint, qui illos arment ad periculum proprium, & in perversum instruentes, pro salutaribus dilationum remediis exitiosa deposcant illis properatæ Communionis venena.*

1298 Objicies 18°. per praxim nostram Sacramentorum frequentia impeditur.

Prorsus à veritate aliena est objectio ista: quippe de cujus falsitate testis est experientia, quâ videmus, Sacramentorum frequentiam maximam esse in Ecclesiis, in quibus Pastores & Confessarii praxim nostram sequuntur: utpote per quam consuetudinarii ac recidivi multi, ad se redeuntes, pravosque habitus emendantes, convertuntur, conversique pietatis affectu stimulantur ad Sacramenta cum fructu frequentanda, quorum aliàs ipsis rara erat frequentia, eaque infructuosa, quia sacrilega.

Objicies 19°. si consuetudinarii & recidivi 1299
sufficientem de peccatis non habeant dolorem, doleant se non habere: sufficiet hoc ad absolutionem.

Respondeo, dolorem de eo quòd sufficientem non habeas dolorem non magis sufficere, quàm dolorem quòd non habeas firmum amplius non peccandi propositum. Quiæ scilicet dolor ille est quidem dispositio aliqua ad dolorem, sed non est reipsà & effectivè dolor ex toto corde. Qualis ad hoc Sacramentum peccatorumque remissionem necessarius est, sicut aqua ad baptismum, juxta Tridentinum sess. 14. c. 4. & can. 4.

Si dicas, in defectu aquæ, sufficere votum, 1300
seu desiderium baptismi: similiter proinde sufficere votum, seu desiderium habendi verum effectivumque dolorem.

Respondeo 1°. si desiderium istud plenum foret, atque ex toto corde, non esset absque effectivo dolore: utpote qui actus est voluntatis; quem per consequens habet, qui pleno atque integro corde habere vult. At non sic ordinariè volunt consuetudinarii & recidivi; sed volunt & non volunt. Quia peccata ex toto corde deserere non volunt.

Respondeo 2°. deficiente aquâ, baptismum conferri non posse ob votum seu desiderium illius. Similiter ergo deficiente vero & effectivo de peccatis dolore, Sacramentum Pœnitentiæ conferri non posse ob desiderium ipsius.

Objicies 20°. consuetudinarii & recidivi, non 1301
obstante frequentiâ & facilitate relapsûs, mox absolvuntur variis in casibus, videlicet 1°. si sint milites ad prælium properantes, vel aliàs expositi periculo mortis. 2°. si ex desperatione Confessarius videat eos adeò perturbari, ut periculum probabile sit, quòd seipsos sint enecaturi. 3° si sint Parochi, seu Sacerdotes, quos oportet celebrare. 4°. si ex præcepto Ecclesiæ oporteat eos in Paschate communicare. 5°. si in die indulgentiarum ardenter cupiant eas lucrari.

Ad 1. respondeo ita esse, ob probabile mortis 1302
periculum, in quo dubiè contriti possunt & debent absolvi, non obstante periculo nullitatis Sacramenti. Cùm enim Sacramenta pro salute hominum sint instituta, ubi salus hominis periclitatur, Sacramentum periculo nullitatis licitè exponitur, ut salus hominis assecuretur, v. g. baptismus licitè confertur in aqua dubia, dum non suppetit certa. Isto tamen casu milites maxima cum charitate pro posse juvandi sunt, ut ad veram de peccatis ex toto corde contritionem excitentur.

Et hoc procedit etiam in secundo casu, si de- 1303
sperabundi illi, non ex malitia, sed ex perturbatione magna versentur in periculo, de quo in objectione. Qui tamen casus rarus est. Et idem censent sancti Patres de iis, qui aliàs in hæresim, vel apostasiam cum uxore & liberis probabiliter timentur prolapsuri. Nam *si pœnitentiam respuamus, habentes aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ* (ait Cyprianus epist. 52. ad Antonian.) *statim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reservaverant, in hæresim vel schisma, diabolo invitante, rapiuntur. Et adscribetur nobis, in die Judicii, nec ovem sauciam curasse, & propter unam sauciam multas perdidisse. Sic Antecessores nostri sæpè fecerunt. Sic Cornelius Papa Trophimum Episcopum absolvit, quocum pars maxima plebis abscesserat, ipsoque redeunte & satisfaciente, & pœnitentiâ deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces, & in Ecclesiam Domini, non tam Tro-*

pium,

phimus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est; qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Similia habet Augustinus l. 2. contra Cresconium c. 11. Ex constanti proinde veterum Patrum sententia, casus justæ necessitatis, quo dubiè dispositus absolvi potest, est quando plures alios secum in unitatem Ecclesiæ trahet, si absolvatur; trahet verò in schisma, vel in hæresim, si non absolvatur. Videri potest Morinus l. 1. c. 19. l. 4. c. 11. & l. 9. c. 6.

1304 Ad 3. respondeo, casum illum Sacerdotis non esse casum justæ necessitatis, in quo Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, ipsumque sacrosanctum Missæ sacrificium exponere liceat periculo sacrilegæ profanationis, in quo proinde Sacerdos dubiè contritus absolvi queat, vel præsumi sufficienter contritus. Cùm difficilior sit Sacerdotum, quàm aliorum vera & plena conversio, post commissum grande crimen, maximè carnis, uti probavimus libro præcedenti cap. 46. & 47. ubi de isto casu plura videre licet.

1305 Ad 4. respondeo Paschalem Communionem, à talibus, ex Confessarii præscripto, differendam. Propter similes namque causas Concilium Lateranense Communionis Paschalis præceptum (cap. *omnis utriusque sexûs* expressum) temperavit, dicens: *nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.* Propterea, qui ejusmodi est, expectare non debet ultimos quindenæ Paschalis dies, si velit cum aliis in Paschate communicare, sed circa initium Quadragesimæ (uti monet S. Carolus, & mos olim erat) vel aliquamdiù ante Pascha, dignis pœnitentiæ fructibus probare sè debet dignum Paschali Communione. Quod si neglexerit, suam sibi ad hoc indispositionem debet imputare.

Ad 5. respondeo, Sacramentum, isto prætextu, periculo exponi non posse. Primò, quia indulgentia nonnisi pœnitentibus & contritis conceditur; sine vera proinde pœnitentia, nulla prodest indulgentia. Secundò, quia per veram ex toto corde pœnitentiam peccator priùs eripiendus est ex inferno, quàm per indulgentiæ lucrum eripiatur ex purgatorio.

CAPUT CXXVIII.

In pulverem pariter rediguntur argumenta novissima Martini Steyaert, Henneguieri, Caroli ab Assumptione, &c. Illudque imprimis palmare, quod petunt ex Luc. 17.

1306 MIrum quanto isti cum strepitu in doctrinam & praxim nostram insurrexerunt, partim Thesibus, partim Libellis editis, in quibus tantam animi commotionem non manifestassent, si depositis tantisper præjudiciis rem totam sedato animo viri doctissimi considerassent. Sic enim ipsimet animadvertissent, solidis se argumentis usque adeò destitutos, ut ea quæ specialiter objiciunt, dum solutionum nostrarum validum ictum sustinere non valent, vitri, imò pulveris instar in aëra dissiliant.

Sed priusquàm hoc ostendamus, notandum est inter Adversarios illos nostros hac in re dissidium. Carolus namque ab Assumptione in Pentalogo suo Diaphorico p. 70. *Nec recidivus* (inquit) *ex eo quòd quoties habuit tale propositum, toties in eo non stetit, debet æstimari irrisor Sacramenti, si denuò cum tali proposito accedat ad confessionem.* Et pag. 98. *Qui promisit sæpiùs dimittere occasionem peccandi, & non dimisit, non ideò præsumitur non habere voluntatem relinquendi; nec ex hoc præcisè capite debet ei, titulo indispositionis, seu deficientis voluntatis, denegari absolutio.* Et in Appendice Pentalogi pag. 3. *Cùm ex frequenti relapsu, aut longæ consuetudine non appareat manifesta ratio, quod pœnitens non habeat hic & nunc dolorem de commissis, & propositum de non committendis; ideò ex relapsu,* etiam frequenti, *& consuetudine non potest pœnitens prudenter æstimari fictus vel mendax, sed tantùm quòd in dolore non stabit.* Et in Elucidatione sua pag. 2. *Je soutiens, que sans une preuve convaincante, mille rechûtes n'empêchent de croire sur sa parole le recidive de mille fois, lors qu'il dit d'avoir un vrai repentir, & un vrai propos de ne plus pecher, & qu'il donne tout l'exterieur d'une bonne confession.* Et in defens. commun. Eccles. prax. pag. 97. sic Deum loquentem inducit: *A vobis, debiles peccatores, qui fuistis viginti annis peccantes ex habitu, qui centies & centies in eadem peccata relapsi estis, sine ullo conatu ad emendationem; etiamsi vitam duxeritis enormiter flagitiosam, nullumque sit crimen, quod non commisistis, non postulo emendationem notabili tempore, nec fructus dignos pœnitentiæ. Non postulo nisi folia. Confitemini corde contrito, & remittam vobis omnia peccata vestra, per absolutionem Ministri mei.*

Steyartius verò in tr. de oper. pœnit. Et in libello, cui titulus: *Praxis & doctrina communis Ecclesiæ absolvendi*, &c. approbat opera pœnitentiæ externa pœnalia ante absolutionem ordinariè exigenda esse *à peccatoribus publicis, obduratis, consuetudinariis, aut in crimina enormia lapsis; secùs* (inquit) *à peccatoribus ordinariis, & iis qui solent aliquando labi in mortalia ex fragilitate.* Porrò inter peccatores ordinarios anno 1691. in Thesi Sabbatinali recensuit lapsos in fornicationem, cùm dixit: *viscositatem fornicationis v. g., sed nondum versæ in consuetudinem, meliùs curaveris citá absolutione, quàm aliquot dierum dilatione.* Quod usque adeò extendit ad Sacerdotem in fornicationem lapsum, ut sub finem anni 1689. publica in disputatione dixerit: *Sacerdotem noctu in fornicationem lapsum, posse die sequenti absolvi, & mitti ad altare, si aliàs plebs die Dominicâ Sacro frustranda foret.*

De Doctore Martin quid dicam? Vix manus 1307
subduxerat ferulis Bedelli Colonienſis, cùm adoptavit libellum immodestum, cui titulus: *Apologia pro praxi communi pœnitentiæ*, cujus vix folium extat, in quo non probra & convicia expuantur, dicteriaque pleno effundantur modio. Obscuri verò nominis Author, qui Apologiam illam concinnavit, etiam à semetipso in plerisque diffidet. Quippe modò affirmat, modò negat consuetudinarios facilè & citò converti. Modò affirmat ipsis necessaria esse longa pœnitentiæ opera ut convertantur, modò negat, uti demonstravimus in Theologia Sanctorum vindicata. Modò affirmat ordinariè prudenter credi consuetudinario & recidivo, post frustrata promissa omnia dicenti velle se emendare, modò idipsum negat, argumentis nostris convictus. Denique modò affirmat frequentes relapsus, vestitos circumstantiis, v. g. hominis consuetudine gravati, salutis suæ incurii, remedia sibi contra relapsum præscripta negligentis, &c. defectum inferre proposito, modò dicit solùm inferre mutationem propositi. Quid mirum? erroris ista est natura, sibi non constare. Sola veritas sibi per omnia constat.

Henneguierus denique in Dissert. Theol. de absol. p. 2. a. 4. concluſ. 2. dicit, *ex relapsu, quantumvis frequenti, atque ex consuetudine, etiam inveterata, non posse inferri rationabiliter defectum dispositionis ad Pœnitentiæ Sacramentum requisitæ.* Concluſ. proinde 3. censet, *accedenti ad Confessionem, & dicenti sibi ineſse verum de peccatis dolorem, cum absoluto emendationis proposito, quantumvis relapso & consuetudinario, si aliud non ob-*

stiterit, fidem adhiberi debere, absolutionemque conferri, quàmlibet enormia fuerint confessa crimina. Nec enim crimina ulla excipit. Imò tanta est laxitas ipsius, ut non solùm septies in die absolutionem conferendam censeat; sed & septuagies septies in die talia perpetrantem, seque pœnitere dicentem, toties absolutione donandum. Idque putat clarè & perspicuè docere Christum Luc. 17. cùm dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: &, si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimitte illi.* Ubi per *septenarium numerum* significari dicit *toties quoties: ponitur enim numerus finitus pro infinito*, ait Cajetanus post V. Bedam, c. 67. in Lucam dicentem: *Septenario numero, non veniæ dandæ terminus ponitur; sed vel omnia peccata dimittenda, vel semper pœnitenti dimittendam præcipitur.*

1308 Itaque 21°. isti objiciunt verba illa Salvatoris ex Luc. 17.

Verùm inepta est objectio, & intellecta ad sensum Henneguieri, manifestè ducit in præcipitium propositionis 60. ab Innocentio XI. damnatæ, uti demonstravimus cap. 96. Inducit etiam in laxitatem *execrabilem* in Concilio Toletano III. sub Pelagio II. hisce verbis tam patheticè reprehensam: *Comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias..... fœdissimè pro suis peccatis agere homines pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent: ideò pro coërcenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio jubetur*, &c. Porrò quòd in execrabilem istam præsumptionem laxitatemque manifestè inducat Henneguierus, dum ex verbis illis Salvatoris prætendit, quòd sicut extra Sacramentum oportet nos septies in die dimittere ei qui septies in die nos offendit, & post offensam accedit ad nos dicens, *pœnitet me*; sic oportet Sacerdotem in Sacramento Pœnitentiæ septies in die absolvere eum, qui septies in die offendit Deum (quàmlibet enormis sit offensa) & post singulas offensas accedit ad confessionis tribunal, dicens, *pœnitet me*, perspicuum est ex eo quòd ly *septies in die* idem ibi significet quod *absque termino*, etiam septuagesies septies, etiam centies, etiam millies, & quoties offendere placuerit. Manifestè ergo vult peccatores toties à Presbyteris expostulare posse reconciliationem cum Deo, sive absolutionem, quoties peccare libuerit, eamque à Presbyteris indilatè concedendam esse, absque alio requisito, nisi quòd Presbyteris dicere debeant, *pœnitet me*. Quod si verum est, tam horrenda sequuntur, ut soli tenebras offundere, terramque tremefacere queant. Narrat Author libri inscripti: *Reflexions d'Eugene Theophile*, &c. sibi notum Sacerdotem, singulis anni diebus incidere solitum in crapulam & impudicitiam: & quia ad Missam quotidie faciendam adstrictus erat, ferè quotidie accedebat ad tribunal confessionis, ac deinde Agnum immaculatum offerebat ad altare, Missâque factâ, ab altari Christi statim properabat ad altare diaboli, ad prostibulum utique, ibi diabolo litaturus abominabile ebrietatis atque Veneris sacrificium. Si secundùm verba illa Salvatoris oporteat Confessarium toties indilatè absolvere peccatorem, quoties accedens ad confessionem dicit, *pœnitet me*, sequitur Sacerdotem illum quotidie à Confessario absque dilatione absolvi debuisse, quoties confitendo dixit, *pœnitet me*, etiam non obstante habitu & consuetudine horrenda illa sacrilegia quotidie perpetrandi (quod adeò horribile est, ut horreat animus cogitando, rubescatque atramentum & charta scribendo:) jubet siquidem Salvator quotidie dimittere fratri, etiam septies in die, imò septuagesies septies nos offendenti, modò dicat, *pœnitet me*, tametsi assuetus esset quotidianas offensas illas repetere. Nihil enim Salvator excipit, non offensarum numerum, non habitum & consuetudinem. Hoc autem quod Salvator fieri jubet extra Sacramentum, loquendo de offensis in nos commissis, Henneguierus suo illo argumento fieri vult etiam in Sacramento, etiam loquendo de offensis in Deum commissis; contra propriam proinde sententiam dimicat, quâ dicit consuetudinarios inabsolutos dimittendos, si priusquàm à prava consuetudine, ut à proxima peccandi occasione interna, per pœnitentiam & seriam emendationem recesserint, ad confessionem accedant. Ecce quomodò secum ipsis pugnant petulantia (quæ Tridentinum sess. 4. coërceri voluit) ingenia, quæ dum suæ prudentiæ innituntur, *sacram Scripturam ad suos sensus contorquent, contra unanimem consensum Patrum*, Henneguierianæ expositioni verborum Salvatoris uno ore contradicentium, ut ex dictis est manifestum.

Objectionem ergo meritò dixi ineptam esse: 1309 quia textus sive Luc. 17. sive Matth. 18. luce clarius ostendit, Salvatorem ibi de sacramentali absolutione non loqui, sed de privata injuriæ condonatione; de eaque Salvatoris verba à sanctis Patribus unanimiter exponuntur. Nequeenim Petrus Christum interrogat: *quoties Deum offendet frater meus, sacramentaliter ipsum absolvam?* sed *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei usque septies*, &c.? Responsio ergo interrogationi adaptata naturalem & obvium hunc reddit sensum: *quoties frater in te peccaverit*, id est injuriâ te affecerit, *& dixerit, pœnitet me, ei remittes, seu condonabis.* Responsio proinde Christi non docet Petrum, quâ ratione se in Sacramento Pœnitentiæ gerere debeat erga peccantes in Deum, vel in proximum, sed quâ animi affectione dispositus esse debeat erga eos, à quibus acceperit injuriam. Semper enim dimittere jubemur cordis rancorem, vindictæque appetitum; semper ex corde remittere offensam in nos commissam; & quamvis non teneamur semper exteriora remissionis signa dare, nisi in præparatione animi; semper tamen paratos esse nos oportet ad ea danda in circumstantiis, in quibus ea lex charitatis exigit, v. g. in quibus injuriator veniam petit, *ne ipse, vel alii scandalizentur.*

1310

Ad id namque significandum Luc. 17. Salvator dixit: *Si septies in die peccaverit in te, & septies in die, conversus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimitte illi.* Immediatè enim præmonuerat cavendum à scandalo. Ad quod cavendum dimittere nos oportet exteriùs fratri, à quo injuriam accepimus, quoties dicit, *pœnitet me*, sive credamus eum revera ex corde pœnitere, sive non credamus. Imò interiùs dimittere nos oportet cordis rancorem, sive dicat, *pœnitet me*, sive non dicat, & impœnitens sit, juxta illud: *diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Ineptè autem quis argueret sic: Christianus tenetur offensas in se commissas dimittere injuriatori, etiam impœnitenti. Ergo Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ dimittere debet offensas in Deum commissas peccatori, etiam impœnitenti. Quia, uti sapienter observat Illustrissimus Castoriensis in Amore suo pœnitente p. 2. c. 13. §. 3. aliæ leges positæ sunt Christianis, ut sciant quomodò erga proximum suum, etiam inimicum, affecti esse debeant; aliæ sacris Judicibus, ut sciant quomodò erga peccatores gerere se debeant, qui in Deum graviter peccaverunt. Christianis quippe mandatum est, ut diligant proximum suum, etiam hostem & inimicum. Sacris verò Judicibus mandatum est, ut alios non solvant, nisi quos judicaverint absolutione dignos, sive ex toto corde pœnitentes; ut-

pote quibus aliàs absolutio profutura non esset, sed reis & absolventibus obfutura. Cùm Deus non donet peccata nisi toto corde conversis, nec aliis, quàm conversis Sacerdos donare possit. *Non est enim servus major domino suo*, nec prodesse potest absolutio Ministri, si summus Pater-familias non acceptet. Hinc Hieronymus in Matth. c. 18. *Si peccaverit in nos frater noster* (inquit) *& in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, imò & necessitatem: quia præcipitur, ut debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii.* Ambrosius quoque in cap. 17. Luc. *Pulchrè posuit*; " si peccaverit in te; " *non enim æqua conditio, in Deum hominemque peccare.* Ita etiam S. Thomas in Catena. Et Cajetanus in cap. 18. Matth. *Recole quod hic tractatur de remissione offensæ, non in Deum, aut in proximum, sed in te; in cujus libera potestate est remittere quod tibi debetur. Et propterea vult Dominus, quod potiùs fallaris remittendo fratri, dicenti, pœnitet me; quàm fallaris non remittendo. Secùs autem est, cùm de offensis agitur, quæ non ex tuo pendent arbitrio.*

1310 Instat tamen Henneguierus 1°. atque hunc syllogismum velut telum ineluctabile in nos vibrat: ratio non patitur, ut siquis extra Sacramentum creditur, & credi debet de peccatis pœnitens, de iisdem non credatur, aut credi non debeat pœniteus, si sponte ad Sacramentum accedens dicat, *pœnitet me.* Atqui extra Sacramentum, qui septies in die fratrem offendit, si septies accedat dicens, *pœnitet me*, creditur, & credi debet pœnitens. Ergo & in Sacramento credi debet, si sponte accedat.

Imprimis nego majorem: quia dum extra Sacramentum pœnitenti credis, qui in te peccavit, pœnitereque se dicit, non obstante quòd justæ tibi rationes occurrant dubitandi de vera ipsius pœnitentia, nulli injuriam facis: in Sacramento verò, dum verè pœnitentem credis, & absolvis eum, de quo justæ tibi rationes occurrunt dubitandi de vera ejus pœnitentia (sicut in casu consuetudinarii & recidivi) injuriam facis Sacramento, exponendo te periculo conferendi illud indigno, ipsumque proinde exponendo periculo nullitatis, vel frustrati effectûs.

Deinde conformiter iis quæ antè dixi, nego minorem: quia nec Evangelium, nec Patres dicunt, quòd Christianus, qui offendenti offensam remittit, dum dicit, *pœnitet me*, credere debeat ipsum verè pœnitere. Sacerdos verò in Sacramento remittere non potest (extra necessitatem) offensas in Deum commissas, nisi iis quos credit verè pœnitere. Quòd autem offensa in nos commissa saltem coram Deo remittenda sit offendenti, etiamsi non credatur pœnitens, ex Evangelio demonstratum est suprà, docentque (cum sanctis Patribus) Dionysius Carthusianus in cap. 17. Luc. ubi postquam dixit, dimittendum fratri, qui nos offendit, quotiescumque pœnitere se dixerit, addit: *tamen etiam non pœnitenti, & non roganti ignoscendum est, quantùm ad culpæ & odii remissionem.* Estius in 3. dist. 30. Locus Luc. 17. non significat, *non priùs remittendum fratri in nos commissum peccatum, quàm pœnitentiâ ductus veniam roget, sed remissionem priùs apud nos in corde factam, tunc etiam ore, & aliis benevolentiæ, ac reconciliati animi signis declarandam; id quod ante ejus pœnitentiam non semper expedit.* Similia habet Joannes Maldonatus in cap. 18. Matth. ubi propterea dicit, quòd Evangelicâ sententiâ, *usque septuagies septies, non docentur Sacerdotes absolutionem petentibus temerè dare, sed docentur offensi semper ad ignoscendum parati esse.* Cùm verò Augustinus Enchiridii c. 73. aliique Patres aiunt sufficere, ut pœnitenti, seu veniam roganti dimittamus, loquuntur *de dimissione ..... quæ in peculiaribus externis amicitiæ & charitatis officiis exhibendis consistit*, ut sapienter observat Jacobus Bajus l. 4. Institut. Religion. Christ. c. 32. Enimverò verè *condonat quis injuriam, quando non habet rancorem ad eum, nec malum contra ipsum procurat*, inquit S. Thomas lect. 3. in cap. 3. ad Coloss. ad illa verba, *donantes vobismet ipsis; siquis adversus alium habet querelam.* Atqui nulli licet habere rancorem ad inimicum, etiam impœnitentem, nec veniam petentem, nec malum contra ipsum procurare, affectu scilicet vindictæ. Ergo nulli licet non condonare injuriam inimico, etiam impœnitenti, nec veniam petenti.

Instat 2°. tametsi Luc. 17. non sit sermo de 1311
usu clavium; ex isto nihilominùs loco, ad litteram sumpto, rectè argumentum trahitur ad usum potestatis clavium, in sensu scilicet accommodatitio. Quomodò SS. Patres, & S. Thomas locum illum subinde extendunt ad usum istius potestatis. Sic enim S. Doctor arguit 3. p. q. 85. a. 10. in argum. *sed contrà: homo inducitur ad misericordiam exemplo divinæ misericordiæ, secundùm illud Lucæ: estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. Sed Dominus hanc misericordiam Discipulis suis imponit, ut sæpiùs remittant fratribus contra se peccantibus. Unde sicut dicitur Matth. 18. Petro quærenti, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei usque septies? Respondit Jesus. Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Ergo etiam Deus sæpiùs per pœnitentiam veniam peccatoribus præbet*, &c.

Respondeo ex sensu litterali efficaciter non argui ad spiritualem, vel accommodatitium, nisi sensus iste vel alio Scripturæ textu, vel aliquâ Ecclesiæ declaratione, vel communi Sanctorum traditione vel sensu firmetur. Et sic arguit S. Thomas in argumento illo, *sed contrà*. Aliàs efficaciter non argueret, uti fatetur 1. p. q. 1. a. 10. ad 1. ubi sic: *Nulla confusio sequitur in S. Scriptura: cùm omnes sensus fundentur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum; non autem ex his quæ secundùm allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in epist. 48. contra Vincentium Donatistam. Non tamen ex hoc aliquid deperit S. Scripturæ: quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifestè non tradat.* Sensus verò quem Henneguierus prætendit, nullo Scripturæ textu, nullâ Ecclesiæ declaratione, nec communi sensu Sanctorum, imò nullius Sancti testimonio firmatur; imò communi Sanctorum sensui diametraliter adversatur, uti superiora demonstrant argumenta nostra. Et ideò spurius est, & illegitimus, à Tridentinoque sess. 4. prohibitus, velut petulantis ingenii fœtus. Et reverà contrarius est fini quem Luc. 17. & Matth. 18. Christus intendit, fini utique charitatis: quia nimiâ absolvendi facilitate occasionem & audaciam præbet offendendi, fratresque perdendi, pro quibus mortuus est Christus. Et ideò facilitas illa à sanctis Patribus vocatur misericordia crudelis. Nam, ut S. Augustinus ait serm. 15. de verb. Dom. explicans verba ista: *usque septuagies septies: si hâc præscriptione severitas disciplinæ* (peccatores temerè non absolventis, sed ab ipsis condignos veræ pœnitentiæ fructus juxta Evangelica præcepta exigentis, ut *quos Deus per compunctionis gratiam visitat, illos sacerdotalis sententia absolvat*, inquit Gregorius homil. 26. in Evangel. *cùm tunc vera sit absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Judicis*) *dormiat, repressâ disciplinâ sævit impunita nequitia. Quid ergo faciendum est?* .... dum *per charitatem imponitur disciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quàm Medicus ferens ferramentum? Plorat secandus, & secatur. Plorat*

urendus, & uritur. Non est illa crudelitas, absit ut sævitia Medici dicatur. Sævit in vulnus, ut homo sanetur: quia si vulnus palpetur, homo perditur. Sic ergo ista monuerim, fratres mei, ut fratres nostros qui peccaverint omni modo diligamus de corde nostro. Charitatem in eos non dimittamus, & disciplinam cùm opus est demus, ne per solutionem disciplinæ crescat nequitia. Ecce quomodò ex Matth. 18. in favorem assertionis nostræ arguit S. Augustinus, Chrysostomum homil. 14. in 2. ad Cor. secutus, ubi *hanc rem.... summæ clementiæ & benignitatis, præstantissimæque medendi rationis, nec vulgaris erga peccatoris salutem curæ* esse dicit. Ista proinde ratione Sacerdos verissimè imitator est divinæ misericordiæ. Deus namque nisi plenè conversis peccata non condonat, plenæque conversionis gratiam facilè non donat, ne per veniæ facilitatem peccatores *commeatum sibi faciant delinquendi*, potiùs *quàm eruditionem non delinquendi*, ut Tertullianus loquitur lib. de pœnit. c. 6.

1302 Objiciunt 22°. Leo Papa epist. 102. *agendum* esse dicit, *ne difficultas veniæ curationem faciat tardiorem.* Et epist. 91. c. 3. *In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrymas gemitusque negligere.*

Verùm priori loco solùm vult curationem fieri non debere tardiorem, quàm Ecclesiæ consuetudo, & Canones præscribunt. Posteriori loquitur de iis, *qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant.* Extra quem casum, epistolâ illâ 91. non alios, quàm *salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittendos* dicit.

1303 Objiciunt 23°. Catechismus Romanus p. 2. c. 5. n. 32. *iis qui scelerum conscientiâ agitantur, maximè salutare* esse dicit, *ut Sacerdoti, tanquam Christi Domini Vicario.... animæ suæ morbos & vulnera aperiant. Statim enim parata sibi medicamenta invenient, quæ non solùm præsentis ægritudinis curandæ, verùm ita præparandæ animæ cælestem quandam vim habeant, ut deinceps facilè futurum non sit, in ejusdem morbi & vitii genus recidere.*

Respondeo quòd medicamenta illa statim parata sibi invenient, si debita cum dispositione accedant; sed *hoc primum Sacerdotes in pœnitente diligenter observare* vult Catechismus n. 51. *si veram peccatorum suorum contritionem habeat, certumque illi sit, ac deliberatum, imposterùm à peccatis abstinere.* Cujus defectu medicamentorum illorum effectum non percipere consuetudinarios, ac recidivos, de quibus agimus, experientia docet, cùm facilè, ut antè, in ejusdem morbi ac vitii genus recidant.

1304 Objiciunt 24°. Gregorius Magnus l. 6. in c. 15. l. 1. Reg. *Plerùmque* (inquit) *instanti Confessione agitur, ut confitentibus de cordis etiam conversione credatur.* Ergo pœnitenti, asserenti se verè esse conversum, ordinariè adhibenda est fides.

Nego consequentiam: quia eam negat Gregorius ipse, dum ibidem ait: *Signum ergo veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ.* Tunc enim *benè conversum peccatorem cernimus, cùm dignâ afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur... In fructu ergo, non in foliis, aut ramis, pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia?* Aliquando tamen instanti, id est importunâ, & sæpè repetitâ Confessione moventur Ecclesiæ Prælati, ut coram populo velut conversos recipiant Sacerdotes, & Reges lapsos, idcòque de culmine dignitatis dejectos (de iis namque Gregorius loquitur immediatè ante verba objecta) etiamsi probabiliter coram Deo conversi non sint, idque propter ædificationem & salutem plurimorum, prout indicant verba sequentia: *Aliquando reproborum falsam humilitatem electi Prædicatores accipiunt, ut exemplo eorum alii ad salutem perducantur.* Quomodò Samuel (in quo exemplificat Gregorius) reprobi Saülis Confessionem propter populum accepit, & cum ipso adoravit. Quomodò etiam Trophimi Episcopi conversione utcumque probabili Ecclesia contenta fuit, ut ipsum in sinum suum reciperet, & in amissam dignitatem restitueret, ob salutem populi, quem seduxerat, secumque ad Ecclesiam reducebat. Sed hoc quod ob urgentem necessitatem, ob communem utilitatem, salutemque plurimorum faciunt Ecclesiæ Prælati, ad casus ordinarios extendere non licet: utpote in quibus Ecclesia servari vult communes leges suas.

Objiciunt 25°. idem Gregorius homil. 26. in 1305
Evangelia dicit, *illos nos debere per pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare: quæ mirarum vivificatio, ante operationem rectitudinis, in ipsa jam cognoscitur confessione peccati.*

Respondeo 1°. quòd in eadem homil. seipsum explicet, cùm dicit: *Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoralis sententia absolvat.* Sensus proinde planus & obvius verborum objectorum est, quòd absolvendi sint illi, quos à Deo per compunctionis gratiam vivificatos Sacerdos cognoscit ex pœnitentia secuta post culpam, in ipsa Confessione sibi manifestata. Ex ea namque deprehendere potest internam vivificationem, ante ulterioris operis exhibitionem, id est antequam pœnitens illa faciat, quæ facienda supersunt à justificatis, ut in justitia perseverent. De quibus Tridentinum agit sess. 6. c. 13.

Respondeo 2°. nec istud, nec præcedens Gre- 1306
gorii testimonium facere ad rem. Quia Gregorius ibi non loquitur de consuetudinariis & recidivis, qui promissis sterilibus, velut absque fructu foliis, Confessarium sæpiùs fefellerunt, fallendoque suspectam de fallacia reddiderunt promissionem, quam in præsenti Confessione faciunt. Neque de peccatoribus magnis, qui ad Confessionem veniunt absque præviis pœnitentiæ operibus. Contrarium namque manifestum est ex contextu. De aliis autem peccatoribus loquendo, fatemur plerùmque contingere, per ipsorum Confessionem, meliorisque vitæ promissionem, satis cognosci internam ipsorum conversionem, ante promissionis executionem, quando scilicet nihil occurrit nec concurrit, quod suspectam meritò reddat ipsorum promissionem. Assertioni proinde nostræ nec per umbram Gregorius contradicit.

CAPUT CXXIX.

Reßdua eorumdem argumenta straminea esse ostenduntur.

OBjiciunt 26°. commune SS. Patrum ada- 1307
gium: *Apud Deum non valet mensura temporis, sed doloris.*

Respondeo istud etiam adagium prorsus esse extra rem. Quid enim inde? Adagio isti libentissimè subscribentes, dicimus & nos, apud Deum non tam valere mensuram temporis quàm doloris, id est majori in pretio esse magnum ferventemque dolorem, quem brevi aliquando tempore divina operatur gratia, quàm parvum tepidumque dolorem, quem majori tempore in se peccator excitavit. Propterea namque olim pœnitentiæ tempus Episcopi breviabant illis, qui magno cum

fervore eam exequebantur; protrahebant iis qui tepidè & negligenter. Propterea etiam Chrysostomus homil. 14. in 2. ad Cor. ad hanc objectionem: *Sat diu pœnas expenderunt.* Respondet: *Quamdiù quæso? Annum unum, & alterum, aut tres? Atqui temporis moram non quæro, sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius commutati* (quod non demonstrant consuetudinarii, nec recidivi nostri) *& res tota confecta est: quod nisi ita sit, nihil profecto temporis diuturnitas emolumenti attulerit*, &c.

1318 Objiciunt 27°. inter signa animi pœnitentis, à SS. Patribus commendata, commune ac generale est, humilis & verecunda peccatorum Confessio, maximè si eam gemitus & lachrymæ comitentur.

Respondeo, nullum ex Patribus asserere, signum istud esse sufficiens, si sæpiùs præfatum fuerit absque ullo fructu promissæ emendationis. Imò contrarium SS. Patres asserunt, ut vidimus.

1319 Objiciunt 28°. mirum in modum hallucinamur, dum confessionem peccati, & humilitatis actiones, quæ confitendo fiunt, inter pœnitentiæ fructus non computamus.

Sed mirum in modum ipsimet objicientes hallucinantur, dum istos pœnitentiæ fructus, absque emendatione, satis esse putant ad prudenter dijudicandam consuetudinariorum recidivorumque plenam conversionem, dum se humiliter accusant, nec unquam emendant. Hoc enim SS. Patres negant, nominatim Gregorius, cùm dicit: *Confessionis verba, quid aliud sunt nisi folia? In fructu ergo, non in foliis, pœnitentia cognoscenda est*, &c.

1320 Objiciunt 29°. non possumus habere majorem certitudinem de vera contritione pœnitentis, nisi depromptam ex ore seu confessione ipsius. Docet enim Augustinus quòd *conscientiam nostram videmus, alterius non videmus.* Dicit & Apostolus 1. Cor. 2. *Quis enim hominum novit, quæ in homine sunt, nisi spiritus hominis, & cui voluerit revelare.*

Respondeo 1°. non rectè citari verba Apostoli: utpote qui loco objecto sic non habet, sed hoc modo: *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?*

Respondeo 2°. conscientiam alterius, sive cogitationes & motus voluntatis alienæ, à nobis cognosci non posse in seipsis (& isto sensu Apostolum dicere, *quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?*) cordis nihilominus alieni dispositionem nobis per effectus sic manifestari, ut de illa etiam moralis quædam certitudo habeatur, non solùm talis, qualis ordinariè in Confessario de pœnitentis sui dispositione requiritur, sed & multò major. Dicit enim Apostolus Rom. 15. *Certus sum, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione.* Gregorius quoque homil. 18. in Ezech. illam Christi regulam, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, veram esse ostendit; *per hoc enim quod videmus, cognoscimus operantis animum, quem non videmus..... Cùm enim alios respicimus largiri eleemosynam, afflicto occurrere, oppresso subvenire, nihil eos in hoc mundo quærere, nullis hujus mundi compendiis inhiare.... quid aliud debemus, nisi eos perfectos credere, sanctos existimare?* Unde Regist. l. 5. indict. 14. epist. 59. Augustino Anglorum Episcopo scribens: *Excellentiæ vestræ* (inquit) *christianitas ita nobis veraciter olim innotuit, ut de bonitate ejus nullatenùs dubitemus, sed magis certum modis omnibus teneamus, quia in causa fidei devotè & studiosè concurrat, & religiosæ sinceritatis suæ solatia copiosissimè subministret.* Et l. 6. indict. 15. c. 22. Gregorianæ Cubiculariæ Augustæ scribit: *Scio quia omnipotentem Dominum ferventer diligitis, atque in ejus misericordia confido, quia illa de vobis sententia ex ore Veritatis procedit, quæ de quadam muliere dicta est: dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Quid mirum? *Sicut corporis hujus vitam ex motu suo cognoscimus* (ait Bernardus serm. 2. de Resurrect.) *ita & fidei vitam ex operibus bonis.* Ex quo infert: *Tu ergo si videris hominem bonis operibus strenuum, & fervore conversationis hilarem, vivere in eo fidem ne dubites, indubitata tenens vitæ illius argumenta.* Igitur & Scriptura sacra, & SS. Patres manifestè docent, per effectus & opera externa haberi à nobis posse notitiam & moralem certitudinem de ea, quæ in proximo est, animi dispositione, etiam majorem, quàm ea sit, quæ in Confessario extra necessitatem requiritur de interna pœnitentium suorum dispositione.

Objiciunt 30°. Confessarius habere non potest 1321
majorem certitudinem de conscientia seu interna dispositione pœnitentis, quàm ut ipsi eam in Confessione manifestatiti credat. Dicit enim S. Thomas Supplem. q. 8. a. 5. ad 2. *Rector Ecclesiæ debet vultum pecoris sui agnoscere.... per Confessionis manifestationem. Et quantum ad hanc cognitionem, non potest majorem certitudinem accipere, quàm ut subdito credat: quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius.*

Respondeo Confessarium habere non posse majorem certitudinem de factis internis & externis pœnitentis, ipsi pœnitenti certò notis, quæque Confessarius scire non potest nisi ab ipso, v. g. quòd hæc vel illa peccata commiserit, vel non commiserit, quòd istos vel illos actus in se excitare conatus fuerit, quòd isti vel illi confessus fuerit, &c. quàm ut in istis pœnitenti credat. Et de factis & actibus ejusmodi loquitur S. Thomas loco objecto (expressissimè enim loquitur de facta alteri Confessione, dicitque sufficere, *quòd credat subdito dicenti, se alteri absolvere valenti fuisse confessum*) non autem loquitur de sufficientia factorum à pœnitente manifestatorum ad persuadendum Confessario, quòd pœnitens sit plenè, sive ex toto corde conversus; de qua sufficientia majorem habere potest certitudinem ex principiis Theologicis, quàm ut subdito credat, utpote qui nec eam habere potest, nisi ex principiis illis; quæ si nesciat, vel si ad ea non satis attendat, seipsum sæpissimè seducit, uti non semel ostendimus.

Objiciunt 31°. Christus aliud signum non insti- 1322
tuit ad cognoscendam dispositionem interiorem pœnitentis, nisi Confessionem. Quemadmodum enim in Baptismo ad significandam interiorem ablutionem instituit ablutionem exteriorem per aquam, cujus ad hoc vulgaris est usus; sic ad significandam dispositionem interiorem pœnitentis, in Pœnitentiæ Sacramento, instituit verba confitentis, quorum vulgaris est usus ad significandos interiores conceptus & motus hominis, uti docet S. Thomas Supplem. q. 9. a. 3. hisce verbis: *Sicut in Baptismo ad significandam ablutionem interiorem assumitur illud elementum, cujus est maximus usus in abluendo: ita in actu Sacramenti Confessionis ad manifestandum ordinariè assumitur ille actus, quo maximè consuevimus manifestare, scilicet proprium verbum.*

Respondeo Christum instituisse Confessionem, tamquam signum sufficiens ad manifestanda Confessario peccata; non tamquam signum universim sufficiens ad manifestandam veram plenamque conversionem, seu contritionem pœnitentis. Nec hoc dicit S. Thomas, nec iste est scopus, in quem collimant ea quæ loco citato dicit, sed solùm quòd *confessio peccatorum*, quatenùs pars est Sacramenti, *proprio ore facienda sit*, dum sic fieri potest, ut habet summarium istius articuli. Frivola proinde est objectio.

1323 Objiciunt 32°. sola Confessio, non emendatio per aliquod tempus, est signum à Christo institutum ad credendum pœnitentem satis esse contritum. Signum quippe à Christo institutum ad id credendum est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ; utpote pars materialis ipsius. Sola verò Confessio, non emendatio illa, est de essentia, seu pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

Respondeo negando antecedens, si sermo sit de signo adæquato, universim sufficiente ad hoc ut Confessarius prudenter judicet, pœnitentem sufficienter dispositum esse ad absolutionem, sive ex toto corde contritum. Certissimum namque est, omnem confitentem non esse talem: exempli gratiâ talem non esse qui consuetudinem habet peccandi contra legem Dei, naturæ vel Ecclesiæ, de quo nulla spes emendationis apparet, licèt ore proferat se dolere, emendationemque proponere. Et idem est de confitente, qui proximam mortaliter peccandi occasionem non vult deserere, vel alienum non vult restituere, vel acceptas injurias non vult remittere. Nec probabile est à Christo sic institutum esse Pœnitentiæ Sacramentum, ut voluerit Confessarium, contra omnes prudentiæ regulas, iis in circumstantiis pœnitenti, se ex toto corde contritum asserenti credere, credendoque Sacramentum periculo nullitatis exponere, in quibus fides ipsius, secundùm communem prudentum sensum & usum, vel certò, vel probabiliùs falsa, vel certè dubia est, & rationabiliter suspecta. In quibus Sacerdos validè quidem absolveret, si coram Deo reverà contritus esset; absolvendo tamen peccaret contra officium fidelis & prudentis dispensatoris mysteriorum Dei. Manifestum proinde est, signum sufficienter certificans Confessarium de sufficienti contritione pœnitentis, ad fidelem & prudentem usum officii sui, non esse necessarium ad valorem & essentiam hujus Sacramenti; nec ad ejus valorem essentiamque necessarium esse, quòd Confessio, in omnibus circumstantiis, sit ejusmodi signum: licèt Confessio aliis indiciis adminiculata, & nullum contra se signum habens, per quod elidatur, dici possit ejusmodi signum. Ecce quàm nullo negotio veritatis calor liquefacit pruinas frigentium objectionum, quas Carolus ab Assumptione, & sequaces ipsius insolubiles existimabant.

1324 Objiciunt nihilominùs 33°. ad quod sufficit essentia Sacramenti Pœnitentiæ, nihil aliud requiritur, non utique emendatio, nec numeri peccatorum diminutio, nec quidquam aliud, non essentiale Sacramento. Sed ad obtinendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ, remissionem scilicet peccatorum, sufficit essentia istius Sacramenti, scilicet confessio, contritio, satisfactio, absolutio. Ergo ad obtinendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nihil aliud requiritur, non utique emendatio, &c. Syllogismum istum Carolus adeò evidentem arbitratur, ut, quasi de victoria certus, percunctetur: *quænam Scriptura, quænam traditio, quænam alicujus momenti ratio tam evidenti rationi opponi potest?*

Verùm sapientissimi Episcopi, Tornacensis & Castoriensis, dudum ostenderunt, jactantiam istam magis ex præoccupatæ mentis caligine, quàm ex lumine veritatis procedere, nihilque facilius esse, quàm objectionem illam veritate conterere; cùm non fulgeat, si fulgeat, nisi vanitate.

Distinguo ergo majorem: ad quod sufficit essentia Sacramenti, nihil aliud requiritur ad valorem & essentiam Sacramenti, nec ad id proinde requiritur emendatio, &c. concedo. Nihil aliud requiritur ad officium Ministri Sacramenti fideliter & prudenter exercendum, dum de aliquo essentiali, v. g. de contritione, rationabile est dubium, nego. Et argumenti vanitatem in simili demonstro: simili namque syllogismo probaretur, ad prudentem administrationem baptismi, in dubio an aqua sit vel non sit naturalis, Sacerdotem non debere gustu, vel alio sensu probare aquam; syllogismum Carolinum sic imitando: *ad quod sufficit essentia Sacramenti Baptismi, nihil aliud requiritur, non utique probatio aquæ per gustum, vel alium sensum. Sed ad obtinendum effectum Sacramenti Baptismi, sufficit essentia istius Sacramenti, aqua scilicet naturalis, & infusio ipsius, cum debita forma. Ergo ad obtinendum effectum Sacramenti Baptismi, nihil aliud requiritur, non utique probatio aquæ in dubio*, &c. Quis non defleret stupendam cæcitatem taliter arguentis? Quis non illicò reponeret, quòd licèt ad valorem & effectum Sacramenti Baptismi sufficiat ponere essentialia istius Sacramenti; in dubio tamen an materia sit talis, qualem Christus instituit, probationem illius per gustum, seu alium sensum, necessariam esse ad prudentem Baptismi administrationem?

Simili rursus argumento probaretur, instrumenta artificis, malleum, ferram, asciam, &c. necessaria non esse ad construendum ædificium, dicendo: *Ad quod sufficiunt essentialia ædificii, nihil prætereà requiritur. Sed ad construendum ædificium, sufficiunt essentialia ædificii, scilicet lapides, lateres, cæmentum, asseres, clavi*, &c. *Nihil ergo prætereà requiritur*; non proinde instrumenta illa. Vanissimum argumentum. Tametsi enim instrumenta non requirantur, velut partes essentiales ædificii; requiruntur ad ritè ordinandas partes essentiales. Similiter licèt emendatio, in casu nostro, non requiratur tamquam pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ; requiritur tamquam signum necessarium ad cognoscendam contritionem ex toto corde, quæ pars est essentialis.

Emendationem proinde velut signum exigendo, nihil addimus institutioni Christi; sed illud ipsum exigimus, quod Christus exigit, ut Confessarius non judicet, nisi causâ cognitâ & probatâ. Contritionem quippe in dubio cognosci vult ex fructibus, juxta illud: *ex fructibus cognoscetis eos.* Quos fructus Augustinus serm. 60. Edit. novis. Paris. ait esse *dignos pœnitentiæ fructus*, addens, quòd *quisquis istos fructus non fecerit, sine causa putat per sterilem pœnitentiam se mereri veniam peccatorum.*

1325 Objiciunt 34°. Confessarius rimari debet contritionem pœnitentis per actiones à Christo institutas, non per alias. Ad hoc autem Christus instituit Confessionem, non emendationem.

Nego minorem, dum Confessionis signum ex circumstantiis falsum apparet, vel dubium. Tunc quippe nuda Confessio non est signum sufficiens, sed sola Confessio adminiculata dignis pœnitentiæ fructibus, ex quibus pœnitentiæ veritas & plenitudo Sacerdoti sufficienter innotescit, præsertim ex vitæ emendatione.

1326 Objiciunt 35°. relapsus, qui fieri potest vel ex carentia, vel ex mutatione propositi, à nobis non benè dicitur fieri ex carentia potiùs quàm ex mutatione propositi. Sed relapsus consuetudinariorum & recidivorum nostrorum, fieri potest vel ex carentia, vel ex mutatione propositi. Igitur à nobis non benè dicitur fieri ex carentia potiùs quàm ex mutatione propositi.

Retorqueo argumentum: relapsus qui fieri potest, vel ex carentia, vel ex mutatione propositi, ab objicientibus non benè dicitur fieri ex mutatione potiùs quàm ex carentia propositi. Sed relapsus consuetudinariorum & recidivorum nostrorum, fieri potest vel ex carentia, vel ex mutatione propositi. Igitur ab objicientibus non benè dicitur fieri ex mutatione potiùs quàm ex carentia propositi. Dubium proinde est, an non fiat ex carentia propositi. Dubia proinde dispositio consue-

tudina-

tudinariorum recidivorumque noſtrorum. In ejuſmodi verò dubio certum eſt, extra caſum juſtæ neceſſitatis, non eſſe licitum exponere Sacramentum periculo fruſtrati valoris & effectûs. Ecce rurſum armis ſuis contra ſeipſos dimicant Adverſarii. Ad iſtud ergo argumentum in forma.

Reſpondeo relapſum quidem facilem, promptum & frequentem in gravia crimina, ſaltem externa, quæ ſine plena deliberatione non committuntur, ſpeculativè & metaphyſicè non eſſe ſignum infallibile carentiæ propoſiti; moraliter tamen, & juxta communem hominum ſenſum, eſſe vehemens indicium carentiæ propoſiti, ſive quò vehementer ſuſpecta redditur fides confitentis, ſe emendationem firmiter proponere aſſerentis, uti probant centum duodecim argumenta, quæ ſuprà deduximus.

1327 Objiciunt 36°. ſeu potiùs inſtant contra reſponſionem ad objectionem præcedentem, Petrus verè erat in gratia, firmoque propoſito moriendi pro Chriſto, cùm dixit, *animam meam pro te ponam*; tametſi in propoſito iſto diù non ſteterit, ſed paucis poſt horis, dum mori timuit, vitam negaverit. Similiter ergo conſuetudinarii & recidivi noſtri in vero ſeſe emendandi propoſito eſſe prudenter creduntur, dum confitentur, tametſi in propoſito iſto diù non ſint permanſuri, ſed paucis poſt Confeſſionem horis relapſuri.

Nego conſequentiam: quia ex antecedente ſolùm conficitur, quòd ſicut lapſus unus ex graviſſima tentatione improviſa, non facilè proinde proveniens, non eſt argumentum fictæ vel infinceræ promiſſionis, ſed humanæ fragilitatis; ita & recidiva una, non facilè, ſed ex graviſſima ſeu extraordinaria tentatione improviſa proveniens, &c. Sed id non conficitur de recidiva frequenti, facilèque & citò poſt Confeſſionem contingente, non ex tentatione graviſſima & extraordinaria, ſed ordinaria, ſeu non alia quàm propriæ concupiſcentiæ.

1328 Objiciunt 37°. Patres, de pœnitentia loquentes, non diſtinguunt inter lapſum unum, & relapſum, etiam facilem ac frequentem.

Nego aſſumptum: diſtinguit enim 1°. Clemens Alexandrinus cap. 74. laudatus. 2°. diſtinguit Concilium Toletanum III. dum execrabilis præſumptionis potiùs arguit eos, qui toties abſolvi volebant, quoties peccare libuiſſet, quàm eos qui ſemel tantùm peccaverant. 3°. diſtinguit Eccleſia, dum ſemel in hæreſim lapſos, ad ſe reverſos facilè recipit; non ſic relapſos. 4°. diſtinguit Innocentius XI. dum propoſitionem ſexageſimam damnando, declarat negandam vel differendam abſolutionem conſuetudinariis, poſt multa promiſſa non dantibus ſpem emendationis; nihil ſimile declarando de ſemel tantùm peccantibus contra legem Dei, &c.

1329 Objiciunt 38°. quid eſt exterior vitæ emendatio, niſi mutatio operis? Quid eſt propoſitum efficax non peccandi, niſi mutatio cordis? Recidivo, dicenti ſe mutatum opere, Confeſſarius credit: cur ergo ſimiliter non credit dicenti ſe mutatum corde; cùm facilior ſit mutatio cordis, quàm operis? inquit Carolus ab Aſſumptione.

Verùm poſtrema iſta ipſius verba paradoxum continent. Faciliorem quippe non eſſe mutationem cordis, ſeu correctionem interni affectûs, quàm operis, ſeu actûs externi, manifeſtum eſt ex eo quòd ad mutationem externi operis homo ſe liberè determinare non poſſit, ſine interna ad iſtam mutationem affectu.

1330 Ad argumentum itaque reſpondeo, Confeſſarium ideò potiùs credere pœnitenti manifeſtanti exteriora facta ſua, quia de iis pœnitens certitudinem habet, nec ea Confeſſarius ſcire poteſt niſi ab ipſo. Aliud eſt de interna cordis mutatione, illiuſque ſufficientia; quæ quia ſub ſenſum non cadit, prout facta exteriora, circa eam pœnitens plerùmque fallitur, putans ſufficientem ſe contritionem habere, cùm non habeat. Et ideò de ea Confeſſarius non ſatis certificatur ex teſtimonio ipſius, ſed ex principiis Theologicis, auditâ narratione ipſius, certificari debet.

Objiciunt 39°. S. Leo epiſt. 91. dicit, quòd 1331
oportet unumquemque Chriſtianum ſuæ conſcientiæ habere judicium.

Verùm S. Pontifex non loquitur de judicio, quo peccator de ſufficienti ſua ad ab olutionem diſpoſitione decernat (circa eam quippe ſubmittere ſe debet judicio Confeſſarii ſui) ſed de judicio, quo ab ipſa mente ipſius talis ſententia proferatur, ut ſe indignum judicet corpore & ſanguine Domini; dignum verò caſtigatione ob peccata ſua. Quod S. Auguſtinus ſic explicat: *In hac ergo pœnitentia majorem quiſque ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus, non judicetur à Deo.... Si enim nos judicaremus, non utique judicaremur. Accedat ergo homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ.... Conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat.... Atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi pœnitentis per lachrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet corporis & ſanguinis Domini.* Videatur totus contextus ſancti Leonis, & apparebit hoc eſſe quod à ſancto Leone docetur loco objecto. Dicit enim, quòd peccator *proprio ſe judicio condemnare debet, ad remiſſionem criminum* obtinendam.

CAPUT CXXX.

Nulla ex aſſertione noſtra, ſive ex praxi illius, inconvenientia conſectaria ſunt.

AUthor Apologiæ pro praxi communi pœni- 1332
tentiæ, cumque ipſo Doctor Martin, qui Apologiam ſuprà memoratam adoptavit, ſuoque inſcriptam nomine evulgavit, graviſſima ex praxi aſſertionis noſtræ ſequi putant inconvenientia. Primò namque praxis illa celeri (inquiunt) paſſu tendit ad eliminandum Pœnitentiæ Sacramentum.

At certiſſimè imponunt, eſtque impoſtura iſta veteris Eccleſiæ praxi vehementer injurioſa. Olim namque graves peccatores, etiam occultos, etiam non conſuetudinarios, nec recidivos, abſque comparatione diutiùs Eccleſia poſt confeſſionem detinuit in laboriosis, ante ſacramentalem abſolutionem, humillimæ pœnitentiæ exercitiis, quàm modò fiat ab iis quos ipſi Rigoriſtæ, contra Innocentii XI. prohibitionem, appellant. Impium tamen blaſphemumque foret aſſerere, quòd praxis illa veteris Eccleſiæ celeri paſſu tendebat ad eliminandum Pœnitentiæ Sacramentum; cujus dignam econtra ſuſceptionem, adminiſtrationemque, per illam praxim pia Mater Eccleſia procurabat; ſicut & hodie procurat praxis noſtra.

Inſtant nihilominus ipſi dupliciter. Primò ſic: 1333
ſi contingat conſuetudinarium, ut ſæpè fit, inter practicanda illa pœnitentiæ exercitia reincidere, ad longiora tempora, ſecundùm nos, remittendus erit. Si poſt hæc iterùm relabatur, iterùm ad longiora. Si denique tertiâ, quartâ, quintâ vice reincidat, iterùm ad longiora & longiora. Et ſic aliquando in finem vitæ abſolutio differetur. Ergo praxis noſtra tendit, &c.)

Sed imprimis imperitum eſt argumentum: ſi enim in fine vitæ talis abſolvatur: ergo Pœnitentiæ Sacramentum non eliminatur. Eſt etiam veteris Eccleſiæ praxi injurioſum, quæ olim ſimilibus in caſibus, imò abique tam frequentibus inter pœnitendum relapſibus, abſolutionem ſacramentalem diſtulit ad vitæ finem, ut certum eſt in

antiquitate peritis. Non ideò tamen Pœnitentiæ Sacramentum eliminavit. Nec illud eliminat Author Apologiæ, uti nec illius adoptator, tametsi in ea non semel asserant, absolutionem consuetudinariis differendam, si post multa promissa, nulla appareat in ipsis emendatio, nulla major quàm antea cura salutis, nulla præscriptorum remediorum observantia, nulla occasionum fuga, &c. Quid ergo si tales remissi secundâ adhuc vice in ista omnia relabantur? quid si tertiâ, quartâ & quintâ vice, & sic ad annos, & annos, usque ad appropinquantem vitæ terminum? si usque tunc ipsos velut indispositos remittant, & tunc demùm absolvant, annè Sacramentum Pœnitentiæ propterea eliminabunt? An non ridiculus esset qui hoc assereret? Vel hinc ergo videant manifestam hallucinationem suam, & impostaram recantent.

1334 Secundò instant hoc modo: quisquis asserit, quòd sicut absque magnis fletibus & laboribus non remittitur pœna temporalis, sic absque illis non remittitur magnis peccatoribus, nec consuetudinariis, culpa & pœna æterna, Sacramentum destruit, per quod ex opere operato remittitur tota culpa, non tota pœna.

Nego assumptum. Sic enim arguere est contra fidem errare. Docet enim Scriptura, docet Traditio, magnos fletus & labores pœnitentiæ magnis saltem peccatoribus necessarios esse ad remissionem culpæ, pœnæque æternæ; sicque sacros textus Hierem. 4. 8. Joël. 2. 12. Jonæ 3. 5. Luc. 3. 7. Jacobi 4. 8. & 9. unanimiter intelligunt SS. Patres. Sic etiam ex sacris textibus illis manifestum esse, contra hæreticos scripserunt, quotquot penè Catholicam fidem contra Lutherum, Calvinum, Melanchtonem, &c. tutati sunt. Igitur manifestè contra Scripturam & Traditionem, adeòque contra fidem errant, qui sic arguunt.

Nec error ipsorum est absque grandi injuria totius veteris Ecclesiæ, quæ magnos illos fletus, & diuturnæ pœnitentiæ labores ad culpæ & pœnæ æternæ remissionem per multa sæcula requisivit. Nec ideò Pœnitentiæ Sacramentum, nec virtutem ipsius culpæ pœnæque æternæ ex opere operato remissivam destruxit. Siquis enim hoc assereret, in ipsum quadraret istud Isa. 29. 24. *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, & errare fecit eum, sicut errat ebrius & vomens.*

Discant ergo, qui sic arguunt, sapere ad sobrietatem; sciantque nec laboriosa pœnitentiæ opera, nec contritionem per illa impetratam, habere ex se vim remissivam culpæ, nec pœnæ æternæ; sed tam istam, quàm illam, positâ quâcumque contritione, positis quibuscumque operibus præparatoriis, remitti per puram Dei misericordiam, virtutemque Passionis Christi, per Pœnitentiæ Sacramentum peccatoribus applicatam; ac per consequens culpam pœnamque æternam per Pœnitentiæ Sacramentum semper remitti ex opere operato. *Audiunt enim Catholici omnes Tridentinam Synodum* (ait Bellarminus l. 1. de pœnit. c. 5.) *disertis verbis concionantem, nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fidem, sive opera, ipsam justificationis gratiam promereri. Et ideò gratis per Christum, institutaque à Christo Sacramenta, homines justificari. Sess. 6. c. 8. Itaque contritionem, & opera præparatoria suprà dicta, dispositionem esse volunt Catholici, non meritum remissionis peccatorum.* Qua de re plura dabimus, dum de contritione.

1335 Secundum inconveniens, quod ex sententia nostra consectarium arbitrantur, est quòd Parochus recidivus in peccatum carnis v. g., qui die festo celebrare debet, ut parochiani sui sacrum audiant, nec copiam habet alterius Sacerdotis, qui ipsis Missam faciat, vel sacrilegè debebit celebrare, si statim non absolvatur; vel infamari, si non celebret.

Respondeo ex dictis l. præced. c. 48. tali Sacerdoti ante paucas horas in peccatum carnis lapso, vel relapso, absque præmissis aliquanto tempore operibus præparatoriis absolutionem ordinariè concedi non posse, nec permitti celebrationem, utpote quâ se nimis indignum reddidit, dum ne salvandæ quidem propriæ famæ consideratione seipsum ab horrendo flagitio revocare potuit. Sibi proinde Parochus ille propriam imputare debet infamiam, siqua sequatur, sibique illud applicare quod Damianus in suo Gomorrhiano c. 8. ait, *salubrius esse in conspectu hominum temporalem pati verecundiam, quàm ante Tribunal supremi Judicis æternam subire vindictam.* Nec Parochus ille nocte præcedenti v. g. lapsus vel relapsus in fornicationem, magis censeri potest dispositus ad absolutionem, & celebrationem, quàm nocte præcedente lapsus vel relapsus in sodomiam, vel bestialitatem. Ob ea quæ ibidem & c. 47. dixi: talemque ab ara tam putidæ Veneris tam citò mittere ad aram Christi, laxitas est tanta, ut S. Damiano loco citato visa sit instar monstri, piisque auribus incutiat horrorem. Nec ad consulendum famæ talis Parochi recta ratio permittit negligi honorem & reverentiam divinissimi Sacramenti simul & Sacrificii. Et sicut Parochus ille sibi suam infamiam deberet imputare, si in dictis peccatis consuetudinarius esset, in eaque quotidie recidens, nec occasionem fugeret, nec ullum remedium contra relapsum adhiberet, sed propriæ salutis incurius esset (prout objicientes fatentur) ita & in casu facilis in illa relapsûs, licèt nondum versi in consuetudinem. Plura de casu isto vide loco citato. Vide etiam Eminentissimum Aguirium, responsionem nostram firmantem dissert. 10. de discipl. Eccles. excursu 11.

Tertium inconveniens est, quòd moribundi, 1336
& alii, qui opera à nobis præscripta practicare non possunt, destituti erunt omni medio ad salutem necessario. Verùm patientiâ Lectoris abutuntur, tales nugas objiciendo. Quibus solidè occurrimus suprà. Errant, errant ipsi, dum imaginantur à nobis cuiquam præscribi opera, quæ practicare non potest.

Quartum inconveniens est, quòd si continuò 1337
relabentes in eadem mortalia mox absolvendi non sint, nisi emendati, idem dicendum erit de continuò relabentibus in eadem venialia. Et sic justè & piè viventes, ac nihilominùs septies in die in eadem venialia reincidentes, privandi erunt absolutionis beneficio; utpote ad quod cum fructu recipiendum æquè requiritur propositum efficax emendationis, quàm in confessione mortalium; cujus propositi defectus si benè arguatur ex frequenti relapsu in eadem mortalia, benè etiam arguetur ex frequenti relapsu in eadem venialia.

Verùm hanc propositionem: *Si consuetadinarii gravium criminum non possint absolvi, nisi notabili tempore ab illis abstinuerint; quia aliàs non constabit Confessario de contritione pœnitentis; etiam consuetudinarii peccatorum venialium non poterunt absolvi, nisi diù ab illis abstinuerint.* Illustriss. D. Guido de Seve, Episc. Atrebatens. approbatibus triginta aliis sapientissimis Episcopis, damnavit ut *periculosam, falsam, scandalosam, temerariam*, &c. Enimverò de absolutione venialium per omnia nos philosophari non posse, sicut de absolutione mortalium, plurima demonstrant. 1°. quòd venialia non tollunt radicem propositi efficacis ea corrigendi, amorem scilicet Dei super omnia, sicut mortalia tollunt. 2°. quòd longè major sit fragilitas hominis respectu venialium, quàm respectu mortalium: cùm ne Sancti quidem venialia omnia valeant devitare, nec sine iis omnimodè esse; sine mortalibus verò, dante & auxiliante Deo, *omnimodè esse possumus & debemus*, ait S. Cæsarius

Cæsarius serm. 141. in Appendice serm. August. Et hinc facilis ac frequens relapsus in venialia non semper est argumentum defectûs propositi, nec illud suspectum reddit, sicut facilis ac frequens relapsus in mortalia: quia in hoc statu miseriæ venialia facillimè subrepunt, etiam Sanctis, adversus ea multùm vigilantibus, sollicitudineque magnâ ea cavere satagentibus; secùs mortalia. 4°. licèt propositum cavendi venialia aliquousque firmum esse oporteat, non eo tamen firmitatis gradu, quo propositum cavendi mortalia firmum esse necesse est: cùm enim possibile sit vitare mortalia omnia, & singula, infimusque vitæ Christianæ gradus sit, nullum mortale committere, propositum cavendi mortalia eò usque firmum esse oportet & efficax, ut reverà junctum sit cum effectu, saltem sic ut nullum facilè committatur. Cùm verò possibile non sit venialia omnia cavere, propositum cavendi venialia eò usque firmum esse non debet, ut nullum facilè committatur; imò sufficere videtur propositum firmum seriò laborandi ad eorum emendationem cum sincero desiderio in ea ampliùs non reincidendi, etiam sine spe in ea absolutè non reincidendi. Certò quippe scimus omnia absolutè vitari non posse, quamdiù sumus in hoc mortali corpore. Et idcò Augustinus serm. 9. de decem Chordis, aliàs 96. de temp. c. 11. aliter loquitur de mortalibus, aliter de venialibus. Ab illis dicit absolutè abstinendum, *abstinete vos à detestabilibus corruptelis*, &c. ab istis non absolutè, sed *abstinete vos* (inquit) QUANTÙM POTESTIS *à nugatoriis spectaculis. Si quæ delectationes sæculi subrepunt in animam, exercete vos in misericordia, exercete vos in eleëmosynis, in jejuniis, in orationibus. His* enim *purgantur quotidiana peccata, quæ non possunt nisi subrepere in animam, propter fragilitatem humanam... Sed ad illa majora scelera non sufficiunt quotidianæ eleëmosynæ, ut ea mundent*; sed ad istud necesse esse dicit mutare vitam; ad illud id absolutè non esse necessarium, sed tolerandam esse vitam, quia anima seipsam credere potest conversam absque absoluta mutatione vitæ quoad venialia, etiamsi hoc credere non possit absque absoluta mutatione vitæ quoad mortalia. *Aliud est ubi mutes vitam, aliud ubi toleres vitam. Illa mutanda est: si mœchus erat, noli esse mœchus: si fornicator eras... jam desine. Arbitraris hæc, nisi fieri desinant, quotidianis eleëmosynis posse mundari? Illa dico quotidiana peccata, quæ aut per linguam facilè committuntur, ut est verbum durum, aut cùm labitur aliquis in risum immoderatum..... Talia peccata dicimus... quotidianis eleëmosynis posse mundari*, licèt in ea quotidie quis relabatur. Sufficit proinde ad eorum remissionem firma voluntas cavendi ea, non absolutè, sed pro posse, *quantùm potestis*, conjuncta cum sollicitudine magna cavendi relapsum. Sollicitudo quippe ista satis probat efficaciam istius voluntatis, quanta requiritur pro eorum remissione. 5°. veniale unum sine alio, seu aliis, remitti absolvique potest; secùs mortale sine alio mortali. Et sicut ad venialia non requiritur tanta advertentia, nec tantus consensus, quàm ad mortalia; ita nec tantus dolor, nec propositum tam forte & absolutum; licèt necessarius sit dolor sincerus, verumque & sincerum propositum.

1338 Istis ergo de causis, de peccatis venialibus non loquuntur Sancti, dum aiunt: *Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet*; sed de mortalibus, à quibus continentiam infert vera & plena de illis pœnitentia; secùs continentiam à venialibus. Quia *adversus majora vigilantibus, quædam incautis minuta subrepunt*, ait Augustinus serm. 3. in Psalm. 118.

1339 Quia tamen sunt aliquæ venialis culpæ, quæ non subrepunt incautis, imò vix nisi plena cum deliberatione committuntur, & à quibus facilis est abstinentia, ut sunt diuturnæ feminarum moræ ante specula, ut suæ satisfaciant vanitati, visitationes inutiles, colloquia vana, &c. Illustrissimus Castoriensis lib. 2. de Amore Pœnitente c. 22. sapienter observat, quòd quia animus ab ejusmodi peccatis facilè potest abstinere, modò ex toto velit (non enim accidunt nisi concupiscentibus, imò nec nisi quærentibus) propterea sacer animarum Judex meritò suspectam habebit ea confitentium de iis contritionem, quando, post multa promissa, nullam videbit eorum emendationem, nec ea cavendi sollicitudinem. Meritò proinde tunc differet absolutionem, nisi cum istis alia in confessione addantur venialia, vel mortale aliquod, saltem vitæ antè actæ, de quo vel quibus verè ex toto corde pœnitens doleat.

Tametsi ergo bonum & laudabile sit venialia confiteri cum sincero de illis dolore, non est bonum, nec laudabile illa sola sacramentaliter confiteri quæ ex habitu seu consuetudine sic committuntur, ut nulla unquam appareat eorum emendatio, nec emendationis studium, post multa promissa; quia vel falsa, vel meritò suspecta est de iis pœnitentia, sine qua confessio sacramentalis non est absque peccato, uti sapienter observant viri magnæ virtutis, profundæque eruditionis, Ludovicus Granatensis, Antonius Godæus, Vencienſis Episcopus, & ipsos referens Gilbertus de Choyseul, Episcopus Tornacensis, in responso ad epist. 2. Theologi Flandri A. D. B. in qua plurimùm laudat consilium R. P. Joannis Francisci Remensis, Capucini, in l. de præsentia Dei avisamento 4. de non confitendis omnibus venialibus, sed præcipuis dumtaxat, de quibus est emendationis studium. De periculoso statu eorum qui venialia ex habitu committunt, absque ullo emendationis studio, vide quæ prolixè scripsi tomo 1. Vide etiam ea quæ ea de re sapienter scribit Stephanus noster à S. Francisco Xaverio in Exhort. Monast. in Reg. Carm. Exhort. 62.

Quantum inconveniens est de consuetudinariis, 1340
jam jam nubere volentibus (cum ea, quacum adhuc nocte præcedente fornicati sunt) ut fornicandi finem faciant. Ad quorum nuptias amici invitati, & omnia parata sunt. Qui, nisi statim absolvantur, vel differendum erit matrimonium, cum scandalo plurimorum, vel matrimonii Sacramentum sacrilegè celebrandum: quod sine sacrilegio absoluti celebrarent, consilium Apostoli sequentes: *melius est nubere, quàm uri.*

Casus iste, casus est perplexitatis, non ob dubiam assertionis nostræ veritatem, sed ob gravis peccati periculum quod meritò timetur, sive concedatur sive differatur absolutio. Si enim differatur, solitum fornicationis commercium consuetudinarii illi continuabunt, vel certè inabsoluti matrimonium sacrilegè contrahent. Si non differatur, sed statim concedatur, periculum est ne cum debitæ contritionis defectu sacrilegè absolvantur, atque exinde sacrilegè jungantur.

Nec verò perplexitas ideò cessat, quia consuetudinarii illi matrimonio jungi volunt, ut finem faciant fornicandi. Quia licèt ex hoc censeri possint habere propositum ampliùs non fornicandi, si matrimonio jungantur: non ideò censendi sunt ad Deum ex toto corde conversi, ne conversione quidem seu contritione imperfectâ, quæ attritio dicitur. Cùm ad contritionem, etiam imperfectam, seu attritionem cum Sacramento sufficientem, necessarium sit verum ac plenum odium tot fornicationum tamdiù hactenùs commissarum. Quod profectò odium fungus non est repentinus, quem hora una vel altera sine gratia extraordinaria germinet; nec homo vetus in ip-

sis vitreus est, quem consuetudinarii illi unico quassent verbere; sed odium illud, plenaque conversio, post tanta ac toties repetita crimina, ordinariè paulatim, multisque precibus, ac piis operibus à Deo deber impetrari (prout efficaciter probant centum & duodecim argumenta, quæ produximus:) ipsi verò supponuntur ista non fecisse, sed post mediam circiter horam talis qualis præparationis sacrum tribunal accessisse. Post tot proinde spurcitias præsumendi non sunt repentè facti toti casti, totique ad Deum conversi, qui toti erant spurcitiis immersi. Enimverò si tales præsumendi forent, perperàm Adversarii objicerent periculum proximum continuandi solitum fornicationis commercium, nisi statim jungantur. Neque enim in proximo ejusmodi periculo versantur toto corde ad Deum sic conversi, ut facti sint toti casti; sed illi dumtaxat qui perseverant in dispositione commercium illud continuandi, nisi statim ipsis matrimonium permittatur. Talibus verò si matrimonium statim permittatur, iis permittitur, quorum animus nimio insanæ libidinis amore est corruptus. Cum qua dispositione si ad matrimonium convolent, periculum ingens est, ne matrimonio jungantur, *ut juæ libidini vacent sicut equus & mulus*, in quos diabolus prævalentem habet potestatem, sicut dicitur Tob. 6. Per consequens periculum est, ne execrandas in matrimonio spurcitias diabolo prævalente exerceant, sicut antè exercuerunt.

1341 Ecce ergo hinc inde perplexitas, & perplexitas magna; ab objicientibus tamen in simili solvenda. Quid enim si consuetudinarii illi non solùm assueti sint secum invicem fornicari, sed & sodomitare (parcant castæ aures, quibus *omnia munda*) simul & cum aliis adulteria committere; talesne adhuc nocte præcedente in ista relapsos, absque alia dispositione quàm supradicta, Adversarii manè absolvent, matrimonioque statim jungi permittent? At ista foret laxitas non ferenda. Ad quam vitandam si fatcantur tales statim absolvi non posse: ab ipsis quæro, an ipsos, absque absolutione, matrimonio sacrilegè jungi permittent? An potiùs jubebunt matrimonium, non obstante periculo multorum relapsuum, differri? Quidquid ad hoc absque intolerabili responsione laxitate, ad objectionem ipsorum ego servatâ proportione respondebo.

1342 Absolutè interim dico, tales consuetudinarios mox absolvendos non esse. Quia nullatenùs apparet verisimile, tales tam citò, cum tam modica præparatione, ad Deum efficaciter ex toto corde conversos esse (inquit eximiæ eruditionis ac pietatis Vir Thomas Du Jardin, S. Theologiæ Doctor, Ordinis Prædicatorum, l. de officio Sacerdotis, anno 1701. edito) cùm hoc sit contra doctrinam traditam in *Conciliis*, *Canonibus*, *Patribus*, & manifestè *fundatam in doctrina fidei*, & *experimento frequenti*, prout Cardinalis Aguirius loquitur dissert. 8. in can. 11. & 12. Concilii Toletani III. Monendi ergo sunt, ut ad dignam susceptionem, tum absolutionis, tum Sacramenti matrimonii, ad aliquot saltem dies matrimonium differant, quousque per debita pœnitentiæ opera, ad utrumque Sacramentum dignè suscipiendum ritè fuerint dispositi, ne salutem suam magno committant discrimini, si utrumque istud Sacramentum indignè suscipiendo, suâ se culpâ utriusque privent gratiâ, sibi magnoperè necessariâ, ad salutem suam in statu matrimonii operandam. Quòd si spretâ istâ monitione, ad matrimonii Sacramentum absque absolutione convolent, vel illud differentes, neglectâ præparatione illâ per opera pietatis ac pœnitentiæ, ad consuetas redeant spurcitias, fornicationes, &c. nihil horum Confessario, quod suum est facienti, imputabitur; sed soli malitiæ ipsorum. Ipsi verò imputaretur inconveniens proximè dictum, indignæ utique susceptionis utriusque Sacramenti, salutisque ipsorum magno expositæ discrimini, si ipsos cum tam modica præparatione mox absolveret, matrimonioque jungi permitteret. Ob ea quæ dixi cap. 120. Et sic inconveniens objectum in caput recidit objicientium.

Scio eidem inconvenienti aliter à nonnullis respondeti, posse utique consuetudinarios illis cum 1343
ambigua contritione, seu attritione, absolutionem statim concedi, matrimoniumque permitti, partim ad impediendos relapsus in solitas fornicationes, partim ne infamiam ex matrimonii dilatione incurrant, & gravia in populo scandala oriantur. Ita, post eruditissimum Osstratum, Leonardus Van Roy Th. Mor. p. 4. c. 5. q. 1. Nec hoc nostræ (inquit) assertioni adversatur, cùm necessitatis casum attertio nostra non attingat. Illi etiam opinioni favet Havermans in Examine Pentalogi Diaphorici n. 75.

Verùm enimverò videant ipsi, quomodò per praxim opinionis ipsorum Confessarius se participem non reddat utriusque sacrilegii supradicti, expositæque salutis consuetudinariorum illorum, cujus periculum non abstergitur per opinionem illam, nec per praxim illius, nec per necessitatem quæ prætexitur. Neque enim verè prætexitur: cum incommoda, quæ timentur ex absolutione dilata, minora sint iis quæ timentur ex absolutione mox data; nec ea quæ timentur ex absolutione dilata, Confessario imputanda sint (uti inconvenientia quæ timentur ex absolutione talibus mox data) sed soli malitiæ consuetudinariorum illorum. Porrò ex duobus malis minus eligendum, & illud medium Confessarius potius eligere debet, juxta quod malum ipsi non imputabitur, quàm illud, secundùm quod ipsi imputabitur. Quippe infamiam sibi imputare debent consuetudinarii, sicut & scandala illa, utpote quæ impedire potuerunt, matrimonii sibi diem non determinando, nisi ad illud meritus forent præparati; sed id neglexerunt toti libidinibus suis immersi, nec de utriusque Sacramenti reverentia, uti nec de salute sua solliciti.

Quæri nihilominùs potest, an nullus sit excogitabilis modus, quo periculosissimus consuetu- 1344
dinariorum illorum, per duplex enorme sacrilegium, ingressus in matrimonii statum (dum induci nequeunt ad moras matrimonio nectendas; ad quod ut inducantur, nihil negligendum est) atque una periculum relapsûs in solitas fornicationes valeat impediri? Ex superabundanti movetur ista quæstio; utpote cujus decisio necessaria non est ad solutionem difficultatis motæ de consuetudinariorum jam jam nubere volentium absolutione. Et ideò quæstionem istam pauci attingunt. Nec ego attingerem, nisi zelus divinæ gloriæ, & charitas Christi urgeret ad excogitandum medium, quo in infelicibus ejusmodi casibus, in quibus gemunt sæpè viri piissimi, dum peccata omnia averti nequeunt, graviora saltem avertantur, quantùm fieri potest.

Aio ergo, non asseverantèr, sed propositivè, 1345
id est Viris doctis propono istud quod meditanti occurrit ad dictum finem medium: probabile videtur, talibus (si ipsi contrahentes Ministri sint Sacramenti matrimonii) dici posse: *Amici, non benè facitis, quòd matrimonio vestro moras nectere renuitis; si tamen eo in statu, in quo estis, absolute vultis jam jam matrimonio jungi, suadeo ut cum minori potiùs peccato jungamini, matrimonium ineundo in ratione contractûs, quàm cum majori, sacrilegè matrimonium ineundo in ratione Sacramenti. Rationem quippe contractûs à ratione Sacramenti validè separare potestis (etsi non licite)*

contractum intendendo, non Sacramentum.

Ad speculationis istius elucidationem plurimùm servire potest lectura libri, cui titulus: *Dissertatio Theologo-politica, hoc tempore scitu necessaria; an matrimoniales contractus, in.... locis, in quibus viget pax publica Religionis, & Decretum Tridentinum est publicatum, coram Acatholicis Ministris sint validi.* Eruditissima Dissertatio ista, Authore R. P. Staleno, Mariani Oratorii Kevelariensis Presbytero, Coloniæ anno 1679. edita fuit, cum approbatione trium sapientissimorum Doctorum Colonienſium, Henrici Hilden, Ordinis Prædicatorum; Joannis Schweitzer, Ordinis Eremitarum S. Augustini; & Joannis Lovental, è Societate Jesu. In ea laudatus Author c. 7. posterioris partis rationem contractûs à ratione Sacramenti in matrimonio fidelium validè separari posse, demonstrat imprimis ex Sylvio Supplem. q. 42. a. 1. q. 1. ad 2. dicente, *quòd Christus non omnia fidelium matrimonia evexerit ad rationem Sacramenti, sed ea tantùm, quæ juxta institutionem ab ipso factam celebrantur*, cum debita materia, forma, & intentione Ministri: *non omnia autem matrimonia fidelium sic celebrantur*, &c. Demonstrat item ex Gonet in Clypeo doctrinæ Thomisticæ tr. 5. disp. 2. a. 2. §. 3. cujus ista exhibet verba: *Si conjuges Christiani, matrimonium contrahentes, intendant illud solùm perficere in ratione contractûs naturalis & civilis, & non in ratione Sacramenti, validè illud matrimonium perficiunt in ratione contractûs.... non in ratione Sacramenti.* Quod & docent Gaspar Hurtado disp. 3. de matrim. diffic. 19. Diana p. 3. l. 4. resol. 255. Platelius de matrim. c. 15. §. 3. Durandus, Victoria, Cajetanus, Melchior Canus, Vasquez, Rebellus, Basilius Pontius, & ipsos referens Georgius Gobat in Alphabeto matrim. casu 11. sect. 2. n. 228. Eandem doctrinam Stalenus ibidem confirmat, ostendendo, ingeniosum quidem Recentiorem ei contradicere in Supplem. tomi 6. disp. 4. dub. 1. sed non satisfacere huic objectioni, quam ex laudato Platelio sibi proponit: " Si „ duo, ab infantia baptizati, statimque ad Tur„ cas abducti, ubi nihil unquam de rebus & Sa„ cramentis Christianæ Religionis audierunt, ibi „ matrimonium inter se contrahant, validè con„ trahent in ratione contractûs, non in ratione „ Sacramenti: utpote cujus uti nullam habent „ cognitionem, magis quàm Turcæ; ita nec in„ tentionem, necessariam ad Sacramenti valo„ rem:" utpote ad quem Minister (ut Recentior ille docet ibidem tr. 1. disp. 4. dub. 3. resol. 1.) *debet intendere, id est velle facere quod facit Ecclesia, non solùm quoad externa materialia Sacramenti.... sed quoad esse Sacramenti, quod absolutè intendit Ecclesia.* Hoc autem baptizati illi non intendunt, sed solùm externum materialem matrimonii contractum.

Ostendit (inquam) objectioni isti Recentiorem illum non satisfacere, dicendo, baptizatos illos eo ipso intendere Sacramentum, quo intendunt matrimonii vinculum: cùm illud vinculum & Sacramentum in baptizatis sint unum. Tametsi enim in baptizatis, suppositâ debitâ intentione, & cæteris requisitis, sint unum in re: quia tamen ratio contractûs, & ratio Sacramenti sunt diversæ, non sunt unum in intentione istorum baptizatorum; qui, cùm nihil sciant de rebus Christianorum, magis quàm Turcæ, non magis habent intentionem rei sacræ (necessariam ad rationem Sacramenti) quàm Turcæ; sed eorum moribus assueti, more ipsorum ineunt matrimonium, juxta leges naturales & positivas loci in quo commorantur.

1346 Itaque cùm probabilis censeatur opinio de separabilitate contractûs à Sacramento in matrimonio baptizatorum, speculativè loquendo videri alicui poterit probabile, quòd si Parochus Minister sit Sacramenti matrimonii, & verba ista, *ego vos conjungo*, sint forma ipsius (prout graves Theologi docent) ex gravissima necessitate avertendi à supradictis consuetudinariis, hinc periculum relapsûs in solitas fornicationes, inde enormе sacrilegium indignæ susceptionis Sacramenti matrimonii (dum ipsos inducere nequit ad illud differendum) de consensu ipsorum sic assistere possit matrimonio ipsorum, ut formam, *ego vos conjungo*, &c. non proferat, atque hoc pacto matrimonium ipsorum validum sit in ratione contractûs, sed (defectu formæ) non sit Sacramentum. Cùm certum sit, Ministrum Sacramenti (Pœnitentiæ v. g.) positâ, sed non dispositâ materiâ illius, ex gravi necessitate avertendi sacrilegium, posse non proferre formam ipsius. Quippe juxta Regulam 4. libri 5. Decretal. tit. 41. *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Nec hoc novum, inauditum, scandalosum, vel praxi Ecclesiæ adversum Doctor Steyartius pronuntiare potest, nisi notis istis opinionem suam feriendo. Ipse namque in Conclusionibus Theologico practicis (tertiò à se recognitis) de administr. Sacram. matrim. n. 49. disertè sic asserit: *Ad conjugium admittere tales, quorum alter sit Acatholicus, non est Parochi, sine potestate Superioris. Cum ea verò si mihi matrimonio talium assistendum foret, non facilè adducerer, ut proferrem verba conjunctionis, quæ fortè sunt forma Sacramenti; sed finerem illos suo marte conjungi. Idemque facerem, si à Superiore compellerer conjungere alios, mihi manifestè indignos.* Manifestè ergo necessitatem admittit, in qua Parocho licitum censet, civili baptizatorum, etiam fidelium, assistere matrimonio, non proferendo formam ipsius in ratione Sacramenti. Necessitatem istam in casu nostro habere locum censet celebris Doctor Hennebellus in suo Systemate de Sacram. Pœnit. §. 5. ubi ostendit videri diù hunc sensum fuisse Romanæ Ecclesiæ, veterumque Patrum.

Quòd si contrahentes Ministri sint Sacramenti 1347
matrimonii, non Parochus, nec ulla ipsos gravis necessitas compellat, civilem dumtaxat contractum inire (quomodò in sententia Cajetani, Victoriæ, Melchioris Cani & Sylvii ineunt, qui matrimonium per litteras, vel per procuratorem ineunt; matrimonium namque taliter initum validum censent in ratione contractûs, non in ratione Sacramenti) peccant quidem ipsi, contractum à Sacramento pro sola voluntate, absque necessitate separando (cùm ipsis, per se loquendo, non liceat, hujus Sacramenti gratiâ, sibi summoperè necessariâ, solâ se voluntate privare, ut suprà dixi: & ideò peccant (in casu de quo agitur) dum moras nectere nolunt, ut sese disponant ad recipiendam hujus Sacramenti gratiam:) quia tamen peccatum illud longè minus est sacrilegâ susceptione Sacramenti matrimonii, ideircò suprà dixi (sub correctione & absque præjudicio melius sentientium) ipsis suaderi posse, ut suprà num. 1345. Cùm Theologi valdè multi licitum asserant, determinato ad committendum majus peccatum suadere, non absolutè, sed conditionatè, ut potiùs committat minus, dum majus aliter impediri non potest. Tunc enim suadentis intentio non fertur in minus malum, quà malum, sed quà majoris mali impeditivum præcisè. Talis proinde non censetur, moraliter loquendo, suadere, aut velle malum, ut eveniat bonum. Et ideò licitum id esse censent Angelus, Sylvester, Navarrus, Dominicus Sotus, Medina, Barbosa, Vasquez, Turrianus, Basilius Pontius, Wiggers, Sylvius, Boudartius, &c. Videturque sic sentire Augustinus: dicit enim l. 2. de adulter. Conjug.

c. 15. *Si facturus est homicidium, quod non licet, jam faciat adulterium, ut non faciat homicidium: viuente uxore suâ, alteram ducat; & non humanum fundat sanguinem.* Refertur can. *Si quod verius* 33 q. 2. sensusque Augustinianæ istius suasionis esse videtur conditionatus: si omninò decreverit uxoricidium, suadeo ut potiùs committat minus peccatum adulterii, quàm majus uxoricidii.

1348 Ita proinde in parte nihil etiam novum, nihil inauditum, nihil scandalosum, vel totius Ecclesiæ praxi contrarium, suadet Confessarius, seu Parochus, dum consuetudinarios mox nubere volentes alloquitur ut suprà. Et sic vanæ, infundatæ, & imperitæ videntur declamationes Juniorum quorumdam, adversus modum istum avertendi gravius peccatum enormis sacrilegii, à nobis, non asseveranter, sed dubitanter non ita pridem propositum. Si spiritu Dei agerentur declamatores isti, dum variis varia optimâ intentione meditantur, ut à gravioribus malis peccatores, quantùm fieri potest, avertantur, non succenserent, sed gratularentur, nec indiscretis clamoribus pios conatus arroderent, ad liberiùs sustinendas hoc pacto suas laxitates. Cùm hoc videatur ad invidiam potiùs pertinere, quàm ad majorem Dei gloriam. Maximè cùm probabile videatur Ecclesiam ad avertendum, ne quid deterius contingeret, nonnullis olim permisisse, ut civiliter jungerentur, seorsim à ratione Sacramenti. Id enim insignis Doctor Hennebellus loco citato probabiliter ostendit ex divo Basilio, & antiquo Pœnitentiali Romano, apud Halitgarium tit. de fornicat.

1349 D. namque Basilius Epist. Can. I. ad Amphiloch. can. 25. sic statuit: *Qui à se stupratam mulierem detinet, stupri quidem pœnam subibit; eis autem mulierem habere permittetur.* Et can. 26. *Fornicatio non est matrimoniam, sed nec initium matrimonii. Quare, si fieri possit ut separentur, id est melius. Sin autem eis omninò placeat consortium, fornicationis quidem pœnam agnoscant, ne separentur autem, ne quid deterius accidat.*

Ecce Basilius permittit, ut detentor mulieris à se stupratæ, statim eam ducat, sic tamen ut canonicam stupri, seu fornicationis pœnam subeat; nec vult eos cogi ad separationem, si separari noluerint, sed jungendos dicit, *ne quid deterius accidat.* Nec supponit eos, per mutuum consensum jam esse matrimonialiter junctos, prout Iveninus putat differt. 6. de pœnit. q. 8. a. 2. §. 3. quia canon vigesimus sextus videtur oppositum prorsus innuere: cùm ex eo quòd in fornicatoribus illis nec matrimonium adhuc sit, nec initium matrimonii, Basilius concludat eos separandos, si fieri possit, idque melius esse; quod profectò melius non esset, si jam matrimonio juncti essent. *Quod* enim *Deus conjunxit, homo non separet.* Verborum quoque istorum: *Sin autem eis omninò placeat consortium*, &c. attento toto contextu, sensus naturalis esse videtur: sin autem eis omninò placeat, matrimonio jungi, sive in matrimonio simul vivere, id eis permittatur, ne quid deterius accidat.

1350 Idem omninò videtur sensus obvius & naturalis horum verborum antiqui Pœnitentialis Romani, adeòque Ecclesiæ Romanæ: *Siquis virgo virginii per fornicationem* (non ergo per matrimonium) *conjunctus fuerit, si voluerint parentes ejus, sit uxor ejus* (non ergo supponit eos jam matrimonio junctos, sed tales fieri permittit, si parentes voluerint) tamen *annum unum pœniteant, & sint conjugales.*

Non etiam Basilius, & Pœnitentiale istud, supponunt datam ipsis, ante matrimonialem conjunctionem, absolutionem sacramentalem: cùm de oppositò constet ex disciplina illius temporis, secundùm quam absolutio sacramentalis fornicatoribus non dabatur, nisi post actam, magna saltem ex parte, canonicam pœnitentiam, uti validissimis argumentis demonstravimus cap. 18. & 19. traduntque in antiquitate periti, Albaspinæus, Cardinalis Bona, Ruardus Tapperus, Maldonatus, Estius, Morinus, &c. Arqui canonicam pœnitentiam à fornicatoribus illis Basilius, & Ecclesia Romana in Pœnitentiali illo agendam statuunt, non ante, sed post initum ab ipsis matrimonium. Igitur fornicatores illos matrimonio jungi permiserunt absque sacramentali absolutione.

Nec tamen credibile est quòd ipsis permiserint matrimonii statum à sacrilegio inchoare (quod profectò permisissent, si ante absolutionem matrimonio sacramentaliter in statu peccati jungi permisissent.) Credibile ergo est, quòd ipsos matrimonio jungi permiserint civiliter, non sacramentaliter: cùm, uti rationabilius, ita credibilius sit, permissum ab ipsis fuisse matrimonium non sacrilegum, quàm sacrilegum.

Enimverò id confirmat praxis istius temporis, 1351
secundùm quam matrimonii Sacramentum non celebrabatur, nisi per sacrum Officium, seu benedictionem Sacerdotis, & participationem corporis Christi. Canonicam verò pœnitentiam agere jussis, nec sacerdotalis benedictio, nec corporis Christi participatio concedebatur, *ante congruam satisfactionem*, inquit Hincmarus, Remensis Archiepiscopus, in Epistola, quam nomine Concilii Toustiacensis scripsit de Stephano quodam nobili, qui nuperat cum muliere, cui per coitum cum sorore affinis factus fuerat.

Et ideò laudatus Iveninus loco citato fatetur matrimonium, in quo D. Basilius suprà dictos fornicatores esse permisit, non fuisse novæ legis Sacramentum. *Distinxit enim* (inquit) *S. Pater contractum civilem à Sacramento.* Idque patère dicit ex Balsamone, qui sic citatum Basilii canonem interpretatur: *Hæc autem* (*ut mihi videtur*) *locum habebant, quando solo consensu consistebat matrimonium. Hodie autem, quoniam fit cum sacra benedictione, per sacrum Officium, & divinum corporis & sanguinis Christi participationem*; etiamsi parentes consentiant, *non fiet matrimonium cum sacra benedictione, nisi tres pœnitentiæ anni impleti fuerint, vel ab Episcopo, pro suo arbitrio, ad tempus brevius redacti sint.*

Aliud pro dictis consuetudinariis medium, absque sacrilegio suscipiendi matrimonii Sacramentum, licèt consecuti non essent absolutionis beneficium, esset contritio (si eam tam citò habere possent) secundùm opinionem non improbabilem, quæ apud veteres olim Scholasticos communis fuit, & plures etiamnum habet sequaces, quæ docet, cætera Sacramenta (exceptis Sacramentis Eucharistiæ & Ordinis) cum sola contritione suscipi posse. Sed quidquid sit de duobus hisce mediis, inconcussa stat assertionis nostræ veritas. Per ea quæ dicta sunt num. 1342. objecto satisfit inconvenienti. 1352

Quia verò non desunt qui causantur & clamant 1353
assertione nostrâ viam cæli coarctari. Respondeo cum Adriano VI. (occurrente objectioni contra assertionem, quâ docet, quòd *non quolibet gradu dolor peccati influat peccatum & gratiam.*) *Nequis* (inquit) *existimet me undique coarctare viam Domini* (*quam secundùm Scripturam, Concilia, Patres, uti est, demonstrare laboro*) *audiat Hieronymum, jam propè defossum, & in extremis positum, fratres charissimos adhortantem* (apud Eusebium in epist. ad Damasum de obitu Hieronymi:) *Centuplo arctior est via ejus, quam creditur; quamvis larga sit verè timentibus.... Sed fortè quis dicet: benignus est Dominus & misericors, qui omnem peccatorem ad se redeuntem ve-

cipit & indulget. Verum quidem hoc esse confiteor... Nonne benignissimus est Dominus, qui tantas toleravit injurias à peccatoribus, dans eis temporis spatium, ut emendentur? Sed hoc noveris, quia sicut benignus est in tolerando, ita justus est in puniendo. Sed fortè quis iterùm dicet: vir, qui toto tempore quo vixit, malè fecit, in mortis articulo, acceptâ pœnitentiâ, à Deo veniam obtinebit. Heu quàm vana suspicio, & falsa meditatio! Vix de centum millibus hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur à Deo habere indulgentiam unus.... Perrarum est, ut hominis, cujus semper mala fuit vita, bona sit mors. Hactenùs Hieronymus.

CAPUT CXXXI.

Definitio virtutis pœnitentiæ.

1354 AD intelligentiam dicendorum de Sacramento Pœnitentiæ, necessaria est intelligentia seu notio pœnitentiæ prout est virtus, utpote sine qua Pœnitentiæ non subsistit Sacramentum, nec obtineri potest effectus ipsius. Nam, uti Tridentinum definit sess. 14. c. 1. *fuit pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut, perversitate abjectâ & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait Ezech.* 18. " Convertimini, & agite pœ„ nitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & „ non erit vobis in ruinam iniquitas. " *Dominus etiam Luc.* 3. *dixit:* " Nisi pœnitentiam egeritis, „ omnes similiter peribitis.

1355 Est autem pœnitentia, virtus quâ peccatum commissum, cum pio animi dolore quòd odio habet, ac detestatur quatenùs est offensa Dei, illudque punire efficaciter intendit, ad reparandam injuriam Deo factam per peccatum. Quòd includat peccati odium ac detestationem, cum pio animi dolore, constat ex Tridentino proximè laudato. Quòd etiam includat voluntatem efficacem illud puniendi, ad reparandam injuriam Deo factam, ratio est, quia divinæ justitiæ ordo postulat, ut homo vel non peccet, vel, si peccet, puniatur, injuriaque Deo per peccatum illata, per punitionem peccatoris reparetur. Dicit enim Augustinus serm. 1. in Psal. 58. *Iniquitas omnis, parva, magnavè sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine, aut à Deo vindicante. Nam & quem pœnitet, punit seipsum. Ergo, Fratres, puniamus nostra peccata, si quærimus misericordiam Dei. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem, quasi blandiens peccatis, aut non eradicans peccata. Prorsus aut punis, aut punit. Vis non puniat? puni tu.* Et in Psal. 44. *Puniendum est peccatum: si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præveni illum: non vis ut ipse puniat? tu puni. Converte te ad peccata tua punienda: quia impunita esse peccata non possunt.... Nemo sibi multùm de misericordia Dei blandiatur: virga directionis est virga regni ejus. Sic eum dilige misericordem, ut velis esse veracem: non enim misericordia potest illi auferre justitiam, neque justitia misericordiam. Interim quamdiù differt, tu noli differre. Misericordia* (ait in Ps. 50.) *est ut ignoscat peccanti; justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit?... Non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam... Sed ideò nolo ut tu me punias, quia peccatum meum punio...* " Veritatem dilexisti, " *id est impunita peccata, etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti.* " Veritatem dilexisti, " *sic misericordiam prærogasti, ut servares & veritatem. Ignoscis confitenti: ignoscis, sed seipsum punienti. Ita servatur misericordia & veritas: misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.* Itaque *nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longè minorem quàm debebat, solverit pœnam.* Idem l. de continent. c. 6.

Propterea in contritione (quæ proprius actus 1356
est pœnitentiæ) satisfaciendi propositum includi, Theologi veteres passim tradunt, Richardus à S. Victore, Albertus Magnus, Alexander de Ales, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Raymundus, noster Baconius, &c. dum contritionem sic definiunt: *Contritio est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi*, prout videre licet apud Morinum l. 1. de Pœnit. c. 5. *Hoc est enim verè pœnitere* (ait Richardus à S. Vict. l. de potest. lig. & solv. c. 6.) *de præterità prævaricatione dolere, cum firmo proposito confitendi, satisfaciendi, & cum omni cautela cavendi.* Similiter Catechismus Romanus de Sacram. Pœnit. c. 5. *Adeò inter se hæ partes connexæ sunt, ut contritio confitendi & satisfaciendi consilium & propositum includat habeat... Quare & voluntas compensandi requiritur, in quo maximè contritio versatur, & pœnitens Sacerdotis judicio, qui Dei personam sustinet, se subjiciat necesse est, ut pro scelerum magnitudine pœnam constituere in eum possit. Non enim intrat pœnitentis Sacramenti refugium* (ait Guilielmus Parisiensis tr. de Sacram. Pœnit. c. 8.) *nisi qui Præconi spirituali* (id est Confessario) *se tradit crucifigendum, hoc est cruci pœnitentiæ affigendum.* Quod & ipsa nominis etymologia satis innuit; dicitur enim pœnitentia, juxta S. Isidorum, quasi *punitentia*, vel *pœnæ-tenentia*.

Erravit proinde Lutherus, cùm hoc sensu di- 1357
xit: *Optima pœnitentia est nova vita*; quasi nihil aliud exigatur ad pœnitentiam. *Non* enim *sufficit mores in melius commutare* (ait Augustinus homil. ult. inter 50.) *& à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum... cooperantibus eleemosynis.* S. Petrus Damianus opusc. de perfect. Monach. c. 6. *Quid prodest à peccatorum perpetratione desistere, nisi & hæc ipsa, quæ perpetrata sunt, studeat quis districtæ pœnitentiæ satisfactione delere?* Petrus Blesensis tr. de Confess. Sacram. *Putant aliqui hæc sibi sufficere, quòd aliquandiù à sua turpitudine defecerunt, atque de primitiis continentiæ præsumentes, veteres excessus non recolunt, & quasi spatio temporis evanuerint culpæ, putant de omnibus debitis brevi pœnitentiæ compendio* (seu lachrymis momentaneis, aut horariâ & levi compunctione, uti proximè subdit) *transegisse. Recole quid Job ad Dominum dicat:* " Signasti quasi in sacculo peccata mea. " *Et Dominus in Deuteronomio:* " Nonne hæc condita sunt apud me, & „ signata in thesauris meis? *Non sine dolore cordis acerbissimo, & anxia cordis afflictione sanantur, quæ longo usu inolita, & intimis animarum medullis infixa sunt; nec horariâ & levi contritione redimi possunt, quibus mors æterna debetur... sine fructibus pœnitentiæ.*

Nec Lutherus benè se fundat in Isaïa dicente: 1358
Quiescite agere perversè, discite benè facere. Nam & hoc requiritur, & insuper illud quod immediatè præmisit, *lavamini, mundi estote.* Quod non fit per solam novam vitam, nisi ei addatur veteris odium & vindicta, per dignos pœnitentiæ fructus, de quibus Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & planctu,* &c. Et Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Nec hoc derogat superabundanti satisfactioni 1359
Christi: quia, uti Tridentinum ait sess. 14. c. 8. *dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Je-*

su, qui pro peccatis nostris satisfecit (ex quo omnis nostra sufficientia est) conformes efficimur .... Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Jesum Christum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.

1360 Si quæras ad quam virtutem spectat pœnitentia? Respondeo, ad eam virtutem, ex cujus motivo imperatur. Siquis v. g. doleat de commissa fornicatione, quia per eam violavit in se castitatem, spectat ad virtutem castitatis. Si quia violavit votum castitatis, spectat ad virtutem religionis. Si quia per eam Deum offendit, sive quatenùs est offensa Dei, spectat ad virtutem charitatis. Si sic de ea doleat, eamque in se vindicet, quatenùs est offensa Dei, ut dolorem illum & vindictam referat ad reparandam, compensandamque, quatenùs in se est, injuriam Deo per peccatum illatam (qui est proprius finis pœnitentiæ, ut est virtus specialis) spectat ad justitiam, cujus est reparare injuriam alteri illatam. Tametsi enim hominis ad Deum non detur justitia simpliciter (quæ est inter illos, quorum unus non est sub potestate alterius) datur justitia secundùm quid, quæ etiam est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius, sicut est servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro, creatura sub Creatore. Et ad hujusmodi justitiam spectat pœnitentia, per quam homo recurrit ad Deum, sicut servus ad dominum, sicut filius ad patrem, sicut uxor ad virum, sicut creatura ad Creatorem, ut reparet injuriam quam ipsi peccando intulit. Videri potest S. Thomas 3. p. q. 85. a. 3. Origo tamen illius est amor Dei, velut fontis justitiæ, vel sicut justitiæ increatæ. Quisquis enim justitiam amat, id amat quod justitia præscribit. Justitia verò præscribit homini, ne peccet; &, si peccaverit, ut oderit, detestetur, & puniat in se peccatum, ad reparandam injuriam Deo illatam. Et hoc est pœnitentia.

1361 Duplex est pœnitentia, una specialis & propriè dicta, quæ de solis est peccatis actualibus, consistitque in specialibus quibusdam exercitiis pœnitentiæ, scilicet in contritione, mortificatione, jejunio, eleëmosyna, oratione, & aliis operibus pietatis, ab iis practicandis, qui propriâ voluntate peccaverunt.

Altera est generalis, & impropriè dicta, quam ex Dei sententia subire debent omnes filii Adam, etiam baptizati, quia in ipso peccaverunt: consistitque in humili tolerantia mortis, & miseriarum hujus vitæ, exilii à cælesti patria, incertitudinis salutis, difficultatisque in resistendo passionibus, concupiscentiis, & tentationibus, in vita denique seria & laboriosa. Istud est enim *jugum grave*, de quo Eccli. 40. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.* Vetus est ista sententia, quam subire debent omnes filii Adam, quia in ipso peccaverunt: *In sudore vultûs tui vescêris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Gen. 3. Hinc pane indignos Apostolus judicat, qui nolunt operari, sed in otio vivere: *qui non vult operari, non manducet.*

1362 Miseriæ itaque hujus vitæ, morsque ipsa corporalis, toleraadæ sunt in spiritu patientiæ, humilisque submissionis ad veterem illam Dei sententiam. Tametsi enim in baptizatis nihil remaneat quod veram & propriam peccati rationem habeat, nihil quod in ipsis oderit Deus, nihil quod ipsos remoretur ab ingressu cælorum, nisi post baptismum propriâ peccaverint voluntate. Vult nihilominùs Deus ut sese considerantes velut à divina justitia damnatos ad mortem, & miserias hujus vitæ, & ad crucifigendam concupiscentiam suam, post baptismum superstitem; vult (inquam) ut quamdiù sunt in hoc mortali corpore miserias istas, & crucem sustineant in spiritu humilis patientiæ & submissionis ut suprà, eòdemque in spiritu recognoscant sese natos, velut exules è paradiso, non ad quietem & voluptatem, sed ad laborem & crucem. Vult ut puguent & agonizent ad domandas, eradicandas & crucifigendas concupiscentias suas. Propterea namque Tridentinum sess. 5. can. 5. concupiscentiam in baptizatis manere dicit *ad agonem*, nec *nocere viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus*; quinimò ipsis occasionem esse ut coronentur.

Cùmque non solùm dicta de causa filiorum Adam vita esse debeat laboriosa, sed & quia non est homo (exceptâ Deiparâ) qui propriâ non peccet voluntate, atque ideò vita Christiana, prout Tridentinum declarat sess. 14. in præfat. de Sacram. Penit. *perpetua pœnitentia esse debeat*, ita ut etiam justi, *cum timore & tremore salutem suam operari debeant in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate*, & spiritu facta carnis mortificare, prout idem Concilium declarat sess. 6. c. 13. Christiana profectò non est vita eorum qui vivunt in continuis penè deliciis, ludis, jocis, recreationibus, voluptatibus, visitationibus inutilibus, vel tempus terunt in occupationibus vel lecturis, non ut laborent juxta Dei præscriptum, sed voluptatis vel curiositatis causâ dumtaxat. Et idem est de iis qui laboriosas suscipiunt occupationes, ut suæ satisfaciant vanitati, ambitioni, avaritiæ, &c. Quippe omnes isti otiosi sunt respectivè ad Deum: utpote nihil operantes in vinea ipsius. Soli proinde illi dictæ satisfaciunt obligationi, qui laborant, quia sic est voluntas Dei, dicendo v. g. ex corde: *Jussisti Domine ut vitam ducam laboriosam, offero tibi hunc laborem meum, quem suscipio, quia ista est voluntas tua.* Alii porrò sunt labores Regum, Principum, Nobilium, alii Mechanicorum, alii Sæcularium, alii Ecclesiasticorum, &c. Est autem voluntas Dei, ut unusquisque laboret secundùm statum & conditionem suam, illa exequendo quæ officii sui sunt, Rex v. g. procurando bonum ordinem & tranquillitatem Regni sui, eaque impediendo, quibus perturbari posset. Principes ac Nobiles similiter procurando, ut familia sua, filii & subditi benè dirigantur, instruantur, christianè educentur. Dei, Ecclesiæ, & Statûs leges in ditionibus suis serventur, visitationesque ipsorum, activæ & passivæ, non fiant simpliciter causâ oblectamenti, sed causâ justæ necessitatis, vel honestatis, quæ finaliter ad Deum referatur.

CAPUT CXXXII.

Nullum est peccatum tam grande, quod per pœnitentiam dilui non possit.

1364 Est de fide, quia Ezech. 18. Deus generaliter & absque exceptione dicit: *Cùm averterit se impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Et ideò Deus omnes omninò peccatores ad pœnitentiam invitat. Et cap. *firmiter* Concilium Lateranense generaliter & absque ulla exceptione definit, quòd *si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.*

Nec obstant sequentia sacra testimonia: *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remi-*

mittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Matth. 12. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati ..... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Hebr. 6. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Ad 1. namque respondeo per peccatum in Spiritum sanctum vel intelligi peccatum ex destinata malitia, vel quo manifesta Spiritûs sancti opera diabolo tribuuntur, ut susceptio veritatis impediatur: quomodò Judæi de Christo dicebant: *in Beelzebut principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Cujusmodi peccatum Judæorum Christus dixit nunquam remittendum: quia prævidit Judæos de eo pœnitentiam nunquam acturos. Vel cum Augustino serm. 11. de verb. Dom. per peccatum in Spiritum sanctum intelligenda est finalis impœnitentia, quam certum est nunquam remitti. Vel denique per peccatum irremissibile vel nunquam remittendum, illud cum D. Chrysostomo intelligendum est, quod nunquam remittitur nisi difficillimè, & admodùm rarò.

1366 Secundum testimonium sancti Patres communiter exponunt de pœnitentia baptismi; qui cùm sit initerabilis, impossibile est eos, qui prolapsi sunt post baptismum (qui est illuminationis seu fidei Sacramentum) per alterum baptismum renovari. Quo etiam sensu ibid. c. 10. dicitur: *voluntariè peccantibus. ... non relinquitur hostia*: quia iis qui baptismi gratiam peccato abjiciunt, per baptismum iteratum non applicatur hostia in cruce oblata, per quam omnis ipsis remittatur pœna. Vel dic cum S. Anselmo Apostolum Hebr. 6. loqui de iis, qui post illuminationem, id est magnam vitæ perfectionem lapsi sunt, diùque in peccatis permanserunt, quibus moraliter impossibile, id est valdè difficile est per pœnitentiam ad pristinam sanctitatem resurgere.

Tertium testimonium S. August. de corrept. & grat. c. 12. & S. Greg. l. 10. Moral c. 28. exponunt de peccato ad mortem, id est usque ad mortem durante, de quo peccator non pœnituit, nec se emendavit, sed & absque pœnitentia immortuus est. Pro quo frustraneum est orare.

CAPUT CXXXIII.

Peccata remissa per pœnitentiam, per delictum subsequens non redeunt.

1367 NEque enim conditionatè, sed absolutè remittuntur, ita ut Deus eorum non recordetur amplius, uti constat ex citato Dei per Ezechielem testimonio. Necnon ex Rom. 3. *sine pœnitentia sunt dona Dei.* Et ex can. *divina* dist. 4. de pœnit. ubi Gelasius Papa sic loquitur: *divina clementia dimissa peccata in ultionem redire ulteriùs non patitur.* Concinit S. Prosper l. 1. Respons. ad 2. object. Gallor. dicens, quòd quamvis in mortalia lapsus post baptismum, damnandus sit, si in iis moriatur: *non tamen in id quod remissum est recidit; neque in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter ea quæ remissa sunt debebatur.*

1368 Scio Hugonem Victor. l. 2. de Sacram. p. 14. c. 9. oppositum contendere: *Si* enim (inquit) *vis ut bona tua, jampridem per peccatum mortua, iterùm per justitiam*, seu pœnitentiam, *vivificentur; noli irasci .... si mala tua, jampridem per pœnitentiam excusata, iterùm propter malitiam tuam tibi imputentur. Sed Deus* (inquis) *dixit de malis meis, quando pœnitentiam egi, quod ea mihi amplius non imputaret. Similiter & Deus de bonis tuis dixit, quando peccasti, quòd amplius ea non remuneraret.* Ait namque Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

1369 Sed Hugoni anteponendi sunt Gelasius & Prosper, quibus, cum S. Thoma 3. p. q. 88. a. 1. communi calculo Theologi consentiunt, dicentes, quòd peccata jam per pœnitentiam remissa, nunquam per peccata quæcumque subsequentia redeunt quoad culpam, aut pœnam remissam. Opus namque Dei, quale est peccatorum remissio, per actum hominis irritari nunquam potest. Et per hoc solvitur argumentum Hugonis. Si enim peccata remissa per peccatum subsequens redirent, opus Dei irritaretur per actum, seu peccatum hominis. Non sic, dum opera bona præcedentia mortificantur per peccatum subsequens; utpote quæ non omninò moriuntur, nec abolentur in conspectu Domini, sed remanent in acceptatione ipsius, licèt non prosint ad remunerationem, durante impedimento peccati ex parte hominis; qui, licèt irritare non possit opus Dei, potest tamen impedire ne sibi prosit. Et hoc modo sancti Patres intelligunt hoc quod Hugo objicit ex Ezechiele; sed prorsus aliter quod ex eodem allegavimus. Aliam disparitatem Theologi plerique hanc reddunt, quòd Deus, cùm sit summa bonitas, promptior ad benefaciendum sit, quàm ad puniendum.

Objicies tamen verba Augustini l. 1. de bapt. 1370
c. 12. *redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Evangelio dicit* Matth. 18. ubi à servo illo remissum debitum decem millium talentorum Dominus repetit, eò quòd ille debitum centum denariorum conservo suo dimittere noluisset, sed ipsum absque misericordia crudeliter tractasset. Respondeo 1°. cum S. Thoma loco citato ad 1. *verbum illud Augustini esse intelligendum de reditu peccatorum quoad pœnam in se consideratam, quatenùs scilicet post pœnitentiam peccans, incurrit reatum pœnæ æternæ sicut prius, non tamen propter eandem rationem.* Quia non propter peccata remissa eam incurrit, sed propter subsequentia non remissa. Hanc solutionem S. Doctor fundat in laudata responsione, quam S. Prosper, Augustini nomine, suprà dedit ad 2. object. Gallor.

Respondeo 2°. S. Augustinum, sicut & Evan- 1371
gelium intelligi etiam posse juxta doctrinam quâ S. Thomas communiter receptus docet, peccata remissa redire secundùm quid, non formaliter utique, sed aliquo modo virtualiter, quatenùs scilicet peccata subsequentia, ob acceptam remissionis gratiam, aggravantur ex circumstantia ingratitudinis; & contemptûs divinæ bonitatis, & in tantum subinde aggravantur, ut tantum pro ipsis debeatur pœnæ, quantum debebatur ante remissionem. Et pœnam istam absque misericordia Deus exigit ab eo qui non fecit misericordiam. *Judicium* enim *sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Jacobi 2.

CAPUT CXXXIV.

Merita per mortale subsequens mortificata, per pœnitentiam reviviscunt.

ASsertio non procedit de operibus mortuis, id 1372
est quæ quia extra statum gratiæ facta sunt, nunquam in Dei acceptatione vixerunt; sed de mortificatis dumtaxat, sive quæ ex gratia, & in statu gratiæ facta sunt, operantemque mercedem æternâ dignum effecerunt, sed per subsequens mortale peccatum earenùs mortificata dicuntur, quatenùs per illud impediuntur, ne hominem ad æternam felicitatem perducant. Opera quippe hominis sextuplicis differentiæ assignari queunt, viva, vivificantia, vivificata. Mortua, mortificantia, mortificata. Viva sunt, quæ ex principio vitæ, gratia scilicet & charitate procedunt. Et ista dum superveniunt operibus mortificatis, illa vivificant, & ideò vivificantia dicuntur, & maximè ea ex pœnitentiæ, quibus tollu.tur mor-

talia, per quæ mortificata fuerant, quibus sublatis, per eadem opera illa vivificantur, & ideò vivificata dicuntur. Opera mortua, omnia illa sunt, quæ ab homine in mortali peccato existente procedunt, etiam quæ ex objecto suo bona sunt. Mortificantia sunt omnia peccata mortalia, quæ quia spiritualem animæ mortem inferunt, illa etiam opera bona & meritoria mortificant, quæ antè in statu gratiæ facta fuerant. Et hinc mortificata dicuntur opera illa bona & meritoria, in statu gratiæ facta, sed per mortale subsequens impedita, ne ipsis merces æterna reddatur.

1373 Quòd ergo opera bona meritoria, per mortale subsequens mortificata, per pœnitentiam reviviscant, docent communiter Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 89. a. 1. docentque velut indubitatum, inquit Estius, licèt non sit fide certum.

Probatur 1°. ex Scriptura Ezech. 18. ubi Deus dicit se ampliùs non recordari peccatorum, si de iis impius egerit pœnitentiam. Recordaretur autem, si propter hæc bona opera præcedentia promeritâ mercede privarentur.

1374 2°. ex Joël. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus & ærugo.* Quod ad sensum assertionis nostræ Hieronymus exponit in hunc locum, inde concludens contra Novatianos: *Si autem post pœnitentiam, tantam ubertatem Deus omnium rerum pollicetur, quid respondebit Novatus, negans pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera pœnitentiæ?*

1375 3°. ex Luc. 15. ubi filio prodigo pœnitenti pater restitui jussit *stolam primam.* Quod ad intentum applicat S. Thomas hîc in argum. *sed contrà.* Non enim minoris affectûs erga peccatorem ad se per pœnitentiam redeuntem est Deus, quàm pater iste parabolicus erga redeuntem filium suum, quem peccatoris pœnitentis figuram esse Patres asserunt, Ambrosius lib. 7. in Luc. Hieronymus epist. 146. ad Dam.

4°. ex Hebr. 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* His verbis Apostolus eos hortatur ad pœnitentiam, qui post illuminationem prolapsi erant. Ergo vult, quòd Deus non obliviscetur bonorum operum ante prolapsionem factorum, dummodò pœniteant. Atque hoc modo Apostoli verba intelligere videntur Chrysostomus homil. 19. in hunc locum, & Epiphanius hæresi 19.

5°. ex cap. 3. ad Galat. ubi Apostolus ipsos à fide in infidelitatem lapsos sic redarguit: *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Ad quæ postrema verba Chrysostomus observat, quòd ea Apostolus dixit, *significans videlicet, si volueritis expergisci, ac revocare vosipsos, non frustrà passi fueritis.* Expressiùs Hieronymus in hunc locum: *Quicumque ob Christi fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum; sicut priora opera sine causa dicitur passus fuisse dum peccat; sic rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem, & ad antiquum studium revertatur.*

6°. ex Tridentino sess. 6. c. 16. ubi ad hoc ut operibus meritoriis, gloria æterna reddatur, tria solùm requirit. 1°. ut sint hominis justificati. 2°. ut in Deo sint facta, sive ex Dei gratia. 3°. ut operans in gratia decedat. Postquam enim dixit: *justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò servaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda esse Apostoli verba...* "Non enim est „ injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri bo„ ni, &c." Concludit sic: *Nihil justificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta... vitam æternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.*

Ex his consectarium est 1°. gratiam sanctificantem, & jus ad mercedem æternam bonorum operum in gratia illa factorum, per peccatum mortale non sic tolli, ut per pœnitentiam non reparetur. 2°. licèt merita non remaneant in homine, existente in statu peccati mortalis, remanent tamen in acceptatione divina, & merito Passionis Christi, propter cujus dignitatem & meritum Pater æternus rationem habet bonorum operum in gratia factorum, ersi per peccatum mortificatorum, dummodò operans ad ipsum per pœnitentiam convertatur, & in gratia finaliter perseveret. 1376

An autem opera bona, per mortale peccatum mortificata, secundùm omnem suæ bonitatis ac meriti gradum, adeòque secundùm totum præmium essentiale antè promeritum, per pœnitentiam reviviscant? Non ita certum. Quidam enim prorsus affirmativè respondent. Nec sine probabilitate, utpote cui favent allata Scripturæ testimonia. S. Thomas citatâ q. 89. a. 5. ad 3. & S. Bonaventura in 4. dist. 14. p. 2. a. 2. q. 1. Et dist. 15. p. 2. dub. 8. censent opera illa non reviviscere secundùm omnem gradum bonitatis & meriti præteriti, sed secundùm gradum dumtaxat præsentis pœnitentiæ intensioni ac merito respondentem, nec ampliorem gloriam essentialem bonis illis operibus retribuendam, sed eandem duplici titulo, cum augmento tamen gaudii accidentalis ob præcedentia illa opera. Non pauci tamen ex discipulis S. Thomæ, distinguentes in gratia & merito præcedentium operum esse physicum, & morale, id est id quod fuerunt, vel secundùm physicam suam entitatem, vel secundùm divinam acceptationem: aiunt hominem per pœnitentiam non statim recuperare omnes primæ gratiæ, & meriti operum gradus secundùm esse physicum, sed secundùm præsentis dispositionis mensuram. Illos tamen omnes recuperare secundùm esse morale, quatenus sic manent in divina acceptatione, ut eos homo recepturus sit secundùm esse suum physicum, vel in hac vita, si dispositionem ad id proportionatam acquirat; vel statim post mortem: quia tunc tantus erit charitatis ardor, ut requisitam ad id proportionem omninò habiturus sit. Et fundant se in hisce verbis S. Thomæ 1. 2. q. 114. a. 8. ad 3. *Quilibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore; ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore: cùm scilicet aliquis sufficienter fuerit ad gratiæ augmentum dispositus.* 1377

Subtilis est ista cogitatio, sed secundùm eam meritum bonorum operum mortificatorum reviviscet ad majus præmium essentiale, non ad accidentale dumtaxat. Quod tamen S. Doctor censet loco citato.

Alii denique, ut Dominicus Soto, &c. asserunt pœnitentem ut unum v. g., unum gradum gratiæ præteritæ, & unum novum ratione pœnitentiæ præsentis recipere; sicut & omnes gradus præteritos, si eis præsentis pœnitentiæ intensio correspondeat.

Omnes istæ opiniones, etsi probabiles, incertæ sunt (ut dixi) quia circa præsentem quæstionem nobis incerta est Dei voluntas, à qua resolutio illius dependet, non à ratiocinationibus nostris, purè humanis. Quemadmodùm enim bona opera nostra nonnisi dependenter à divina acceptatione meredem promerentur æternam; ita nonnisi ex benigna Dei acceptatione provenit, quòd opera nostra bona mortificata, recuperatâ gratiâ sanctificante reviviscant; & ad tantum vel tantum gradum reviviscant. Divina verò acceptatio, seu voluntas, nobis non innotescit per ratio-

tiocinationem purè humanam, sed per verbum Dei scriptum, vel traditum. Ex quo nihil certi habemus sive pro ista, sive pro illa opinione: quia Scripturæ testimonia (quæ ad id proferuntur) unusquisque secundùm suam explicat opinionem, uti & testimonia Sanctorum. Et fortasse suam circa hoc voluntatem nobis incertam Deus esse voluit, *ne studium proficiendi* in pœnitentia, ad recuperanda merita deperdita *pigresceat*. Si enim sciremus per pœnitentiam intensam dumtaxat ut unum vel duo v. g. recuperari merita omnia deperdita, hoc sperando pigresceret *humana segnities*, nec satageret ad acquirendam pœnitentiam perfectiorem. Nunc verò dum necessarius ad hoc pœnitentiæ ignoratur gradus, profectò & studium ad perfectiorem pœnitentiam perveniendi, & ad hoc nihil negligendi cura accenditur, non spernitur, prout in simili observat Augustinus l. 21. de Civit. Dei cap. ult. n. 5.

CAPUT CXXXV.

Sine voto Sacramenti Pœnitentiæ, per virtutem Pœnitentiæ in novâ Lege peccata non remittuntur.

1378 QUòd per contritionem (quæ principalis est actus virtutis pœnitentiæ) quàmlibet perfecta sit, peccata in lege nova absque voto Sacramenti Pœnitentiæ non remittantur, fide certum est ex definitione Concilii Tridentini sess. 14. c. 4. docentis, quòd *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto (quod in illa includitur) non esse adscribendam.*

1379 Neque ex hoc conditio Christianorum censeri potest deterior conditione Judæorum. Imò longè melior est: quia per institutionem Sacramenti Pœnitentiæ Christianorum cum Deo reconciliatio longè facilior certiorque effecta est, quàm olim fuerit reconciliatio Judæorum.

Primò, quia ad reconciliationem, seu peccatorum remissionem non sufficit qualiscumque dolor ac displicentia de peccatis commissis, nec qualecumque propositum de amplius non committendis; sed necesse est ut propositum istud & dolor ex amore Dei prædominante procedat, uti postea videbitur; atque insuper necesse est ut propositum istud procedat ex plena, firma & efficaci voluntate faciendi quidquid necessarium est ad cavendum relapsum. Quæ duo faciè profectò non acquiruntur, nec Deus, secundùm ordinariam gratiæ suæ œconomiam, statim ea largitur, & in nobis operatur (juxta S. Thomam 1. 2. q. 113. a. 10.) sed post multas preces, exercitiaque pietatis ac pœnitentiæ, uti pluribus ostensum est suprà: Igitur conditio quæ plura efficacioraque submministrat media ad acquirendas dispositiones illas, reconciliationem seu remissionem peccatorum efficit facilliorem certioremque. Plura verò, efficaciora que ad id media submministrat institutio Sacramenti Pœnitentiæ. Quia humilis illa & verecunda actio, quâ nos oportet peccata nostra, quàmlibet occulta, homini confiteri, medium est præstantissimum ad impetrandum à Deo contritionis gradum necessarium ad remissionem peccatorum. Verba quoque Sacerdotis, Christi vice agentis in hoc Sacramento, ad gradum illum excitandum plurimum conferunt, sicut & praxis actualis operum pietatis ac pœnitentiæ, ad debitam contritionem impetrandam ab ipso præscriptorum, dum differendam judicat absolutionem. Quæcumque enim fiunt in administrando Pœnitentiæ Sacramento; considerànda non sunt velut simplices actiones virtutis pœnitentiæ, sed velut actiones Sacramenti Pœnitentiæ, quibus gratias suas Dominus alligavit. Et ideò considerànda non sunt velut jugum grave & durum novæ legis, sed velut medium facile, quod lex nova nobis submministrat ad peccatorum veniam consequendam.

Secundò, ipsa quoque Sacerdotis absolutio, tale est medium. Quia dum à prudente dispensatore mysteriorum Dei conceditur, qui secundùm Ecclesiæ regulas, sibi probè notas, pœnitentis dispositionem sollicitè examinat, justam pœnitenti fiduciam ingerit, sua sibi peccata esse remissa. Quæ fiducia vix haberi poterat in lege veteri, in qua à certo dispositionis interioris gradu, soli Deo cognito, remissio illa dependebat; ad quem gradum se pervenisse, citra divinam revelationem, nemo certus ac securus erat.

Tertiò, satisfactiones per Christi Ministrum præscriptæ, cumque humili ad Ecclesiæ claves submissione à pœnitentibus practicatæ, longè magis impetrativæ sunt divinæ misericordiæ, & placativæ justitiæ, quàm satisfactiones sponte susceptæ, vel peccatoribus in lege veteri præscriptæ. Quia pars sunt Sacramenti Pœnitentiæ; effectum proinde habentes ex opere per Christum operato. Meritò proinde Tridentina Synodus sess. 14. c. 5. dicit, quòd *ipsa confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis, & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur.*

CAPUT CXXXVI.

Definitio & institutio Sacramenti Pœnitentiæ.

PŒnitentiæ Sacramentum, est *novæ legis Sacramentum, quo lapsis post baptismum, contritis & confessis, ac satisfacere paratis, per Sacerdotis ministerium absolutio, seu remissio peccatorum conceditur.* Definitionis bonitas ex eo apparet, quòd per eam Pœnitentiæ Sacramenti natura optimè declaretur, dum & materia ipsius & forma & Minister per eam designantur, & discrimen ipsius à reliquis Sacramentis. Designatur namque materia remota, peccata scilicet post baptismum commissa. Designatur & materia proxima, contritio, confessio, satisfactio. Designatur forma, per quam à reliquis differt Sacramentis, scilicet absolutio. Materia tamen illa remota (peccata utique post baptismum commissa) non est materia ex qua Sacramentum hoc constituitur, sed ad quam destruendam, seu delendam, Sacramentum est institutum. 1380

Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm, à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens: " Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. " *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos explosit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annuntiandi* (cum Calvinistis,) *contra hujus Sacramenti institutionem falsò detorquent:* Verba sunt Concilii Tridentini sess. 14. c. 1. Verissima quidem; revera namque Cyrillus Alexandrinus super cap. 20. Joan. ait, quòd quando Christus in Disci-

pulos insufflando dedit eis potestatem peccata remittendi & retinendi, *dignationem, quæ soli naturæ divinæ debetur, illis attribuit*, potestatemque illam Chrysostomus l. 3. de Sacerd. c. 5. ita extollit, ut dicat eâ majorem dari non potuisse, cùm per eam omne judicium ipsis datum sit ab eo cui Pater omne judicium dedit: *Iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dixit,* "quæcumque alligaveritis, &c. "*Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solum. Id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad Cælum usque pervadit, usque adeò ut quæcumque in terra Sacerdotes fecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi rerum omnium cœlestium potestatem illis à Deo esse concessum?* "Quorumcumque enim (ait) "peccata remiseritis, remittuntur eis, & quo- "rumcumque retinueritis, retenta sunt. "*Quænam, obsecro, potestas hâc major esse queat? Pater omne judicium Filio dedit. Cæterùm video ipsum omne judicium à Deo Filio illis traditum*, &c. Quemadmodùm ergo Pater omne judicium non dedit Filio, solam potestatem prædicandi Evangelium ipsi dando; sic omne judicium Deus Filius Discipulis non dedit, solam ipsis dando potestatem Evangelium prædicandi; neque enim ista potestas judiciaria est, sicut est illa. Neque est dignatio, quæ soli naturæ divinæ debetur, & neque Angelis, neque Archangelis communicatur. Siquidem Angelus evangelizavit, cùm dixit, *Ecce evangelizo vobis evangelium magnum.* Et Gabriel Archangelus, cùm ad Mariam dixit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum*, &c.

1381 At (inquit Calvinus Instit. l. 4. c. 19. §. 17.) baptismus sequentibus post hujus susceptionem peccatis non deletur, non inquinatur, vim suam non amittit. Hoc ergo unum Ecclesiæ Ministris munus relinquitur, ut susceptî baptismi memoriam in peccatoribus evangelicâ prædicatione suscitent. Hoc unum est remittendi peccata ministerium. Nec alio opus est: cùm enim baptismus in peccatorum remedium sit institutus, alio ad id Sacramento opus non est.

At contrà: Christus ante Passionem suam, baptizandi potestatem discipulis contulerat, & munus illud discipuli ante Passionem jam obierant. Aliam igitur quàm baptizandi potestatem ipsis post Resurrectionem suam tradidit, quando in ipsos insufflando dixit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Enimverò baptismum Christus non instituit, nisi in remissionem peccatorum ante ipsius susceptionem commissorum. Vim proinde nunquam habuit ad remissionem subsequentium. *Neque* Sacerdotes *solùm cùm nos regenerant, sed etiam posteà condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent*, ait Chrysostomus citato l. 3. eamque judiciariam esse confirmat homil. 5. de verb. Isa. *Sacerdoti* (inquit) *thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotiis* (non de terrestribus dumtaxat, uti Rex terrestris) *pronuntiandi habet authoritatem. Quis hoc dicit? Ipse cœlorum Rex:* "Quæcumque ligaveritis super terram, erunt "ligata & in cœlis: & quæcumque solveritis super "terram, erunt soluta & in cœlis." *Quid cum tanto honore conferri possit? à terra judicandi principalem authoritatem sumit cœlum: nam Judex sedet in terra; Dominus sequitur servum, & quidquid hic in inferioribus judicarit, ille in supernis comprobat.*

1382 Quid plura, dum Montanistas & Novatianos Ecclesia velut hæreticos damnavit, ideòne damnavit, quòd Baptismum non admitterent? Non, reverà enim Baptismum admittebant, & à Deo pro commissis post Baptismum criminibus sperandam veniam prædicabant. Ideò ergo ab Ecclesia & universis Patribus damnati fuerunt, quòd crimina post Baptismum commissa per Ecclesiam remitti posse negarent, tametsi homines etiam sceleratissimos ad pœnitentiam, eâque mediante ad sperandam à Deo veniam juxta Evangelium hortarentur. Novatus quippe, vel potius Novatianus (ut scribit Socrates l. 4. c. 28.) ad omnes scripsit Ecclesias, *ne eos, qui dæmonibus immolaverant, ad sacra mysteria admitterent; sed hortarentur quidem eos ad pœnitentiam; indulgentium autem criminum relinquerent Deo, penes quem jus, arbitriumque est crimina remittendi.* Etenim hoc quidem aiunt *Novatiani se Domino deferre reverentiam* (inquit Ambrosius l. 1. de pœnit. c. 2.) *cujus soli remittendorum criminum potestatem reservent. Ideò nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus:* "Accipite Spiritum sanctum, quo- "rum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quo- "rum retinueritis, retenta sunt: "*Quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit, in quo se suamque damnat sententiam. Dominus enim par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Sicut enim, secundùm Dominicam sententiam, qui ligandi jus habet, & solvendi habet; ita istorum assertio seipsam strangulat, ut quia solvendi sibi jus negant, negare debeant & ligandi. Quomodò igitur potest alterum licere, alterum non licere? Quibus donatum est utrumque, aut utrumque licere manifestum est, aut utrumque non licere certum est. Ecclesiæ autem utrumque licet, hæresi utrumque non licet. Jus enim hoc solis permissum Sacerdotibus est. Rectè igitur Ecclesia vindicat, quæ verè Sacerdotes habet; hæresis vindicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet. Munus Spiritûs sancti est officium Sacerdotis: jus autem Spiritûs sancti in solvendis ligandisque criminibus est.....*

Sed aiunt, se exceptis gravioribus relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem Author vestri erroris Novatianus ait, qui nemini pœnitentiam dandam putavit; eâ scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret, ne ligando sperari à se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propriâ damnatis sententiâ, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam omnibus promisit, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Sed qui culpam exaggerat, exaggeret etiam pœnitentiam: majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatianus probatur, qui veniam intercluserit omnibus; nec vos ejus discipuli, imitatores ejusdem & condemnatores, qui ibi minutis studia pœnitentiæ, ubi augeri oportet. Quia gravia peccata majoribus sustentanda fuleris docuit Christi misericordia....

Cur præsumitis (prosequitur c. 7.) *aliquos à colluvione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio omnium peccatorum est. Quid interest utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? Verùm in utroque ministerium est. Sed dices, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quidergo?*

ubi vultis vindicatis vobis Dei gratiam, ubi vultis repudiatis.

1383 Objicientibus ergo Novatianis, quòd solius Dei sit peccata condonare. *Verum est* (optimè cum Ambrosio respondet Pacianus epist. 1. ad Sympronian. in fine) *sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit:* "quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis, &c.? "*Cur hoc, si ligare hominibus*, authoritate Dei sibi commissâ, *non licebat?*

Si dicas hoc solis Apostolis licuisse. Ergo (inquit Pacianus) *Apostolis solis baptizare licet, & Spiritum sanctum dare solis, & solis Gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quàm Apostolis imperatum est.* Quòd si uno in loco, & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur, aut totum ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum est, aut nec illud ex Decretis relaxatum est. "Ego" (*inquit Apostolus*) "fundamentum posui, alius autem superædificat. *Hoc ergo superædificamus, quod Apostolorum doctrina fundavit. Si ergo & lavacra, & chrysmatis potestas ad Episcopos inde descendit; & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi*, &c.

1384 Porrò pœnitentiam esse novæ legis Sacramentum, prout Ecclesiæ Catholicæ fides docet, liquet ex allatis Christi verbis, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Neque enim in istius potestatis ministerio deest *ritus externus*, uti constat ex ejusdem Ecclesiæ praxi: neque *Christi institutio*, quam verba illa manifestant: neque *promissio gratiæ, externo illi ritui conjuncta.* Absque gratiæ quippe infusione peccata non remittuntur. Ad verum autem, & propriè dictum Sacramentum sola illa tria requiruntur, dummodò allata Christi institutio pro toto Ecclesiæ tempore stabiliter facta sit, uti factam esse constat ex eo quòd per verba illa peccata remittendi, uti & per alia baptizandi potestatem Christus absolutè, & sine temporis alicujus exceptione concessit. Estque, & semper fuit ista traditio Sanctorum omnium. Neque ei contradicunt Lutherani omnes; imò eam admittunt, omnes Confessionis Augustanæ defensores, in qua capite de numero & usu Sacramentorum sic habetur: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint propriè Sacramenta. Non est enim authoritatis humanæ promittere gratiam... Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ.* Soli ergo Zuingliani & Calviniani omnes, cumque ipsis Lutherani aliqui, Melanchton, Kemnitius, Matthias Illiricus, &c. negant pœnitentiam esse novæ legis Sacramentum. Nec mirum, Lutheri discipulos ea in re in oppositas sententias abiisse: cum ipsorum Magister Lutherus eadem in re varius fuerit, & modò confessus, modò inficiatus fuerit, pœnitentiam esse Sacramentum, prout facilè ostendi potest.

1385 Sed cur (inquies) improbamus Calvinistas, aientes pœnitentiam aliud non esse Sacramentum à Sacramento Baptismi? Respondeo cum Tridentino sess. 14. c. 2. quia *hoc* Pœnitentiæ *Sacramentum multis rationibus à Baptismo differre dignoscitur. Nam præterquam quòd materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissimè dissidet, constat certè Baptismi Ministrum Judicem esse non oportere: cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.* "Quid enim mihi (*inquit Apostolus*) de iis qui foris sunt judicare? "*Secùs est de domesticis fidei. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint... ante hoc tribunal* (Pœnitentiæ) *tamquam reos* (Christus) *sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam possint liberari. Alius est præter ea baptismi, alius pœnitentiæ fructus. Per baptismum* enim *Christum induentes, novæ prorsus in eo efficimur creaturæ, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes. Ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus* (*divinâ id exigente justitiâ*) *pervenire nequaquam possumus.* Tametsi ergo per utrumque Sacramentum peccatorum tribuatur remissio, aliter tamen & aliter, per baptismum utique absque labore, per pœnitentiam non absque labore. Et rationem diversitatis hanc reddit Pacianus epist. 3. quia baptismus, utpote *Sacramentum Dominicæ Passionis... gratiæ donum est, id est gratuita donatio.* Pœnitentia verò non sic, quia Sacramentum est justitiæ simul & misericordiæ, eâque ratione à Patribus vocatur *baptismus laboriosus*, quia per eam peccatorum venia facilè & absque labore ordinariè non obtinetur. Et ideò à paucis magnis peccatoribus per eam peccatorum venia obtinetur. Quia, ut Pacianus prosequitur, *labor iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lachrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt.* 1386

CAPUT CXXXVII.

Sacramenti Pœnitentiæ partes declarantur.

EAs sic declarat Tridentinum ibidem c. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, satisfactio: qui quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Partes utique materiales, seu quasi materiales: siquidem formalis seu quasi formalis pars, absolutio est: est enim hujus Sacramenti forma. Quæ dum profertur super pœnitentem, cui per contritionem perfectam jam remissa sunt peccata, suo equidem non frustratur effectu. Tum quia remissio illa anticipatus est effectus ipsius; eò quòd hujus Sacramenti votum in illa contritione contineatur, sine quo voto peccata mortalia in Lege nova non remittuntur. Tum quia absolutio superveniens illi remissioni, gratiam in pœnitente auget ac roborat, Spiritûs sancti dona confert, pœnasque temporales pro peccatis solvendas minuit. 1387

CAPUT CXXXVIII.

Contritionis definitio ac divisio.

CContritio, *quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est, de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Tridentinum ibidem c. 4. *Fuit autem quovis tempore* (prosequitur Tridentinum) *ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.* Eumque in finem sex conditiones habere debet. 1°. ut sit supernaturalis, sive *donum Dei, & Spiritûs sancti impulsus*, prout infrà declarat, atque Innocentius XI. definivit, hanc damnando propositionem 57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* 2°. ut sit *cum peccati odio, & pio animi dolore*, quo *tantam Dei offensionem* pœnitens detestetur, prout idem Concilium declarat c. 1. 3°. ut odium istud & dolor procedat ex amore Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, prout loquitur sess. 6. c. 6. & pluribus infrà amoris istius necessitatem demonstrabimus. 4°. ut includat *cessationem à peccato, & novæ vitæ propositum & inchoationem* (sess. 14. c. 4.) ac per consequens *voluntatem peccandi excludat.* Ibidem. 5°. ut sit *cum fiducia divinæ misericordiæ*, sive *cum spe veniæ.* Ibidem. 6°. ut sit etiam *cum voto præstandi reliqua, quæ ad ritè suscipiendum* 1388

hoc Sacramentum requiruntur; cum voto utique satisfaciendi divinæ justitiæ pro peccatis commissis, confitendique mortalia omnia, quibus peccator, post diligenter excussos *conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras, Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.* Ibidem c. 5. Septimam conditionem addunt nonnulli, nimirùm ut contritio sit universalis; id est de peccatis omnibus, saltem mortalibus; sed conditio ista satis ex præcedentibus colligitur, utpote in quibus virtualiter continetur, præsertim in secunda.

1389 Cæterùm ut sacer Judex signum aliquod habeat, unde colligere queat odium peccati, ipsiusque amplius non committendi propositum esse plenum & integrum, sive ex toto corde (prout esse debet) inter cætera id colligere poterit, ex eo quòd pœnitens fideliter observet media ad cavendum relapsum necessaria, tam utique generalia, quàm specialia. Media generalia ad id necessaria, sunt oratio incensa, fugæ occasionum, secessus, lectiones piæ, vita Christiana, pœnitens & laboriosa. Media specialia, seu respectivè ad speciales personas necessaria, sunt exercitia virtutum peccatis commissis opposita, nempe eleëmosyna contra avaritiam, jejunium contra gulæ excessus, austeritates & labores corporales contra luxuriam, &c. Nemo securus esse potest de firmo, plenoque & integro suo proposito, nisi media ista amplectatur, maximè cùm ferè omnia ad vitam pertineant Christianam, ad quam fideles omnes tenentur, & sine quorum praxi Deus ordinariè gratiam suam non largitur, nec fortitudinem necessariam ad firmandam voluntatem contra relapsum. Neque enim gratias suas Deus absque ordine & discrimine elargiri solet, cùm scriptum sit: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Sap. 11. 21. Sed eas mediis à se præscriptis alligavit, etiamsi iis ipse non sit alligatus, sed homo; ideòque absque mediis illis eas aliquando extraordinariè largiatur, ubi & quando vult. Quia *spiritus ubi vult spirat.*

1390 Contritio alia perfecta est, alia imperfecta, quæ attritio dicitur. Illa procedit ex charitate perfecta, semperque conjunctam habet peccatorum remissionem, gratiamque proinde sanctificantem, & charitatem habitualem, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur. Ista *vel ex turpitudinis quidem peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur*, inquit Tridentinum, sed amore perficitur: quamvis enim metus ille seu timor bonus sit & utilis, eoque *utiliter concussi* fuerint *Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem.* Denique timor ille *donum Dei sit, & Spiritûs sancti impulsus: si tamen pœnitentia tota esset ex timore, sine amore justitiæ, & non propter Dei offensam, infructuosa esset*, prout Tridentini Patres dixerunt apud Pallavicin. l. 8. Histor. Trid. c. 15. Sed hac de re plura in sequentibus.

CAPUT CXXXIX.

Cùm ad minus probabilis sit sententia, asserens necessitatem amoris Dei propter se, saltem affectivè super omnia, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ (pront ex dicendis manifestè constabit) eaque tutior sit, & periclitetur valor Sacramenti, si absque amore illo Sacramentum suscipiatur: sententia illa ab omnibus certissimè usque adeò sequenda est in praxi, ut ne Assertores quidem contrariæ opinionis sine dicto amore quemquam (citra necessitatem) absolvere licitè possint, ne Sacramentum exponant probabili periculo nullitatis, pœnitentemque periculo infructuosæ susceptionis, ac damnationis.

IFa sentio cum Ecclesia, quæ per Innocentium XI. damnavit hanc propositionem, primam inter sexaginta quinque: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore; nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Cujus damnationis æquitas perspicua est ex dictis l. 1. c. 8. ubi demonstravimus, peccare eum graviter contra religionem, & charitatem, qui, sciens & volens, Sacramentum administrat cum materia vel forma solùm probabiliter valida, eâ relictâ, quæ certi valoris est. At verò qui, sciens & volens, pœnitentem absolvit solùm formidolosè attritum, sine ullo Dei propter se amore, Pœnitentiæ Sacramentum, sciens & volens, administrat cum materia solùm probabiliter valida, relictâ eâ, quæ certi valoris est. Attritio namque purè formidolosa non est materia certa, seu certò sufficiens, sed ad summum probabilis. Cùm sufficientia illius neque certa sit certitudine fidei, nec certitudine morali. Neque enim habet fundamentum fide vel moraliter certum in Scriptura, neque in Conciliis, neque in Patribus, neque in Doctorum authoritatibus, neque in ratione; sed quæcumque pro illa objiciuntur argumenta, levioris armaturæ sunt, longèque & absque comparatione solidiora, quæ contra illam ex Scriptura, Conciliis, Patribus, Doctoribus, & ratione proferemus, uti manifestum fiet in capitibus sequentibus, ubi & pluribus sacris documentis, & communi Traditione Sanctorum, communi item suffragio veterum Scholasticorum, validoque firmamento Christianarum rationum illius probabitur insufficientia. Quam & confirmabit authoritas Patrum tridentinorum, Doctorum recentiorum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Cardinalium, qui vel Tridentini tempore, vel proximè post illud, ac deinceps scripserunt, tanto numero, ut integræ etiam Academiæ illis accesserint. Ex quibus omnibus simul junctis apparebit illius insufficientiam nedum probabilem esse, sed & longè probabiliorem, & proximè accedentem ad certitudinem. 1391

Quamvis tamen probabilior non esset, negari 1392
non potest quòd probabilis sit. Proinde attritionis illius sufficientia dici nequit moraliter certa. *Quàm enim controversa sit* (ait Steyartius in Theologia Morali emendata concluf. 10.) Orbis Catholicus novit. Siquidem Episcopi Episcopis, Academiæ Academiis, scholæ scholis hac in parte adversantur. Nec minor rationum oppositio: adeò ut Tridentinum Tridentino ab Authoribus opponatur, liceatque sine temeritate affirmare, nullam fortè esse in Theologia quæstionem, quæ tam solemniter in scholis, ipsaque Dei Ecclesia controvertatur.

Denique sententiam de illius insufficientia ali- 1393
cujus theologicæ censuræ, alteriusvè injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicatione latæ sententiæ prohibuit Alexander VII. in Decreto de die 5. Maii 1667. Igitur prohibuit eam taxare notâ improbabilitatis; quæ una est ex censuris theologicis, quibus damnabiles propositiones taxantur. Sunt enim 14. censuræ, ut videre est apud Amicum 1. p. disp. 29. in principio. Primò namque propositio notatur ut hæretica. 2°. erronea. 3°. errori proxima. 4°. hæresim sapiens. 5°. malè sonans, seu piarum aurium offensiva. 6°. scandalosa. 7°. seditiosa. 8°. schismatica. 9°. periculosa. 10°. blasphema. 11°. impia. 12°. arrogans. 13°. temeraria. 14°. improbabilis.

Hoc ipso proinde quòd Ecclesia prohibet sen- 1394
tentiam de formidolosæ attritionis insufficientia

alicujus theologicæ censuræ notâ taxare, prohibet sententiam illam vocare improbabilem, temerariam, periculosam, erroneam, &c. Quod argumento non parvo est improbabilem ab Ecclesia non haberi. Neque enim Ecclesiæ mos est prohibere, ne quis improbabiles vocet opiniones, quæ ab ipsa improbabiles habentur.

1395 Negari ergo non potest quin probabilis sit. Si probabilis est, opposita nequit esse certa. Cùm probabilis esse nequeat sententia, cujus opposita certa est; sed in eo gradu generisque certitudinis, in quo pars una contradictionis certa est, oporteat alteram improbabilem esse; ita ut si pars una contradictionis moraliter certa sit, altera nequeat esse moraliter probabilis. Si una certa sit physicè vel metaphysicè, altera nequeat esse physicè vel metaphysicè probabilis. Cùm enim certitudo, etiam moralis, excludat rationabile dubium & formidinem de opposito; certitudo unius partis, in eo genere in quo est, excludit probabilitatem alterius partis; similiter probabilitas, in eo genere in quo est, certitudinem excludit alterius partis, uti constat ex communi definitione certitudinis & probabilitatis.

1396 Certitudo quippe est necessaria veritas, & illud simul esse nequit in uno eodemque intellectu probabiliter falsum, quod necessariò est verum. Ideòque certitudo secundùm Philosophum, & Doctorem Angelicum, non compatitur formidinem, saltem rationabilem, de opposito; eò quòd intellectus certus de aliqua re, judicet eam aliter se habere non posse.

1397 Probabilitas quoque, seu probabilis opinio (secundùm communem definitionem) illa est, quæ in re utrimque incerta gravi nititur fundamento, gravi utique ratione vel authoritate. In re (inquam) utrimque incerta, ita scilicet ut nec in favorem ipsius, nec in contrarium ulla stet ratio vel authoritas certa & convincens. Videri potest Castro Palao de conscientia tr. 1. disp. 2. p. 1. n. 1. Enimverò *opinio nihil certi habens, verum per verisimilia quærit, potiùs quàm invenit.* S. Bernardus l. 5. de consideratione c. 2. Et *opinio est quasi provero habere, quod falsum esse nescias.* Idem ibidem. Scis autem esse falsum, id cujus oppositum certò cognoscis esse verum. Et eo ipso quòd opinio aliqua contra se certam habet rationem, vel authoritatem, non opinio est, sed error, inquit Joannes Sancius in select. disp. 14. n. 8.

1398 Nullus proinde est cui probabilis videatur opinio, quam certò falsam esse cognoscit. Certò falsam verò quilibet cognoscit opinionem, quam cum certa scit veritate pugnare. Scit autem cum certa veritate pugnare opinionem, quam scit contra se habere certam veritatem. Ergo in quocumque certitudinis genere certa alicui est pars una contradictionis, in eodem altera nequit ipsi esse probabilis; & cui probabilis est una, illi altera, eodem in genere, nequit esse certa. Nec alicui moraliter probabilis esse potest opinio, cujus opposita ipsi moraliter est certa, magis quàm physicè vel metaphysicè probabilis, cujus oppositа est physicè vel metaphysicè certa. Denique moralis certitudo, tametsi latitudinem habeat, in qua magis & minus admittit, nullam tamen magis habet latitudinem, in qua moralem compatiatur in oppositum probabilitatem, quàm certitudo physica vel metaphysica, latitudinem habeat, in qua compatiatur physicam vel metaphysicam probabilitatem. Quod tametsi tam operosâ non indigeret probatione; ideò tamen operosè probandum censui, quia eruditus S. Theologiæ apud Duacenses è Societate Professor (quem illo ipso premebam argumento quod hic propono) in publica disputatione veritatem tam perspicuam non erubuit negare.

1399 Necclariò itaque fatendum est, quòd cùm insufficientia attritionis merè formidolosæ moraliter probabilis sit (neque enim dici potest moraliter improbabilis, nihilque ipsi deest ad moralem probabilitatem) ipsius cum Sacramento sufficientia dici nequeat moraliter certa. Est ergo moraliter incerta, uti fatentur plurimi & gravissimi illius Patroni. Si est incerta: quisquis pœnitentem absolvit cum illa sola, hujus Sacramenti formam applicat super materia incerta, & probabiliter insufficiente ad validum & fructuosum Sacramentum. Et tantò quidem probabiliùs insufficiente, quantò major est probabilitas illius insufficientiæ. Proinde cùm non solus zelus animarum salutis, sed & religio in Deum postulet, ut, quantùm fieri potest, in administratione Sacramentorum, incertis certa præferantur, damnataque sit propositio, dicens, *non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore illius, relictâ tutiore*; graviter peccat, quisquis, citra necessitatem, scienter absolvit pœnitentem, solùm formidolosè attritum. Quippe *graviter peccat in rebus ad salutem animæ pertinentibus* (inquit Augustinus l. 1. de Baptismo contra Donat. c. 3.) *vel eo solo quòd certis incerta præponit*; & eo ipso quo Sacramentum periculo nullitatis exponit. Quod certè periculum tantum est, quanta est probabilitas assertæ à nobis insufficientiæ. Nec ullæ contrariæ assertionis probabilitas periculum illud abstergit. Si enim assertio nostra à parte rei vera sit (cujus veritatis probabilitatem nonnisi imperitissimè & contra sua ipsorum principia negare possunt) si (inquam) Christus in Sacramento Pœnitentiæ revera requirat dolorem ex Dei propter se amore, attritio purè formidolosa non est illa materia, quam pro hoc Sacramento Christus requirit. Deficiente verò materiâ, quam Christus requirit, nec probabilitas contrariæ assertionis, nec mille Doctorum authoritas efficere potest, ut validum sit Sacramentum, sine materia à Christo instituta administratum. Videant proinde Adversarii, num ipsis liceat, ad tuendam opinionem quam desponsaverunt, discrimini objicere Sacramentum, discrimini animas pro quibus Christus mortuus est.

Quid hîc dicere possunt Adversarii? Si, depo- 1400
sitis partium studiis, nudam præ oculis habeant veritatem, attentis dictis, & dicendis, negare non possunt, nostræ assertionis de insufficientia formidolosæ attritionis probabilitatem, fortissimis argumentis stabilitam, & per Decretum Alexandri VII. confirmatam. Dicere proinde non possunt sufficientiam illius esse certam. Non est ergo plusquàm probabilis. Imò non est admodùm probabilis, uti videbitur in sequentibus. Hoc ipso verò, quòd non est nisi probabilis, certum est, ex prima propositione ab Innocentio XI. damnata, quòd usus seu praxis illius non sit practicè probabilis. Cùm practicè probabile non sit, *quòd licitum sit in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore illius, relictâ tutiore*, prout Innocentius XI. declaravit. Tametsi ergo Innocentius XI. pepercerit opinioni de formidolosæ attritionis sufficientia, nec speculativæ probabilitati illius vulnus infixerit; non pepercit usui seu praxi illius. Nec Alexander VII. prohibendo censuram opinionis de dictæ attritionis sufficientia; eo ipso prohibuit censuram opinionis de licito usu seu praxi istius opinionis. Aliud est enim opinio quæ sufficientiam illam adstruit, aliud usus seu praxis istius opinionis. Et aliud est sententiam quæ adstruit sufficientiam alicujus materiæ sacramentalis esse immunem à censura; aliud praxim istius sententiæ esse immunem à censura. Neque enim opinio S. Thomæ, v. g. de sufficientia panis siliginei in Eucharistia, per Innocentii XI. Decretum proscripta est & censurata; proscripta tamen est & censurata

praxis illius. Et idem est de sexcentis aliis opinionibus, quæ alicujus materiæ, vel formæ, vel intentionis sacramentalis sufficientiam probabiliter adstruunt; nec tamen in praxim secundùm Innocentii XI. Decretum redigi possunt.

1401 Ergone negandum, praxim attritionis purè formidolosæ esse practicè probabilem? Negandum planè. Quia secundùm Decretum Innocentianum practicè probabile non est, quòd liceat in hujus Sacramenti administratione uti materiâ solùm probabili, ubi certa suppetit.

1402 A nonnullis quidem Innocentianum Decretum sic glossatur, ut solùm procedat ubi agitur de materia vel forma sensibili Sacramentorum. Sed gratis & perperàm. Quâ enim potestate sic restringunt Ecclesiæ Decretum? Quis ipsis dedit hanc potestatem? Indistinctè & generaliter Innocentius loquitur. Et rationes quæ illicitum probant usum materiæ sensibilis solùm probabilis, pariter probant illicitum usum materiæ insensibilis solùm probabilis. Tam enim per istum quàm per illum usum periculo exponitur Sacramentum, & salus animarum. Et contra utrumque pariter militat Augustini sententia n. 1389. relata, sicut & alia ejusdem, *tene certum, dimitte incertum*, &c. Denique si Innocentiano Decreto non prohiberetur in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, dum agitur de materia insensibili; similiter eo non prohiberetur sequi opinionem probabilem de valore internæ intentionis ad Sacramentum conferendum requisitæ (cùm interna intentio insensibilis sit) atque adeò liceret conferre Sacramentum cum intentione solùm probabiliter sufficiente, sive hinc inde controversâ.

1403 Tandem Adversarii ex litteris R. P. Martini de Esparza, Societatis Jesu, Romanæ Inquisitionis Qualificatoris, datis Romæ 6. Aprilis 1680. prætendunt, opinionem de sufficientia attritionis formidolosæ condemnatam non esse. Sed & nos n. 1380. ultrò fassi sumus, condemnatam non esse: sicut nec opinio S. Thomæ de sufficientia panis siliginei in Eucharistia, condemnata est. Sed sicut praxis istius opinionis per Innocentium XI. in prima propositione damnata est; ita & praxis illius. Tametsi enim R. P. Esparza iisdem in litteris dicat quòd prima illa propositio *fuit reprobata propter juam illimitatam amplitudinem, & universitatem, cum indistinctione speculativè tantùm probabilis à probabili etiam practicè, & rursus probabilis utcumque à moraliter, aut etiam plusquàm moraliter certâ. Sententia autem de sufficientia attritionis.... est practicè probabilis, & insuper certa moraliter, atque (ut ego puto) plusquàm etiam moraliter.* Tametsi etiam addat, *apud Censores prædictarum opinionum actum fuisse in terminis de sufficientia attritionis, atque ex consensu omnium, qui aderamus, sententiam communem remansisse incolumem.* Equidem invicta manet vis argumenti nostri. Neque enim praxis opinionis de sufficientia formidolosæ attritionis, esse potest practicè probabilis, nisi sit moraliter certa, uti demonstravimus. Non esse verò moraliter certam, evidenter constat ex dictis, atque evidentius constabit ex dicendis. Excessit proinde R. P. Esparza, & improbabiliter asseruit suæ opinionis praxim esse moraliter & plusquàm moraliter certam. In hoc proinde non audiendus, sed de opposito in sequentibus evidenter convincendus. Egerint itaque, vel non egerint inter se Qualificatores, de dictæ attritionis sufficientia. Censuerint, vel non censuerint eam remansisse incolumem. Adhuc invictum manet argumentum nostrum. Tum quia fatemur & nos, sententiam de sufficientia attritionis remansisse incolumem ab Innocentiana damnatione primæ propositionis, tametsi incolumis non remanserit praxis illius. Et hoc solum resultat ex illa relatione R. P. Esparzæ. Tum quia dato, non concesso, quòd etiam de praxi illius sententiæ Qualificatores inter se per occasionem egerint, de ea ex mandato Pontificis non egerunt. De ea proinde ad summum ut personæ particulares egerunt. Mandatum quippe à Pontifice nullum acceperunt alias propositiones ex professo, & in ordine ad condemnationem, examinandi, quàm eas quas Deputati Lovanienses exhibuerunt. Inter eas verò illa non fuit, quæ specialiter ageret de praxi opinionis de sufficientia attritionis, ut notum est vel ex ipsis Adversariorum libellis, quibus propositiones illas retulerunt, nominatim ex eo, cui titulus: *Specimen doctrinæ Theologicæ*, &c. Quid plura? Quidquid inter se dixerint, vel non dixerint Qualificatores isti, quidquid ut Doctores particulares senserint, vel non senserint, Pontificem audire jubemur, non ipsos. Neque enim super ipsos, sed *super hanc petram*, id est super Pontificem, *ædificabo* (inquit Christus) *Ecclesiam meam*, quæ, Apostolo teste, columna est & firmamentum veritatis.

Quòdque R. P. Esparza excesserit, suam de formidolosæ attritionis sufficientia opinionem moraliter certam, imò plusquàm moraliter certam asserendo, ex dictis perspicuum est, ex eo utique quòd moraliter certa, & plusquàm moraliter certa asseri nequeat, nisi opposita moraliter sit improbabilis, & plusquàm moraliter improbabilis. Quod absque temeritate magna asseri non potest. Cùm sententia asserens necessitatem amoris Dei propter se, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, validè fundetur in Scriptura & Traditione, sicut & in communi veterum Scholasticorum, ipsorum etiam Scholæ Principum doctrina ante Tridentinum; in ipsorum quoque Patrum Tridentinorum, sapientissimorumque Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, præcipuorumque Theologorum, post Tridentinum, imò & ipsius Concilii Tridentini authoritate, uti proximè demonstrabitur. Unde improbabilitatis notam ei inurere, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis prohibet Alexander VII. 1404

Sed antè demonstrare lubet ex ipsitmet primariis formidolosæ attritionis Patronis & Vindicibus, incertam esse sufficientiam illius. Siquidem Melchior Canus (quantus Vir, quantæque in Concilio Tridentino existimationis!) qui cum Henrico quodam Salmanticensi (ut Morinus refert lib. 8. de administr. Sacram. Pœnit. c. 4. n. 2.) & Ludovico Lopez p. 1. Instruct. c. 9. primus est Author opinionis, dicentis, attritionem ex sola formidine pœnæ conceptam, talemque à pœnitente cognitam, & immutatè se habentem, legitimam & sufficientem esse præparationem ad *gratiam in Sacramento suscipiendam*: septem annis post conditum Tridentini (cui interfuit) Decretum sess. 14. c. 4. ingenuam hanc facit confessionem: *quòd autem attritio* (proximè explicata) *sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen adeò certum & indubitatum.* Ita ille relect. 5. de pœnit. pag. 80. 1405

Ruardus Tapperus in explicat. art. 5. Facult. Lovan. de contrit. eamdem opinionem referens: *probabilis est Doctorum sententia* (inquit quatuor annis post Tridentini Decretum) non ergo certa. Et rursus ibidem: *quòd autem attritio sufficiat, quamvis verum sit* (non ex propria ipsius, sed ex probabili illa aliorum Doctorum sententia, ut videbitur infrà) *non est tamen certum & indubitatum.* 1406

Dominicus Soto, tametsi neget attritionem ex solo gehennæ metu cognitam ut talem sufficere, nisi post diligens examen bonâ fide putetur contritio (quo casu eam sufficere putat, quamvis à parte rei contritio non esset) suam tamen istam sententiam in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. §. 2. fatetur non esse certam, sed Doctorum opinionem dumtaxat. Et

dist.

dist. 18. q. 3. a. 2. in fine: *Doctrina hæc de attritione* (inquit) *quæ in Sacramento fit contritio, licèt sit vera; non est tamen ita multum vetus. Patres enim antiqui solam contritionem agnoscebant necessariam ad confessionem. Reverà eum, qui mihi diceret, non se pœnitere propter Deum* (quod non facit, qui præcisè dolet propter pœnas inferni, uti declarat ibidem paulò ante; sicut & citatâ dist. 17. q. 2. a. 5.) *absolvere non auderem.* Quid est quòd de sufficientia illius sic dubitat? rationem hanc memorabilem reddit dist. 19. q. 2. a. 6. *Deterret me non esse articulum fidei, ut attriti* (attritione antè dictâ) *per Sacramentum fiant contriti. Non enim est expressa evangelica assertio, aut ecclesiastica definitio* (non credit ergo id definitum in Tridentino, cui interfuit) *imo neque apud Augustinum, aliumve ejus classis Authorem reperitur* (audiat Esparza, hæc amplius occinat nobis prætensam suam moralem, & plusquàm moralem certitudinem) *sed est Scholasticorum collectio. Quæ quamquàm sit vera; non est tamen digna, cui bilances perpetuæ nostræ aut salutis, aut damnationis confidamus.*

1407 Medina 1. 2. q. 19. a. 6. dub. ult. expressè fatetur, sub opinione esse positum, an attritio ex solo gehennæ metu cum Sacramento sufficiat, de eoque hinc inde esse opiniones.

1408 Idem agnoscit Toletus l. 3. c. 4. ubi Cani opinionem rejicit in edit. Duacensi anni 1600. & in edit. Coniamensi anni 1602. Nec eam nisi ut probabilem, vel probabiliorem sequitur in edit. Antuerpiensi anni 1603. Quam tamen à suis adulteratam posteà monstrabimus.

1409 Ludovicus Lopez, Cani discipulus, ubi suprà, posteaquàm sententiam nostram vocavit *opinionem antiquorum*, ait olim se amplexum opinionem Soti & Navarri; *sed jam nunc præeunte lumine Concilii Tridentini, & quia industriâ Doctorum aliquæ veritates magis illustratæ sunt: audeo & hanc statuere conclusionem: probabile est, & non parùm veritati & Concilio Tridentino consona opinio affirmativa, scilicet quòd ad justitiam & remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, satis est attritio cognita, etiamsi pœnitens non existimet probabiliter eam esse contritionem.* Ad quæ verba reflectens Joannes Morinus loco citato: *hanc* (inquit) *sententiam vocare probabilem, tum illi visum est aliquid insolitum audere.* Vix proinde audebant illius temporis Scriptores (id est circa annum 1583.) opinionem illam probabilem vocare. Non ergo dubitabant incertam esse.

1410 Suarez to. 4 in 3. p. q. 90. a. 4. disp. 15. sect. 4. n. 17. *Licèt probabilis sit opinio, attritionem* (ex solo gehennæ metu) *cognitam, cum Sacramento sufficere ad justificationem. Tamen non est certa, & potest esse falsa. Quod si fortè ita est, probabilis ista existimatio non sufficit, ut homo salvetur. Ergo qui sciens, & videns, ita se mori permittit, voluntariè exponit se periculo morali æternæ damnationis. Nam ubi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re gravi. Hic autem est morale dubium: cùm illa opinio nec valdè antiqua sit, nec multùm communis.*

1411 Vasquez 1. 2. q. 19. a. 6. disp. 63. c. 2. fatetur, quòd *qui ad Sacramentum accedit cum attritione ficta, exponit se periculo frustrandi Sacramentum effectu suo.* Et ibidem addit, ejusmodi attritionem non esse remedium sine periculo, sed quod adhuc sub opinione positum est. Ita etiam Sayrus in clave regia lib. 1. c. 7.

1412 Sanchez in Summa p. 1. l. 1. c. 9. n. 34. *Si pœnitens in mortis esset articulo, atque habere posset contritionem, tunc esset mortale, & recipere, & ei Sacramentum Pœnitentiæ, cum sola attritione cognita ministrare, propter grave damnationis æternæ periculum, cui ille exponeretur, si fortè hæc sententia non esset vera.* Quod profectò non dicerет, si sententiam illam certam existimaret. Neque enim gravi se periculo exponere censetur, qui sententiam certam sequitur.

1413 Comitolus l. 1. respons. moral. q. 32. *Plures magnique Theologi* (nota benè) *in pœnitente, antequam absolvatur, contritionem veram, charitate formatam, requirunt. Neque usque adeo certum est attritionem pœnitenti esse satis. Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ esse debent, veræ contritionis motum in corde pœnitentis auxiliante Deo elicere.*

1414 Gamachæus to. 3. c. 8. de pœnit. *Etiamsi agnoscamus, Sacramentum Pœnitentiæ facere ex attritis contritos; non tamen id omninò indubitatum, neque ex professo ab Ecclesia definitum, & ab aliis aliter explicatur.* Et rursum: *etiamsi sola attritio à parte rei & speculativè sufficiat ad justificationem; attamen practicè & respectu nostri non satis tutum videtur, ut scienter prudenter solam ejusmodi attritionem in exitu adhibeamus. Homo enim debet salutem suam cum timore & tremore operari.... nec tentare Deum, aut se in probabile damnationis periculum mittere.*

1415 Bresserus l. 3. de conscientia c. 10. n. 13. fatetur, quòd *tantùm probabilis sit opinio, ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere attritionem, scilicet cognitam.* Et infrà: *respondent alii opinionem illam non tantùm esse probabilem, sed moraliter certam, præsertim post Tridentinum; adeòque sufficientem ad tollendum morale periculum nullitatis. Sed quamvis sit multò probabilior... non ausim tamen dicere contrariam, quam etiam post Tridentinum secuti sunt viri docti, nullo modo esse probabilem. Itaque nihilominus alicui periculo exponetur Sacramentum, si fortè illa sit vera.*

1416 Zambranus aurear. decis. circa 7. Sacram. c. 4. dub. 1. n. 4. ait quòd infirmus in articulo mortis ideò tenetur ad veram & perfectam contritionem, id est ex benevolo Dei super omnia amore procedentem: quia *aliter exponit se periculo damnationis æternæ, si in re esset vera sententia, quæ docet requiri etiam cum Sacramento Pœnitentiæ, & Baptismi, ad minus attritionem reputatam contritionem. Nam in necessariis ad salutem, qualis est contritio, pro eo qui mortaliter peccavit, non sufficit bona fides, sequendo opinionem probabilem.* Infrà quidem n. 5. dicit: *communis sententia nostri temporis existimat ferè certum, solam attritionem propter metum gehennæ, sufficere cum Sacramento.* At ideò non existimat id certum. Quia *ferè certum*, non est certum. Et tale subinde est quod habet probabile dubium. Et Zambranus expressè agnoscit ea in re periculum, nec plusquàm *opinionem probabilem.*

1417 Franciscus Bardi discept. 4. de conscientia c. 31. *Plures sunt Authores, qui putant virtute propriæ charitatis nos obligari in fine vitæ ad eliciendam perfectam contritionem* (sensu proximè dicto) *ne exponamur periculo æternæ damnationis: quia sententia illa de attritione, nempe sufficere cum Sacramento, non est omninò certa.* Ita (inquit) docet Suarez in 3. p. to. 3. disp. 16. sect. 2. §. *at urgebis.* Et disp. 29. sect. 3. concluf. 2. §. *sed objicies.* Et disp. 20. sect. 5. concluf. 2. sub finem. Et to. 4. disp. 15. sect. 4. n. 19. Salas in 1. 2. tr. 8. disp. un. sect. 10. n. 90. & 93. Granado 3. p. controv. 2. disp. 44. n. 13. Thomas Sanchez in Decal. l. 1. c. 9. n. 34. Bresserus l. 3. de consc. c. 10. n. 113. Et valdè probabile id existimarunt Lessius l. 3. de just. c. 1. dubit. 4. n. 43. Merolla to. 1. disp. 3. c. 4. n. 99.

1418 Gonet de pœnit. disp. 7. a. 5. §. 3. sub finem: *Non est omninò certum, ac indubitatum, attritionem solam cum Sacramento justificare, & plures Theologi, non contemnendæ authoritatis, non solùm id esse incertum, sed etiam falsum existimant; quamvis opposita opinio probabilior sit.* Ecce quot, & quàm celebres habet ex propugnatoribus for-

midolosæ attritionis R. P. Esparza, sibi contradicentes in judicio de certitudine illius, numero utique, authoritate & doctrinâ non impares iis quos ipse proferre potest pro illius certitudine; imò ipsis præstantiores, utpote Casuistarum Principes, & Tridentini temporibus viciniores, quorum etiam aliqui Tridentino interfuerunt, & acta illius probè perspecta habuerunt. Cùm ex iis qui (cum ipsis) Tridentino interfuerunt, ne unus quidem proferri queat, qui assertam ab Esparza certitudinem moralem & plusquàm moralem cum ipso asserat. Imò aliquod dumtaxat vestigium opinionis negantis necessitatem amoris, post lustrata quàm diligentissimè authentica acta Concilii Tridentini, Cardinalis Pallavicinus (ut ipse testatur in historia illius l. 12. c. 10.) invenire potuerit in eis quæ Granatensis disputavit.

1419 *Ante celebratum verò Concilium Tridentinum nullus è schola Theologorum Scholasticorum prodiit* (ait eximiæ eruditionis Vir, Franciscus Farvacques, in quæstione sua quodlib.) *qui doceret attritionem similem, saltem pœnitenti cognitam, sufficere obtinendæ in Sacramento reconciliationi. Quod si fortè neges, cedo, si vel unius Authoris profers testimonium, & magnam pro præstito beneficio referes gratiam. Hactenùs enim solertissimè quæsivi, & non inveni.*

1420 Meritò proinde Illustriss. D. Jacobus Boonenius, Archiepiscopus Mechlinienſis, in Mandato 26. Maii 1637. Bruxellis edito, sic ait: *Jacobus, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechlinienſis, omnibus animarum curam habentibus, Confessariis, & verbi Dei Prædicatoribus in nostra Diœcesi, salutem in Domino. Cùm in sancta Ecclesia nihil excellentius habeatur ipsis sanctissimis Sacramentis, è quibus, uti largissimis fontibus Salvatoris nostri Dei, in animas vel indesinenter profluit prima gratia, quâ justificantur; vel ea jam accepta augetur, vel deperdita restituitur: nihil magis cordi esse debet iis quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quàm ut ea non solùm ritè, & absque ullo invaliditatis periculo, sed insuper plenissimo semper effectu ovibus suis administrentur. Quare cùm ex omnium Theologorum sententia, in eorumdem Sacramentorum administratione adhiberi semper debeant materiæ & formæ determinatæ, ac quantùm fieri potest securissimæ, nullo autem modo (extra necessitatem) dubiæ vel controversæ; intelligamus verò inter Catholicos Doctores adhuc disputari, an inter actus pœnitentiæ, quos sacrum Concilium Tridentinum definit esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, sufficiens censeri debeat illa contritio imperfecta, seu attritio, quâ tantum propter pœnas peccata detestamur, pluribus quidem à Concilio Tridentino id affirmantibus, aliis nihilominùs etiam ab eodem Concilio id negantibus: ne in ista sententiarum diversitate, salus pœnitentium periculo exponatur: vobis, & unicuique vestrûm, qui ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem estis admissi, & approbati, mandamus, quatenùs omnem vestram industriam eò conferatis, ut omnes ad dicti Sacramenti perceptionem accedentes inducatis, moveatis, & disponatis ad veram & cordialem detestationem, ac dolorem suorum peccatorum, non tam ex timore pœnarum, quàm ex Dei amore, quo ipsum, velut Summum bonum, quod maximâ impietate peccando contempserunt, perfectè diligant, vel saltem ut fontem justitiæ, quâ scilicet justificamur, diligere incipiant. Si enim populus ille rudis sub veteri lege, qui acceperat tantùm spiritum servitutis in timore, in tanta gratiæ penuria, non poterat justificari nisi per dilectionem Dei super omnia: meritissimè nos filii novi Testamenti, qui non accepimus iterùm spiritum servitutis in timore; sed spiritum adoptionis, quo filii Dei nominamur, & sumus, in tanta gratiæ plenitudine, quam effudit in nos per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, non tanquam servi, timore pœnarum; sed tanquam filii, ex amore ejus qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis in sanguine suo, ipsa peccata super omnia mala detestari debemus.*

Ut verò populus Christianus in re tanti momenti magis instruatur, vobis verbi Dei Prædicatoribus injungimus, quatenùs sæpiùs occasionem captetis tractandi de natura, motibus, & affectibus contritionis, ut & de amore Dei super omnia, sine quo vera contritio haberi non potest: ut duobus hisce necessariis mediis instructus, quàvis occasione, & quovis tempore, auxiliante Domino, remissionem peccatorum, & salutem animarum suarum consequi possit. Datum Bruxellæ die 26. Maii anno 1637.

Meritò etiam Illustriss. D. de Wacktendonck, 1421
Episcopus Namurcensis, in Synodo anni 1659. tit. 5. de Sacram. Pœnit. c. 21. statuit sic: *Cùm his quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, & Medicos spirituales, saluti omnium illis commissorum procurandæ, nihil magis cordi esse debeat, quàm ut sanctissima Sacramenta, in eum finem utilissima, & respectivè necessaria, plenissimo semper effectu, & absque ullo invaliditatis periculo administrentur, & in his adhibeantur materiæ & formæ certæ & determinatæ, ac quantùm fieri potest, securissimæ, qualis est in Sacramento Pœnitentiæ contritio ex amore Dei super omnia. Quam etiam in articulo mortis adhibendam censent illi qui attritionem aliàs sufficientem & securam esse existimant. Nos securiora securis præferentes, & certa dubiis: Mandamus omnibus & singulis, in hac Diœcesi nostra ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem admissis & approbatis, quatenùs omnem suam industriam eò conferant, ut pœnitentes ad Sacramenti perceptionem accedentes, prævia dispositione, per actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, inducant & moveant ad veram & cordialem detestationem, & dolorem suorum peccatorum, non tam ex timore pœnarum, quàm ex dilectione Dei, quem cùm ex toto corde amare debuissent, maxima cum impietate peccando contempsere. Si enim populus rudis sub veteri lege, qui acceperat tantùm spiritum servitutis in timore, in tanta gratiæ penuria, non poterat salvari, nisi per dilectionem Dei super omnia; nos filii novi Testamenti, qui accepimus spiritum adoptionis, in tanta gratiæ plenitudine, meritò tanquam tales, ex amore ejus qui dilexit nos, & lavit nos sanguine suo, ipsa peccata super omnia mala, detestari debemus, quo sic, auxiliante ipso, remissionem illorum, & animarum nostrarum salutem assequi valeamus.*

CAPUT CXL.

Attritionis ex solo gehennæ metu conceptæ cum Sacramento insufficientia, communi Doctorum, & Scholæ Principum calculo tradita fuit ante Concilium Tridentinum.

§. I.

Duæ priores probationes assertionis nostræ.

PRobatur 1°. quia id testantur Gabriel in 4. 1422
dist. 14. q. 2. a. 2. Ludovicus Lopez Instructor. p. 1. cap. 9. opinionem de illius insufficientia vocans *opinionem Antiquorum*. Hugo Matthoud in doctissimis Scholiis suis ad Robertum Cardinalem Pullum p. 5. c. 31. ubi sic: *Ex his Roberti verbis, & ex aliis suprà relatis liquidò constat, attritionem ex solo gehennæ metu conceptam, non veram Sacramenti partem, nec vocetenùs, nec significato veteribus & Pullo coætaneis Authoribus innotuisse, ut meritò in conscientiæ Instructoris incesserit Lopez, illius opinionis parentes fuisse Melchiorem*

rem Canum, & Henricum quemdam Salmanticenſem, qui putant dolorem illum, quo ſolo metu inferni peccator concutitur, ſufficientem eſſe diſpoſitionem, ut, accedente Sacramento, juſtificantem gratiam conſequantur. Sed ut nova hæc opinio, ſic periculoſa, & tantum Scripturæ detrahens, quantum Sacramento concedere putat.

1423 Idem teſtatur accuratiſſimus veterum in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ rituum & ſententiarum inveſtigator Joannes Morinus l. 8. c. 4. n. 2. dicens: *Iſtius ſententiæ* (de formidoloſæ attritionis, cogitatæ ut talis, cum Sacramento ſufficientia) *Authores fuerunt Melchior Canus, Franciſci Victoriæ diſcipulus, & Henricus quidam Salmanticenſis Doctor. Ante hos neminem legi, qui ſic doceret, aut docere perhiberetur.*

1424 Probatur 2°. ex narratione ſententiarum, quæ licèt ab incunabulis natæ Scholaſtices uſque ad Tridentinum variæ fuerint; in eo tamen omnes, vel ferè omnes convenerunt, quòd ad validum, vel ſaltem ad fructuoſum Pœnitentiæ Sacramentum requiſierint contritionem, vel ſaltem attritionem propter Deum, ſeu propter intereſſe divinum, & non ſolùm propter inferni ſupplicium, vel aliud intereſſe proprium. Quod earumdem ſententiarum inductione probat Morinus ibidem c. 2. & 3. Siquidem ab initio Scholaſtices (id eſt ab anno 1120. vel 1130.) uſque ad annum 1220. (quo demùm tempore attritionis nomen audiri cœpit in Scholis) novem fuere ſententiæ, quarum omnes & ſingulæ ante ſacerdotalem abſolutionem perfectam requiſiere contritionem.

Prima & antiquiſſima requiſivit contritionem adeò perfectam, & per ſe juſtificantem, ut diceret, ſacerdotalem abſolutionem non eſſe niſi ſimplicem declarationem abſolutionis à Deo datæ vi præcedentis illius contritionis. Hæc ſententia ferè ſimul extincta fuit, ut nata. Unde vix, aut ne vix quidem invenitur memoria illius, niſi in relatione antiquiſſimorum Scholaſticorum eam refutantium; eamdemque, prout ab antiquis Authoribus intellecta fuit, ab omnibus Scholaſticis, à ſe lectis, refutatam fuiſſe teſtatur idem Morinus capite ſecundo citato.

1425 Secunda perfectam quidem contritionem cum prima requiſivit ante abſolutionem, ſed negavit per eam peccata (extra caſum neceſſitatis) remitti, niſi additâ illi confeſſione & ſatisfactione, ſacerdotalis abſolutio ſubſequeretur.

1426 Tertia, ſecundam explicans, abſolutionem contendebat eſſe conditionalem, ita ut contritum (quamlibet perfectè) & confeſſum non reconciliaret, niſi ſub tacita conditione, ſi injunctam confitens pœnitentiam perageret, quâ demùm peracta, Deus abſolutè peccata remitteret. Quæ ſententia, ſicut & duæ priores, pauciſſimos (inquit Morinus) nactæ ſunt defenſores.

1427 Quarta (apud Morinum ſexta) antiquiſſima, & primæ coætanea, maximos, & celeberrimos defenſores habuit, atque (eodem teſte) ſub annum 1130. in Scholis communis fuit, uſque ad annum 1160. Hæc ſententia ſic requiſivit contritionem perfectam, & per ſe juſtificantem, ut triplicem diſtinxerit ex culpa reatum, culpæ ſcilicet, pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis. Quorum primum à Deo abſolutè remitti docuit per contritionem. Secundum dixit non remitti per contritionem, niſi conditionatè, ſi pœnitens confiteretur, atque à Sacerdote abſolveretur, per cujus abſolutionem reatus ille abſolutè remitteretur. Tertium dixit non remitti, niſi per ſatisfactionem purgatoriam, in hoc vel futuro ſæculo ſolvendam.

1428 Quinta cum ſexta, proximè ſubjicienda, convenit in omnibus, niſi quòd addiderit, in caſu publici ſcandali, peccata non remitti, niſi poſt publicam de illis pœnitentiam.

Sexta (apud Morinum quarta) cum prima dixit, per requiſitam cordis contritionem, mentis confeſſionem, internamque ſatisfactionem (in cordis humilitate & dolore conſiſtentem) ante ſacerdotalem abſolutionem, & ſatisfactionem externam, abſolutam peccatorum remiſſionem (contra ſecundam & tertiam ſententiam) ſemper obtineri, per eamque remitti reatum culpæ & pœnæ æternæ (contra quartam ſententiam) ſic tamen ut ſacerdotalis abſolutio non foret ſimplex declaratio (uti prima ſententia ponebat) ſed vera ſententia, per quam fiebat judicialis declaratio remiſſionis à Deo factæ, pœnarumque peccatis debitarum impoſitio, atque iis ex toto, vel ex parte ſolutis, reſtitutio in communionem corporis Chriſti; atque (in caſu publicorum & gravium criminum excludentium à communione ſanctorum) in eam reſtitutio, ſeu reconciliatio. 1429

Hæc ſententia (inquit Morinus) ſub annum 1160. Authore Magiſtro Sententiarum, adeò vigere cœpit, ut, quartâ è Scholis ablegatâ (Doctoribus omnibus meritò negantibus fieri poſſe, ut, culpâ remiſſâ, pœnæ æternæ reatus maneret) principatum in Scholis centum propè annis ſola ferè obtinuerit, licèt cum explicationibus, additionibus, & ampliationibus ſeptimæ, octavæ, & nonæ ſententiæ, quæ non ſunt niſi propagines ſextæ, ipſam illuſtrantes, ſacerdotalique abſolutionis virtutem ſeu efficaciam ampliùs declarantes. 1430

Septima itaque ſententia cum ſexta & præcedentibus ſic perfectam requiſivit cordis contritionem, ut dixerit, abſolutam peccatorum remiſſionem à Deo per eam obtineri, etiam quoad reatum pœnæ æternæ, ſic tamen ut hæc commutaretur in temporalem valdè grandem, pœnitentiſque viribus improportionatam, quæ per efficaciam abſolutionis ſacerdotalis diminuta, mutaretur in mediocrem & proportionatam, quæ per ſatisfactionem ſacramentalem expiaretur, prorſuſque tolleretur. 1431

Octava ſeptimæ nihil addidit, niſi quòd diſtinxerit duas abſolutionis partes, deprecativam unam, judicialem alteram. Aiens per deprecativam fieri, ut pœnitens, ſi fortè nondum ſufficienter contritus foret, contritionis, ac per conſequens remiſſionis peccatorum gratiam impetraret. Per judicialem verò (quæ remiſſam ſemper ſupponeret culpam, pœnamque æternam) ea ſolùm effici, quæ ex aliis ſententiis ſuprà relata ſunt. 1432

Nona denique cum præcedentibus poſuit, Confeſſione & abſolutione, ut ſunt in actu, non remitti niſi pœnam temporalem; iiſdem verò, ut ſunt in voto, ſive contritione, ut complectente votum Confeſſionis, abſolutionis, & ſatisfactionis, culpam pœnamque æternam ſemper remitti. 1433

Si quæ aliæ fuerint ſententiæ (inquit Morinus) ad illarum aliquam facilè referri poſſunt: eandem quippe contritionem requiſierunt, eoſdem abſolutioni effectus tribuerunt; ſolùm addentes, virtute Confeſſionis & abſolutionis à Deo tribui gratiæ auxilia contra tentationes, peccatique fomitem mitigari. Una etiam ſententia augmentum habitûs gratiæ (jam infuſi per virtutem contritionis) abſolutioni vindicavit. Omnium noviſſima gratiæ habitualis infuſionem virtuti abſolutionis adſcripſit: eò quòd vix ante annum 1200. de gratiæ habitibus cœptum ſit in Scholis diſputari. 1434

Ex ſincera ita ſententiarum omnium narratione & inductione perſpicuum eſt, opinionem de formidoloſæ attritionis ſufficientia, ab incunabulis natæ Scholaſtices, uſque ad Magiſtrum, imò à Magiſtro uſque ad annum circiter 1240. ne auditam quidem in Scholis fuiſſe. Unde Pinterellus, Societatis Jeſu Theologus, in libro de attritionis ſufficientia, tametſi diligentiſſimè conquiſierit, nullum tamen invenire potuit, nec ullum pro ea 1435

Authorem nominat nisi vitâ functum post annum 1240. Et in proœmio ejusdem libri ingenuè fatetur, doctrinam Magistri Sententiarum, communemque proinde Doctorum ante annum 1240. suæ esse contrariam.

1436 Ab anno quidem 1220. (veriùs scripsisset 1240.) ad 1300 pro ea nominat Guilielmum Parisiensem, Alexandrum de Ales, Robertum de Sorbona, Vincentium Bellovacensem, Guilielmum Peraldum, S. Thomam, S. Bonaventuram, Petrum de Tarantasia, & Richardum de Media-Villa. Ab anno 1300. ad 1400. Scotum, Ægidium Columna, Durandum, Alvarum, Pelagium, Joannem Vitalem, Antonium Andræam, Nicolaum de Lyra, Paludanum, Aureolum, Franciscum Mayronis, Guilielmum de Rubione, Altesanum, Ludolphum de Saxonia, Joannem Burgensem, Joannem Thailem, Adam Goddam, Richardum Radulphum, Marsilium ab Inghen, Donysium Cisercienſem. Ab anno 1400. ad 1500. Joannem Capreolum, S. Vincentium Ferrerium, Petrum Alliacensem, Gersonem, Thomam Waldensem, Joannem Nider, Raymundum Sebundium, Alphonsum Tostatum, S. Bernardinum Senensem, Nicolaum de Osma, Guilielmum Woriglonum, Nicolaum de Orbellis, S. Antoninum, Henricum Harphium, Joannem de Bassolis, Joannem de Turrecremata, Gabrielem de Barleta, Dionysium Carthusianum, Nicolaum de Nyse, Oliverium Maillardum, Joannem Meder, Bernardinum de Bustis, Pacificum, Angelum, Roselam, Gabrielem Biel, Jacobum Parez de Valentia, Alexandrum de Arioſtis, Hieronymum Savanarolam, Arturium Flion. Ab anno 1500.

1437 usque ad Tridentinum, Jacobum Almaïnum, Petrum Tartaretum, Joannem Raulinum, Sylvestrum, Conradum, Tabienam, Arboreum, Natalem Bedam, Adrianum VI. Cordubam, Ferrariensem, Bertoldum Episcopum Chiemensem, Gasparem Contarenum, Marcum Marulum, Joannem Eckium, Albertum Pighium, Joannem Driedonem, Victoriam, Javellum, Armillam, Cajetanum, Rossensem, Georgium Wicelium, Nicolaum Grandis, Joannem Ferum, Joannem à Daventria, Tilmannum Smelingum, S. Thomam à Villanova, Isidorum Clarium, Franciscum Picardum, Claudium Guillaudum, Adrianum Lametium, Claudium Consordum, Henricum Helmesium, Adamum Sasboldum, Michaëlem Episcopum Mesurgensem, Clementem Monilianum, Joannem Viguerium, Petrum Bulengerum, Petrum Lizetium, Conradum Clingium, Ludovicum Granatensem, Paulum de Palatio, S. Carolum Borromæum, Franciscum Panigarolam, Navarrum. Ipsos pro formidolosæ attritionis sufficientia pariter adducit Author tractatûs *de Pœnitentia* anno 1697. Romæ excusi, sicut & ex iis plerosque Author Operis *de dolore ad Sacram. Pœnit. ritè suscipiend. necess.* Romanis etiam typis editi anno 1706.

1438 Sed prorsus infundatè, prorsus absque veritate, prorsus infidè: cùm ne unus quidem illorum cum ipsis tenuerit, attritionem ex solo gehennæ metu, cognitam ut talem, & immutatè se habentem, cum Sacramento sufficere ad peccatorum remissionem. Et ne ii quidem, qui præ cæteris isti opinioni favere primâ facie videri possunt, amplius exprimant, quàm quòd Pœnitentiæ Sacramentum vim habeat remissivam peccati mortalis; quòdque proinde non prærequirat in pœnitente dispositionem per se justificantem, ante Sacramenti susceptionem. Quod dum ultrò concedimus, non ideò sequitur, quòd ex mente ipsorum non prærequirat dolorem propter offensam Dei, sive procedentem ex dilectione Dei tamquam fontis omnis justitiæ. Neque enim omnis dolor ex ea procedens per se justificat, secundùm illos Doctores.

Tametsi ergo plures ex illis Doctoribus, ante confessionem vel absolutionem non requirant 1439
in pœnitente contritionem perfectam, sed imperfectam dumtaxat, seu attritionem; non ideò fideliter nominantur pro opinione de sufficientia attritionis purè formidolosæ: cùm necessariam asserant attritionem dilectricem, sive ex parte saltem amorosam. Tam enim attritio sufficiens, quàm contritio, secundùm illos, esse debet dolor de peccatis propter Deum offensum, sive propter interesse Dei, non propter interesse nostrum dumtaxat. Nec igitur ipsi Pinterello favent. 1446

Non favent etiam Alensis, Bonaventura, Mayro, Gabriel, Marsilius, Capreolus, Abulensis, Ca- 1440
jetanus, Petrus Soto, Franc. Sonnius, aliique ab eodem Pinterello relati: cùm requisierint contritionem perfectam, ut constabit ex dicendis § 3.

Nec illi Authores, qui dixerunt attritionem sufficere, id dixerunt de attritione purè formidolosa, 1441
immutatè se habente, vel cognita ut tali; sed quæ foret dolor de peccatis propter Deum, virtuteque Sacramenti per sui incrementum fieret contritio, vel bonâ fide putaretur contritio.

Quòd si aliqui ex ipsis mentionem fecerint attritionis, cujus principium foret timor servilis; 1442
id intellexerunt de principio extrinseco, & præparatorio; non de principio intrinseco & formali, saltem ultimato & adæquato.

Denique ne quidem Granatensem & sanctum Carolum Borromæum verè pro se Pinterellus alle- 1443
gavit: neque enim, in iis quæ ex ipsis producit, sufficere aiunt attritionem ex solo gehennæ metu, tamquam motivo unico & adæquato conceptam, & immutatè se habentem; sed contrarium expressè docent.

Ut autem liquidò appareat, nullam fidem ad- 1444
hibendam Pinterello, duobusque illis aliis toi pro se Scriptores perperàm allegantibus, præter dicta & dicenda, accipe ex ungue Leonem, nec dubita Pinterellum, duosque illos Socios ipsius pro se 1447
referre Doctores ipsis expressè contradicentes. Quid enim clarius, quid expressius, quàm quod Granatensis (quem pro se refert) conc. 1. in festo S. Mariæ Magdalenæ sub initium ait: *Constat planè neminem ex injusto fieri justum, nisi is peccatum super omnia detestetur, illudque supra omnia vitare constituat. Hæc enim duo habere nemo potest, nisi Deum diligat super omnia. Hæc enim tria, dilectio Dei super omnia, odium peccati, & propositum ejus omni operâ & studio vitandi, ita se mutuò consequuntur, ut alterum sine altero consistere nullo modo queat. At hujusmodi dilectionem, post naturæ lapsum, nemo, nisi præsente Dei ope adjutus habere potest.... Sine hac verò Dei dilectione, neque vera contritio, neque firmum sceleris vitandi propositum, ac proinde neque justificatio constare potest.* Et in Catech. l. 3. c. 18. de Sacram. Pœnit. in 1448
principio: *Adritè suscipiendum hoc Sacramentum, & absolutionis effectum.... dico requiri veram de peccatis nostris contritionem.... contritio est ingens animi dolor, & tristitia de peccatis præteritis, & quòd iis Deus offensus fuerit, cum proposito nunquam post hæc peccandi. Hic verò dolor* (ut ibidem ait, &. l. 2. Memorial. c. 1. & 9.) *non debet esse solùm ideò quòd homo peccatis suis infernum promeritus fuerit.... sed quòd per illa Deum amiserit, eumque offenderit.* Et infra: *Dolor & contritio non tam ob cœlum amissum, & infernum promeritum, neque ob aliud aliquod commodum, proprium, vel alienum; sed solo & uno amore Dei fiat.* 1449

Verùm ut magis appareat, Pinterellum absque 1445
veritate, & perperàm Authores n. 1436. laudatos pro se retulisse; posteaquàm ostendimus senten-

tiam ipsius usque ad annum circiter 1240. ne auditam quidem fuisse in Scholis (sicut nec ipsum quidem attritionis nomen usque ad annum circiter 1220. auditum fuit, uti proximè videbitur) quòdque sententia illi contradicens, Magistri utique, communis fuerit inter Doctores, & omnes propè Scholæ & Doctores usque annum 1240. (Morino teste) definierint confessionem in charitate fieri debere, ut ad salutem & vitæ æternæ meritum prodesse, ut non foret iteranda; vel etiam ut prodesse solent opera extra charitatem facta.

1446 Post hæc (inquam) veniamus ad tempora subsequentia ann. 1240. & videamus quid Doctores senserint, & inveniemus quòd ab eo tempore, usque ad Tridentinum, perseveraverit communis doctrina de necessitate amoris ad justificationem, deque attritionis purè formidolosæ insufficientia. Quandoquidem Authores, qui ab eo tempore usque ad Trident. scripserunt, communi calculo, vel requisierint contritionem ad validam & fructuosam absolutionem, non contenti attritione; vel requisierint attritionem propter Deum, non solùm propter inferni supplicium; vel voluerint attritionem esse ejusdem speciei cum contritione; nec ab ea differre intrinsecè (nisi penes magis & minus) sed extrinsecè dumtaxat, penes informationem vel non informationem gratiæ; vel voluerint attritionem virtute Sacramenti, per intensivum sui incrementum, mutari in contritionem, ante sacramentalem justificationem; vel saltem requisierint attritionem bonâ fide putatam contritionem. Authores verò qui contenti fuerunt attritione purè formidolosâ, cognitâ ut tali, & immutatè se habente, vix ulli, si ulli inveniantur. Quod ipsamet sententiarum enarratio §. sequenti manifestum faciet.

§. II.

Tertia assertionis probatio ex enarratione sententiarum quæ fuerunt in Scholis ab anno circiter 1240. usque ad Tridentinum.

1447 ANte sententiarum enarrationem animadvertendum, ne ipsum quidem attritionis nomen in Scholis vulgari cœptum; nisi ab eo tempore, quo Doctores Scholastici disputando de modo & forma justificationis, paulatim assecuti sunt, gratiam justificantem esse habitum à Deo animæ infusum, comites habentem alios habitus infusos charitatis, &c. Quorum habituum tametsi nullus, è primis Scholasticis mentionem ullam fecisset; ideòque illis multi se Doctores opposuissent: tandem circa an. 1240. deferbuit tota illa disputatio (inquit Morinus) omnesque Doctores in habituum positionem consenserunt.

1448 Porrò statim ut hoc Doctores assecuti sunt, judicarunt plurimi (pergit Morinus) habitum infusum, quo impius justificatur, esse primam gratiam, quam (ex antiqua Ecclesiæ traditione, per S. Augustinum præsertim elucidata) nullus mereatur, sed Deus eam in nobis sine nostro merito infundit. Nulla proinde opera habitum illum præcedentia, gratiam justificantem promereri. Et hinc concluserunt, contritionem, vi cujus peccatum tollitur, esse naturâ posteriorem justificatione, & gratiâ gratum facientem. Quo tamen non obstante Scholastici complures, Magistri & Discipulorum ab ipso vivâ voce edoctorum immediati successores, voluerunt contritionem, licèt naturâ posteriorem, esse dispositionem ad justificationem.

1449 Sed cùm apud ipsos certum esset, rarò quempiam justificari, sine multis præparationibus tempore prioribus, nomen illis excogitandum fuit, quo præparationes illæ (hactenus significatæ nomine compunctionis, & contritionis) nuncupentur, & distinguerentur à contritione, gratiæ justificantis pedissequâ. Et nomen istud attritio fuit. Quo nullus, vel vix ullus ante Guilielmum Parisiensem usus legitur. Non utique Hugo, nec Richardus à S. Victore, non Robertus Pullus, non Gratianus, non Joannes Sarisberiensis, non Præpositivus, non Petrus Cantor, non Robertus de Flammesburgo, non Guilielmus Altisiodorensis. Sed post Guilielmum Parisiensem, sive post annum 1220. ita vulgari cœpit, ut nomine isto, velut in Scholis vulgato, utantur Alensis & Albertus Magnus. *Et posteriorum nemo illud prætersit, sed Authorum qui hos antecesserunt, nullus mihi cognitus attritionem commemoravit.*

Sic autem attritionem inter & contritionem distinguebant, ut attritionem dicerent ex fide informi nasci; contritionem ex fide formata. Attritionis principium esse timorem servilem; contritionis timorem initialem. Attritionis causas esse auxilia gratiæ, seu gratias gratis datas; contritionis verò, gratiam gratum facientem. Hinc omnem dolorem de peccato, Deique amorem, in non habente gratiam, attritioni tribuerunt; in habente gratiam, contritioni. 1450

Quæ doctrina communis erat tempore Alberti Magni, utpote qui in 4. dist. 19. (octavâ apud Dion.) sic habet: *Quemadmodùm communiter dicitur, attritio est dolor de peccatis, non procedens ex charitate & gratia. Contritio verò est dolor de peccatis, ex charitate & gratia procedens. Unde unus & idem dolor in substantia, potest esse attritio & contritio, sicut idem in re est fides informis, & fides formata.* Idem ante Albertum tradiderat Guilielmus Parisiensis de Sacram. Pœnit. pag. 446. dicens, quòd amor attritionis & contritionis sit *idem, secundùm idem, & propter idem: sunt unius & ejusdem speciei, & ita non differunt (intrinsecè) nisi penes magis & minus.* Et pag. 444. *erunt igitur ejusdem speciei amor præparatorius* (id est attritionis) *& amor qui charitas dicitur.* 1451

Hinc igitur habes, tempore Guilielmi Parisiensis, & Alberti Magni, communem doctrinam fuisse, quòd amor, & consequenter dolor attritionis, specie non foret diversus ab amore & dolore charitatis, seu contritionis, saltem intrinsecè, sed tantùm penes magis & minus, sive secundùm intensum & remissum, & extrinsecè secundùm informationem & non informationem gratiæ. Quomodò etiam attritionem à contritione distinxit S. Thomas q. 28. verit. art. 8. ubi postquam in corpore (cum Alberto Magno proximè relato, communique illius temporis doctrina) dixisset, quòd *omnis dolor de peccatis, in habente gratiam, est contritio, & omnis actus fidei gratiæ conjunctus, est fides formatæ; actus autem fidei informis, & attritio, tempore præcedunt gratiæ infusionem.* Ad 3. addit, quòd *contritio ab attritione præcedente non differt solùm secundùm intensionem doloris, sed etiam secundùm informationem gratiæ. Et ita contritio habet aliquem ordinem posterioritatis ad gratiam, quem non habet attritio.* Attritionem itaque S. Thomas à contritione non diversificat specie, nec essentialiter (cùm informatio gratiæ sit extra essentiam doloris, & intensio non diversificet speciem) sed solum accidentaliter secundùm *informationem gratiæ*, & gradualiter *secundùm intensionem doloris.* 1452

Angelico Doctori concinit Seraphicus Bonaventura in 4. dist. 17. dicens: *Concedo quòd actus, qui in principio sui est attritio, antequam interrumpatur fit contritio, ut patet de actu, quo quis vadit ad Ecclesiam, si ei in via gratia infundatur.* 1453

Concinit etiam Doctor subtilis, si credimus Joanni de Burgo, Cancellario Cantabrigiensi, in pupilla oculi p. 4. c. 2. ubi sic: *Displicentia peccati secundùm Scotum, si sit informis, id est præcedat infusionem gratiæ, dicitur attritio; si verò co-* 1454

mitetur gratia Dei, dicitur contritio. Enimverò in 4. q. 2. n. 14. Peccator (inquit) *in peccatis existens.... potest ex naturalibus cum communi influentia* (id est cum sola gratia actuali, necdum habens gratiam habitualem) *considerare peccatum commissum ut offensivum Dei, & ut contra legem divinam, & aversivum à Deo... & potest voluntas ipsum sub aliqua istarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic consideratum detestari; & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ. Potest etiam ista detestatio esse totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis... Iste autem motus dicitur attritio, & est dispositio, sive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ sequitur in ultimo instanti.... Et tunc... infunditur gratia, per quam simpliciter deletur peccatum.* Et iste motus, qui antè dicebatur attritio, jam fit contritio, ut exprimit n. sequenti: *Si manet idem motus, qui prius fuit attritio, in illo instanti fit contritio. Quia in illo fit concomitans gratia, & ita est actus formatus... à charitate jam inclinante & inhærente. Et sic attritio fit contritio, sine omni reali mutatione actûs.* Unde Commentator Scoti ad citatum locum p. 62. *Contritio* (inquit) *sumitur duobus modis, uno modo pro actu formato; & sic quilibet dolor antecedens infusionem gratiæ erit attritio, quantumlibet perfectus; idem autem continuatus infusâ gratiâ erit contritio, sive perfectus sit, sive imperfectus* (*id est remissus*) *& in hoc sensu frequens est usus contritionis apud Antiquos. Et in hoc eodem nomen contritionis & attritionis usurpat noster Doctor in hac distinctione* 14.

1455 Ex his apparet Scotum meritò referri pro sententia specie seu essentialiter non distinguente attritionem à contritione per se justificante, sed solùm gradualiter penes magis & minus, & accidentaliter penes infusionem & non infusionem gratiæ. Pro qua sententia ipsum referunt Anglez Ordinis Minorum in Floribus Theologicis q. de contrit. fol. 204. Leander à SS. Sacramento disp. 1. de pœnit. q. 44. aliique passim.

1456 Apparet 2°. verum esse quod Morinus in principio c. 3. ait: *Cùm primùm attritionis nomen in lucem erupit, erupit quoque hæc quæstio, an attritio fieri posset contritio. Quæ quidem in scholis agitata est annis propè centum, nullâ prorsus ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ factâ relatione.... Tres fuerunt de istius quæstionis solutione Doctorum sententiæ, duæ oppositæ, una media.*

1457 *Multi & insignes Doctores respondebant affirmativè, attritionem fieri posse contritionem. Fundamentum quo nitebantur, erat, dolorem & amorem attritionis, specie non differre à dolore & amore contritionis, sed tantùm penes magis & minus. Nihil itaque ex parte rei impedimento esse, quominùs dolor vel amor attritionis ita intendatur & efferveseat, ut gratiâ tandem imbuatur, sicque fiat attritio contritio.* Sic Authores n. 1451. 1452. 1453. & 1454 relati. Nimirùm supponebant Authores illi attritionem esse dolorem minùs intensum, quàm sit contritio. Unde S. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. quæstiunc. 3. dicebat, quòd dolor de peccatis, ob parvitatem seu remissionem, quandoque desineret esse contritio: *Contritio habet duplicem dolorem, unum rationis, qui est displicentia peccati commissi; & hic potest esse adeò parvus, quòd non sufficiat ad rationem contritionis.... Sicut etiam amor potest esse ita remissus, quòd non sufficiat ad rationem charitatis*, id est ad hoc ut charitate habituali formetur. Similiter Scotus in 4. dist. 17. §. *ad argumenta* dicit, quòd contritio potest esse tanta, quòd eâ, etiam ante confessionem, deleatur peccatum. Et dist. 20. n. 6. requirit certam intensionem (Deo notam) ad contritionem, quæ sit sufficiens ad deletionem culpæ. Et in Reportatis ad 4. sent. dist. 20. magnam requirit detestationem ad hoc quòd sit contritio sufficiens ex congruo ad remissionem peccati, sicut (inquit) *fuit vehemens delectatio prior in peccato.* Et in eo Magistrum secuti sunt discipuli, ut testatur Andræas Vega in Concil. Trid. l. 9. c. 17. in argum. 3. Nam *Scotistæ* (inquit) *aiunt ad justificationem peccatoris non quemvis dolorem de peccatis, etiam propter Deum, sufficere, imò necessariam esse aliquantam intensionem, & fervorem in ipso dolore, aliquantique temporis, & quidem nobis ignoti continuationem.* Idem de Scoto testatur Summa de Sacram. ex doctrina Franciscì Victoriæ tit. de contrit. q. 117. ubi: *Scotus in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. dicit, quòd licèt quis habeat dolorem de peccatis propter Deum, cum omnibus aliis bonis circumstantiis, nisi talis dolor habuerit certam intensionem completivam, & continuationem, non sufficit. Quanta autem debeat esse intensio, dicit quòd solus Deus novit.*

Secunda sententia (prosequitur Morinus) *quam* 1458
tuebantur Viri magni, huic est opposita, attritionem fieri non posse contritionem. Non ob specificam utriusque differentiam; sed quia attritio est actus, sive motus. *Motus* autem *est res perpetuò fluens, & transiens.* Unde *cùm ita incaluit, ut adveniat charitas, jam transiit ille qui erat attritio, nec inflammari potest.*

Tertia sententia utramque videtur conciliare, 1459
dicendo quòd attritio quidem sit motus, sed in omni motu qui non fit in instanti, assignari queat prius & posterius; tametsi prior pars motûs, qui est attritio, fieri non possit contritio, quia nec informari; posterior, quia informatur, meritò dicetur contritio.

In nulla istarum sententiarum specifica est diffe- 1460
rentia inter attritionem & contritionem, sed sunt *propter idem, sunt unius ejusdem speciei*, inquit Guilielmus Parisiensis suprà. In nulla proinde sententiarum istarum sermo est de attritione puræformidolosa. S. Thomas quidem q. 1. Supplem. a. 2. in argumento *sed contrà*, attritionis & contritionis diversa ponit principia; attritionis timorem servilem, contritionis filialem. Sed ne sibi contrarius sit, exponendus est de principio attritionis extrinseco: neque ex argumento *sed contrà*, utpote nondum resolutorio, eruitur certa mens S. Doctoris. Quare ea potiùs eruenda est ex iis quæ tradit suprà n. 1532.

Tandem longo post tempore occurrit difficul- 1461
tas, quam Doctores sibi objecerunt, utique fieri posse, ut quis se contritum existimans, nonnisi attritus ad Confessionem accederet. Et ista difficultas occasionem dedit inquirendi, an attritio virtute Sacramenti fieret contritio. Ratio difficultatis erat vulgaris Doctorum definitio, Confessionem extra charitatem factam, liberare quidem posse ab onere Confessionis iterandæ, verùm ad salutem nihil prodesse.

Ad hoc dixerunt, attritionem, vel in ipsa Con- 1462
fessione propter subjectionem & humilitatem fieri contritionem, gratiamque acquirere, vel Confessione simul & absolutione, sive ipsâ absolutionis parte, quæ deprecativa est. Alii Confessione simul & absolutione, quam sic statuerunt simpliciter judicativam ut nullæ preces ei necessariæ sint. Ita potissimùm Thomistæ antiquissimi. Quibus certum fuit, attritum virtute Sacramenti fieri contritum, gratiamque consequi per Sacramentum.

Sed hinc nova quæstio exorta est, de ratione, 1463
quâ attritio virtute Sacramenti fieret contritio, deque sacerdotalis absolutionis efficacia in gratiam, an physica foret, an moralis.

Omissâ posteriori istâ quæstione, utpote ad mo- 1463
res nihil faciente, circa alteram quæstionem, quâ ratione attritio virtute Sacramenti fiat contritio,

ab annis 390. usque in hanc diem acerrimè disputatum est, nec disputatio umquam deferbuit, sed semper incaluit, viresque acquisivit eundo.

1464 Septem circa hoc sententias refert Morinus, sed num. 11. observari vult, *antiquam sententiam, de necessitate contritionis ante absolutionem concipiendæ, toto illo tempore, ad usque Concilium Tridentinum aliis omnibus sigillatim sumptis prævaluisse, maximosque viros, & magno numero, paulo ante Tridentinum hanc sententiam mordicus defendisse, & aliàs improbasse. Sed post Concilium Tridentinum ea sententiæ quæ attritionem sufficere docent, antiquæ prævaluerunt, majore Doctorum parte sensim in hanc sententiam inclinante, & ab antiqua declinante, ut nimium severa, & efficaciæ Sacramentorum non satis tribuente. Non defuerunt tamen Doctores insignes, post illud tempus in hunc usque diem, nec contemnendo numero, quorum aliqui Concilio interfuerunt, qui antiquam sententiam propugnaverunt, aliisque longè præposuerunt.*

1465 Ex ipsa septem sententiarum enarratione apparebit quòd in nulla sex priorum istarum (quæ solæ tamen leguntur in Authoribus qui ante Tridentinum scripserunt, vel saltem solæ ante illud celebres & vulgatæ fuerunt; septima namque vix ante illud cognita fuit) attritio purè formidolosa, cognita ut talis, & immutatè se habens, satis fuerit ad gratiam in Sacramento recipiendam.

1466 *Prima* itaque *sententia (in quam ivere omnes initio discessionis ab antiquiore*, contritionem ante absolutionem requirente) *ea est* (inquit Morinus) *quæ attritionem sui incremento, absolutionis virtute de facto fieri contritionem docuit.* Sententiam suam sic explicant. Quatuor in attritionis dolore gradus ponunt, cùm quis confitetur, levissimum, magnum, majorem, maximum. Primum aiunt Confessionem non reddere validam, nec in ea esse Sacramentum. Cum secundo esse validam... & Sacramentum validum... sed informe. Cum tertio attritionem illam virtute absolutionis in contritionem assurgere, fierique Sacramentum validum... & fructuosum. Denique si quartus gradus adsit, justificationem præcedere Sacramentum, sed virtute Sacramenti augeri & incalescere.... Videt autem Lector attritionem in ea quæstione, apud eos Authores, complecti dolorem propter Deum assumptum.

1467 Secunda sententia ad justificationem extra Sacramentum attritionem requirebat intensissimam, sive adeò intensam, ut in contritionem mutaretur; sed ad justificationem in Sacramento contenta erat quocumque gradu attritionis, imò (præter dispositionem negativam, id est remotionem obicis & indispositionis) vix aliam requirebat in peccatore dispositionem positivam, quàm voluntariam Sacramenti susceptionem, à peccati mortalis affectu alienam. Sic refert Morinus n. 13. referens pro hac sententia Scotum in 4. d. 14. q. 4. a. 3. in resolutionibus in 4. d. 14. q. 1. a. 3. & q. 4. Et in Reportatis ad 4. d. 14. q. 4. Cujus sententiam in eo rigore defendit adversus Gabrielem Almainus in 4. dist. 14. q. 4. Sed eam fortiter impugnarunt, eâque impugnatâ, ad antiquam (requirentem contritionem) sese receperunt Ockam, Mayro, Marsilius, Gabriel Biel, Major, & alii. Imò Scotus ipse in 4. d. 14. q. 4. a. 3. requirit aliquem attritionis gradum (ut notat Scholiastes ipsius Hugo Cavellus in Scholio ad illum locum) sive aliqualem attritionem (propter Deum, ut infrà videbitur in Scoto) quæ per Sacramentum fit contritio, ut patet attentè legenti quod habet ibidem n. 7. & 9. sub finem. Et ita explicatam Scoti sententiam tuentur Nicolaus de Orbellis, Guilielmus Vorillo, Petrus Tartaretus, Nicolaus de Nyse, & Summa Angelica apud Morinum ibidem.

Tertia sententia ad absolutionem justificantem 1468
necessariam esse voluit attritionem intensam, sive magnum dolorem propter Deum offensum (in quo differebat à secunda sententia) sed quæ virtute Sacramenti, per sui incrementum fieri non deberet contritio, ad hoc ut attritus per Sacramentum justificaretur (in quo differebat à prima) nec de facto talis fieret, nisi extrinsecè, quatenus idem attritionis gradus, ante Sacramentum informis, Sacramenti virtute fieret formatus. *Primus Theologorum* (si Morino fides) *Scotus est*, qui hanc sententiam tenuit, *nec defuerunt Scoto etiam alterius Scholæ Doctores, qui eum sequerentur.*

Quarta sententia nullam agnovit attritionem, 1469
quæ foret dolor propter Deum offensum, sed solùm propter inferius motivum, v. g. gehennæ metum. Quemlibet enim dolorem propter Deum offensum existimavit veram esse contritionem. Quemlibet etiam istius doloris gradum sufficere censuit ad salutem. Undeposuit attritionem, tametsi in infinitum intenderetur, nunquam intrinsecè fieri posse contritionem (eò quòd specie, sive objecto & fine inter se differant; & una species, nunquam fiat altera) sed solùm extrinsecè, ad modum, quo fides informis fit formata. Hujusmodi tamen attritionem cum absolutione non sufficere ad justificationem, nisi bonâ fide putaretur à pœnitente contritio. Si enim pœnitens animadverteret se solùm formidolosè attritum, non contritum, non solùm non sufficeret, sed se taliter absolutioni subjiciens, grande sacrilegium committeret. *Hanc philosophationem* (inquit Morinus n. 15.) *primus invexit Franciscus Victoria, vir initio præcedentis sæculi* (circa annum 1530.) *celeberrimus, in quam Theologi maximi pedibus manibusque lubentes ivere. Defensores habuit toto sæculo præcedente complures, virosque magnos*, etiam ex illis qui Tridentino interfuerunt, post illudque scripserunt, ut Dominicum Sotum, Alphonsum Vegam, Cordubam (apud Tannerum disp. 6. de Sacram. Pœnit. q. 6. dub. 4.) Toletum in Instruct. Sacerdot. l. 3. c. 3. Edit. Duac. 1600. & Constantiensi 1602. Navarrum in Sum. c. 1. n. 38. *Sed nunc videtur intermortua*, ait Morinus.

Quinta sententia (quam tradiderunt nonnulli 1470
Scholastici antiquissimi, post annum 1200. &, ut ait Morinus, etiamnùm sequi videntur Recentiores non pauci) attritionem solâ pœnæ formidine non metiens, sed timore initiali, docebat attritionem, sui per Sacramentum incremento, fieri contritionem. Addebat tamen, quòd si peccator, faciens quod in se est, bonâ fide judicaret se contritum, licèt solùm foret attritus, gratiam virtute Sacramenti consequeretur. Hanc sententiam approbat etiam Vega l. 13 in Trident. c. 34. ad object. 3. Nec ab ea procul distat Sylvester verbo *Confess.* 1. n. 9. & 21. Nec Bonaventura in 4. dist. 17. q. 4. p. 2. ibi: *Ad Sacramentum Pœnitentiæ non est necesse quòd accedat habens charitatem, vel dispositionem ad charitatem sufficientem, secundùm veritatem; sed sufficit secundùm probabilitatem. Hæc autem dispositio, attritio est, quæ frequenter, ob Confessionem superadjunctam, & absolutionem Sacerdotis, formatur per gratiam, sic ut ad ipsam contritio subsequatur. Unde dico, quòd sufficit quòd probabiliter se disponat ad gratiam, per omnium peccatorum detestationem*, &c.

Sexta sententia duplicem distinguebat contri- 1471
tionem, hoc est Dei super omnia dilectionem, naturalem (id est sine gratiæ ope elicitam) & supernaturalem. Quarum hæc, si adesset, ante Sacramentum justificaret. Illa, seu naturalis, cum Sacramento. Naturalem vocabant attritionem, dum charitatis supernaturalis adventu formata nondum esset. Quâ per Sacramenti virtutem infusâ, supernaturalis fieret, quæ priùs erat natura-

lis. Hæc sententia paucos habuit defensores, nec potest hodie sustineri. *Siquis enim dixerit sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*, ait Tridentinum sess. 6. can. 3.

1472 Septima, omnium noviſſima, nec ante Tridentinum vulgata, illa est contra quam disputare cœpimus. Quod enim quarta sententia exhorrebat, admittere cœpit, videlicet attritionem, ex sola pœnæ formidine conceptam, talemque à pœnitente cognitam, & immutatè se habentem, legitimam sufficientemque esse dispositionem ad gratiam in Sacramento suscipiendam. Hæc est illa sententia, cujus parentes Morinus suprà c. 4 fuisse ait Melchiorem Canum, Francisci Victoriæ Discipulum, & Henricum Salmanticensem. Nec certè invenitur ullus, qui sententiam illam, ut jacet, expressis terminis ante ipsos docuerit. Neque de tali attritione locuti sunt Doctores, qui ante Tridentinum docuerunt, attritum virtute Sacramenti fieri contritum. Ut enim Vivaldus ait in Candelabro aureo tit. de attrit. q. 2. & 9. *quotiescumque invenitur in Doctoribus, quòd attritio contritio, vel attritus cum Sacramento fit contritus, est intelligendum de attritione perfecta, id est de ea quâ propter Deum purè dolemus de peccatis, sed non ita fervidè & super omnia, ut par erat.*

Atque, ut Viguerius, à Parisiensi Facultate solemniter approbatus, ait in Institutionibus de Sacram. Pœnit. c. 16. v. 10. *sciendum est quòd si attritio dicatur dolor de peccatis, voluntariè assumptus, propter timorem servilem, sic quòd principium ejus sit timor servilis, ut scilicet sit detestatio peccatorum propter metum pœnæ...; tunc attritio nunquam fit contritio, nec ex attrito aliquis fit contritus, nisi ad hunc sensum, quòd post attritionem venit contritio, sicut dicimus quòd ex manè fit meridies, & ex injusto fit justus consecutivè. Sic postquam aliquis fuit attritus, fit contritus, attritione definente esse propter aliud principium, seu motivum superveniens, quod est timor filialis, vel Deus summè dilectus. Et hæc fuit opinio S. Thomæ in 4. Si verò attritio dicatur dolor voluntariè assumptus propter Deum summè dilectum; sed non cum sufficienti & requisita intensione, sive gradu.... sic attritio fit contritio. Et sic intelligitur quod à Doctoribus communiter dicitur, quòd ex virtute clavium ex attrito fit contritus.*

1473 Ex collatis itaque sententiis, ante Tridentinum vulgatis, satis apparet, attritionis servilis, seu purè formidolosæ, cognitæ ut talis, & immutatè se habentis, sufficientiam à communi mente Majorum (ante Tridentinum) esse alienam, cùm in principio Scholastices communis doctrina (cum Magistro) requisierit contritionem perfectam, & qui ab illa doctrina posteà recesserunt, & attritione contenti fuerunt, usque ad tempora Francisci Victoriæ saltem requisierint attritionem, quæ foret dolor propter Deum offensum; ipse etiam Scotus, ut posteà videbimus. Ut enim Scoti Scholiastes observat ad dist. 14. quarti Sententiarum pag. 63. *sive attritio, sive contritio requisita ad remissionem peccatorum, debet elici ex motivo charitatis, sive proximo, sive remoto, hoc est elici, vel imperari à charitate. Est Doctoris suprà, & aliàs sæpè, & dist. 20. q. un. Quam ibi supponit ex Augustino, & habetur dist. 7. de pœnit.*

1474 Denique vel ipse Victoria, cum sequacibus suis, docuit pœnitentem debere facere quod in se est, ut dolor ipsius de peccatis sit propter Deum, non propter pœnam tantùm, ita ut bonâ fide credat se propter Deum dolere, nec aliter possit, nec licitè, nec validè, nec fructuosè Pœnitentiæ Sacramentum recipere.

§. III.

Quarta assertionis probatio, ex illis ipsis Authoribus, quos pro se Pinterellus refert, & imprimis ex illis qui citari solent pro opinione, cum Sacramento requirente contritionem perfectam.

EXtra dubium est, quotquot requisierunt etiam 1475
cum Sacramento contritionem perfectam, insufficientem credidisse attritionem purè formidolosam; eatenùs proinde pro nobis facere atque ad nostram propiùs accedere sententiam (inter extremas mediam) quàm ad sententiam Adversariorum illi extremè oppositam, licèt illorum plerique non satis tribuisse videantur clavibus Ecclesiæ.

Atqui pro sententia requirente contritionem perfectam, communiter referuntur Hugo de S. Victore to. 3. in Summa tr. 5. c. 11. Richardus de S. Victore tr. de potest. lig. c. 12. Radulphus Ardens Dom. 1. post Pascha, Magister in 4. dist. 17. Gratianus de pœnit. dist. 1. c. 34. Petrus Pictavensis p. 3. per plura capita, Robertus Cardinalis Pullus Sentent. p. 5. c. 13. & 31. p. 6. c. 61. &c. Innocentius III. in 2. Psalm. Pœnit. Altisiodorensis l. 4. Sum. tr. 6. c. 8. q. 1. a. 1. & dist. 8. a. 3. Cæsarius Heisterbachensis l. 3. de Confess. c. 1. Albertus Magnus in 4. dist. 18. a. 13. Alensis 4. p. Sum. q. 8. m. 1. & q. 21. m. 1. & 2. S. Raymundus in Sum. l. 3. de pœnit. & remiss. §. 11. ubi sententiam hanc celebriorem dicit. S. Thomas Supplem. q. 10. a. 5. S. Bonaventura in 4. dist. 18. p. 1. a. 2. Argentina in 4. dist. 16. Ægidius Carlerius in Respons. ad qq. Abbatis Aquicint. Bertrandus Agerius de Turre serm. in Domin. 13. post Pentecosten. Stephanus Brulifer in 4. dist. 18. q. 1. Petrus Suror l. de potest. Eccles. in occult. c. 1. Bromiardus in Sum. Prædic. verbo *contritio* a. 5. noster Baconius in 4. dist. 15. a. 3. Gabriel in 4. dist. 14. q. 2. quæstiunc. 12. a. 2. Marsilius q. 12. dub. incid. a. 2. Major in 4. q. 12. a. 2. Okam & Mayro apud Morinum suprà c. 3. n. 13. Capreolus in 4. dist. 16. q. 2. a. 3. ad finem. Bandinus in 4. dist. 20. Abulensis in defens. p. 1. c. 6. noster Waldensis to. 2 de Sacram. c. 43. noster Joannes Bectz in exposit. tertii præcepti Decal. c. 5. Henricus Gandavens. quodlib. 1. q. 32. Cajetanus 3. p. q. 84. a. 1. §. *& si modum quæris*. Ferrariensis 4. contra Gent. c. 72. §. *ad hujus evidentiam*. Medina c. de Confess. q. 33. §. *est alia quarta opinio*. Vivaldus opusc. de verit. contrit. in tribus ult. capitibus & in Candelabro aureo n. 6. Quam opinionem post Tridentinum (ut benè Morinus) graviſſimi etiam Doctores tenuerunt, etiam qui Tridentino interfuerunt, ut Petrus Soto in Instruct. Sacerd. (editâ 3. annis post Decretum sess. 14. c. 4.) lect. 8. Franciscus Richardotus in Gallica Instruct. Pastor. (scriptâ quatuor annis post absolutum Tridentinum) c. 43. Fredericus Nausea, Episcopus Viennensis, in suo Catechismo, Franciscus Sonnius tr. de Sacram. & in suis demonstrationibus scriptis quatuor post laudatum Tridentinum annis. In ipso quoque Patrum Tridentinorum Conventu sess. 14. Joannes Æmilianus, Hispanus, Episcopus Tudetanus, contritionem perfectam dixit necessariam ad justificationem cum Sacramento. Nec tamen hinc argui, per Sacramentum peccata non remitti, tametsi Sacramentum remissa inveniret, præeuntis contritionis efficacitate. Respondebat enim, contritionem id præstare vi Sacramenti, cujus votum in ipsa continetur; adeòque justificationem, tametsi antecedentem, futuræ absolutionis effectum esse: sic refert Pallavicinus Histor. Trid. l. 12. c. 10.

CAPUT CXLI.

Necessitatem amoris, sive doloris propter Deum

offensum, insufficientiamque proinde attritionis purè formidolosæ ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, ab initio Scholastices ad usque Concilium Tridentinum, per quinque proinde sæcula, ab omnibus, vel ferè omnibus Doctoribus traditam fuisse, adhuc specialiter demonstratur, referendo per singula sæcula Doctores, qui eam tradiderunt.

1476 SCholasticem sæculo duodecimo natam, sciunt eruditi, & suprà adhuc monui. Ad probandam proinde assertionem, referendi à nobis sunt Doctores, qui eam tradiderunt à sæculo 12. ad 16. cujus anno 45. inchoatum, anno 63. terminatum est Concilium Tridentinum.

§. I.

A sæculo 12. ad 13. proferuntur Hugo & Richardus à S. Victore, Gratianus, Magister Sententiarum, eorumque Discipuli.

1477 ISti namque omnes contritionem perfectam & per se justificantem requisierunt in locis n. præcedenti relatis. Manifestum est proinde, ipsos necessarium censuisse dolorem propter Deum offensum, insufficientemque credidisse dolorem ob solum gehennæ metum. Ne infinitus sim, sufficiet ex immenso acervo selectiora quædam & celebriora figillatim exhibere. Dum floreret Gratianus, id est sub medium sæculi duodecimi, unanimiter existimabant Theologi sine contritione perfecta neminem justificari: siquidem dist. 1. de pœnit. Gratianus non nisi duas refert sententias circa quæstionem, utrùm solâ cordis contritione, absque oris confessione, & operis satisfactione peccata remittantur? Quarum una uni contritioni, altera contritioni & confessioni, injunctisque à Sacerdote operibus peccatoris reconciliationem attribuit. Utri sit adhærendum, in medio Gratianus relinquit; eò quòd utraque fautores haberet sapientes & religiosos. Porrò utraque conveniebat in requirenda contritione; nec aliam contritionem una requirebat quàm altera. Utraque ergo perfectam requirebat.

1478 Petrus Lombardus, Sententiarum Magister, Gratiano suppar, dist. 18. propositâ utrâque illâ sententiâ, quærit quid super his sentiendum? Et utramque concilians, ait, *quòd sine confessione oris, & absolutione pœnæ exterioris peccata deleantur, per contritionem & humiliationem cordis*, quoad culpam, & debitum æternæ mortis, sed non sine confessione cordis, id est non sine voto, quo quis proponit mente compunctâ se confessurum. Quia nec verè pœnitens est, qui Confessionis votum non habet. Per consequens non sine Sacerdotis absolutione in voto, quæ postea superveniens in re, secundùm Magistrum numquam se extendebat ad culpam, sed ad pœnam temporalem duntaxat relaxandam.

1479 Quam sententiam sub initium sæculi decimitertii secutus Guilielmus Altisiodorensis l. 4. Sum. de Sacram. Pœnit. *Deus* (inquit) *inchoat solutionem dimittendo culpam & pœnam æternam*, per contritionem cordis, cum voto Confessionis: *Sacerdos verò consummat, dimittendo aliquid de pœna, vi clavium, per impositionem manuum.... tamen ubi Dominus non inchoat*, dimittendo culpam per cordis contritionem, *Sacerdos non consummat.*

1480 Ita etiam Albertus Magnus in 4. Sentent. dist. 18. a. 13. *Remisit Deus culpam in contritione, & relaxavit debitum æternæ mortis, & post completionem remanet id quod commissum est Ministris Ecclesiæ, scilicet relaxatio pœnæ purgatoriæ.*

Ita pariter Alexander Alensis, & S. Bonaventura, §. 2. referendi, sicut & S. Raymundus in Sum. l. 3. de pœnit. & remiss. §. 11. ubi sic: *Utrùm sola contritio sine confessione tollat peccata, an contritio cum confessione? variæ sunt opiniones.*

Quibus relatis, & relatâ tertio loco opinione Magistri, de qua suprà: *Hæc* (inquit) *ultima opinio celebrior est.* Cujus veritatem postquam ostendit per exemplum resuscitationis Lazari, quo SS. Patres frequenter utuntur, §. 21. subdit: *Dicendum est*, FERE SECUNDÙM OMNES, *quòd purè, verè ac propriè solus Deus* (per contritionem) *dimittit peccata, & debitum pœnæ æternæ. . . . Quidam tamen dicunt, quòd Deus mundat animam à macula peccati, Sacerdos autem solvit eam posteà à vinculo æternæ pœnæ. Hos non intelligo. Quare primam opinionem amplectar. De Sacerdotibus autem non est dubium, quin habeant potestatem dimittendi & retinendi peccata.... Dicuntur autem Sacerdotes ligare & solvere tribus modis. Primo ligant & solvunt*, id est ostendunt, seu judicialiter declarant, *aliquem solutum, vel ligatum. Unde Dominus leprosos prius restituit sanitati, deinde ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderentur mundati. Item Lazarum primò resuscitavit, deinde mandavit discipulis suis solvere suscitatum. Nam etsi aliquis apud Deum sit absolutus, non tamen in facie Ecclesiæ absolutus habetur, nisi per judicium Sacerdotis.... Secundus modus ligandi est, cùm satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt; vel solvendi, cùm de ea aliquid dimittunt.... Tertius modus est, qui fit per excommunicationem*, &c.

Quam etiam opinionem Angelico Doctori 1481
placuisse constat partim ex locis §. 3. proferendis, ubi ad rationem veræ pœnitentiæ requirit *ut peccatum displiceat, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Partim ex aliis, ubi expresè tradit, contritione deleri peccatum, ante Sacerdotis absolutionem. *Dicendum* (inquit Supplem. q. 10. a. 5.) *quòd confessio operatur præsuppositâ contritione, quæ culpam delet, & sic confessio*, ac per consequens absolutio, *directè ordinatur ad dimissionem pœnæ.* Et in opusc. quo Dominicam exponit Orationem, in exposit. petit. quintæ: *In peccato sunt duo, scilicet culpa, quâ offenditur Deus; & pœna, quæ debetur pro culpa. Sed culpa remittitur in contritione, quæ est eum proposito confitendi, & satisfaciendi. Psal.* " Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam, & tu remisisti im- " pietatem peccati mei.... " *Sed fortè quis dicit: Si dimittitur peccatum in contritione, ad quid necessarius est Sacerdos? Ad hoc dicendum est, quòd Deus in contritione dimittit culpam, & pœna æterna commutatur in temporalem; sed nihilominùs manet adhuc obligatus ad pœnam temporalem.... Quando ergo confiteris, Sacerdos absolvit te de hac pœna in clavium virtute.* Et in opusc. de forma absolutionis c. 2. cùm sibi objecisset, quòd sicut ad Lazari suscitationem nihil Apostoli contulerunt, sic Sacerdotes ad peccatorum vivificationem nihil conferunt. Respondet: *Per hoc non ostenditur, quod Sacerdos non absolvat, aut non debeat dicere, ego te absolvo, sed quod eum non debeat absolvere, in quo signa contritionis non videt, per quam homo justificatur interius à Deo culpâ remissâ.* Addit tamen, quòd *sicut contingit in baptismo, quòd aliquis, antequam Sacramentum baptismi actu percipiat, dum habet Sacramentum in voto, vel in proposito, consequitur justificationem à solo Deo; & tamen, si consecutus non fuerit, ex vi Sacramenti, nisi obicem opponat, justificationem consequitur Sacramentum suscipiendo; ita omninò est de pœnitentia.* Ut enim dicit Supplem. q. 18. a. 1. *si ante absolutionem aliquis non fuisset contritus, adeòque nec perfectè dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione & absolutione Sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret.* Quod in respons. ad 1. sic explicat, ut Sacerdo-

tes per datam sibi clavium potestatem, ad ipsam remissionem culpæ *aliquid dispositivè & instrumentaliter operentur*. Contingit enim accedentem ad Sacramentum necdum contritione esse donatum, qui dum se clavibus confitendo submittit, per preces absolutioni præmitti solitas, & per admonitionem Sacerdotis, vel etiam per opera pœnitentiæ, quæ ipsi ad gratiam contritionis impetrandam injungit, & pœnitens ipsi humiliter obediendo ante absolutionem exequitur, contritionem impetrare; atque hoc pacto Sacerdotem dispositivè & instrumentaliter ad remissionem culpæ ipsius concurrere. Tametsi in postremo opere suo, videlicet in Summa, nihil immutando circa requisitam à se contritionem, efficaciam ipsius cum Sacramenti efficacia sic conciliet, ut contritio cum absolutionis forma effectum Sacramenti operetur.

1482 Eamdem Sententiarum Magistri opinionem noster Waldensis to. 2. de Sacram. c. 143. secutus est, sicut & Baconius noster cum sæculi sui (utique decimi quarti) Magistris, ut patet ex usitatis tunc versibus quos refert in 4. dist. 15. a. 3. *Te cor contritum mundat, confessio restat. Si quæris quare? capiti membrisque tenemur, in caput & membra committis transgrediendo.*

1483 Denique ex Authoribus n. 1475. relatis constat, eamdem opinionem ad usque Tridentinum communem fuisse. Cui magnam profectò existimationem tum laudatorum pro ea Doctorum celebritas, tum S. Raymundi Summa conciliavit, de qua, in judicio, quod delegati à Clem. VIII. ad istius Sancti Canonizationem Præsules tulerunt, cum magna commendatione locuti sunt: *Authoritatem* (inquiunt) *hujus Summæ commendant Author ipse, qui vitæ sanctitate & miraculorum operatione, in vita & in morte claruit..... modus item docendi facilis, ubique apertus & tutus: cùm vir sanctus in casibus & articulis ambiguis decidendis, aut sacrarum Litterarum, aut sacrorum Canonum, aut sanctorum Doctorum authoritate nitatur..... Rarò autem, aut nunquam propriâ authoritate & sensu nititur. Novitates enim & singulares opiniones, tamquam pestem, perpetuò vitandas putavit. Postremò eamdem Summam valdè commendant illustrium Doctorum agmina, qui post Raymundum floruerunt. Omnes enim & Juris Civilis Professores, & sacrorum Canonum Doctores, & Theologiæ Magistri, Raymundi Summam venerabiliter, quoties se obtulit occasio, allegantes, viri sancti testimonio usi sunt ad sua dicta comprobanda.*

1484 Quod ita esse, inde compertum est, quòd Guido Baïsius, Bononiensis Archidiaconus (qui paulò post Raymundum floruit, & anno circiter 1300. mortuus est) in Decret. de pœnit. q. 111. ipsissimis sancti Raymundi verbis præsentem explicet quæstionem: *Ista opinio, quæ habet quòd contritio dimittit peccatum, est celebrior. Verùmtamen non intelligas, quòd contritio dimittat peccatum propriè loquendo, sed ipse Deus in contritione.* Et omnes penè Doctores, qui Summas postea scripserunt, ipsamet sancti Raymundi verba mutuati sunt, ut Bartholomæus Pisanus, Ord. Prædicat. Theologus (qui circa annum 1340. floruit) in Summa *Pisana*, verbo *clavis*: *Qualiter Sacerdotes per claves dicuntur solvere? Respondeo secundùm Raymundum tribus modis. Primò ligant, & solvunt, id est ostendunt aliquem esse ligatum, vel solutum à Deo. Unde Dominus Luc. 17. leprosos per se prius mundavit, deinde ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderentur mundati*, & cætera uti apud S. Raymundum suprà n. 1480.

1485 Baptista Trovamala Ord. Minorum (qui floruit anno circiter 1480.) in Summa *Rosella*, verbo *Sacerdos*: *Qualiter dicuntur ligare, & solvunt? Respondeo secundùm Raymundum, tribus modis. Primò ligant & solvunt, id est ostendunt aliquem ligatum, vel solutum à Deo. Nam etiamsi quis apud Deum solutus sit, tamen in facie Ecclesiæ non aliàs solutus habetur, nisi per judicium Sacerdotis. Secundò ligant, cùm satisfactionem pœnitentibus imponunt; vel solvunt, cùm de ea aliquid dimittunt*, &c.

Baptista Salius, ejusdem Ordinis, circa an. 1490. 1486
in Summa *Baptistiniana*, verbo *Sacerdos*: *Qualiter Sacerdotes dicuntur solvere, vel ligare? Respondeo, secundùm Raymundum, tribus modis*, &c. ut apud Trovamalam.

Joan. Tabiensis Ord. Prædicat. circa an. 1510 1487
in Summa *Tabiena*, verbo *Sacerdos*: *Qualiter Sacerdos dicitur solvere & ligare? Respondeo, secundùm Raymundum, tribus modis*, &c. ut apud Pitanum. 1492

Claudius Pinæus, Parisiensis Theologus, in e- 1488
pitome Magistri Sententiarum dist. 18. c. 3. anno 1551. (quo tempore Tridentinum celebrabatur) iisdem penè Raymundi verbis eamdem difficultatem solvit.

Hanc porrò sententiam ab hæreticorum senten- 1489
tia per Tridentinum damnata (quæ dicit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi peccata esse remissa) plurimùm differre, nec proinde ab Ecclesia damnatam esse, testantur Vega, Dominicus Sotus, aliique Doctores admodùm graves. Quod & nos infrà ostendemus. 1493

§. II.

A sæculo 13. ad 14. exhibentur Guilielmus Altisiodorensis, Innocentius III. Cæsarius Heisterbachensis, Guilielmus Parisiensis, Albertus Magnus, Alensis, S. Raymundus, S. Thomas, S. Bonaventura, Vincentius Bellovacensis, Robertus de Sorbona, Richardus de Media-Villa, Petrus de Tarantasia, Joannes Bromiardus, Guilielmus Peraldus.

CUm enim ipsi omnes in locis n. 1475. relatis 1490
perfectam requisierint contritionem, insufficientem haud dubiè crediderunt formidolosam attritionem. Præter specialia quæ §. præcedenti protulimus ex Guilielmo Altisiodorensi, Alberto Magno, & S. Raymundo, juvabit & de Guilielmo Parisiensi, Alensi, S. Thoma, S. Bonaventura, Vincentio Bellovacensi, Richardo de Media-Villa, & Bromiardo specialia subjicere.

GUILIELMUS PARISIENSIS.

Itaque Guilielmus Parisiensis, qui primus, vel 1491
è primis mentionem fecit imperfectæ contritionis seu attritionis, eam tamen non statuit purè formidolosam, à perfectaque contritione specie diversam, sed amorosam, & ejusdem cum ipsa speciei, sicut ejusdem speciei sunt amor præparatorius (ex quo attritio secundùm ipsum procedit) & amor qui charitas dicitur, ex quo perfecta procedit contritio. Sic enim loquitur in tract. de Sacram. Pœnit. fol. 31. *Necesse est ut moveatur, qui atteritur vel conteritur, motu fidei, ...spei..... necesse est etiam ut moveatur motu dilectionis alicujus, sive illa sit charitas, sive non*, sed utique amor præparatorius ad charitatem, de quo paulò ante sic: *Amore præparatorio amatur Deus, secundùm quod Deus, & propter id quod est Deus; quemadmodùm amore qui charitas dicitur. Quare erunt ejusdem speciei amor præparatorius, & amor qui charitas dicitur. Et si quis quærat, quæ sit differentia inter attritionem & contritionem, dico quòd attritio ad contritionem sic est, sicut vulneratio non lethalis ad occisionem..... sicut calefactio ad ardorem, & sicut illuminatio ad irradiationem, hoc est sicut lumen crepusculi ad vadium seu meridiem*, quibus similitudinibus Doctores

res utuntur ad significandum distinctionem intra eamdem speciem secundùm magis & minus. Et infrà: *Amor quo quis amat Deum, scilicet præparatoriè* (qui secundùm ipsum est amor attritionis) *& amor quem quærit* (attritus) *& quo nondum amat* (charitas utique) *sunt unius & ejusdem, videlicet Dei, & secundùm idem, & propter idem. Sunt igitur unius & ejusdem speciei, & ita non differunt, nisi secundùm magis & minus.* De timore verò servili fol. 81. col. 4. dicit.: *Timor servilis est bonum Dei datum sit, non est tamen virtus. Et hoc quia licèt mala declinari faciat .... non tamen facit hoc benè & laudabiliter ..... ita enim occupat animum & intentionem timentis, ut oculos cordis ad solam pœnæ evasionem habeat*, &c.

ALEXANDER DE ALES.

1492 Alexander de Ales in Summa p. 4. q. 12. de pœnit. m. 3. a. 1. dicit, quòd pœnitentia timore concipitur, non generatur, quia *non concipitur in suo esse completo, sed in sui præparatione, sicut homo concipi dicitur in sua materia rudi.* Dicit etiam, quòd timor *non est efficiens per se pœnitentiam, sed remotè cooperans.* Denique quòd *etsi non habeatur pœnitentia cum timore servili, nihilominùs concipitur à timore hujusmodi. Quia aliud est dicere pœnitentiam concipi, aliud pœnitentiam haberi; pœnitentiam autem in pœnitente concipi, est dolere, sive attritione affici, & ad gratiam pœnitentiæ, sive virtutem seipsum præparare.*

1493 Quæstione 17. de contrit. membro 3. a. 2. *Contritio per se & propriè, quantùm est de necessitate culpam respicit, pœnam autem non nisi ex consequenti .... Licèt enim aliquando consideratio damnorum, quæ accidunt ex peccati perpetratione, dolendi materiam inducat, & etiam dolorem; hoc tamen non est de necessitate contritionis .... ille dolor non est contritionis, licèt quodammodò disponat ad illam. Sed dolor ille, qui est de contemptu Dei, & aversione ab illo .... est contritionis; nec sine hoc est gratificatio cum Deo.* Et infrà: *Propter recessum à Deo dolendum est propriè dolore contritionis, non propter pœnam annexam propriè.* a. 3. *Contritio propriè est de aversione, vel de conversione in quantum est aversio .... Unde dolor sacramentalis propriè refertur ad aversionem.* a. 6. explicans modum quo per timorem Domini declinatur à malo: *Dico* (inquit) *quòd timor est principium remotum: quia ex hoc quòd pœnam timet, desistit ab actione peccati, sed nondùm justificatur; sed post incipit moveri in Deum per amorem. Et tunc justificatur. Et sic timor est principium remotum; amor verò propinquum.*

1494 Membro 7. dicit, quòd conversio ad Deum ex toto corde requiritur ad sufficientem contritionem, quòdque (ut V. Beda ait) *veraciter pœnitere est ex toto corde converti ad Deum; ita quòd anima, secundùm totalitatem liberi arbitrii, vertatur in Deum, secundùm rationem & voluntatem.*

Q. 18. m. 4. a. 4. §. 7. Quando attritus confitetur, & credit se esse contritum, illa confessio non est dicenda signum mendax... licèt ex parte confitentis defuit dispositio sufficiens absolutioni.

1495 Q. 21. m. 1. *In forma absolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum judicativum. Deprecatio gratiam impetrat, & absolutio gratiam supponit. Numquam enim Sacerdos absolveret quemquam, de quo non præsumeret quòd esset absolutus à Deo.* Et infrà: *Potestas clavium benè potest se extendere ad culpam per modum deprecantis & impetrantis absolutionem, sed per modum impertientis nequaquam.* Infrà: *Ad illud quod objicitur: quòd Sacramentum Pœnitentiæ est contra peccatum actuale. Dicendum, quòd Sacramentum Pœnitentiæ accipitur prout comprehendit rem interiorem, scilicet contritionem, per eum modum, per quem in perfectione pœnitentiæ tria concurrunt, scilicet contritio, Confessio, satisfactio.*

S. Thomam dabimus §. sequenti.

S. BONAVENTURA.

S. Bonaventura in 3. dist. 34. q. 1. n. 59. *Timor servilis est donum Spiritûs sancti.... propter illum timorem cessat homo à peccatorum perpetratione, licèt non omninò cesset à voluntate.* Quia, ut n. 65. ait, *cum eo voluntas peccandi manet in habitu & radice.* 1496

In 4. dist. 14. a. 1. q. 3. investigans naturam seu essentiam virtutis pœnitentiæ, postquam dixit eam cognoscendam per actus formales & primarios illius, subjungit, quòd pœnitentiæ actus (sine quo *non est salus peccatori adulto*, ut infrà dist. 17. dicit) *est detestari culpam, sive peccatum, quia est Dei offensivum; & hoc in reconciliationem, sive emendam.* Et infrà: *Pœnitentia detestatur peccatum, quia Dei offensivum, ut ei reconcilietur, & emendet. Et hoc facit secundùm se*, id est ex officio. 1497

Ibidem a. 2. q. 2. *Pœnitentia dicitur timore concipi, potiùs quàm generari. Quia pœnitentiæ virtus concipitur per dispositionem suscipiendi eam.* At verò *generare est efficientis & principii effectivi; sed concipere .... receptivi .....* *Ex hoc patet quòd pœnitentia concipitur timore servili, nec est inconveniens, quia conceptio ista non est per productionem in esse, sed per dispositionem & præparationem. Et ideò non oportet quòd pœnitentia sit cum timore servili; sed sufficit quòd timor præparet ad pœnitentiam.* Ibid. a. 3. q. 3. *Agere pœnitentiam, sive dolere de culpa commissa, est dupliciter, aut propter læsionem naturæ, aut propter offensam Majestatis divinæ, & ipsius justitiæ. Primam pœnitentiam super culpa commissa habere quis potest ex sola natura, sine aliqua gratia. Sicut enim homo naturaliter se diligit; ita etiam odit omne propter quod malum incurrit. Et hæc pœnitentia est in malis... Sed in hac vivit & regnat mala voluntas. .... Et ideo Deus eam non acceptat, nec quis sic pœnitens invenit gratiam, vel veniam. Alia est pœnitentia, quâ quis pœnitet propter Dei offensam... Et hæc disponit ad gratiam*, &c.

Et dist. 16. a. 1. q. 2. *Si loquamur de pœnitentia, ut est virtus, cujus actus est contritio* (*cujus est omne malum detestari, sub ea ratione quâ est Dei offensivum, & quia commissum contra Deum*, ut ibidem) *necesse est quòd præcedat baptismum in adulto, qui habet actuale peccatum.* 1498

Et dist. 17. q. 4. *Contritio non est necessaria secundùm quod est pars Sacramenti, sed secundùm quod est actus pœnitentiæ virtutis. Et illa est prima virtus, sine qua non est salus peccatori adulto.*

Ibidem a. 2. q. 3. dicit quòd *in timore servili vivit voluntas peccandi.*

Dist. 18. a. 2. q. 1. eadem verbotenùs tradit quæ Alensis suprà num. 1495. 1499

Dist. 20. inter explicandum litteram Magistri, agens de pœnitentia sacramentali (ut ex titulo constat) dicit quòd Dei invocatio à pœnitente *potest venire ex duplici principio, scilicet ex timore pœnæ, vel ex amore divinæ misericordiæ. Primum est servitutis; & hanc invocationem Dominus non exaudit. Secundum est filiationis & veritatis; & hanc invocationem exaudit.*

In specul. animæ c. 3. *Est autem timor servilis, cùm quis, ut servus, dimittit malum facere, non propter dilectionem, sed propter pœnæ timorem.* Qui quidem *timor semper cum mortali peccato est* (utpote insufficiens ad delendum reatum ipsius) *scilicet cùm quis dimittit peccatum facere solummodò ratione pœnæ.* Quia, ut ait in lib. de 7. donis Spir. Sanct. c. 1. *timor servilis non mutat voluntatem in bonum, licèt criminis impediat executionem.* 1500

VINCENTIUS BELLOVACENSIS.

Vincentius Bellovacensis specul. moral. l. 3. p. 1501

10. dist. 2. *Pœnitentia est reversio hominis, in peccato existentis, ad Deum. Unde oportet aliquid præcedere ad cognitionem peccati & Dei; & hæc est fides informis. Aliquid verò retrahens ab amore peccati, & hoc est timor pœnæ quæ sequitur peccatum. Aliquid verò inchoans in amore Dei; & hæc est spes informis. Quia ergo per timorem inchoatur motus recedendi à peccato ad Deum, ideò ei attribuitur pœnitentiæ conceptio, non generatio, & primum initium, sed imperfectum... Concipitur ergo pœnitentia timore... non filiali, vel casto (quia isti pœnitentiam non præcedunt) sed servili, tamquam initio extrinseco, non intrinseco... tamquam causa ejus in fieri, non in facto esse.*

1502 Et dist. 5. agens de qualitatibus pœnitentiæ: *Sciendum* (inquit) *quòd ad hoc quòd sit salutifera requiritur primò... sextò fieri debet ratione divinæ offensæ... non tantùm propter timorem gehennæ... Peccator enim principaliter pœnitere debet de hoc quòd offendit Deum: secundariò dolere potest & debet quòd meruit inferni supplicium.*

ROBERTUS DE SORBONA.

1503 In tract. quem inscripsit, *Iter Paradisi* (extat in Biblioth. PP. to. 5.) *Quantumcumque de peccato doleas finaliter propter hoc quòd scis te damnandum, & consecuturum mortem inferni per peccatum tuum, etsi rogaveris Deum ut tui misereatur, non exaudiet, licet bona infinita propter hoc facias; sed poterit tibi dicere, vade in infernum, ut accipias ibi mercedem tuam.*

RICHARDUS DE MEDIA VILLA.

1504 In 4. dist. 17. a. 1. q. 5. ad 3. dicit: *quòd magnitudo doloris.... in voluntate est.... displicentia peccati, quæ si sit informis, est attritio: si formata sic est contritio. Sed non formatur de lege communi, nisi sit maxima in comparatione aliorum dolorum. Quia quanto magis debet aliquid placere, tanto ejus oppositum debet ei magis displicere. Summum autem bonum, à quo separatur homo per peccatum mortale, magis debet placere, quàm omnia alia bona. Et ideo major esse debet displicentia de quocumque mortali peccato, quàm de quocumque alio malo.* Major proinde de malo culpæ, quàm de malo pœnæ. Qualis esse nequit ex solo motivo timoris pœnæ. Et ideò q. 8. *Dolor* (inquit) *essentialis pœnitentiæ... est voluntatis displicentia, quâ sibi displicet peccatum, in quantum peccatum, sive in quantum est transgressio legis divinæ. Et hæc displicentia directè causatur ex charitativa Dei di-*
1505 *lectione.* Et dist. 20. a. 1. q. 1. *Tunc est pœnitentia digna, cùm pœnitens efficaciter dolet de præteritis, & proponit cavere à mortalibus futuris, & confiteri verè, & satisfacere pro posse. Et quòd ad hæc omnia principaliter moveatur per amorem bonitatis divinæ. Hos autem omnes motus habere difficilè potest, qui in hora mortis incipit pœnitere.* Unde *est.... difficultas habendi veram pœnitentiam illi qui usque tunc noluit pœnitere.*

JOANNES BROMIARDUS ORD. PRÆDICAT.

1506 In Summa prædicantium verbo *Confessio* a. 11. *si confitens non est in charitate, quomodo posset absolvi?* Verbo *contritio* a. 3. *ad hoc ut contritio sit utilis ad salutem* (etiam in Sacramento, ut patet ex contextu) *tres requiruntur conditiones, videlicet quòd sit vera.* 2°. *quòd sit integra, seu universalis.* 3°. *quòd sit stabilis; sine proposito recidivandi.* Quas conditiones explicans, *Secunda* (inquit) *debet esse generalis ex toto corde, exemplo illius qui propriâ negligentiâ amittit rem magni pretii: cum dolore cogitat omnia commoda rei amissæ, & pro omni ejus bonitate aggravat in cogitatione sua novum dolorem, considerando quòd illud, quod amisit, sit infinitæ bonitatis, & in infinitum si posset, dolere deberet, & hoc est ex toto corde.* Et infrà: *Requiritur ut ideo doleat, quia Deum offendit, sicut patet per Innocentium de pœnit. & remiss. suprà cap. omnis utriusque.* Et adhuc infrà: *Pro certo, quando timore mortis, vel pœnarum dimittit, vel cogitat peccata dimittere, vel ablata restituere, non mutando istam cogitationem, & voluntatem timoris in voluntatem amoris, non salvabitur. Quia talis timor non est in charitate. Quia de tali sequitur in bona consequentia: dimittit timore pœnæ: ergo si pœnam non timeret, non dimitteret. Quia à distinctione causæ, unicæ & adæquatæ sequitur distinctio effectûs.* Et a. 5. *Cui Deus aperit januam Ecclesiæ triumphantis in contritione, huic debet Confessor aperire Ecclesiam militantem in absolutione.* Verbo *timor* a. 2. *timor filialis custodit cor à peccato, & à latronibus inferni.* 1507 *Timor verò servilis est quasi janitor juxta portam depictus, cum baculo in manibus, quasi formido, minando, quasi inimicos arcere vellet, & expellere, sed neutrum facit. Sic timor servilis non præservat cor à peccato, nec peccatum expellit.... Ergo secum compatitur peccatum, & per consequens non excludit. Quia voluntas peccandi intùs latet. Et sic licèt excludat actum peccati; non tamen peccatum.* Et in Trivio, verbo *pœnitentia sera: quidquid tardè pœnitens facit in carcere infirmitatis, sive confitendo, sive testamentum condendo, plus facit timore pœnæ, quàm amore justitiæ: Et ideò sicut prædicta non valent quoad mundum; ita nec ista valent quoad Deum.... Et ideo à tali perit confessio.* Eccli. 17.

GUILIELMUS PERALDUS.

In Sum. virt. lib. 1. p. 4. tr. 5. loquens de ti-1508 more servili, quo propter timorem gehennæ continet se homo à peccato, dicit (cum Augustino) quòd non excludit omnem voluntatem peccandi, sed cum eo *vivit peccandi voluntas.* Et in Sum. vitior. l. 2. tr. 5. p. 2. c. 5. ad ostendendam fatuitatem differentium suam conversionem usque ad mortem, inter alias rationes hanc reddit, quòd talis exponit se periculo discedendi ex hac vita sine charitate, *sine qua nemo potest Paradisum intrare. Nam frequenter evenit, quòd ille qui credit cum charitate discedere, discedit cum sacco servilis timoris, cum quo aulam cœlestis Regis non poterit intrare. Unde legitur Esther 4. quòd non erat licitum, indutum sacco aulam Regis intrare.* Et ideò confessionem, quæ fit morte urgente, dicit non esse pretiosam Deo. *Est enim velut confessio latronum. Latrones enim non solent confiteri mala sua, nisi prius tormentis interrogati fuerint, & nisi mortem sibi paratam viderint.*

§. III.

Ex eodem sæculo XIII. specialia, eaque perspicua, exhibentur testimonia S. Thomæ Aquinati.

QUia non desunt juniores Thomistæ, sanctum 1509 Thomam proferentes pro opinione propugnante sufficientiam attritionis merè formidolosæ, & iis calculum suum nuper adjunxit doctissimus Baptista Gonet de pœnit. disput. 7. Ideò visum speciali hoc paragrapho pluribus, iisque perspicuis Angelici Doctoris testimoniis demonstrare, quàm alienus sit ab ista opinione, totusque pro assertione requirente amorem Dei propter se, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ.

Itaque S. Doctor in 4. dist. 20. q. 1. ad 1. *Antiochus* (inquit) *non habuit veram pœnitentiam* (sine qua nullus hodie in Sacramento Pœnitentiæ justificatur) *quia non amore justitiæ de peccatis commissis dolebat; sed timore pœnæ, quam expectabat.*

In 4. ad Hannibald. dist. 20. q. unic. a. 1. *Veritas pœnitentiæ in fine vitæ non manifestatur. Incertum est enim utrùm taliter pœniteat ex solo timore pœniteat, vel ex amore Dei, qui ad veram pœnitentiam requiritur.*

Lib. 3. contra Gent. c. 157. *Offensa Dei non-*

nisi per dilectionem Dei tollitur. Et c. 158. *Necessarium est quòd homo à peccato resurgens, & de præterito peccato pœniteat, & futura vitare proponat. Si enim homo non proponeret desistere à peccato, non esset peccatum* SECUNDÙM SE *contrarium voluntati.* Vult ergo necessarium esse, quòd *peccatum* SECUNDÙM SE *contrarium sit voluntati.* Cui non est contrarium secundùm se, sed secundùm quod infert pœnam dumtaxat, dum homo de eo pœnitet præcisè propter pœnam.

1510 Lib. 4. contra Gent. c. 72. expressè agens de necessitate pœnitentiæ sacramentalis, & partium ejus: *Primum* (inquit) *quod in pœnitentia requiritur* (expressè loquitur de sacramentali) *est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur à peccato. Hæc verò reordinatio mentis sine gratia esse non potest. Nam mens nostra debitè ad Deum converti non potest sine charitate* (nota) *charitas autem sine gratia haberi non potest.*

1511 Quæst. 28. verit. a. 3. in argum. *sed contrà: justificatio impii non fit sine charitate.* Et in corp. *sicut in corporalibus, sic in spiritualibus, ad actionem agentis in passum, requiritur mutuus contactus inter agens & patiens. Mens autem humana quodammodo tangit Deum, cognoscendo & amando. Unde in adultis, qui possunt Deum cognoscere & amare, requiritur* (ad justificationem) *usus liberi arbitrii, quo Deum cognoscant & ament* (amore charitatis, seu Dei propter se, uti expressit in argum. *sed contrà*) *& illa est conversio ad Deum, de qua Zachar. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Hoc Scripturæ loco, non minus quàm simili Ezech. 18. *Convertimini*, &c. cùm rectè probetur necessitas pœnitentiæ, etiam cum Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ (cam quippe ex isto Ezech. 18. Tridentinum probat sess. 14. c. 1.) S. Thomas non loquitur de solis requisitis ad conversionem extra Sacramentum.

Pergit S. Doctor a. 4. in corp. *motus liberi arbitrii in Deum ad justificationem requiritur.* Quis motus? *charitatis* (inquit) *fidei & spei. Oportet enim ad justificationem in Deum converti, amando cum spe veniæ.* Et ad 5. *motus charitatis in Deum requiritur.* Et art. 5. *ad justificationem simpliciter requiritur conversio hominis per liberum arbitrium in causam justificantem, quæ est motus liberi arbitrii in Deum. Sed super hoc in justificatione impii requiritur quòd convertatur ad detestationem peccati præteriti. Sicut autem conversio in Deum, fit per hoc, quòd cognoscit homo Deum per fidem, & amat..... Ita oportet quòd conversio liberi arbitrii in peccatum, fit per hoc, quòd homo se peccatorem recognoscat, & peccatum præteritum detestetur ex dilectione Dei*, uti declarat ad 1. *motus dilectionis in Deum requiritur in justificatione impii.*

1512 Primâ secundæ q. 107. a. 1. ad 2. *lex vetus dicitur cohibere manum, non animum: quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus qui amore justitiæ abstinet à peccato.* Et propter hoc lex nova, *quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere.* Et q. 113. agens de requisitis ad justificationem per singulos articulos ea quærit & resolvit quæ tam in Sacramento quàm extra Sacramentum procedunt. Postquam igitur a. 1. & 2. egit de requisitis ex parte Dei. a. 3. & deinceps agit de requisitis ex parte hominis. Et articulo illo tertio quærit utrùm ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii? & affirmativè resolvit, loquendo de adultis. In responsione ad 1. palàm ostendens se agere de justificatione tam intra quàm extra Sacramentum. Quis autem liberi arbitrii motus requiratur, in sequentibus declarat articulis. Utique a. 4. quòd requiratur motus fidei. Et ad 1. quòd *cum motu fidei, est etiam motus charitatis.* art. 5. quòd requiratur motus liberi arbitrii in peccatum: quia *oportet quod in justificatione impii, sit motus liberi arbitrii duplex: unus quo per desiderium tendat in Dei justitiam; & alius, quo detestetur peccatum.* Quorum utrumque ad 1. ideò dicit esse actum charitatis: *quia ad eamdem virtutem pertinet, prosequi unum oppositorum, & refugere aliud. Et ideo sicut ad charitatem pertinet diligere Deum; ita etiam detestari peccata, per quæ anima separatur à Deo.* Quod hac ratione confirmat art. 7. ad 2. *propter hoc enim homo detestatur peccatum; quia est contra Deum, cui vult adhærere.* Et art. 8. *propter hoc enim ille qui justificatur, detestatur peccatum, quia est contra Deum.*

Ibidem a. 10. in corp. *est iste communis & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primò quidem conversione imperfectâ, ut postmodùm ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata* (nota benè) *meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut Aug. dicit.* Quæ ratio vel extra scopum adfertur, vel probat in *communi & consueto* cursu justificationis, adeòque in Sacramento opus esse conversione ad Deum per charitatem *inchoatam* seu imperfectam.

Tertiâ parte q. 84. a. 5. agens de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, ad 2. ait, quòd *ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides & misericordia, non liberant hominem à peccato suo sine pœnitentia. Requirit enim charitas, quòd homo doleat de offensa in amicum commissa*, &c.

Et a. 10. agens de pœnitentia sacramentali (ut constat ex titulo articuli) dicit, quòd *ad veram pœnitentiam charitas requiratur, sine qua non delentur peccata.*

Et q. 85. a. 2. ad 1. *Displicentia peccati præteriti* (quæ haud dubiè requiritur in pœnitentia, etiam sacramentali) *immediatè ad charitatem pertinet.*

Art. 3. *Odium vitiorum* (quod etiam secundùm Tridentinum requiritur ad pœnitentiam sacramentalem) *pertinet ad charitatem.*

Art. 5. enumerans *actus quibus* Deo operanti in pœnitentia cooperamur, dicit quòd *primum eorum principium* est *Dei operatio convertentis cor... Secundus actus, motus fidei. Tertius, motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus, motus spei.... Quintus, motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm seipsum, & non jam propter supplicia.* Atqui actus quo peccatum displicet secundùm seipsum, est de ratione pœnitentiæ, etiam sacramentalis. Ergo *motus charitatis*, juxta S. Doctorem, est de ratione pœnitentiæ, etiam sacramentalis. Enimverò tota illa quæstio 85. est *de Sacramento Pœnitentiæ secundùm quod est virtus*, prout præ se fert titulus ipsius. Et articulo illo 5. de eadem pœnitentia agitur, de qua a. 6. uti constat ex argumento *sed contrà* ejusdem, ubi sic: *Sed contrà est quòd pœnitentia procedit ex fide, spe & charitate, ut jam dictum est*, articulo utique 5. proximè præcedente, qui citatur in margine. In corpore verò articuli 6. S. Doctor agit de pœnitentia, etiam sacramentali. Dicit enim ibi, quòd *actus pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei.* Sine actu autem pœnitentiæ non fit remissio culpæ, etiam in Sacramento Pœnitentiæ, uti expressè docet q. 86. a. 6. ad ult. argum. Quo cùm objiceretur, quòd *remissio culpæ non est effectus pœnitentiæ, in quantum est virtus, sed in quantum est Sacramentum.* Respondet, quòd *actus pœnitentiæ virtutis habet, quòd sine eo non possit fieri remissio*; eò quòd sine eo non sit Sacramentum Pœnitentiæ.

Præterea citato art. 5. S. Doctor ad 1. ait, quòd 1513

peccatum prius incipit homini displicere propter supplicia (quæ respicit timor servilis) quam propter Dei offensam.... quod pertinet ad charitatem. Est autem de ratione veræ pœnitentiæ, quòd peccatum displiceat propter Dei offensam, prout constat allatis, & proximè adferendis S. Doctoris testimoniis.

1514 Quæst. 86. a. 3. *Requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Quid clarius? quid expressius? Neque enim S. Doctor id dicit de sola pœnitentia *perfecta* (quæ justificat sine Sacramento reipsà susceptò) sed de pœnitentia *vera*, prout abstrahit à perfecta & imperfecta. Quod triplicitèr ostendo. Primò, quia non dicit: *Requiritur ad rationem pœnitentiæ perfectæ; sed ad rationem pœnitentiæ veræ.* Qualis esse debet pœnitentia etiam sacramentalis. 2°. quia agit de pœnitentia, sine qua art. 2. dixit, impossibile esse peccatum mortale actuale remitti. Possibile est autem peccatum mortale actuale remitti sine pœnitentia perfecta. 3°. quia quæstio & resolutio citati articuli tertii (prout & reliquorum articulorum ejusdem quæstionis 86.) procedit de pœnitentia, prout abstrahit à perfecta & imperfecta „ sacramentaliterque & extrasacramentaliter justificante. Postquam enim a. 2. generaliter resolvit, peccatum remitti non posse sine pœnitentia, secundùm quod est virtus (ne quidem in Sacramento, cujus expressam mentionem facit ad primum) sequenti art. 3. dicit, *unum peccatum* (puta mortale) *sine alio remitti non posse.* Quæ resolutio cùm æquè generaliter procedat, quàm præcedens, tam (inquam) in Sacramento, quàm extra (neque enim unum mortale sine alio magis remitti potest in Sacramento, quàm extra) per consequens tres rationes, quibus id probat, generaliter procedunt, tam in Sacramento, quàm extra. Quod cùm Adversarii fateantur de prima & tertia ratione; sine inconsequentia diffiteri non possunt de secunda. Cujus vel sola sub oculos subjectio id manifestum facit. Secunda quippe ratio, quâ S. Doctor probat, impossibile esse, unum peccatum mortale sine alio remitti, est *quia, sicut offensum est* (articulo utique præcedenti) *peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti* (quòd absque controversia generaliter verum est, sive in Sacramento, sive extra) *ad quam pertinet detergere peccatum, in quantum est contra Deum.* Quod quidem commune est omnibus peccatis mortalibus... Unde non *potest esse verè pœnitens* (nec intra nec extra Sacramentum) *qui de uno pœnitet, & non de alio.* Quod hâc ratione probat: *Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum* (*quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ,*) *sequeretur quòd de omnibus peccatis pœniteret.* Quæ ratio, seu probatio, non magis limitanda est, quàm ipsa propositio probata. Quæ illimitata est, generaliterque procedit, ut vidimus. Attento proinde toto contextu, luce meridianâ clarius est, quòd ad rationem veræ pœnitentiæ, sine qua mortale remitti non potest, nec intra, nec extra Sacramentum, & sine qua nequit, etiam in Sacramento, esse verè pœnitens, qui de uno pœnitet, & non de altero, juxta S. Doctorem requiritur, ut peccatum displiceat, *quia est contra Deum super omnia dilectum.*

1515 Denique lect. 3. in cap. 12. epist. ad Hebr. docet, non esse pœnitentiam veram, *dum aliquis pœnitet, non propter amorem justitiæ, sed propter timorem pœnæ.* Et ibidem lect. 1. in cap. 1. *Non est justus, qui non amat justitiam.*

§. IV.

A seculo 14. ad 15. referuntur Scotus, Paludanus, Franciscus Mayro, Guilielmus de Rubione, Ludolphus de Saxonia, Joannes de Burgo, Joannes Taulerus, Marsilius ab Inghen, Dionysius Cisterciensis, Ruisbrockius, Guido de Monte Rocherio.

OB rationem num. 1527. proferendam. Scotum cum suis dabimus speciali §. sequenti. Guidonem de Monte Rocherio dabimus §. 7.

Paludanus.

Paludanus in 4. dist. 17. q. 1. generaliter & absque exceptione dicit, quòd ad justificationem impii requiruntur quatuor, scilicet *motus liberi arbitrii in peccatum, detestando.* 2°. *motus liberi arbitrii in Deum, super omnia diligendo.* 3°. *gratiæ infusio.* 4°. *peccati remissio.* Tria verò reliqua secundùm ipsum requiruntur etiam in Sacramento. Ergo & secundum. Et ideò attritionem à contritione ibidem non diversificat specie. *Attritio* (inquit) *& contritio differunt dupliciter. Uno modo ex parte liberi arbitrii: quia dolor imperfectus dicitur attritio; dolor verò perfectus dicitur contritio.* 2°. *ex parte Dei: quia dolor gratiâ informatus dicitur contritio... dolor verò, qui non est gratiâ informatus, attritio.* Unde *unus actus secundùm speciem* de attritione fit contritio, *sicut de manè fit meridies.* 1516

Franciscum de Mayronis §. sequenti dabimus cum reliquis Scoti discipulis.

Guilielmus de Rubione.

In 4. dist. 20. dicit, quòd *attritio habita tantùm ratione pœnæ, non est perfecta, nec vera, seu sufficiens ad salutem.... Quia nec sic pœnitens dicitur propriè conversus. Licèt enim de peccato dolens, sit à peccato aversus; non tamen ad Deum conversus, nisi ejus amore attritus.* 1517

Ludolphus de Saxonia.

Doctissimus iste Carthusianus in vita Christi p. 1. c. 20. *Verum* (inquit) *pœnitentiam amor Dei & odium peccati facit.* Et infrà relatis verbis Augustini de non securâ pœnitentiâ eorum, qui soldan in extremis pœnitent, etiamsi Pœnitentiæ Sacramentum accipiant, *ideò* (inquit) *Augustinus dubitat de his qui pœnitent in extremis, quia tales potiùs videntur pœnitere timore pœnæ, quàm amore justitiæ.* Et adhuc infrà post enumeratas tres pœnitentiæ partes, contritionem, confessionem & satisfactionem. Post allatam quoque contritionis definitionem: *est autem contritio dolor voluntariè assumptus pro peccatis.* Subdit: *sed multi gemunt pro peccatis, non quòd peccata eis displiceant propter Deum, sed propter pœnam. Nonnulli etiam pœnitet peccasse pro sola peccati turpitudine.* Hanc non esse veram, seu fructuosam contritionem, manifestè declarat per hanc antithesim, immediatè prosequendo: *fructuosa ergo contritio est, cùm quis de peccato, quo Deum offendit, dolet, & indè turbatur & gemit; quia iniquitas amore justitiæ sibi displicet.* 1518

Joannes de Burgo.

In pupilla oculi p. 4. c. 2. *Oportet in confitente aliquam displicentiam peccati præcedere sacramentalem absolutionem, ut sit actus & suam habeat efficaciam... Hæc displicentia, si sit informis, id est præcedat gratiæ infusionem, dicitur attritio. Si verò concomitetur gratia Dei, dicitur contritio. Est autem dolor voluntariè assumptus pro peccatis, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Ubi by *propeccatis* declarat intelligi, ut offensa Dei sint: *contritio* (inquit) *est displicentia peccati, in quantum est offensa Dei.* Loquitur autem de contritione ut comprehendit attritionem, uti constat ex verbis proximè allatis: *hæc displicentia, si sit informis* (id est præcedat informationem gratiæ) *dicitur attritio. Si verò concomitetur gratia Dei, dicitur contritio.* Unde addit, quòd *attritio potest fieri contritio: quia dolor voluntariè assumptus pro peccatis... quando est imperfectus & informis, propter* 1519

defectum gratiæ sanctificantis, dicitur attritio. Si tamen maneat hujusmodi motus doloris, non interruptus, quousque infundatur gratia gratum faciens, dicitur contritio secundum Thomam. Et magis explicans definitam à se contritionem, utique ut communis est ad perfectam & imperfectam, dicit magis esse debere de peccato ut est contra Deum, quàm ut est contra seipsum; adeòque magis propter Deum, quàm propter pœnam: quia *contritus tenetur ex charitate plus diligere Deum, quàm seipsum. Peccare autem est facere contra Deum; sustinere autem pœnam, est contra seipsum. Ideò debet verè contritus quantumlibet pœnam præligere pati, quàm peccare.*

JOANNES TAULERUS.

1520 Doctor iste illuminatissimus Instirut. c. 1. *Peccator amarâ cordis contritione peccata sua deflere, & cum vero dolore, veroque se emendandi proposito coram Sacerdote.... loco Dei in Confessione sese accusare, & juxta S. Ecclesiæ institutionem pœnitentiæ & satisfactionis injunctionem suscipere, & dignos fructus pœnitentiæ facere debet. Cæterum dolor iste, sive contritio, non ex servili quodam timore, pœnarum videlicet inferni, sive purgatorii, neque ex sensuali dolore, cum amaritudine, seipsum & damnum suum plusquàm Dei injuriam & offensam lugente proveniat (talis enim dolor..... nec unius quidem peccati meretur veniam, quantumlibet etiam magnus sit; eò quod ex vero Dei amore, qui omnis veræ contritionis causa est, & origo, minimè procedat) sed dolor noster, atque contritio, divina prorsus & spiritualis erit, quia videlicet homo, pro peccatis suis dolens, plus omnipotentis Dei, fidelissimi Patris sui, qui ipsum creavit, redemit, ac innumera ei beneficia exhibuit, exhibetque, tam gravem multiplicemque inhonorationem, contemptum & offensam, quàm suum ipsius damnum, ponderet atque deploret.*

1521 Et c. 20 *Mox ut in aliquo te excidisse cognoveris, totis viribus amoroso te ad Deum convertas, idque profunda cum displicentia tui ipsius, & ab omni peccato serio te avertas, minimum illud quod contra Dei gessisti honorem atque beneplacitum, magis quàm omnem illam confusionem, damnum, pœnam, quæ ab illo meruisti, ponderare studeas, atque ad Deum, ut dixi, ex toto amore, cum stabili perpetuoque nunquam deinceps peccandi proposito, te convertas.... Magna quippe dedignatio & displicentia erga nosipsos (cum vero ac serio nunquam peccandi proposito) & amorosa ad Deum conversio, firmaque fiducia, ex amarissimæ Passionis ac immensæ charitatis illius concepta intuitu, vera pœnitentia est.* Vera quippe *contritio, non ex timore servili, sed ex pura Dei dilectione trahit originem*, &c.

RUSBROCKIUS.

1522 Tr. de præcip. quibusd. virtut. c. 11. de duplici contritione: " Est autem duplex contritio. Altera naturalis, vel sensualis. Altera divina, & " supernaturalis. Contritio, quam naturalem dicimus.... potiùs sese, ac damnum suum, quàm " Dei offensam spectat. Itaque licèt unus aliquis " hujusmodi contritionis tantum habeat, quantum simul omnes creaturæ habuerunt, non meretur tamen nec unius saltem peccati veniam. " Quippe quæ ex charitate, quæ omnis veræ contritionis causa est, neutiquam proficiscitur. Divina autem contritio longè aliter se habet. Ea " enim displicere facit homini peccata sua, in eisque magis ponderare ac dolere, quòd displiceat " & peccaverit Deo, quàm sese damno afficerit.... Unde ex charitate, tanquam causa sua, " trahit originem.... Et adfert consolationem, " & spirituale gaudium, ex quo ipsa magis accenditur & inflammatur, quandoque in tantum, " ut perfecta fiat. Interim tamen, qui ad hanc perfectam contritionem pertingere non potest, minimè " desponeat animum.... Si enim tantâ est " contritione præditus, ut se peccasse doleat, velitque ex animo plus se dolere, idque potiùs ob " honorem Dei, quàm jacturam suam, studeatque juxta S. Ecclesiæ instituta pœnitentiam age- " re, omninò confidere potest, Deum peccatis " suis veniam daturum.... Itaque utile sanè ac " salutiferum est, ut dum quispiam sese ad Deum " convertere instituit, sua inspiciat peccata, & " amarâ cordis contritione in Confessione coram " Sacerdote sese accuset, &c. "

MARSILIUS AB INGHEN.

Videri potest in 4. q. 12. a. 2. p. 2. ubi ad fru- 1523
ctuosam absolutionem, perfectam requirit contritionem, ita quòd *Sacerdos pœnitentem priùs à Deo absolutum in contritione de iis criminibus, quæ ei confitetur, absolvit*; &c.

DIONYSIUS CISTERCIENSIS.

In 4. dist. 23. q. 1. a. 1. *Pœnitudo interior est ex* 1524
amore legis & justitiæ, propriæ offensæ detestatio, in effectum vindictæ.... Nisi quis ex amore justitiæ pœniteat, & non tantùm timore pœnæ, nihil sibi prodesset, ut patet per Augustinum, & habetur l. 4. dist. 2. c. 1.

Art. 2. conclus. 1. *Nulla pœnitudo de culpa præcisè ex metu gehennæ est sufficiens ad deletionem culpæ mortalis... Quia in qualibet tali pœnitudine minor est nolitio culpæ, quàm nolitio pœnæ; imò præcisè non est nolitio culpæ, nisi quia est nolitio pœnæ. Ergo subductâ pœnâ, non esset odium culpæ. Non ergo aliquâ tali pœnitudine oditur peccasse, sed potiùs oditur in pœna esse.*

Conclus. 2. " Quælibet pœnitudo, pro mortali 1525
sufficiens, est incomparabiliter magis odium ini- "
quitatis, quàm aliquod ab ipso pœnitente odiatur "
incommodum. Quia tanta est latitudo odii cul- "
pæ (tantitate objectivâ, non intensivâ) quanta est "
latitudo amoris habendi Deum in rectè pœni- "
tente. Sed nulla dilectio commodi potest com- "
pararî illi dilectioni, quâ verè pœnitens amat ha- "
bere Deum. Ergo propter nullum commodum "
amaret, quod odit, puta peccatum. Ergo ma- "
gis odit iniquitatem, quàm diligat commodum, "
& per consequens magis odit iniquitatem, quàm "
incommodum.... Unde sicut pro nullo com- "
modo habendo, vel incommodo vitando, di- "
ligere debet quis iniquitatem; ita nullum incom- "
modum prædire debet, nec potest, veraciter "
pœnitendo. Quia majus esset nolle pœnæ, vel "
incommodi, quàm nolle culpæ. Quod in verè "
& rectè pœnitente esse non potest. "

Conclus. 6. " Quælibet pœnitudo ad deletio- "
nem mortalis culpæ sufficiens, est magis dile- "
ctio justitiæ, quàm odium iniquitatis. Proba- "
tur, quia in qualibet tali operatione oditur cul- "
pa propter amorem justitiæ. Ergo per regulam "
posteriorum, propter quod unumquodque tale "
est, &c. "

Q. 2. a. 1. " Pœnitentia sacramentalis est abso- 1526
lutio ministerialis super viatore, sponte propter "
odium culpæ, se de culpa accusante, & pœni- "
tente, lata à Sacerdote jurisdictionem habente, "
&c. Hæc descriptio claudit omnia necessariò "
requisita tam ex parte Confessoris, quàm ex "
parte pœnitentis.... Ex hac descriptione facili- "
ter cognoscitur, quid sit confiteri sacramentali- "
ter. Quia est viatorem, coram Judice compe- "
tente, & in foro competenti, se sponte accu- "
sare de culpa præterita, in odium culpæ, ob "
amorem justitiæ, cum voto satisfaciendi. "

§ V.

Ex eodem sæculo 14. specialiter refertur Scotus, cum Discipulis suis.

ANno 1686. Montibus Hannoniæ R. P. Ful- 1527
gentius Notaü, Ord. Minorum Recollecto-

rum S. Theol. Lector, publicæ disputationi Conclusiones Theologicas exposuit de injuriis & restitutione. Ad quarum calcem adjecit Appendicem hoc titulo: *Scotus vindicatus, cum Discipulis suis, à sententia requirentium attritionem ex motivo amoris Dei propter se.* Ubi contendit, nec Scotum nec magnam partem Discipulorum ejus pro ea stare sententia, sed pro contraria, quæ contenta est attritione purè formidolosâ.

1528 Sed mihi post accuratissimè lectos & perlectos Scotum, & præcipuos primosque Discipulorum ipsius, Joannem de Bassolis, Franciscum de Mayronis, Almainum, S. Bernardinum Senensem, Guilielmum Vorillonem, Nicolaum de Nyse, Nicolaum de Orbellis, Bernardinum de Bustis, Angelum de Clavasio, Rosellam, Armillam, Petrum Tartaretum, Brianssonum, Melchiorem Flavium, Joannem Ferum, Josephum Anglez, Thomam Herentalinum, Pelbartum de Themiswar, Baptistam Trovamala, Joannem Roffensem, Stephanum Bruliferum, Franciscum Panigarole, Conradum Klingium, Thomam Illyricum, Didacum Stellam, Philippum Bosquier, Petrum Posnaniensem, Joannem à Daventria, Alphonsum à Castro, Fabrum Faventinum, Antonium Hiquæum, Joannem Pontium, Laurentium Cardinalem de Lauræa: mihi (inquam) post illos omnes accuratissimè perlectos, omninò videtur, & Scotum, & laudatos Discipulos ipsius, adeòque magnam & præcipuam Discipulorum ejus partem, requirere contritionem, vel attritionem ex motivo amoris Dei propter se. A quibus dum in hoc puncto discedunt Frassen, Boyvin, Marchant, Herinx, Bosco, Sichen, & illi moderni, quorum Theses refert R. P. Fulgentius Notaü, videant an veri Scotistæ sint, verique Successores primorum & præcipuorum Discipulorum ipsius.

S c o t u s.

1529 Scotus itaque in 4. dist. 14. q. 1. *Oportet* (inquit) *quòd pœnitentia sit actus ordinatus, & maximè ex circumstantia finis.... id est ex dilectione Dei.*

Et q. 2. in fine: *Pœnitentia non est vera, quantùm ad finem pœnitentiæ attingendum*, id est quantùm ad deletionem peccati mortalis, *sine charitate.* Pro quo allegat illud Augustini: *sine charitate non potest esse vera pœnitentia.* Allegat & illud ex lib. de ver. & falsa pœnit. *sine amore Dei nullus consequitur veniam.* Quæ omnia Scotus approbat, exponitque de pœnitentia salutari & fructuosa.

Et dist. 20. q. un. *Pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis, vix est vera pœnitentia, sufficiens ad salutem* (sive intra, sive extra Sacramentum, ut liquidum est ex contextu) *quia difficile est tunc habere veram pœnitentiam.*... Primò quia tunc impeditur liber usus rationis & voluntatis, ex vehementi dolore infirmitatis, & ex timore mortis: *actus autem displicentiæ de peccato, ad hoc quòd sit sufficiens ad veram pœnitentiam, sive intrinsecam solam, sive ad dignam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ* (loquitur ergo de pœnitentia sufficiente tam intra quàm extra Sacramentum) *requirit liberum usum rationis & voluntatis.* Secundò *ad hoc quòd displicentia valeat, & sit ordinata, oportet quòd sit debitè circumstantionata, & maximè circumstantiâ finis, & principii activi principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum. Sed difficile est tunc habere actum sic circumstantionatum. Quia usque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc à seipso impetrare displicentiam novam, nisi timore pœnæ imminentis. Præsumitur enim quòd si remotus esset à pœna, sicut priùs, non extorqueret à seipso istam displicentiam, sicut nec priùs. Tum quia saltem aliquid simpliciter involuntarium videtur causa istius displicentiæ. Nam expectatio mortis videtur causa istius displicentiæ. Illa autem est involuntaria, & quod non fit nisi ex suppositione cujusdam involuntarii, non est simpliciter voluntarium. Sicut non omninò voluntariè projicit quis merces in mare, si non projicit nisi ex suppositione cujusdam periclitationis, quam nollet. Saltem quod non est nisi sic voluntarium, non est multùm acceptum alii, nec multùm videtur propter amorem ejus factum. Hanc rationem tangit Augustinus in littera: oportet non solùm timere Judicem, sed diligere. Arbitris enim libertatem requirit, ut delere possit commissa; non necessitatem. Charitatem, non timorem. Non igitur timeat pœnam qui pœnitet, sed anxietur pro gloria.* Unde ibidem n. 7. concludit, *infirmo jam ad articulum mortis deducto suadendum esse, ut secundùm suam possibilitatem laboret ad pœnitentiam ordinatam, ut scilicet, non obstante dolore, vel timore, utatur ratione, quantùm potest, & nitatur habere displicentiam voluntariam propter finem debitum, scilicet propter Deum.*

Ex his verbis Doctoris subtilis, sicut & ex illis 1530
quæ refert & approbat velut Augustini, manifestum videtur, quòd nemo voluntariam, Deoque acceptam pœnitentiam agat, qui ex solo pœnæ timore, non ex amore Dei pœnitet. 2°. Deum Judicem (secundùm Doctorem subtilem) non solùm timendum à reo, ut cum ipso redeat in gratiam, sed & amandum, & propter se amandum. Requirit enim Scotus ad pœnitentiam ipsius, ut sit debitè ordinata, & circumstantionata, & maximè circumstantiâ finis, *ut scilicet sit voluntaria propter Deum, & propter amorem ipsius facta.* Et quis amor verbis istis ad litteram significatur, nisi amor Dei propter se? Cui dubium, amare Deum propter se, qui voluntariè dolet & facit aliquid propter Deum? Ut enim Augustinus l. 1. de morib. Eccles. Cath. c. 9. explicans verba ista: *propter te morte assumimur totâ die: charitas* (inquit) id est amor Dei propter se, *non potuit* illo verbo *significari expressiùs, quàm quo dictum est propter te.* Neque ullum ea de re dubium reliquit Doctor subtilis, dum requisivit *disciplinam voluntariam propter Deum.* Quid enim est ly *propter Deum*, nisi *ex contemplatione Dei*? Displicentiam autem seu detestationem peccati ex contemplatione Dei, dist. 14. q. 2. n. 17. confundit cum displicentia ex charitate, seu amore Dei propter se: *quandoque ex charitate, sive ex contemplatione Dei, statim inest quædam displicentia peccati, &c.*

Similia Doctor subtilis rursum habet in Re- 1531
portatis ad dist. 20. quarti Sententiarum, ubi quatuor adducens rationes propter quas suspecta & periculosa est pœnitentia, ad finem vitæ dilata, secundam petit à timore, totum hominem tunc occupante, ex quo concepta pœnitentia non est dispositio sufficiens ad gratiam, utpote ad quam *oportet quòd sit voluntaria detestatio, & debita circumstantia finis, quòd homo non solùm pœniteat propter timorem pœnæ, sed timore filiali* (quem constat non esse sine amore casto Dei propter se) *sed difficile est tunc dolere nisi ex timore solùm; & si non sit cum amore* (utique filiali) *non dispositio congruo. Ideò difficile est.* Quod deinde confirmat sic: *quem verè pœnitet, oportet non solùm timere Judicem, sed & justum diligere, &c. inquit Augustinus* de ver. & falsa pœnit. c. 17.

At (inquis) Scotus in 4. dist. 20. sufficienter 1532
insinuat, se non loqui de amore Dei propter se, sed de amore concupiscentiæ, cùm ait: *non igitur timeat pœnam qui pœnitet, sed anxietur pro gloria.* Sed quis non filius ex amore filiali optat esse in gloria Patris sui? Quid est anxiari pro gloria, nisi amare Deum ut summum nostrum bonum, ut finem nostrum ultimum, &c.? Qui verò Deum amat ut summum nostrum bonum, &c. amat Deum propter se; cùm ipsum amet non propter aliud,

liud, sive non propter aliquid ab eo distinctum. Igitur vana est objectio; neque per verba objecta Scotus retractat, vel aliò distorquet, quod tam perspicuè antè expressit. Et licèt dist. 20. agat de pœnitentia quæ agitur in extremis; occasione tamen istâ agit de requisitis ad veram pœnitentiam, nec dubium est veram pœnitentiam, quocumque tempore actam, esse debere ordinatam, & debitè circumstantionatam, maximè circumstantiâ finis, &c. Denique non agit de sola pœnitentia perfecta. Cùm de ea etiam agat, quæ requiritur *ad dignam susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ*. Et quamvis concluf. 2. explicitè Sacramenti non faciat mentionem, uti conclusione primâ. Facit equidem implicitè: secunda quippe conclusio ipsius, hæc utique: *pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis, vix est vera pœnitentia*, &c. vera non foret, nisi procederet de pœnitentia, etiam quæ sit cum susceptione Sacramenti. Neque enim rarum, imò nec difficile (ob copiam Sacerdotum) tunc suscipere Sacramentum. Rarum tamen & difficile pronuntiat Scotus, tunc pœnitere sicut oportet, sive cum Sacramento, sive, sine Sacramento. Quia rarum est quòd aliquis habeat dispositionem de congruo, sive ad veniam impetrandam ante actualem susceptionem Sacramenti, sive ad *dignè suscipiendum ipsum Pœnitentiæ Sacramentum*. Denique Scotus dist. illâ 20. non loquitur ut suprà propter aliquod præceptum, seu contritionis, seu charitatis, specialiter obligans in morte, non extra. Neque enim de isto speciali præcepto vel minimam facit mentionem; sed difficultatem veræ pœnitentiæ in extremis unicè fundat in generaliter requisitis ad veram pœnitentiam. Quæ etiam requirit dist. 14. ubi de sola non agit pœnitentia in extremis. Vana proinde sunt effugia, quibus juniores Scotistæ declinare conantur vim nostri ex Scoto argumenti.

JOANNES DE BASSOLIS.

1533 Magistrum, pro assertione nostra vindicatum, magno agmine sequuntur celebres ipsius discipuli. Joannes de Bassolis (quem tanti fecit Scotus, ut hoc solo discipulo præsente, sufficiens adesse diceret auditorium) in 4. dist. 14. q. 1. a. 3. dicit quòd objectum pœnitentiæ sit peccatum, ut peccatum est & culpa; atque adeò pœnitentiam esse displicentiam de peccato, ut peccatum est. At qui sine actu pœnitentiæ de lege ordinaria non remittitur mortale post baptismum commissum, ut docet ibid. q. 2. a. 2. Ergo sine displicentia de peccato, ut peccatum & culpa est, de lege ordinaria non remittitur mortale post baptismum commissum. Displicentia verò de peccato propter solum timorem pœnæ, non est displicentia de peccato, ut peccatum est & culpa, sed de peccato, ut pœnam inferente præcisè. Non est igitur actus pœnitentiæ, sine quo mortale de lege ordinaria non remittitur. Unde quæstione illâ 2. a. 3. attritionem à contritione non distinguit specie, sed penes intensum & remissum, gratiæque informationem & non informationem dumtaxat. Et infrà: *Puto* (inquit) *quòd cum Sacramento sufficit valdè modica displicentia, comparativè ad illam, quæ sufficit sine Sacramento* (ad quam infrà dicit) *quòd requiritur multa, magna & intensa, & major vel minor, secundùm majorem vel minorem gravitatem peccati; imò puto quòd sufficit cum Sacramento quæcumque displicentia debitè circumstantionata*, 1534 &c. Qualis autem debeat esse displicentia, ad hoc ut sit debitè circumstantionata, fusiùs declarat dist. 20. q. 1. a. 1. his verbis: *Ad hoc ut pœnitentia valeat, oportet necessariò quòd sit debitè circumstantionata, & maximè circumstantiâ finis, quod sit propter Deum.* Et ibidem pœnitentiam propter Deum opponit illi quæ est præcisè propter pœnam, dicens: *Qui usque ad extremum vitæ distulit pœnitentiam, non videtur à seipso extorquere actum istum pœnitentiæ propter Deum, sed magis hoc videtur facere ad vitandum pœnam pro peccato instigendam*; & ideò quòd tunc rara sit pœnitentia rectè circumstantionata: quod confirmat ex Augustino dicente, *oportet non solùm timere Judicem, sed diligere*, &c. Quòd autem pœnitentiam illam debitè circumstantionatam requirat etiam in suscipiente Sacramentum, constat ex textu conclusionis secundæ, necnon ex concluf. 1. ubi sic: *Pœnitentia in extremis debitè circumstantionata moraliter* (talem proinde requirit) *cum susceptione Sacramenti* (quod est, inquit, necessarium, si non sit sufficienter intensa) .... *vel etiam sine susceptione Sacramenti (si sit sufficienter intensa,...) utilis est, & per ipsam delentur peccata.*

FRANCISCUS DE MAYRONIS.

In 4. dist. 15. q. 3. *contritio & attritio sunt unus* 1535 *& idem actus realiter & materialiter..... Quia actus displicentiæ de peccatis est contritio in habente gratiam, & attritio in non habente. Imò potest idem numero actus esse.* Et dist. 20. pœnitentiam, quæ sit amore Dei, vocat actum attritionis. Et subdit quòd pœnitentia, *si fiat propter timorem pœnæ æternæ tantùm, non est salutifera. Et dico, tantùm, quia timor pœnæ, cum amore Dei, potest esse sufficiens.*

ALMAINUS.

Hunc commendatissimum Authorem, tametsi 1536 non Ord. Minorum, de more Scotistam fuisse, Scotique utplurimùm defensorem, liquet ex operibus ipsius. Etiam hic Scoti tuetur sententiam, tametsi firmas non censeat rationes, quibus Scotus refellit opinionem Magistri, & communem Antiquorum, quòd clavium potestas se extendat ad remittendam pœnam, non ad remittendam culpam, eò quòd hanc remissam supponant per contritionem. Itaque Almainus in 4. dist. 14. q. 1. sub finem, cum Scoto, requirit quòd *actus detestandi peccatum sit propter Deum, non solùm timore pœnæ.* Infrà: *Ut pœnitentia sit fructuosa, requiritur quòd illa sit benè circumstantionata, & præcipuè circumstantiâ finis, ut scilicet sit propter Deum.* Et q. 2. dicit ex mente Scoti, quòd peccator potest *detestari peccatum, quia Dei offensivum, & propter Deum*, quòdque ex eodem Doctore subtili, *quam citò ista detestatio ponitur, non ponitur gratia; sed requiritur certa temporis continuatio, in cujus instanti terminativo Deus infundit gratiam; & in toto illo tempore præcedenti vocatur attritio: & in instanti terminante illud tempus vocatur contritio. Et sic attritio & contritio non distinguuntur specie* (*quia eadem dispositio quæ prius erat attritio, efficitur contritio*) *sed differunt solùm penes connotata; sicut quando aliquis baptizatur, non est in gratia; sed in instanti terminante, jam primo est in gratia.*

Ibidem ex Durando dicit, quòd pœnitentia, 1537 de qua loquuntur Theologi & Scriptura, importat displicentiam de peccato, quatenus est contra divinum præceptum, & in ejus injuriam, cum proposito satisfaciendi, &c.

Et d. 20. q. 1. dicit, quòd vera quidem pœnitentia, sive interior sola, sive exterior cum susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, sufficit ad salutem alicujus in extremis; sed quòd pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis, vix est pœnitentia (sive utique interior sola, sive exterior, &c.) & secunda ratio, quâ id probat, quâque eamdem rationem à Scoto allegatam explicat, est quia *antequam detestatio peccatorum sit sufficiens ad veram pœnitentiam, necesse est quòd sit benè circumstantionata, præcipuè circumstantiâ finis.... Sed in* 1538 *extrema necessitate vix habetur illa, præcipuè circumstantia finis... Nam est maximus metus dam-*

nationis.... Et ut in pluribus tristatur peccator ex timore. Sed illa pœnitentia, quæ est ex timore, non est benè circumstantionata circumstantiâ finis. Quia circumstantia finis, quæ requiritur, oportet quòd sit ex amore Dei propter Deum super omnia dilectum (audiant Noviores, qui se Scotistas dicunt) *ergo ut in pluribus illa pœnitentia non est benè circumstantionata.*

Et in moralibus c. 3. *vitare peccatum præcisè propter pœnam* (damnationis) *semper est malum.* Ita ille ex Dionysio Carthusiano.

PETRUS TARTARETUS.

1539 In Reportatis super 4. Sentent. dist. 20. *Pœnitentia facta sufficiens, sive in extremis, sive non, sive interior, sive exterior, valet ad deletionem peccati. Et istud est, quòd semper dictum est, quòd pœnitentia interior est detestatio, displicentia, contritio, si ista fiat vel in extremis, vel in infirmitate, vel non delet peccatum. Est alia exterior, quæ fit cum confessione & absolutione, & si sit sufficiens delet peccatum.... Ad hoc quòd displicentia sit sufficiens, oportet quòd sit debitè circumstantionata ex parte causæ & finis; ex parte finis, quòd sit propter Deum. Sed difficile est hominem* (in fine) *habere istam displicentiam, sic circumstantionatam, puta quòd fiat propter Deum.... Quia homo, qui mansit in peccatis usque ad istud extremum, si pœniteat, magis verisimile est, quòd pœniteat ratione mortis, & ratione pœnæ futuræ de propinquo, & non propter amorem Dei.... Ideo dicit Augustinus, Non solùm Judicem timere debemus, sed diligere. Hoc est dicere: Si aliqua propter timorem pœnæ faciamus, non est verus timor, quia servilis; sed propter dilectionem Dei est verus timor; quia filialis.*

BRIANSONUS.

1540 In 4. dist. 20. eadem omninò habet, quæ cæteri Sententiarii ibidem, nominatim Scotus. Et inter cætera quòd *plus debet homo pœnitere ex amore illius quem offendit, quàm ex timore. Quia sine charitate nemo salvus esse potest.*

NICOLAUS DE NYSE.

1541 In gemma prædicant. p. 2. reparatorii puncto 2. de pœnitentia in communi: *Non sufficit dolere propter timorem damnationis infernalis.... Unde dicit Augustinus: Scriptum est, neminem sine charitate posse salvari. Oportet itaque non solùm timere Deum Judicem, sed etiam oportet diligere justum.*

1542 Et tract. 4. de partib. Pœnit. Sacram. agens de prima parte, scilicet contritione, eam definit sic: *Contritio est dolor voluntariè assumptus pro peccatis, in spe veniæ, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Ubi tanguntur tria ad contritionem necessaria. Primum quod est necessarium ad contritionem, est amara peccati detestatio, quæ sit non propter timorem pœnæ tantùm, sicut suprà dictum est, loquendo de pœnitentia in communi; sed debet esse amara detestatio peccati, in quantum est offensivum divinæ bonitatis, sic quòd ratio principalis displicentiæ, sive doloris, pro peccato assumpti, sit quòd per peccatum offenditur Deus.*

1543 Et tr. 6. p. 3. q. 13. *Non est vera pœnitentia, nisi fiat liberè propter Deum. Sed difficile est tunc* (in extremis) *habere talem pœnitentiam. Tunc enim non videtur homo extorquere à seipso displicentiam de peccato, nisi timore pœnæ.*

NICOLAUS DE ORBELLIS.

1544 In 4. dist. 14. q. 1. a. 3. *Ad deletionem peccati mortalis requiritur.... dolor de peccato commisso, qui dolor causatur à voluntate imperante intellectui, ut consideret peccatum esse offensivum summæ Majestatis & bonitatis divinæ super omnia diligendæ. Deinde voluntas* (quæ secundùm Augustinum *imperat sibi & aliis*) *imperat sibi detestationem peccati, mediante consideratione intellectûs, ad quod sequitur dolor de peccato commisso* (considerato utique ut offensivo divinæ Majestatis & bonitatis super omnia diligendæ, ut antè) *ista autem pœna* seu detestatio *designatur nomine pœnitentiæ*, de qua subdit, quòd ad deletionem peccati mortalis post baptismum commissi, *requiritur..... secundùm regulas determinatas à sapientia divina.* Et q. 2. a. 4. addit quòd detestatio peccati ut Dei offensivum est, totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis, dicitur attritio, quòdque *Deus requirit illam dispositionem de congruo, ad hoc ut peccatori conferat gratiam per Sacramentum*, licèt non tam diù continuatam, nec tam intensam, ut ex se mereatur gratiæ infusionem, ante Sacramenti susceptionem.

Et dist. 20. ad quæstionem, *utrùm aliquis in* 1545
articulo mortis primò pœnitens dignè possit pœnitere (quæ quæstio procedit in & extra Sacramentum) Respondet quòd sic: *quia tunc est pœnitentia digna, cùm homo ex consideratione divinæ bonitatis dolet de peccatis contra immensam bonitatem commissis..... infirmus est maximè alliciendus ad divinæ bonitatis & misericordiæ considerationem, ut de divina offensa doleat. Siquidem ut dicit August. oportet non solùm timere Judicem, sed etiam diligere.*

S. BERNARDINUS SENENSIS.

Tomo 1. ser. 6. post Dom. 1. Quadrag. serm. 1546
13. de contrit. c. 2. " Difficile est habere veracem contritionem. Nam secundùm Bonaventuram in 4. dist. 16. a. 2. dolor, in quantum est " displicentia rationis, in vera contritione mensuratur secundùm quantitatem charitatis..., ad " hoc autem quòd aliquis habeat charitatem, necesse est quòd super omnia diligat Deum, etiam supra seipsum.... Ex his apertè elici potest, quod qui conteritur principaliter propter " timorem inferni, & non propter amorem Dei " (amorem utique charitatis super omnia, ut proximè dixit)" non est in statu salutis. Quia non dolet amore Dei, sed amore sui, ut si cessaret damnatio ex perpetrata culpa, cessaret contritio illa.... Sed secundùm Scotum in 4. dist. 20. licèt ad veram contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans.... Et ad hoc pertinet exemplum S. Augustini lib. 14. de Civit. quòd sicut quando volumus suere, vel duos pannos diversos jungere, habemus acum, & imponimus fericum, vel ferici filum, sicque suimus; sed demùm removetur acus, filo ferici remanente: sic ad conjungendum Deum & animum peccatoris, requiritur acus, id est Dei timor, & inferni horror, qui velut acus compungat animum peccatoris, & Dei amorem, velut filum ferici introducat. His nempe duobus, Deus & animus peccatoris conjunguntur... Richardus quoque de Media-Villa in 4. dist. 20. q. 1. quinque dicit esse omninò necessaria ad salutem. Primum est efficax dolor de præteritis culpis. Secundum, propositum cavendi à mortalibus in futuro. Tertium, si possibile est, confessio vera. Quartum, pro posse satisfactio justa. Quintum, quòd cætera grata reddit, est quòd hæc omnia principaliter moveantur ab amore Dei " (utique charitatis, sive amore Dei propter se, ut suprà demonstratum est in Richardo) " non propter timorem inferni. Et ad hoc etiam Augustinus de pœnit. dist. 7. cap. nullus. Ex his ergo apertè patet quàm difficile sit habere veram contritionem. Et ibidem serm. 15. a. 1. c. 3. agens de amaritudine cordis, requisita ad confessionem. " Hæc " (inquit)" animæ amaritudo vera contritio est, " sine qua præcedente, inanis & vana est confessio " sequens. " Sed unde principaliter provenire debet ista amaritudo? Incipit quidem ex incursione pœ-

nis æternæ, & amissione æternæ gloriæ; ibi tamen non hæret, sed principaliter formatur ex impia perpetratione divinæ offensæ. " Primò " (inquit) " amara est ex adeptione æternæ pœnæ; „ sed amarior ex amissione æternæ gloriæ; sed „ hæc amarissima quidem est ex impia perpetra„ tione divinæ offensæ." Confessio itaque magis amara esse debet ob impiam perpetrationem divinæ offensæ, quàm ob amissionem gloriæ, & adeptionem æternæ pœnæ. Magis ergo ex motivo charitatis, quàm timoris. Amaritudo quippe de peccatis principaliter ob divinam offensam, sive in quantum Dei offensa sunt, actus est charitatis, prout ex communi Theologorum doctrina demonstrabimus infrà.

1547 Et rursus ibidem feriâ 4. post eamdem Dominicam de 12. periculis peccatorum in ultimo fine cap. 2. " Duodecimum periculum peccatori im„ minet in extremis, quod est charitatis, sive di„ lectionis privatio. Ad hoc enim ut displicentia „ sit grata Deo, necesse est quòd sit debitè cir„ cumstantionata, & maximè circumstantiâ prin„ cipii & finis, hoc est quòd sit voluntaria prop„ ter Deum, prout de semet pœnitente Psalmista „ ait: Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor „ nomini tuo, quoniam bonum est. Et Augu„ stinus in prædicto cap. nullus, inquit: Scrip„ tum est, neminem sine charitate salvum esse. „ Non itaque in solo timore vivit homo. Quem „ ergo pœnitet serò, oportet non solùm Deum „ timere Judicem, sed diligere. Non tantùm „ pœnam timeat, sed anxietur pro gloria. Ex „ verbis igitur Augustini patet, quòd licèt timeat „ pœnam, timori tamen præponere debet chari„ tatem divinam " (audiat R. P. Notaü, & quærere desinat, ubi charitas? cùm in toto contextu resonet charitas) " sed difficile est in tali extre„ mitate habere hunc actum, hac principali cir„ cumstantiâ intentionatum, & regulatum. Et „ hoc maximè propter duo. Primò quia timet in„ fernum. Nam qui usque tunc fuit impœnitens, „ non videtur tunc à seipso extorquere displicen„ tiam novam peccatorum suorum, nisi timore „ imminentis pœnæ, non charitatis divinæ. Præ„ sumitur enim, quòd si remotus esset à pœna, „ sicut priùs, non extorqueret à seipso displicen„ tiam illam, sicut nec etiam priùs. Secundò „ quia timet mortem. Nam saltem aliquid sim„ pliciter involuntarium videtur causa istius dis„ plicentiæ: scilicet expectatio mortis propin„ quæ (mors enim ista involuntaria est) & quod „ non fit nisi ex suppositione cujusdam involun„ tarii, non simpliciter voluntarium dici potest. „ Non enim omninò voluntariè projicit quis „ merces suas in mare, quia non projicit nisi ex „ suppositione cujusdam periclitationis, quam „ nollet. Claret igitur ex jam dictis, quàm du„ rum & arduum est, quòd talis Deum super „ omnia amet. " Claret etiam quòd S. Bernardinus requirat amorem Dei super omnia, & amorem charitatis, seu Dei propter se.

1548 Denique (præter alia multa quæ ex eodem sanctissimo divini verbi Præcone proferri possunt) to. 3. feriâ 3. post Dom. 3. Quadrag. de amore contrito p. 2. circa medium: *B. Augustinus dicit, quòd quoties homo vivendo, vel moriendo, non pœnitet propter amorem Dei, nec custodit se à peccato amore Dei, ne ipsum Deum offendat, sed tantùm metu pœnæ infernalis, non est actus contritionis; sed ipso modo moriendo, ingreditur profundum inferni. Quia timor ille non est fundatus in charitate.* Nec loquitur de contritione se solâ justificante, sed cum Confessione. Sequitur enim: *Itaque fundemus nos in timore dilectionis Dei, & ipse timor sit in charitate fundatus; & exoneremus gravitatem peccatorum per Confessionem, cum vera Confessione, fundata in charitate.*

Guilielmus de Voriglone.

In 4. dist. 20. a. 1. *Contritio, ut dicunt nostri* 1549
Magistri, est dolor voluntariè assumptus pro peccatis. In qua descriptione.... 3°. dicitur pro peccatis. Hoc est finis, & contritionis complementum. Ergo causa finalis seu motivum, & finis contritionis in genere esse debent peccata ipsa, & non solùm pœna peccatis debita. Unde infrà concludit, quòd ut contritio, confessio, satisfactio (quæ sunt partes pœnitentiæ sacramentalis) *valeant infirmis, oportet quòd displicentia sit circumstantionata, & maximè ut peccatum displiceat propter Deum. Quod valdè difficile est tunc. Ideòque rarò ad salutem sufficiunt.*

Stephanus Bruliferus, Baptista Trovamala, et Thomas Illyricus.

Bruliferus in 4. dist. 17. q. 14. ait *necesse esse ad* 1550
Sacramentum Pœnitentiæ accedere cum charitate, vel dispositione ad charitatem, saltem probabiliter putatam. *Hæc autem dispositio est attritio*, quæ subinde *propter Confessionem superadjunctam & absolutionem Sacerdotis formatur per gratiam.* Et dist. 18. q. 1. attritionem purè formidolosam certissimè insufficientem censuit, cùm ibi non solùm requirat contritionem amorosam, sed & talem per quam pœnitens à Deo absolutus sit, priusquàm à Sacerdote absolvatur. Dicit enim: *Communiter Sacerdos ante absolutionem orat pro pœnitente, & cùm dat absolutionem, præsupponit quòd est absolutus à Deo. Sacerdos enim nunquam absolveret quemquam, de quo non præsumeret quòd esset absolutus à Deo.*

Quæ etiam cùm fuerit sententia Baptistæ Tro- 1551
vamala in Sum. *Rosella* verbo *Sacerdos*, & Illyrici p. 1. Clypei Catholicæ Ecclesiæ de Sacram. Pœnit. contra Lutheran. conclus. 3. & in serm. de clavibus Ecclesiæ, patet quòd & ipsi amorosam requisierint contritionem, formidolosamque reputaverint insufficientem.

Bernardinus de Bustis.

In Rosario sermonum p. 1. serm. 8. §. de priva- 1552
tione circumstantiarum veræ pœnitentiæ:" Ad hoc " ut pœnitentia sit Deo grata, & peccatorum re- "
missionis impetrativa, necesse est eam habere " circumstantia principii & finis.... Circum- " stantia autem finis est ut fiat, non ex timore " principaliter, sed ex Dei amore, juxta illud " Augustini in cap. *nullus* de pœnit. d. 7. ubi in- " quit: quem pœnitet, oportet non solùm Deum " timere Judicem, sed etiam justum diligere, ut " non tantùm pœnam timeat, sed anxietur pro " gloria. Ex quibus verbis innuit Augustinus quòd " licèt homo timeat pœnam, timori tamen præ- " ponere debet charitatem divinam. "

Et infrà: *de expectantibus confiteri in finem* 1553
vitæ, dicit quòd " tales.... si tunc plangunt " peccata sua, utplurimùm faciunt hoc ex timo- " re mortis & inferni, & non amore Paradisi, " vel ex dolore offensionis divinæ, ut inquit Cy- " prianus in Epist. ad Antonian. de laudib. Cor- " nel. ibi, rogare illos non delicti pœnitentia, sed " mortis urgentis admonitio compellit. De hoc " habetur horribile exemplum. Legitur enim quòd " quidam Clericus, multùm vitiosus, tempore " mortis confessus est cum multis lachrymis, & " recepit Sacramenta Ecclesiæ, cùm maxima re- " verentia, ostendens magnum dolorem pecca- " torum suorum. Qui post mortem apparuit cui- " dam suo amico totus ignitus, & exclamavit vo- " ce magnâ, dicens: Heu mihi! quia damnatus " sum. Et interroganti illi, quomodò hoc fieri " posset? cùm tot lachrymas effuderit in Confes- " sione, & in recipiendo Sacramenta? Ille miser " respondit: Væ mihi, quia illas lachrymas, non " ex Dei amore, nec ex contritione peccatorum "

" meorum, sed solùm ex timore mortis & inferni effudi. Et ideò Deus non acceptavit pœnitentiam meam, sine veris circumstantiis factam... " Et meritò " (pergit laudatus Author) " nam ut ait Glossa in cap. scripta de colluc. deteg. Deus " non est remunerator nominum, sed adverbiorum. Non enim remunerat opus bonum, nisi " benè & rectâ intentione factum.

1554 " Et serm. 31. de Pœnit. Sacram. p. 2. de contritionis diversitate : " Sciendum ergo quòd, ut inquit Alex. de Ales in 3. p. Sum. tr. de pœnalit. " assumpt. q. 4. & Magister Sent. in 3. dist. 34. " quadruplex timor invenitur, scilicet mundialis, " servilis, initialis, filialis.... Servilis est quem " habent illi qui abstinent à peccatis suis propter " pœnam & timorem justitiæ divinæ.... Nunc " ad propositum revertendo, dico, secundùm " Alex. de Ales in 4. p. Sum. tract. de pœnit. in " generali, & S. Bonaventuram in 4. d. 14. a. " 2. q. 2. & Richard. ibidem a. 4. q. 2. quòd pœ" nitentia nostra causatur à duobus. Prima cau" sa effectiva est Deus.... Alia causa pœnitentiæ " est voluntas nostra, & liberum arbitrium.... " Voluntas autem nostra & liberum arbitrium, " ut in pluribus, inclinatur ad faciendam pœni" tentiam primò ex timore, & in paucis ex amo" re à principio, ut dicunt prædicti Doctores, " & Magister Sentent. in 4. dist. 14. Tamen ad " hoc ut sit vera pœnitentia, necesse est quòd non " solùm fiat propter timorem, sed etiam propter " amorem Dei, & patriæ cælestis adeptionem, " ut dicit Augustinus de pœnit. d. 7. c. nul" lus.... " Et infrà : " Licèt bonum sit timere " Deum.... tamen si quis solùm ex timore ser" vili dimitteret peccare, & haberet displicentiam " peccatorum tantummodò propter evitationem " pœnæ, talis esset solùm attritus, & non contri" tus.... Dicunt tamen Theologi.... quòd fa" cienti quod in se est, Deus facit attritionem ef" fici contritionem.... Et ideò nullus excusari po" test, si non habuerit contritionem.... Si quis " autem non conteritur in hoc mundo, postea
1555 " habebit sine fructu in alio. " Et iterùm infrà : " In his qui solùm sunt attriti, si superaddatur " Confessio, statim post Pascha, nullum rema" net vestigium Confessionis, nec bonæ voluntatis; sed redeunt ad pristina. In contritis autem " remanent signa, etiam post Pascha, & per to" tum annum. Illi ergo qui solùm attriti confi" tentur in Quadragesima dicunt : Credo in Deum. " Post Pascha autem, carnis resurrectionem. In " Quadragesima dicunt : Gloria Patri, & Filio, & " Spiritui sancto. Post Pascha verò : sicut erat in " principio, & nunc, & semper, &c.

1556 " Serm. 7. in cap. 9. l. 1. Esdræ, pœnitentiam veram & sacramentalem prædicans, postquam dixit, pœnitentiam veram à contritione exordiendam, sub finem ait : " Juxta vulgatiorem mo" dum, contritio in hominibus oritur ex timo" re.... verùm enimverò etiamsi contritionem ab " hoc fonte manare dico, nihil adhuc tamen ger" manæ contritionis habes, si pedem hîc fixeris. " Nam hactenùs nonnisi servilis est timor, con" siliis nimirùm ad proprium commodum, hoc " est ad pœnæ vitationem omninò relatis. Erras, " si eam tibi doloris materiam proponis, quòd ob " peccata à tanta felicitate excideris, & tot undi" que malis te implicaris. Servorum hoc est, non " natorum. Verùm illam nonnisi in Dei ac pieta" tis amore collocare debueras. Quemadmodùm " de muliere peccatrice in Evangelio adstruit " Christus : remittuntur ei peccata multa, quo" niam dilexit multùm " Confer sequentia ibidem. Confer & sermonem sequentem, ubi dictæ contritioni adjungendam dicit sacramentalem confessionem, & cæteras pœnitentiæ partes.

Serm. 5. de Evangelica peccatrice, explicans 1557
illa verba : *dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* (dilectione utique charitatis) ait, " peccatorum remissionem amando " ita obtinuit, ut si non amasset, non obtinuisset. " Vide quæ ibidem sequuntur ad propositum, ubi " differentiam ponit inter pœnitentiam Caïn, Satilis, & Judæ, & pœnitentiam piorum. " Dolebat " illis quòd peccassent, sed illud nimirùm, quòd " in tantum discrimen se conjecissent.... Aliter " pii dolent, nempè ob id quòd tam bonum Do" minum, quem cultum adamatumque oporte" bat, peccando tam graviter offenderint. " In exordio serm. in Jonam Prophetam : " Ingenuè " fateor.... nullam pœnitentiam Deo placere, " nisi quæ voluntaria sit, & ex amore desiderio" que justitiæ.... Scio paucos hominum cò perve" nire, ut ex amore & desiderio justitiæ pœni" teant, nisi prius lege, minis, & terroribus adi" gantur.... Potens quidem est Deus in momen" to cor hominis ab iniquitate ad amorem justi" tiæ immutare.... At hæc non est communis " via, quâ nos ad pœnitentiam adducit... Com" munis autem via est, quòd per timorem ducit " nos ad pœnitentiam, & amorem justitiæ... " Hue pertinet visio illa Heliæ, quâ successivè " vidit 1°. spiritum vehementem. Deinde com" motionem. Denique ignem. Ultimò sibilum " auræ tenuis, &c. "

Serm. 7. in Jonam : " Vera contritio illa non 1558
est, quam parit peccatorum enormitas, & hor" ror divini judicii... Verùm si, præter peccatum, " & Dei judicium, benignitatis simul & miseri" cordiæ Dei memores simus, nec peccator propte" rea tantùm dolore afficiatur, quòd ipse sibi, per " peccatum, condemnationem, & iram conci" liarit æternam; sed propterea potissimùm quòd " talem Patrem ad iram commoverit, ita quòd " pejus illum habet indignitas & contumelia, quâ " optimum Parentem affecit, quàm pœna, quam " ferre debet. Hæc demùm de peccatis contrito " digna est, in qua servilis timor mutatur in filia" lem.... alioqui enim, si peccata tantùm odisti " propter formidinem pœnæ, fieri non potest, ut " animo verè contrito sis.... Contritio verò quæ " ex filiali timore procedit, fructus producit haud " alios, quàm quos in filio prodigo conspexi " mus, ut scilicet homo dicat : surgam, & ibo " ad patrem meum, &c. Si quidem.... hi fructus " absint, frustrà te maceras, frustrà cruciaris, " frustrà te conficis peccatorum recordatione. "

ANGELUS DE CLAVASIO.

In Sum. *Angelica* verbo *contritio* n. 1. dicit 1559
quòd *contritio ab attritione, secundùm Theologos, differt in duobus.* 1°. *quia attritio est dolor imperfectus, contritio verò est dolor perfectus.* 2°. *attritio est dolor sine gratia gratum faciente; sed non contritio. Et ideo contritio & attritio materialiter idem sunt, sicut domus obscura & illuminata. Attritio quippe est lux auroræ, quæ crescendo fit meridies, id est contritio.* Censet ergo intrinsecè non differre nisi penes perfectum & imperfectum intra eamdem speciem, sive penes intensum & remissum, prout differunt lux auroræ & meridies. Cùm igitur verbo *Confessio sacramentalis* 1. n. 13. dicit Confessionem sine contritione, vel attritione, esse infructuosam, & iterandam, sequitur talem esse sine dolore qui sit ejusdem speciei cum dolore contritionis, ex eodem proinde motivo procedens.

Unde verbo *pœnitentia* n. 15. *Valdè periculo-* 1560
sum est usque ad articulum mortis expectare. Et ideo dicit Aug.... quem serò pœnitet, oportet non solùm Deum timere Judicem, sed justum diligere: non tantùm pœnam timeat, sed anxietur pro gloria.... Sed hæc communiter non adsunt pœnitenti

in extremis. Tum quia principaliter convertuntur tales timore mortis & inferni.... Et ideo deficit primum necessarium, scilicet quòd non convertitur quia diligit Deum justum. Item non convertitur principaliter propter gloriam, sed propter pœnam evitandam. Ex quo concludit cum Hieronymo, quòd *ex talibus vix è centum millibus indulgentiam oblinebit unus.*

Et verbo *timor: Timor quidam filialis, quo homo timet offensam Dei, quem diligit, & ab eo separari.... Alius servilis, & iste causatur ex amore sui. Unde quia pœna est detrimentum propria boni, eam timet. Et iste aliquando est cum charitate, sicut cùm quis simultimet, & propter pœnam, & propter culpam. Et iste timor dicitur initialis, quia est principium convertendi. Aliquando est sine charitate, & tunc semper est malus; non in se, sed quia à mala procedit radice, scilicet ab inordinato amore sui*, id est ab amore sui non benè circumstantionato, sive non relato ad amorem Dei.

1561 ARMILLA.

Bartholomæus Fumus in *aurea Armilla*, verbo *Confessio* n. 15. *duodecima conditio Confessionis sacramentalis est quòd sit lachrymabilis, hoc est cum displicentia omnium peccatorum mortalium commissorum super omne odibile* (adeòque super omnem pœnam, etiam gehennæ) *& cum proposito vitandi omne, super omne detestabile, saltem cum attritione.* Ergo saltem attritionem requirit cum displicentia omnium mortalium super omne detestabile & odibile, & super omnem pœnam. Quæ fieri nequit ex solo timore pœnæ, tamquam motivo unico & adæquato. Neque enim peccatum displicere potest plusquàm pœna ex solo motivo timoris pœnæ. Cùm motivum timoris pœnæ (si unicum sit & adæquatum) non moveat ad aliquid odiendum, plusquàm ipsa pœna odibilis est.

PELBARTUS DE THEMISWAR.

1562 In Pomerio sermonum feriâ 6. post Cineres serm. 3. Litt. Q. *Pœnitentia solùm in extremis est dubia, & videtur coacta timore pœnæ, & per consequens falsa, nec salutaris.*

Serm. 7. Dom. *invocavit: Vera pœnitentia salvifica discernitur à falsa, præsipuè per decem signa*, inter quæ cùm numerasset peccati displicentiam, Confessionem, ejusque integritatem, *decimum* (inquit) *signum dicitur amatio, scilicet divinalis. Nam si hæc omnia prædicta facit homo ex amore Dei, vera est pœnitentia. Si autem non, sed ex solo timore servili, falsa est pœnitentia. Ideo Aug.... Arbitrii libertatem quærit Deus, ut deleri possint commissa; non necessitatem: charitatem, non tantùm timorem. Quia sine charitate nemo salvus esse potest.*

1563 Serm. 14. Dom. *reminiscere: Contritio deficit à veræ contritionis ratione... quando quis ex solo amore servili, propter evadendam pœnam, aliquantulum dolet peccasse, & non ex amore Dei..., Talis contritio deficiens, vel potiùs attritio, non sufficit homini ad salutem, si in tali quis decedat statu. Secundùm tamen Scotum, facienti quod in se est attrito gratia infunditur virtute clavium in Confessione... quando obicem divinæ gratiæ talis non ponet... nam attritio formari in contritionem... posset, videlicet ut non doleret solo timore servili*, &c.

JOSEPHUS ANGLEZ, EPISCOPUS BOSANENSIS.

1564 In Florib. Theol. ab Academia Complutensi solemniter approbatis, q. de clavib. *Attritus, cum ignorantia vincibili, culpabili, vel suæ attritionis conscius, virtute hujus Sacramenti peccatorum remissionem minimè consequitur. Ratio est, quia est præceptum contritionis, à quo per ignorantiam culpabilem, vel quando est conscius suæ attritionis, non excusatur. Atque ita peccat mortaliter non habens illam, & ex consequenti ponit obicem Sacramento, quominùs sibi peccata remittantur.*

Et q. de contrit. *Quem pœnitet* (inquit) *peccatorum suorum propter gehennæ timorem... is peccatorum remissionem non consequitur.... Quia absque charitate.* Et idem dicit de pœnitentia illius, *quem solùm pœnitet amore virtutis, aut propter gloriam amissam.* Et eâdem quæstione docet opinionem, quæ ponit, contritionem & attritionem non differre specie, sed penes intensum tantùm & remissum intra eandem speciem, esse S. Thomæ, Scoti, & utriusque discipulorum: *Attritio* (inquit) eadem numero potest fieri contritio. Ratio est, quia, secundùm istorum Doctorum opinionem, attritio & contritio non differunt nisi penes intensum & remissum. Et quemadmodùm eadem albedo numero potest fieri intentior; ita idem actus numero remissus, scilicet attritio, potest fieri intensus, id est contritio.

THOMAS HERENTALINUS.

In speculo vit. Christ. c. 3. de præparat. requis. 1565
ad Sacram. Pœnit. post requisitam amaram de commissis tristitiam, odium, &c. *Hæc autem* (inquit) facienda sunt, *non metu gehennæ, vel alius alicujus divinæ ultionis; nec rursus quod ita fieri debeat ad assequendam vitam perennem; sed solâ liberâ, amicâ, & ultroneâ Dei dilectione, ex sincero proficiscente affectu.... Citra quam sanè dilectionem nulla à Deo condonantur commissa*, &c. Et ideò, *siquando* (inquit) ex præteritæ vitæ *recordatione maleficiorum tuorum pœnitudine duci contingat, ob solum metum gehennæ, non hic consuluerim mihi ad Sacerdotem properare... quin potiùs suaserim tibi, precationibus instare, pulsare, petere, conari, nec priùs cessare, quàm senseris metum illum gehennæ converti in propensam Dei dilectionem, atque hinc certum conceperis novæ vitæ exigendæ propositum... quo detestatio peccatorum talis tandem redderetur, qualem esse oportet*, utique *ob dictam dilectionem Dei.*

JOANNES ROFFENSIS. JOANNES A DAVENTRIA. ALPHONSUS A CASTRO.

Hos specialiter dabimus §. 8. inter Doctores qui paulò ante Tridentinum contra Lutheranos scripserunt. Ideò ad Joannem Ferum pergimus.

JOANNES FERUS.

In exam. ordinand. *Pœnitentiæ* (sacramentalis) 1566
quæ partes? Contritio, Confessio, Satisfactio. Contritio est dolor, quo homo commissa deflet, & quodammodò in se dolendo vindicat. Hunc dolorem partim excitat timor, partim amor justitiæ. Per quem amorem in annotation. ad cap. 11. Joan. ait peccatorem à Deo per culpæ remissionem vivificari ante sacerdotalem absolutionem.

CONRADUS CLINGIUS.

In locis commun. Theol. l. 4. c. 33. dicit: 1567
Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem scilicet, Confessionem, & satisfactionem, omnes Catholici asserunt.... Est igitur contritio animi motus ex charitate formatus, quo quis colligit, discutit, & detestatur peccata sua, recogitans annos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis. Qui motus cordis si extra charitatem fit, attritio à Doctoribus dici consuevit... Modus autem perveniendi ad contritionem formatam charitate sic à Doctoribus notatur. Nemo negat in peccatoribus manere fidem & spem, aliaque dona plurima spiritûs... Et hæc quidem consistere in homine absque charitate possunt... Igitur existimant Doctores peccatorem ex naturalibus (extra charitatem) cum generali influxu & auxilio Dei posse considerare peccatum à se commissum, ut offensivum Dei, & ut aversivum à Deo, & impeditivum præmii, & ut supplicii inductivum; ac proinde posse voluntatem ejus peccatum sic consideratum detestari, & in hoc detestationis

" motu pergere, donec ex congruo tandem in-
" fundatur gratia. Infusâ verò gratiâ, jam idem
" motus, qui pridem dictus erat attritio, contri-
" tio dicitur .... Modum verò habendæ contri-
" tionis veræ Psalmista Ps. 118. docens, sic dicit:
" Feci judicium & justitiam, &c. Judicium facis
" quando recogitas peccata tua, & quid illis me-
" rearis, & quòd dignus sis pœnâ, ubi accrescit
" dolor, sive timor pœnæ, & displicentia de pec-
" cato perpetrato. At deinde sic recollectis pec-
" catis tuis, converte te ad Dei bonitatem & justi-
" tiam, cogita quàm horrendum sit Deum of-
" fendere, & contra illius bonitatem quidquam
" attentare, etiamsi nulla esset pœna, & sic amo-
" re justitiæ incipis confugere ad Dei bonitatem.

Et infrà: Contritio non est terror incussus conscientiæ, agnito peccato; sed *est dolor voluntariè assumptus super peccato, propter Deum offensum.* Quòd autem agat de contritione, etiam ut comprehendit attritionem, & ut disponit ad gratiam, etiam in Sacramento, videbit quisquis contextum animo non præoccupato legerit.

Franciscus Panigarolle.

1568 In lectionib. Cathol. super dogmatib. Ecclesiastic. p. 2. lect. 10. agens de pœnitentia contritioneque sacramentali. *Ite ad Pœnitentiæ Sacramentum, & per manuductionem ac directionem trium partium suprà dictarum, contritionem, Confessionem, & satisfactionem, venite (objecto) ad portum. Primum* (amici) *quod habere vos oportet, ut justificemini, contritio est. Quam ut formaliter definiam, contritio est dolor voluntarius de peccato, eò quòd sit offensa Dei super omnia diligendi, cum virtuali saltem proposito amplius mortaliter non peccandi, confitendique & satisfaciendi.* Vel, secundùm Concil. Trid. contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero... *Eam nos habere oportet non principaliter propter pœnam, sed propter Deum offensum, quem multùm diligere debemus.* Et infrà: *Peccator semper esse debet contritus, ad gratiam habendam vel de se, vel fieri talis per absolutionem Sacerdotis.*

Melchior Flavius.

1569 Laudatissimus iste Author, S. D. Pii V. Pœnitentiarius, Christianissimique Regis Henrici II. Concionator, in 4. dist. 20. ostendens esse valdè difficilem veram pœnitentiam in extremis (etiam sacramentalem, ut patet ex contextu) " Antequam
" (inquit) " detestatio peccati sit sufficiens ad ve-
" ram pœnitentiam, necesse est ut sit adornata
" debitis circumstantiis, præcipuè circumstantiâ
" finis, id est ut peccator detestetur peccata præ-
" cipuè propter Deum, quem offendit... Is au-
" tem qui totâ vitâ malè vixit, & in extremis
" constitutus pœnitet, videtur potiùs moveri ti-
" more damnationis, quàm amore ipsius Dei:
" nam si evadere posset illud discrimen, fortasse
" non resipisceret, sicut nec anteà curavit. Quare
" apparet in eo quidpiam involuntarium; sicut
" in eo qui merces in mare projicit, timens nau-
" fragium: Deus autem hilarem diligit datorem.
" Unde Aug. Oportet non solùm timere Judicem,
" sed & eum diligere, &c.

Philippus Bosquierus.

1570 In Concionib. de Passione Dom. conc. 30. feriâ 3. post Dom. Pass. §. 2. *Pœnitentia absoluta tribus partibus constat, contritione, Confessione, Satisfactione. Contritionem voco dolorem spontè assumptum de peccato admisso, intuentem non maximè damni sensisve pœnam, sed offensi Dei bonitatem.*

Et infrà: *Exomologesim si facies in Paschate, facies ductus pœnitentia... ductus* (inquam) *amore Dei & æqui, &c. alioqui tu quidem legi de Confessione in Paschate parens, menti non pares.*

Didacus Stella.

Commentar. in Luc. in secunda edit. ad S. 1571
Inquisit. Hispan. Decreta repurgata, in cap. 3. ad illa verba, *Facite fructus dignos pœnitentiæ:* "Hoc
" (inquit) " dupliciter intelligi potest. 1°. de
" pœna satisfactoria.. 2°. potest exponi, facite
" dignos fructus propter charitatem, quia pœ-
" nitentia debet esse propter Deum summè di-
" lectum, & procedere ex radice dilectionis divi-
" næ. Nam qui ex charitate non dolet, non agit
" fructus dignos pœnitentiæ. Sic fructum pœni-
" tentiæ egit Antiochus, non tamen dignum,
" quia ex dilectione non processit; ideòque non
" fuit dignus ut à Deo exaudiretur, nec miseri-
" cordiam fuit consecutus. Sic etiam Paulus lo-
" quitur de Esaiâ, dicens, non invenisse locum
" pœnitentiæ, etiamsi cum lachrymis postulasset.
" Præterea Saül & David, Reges Israël, ambo
" fuerunt peccatores, ambo à Prophetis correcti,
" & ambo pœnitentiam egerunt; sed David mi-
" sericordiam est consecutus, non tamen Saül..
" Quia Davidis pœnitentia ex divino amore pro-
" cedebat; non tamen Saülis. "

Et infrà, explicans verba ista: *jam securis ad* 1572
arborem posita est. " Vides " (inquit) " quo-
" modò pœnitentia ex timore facta, non sit ma-
" la, ut impiè docent Lutherani..... Ve-
" rùm licèt mala non sit hæc pœnitentia ex ti-
" more facta; tamen non erit bona, nisi ultrà
" progrediatur, scilicet nisi ex timore transierit
" ad amorem. "

Et enarrat. in cap. 6. ad illa verba: *Beati eritis,* 1573
cùm vos oderint homines... propter Filium homi-
nis: " Discas oportet, ut siquid feceris, pro Chri-
" sto id facias, & Deum scopum & finem tuo-
" rum operum colloca. Ut autem hæc omnia
" dicta rectiùs intelligas, duas tibi statuo conclu-
" siones, quarum altera esto: si tantum dolorem
" & pœnitentiam tuorum peccatorum habueris,
" & illorum causâ tot lachrymas fuderis, quot
" sunt guttæ aquæ in mari, si hanc pœnitentiam
" & dolorem habueris solùm, vel præcipuè id
" cavens, ne in infernum eas, certissimè scias te
" hâc solâ ratione damnandum fore. Nam in pec-
" cato duo considerare debes: alterum, offen-
" sam quam adversùs Dominum tuum commi-
" sisti: alterum verò, malum quod tibi ipsi com-
" parasti: quia teipsum ad pœnam æternam ob-
" ligasti. Si igitur te peccati tui potius pœnitet
" propter inferni cruciatus, quàm quòd Deum
" offenderis, manifestum est te id potiùs cavere
" & fugere quod contra te est, quàm id quod est
" adversus Deum. Unde fit ut teipsum plusquàm
" Deum diligas. Ideòque numquam peccatum
" tibi remittetur, quantùmvis gravissimum dolo-
" rem habeas, nisi te pœnituerit Deum offendis-
" se. Hunc dolorem vocant Scholastici attritio-
" nem, quæ filia est amoris proprii, ut contritio
" filia est amoris divini... "

Secunda conclusio est: etiamsi Deos alienos 1574
" non adoraveris; si non sumpseris nomen Do-
" mini in vanum; si festa non violaveris; si de-
" nique decem Decalogi præcepta custodieris,
" & denique si Consilia omnia Evangelica ob-
" servaveris: si hæc (inquam) omnia feceris
" sine dilectione Dei, solùm vel præcipuè, ut
" Deus tibi gloriam & quietem suam tibi tribuat,
" sine dubio scias futurum fore, quòd in illam
" non ingredieris. Ratio autem est, quia in quo-
" cumque opere bono duo sunt, alterum est ho-
" nor & gloria, quæ Deo tribuitur; alterum verò
" commodum & utilitas quam inde reportat, qui
" bonum opus facit, scilicet gloriam, quam Do-
" minus illi tribuit. Si igitur tu, cùm sanctam ali-
" quam actionem exerces, plus attendis ad tuum
" commodum & utilitatem, quàm ad Dei hono-

" rem : manifestum est quòd teipsum plus dili-
" gis, quàm Deum ; atque ita quemadmodùm
" opus tuum divino caret amore, ita etiam me-
" rito caret. Quocirca ob talia opera numquam
" in cælum ingredietis, nec Dominus tibi gra-
" tiam dabit. Amor Dei statera est, quâ librabа-
" tur omne quod in Sanctuario offerebatur. Om-
" nis æstimatio siclo Sanctuarii ponderabatur... ".
" Ideòque si.... bona opera feceris, nisi illa ex
" charitate divina processerint... nullâ retributio-
" ne erunt digna... Cujus rei exemplum si appo-
1575 " sitissimum cupias, attende quòd cùm Dominus
" sanctum Job laudaret, dicens eum esse rectum
" & timentem Deum, insultavit dæmon, dicens:
" Numquid Job gratis timet Deum?... Non di-
" xit dæmon, Job non fecisse multa opera bo-
" na... At intentionem & finem operis tetigit,
" dicens, ea non gratis facere, nec propter Deum
" & ipsius amorem (utique gratuitum) sed prop-
" ter suum commodum, & utilitatem... & ipsum
" bonorum, quæ Deus promiserat... Sichem &
" Hemor filius ejus circumcisi fuerunt, sicut Jacob
" & filii sui... nihilominùs hæc circumcisio nul-
" lius fuit valoris & momenti, quia hoc Sacra-
" mentum non acceperunt propter Deum, &
" ipsius amorem, sed propter suam utilitatem &
" emolumentum.... Respondeas, obsecro, si fi-
" lius aliquis jussis & voluntati parentis sui obe-
" diret, non propter castum & filialem amorem,
" sed ne illum in morte exhæredaret, & ut in
" illius patrimonium succederet ; nonne talis fi-
" lius meritò à parente exhæredaretur ? benè uti-
1576 " que.... Si Deo servis ut gloriam tibi donet,
" utique gloriam amittis.... Hoc studium tibi
" esse debet, ut omnia quæ feceris, semper in
" Deum dirigas, & propter illius amorem facias,
" & quia ipse vult, & illi placet. Si autem pec-
" cati pœniteat te, tam sanctum Dominum, tam
" bonum & justum offendisse, is dolor animam
" tuam debet affligere, & est præcipuum quod
" plangere debes. Nonne ratio postulat, ut id
" quod facis cum homine, cum Deo etiam fa-
" cias ? Solet enim contingere, ut amicum ha-
" beas, cum quo conversaris & familiariter agis.
" Quid hoc ? estne quia illius amicitiâ divitem te
" fieri putas ? Respondebis mihi, hanc non esse
" causam, quia tu ditior illo es ; sed solùm quia
" homo sapiens est, cautus, & providus, à quo ni-
" hil aliud vis. Quid igitur est quòd non facis
" cum Deo idem quod cum amico ? Quare il-
" lum non amplecteris solùm propter teipsum,
" cum tam sanctus, tam pius, & misericors sit ?
" Quemadmodùm pœnitet te, si adversùs ami-
" cum deliquisses, solùm quia amicus tuus est ;
" non autem propter utilitatem, quam ab illo
" speras.... Ita, cum flagitium aliquod commi-
" tisti, maxima pœnitentia animum tuum subire
" debet, quia tam bonum & pium Deum offen-
" disti. " Vide sequentia apud ipsum loco cita-
to, ubi ex pluribus Evangelicis sententiis, atque
ex D. Gregorio demonstrat, omnia propter Deum
ipsum facienda ; solvitque objecta contraria, sig-
nanter ex Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.*

ANDRÆAS VEGA.

1577 Doctissimus ille Theologus, *cum attentione & æstimatione debita in Concilio Tridentino auditus* (ut testis est Pallavicinus) multa, eaque præclara, habet in favorem assertionis nostræ. Siquidem l. 6. de justific. c. 28. cum laude & approbatione profert Augustinum 21. Civit. Dei 16. dicentem: " Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cùm
" Dei amore vincuntur. Et alibi " (inquit) " ab-
" surdum existimat, ut sine amore Dei quis con-
" sequatur veniam peccatorum suorum. Et in lib.
" de ver. & fals. pœnit. aperte dicit, sine charitate
non esse in nobis veram pœnitentiam. Bernar- "
dus etiam serm. 24. super Cantica, in illa ver- "
ba, *recti diligunt te*, apertè dicit, fidem etiam "
rectam, non facere hominem rectum, nisi ope- "
retur ex dilectione, & rectum esse non posse, "
qui Deum non diligit. Adjecit & hic calculum "
suum Innocentius III. cap. *majores* de bapt. ab- "
solutè affirmans, nonnisi per charitatem, & in "
charitate crimina dimitti. " Propterea etiam sess. "
6. c. 6. " quarto loco connumerarunt Patres, "
inter dispositiones ad justificationem, post timo- "
rem & ipem, dilectionem Dei, tamquam fon- "
tis omnis justitiæ, & eam causam esse asseveра- "
runt odii & detestationis peccatorum, seu pœ- "
nitentiæ, quam ante baptismum agi oportet. "

Et cap. 30. " dilectionem Dei necessariam es- 1578
se ad nostram justificationem, apud omnes "
Theologicos Tractatores, quos legerim, re- "
ceptissimum est. Et id quidem testimonia Pau- "
li (in Christo Jesu neque circumcisio aliquid "
valet, neque præputium, sed fides quæ per "
charitatem operatur) Augustini & Bernardi sta- "
tim citata manifeste efflagitant. Quòdque fidem "
& præclarissimas virtutes Paulus asserit nihil "
esse, & nihil nos posse juvare sine charitate, "
potissimùm videtur ad eam retulisse, quâ parte "
sub se dilectionem Dei comprehendit. Nam "
ex ea dumtaxat parte charitas major est cæteris "
virtutibus " (non dubium proinde Vegam lo- "
qui de dilectione Dei propter se).... " Et cùm "
Deus sæpè in Scriptura conversionem nostram "
in ipsum à nobis exigit, ut se vicissim ad nos "
convertat, aperte dilectionem à nobis requirit. "
Amore quippe nos in eum convertimus, & "
in ipsum tendimus. Confirmataque est do- "
ctrina illa à Patribus " (Tridentinis) " cum in "
can. 3. statuerunt, necessarium esse Spiritûs "
sancti auxilium, ut diligamus Deum, sicut o- "
portet, ut justificationis gratia nobis confera- "
tur. Siquidem hæc verba aperte docent necesse "
esse diligere Deum, ut justificationis gratia no- "
bis conferatur. Et qui Deum agnoscunt nostris "
peccatis offendi, nunquam certè ad ipsius gra- "
tiam pervenient, nisi de ipsis doleant, QUA- "
TENUS OFFENSA ILLIUS FUERUNT, & "
amore in ipsum redeant, à quo se malè per ea "
averterunt. Non tamen perinde certum est, & " 1579
incontroversum, qualis " (an scilicet formalis, "
an virtualis) " & quanta debeat esse hæc dilectio "
Dei, quam necessariam esse affirmamus ad ju- "
stificationem nostram. " Virtualem sufficere di- "
cit, " quâ de lethalibus ejus offensis " (quâ le- "
thalibus, ut suprà dixit) " doleamus, & mandata "
ejus servare proponamus. Quia dolor iste & "
propositum actu vel virtute est dilectio Dei su- "
per omnia. " Et, ut ait c. 32. " hoc propositum "
servandi mandata divina, dilectio Dei su- "
per omnia videtur, aut certè non esse sine il- "
la. " Et c. 31. " Duo definita de pœnitentia " 1580
hic video " (sess. 6. c. 6.) " primum est, pœ- "
nitentiam esse odium & detestationem propter "
Deum. Secundum est, oportere pœnitentiam "
agi ante baptismum. " Et infrà : " Si ad bap- "
tismum hic dolor de peccatis necessarius est, "
multò magis requiritur ad suscipiendum Sacra- "
mentum pœnitentiæ. " Et lib. 13. c. 25. propo- "
sit. 5. " Cùm verò ad justificationem ex com- "
muni sententia Doctorum aversio à culpa & "
conversio ad Deum necessaria sit, & sine a- "
more Dei nemo ipsi reconcilietur, sicut dicit "
Augustinus : in illis qui sciunt Deum offendi "
peccatis nostris, quia summum bonum est, & "
Legislator providentissimus, qui omnia mala "
districte prohibuerit, necessarium est dolere de "
peccatis, quia offensa sunt illius. Et hoc est "
quod potissimum nobis debet esse amarum in "

" peccatis noſtris, quòd Deum ipſis contemni-
" mus, Deum optimum, maximum, & de no-
" bis optimè meritum, relinquimus, poſthabe-
" mus, & offendimus. Et cùm hujuſmodi dolor
" eſt in nobis, tunc etiam cenſendus eſt eſſe in
" nobis maximus dolor de peccatis: quia eſt do-
" lor de eis ſub ſumma & juſtiſſima ratione,
" quâ ſunt abominanda, & ſub qua ipſâ ſupre-
" ma ſunt mala, & maximè omnium odio
" habenda. Et donec in hanc tantam perfectio-
" nem noſter excreverit dolor, quantuſcumque
" ille ſit, & quâcumque aliâ ratione habeatur,
" nunquam perfectus erit " (id eſt tantus quan-
" tus eſſe debet) " neque ſufficiens ad reconci-
" liandum nos Deo. Et hæc eſt perfectio, quam
" ſuprà ſæpè requiſivimus, quæque una neceſſa-
" ria eſt, ut pœnitentia reparet hominem lap-
" ſum.

1581 Vega quidem à generali regula antè poſita excipit caſum quo peccator invincibiliter ignorat peccatis noſtris Deum offendi, ſicut & caſum quo peccator, poſtquam fecit totum quod in ſe eſt ad habendam contritionem, bonâ fide credens eam habere, non haberet niſi formidoloſam attritionem. Quo utique caſu putat Deum extraordinariâ bonitate ſibi peccatorem ſolùm formidoloſè attritum in Sacramento reconciliare. Sed quia exceptio firmat regulam in contrarium, extra caſus illos, formidoloſâ attritione non contentus, amoroſam in verbis ſuprà relatis perſpicuè requirit attritionem.

PHILIPPUS FABER FAVENTINUS.

1582 In 4. diſt. 14. q. 2. diſp. 16. n. 63. *Multæ* (inquit celebris iſte Scotiſta) *ſpecies attritionis aſſignantur à Doctoribus, quæ ſunt imperfectæ, & carent debitis circumſtantiis; & tamen aliquæ illarum ſunt vera attritio; quædam verò non ſunt attritio vera & chriſtiana, quæ cum Sacramento Pœnitentiæ eſt ſufficiens diſpoſitio ad delendum peccatum... quarta attritio eſt, cùm quis dolet de peccato, non propter Deum, ſed propter gehennam, & pœnam inferni præcisè, non referendo ultimatè dolorem illum in Deum, & propter amorem illius. Sed neque illa eſt vera attritio, ut infrà videbimus.* Num. 64. *Contritio & attritio conveniunt in hoc, quòd utraque eſt deteſtatio peccati perfecta ex genere. 2°. quòd utraque eſt propter amorem Dei, & ex charitate.* Num. 65. *Tota difficultas eſt de circumſtantia finis, an ſcilicet attritio ſit deteſtatio peccati propter Deum, ita quòd includat dilectionem Dei. Nam Suarez... negat attritionem includere dile-*

1583 *ctionem, etiam virtualiter. Quòd ergo attritio ſit ex dilectione Dei, probatur ſic: Ex Concilio Tridentino, & ex communi ſenſu Theologorum, attritio eſt diſpoſitio ad gratiam ſuſcipiendam,* ex ſe quidem & ſolitariè ſumpta inſufficiens, & remota; tamen cum Sacramento ſufficiens. *At omnis diſpoſitio* ad gratiam impetrandam *neceſſe eſt quòd oriatur ex charitate & dilectione Dei. Quia... nulla pœnitentia eſt fructuoſa & meritoria, niſi emanet ex charitate, & eliciatur propter ipſum ſummè dilectum. Ideò cùm attritio ſit diſpoſitio cum Sacramento ſufficiens, neceſſe eſt ut emanet ex charitate, & habeat pro motivo & fine dilectionem Dei, & conſequenter deteſtetur peccatum propter ipſum Deum.* Sic tamen *attritio eſt deteſtatio peccati propter Deum*, ut tamen *remotè* & mediatè, non immediatè & proximè: nam *proximè habet alium finem. Et ideò principalis differentia, quæ eſt inter attritionem & contritionem, eſt circumſtantia finis proximi. Quia finis contritionis immediatus eſt amor Dei: ideò deteſtatio illa peccati, quæ proximè & immediatè eſt quia peccatum eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti, eſt contritio. Illa verò deteſtatio peccati, quæ proximè & immediatè non habet pro fine dilectionem Dei, ſed timorem pœnarum, vel turpitudinem peccati, vel aliud ſimile, ſi datur, eſt attritio, & non contritio.* Num. 66. *Siquis tamen* 1584 *deteſtaretur peccatum præcisè propter timorem gehennæ, ita quòd in illo timore ultimò ſiſteret, & non ordinaret actum illum ad timorem filialem... illa non eſt attritio, quæ eſt diſpoſitio ad Sacramentum, & ſiquis cum hac attritione accederet ad Sacramentum, non ſolùm non conſequeretur gratiam, ſed peccaret. Quia non accederet cum diſpoſitione requiſita. Ubi eſt notandum, quòd licèt timor & metus gehennæ ſit actus de ſe bonus... tamen non ſufficit hic timor, niſi terminetur in timorem filialem & charitatem.* Num. 73. *Quòd ergo attritio* 1585 *oriatur* finaliter & ultimatè *ex motivo charitatis, & conſequenter ſit propter dilectionem Dei ſuper omnia, & ſit deteſtatio peccati ſuper omne deteſtabile, ex dictis ſuprà patet eſſe verum, & adhuc probatur ſic: omnis actus, qui eſt diſpoſitio ad gratiam,* vel ex ſe ſufficiens, vel ſimul cum Sacramento, *oritur ex charitate, & propter dilectionem Dei. Sed attritio eſt diſpoſitio ſufficiens ad gratiam ſimul cum Sacramento... Major probatur, quia ex S. Scriptura habemus, quòd illi actus tantùm, qui charitati & dilectioni Dei innituntur, ſunt diſpoſitiones ad gratiam. Nam epiſt. 1. Joan. c. 3. dicitur: Qui non diligit, manet in morte. Et 1. Cor. 13. Sine charitate nihil ſum.* Et ad idem citat Auguſtinum à Scoto relatum ex lib. de ver. & falſ. pœnit.

PETRUS POSNANIENSIS.

Petrus Poſnanienſis Ord. Minor., Provincia- 1586
rum Poloniæ Pater, & S. Theol. Lector Generalis, in Inſtitutionibus ſacris ſuper Dominicas totius anni, inſtitut. ſpeculat. Dom. 3. Advent. Quinque, ultra dolorem, ad gratiam conſequendam requiruntur, ut ex definitione contritionis " patet. Primò adhibeas diligentiam in peccatis ad " memoriam revocandis.... 2°. circa inveſtiga- " ta commiſſa vel omiſſa habeas actum negati- " vum, id eſt nolle peccaſſe... Præterea oportet " habere..... firmum propoſitum non peccan- " di.... Quale autem debeat eſſe hoc propoſitum, " D. Bonaventura in 4. diſt. 16. & in quæſt. circa " litteram Magiſtri, dicendum (inquit) quòd ſicut " habens charitatem, debet diligere Deum ſuper " omnia... ſic qui habet diſplicentiam contritionis, " debet ſic deteſtari peccatum commiſſum, ut " pro nulla re mundi velit ampliùs peccare, imò " paratus ſit potiùs mori, & omnia patitormenta, " quàm Deum offendere.... 4°. requiritur ut " vitet & fugiat omnes peccati occaſiones..... " Denique debet habere propoſitum firmum confitendi & ſatisfaciendi..... Inſuper omnia iſta " faciat cum debitis circumſtantiis, inter quas primum locum tenet circumſtantia principii & finis, id eſt ut liberè faciat, ut tantùm amore " Dei, & non timore pœnæ. Pro nunc epilogando " 1587
dico, ſi habes actum illum negativum contra " peccatum commiſſum, ceſſas ab actu peccandi, ſtatuis firmum propoſitum non recidivandi, fugiendi occaſiones, voluntatem præterea " habes confitendi & ſatisfaciendi, & hæc omnia " liberè, & ex amore Dei, tunc verâ contritione " plenus es, quæ eſt diſpoſitio ſufficiens ad gratiam. Vade ſecurè ad Confeſſionem: quia gratiam in Sacramento recipies. Quòd ſi unum " prædictorum deficiat, nihil feciſti, nec tibi alia " prodeſſe valebunt. " Nec mirum: præmiſerat enim, quòd " contritio & attritio differunt in " duobus. 1°. penes perfectum & imperfectum. " 2°. per hoc quòd attritio eſt dolor ſine gratia gratum faciente; contritio verò non eſt ſine gratia. " Quòdque proinde " contritio & " attritio materialiter idem ſunt, ſicut domus obſcura & illuminata. Attritio quippe ſpecie non " differt à contritione, cùm ſit lux auroræ, quæ " creſcendo fit meridies. "

Et

1588 Et inſtitut. ſpecul. Dom. 2. Quadrag. " Si pœnitentia debet eſſe valida, oportet eam eſſe circumſtantionatam.... Debet autem ex Scoto, " pœnitentia habere duplicem circumſtantiam, " principii & finis, ut ſit voluntaria quoad principium, & propter amorem Dei, quæ eſt circumſtantia finis. " Et paulò poſt: " Quid tibi prodeſt Confeſſio, ſi tantùm timore mortis & inferni facis? .... Neceſſe eſt ut quævis pœnitentia ſit propter amorem Dei facta, & reſpiciat Deum pro fine. Nam certum eſt imprimis, actum moralem debere eſſe circumſtantionatum per Scotum. Inter omnes autem circumſtantias maximè requiritur circumſtantia finis, idque potiſſimùm in actu pœnitentiæ, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam delentem culpam, ut dicit Scotus. Niſi enim ille actus fuerit factus amore Dei principaliter, & non tantùm timore ſervili, nunquam erit diſpoſitio ſufficiens ad gratiam delentem culpam, ut dicit Scotus ubi ſuprà. Unde Auguſtinus: non itaque in ſolo timore vivit homo. Quem ergo pœnitet ſerò, oportet non ſolùm Deum timere Judicem, ſed juſtum diligere..... Debet ergo pœnitere ex amore Dei, & non timore pœnæ. Omne enim principium practicum ſumitur à fine, ut exponit Scotus q. ult. Prologi, & diſt. 1. primi, quod principium ſive cogitatio cognitionis practicæ dirigit voluntatem, ipſam ordinando in operibus ſuis, id eſt principaliter dictat voluntati, ut principaliter eliciat ſuam operationem propter ultimum finem. Atteſtatur id D. Hieronymus ad Damaſum Papam, de filio prodigo inquiens: qui diligit, non idcò imperata cuſtodit, quia aut timore pœnarum, aut præmii amore compellitur, ſed quia ipſum quoque, quod jubetur à Deo, eſt optimum." Plura de mente Scoti apud ipſum videri poſſunt.

ANTONIUS HIQUÆUS.

1589 In 4. diſt. 14. q. 2. n. 119. *Sive attritio, ſive contritio requiſita ad remiſſionem peccatorum, debet elici ex motivo charitatis, ſive proximo, ſive remoto, hoc eſt elici, vel imperari à charitate. Eſt Doctoris ſuprà* (id eſt diſt. 14. q. 1. & 2.) *& aliàs ſæpè. Et diſt. 20. q. 1. concluſ. 2. probat. 2. quam ibidem ſupponit ex Aug. & habetur diſt. 7. de pœnit.*

1590 Probatur 1°. quia eſt diſpoſitio proxima ad ſalutem, & ſanctificationem ac vitam æternam, ſeu finem ultimum. Ergo debet eſſe ex charitate, ſalutem imperante. Probatur conſequentia: diſpoſitio proxima ad ſalutem & ſanctificationem, valet ad ſalutem. Sed nullus actus valet ad ſalutem ſine charitate, juxta Apoſtolum 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt... Et ibi commemoratis præcipuarum virtutum actibus, ait, nihil ſine charitate eos prodeſſe. Et ſermo præcipuus eſt de charitate actuali, ut patet ex textu: charitas benigna eſt, non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, &c. Item ad Galat. 5. In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur. Loquitur autem Apoſtolus de valore ad ſalutem. Sed attritio*, proximè diſponens ad ſalutem & ſanctificationem, *ad ſalutem valet. Ergo eſt ex fide operante per charitatem. Aliàs hæc non eſſet unicum ad ſalutem medium, contra Apoſtolum. Vide Aug. de ſpir. & litt. c. 32. l. 2. contra adverſ. leg. & Prophet. c. 7. Enchirid. c. 117. tr. 10. in epiſt. Joan. de fide & oper. c. 14. & 16. ſerm. 16. de verb. Apoſt. lib. 21. Civit. c. 21. de grat. & lib. arb. c. 7. l. 50. homil. homil. 17....*

1591 *Probatur 2°. ex Trid ſeſſ. 6. c. 6. ubi exponens actus neceſſarios ad converſionem, ultimo loco ponit pœnitentiam quæ ſupponit charitatem & ſpem, & ex motivo charitatis eſt: illum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Sed Concilium ubi loquitur de diſpoſitione in genere requiſita, non tantùm de contritione perfecta. Quia agit de diſpoſitione neceſſaria ad baptiſmum, ad quem ſufficit ſola attritio. Idèoque ſubjicit: propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod... hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Ubi determinat quemcumque dolorem, ſive perfectum, ſive imperfectum, qui ſit ſufficiens diſpoſitio ad baptiſmum, qualis eſt attritio. Deinde infrà c. 7. dicit, baptiſmum eſſe cauſam inſtrumentalem juſtificationis, quæ ad eam diſpoſitionem ſequitur.*

Dices, Concilium ibi loqui de dilectione, quæ ſit actus ſpei. Contrà: ſupponit Concilium huic dilectioni actum ſpei & timoris. Deinde can. 3. qui deſumptus eſt ex illo capite, ſiquis..... dixerit poſſe credere, ſperare, diligere, pœnitere, ſicut oportet, &c. Ubi diligere denotat actum charitatis, ut diſtinctum à ſpe. Præterea Tridentinum ibi præſcribit motiva ſufficientia & requiſita præparationis ad juſtificationem. Ergo ex iis haberi poteſt tam contritio quàm attritio. 1592

Deinde probatur ratione, quia.... aliàs attritio non eſſet dolor de peccato ſub ratione offenſæ & averſionis à Deo. Et illa virtus, cujus attritio eſſet actus, poſſet operari ad ſalutem independenter à charitate. Et conſequenter hæc non eſſet plenitudo legis, aut forma reliquarum. Denique charitas requiritur ad augmentum gratiæ. Ergo & ad primam gratiam. 1593

Objicies, Tridentinum dicit, quòd attritio concipitur communiter ex metu pœnarum inferni, atque ex hoc motivo diſtinguit eam à contritione perfecta. 1594

Reſpondet Faber, Tridentinum ibi aſſignare motivum proximum & immediatum attritionis; non ultimatum & remotum. Contrà: vel loquitur de motivo formali ſpecificante, vel de motivo circumſtantiæ principalis, quæ dicitur finis (ſola enim hæc duo motivorum genera concurrunt ad actum virtutis.) Si primum, non neceſſariò differunt in attritione & contritione, ſecundum principia Scoti. Si ſecundum, ex dictis patet eumdem eſſe finem ultimum utriuſque.

Reſpondetur ergo ad objectionem, Tridentinum non loqui de motivo ſpecificante in genere entis aut moris, id eſt nec in ratione objecti, quod ſpecificat in genere entis; nec in ratione finis, qui ſpecificat in ratione finis; ſed de motivo excitante voluntatem aliàs torpentem & languidam, quæ quandoque, dum ad plures actus gradatim ex uno in alterum procedit, quamvis actum ſequentem non eliciat ex motivo prioris, tamquam amorem medii propter finem, tamen actus poſterior dicitur eſſe ex motivo prioris; non ſpecificante ipſum per modum finis, ſed taliter excitante, ut hic & nunc non exiret in actum niſi excitata à priori. Ad modum quo Sacerdos, nolens celebrare niſi dato ſtipendio, ſibi proponit ſtipendium, non tamquam motivum ſpecificans voluntatem celebrandi, ſed tamquam excitans & applicans. 1595

Nihil ergo indicat hìc Tridentinum, niſi quod fuſiùs declaravit ſeſſ. 6. c. 6. præparationem ad juſtificationem communiter incipere à timore ſervili, deinde procedere per ſpem & dilectionem ad odium peccati. In quo proceſſu timor gehennæ eſt primum excitans, non ſpecificans odium peccati. Quod colligitur ex ly *communiter concipitur*: ſi enim ſermo eſſet de motivo ſpecificante, non diceret *communiter*, ſed ſemper. Cùm *repugnet actum non concipi ex motivo ſuo formali & ſpecificante.* Tamen Hiquæus obſervat Trident. ſeſſ. 14. c. 4. loqui de charitate habituali, cum dicit 1596

contritionem perfectam esse *charitate perfectam*. Siquidem *sess. 6. c. 6. jam dixerat, contritionem, etiam imperfectam, debere esse perfectam dilectione actuali. Ergo per ly charitate perfectam intelligit perfectam charitate habituali.*

JOANNES PONTIUS.

1598 Disput. 45. de pœnit. q. 3. concluſ. 2. n. 20. *Attritio aliqua poteſt esse ex motivo charitatis. Eſt conformis Scoto, & suis omnibus.* Quòd ſit conformis Scoto, probat ex eo quòd Scotus in 4. diſt. 14. q. 2. *videtur docere differentiam utriuſque conſiſtere tantùm in diverſitate intenſionis. Cenſet ergo aliquam attritionem habere idem motivum cum motivo contritionis perfectæ.*

Concluſ. 3. n. 21. *Ut quis diſponatur benè ad conſequendam juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, debet habere dolorem de peccatis ex motivo charitatis, ſive elicitè, ſive imperatè.* HÆC EST COMMUNIS APUD SCOTISTAS. Pro qua concluſione refert Auguſtinum de ver. & falſ. relig. *Sine amore nemo unquam gratiam invenit, nec veniam aſſecutus eſt.* Serm. 7. de temp. *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei.* 21. Civit. 27. *Niſi deſiſtant à peccatis habendo charitatem, quæ non agit perperàm, nihil eis prodeſt.*

Concluſ. 3. n. 23. addit, attritionem cum Sacramento ſufficientem, eſſe debere ex amore Dei ſuper omnia. Aliàs non ſufficeret ad excludendum affectum mortaliter inordinatum erga omnem creaturam.

LAURENTIUS CARDINALIS DE LAURÆA.

Ipſum dabimus totum noſtrum n. 1983.

1599 His itaque perlectis judicet R. P. Fulgentius Notaü, judicet quilibet æquus Lector, an non verum ſit; imò an non certum, quòd & Scotus, & magna ac præcipua pars diſcipulorum ipſius ad attritionem juſtificantem cum Sacramento requisierint dolorem de peccatis, ex caſta Dei propter ſe dilectione. Et an veri Scotiſtæ ſint, qui attritione purè formidolosâ contenti ſunt? Pontium in numerum fidelium Scoti Interpretum non admitti dicit R. P. Fulgentius. In hac certè quæſtione potuit vertere folium, & ſibi potiùs adſcribere, quod Pontio adſcripſit.

§. VI.

A ſæculo XV. ad XVI. præter S. Bernardinum Senenſem, Guilielmum Vorillum, Joannem de Baſſolis, Nicolaum de Orbellis, Bernardinum de Buſtis, Angelum de Clavaſio, Almainum, Nicolaum de Nyſe (§. præcedenti laudatos) producuntur Capreolus, S. Vincentius Ferrerius, S. Laurentius Juſtinianus, Joannes Gerſon, noſter Thomas Waldenſis, Joannes Nider, Raymundus Sebundius, Robertus Holkot, Abubenſis, Nicolaus Dunckelſpuel, S. Antoninus, Henricus Harphius, Joannes de Turrecremata, Dionyſius Carthuſianus, noſter Joannes Beetz, Oliverius Maillardi, Joannes Meder, Gabriel Biel, Ambroſius Tarviſinus, Ægidius Carlerius, Hieronymus Savanarola.

1600 NE in immenſum noſter excreſcat Catalogus, nonnullos ex ipſis ſpecialiter exhibebo, reliquorum loca dumtaxat indicabo. Capreolus itaque videri poteſt in 4. diſt. 17. noſter Thomas Waldenſis to. 2. de Sacram. c. 143. Abulenſis to. 1. in Matth. c. 3. q. 52. Joannes de Turrecremata tr. de pœnit. Oliverius Maillardi ſerm. 19. de pœnit. Joannes Meder ſerm. 18. in Parabol. filii prodigi. Ambroſius Tarviſinus ſerm. 19. conſid. 1. Ægidius Carlerius in reſponſ. ad quæſtiones factas per Abbat. Aquicinct. Hieronymus Savanarola in Confeſſionali p. 3.

S. VINCENTIUS FERRERIUS.

1601 Sanctiſſimus ille pariterque doctiſſimus Prædicatorii Ordinis Eccleſiaſtes, ad multorum conversionem divinitùs electus diſt. 157. de novem modis remiſſionis contritionem requirit, dicens: *Secundus modus eſt per Confeſſionem.... sdeò in Confeſſione ſacramentali, quando homo venit cum contritione, & dolore, & bono propoſito ulteriùs abſtinendi à peccato, tanta eſt virtus Confeſſionis, quòd remittuntur omnia peccata.* Requiſitam verò contritionem ſer. 3. poſt *reminiſcere* ab attritione ſervili diſtinguit, & conſiſtere dicit *in duobus, unum eſt verſus inferius, ſcilicet dolor de peccatis.... ſed non eſt contritio, ſed materia contritionis. Nam aliud eſt forma, quæ dat eſſe rei, ſcilicet contritio, id eſt dolor ille, qui eſt de peccatis reſpectu Dei quem offendit: aliàs ſi homo haberet tantum dolorem de peccatis, quòd fleret, ſed non propter Deum, attritio eſt, ſed non contritio, quæ non ſufficit ad ſalvationem.*

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

Lib. 2. de ſpir. animæ reſurrect. *Quamdiù quis* 1602 *metu temporalis ſupplicii, ſeu æterni, ſerviliter vivit, à filiorum Dei ſegregatus eſt ſorte.* Cur ita? quia quamdiù ſolo ſervili timore recedit à peccato, non omninò liber eſt à voluntate peccandi. Ut enim ait in tract. de timore c. 5. *Timor ſervilis eſt, quo quis timet peccare propter pœnam principaliter. Sed inaniter putat ſe eſſe victorem peccati, qui timore pœnæ non peccat: quia eſt non impletur negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intùs eſt hoſtis. Nam ſi adhuc à prava actione formanda pœna prohibet; profectò formidantis animum nulla ſpiritûs libertas tenet. Nam ſi pœnam non metueret, culpam procul dubio perpetraret.*

JOANNES GERSON.

Serm. in cœna Dom. de pœnit. (ubi expreſè 1603 teſtatur ſe ſcholaſticè, non ſolùm declamatorio more diſſerere) enumeratis partibus pœnitentiæ ſacramentalis, ſcilicet contritione, confeſſione, ſatisfactione: *Aqua contritionis* (inquit) *ſit calida. Hoc fit per converſionem in Deum, fide, ſpe, & charitate ſubnixam... Hoc eſt quod dicitur à Doctoribus; quia quatuor requiſita ſunt in contritione, converſio ad Deum, averſio à creatura, infuſio gratiæ, & expulſio culpæ. Hunc calorem non habet aqua illorum, qui dolent de peccatis ſolo timore pœnæ.... ſicut communiter evenit in morte, ubi affectio commodi, quæ gelida eſt, & nch juſti dominatur.*

Et infrà, explicans conditiones debitæ Confeſſionis: *Tertiò* (inquit) *Confeſſio fiat verè, non fictè, hoc eſt in contritione & charitate, ſecundum probabilem conjecturam. Utrùm autem Confeſſio quæ fit ſine charitate* (id eſt extra gratiam) *liberet, ne iterùm dicantur peccata, vel à præcepto Eccleſiæ, eſt difficultas vix inter Scholaſticos ſufficienter diſſolubilis. Oſtendit hoc multiplex opinionum varietas. Dicit autem D. Guilielmus Pariſienſis, & alii communiter, quòd contritio, quæ aliàs non eſſet ſufficiens, ſit ſufficiens virtute Sacramenti.... Ponendum eſt igitur, & dicendum, ſicut quidam in Evangelio: credo Domine, adjuva incredulitatem meam; ita pœnitentiario* (id eſt pœnitenti infirmo) *adjuva impœnitentiam meam. An autem danda ſit pœnitentia tali? tenendum quòd ſic, non tamen abſolvendo, ſed ad præſervationem in futurit.*

JOANNES NIDER.

Author ille inſignis Ordin. Prædicat. *Magiſter* 1604 *in Theologia eruditiſſimus, Speculum Regularis Obſervantiæ, & ſcientiarum omnium Promptuarium uberrimum nobiliſſimumque* (uti eum vocat Sixtus Senenſis in Bibliotheca Ordin. Prædic.) in ſuo Præceptorio, ſeu Decalogi explicatione, præcepto 3. agens de Pœnit. Sacram. tribuſque partibus illius, contritione, confeſſione, ſatisfactione: "Primò" (inquit) "videndum de ori-

gine

„ gine contritionis, secundò de conditionibus con-
„ tritioni necessariis. Quoad primum... contri-
„ tio est dolor voluntarie assumptus pro peccatis,
„ cum proposito confitendi & satisfaciendi....
„ Quoad secundum notandum, secundùm Ma-
„ gistrum... & D. Thomam, & Scotum, quòd
„ ad habendam contritionem, vel dispositionem
„ sufficientem ad eamdem, pro deletione om-
„ nium peccatorum mortalium, exiguntur plu-
„ ra..... sextum requisitum est motus liberi ar-
„ bitrii in Deum, qui videtur esse maxima Dei
„ dilectio super omnia. Ratio est secundùm Tho-
„ mam in 3. p. q. 85. quia talis dilectio Dei est
„ causa detestationis peccatorum finaliter propter
„ Deum, & in quantum sunt Dei offensiva, &
„ contra honorem ipsius facta.... ad veram enim
„ pœnitentiam requiritur (dicit Thomas ibidem)
„ quòd homo detestetur peccatum, in quantum est
„ contra Deum. Et post pauca subdit: si enim
„ displiceret homini aliquod peccatum, eò quòd
„ est contra Deum super omnia dilectum, quod
„ requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ, tunc
„ etiam displicerent sibi omnia mortalia. Ideò Ma-
„ gister in 4. dist. 20. B. Aug. allegando dicit:
„ arbitrii libertatem quærit Deus, non necessita-
„ tem: charitatem, & non solùm timorem....
„ Ergo oportet quòd homo Deum super omnia
„ diligat, & quòd actualis Dei dilectio sit sibi cau-
„ sa, & eum moveat ut detestetur peccatum fi-
„ naliter propter Deum, scilicet in quantum est
1605 „ Dei offensivum, & contra ejus honorem. Ex
„ quo patet, quòd si homo sua peccata detesta-
„ tur solùm quia sunt opposita virtuti morali, aut
„ solùm.... propter timorem pœnæ, amissionis
„ vitæ æternæ, in quantum illa esset sibi ad in-
„ commodum, ibi sistendo, sine ulteriori rela-
„ tione in Deum, tunc homo solùm quæreret
„ suum commodum, & fugeret suum incommo-
„ dum, & nullo modo quæreret Deum, & il-
„ lius honorem, contra illud Apostoli 1. Cor. 10.
„ Sive manducatis, sive bibitis, &c. Nec talis de-
„ testatio esset actus virtutis: quia non circum-
„ stantionata debito fine, & per consequens non
„ formaretur gratiâ, nec fieret contritio.... imò
„ ipsa esset vitium, & actuale peccatum.... &
„ per consequens etiam non esset attritio vera.
1606 Et c. 11. " Ad veram pœnitentiam requiritur
„ ordinata displicentia de peccatis: ad hoc autem
„ quòd displicentia valeat, & ordinata sit, opor-
„ tet quòd sit debitè circumstantionata, & maximè
„ circumstantiâ finis, ut scilicet sit voluntaria
„ propter Deum. Sed.... qui usque ad extremum
„ fuit impœnitens, non videtur ex scipso extor-
„ quere displicentiam novam, nisi timore pœnæ
„ imminentis, & sic non propter Deum fit, sed
„ propter se, & tantùm propter vitare malum
„ damnationis suæ. " Et cætera subjungit quæ ex Scoto §. præcedenti retulimus.

ROBERTUS HOLKOT.

1607 Lect. 48. in cap. 4. libri Sapientiæ: " Malus
„ senex potest in articulo mortis utiliter pœnitere,
„ licèt hoc accidat valdè rarò. Pœnitentiæ enim
„ talium quandoque timore pœnæ procedunt,
„ non amore justitiæ, sicut de Antiocho dicitur
„ 2. Machab. 9. " Et infrà ad 2. " Augustinus
„ non dubitat, quin pœnitentia sera sit utilis, si
„ sit vera; sed dubitat an sit vera & procedens ab
„ amore justitiæ, an timore pœnæ.

RAYMUNDUS SEBUNDIUS.

1608 Theol. natural. tit. 294. " Vera indulgentia non
„ potest recipi, nisi culpa & offensa displiceat...
„ Et sic duo sunt necessaria ad destructionem
„ & deletionem ipsius peccati, seu culpæ & of-
„ fensæ contra Deum. Unum est ex parte Dei
„ offensi, & hoc est remissio & venia. Et aliud
„ ex parte hominis offendentis... & hoc est vera
displicentia & tristitia seu dolor QUIA PECCAVIT. "

Et tit. 295. " Culpa ideò est culpa, quia vo- " 1609
luntaria & placens. Ideò non potest destrui nisi " per suum contrarium, scilicet quòd fiat invo- " luntaria, & displiceat, in quantum culpa est " in se; aliter semper manet. Et ideò si homo, " qui est in culpa, moritur sine displicentia culpæ, " in quantum culpa est, tunc moritur in culpa, " & talis culpa manebit in eo in æternum.... Quia " culpa, in quantum est offensa & contemptus " Dei, & aversio à Deo.... si debeat destrui, " oportet ut displiceat homini, in quantum est " Dei offensa & injuria, & sub illa ratione. Ali- " ter semper manet offensa ipsa. Et si culpa dis- " pliceat homini, in quantum est culpa, seu inor- " dinatio voluntatis, & non displiceat, in quan- " tum est offensa respectu Dei, tunc remanet " culpa quantùm ad Deum, & debetur ei pœna " infinita. "

RAYNERUS DE PISIS.

Doctor iste Ord. Prædic. in Scripturis sanctis 1610
(ut Trithemius ait) studiosus & eruditus.... & non minùs religione quàm scientiâ venerabilis, in Pantheologia, seu Summa sua, verbo *timor*, post-quam dixit, quòd timor servilis refugit peccare, non propter culpam (*quasi sibi displiceat culpa secundùm se*) *sed propter pœnam. Peccatum* (inquit) *dimittere solo metu pœnæ, nec à culpa liberat, nec à pœna. Primò non liberat à culpa. Unde Augustinus: inaniter se putat victorem peccati, qui timore pœnæ non peccat, &c. Secundò talis timor non liberat à pœna.... Hoc patet exemplo. Nam quidam mortuus, & cum lachrymis confessus, apparens socio suo, secundùm condictum, dixit se damnatum, & confessionem & lachrymas nihil sibi valuisse. Quia solo timore mortis & inferni illa omnia fecerat.* Vide in eodem pulchra de timore initiali, & charitate imperfecta, illiusque distinctione à perfecta.

S. ANTONINUS.

Parte 4. tit. 14. c. 5. ante §. 1. *Pœnitentes,* 1611
præcipuè in infirmitatibus gravibus, oportet admonere, ne ad pœnitendum & confitendum propter hujusmodi pœnas inferni, & Deum justum inferentem tales pœnas peccatoribus, principaliter moveantur. Inter alia hoc probat exemplo: *Quidam Scholaris Parrhisius infirmatus ad mortem, confessus est cum multis lachrymis, devotè suscipiens omnia Sacramenta, secundùm humanum judicium. Doctor autem ejus frequenter visitans eum in infirmitate, rogavit eum, ut si contingeret de hac luce migrare, Domino concedente, sibi appareret ad revelandum statum suum. Quod & promisit. Eo igitur viam universæ carnis ingresso, post dies aliquot (dictus Scholaris) ei apparuit in lecto quiescenti, in chlamyde pergamanea, plena sophismatibus, & igne federata. Quem recognoscens & interrogans de statu suo, respondit se fore damnatum. Cumque ille miraretur nimis, causam quærens, cùm ipse cum tot lachrymis pœnituisset in fine, & Sacramenta devotè suscepisset. Respondit ille: pœnitentia mea & lachrymæ meæ non fuerunt ex amore Dei, & principaliter propter Dei offensam, sed propter timorem inferni, ne ad illum deputarer. Et ideò mihi non valuit.*

NICOLAUS DUNCKELSPUEL.

Dunckelspuel, ut de ipso scribit Trithemius in 1612
lib. de Scriptor. Eccles. natione Teutonicus, Viennensis Gymnasii in Austria Decus & Rector, in Scripturis sanctis doctissimus, & in sæculari Philosophia multùm eruditus, ingenio clarus, sermone scholasticus, vitâ & conversatione insignis, &c. Vir ergo talis ac tantus qui (eodem Trithemio teste) claruit personaliter in Concilio Constantiensi, missus ab Universitate Viennensi anno 1440. Tract. 4. de tribus partibus pœnitentiæ fol. 70. postquam dixit, quòd *confessio non est absolutionis utilis, nisi in pœnitente eam præcedat aliqua contri-*

tio, vel ad minus aliqua attritio, seu de peccatis displicentia benè moraliter circumstantionata. Explicat deinde requisita ad illam contritionem, vel attritionem: *Sextum* (inquit) *requisitum est motus liberi arbitrii in Deum.... Et videtur quòd ille motus liberi arbitrii in Deum..., maximè sit dilectio Dei actualis super omnia, quæ ipsi pœnitenti sit causa detestationis peccatorum finaliter propter Deum, & in quantum sunt Dei offensiva, & contra honorem ipsius facta.* Deinde cætera habet ut Nider suprà.

HENRICUS HARPHIUS.

1613 L. 1. Theol. Mystic. c. 37. Ad impii justificationem, " primò " (inquit) " requiritur infusio „ gratiæ, deinde motus liberi arbitrii in Deum „ per dilectionem, posteà in peccatum per detes„ tationem, eò quòd sit contra Deum, & tan„ dem sequitur peccati remissio.

Et c. 38. " Quatuor requiruntur ad perfectio„ nem veræ pœnitentiæ. Primum est peccata de„ plangere, vel saltem de eis dolere, & displicen„ tiam habere... Verumtamen non omnis dolor „ & displicentia pro peccatis delet peccatum.... „ quia dolor existens in voluntate.... quandoque „ est informis, & tunc dicitur attritio: sicut cùm „ quis dolet de peccato propter sequens damnum, „ vel incommodum, temporale vel æternum, & „ non propter divinam offensam. Sed talis dolor „ non formatur de lege communi, nisi sit maximus „ in comparatione aliorum dolorum. Quia quantò „ quid debet magis placere, tantò oppositum ejus „ debet magis displicere. Et quia maximè placere „ debet summum bonum, à quo separatur homo „ per peccatum: ideò major esse debet displicen„ tia de mortali peccato, quàm de quocumque „ alio malo... Secundum quod requiritur est e„ tiam peccata veraciter odire. Et hoc solùm quia „ Deo sunt contraria, non propter aliud quod„ cumque damnum vel incommodum.

1614 Et cap. 40. " Visis duobus primis actibus pœ„ nitentiæ, duos ultimos jam prosequamur. Ter„ tius igitur actus est laborare fideliter ad peccati „ destructionem, per veram Confessionem, & „ satisfactionem... Quartus... est quòd pro nul„ lo honore vel scandalo, nullo lucro vel dam„ no, nullo commodo vel incommodo, nullâ „ pœnâ vel miseriâ, nullâ passione vel affectio„ ne iterùm velit plangenda admittere. "Tertium verò actum seu requisitum explicans, ait: " Con„ fessionis dilationem esse periculosam, & timen„ dum quòd in anno confitens semel, non ex „ amore, sed ex timore... potiùs hoc facit. Quia „ si non rediret tempus jejunii, cum eis etiam „ non rediret tempus Confessionis peccati, ex „ arida consuetudine potiùs quàm ex vera pœni„ tudine illam perficientes.

DIONYSIUS CARTHUSIANUS.

1615 Formidolosæ attritionis insufficientiam expressè docet in Summa de fid. orthodox. a. 134. in fine tertii Sentent. Et in 4. dist. 14. & 20. vide ibi. Solùm hîc exhibeo quod ait in l. de strictâ via salutis a. 24. sub finem: *Quod Propheta ait: quâcumque horâ peccator ingemuerit, omnium peccatorum ejus non recordabor: intelligendum est utique de gemitu ex vera contritione procedente. Vera autem contritio ex vera Dei dilectione procedit, & ex odio culpæ, atque effectu justitiæ..... Quum hæc ita se habeant, qualis potest esse contritio, & gemitus ejus, qui in articulo mortis confitetur & pœnitet?... Formidandum videtur quòd ex timore servili, & fide informi, ac proprii commodi nudo intuitu contritio & gemitus ille nascantur. Nec est vera contritio, sed quædam attritio. Qui autem salubriter confitetur, & pœnitet, oportet ut doleat de peccato, in quantum est peccatum & Dei offensa, seu divinæ sanctitatis ac majestatis inhonorativum.*

Et in Dial. de conversi. peccat. art. 2. post me- 1616
dium: *Verba suscipe Augustini... qui tunc pœnitent, quamdiù diutiùs se vivere posse non putant, an securè exeant, ego non sum securus. Et hoc loquitur Augustinus, non quòd dubitet, an tales salventur, dummodò ex vera pœniteant contritione... sed quia paucissimi talium veram habent contritionem, & confitentur... ex servili timore districtionis divini judicii, atque æterni supplicii; non ex vero zelo justitiæ, charitateque Dei: sine qua nihil proficit ad salutem.*

JOANNES BEETZ.

Egregius iste Carmelita S. Theol. Doctor & 1617
Professor Lovaniensis, exposit. in tertium præceptum Decal. c. 5. *Confessio* (inquit) *debet esse voluntaria..... Ex hac conditione sequitur, quòd debet fieri cum vera contritione, & in charitate, sive ex timore filiali, & non servili. Quia timor servilis quodammodò cogit: sed filialis hominem liberum facit.*

GABRIEL BIEL.

In 4. dist. 14. q. 2. (in cujus titulo & decursu ex- 1618
pressè declarat se agere de remissione sacramentali) dicit, quòd *ad remissionem peccati mortalis, sive ad justificationem requiritur duplex motus voluntatis nostræ. Unus in peccatum per odium & displicentiam, alter in Deum. Qui motus est conversio per amorem in Deum, secundùm illud Zachar. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Et illud Jacob. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: Appropinquamus Deo, non pedibus, sed amore, secundùm Augustinum.* Et infrà: *Non est possibile aliquem à peccatis liberari sine actu amoris prævio. Nam sicut in omni peccato fit aversio a Deo ad creaturam, plus Deo dilectam, propter cujus dilectionem divinum præceptum contemnitur; ita in conversione necesse est se avertere à creatura & peccato propter Deum* (plus creaturâ dilectum) *pro cujus amore creatura contemnitur, ut conversio ex opposito correspondeat aversioni. Propter hoc B. Augustinus 14. Civit. ult. hos duos amores tamquam radices duarum civitatum, justorum scilicet & reproborum, posuit; illius amorem Dei, usque ad contemptum sui; & istius amorem sui, usque ad contemptum Dei. Unde omnis justus habet in se amorem Dei usque ad contemptum sui. Et per consequens ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii in Deum per amorem Dei.... Hoc idem testatur B. Joannes 1. Joan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Ergo sine dilectione Dei nemo suscitatur à morte. Hoc idem innuit B. Augustinus de ver. & fals. pœnit.... quomodò sine amore Dei consequetur indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam. Patet ergo quòd actus interiores requiruntur ad justificationem, præter actus exteriores Sacramenti, hoc est præter confessionem oris, & absolutionem Sacerdotis.*

Item infrà: *Displicentia peccatorum ex amore* 1619
sui, præcisè quia sunt sibi mala, non sufficit ad peccati remissionem. Item: *Detestatio peccati, à timore servili orta, dicitur dispositio de congruo ad pœnitentiam, non immediata, nec sufficiens, sed multùm remota.* Item: *Considerato quòd peccata sunt Deo contraria, & divinæ Majestatis offensiva, incipit* (peccator) *elicere peccati odium, & nolle peccasse propter Deum finaliter super omnia dilectum.... Et illa pœnitentia necessaria est ad peccati deletionem.... quæ non potest esse sine dilectione Dei super omnia.*

§. VII.

A sæculo XVI. ad usque Tridentinum amorosam contritionem, vel saltem attritionem, communi calculo pariter requisierunt Sylvester Prierias, Joannes Major, Trithemius, Conradus Koellinus, Joannes Ludovicus Vivaldus, Natalis Beda, Adrianus VI. Cordubа, Ferrariensis,

Gaspar Ntarenus, Petrus Sutor, Franciscus Victoria, Chrysostomus Javellus, Cajetanus, Nicolaus Grandis, Guilielmus de Monte Rocherio, S. Thomas Villanovanus, Guilielmus Pepinus, Isidorus Clarius, Adam Sasboldus, Clemens Araneus de Ragusio, Cunerus Petri, Godescalcus Rosemondus, Joannes Driedo, Viexmontius, Petrus & Dominicus Soto.

1620 VIderi possunt Sylvester Prieras in Summa verbo *contritio*. Conradus Koellinus 1. 2. q. 103. & 113. Natalis Beda annot. in Commentar. Jacobi Fabri Stapul. in cap. 6. epist. ad Hebr. & in c. 2. ad Rom. Corduba l. 1. q. 2. p. 4. Gaspar Contarenus l. 3. de Sacram. Pœnit. Adam Sasboldus hom. 5. super *convertimini ad me*. Nicolaus Grandis in cap. 6. & 9. ad Hebr. Isidorus Clarius orat. 13. de pœnit. Chrysost. Javellus Philosophiæ Christianæ to. 2. p. 5. de Sacram. Pœnit. Petrus Sutor l. de potest. Eccles. in occult. c. 1.

JOANNES MAJOR.

1621 In 4. dist. 14. q. 1. pœnitentiam in genere definit : *Pœnitentia est displicentia de peccatis commissis propter Deum.*

Infrà §. *arguitur contrà 6. conclusionem : In qualibet detestatione peccati, quia est Dei offensivum, imbibitur amor Dei.*

Et adhuc infrà : *Dico multiplicem esse attritionem, una est nolitio peccati solùm formidine pœnæ, juxta illud : Oderunt peccare mali formidine pœnæ, qui est actus malus, & timor servilis.*

Quæst. verò 2. dicit, quòd virtus pœnitentiæ præsupponitur *ad hoc quòd Pœnitentiæ Sacramentum suum causet effectum, puta gratiam.* Virtus autem pœnitentiæ de peccatis dolet propter Deum, atque ex amore Dei, ut suprà dixit.

TRITHEMIUS

1622 Serm. 5. exhort. ad Monach. *Deus est summum & immutabile bonum, cujus amore peccatum fugiendum est, & detestandum : quoniam qui timore pœnarum dumtaxat peccare metuit, ad charitatis præmia non ascendit.*

JOANNES LUDOVICUS VIVALDUS.

1623 In lib. cui titulus : *Aureum Opus* de verit. contrit. fol. 149. edit. 1519. *Dilectio Dei super omnia est penitùs necessaria ad veram pœnitentiam.*

Et fol. 150. *Si.... propter timorem pœnarum inferni retrahatur à peccato.... & idcircò convertitur ad Deum, & ei inhæret propter timorem pœnæ, ibi sistendo, talis non dicitur pœnitens, nec contritus ; sed mercenarius : nam talis timor dicitur servilis, quia quærit commodum proprium, & fugit suum incommodum.... Propterea Gregorius in octavo lib. Moral. dicit : Alia est compunctio, sive contritio, quæ per amorem nascitur; & alia quæ nascitur per timorem. Quia aliud est supplicia fugere, & aliud præmia considerare. Quasi dicat : quamvis multi timore servili à peccato retrahantur ; non tamen propter hoc intelliguntur habere contritionem..... Unde Isidorus in 2. lib. de Sum. bono cap. 8. dicit sic : Necesse est omni converso, ut post timorem, confugere ad charitatem Dei debeat, quasi filius, ne semper sub timore jaceat, quasi servus. Tunc enim amorem nostræ conversionis ostendimus, si Deum ut Patrem diligimus, quem priùs servili mente verè ut Dominum formidamus. Idcò Augustinus.... arbitrii libertatem quærit Deus, non necessitatem; charitatem, & non timorem.... Convenit itaque ad veram pœnitentiam, ut homo Deum super omnia diligat, & quòd actualis Dei dilectio sit sibi causa, & sola eum moveat ad detestandum peccata. Hinc Isidorus in 2. lib. de sum. bono c. 21. dicit sic : Aliud est non peccare amore dilectionis Dei, & aliud timore supplicii. Qui enim amore charitatis Dei non peccat, horrescit omne malum, amplectendo justitiæ bonum ; nec eum delectat peccatum, etiamsi sceleris impunitas promittatur. Qui verò solâ pœnâ supplicii in se vitia reprimit, quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi, doletque sibi illicitum, quod lex prohibere dignoscitur.*

Et infrà : *Quidam verò custodiunt seipsos à vitiis & peccatis.... timentes exulari à gaudiis æternæ vitæ. Idcircò omnes qui propter similes respectus retrahuntur à peccatis, non sunt dicendi contriti, nec verè pœnitentes ; sed sunt mercenarii, quærentes commodum proprium : non enim quærunt Deum, nec illius honorem, aut reverentiam, seu obedientiam ; sed fugiunt suum incommodum ; nec talis detestatio à peccatis potest dici actus virtutis : cùm non habeat circumstantiam boni finis.... Idcò oportet peccata deserere .... quia peccata sunt offensa Dei, vel quia contra Deum super omnia sibi diligendum.* Dixerat autem fol. 3. *Ad veram contritionem, à qua hominum salus dependet, quinque requiruntur.... primò.... secundò.... tertiò.... quartò.... quintò necessarius est motus liberi arbitrii in Deum super omnia dilectum.*

ADRIANUS VI. PONTIFEX MAXIMUS. 1624

In 4. q. 1. *Pœnitentia vera est dolor voluntarius de peccato propter Dei offensam..... Subditur in definitione, propter Dei offensam ; quia si quis de peccato doleat propter pœnam, aut consimilem causam, non est vera pœnitentia.* Et infrà §. *Secundo videndum : Dupliciter aliquis dicitur verè pœnitere. Primo modo, ut verè idem sit quod verè & benè, & sic dicitur verè pœnitere, qui actus ad pœnitentiam requisitos bonos moraliter, & sub debitis circumstantiis elicit, puta qui dolet de peccato non principaliter propter pœnam, sed propter divinæ Majestatis offensam.... Alio modo.... ut idem sit quod perfectè, quod tunc scilicet dicitur, cùm quis omnem conatum adhibet, & quidquid in se est facit ad placandum Deum.*

Et q. 2. dub. 5. *Nisi perfectâ voluntate convertatur ad Deum, & efficaciter velit placere Deo, sic ut affectus iste sit aliis omnibus prædominans, nequaquam reponitur ad statum salutis.*

Et 1. quæst. quodlib. *Pulchrè dicit D. Thomas dist. 17. quarti in materia de contritione, quòd talis debet esse contriti dispositio, quòd plus displiceat ei culpa, ut est offensa Dei, & ei indigna, quàm ut est sibi peccanti nociva.*

Et q. 4. *Sicut honor, divitiæ, voluptas, & similes, non sunt apti vel decentes fines actuum virtutis; ita nec vitatio pœnæ, sed vitatio culpæ, seu divinæ offensæ, est rectus finis operum.*

FERRARIENSIS.

Lib. 4. contra Gent. c. 72. *Considerandum 20.* 1625 *ex doctrina S. Thomæ q. 28. verit. a. 4. & 1. 2. q. 113. quòd conjunctio nostri ad Christum, & ad meritum Passionis ejus, requisita ad hanc spiritualem sanationem, quæ est per pœnitentiam, est conjunctio per fidem, amorem, & spem. Oportet enim, ad hoc ut homo justificetur, loquendo de adultis, quòd causam justificantem attingat per actum proprium, qui est actus intellectûs & voluntatis..., Idcò oportet Christo... adhærere, & per fidem.... & per amorem, cum spe veniæ ab ipso consequendæ.*

Et §. *ad hujus evidentiam* dicit, quòd quando dispositio sufficiens ad gratiam tempore non præcedit actualem Sacramenti susceptionem, *tunc ex Sacramento, secundùm quod est in proposito, non confertur gratia, neque... remissio peccatorum, sed in ipsa susceptione Sacramenti causetur, puta quando quis de attrito fit contritus : quod quidem in ipsa Confessione & absolutione vi clavium fit, nisi quis obicem ponat.* Unde §. *expresè autem*, dicit quòd *pœnitentia interior, disponens sufficienter ad gratiam, in iis qui accedunt non satis dispositi, est effectus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Vide eumdem 4. contra Gent. 22. ubi addit agentem ex solo servili timore agere quodammodò coactè.

FRANCISCUS VICTORIA.

1626 In Sum. n. 119. *Actus displicentiæ, nolle Deo displicere, est vera dilectio. Dolor igitur peccatorum debet esse propter Deum, non propter timorem pœnarum, aut propter quodvis aliud; sed quia sunt offensa Patris piissimi.*

GUILIELMUS DE MONTE ROCHERIO.

1627 Referri solet inter Authores sæculi 14. ad annum circiter 1333. Sed quia Enchirid. Sacerdot. c. 7. de Confess. citat hom. 27. Joannis Eckii, qui 16. sæculo floruit; inter hujus sæculi Authores ipsum exhibeo. Parte igitur 2. dicti Enchirid. de Sacram. Pœnit. postquam tr. 1. dixit, se hoc in opere de privata agere pœnitentia, quâ secretò quis Sacerdoti confitetur, cujus partes sunt attritio, Confessio, satisfactio, tr. 2. agens de contritione cap. 1. sic eam in genere definit: *Sciendum quòd contritio à Magistris sic definitur: Contritio est dolor voluntarie pro peccatis assumptus propter Dei offensam, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Deinde cap. 2. *Debet* (inquit) *peccatum summè displicere voluntati, & magis quàm quodlibet aliud malum, sicut Deus, cui peccatum contrariatur, debet summè & super omnia à voluntate diligi. Debet ergo verè* (non dicit perfectè) *contritus sic esse affectus.... quòd nihil sibi magis, aut æquè doleat, atque offendisse Deum. Nam vera contritio debet procedere ex amore Dei super omnia: cum quo non stat, ut aliquid odio habeatur amplius quàm ipsum peccatum; sicut cum vero amore Dei non consistit, ut aliquid ametur supra Deum.*

1628 Et c. 6. *Contritio regulariter initium sumit à timore servili, quem in animo gignit peccatorum admissorum memoria, & districti judicis Dei seria cogitatio.... Atque hic quidem primus est ad pœnitentiam concipiendam gradus. Verùm in eo neutiquam est subsistendum.... Verùm sic perculso metu divinæ iræ.... progressus faciendus est ad considerationem immensæ bonitatis, & misericordiæ divinæ, ex qua peccator in spem erigi debet, & ad Deum per Christum, qui pro se suisque peccatis....passus est & mortuus, totâ mentis intentione, & spiritu contribulato & humiliato clamare.... Sic pro suis delictis trepidum peccatorem, & graviter dolentem... Deus.... benignè suscipit, & gratiam suam illi concedit, qui sua metipsi peccata vehementer odisse, sed jam non tam ex metu pœnæ, quàm ex amore Dei & justitiæ, pergitque dolere, non tam ob id solum quòd pœnam peccando meruit; sed quia misericordem & bonum Patrem Deum offendit; sicque paulatim succrescens in eo charitas, timorem illum servilem abjicit & expellit, alium inducens timorem, scilicet filialem, videlicet quo Deum homo jam ut Patrem veretur, nolens offendere, quem post tanta bonitatis & misericordiæ beneficia meritò amat & diligit..... Hujus veræ contritionis modum, quem timor servilis inchoat, & amor Dei perficit, concors Orthodoxorum Patrum sententia tradit.*

CLEMENS ARANEUS DE RAGUSIO, ORDIN. PRÆDIC.

1629 In suo Quodlib. Declamatorio lib. 2. serm. 53. " Alio modo de pœnitentia loqui possumus, " quantùm ad actus suos, quibus Deo operanti " nobis in pœnitentia cooperamur. Et sunt quinque actus, præsuppositâ semper divinâ operatione. 1°. est motus fidei.... 2°. est motus timoris servilis.... 3°. est motus spei... 4°. est actus charitatis, quo alicui displicet peccatum secundùm seipsum, & non jam propter supplicia.... 5°. est motus timoris filialis, quo propter Dei reverentiam aliquis emendam Deo voluntarius offert, non quomodò sceleste Antiochus, qui punitus & flagellatus justo Dei judicio, suspiravit ad Deum timore divinæ plagæ, à quo non est exauditus, quia, secundum Augustinum, non solùm oportet justum Judicem timere, sed etiam amare. His igitur præmissis agentibus, & disponentibus ad veram pœnitentiam, ut est Sacramentum, quia fit intuitu Dei, dicamus quid sit pœnitentia, &c.

1630 Serm. 54. " Est dolor in pœnitentia duplex, unus est timoris servilis, & iste est dolor mercenarius, & coactus, & quia quis dolet de peccatis solùm ratione pœnarum inferni.... & non ratione divini amoris, & odii peccati. Et hic dolor, si in eo sistitur, non salvat talem, sed damnat. Quia in eo quòd non dolet de Dei offensa in se, sed in respectu ad pœnas, cum illo non habet veram amicitiam.... De hujusmodi habes exempla infinita ubi suprà. Multi namque in morte communicant, plorant, &c. sed quia ratione pœnæ inferni hoc faciunt.....hi tales damnantur in dolore suo ficto.... Est alius dolor, vel timor filialis de offensa Patris, ex amore & veneratione ad Patrem, & iste dolor voluntarius provenit ex consideratione divinæ Majestatis, quam offendere, & cujus mandata non licet transgredi. Propterea etsi in conversione peccatorum ad Deum timor servilis præcedit, sicut seta filum in suitione sotularium; tamen ibi non est sistendum, sed statim advolandum ad timorem filialem, &c. "

1631 Serm. 55. "Contritio & attritio in duobus differunt. 1°. quia attritio est sine gratia; & contritio est cum gratia. Attritio est citra perfectum dolorem peccatorum; sed contritio dicit perfectum dolorem mortalium.... Unde comparantur sicut aurora & meridies, non quasi unus numero actus.... sed unus specie, sicut calor ut tria, & ut sex. "

1632 Serm. 56. " Dicit Augustinus, & S. Thomas, & cæteri Doctores " (erat igitur tunc, *id est* circa annum 1541. sententia omnium, vel ferè omnium) " quòd pœnitentia debet esse voluntaria in detestando peccatum voluntariè propter Deum, & non ratione timoris servilis, ut in eo sistas gradum; quia talis pœnitentia non salvat, sed damnat. "

Et infrà: " De usurariis, concubinariis, adulteris, & aliis habituatis in vitiis solet dici: est confessus, communicatus, lachrymatus est abundanter, signaque magnæ contritionis ostendit. Sed quæro à te, an, ut Antiochus, ex solo timore pœnarum & terrore judicii, &c. Confideret quilibet talium dictum Augustini, quem ferò pœnitet, oportet non solùm timere justum Judicem, sed etiam ex charitate diligere: quod communiter non est in talibus. De hujusmodi pœnitentium & decedentium sunt infinita exempla eorum damnationis, &c. "

S. THOMAS VILLANOVANUS.

1633 Serm. 1. in Dom. Pass. " Contritio est, juxta Theologorum sententiam, dolor voluntariè assumptus pro peccatis, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Potest addi: & iterum non peccandi.... Dicitur 1. dolor " non necessariò in sensu," sed in voluntate, qui est actus voluntatis; & ille est odium, & displicentia, & detestatio, & abominatio peccati: nolle peccasse... 2°. dicitur voluntariè assumptus: propter quòd dolor & pœnitentia in morte suscepta aliquo modo suspecta est: quia non voluntate liberâ, sed magis timore fit, & quasi quâdam violentiâ instantis periculi.., 3°. dicitur de peccato. Non de damno, vel de pœna, vel de infamia, vel de turpitudine & vitiate peccati; sed dolendum est de peccato, prout offen-

" sa Dei est, sit ut etiamsi nullum incommodum " ex peccato proveniret, neque esset infernus, " aut judicium, neque aliquis sciret, tamen dis- " pliceret peccatum, quia Deus fuit offensus... " Vera contritio ex amore Dei debet procedere, " non ex timore, aut ex amore sui. Unde Pater " Augustinus : oportet pœnitentem non solùm " Deum timere Judicem, sed & justum diligere. " Et hoc valdè advertere debet peccator. Nam " Deus magis respicit de quo doles, quàm quan- " tùm doles.... Solus dolor ille contritio est, qui " est propter Deum. Unde attritio & contritio " non tam differunt, quia contritio est dolor in- " tensus, & attritio est dolor remissus; sed magis " quia contritio est dolor perfectus propter Deum, " & attritio est dolor imperfectus, & mixtus cum " aliis respectibus....

Ex hac definitione possumus elicere quinque conditiones, quas debet habere dolor, ut sit perfectus (quoad sufficientiam non perfectus absolutè) & *consummata contritio*, id est habens omnia requisita. " Prima, ut sit purus propter Deum to- " taliter vel principaliter, ut dictum est. Non quòd " malum sit dolere de damno, & de inferno, & " de vilitate peccati, & perditione multorum bo- " norum, quæ perdidisti peccando. Imò hoc est " valdè bonum.... Sed hic dolor non debet esse " principalis, sed accessorius.... Est ergo con- " tritio remedium peccatorum omninò necessa- " rium, proprium, naturale, & universale. Justifi- " cationes enim exteriores & sanctificationes, & " Sacramenta in diversis temporibus & legibus va- " riantur.... Sed contritio omni tempore, & in " omni lege, naturæ, scripturæ, & gratiæ, tam- " quam naturale & proprium peccati remedium, " immobilis & immutabilis perseverat. Unde & " omnia alia jam dicta " (etiam proinde Sacra- menta) " sine hac non sufficiunt.

GUILIELMUS PEPINUS ORD. PRÆDIC.

1634 Opusc. super *Confit.* tr. 1. de Confess. c. 16. in fine : " Studeamus, charissimi, postquam pec- " cavimus, confiteri corde contrito, & propter " Deum offensum : quia sic nobis proderit, & " non aliàs.

Et tract. 2. de contrit. c. 2. agens de contritione in genere, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ, dicit, quòd contritionis definitio Magistralis est hæc : " Contritio est dolor de peccatis propter " Deum voluntariè assumptus, cum spe veniæ, & " proposito confitendi & satisfaciendi. Dicitur " propter Deum : quia enim Deus per peccatum " est principaliter offensus, ideò principaliter con- " terendum est de peccato, pro quanto est con- " tra ipsum. Unde si peccator sciret certitudina- " liter, se nullam pœnam passurum propter pec- " catum commissum, nec in præsenti, nec in fu- " turo, adhuc tamen de eo dolere deberet, pro " quanto est contra Dei infinitam Majestatem & " bonitatem, item contra ejus legem & voluntа- " tem. " Et c. 5. dicit, quòd omnis verè con- tritus de peccatis suis debet " habere respectum " ad Deum, quem offendit, ut scilicet doleat prop- " ter Deum, juxta illud : Exitus aquarum dedu- " xerunt oculi mei, quia non custodierunt legem " tuam. Ecce contritionis respectus rectus & ve- " rus. " Et serm. 2. de mysterio absolutionis fe- riæ 5. in Cœna Dom. " Regula generalis Theo- " logorum est, quòd Confessor neminem debet " absolvere, quem non credit verisimiliter à Deo " absolutum. " Scribebat hoc circa annum 1510.

JOANNES A BRIART.

1635 Lovaniensis iste Doctor, qui obiit anno 1520. tamquam rem communiter concessam, quodlib. 1. q. 1. admittit, *quòd ille qui cessat à peccato... ne pœnas inferni cumulet, non benè cesset, cùm ces- set peccaminosè.*

CUNERUS PETRI.

Cunerus Petri, Doctor & ipse Lovaniensis, pri- 1636 mus Leowardiensius Episcopus, in opusc. de charitate art. 2. *In pœnitentia, quæ justificationem præcedit, semper nonnulla dilectio justitiæ, & amor Dei conjungitur (nam quomodò potest esse capax justitiæ, & amicitiæ Dei, qui nullo modo diligit justitiam, vel Deum?) plurimùm tamen vera charitas ab ista præcedente dilectione.... secernitur. Nam sine generali amore, neque pœnitentia, neque spes (quæ pœnitenti necessaria est) concipi potest. Qui enim dolet de peccato, debet contrariam amare justitiam, & nemo sperat aliquid quod non diligit.* Ubi per generalem illum amorem, seu dilectionem, aliquam Dei propter se dilectionem se intelligere fol. 264. declarat his verbis : *Communis autem, vulgaris, seu generalis dilectio Dei est, quâ Deum sub confusa summi boni ratione diligimus ; quod etiam infidelis concipere potest.* Vel (ut ait fol. 251.) *est amor quo homo Deum, ut justitiæ fontem, diligere incipit ante reconciliationem.* A qua dilectione charitatem specialiter dictam (quæ nomine charitatis simpliciter dictæ secundùm usum Scholæ tunc intelligebatur) fol. 251. distinguit, quia charitas amor est, *quo Deus diligitur ut Pater, amicus, & summum hominis bonum, cui ut templum & membrum, & ut domesticus ac filius per Spiritum inhabitantem homo jam conjungitur.* Ubi per generalem illam dilectionem homo Deum nondum diligit ut amicus, templum, membrum, & filius, sed adhuc ut hospes & peregrinus, *sanctè desiderans ejus membris & filiis incorporari*, ut ait fol. 255.

Porrò qualis sit dilectio, quam in salutari pœnitentia, etiam imperfecta, & ante Sacramenti susceptionem non justificante, requirit, rursum explicat fol. 130. quòd nempè *sit suavis quædam affectio, unde peccatum apparet homini malum, perversum, iniquum, & detestabile ; servitus verò Dei bona, æqua, amabilis, qui est inspiratus quidam amor seu complacentia boni, & odium vel displicentia peccati*, secundùm quod in se est *malum, perversum, iniquum & detestabile*, ut proximè dixit.

GODESCALCUS ROSEMONDUS.

Lovaniensis ipse quoque Doctor in Confessio- 1637 nali anno 1525. tertiò per ipsum recognito cap. 11. art. 1. vulgatam contritionis in genere definitionem adferens : " Contritio " (inquit) " est " dolor de peccatis voluntariè assumptus, prop- " ter Dei offensam, cum proposito confitendi & " satisfaciendi. Ex dicta definitione contritionis " elicio 1°. quòd non est vera pœnitentia, ne- " que contritio, quam plures in extremis viden- " tur habere, qui principaliter & magis timore " mortis & gehennæ, quàm propter Dei offen- " sam, peccata sua & vitam præteritam videntur " detestari, & plangere. "

Art. 2. " Attritio est quædam displicentia & 1638 " dolor de peccatis, etiam propter Dei offen- " sam, non tamen sufficiens ad delendum pec- " cata, & ad constituendum peccatorem in statu " gratiæ. Et differt à contritione 1°. ex parte " liberi arbitrii, quod non cum sufficienti conatu " dolet de offensa divina, & crimine læsæ ma- " jestatis, sed imperfectè & remissè dolet. 2°. ex " parte Dei, quia dolor gratiâ informatus dici- " tur semper contritio, licèt non sit multùm " intensus. Unde impossibile est secundùm le- " gem statutam, esse contritionem sine gratia ; " sed dolor quem non concomitatur necessariò " & immediatè gratia, dicitur attritio. Et diffi- " cillimum est scire, an dolor de peccatis sit at- " tritio, vel contritio. "

Art. 3. ex dictis colligit : " esse valdè difficile, 1639 præcipuè habituatis in vitio, agere veram pœ- "

" nitentiam, & habere dolorem sufficientem, qui
" sit contritio. Unde licèt minimus gradus con-
" tritionis sufficiens sit ad delendum quæcumque
" mortalia, quia nunquam contritio est sine cha-
" ritate : non tamen sufficit minimus gradus,
" neque etiam mediocris displicentia, sed debet
" esse cordialis displicentia, vehemens detestatio,
" & dolor ex intimis cordis proveniens, ut sit
" contritio. Unde potest motus talis doloris &
" displicentiæ esse tam exiguus, quòd de congruo
" non mereatur formari charitate, & ita deficit
" à ratione contritionis, sine qua nullùm pecca-
1640 " tum remittitur. Et ideò temerarium valdè, pe-
" riculosum & reprehensibile est, ut dicit Adria-
" nus VI. in quodlib. 5. peccatoribus omnibus
" veniam & securitatem de peccatorum remissio-
" ne facilè polliceri. Unde nonnulli Prædicato-
" res, & Confessores, in suis sermonibus, con-
" siliis, & confessionum auditione nimis laxi sunt
" & faciles, vitia gravia non satis increpantes,
" neque sufficienter ostendunt peccatoribus difficu-
" tatem contritionis, & veræ pœnitentiæ.
" Multi etiam temerariè confidunt in illo verbo:
" quâcumque horâ ingemuerit peccator, & con-
" versus fuerit, vitâ vivet. Audiant & ipsi Augu-
" stinum de pœnit. dist. 7. c. nullus : Crede (in-
" quit ille) qui dicit quâcumque horâ, &c. etiam
" dicit, & conversus fuerit, non versus. Versum
" puto illum qui dolet de crimine : conversum
" verò, qui jam pœnam non timet, sed ad bo-
" num Dominum, id est Deum festinat tende-
" re..... Consonat verbum Isidori 2. de sum.
" bono 13. Sunt qui pœnitentibus securitatem
" citò pollicentur : quibus benè per Prophetam
" dicitur (Hierem. 6.) Curabant contritionem fi-
" liæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax,
" & non erat pax. Cum ignominia curat contri-
" tionem, qui peccanti, & non legitimè pœni-
" tenti promittit securitatem.

1641 Art. 4. postquam dixit, aquas lachrymarum contritionis debere quatuor habere conditiones, ut mediante eâ peccatorum sordes abstergantur. " Debet enim " (inquit) " lachrymarum illarum " aqua esse munda... 2°. calida, &c. " subdit: " horrenda Babylonis flumina maxima homi-" num, etiam Christi fidelium, multitudo in-" gressura est, siquis in his calidis, claris, ama-" ris, vivacibus fontibus balneare recusaverit. " Plures enim vel in omnibus his quatuor con-" ditionibus, vel in aliqua earum deficiunt. 1°. " enim aquam mundam non habent, qui confi-" tentur, & dolent, sed non abstinent... 2°. a-" quam calidam minimè tenent, quin potiùs ge-" lidam, qui in fine mortis, & pœnæ timore " principaliter & potiùs quàm Dei amore pœni-" tent, &c.

Art. 5. de conditionibus veræ pœnitentiæ, pro tertia conditione requirit *dolorem vehementem*, " & iste dolor " (inquit) " principaliter causari " debet in nobis ratione divinæ offensæ.

Joannes Driedo.

1642 Joannes Driedo, Adriani VI. discipulus, & Rosemondi condiscipulus, ab ipsomet Adriano VI. Laureâ Doctorali anno 1512. insignitus, in laudatissimo lib. de capt. & redempt. gen. hum. tr. 4. p. 2. *Remedium pœnitentiæ, pro peccatis post baptismum commissis, non est sine ratione voluntatis humanæ...*. PROPTER COMMISSUM PECCATUM JUDICANTIS & *condemnantis se in suspiriis & lachrymis.* Quod probat ex Apostolo 2. Cor. 7. *quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Quod (inquit) tractans Ambrosius, *qui tristis est* (inquit) QUIA PECCAVIT, *secundùm Deum tristis est*, DOLENS QUIA FECIT *quod Deus odit.* Ac paulò post : *Ex Scripturis suprà citatis discimus, in eo qui relapsus in mortalia crimina templum Dei sanctum violavit, oportet esse grandiorem cordis gemitum atque pœnitentiam, quàm sit necessaria in eo qui eadem crimina in paganismo perpetravit innovandus Baptismi Sacramento : proinde mensura quædam dilectionis Dei* (hanc igitur in utroque requirit) *ac displicentiæ peccati, sufficiens in eo qui fide innovandus est Baptismi lavacro, non esset sufficiens in relapso, qui reconciliatur pœnitentiæ remedio.*

Et ibidem p. 3. pœnitentiam, à Christiana Religione prædicatam, confundit cum displicentia peccati, concepti quatenùs est offensivum divinæ Majestatis, atque adeò separativum à Deo. Et ad justificationem impii, etiam cum Sacramento, requirit motum interioris *pœnitentiæ, ac dilectionis Dei. Horum* (inquit) *considerationi S. Theologiæ Magistri dispositionem ultimam ad gratiam dixerunt esse contritionem, intelligentes ex Scripturis sanctis, contritionem, pœnitentiam interiorem, quæ includit, vel præsupponit hæc omnia, scilicet fidem in Jesum, odium peccati, dilectionem Dei.*

Et rursum : *Ex Scripturis veneranda nobis tradit Patrum antiquitas, in justificatione impii necessarios esse actus liberi arbitrii erga Deum ipsum, simul & in peccatum. Erga Deum quidem per actum fidei in intellectu, & per actum amoris, seu desiderii in voluntate. In peccatum autem per humilem veteris vitæ recordationem & agnitionem in intellectu ; & per pœnitudinem, displicentiam & odium ejusdem veteris vitæ in voluntate.*

Et p. 6. *Carnales, qui nondum possunt super* 1643
hanc terrestrem vitam amare justitiam, seu cælestem vitam, timeant (inquit *Augustinus*) *vel pœnam æternam, ut tandem perveniant ad justitiæ amorem.* Enimverò *quidquid in convertendis cordibus impiorum Minister Dei agit, sive flagellis & comminationibus conturbando in eis pacem & quietem* (*quâ suaviter quiescunt in perversis suis desideriis.....*) *sive consolationibus, promissionibus, & spe præmii cælestis gloriæ animos erigendo, id totum agit ut corda inducat in virtutem charitatis... Est ergo timor divini judicii via quædam perveniendi ad charitatem Dei. Et ideò Christianis extra charitatem secundùm carnis suæ desideria ambulantibus, expedit præ oculis habere Deum Judicem... gehennæ ignis supplicium, ut ex horum timore suas incipiant frænare concupiscentias, & sic discentes contemnere voluptates, atque delicias mox perituras, concipiant tandem spiritum salutis, cælestisque vitæ desiderium. Unde timor Dei, etiam servilis, expellit peccatum, id est actionem peccandi, dum cohibet & ipsam voluntatem ab executionis imperio, & ipsa membra ab executione.... Proinde quamvis timor sit cum peccato, in eo qui nondum amat justitiam; is tamen qui timet gehennam ignis, aut justum Dei judicium, neque peccat, neque offendit in eo quòd sic timet, sed magis humiliatur sub potenti manu Dei, suo spiritu vehementi concutientis desertum, & confringentis cedros Libani, hoc est superbas aut animosas peccandi audacias.*

Verùmtamen *etsi* (ait ibidem p. 7.) *in præparandis ad salutarem gratiam hominum cordibus utilis sit utcumque timor, & non solùm timor gehennæ ignis... sed & timor pœnæ constitutæ secundùm humanas leges... verum est tamen, in utroque timente vivere quamdam peccandi voluntatem, quemadmodùm & demonstravit venerabilis Augustinus.* In eo quippe *vivit quædam peccandi voluntas, propterea quòd nondum est justitiæ amicus, adhuc odio habens legem Dei, nondum cum Propheta idoneus dicere : Legem autem tuam dilexi....*

Et infrà : *Is qui solo metu gehennæ ignis coërcet* 1644
se ab opere malo, præceptum quidem odit, secundùm amorem quemdam habitualem, seu radicem intùs

intùs latentem, mundum renovatus spiritu amoris justitiæ, sed non semper odium est in actu.... cavet ne extendat membra ad opus; vivat tamen semper manet in eo peccandi voluntas, donec fuerit renovata spiritu amoris justitiæ.

Et iterùm infrà: *Proinde verum est, apud eos qui solo servili metu solius pœnæ obediunt præceptis, abstinentes ab illicitis, neque esse curam pudoris, neque honestatis, virtutis & castitatis amorem, eosque timore reprimi, non emendari.*

Et p. 8. *Cyprianus in Epist. Antonian. docet mœchos, adulteros, aliosque criminosos, pœnitentiam non agentes, neque testantes dolorem suorum delictorum in toto corde, & manifesta lamentationis professione, esse prohibendos à spe communionis & pacis, etiamsi in infirmitate atque in periculo mortis cœperint deprecari: quia tum rogare illos (inquit) non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit.*

VIEXMONTIUS.

1645 Scripsit Paræneſim ad pœnitentiam, quam anno 1533. Theologica Facultas Pariſienſis ſolemniter approbavit, & 40. circiter annis, poſt primam illius editionem, atque adeò poſt Tridentinum, Martinus Rithovius, primus Iprenſium Epiſcopus, qui eidem Concilio interfuerat, adoptavit, ſuiſque Parochis & Scholarum Magiſtris, ut juventutem ex ea inſtruerent, plurimùm commendavit.

1646 In ea autem Viexmontius p. 4. c. 2. contritionem amoroſam perſpicuè requirit, dum ait, quòd Sacerdos non abſolvit niſi cum quem vi contritionis priùs à Domino abſolutum & vivificatum probabiliter credit: *In perſona Petri* (inquit) *omnibus Presbyteris Chriſtus dedit claves regni cælorum, ut quodcumque ligaverint ſuper terram, ligatum ſit & in cælis; & quodcumque ſolverint ſuper terram, ſolutum ſit & in cælis. In cujus rei figuram Chriſtus Lazarum, à ſe reſuſcitatum, Apoſtolis ſuis tradidit ſolvendum, dicens eis, ſolvite eum, & ſinite abire.... Quòd Deus priùs Lazarum reſuſcitavit, hoc eſt quòd à ſe, non ab alio peccatum dimiſit. Quod autem Diſcipuli reſuſcitatum ſolvunt, hoc eſt quòd non à ſe, ſed à Deo habent, quòd peccata dimittunt. Et ſic ſolus Deus principaliter peccata dimittit: quia quod Sacerdotes per ipſum faciunt, ipſe facit. Peccator ſepultus jacet, dum à peccato ſuo reſurgere contemnit; quando autem pœnitens corde contrito apud ſe dicit: confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: tunc à morte peccati reſurgit, & Deus impietatem peccati ejus remittit. Quando confitetur, quaſi de occultis exeundo manifeſtus prodit; ſed adhuc ligatus eſt; & Miniſtris dicitur: ſolvite eum, & ſinite abire. De hinc Sacerdos miniſterialiter virtute clavium, à peccati vinculo eum abſolvit,* QUEM PRIÙS PER CONTRITIONEM A DOMINO ABSOLUTUM PROBABILITER CREDIT.

§. VIII.

Amoroſam pariter contritionem vel attritionem unanimi conſenſu requiſierunt laudatiſſimi fidei Pugiles qui proximè ante Tridentinum, ipſoque Tridentini tempore contra Lutheranos ſcripſerunt, quorumque ſcriptis numeroſos de ipſis triumphos Eccleſia reportavit, & in hodiernum uſque diem reportat, ut Joannes Cardinalis Firſcherus, vulgò Roffenſis, Cardinalis Gropperus, Joannes Eckius, Albertus Pighius, Facultas Theologica Lovanienſis, Joannes à Daventria, Alphonſus Viverſius, Alphonſus à Caſtro, Jacobus Latomus, Petrus Soto, Stephanus Paris, Epiſcopus Avellanus, Gaſpar Caſalius, Epiſcopus Letterenſis, &c.

ROFFENSIS.

1647 JOannes Firſcherus, Anglus, Epiſcopus Roffenſis, deinde Cardinalis, & Chriſti Martyr, ideòque primo hîc loco dignus, in refutatione Lutheri a. 1. dicit: *Ecce non ſola fides, ſed cui conjuncta eſt dilectionis operatio, valet ad juſtificationem.* Art. 5. communem Eccleſiæ Catholicæ ſententiam refert & approbat; utique quòd *ſi puſillus dolor anteceſſit in pœnitente, abſolvitur à culpa per Sacramentum.* Sed puſillum hunc dolorem vult eſſe amoroſum, non formidoloſum dumtaxat; cùm in contextu articuli, & in ſequentibus à dolore extrafacramentaliter juſtificante eum non diſtinguat, niſi penes magis & minus, ad juſtificationem extra Sacramentum requirens dolorem ingentem, ſeu intenſum, quem explicare difficile ſit, puſillum ſeu remiſſum ad juſtificationem cum Sacramento: *quæ autem non ſuſcipienti Sacramentum abſolutionis pœnitudo, id eſt in quanta intenſione ſuffecerit, explicatu difficile eſt.* Art. 6. contritionem & attritionem eodem diſtinguit modo, & iiſdem verbis, quibus Scotus ſuprà, penes intenſum utique & remiſſum, ita ut pœnitudo remiſſa cum Sacramento quidem ſufficiat, ſed ſine eo non mereatur de congruo gratiæ infuſionem: ſecùs intenſa. Quia (inquit) *deteſtatio peccati, etiam ut eſt offenſivum Dei, non meretur etiam de congruo gratiæ infuſionem, niſi quis in eo deteſtationis motu in tantum pergat*, id eſt niſi eum in tantum intendat, *donec ex congruo tandem gratia infundatur; quâ infuſâ, idem motus, qui pridem dictus erat attritio, contritio dicitur.* Eam igitur cum Sacramento requirit deteſtationem & dolorem, qui ſolo ſui incremento poſſit extra Sacramentum juſtificare, quique proinde ex eodem motivo procedat, & à dolore extra Sacramentum juſtificante non diſcriminetur intrinſecè, niſi penes magis & minus. Requirit ergo dolorem ex motivo charitatis, tametſi charitate habituali non formatum, nec procedentem ex habitu charitatis, *ſed ex fide ſimul & aliis donis Dei gratuitis*, ut ibidem loquitur.

Unde propter difficultatem actûs charitatis, ſive doloris ex motivo charitatis, confirmat id quod in ſuperioribus diximus de difficili converſione conſuetudinariorum, & magnorum peccatorum: *Neque tamen negaverim* (ait Roffenſis apud Hieronymum Hartſium in ſua Catholica & ſalutari attritione cap. 2. §. 2. fol. 23.) *quempiam per Dei gratiam ita mutari poſſe, ut ex barathro ſcelerum omnium ad amorem hunc repentè vocetur. At iſtud non opinor fieri communiter* (audiat Reymakers, audiant Scotiſtæ juniores, non Janſeniſtam, ſed digniſſimum ſanctiſſimumque Scotiſtam) *ſed magis per gradus quoſdam, ut videlicet à ſordido flagitiorum volutabro gradatim in ipſam conſcendant charitatis puritatem.... Profecto rationi conſentaneum eſt, ut qui tam longè poſitus antè fuerat à ſalute, non repentè, ſed paulatim, & quaſi gradibus quibuſdam ad eam reverteretur.* 1648

CARDINALIS GROPPERUS.

Hunc fidei Catholicæ Propugnatorem acerrimum, Eccleſiæ Colonienſis decus & ornamentum vocat Annalium Colon. Author in Adolpho III. *Virum egregiæ ſanctimoniæ & doctrinæ Paulus IV. Pontifex renuentem in Cardinalium adlegit Collegium*, ait Sacchinus in Lainio. Talis igitur tantuſque vir, divini amoris neceſſitatem ad juſtificationem perſpicuè docet in Enchiridio Chriſtianæ Inſtitutionis, edito in Concilio Provinciali Colonienſi; utpote cujus ipſe Author fuit unà cum R. A. P. Everardo Billichio Ord. noſtri, Alemanniæ inferioris Provinciale, prout videre eſt apud Coſterum in Apologia ad Gaſparem hæreticum c. 32. Cujus quidem Enchiridii verba dabimus §. ſequenti. Sed & in Inſtitut. Cathol. edit. Colon. 1550. fol. 146. agens de Sacramento Pœnitentiæ, deque contritione in eo neceſſaria: *Contritio* (inquit) *eſt triſtitia ſecundum Deum,* 1649

quâ quis se peccasse graviter dolet, cum voto & firmo proposito vitæ in melius commutandæ. Et addit quòd audito verbo absolutionis, *anima certificatur quòd Deus ipsi dimiserit peccata, si contempletur ipsum in affectu ejus qui dixit: injustitiam odio habui & abominatus sum.* Qui haud dubiè fuit affectus dilectionis Dei & justitiæ, ut constat ex verbis sequentibus ejusdem: *Legem autem tuam dilexi.*

1650 Deinde fol. 346. agens de justificatione, ostendit eam non fieri solâ imputatione justitiæ Christi per fidem apprehensæ, sed per fidei, spei & charitatis dona, quibus peccator transmutatur in alium hominem, jamque vivit non sibi, ut priùs, sed Deo in Christo Jesu; nec ultrà servit peccato, sed fructificat Deo in omni opere bono: *Sic sanè Deus ex relapso in impietatem à baptismo, pium rursus facit, & ex injusto justum. Idque non imputatione solâ, sed re ipsâ, ut videlicet experiatur justificatus se nunc vivere, non sibi, ut priùs, sed vivere Deo in Christo Jesu, quem in eo, per Spiritum sanctum, fidei, spei & charitatis donis reformat, & refingit; utque sentiat se nunc non ultrà servire peccato, sed fructificare Deo in omni opere bono.* Quod utique fit per charitatem non merè habitualem, & ab opere cessantem, sed actuosam & operantem. *Qui aliter* (inquit fol. 347.) *affectus est* (id est qui non est affectus modo proximè dicto, qui perspicuè est affectus charitatis) *is si justificatum se nihilo seciùs putet, miserè se decipit, ac seducit, sicut scriptum est: Filioli nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est... Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Item: Filioli mei non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate,* &c.

JOANNES ECKIUS.

1651 Invictus ille Pugil Christianæ Religionis, qui primus, vel ex primis in arenam cum Luthero descendit, lib. 1. de pœnit. cap. 9. fol. 143. *Omnes* (inquit) *Catholici fatentur, pœnitentiam incipere à timore, sed non debere perseverare in timore. Quia timor debet esse medium, non extremum; via, non terminus... timor itaque non proficit, nisi accedat charitas expellens... Sufficiat divini verbi Præconibus, timore concipi pœnitentiam, ut sic peccator ab odio Dei, per timorem, evehatur ad amorem Dei.* Cùmque Lutherus objiceret, timorem ante charitatem esse infructuosum, cap. 5. fol. 141. respondet: *Fatentur & hoc Catholici, cum S. Paulo, siquis charitatem non habuerit, &c. Fatentur, siquis velle stare in timore servili dumtaxat, sicut Judas, quòd veram pœnitentiam nunquam adipisceretur.* (Hæc igitur tunc erat Catholicorum omnium sententia, uti contestatur hisce verbis: *Omnes Catholici fatentur*) .... *Volumus solùm impetrare, quòd timor pœnæ valeat ad parandam pœnitentiam... nemo Catholicus vult, timorem esse pœnitentiam.* Et rursus: *Recordatio legis, & intuitus pœnarum, non faciunt pœnitentem .... tamen illa faciunt plerùmque ut succedat amor filialis, & ad hoc conducunt & adjuvant, & pro tanto valent ad pœnitentiam parandam.* Homil. 39. de pœnit. explicans primam partem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ dici solet pœnitentia interior, dicit quòd utplurimùm timore concipitur, quo utique peccator suorum recogitans peccatorum multitudinem, & gravitatem, *iram Dei recolit immensam, considerat & pœnam gehennæ,* &c. Cujus timore perculsus, *commemorans quantum incommodi ex peccato incurrit, volens* illud vitare, jam ipsum pœnitet commissi, quæritque remedium pœnitentiæ. Ubi primùm illi occurrit *Passio Christi, & immensa charitas* in redimendo genere humano. Tunc & Deus ei largitur gratiam, quâ adjutus concipit odium peccati, *non tantùm ex timore damni, quod incurrit peccatum, sed ex amore Christi atque justitiæ. Hanc* (inquit) *pœnitentiæ formulam nobis proponit Augustinus.* Et infrà: *Modus hic incipiendæ pœnitentiæ concordi sensu à sanctis Patribus est approbatus, planèque sacris Litteris conformis. In ejus rei probationem evidentem, assumo Evangelium de filio prodigo. Si quidem ea parabola tota... ad pœnitentiam pertinet, quemadmodum Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Beda & Ambrosius interpretantur. Itaque filius iste cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Quo nimirùm significare voluit Dominus immensam peccatoris egestatem. Statim autem iste cœpit cogitare apud se, quanti mercenarii in domo patris sui abundant panibus: ecce meminit remunerationis, & divitiarum in domo Patris sui cœlestis. Et ego hic fame pereo: ecce metum pœnæ. Surgam, & ibo ad patrem meum: verba sunt* (ait Augustinus q. 2. in Evang. c. 33.) *meditantis jam pœnitentiam. Et cùm longè esset, vidit illum pater suus, & accurrens cecidit super collum ejus. Ubi significatur, quia cùm homo incipit agere pœnitentiam, tunc illi occurrit Deus per gratiam; imò & prævenit.. Cùm igitur constet ex sacris Litteris, sicut & deinceps latiùs probabitur, pœnitentiam incipere à motione divina cum timore: sciendum hunc timorem esse geminum. Alius est enim servilis... Alter est, quem filialem vocant... Quisquis pœnitentiam agit, utrumque habet* (nullus igitur verè pœnitentiam agit ex solo servili timore) 1°. *servilem, sicut filius prodigus, cùm adhuc esset in regione longinqua. Deinde per gratiam Dei, & occursum Patris, acquirit alterum illum, quem habent filii erga parentes suos.*

Homil. 40. *Servilis timor initium pœnitentiæ est, non ipsa pœnitentia... Quisquis hic fixo pede nollet ulteriùs progredi ad charitatem, is sanè mansurus esset in pœnitentia Judæ... Quicumque autem ad charitatem usque pervenit, hic timor initium suæ efficitur pœnitentiæ, sicut pulchrâ similitudine B. Augustinus eum hunc comparat fetæ,* &c. *Et Cassiodorus super Psalmos, ait: timor judicii janua est conversionis, si addatur discretio dilectionis. Quisquis igitur in pœnitentia finem cupit bonum consequi, & peccatorum suorum remissionem impetrare... is priùs initium bonum facit cum timore.... ut sic per timorem perveniat ad charitatem.*

Et homil. 45. de Confessione non differenda, inter alias illius non differendæ rationes hanc adfert, quòd regulariter *in sera pœnitentia nec concurrat charitas, neque timor filialis, sed servilis tantùm, qui non sufficit delere peccata, sicut jam inde ab initio* (homil. 39.) *diximus. Magis enim videtur eam aliquis facere metu atque periculo mortis imminentis, quàm amore justitiæ.* Verùm enimverò *sic ait Augustinus de pœnit. dist. 7. c. nullus: quem serò pœnitet, oportet non solùm timere Deum Judicem, sed & justum diligere. Quia sine charitate salvari nemo potest.*

ALBERTUS PIGHIUS.

Controv. 9. contra Lutherum: " Siquis homi- 1652
ni quem offendit, siquis v. g. domino servus di- "
ceret, & verè diceret: doleo equidem vehemen- "
ter quòd te offenderim, non tamen propter te, "
sed propter me doleo, quia ob tuam offensam "
meritò cædor, vinculis constringor, bonis, qui- "
bus tibi obsequentes suaviter perfruuntur, ego "
miser careo. Numquid hic tali pœnitentiâ offen- "
sæ istiusmodi à domino impetraret veniam? "
Deo ita dicit, quisquis ita dolet, quòd ipsum "
offenderit.... Debet sanè dolor offensæ, impe- "
trativus veniæ, esse de peccato, quia offensa il- "
lius est, & non tantùm quia nobis damnosa & "
incommoda. "

Et iterùm : " qui ex sui tantùm amore, sui commodi respectu, nempe ob gehennæ metum, de peccatis dolor procedit, etiam quantumvis vehemens, & immensus sit, non est qui cor contritum facit, aut veniam impetrat.... Infructuosa est pœnitentia ejusmodi, ut quæ non ex Dei, sed sui amore procedit.

Et iterùm : " non est verum quod subinde recurrit apud Adversarios " (Lutheranos) " non priùs nos diligere, quàm fide jam facta sit reconciliatio, & remissionem peccatorum accepe-rimus .... An non debemus antè converti ad Deum, quo ipse vicissim convertatur ad nos? An accedemus ad eum quem non diligimus? Certè quòd Dei dilectio in nobis necessariò præcedat reconciliationem nostri, & justificationis gratiam, & non contrà, Joannes apertissimè nos docet, qui affirmat, eos qui non diligunt in morte permanere. Ergo ante dilectionem vita animæ non est.... Rectè proinde pro maximo inconvenienti habet Augustinus, ut sine amore Dei quis consequeretur remissionem peccatorum, sine quo (inquit) nemo invenit gratiam.

Confessio Catholica Academiæ Lovaniensis.

1653 Anno 1544. die 6. Decemb. Facultas Theologica Lovaniensis, jussu Caroli V. Imperatoris fidei Confessionem edidit, 32. articulis comprehensam, adversus hæreses tunc grassari incipientes. In ea postquam a. 3. dixit : *Pœnitentiæ Sacramentum.... complecti contritionem, confessionem, & satisfactionem.* Art. 4. *contritio* (inquit) *est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Non autem (ut quidam hoc sæculo pernicioſè docent) terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror ad veram animi contritionem.*

Anno verò 1588. die 17. Augusti in justificationem suæ contra Lessium Censuræ n. 165. sequentia addidit : *Neque illuminatio tantùm suasoria, neque metus, seu terror, etiam pœnarum post hanc vitam luendarum, incussus, sufficit ad inchoandam conversionem ; sed præterea opus est gratiâ, quæ cor sic motum atque perculsum inflectat, atque emolliat*, non utique terrore tantùm concutiendo, sed amore afficiendo, juxta id quod subdit : *etenim quidquid intùs est, quod suadet tantùm, & non persuadet ; allicit, non adducit ; terrore concutit, non amore afficit*, &c.

Joannes a Daventria.

1654 In refut. art. 4. Confess. Augustan. " qui vere pœnitet.... peccato, quod priùs commisit, " nihil odit magis. " Illud ergo non odit propter pœnam dumtaxat. Aliàs pœnam odisset magis, juxta illud : " propter quod unumquodque tale est, " & illud magis.

In refut. art. 6. " est enim legis, tum veteris, " tum novæ, potissimum & imprimis necessarium " opus, ut diligatur Deus super omnia : quo sine " nemo justificatur. Qui enim non diligit, manet " in morte.

Et infrà ad illud argumentum hæreticorum : consequi remissionem peccatorum est justificari.... " solâ fide in Christum, non propter dilectionem " & opera consequimur remissionem peccatorum. " Igitur, &c. " concessâ majore, " minorem (inquit) " ut hæreticam improbat ipse Joannes : " qui non diligit, manet in morte, culpæ scilicet. " Et infrà : " qui Deum non diligit, vicissim neque diligitur à Deo. Ego (inquit) diligentes me diligo. Et iterùm ipse Christus : qui " diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum... Quod si verum est, sequitur fidem " per dilectionem semper, sine dilectione nunquam justificare... Rectè igitur docent Catholici, quòd absque dilectione nemo consequatur remissionem peccatorum... Repugnat quòd filius Dei quis sit, priusquam diligat Deum.... " Theologi... ad justificationem... requirunt fidem, sed fidem per charitatem operantem... " Quid perinde inculcat Evangelium, atque charitatem?... quâ sine nulla opera, nulla virtus, " tametsi omnes simul eliquaveris, peccatorem " aut justificant, aut vivificant. Stat enim firma " Joannis sententia : qui non diligit, manet in " morte. " Et ista Pauli : " si habuero omnem " fidem, &c. charitatem autem non habuero, nihil sum. "

In refut. art. 12. " Adversarii sine charitate asserunt peccatorem justificari, imò justum esse. " Quia dilectio (ut eorum verbis dicamus) non " adest, nisi priùs fuerit fide facta reconciliatio. " Non video, an quidquam dici posset ineptius... " Si Deo placet, non benè dixit Joannes : qui " non diligit, manet in morte.... Stat irrefragabilis illa Joannis sententia : Deus charitas est, & " qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus " in illo. Quòd si Deus charitas est, compertum " est, alienum esse à Deo, qui charitate vacat, neque cum Deo habere commercium, nisi priùs " Deum diligat. " Quod hâc ratione confirmat : quia nunquam inimicus reconciliatur, nisi priùs " diligat eum, quem priùs odio prosequebatur. " Nunquam ingratus agnoscet beneficium in se " collatum, nisi priùs malè affectum animum à " se exuat, id est inimicus & ingratus non justificantur, nisi charitate & gratiâ intervenientibus. " Et ideò tradunt Catholici, non sufficere ad peccati remissionem, si tantum timeat, & peccatorum remissionem speret, sed quòd oporteat " eum in toto corde dolere, & converti ad Deum, " ita ut non tantùm timeat, sed diligat Deum. "

Alphonsus Virvesius.

Philippicâ 5. adversus Philippum Melanchto- 1655
nem, refellens hanc ipsius instantiam : *quomodò peccator potest diligere Deum, quem timet iratum?* Frequens est (inquit) *apud Prophetas, apud Apostolos, apud ipsum etiam Christum, exhortatio ad confessionem peccatorum, in qua non illis proponitur Deus placatus, sed iratus & comminabundus.... Quod si (ut Philippus ait) est impossibile, frustrà non potentibus jacere tantoperè suaderetur ut faciant. Nam converti, humanæ voluntati quid aliud est, quàm quæ priùs neglexerat, eadem ipsa diligere ? Quamobrem ut aversio, Dei contemptus & neglectus fuerat ; ita conversio, ejusdem dilectio est.... Quod Israël admonetur ut convertatur, si velit ad se Deum convertere, hoc est ut amet, si velit amari.... Hic amor contingere potest etiam peccati mortalis reo.... Nec obstat quòd.... verè sentit Deum sibi iratum, terrentem & comminantem, qualem Prophetæ proposuit Ninivitis. Nam simul potest illum considerare placabilem, mansuetum, pium, &c. ; quæ consideratio movere potest affectum ad amandum & fidendum ei, qui tam facilis est ad ignoscendum. Id quod significare videntur convertentium se Ninivitarum verba : Quis scit (inquiunt) si convertatur & ignoscat Deus ? Simul ergo timebit iratum, & placabilem diliget.... Adest enim gratia illa præveniens.... donec conversione hâc voluntas provehatur ad charitatem illam, quâ demùm universa fugentur, audiatque dimissa sibi peccata multa, quoniam dilexit multùm. His gradibus conversa est Ninive, atque iisdem provecta est illa peccatrix femina... Id quod in proclivi est intelligere unicuique conversionis ejus progressum & incrementa consideranti. Timebat enim, & amabat, quæ flebat, & accedebat. Verebatur severitatem judicii, quæ retrò flabat secus pedes ; sed clementiæ conceperat spem, quæ non cessabat officiis sibi promereri Christum, ut tandem patronum experiretur, quem ti-*

muerat Judicem. Quod & assecuta est. Quod volens Christus ostendere, universa commemorat, quibus à propria iniquitate ad Christi justitiam consequendam pervenerat, atque interim Pharisæum quasi per reconventionem Christus actusat, & PECCATOREM OSTENDIT, QUOD NIHIL EORUM FECISSET, SINE QUIBUS NEMO PECCATORUM REMISSIONEM ADIPISCITUR. OMNES IGITUR EODEM, QUO FELIX ILLA MULIER ASSECUTA EST, ORDINE PECCATORUM REMISSIONEM ASSEQUIMUR, TIMENDO SCILICET ET FIDENDO, TREMENDO ET AMANDO. Quo amore? initiali super omnia. Paulò post enim recapitulans quæ dixerat: *Ea* (inquit) *quæ sumus hactenus prosecuti, non modò probant, quòd conscientia peccati mortalis rea possit, gratiâ Christi præventa, dilectionem Dei super omnia inchoare; verùm quòd inchoatione hâc provehatur ad perfectiorem charitatis gradum, qui animam prorsus justificans, peccatum prorsus excludat.*

Et Philippic. 7. *Justificatio & reconciliatio sunt idem. Reconciliatio non potest fieri sine dilectione. Ergo nec justificatio. Major nota est. Minorem probo à definitione ad definitum. Est enim reconciliatio mutuæ dilectionis restitutio, ut conciliari cuiquam est illum mutuò diligere. Nunc rursus colligo. Justificatio non potest esse sine dilectione. Dilectio & charitas sunt idem. Non ergo potest esse sine charitate.* Etiam in Sacramento, ut colligitur ex contextu.

Et Philipp. 9. de pœnit. & absolut. *Nobis vera contritio verus timor est, qui jure dicitur filialis, etiamsi non sit usquequaque perfectus, cùm animus nollet Deum offendisse, quem se tamen offendisse recolit.* Et infrà: *Non est vera pœnitentia, quando illum non pœnitet offendisse Deum, sed seipsum reâtus incommodo læsisse. Et hæc est pœnitentia, quæ propriè ex timore servili oritur. Servorum est enim, non dominorum suorum offensiones, sed propriàs timere pœnas.*

Et infrà veros pœnitentes à non verè pœnitentibus distinguit, in eo quòd illi doleant quia peccaverunt; isti quia peccando se mortis æternæ reos effecerunt: *Idem verbum Dei audiunt, qui verè convertuntur, & quos falsò pœnitet; nec omnes qui verbi comminationes audiunt, dolent quòd peccaverunt; sed quòd æternæ mortis reos seſe fieri quodammodò vident.* In illa verò Philippica agit de pœnitentia, etiam cum Sacramento. Id enim totius Philippicæ contextus palàm ostendit.

ALPHONSUS A CASTRO.

1656 Theologus iste, atque Ecclesiastes celeberrimus, conscientiæ Caroli V. Imperatoris moderator, postquam homil. 2. in Psal. 32. ad illa verba, *beati quorum remissæ sunt iniquitates*, declaravit indiscriminatim agere se velle de pœnitentia, tam ea quæ virtus, quàm quæ Sacramentum dicitur, mirabilesque effectus illius demonstravit homil. 3. *Explicatâ* (inquit) *pœnitentiæ virtute, quam tantam esse diximus, ut ipsius meritis quàmlibet grave peccatum, quàmlibet etiam numerosum remittatur. Nunc pœnitentiæ radicem, videlicet charitatem, à qua omnis pœnitentiæ virtus procedit, Propheta explicans, dicit illos esse beatos, quorum tecta sunt peccata.... Teguntur autem per charitatem, sicut B. Petrus ait: charitas operit multitudinem peccatorum... Hinc est quòd Christus Servator noster, cùm mulieri peccatrici peccata condonavit, ait: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Non dixit: quia multùm doluit, aut quia multùm lachrymata est, aut quia oleo caput meum unxit, aut quia pedes meos lachrymis suis rigavit, & capillis tersit. Quoniam omnia illa, & alia multò duriora, seclusâ charitate, non valent ad remissionem peccatorum. Sed dixit: quoniam dilexit multùm, ut videlicet omnem pœnitentiæ virtutem ex Dei amore pendere innueret.....* Hic tamen ad destruendum errorem Lutheri, *admonendum censui, ut nullus putet, sic ad veram pœnitentiam esse necessariam charitatem, ut si aliunde, puta à timore mortis, aut ex metu justissimi Judicii, aut ex odio pœnarum inferni.... inchoetur, malam illam esse credat; aut quæ utilis & fructuosa esse non possit. Absit à Christi fidelibus hæc sententia, quam sacræ Literæ, & Sanctorum omnium concors sententia damnat. Nam hæc inter Lutheri impietates, & venenosa dogmata numeratur.* Quòd postquam multipliciter ex Scriptura refutavit: *Non est ergo mala pœnitentia* (inquit) *quæ à timore, etiam servili inchoatur.* Verùmtamen *etsi hujusmodi pœnitentia... mala non sit; bona tamen nunquam erit, nisi ultrà progrediatur, ut scilicet ex timore procedat in amorem; ità ut quod timore inchoatum est, amore postmodum perficiatur. Nam hæc est timoris servilis virtus & bonitas,* & utilitas, *quòd amorem inducere potest, velut aeus filum. Nam de hoc timore testatur Propheta, illum esse initium sapientiæ; illius* (inquam) *sapientiæ, de qua Sapiens ait: Dilectio Dei honorabilis sapientia. Fieri enim potest, ut quis ex odio pœnarum procedat ad cognitionem peccatorum, considerans, & perpendens quanta sit peccati malitia, cui tot tantæque pœnæ parantur.... Tunc peccati nequitiâ exactè consideratâ, odit illud, non solùm ratione pœnarum, quæ propter illud infligendæ sunt, nisi pœniteat; sed quia malum, quia virtuti contrarium, quia per illud Deus offenditur. Quo facto Deus pœnitentiam hujusmodi acceptans, statim condonat peccatum. Non quidem tunc, cùm ex solo gehennæ horrore & odio peccatum odire cepit, quoniam illud odium, etsi non malum, inutile tamen censetur* (nisi ultrà progrediatur) *sed cùm, timore stimulante, ad dilectionem pervenient, inde iterùm ad peccati odium revertitur. Et tunc peccatum illius, charitate superveniente, tectum esse incipit.....* Timor ergo præstare potest pœnitentiæ initium; *sed sola charitas præstare potest complementum. Timor aperit viam peccatori, per quam ad Deum redire possit, ipsumque peccatorem in limine viæ constituit: charitas verò usque ad finem viæ perducit, quousque illum Deo, à quo per peccatum elongatus fuerat, conjungat... Hæc duo timor & amor duobus malis, quæ peccatum reliquerat, medentur.. In quolibet enim peccato duo hæc insunt, aversio videlicet ab incommutabili bono, & conversio ad commutabile bonum... Cùm ergo hæc duo mala sint in peccato, aversio à Deo, & inordinata ad creaturam conversio; duo alia contraria requiruntur, in vera pœnitentia, ut his duobus malis mederi possit. Primum est, ut revocetur ab inordinato amore creaturarum. Alterum, ut creaturis desertis, se convertat ad verum Dei amorem, qui omnium bonorum est fons. Ut autem ab inordinato creaturarum amore revocetur peccator, multa sunt quæ illum allicere & urgere possunt. Primum est timor gehennæ.... à mala autem peccati complacentia solum hic timor non potest revocare peccatorem. Unde si perversus quisque tartarea tormenta videret, à malorum perpetratione seipsum coërcere posset. Verùm ad amorem justitiæ nunquam induceretur, nisi gratia divina illum traheret.... Hoc autem vel ex eo conjici potest, quòd timore pœnæ sublato, sicut canis ad vomitum redit.*

Et infrà: *Si ad pœnitentiam solus timor gehennæ.... impulerit peccatorem, nunquam ille justificabitur, nec verus erit pœnitens; etiamsi huic timori conjungatur præmii æterni amor & desiderium, verum non efficiet pœnitentem, nec pœnitentia, quæ solùm ab his duabus radicibus oritur, valebit ad remissionem obtinendam. Nam illud desiderium ex sui ipsius amore procedit, quo homo sibi bonum optat. Is autem nunquam est meriti radix. Propter quod siquis durissimam & acerbissimam*

ageret pœnitentiam, non amore Dei, sed amore cœlestis præmii, quod sibi dari sperat, nunquam sic justificabitur. Tertium igitur superest, videlicet amor Dei, *qui solus satis est, ut verum efficiat pœnitentem, qui suorum peccatorum remissionem meritò impetrare possit. Si autem huic Dei amori jungatur aut timor gehennæ, aut præmii desiderium, aut utrumque simul, nihil obesse poterit, modò principem locum hac in causa amor Dei teneat, reliqui autem duo, tamquam qui illum juvant, & illi deserviunt. Nam timor, quamvis pœnitentiam non perficiat, tamen animam ad pœnitentiam præparat, viamque ad pœnitentiam aperit.* Similia habet Alphonsus à Castro lib. 4. adversus hæreses verbo *contritio.*

JACOBUS LATOMUS.

1657 Insignis Doctor iste Lovaniensis, etiam unus ex primis fuit, qui Luthero se opposuit. Ad cujus articulum tertium docet, quòd pœnitentia quidem timore incipitur; verumtamen " qui timore pœnæ legem servat, quamvis non faciat " benè, facit tamen minùs malè, quàm si ipsam " quoque pœnam contemnens, legem transgrederetur. " Et hanc unam esse ex utilitatibus timoris. Altera est, quia " quod in principio metu fit, assuefactione levius factum, voluntariè " tandem fiet, ut timor transeat in amorem, " quemadmodùm lex Moysi duxit ad Christum. Necessarium verò esse transitum à timore ad amorem, inde ostendit, quia " pœnitere & dolere de offensa Dei " (quod sine Dei amore non fit) " est juris naturæ, suppositâ fide, habentis " vim obligandi peccatorem pro statu legis naturæ, legis Moysi, & legis Evangelii.

Ad art. 5. ejusdem: " Pœnitentiæ " (inquit) " sacramentalis prima pars, scilicet contritio, " inchoatur ex timore pœnarum, aut amore " commodi, ac tandem amore justitiæ vel virtutis perficitur & completur. " Quem amorem dicit reperiri non in solis justis. Quia " possunt " peccatores aliquid facere amore Dei, vel quia " præcipit Deus, quamvis non faciant ex charitate, quæ separat filios regni & perditionis. " Nam, teste Augustino, charitas, non quælibet, sed charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, est ex qua justus in " hac peregrinatione vivens ad speciem quoque " perducitur. " Et infrà: " quando voluntas aliquid prosequitur, eo solo quia bonum est, " aut quia honestum ust, aut quia rectæ rationi " consonum est, videtur ipsam honestatem honorare, amare, amplecti; in quo virtualiter amat " Deum, qui est fons boni, honesti, & rationis. " Qui enim aliquid amat, quia tale, maximè amat id quod est maximè tale; & talis utens " creaturâ benè, non eâ utitur sine amore Dei; " quamvis non sit hujusmodi amor dignus vitâ " æternâ. " Quod & confirmat libro 1. de Confess. secret. his verbis: " Numeratur inter gratias gratis datas charitas quædam, & dilectio " Dei, quâ erga Deum afficitur peccator, in statu peccati mortalis existens, non quidem illa " quæ finis præcepti est de corde puro; sed tamen nonnulla charitas est. Multa enim agit & " patitur peccator amore Dei, nec prorsus ignorat, quàm bonus illi sit Deus, &c.

Quamvis autem in eodem libro de Confess. secr. dicat necessarium ad Confessionis utilitatem non esse quòd dolor de peccatis procedere non debeat ex gratuita Dei dilectione: " neque Confessionem tibi credas futuram inutilem, nisi " prius gratuitam Dei dilectionem, & procedentem ex ea peccati dolorem adeptus fueris. " Non ideò negat necessarium esse dolorem ex amore Dei propter se. " Per gratuitam quippe Dei dilectionem " ibi intelligit dilectionis actum " ex gratia gratum faciente " procedentem, prout ipsemet exponit. Cujusmodi gratia non necessariò prærequiritur in suscipiente Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ; " utpote quam " (inquit) " per Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ acquirimus. Nam ista duo Sacramenta ex non sanctis sanctos faciunt: cætera verò sanctitatem " in suscipiente præsupponunt. "

Et infrà: " Verum quidem est, quæcumque præparantia & disponentia ad futuram justificationem ad Dei gratiam pertinere, & gratiæ Dei " tribuenda esse; sed gratiæ gratis datæ; " non gratiæ gratum facienti. " Inter has enim gratias gratis datas reponitur habitus fidei informis, " & ejus actus informis; habitus spei, & ejus " actus informis, qui est dolor de peccatis rectè " circumstantionatus. Hunc actum Doctores recentiores attritionem vocant, ut distinguatur " à contritione, quæ est actus pœnitentiæ formatus..... Numeratur & inter gratias gratis datas charitas quædam & dilectio Dei, quâ erga " Deum afficitur peccator in statu peccati mortalis existens, &c. ut suprà. "

PETRUS SOTO ORD. PRÆDIC.

Magnus ille vir, ab Othone Cardinali, & 1658
Concilio Tridentino (cui ut Pontificius Theologus interfuit) tanto habitus in pretio, cui & suæ conscientiæ moderationem Carolus V. olim commisit, in Scholiis Cathol. tit. de contrit. Wittemberg. ad hæc Confessionis Wirtembergensis verba: " Contritionem vocamus sensum iræ Dei, seu dolorem & pavorem animi ex agnitione " magnitudinis peccatorum, & gravitate iræ Dei. " Adde " (inquit Soto) " & ex vera Dei dilectione, ipsum super omnia bona æstimante. Sine " hac verò, de qua dictum est, dimissa sunt ei " peccata multa, quoniam dilexit multùm, contritio non est vera. "

Et tit. de contrit. Catholica: " Contritionem vocat Ecclesia Catholica perfectum animi dolorem de peccato, voluntati illi, quâ peccare " libuit, oppositum, frangentemque duritiam " illam cordis, quâ peccantes divinis præceptis " resistimus, & bonitati. Dolor siquidem peccati imperfectus est, ex quantacumque & qualicumque fide procedens, & quantascumque " lachrymas & sensum doloris habeat, quousque ex Dei charitate.... dilectioneque illius super omnia bona & amabilia procedat, atque " ita peccata, tamquam Deo opposita, super " omnia quæ odio habet, detestetur, idque verè " in divinis oculis. Hæc contritio " (addit) " semper & ante legem, & sub lege, & revelatæ " gratiæ tempore ad remissionem peccati lethalis " necessaria est in adultis. "

Et Instit. Sacerdot. lect. 5. de pœnit. probat in fine vitæ difficile esse agere veram pœnitentiam, quia " tunc non satis liberè, sed necessitate quâdam agitur pœnitentia, & timore pœnæ; cùm tamen " sola quæ ex charitate agitur, & solo Dei amore, " sufficiat ad remissionem peccati. "

Et lect. 14. " Constituamus in hac materia confessionum hoc fundamentum.... ad integram & perfectam pœnitentiam, sive contritionem " (id est sufficientem ad peccati remissionem, prout ipsemet exponit ibidem) " & requiritur, & sufficit, ut ex vera Dei charitate, & dilectione ejus super omnia emanet, ab illa procedat & dirigatur, atque ita ipsam habeat conjunctam..... cùm pœnitentiam constet propriè " quemdam motum esse animi contrarium peccato. Peccatum verò lethale.... ideò peccatum " est, quia contrarium veræ charitati, & dilectioni " Dei super omnia. Donec igitur in animo sit " motus illi contrarius, nondum est plena conversio, nondum vera remissio: quia nondum re- "

" cessum est animo à peccato.... Unde Joannes: " qui non diligit, manet in morte... Et... Paulus.... si tradidero corpus meum, &c. " Unde " infert quòd " ad perfectam" (id est plenam, seu " sufficientem, ut antè) " pœnitentiam requiritur " ut ille dolor peccati, sive odium & detestatio sit " propter Deum, hoc est, ut hoc sit præcipuum " quod in peccato displicet, ut odio habeamus, " quia contrarium est Deo, quia offensa & injuria quædam Dei est.... Multis enim modis... " & rationibus odio haberi potest peccatum, videlicet.... quòd propter ipsum damnatione æternâ efficiatur dignus peccans. Cæterùm quamdiù " non detestatur peccatum, quia contrarium bonitati divinæ, reverentiæ, honori, atque obedientiæ ei debitæ, nondum est vera pœnitentia: " quia nondum ibi charitas est.... sine illa enim " nihil Deo gratum aut perfectum esse valet. Et " circa hæc quidem de fine contritionis, non est " opus plura dicere, nisi ut hoc quod certum est " sobriè & prudenter doceatur populus.... non ex " opinionibus quorumcumque, sed ex doctrina " Scripturæ & Patrum.

Et lect. 7. de necess. condition. confess. postquam statuit, " tria esse maximè necessaria confessioni.... primum ut sit cum contritione & dolore.... cujus defectus magna ex parte vel nullum reddit Sacramentum, vel fructu ejus & utilitate privat. " Post multa ad hoc dicta, " ex his " (inquit) " duo accipiamus... primum ut intelligamus... quàm necessaria sit perfecta " contritio " (de qua suprà locuti sumus) " ad remissionem peccati, etiam cum ipso Sacramento vel Pœnitentiæ, vel quocumque alio. Hactenùs Petrus Soto sub finem Concilii Tridentini mortuus, quem doctissimum simul & pientissimum, & numquam satis laudatum virum appellat Cardinalis Otho, Episcopus Augustanus, in epistola præfixa tractatui ipsius de Institutione Sacerdotum, quem tractatum dictus Cardinalis adoptavit & imprimi curavit anno 1558. pluribus proinde annis post sess. 14. Concilii Tridentini, *in quo summam ille obtinebat existimationem severæ probitatis, solidæque scientiæ*, inquit Cardinalis Pallavicinus Histor. Concil. Trid. lib. 20. c. 13.

Stephanus Paris, et Gaspar Casalius.

Stephanus Paris in lib. *de Institutione Christiani hominis adversus hujus temporis hæreses*, ante Sacerdotis absolutionem, contritionem exigit perfectam, *qua prius Dominus justificat interius, deinde foris Sacerdos absolvit.*

Gaspar Casalius l. 2. de quadripartita justitia c. 13. dicit, *ad justificationem... oportere quod intercedat... dilectio Dei super omnia, obedientia erga Deum ex corde, & pœnitentia, seu odium peccatorum.*

CAPUT CXLII.

Catechèses ab Ecclesiis & Præsulibus Germaniæ, Hispaniæ, Italiæ, Galliæ, Poloniæ, & Belgii, adversus hæreticos editæ, partim proximè ante Tridentinum, partim ipso Tridentino tempore, partim proximè post illud, formidolosa attritionis insufficientiam, divinæque dilectionis necessitatem pariter adstruunt.

Enchiridion Coloniense.

1659 ANno 1536. editum est in Concilio Colonienfi Enchiridion Christianæ Institutionis, cujus Authores (prout num. 1595. dixi) fuerunt Joannes Gropperus, tunc Præpositus Bonnensis, postea S. R. E. Cardinalis, & noster Everardus Billichius. In hoc igitur Enchiridio (à S. Inquisitione expurgato, sed circa materiam contritionis & attritionis intacto) tit. de pœnit. §. *ordiemur* sic habet: *Ordiemur à vera pœnitentiæ descriptione, quæ sanè nihil aliud est quàm conversio hominis ad Deum, quæ tum fit & peragitur, cùm peccata, quæ... commisimus, propter Deum, ex animo, non sine gravi animi dolore odimus, cum voto & proposito deinceps non peccandi.*

Et infrà postquam §. *porrò* dixit: *Ecclesiastici Patres, veram pœnitentiam tribus partibus constare tradunt, contritione, confessione, satisfactione.* §. *quibus* pergit sic: *Prima itaque pars contritio est, quam Ecclesia vocat vehementem animi amaritudinem, ac intimum dolorem conscientiæ quæ Deum iratum peccatis sentit, & se peccavisse graviter dolet, cum voto vitam in melius commutandi. Hæc incipit quidem & concipitur utplurimùm fide historicâ, & timore servili; sed non perficitur nisi fide sinceră & timore filiali.* Et postquam cum Augustino distinxit inter hæc tria, credere Deum, credere Deo, credere in Deum, aiens duo priora in intellectu consistere; tertium voluntatem afficere, ita ut credere in Deum sit *credere, fidere & adhærere Deo, non solo intellectu, quem fides illuminat; sed & voluntate, quam accedente charitate inflammat.* §. *neque* sic ait: *Neque tamen putandum est, hunc timorem servilem, qui ex metu supplicii ducit originem... pœnitentiam totam absolvere, quin potius is solus adeò non sufficerit, ut exitialis sit.... nisi proficiat ad spem veniæ.... & succedat illa fides, secundùm tertiam credendi rationem* (quâ amando in Deum itur, ut § quæ *omnia* explicuerat) *quæ accedens demùm facit, ut timorem servilem comitetur timor filio dignus, cui commissa displicent, non jam quia pertrahunt in gehennam, sed quod Patrem optimum ac sic de nobis meritum offendunt. Quale videre est in filiis, qui graviter in parentes deliquerunt. Primùm enim metu pœnæ, seu plagarum, peccatum oderunt, deinde paternæ pietatis memoria subeunte, ubi fiduciam reditûs in gratiam ceperint, etiam ex amore præterita commissa detestantur.*

Et §. *vides ergo: Vides ergo quemadmodùm consideratio justitiæ ac judicii divini, accedente fide historicâ, pœnitentiam inchoent; consideratio tamen bonitatis divinæ, ex amoris affectu procedens, cum fiducia misericordiæ, pœnitentiam formet... Haud inficiamur, sanctiorem esse pœnitentiam, quam timor filialis, in bonitatem Dei respiciens, & inchoat, & format. Sed quoniam hæc est fragilitas & imperfectio nostra, ut non facile ad bonitatem Dei oculos nostros attollamus, nisi prius iram senserimus, quemadmodùm Psaltes ait: cùm occideret eos, quærebant eum. Et revertebantur, & clamabant ad Dominum, cùm tribularentur: idcirco SS. Patribus rectè placuit, pœnitentiæ doctrinam, à timore servili non ineptè ordiri;* modò in eo pœnitentia non sistat, sed ad filialem amorem, Deique dilectionem gradum faciat, cujus necessitatem postquam probavit ex sententiis Augustini, Basilii, Ambrosii, Gregorii & Cassiodori in Ps. 110. metum judicii januam conversionis appellantis, modò tamen discretio dilectionis addatur, tandem concludit, quòd *hæc tandem est vera pœnitentia, ad quam omnis Scriptura passim nos provocat.... Breviter in hanc sententiam pii omnes discedunt.*

Et §. *& vel hoc exemplo: ergo cùm pœnitentia gratuitum Dei donum sit, ab illo & precibus, & lachrymis, animi saltem, aliisque piis studiis expetenda est. Quòd si non statim contingit quod amoitur, non est tamen desistendum à bene cœptis. Proinde qui ex consideratione vitæ turpiter actæ, ac metu gehennæ jam concipit aliquam detestationem criminum, hoc est timorem servilem, ac necdum sentit timorem filio dignum, perseveret in lachrymis.... donec & hunc timorem senserit, cum vi-*

to certo mutandæ vitæ, &c.

INSTITUTIO MOGUNTINA.

1660 Anno 1549. in Synodo Moguntina, adversus Lutherum adunata, edita fuit *Institutio ad pietatem Christianam, secundùm doctrinam Catholicam*, cujus pag. 174. sic habetur: *A timore quidem.... pœnitentia concipitur.... nemo tamen sic existimet, quasi timor ille servilis, quo propter scelerate facta nostra districtam Dei justitiam & gravem iram metuimus, veram contritionem solus absolvat. Cui per seipsum solum adeò nihil in conversione peccatoris tribui debet, ut eum desperationi, quam conversioni, aptiorem esse judicari oporteat. Nec à malo recessisse putandus est, qui timore prohibitus, malum perpetrare abstinet. Nam qui metu pœnæ non peccat, adhuc eo ipso peccat, quod peccare vellet, si impunè posset....*

Et posteaquàm multis ostendit, quomodò timor servilis ducat ad amorem, subdit: *Contritio... ut vera reddatur, eò usque progredi debet, donec jam fide, spe & charitate juvetur, ut jam non tam doleat peccator, quod pœnam meruit, quàm quòd Deum offendit. Nec solùm ex peccatorum suorum memoria timorem colligat, sed ex bonitate Dei & misericordia fiduciam capiat.*

CATECHISMUS FREDERICI NAUSEA.

1661 Fredericus Nausea, Episcopus Viennensis in Austria, anno 1552. id est aliquot mensibus post sess. 14. Concilii Tridentini, cui interfuerat, & subscripserat, Catholicum Catechismum contra Lutheranos edidit, atque Eminentissimis Cardinalibus Reginaldo Polo, Petro Paulo Parrhisio, & Joanni Morono ejusdem Concilii Præsidibus dedicavit. Cujus lib. 3. c. 45. sic ait: *Est autem pœnitentia voluntaria, & ex charitate erga Deum, pro peccato commisso punitio assumpta.* Cap. 46. repetit, *pœnitentiam esse quamdam voluntariam, & ex charitate erga Deum, pro peccato (quo ipse offensus est) assumptam punitionem, vindictam & pœnam.* Cujus pœnitentiæ tres partes esse dicit, contritionem, confessionem, satisfactionem, quibus addita absolutio Sacramentum perficit. *Est autem contritio* (ut habet cap. 47.) *definitoribus sanctis Authoribus, dolor voluntarie assumptus pro peccatis, cum proposito & intentione ea confitendi, & pro ipsis satisfaciendi, atque illa iterùm non admittendi. Sine hac quidem contritione non est ut quispiam verè pœniteat, aut suorum peccatorum veniam speret. Nam cùm.... in omni peccato mortali sit aversio voluntaria à Deo per peccatum, & ipsa quoque contraria contrariis curentur; consequens est, ut è diverso, in omni remissione peccati mortalis, actualis sit conversio à peccato ad Deum. Quæ quidem conversio (si vera fuerit ac perfecta) dici cœpit contritio.... Nec est ut absque ejusmodi contritione Sacerdos quemquam verè possit absolvere. Cùm ipse reum non absolvat, nisi reus, ipse debito modo dispositus, sit capax absolutionis*, &c.

Cap. 54. *Confessio non debet fieri timore depulsionis ab Ecclesia, vel carentiæ sepulturæ, vel simpliciter pœnæ infernalis; verùm principaliter propter Deum, & obedientiam Dei, & Ecclesiæ; secundariò etiam propter gehennam.*

Cap. 58. *Cùm itaque peccator, opitulante primùm gratiâ divinâ, cognoverit se peccatorem fuisque peccatis multifariam Deum offendisse, cœperitque tandem ex amore erga Deum præcipuè, & ex amissione illius gratiæ, & pœnæ gehennæ æleptione prorsus contristari.... accedat ad Sacerdotem*, &c.

Cap. 60. *Contritio est operatio interior, quâ homo dolet amare, quòd suo peccato Deum & proximum offendit. Quæ tanquam prima pars pœnitentiæ præponitur, citra quam reliquæ partes nihil prosunt.*

Cap. 66. *Quæ pii Doctores jam dudùm de pœnitentia, deque ejus partibus, nec parvis, nec exiguis voluminibus agitarunt, hæc ipsa ego Dei benignitate ita breviter conatus sum pro vestra salute reddere, ut sperem me nihil prorsus omisisse quod requiri necessariò possit.* Et hactenus dicta recapitulans, subjungit: quinta conclusio. *Si voluerimus tam à culpa, quàm à pœna peccati liberari, & certò post hanc vitam habere vitam æternam, oportet imprimis, ut invocato pro illuminatione Domino, voluntariè pro nostris peccatis amore Dei doleamus, & tempore quoque primo confiteamur ea Sacerdoti*, &c.

INSTITUTIO AUGUSTANA.

Anno 1558. Otho S. R. E. Cardinalis, Episcopus Augustanus, edi curavit Institutionem Sacerdotum, à Petro Soto jussu ipsius compositam, quam omnibus suæ Diœcesis Parochis proposuit, ut juxta eam Parochias suas docerent, & contra hæreticam pravitatem munirent. In ea verò divini amoris necessitas, formidolosæque attritionis insufficientia perspicuè traditur, uti vidimus n. 1658. 1662

CATECHISMUS CATHOLICUS EPISCOPI MERSPURGENSIS.

Michaël, Episcopus Merspurgensis, Catholicam fidem adversus Lutheranos proximè ante Tridentinum acerrimè defendens, Catholicum ipsis Catechismum opposuit, concionibus 84. comprehensum. In quo concione 58. Edit. Colon. anni 1562. sic habet: *Non omnium animi sunt ita dispositi, ut ex amore Dei resipiscentiam & conversionem auspicentur.... usitatissima ratio est pœnitentiam seu contritionem obtinendi, ut serio quis perpendat multitudinem & enormitatem suorum peccatorum.... consideret quoque severum illud & formidabile Dei judicium.... & hujus consideratione necessarium est timorem in animis hominum insistere; à timore autem concipitur pœnitentia.... Cæterum hic timor, qui ex peccatorum & supplicii consideratione hauritur, necdum est vera illa contritio, quæ Deo accepta est, & quâ ad misericordiam commovetur.... nihilominus tamen est instar ministri veræ contritionis, utpote ad veram pœnitentiam deserviens & perducens. Quod tunc contingit, quando ex servili timore transit ad amorem, nec jam eâ solùm de causâ dolet quòd pœnam peccando commeruerit, sed vultò magis eo nomine, quòd Deum offenderit: imò jam de pœna tantoperè sollicitus non est, cùm ultrò se obtulerit ad omnia ea libenter perferenda, quæ ipsi Deus propeccatis imposuerit, tantùm ut favorem & amicitiam Dei queat recuperare. Atque hic est verus & castus timor, cùm ex amore Deum timere incipimus, exoriturque hinc vera illa contritio, quam Deus vult valere ad obtinendam peccatorum veniam. Hunc contritionis obtinendæ modum omnes Patres tradiderunt*, ut Tertullianus, Basilius, Chrysostomus, quorum testimonia allegat, imò & Prophetarum Apostolorumque traditionem. Nec mirum, ut enim concione 59. ait, *solâ formidine terreri ob peccata, furum, flagitiosorumque est pœnitentia, nec meretur gratiam aut remissionem à Deo.* 1663

RITUALE ECCLESIÆ CONDOMIENSIS ANNI 1520. ET STATUTA SYNODALIA ECCLESIÆ PICTAVIENSIS ANNI 1544.

In iis expressè legitur, per contritionem, primam & maximè necessariam partem Sacramenti Pœnitentiæ, intelligi verum sincerumque de peccatis dolorem ex amore intuituque Dei. 1664

INSTRUCTIONES ECCLESIARUM CAMERACENSIS, ATREBATENSIS, ANDOMARENSIS, &c.

Franciscus Richardotus, Episcopus Atrebatensis, Academiarum Vesontinæ in Burgundia, & Duacensis in Belgio Fundator, unus ex Patribus Tridentinis, à quibus æstimatus fuit Orator ad miraculum usque facundus, ad precem Maximiliani de Bergis, Archiepiscopi Cameracensis, scripsit, & anno 1567. publicavit Instructiones 1665

ſuper materiis inter Catholicos & Sectarios controverſis, velut Catholicæ doctrinæ formulas, pro Parochis Eccleſiæ Cameracenſis, Atrebatenſis, aliarumque Cameracenſi ſuffraganearum, quas Eccleſia Andomarenſis in Synodo Diœceſana plurimùm commendavit, ſuiſque Curatis præſcripſit. Ubi agens de neceſſitate contritionis in Pœnitentiæ Sacramento, ait, quòd " contritio " ſit ſincerus & vehemens dolor, ob Dei offen- " ſam, ex ejus amore, magis quàm ex metu " pœnarum proveniens, habenſque emendatio- " nis propoſitum, & fiduciam miſericordiæ im- " petrandæ. " Cujus quidem contritionis tres ait eſſe dotes: " Prima eſt, quòd orta ſit potiùs " ex caſta Dei dilectione, quàm ſervili ex timo- " re. Nam ſi illi, qui ex metu gehennæ non pec- " cant, interrogentur, cur ſeipſos à peccatis co- " hibeant; reſponderent, ſe à peccatis abſtinere, " quia peccantibus infernus eſt paratus, qui ſi non " eſſet, peccandi voluntas ipſis non deeſſet. Iſtiuſ- " modi ergo dolor non eſt contritio; ſed is ſolus, " qui ex vero Dei amore procedit, quamvis ge- " hennæ timor ad eum introducendum juverit. " Ad hoc enim timor iſte aptus eſt, tametſi ad " peccatorum remiſſionem non ſufficiat, niſi ve- " ræ perfectæque contritioni locum fecerit. Se- " cunda, quòd ſit adeò vehemens, ut aliquo mo- " do æquet illum libidinis æſtum, quo flagitium " perpetratum fuit. Tertia, quòd tantum ſit pecca- " ti odium, quàm ardens amor quo diligit Deum. " Quod tunc fit, quando pœnitens ſuper omnia " peccatum deteſtatur, quemadmodum Deum " ſuper omnia amare tenetur. Nam ſicut recta ra- " tio oſtendit Deum eſſe ſummum bonum, præ " omnibus amore & honore dignum, quodque " ſuper omnia debet homini eſſe chariſſimum; " ita & peccatum eſſe ſummum hominis malum, " quod proinde præ omnibus & ſuper omnia fu- " gere & abominari eum oportet... Et.... opor- " tet hominem, gratiâ Dei ſpoliatum, non præ- " cipuè ob hujus, vel futuræ vitæ mala, ſed eam " maximè ob cauſam, quòd ſit gratiâ Dei ſpo- " liatus, ſeipſum infelicem reputare.

CATECHISMUS TREVIRENSIS.

1666 Anno 1590. Joannes de Schawenberg, Epiſcopus & Elector Trevirenſis, Catecheſes edidit; ex Franciſco Coſtero, & Petro Soto deſumptas, pro tota Eccleſia ſua Trevirenſi, ubi ad quæſtionem: " quanta eſſe debeat contritio, ſeu dolor, " ut ad peccati remiſſionem ſufficiat? " Reſpon- det: " requiritur, & ſufficit, ut ex vera Dei cha- " ritate ſuper omnia emanet, ipſamque habeat " conjunctam. Si enim ille animi motus ex aliis " quàm Dei amore procedat, non ad Deum, ſed " ad aliud bonum ducit.

Et ad quæſtionem: " quotuplex dolor de pec- " cato? " Reſpondet: " duplex: voluntarius " alter, qui odium peccati, deteſtatio & nolitio " dici poteſt, qui in pœnitente ſummus eſſe de- " bet, ut ſcilicet peccatum præ cæteris malis de- " teſtemur, odio habeamus, & nolimus. Quo- " niam hic dolor reſpondet amori charitatis, qui " principatum & dominium ita habere debet in " corde, ut omnia alia, quæ amantur, minùs " amentur quàm Deus. Alius eſt dolor ſenſûs, " quem non neceſſe eſt ſummum eſſe, &c.

1667 Et ad quæſtionem: " qualis eſſe debeat dolor " de peccatis? " Reſpondet: " integer & verus, ſic- " ut verus Dei amor, ut exceſſat in Dei oculis " omnem alium affectum voluntatis, ita ſcilicet " ut & animam excitet ad convenientia opera cha- " ritatis & pœnitentiæ, & ut eam advertus con- " traria omnia ſic præmuniat, ut ſecundum præ- " ſentem voluntatis ſtatum, quidquid boni aut " mali occurrerit, id minus quàm Deus ametur; " minùs quàm peccatum odio habeatur; adeò ut potiùs quodvis malum incurrere velis, quàm " peccatum; & quolibet bono privari, quàm Deo. "

Et ad quæſtionem: " quæ cordis compun- " 1668 ctio in enarrandis peccatis requiritur? " Reſpon- det: " de peccatis eſt confitendum cum diſpli- " centia omnium peccatorum mortalium com- " miſſorum ſupra omne odibile, & cum propo- " ſito vitandi omne peccatum mortale ſupra om- " ne vitabile.

Et ſubdit, quòd debitæ contritionis defectus magna ex parte vel nullum reddit Sacramen- " tum ipſum, vel fructu ejus & utilitate privat. "

PAROCHIALE LEODIENSE.

Anno 1592. authoritate Reverendiſſimi D. Et- 1669 neſti, Epiſcopi Leodienſis, ad uſum Paſtorum editum eſt Parochiale Leodienſe. In quo tit. de pœnitentia, contritio, prima ejus pars, ſic definitur: *Contritio eſt vehemens animi dolor, quo pœnitens deteſtatur & dolet de omnibus peccatis commiſſis, propter Dei ſupremi boni offenſam, cum firmo propoſito ampliùs non peccandi, & voluntate confitendi & ſatisfaciendi*, &c.

Et infrà. 2°. *dolor eſſe debet vehemens. Nam attritio non ſufficit.... 4°. debet iſte dolor concipi propter Deum offenſum: nam dolere propter creaturas, vel propter damnum, vel infirmitatem, non eſt contritio.*

Et infrà, agens de Confeſſ. ut illam fructuoſa abſolutio ſubſequi poſſit, ait eam iterandam eſſe, *ſi non ſit contrita, ſive lachrymabilis, hoc eſt cum contritione vera, ut peccata omnia & ſingula derelinquat animo prorſus deliberato, ea deſleat, deteſletur, & odio habeat, idque propter Dei ſummi boni offenſam. Deinde ut proponat in futurum omnia cavere, & omnem peccandi occaſionem quovis modo evitare & præſcindere. Quæ omnia ad contritionem requiſita ſi pœnitens ex animo non præſtet, Sacerdos nullo modo abſolvat.*

CONFESSIO POLONICA CONCILII PETRACOVIENSIS.

Anno 1551. Eccleſiæ Polonicæ in Concilio Pe- 1670 tracovienſi congregatæ fidei Confeſſionem ediderunt, cujus cap. 68. ſic habetur: *Quid enim eſt ſpiritus ejus, niſi amor ejus? Et quomodo creatura rationalis aliter, niſi amando Creatorem, potuit unquam vel poteſt juſtificari?*

RITUALE BARCINONENSE.

Anno 1569. Guilielmus Caſſadorius, Epiſco- 1671 pus Barcinonenſis, è Tridentino redux, Diœceſi ſuæ conſcripſit Rituale, cujus cap. 7. agens de Sacramento Pœnitentiæ, cujus *partes* (inquit) *materiales, quæ tanquam totam integramque pœnitentiam conſtituunt, ſunt tres, contritio, confeſſio, & ſatisfactio.* Contritionis naturam explicat dicens: *differt contritio ab attritione, eò quòd contritio eſt dolor de peccato, quatenùs offenſa Dei eſt, eademque ſpeciali Dei favore elicita, ad remiſſionem ſufficiens. Attritio verò eſt dolor propter ſupplicia inferni, vel propter alia temporalia detrimenta.* Et ideò *ad remiſſionem peccatorum non ſufficit, neque actus ille, qui eſt attritio, fieri poteſt contritio.*

SYNODUS BISANTINA ANNI 1579.

Cornelius Muſſus, Epiſcopus Biſantinus, in Sy- 1672 nodo celebrata anno 1579. in canon. de pœnit. contritionis neceſſitatem, formidoloſæque attritionis inſufficientiam expreſsè declarat his verbis: *Tum ſubjiciant, illos rectè & ritè ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, qui antequam ad myſticum ſacræ Confeſſionis Jordanem accedant, lavandi, mundandique à lepra peccati, recogitantes in amaritudine animæ ſuæ ipſorum peccata, & ſingula & omniaex intimis cordis penetralibus, orantes Deum... inter timorem divini judicii, & ſpem divinæ miſericordiæ, velut* INTER DUAS MOLAS SESE PER DEI GRATIAM, NON SOLÙM ATTERANT, SED MINUTATIM CONTERANT. Utpotè propter Deiofenſam,

sensum, non propter pœnam, prout laudatus Episcopus diserte exprimit concione de peccato & pœnit. (habitâ feriâ 2. Dom. 5. Quadrag.) ubi de sacramentali loquens pœnitentia, *propria* (inquit) *& formalis ratio peccati.... est injuria quæ Deo irrogatur. Idcirco cùm gratam Deo, & ad remissionem peccatorum impetrandam efficacem pœnitentiam agere decreverit, non sufficit tantùm dolor ille physicus* (de perpetrata re turpi, & contra rationem) *qui & Ethnicis communis est, cùm alibi deliquerint, aut in errorem inciderint* (*arbitrantur enim se isto delicto honoratum illum titulum hominis virtute præditi & probi amittere*).... *neque sufficit dolor Judaicus, cùm in legem peccaverint. Anima enim legis est timor pœnæ, & qui non aliò quàm in legem respicit, non alio quoque intendit, quàm in timorem, ne puniatur. Sed vullis dicam, qualis sit dolor Davidis* (qui requiritur) *est dolor Christiani, est dolor omnis verè pœnitentis. Dolet quòd offendit summum bonum, summum bonum suum, Patrem suum, Creatorem suum, Redemptorem suum, Consolatorem suum, Salvatorem suum. Quemadmodum cùm aliquando bonum opus facis, Christiane, oportet semper oculum in Deum intendere. Quod si non facias ad gloriam ejus, etsi facias quocumque fine bono, aut quia honestum est, aut quia præceptum, nihil tamen ad æternam tibi prodest vitam; sic dolor de peccato, si non in primarium illum locum dirigatur, summo te Deo injuriam intulisse, quod nullo modo facere debebas, non est ille dolor, non est illa pœnitentia, quæ ad impetrandam indulgentiam, absolutionem, & peccatorum tuorum remissionem requiritur.* Et infrà: *Contritio sacramentalis pœna est & dolor... spontè à peccatore susceptà, quæ ex indignatione nata, ex eò quòd Deum offendit, armat se contra se*, &c.

SACERDOTALE SEU THESAURUS SACERDOTUM, JUXTA CONSUETUDINEM S. R. E. SANCTIQUE CONCILII TRIDENTINI SANCTIONES, &c.

1673 Prodiit anno 1579. cum approbatione Gregorii XIII. cui Author ipsius Franciscus Samarinus, Ecclesiæ Lateranensis Beneficiarius, illud dedicavit. Capite autem de *contritione, prima parte pœnitentiæ*, postquam dixit, quòd " illud Sacramentum habet tres partes, contritionem, confessionem & satisfactionem: Sciendum tamen est " (inquit) " quòd aliqui putant satis indiscretè, tunc esse contritionem, quando habent " quamdam displicentiam de peccatis, vel quando habent propositum dolendi de iis. Et tales " pauperes decipiuntur. Hoc enim non est contritio, sed attritio..... Dolor igitur debet esse " propter Deum; non propter timorem pœnarum, aut propter quodvis aliud, sed quia sunt " offensa Dei.

CATECHISMUS ROMANUS CONCILII TRIDENTINI.

1674 Catechismus Romanus, ideò Concilii Tridentini Catechismus dicitur, quia ejus jussu & commissione Leonardus Marinus de Genua, Archiepiscopus Lancianensis, & Ægidius Fuscanarius de Bononia, Episcopus Mutinensis, illum concinnarunt. Est autem ipsius authoritas non parva; cùm in pluribus Conciliis Provincialibus fuerit approbatus, Conciliique sit commentator, in iis maximè quæ Sacramenta concernunt, cujus profectò mentem illius Authores ignorare non potuerunt. Usque adeò verò alieni fuerunt à doctrina de sufficientia attritionis formidolosæ, ut tametsi hujus Sacramenti materiam (*quâ nihil fideli populo notius esse debere* aiunt fit. de Sacram. Pœnit. n. 7.) de eaque Concilii Tridentini mentem populo explicandam susceperint, de dicta tamen attritione ne mentionem quidem fecerint. A qua non abstinuissent, si doctrinam illam, Concilii doctrinam censuissent. Neque enim tanti momenti doctrinam, scitu adeò necessariam, silentio obvolvissent. Non solùm autem de ea siluerunt, sed & multifariàm, multisque modis significarunt divini amoris necessitatem in pœnitentia salutari.

1°. dum p. 2. de Sacram. Pœnit. c. 5. n. 1675
2. 3. 4. enarratâ triplici significatione vocis *pœnitentia. Primum enim pœnitentia dicitur de iis quibus aliquid displicet, quod antè placuit, nullâ habitâ ratione hujus cogitationis, bonum, an malum fuerit.... Altera est pœnitentia, cùm quis ex scelere admisso.... dolorem, non Dei, sed sui ipsius causâ concipit. Tertia est, cùm non solùm admissi sceleris causâ intimo animi sensu dolemus.... verùm unius Dei causâ in eo mœrore sumus..... Prima in vitio ponenda est. Altera est quædam commotio & perturbati animi affectio. Tertiam* (solam; ut contextus indicat) *tàm ad virtutem pertinere, tum Sacramentum esse dicimus. Quæ significatio hujus loci propria est.* Solâ ergo tertiâ, quâ *unius Dei causâ* dolemus, proptiâ est hujus Sacramenti materia. Sola ad virtutem spectat pœnitentiæ. Cujus *virtutis actiones* (ut n. 3. aiunt) *tamquam materiam præbent, in qua Pœnitentiæ Sacramentum versatur.* Quod proinde ut fructuosum sit, n. 4. commonendos aiunt fideles, *ut omni contentione & studio in intima animi pœnitentia* (*quam virtutem dicimus*) *elaborent, sine qua ea quæ extrinsecùs adhibetur parùm profutura est.* Ibidem verò n. 7. enarrantes *quibus gradibus ad hanc divinam virtutem ascendere liceat*: post enarratam necessitatem gratiæ, fidei, spei, utilitatemque timoris, necessitatem adjungunt charitatis: *postremò charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor, probis & ingenuis filiis dignus oritur, atque ita unum illud veriti, ne quà in re Dei majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus. Hisce igitur quasi gradibus, ad hanc præstantissimam pœnitentiæ virtutem pervenitur.*

2°. dum dolorem in vera contritione necessarium n. 19. explicant familiari hoc exemplo: *nam qui amico reconciliari vult, quem injuriâ affecit, & doleat oportet, quòd in eum injuriosus & contumeliosus fuerit, & diligenter reliquo tempore provideat, ne quâ in re amicitiam læsisse videatur.* Quorum neutrum sine casto amore est.

3°. dum n. 24. dicunt, nullum alium dolorem, hoc nomine *contritio*, appellari, *qui ex cujusvis alterius calamitatis causâ* susceptus sit, sed *illum* tantùm, *quo ex amissa Dei gratiâ atque innocentia afficimur.*

4°. dum in explicatione primæ petitionis Dominicæ tradant, quòd *ut ordine procedat oratio* (adeòque & pœnitentia) *Salvator petitionem hanc de summo bono principem & caput constituit petitionum reliquarum, docens nos, priusquam ea quæ nobis, aut proximo cuique, opus sint postulemus, quæ propria sint Dei gloriæ petere debere.*

5°. dum in explicatione tertiæ petitionis docent, quòd *tota illo in Deum amore spes nostra* (adeòque & pœnitentia) *niti debeat.*

6°. dum in explicatione quintæ petitionis aiunt, *necesse esse, ut is qui ad hoc petendum vult accedere, suum ipse peccatum agnoscat. Deinde ut ejus sensu & dolore afficiatur.* Et infrà: *Ergo in hac petitione sic affecti simus oportet, ut dolenter peccata nostra recognoscentes ad Deum* TAMQUAM AD PARENTEM, NON QUASI AD JUDICEM *confugiamus.* Quod solo servili timore fieri non posse constat, sed filiali timore & affectu dumtaxat.

7°. dum citatâ p. 2. c. 5. n. 26. docent, eamdem ob causam, necesse esse peccatum summo odio prosequi, ob quam Deus summo amore diligendus est: *si, uti Deus summum bonum est in-*

ter omnia quæ diligenda sunt; ita etiam peccatum summum malum est inter omnia quæ odisse homines debent: illud sequitur, ut quam ob causam Deum summè diligendum esse confitemur, ob eamdem rursus, peccati summum odium nos capiat necesse sit. Si eamdem ob causam: sicut ergo Deus summè diligendus est, quia summum bonum; sic peccatum summè, id est super omnia mala odiendum est, quia contrarium summo bono, & quia summum malum, ipsâque gehennâ majus. Quomodò ipsum odisse nemo potest ex solo servili timore gehennæ, tamquam motivo unico & adæquato, sed ex amore dumtaxat, filialique timore, quia offensa Dei est. Videri potest Georgius Ederus, Catechismi Romani Abbreviator, quem suo Brevi Pius V. commendavit. Ipse enim tit. de contrit. § 3. ait, *summum & maximum dolorem de peccatis, quæ commissa sunt, suscipiendum esse... Ut enim maximè diligendus est Deus; ita quæ nos à Deo alienant maximè detestari debemus.... adeò ut quam ob causam Deum maximè diligendum esse confitemur* (ob solum certè timorem gehennæ maximè diligendum non confitemur) *ob eamdem rursus peccati summum odium nos capiat necesse sit.*

1676 Denique necessitatem benevolæ Dei dilectionis, in Sacramento Pœnitentiæ, docent Ritualia Colonienſe anni 1566. Carnotense anni 1581. Atrebatense & Engolismense anni 1582. Viennense in Delphinatu anni 1584. Remense anni 1676. Catechismus Senonensis anni 1669. Tornacensis, Rupellensis, & Lexoviensis anni 1676.

CAPUT CXLIII.

Asserta à Majoribus formidolosæ attritionis insufficientia, divinique amoris necessitas ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ, ex sacris Oraculis probatur, atque imprimis ex primo maximoque mandato.

1677 EX primo (inquam) maximoque mandato (toties in illis repetito) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Certum quippe est, isto mandato præcipi benevolum Dei amorem super omnia, quo Deo, nulli alteri tribuamus cordis & amoris nostri principatum. Quo dato, nullum profectò rationabilius assignari potest tempus obligationis istius præcepti, quàm illud, quo homo reconciliari vult cum Deo, postquam ipsum mortaliter offendit, per ablatum ipsi, in creaturamque translatum cordis & amoris sui principatum, contra primum illud mandatum. Tam fortes etenim rationes suadent ad reconciliationem illam necessarium esse Dei benevolum super omnia amorem, ut quodcumque aliud tempus assignaveris, quo dictum mandatum impleri debeat ante vitæ extremitatem (ad quam differri non potest, juxta Ecclesiæ declarationem) non æquè forti, vel saltem non fortiori ratione assignatio tua fulcietur, quàm nostra, quâ tempus illud designamus, quo homo reconciliari vult cum Deo, per mandati illius violationem mortaliter offenso. Pro quo tempore faciunt rationes sequentes.

1678 Prima: reconciliatio cum amico, graviter offenso per violatas amicitiæ leges, fieri debet per istius violationis reparationem; adeòque per amicitiæ pristinæ redintegrationem, amicique restitutionem in pristinum amoris statum. Igitur reconciliatio cum Deo, graviter offenso per violatas amicitiæ leges, per violationem utique primi maximique mandati, sive per ablatum ipsi cordis & amoris principatum, fieri debet per istius violationis reparationem; adeòque per amicitiæ pristinæ redintegrationem, Deique restitutionem in pristinum amoris super omnia statum.

Secunda: omne peccatum mortale violatio est primi illius mandati (cùm per omne mortale homo creaturam amet plusquàm Deum) violatio verò primi mandati reparari nequit, nisi per illius adimpletionem, violationi illi oppositam. Per consequens reparari non potest, nisi per amorem Dei super omnia, quo solo fit reparatio, & adimpletio, violationi illi oppositæ. 1679

Tertia: quamdiù peccator Deum super omnia non amat, non solùm non reparat peccatum, quo creaturam plusquàm Deum amavit; quin potiùs illud continuat. Neque enim cessat amare creaturam plusquàm Deum, quamdiù Deum non amat plusquàm creaturam. Si enim juxta Augustinum *regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei charitas*, tamdiù regnat carnalis cupiditas, quamdiù eam regnantem non extrudit regnans Dei charitas. 1680

Quarta: reconciliatio peccatoris cum Deo fieri nequit, nisi de subdito rebelli & infideli fidelis fiat & obediens. Per omne verò peccatum mortale peccator efficitur rebellis adversus primum maximumque mandatum, in creaturam transferendo dominium principatumque cordis, soli Deo debitum. Ergo reconciliatio ipsius cum Deo fieri nequit, nisi fiat subditus primo maximoque illi mandato obediens, Deum *ex toto corde*, adeòque super omnia amando. 1681

Quinta: peccatum furti non remittitur, nisi pro posse restituatur quod furto injustè est ablatum. Atqui omne peccatum mortale est furtum, furtorum omnium injustissimum, quo peccator Deo abstulit cordis & amoris principatum, ipsi tamquam Creatori, Redemptori, & supremo cordium omnium Domino strictissimo jure debitum. Nullum ergo peccatum mortale remittitur, nisi principatus ille pro posse restituatur. Quod solùm fieri potest Deum super omnia amando. 1682

Sexta: præceptum amandi Deum super omnia haud dubiè aliquando per se obligat. Dicant igitur Adversarii, quo potiori tempore, quàm quoreparari debet injuria magna, Deo per violationem illius præcepti illata? Quodcumque tempus assignaveris, rationem petam, cur tunc, si non tempore proximè dicto. Si v.g. dicas obligare, dum superanda est gravis tentatio contra illud præceptum: à te petam, cur tunc obliget, si non obliget dum reparanda est gravis injuria Deo illata violando idem præceptum? Si enim dicas, gravem illam tentationem superari non posse, nisi Deum super omnia amando: dicam æquali vel majori jure, dictam injuriam similiter reparari non posse, nisi Deum super omnia amando. Ob ea quæ antè dicta sunt. 1683

Septimam rationem solitâ pietate & soliditate adfert piissimus doctissimusque Contensonus to. 9. dissert. un. c. 2. *Si puer baptizatus, qui nec peccato originali inficitur, nec ullo actuali crimine baptismalem innocentiam perdidit*, juxta S. Thomam, *in Deum se per amorem reforre adstringatur*, adepto rationis usu: *quantò magis, qui à Deo propriâ voluntate recessit, ab ultimo fine se submovit, & Creatorem creaturis postposuit? Puer non potest incipere vitam rationalem sine motu amoris in Deum: quomodò ergo peccator incipiet christianam? Puer, non quia peccavit, sed ne peccet, debet ad Deum amore ferri. Et homo, post peccatum, ut peccatum proprium sanet, non debet ad Deum dilectione moveri? Expedire quidem se ab hoc argumento volent, qui S. Thomæ sententiam non amplectuntur, negando suppositum. At Theologus Thomista nunquam isti argumento satisfaciet, vel verisimilem afferet unquam probabilis disparitatis rationem.* Nec Theologus quisquam alius (inquam ego) verisimilem probabilis disparitatis rationem afferet, inter tempus à nobis assignatum, & quodcumque aliud à se designandum. 1684

Octava

1685 Octava ratio, quâ præcedens illustratur, est quia peccator, mortaliter peccando, quasi per annihilationem moraliter esse desiit, juxta illud: *ad nihil redactus sum, & nescivi*, Psal. 72. 22. Desiit namque esse homo, dum desiit esse rationalis, contra rationem à Deo recedendo. Desiit esse homo, dum, ut ibidem dicitur v. 23. *ut jumentum factus est.* Per consequens moraliter quasi de novo procreatur, dum ad Deum convertitur. Unde Psalm. 50. 11. dicitur: *Cor mundum crea in me Deus.* Ephes. 2. 10. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Si ergo puer (de quo proximè) incipere non potest vitam rationalem, nisi per amorem Dei super omnia convertendo se ad Deum, uti probavimus to. 2. agendo de charitatis præcepto: nec peccator ille, nisi per amorem illum, incipere potest vitam christianam; quam nisi incipiat, ad Deum converti non potest.

1686 Nona ratio: si homo, dum post peccatum Deo reconciliari vult per Baptismi, vel Pœnitentiæ Sacramentum, adeòque per virtutem istius Sacramenti in corde suo vult charitatem diffundi per inhabitantem Spiritum sanctum; si (inquam) homo tunc Deum propter se super omnia diligere non teneatur: ergo nunquam Deum sic diligere tenetur, quamdiu saltem non deest ipsi copia Sacramenti. Cùm enim nihil rationi, nihil æquitati, & justitiæ conformius sit, quàm tunc saltem Deum propter se super omnia diligere, cùm (post peccatum, quo creaturæ Deum in amore postposuit) homo à Deo diligi vult (vulgatum quippe apud Sapientes est istud: *ut ameris, ama*) nihil etiam rationi, justitiæ, & æquitati conformius, quàm ut homo tunc Deo restituat amoris principatum, cùm sibi remitti vult injuriam, quâ ipsi principatum istum, cum grandi injuria & contemptu ipsius, abstulit, & in creaturam vilissimam transtulit. Divinæ proinde dilectionis primum maximumque mandatum evacuat, quisquis tunc ipsius obligationem negat. Nullam quippe rationem proferre poterit, cur absque Dei super omnia dilectione peccator salutem adipisci non poterit, si absque ea Dei amicitiam, tantæque injuriæ remissionem adipisci valeat. Sit enim peccator, qui post quinquaginta annos in omni spurcitiarum genere, in homicidiisque, furtis, rapinis, perjuriis, blasphemiis quamplurimis transactos, & violata omnia divinæ legis mandata, nec unquam elicitum divini amoris actum, divini tandem judicii, infernique timore concussus, ex eo solo timore attritione conceptâ, paucis ante mortem diebus confiteatur, & absolutione donetur, taliterque absolutus, vi improvisi morbi subitò supervenientis, statim amisso rationis usu, è vivis excedat. Quæro, an peccatorem illum salvandum formidolosæ attritionis Patronus censeat, an non? Si sic, divinæ dilectionis primum maximumque mandatum primariam proinde maximamque Christianæ Religionis obligationem evacuat; ad nihilumque redigit, saltem ubi copia non deest Sacramenti. Si non: igitur per talem attritionem, confessionem & absolutionem adeptus non est Dei amicitiam, sive gratiam justificantem, nec peccatorum remissionem. Aliàs decessisset justificatus; decessisset proinde salvus.

1687 Propterea Morinus l. 8. c. 4. n. 4. rectè animadvertit, quòd opinio de formidolosæ attritionis ad justificationem sufficientia, *videtur necessariò sibi supponere, velut fundamentum, hanc doctrinam, posse hominem solo habitu gratiæ, sine ullo dilectionis Dei motu in hac vita, non modò justificari, sed etiam reapse in cælum recipi.*

1688 Et reverà erroneam hanc doctrinam Attritionarii plures admittunt, etiam (quod maximè dolendum) plerique ex iis, quorum Instituti tessera est, AD MAJOREM DEI GLORIAM (quasi verò primi maximique mandati, primariæque obligationis Christianismi evacuatio, dum copia non deest Sacramenti, *ad majorem Dei gloriam* cedere posset) eam quippe non sine admiratione in suis (à me visis) de Pœnitentia Dictatis Anglo-Leodiensibus novissimè admittit Slaugterus p. 2. disp. 4. sect. 6. in respons. ad 2. object. hisce verbis: *Potest contingere ut salvetur homo, qui omnia Dei mandata sæpissimè violavit, & nunquam implevit primum mandatum diligendi Deum... si homo ille suscipiat Sacramentum cum sola attritione.... & statim moriatur.*

Nec è suis primus id ipse docuit. Idipsum ante 1689
ipsum tradiderant Sanchez l. 2. in Decal. c. 35. n. 9. Azor to. 1. l. 9. c. 4. q. 1. Tamburinus l. 2. in Decal. c. 3. §. 2. ubi sic: *Mihi placet doctrina Azor, qui docet hoc præceptum charitatis impositum fuisse ob justificationem impii: solùm igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, quâ se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ... actum amoris Dei super omnia dilecti involvit. Consequenter igitur, & indirectè, ratione suæ justificationis,* non per se, & directè. Et ne indirectè quidem, si Pœnitentiæ Sacramentum in promptu sit. Unde ibidem *tutissimam sententiam* dicit eorum, qui tenent, hominem non teneri ad diligendum Deum, nec in principio usûs rationis, nec in fine vitæ. Ita etiam Henricus Henriquez l. 4. Summæ c. 6. n. 5.

Quid verò Suarez? To. 4. in 3. p. disp. 25. sect. 4. dicit, primum mandatum per se aliquando obligare, v. g. in fine vitæ, tuncque hominem teneri ad eliciendum divini amoris actum, etiamsi copia non deesset Sacramenti, per quod sola cum attritione justificari posset: ab ista tamen obligatione per accidens excusari, & sine Dei amore posse salvari, si actum illum omiserit *ex probabili ignorantia obligationis, seu juris* (quia v. g. secutus est opinionem visam sibi probabilem Sanchez, Azor, Tamburini, &c.) *aut etiam facti: quia scilicet conatus est ad talem actum habendum, & putavit se habere, & tamen reverà non habuit. In his casibus* (inquit) *ille homo sine amore salvabitur: quia tunc necessitas illius non est medii, sed præcepti, à cujus transgressione tunc excusabitur, propter aliquam ex dictis circumstantiis.*

Porrò afferere, quòd sive per se, sive per ac- 1690
cidens, sine amore Dei adultus Christianus per Pœnitentiæ Sacramentum salvari possit, usque adeò non est ad majorem Dei gloriam, ut vel ipsi hæretici ex assertione illa vehementer scandalizentur, atque ob illam Ecclesiam Catholicam calumnientur, ut videre licet in libro Jurii Calvinistæ, cui titulus: *Præservativum contra mutationem Religionis*, ubi pag. 186. & seqq. sic loquitur: *Contritio præclara res est; sed in locum ipsius, magno infortunio, nescio quæ displicentia subrogata est, quæ dicitur attritio. Dolor est proveniens ex intuitu pœnarum inferni, absque interventu* amoris Dei... Attritio *ista prætenditur cum Sacramento sufficere ad justificationem, & per consequens ad salutem. Sic homo salvus & justus esse poterit, qui divini amoris actum nunquam elicuit. Dicetur mihi, quod iste sit sensus quorumdam particularium. Ita: sed isti particulares censent, eundem esse sensum Concilii Tridentini. Enimverò vel absque oculis sumus, vel clarè perspicimus ita esse.* Citatoque c. 4. sess. 14. in quo se fundant formidolosæ attritionis Defensores, relatâ etiam circa hoc contentione quæ est Catholicos inter Doctores, subjungit: *Isti Domini ad concordiam inter se redibunt, si ipsis videbitur, priusquam nos ad reunionem invitent. Nam sine diverticulo ipsis denuntiamus, nunquam nos eam in Ecclesiam redituros, ubi tolerantur qui di-*

cunt, posse hominem salvari, qui Deum totâ vitâ nunquam amaverit.

1691 Dogma ergo istud: *Absque ullo divinæ dilectionis actu homo adultus salvus esse potest*, scandalosum est, impium, primarii præcepti Christianæ Religionis eversivum. Nec illud Ecclesia Catholica tolerat, uti Jurius calumniosè ipsi imponit. Imò prorsus illud eliminavit, dum per Summos Pontifices Alexandrum VII. Innocentium XI. & Alexandrum VIII. sequentes respectivè damnavit propositiones. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium. Præceptum charitatis erga Deum tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam quâ justificemur.* Deum *finem ultimum homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* Quam postremam propositionem, velut hæreticam, Alexander VIII. proscripsit.

1692 Per condemnationem verò absurdarum æquè ac impiarum illarum propositionum, Romana Ecclesia manifestum facit, calumniosum esse, quod nobis Jurius imponit: " Catholici tolerant omnes doctrinas malas, illam etiam quæ negat necessitatem amandi Deum. *Sed, ô Deus! quàm justus!* (ait Meldensis Episcopus in Histor. Variat. advert. 2.) *qui nos mendaciter accusant, quòd eam toleremus, in pœnam calumniarum suarum, spiritui erroris traditi, ipsimet rei sunt criminis, quod nobis imponunt: cùm errores istos tolerent in Lutheranis:* ex quorum hæretico dogmate, negante necessitatem bonorum operum ad salutem, consectarium est, *absque ullo dilectionis actu hominem salvum esse posse*, uti fatetur Scultetus Lutheranus (apud Jurium) ex isto dogmate concludens: *Deum ab homine non exigere opera charitatis velut conditiones sine quibus non sit salvus.* Quod licèt manifestè sit contra Scripturam, quæ salutem non promittit nisi diligentibus Deum 1. Cor. 2. 9. Jacob. 1. 12. &c. Lutheranos nihilominùs ad communionem cum Calvinistis suis, absque mutatione dogmatum suorum, Jurius invitat.

CAPUT CXLIV.

Secunda, tertia, quarta & quinta probatio ex aliis sacris textibus, & exemplis.

1693 SEcundò, divini amoris ad justificationem necessitas, formidolosæque proinde attritionis ad eam insufficientia probatur ex omnibus sacris textibus, ex quibus to. 1. probavimus, omnia quæ deliberatè agimus, ex Dei propter se amore facienda esse. Si enim omnia, igitur & pœnitentia, etiam sacramentalis, ex Dei propter se amore facienda est.

1694 Tertiò ex omnibus textibus sacris, quibus Dei dilectio, velut conditio, postulatur, ut à Deo diligamur. Proverb. 18. 17. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Et v. 23. *Si quis diligit me... & Pater meus diliget eum*; ubi sicut dilectio benevolentiæ significatur ex parte Dei; ita & ex parte nostra. Enimverò *omnis dilectio* (prout Augustinus observat tr. 8. in Joan.) *benevolentiam quamdam habet erga eos qui diliguntur.* Et lib. 14. de Civit. Dei c. 7. *Scripturæ Religionis nostræ non aliud dicunt amorem, aliud dilectionem.*

1695 Quartò, quisquis sacras Scripturas diligenti & sedulâ meditatione scrutatus fuerit, videbit in iis quidem Spiritum sanctum exhortari peccatores ad timorem, sed sic ut à timore transitum faciant ad amorem. Maximè in Psalmis. Legatur & attentè perpendatur Psalmus sextus, qui primus est pœnitentialis: versu 1. exordium Psalmista facit à timore: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* V. 5. peccator à timore ad spem erigitur: *salvum me fac propter misericordiam tuam.* V. 6. ascendit ad dilectionem: *quoniam non est in morte, qui memor sit tui:* Idem videre est Psal. 17. 18. 50. 70. 72. 76. 85. 101. 106. 114. 118. qui totus spirat dilectionem, & in quo incipiendo à v. 113. (si Magno Basilio credimus in reg. brevior. ad q. 10.) describitur modus pœnitentiæ à peccatrice anima agendæ. Quærit namque Basilius, quali affectu pœnitere debeat anima peccatrix? Et respondet: *Primùm quidem malè actam vitam suam odisse debet, ejusque memoriam abhorrere & detestari. Scriptum est enim: iniquitatem odio habui; legem autem tuam dilexi:* Qualiter autem ad istam dilectionem, & ad odium illud perveniatur, Psalmista describit ibidem. Nam v. 120. incipit à timore: *confige timore tuo carnes meas,* V. 124. erigitur ad spem: *fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam.* V. 127. progreditur ad charitatem: *ideò dilexi mandata tua, super aurum & topazion.* Et v. 128. *propterea* (id est ex viliùs dilectionis) *ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.*

Quintò, idem ascensus à timore ad dilectionem observari potest in exemplis sanctorum pœnitentium, tam veteris, quàm novi Testamenti, ad quorum normam peccatores oportet pœnitere. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt,* Rom. 15. 4. Et quemadmodùm Sanctorum vita cæteris norma vivendi est; ita Sanctorum pœnitentia cæteris norma est pœnitendi. Unde Tridentinum sess. 14. c. 4. ex illis Sanctorum clamoribus: *Tibi soli peccavi. Laboravi in gemitu meo. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ,* &c. colligit, vitæ anteactæ odium *ingens ac vehemens* esse debere. Sanctorum verò veteris Testamenti pœnitentiam ex amore Dei processisse, necesse non est ut probem, cùm ipsimet Adversarii fateantur, ad peccatorum veniam, in veteri lege, Dei super omnia amorem necessarium fuisse. Eumque satis indigitant verba illa Regis David: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Sicut & verba quæ ex immenso dolore dixit ad Natan 2. Reg. 12. *peccavi Domino.* Regis quoque Ezechiæ verba relata, *recogitabo tibi omnes annos meos,* ex amore Dei manasse, declarant verba sequentia: *quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te,* &c. Isa. 38. Dumque Josue cum filiis Israël prostratus ad Dominum pœnitentiam egit Josue 7. 9. quid dixit? *Audient Chananæi, & .... delebunt nomen nostrum de terra. Et quid faciet nomini tuo?* Ecce divini amoris affectus! Similiter Danielis 3. 3. *Ne quæsumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum.* Idem observari potest in pœnitentia Magdalenæ, cui *dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc. 7. 47. Necnon in parabola filii prodigi, *quæ tota* (ait invictus Catholicæ Religionis adversus Lutherum Pugil, Joannes Eckius homil. 39. de pœnit.) *ad pœnitentiam pertinet, quemadmodùm Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Beda, & Ambrosius interpretantur. Itaque filius iste cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Quo nimirùm significare voluit Dominus immensam peccatoris egestatem. Statim autem iste cœpit cogitare apud se: quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? Ecce meminit remunerationis & divitiarum in domo Patris sui cælestis. Et ego hic fame pereo. Ecce metum pœnæ. Surgam, & ibo ad patrem meum: verba sunt pœnitentiam meditantis,* ait Augustinus l. 2. qq. in Evangelia q. 33. Quid ergo patri dicturum se dicit? *Pater peccavi in cælum, & coram te, & jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum*

1696

1697

de mercenariis tuis. Surgam, quia jacebat, & *ibo*, quia longè aberat, *ad patrem*, quia sub principe porcorum erat. Cùm ergo longè esset, sed tamen patrem jam piè quæreret per longi itineris difficultatem, in rerum omnium egestate, *vidit illum pater ipsius, & accurrens cecidit super collum ejus:* ubi significatur, quòd cùm homo incipit agere pœnitentiam, illi occurrit Deus per gratiam, imò & prævenit. *Et osculatus est illum*, per osculum utique charitatis. Quo animatus filius prodigus, à timore servili, quo concussus fuerat, cùm adhuc esset in regione longinqua, transivit in filialem, quem filii habent erga parentes suos. Et jam in Ecclesia constitutus incœpit peccata confiteri. Nec tamen dixit omnia quæ dicturum se promiserat; sed tantùm: *pater peccavi in cælum, & coram te*, id est peccavi in te, *& jam non sum dignus vocari filius tuus.* Non addidit (quod adhuc existens in timore servili dixerat) *fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Quia, ut Augustinus ait ibidem, *cùm panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat; quod post osculum patris generosissimè jam dedignatur.* Rectè proinde insignis Author librorum inscriptorum: *Continuation des Essais de Morale*, observat, quòd filius ille prodigus *nobis exhibet omnes dotes veri pœnitentis.* Siquidem *à vagis libidinibus, compellente inediâ, in se revertitur, ut recogitet & agnoscat ad quæ bona creatus sit, quantaque sit illorum felicitas, qui Deo adhærentes ab illo gubernantur, atque pascuntur. Hâc cogitatione stimulatus, meretricias detestatur voluptates, & peccatis, eorumque occasionibus, in quibus jacebat, renuntiat, dicens: surgam, & ibo ad patrem meum. Deinde statuit seipsum accusare, omnemque criminis causam, non more Evæ aut Adami, in alios refundere, sed sibi uni attribuere. Dicam, inquit, peccavi in cælum, & coram te. Nec contentus proposito seipsum accusandi, severam quoque in seipsum sententiam vult pronuntiare, declarando seipsum nomine, honore & bonis, quibus gaudent filii, omninò indignum: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Ut ostendat sui firmitatem propositi, illud exequitur, & è regione longinqua rediens, per longi itineris spatia suam non cessat accusare dementiam, patrisque pietatem animo revolvere. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & occurrens cecidit super collum ejus, ut eum in spem recuperandæ salutis magis magisque erigeret. Deinde osculatus est eum, ut castum ei inspiraret amorem, ne vellet amplius mercenariorum cupiditate pro panibus patri servire, sed charitate filiorum, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.... Hoc prodigus inflammatus amore, exclamat: pater peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Omittit verò, quod se promiserat dicturum:* " fac me sicut unum de mercenariis tuis. " *Utpote quia osculum expertus, dedignabatur Deo animum servilem aut mercenarium exhibere, aut aliquid à Deo petere, quod Deus ipse non sit.* Ecce ergo Parabolam Evangelicam, quâ Salvator docet, pœnitentem novæ legis non debere sistere in servili timore, sed ab eo ad filialem amorem transire, sicut fecit filius ille prodigus.

CAPUT CXLV.

Eandem necessitatem probant omnia divinæ Scripturæ testimonia, veteris ac novi Testamenti, quibus peccatoris ad Deum conversio ex toto corde ad peccatorum remissionem exigitur.

1697 PRobat imprimis illud Ezech. 18. 3. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Quo testimonio Concilium Tridentinum sess. 14. c. 1. probat necessitatem pœnitentiæ pro omni statu. Conversionem verò istam Spiritus sanctus Deuteron. 4. 29. Hierem. 29. 13. Joël. 2. 12. & alibi sæpè contestatur fieri debere *ex toto corde.* Atqui conversio ad Deum ex toto corde fieri nequit absque benevolo Dei propter se amore. Primò, quia omnis vera conversio, cordis conversio est. Per amorem ergo est. Neque enim cor propriè convertitur, nisi ad id quod propriè amat. Siquidem *amor meus, pondus meum. Eo feror, quòcumque feror.* Augustinus l. 13. Confess. c. 9. Proprie ergo non convertitur, nisi ad id ad quod amore propriè fertur. Propriè verò amore non fertur, nisi ad id quod propriè amat. Nec propriè amat, nisi quod propter se amat. *Nihil enim aliud est* propriè *amare, quàm propter seipsam rem aliquam appetere.* Idem l. 83. qq. q. 34. Enimverò amor propriè finis est, ut in Ethicis dicitur. Quidquid verò amatur ut finis, amatur gratiâ sui. Amatur proinde propter se. Nemo ergo verè ac propriè convertitur ad Deum, nisi qui Deum amat propter Deum. Quisquis enim propter se Deum amat, se, non Deum, verè ac propriè amat. Per consequens verè ac propriè ad se, non ad Deum convertitur. Ad id enim verè ac propriè convertitur, quod verè ac propriè amat; ad id proinde quod propter se amat.

Secundò, conversio est motus oppositus aver- 1698
sioni, ut per se patet. Fieri ergo debet opposito modo. Atqui in omni peccato mortali aversio fit per hoc quòd ratio ultimi finis à Deo in creaturam transferatur, creaturaque plusquàm Deus diligatur, ita ut propter amorem creaturæ Deus, Deique amicitia & præceptum contemnatur. Igitur conversio ad Deum fieri debet opposito modo; rationem utique ultimi finis à creatura in Deum transferendo, Deumque plusquàm creaturam diligendo, ita ut propter amorem Dei creatura contemnatur.

Hinc manifestè consequitur, quòd vera in Deum 1699
conversio fieri debeat Deum super omnia amando. Quod & pari evidentiâ conficitur ex eo quòd conversio ad Deum ex toto corde esse debeat. Quemadmodùm enim conversio sine amore esse non potest; sic conversio ex toto corde esse non potest sine amore ex toto corde, id est super omnia. Nam, ut Mellifluus Doctor ait serm. 2. in cap. Jejunii, *totum cor hominis in his quatuor affectionibus est* (amore, timore, gaudio, tristitia) *& de his accipiendum puto quod dicitur:* " in toto corde vestro. " *Convertatur proinde amor tuus, ut nihil omninò diligas, nisi ipsum, aut certè propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum & tristitia æquè convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si nonnisi secundùm eum doleas, & læteris.* Toto ergo corde ad Deum converti, est nihil perinde velle ac ipsi uniri; nihil perinde timere, atque ab ipso separari; de nullo magis dolere, quàm de offensa ipsius; de nullo magis gaudere, quàm de ipsius gloria & honore. Quod profectò est Deum super omnia amare.

Verissimè proinde Petrus Soto adversus articu- 1700
los Confessionis Wirtemberg. dicit, quòd testimonium Ezechielis num. 1697. laudatum, *si rectè pensetur, & dolorem, & mutationem cordis oppositam peccato, & charitatem Dei docet.* Verissimè etiam Joannes à Daventria in responsione Catholica ad art. 1. Confess. August. *Tradunt* (inquit) *Catholici non sufficere ad peccati remissionem, si peccator tantùm timeat, & peccatorum remissionem speret, sed quod oporteat eum ex toto corde dolere, & converti ad Deum, ita ut non tantùm timeat,*

sed & diligat Deum. Et Albertus Pighius in collatione Ratisbonæ inter Catholicos & Lutheranos habita controv. 7. *Non omnem cordis pœnitudinem, & de peccatis displicentiam, ac dolorem, etiam magnum & vehementem, contritionem intelligimus, qualis in pœnitentia salutari requiritur. Qui enim ex sui tantùm amore, sui commodi respectu, nempe ob gehennæ metum, de peccatis dolor procedit, etiam quantumcunque vehemens & immensus sit, non est qui cor contritum facit, & veniam impetrat.* Quid ergo contritio, quæ pars est Sacramenti Pœnitentiæ? *Contritionem* (inquit) *intelligimus displicentiam vehementem, & dolorem de commissis à nobis peccatis, ex corde sincero & intimo, atque eo respectu quòd divinam illis Majestatem offendimus.* Idque ex totius Ecclesiæ sensu se scribere dicit: *Hæc est* (inquit) *Catholicæ Ecclesiæ, & nostra doctrina de pœnitentia à baptismo peccantium.* Et reverà sic intellexerunt quotquot adversus Lutheranos hac de re, paulò ante Tridentinum, circa annum 1540. scripserunt.

1701 Cum ipsis ergo dicendum, veram ad Deum conversionem fieri non posse per solum servilem gehennæ metum, neque per solum concupiscentiæ amorem, quo Deus propter se non amatur, sed propter commodum seu interesse nostrum duntaxat. Nam *& qui sic timet* (ait Bernardus epist. 11. ad Carthus.) *& qui sic cupit, utrique pro se agunt. Sola quæ in Christo est charitas non quærit quæ sua sunt. Quamobrem puto de illa dictum:* "Lex Domini immaculata, convertens animas;" *quòd sola videlicet sit, quæ ab amore sui, & mundi, avertere possit animam. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam... charitas verò convertit animas.*

Idipsum, ante Bernardum, dixerat Isidorus l. 2. de summo bono c. 8. *Necesse est omni converso, ut, post timorem, confugere ad charitatem Dei debeat.* Similiter Author libri de ver. & falsa pœnit. apud Augustinum c. 7. *Convertitur, qui totus & omninò vertitur, qui non tantùm pœnas timet; sed ad bonum Dominum contendere festinat.*

Denique conversionis motus, motus est prosecutionis. Motus timoris, non est motus prosecutionis. Imò motus est fugæ (siquidem *fuga animi, timor est.* Augustinus tr. 46. in Joan. Et *motus timoris est per modum fugæ.* S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 11.) Ergo motus timoris non est motus conversionis.

CAPUT CXLVI.

Eandem necessitatem docet Apostolus Paulus.

1702 PRimò, dum 1. Cor. 13. dicit: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ubi Apostolus loquitur de charitate actuali, uti constat ex antecedentibus, textuque sermonis, ubi de actibus sermo est, non de solo charitatis habitu: quid enim, nisi actus, hæc verba sonant, *charitas patiens est, benigna est, non quærit quæ sua sunt; omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet?* Idem demonstrat antithesis linguarum (de qua ibidem) *si linguis hominum loquar & Angelorum.* Loqui enim linguis, &c. maximè pertinet ad actum secundum. Denique de charitate actuali, seu dilectione Apostolum communiter exponunt Sancti, nominatim Augustinus serm. 53. de temp. ubi sic: *In omnibus præceptis Dei charitas obtinet principatum, sine cujus perfectione nihil Deo placere posse, Paulus Apostolus testatur, quia nec martyrium, nec sæculi contemptum, nec eleëmosynarum largitionem sine charitatis officio* (nota) *quidquam proficere posse ostendit. Unde & ipse Dominus, à quodam Scriba interrogatus, quod esset mandatum maximum? Respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Præcepta verò Dei & mandata de actibus sunt, non de habitibus, officiumque charitatis actus est, seu exercitium charitatis. Unde Chrysostomus homil. 32. in 1. ad Cor. agens de charitate ab Apostolo expressa loco citato, eam vocat actionem: *Præclaram hanc actionem laudare aggressurus,* &c.

Et ideò ex hoc loco sancti Doctores inferunt 1703
baptismum fluminis, sine Dei benevolo super omnia amore, ad justificationem & salutem non magis prodesse quàm baptismum sanguinis, seu martyrium, uti vidimus l. 2. Quæ autem Sacramenti Baptismatis, eadem & Sacramenti Pœnitentiæ ratio. Unde Augustinus tract. 6. in Joan. n. 23. *jactant* (inquit) Donatistæ, quia patiuntur molestias: sed pro Donato, non pro Christo. Vide quomodò patiaris.... Audi quid dicat Apostolus..... si tradidero corpus meum ut ardeam; & utique pro nomine Christi. Sed quia sunt multi, qui jactanter illud faciunt, non *cum charitate*, quia non pro nomine Christi, *ideò si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitate fecerunt Martyres illi, qui in tempore persecutionis passi sunt; charitate fecerunt: isti de tumore & de superbia faciunt.* Ubi Augustinus ex allato Apostoli loco probat Donatistas frustrà molestias & mortem pati, quia *pro Donato, non pro Christo*; & ideò non charitate, uti Martyres, sed *tumore & superbiâ* patiuntur. Ubi manifestum est charitate pati, esse pati ex charitate actuali; sicut pati tumore & superbiâ, est pati ex tumore & superbia actuali. Ex charitate namque actuali Martyres passi sunt. Charitatem quoque actualem significat istud *pro Christo*, pro quo passi sunt Martyres. Et tract. 76. in Joan. *Qui enim diligunt..... eliguntur. Qui verò non diligunt, si linguis hominum loquantur & Angelorum, fiunt æramentum sonans, & cymbalum tinniens. Et si habuerint prophetiam, & sciverint omnia sacramenta, &.... habuerint omnem fidem, ut montes transferant, nihil sunt. Et si distribuerint omnem substantiam suam, & tradiderint corpus suum ut ardeant, nihil eis prodest. Dilectio sanctos discernit à mundo.* Et, uti dixerat in tract. 5. *dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi, respondeant omnes amen, cantent omnes haleluya, baptizentur omnes.... non discernuntur filii Dei à filiis diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo: qui non habent, non sunt nati ex Deo. Magnum judicium, magna discretio. Quidquid vis habe, hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alia si non habeas, hoc habe, & implesti legem.* Ubi clausula ista, *qui non diligunt*, manifestè designat defectum charitatis actualis.

Habeat ergo quispiam Sacramenta omnia, ha- 1704
beat Baptismum, Exomologesim, Eucharistiam, &c. per ea remissionem non accipiet peccatorum, nisi Deum super omnia diligat. Hanc dilectionem si habuerit, *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorum, & non imputabit quod minùs sanctificati sunt* (verba sunt Ezechiæ 2. Paralipom. 30.) per Sacramentorum utique susceptionem, dummodò eorum suscipiendorum non defuerit voluntas, sed possibilitas. Unde Augustinus lib. 3. qq. in Levit. c. 84. dicit, *invisibilem sanctificationem quibusdam adjuisse atque profuisse, sine visibilibus Sacramentis.... visibilem verò sanctificationem sine illa invisibili posse adesse, non posse prodesse.* Est igitur in amore casto privilegium, ut suppleat absentiam Sacramentorum; sed in Sacramentis non est virtus, ut divini amoris suppleat absentiam. Nec est in Sacramentis, ut faciant nos communicare passionibus Christi, sine amore Christi, juxta illud ejusdem Augustini serm.

189. *Nec tu poteris communicare Christi passionibus sine amore. Sed quæro, quo amore? non sit cupiditas, sed sit charitas. Si enim, inquit, tradidero corpus meum ut ardeam, & charitatem non habuero, nihil mihi prodest. Ut prosit tibi communicatio passionum Christi*, sive per martyrium, sive per participationem Sacramentorum, *charitas adsit.*

1705 Secundò idem Apostolus 2. Cor. 7. v. 9. & 10. gaudet Corinthios, secundùm Deum contristatos ad pœnitentiam: *quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Ex istis Apostoli verbis arguo sic: tristitia, non quæcumque, sed quæ *secundùm Deum est*, illa est, quâ quis (juxta Apostolum) salubriter contristatur ad pœnitentiam. Sed tristitia ex solo servili timore gehennæ, sine ullo Dei propter se amore, non est tristitia quæ secundùm Deum est. Ergo non est illa, quâ quis salubriter contristatur ad pœnitentiam. Probatur subsumptum, quia tristitia ex solo servili timore gehennæ, non procedit ex amore Dei, sed ex amore nostri, neque est propter interesse Dei, sed propter interesse nostrum. Ergo non est tristitia secundùm Deum, sed secundùm hominem. Nullus quippe sanctorum Doctorum, nullus sacrorum Interpretum, saltem veterum, proferri potest, qui per tristitiam *secundùm Deum*, eo Apostoli loco, intellexerit tristitiam ex solo timore gehennæ, sed eam duntaxat omnes intellexerunt, quæ est ex Dei propter se amore, sive ex *Dei charitate*, prout Apostolum exponit vel ipse Cornelius à Lapide, sic intellexisse dicens Chrysostomum, & Cassianum, & addere poterat Basilium, Ambrosium, Anselmum, S. Thomam, &c. Basilius namque ad interrogat. 192. *secundùm Deum tristitia* (inquit) *ea est, cùm quis ex neglectu mandato Dei dolore afficitur.* Unde in martyr. Justi. vult, ut *ob peccatum*, id est Dei offensam, non ob solam gehennam *profluant profusissimæ lachrymæ.* Similiter Ambrosius & Anselmus, in cum Apostoli locum, dicunt, quòd *qui tristis est, quia peccavit, secundùm Deum tristis est; dolet enim quia fecit quod odit Deus.* Cassianus de spir. tristitia l. 9. c. 11. *hæc tristitia, de qua Apostolus... ex Dei charitate descendit.* Ita etiam Chrysostomus hom. 4. & 15. in 2. ad Cor. & S. Thomas in c. 7. secundæ ad Cor. dicens, quòd *amor Dei causat tristitiam de peccato. Et hæc est tristitia secundùm Deum.* Et Bernardus serm. 2. in cap. jejun. ibi, *tristitia tua convertatur ad ipsum* (ut nonnisi propter ipsum tristeris) *hoc autem fiet, si nonnisi secundùm eum doleas.*

1706 Nequis verò illa Apostoli verba restringat ad tristitiam extrasacramentaliter salutarem, obstat Tridentinum sess. 6. c. 14. declarans, verbis illis contineri pœnitentiam hominis Christiani, ab iis agendam, qui *postquam ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt... excitante Deo, per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint.*

1707 Tertiò idem rursum Apostolus ad Galat. c. 5. v. 5. *Nos enim* (inquit) *ex fide spem justitiæ expectamus.* Ex qua fide? Sequitur, & dicit: *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Ubi ly *per charitatem* Sancti vertere solent *per dilectionem*, quæ actum secundùm designat. Sic enim legere solet Augustinus, & cum ipso S. Thomas in expositione hujus loci. Ita etiam alii passim Interpretes, & Christi Martyr Rossensis, eo Apostoli testimonio refellens primum Lutheri articulum: *Etce* (inquit) *non sola fides, sed cui conjuncta est dilectionis operatio* (nota) *valet ad justificationem.* Unde sic argumentor: fides sine dilectione, seu charitate actuali, justificare nequit, etiam in Sacramento. Ergo nec timor, neque ex timore dolor. Probatur antecedens: si enim fides sine charitate actuali justificare posset in Sacramento, istud Apostoli Oraculum non esset simpliciter, id est absolutè, & sine exceptione verum: cùm tamen Apostolus illud simpliciter, & absque exceptione protulerit; imò exceptionem implicitè excluserit, cùm dixit: *neque circumcisio aliquid valet*, quæ Sacramentum erat veteris legis. Perinde est enim ac si dixisset: *neque Sacramenta aliquid valent.* Et sic Augustinus intellexit, dum l. 2. contra Petilian. c. 77. dixit: *Teneamus charitatem, sine qua & cum Sacramentis, & cum fide nihil sumus.* Sic etiam Tridentinum intellexit, dum sess. 6. c. 7. ex Apostolico illo testimonio contra hæreticos probavit, solam fidem, etiam cum Sacramento Baptismi, sine charitate operante, ad salutem non sufficere: *Hanc fidem* (per charitatem operantem) *ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum Traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem, quam... sine charitate* (operante) *fides* adultis *præstare non potest. Unde & statim verbum Christi audiunt: si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, maximè primum & maximum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. prout Rituale Romanum exprimit, dum baptismi ritus exponit. Et rationem dat Tridentinum ibidem c. 11. *Qui enim sunt filii Dei* (prout esse volunt, qui baptismum petunt) *Christum diligunt. Qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus.*

Quartum argumentum ex Rom. 8. cap. 149. 1708
proferemus. Quintum addi potest ex 1. Cor. ult. *Si quis non amat D. N. Jesum Christum, anathema sit.* Ergo capax non est justificationis.

CAPUT CXLVII.

Eandem docet Apostolus & Evangelista Joannes, sicut & Apostolorum Princeps Petrus.

JOannes utique duobus locis, quæ habentur 1. 1709
Joan. 3. Ubi versu 14. *translati sumus* (inquit) *de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Versu autem 15. *qui non diligit, manet in morte*, animæ utique, sive in statu peccati mortalis. Porrò ly *diligit*, & *diligimus*, propriè sonat actum; nec significat solam odii negationem: utpote quæ propriè non est dilectio; manifestumque est, quòd propter solam odii negationem translati non sumus de morte ad vitam. Significat ergo verum & positivum actum dilectionis. Unde utroque illo testimonio utuntur Theologi passim omnes, ad probandam divinæ dilectionis necessitatem ad justificationem extra Sacramentum. Nec certè urgentiori testimonio probari potest. Si autem utroque illo testimonio efficaciter probetur necessitas divinæ dilectionis extra Sacramentum: profectò & in Sacramento. Cùm Apostolus non distinguat, sed generaliter, indistinctè atque absque exceptione loquatur. Et ubi Apostolus non distinguit, neque nos distinguere debeamus, sed generaliter accipere, quod generaliter dixit. Neque enim nobis licet generalia S. Scripturæ dogmata pro visa nobis ratione purè humana restringere.

Nec refert quòd Apostolus de fraterna ibi cha- 1710
ritate loquatur, quia charitas Dei & charitas proximi ita invicem connectuntur, ut una pro altera frequenter in sacris Litteris accipiatur: eò quòd utique *nec dilectio Dei posset esse in homine, si non diligit proximum; nec dilectio proximi, si non diligit Deum*, inquit Augustinus l. de fide & oper. c. 10. Nam (ut ait tr. 66. in Joan. c. 13) *qui sanctè & spiritualiter diligit proximum, quid in eo*

diligit, nisi Deum? Similia habet 8. Trin. 8. de discipl. Christ. c. 5. & alibi frequenter. Verbis itaque ex 1. Joan. 3. prolatis *nihil nobis sic à Joanne commendari* dicit idem Aug. tr. 5. in hanc epist. 1. *quomodò charitatem, & si videtur alia & alia dicere*, illuc facere reditum, & ad ipsam charitatem omnia velle referre quæcumque *dixerit.* Ad charitatem utique actualem: subdit enim Joannes v. 4. *Non diligamus verbo neque linguâ, sed opere & veritate.* De eadem proinde charitate addit ibidem: *Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Ad quæ verba Aug. ibid. *Certè jam manifestum est unde dicat:* ET QUI NON DILIGIT FRATREM SUUM. *Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis. Respondeant omnes, Amen. Cantent omnes alleluia. Baptizentur omnes, &c. Non discernuntur filii Dei à filiis diaboli* NISI CHARITATE. *Qui habent charitatem* (actualem, utpote significatam à Joanne per verbum *diligit*) *nati sunt ex Deo; qui non habent, non nati sunt ex Deo*, etiamsi baptizentur, sive aliud recipiant Sacramentum. Quia qui nati sunt ex Deo, sunt filii Dei, adeòque Spiritu Dei aguntur. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Rom. 8. *Non sunt igitur filii Dei, si non aguntur Spiritu Dei.* Augustinus serm. 43. de verb. Dom. c. 7. Non aguntur autem Spiritu Dei, nisi qui charitate aguntur. *Qui* enim *Spiritu Dei aguntur, charitate agantur.* Idem serm. 13. de verb. Apost. c. 13. Unde subdit: *Jam ergo non in timore, sed in dilectione, ut non servi, sed filii Dei simus. Qui adhuc enim ideò benè agit, quia pœnam timet, Deum non amat.* Et ideò *nondum est inter filios...*

1711 Idem conficitur ex 2. Petri 1. *Ministrate in fide vestra virtutem* (*id est opera virtutis*) *in virtute autem scientiam* (id est discretionem, quæ virtutum est moderatrix) *in scientia abstinentiam* à voluptatibus carnalibus (præsertim gulæ & luxuriæ) *in abstinentia autem patientiam* (necessariam ad reportandas repromissiones) *in patientia autem pietatem* (quâ oretis pro persequentibus vos) *in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem* (id est Dei dilectionem, ait Dionysius Carthus. ad eum Petri locum, *quoniam charitas Dei cæterarum virtutum vita, & forma, & finis... est.*) *Hæc enim si vobiscum adsint, & superent* (cupiditates & passiones sibi oppositas) *non vacuos, nec sine fructu vos constituent in D. N. Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc* (maxime amor fraternitatis, & charitas Dei) *cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*, id est peccata sua per pœnitentiam purgare, mediaque necessaria ad hoc ut Christi cognitio sibi sit fructuosa negligens, seu omittens. Ergo charitatem seu dilectionem Dei superantem, id est prædominantem, Apostolorum Princeps exigit ad hoc ut cognitio Christi sit fructuosa ad justificationem & salutem.

CAPUT CXLVIII.

Argumentum ex Rom. 8. 15. quo prorsus sufflaminatur conficta ab Adversariis quibusdam prærogativa exemptionis Christianorum à necessitate benevolæ Dei super omnia dilectionis.

1712 IBi namque Gentium Apostolus, novi Testamenti filios alloquens, sic contestatur: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*, id est (uti cum sanctis Patribus exponit Dionysius Carthusianus ad eum locum) jam tempore gratiæ non est vobis datus spiritus, quo serviatis Deo serviliter, timore pœnarum, ut olim tempore legis, quæ comminatione pœnarum induxit homines ad serviendum Deo; sed *accepistis spiritum adoptionis filiorum*, ut serviatis Deo ex charitate, tamquam filii adoptivi, Deum Patrem fiducialiter invocantes, & affectuosè diligentes. Per illa namque Apostoli verba *evidentissimè duorum Testamentorum distincta sunt tempora* (ait Augustinus in exposit. quarumd. proposit. ex epist. ad Rom.) *illud enim ad timorem pertinet; novum autem ad charitatem.* Spiritus namque servitutis, spiritus timoris est; spiritus verò adoptionis filiorum, est spiritus amoris. Quia, ut Hieronymus ad locum illum observat, *timere servorum est, diligere filiorum, sicut scriptum est: Servus dominum suum timebit, & filius diliget patrem suum.* Judæi ergo in veteri Testamento, qui bona *operari charitatis voluntate nolebant, timoris necessitate* cogebantur. *Nos verò omnia voluntariè*, sive, ut proximè dixit, *charitatis voluntate operemur, ut filios nos omnes probemus, non servos timoris.* Ita etiam Chrysostomus homil. 14. in epist. ad Rom. Non accepistis (inquit) spiritum servitutis iterùm in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, *videlicet ut ne ampliùs ob præsentaneæ pœnæ timorem, sed ob ipsius (Dei) amorem, tum virtutis habitus, tum reliqua officia, ac rectè facta* (per consequens etiam pœnitentia) *in nobis existant..... Illi* (filii veteris Testamenti) *formidine adducti, cuncta faciebant. Hi* autem (filii novi Testamenti) *spiritûs desiderio & amore.* Unde Augustinus alicubi dicit, quòd illi hodie pertinent ad vetus Testamentum, qui Deo serviunt ex timore; olim verò illi pertinuerunt ad novum, qui Deo ex amore servierunt. Quia, ut ait lib. de nat. & grat. c. 57. *sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati.* Et in lib. contra Adimant. cap. 17. ex allatis Apostoli verbis colligit, quòd *hæc est brevissima utriusque Testamenti differentia, timor & amor.*

Concinit S. Thomas in cap. 4. Matth. *Vetus* 1713
erat lex timoris; nova verò amoris. Et 2. 2. q. 108. a. 1. ad 3. *qui ex amore bonum operantur, soli propriè ad Evangelium pertinent.... Qui verò ex amore non moventur ad bonum, sed ex timore, etsi numero sint de Ecclesia, non tamen merito.*

Ex his jam arguere liceat: in lege timoris, quando Deus Judæos, tamquam servos, timore pœnæ ad mandatorum suorum observantiam urgebat, infinitaque Dei erga nos dilectio (in Filii sui ad nos & propter nos Missione, ejusdemque Passione revelata) figurarum adhuc velo obtegebatur, Dei propter se amor super omnia ad peccatorum remissionem & justificationem adeò necessarius erat, ut sine eo nullus ratione utens justificaretur, prout Adversarii fatentur. Multò ergo magis in lege amoris, ubi non datur spiritus servitutis iterum in timore, sed spiritus adoptionis filiorum, & charitatis, ut non ampliùs timore pœnæ, prout olim Judæi, sed ob Dei amorem ipsi serviamus, omniaque bona opera nostra faciamus. Enimverò manifestè præposterum est, in lege timoris charitatem ad peccatorum remissionem necessariam asserere; in lege verò charitatis, ipsius ad hoc necessitatem negare.

Prorsus ergo sufflaminanda, atque ex Christia- 1714
norum cordibus abjicienda est propudiosa pariterque scandalosa quorumdam opinio, quæ dicit, istam esse novi Testamenti præ vetere prærogativam, quòd in novo salutaris gratia peccatoribus Deum non amantibus infundatur; quòdque solo motivo servilis timoris, in lege amoris, justificari possit Christianus, quod in lege timoris non potuit Judæus; quòd denique Sacramentorum

Evangelicorum, supra legalia, in hoc potissimùm fulgeat præstantia, quòd Evangelica à gravissimo contritionis & divinæ dilectionis jugo nos liberaverint, ipsiusque necessitatem, utpote nimis onerosam, Christus sustulerit, cùm Confessionis necessitatem induxit, prout opinatur Pinterellus in Libello ad Abbatem Boissiacum pag. 53. ubi sic: *Aquitati consentaneum fuit, in Lege gratiæ, & novi Testamenti, illud durum & difficile exercendi ad obtinendam justificationem perfectæ contritionis, id est charitatis actus, præceptum resolvi* (in eo ipse fallitur, quòd putet omnem contritionem ex Dei propter se amore profectam, esse contritionem perfectam) *æquum* (*inquam*) *fuit institui Sacramenta, quæ charitatis* (id est Dei propter se amoris) *defectum supplerent; ne tam arduam animi affectionem requirerent. Alioquin Christiani, qui filii sunt* (nota bellam rationem) *nihilo facilius patris sui gratiam sibi reconciliarent, quàm Judæi, qui tantùm erant servi.*

1715 Pro eadem opinione Morinus l. 8. de administr. Sacram. Pœnit. c. 4. n. 27. refert verba ista Henrici Henriquez l. 4. Summæ c. 6. n. 5. *Qui cum attritione per absolutionem justificatur, non tenetur ad præceptum connaturale de contritione formali: quia jam remedio per se instituto, & compensativo ex applicatione meritorum Christi, consecutus est remissionem, & in æquivalenti implevit, priori & meliori ratione, finem totum, in quem contritio ordinatur. Contritio enim non remittit peccatum, nec compensat, nisi ut includit votum & vicem Sacramenti Pœnitentiæ. Quare compensatione per Sacramentum applicatâ magis contentus est creditor Deus, quàm compensatione contritionis. Aliàs si contritio, dum haberi potest, esset necessaria, obligaret per se, etiam dum suscipitur absolutio; quia tunc haberi potest. Ac subinde Christus in lege Evangelica non levigasset onus, sed adjecisset grave onus Confessionis, præter necessariam contritionem.* " Placue-
" runt admodùm istæ rationes Adam Tannero "
(subjungit Morinus) " ideò, licèt in sententiam
" contrariam, authoritate Francisci Suarez ab-
" reptus, magis propendeat, visæ tamen sunt il-
" li rationes istæ, quas disp. 6. de pœnit. q. 6. dub.
" 3. repeteret, dignissimæ. Istam sententiam co-
" natu magno propugnavit Gabriel Vasquez....
" Becanus.... Layman.... Ludovicus Lopez....
" Alexander Pesantius, &c.

Propudiosam, scandalosamque voco opinionem illam, quæ prærogativam Christianorum, Sacramentorumque novæ legis, præ legalibus, sitam esse dicit in abolitione vel diminutione necessitatis amandi Deum amore charitatis amplè sumptæ, id est propter se. Tum quia contraria est divinis Oraculis à cap. 143. usque in præsens relatis, sicut & Traditioni Sanctorum proximè referendorum. Tum quia piis mentibus horrorem incutit, sicut & hæreticis scandalum præbet, ut suprà visum est ex Jurio, Catholicam Ecclesiam propterea calumniante, post Lutherum, qui apud Christianum Lupum in Epist. ad Henricum Noris c. 4. in plenam insaniam seductus scabiosam istam paucorum opinionem affricare cœpit cunctis, totique Ecclesiæ. Tum quia nihil fingi potest Christianæ Religioni adeò probrosum, quàm asserere, quòd non amare Deum propter se, sit novæ legis privilegium, cùm assertio ista potius sit Christianorum opprobrium, nataque sit Christianissimum Judæis Paganisque contemptibilem reddere. Tum quia opinio illa videtur etiam Christo vehementer injuriosa: si enim ista sit prærogativa Evangelii supra Legem, Sacramentorumque Evangelicorum supra legalia, prærogativam illam suo Christus sanguine haud dubiè promeruit. Videtur autem Christo vehementer injuriosum, impium, & blasphemum, asserere, suo nobis sanguine Christum promeruisse abolitionem vel diminutionem necessitatis amandi Deum, sive ut minor esset divini amoris necessitas in lege amoris, quàm fuerit in lege timoris. Cùm non ideò Christus venerit, non ideò mundum redemerit, non ideò pretiosum fuderit sanguinem. Imò divini amoris ignem venit mittere in terram, non ut extingueretur, sed ut arderet. *Quidquid enim Redemptor noster in nostra carne fecit* (ait præclarus Author tract. de Sacram. Altar. S. Anselmo synchronus) *ad hoc utique fecit, ut amaretur à nobis.* Quippe *amavit nos* (inquit Augustinus in Psal. 127.) *ut redamaremus eum, & ut eum redamare possemus, visitavit nos spiritu suo*, feciique nos filios adoptionis, ut ipsi serviamus in spiritu amoris, non iterùm in spiritu timoris.

Et nonne pudor est, asserere, quòd donis ma- 1716
joribus præ Judæo Christianus sit donatus, ut minora quàm Judæus reddere possit; quòd ipsi grandiora sint credita, ut viliora suo refundat creditori; quòd factus sit filius adoptionis, ut Patri cælesti servire posset in spiritu servilis timoris; quòd diviniores à Deo gratias acceperit, ut minori cum perfectione justus & salvus esse posset, ut posset, si sine Dei propter se amore justus & salvus esse posset? Imò hoc asserere non tolùm perabsurdum est, rationique & æquitati prorsùs contrarium, sed & videtur hæreticum, utpote diametraliter Evangelio oppositum, dicenti Luc. 12. 48 *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Et *nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 5. 20.

Majorem ergo à Christianis perfectionem divi- 1717
na requirit Scriptura, quàm à Judæis. Ita expresè Isidorus l. 1. Sentent. c. 2. Cassianus collat. 21. c. 32. 33. 34. Unde Morinus l. 2. c. 1. graviter monet, *Juramopere cavendum, ut prærogativa Evangelii supra legem, seu novæ legis supra veterem, in interioris perfectionis diminutione reponatur: nihil enim, meâ quidem sententiâ, fingi potest Evangelicæ gratiæ magis contrarium & inimicum.* Nihil etiam magis contrarium unanimi SS. Patrum, communique fidelium timoratorum sensui, qui certè patienter non audirent Concionatorem oppositum in exedra prædicantem, vel asserentem quòd ideò Christus nascendo se nobis dedit socium, conversans in edulium, moriens in pretium, regnans se daturus in præmium, ut diminutâ necessitate redamandi eum qui tam profusè dilexit nos, per instituta à se Sacramenta compensaret, suppleretque in nobis divini amoris, Christianæque perfectionis defectum. Imò reponerent, hisce titulis auctam in tantum redamandi necessitatem, ut jure optimo Apostolus dixerit: *Siquis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.* Et Augustinus tr. 1. in epist. Joan. *Jesus opus non erat ut veniret, nisi propter charitatem.* Et tr. 6. *sola charitas perducit ad vitam.* Denique reponerent, contra naturam, contra rationem esse, ad hoc tam profusam erga nos Dei dilectionem beneficentiamque præditam esse, ut à reciproci amoris obligatione nos liberaret: nihil econtra naturali dictamini magis consonum, quàm quod idem Augustinus lib. de catech. rud. c. 4. ait, utique quòd *ad hoc divina nobis tam sedula erga nos, & tam profusa beneficentia commendatur, ut solliciteamur ad gratiam* (id est gratitudinem) *invitemur ad dilectionem.*

Augustino consentiens Salvianus l. 2. contra 1718
avaritiam: *Quærit fortasse aliquis* (inquit) *quid sit istud, quòd nunc plus exigat Deus à Christianis per Evangelium, quàm à Judæis antè per Legem?* Et respondet, extra omnem dubitationem esse, quòd plus exigat; *aperta* quippe *istius rei ratio*

est. Idèò enim majora nunc Domino nostro solvimus, quia majora debemus. Judæi quippe habebant quamdam umbram rerum ; nos veritatem. Judæi fuerunt servi ; nos adoptivi. Judæi acceperunt literam occidentem ; nos spiritum vivificantem. Judæis servis Magister missus est ; nobis Filius. Judæi manna manducaverunt ; nos Christum ; qui cùm (ut Apostolus ait) in forma Dei esset, humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis..... Hæc ergo causa est, quâ devotiores (per consequens amantiores) *esse nos Dominus sibi vult : quia tam magno devotionem*, dilectionemque *nostram pretio comparavit.... Unde intelligant omnes religiosi* (id est Christiani) *non satis se Deo reddere, etiamsi universas dederint facultates : quia licèt sua cuncta dispensent, ipsos se tamen debent.*

1719 Erit fortasse cui videbitur præsenti argumento reponi posse, contritionem perfectiorem Judæis ad justificationem necessariam fuisse, quàm modò necessaria sit Christianis ; Judæis utique necessariam fuisse contritionem, charitatemque perfectam ; Christianis cum Sacramento sufficere imperfectam. Sed prorsus negandum est Judæis necessariam fuisse contritionem charitatemque perfectam. Tum quia prorsus negandum est ipsis necessariam fuisse contritionem perfectiorem, ob supradicta : neque enim ullo modo verisimile est, Deum in lege timoris perfectiorem charitatem ad justificationem requisivisse, quàm modò exigat in lege amoris. Tum quia perfecta charitas nunc admodùm rara est, sicut & perfecta contritio, teste Catechismo Romano. Longè autem rarior, imò rarissima olim fuit, quando spiritus servitutis dabatur in timore. Rarissima proinde tunc fuisset peccatorum justificatio, si ad eam necessaria fuisset perfecta contritio. Non est autem verisimile populum illum totum à Deo singulariter electum ac dilectum, exceptis paucissimis Sanctis (qui ad charitatem contritionemque perfectam assurgere valuerunt) defectu sufficientis contritionis periisse. Verisimile proinde est, ardua pœnitentiæ opera, & sacrificia pro peccatis, cum contritione imperfecta, olim ad justificationem necessaria sufficientiaque fuisse. Fortassè etiam tunc Confessio necessaria fuit, uti proximè dicetur.

1720 Quid igitur reponendum Pinterello, aliisque Sociis, durum & difficile asserentibus divinæ dilectionis mandatum ? Utique reponendum, non esse hoc satis dignè loqui de primo maximoque mandato, deque prima maximaque Christianæ legis obligatione. *Quomodò* enim *durum, quomodò grave* (ait Augustinus) *cùm sit dilectionis mandatum* ? Quomodò durum ac difficile, cujus observantiâ fit, ut cætera mandata gravia non sint, sed facilia, jugumque Christi suave, & onus ejus leve ? Siquidem *amanti nihil difficile*. Et *qui amat, non laborat*. Quomodò durum, quod à S. Thoma Villanovano (serm. de hoc mandato) vocatur *suave nimis & dulcissimum mandatum, jucundum & leve præceptum ? Quid* enimverò *jucundius* (inquit) quàm *te diligere, Deus meus ? Et quis potest non amare te, Domine ? Si præciperes ut non diligerem te, hoc mihi impossibile & intolerabile videretur. Tolerabilior propemodùm infernus est, quàm non diligere te.* Intolerabilis proinde, improbabilisque S. Thomæ visa est prærogativa illa Evangelii supra Legem, allegataque à Pinterello duritia primi mandati. Ad cujus ampliorem manifestationem sic prosequitur : *Attendite, fratres mei, attendite & videte qualia præcepta nobis injungit Deus noster ; non aspera & difficilia, non gravia & importabilia. Non quidem jugulare filios..... Non lacerare carnes verberibus, non pedibus nudis super ferreos tribulos ambulare..... Sed quid ?.... Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo..... Nihil aliud peto, nihil aliud impono, nihil aliud à vobis requiro. Solum amorem flagito, hoc solo pro tot beneficiis & donis contentus sum. O homo ! ama, & regna. Ama, & omnia quæ habeo tua sunt. Audistis unquam aliquid clementius aut benignius ?.... Quid enim jucundius, quid dulcius, quàm amare ? Quid suavius ? Quid levius ? Quid est vita sine amore, nisi atrocissima mors ? Qui non amat, etiam dum vivit, mortuus à corde est. Vita enim cordis, amor est. Quis excusari poterit à tali præcepto ? O quàm justè damnantur æterno supplicio, qui perpetuò malunt ardere, quàm amare !.... Hæc omnia* (inquit) *ad populum novum, quem creavit sibi, id est Christianum. Cui quia ipse sacrificium & hostia est, nullum aliud sacrificium imposuit, sicut veteri illi populo Hebræorum, sed suum dumtaxat indixit amorem.* Similia habet S. Franciscus Salesius l. 10. de amore Dei c. 10. Sicut & Augustinus l. 1. Confess. c. 5.

Videat ergo Pinterellus, videant sequaces ipsius, quàm immanè distet opinio ipsorum à doctrina Sanctorum, à doctrina Apostoli, à doctrina ipsiusmet Christi, quam unà cum Sanctis illis Cyprianus, seu gravissimus Author sermonis de baptismo Christi apud Cyprianum, verbis sequentibus illustrat : *Præcipis mihi Domine Deus ut diligam te : hoc & possum, & debeo, & totum me & interius tibi esse jubes obnoxium.... Gratias ago tibi clementissime Deus, quia quod quæris à me, priùs ipse donasti, & quo modo tu me dilexeris, si linguis hominum loquar & Angelorum, nec dignè possum eloqui, nec universa complecti, quæ mihi gratiæ tuæ contulit amplitudo. Justum est, Domine, ut diligamus te ; quia & ipse nos dilexit... Verè hoc mandatum legem complectitur, & Prophetas, & in hoc verbo omnium Scripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc, Domine, verbi tui clamat authoritas, hoc ex ore tuo audivimus, hic invenit consummationem omnis religio... Legat hic unum verbum, & in hoc mandato meditetur Christiana Religio, & inveniet ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci, & huc reverti quidquid Ecclesiastica continet disciplina, & in omnibus irritum esse & frivolum, quidquid dilectio non confirmat. Non pertinet, Domine, ad te, nec de tuis est, qui non te diligit.*

Quibus ergo verbis Pinterellum, Henriquesium, 1721
aliosque Casuistas, similia cum ipsis sentientes, excepisset, si dogmata ipsorum suprà enarrata vidisset ? Timeo ne ipsos Legis, & Prophetarum, & Scripturarum omnium, totiusque proinde Moralis Christianæ, atque Ecclesiasticæ disciplinæ subversores appellasset ; tametsi non præsumam ego taliter appellare.

In quo ergo (inquient fortè ipsi) sita est præro- 1722
gativa Evangelii supra legem, si non in sublatione vel saltem diminutione necessitatis amandi Deum ?

Respondeo, sitam esse in eo quòd sublata sint veteris legis onera, quæ, ut Apostolorum Princeps Act. 15. dicit, *neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Tam multa quippe, tamque gravia fuerunt, *ut in cælum ascendere citius fuerit, aut emori satius, quàm hæc universa servare*, ait Pacianus in Paræn. ad pœnit. *Vos* autem *in libertatem vocati estis, Fratres*, ait Apostolus Galat. 5. 12. *Hæc est illa libertas* (prosequitur Pacianus) *quod non omnibus adstringimur, quibus Veteres tenebantur ; sed donatâ, ut ita dixerim, sylvâ delictorum, & remediorum indulgentiâ destinatâ, in pauca concluſi sumus, & necessaria, quæ & servare facillimum esset credentibus* (fide per dilectionem operante) *& cavere, ut meritò tartarum non recusaret, qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca servaret.*

At

1723 At, instant illi, pro peccatorum remedio Christianis impositum est Confessionis onus, quod impositum non fuit Judæis. Si ergo cum Confessione necessaria foret contritio ex Dei propter se amore, dum susceptitur Sacramentum Pœnitentiæ, Christus in lege Evangelica non levigasset onus, sed adjecisset grave onus Confessionis, ultra necessitatem (quæ olim fuit) amorosæ contritionis.

At (reponit Tridentinum sess. 14. c. 5.) *ipsa hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus ad hoc Sacramentum dignè accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur.* Verùm commoda ista tanta sunt, tantæ consolationes, ut cum Patribus exclamare liceat: *O felix Confessionis & satisfactionis opus! nam cùm provolvit, hominem magis relevat: cùm squallidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absolvit.*

1724 Si replices, quòd hæc omnia, sine Confessionis onere, sub Lege præstabat sincera ad Deum ex amore Dei conversio.

Respondeo 1°. probabiliter negando antecedens cum Waldensi nostro l. 2. de Sacram. c. 137. Galatino l. 10. de arcan. c. 3. Genebrardo in Ps. 31. v. 6. Monachio de Republ. Judæor. l. 2. c. 12. Morino l. 2. c. 20. 21. & 22. ubi ex antiquissimis Judæorum libris, pluribusque veterum ac recentiorum Rabbinorum testimoniis ostendit, verum esse quod c. 1. n. 12. dixerat, nimirùm quòd *Judæi omnes, antiquissimi & recentiores, perpetuo consensu tradiderunt, peccata sine speciali confessione, duraque etiam satisfactione, à Deo sibi non remitti*; quòdque confessio ista in specie facienda esset, (non in genere dumtaxat) quoties offerendum erat sacrificium pro peccato. Similia habet Cornelius à Lapide in cap. 16. Levit.

1725 Respondeo 2°. dato, non concesso antecedente, Evangelii nihilominùs supra legem prærogativam esse maximam, quòd vera ad Deum conversio, Deique dilectio, longè facilior sit Christianis, quàm olim fuerit Judæis: eò quòd fontes omnes gratiarum, per Christi Passionem, in Christoque per Baptismum incorporationem, Christianis aperti sint, & sese in eos copiosissimè effundant, qui legibus à Christo institutis sese humiliter Christi amore submittunt. Ipsorum namque cordibus interiora Spiritûs sancti auxilia tam valida, tam vitalia, Dei dilectionem largiter inspirant infunduntque: cùm lex terrorem tantùm incuteret; gratiam verò & dilectionem non præstaret, uti gratiæ lex. Ex tam larga divini amoris infusione Legis Evangelicæ observantia Christianis longè facilior efficitur, quàm Judæis fuerit observantia Mosaicæ Legis. Eò quòd *amanti* (ut suprà dictum est) *nihil difficile, omniaque, etiam seva, prorsus facilia, & propè nulla efficit amor.* Denique *leges duræ sunt timori, leves amori*, uti frequenter Augustinus dicit.

CAPUT CXLIX.

Eandem divini amoris necessitatem ad justificationem probat Traditio Sanctorum omnium à sæculo primo, usque in præsens. Traditionem quippe illam inchoarunt

Sæculo primo

APOSTOLI PETRUS, PAULUS, JOANNES, CUMQUE IPSIS DIONYSIUS AREOPAGITA.

1726 PEtri Apostolorum Principis & Joannis testimonium habes suprà cap. 147. Apostoli verò Pauli c. 146. & 148. Post ipsos eodem sæculo D. Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. c. 2. *Per dilectionem* (inquit) *Dei regeneramur, ponimurque in statu & esse divino*, in statu utique filiorum Dei, per gratiam sanctificantem.

Sæculo secundo eandem prosecuti sunt

S. IGNATIUS MARTYR, ET S. JUSTINUS MARTYR.

Sub initium secundi sæculi S. Ignatius Martyr, 1727
in epist. ad Philadelph. hanc à peccatoribus, ad obtinendam peccatorum veniam, conditionem exigit, ut pœniteant in unitatem Dei: *omnibus igitur pœnitentibus ignoscit Deus, si pœniteant in unitatem Christi.* Quid est pœnitere in unitatem Christi, nisi pœnitere ex affectu uniendi se Christo? Qui affectus haud dubiè est charitatis.

S. Justinianus in Dial. cum Triph. Verbum in- 1728
ducit sic loquens: *Quicumque diligit Dominum Deum ex toto corde.... is demùm verus justus fuerit.* Negat ergo peccatorem verè justificari, sive verè fieri justum, si non diligat Dominum Deum ex toto corde, cùm asserit hominem tunc demùm fieri verum justum, cùm diligit Dominum Deum ex toto corde. Per consequens negat ipsum fieri verum justum absque amore Dei ex toto corde.

Sæculo tertio.

TERTULLIANUS ET CYPRIANUS.

Tertullianus l. de pœnit. c. 8. & 9. à pecca- 1729
tore filialem exigit affectum erga Deum ut Patrem, ut ab ipso in filium recipiatur: *Is ergo tesibi in filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia rediisti.... sed si pœniteas ex animo.... si porcos immundum relinquas genus, si patrem repetas vel offensum, deliqui, dicens, pater, nec dignus ego vocari filius tuus.*

Cyprianus in l. de lapsis, *Convertamur* (inquit) 1730
ad Deum mente totâ, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur..... Rogare, qualiter debeamus? Dicit ipse: Revertimini (*inquit*) ad me ex toto corde ve- " stro, simulque & jejunio, & fletu, & planctu, & " scindite corda vestra..... " *Ad Dominum toto corde redeamus.* Eam proinde pœnitentiam Cyprianus exigit, quam olim tempore Legis Deus requisivit; quæ haud dubiè procedere debuit ex amore Dei super omnia. Enimverò sine ejusmodi amore peccator ad Deum toto corde non revertitur, uti constat ex dictis cap. 145. Porrò quòd loquatur de Pœnitentia, etiam sacramentali, manifestum faciunt verba, quæ immediatè præmisit: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio, facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est*, &c. Unde epist. ad Antonian. negari vult absolutionem ex solo servili timore pœnitentibus in articulo mortis: *quia rogare illos, non delicti pœnitentia, sed mortis imminentis admonitio compellit.*

Sæculo quarto.

HILARIUS, BASILIUS, AMBROSIUS.

Hilarius in Matth. lib. 8. c. 4. *Charitas plu-* 1731
rimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa apud Deum patrona est. Et novissimum penè quadrantem solvemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimatur.

Basilius in reg. brev. ad interrog. 5. & 109. di- 1732
cit, verè pœnitentem debere *similem illius animum induere, qui dixit:* " iniquitatem odio habui, & abominatus sum, " & *ea præstare quæ scripta sunt in Psalmo 6. & aliis plerisque* (vide suprà num. 1695.) *& ea facere, quæ pro alio, qui peccaverat, facta ab eis fuisse Apostolus testatur, qui secundùm Deum contristati fuerunt* (vide suprà num. 1695.) " Ecce enim " (*inquit*) " hoc ipsum, secundùm Deum contristatos esse, quan- " tam in vobis operatur sollicitudinem, sed de- " fensionem, sed indignationem, &c. " Et quænam est illa secundùm Deum tristitia? Respondet ad interrog. 192. *Ea est cùm quis ex neglecto mandato Dei dolore afficitur.* Ob Deum proinde neglecto ipsius mandato offensum. Unde in Martyr. Julitt. *Fle* (inquit) *super peccato: peccatum luctu est, & implacabilibus lachrymis dignum. Ob*

peccatum (non ergo ob pœnæ metum) *profluant profusissimæ lachrymæ.*

1733 Ambrosius, scribens ad virginem lapsam, verbis propheticis describit pœnitentiam ab ipsa agendam: *Convertimini in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu*, &c. Similiter l. 2. de Pœnit. c. 3. pœnitentiam exigit *ex toto corde, ad Sacramenti gratiam profundendam.* Eum verò qui solo timore pœnæ pœnitet, l. 7. in Luc. c. 7. docet ex toto corde non pœnitere: quia, *qui metuit, reprimitur, non emendatur.* Denique l. 1. de Pœnit. c. 16. ad peccatoris absolutionem requirit pœnitentiam *propter Christum*, dicens: *Siquis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiosè pœnitentiam egerit, quomodò istic* (id est in futuro sæculo) *pœnitentiæ fructum recipit, si ei Communio non reſunditur?* (loquitur contra Novatianos.) *Volo veniam reus speret, petat eam lachrymis, petat eam gemitibus*, ex amore Dei offensi *profluentibus... ut de ipso dicat Dominus Jesus: remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum.*

Sæculo quinto.

CHRYSOSTOMUS, HIERONYMUS, AUGUSTINUS, CYRILLUS ALEXANDRINUS, PETRUS CHRYSOLOGUS, PROSPER, LEO MAGNUS.

1734 Chrysostomus ad finem homil. 4. in 2. ad Cor. populum ad pœnitentiam exhortans, contritionis David exemplo (quem haud dubium est ex amore Dei contritum fuisse) ostendit, qualis esse debeat dolor noster de peccatis, quibus Deum offendimus: *Cùm peccaveris, ingemisce, non quòd pœnas daturus sis*, NIHIL ENIM HOC EST: *sed quòd Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut Filium quoque suum tuâ causâ tradiderit.* Ex motivo proinde charitatis, seu divini amoris. Homil. de fide Annæ: *Non doleamus quia patimur, sed quia Dominum offendimus... qui enim sanæ mentis est, offensam Dei magis timet, quàm ullum aliud malum.* Homil. 5. in c. 2. ad Rom. in morali: *Qui sensu ac mente præditus est, is certè gehennæ pœnam tolerare malit, quàm adverso Deo stare.... Nam Dei offensio nullo non supplicio gravior est. At nunc tam miserè animati affectique sumus, ut nisi gehennæ timor esset, ne propositum quidem nobis sit bono aliquo opere defungi. Quapropter si nullam aliam ob causam, certè ob hanc unam gehennâ digni sumus, quòd videlicet plus gehennam, quàm ipsum Christum timemus.... Qui si Christum sic amaremus, ut amare certè oportet, judicaremus utique amati offensionem gehennâ graviorem. Quandoquidem autem amore nullo capimur, certè supplicii hujus magnitudo quanta sit nescimus... Et quid tandem est quod Deus non fecerit, ut à nobis ipse amaretur?... Sed tamen nihil horum nos illi conciliavit. Ac ne sic quidem nos ille destituit, sed persistit quà gehennam minitans, quà cœlorum regnum promittens, ut vel hâc demùm ratione ad se nos illectet. Nos autem, adhuc velut stupidi facti, nullum erga illum affectum exhibemus. Quid hâc feritate deterius?* Et post pauca: *Sunt omnia propter Christum agenda, non propter mercedem. Ob hoc & gehennam comminatus est, & cœlorum regnum promisit, ut à nobis ametur. Amemus ergo illum*, &c.

1735 Hieronymus in Ps. 118. veram pœnitentiam describam censet his Psalmistæ verbis: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam, ut intelligas* (inquit) *nisi* hoc Psalmistæ exemplo *veram pœnitentiam egeris, ibi facilè non dimitti quæ gesseris.* Porrò causalis ista: *quia non custodivi legem tuam*; significat viri istius sancti pœnitentiam ex Dei, seu divinæ legis amore processisse. Quod & amplius declarat versus, qui paulò antè præcessit: *Dilexi mandata tua, super aurum & topazion. Propterea* (nota causalem) *ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Nec dubium (ex Hieronymi mente) ex motivo isto pœnitentiam debere procedere, qui in cap. 16. primæ ad Cor. & in cap. 3. ad Galat. docet omnia opera nostra facienda *charitatis gratiâ*, sive *non propter metum*, ut Judæi, sed *propter charitatem*, ut posteriori loco loquitur. Et rationem dat in c. 8. ad Rom. ad illa verba, *non accepistis spiritum servitutis*, sicut Judæi: *timere enim servorum est, diligere filiorum.... Illi ergo qui operari charitatis voluntate nolebant, timoris necessitate cogantur. Nos verò*, Christiani, (qui accepimus *spiritum adoptionis filiorum Dei*) *omnia voluntariè*, voluntate charitatis, *operemur, ut filios nos esse probemus, non servos timoris.*

Augustini pro asserta divini amoris necessitate 1736
innumera sunt testimonia. Quòd enim nec sola pœnæ formido, nec attritio sine dilectione sufficiat ad peccatoris justificationem, manifestè docet omnibus locis (to. 1. videndis, ubi de voluntario ex timore) quibus asserit, quòd sola pœnæ formido penitùs excludere nequeat omnem peccandi voluntatem. Quibus etiam docet, quòd sine charitate nullius est bona voluntas, imò quòd *bona voluntas* (sine qua nemo justificatur) *ipsa est charitas*, prout dicit l. 2. ad Bonif. c. 9. l. de grat. Chr. c. 21. & alibi sæpè. Quòdque omne bonum, ut omni ex parte sit bonum, nullaque ex parte defectuosum, procedere debeat ex charitate (generaliter utique dicta) per eamque in Deum referri, ita ut *quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fiat benè*, prout asserit l. de grat. & lib. arb. c. 18. Ex his namque omnibus apertè conficitur, pœnitentiam debitis omnibus circumstantiis ornatam (qualis ad justificationem requiritur) procedere non posse ex solo timore, imò procedere debere ex charitate. Unde serm. 23. in Ps. 118. *si non diligendo* (inquit) *ista facimus, nulla est justificatio*; quia nec impletio mandati de pœnitentia. Quippe *mandatum, si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter. Et id-ò non fit* ut oportet ad justificationem. *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* L. de spir. & lit. c. 14. Nec peccator tunc verè odit & timet peccare. Quia *peccator tunc verè timebit peccare, si ejus amore non peccet. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum* propter se, *sicut gehennas odit.... Tantùm quippe peccatum odit, quantùm justitiam diligit. Quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam* (id est divini amoris infusionem; sic enim gratiam passim definit Augustinus) epist. 145. alias 144. ad Anastas. Unde serm. 9. de 10. Chord. frequenter repetit, quòd timore pœnæ operari, non Dei amore, veteris hominis est, seu Judæi; non novi, seu Christiani. Et ideò pœnitentia ex spiritu timoris, non amoris, non sufficit ad justificationem. Quia, ut ait in Sententiis à D. Prospero ex Augustino relatis Sent. 172. *nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis. Teneamus* ergo *charitatem, sine qua, & cum Sacramentis, & cum fide nihil sumus.* L. 2. contra Petil. c. 77. Enimverò *baptismus sine charitate nihil prodest.* Tr. 6. in Joan. Nec baptismum sanguinis, *nec* utique *martyrium, nec sæculi contemptum, nec eleemosynarum largitionem sine charitatis officio quidquam proficere posse* ex Apostolo 1. Cor. 13. 3. docet serm. 53. de temp. Qui licèt Augustini non sit, sed veteris alterius Patris, gravis & pii; Augustinianam tamen sententiis concinit, qui enarrat. in Ps. 121. *Fortis* (inquit) *res est dilectio.... Si in illa non fuerimus, nihil prodest quidquid aliud habuerimus. Si linguis hominum loquar* (dicit Apostolus) *& Angelorum, charitatem*

autem non habeam, factus sum quasi æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Adjungit aliud magnum: quòd si distribuero omnem substantiam meam, & si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Cætera dona, *dona Dei sunt* (ait serm. 1. in Ps. 103.) *sed bonis & malis communia.... Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est & Simon Magus.... Non ergo se jactent, qui fortè sine charitate habuerint hoc munus Dei sanctum.... Quia si habeam omnem prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil sum... Hanc nobiscum non communicant mali.* Ubi loquitur de charitate sub præceptum cadente (sequitur enim: *ergo præceptum charitatis super cælos*) quod profectò de charitate est actuali, non de sola habituali. Similiter serm. 50. de verb. Dom. *ecce venitur ad sanguinis effusionem*, id est martyrium... *Et tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia; detrahe charitatem, nihil prosunt cætera.* In toto autem sermone illo loquitur de charitate in actu, sive de charitate amante, diligente, &c. Et l. 15. de Trinit. c. 18. *Charitas.... sola dividit inter filios Regis æterni, & filios perditionis æternæ.* Et addit: *non transferi à sinistra ad dexteram nisi* eum *quem Spiritus sanctus Dei & proximi facit amatorem.* Et tr. 5. in epist. Joan. *filios Dei discerni solâ dilectione & charitate à filiis diaboli.* Et serm. 43. de verb. Dom. c. 7. necnon serm. 13. de verb. Apost. c. 13. *Qui adhuc ideò benè agit, quia pœnam timet, Deum non amat, & nondum est inter filios.* Quia in Ps. 79. *mortuos* vocat *qui non Deum gratis colunt, quia ipse bonus est.* Lib. de patient. c. 12. *Quid est homo utens.... propriâ voluntate, antequam.... diligat Deum, nisi injustus & impius?* l. de catech. rud. c. 22. dicit Deum *gratis*, id est charitate colendum, *ut hâc sextâ ætate* (in qua fumus ab adventu Christi) *mens humana renoveatur ad imaginem Dei*, quod fit per justificationem. Et c. 27. *Colatis & diligatis Deum gratis.... ut per Christum.... reconcilieris Deo.* Enimverò peccator non reconciliatur Deo nec justificatur, nisi ex servo peccati faciat se servum justitiæ, prout ex Rom. 6. probat Aug. epist. 144. & serm. 17 de verb. Apost. Justitiæ autem ut oportet servus non efficitur, nisi charitate, juxta illud ejusdem lib. 83. qq. q. 36. *justitiæ non serviliter, sed liberaliter serviendum est*, id est (inquit) *charitate potiùs quàm timore.* Unde pœnitentes alloquens serm. 7. de temp. *Vos modò* (inquit) satis debetis amare Deum, & à timore *jam ad dilectionem transire: quia sic legimus in Evangelio: cui multùm dimittitur, multùm diligit.* Hoc (inquam) dicit ad pœnitentes ad Sacramentum sese disponentes.

Cyrillus Alexandrinus homil. 8. de festo Paschali: *Qui injustitiam odit* (prout odisse debet, quisquis veraciter pœnitet) *ille verè diligit, ac totam quoad hoc legem implet. Plenitudo siquidem omnium, quæ in lege præcipiuntur, abs studio colendæ charitatis efficitur.*

1737 Petrus Chrysologus serm. 94. *Audistis quemadmodùm cælestis Conditor totum debitum charitate compensat, & ad incrementum totius fœnoris amoris solius exigit & requirit usuram. Plectendus debitor, qui dilectione solâ suam negligit redimere cautionem. Vis scire, homo, quid Deo debeas? Quòd factus es, Dei creditum est. Quòd es rationis capax, Dei fœnus est. Quòd discretionem boni malivè possides, accepisti. Et quòd vivendi normam acceperis, per chirographum legis stipulanti Deo spopondisse te Deo, non potes diffiteri. Sed dum te per vitia carnis in lutum, instar suis, demergis, & quadrupedum more vivens, quâ prædituς es ratione privaris, & in gurgite criminum, boni malivè perditâ discretione, confundis, & divinæ legis substantiam dissipas, mundanâ voluptate captivus, factus es glorioſi fœnoris debitor luctuosus. Cui deficientibus virtutum lucris, criminum multiplicatur usura. Sed licèt in hac re ceciderîs, vide ne desperes. Homo, remansit tibi, unde piissimo satisfacias Creditori. Absolvi vis? Ama. Charitas cooperiet multitudinem peccatorum.... Ama ergo homo Deum, & ama totus, ut possis omnia sine labore vincere peccata.... quia dilectio delet & abluit omnia peccata.*

Prosper epigrammate 43. *Nullus enim est insons* 1738
sol à formidine pœnæ, qui justum & sanctum non amat imperium. Sententiâ 172. supra relatâ: *Nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis.* Sentent. 257. *Non fructus bonus est, qui non de charitatis radice procedit.*

Leo Magnus serm. 7. de jejunio septimi men- 1739
sis: *Cùm dicatur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum sicut teipsum.... tanta est sub hujus geminæ charitatis edicto utriusque copula Testamenti, ut sine istarum connexione virtutum,* NEC LEX INVENIATUR QUEMPIAM JUSTIFICARE, NEC GRATIA.

Sæculo sexto.

FULGENTIUS, CÆSARIUS, CASSIODORUS.

S. Fulgentius l. 2. de remiss. pecc. c. 5. *Rex Saül* 1740
perterritus, peccatum suum confessus est, non tamen est indulgentiam consecutus.... illa enim peccati confessio ex timore fuit supplicii, non ex horrore peccati. L. de Incarn. c. 26. *Quomodò hi poterunt esse justi apud Deum, qui sic in moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei charitatisque non referant?*

Cæsarius Arelat. serm. 112. in Append. Aug. 1741
Qui in agro cordis sui qualemcumque stirpem cupiditatis inspexerit.... exstirpet cupiditatem, & plantet charitatem: quamdiù hoc facere noluerit, fructus bonos adferre non poterit. Et cùm fructus bonos non adtulerit, dicit de ipso Christus: arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et ibidem serm. 269. *In tantum reliqua opera sine charitate nihil prosunt, ut liberâ voce clamet Apostolus:* " si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. " Et rursum: *Amate ergo, & tenete charitatem.... sine qua nullus unquam Deum videbit*, nullus proinde justificabitur. Et serm. 270. *Bona voluntas ipsa est charitas. Totum habet, qui bonam voluntatem habet. Ipsa est quæ potest sufficere, si cætera non sint. Si autem sola desit, nihil prodest quidquid habitum fuerit.... Cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.*

Cassiodorus in Psal. 110. *Judicii metus, janua est conversionis, modò accedat discretio dilectionis.*

Sæculo septimo.

GREGORIUS MAGNUS, ISIDORUS, JULIANUS POMERIUS, ELIGIUS, S. GERTRUDIS.

Gregorius Magnus sub initium sæculi VII. an- 1742
no 604. mortuus, l. 1. Moral. c. 27. *Sancta Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis regulas timore inchoat, sed charitate consummat. Cui tunc fundùs est à malo recedere, cùm ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cùm verò timore adhuc benè agit, à malo penitùs non recessit.* Lib. 10. c. 22. Eliæus *cum baculo puerum mittens, extincto filio Sunamitis vitam minimè reddidit..... Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadaver humiliter se sternens.... super mortuum septies osculat: quia per apertionem divini muneris, gratiæ septiformis spiritum in peccati morte jacentibus aspirat. Moxque vivens erigitur. Quia is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit.... Nam tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cùm eum propter a-*

moris fiduciam non timemus; cùm nos ad bona opera affectus, non metus dirigit.... Quia verè obsequia Deo non reddimus, si ex timore mandatis illius, & non potiùs ex amore servimus. Et l. 11. c. 22. *In conspectu tuo justus esse non valet, qui tibi, non per dilectionem, sed per formidinem servit.* Homil. 35. in Evang. explicans verba illa Psalmi 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante ejus oculos, in altari boni operis, flamma charitatis accendit.* Et lib. 2. in c. 3. primi Reg. interiorem hominem in Sacramento Pœnitentiæ docet non renovari nisi per amorem justitiæ, & affectionem charitatis: *Nihil ei prodest quòd pœnitendo compungitur, nec quòd flendo confitetur, si inemendatâ & incorrectâ interiùs pulchritudine bonæ voluntatis, luce Dei imaginis nequaquam radiare cognoscitur. Imago enim & similitudo Dei est incluto odio malum odire, & amore perfecto Deum diligere. Unde & Propheta.... se.... renovatum considerans ait: iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi. Qui ergo de domo reprobi per confessionem venit.... curet omninò necesse est, ut.... sumpto splendore bonæ voluntatis, perfectè oderit malum quod fecit, & bonum integro amore diligat, quod neglexit.... Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cùm ad Creatoris nostri beneplacitum uterque noster homo reducitur; cùm & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur à perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis.... Vis autem conversionis est affectio charitatis cordi infusæ virtute Spiritûs sancti.... Qui ut se menti infuderit, etiam protinùs in peccatorum & vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat.... In vitæ igitur exitu hi solùm salubriter resipiscunt, qui & per internam visitationem perfectè bona diligunt, & mala oderunt quæ amaverant. Qui tamen.... post mortem purgatoriâ pœnâ peccati ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquam habuerunt.* Et l. 6. in cap. 15. lib. 1. Reg. *Qui corde non convertitur, quid prodest ei si peccata confiteatur? ..... Unde & salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat, dicens:* " Corde creditur ad justitiam; ore autem con" fessio fit ad salutem. " *Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cùm ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ conversionis. Hic certè jam ad salutem confitetur.*

1743 Isidorus Hispalensis l. 2. Sent. c. 8. *Necesse est omni converso, ut post timorem confugere ad charitatem debeat, quasi filius, ne semper sub timore jaceat quasi servus. Tunc enim amorem nostræ conversionis ostendimus, si Deum ut Patrem diligimus, quem priùs servili mente verè ut Dominum formidabamus.* Et lib. 2. de sum. bono c. 21. *Qui amore charitatis Dei non peccat, horrescit omne malum, amplectendo justitiæ bonum; nec eum delectat peccatum, etiamsi sceleris impunitas promittatur. Qui verò solâ pœnâ supplicii in se vitia reprimit, quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi.*

1744 Julianus Pomerius l. 3. vit. contempl. c. 13. *Charitas est, sine qua nullus Deo placuit.*

Eligius homil. 4. in Cœna Dom. à pœnitentibus, ut absolvantur, postulat, ut *ad Deum ex toto corde convertantur.* Quod sine amore Dei ex toto corde fieri non posse, constat ex dictis cap. 145.

1745 S. Gertrudis l. 3. insinuat. div. piet. c. 30. §. 20. refert (apud Ludov. Blosium Monil. spirit. c. 1.) quòd *cùm audisset in concione, neminem posse salutem consequi, nisi saltem tantillum veræ charitatis haberet, ut ex amore Dei pœniteat, abstineatque à peccatis* (istam ergo doctrinam sæculo septimo sacri Concionatores prædicabant, & sancta virgo Gertrudis cordi suo infixit, Christusque approbavit, sequitur enim) *ipsa apud se cogitabat, plurimos migrare ex hac vita, qui videntur pœnitere, magis timore gehennæ, quàm Dei amore.* Cui cogitationi Christus respondit, quòd aliquibus sibi devotis in agonia se exhiberet adeò amabilem, ut ex amore ipsius tunc pœniterent, ac *per talem pœnitentiam apti redderentur ad salutem consequendam.* Aliàs utique perituri.

Sæculo octavo.

V. Beda, et gravis Author Libri de vera et falsa Pœnitentia.

V. Beda in scintillis, & alibi plura habet, 1746
quibus omnia propter Deum facienda asserit, uti
to. 1. vidimus. Per consequens ipsa quoque pœ-
nitentia, secundùm ipsum, haud dubiè propter
Deum facienda est.

Authorem libri de vera & falsa pœnitentia hoc circiter sæculo ideò refero, quia quis sit, & quo sæculo vixerit, ignoratur. Liber tamen ille tanti habitus fuit, ut sub Augustini nomine (tametsi Augustini non esse jam eruditi conveniant) sæculo XII. citatus fuerit à Petro Blesensi, ac deinde à Vincentio Bellovacensi, & à S. Thoma. Imò, sub eodem nomine in Decreto relatus fuit à Gratiano, & in Sententiis à Magistro. In eo itaque libro c. 17. Author sic loquitur. *Scriptum est, sine charitate neminem salvum esse. Non itaque in solo timore vivit homo. Quem ergo serò pœnitet, oportet non solùm timere Deum Judicem, sed & justum diligere. Non timeatur pro pœna, sed diligatur pro gloria. Credo quòd ille qui dixit:* " quâcumque horâ peccator ingemuerit, & con" versus fuerit, vitâ vivet: " *dixit conversum, non tantùm versum vivere..... Convertitur, qui totus & omninò vertitur; qui jam non tantùm pœnas non timet, sed ad bonum Dominum jejunat tendere.*

Sæculo nono.

Jonas Episcopus Aurelianensis. Haimo.

Episcopus ille doctissimus in Opusculo de Re- 1747
gia Institutione c. 9. post multa encomia charitatis (quam vocat *decus Christianitatis, totiusque fidei nostræ summam*) sic habet: *Miserabiliter plane decipiuntur plerique, qui sine charitate, aut Deo placere, aut ad eum posse se putant pervenire.*

Eodem sæculo Haimo Com. in Conf. c. 1. *Nullus* (inquit) *rectus est, nisi qui te, Deus, diligit.*

Sæculo decimo.

Radulphus Flaviacensis.

Hunc aliqui sæculo decimo, alii duodecimo flo- 1748
ruisse existimant. Quidquid de eo sit, lib. 12. in
Levit. c. 1. probat ex suscitatione Lazari, pecca-
tores per contritionem priùs mundari, quàm per
Sacerdotum ministerium à peccatis solvantur.
Quod nec ipse, nec alius unquam dixit, nisi de
contritione ex amore Dei super omnia procedente.

Sæculo undecimo.

S. Burchardus, et S. Anselmus.

S. Burchardus l. 19. c. 32. ex Augustino sic 1749
habet: *Multi sunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum pervenitur. Non enim tantum simplici pœnitentiæ nomini salus æterna promittitur.... Propter illum nudum gemitum, & propter illud nudum nomen pœnitentiæ nullus salvabitur; sed per veram confessionem ..... & per charitatis affectum ..... peccatorum moles subruitur.* Idem habetur in Pœnitentiali Rom. tit. 9. c. 13. & apud Ivonem Decreti p. 15. c. 48.

S. Anselmus ad illa verba Rom. 8. *non accepi-* 1750
stis spiritum servitutis iterùm in timore, sic ait: *Timor Judæorum servilis erat, quia per eum non tam justitia dirigebatur, quàm pœna timebatur. Jam ergo nobis non in timorem datur spiritus, sed*

in dilectionem, ut non servi, sed filii simus. Qui autem adhuc ideò benè agit, quia pœnam timet, & Deum non amat, nondum est inter filios; nondum proinde inter justos. Et in cap. 3.... *Qui timore supplicii, non amore sanctitatis observabat legem, utique mallet non esse quod timeret, ut impunè legem et præterire liceret. Ac propterea licet ipsam legem actibus impleret, & in oculis hominum justus appareret; in oculis tamen interni inspectoris erat injustus. Quia quod foris in opere demonstrabat, intùs in voluntate non habebat.*

Sæculo duodecimo.

GOFFRIDUS ABBAS, S. BERNARDUS, S. AELREDUS, PETRUS BLESENSIS, RADULFUS ARDENS, HUGO DE S. VICTORE, RICHARDUS DE S. VICTORE.

1751 Goffridus Abbas Vindocinensis serm. 4. *Nemo unquam post perpetratum vel semel criminale peccatum, ullam sibi utilem confessionem, seu pœnitentiam credat, quam spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non præcedit. Quia ubi non est vera cordis contritio, non sequitur plena remissio.* Dolorem autem ex solo gehennæ metu nullus Sanctorum veram cordis contritionem dixit; nec ulla apud ipsos attritionis mentio invenitur. *Attritionis* quippe *nomen Scripturis & Patribus incognitum est*, ait Estius in 4. dist. 16. §. 9.

Radulfus Ardens, Hugo de S. Victore, & Richardus de S. Victore, divini amoris necessitatem in Sacramento Pœnitentiæ tam certò asseruerunt, ut pro opinione contritionem perfectam requirente referri soleant.

1752 S. Bernardus epist. 11. ad Carthus. *Est qui timet, & qui cupit* (sive *qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est*, ut antè dixit) *utrique profe agunt. Sola quæ in Christo est charitas non quærit quæ sua sunt. Quamobrem puto de illa dictum:* " Lex Domini immaculata, convertens animas " *quòd videlicet sola sit, quæ ab amore sui, & mundi, avertere possit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertunt animam. Mutant interdum vultum vel actus: affectum nunquam. Sit itaque servo sua lex timor... Sit mercenario sua cupiditas. Sed harum nulla, aut sine macula est, aut animas convertere potest. Charitas verò convertit animas, quas facit & voluntarias.*

Et ne putes Mellifluum Doctorem id dumtaxat asserere de timore & cupiditate temporalium: serm. de Cant. Ezech. *Audi* (inquit) *vocem Filii*: " Domine salvum me fac. " *Quare hoc? Fortè ne ardeat in inferno? Fortè ne fraudetur præmio? Non inquit, sed* " Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. " *Non, inquit, quæro salutem, ut pœnas vitem, aut in cælo regnem, sed ut te in æternum... laudem... Servus dicit*: " Vadam ad portas inferi. " *Mercenarius*: " Non videbo Dominum Deum in terra viventium. " *Filius*: " Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini...." *Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem sui, uterque profectò quærit quæ sua sunt.* Atqui nec timor, nec amor, quærens quæ sua sunt, convertit animas, ut antè dixit. Quia nimirùm anima tunc solùm convertitur, cùm odit peccatum, quod antè amabat. *Quis enim veraciter pœnitet, culpam odit*, ait Doctor Mellifluus tr. de gradib. humil. grad. 9. Solus verò ille culpam propriè odit, qui eam propter se, non propter gehennam dumtaxat odit. Sicut enim propriè non amatur, quod propter se non amatur; ita propriè odio non habetur, quod propter se odio non habetur. Unde serm. de tripl. cohærent. vinc. dicit, quòd ille *quem timor Dei ligat.... ad memoriam gehennalium tormentorum.... peccare non metuit, sed ardere.*

Propterea in l. *de diligendo Deo* dicit, Deum, cùm ad se revocare vellet hominem lapsum, nec gehennæ comminatione, nec vitæ æternæ promissione profecisse, donec Verbi Incarnatione cum sui amatorem efficeret.

Propterea etiam serm. 5. in Octava Pasch. *Sola* (inquit) *charitas castificat animum, sola purgat intentionem.* Epist 258. *Nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis.* Serm. 2. in festo S. Michaëlis: *Perire necesse hominem, qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum, ita ut ardeat.* Opusc. de charitate c. 4. *Quædam sunt obsequia placentia & placantia, si in charitate fiant. At sine charitate nihil prosunt. Hæc enim est virtus, in qua nec minimum opus reputatur; sine qua nec maximum acceptatur.* Et ad illa verba Cant. *recti diligunt te; fides*, etiam recta, *non facit hominem rectum, nisi operetur ex dilectione. Et rectus esse non potest, nisi qui Deum diligit.* Author libri de modo vivendi ad sororem, apud eumdem Bernardum.

S. Aelredus in spec. charit. c. 8. de charitatis 1753
agone præcepto: *Salubrimè* (inquit) *nobis indicitur ipsius unius præcepti compendium, in quo & veteris hominis exspoliatio, & mentis renovatio, & divinæ imaginis consistit reformatio*; sine quo proinde non fit peccatorum remissio.

Petrus Blesensis l. de Confess. Sacram. *Nemo de momentanea contritione, & affluentia lachrymarum præsumat... nulla affectio pia meritoria est ad salutem, nisi ex Christi dilectione procedat.*

Sæculo decimo tertio.

CÆSARIUS HEISTERBACHENSIS, INNOCENTIUS III. B. ALBERTUS MAGNUS, S. THOMAS, S. BONAVENTURA, S. RAYMUNDUS DE PENNAFORT.

Cæsarium Heisterbachensem, Innocentium III. 1754
S. Bonaventuram & S. Raymundum de Pennafort c. 140. exhibuimus §. 3. & c. 141. §. 2. Et quamvis S. Bonaventura, & S. Raymundus (cum aliis magnis Theologis, ibidem denso agmine laudatis) requisierint contritionem perfectam, seu justificantem, qualem nos haud requirimus, non ideò magni ponderis esse desinunt testimonia ipsorum, & maximè testimonium S. Raymundi; quandoquidem in judicio quod de ipso in Sanctorum numerum referendo delegati ad id Præsules tempore Clementis VII. tulerunt, Summam ipsius mirum in modum extulerunt, prout n. 1493. vidimus. Quod judicium credibile non est Romæ prolatum iri, post Concilium Tridentinum, si quid Raymundi Summa isti Concilio contrarium exhiberet, maximè cùm doctrinæ ipsius bonitas una fuerit ex causis, propter quas ipsius in Sanctorum numerum relatio facta fuit. Sanctum etiam Bonaventuram similibus de causis Sixtus V. retulit in numerum Sanctorum Ecclesiæ Doctorum.

Pari perspicuitate S. Thomas benevoli amoris 1755
Dei, seu charitatis generaliter dictæ necessitatem ad peccatoris justificationem asseruit, uti manifestum faciunt testimonia ipsius, meridianâ luce clariora, quæ capite illo 141. §. 3. exhibuimus. Et Junior quidem, dum in Sententias scripsit, perfectam & ipse contritionem, seu justificantem postulavit, prout videre est Supplem. q. 10. a. 5. ubi dicit, quòd *Confessio operatur præsuppositâ contritione, quæ culpam delet, & sic Confessio directè ordinatur ad dimissionem pœnæ, quod quidem facit ex erubescentia quam habet, & ex vi clavium, quibus se confitens subjicit.* Et in Opusculo, quo Orationem Dominicam exponit, apertè declarat, contritione culpas remitti, pœnamque æternam mutari in temporalem, quæ deinde absolutione remittitur: *In peccato* (inquit ad petitionem quintam) *sunt duo, scilicet culpa quâ offenditur Deus,*

& *pœna, quæ debetur pro culpa. Sed culpa remittitur in contritione... & pœna æterna commutatur in temporalem... Quando ergo confiteris, Sacerdos absolvit te de hac pœna clavium virtute.* Et istis locis S. Doctor convenit cum præcipuis sui temporis Doctoribus. Sed in Summa 3. p. q. 86. a. 3. requisivit *ad rationem pœnitentiæ, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.* Art. 6. de virtute clavium magnificentiùs scripsit, dicens, quòd *actus* virtutis pœnitentiæ *materialiter se habent in Sacramento Pœnitentiæ...* quòdque *remissio culpæ*, in hoc Sacramento, *est effectus pœnitentiæ principaliùs quidem ex virtute clavium, quam habent Ministri... Secundariò autem ex vi actuum pœnitentis, pertinentium ad virtutem pœnitentiæ.* In Summa proinde cum antiquis Scholasticis benevolam Dei super omnia dilectionem ad justificationem sic requilivit, ut eam cum virtute clavium magnificentiùs quàm ipsi conciliaverit, prout & nos conciliabimus infrà. Angelicus proinde Doctor noster est per omnia, prout argumentis decem uberiùs demonstrat Illustrissimus Pater Le Drou in l. de contrit. & attrit. dissert. 3. c. 6.

Sæculo decimo-quarto.

LUDOVICUS DE SAXONIA, TAULERUS, RUSBROCKIUS, BRADWARDINUS ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS.

1756 Ludovicus de Saxonia, Carthusianus, vitæ sanctimoniâ & doctrinâ celebris, in vita Christi p. 1. c. 20. dicit, quòd *veram pœnitentiam amor Dei & odium peccati facit... Ideò Augustinus dubitat de his, qui pœnitent in extremis: quia tales videntur pœnitere timore pœnæ, potiùs quàm amore justitiæ.* Et infrà: *Multi gemunt pro peccatis, non quòd peccata eis displiceant propter Deum, sed propter pœnam.* Cujusmodi pœnitentiam fructuosam non esse, declarat per antithesim immediatè sequentem: fructuosa ergo contritio est, cùm quis de peccato, *quo Deum offendit, dolet, & inde turbatur, & gemit, quia iniquitas amore justitiæ ipsi displicet.*

1757 Illuminatissimus Doctor Joannes Taulerus Instit. c. 1. *Peccator* (inquit) *amarâ cordis contritione peccata sua deflere, & cum vero dolore... coram Sacerdote loco Dei in Confessione se accusare... debet. Cæterùm dolor ille, sive contritio, non ex servili quodam timore, pœnarum videlicet inferni... proveniat. Talis enim dolor nec unius quidem peccati meretur veniam... eò quòd ex vero Dei amore, qui omnis veræ contritionis causa est & origo, minimè procedat,* &c.

1758 Joannes Rusbrockius, divinæ addictus contemplationi (cujus sancta vita, pictis imaginibus, in Monasterio Vallis-Viridis propè Bruxellas delcripta est) tract. de præcip. quibusdam virtutib. c. 11. de dupl. contrit. *Contritio aliqua... potiùs sese ac damnum suum, quàm Dei offensam spectat. Itaque licèt unus aliquis hujusmodi contritionis tantum habeat, quantum simul omnes creaturæ habuerunt, non meretur tamen nec unius saltem peccati veniam: quippe quæ ex charitate, quæ omnis veræ contritionis causa est, nequaquam proficiscitur.* Reliqua ex ipso habes supra num. 1522. Bradwardinus pietate & eruditione celebris l. 1. de causa Dei c. 43. disertè requirit cum Magistro, & Scholasticis antiquis, contritionem amorosam & justificantem, tamquam dispositionem prævium ad absolutionem; & nihilominùs addit, quòd licèt peccata *per infusionem gratiæ deleantur ante Confessionem & absolutionem obtentam, tamen nisi peccator, habitâ facultate, posteà confiteatur & absolvatur, revertuntur quodammodò, & noviter imputantur, imò & propter contemptum clavium aggravantur.*

Sæculo decimo-quinto.

S. VINCENTIUS FERRERIUS, S. BERNARDINUS SENENSIS, S. LAURENTIUS JUSTINIANUS, S. ANTONINUS, D. DIONYSIUS CARTHUSIANUS, S. CATHARINA SENENSIS.

S. Vincentius Ferrerius, sacri Prædicatorum 1759
Ordinis grande decus, dist. 157. de novem modis remissionis cum Sacramento, contritionem requirit, eamque serm. feriæ tertiæ post *reminiscere* à servili attritione distinguit, dicens quòd *debet esse dolor respectu Dei offensi. Aliàs, si homo haberet tantum dolorem de peccatis, quòd fleret, sed non propter Deum, attritio est, sed non contritio, quæ non sufficit ad salvationem.* Vide suprà n. 1601.

S. Bernardinus Senensis, Seraphici Ordinis Mi- 1760
norum Luminare Magnum, to. 1. fer. 6. post Dom. 1. Quadrag. serm. 13. de contrit. c. 2. dicit, quòd *qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei* (Charitatis utique, uti paulò antè dixit) *non est in statu salutis. Quia non dolet amore Dei, sed amore sui.* Vide ipsum suprà n. 1546. 1547. 1548.

S. Laurentius Justinianus, Venetiarum Patriar- 1761
cha, l. 2. de spir. anim. resurrect. *Quamdiù quis metu temporalis supplicii, seu æterni, serviliter vivit, à filiorum Dei segregatus est sorte.* Quare? quia nondum est victor peccati, nec omninò liber à voluntate peccandi, prout ex verbis perspicuis ipsius ostendimus n. 1602.

S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 5. ante §. 1. multis ar- 1762
gumentis probat, pœnitentiam esse debere *ex amore Dei, & principaliter propter Dei offensam, non propter timorem inferni.* Et aliàs non fore sufficientem, etiam cum Sacramento. Verba ipsius habes n. 1611.

D. Dionysius Carthusianus, sanctitatis & do- 1763
ctrinæ laude insignis, formidolosæ attritionis insufficientiam expressè docet in Sum. de fid. orthod. a. 134. In fine 3. Sentent. Et in 4. dist. 14. & 20. Et in Dialog. de convers. peccat. Verba ipsius similiter habes n. 1615. 1616. Præterea in l. de stricta via salutis a. 14. sub finem: *Vera* (inquit) *contritio ex vera Dei dilectione procedit, atque ex odio culpæ, atque effectu justitiæ..... Qui salubriter confitetur, & pœnitet, oportet ut doleat de peccato, in quantum est peccatum, & Dei offensa, seu divinæ sanctitatis & majestatis inhonoratrum.*

S. Catharina Senensis doctr. divin. tr. 1. c. 1. in- 1764
ducit Dominum, post allegata Apostoli verba, *si linguis hominum*, &c. dicentem sibi: *Satis ex hoc discursu perspicis, dilecta filia, omninò necessarium esse, quòd ex motivo magnæ dilectionis formetur vera contritio, seu dolor animæ pœnitentis.* Et c. 31. *Attende, quia nullo modo sufficit ambulare cum servili timore: quia purgare domum à spurcitia peccati mortalis, non implendo eam virtutibus, in amore fundatis, & non tantùm in timore, non sufficit ad vitam æternam.* Et c. 58. *Attende diligenter istos, qui cum servili timore dereliquerunt mortalium peccatorum abominationes, nisi surgant & procedant cum amore virtutum, iste servilis timor ad vitam æternam exhibendam nullo modo sufficit. Amor verò, cum sancto timore benè sufficiens est.* Similia habet tr. 3. c. 32.

Sæculo decimo sexto.

S. THOMAS VILLANOVANUS, S. CAROLUS BORROMÆUS, VENERABILIS LUDOVICUS GRANATENSIS, ADRIANUS VI. PONTIFEX MAXIMUS, JOANNES FIRSCHERUS, EPISCOPUS ROFFENSIS, DEINDE CARDINALIS, ET CHRISTI MARTYR.

S. Thomas Villanovanus serm. 1. in Domin. 1765
Pass. totus est noster; dicit enim: *Contritio est dolor voluntariè assumptus pro peccatis... Non de damno, vel de pœna, vel de turpitudine & vilitate peccati, sed dolendum est de peccato, prout offensa*

fensa Dei est, sic ut etiamsi.... non esset infernus, aut judicium.... tamen displiceret peccatum, quia Deus sunt offensus.... Vera contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut ex amore sui.... Solus dolor ille, contritio est, qui est propter Deum. Vide suprà n. 1633. ubi addit sine tali contritione Sacramenta non sufficere.

1766 S. Carolus Borromæus in Instruct. de Sacram. Pœnit. *Antequam Confessarius.... absolutionem tribuat pœnitenti, videbit an* PROPTER DEUM *veram peccatorum suorum contritionem habeat.... Quod si.... talem contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderio accendere conabitur, hoc admonens,* PROPTER DEUM IPSUM *usque adeò, quantùm potest, eum peccata dolere oportere, ut saltem adjutrice divinâ gratiâ, quam à Deo intimè precetur, ex Sacramentique virtute ex attrito contritus fiat.*

1767 Venerabilis Ludovicus Granatensis, pietate, doctrinâ, humilitate (quâ primarias dignitates recusavit) & vitæ sanctimoniâ insignis, conc. 1. in festo B. Mariæ Magdalenæ, sic habet: *Constat planè neminem ex injusto fieri justum, nisi is peccatum super omnia detestetur, illudque supra omnia vitare constituat. Hæc verò duo habere non potest, nisi Deum diligat super omnia. Hæc enim tria, dilectio Dei super omnia, odium peccati, & propositum ejus omni operâ & studio vitandi, ita se mutuò consequuntur, ut alterum sine altero consistere nullo modo queat. At hujusmodi dilectionem, post naturæ lapsum, nemo nisi præsente Dei ope adjutus habere potest.... Sine hac verò Dei dilectione, neque vera contritio, neque firmum sceleris vitandi propositum, ac proinde neque justificatio constare potest.*

1768 Adrianus VI. in 4. q. 1. *Pœnitentia vera est dolor voluntarius de peccato propter Dei offensam: quia fiquis de peccato doleat propter pœnam, aut consimilem causam, non est vera pœnitentia.* Vide suprà n. 1634.

1769 Glorioſi Martyris, Joannis Firſcheri, Epiſcopi Roffenſis, teſtimonium habes n. 1647.

Sæculo decimo ſeptimo.

S. FRANCISCUS SALESIUS, S. MARIA MAGDALENA DE PAZZIS, JOANNES LANSBERGIUS, LUDOVICUS BLOSIUS, CLEMENS X.

1770 S. Franciſcus Saleſius l. 2. de div. amor. c. 19. *Pœnitentia, quæ divinum amorem non excludit, quamvis adhuc ſine eo ſit, bona eſt & optanda pœnitentia; ſed imperfecta, & quæ ſalutem nobis dare non poteſt, donec ad amorem provecta ſit, cumque ipſo commixta. Ita ut, ſicut Magnus Apoſtolus dixit, ſi corpus ſuum traderet, & diſtribueret pauperibus omnes facultates ſuas, non haberet autem charitatem, id ſibi prodeſſet nihil; ita verè affirmare poſſumus, tametſi pœnitentia noſtra tanta eſſet, ut in lachrymas oculi noſtri reſolverentur, & dolore corda noſtra colliqueſcerent, niſi ſanctum Dei amorem habeamus, id totum nobis ad ſalutem ſempiternam nihil proficeret.*

1771 Extatica Virgo S. Maria Magdalena de Pazzis, divinar. Intelligent. lib. 6. c. 7. *Ego ſcio, ô Verbum, quòd animæ dolor de tuis offenſis oriri non poſſit, niſi ab amore erga te.* Et lib. 3. cap. 20. *Diligitur Deus, vel timore pœnæ, vel gloriæ amore. Atque ex his nullus eſt verus & purus amor... Qui timore Deum diligit, filii hæreditatem ab eo habere haud eſt dignus* (nec proinde gratiam, quæ jus dat ad filii hæreditatem;) *qui autem verè amant, hanc hæreditatem merentur habere.*

1772 Joannes Lansbergius, magnæ pietatis, & vitæ ſpiritualis laude clariſſimus, in piiſſimis Exegeſibus ſuis ſuper Epiſtolas & Evangelia, Exegeſi in Feſt. Converſ. S. Pauli litt. P. *Peccatori converſio neceſſaria eſt.... Neceſſe eſt ut relictis creaturis revertatur ad Creatorem....: Quid igitur agendum converti volentibus?..... Amaram de peccatis commiſſis contritionem & dolorem aſſumment.... Hic dolor non eſt ſine charitate.*

Exeg. in Feſt. S. Agnet. alludens ad parabolam Virginum cum lampadibus: *Qui pœnitentiam ad mortem differunt, vix rectè pœnitere credendi ſunt.... Pœnitent quidem, ſed metu mortis damnationiſque, non odio peccati.... His igitur.... regni cœlorum clauſa eſt janua.... Quia opera ſine charitate facta non lucent: quandoquidem ſola fides, quæ per dilectionem operatur, fulgebit. Non igitur in hujuſmodi lampadibus eſt oleum.*

Exeg. in Feſt. S. Mariæ Magdal. ad illa verba: "remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit "multùm:" *hoc loco Dominus remiſſionem peccatorum charitati aſſignat, ne quis putet, fidem ſolam* (addo ego vel timorem, ſeu ex timore dolorem) *ad obtinendam veniam ſufficere..... Sine charitate impoſſibile eſt placere Deo. Charitatem Magnus Baſilius Chriſtiani hominis quaſi peculiare quoddam inſigne vocat, atque* (ut idem ait) *neceſſarium.... Charitas erga Deum requiritur.... Denique, ut idem Author eſt, qui charitatem non habet, eum divinâ gratiâ carere.*

Exeg. in Feſt. S. Matthæi: *Qui ſolo ductus timore ſervili, Deo obtemperat, & famulatur..... etiamſi ſolus agat, & patiatur omnia, quæ mortales unquam egerint, & paſſi ſint, quamdiù ſolo timore ſervili ducitur, nihil illis omnibus meretur.*

Exeg. in Feſt. S. Joan. Apoſt. litt. A. *Timor ſervilis, quo quis peccare cavet, ſolo timore retractus, non virtutis, neque Dei amore, ad ſalutem non ſufficit, nec aliter laudatur, niſi quòd ad converſionem aliquo modo diſponit, & ad vitanda aſſuefacit peccata. Stat enim hic timor cum mortali peccato.*

Ludovicus Bloſius, Abbas & Reformator Lætienſis, Author piiſſimus, laudatiſſimuſque, in Cant. vit. ſpirit. c. 2. *Nemo ad ſalutem pervenit, qui non tantillum charitatis habet, ut ex amore Dei, ſaltem in extremo vitæ poſitus, pœnitentiam agat, averſetarque peccata. Et ideò miſericordiſſimus, hominumque amantiſſimus Deus* (juxta revelationem S. Gertrudi factam, ut ſuprà num. 1745.) *ſæpè ſe adeò benignum & amabilem, etiam deſperatiſſimis peccatoribus (quos alicujus virtutis merito inſignitos eſſe cognoſcit) ut illi ex intimis præcordiis doleant, quòd offenderint tam pium Conditorem atque Redemptorem. Per quam nimirùm pœnitentiam apti redduntur ad ſalutem conſequendam.* Et infrà: *Tibi quidem promittitur peccatorum remiſſio, ſi, etiam in extremo vitæ articulo poſitus, verè ex amore Dei, magis quàm metu ſupplicii pœnitentiam egeris.* Ex Taulero: *Magna indignatio, ac diſplicentia erga noſipſos, cum..... amoroſa ad Deum converſione.... vera pœnitentia eſt.* Et iterùm ex Lansbergio: *Dole quia peccaſti, quia me offendiſti.* 1773

Et in ſacello animæ c. 14. ex Taulero & Ruſbrockio, poſt explicatam perfectam contritionem, etiam in imperfecta requirit veram ad Deum confidentiam & amorem, tamquam actus neceſſarios ad veram pœnitentiam.

Et in eo qui non ſatis, id eſt qui non perfectè dolet, voluntatem exigit plus dolendi, *magis ob honorem Dei, quàm propter damnum noſtrum.*

Et in Margarita ſpirit. p. 3. ſub finem: *Peccatori pœnitenti omnia peccata remitto, etiamſi tot eſſent, quot omnes ſimul homines commiſiſſent, ſi tamen ex animo pœniteat, purè ad gloriam Dei, & ob id potiſſimùm diſpliceant illi ſuæ iniquitates, quòd mihi eas diſplicere intellexit.*

Et in Monili ſpir. c. 1. *Virgo Maria dixit E*

Brigittæ (l. 2. revelat. c. 23.) Quantumcumque homo peccet, si toto corde cum vera emendatione & charitate ad me confugerit, statim parata sum recipere pœnitentem.

Et in Instruct. vit. ascet. divis. 6. *Bonum est nos vel per timorem servilem à vitiis abstinere; ita tamen ut ibi non permaneamus, sed inde ad timorem liberalem, seu filialem transeamus.* Per quem (prout immediatè præmisit) *metuimus peccare, ne benignissimum Dominum Deum nostrum offendamus, ejusque perdamus gratiam, & familiaritatis benevolentiam.*

1774 Denique S. D. N. Clemens X. Deputatis Lovaniensibus declaravit, *in ea se esse sententia, quòd requiratur aliquis amor Dei propter se in Sacramento Pœnitentiæ*, prout mihi testificatus est eximius P. Farvacques S. Theologiæ Doctor Lavaniensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini (qui eruditissimis opusculis suis hac de re editis tam gloriosam de adversantibus sibi victoriam Eruditorum omnium judicio reportavit) in litteris ad me datis 17. Junii 1671.

CAPUT CL.

Nullam veri speciem, nec probabilitatem habent ea quæ Pinterellus, Abellius, Slaugtherus aliique asserunt de formidolosæ attritionis sufficientia vel à Tridentino definita, vel verbis adeò perspicuis declarata, ut mens ipsius pro illa sufficientia sit perspicua.

1775 HOc posterius frequenter asserunt in Thesibus suis Jesuitæ Lovanienses, Duacenses, Angio-Leodienses, &c. quos inter Slaugtherus in Thesi de die 9. Julii 1696. *Ut indubitatum* (inquit) *statuimus non requiri perfectam illam*, id est amorosam (quam requirimus) contritionem, *quæ* utique *amorem Dei includat appretiativè summum.... Sufficit attritio, etiam cognita.... Hæc est perspicua mens Tridentini.* Illud verò prius Pinterellus asserit in lib. de sufficientia attritionis, aiens, quòd *vix ulla est expressa claritas in Tridentino doctrina.* Et Abellius in Medulla Theol. p. 2. sect. 9. atque in Elucidat. dicens, eam *verbis claris atque expressis apertissimè declaratam.* Alii aiunt assertionem nostram *non posse sine nota defendi. Esse certè falsam, improbabilem, definitioni Tridentini contrariam, Baji & Jansenii fœtum, Neotericum commentum*, &c.

1776 Verùm id ab ipsis temerariè & absque ulla veri specie asseri, compertum est ex hactenùs dictis, atque insuper probatur 1°. per argumenta ex Tridentino capitibus seqq. subjicienda, quæ ad minus demonstrant probabile esse, id à Tridentino non esse certò & apertè definitum, vel declaratum. Si verò id probabile sit, oppositum esse non potest certum & manifestum. Cùm certissimum sit, esse non posse in Tridentino certum & manifestum, cujus oppositum probabiliter, imò plusquàm probabiliter demonstratur esse Tridentino consentaneum.

1777 2°. si opinio asserens formidolosæ attritionis sufficientiam, clarè & manifestè declarata vel definita foret à Concilio Tridentino, sententia negans sufficientiam illam, improbabilis foret & erronea. Talem proinde vocari, seu aliquam ei notam inuri Sanctitas Sua non prohiberet. Cùm nunquam prohibeat erroneam vocari opinionem, Ecclesiæ declarationibus vel definitionibus clarè & manifestè contrariam. Eam verò erroneam vocari, vel aliquam ei notam inuri Alexander VII. in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis prohibuit, *donec* (inquit) *ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Quo addito manifestè supposuit nihil adhuc à S. Sede, nec proinde à Tridentino esse definitum, seu clarè & perspicuè declaratum.

3°. probabile non est, à Tridentino definitum, 1778
vel perspicuè declaratum esse dogma, concernens jus divinum, quod nullum habet in Scriptura, nec in Traditione fundamentum (cùm Tridentinarum definitionum declarationumque ejusmodi fundamenta fuerint Scriptura, Traditioque, uti Pallavicinus demonstrat in Historia Concilii Trid. l. 12. c. 1. Quod & cap. 10. ostendit esse observatum in sententiis de pœnitentia sess. 14. stabilitis.) Atqui sententia de formidolosæ attritionis sufficientia nullum habet in Scriptura, nec in Traditione fundamentum; quin ei potiùs Scriptura Traditioque contradicit, prout in præmissis à nobis est ostensum.

4°. prorsus improbabile est, & contra omnem 1779
veri speciem, aliquid à Concilio Tridentino definitum, vel perspicuè declaratum esse contra Sanctorum omnium doctrinam, sicut & contra doctrinam Theologorum omnium, qui ab initio Scholastices ad usque Tridentinum dictæ attritionis insufficientiam tradiderunt, uti constat ex laudatis ipsorum testimoniis.

5°. id tantò minùs credibile est, quòd id absque 1780
magna trutinatione, plurimorumque contradictione fieri non potuisset. Cujus trutinationis contradictionisque nullum in istius Concilii Historia vestigium reperitur. Imò punctum istud in Patrum *Conventu pauci attigerunt* (ait laudatus Historicus l. 12. c. 10.) *aliquod dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris in iis quæ Granatensis disputavit.* Falsissimum proinde est quod Slaugtherus ubi suprà absque probatione ulla temerè asserit, *in ipso Tridentino plures post ipsum omnes Christiani Orbis Doctores, unanimi consensu, & vi Decreti illius, attritionis formidolosæ* sufficientiam tenuisse. Cùm in Tridentino vix ullus, si ullus, sufficientiam illam tenuerit, teste Eminentissimo Historico, & post Tridentinum adeò multi præcipui nominis Theologi, Cardinales, Episcopi, &c. ut Lectoribus imperitis Slaugtherus imponat, suamque vel imperitiam, vel in legendis Authoribus incuriam notam faciat, dum Christiani Orbis Doctores omnes vel invitos pro se allegat.

CAPUT CLI.

Sufficientiam attritionis purè formidolosæ à Tridentino definitam non esse, sex aliis argumentis ad oculum demonstratur.

PRimò, quia (teste Pallavicino l. 7. c. 10.) Tri- 1781
dentinorum *Patrum consilium fuit, in recentibus definitionibus se prorsus abstinere à supervacaneis articulis; ab illis nimirùm, qui Catholicos inter Scholas in dubitatione versantur.* Quapropter semper obstitere Legati, *ne quid de* immaculata Deiparæ *Conceptione sanciretur.* Similiter *ne quid certi statuerent Patres de natura ipsa peccati originalis, de qua Scholastici discordant. Nec enim Synodus collecta fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos.* Quam ob rationem nihil etiam in Tridentino decisum fuit, circa scholasticam quæstionem, an sub utraque communicans specie plus gratiæ recipiat, quàm communicans sub una; circa quam variæ sunt Scholasticorum opiniones. Inter Legatos etiam (teste eodem Historico l. 7. c. 7.) conveniebat, *haud committendum, ut dissidii fomes inter partes Catholicas innasceretur, neque ut adhiberentur voces, quibus quidpiam earum cuilibet detraheretur.* Quippe *Concilio satis erat probibere hæreses* (verba sunt Eminentissimi Historici l. 9. c. 10.) *in quo plurimum adhuc negotii supererat, scholasticis quæstionibus relictis.*

Quod & Patribus à Summo Pontifice commendatum ibidem enarrat, nimirùm, *ut variæ Sco-*

Scholasticorum sententiæ inviolatæ perstarent, ne, citra necessitatem, ullius Scholæ in Ecclesiam studium læderetur, sed potiùs ut Catholicorum animi adversus hæreticos in unum coalescerent.

Idque exactè à Patribus observatum ostendit l. 12. c. 7. *Non modò ex Actis, sed ex ipsis definitionum verbis, quæ omnia adeò sunt circumspecta, ut interdum Patres religiosiùs anxii fuisse videantur in exquirendis verborum formulis, remotis ab omni specie labis cuiquam Theologicarum Classium inferendæ.*

1782 Si tantum Patribus studium fuit, exquirendi formulas verborum, remotas ab omni specie labis cuiquam Theologicarum Classium inferendæ, prorsus incredibile est, improbabileque, id ab ipsis prætermissum circa quæstionem de necessitate amoris in contritione requisita ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ; contra quam necessitatem si aliquid definissent, non unius Classis dumtaxat, sed omnium usque tunc Classium Theologicarum unanimiter recepto dogmati erroris labem intulissent, prout ex hucusque laudatis Scholarum seu Classium omnium sententiis est conspicuum.

1783 Non tantum tamen Patribus studium fuit, ne verbum ipsis excideret contra sufficientiam formidolosæ attritionis, absque interventu divini amoris, quin argumentum multiplex contra sufficientiam illam præbuit (prout ex dicendis constabit) & illud argumento est, quòd dogma de sufficientia ejusmodi attritionis tunc temporis nullius adhuc Theologicæ Classis fuerit, sed adeò paucorum, si tamen aliquorum Theologorum, ut aliquod dumtaxat illius vestigium Pallavicinus invenerit in iis quæ Granatensis disputavit. Quo prorsus sufflaminatur jactabunda Slaugtheri assertio.

1784 Secundò, articulus de formidolosæ attritionis sufficientia Catholicos inter & hæreticos tunc non controvertebatur: cùm igitur Tridentinis Patribus propositum, fixumque fuerit, solùm definire articulos inter Catholicos & hæreticos controversos, uti proximè demonstravimus, ipsis propositum non fuit, articulum de attritionis illius sufficientia definire.

Probatur antecedens, quia Catholici Doctores, qui Ecclesiæ causam adversus Lutherum tutati sunt, cum ipso non disceptarunt de sufficientia ejusmodi attritionis, sed de bonitate utilitateque ipsius. Attritionem quippe illam Catholici bonam utilemque esse volebant; verissimumque id erat: cùm attritio illa præpararet ad gratiam contritionis: Lutherus econtrà, *Ego* (inquiebat in assert. art. 16.) *peccatum asero quidquid ante gratiam fit in homine; tantùm abest ut præparet ad gratiam.* Et serm. de Pœnit. *Hæc est illa contritio ex timore, quam ipsi* (Catholici) *vocant extra charitatem non meritoriam, alii vocant attritionem proximè disponentem ad contritionem. Quam opinionem errorem ego judico.* Cui Eckius l. 1. de Pœnit. opponebat, non quòd attritio ex timore, absque amore cum Sacramento sufficeret, vel contritio vera foret; verùm *is est scopus negotii* (inquiebat) *volumus solùm quòd timor valeat ad præparandam pœnitentiam*, seu contritionem. *Nemo Catholicus vult timorem esse pœnitentiam.*

1785 Tertiò, teste laudato Eminentissimo Historico, id ex Actis Tridentini demonstrante l. 12. c. 10. *Theologorum mens erat ut error hæreticorum damnaretur, tamquam inhonestum improbantium pœnæ timorem; non autem ut ferrent sententiam de scholastica quæstione, an hujusmodi timor, non solùm absque contritione animi perfecta (de quo controversia vix fuit...) sed etiam absque eo quòd ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad remissionem peccatorum in Sacramento. Et verò liquet ex ipsa probatione Concilii (quâ hujus articuli doctrinam firmat cap. 4.) nimirum Ninivitarum pœnitentiam ex timore projectam ipsis profuisse: cùm certum esset, eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minimè suffecisse per se ad peccatum delendum, sed vim tantummodò habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitatis affectus; quem omnes necessarium fuisse fatentur, ante novam legem, ad justitiam recipiendam.*

Quartò, articulus de sufficientia servilis attri- 1786
tionis, nec Patribus, nec Theologis propositus fuit ad decisionem de eo faciendam, nec pro illius discussione vel decisione ulli habiti sunt Cœtus, seu generales, seu particulares; nulli ex Patribus & Theologis deputati, qui Summam discussionis colligerent, & generali Cœtui referrent resolutionem circa hoc factam in Cœtibus particularibus, nec aliæ servatæ solemnitates, de more servari solitæ pro finali decisione in publica sessione. E Tridentina verò Historia lib. 12. c. 10. constat, hunc fuisse morem & normam Tridentinarum decisionum. 1°. materia decidenda per articulos à Theologis, ac deinde à Patribus discutiendos proponebatur in sessione præcedenti. 2°. diversi habebantur Cœtus, ubi propositorum articulorum fiebat exacta discussio. 3°. deputabantur aliqui, tum ex Patribus, tum ex Theologis, qui in Summam redigerent, & Cœtui generali referrent resoluta in Cœtibus illis privatis. 4°. resolutiones istæ relegebantur, ac denuò discutiebantur, limabantur, perficiebantur in sessione generali. In ea denique collectis Patrum suffragiis decisio authenticè concludebatur & publicabatur. Nihil horum factum legitur circa articulum prædictum; econtrà legitur nullam de eo mentionem ex proposito factam, sed adeò obiter & incidenter, ut (Historico teste) in Patrum Conventu pauci id attigerint. Et aliquod dumtaxat vestigium comperiatur opinionis negantis necessitatem amoris in iis quæ Granatensis disputavit.

Quintò, cum Lutherus serm. de pœnit. unâ 1787
eâdemque periodo duo asseruisset, 1°. servilem attritionem esse vitiosam. 2°. taliter attritum indignè absolvi & communicare (quæ occasio opportuna erat Concilio ad decidendam sufficientiam illius, si de Concilii mente fuisset) priorem tantùm istius periodi partem, seu assertionem Concilium damnavit; posteriorem intactam, & à damnatione immunem reliquit. Non reliquisset autem, sed perinde ut priorem damnasset, si contra posteriorem, uti contra priorem, aliquid definiisset. Id enim materia, materiæque momentum & occasio proposita postulabat.

Sextò, omnem hac de re dubitationem Triden- 1788
tini Concilii Historia sustollit, dum lib. 12. c. 10. narrat, quòd cùm Decretis doctrinam de pœnitentia complexis verba hæc (à nescio quo Compilatore) fuissent adjecta: *illam contritionem, quam Theologi* ATTRITIONEM *vocant, quòd imperfecta sit,* & SOLUM *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, quo servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccati excludat, & dolorem* QUALEMCUMQUE *de commissis delictis exprimat: statuit hæc S. Synodus, & declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verùm etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, ac Spiritûs sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus* (CUM SINE ALIQUO DILECTIONIS IN DEUM MOTU ESSE VIX QUEAT) *viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad gratiam facilius impetrandam disponitur. Laudatus Episcopus* (utique Joannes Æmilianus, Episcopus Tudetanus) *monuit falsò dici, hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse. Quòd autem hæc attritio satis esset Sacramento conferendo, ita ut homini attrito delecantur pec-*

cata absolutionis supervenientis vi, variare Authorum sententias; adeòque id esse tollendum. Quamobrem Decretum, sicut nunc extat, reformatum est, sublatis utique clausulis, quibus attritio solùm ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex servili gehennæ metu concepta, *cum qualicumque de commissis delictis dolore* dicebatur *sufficere* ad Sacramenti hujus constitutionem, quòdque *sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat.* Constat igitur ex tam authentica tanti Historici narratione, servilis attritionis sufficientiam, ob solemnem oppositionem Episcopi Tudetani, & rationem ab ipso allegatam, ex matura Patrum Tridentinorum deliberatione, à S. Synodo solemniter esse sublatam, expunctam, erasam, abolitam, eliminatam. Non vocetenùs tantùm, sed reipsà. Solemnis quippe oppositio Tudetani, & utraque ratio ab ipso allegata (eò quòd utique falsò diceretur, hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse. Et quòd circa sufficientiam illius variarent Authorum sententiæ.) Utraque (inquam) ratio ista, Tudetanique oppositio, rem ipsam spectabat, non vocem dumtaxat.

1789 Nec certè verbalem illius sufficientiæ definitionem Oecumenica illa Synodus, ad præcidendam omnem hac de re controversiam, Catholico Orbi invidisset, si eam reverà definire voluisset. Nec probabile est gravissimo illi Cœtui, in re tanti momenti, unde innumerabilium animarum salus dependet & æternitas, de solo verborum cortice curam fuisse. Nec hoc absque tanti Cœtûs injuria asseri potest.

Mirum quantùm Adversarios cruciat ineluctabile istud argumentum, cujus vim ut qualitercumque effugiant, nescio quæ non commenta confingunt. Dicunt 1°. in forma Decreti delineati propositos fuisse actus necessarios ad Sacramenti constitutionem, atque inter eos Concilium retinuisse timorem, suppressisse amorem, eò quòd Sacramento constituendo non esset necessarius. 2°. à Concilio rejectam non fuisse nudam hanc assertionem: *attritio ex servili timore sufficit in Sacramento*; sed hanc causalem: *ideò sufficit, quia sine aliquo dilectionis in Deum motu esse non potest.*

Sed primum est commentitium: quia licèt in forma illa facta fuerit mentio amoris, tanquam vix separabilis ab attritione ex servili metu concepta; non tamen amoris, tanquam necessarii ad Sacramentum constituendum. Unde nec amoris tanquam Sacramento constituendo necessarii expunctionem Tudetanus postulavit (cùm *in Patrum consessu tenuerit opus esse contritione perfectâ*, prout Eminentiss. Historicus testatur libro illo 12. c. 10.) sed tanquam vix separabilis ab attritione servili. Cùm igitur amor Tudetano Authore suppressus fuerit, suppressus non fuit tanquam Sacramento necessarius, sed tanquam vix separabilis, &c.

Atque hinc manifestè conficitur, etiam secundum esse commentitium: rejecta quippe fuit servilis attritionis sufficientia; quia circa eam variabant Authorum sententiæ. Istius verò attritionis ab amore inseparabilitas vel vix separabilitas rejecta fuit, velut falsò asserta, ut constat ex Historici verbis n. 1788. laudatis. Fucum ergo faciunt, qui dicunt, rejectam à Tridentino hanc assertionem, *requiritur in Sacramento aliquis amor:* cùm necessitatem illius Tudetanus asseruerit, & Melchior Anosmedianus, & Didacus Laynez, & Jacobus Ferrusius, & Bernardus Colloredus; & opinionis negantis in actis Concilii vix vestigium invenerit Pallavicinus.

1790 Sublatâ itaque tam solemniter (ob dictam oppositionem, duplicemque rationem) sufficientiæ servilis attritionis clausulâ, probabile non est in Tridentino Decreto, ut suprà reformato, superesse aliam clausulam, quæ vim habeat eandem, sive quæ eandem sufficientiam equidem declaret definiatque. Neque enim probabile est à Tridentino alterâ manu restitutum, quod unâ tam solemniter est sublatum. Neque Tudetanus se minùs oppositurus fuisset isti clausulæ restituenti, quàm se opposuit clausulæ sufficientiam exprimenti. Et si ratio Tudetani non permisit Patribus in Decreto reformato relinquere clausulam definientem, nec permisit ipsis substituere, vel relinquere clausulam restituentem, sive clausulam quæ vim haberet eandem. Omninò proinde certum est servilis attritionis sufficientiam reformato Tridentini Decreto non esse definitam, vel perspicuè declaratam, seu ex Tridentini doctrina certò confectariam. Unde ejusmodi assertionem damnarunt Illustrissimus Ludovicus Henricus de Gondrin, Archiepiscopus Senonensis in Censura Apologiæ Casuistarum die 7. Septemb. 1658. Aquas de Levy de Vantadour, Archiepiscopus Bituricensis in censura ejusdem 6. Februarii 1659. & novissimè Jacobus Nicolaus Colbert, Archiepiscopus Rothomagensis in Epistola Pastorali 28. Martii 1697.

CAPUT CLIII.

Demonstratur sophisticum & inane esse palmare Argumentum, quo servilis attritionis sufficientiam reformato Tridentini Decreto sess. 14. c. 4. definitam Adversarii prætendunt.

ARgumentum istud petitur ex sequentibus Tri- 1791
dentini verbis ibidem: *Illam autem contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat, cum spe veniæ, declarat S. Synodus, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Istis verbis formidolosæ attritionis in Sacramento sufficientiam apertissimè declaratam prætendit Abellius in sua Theologiæ Medulla. Et quidem verbis adeò perspicuis & expressis (ait in Elucidatione p. 18. 23. 26.) ut à simplicioribus ingeniis intelligi queant. Vel enim doctrina illa Lutherum non ferit, vel formidolosæ attritionis sufficientiam definit.

Verùm perspicua est hallucinatio ipsius. Quam 1792
manifestam facit 1°. solemnis eliminatio prætensæ istius sufficientiæ à Synodo facta, uti n. 1788. & 1789. vidimus.

2°. doctrina Concilii Tridentini sess. 6. c. 6. illi sufficientiæ diametraliter adversa, quâ utique aliquis charitatis actus ad justificationem, etiam sacramentalem, necessarius asseritur, uti vidimus lib. 2.

3°. doctrina viginti Patrum, quindecimque Theologorum Tridentinorum, qui in intelligentia verborum illorum Concilii Tridentini longè oculatiores fuerunt illis simplicioribus ingeniis, sicut & oculatiores Abellio, Pinterello, &c. in illis tamen non intellexerunt dictæ attritionis sufficientiam, à Concilio Tridentino verbis perspicuis & expressis declaratam & definitam. Cùm eam ipsi negaverint, etiam post sess. 14. divinique amoris necessitatem ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ asseruerint, uti videbitur cap.

164. Probabile verò non est Catholicissimos sapientissimosque Patres illos, ac Theologos contradixisse definitioni Concilii Tridentini, cujus Conditores & Promotores fuerunt; contradixisse (inquam) definitioni verbis adeò perspicuis & expressis confectæ, ut à simplicioribus ingeniis intelligi possent. Cui etiam probabile non est contradixisse innumeros magni nominis Theologos, cap. 165. referendos, qui eidem sufficientiæ post Tridentinum apertè contradixerunt, nec prætensam definitionem in allatis Concilii verbis expressè, imò nec implicitè factam viderunt, nec intelligere potuerunt.

4°. Abellianam hallucinationem manifestam facit doctrina primorum Authorum istius sufficientiæ; qui eam non tradiderunt, velut à Tridentino perspicuè declaratam, vel definitam: cùm eam non tradiderint ut certam, sed ut probabilem dumtaxat. Siquidem Melchior Canus (primus parens illius) relect. de pœnit. c. 5. expressè fatetur, eam non esse certam & indubitatam. Lopez etiam, Cani discipulus, in Instructorio conse. c. 1. sibi visus est audacter loqui, cùm eam probabilem dixit: *audeo hanc statuere conclusionem, probabile est*, &c. De eadem sufficientia loquens Dominicus Soto in 4. dist. 19. q. 2. a. 9. *non est* (inquit) *Ecclesiastica definitio.* Confer Suarezium, Sanchezium, & alios ad idem cap. 139. relatos, qui in Concilio Tridentino, seu in allatis verbis illius, non viderunt apertam illam declarationem, seu definitionem verbis perspicuis expressam, quam Pinterellus, Abellius, & Jesuitæ Lovanienses tam præsidenter jactitant. Ex his proinde simul junctis perspicua est ipsorum aberratio à mente Tridentini.

1793 Quam manifestiorem adhuc facit anatomia citati Decreti, in quo se fundant. Quidquid enim in favorem attritionis ibi Tridentinum asserit, ad quatuor principales expressiones reducitur. Quarum prima est, quòd attritio non solùm non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem, econtrà donum Dei sit. Secunda, quòd sit Spiritûs sancti impulsus. Tertia, quòd per eam pœnitens viam sibi ad justitiam parat. Quarta, quòd quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Atqui certissimum est, servilis attritionis sufficientiam nullâ istarum expressionum seorsim asseri. Non utique primâ, nec secundâ, nec tertiâ, nec quartâ. Quia nullâ istarum expressionum quidpiam asseritur, quod de quolibet alio Dei dono, tametsi per se ad justificationem, etiam cum Sacramento, insufficiente non verificetur, v. g. de fide, de spe, de humilitate, de pia cogitatione, de oratione, de devota auditione prædicationis, &c. Istorum namque quodlibet Dei donum est, & Spiritûs sancti impulsus, & viam ad justitiam parat, & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Certissimum proinde est, ne quartâ quidem expressione, quâ Tridentinum asserit, quòd attritio metu concepta disponat peccatorem ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, significari istius attritionis sufficientiam. Cùm non omne Dei donum, disponens ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, ad eam proximè & sufficienter disponat (uti evidenter constat in donis proximè enarratis, neque hoc Tridentinum asserat.

Atque hinc perspicuè etiam innotescit, ne omnibus quidem illis Tridentini expressionibus conjunctim sumptis, servilis attritionis sufficientiam significari, meritòque sophisticum & inane esse argumentum Adversariorum, ex illis expressionibus petitum. Neque enim legitimum & solidum esse potest, nisi hæc universalis sit vera: omne donum Dei, & omnis impulsus Spiritûs sancti est dispositio proxima & sufficiens ad justificationem in Sacramento impetrandam, quo pœnitens viam sibi ad justitiam parat, & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se peccatorem perducere ad justificationem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Nisi enim universalis ista sit vera: ex eo quòd attritio ex metu gehennæ concepta donum Dei sit, & Spiritûs sancti impulsus, &c. inferri non potest ipsam esse dispositionem proximam, & sufficientem ad justificationem in Sacramento impetrandam. Cùm ex puris particularibus nihil sequatur. Atqui certissimum est universalem illam propositionem esse falsam. Igitur certissimum est ex illis Tridentini expressionibus, etiam simul junctis, pro sufficientia servilis attritionis confici non posse argumentum legitimum & solidum, sed sophisticum & inane dumtaxat; vel ex purè particularibus arguendo, vel arguendo à dispositione ut sic, ad dispositionem proximam & sufficientem. Legatur & relegatur Tridentinum. Dicit quidem dictam attritionem disponere; sed non dicit sufficere. Imò sufficientiam à se definitam, vel clarè declaratam esse negavit, dum eam à sua definitione expunctam voluit.

CAPUT CLIII.

Adversariorum instantiæ dissipantur.

INstant nihilominùs Adversarii 1°. Concilium 1794
(inquiunt) plus tribuit servili attritioni Sacramento conjunctæ, quàm separatæ, dum ait quòd quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Plus autem ipsi non tribueret, si non loqueretur de dispositione proxima & sufficiente, sed remota dumtaxat. Cùm etiam separata à Sacramento ad Dei gratiam remotè disponat.

Respondeo nullâ ex quatuor expressionibus n. 1793 relatis Tridentinum plus tribuere attritioni meræ servili in Sacramento, quàm extra, per se & ratione sui. Neque enim dicit, quòd quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ per se perducit; sed mutatâ loquendi formulâ dicit; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Disponit autem, tametsi non perducat. Per consequens non sequitur: disponit, ergo perducit. Nec consequentias à se perperàm deductas ex definitione Concilii Tridentini rationabiliter Socii venditant pro definitione Concilii Tridentini.

Respondeo 2°. dum Concilium addit: *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, dato, non concesso, quòd de dispositione proxima loquatur; non loquitur tamen de dispositione proxima ad gratiam justificantem, sed ad gratiam contritionis seu conversionis. De qua verificatur tota expressionis istius significatio. Verificatur (inquam) ad sensum, quo Catholici Doctores, contra Lutherum scribentes, de servili attritione communiter tunc loquebantur. Nominatim Confessio Catholica Lovaniensis a. 2. *Præparat tamen hic metus ad veram animi contritionem.* Martinus Rithovius in Dictatis anni 1558. *Non est timor vera pœnitentia, sed utilis, & ad contritionem vicinum gradum sternit.* Ita etiam Ecchius l. 1. de Pœnit. c. 1. ubi Luthero concedit, quòd *recordatio legis, & intuitus pœnarum*

non faciunt pœnitentiam... tamen illa faciunt plerumque, ut succedat amor filialis, & ad hoc conducunt & adjuvant, & pro tanto valent ad pœnitentiam parandam. Quam Catholicorum doctrinam quia Lutherus (hæreticâ audaciâ) ausus est erroneam pronuntiare, dicens: *Hæc est illa attritio, quam Catholici vocant attritionem, proximè disponentem ad contritionem. Sic enim ipsi opinantur. Quam opinionem errorem ego judico:* Tridentinum illâ expressione hanc ipsius audaciam & hæresim reprobavit. Et isto sensu Tridentinum intellexit Tridentini Antagonista Kemnitius in exam. Concil. Trid. p. 3. c. 4. *Vide* (inquit) *artificium Tridentinum: Scholasticam illam opinionem de attritione, palàm Pelagianizantem, defendere non audent... tamen... dicunt contritionem, quæ ex agnitione peccati, & gehennæ metu, & impulsu Spiritûs sancti concipitur, & Dei donum est, si conjunctam habeat spem veniæ, & excludat voluntatem peccandi, viam & gradum esse ad conversionem.* In tantum potrò servilis attritio in Sacramento Pœnitentiæ proximè disponit ad gratiam conversionis, seu contritionis, in quantum vim habet ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiciatur charitatis affectio, per quam attritus fiat contritus, uti suprà n. 1784. Tridentinus Historicus observavit. Et quamvis servilis attritio ratione sui majorem ad id vim non habeat in Sacramento, quàm extra; in Sacramento tamen majorem ad id vim habet ratione adminiculi quod habet, in quantum scilicet adjunctam Sacramento habet humilitatem Confessionis, & deprecationem Sacerdotis, uti veteres Theologi observarunt, Alensis, Bonaventura, & ipsemet S. Thomas opusc. 22. ubi ait, Sacerdotem absolutioni præmittere deprecationem, ut impetretur confitenti idoneitas ad suscipiendum effectum Sacramenti.

1796 Instant 2°. verba illa, *ad gratiam in Sacramento impetrandam disponit*, in prima Decreti delineatione (de qua n. 1788.) significabant dispositionem proximam & sufficientem ad gratiam justificantem: eam igitur pariter significant in Decreto reformato, prout nunc extat.

Nego consequentiam: neque enim in prima illa delineatione eam significabant per se, & ratione sui, sed ex adjunctis clausulis; cà præsertim, quâ attritio metu gehennæ concepta, sufficere dicebatur ad Sacramenti hujus constitutionem. Quæ clausula sublata est à Decreto reformato.

1797 Et notandum quòd ratio, propter quam illa attritio, in prima illa delineatione, sufficere dicebatur ad Sacramenti hujus constitutionem; ista fuit: *cùm sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat.* Cujus proinde dilectionis necessitatem Decreti Compilatores excludere non intendebant. At dum oppositi Tudetanus, falsò dici hujusmodi attritionem sine amore vix umquam concipi posse, variareque Authorum sententias circa dictam sufficientiam, facilè inducta fuit S. Synodus ad illius sufficientiæ expunctionem.

1798 Denique quæro ab Adversariis, nùm illa attritio, cujus cum Sacramento sufficientiam Tridentina Synodus non solùm definitam noluit, imò expunctam voluit, adjunctam haberet imperfectam saltem in Deum dilectionem, vel non? Si non, jam ergo fatentur, non esse consequens. Tridentinum in Decreto reformato dicit attritionem ex solo metu conceptam dispoucre: ergo dicit sufficere, sicut dicebat Decretum non reformatum. Si sic: idem à fortiori sequitur. Si enim Tridentinum definire noluit sufficientiam attritionis, ad junctam habentis imperfectam saltem in Deum dilectionem: ergo multò minùs sufficientiam attritionis purè formidolosæ.

1799 Instant 3°. in veteri Decreto dicebatur, attritionem ex solo gehennæ metu conceptam esse impulsum Spiritûs sancti verissimum. In Decreto autem reformato, sublata est vox *verissimum*. Nec tamen ex hoc inferre licet, revera non esse impulsum Spiritûs sancti verissimum. Similiter ergo ex sublatione vocis *sufficere*, inferre non licet revera non sufficere.

Nego iterùm consequentiam. Est enim manifesta disparitas, quòd omissio vocis *verissimum* facta non legatur ob oppositionem alicujus è Patribus Tridentinis, neque eo fine, ut illæsa & intacta relinqueretur varietas hac de re sententiarum inter Catholicos Doctores (uti facta legitur omissio vocis *sufficere*, &c.) sed ideò quòd vox illa foret superflua: cùm hoc ipso quòd attritio dicebatur Spiritûs sancti impulsus, satis intelligeretur id non dici de impulsu falso, sed vero, prout Catholici omnes hactenùs intellexerunt, non obstante vocis istius omissione. Vocem autem *disponit* non omnes hactenùs intellexerunt de dispositione sufficienti, sed in dies magis magisque excrescit numerus celebrium Doctorum id negantium, præsertim ab eo tempore, quo Tridentina Historia solemnèm omissionem seu expunctionem vocis *sufficere* (ob causam memoratam) toti mundo propalavit.

Instant 4°. Tridentinum sess. 14. c. 4. illam 1800
contritionem imperfectam defendit, quam rejiciebat Lutherus. Sed Lutherus rejiciebat attritionem formidolosam. Ergo.

Distinguo majorem: illam contritionem imperfectam in eo defendit, in quo eam Lutherus erroneè rejiciebat, & rejiciendo à Catholicis Doctoribus dissentiebat, concedo. In quo eam Lutherus erroneè non rejiciebat, nec à Catholicis Doctoribus dissentiebat, sed cum ipsis conveniebat, nego. Error verò Lutheri circa imperfectam contritionem, seu attritionem purè formidolosam, non fuit in eo quòd negaret sufficientiam illius ad justificationem in Sacramento impetrandam: in eo quippe cum communissima Catholicorum istius temporis sententia conveniebat, nec à Catholicis (qui contra ipsum disputarunt) in eo umquam erroris insimulatus fuit; sed 1°. in eo quòd negaret timore illo hominem disponi ad veram pœnitentiam, eamque timore concipi (id est inchoari & parari) ut constat ex dictis n. 1795.

2°. in eo quòd negaret, attritionem, ex servili timore conceptam, esse Dei donum, & Spiritûs sancti impulsum, affirmans econtrà esse malam, facereque hypocritam, & magis peccatorem, ut videre est in sermone ipsius de pœnitentia.

3°. in eo quòd art. 4. per Leonem X. condemnato, & in assertione ejusdem, docuerit, imperfectam charitatem impedimento esse ad introitum regni, proter vitium quo imperfecta est.

4°. in eo quòd attritionem, & omne quod facit peccator ante gratiam gratum facientem, asseruerit esse peccatum, nihilque eorum posse ad gratiam præparare: *Ego enim* (inquit in assert. art. 4.) *peccatum asero quidquid ante gratiam fit in homine; tantùm abest ut præparet ad gratiam.* Unde apud Eckium l. 1. de pœnit. c. 1. propositionem hanc Augustini: *bonus est timor, & utilis, &c.* censurat sic: *hoc est, meo judicio, consuetudo desperandi, & odiendi Deum, si excludatur gratia.* Quam censuram Facultas Parisiensis (apud Eckium ibidem) censurat sic: *judicium Lutheri de dicto Augustini, bonus est timor, &c. est falsum, temerarium & impium, accipiendo gratiam pro gratia gratum faciente, sicut eam accipit Scriptor.*

Instant 5°. si Tridentinum nihil definiisset de ista servilis attritionis sufficientia, non tradidisset exactam de Sacramento Pœnitentiæ doctrinam. At exactam tradidit. Cùm haud dubiè satisfecerit promissioni factæ in proœmio sessionis 14. ubi exa-

ctiorem plenioremque de Pœnitentiæ Sacramento instructionem promittit.

Respondeo Tridentinum tradidisse exactam de Pœnitentiæ Sacramento doctrinam, quantùm necesse fuit ad damnandos errores hæreticorum; non quantùm necesse fuit ad terminandas controversias omnes Catholicorum. Neque illud promisit in proœmio, sed illud dumtaxat. Neque certè congregatum fuit ad terminandas controversias Catholicorum inter se, sed ad terminandas controversias Catholicorum cum hæreticis. Et nè ipsi quidem Adversarii sustinere possunt Concilium definiisse omnia & singula, concernentia Pœnitentiæ Sacramentum, quæ Catholici inter se controvertunt, uti perspicuum est in tot articulis etiamnum controversis, v. g. an circumstantiæ notabiliter intra eamdem speciem aggravantes, confitendæ sint, &c.

1802 Instant denique: si Tridentinum formidolosæ attritionis sufficientiam non definisset, torrens Theologorum pro ea stare non cœpisset à tempore Tridentini.

Sed cùm Suarez ipse to. 4. in 3. p. q. 90. disp. 15. testetur, opinionem pro ea stantem antiquam esse, nec multùm communem, nego torrentem Theologorum pro ea stetisse ante tempora Suarez, & Vasquez. Quorum eruditio magna, post illorum tempora, post se multos quidem Theologos traxit; sed hoc factum, partim ex divina providentia, quæ hoc ideò permisit, ut veritas plus ventilata, plus radiaret, diùque exagitata, plus splendesceret. Partim ex eo quòd nec duobus istis eximiis Theologis, nec eorum sequacibus affulserit lux illa magna, quæ Concilii Tridentini Decretis accessit ex actis Concilii Tridentini, quæ ipsa postmodùm ejusdem Concilii Historia divulgavit. Sic tamen divina providentia permisit, ut multi hac in re Theologi deciperentur, ut simul providerit, ut multi semper Theologi, iique magni nominis, pro veritate starent, servilisque attritionis insufficientiam cum tota Antiquitate propugnarent. Quorum numerus post dictam Historiam, Latino idiomate publico datam, adeò crevit, ut opinio contraria jam defierit inter Modernos communior esse, quæ talis videbatur Alexandri VII. tempore. Jam enim major Theologorum pars, cum duabus primariis Christiani Orbis Academiis, Parisiensi & Lovaniensi, innumeris que Cardinalibus, Episcopis, ac præcipuis Doctoribus, opinioni illi valedixit, uti demonstrat ingens eorum Catalogus posteà subjiciendus.

CAPUT CLIV.

Tametsi nihil hac in parte Tridentinum definierit, sive pro una, sive pro altera parte; ex ipso nihilominùs longè efficaciora argumenta depromuntur pro servilis attritionis insufficientia, quàm pro sufficientia.

1803 VAlidissima ex sacris Litteris argumenta pro servilis attritionis insufficientia cap. 143. 144. 145. 146. 147. & 148. protulimus. Validissima item ex Traditione Sanctorum cap. 149. per totum. Superest ut posteaquam invalida prorsus Adversariorum ex Tridentino argumenta demonstravimus, ex ipso validissima nos adversus ipsos argumenta depromamus.

Primum pro insufficientia servilis attritionis argumentum ex sess. 6. c. 6.

1804 ILlud habes solidissimè efficacissimèque deductum lib. 2. cap. 14., ubi ostendimus, in pœnitentia, quam ante Baptismum agi oportet, à Tridentino requiri initialem saltem dilectionem Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, eoque nomine charitatis actum Concilii Patres intellexisse, eumque ultra fidem & spem ideò requisiisse, *quia si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam, & non propter Dei offensam, insructuosa esset.* Quæ omnia ex ipsismet actis Tridentini habes ibidem demonstrata.

Enimverò per dilectionem Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, ibi non intelligi dilectionem concupiscentiæ, quâ Deus non diligatur propter se, sed dilectionem charitatis & benevolentiæ, *est communis mens & sententia Doctorum*, ait Tannerus disp. 6. de pœnit. q. 2. n. 74. Quòdque per eam intelligatur dilectio Dei super omnia, communem Scholasticorum sententiam esse, testatur Stapletonus l. 5. de inhærente justitia Prolegom. 1. pag. 120. ipsaque proprietas verborum Tridentini id significat. Diligere enim Deum tamquam fontem omnis justitiæ, est diligere Deum propter Deum, & secundùm Deum. Cùm Deus secundùm se & per seipsum sit fons omnis justitiæ, diligereque Deum tamquam omnis justitiæ fontem, sit diligere Deum propterea quòd sit fons omnis justitiæ; quod cùm sit per se & secundùm se, est diligere Deum propter se. 1805

Ipsa etiam series, seu ordo verborum Tridentini, ratioque additionis eorum, idipsum apertè designat. Dispositiones quippe ad justificationem, eodem ordine, atque iisdem penè verbis Concilium enarrat, quibus S. Thomas 3. p. q. 85. a. 8. ubi S. Doctor dilectionem, subjunctam timori & spei, exprimit nomine charitatis. Actuum quippe, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, *primum* (inquit) *principium est Dei operatio convertentis cor.... Secundus actus, est motus fidei. Tertius, est motus servilis timoris, quo quis timore supplicium à peccatis retrahitur. Quartus, est motus spei... Quintus, est motus charitatis, quo peccatum alicui displicet secundùm seipsum, & non jam propter supplicia.* Atqui ratio propter quam Tridentini Patres timori & spei addiderunt dilectionem Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, ea fuit, quia addendum censuerunt motum dilectionis, quo peccatum displiceret secundùm seipsum, & propter interesse divinum, & non tantùm propter supplicia, uti constat ex dictis n. 1804. Motus verò dilectionis, quo peccatum displicet secundùm seipsum & propter interesse divinum, & non tantùm propter supplicia, teste Angelico Doctore, est motus charitatis. 1806

Eamdem dilectionem charitatis nomine designat Catechismus Romanus Concilii Tridentini, dum gradus, quibus ad salutarem pœnitentiam perventur, post Tridentinum explicans, post timorem & spem, subjicit charitatem: *Timori* (inquit) *accedit spei impetrandæ à Deo misericordiæ... postremò charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor, probis & ingenuis filiis dignus oritur. Hisce igitur gradibus ad hanc præstantissimam pœnitentiæ virtutem pervenitur.* 1807

Denique dictæ dilectionis nomine charitatem, seu Dei propter se dilectionem intelligi, probat scopus ipse Tridentini, qui est convellere doctrinam hæreticorum, aientium, dilectionem charitatis, seu Dei propter se, peccatoris reconciliationem præcedere non posse. Non convelleret autem, si de charitate, seu Dei propter se dilectione non loqueretur. Cùm iste hæreticorum error de Dei propter se dilectione procedat, nominatim error Philippi Melanchtonis in sua Apologia dicentis, quòd *dilectio non possit adesse, priusquàm fide facta sit reconciliatio, nec possit quis eum diligere, quem iratum videt, & præcipitare velle in gehennam.* Quem errorem hausit ex Luthero, dicente (contra id quod suæ defertionis initio dixerat, *solo amore contritionem à peccatoribus quæri*) *fides, ante spem & charitatem, sola accipit remissionem peccatorum, propter solum Christum, facitque per eumdem personam gratam, ante & absque charitatis merito.* Unde Alphonsus Vi- 1808

vesius, Canariensis Episcopus, in Philippicis suis: *Vestra* (inquit) *Confessio* (*Augustana*) *& Philippi Apologia, contritionem & timorem, tametsi mutato in terrores nomine, exigit ad pœnitentiam. Charitatem verò ab ea prorsus excludit. Rejicitis enim, & inter hæreticos annumeratis, eos qui docent, remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem: aut crassè nimis obliti, aut impiè damnantes, quod Christus ait Luc. 7. dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.*

Hunc itaque errorem confodere voluit Tridentinum. Quod ideò de charitatis dilectione vel ipse Lutheranus Kemnitius intellexit, dum calumniatus est, ordinem in Scripturis monstratum, in descriptione præparationis ad justificationem, à Tridentino inversum: *Quartum* (inquit) *vitium in Decreto Tridentino est, quòd officium proprium fidei, quod est apprehendere Christum ad justitiam & salutem, tribuunt Patres Tridentini nostræ charitati, non fidei: Unde quintum vitium est, quòd fingunt dilectionem Dei in nobis præcedere reconciliationem cum Deo.*

1809 Atque ex his, aliisque loco citato deductis, evidenter corruit Glossa ingeniosi Recentioris in suo Contritionali disp. 5. n. 22. & 34. aientis, ly *diligere incipiunt*, in Decreto illo Tridentini, designare quidem initium dilectionis Dei, tamquam fontis omnis justitiæ; sed initium, seu principium extrinsecum, non intrinsecum; quodque proinde minimè sit dilectio Dei formaliter & intrinsecè, etiam inchoatè, sed causaliter, dispositivè, & extrinsecè dumtaxat. Hoc enim dicere, nihil aliud est, nisi quærere noctem in die, caliginem in sole. Nil aliud, nisi clarissima & perspicua Tridentini verba ad sensum valdè improprium, contra sensum & consensum Doctorum, contra proprietatem & seriem verborum, contra Tridentini scopum allegatum, contra declarationem Patrum Tridentinorum, ex Actis authenticis istius Concilii, ab Eminentissimo Historico expressam, denique contra legitimæ interpretationis regulam detorquere. Deum enimverò intrinsecè diligit, qui verè diligere incipit; nec verè & proprie dicitur incipiens diligere, qui necdum intrinsecè & formaliter diligit, sed ad diligendum disponitur dumtaxat. De qua dispositione Tridentinum in verbis antecedentibus locutum fuerat, dum inter dispositiones ad justificationem recensuerat fidem, timorem, & spem. Quæ cùm sint etiam dispositiones ad formalem dilectionem Dei, tamquam fontis omnis justitiæ: igitur de formali dilectione loquitur, non de dispositiva, dum (post dispositiones illas) ait, *Deumque, tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt.* Loquitur enim de dilectione distincta ab antè recensitis dispositionibus ad illam. Quæ non est nisi ipsamet formalis dilectio. Et sic Doctores hactenùs omnes intellexerunt.

1810 Relegantur verba Historiæ Tridentini Concilii loco citato, ubi Pallavicinus ad ista Tridentini verba: *illumque, tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt*, monet advertendum, *per tenorem Decreti priùs delineati, nullam fieri dilectionis* (formalis utique, neque enim omissa fuerat mentio dispositionis ad illam) *mentionem. Sed Salvatorem Alepium.... Claudium Jajum.... Lippomanum.... & Pium admonuisse, ut aliquis charitatis actus* (& non solùm dispositionis ad illum; utpote cujus mentionem adjici necesse non erat) *insereretur. Cumque id ad omnium Patrum judicium relatum fuerat.... viginti tres ex ipsis disertè illud comprobasse. Idèoque insertum Decreto. Sed postea aliis non probatum* (existimantibus, nomine charitatis, habitum intelligi, non actum, vel saltem charitatis actum sine habituali charitate, adeòque sine gratia justificante non esse) *verùm à Theologis strenuè propugnatum, & per hæc verba retentum: non est sermo eo loco de habitu charitatis; sed cùm in particula, quæ loquitur de pœnitentia, nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide & spe jungere aliquem dilectionis actum. Quia si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantùm, & non propter Dei offensam, infructuosa esset.*

Ex hac igitur grandissima narratione patet 1°. 1811
Glossam supradictam esse contra mentem Patrum Tridentinorum. Ipsis namque visum non esset, ultra fidem & spem, addendum dilectionis actum, si per eum dispositivam dumtaxat dilectionem intellexissent; utpote in fide & spe inclusam.

Patet 2°. iisdem Patribus placuisse, ut *præter actus fidei & spei, aliquis charitatis actus insereretur.* Quod expressè narrat Tridentina Historia. 1812

Patet proinde 3°. charitatis actum intelligi, 1812
cùm dicitur in Decreto, *illumque, tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt.*

In cujus confirmationem Eminentissimus Historicus lib. illo 8. c. 14. narrat, quòd cùm in cap. 7. laudatæ sessionis 6. determinatum esset, quòd peccator justificetur gratiæ & charitatis infusione, de eo mota fuisset controversia, quibusdam *pariter advertentibus, charitatem superiori capite memoratam recenseri sub illius initium, inter illa quæ præparant animum ad justitiam suscipiendam; postea verò tamquam ipsius formam poni. Responderunt Decreti formatores, in primo loco sermonem esse de quodam actu charitatis* (nota) *cùm insit aliqua dilectio in homine, non quidem obtinente, sed exoptante justitiam. At in secundo loco* (numirùm cap. 7. ubi de forma ipsa justificante sermo est) *significari habitum charitatis.*

Patet 4°. dilectionem, quam Tridentini Pa- 1813
tres addendam censuerunt fidei, timori & spei, non esse dilectionem spei nec timoris. Non spei: aliàs ei addenda non fuisset. Non timoris: tum eamdem ob rationem: tum quia dilectio addita est, ne pœnitentia tota esset ex timore.

Patet 5°. eamdem dilectionem non esse dile- 1814
ctionem concupiscentiæ; aliàs spei addenda non fuisset. Cùm dilectio concupiscentiæ supponatur ad spem, propter quam rationem Suarez to. 3. m. 3. disp. 4. sect. 8. ait dilectionem *illam non pertinere ad spem, sed potiùs supponere spem, & post conceptam spem, per eam erigi hominem, & quasi sublimari ad diligendum Deum* (propter seipsum) *nam amor concupiscentiæ non sequitur propriè ex spe, sed ad illam potiùs supponitur.* Hæc dicta sint secundum eos, qui sic de amore spei sentiunt.

Patet 6°. non esse dilectionem propter inte- 1815
resse proprium, sed propter interesse Dei (adeòque propter Deum) si enim pœnitentia tota esset propter interesse proprium, non propter interesse Dei, infructuosa esset.

Patet 7°. de ratione pœnitentiæ, sive extra, 1816
sive intra Sacramentum, esse ut sit propter interesse Dei. Tum quia sess. 6. c. 6. Tridentini Patres agunt de pœnitentia, quam agi oportet ante baptismum. Tum quia id evincit ratio Patrum Tridentinorum: *si pœnitentia tota esset ex timore*, &c. Evincit & titulus cap. 13. libri 8. Historiæ Tridentinæ: *de actu charitatis requisito ad justificationem in Sacramento.*

Patet 8°. pœnitentiam ex dilectione Dei, tan- 1817
quam fontis justitiæ, ex mente Patrum Theologorumque Tridentinorum, esse actum charitatis.

Patet denique 9°. pœnitentiam ob solam pœ- 1818
nam, seu pœnæ timorem, non esse pœnitentiam ob Dei offensam. Cùm hanc illi contraponant Tridentini Patres, illamque, non istam, declarent infructuosam, etiam cum Sacramento.

Argu-

1819 Argumentum proinde primum sub hac forma efficaciter conficitur : ad justificationem in Sacramento baptismi necessaria est saltem initialis dilectio Dei propter se, atque hoc sensu dilectio charitatis, sive contritio ex ea procedens, juxta Tridentinum. Sed non minor, seu non minus perfecta contritio requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, quàm in Sacramento Baptismi. Igitur ea dilectio pariter requiritur in Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT CLV.

Secundum Argumentum ex cap. 7. ejusdem sess. 6.

1820 FAteor in principio & fine istius capitis Tridentinum agere de habitibus, sive de justificatione habituali, & habitibus illam concomitantibus, deque illius causa finali, efficiente, meritoria, instrumentali, & formali. Verùm in medio ejusdem capitis, ad perstringendum errorem Lutheri (aientis, *solam fidem per modum dispositionis justificare*, nec aliam ad hoc dispositionem & cooperationem nostram requiri) docet justificationem fieri *secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*, nec ad hoc sufficere fidem. *Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Quâ ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & otiosam esse. Et in Christo Jesu neque circumcisionem valere aliquid, neque præputium, sed fidem quæ per charitatem operatur* (id est per dilectionem, ut sonat græca vox *agape*, quâ usus est Apostolus.) *Hanc fidem, ex Apostolorum traditione, Catechumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem, vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest. Unde & statim verbum Christi audiunt: si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quibus verbis sermonem esse de actibus, certissimum est. Quia id demonstrat 1°. vox *cooperationem*. 2°. vox *operibus*. 3°. vox *dilectionem*. 4°. vox *operatur*. 5°. præceptum Christi: *serva mandata*, quæ certè de actibus sunt, non de habitibus.

1821 Igitur certissimum est, Tridentinum loqui de charitate actuali, cùm ait : *fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Id enim contextus verborum patenter indigitat. Eâ quippe ratione dicit, fidem, sine spe, & charitate, non unire perfectè cum Christo, quâ ratione dicit, *fidem sine operibus mortuam esse. Et in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem quæ per dilectionem operatur.* Quæ de actibus dici, ipsa verborum significatio exprimit.

1822 Nec minùs certum est, de charitate actuali Concilium dicere, *fides sine spe & charitate vitam æternam præstare non potest.* Uti etiam contextus allatus apertè demonstrat, errorque Lutheri, tam istis, quàm prioribus Tridentini verbis confossus, confirmat. Illis enim verbis rejicitur sententia Lutheri de sola fide, sine operibus, seu spei, seu charitatis, justificante. Siquidem Lutherus in cap. 2. epist. ad Galatas : *Hoc* (inquiebat) *Sophistæ cæci non intelligunt; ideò somniant, fidem non justificare, nisi faciat opera charitatis.* Et in cap. 4. ejusdem epist. *Error & impietas est, asserere, fidem infusam non justificare, nisi ornata sit operibus charitatis.* Quem errorem Tridentinum sic redarguit : unusquisque justificatur secundùm propriam dispositionem & cooperationem, & non secundùm solam fidem. Quia fides, nisi ad eam accedat cooperatio spei & charitatis, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus membrum efficit. Verissimè enim dicitur, fidem sine operibus mortuam & otiosam esse. Et in Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem quæ per charitatem operatur. Quam fidem Catechumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem, vitam æternam præstantem : quæ profectò est fides per charitatem operans. Quia fides sine observatione mandatorum vitam æternam præstare non potest, nec proinde sine spe & charitate mandatorum custodiam operante. Quomodò intellectum Tridentini argumentum, contra Lutheri errorem efficacissimè concludit. Non concluderet autem, sed inane foret, hoc modo intellectum : *Verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam esse. Ergo fides, nisi ad eam accedant habitus spei & charitatis, non unit perfectè cum Christo*, &c. Item : *fides sine mandatorum observantia vitam æternam præstare non potest. Ergo fides sine habitibus spei & charitatis, vitam æternam præstare non potest.* De actibus enim seu operibus sermo est in antecedente. De iisdem ergo sermo esse debet in consequente, ut argumentum concludat contra errorem hæreticorum, non negantium necessitatem habituum, sed actuum, seu operum spei & charitatis, ad justificationem.

Unde ex capite illo septimo, sessionis sextæ, 1823
duplex eruitur argumentum, utrumque efficacissimum: *fides, nisi ad eam spes accedat & charitas (id est spei & charitatis opera) neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Quia fides sine dictis operibus mortua est. Idem ergo de servili attritione dicendum.

Item : *fides sine spe & charitate actuali vitam æ-* 1824
ternam præstare non potest. Ergo nec attritio, omni charitatis actu destituta.

CAPUT CLVI.

Argumentum tertium ex sess. 14. c. 1. ubi pœnitentia declaratur necessaria ad justificationem, etiam cum Sacramento.

DIcitur enim : *Fuit quidem pœnitentia universis* 1825
hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore, ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ, & emendatâ, tantam Dei offensionem, cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Igitur vera de peccato pœnitentia à Tridentino requiritur ad justificationem, etiam cum Sacramento.

Atqui vera de peccato pœnitentia non est, 1826
quæ est propter pœnam tantum, non propter Dei offensam, solùmque est ex motivo proprii interesse, non divini. 1°. quia cor verè pœnitens non est nisi *cor contritum & humiliatum*, de quo Psal. 50. Sic enim expressè Tridentinum sess. 6. c. 14. *Docendum est Christiani hominis pœnitentiâ... contineri non modò cessationem à peccato, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum; verùm etiam*, &c. Atqui solum cor pœnitens propter Dei offensam, & propter interesse divinum, non propter solam pœnam, & propter interesse proprium, est cor contritum, de quo Ps. 50. prout Sancti omnes hactenus intellexerunt. Enimverò verba ista, *cor contritum*, significant cor pœnitens ex amore Dei propter se. Quod & amplius significant verba ista ejusdem Psalmi : *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*, uti videbit quisquis ea conferet cum verbis filii prodigi : *Pater peccavi in cœlum, & coram te.* Nec certè quisquam Psalmistæ tempore justificari potuit, absque Dei propter se amore.

2°. Tridentinum eo loco declarat, de ea se 1827
pœnitentia loqui, de qua scriptum est, *quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* 2. Cor. 7. Atqui hæc tristitia *ex Dei charitate descendit*, ait Cassianus de spiritu just. l. 9. c. 11. *Secundum Deum* quippe *tristi-*

tia ea est, quæ ex neglecto mandato Dei dolore afficitur, ait Basilius Magnus ad interrogat. 192. Et, ut sanctus Thomas ait ad citatum Apostoli locum, *tristitia & gaudium.... ex amore causatur: tristatur enim quis, quando caret eo quod amat. Qualis autem amor, talis est tristitia ex amore causata. Est autem duplex* amor, *unus quo diligitur Deus, & ex hoc causatur tristitia, quæ est secundùm Deum. Alius amor est quo amatur sæculum, & ex hoc causatur tristitia sæculi. Amor quo diligimus Deum, facit nos libenter servire Deo, sollicitè quærere honorem Dei. Et ideò quia peccando impedimur à servitio Dei... nec ejus honorem quærimus, ideò amor Dei causat tristitiam de peccato. Et hæc est tristitia secundùm Deum.* Vide suprà num. 758.

1828 3°. Tridentinum ibi quoque declarat se agere de pœnitentia, de qua Propheta ait: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* De ratione igitur veræ pœnitentiæ, quam Tridentinum necessariam dicit ad justificationem, etiam sacramentalem, est vera animi ad Deum conversio. Cujus ratio est, quia *offensa peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa à Deo, per conversionem ad aliquod bonum commutabile* (ait S. Thomas 3. p. q. 86. a. 2.) *unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quòd voluntas hominis sic commutetur, ut convertatur ad Deum, cum detestatione conversionis prædictæ.* Atqui per solum timorem gehennæ animus non convertitur ad Deum. Tum quia per *timorem* gehennæ *homo non movetur in Deum, sed in pœnas*, ait S. Thomas q. 28. vertt. a. 4. ad 3. Cujus rationem dat 2. 2. q. 19. a. 11. *quia motus timoris est per modum fugæ* (siquidem *fuga animi timor est*, inquit Augustinus tr. 46. in Joan.) Qui autem fugit aliquem, non vertit illi faciem, sed dorsum. Proinde non movetur, nec convertitur ad ipsum. Cùm converti, seu vertere se ad aliquem, sit illi vertere faciem, non dorsum. Tum quia vera cordis ad Deum conversio sine Dei amore nec esse, nec concipi potest. Neque enim cor se vertit vel convertit ad aliquod objectum, nisi per amorem, teste Augustino, qui dicit l. 13. Confess. c. 9. *Amor meus, pondus meum; illo feror, quòcumque feror.* Neque ad veram animi ad Deum conversionem sufficit amor concupiscentiæ, quo Deus non diligatur propter se, sed propter nos. Ut enim optimè Rusbrockius lib. 3. c. 6. qui Deum, non propter Deum, sed solùm propter seipsos diligunt, id est *propter temporalia, vel æterna bona, quæ sui dumtaxat boni & utilitatis gratiâ expetunt.... sese pro scopo habent....; & finaliter ad seipsos reflectuntur & convertuntur.* Ad id enim finaliter convertuntur & reflectuntur, in quo amor ipsorum finaliter conquiescit. Finaliter autem conquiescit in fine suo, sive objecto propter se, & gratiâ sui amato. Qui autem Deum, non propter Deum, sed propter seipsos diligunt, non Deum, sed seipsos propter se & gratiâ sui diligunt. Seipsos ergo habent pro fine amoris sui, & in ipsis amor ipsorum finaliter conquiescit, non in Deo. Ad seipsos proinde, non ad Deum finaliter reflectuntur & convertuntur. Et ideò *nec timor* (inquit Bernardus) *nec amor privatus convertit animas; sed sola charitas, quæ non quærit quæ sua sunt.* Ideò etiam Author libri de ver. & falf. pœnit. dicit, quòd *convertitur, qui totus & omninò vertitur, qui non tantùm pœnas timet, sed ad bonum Deum contendere festinat.*

1829 4°. pœnitentia, de qua Tridentinum sessione illâ 14. c. 1. illa est, per quam peccatores, *qui se mortali aliquo peccato inquinarunt, per verstitate abjectâ, tantam Dei offensionem, cum peccati odio, & pio animi dolore detestantur.* Sic namque eam Tridentinum describit ibidem.

Ergo est pœnitentia, per quam peccatores mortale peccatum detestantur, de eoque dolent, quatenùs Dei offensa est. Idcò namque Tridentini Patres mortale peccatum expressérunt cum addita formalitate *offensionis Dei*, ad significandum, quòd ad pœnitentiam, de qua ibi, non sufficiat detestari & odisse peccatum sub quacumque formalitate, sed necesse sit illud odisse formaliter ut Dei offensio est. Formalitatem quippe illam frustrà non addiderunt, pœnitentiamque omnibus intra & extra Sacramentum necessariam (ut communis est ad perfectam & imperfectam) sufficienter descripsisse censendi sunt; non secùs ac contritionem, ut communis est, &c. Insufficientem verò mancamque descriptionem tradidissent, si motivum necessarium illius prætermisissent. Non prætermiserunt ergo. Aliud verò motivum non designarunt, nisi dictam formalitatem. Igitur eam designarunt tamquam motivum, sub quo pœnitentia (omnibus necessaria) odisse & detestari debet mortale peccatum. Igitur vera pœnitentia (omnibus necessaria intra & extra Sacramentum) ex mente Tridentini, peccatum odit & detestatur, quatenùs Dei offensio est. Idque esse de jure naturæ meritò docent Sotus in 4. dist. 4 d. 6. q. 1. a. 7. Et lib. 2. de nat. & grat. c. 13. Vega l. 13. in Trid. c. 17. Viguerius in Institut. tit. de contrit. Morinus de pœnitentia l. 1. c. 12. Catechismus Rom. p. 2. de Sacram. Pœnit. n. 41. Elleque de ratione pœnitentiæ, docet Angelicus Doctor 3. p. q. 85. a. 2. his verbis: *Manifestum est quòd in pœnitentia invenitur specialis ratio actûs laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.* Et a. 3 *Pœnitentia.... dolet de peccato, in quantum est Dei offensa.* Unde ibidem a. 1. in corpore dicit, in dæmonibus & damnatis veram esse non posse pœnitentiam: *eo quòd non potest eis displicere peccatum, in quantum est culpa; sed solùm eis displicet pœna quam patiuntur.* Et ad 1. *quòd nec Antiochus verè pœnituit: dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei. Itaque necessarium est dolere de peccatis, quia offensa Dei sunt* (ait Vega l. 13. in Trid. c. 23.) *Et hoc est quod possimùs nobis debet esse amarum in peccatis nostris. Et donec in tantam perfectionem noster excreverit dolor, quantuscumque ille sit, & quàcumque aliâ ratione habeatur, nunquam perfectus erit, nec sufficiens ad reconciliandum nos Deo. Quâ enim fronte* (inquit c. 17.) *Dei gratiam quis ambiat... si non ante omnia acerbum & amarum ei sit, ipsum reliquisse, in ipsum peccasse, ipsique perfidum & ingratum extitisse*, sed gehennalis ignis reatum incurrisse? Similiter Petrus Soto in Instruct. Sacerd. lect. 14. *Quamdiù non detestamur peccatum, quia contrarium bonitati divinæ, reverentiæ, & honori, atque obedientiæ, nondum est tuta pœnitentia.* Utpote quæ *est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit*, prout eam definit Ambrosius relatus cap. *ecce nunc* de pœnit. dist. 1. & post Ambrosium, Magister, Hugo, & Richardus de S. Victore, Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, S. Thomas Villanovanus, Adrianus VI. & Veteres passim. Proinde esse debet dolor ac detestatio de peccatis, in quantum sunt offensa Dei, ita ut mala ipsa in Deum commissa sint motivum doloris. Id namque significat *pro malis, quæ quisque commisit.* Eademque fuit sententia Patrum Tridentinorum, qui propterea dixerunt, quòd *si dolor esset propter pœnam, & non propter Dei offensam*, tunc pœnitentia *esset infructuosa.* Atqui dolere de peccatis, illaque odisse ac detestari, in quantum offensa Dei sunt, vel actus est charitatis, vel non est sine illo, prout demonstravimus lib. 2. cap. 14. n. 194. sententiamque

tiamque esse omnium Vasquez & Becanus testantur ibidem.

1830 De peccato ergo non dolet, in quantum offensa Dei est, quisquis de eo dolet ob solum metum inferni, tamquam motivum unicum & adæquatum. Quisquis enim de peccato dolet, in quantum offensa Dei est, pro motivo habet ipsam Dei offensam, non solam inferni pœnam, quam peccando promeruit, & non solùm habet in dolendo rationem ejus quod contra se est, sed & maximè ejus quod contra Deum est, denique non solùm dolet quia pœnæ reatum incurrit, sed quia peccavit. Quisquis autem de peccato dolet ob solam pœnam, tamquam motivum unicum & adæquatum, solam in dolendo rationem habet ejus quod contra se est, non ejus quod contra Deum est; nec dolet quia peccavit, sed quia pœnæ reatum peccando incurrit. Quandoquidem motivum doloris ipsius non sit peccatum ipsum secundùm se, sed solus effectus peccati. Per consequens propriè non dolet de peccato, sed de effectu peccati, pœna utique; sicut nec propriè peccatum odit, sed peccati pœnam, nec propriè timet peccare, sed ardere, uti proximè videbitur.

1831 5°. vera pœnitentia, quam Tridentinum verbis suprà relatis sess. 14. requirit, & describit, importat verum & propriè dictum odium peccati. Ait enim: *cum peccati odio.* Atqui verum ac propriè dictum peccati odium, odium est peccati secundùm se, & propter se. Neque verè ac propriè peccatum odit, qui illud secundùm se ac propter se non odit, sed propter aliud, propter pœnam utique quam inducit, timoremque illius. Propriè quippe odisse aliquid, est illud odisse secundùm se, & propter se; quemadmodùm propriè amare aliquid, est illud amare secundùm se, & propter se. *Nec enim ego ullarum rerum vocandam puto cupiditatem* (ait August. l. 1. Soliloq. c. 11.) *quæ propter aliud requiruntur.* Et c. 13. *quod non propter se amatur, non amatur.* Et lib. 83. qq. q. 34. *Si propter alia.... amor amatur, non rectè amor dicitur. Nihil enim aliud est amare, quàm propter seipsam rem aliquam appetere.* Ne ipsâ quidem phrasi Scripturæ simpliciter amari dicitur, nisi quod diligitur per modum finis, sive propter se. Cùm solo isto sensu 1. Joan. 2. mundi prohibeatur dilectio: *nolite diligere mundum.* Et hinc rursum Augustinus homil. 38. inter 50. *Si propterea proximum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale, non illum amas, sed illud quod præstat.* Similiter Julian. Pomer. l. 3. de vit. contempl. c. 25. *Qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum convincitur amare, sed commodum.* Et Bernardus lib. de dilig. Deo c. 7. *Quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit, non per quod tendit.* Simili ergo ratione quidquid odio non habetur propter se, sed propter aliud, propriè & simpliciter loquendo, odio non habetur. Neque enim hominem propriè & simpliciter odisse censetur, qui ipsum non odit propter se, sed propter aliud, v. g. propter vitia. Peccatum proinde propriè ac simpliciter odisse non censetur, qui illud odio non habet propter se, sed propter aliud, utique propter pœnam. De odio quippe sicut de amore philosophandum, & sicut philosophari solemus de timore. De quo Augustinus epist. 144. *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.*

1832 Illud ergo solum est verum, propriéque ac simpliciter dictum peccati odium, quo peccatum secundùm se & propter se odio habetur. Jam verò odium, quo peccatum secundùm se & propter se odio habetur, non est sine Dei propter se amore. Omne quippe odium ex amore causatur, juxta S. Thomam 1. 2. q. 18. a. 6. ad 3. & q. 29. a. 2. in corp. eò quòd utique tota ratio odiendi sit contrarietas quâ res odio habita contrariatur bono quod amatur. Unde *necesse est*, inquit sanctus Doctor, *quòd amor sit prius odio, & quòd nihil odio habeatur, nisi hoc quod contrariatur convenienti*, id est bono, *quod amatur.* In tantum ergo peccatum, quà peccatum, odio habetur, verè & propriè loquendo, in quantum ut sic contrariatur bono quod verè & propriè amatur. Atqui peccatum, quà peccatum, contrariatur justitiæ, seu legi æternæ & increatæ; definitur enim *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* In tantum ergo ut sic odio habetur, verè ac propriè loquendo, in quantum contrariatur justitiæ, seu legi æternæ & increatæ, quæ verè ac propriè, adeòque propter se amatur. Ergo verum ac propriè dictum odium peccati, in quantum peccati, non est sine amore Dei propter se: cùm non sit sine vero ac propriè dicto amore æternæ atque increatæ legis ac justitiæ, quæ Deus est. Unde Augustinus epist. 144. citatâ, *tantùm quisque peccatum odit, quantùm justitiam diligit*; justitiam utique increatam, cui peccatum non contrariatur, consideratum præcisè quà inductivum gehennæ (cùm justitia, seu lex æterna, velit peccatum esse illius inductivum) sed ut sic solùm contrariatur incolumitati hominis, seu immunitati à gehenna, quam proinde solam peccator tunc verè & propriè amat, solam secundùm se ac propriè diligit. Per consequens à primo ad ultimum, solus ille peccatum, quà peccatum, secundùm se ac propter se odit, qui justitiam, seu legem æternam & increatam, secundùm se ac propter se diligit.

6°. vera pœnitentia, de qua Tridentinum loco citato, non est sine pio animi dolore de Deo offenso. Dicit enim, quòd per eam peccator *tantam Dei offensionem, cum peccati odio, & pio animi dolore detestetur.* Sed pius animi dolor de Deo offenso procedere non potest ex solo servili timore gehennæ, sed ex benevolo Dei amore. Tum quia pius animi dolor de Deo offenso, est pius animi in Deum offensum affectus. Pius verò animi in Deum offensum affectus, habet rationem Dei offensi, seu mali divini, & non solùm mali proprii. Tum quia servilis timor esse non potest motivum proximum & immediatum pii in Deum affectûs, sed remotum dumtaxat, mediatum, & isagogicum, seu introductorium, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 7. & ideò à D. Basilio in Pl. 32. vocatur *Isagogicus ad pietatem*, in quantum videlicet introducit charitatem, sicut seta filum. Nam, ut Augustinus dicit epist. 120. c. 18. *pietas cultus Dei est, nec colitur nisi amando.* 1833

7°. veræ pœnitentiæ, à Tridentino descriptæ, proprius actus est, operari ad destructionem peccati, ex motivo reparandi jus Dei, læsum per peccatum, uti docet S. Thomas 3. p. q. 75. a. 2. Proprius proinde actus ipsius est, pro illata Deo per mortale peccatum injuria Deo satisfacere. Ad istam quippe satisfactionem peccator jure naturali tenetur. Atqui peccator pro illata Deo per mortale peccatum injuria satisfacere nequit absque Dei propter se dilectione. Cùm satisfacere nequeat, nisi restituendo quod iniquè sustulit. Per amoris verò sui perversitatem Deo iniquè sustulit, & in creaturam transtulit amoris principatum, creaturam Creatori in amore præferendo. Tenetur ergo amoris principatum Deo restituere, Creatorem creaturæ in amore præferendo, Deumque proinde propter se super omnia diligendo. 1834

CAPUT CLVII.

Ingeniosi Recentioris ad superiora argumenta responsiones profligantur.

1835 REcentior ille fatetur superiora argumenta efficaciter urgeri adversus assertores attritionis purè formidolosæ ; sed negat eorum efficaciam adversus opinionem, quâ ipse putat, necessarium esse quòd peccator de peccatis à se commissis doleat , in quantum sunt offensa Dei , id est in quantum sunt violatio juris , seu legis Dei ; sed ad hoc negat requiri veri nominis charitatem, sumptam pro Dei propter se amore : sufficere enim putat amorem justitiæ, seu legis divinæ, vel etiam charitatem transcendentalem , de qua proximè.

Quippe dum gravissimis urgetur authoritatibus sanctorum Doctorum, Patrumque Tridentinorum, dolorem de peccatis, in quantum offensa Dei sunt , tribuentium charitati; earum vim effugere conatur, terminis antehac inusitatis , singulariter à se adinventis , charitatem dividendo, non in generalem ac specialem , uti nos, & plerique alii , quarum utraque verè sit amor Dei propter se; sed in prædicamentalem & transcendentalem , quarum illa sit amor Dei propter divinam bonitatem , ista amor Dei vel propter quodcumque aliud prædicatum , seu attributum divinum, vel etiam amor justitiæ & honestatis in communi , vel amor legis Dei, vel obedientiæ Deo debitæ , seu juris quod Deus habet ut sibi in suis præceptis obediatur. Ita ille partim in suo de pœnitentia tractatu , partim variis in Opusculis, quos contra Lupum & Farvacquium edidit. De illo proinde amore justitiæ glossat sanctos Doctores, v. g. Augustinum, dicentem, *tantùm quisque peccatum odit, quantùm justitiam diligit.* Ait enim Augustinum per justitiæ dilectionem non intelligere dilectionem charitatis (prædicamentalis utique) imò nec dilectionem justitiæ increatæ.

1836 Verum enimverò quia in gravissimo isto salutis animarum negotio, atque æternitatis periculo, veremur, ne effugia ista, singularesque cogitationes meræ sint illusiones, propterea tutum non arbitrantes cum ipso singulariter philosophari, cum SS. Doctoribus, & Patribus Tridentinis constanter asserimus, dolorem de peccatis, in quantum offensa Dei sunt , non esse sine veri nominis charitate, saltem generaliter dictâ , quæ tamen verè sit dilectio Dei propter se, sive interim sit dilectio Dei propter divinam bonitatem , sive propter increatam Dei legem ac justitiam peccata prohibentem : cùm enim lex & justitia increata Deus sit , amor Dei propter illam , amor est Dei propter se, atque hoc sensu veri nominis charitas amplè sumpta.

1837 Enimverò peccatum est *dictum , factum , vel concupitum contra legem* æternam, adeòque increatam. Igitur dolere de peccato, in quantum peccatum & offensa Dei est, est dolere de peccato, in quantum est contra legem Dei æternam, & increatam. Atqui dolere de peccato, in quantum est contra legem Dei æternam & increatam , est dolere de peccato, in quantum est contra Deum (lex quippe æterna & increata, Deus est , non aliquid à Deo distinctum;) dolere verò de peccato, in quantum est contra Deum, est dolere de peccato, in quantum est malum Dei. Quemadmodùm ergo gaudere de bono Dei, in quantum est bonum Dei, sive quia est bonum Dei, pertinet ad veri nominis charitatem, saltem generaliter dictam ; sic dolere de malo Dei, seu peccato, in quantum est malum Dei , pertinet ad veri nominis charitatem. Ad eandem quippe virtutem pertinet , dolere de malo Dei , in quantum malum est Dei, ad quam pertinet gaudere de bono Dei, in quantum bonum est Dei , juxta illud S. Thomæ q. 7. de malo a. 11. ad 3. *ejusdem rationis*, ejusdem proinde virtutis *est quòd voluntas feratur in appetitum unius contrarii, & in detestationem alterius.* Et 1. 2. q. 117. a. 5. ad 1. *ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositum, & respuere aliud.*

Quod tanto certius est in dolore & detestatione 1838
peccati, quantò verius quod addit ibidem a. 7. ad 184
2. *propter hoc homo detestatur peccatum, quia est contra Deum , cui vult adhærere.* Quod haud dubiè pertinet *ad veri nominis charitatem.* Propterea namque S. Doctor 3. p. q. 85. a. 2. ad 1. ait, quòd *displicentia peccati præteriti immediatè ad charitatem pertinet.* Ad charitatem utique veri nominis , prout contextus manifestum facit. Loquitur enim de charitate , ut specialis est virtus , *aliat virtutes ordinans ad finem suum*, aitque, quòd *displicentia de peccatis præteritis immediatè pertinet ad charitatem, sicut gaudere de bonis præteritis.* Qui actus *non requirit* (inquit) *aliam virtutem præter charitatem* , à qua derivatur *sicut actus ab elicitut ... sicut diligere bonum , gaudere de eo , & tristari de oppositio.* Similiter a. 3. ad 4. ait quòd *odium vitiorum pertinet ad charitatem.* Tametsi enim *sit directè species justitiæ*, comprehendit tamen ea quæ pertinent ad alias virtutes. In quantum enim est *justitia quædam hominis ad Deum , oportet quòd* 184
participet ea quæ sunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro objecto. Unde pœnitentia est cum fide... & cum spe veniæ , & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. Ubi profectò æquè sermo est de veri nominis charitate, quàm de veri nominis fide & spe , sicut & de veri nominis timore filiali in verbis immediatè sequentibus : *sextus actus est motus timoris filialis , quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.* Maximè cùm ibidem addat, *quòd actus pœnitentiæ ... procedit à timore filiali, sicut ab immediato & proximo principio.* Et ad 1. *quòd peccatum... homini displicere... propter Dei offensam , pertinet ad charitatem*, non ad timorem servilem, ad quem pertinet displicentia de peccato *propter supplicia.*

Veri itaque nominis charitatem SS. Doctores 1839
intelligunt, dum aiunt, dolorem de peccato, in quantum offensa Dei est , ad charitatem pertinere. De eadem quoque, non de amore justitiæ creatæ, Augustinus loquitur , dum ait epist. 144. *tantùm quisque peccatum odit , quantùm justitiam diligit.* Cùm ipse etiam Augustini contextus id perspicuè indigitet. Siquidem immediatè post sequitur in Augustino : *quod non poterit lege terrente per litteram , sed spiritu sanante per gratiam*, id est non per spiritum timoris, amorisve mercenarii, sed per spiritum amoris filialis & charitatis, quæ est gratia novi Testamenti, secundùm Augustinum. Unde quam proximè vocavit *justitiæ dilectionem* , paucis post lineis vocat *charitatem justitiæ, charitatem Christi , charitatem Dei, charitatem quâ verissimè lex impletur. Charitatem, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Charitatem, quâ inflammatus fortissimus ille justitiæ dilector exclamat : Quis nos separabit à charitate Christi?* Quibus expressionibus certum est veri nominis charitatem, seu justitiæ increatæ propter se dilectionem significari, non solam dilectionem justitiæ creatæ, vel justitiæ ut communis est ad creatam & increatam. Nec minùs evidenter idipsum ratio demonstrat: ideò namque , secundùm Augustinum , propriè peccatum non odit, nisi qui justitiæ dilectione ipsum odit, quia omne cujusvis mali odium , propriè dictum, oritur ex propriè dicto amore boni oppositi. Nihil quippe primò & per se odisse possumus, sed necesse est quodcumque cujuscumque mali odium, sicut & quemcumque alium voluntatis affectum

in amore fundari, ex eoque procedere. Odium quippe est recessus voluntatis ab eo quod apprehenditur disconveniens, vel contrarium aut inimicum ei, cujus amore afficimur. Recessus itaque à malo per odium fit accedendo ad bonum oppositum per amorem.

1840 Atqui bonum oppositum peccato, in quantum malum & offensa Dei est, non est justitia creata præcisè, nec justitia ut communis est creatæ & increatæ; sed est justitia ipsa increata & æterna, prout constat ex Augustiniana peccati definitione suprà allata. Igitur odium propriè dictum peccati, quà talis, sive quatenùs malum & offensa Dei est, fit accedendo ad justitiam, seu legem æternam & increatam per amorem propriè dictum, atque adeò per amorem propriè dictum justitiæ, seu legis æternæ & increatæ; cujus amor propriè dictus non est nisi amor ipsius secundùm se, & propter se, ut suprà vidimus.

CAPUT CLVIII.

Argumentum quartum ex sessione 14. c. 4. ex definitione utique contritionis in genere, quam Concilium ibi tradit.

1841 IBi namque contritio in genere, sive ut communis est ad perfectam & imperfectam, definitur, *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Quæ definitio cùm censeri nequeat manca & defectuosa, in ea Tridentini Patres, ut suprà me dixisse memini, censeri nequeunt omisisse motivum essentiale ex quo contritio procedere debet. Aliud verò motivum illius non designant, nisi peccatum ipsum. Ly proinde *de peccato commisso*, ista in definitione accipiendum est de peccato formaliter ut peccatum est, uti sapienter observat Sylvius q. 1. Supplem. a. 7. Enimverò Catholici Doctores usque ad Concilium Tridentinum, cum S. Thoma, definitionem illam sic semper intellexerunt, uti constat ex supradictis. Et ratio sumitur ex recepta Dialecticorum regula, secundùm quam termini significantes interiorem animi motum faciunt sensum formalem (nisi ad sensum materialem per terminum aliquem adjacentem restringantur) in eoque accipi faciunt terminum quem afficiunt. Neque enim propriè dicitur, *detestor* impium, cognosco hominem, nisi sensus sit formalis, impium quà impius est, hominem quà homo est. Cùm igitur termini isti, *animi dolor ac detestatio de peccato commisso*, in Tridentina definitione, significent interiorem animi motum, nec per terminum ullum adjacentem ad sensum materialem restringantur, formaliter accipiendi sunt, de peccato utique quà peccatum est, sive quatenùs Dei malum & offensa est. Per consequens verè non conteritur, sive perfectè, sive imperfectè, nisi qui dolet detestaturque peccatum commissum quà peccatum est, nisi qui dolet quia peccavit, nisi qui dolet quia Deum offendit, nisi qui dolet quia contra Deum, sive contra Dei legem fecit; quod est dolere ex motivo charitatis, uti demonstratum est capite præcedenti.

CAPUT CLIX.

Argumentum quintum, ex eo quòd Tridentinum ibidem exigat propositum non peccandi de cætero, *sive* novæ vitæ propositum.

1842 IN allata quippe definitione Tridentinum dicit: *cum proposito non peccandi de cætero.* Et infrà: *Declarat S. Synodus, hanc contritionem, non solùm cessationem à peccato, & novæ vitæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Quibus verbis haud dubiè intelligit propositum efficax divina servandi mandata, vitamque piam & Christianam instituendi. Atqui *propositum istud servandi mandata divina, dilectio Dei super omnia esse videtur, aut certè non esse sine illa*, ut rectè observat Vega l. 6. in Tridentinum c. 32.

Primò, quia quisquis omnia Dei mandata ser- 1843
vare efficaciter proponit, proponit omnia potiùs mala perferre, quàm illis contravenire. Igitur Deum super omnia æstimat, & illum omnibus anteponit.

Secundò, propositum istud haud dubiè bona est 1844
voluntas, bonique cupiditas. Hæc autem ipsa est charitas, secundùm Augustinum l. 12. de Civit. Dei c. 9. Et l. 14. c. 3. ubi sic: in Scripturis *bona voluntas usitatiùs charitas appellatur.* Et l. 2. ad Bonifacium c. 9. *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* In Psal. 36. *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas.* Et alibi sæpè: *bona voluntas ipsa est charitas*, veri utique nominis, prout ex Augustini contextibus to. 1. demonstravimus.

Tertiò, vitæ novæ seu rectæ inchoatio, à Tri- 1845
dentino requisita, est quâ homo incipit benè vivere, seu bonum benè facere. Quamdiù verò solo timore pœnæ, non amore justitiæ, fit bonum, *nondum benè fit bonum*, ait Augustinus loco citato ad Bonifac. *Quidquid* enim *se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fit benè.* Idem l. 6. de grat. & lib. arb. c. 18.

Quartò, propositum illud est actus virtutis, 1846
cùm virtus Augustino l... de lib. arb. cap. 12. nihil aliud sit quam *voluntas, quâ appetimus rectè honestèque vivere.* Sine Dei verò propter se amore non habetur actus virtutis debitè circumstantionatus, circumstantiâ utique debiti finis ultimi, uti pluribus argumentis to. 1. à nobis est demonstratum.

Quintò, propositum illud est voluntas efficax 1847
sectandi legem æternam. Atqui voluntas sectandi legem æternam, sine istius legis amore non habetur. Neque enim voluntas sectari vult nisi quod amat, secundùm illud Augustini in epist. ad Galat. *sectabimur quod dilexerimus.*

Sextò, quisquis rectè vivere vult, vitam rec- 1848
tam amat, sive, ut Augustinus loquitur, rectè vivere diligit. At *qui rectè vivere diligit, amat hanc legem æternam, habetque charissimam.* Evodius Augustino l. 1. de lib. arb. c. 15.

Septimò, propositum servandi divina manda- 1849
ta, si efficax sit, uti secundùm Tridentinum haud dubiè esse debet, est propositum efficax servandi primum maximumque mandatum. Quisquis verò efficaciter proponit servare primum maximumque mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, efficaciter reipsà Deum ex toto corde, adeòque super omnia diligit. Siquidem voluntas, in actibus suis elicitis impediri non potest, sed mox ut eos efficaciter vult, eos jam reipsà habet. Quia, uti rursum Augustinus l. 8. Confess. c. 8. ait, *ibi facultas ea, quæ voluntas; & ipsum velle, jam facere est.* Dum enim Dei super omnia dilectionem imperat voluntas, & non est quod imperat, *non utique plena imperat, ideò non est quod imperat. Nam si plena esset... jam esset quod imperat.* Enimverò nihil voluntas nisi amore vult. Amat ergo, si plenè amare vult. Isto namque sensu Gregorius homil. 30. in Evang. dicit, quòd *qui mente integrâ* (nota ly *integrâ*, id est plenâ) *Deum desiderat, profectò jam habet quem amat.*

Octavò, propositum istud est voluntas efficax 1850
omnem peccati affectum, seu voluntatem ex toto excludendi, ipsamque de facto excludit; quod fieri non potest solo timore inferni, absque amore Dei, uti proximè videbitur.

CAPUT CLX.

Argumentum sextum, ex eo quòd Tridentinum eâdem sess. 14. c. 4. postulet ad contritionem, etiam imperfectam, quæ attritio dicitur, ut voluntatem peccandi excludat: *Ad quod Dei propter se amor, seu charitas, saltem generaliter accepta, juxta doctrinam Sanctorum requiritur.*

1851 QUisquis diligenter subtiliterque perpenderit verba ista Tridentini: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam... ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat... donum Dei esse... quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat*: mirabitur adversarios tam confidenter asserere, ibi mentionem esse de attritione purè formidolosa, nullum Dei amorem propter se includente. Quòd enim nulla ibi amoris mentio fiat, ideò est, quia Concilium ibi differentiam statuit inter contritionem perfectam, imperfectamque. Quæ differentia in eo non est, quòd Dei propter se amor in perfecta includatur, non in imperfecta (cùm de mente Tridentini, in utraque includi, superiora probent argumenta) sed in eo quòd imperfecta, seu attritio, *ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipiatur*: ex quo concipi non solet perfecta. Et non dicit Concilium, quòd imperfecta ex illo metu, vel ex turpitudinis peccati consideratione, tamquam motivo specifico, essentialiter concipiatur. Si enim Concilium id censuisset, non dixisset, quòd inde *communiter*, sed necessariò conciperetur. Rursus non dicit, quòd imperfecta ex *solo illo metu* concipiatur. Imò, cùm in prima Decreti delineatione Compilator dixisset, quòd *solùm vel ex turpitudine peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur*, vocem illam *solùm*, expunctam Patres voluerunt (uti Eminentiss. Historicus testatur) sicut & clausulam, *qui servilis timor dicitur*, ut significarent, se non agere de attritione merè servili, & formidolosa.

1852 Ad quod ampliùs significandum dixerunt, quòd attritio *ex gehennæ metu concipiatur*, non quòd eo motivo *perficiatur vel generetur*. Ut enim Alensis observat in Sum. p. 4. q. 12. de pœnit. m. 3. a. 1. *pœnitentia timore concipitur*, non generatur: *quia non concipitur in suo esse completo, sed in sui præparatione, sicut homo concipi dicitur in sua materia rudi*. Et rursus: *etsi non habeatur pœnitentia cum timore servili, nihilominùs concipitur à timore hujusmodi. Quia aliud est dicere pœnitentiam concipi, aliud pœnitentiam haberi. Pœnitentiam autem in pœnitente concipi, est ad... gratiam pœnitentiæ, sive virtutem seipsum præparare*. Similiter D. Bonaventura in 4. dist. 14. q. 2. *pœnitentia dicitur timore concipi potiùs quàm generari: quia pœnitentiæ virtus concipitur per dispositionem suscipiendi eam*. At verò *generare est efficientis, & principii effectivi; sed concipere... receptivi. Ex hoc patet, quòd pœnitentia concipitur timore servili: Nec est inconveniens: quia conceptio ista non est per productionem in esse, sed per dispositionem, & præparationem. Et ideò non oportet, quòd pœnitentia fit cum timore servili, sed sufficit, quòd timor præparet ad pœnitentiam*. Ideò ergo Tridentini Patres dixerunt, attritionem timore *concipi*, id est dispositivè inchoari, non *formari, & perfici*. Nec frustrà censendi sunt illo potius, quàm isto vocabulo usi. Quoniam aptius erat ad confingendum errorem Lutheri, qui (apud Eckium l. 1. de pœnit. c. 1.) negavit *timore pœnitentiam concipi, id est inchoari, seu parari, peccatoremque timore ad pœnitentiam disponi*. Ecce quot præcautionibus usi sunt Patres Tridentini, ne quis suspicaretur, ab ipsis firmari opinionem, attritionis purè servilis sufficientiam astruentem.

Quam etiam sufficientiam ne viderentur definisse, præter tot illas præcautiones, aliam insuper adhibuerunt: cùm enim Compilator, in eadem delineatione, posuisset descriptam ibi attritionem, ideò *sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*, quòd *sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat*; hoc autem falsum esse Tudetanus Antistes monuisset. *Quòd autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, variare Authorum sententiæ; adeòque id esse tolerandum*. Hanc ob causam Tridentini Patres sufficientiam illam expunctam voluerunt; sufficientiam (inquam) attritionis, quæ dicebatur *sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix posse*. Multò ergo magis expuncta est sufficientia attritionis merè servilis, absque ullo interventu divini amoris. 1853

Quam proinde per reformatum Tridentini Decretum certò definitam asserere, certò errare est. Quod [præter hactenùs dicta] Trident. Historic. perspicuum esse dicit *ex ipsa probatione Concilii, quâ hujus articuli doctrinam firmat c. 4. Nimirùm Ninivitarum pœnitentiam, ex timore profectam, ipsis profuisse: cùm certum esset, eo tempore, quo Sacram. Pœnit. adhuc non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minimè sufficisse per seipsam ad peccatum delendum, sed vim tantùm habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjuveretur charitatis affectus, quem omnes necessarium fuisse fatentur ante novam legem, ad justitiam recipiendam*. 1854

Id verò ampliùs liquet ex eo, quòd attritio, de qua Concilium eodem capite 4. excludere debeat omnem peccandi voluntatem. Juxta doctrinam verò Sanctorum (quam Tridentina Synodus sibi proponit, velut unum ex fundamentis suarum decisionum) solo timore gehennæ, absque ullo interventu amoris Dei propter se, excludi nequit omnis voluntas peccandi. 1855

Id enim uno ore Sancti Patres contestantur. Ambrosius l. 7. in Luc. *qui metuit, reprimitur, non emendatur*. Emendaretur autem, si omnem peccati affectum metus excluderet. 1856

Augustinus l. 2. contra adverss. Leg. & Proph. c. 7. *desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*. Et infrà: peccatum, seu peccati affectus *non extinguitur per jubentem litteram timore pœnæ, sed per juvantem spiritum dilectione justitiæ*: Epist. 144. *inaniter putat se victorem esse peccati, qui timore pœnæ non peccat: quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intùs est hostis*. Hunc ergo hostem pœnæ timor intùs relinquit, cupiditatem utique, quæ (ut Augustinus prosequitur) *quantùm in se est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem, atque punientem... Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum*, secundùm se, *sicut gehennas odit. Tantùm porrò quisque peccatum odit*, secundùm se, *quantùm justitiam diligit. Quod non poterit Lege terrente per literam, sed spiritu sanante per gratiam*. De spir. & lit. c. 8. *timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ, ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere*. De nat. & grat. c. 57. *qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, quia mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat*. L. 2. ad Bonifac. c. 9. *quando timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè*. In Psal. 77. *ex cor-*

de nullo modo fieri potest (nota benè omnimodam impossibilitatem, *nullo modo fieri potest*) *quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ.* Ex corde igitur nullo modo penitùs ejici potest affectus ad peccatum formidine pœnæ, sine amore justitiæ. Conc. 25. in Psal. 118. *qui timore pœnæ, non amore justitiæ, opus legis facit, profectò invitus facit.*

1858 Prosper Sent. 117. *qui timendo facit, serviliter facit, nec est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est, non juberi.* Et rursum: *qui timore non peccat... abstinent ab opere malo, suâ tamen reus est voluntate.*

1859 Gregorius Magn. l. 1. Moral. c. 23. *S. Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis viam timore inchoat, sed charitate consummat. Cui tunc fundìtùs est à malo recedere, cùm ex amore cœperit jam nolle peccare: cùm verò timore adhuc bona agit, à malo penitùs non recessit.*

1860 Isidorus l. 2. de sum. bon. c. 21. *aliud est non peccare amore dilectionis Dei... aliud timore supplicii. Qui enim amore charitatis Dei non peccat, horrescit omne malum, amplectendo justitiæ bonum; nec eum delectat malum, etiamsi sceleris impunitas promittatur. Qui verò solâ pœnâ supplicii in se vitia reprimit, quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi.*

1861 Anselmus in c. 8. ad Rom. *qui timore supplicii, non amore sanctitatis observabat legem, vellet utique non esse quod timeret, ut impunè ei legem præterire liceret, ac per hoc, licèt ipsam legem actibus impleret, & in oculis hominum justus appareret, in oculis tamen interni inspectoris erat injustus: quia quod foris in opere demonstrabat, intus in voluntate non habebat.*

1862 Bernardus epist. 11. *sola charitas est, quæ ab amore sui, & mundi, avertere possit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus, convertit animam. Mutat interdùm vultum, vel actum, affectum nunquam.*

1863 Laurent. Justinian. tr. de timore c. 5. *timor servilis est, quo quis timet peccare propter pœnam principaliter* [qualiter timet, qui nullo alio motivo à peccato abstinet, quàm timore pœnæ] *sed inaniter putat se esse victorem peccati, qui timore pœnæ non peccat. Quia etsi non impletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intùs est hostis. Nam dum adhuc à prava actione formidanda pœna prohibet, profectò formidantis animum nulla spiritûs libertas tenet.*

1864 S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 6. docet ea, quæ ex solo metu fiunt esse involuntaria in se, & secundùm se. Et a. 7. ad 2. *in eo qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, secundùm quod in se consideratur... Et ideo quod per metum agitur, quodammodò est involuntarium... quia timidus agit contra id quod, etiam nunc, secundùm se vult.* Retinet ergo affectum, saltem habitualem ad ipsum, secundùm se consideratum. Et q. 107. a. 1. ad 2. *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum, quia qui timore pœnæ* [etiam æternæ, quam lex vetus etiam comminabatur] *ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet à peccato.* Et 2. 2. q. 19. a. 9. *timor servilis... potest habere annexam voluntatem peccandi.* Ergo positivè non excludit voluntatem peccandi, etiam actualem. Eam quippe positivè excludere, est per actum contrarium excludere. *Hoc autem non dicit simplicem negationem peccati* (ait S. Doctor in 4. dist. 14. in expos. text.) *quia qui intermittit peccati actum, non dicitur à peccato cessare; sed cessare à peccato, peccatique* affectum positivè excludere, *propriè dicitur, cui peccatum* secundùm se *displicet, & peccatum dimittere* simpliciter *intendit, & hæc est vera pœnitentia.* De tali proinde exclusione loquitur Tridentinum suprà.

1865 S. Bonaventura in spec. anim. c. 3. *timor servilis semper cum mortali peccato est, cùm quis dimittit facere peccatum propter pœnam*, non propter dilectionem. Quod haud dubiè subintelligit. Agit enim de timore servili, quo *quis ut servus, dimittit malum facere, non propter dilectionem, sed propter pœnæ timorem.* Et in 3. dist. 34 q. 1. n. 59. loquens de timore inferni, *propter illum timorem* (inquit) *cessat homo à peccatorum perpetratione, licèt non omninò cesset à voluntate.*

Allata tamen Sanctorum testimonia (quæ per- 1866
peràm à nonnullis gloriantur de timore servili, serviliter sumpto, quo serviliter timens actu vel virtute dicit, *peccarem, si gehenna non esset*: cùm gloria ista fundamentum non habeat in textu ipsorum, & rationes Sanctorum procedant etiam de timente serviliter, id non dicente actu, vel virtute, sed habitu dumtaxat, ut videbitur c. seq.) non sic accipienda sunt, quasi servili gehennæ metu ab opere peccati abstinens, semper haberet actualem, vel virtualem voluntatem peccandi, si gehenna non esset. Quia licèt voluntatem istam annexam habere possit, ut S. Thomas ait; semper tamen annexam non habet actu, nec virtute, sed plerumque in habitu vel radice dumtaxat, uti S. Bonaventura observat loco proximè relato n. 65. dicens, quòd cum illo metu, si non proficiat ad amorem, *voluntas peccandi manet in habitu & radice.* Ita etiam insignis fidei Catholicæ adversus hæreticos defensor J. Driedo l. de capt. & redempt. gen. hum. c. 2. ubi dicit, quòd timor divini judicii subinde cohibet non solum manum ab opere, uti timor pœnæ comminatæ ab humano Judice, sed & malam cupiditatem, ne intus in actum prodeat. Addit tamen primo, *utroque in timente vivere quamdam peccandi voluntatem, quemadmodùm demonstravit D. Augustinus.* Secundò quòd *spiritus malignus in timente divinum judicium latenter adhuc vivit*, quòdque, *quemadmodùm docet D. Augustinus, latenter in eo vivit quædam peccandi voluntas, propterea quod nondum sit justitiæ amicus...: proinde talis, adhuc carnalis, vellet sibi licitum frui creaturâ; & non esse ullam justitiam prohibentem, aut punientem peccata.* Tertiò *apud eos qui solo servili metu solius pœnæ obediunt præceptis, abstinentes ab illicitis, neque esse curam pudoris, neque honestatis, virtutisque & castitatis amorem, eosque timore reprimi, non emendari.* Proximè tamen dicta explicans, dicit, quòd *is qui solo metu gehennæ ignis coërcet se ab opere malo, præceptum quidem odit, secundùm amorem quemdam habitualem, seu radicem intus latentem, nondum renovatus spiritu amoris justitiæ, sed non semper odium est in actu.*

Cæterum voluntas illa peccandi, si effet im- 1867
punitas, non vitiat timorem: quia non provenit ex timore, sed ex præexistente affectu ad peccatum secundùm se. Quem quia solus gehennæ timor plenè excludere nequit, sed solus amor Dei propter se; tamdiù manet, saltem in habitu, quamdiù per affectum contrarium positivè exclusus, & debitè retractatus non fuerit.

Legi omninò meretur Illustriss. Pater Le Drou, in eruditissimo libro de Contrit. & Attrit. dissert. 2. per totum, ubi argumenta à nobis proposita ex S. Augustino, Gregorio, Bernardo, S. Thoma, S. Bonaventura, &c. plurimùm illustrat, invaliditasque esse demonstrat contradicentium ad ea responsiones, & objectiones. Quod & facit dissert. 4. c. 4. §. 6.

CAPUT CLXI.

Doctrina illa Sanctorum ratione multiplici illustratur & roboratur.

1868 VAldè observanda est doctrina Sanctorum, c. præcedenti exhibita; utpote ex qua manifestè concludi videtur insufficientia attritionis purè for-

midolosæ ad justificationem in Sacramento Pœnit. Ad eam quippe Tridentinum necesse esse docet, ut contritio vel attritio, voluntatem peccandi excludat. Eam verò penitùs excludere nequit, nisi penitùs excludatur, sufficienterque retractetur præexistens affectus ad peccatum secundùm se. Utpote qui tamdiù latenter vivit, & moraliter manet, saltem in habitu & radice, quamdiù positivè non excluditur, nec retractatur per affectum contrarium. Nec verò Concilium loquitur de exclusione merè negativa, per solam cessationem à voluntate actuali peccandi (quomodò quælibet vehemens cogitatio alterius rei disparatæ actualem peccandi voluntatem excludit) sed de exclusione positiva per contrarietatem & repugnantiam cum illa. Quia per hanc solam excluditur voluntas habitualis peccandi : sine cujus exclusione nemo potest justificari. Sola etiam exclusio positiva, est exclusio propriè dicta (de qua Trident. haud dubiè intelligendum est) cùm negativa potiùs sit non inclusio, quàm exclusio; nec hostis à mœnibus (propriè loquendo) excl usus censeatur per non introitum in mœnia, sed per prohibitionem introitûs & repulsam, ob quam non potuerit intrare. Quamobrem, *etsi contingat quem habere dolorem, & non habere actualem voluntatem peccandi, si tamen dolor talis non est, ut ex se repugnet simul esse cum tali voluntate, reverà non est dolor qui excludit illam voluntatem, sed aliunde contingit illâ carere*, inquit Suarez disp. 20. de Sacram. Pœnit. sect. 4. Ita etiam Tannerus disp. 4. de pœnit. q. 6. dub. 4. n. 84. Reginaldus de prudentia Confess. sect. c. 4. Et ante ipsos S. Thomas suprà n. 1864.

Igitur ad propositum accedentes, Sanctorum doctrinam multiplici ratione, ex ipsorum sententiis desumptâ, illustremus.

1869 Prima itaque ratio, propter quam attritio ex solo servili metu gehennæ penitùs excludere nequit præexistentem affectum ad peccatum, secundùm se sumptum, neque efficere, ut affectus ille moraliter non remaneat, saltem habitualiter, est quia affectus ille tamdiù non excluditur, sed moraliter remanet, saltem habitualiter, quamdiù non retractatur per affectum contrarium. Neque enim aliter fit retractatio, positivaque exclusio, ut proximè vidimus. Unde August. suprà, *desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio*, &c. Atqui dolor, sive displicentia ex solo servili gehennæ metu, non est affectus contrarius affectui & complacentiæ erga peccatum secundùm se. Neque enim volitio & nolitio, amor & odium, complacentia & displicentia erga eamdem rem, quocumque modo spectatam, invicem contrariantur, sed volitio & nolitio, amor & odium, complacentia & displicentia erga eamdem rem, eodem modo spectatam, ut notum est ex Dialecticis legibus oppositorum & contrariorum. Sola proinde nolitio, solum odium, sola displicentia peccati, secundùm se spectati, contrariantur volitioni, amori, & complacentiæ peccati secundùm se spectati. Atqui nolitio, odium & displicentia peccati ex solo servili metu inferni, non est nolitio, odium & displicentia peccati secundùm se, sed secundùm quod est inductivum inferni dumtaxat. Neque enim perculsus timore inferni, sine alio adjuncto motivo, aliter considerat peccatum, quàm ut inferni inductivum. Quæ ratio, seu consideratio alia est, seu diversa à ratione peccati se, eundùm se. Imò est naturâ posterior, cùm unumquodque prius naturâ consideretur in ordine ad se, quàm in ordine ad effectum extrinsecum. Infernus verò, seu pœna inferni, sine alio motivo, est effectus extrinsecus peccati, secundùm se considerati. Igitur nolitio, odium & displicentia peccati, ex solo servili timore inferni, sine alio motivo, non est nolitio, odium & displicentia peccati secundùm se, sed secundum rationem naturâ posteriorem. Ergo non contrariatur volitioni, amori & complacentiæ peccati secundùm se. Ergo volitionem, amorem & complacentiam istam non excludit, neque excludere potest, sed solus amor divinæ legis secundùm se, cui peccatum secundùm se contrariatur, utpote *dictum, factum, & concupitum contra divinam legem*. Verissimè ergo Augustinus: *desiderium peccandi non extinguitur, nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*. Quæ verba sententiis suis inseruit S. Prosper.

Secunda ratio (quâ illustratur, roboraturque prior) sumitur ex S. Thoma 1. 2. q. 6. ubi ex Philosopho, & Gregorio Nysseno, vel (ut aliis placet) Nemesio, ait, ea quæ purè ex metu fiunt, *sic mixta esse ex voluntario, & involuntario*, ut tametsi voluntaria sint, spectatis omnibus circumstantiis occurrentibus, spectato utique malo effectu, quo timetur; sint tamen involuntaria, in se, & secundùm se, si præextiterit affectus erga rem (quæ metu abjicitur) secundùm se consideratam. Quæ etiam doctrina est Damasceni l. 2. orthod. fid. c. 2. Theologorumque, & Philosophorum communiter. Ex ea verò manifestum est, quòd volitio abjiciendi rem, spectato præcisè malo effectu, qui ex non abjectione timetur, non magis contrarietur nolitioni abjiciendi eam, secundùm se spectatam, quàm voluntarium illud contrarium sit involuntario, cui admiscetur. Ac per consequens, quòd volitio abjiciendi peccatum, spectato præcisè effectu, qui ex non abjectione timetur, non magis sit volitio abjiciendi peccatum secundùm se, quàm voluntarium illud sit abjectio istius involuntarii. 1870

Tertia ratio hoc modo conficitur. Quandocumque aliquid secundùm se amatum, abjicitur ex solo timore mali extrinseci, & nulla alia ex causa, non abjicitur ille amor præexistens erga rem secundùm se, sed manet, saltem in habituali dispositione voluntatis, prout docet S. Thomas ibidem a. 2. ad 2. probatque ex differentia inter id quod ex solo timore, & id quod ex concupiscentia fit: siquidem *in eo qui per metum aliquid agit* (sine alio motivo) *manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur secundùm quod in se consideratur* (manet ergo amor ipsius secundùm se : cùm repugnantia illa non sit effectus timoris, sed amoris præexistentis) *sed in eo, qui aliquid agit per concupiscentiam ... non manet prior voluntas, quâ repudiabat quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id quod priùs repudiabat. Et ideò quod per metum agitur, quodammodò est involuntarium* (ratione manentis affectûs erga rem secundùm se spectatam) *sed quod per concupiscentiam agitur, nullo modo. Nam incontinens concupiscentiæ agit contra id quod priùs proponebat*; *non autem contra id quod nunc vult. Sed timens agit contra id quod secundùm se vult*. Manifestum est ergo, quòd amor, & voluntas rei secundùm se, juxta S. Doctorem, manet in timente, agenteque, vel abjiciente aliquid ex solo timore. Sic Mercator ex solo naufragii metu abjiciens merces secundùm se amatas, non abjicit, sed retinet amorem istum mercium secundùm se, tametsi ingruente tempestate, ex timore eas abjicere velit, spectatas ut inductivas naufragii. 1871

Ecce igitur doctrina à Sanctis generaliter, & absque exceptione tradita : quam profectò absque exceptione non tradidissent, nisi generaliter veram censuissent. Generaliter verum ergo censuerunt, & generaliter procedere probat ratio S. Thomæ. Quid igitur ad eam adversarii? 1872

Vident suam de servilis attritionis sufficientia doctrinam per eam susque deque subverti. Ideò dicunt 1°. eam solùm procedere in actionibus, quæ sic ex metu fiunt, ut nullam habeant bonitatem, & amabilitatem, nisi medii ad vitandum malum quod timetur, ut in casu illo projectionis mercium. 1873

Verùm per hoc non evadunt : quid enim refert, quòd id quod metu fit, habeat vel non habeat aliam istam bonitatem, vel amabilitatem, si equidem a-

lia ista bonitas, amabilitasque hîc & nunc non magis moveat agentem ex solo metu, quàm si non esset? Atqui hîc & nunc non magis movet timentem, quàm si non esset, dum hîc & nunc non agit ex motivo ipsius, sed ex solo motivo timoris mali extrinseci. In quo proinde casu bonitas illa, amabilitasque hîc & nunc merè per accidens, & materialiter, vel concomitanter se habet, nullo modo formaliter.

1874 2°. dicunt, in casu metûs naufragii, mirum non esse, quòd prior affectus erga merces, secundùm se spectatas, per naufragii metum non abjiciatur: cùm ad naufragium vitandum necesse non sit abjici affectum illum, sed merces dumtaxat. Ad infernum verò vitandum, non solùm peccatum abjiciendum est, sed & affectus ad peccatum, secundùm se sumptum.

Sed neque sic evadunt, neque hoc dictum obstat generalitati Angelicæ doctrinæ. Sit enim, vel non sit necesse, abjici affectum erga peccatum, secundùm se spectatum, ad vitandum infernum, equidem affectus ille nunquam abjicitur, nisi per affectum contrarium, ut docent Sancti, demonstrantque rationes allegatæ. Nunquam proinde per solum timorem mali extrinseci, etiam inferni, sine alio motivo: quia nolitio peccati ex solo motivo timoris inferni, non contrariatur volitioni peccati secundùm se, ut suprà vidimus. Nec peccator, qui peccatum odit & aversatur ex solo isto motivo, illud odit & aversatur secundùm se, & propter se (ut etiam sanctus Thomas ait citato a. 6. ad 1. *in id quod per metum agitur, motus voluntatis fertur, non propter seipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum quod timetur*) solùm proinde odit & aversatur illud, quatenùs inductivum inferni. Et sic inconcussa manet asserta veritas, quòd sola nolitio, displicentia, odium, & aversio peccati secundùm se, & propter se, contrarietur affectui & complacentiæ ad peccatum secundùm se. Quod licèt suprà satis sit demonstratum, amplius demonstratur in simili, ex iis, quæ de voluntate salutis hominum antecedente, & consequente, Theologi docent, cum S. Thoma 1. p. q. 10. a. 1. q. 28. verit. a. 3. Et in 1. dist. 17. q. 1. a. 1. & 2. Quemadmodùm enim voluntas antecedens salvandi reprobos, quæ fertur in eorum salutem, secundùm se spectatam, non contrariatur voluntati consequenti ipsos damnandi, quæ fertur in eorum damnationem, spectatis omnibus circumstantiis: ideòque voluntas antecedens salutis non excluditur per voluntatem consequentem damnationis ipsorum. Sic voluntas antecedens peccandi, quâ peccatum placet secundùm se, non contrariatur voluntati consequenti non peccandi, quâ peccatum displicet secundùm suas circumstantias, seu malum effectum extrinsecum, cujus est inductivum: ideòque voluntas illa antecedens peccandi non excluditur per voluntatem consequentem non peccandi.

1875 Quarta ratio est: quia quisquis non recedit à voluntate peccandi, nisi cum aliqua displicentia, coactione, & involuntarietate, ex toto non recedit à voluntate peccandi, nec recedere potest: cùm displicentia, coactio, & involuntarietas ista provenire nequeat, nisi ex residua complacentia, affectuque (saltem habituali) ad peccatum secundùm se: quâ complacentiâ superstite, ex toto excludi non potest voluntas peccandi. At quisquis non recedit à voluntate peccandi, nisi ex puro puto timore inferni, absque alio motivo, ab ea non recedit, nisi cum aliqua displicentia, coactione, & involuntarietate. Quandoquidem omne quod ex puro metu fit, contra præexistentem affectum erga rem secundùm se, mixtum sit ex voluntario, & involuntario, ut suprà dictum est, confirmatque Augustinus l. de spir. & lit. c. 31. dum ait, quòd licèt metu aliquid faciens, *voluntate facit: tamen, quia mallet aliud, ideò invitus, id est nolens facere dicitur: malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens evitare, vel à se removere, facit quod cogitur. ... sed tamen non facit nisi volens.* Et in epist. epist. ad Galat. *timore ista implere cogebantur.* Hæc porrò *coactio fit ex hoc, quòd timetur aliquod* 1877 *periculum imminens* (ait S. Thomas in 4. dist. 29. q. 1.) *ideò ista vis idem est quod metus, qui voluntatem cogit quodammodò*, dum compellit ad abjiciendum aliquid secundùm se priùs amatum. Eò quòd ad id compellat contra præexistentem istum amorem, adeòque contra propriam inclinationem, quâ mallet non esse malum, cujus timore compellitur ad istud abjiciendum: quodque abjicere nollet, si timor abesset. Ideò ergo quod per metum agitur, in se, & secundùm se consideratum, *non est voluntarium*, sed involuntarium, remanetque affectus ad illud, secundùm se, *sub conditione, si talis metus non immineret*, ait S. Doctor ad 3. Quæ omnia in servili timore inferni procedere censent SS. Doctores dum suprà aiunt, solo inferni timore à peccatis abstinentes, malle, si fieri posset, non esse quod timent, invitos à peccato recedere, in ipsis remanere voluntatem peccandi, si possent impunè, &c.

Quinta ratio est: quia amor peccati, verè & 1878 propriè dictus, non extinguitur, nisi contrario odio peccati, verè & propriè dicto, ut ex dictis constat. Sed peccatum verè & propriè non odit, qui illud secundùm se, & propter se non odit, sed secundùm aliud, & propter aliud dumtaxat, v. g. propter gehennam, uti demonstravimus cap. 156. argum. 5. Peccatum verò secundùm se, & propter se, verè & propriè non odit, nisi qui justitiam, sive Deum, verè & propriè, id est propter se diligit. In tantum enim quisque peccatum verè & propriè odit, in quantum bonum ipsi oppositum verè & propriè diligit. Bonum verò oppositum peccato, secundùm se consideratum, est justitia, seu lex æterna, sive Deus illud prohibens. *In tantum* proinde *quisque peccatum odit, in quantum justitiam diligit*, ut Augustinus dicit epist. 144. Per consequens verè & propriè non odit peccatum, qui peccatum non odit secundùm se, & propter se, sed propter gehennam tantùm. Solus ergo ille peccatum verè & propriè odit, qui ex justitiæ & legis increatæ, seu Dei propter se amore illud odit. Quia solus amator dictæ justitiæ, seu Dei propter se, peccatum odit secundùm se, & propter se. Vide dicta loco citato.

Sexta ratio est: quia solus timor servilis inferni, 1879 ex propria essentialique ratione sua nullam habet contrarietatem repugnantiamque cum propria & essentiali ratione voluntatis mortaliter peccandi: solus ergo servilis timor inferni per se formaliter non repugnat voluntati mortaliter peccandi. Consequentia perspicua est: solum quippe illud per se formaliter repugnat dictæ voluntati, quod ei repugnat ex ratione propria & essentiali. Probatur antecedens, quia propria & essentialis ratio voluntatis formaliter peccandi sita est in eo quòd peccator Deo, amicitiæque divinæ, creaturam voluntariè præferat, eandemque amicitiam, propter eandem creaturam, interpretativè saltem contemnat; cui voluntati sola illa voluntas ex propria essentialique ratione sua contrariatur, quæ ex propria essentialique ratione sua, Deum amicitiamque divinam, omni creaturæ præfert, & super omnem creaturam æstimat; quod sola charitas, non solus timor gehennæ facit.

Septima ratio: quemadmodùm sola virtus per 1880 se formaliter opponitur vitio, sola honestas inhonestati, sola justitia injustitiæ; sic solus amor virtutis, honestatis & justitiæ secundùm se, per se formaliter opponitur amori peccati, inhonestatis & injustitiæ secundùm se. At ubi solus timor in-

ferni, ibi nullus amor, imò nec consideratio virtutis, nec honestatis, nec justitiæ secundùm se.

1881 Octava ratio: voluntas peccandi positivè non excluditur, nisi excludatur voluntaria aversio à Deo. Hæc autem positivè non excluditur, nisi per contrariam conversionem ad Deum. Ad quem nemo convertitur solo servili metu gehennæ. Cùm converti ad Deum ex dictis c. 145. sit amare Deum. Quod non fit solo illo servili timore. Nam si adhuc propter pœnas *times Deum, nondum amas, quem sic times*, inquit Augustinus tr. 9. in epist. Joan. Et in Concilio Tridentino, cùm in prima Decreti delineatione Compilator dixisset: attritionem ex solo servili timore gehennæ, *sine amore vix concipi posse*, Episcopus Tudetanus admonuit, falsò id dici. Ideòque expunctum est. Enimverò quodcumque sit ex solo servili timore pœnæ, sit ex solo sui propter se amore. *Qui autem se propter se diligit, non se refert*, nec proinde convertit *ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur.* Augustinus de doctr. Christ. c. 5.

Et confirmatur, quia se ad Deum non convertit, nisi qui in Deum tendit ut objectum prosecutionis (cùm conversio, actus sit prosecutionis, oppositus fugæ) nullus verò tendens in Deum ex solo servili gehennæ timore, in Deum tendit ut objectum prosecutionis, sed ut objectum fugæ. Non enim tendit in Deum ut objectum amabile, sed ut terribile; neque ut bonum delectabile, vel utile, vel honestum, sed ut principium inflictivum terribilis pœnæ. Quomodò Deus objectum est terribile, non amabile; objectum fugæ, non prosecutionis.

1882 Nona ratio: timor purè servilis unicè oritur ex amore sui propter se. Atqui amor sui propter se positivè excludere nequit voluntatem omnem peccandi: Tum quia defectuosus & inordinatus: tametsi enim detur amor sui in substantia bonus, & sine vitio; quisquis tamen se propter se ultimatè diligit, *cum defectu aliquo se fruitur*, ait Augustinus loco citato. Non ergo sine vitio: quia dilectionem non refert in Deum, in quem omnis proximi, & nostri dilectio finaliter referri debet, uti docet l. 2. doct. Christ. cap. 7. Unde serm. 214. de temp. *se* (inquit) *in se diligere, & sibi placere, non est justitiæ charitas, sed superbiæ vanitas.* Tum quia amor sui propter se, ibi sistendo, unicè *quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.* Atqui per amorem unicè quærentem quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, voluntas peccandi penitùs excludi nequit: cùm amor iste non averteretur peccatum, nisi quatenùs deliciis, commodis, & quieti nostræ contrarium, non quatenùs divinæ justitiæ adversum, vel Dei inhonorativum. Nequit igitur penitùs excludere voluntatem peccati, quatenùs est divinæ justitiæ adversum, Deique inhonorativum, sed voluntatem patiendi dumtaxat. Tum denique quia tali amore peccator seipsum intensissimè amare potest, & nihilominùs velle peccare, ut constat in damnatis, in quibus intensissimus est amor sui propter se, sicut & intensissimus dolor de pœna gehennæ; cum quo nihilominùs volunt, & in æternum volent peccare. Et quàm multi libidinosi seipsos valdè intensè diligunt, gehennamque vehementer apprehendunt; cum eo tamen libidini indulgent.

1883 Quòd autem timor purè servilis unicè oriatur ex amore sui, ratio est, quia timor mali unicè oritur ex amore oppositi boni, ut ex Augustino docet S. Thomas 1. 2. q. 49. a. 1. *ex hoc enim quod aliquis amat aliquod bonum, sequitur quòd privativum talis boni sit ei malum, per consequens timeat ipsum, tamquam malum. Unde Augustinus in lib. 83. qq. q. 33. Nulli dubium est, non aliam esse metuendi causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.* Et cur (amabo) peccator gehennam timet, in eo timore sistendo? unicè quia sibi infert gravissima incommoda. Cur ista incommoda odit & timet? quia commodum suum, seu commoda amat, quibus per incommoda illa privatur. In quorum amore dum sistit, nec eum ad Deum refert, se propter se unicè amat. Igitur timor ille unicè oritur ex proprio amore sui propter se.

Decima ratio: quisquis peccandi voluntatem 1884
penitùs abjicit & excludit, sic animo comparatus est, ut peccare nollet, etiamsi infernum non timeret (aliàs nullus in ipso foret affectus, quo voluntatem hanc excluderet: *peccarem si gehenna non esset*: non omnem proinde peccandi voluntatem penitùs excluderet) sed sic animo comparatus non est, qui nullo alio motivo adversus peccatum movetur, nisi solo metu gehennæ. Quisquis enim animo sic comparatus est, affectu saltem implicito dicit: *non peccarem, etiamsi infernum non timerem.* Affectu verò hoc non dicit, nec dicere potest voluntas, quæ nullo alio motivo adversus peccatum movetur, nisi timoris gehennæ. Siquidem voluntas, quæ nullo alio motivo adversus peccatum movetur, adversus ipsum hîc & nunc moveri non præsumitur, pro casu quo motivum istud ei subtrahereturr, cùm sine motivo moveri nequeat.

CAPUT CLXII.

Occurritur iis, quæ Adversarii opponunt Argumento sexto.

OBjiciunt primò: Timor *Domini expellit* 1885
peccatum. Eccl. 1.

Respondeo, triplicem esse timorem Domini, servilem, initialem, & filialem. Secundus & tertius peccatum expellunt per se formaliter. Primus sine secundo & tertio solùm occasionaliter, vel causaliter, vel dispositivè, in quantum disponit ad charitatem, eique parat locum. Quia *nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.* Aug. in Psal. 149. Et *si timor nullus est, non est quà invet charitas.* tract. 9. in epist. Joan. Quomodò id fiat, exponit in Psal. 127. Homines *habent timorem, & per timorem continent se à peccato; fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo justè vivere, propterea, non quia timet pœnam, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo servilis timor à charitate, sed successit timor castus.*

Objiciunt 2°. Trident. num sess. 6. can. 8. & 1886
sess. 14. c. 4. Sed perperàm, ut videbitur c. sequenti.

Objiciunt 3°. Alexander VII. in Decreto de 1887
5. Maii 1667. supponit attritionem, ex gehennæ metu conceptam, peccandi excludere voluntatem. Ait enim, *Scholasticos quosdam ... inter se contendere, an illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi, cum spe veniæ ... requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei*, &c.

Respondeo, id non supponere, nisi in narrativa, quæ cùm non sit Pontificis, sed Pontificî facta ab assertoribus attritionis purè formidolosæ, ut tenor manifestat, id non supponit ex mente sua, sed ex narratione ipsorum, quæ an vera sit, an falsa, Pontifex ibi non declarat.

Objiciunt 4°. Basilius in Psal. 33. Ambrosius, 1888
Augustinus, aliique Patres subinde aiunt, quòd homo per gehennæ metum se cohibet à peccato, imò & à peccandi voluntate, sive (ut Basilius) *ab ea, quæ ad malum est, cupiditate.*

Respondeo, vel id dicunt de timore initiali, vel filiali, vel de servili in sensu causali, vel occasionali, non in sensu formali, in quo ex dictis perspicua est doctrina ipsorum pro assertione nostra.

Objiciunt 5°. Sanctorum doctrina, pro asser- 1889
tione

tione nostra allegata, procedit de timore servili, serviliter sumpto, quo gehennam timens, in corde suo dicit: *peccarem, si gehenna non esset.*

Respondeo, glossam illam esse commentitiam, & Sanctorum intentioni repugnantem. Cùm Sancti ad solam illam timoris servilis acceptionem nullibi se restringant, nec se ullibi fundent in particulari illa cujuspiam timentis dispositione, sed passim ubique se fundent generaliter in ipsa timoris servilis natura & notione. Generaliter quippe Augustinus v. g. se fundat in eo quòd agens ex solo servili timore, sine amore justitiæ, *procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit.* Quia *ex corde nullo modo fieri potest* (nota ly *nullo modo*, quo glossam Adversariorum excludit) *quod formidine fit pœnæ, non amore justitiæ.* Et iterum: *qui timore pœnæ, non amore justitiæ, opus legis facit, si posset fieri, mallet non juberi*, &c. Generaliter quoque S. Thomas, *timidus agit contra id quod etiam nunc secundùm se vult.* Et iterùm generaliter, *timor servilis... potest habere* (non dicit quòd actu habeat semper, vel interpretativè, uti habet timor servilis, serviliter sumptus) *annexam voluntatem peccandi*, si utique pœna non esset. Denique expressissimè agunt de timore, quo non amatur justitia, sed solùm timetur pœna, asentes voluntatem peccandi, absque amore justitiæ, penitùs excludi non posse, nec peccandi desiderium, nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. Igitur glossa illa perspicuum est figmentum, Sanctorum textui non consonum.

1890 Objiciunt 6°. solo servili timore inferni benè excluditur peccatum externum, internaque voluntas consequens, seu efficax, illud committendi. Igitur excludi etiam potest voluntas antecedens & inefficax, utpote quam Christianus scit à Deo puniri inferno, sicut voluntatem consequentem, & efficacem.

Nego consequentiam, quia ad excludendam voluntatem antecedentem peccati, necesse est ut peccatum, quod secundùm se placebat, secundùm se displiceat (quod solo servili timore fieri nequit) hoc autem necesse non est, ad excludendam voluntatem consequentem & efficacem, sed satis est quòd peccatum displiceat secundùm aliquem effectum, vel circumstantiam, hîc & nunc occurrentem. Unde vel ipse timor infamiæ, vel amor laudis, excludere potest voluntatem consequentem, non antecedentem peccati. Sic etiam prodigalitas benè excludit avaritiam externam, voluntatemque consequentem illius, non antecedentem.

1891 Objiciunt 7°. voluntas ex solo amore, seu desiderio vitandi infernum, efficaciter imperare potest membris, ne moveantur ad opus peccati. Ergo similiter potest efficaciter imperare sibi, ne retineat voluntatem antecedentem peccati.

Iterùm nego consequentiam. Quemadmodùm enim voluntas imperare non potest obedientiam à membris externis, ut sine instrumentis ea efficiant, quæ sine instrumentis effici nequeunt, v. g. à manu, ut sine calamo scribat, sine acu suat, sine fuso neat, &c. Sic imperare non potest obedientiam à seipsa, ut sine amore justitiæ abjiciat voluntatem antecedentem peccati.

1892 Objiciunt 8°. possum ita aversari malum aliquod, ut stante actu illo, impossibile sit me facere id, quo malum istud scienter incurram: ergo possum ita aversari gehennam, ut impossibile sit, stante istâ aversione, me simul habere voluntatem antecedentem peccati, quâ gehennam scienter incurram; atque adeò, ex sola aversione inferni, sine alio motivo, possum excludere voluntatem antecedentem peccati.

Respondeo, argumentum istud patenter ducere in præcipitium. Simili namque argumento contenderet quis, fieri posse, ut homo adultus infernum vitaret, salutemque consequerétur, sine dilectione Dei; Deique propter se dilectionem, cæterarumque virtutum actus, necessarios ad salutem, poni posse ex solo motivo servilis timoris inferni, sic arguendo: possum ita aversari malum aliquod, ut stante actu illo, impossibile sit me simul velle non ponere id, quo non posito, malum istud scienter incurram. Ergo possum ita aversari gehennam, ut impossibile sit, stante illâ aversione, me simul velle non ponere id, quo non posito, gehennam scienter incurram. Sed non positâ dilectione Dei propter se, non positisque actibus fidei, spei, justitiæ, &c. gehennam scienter incurram. Ergo possum ex sola aversione inferni, sine alio motivo, ponere actum dilectionis Dei propter se, sicut & actus fidei, spei, &c.

Distinguenda proinde prima propositio: possum 1893
ita aversari malum aliquod, ut stante illo actu, impossibile sit me ponere, vel non deponere causam istius mali, si utar motivo ad id necessario, verum est. Si non utar motivo ad id necessario, perspicuè falsum est. Quia ergo voluntas peccandi, tam antecedens, quàm consequens, est causa gehennæ, motivumque necessarium ad deponendam seu positivè excludendam voluntatem antecedentem peccandi, est motivum amoris justitiæ, seu Dei propter se, quamlibet averser gehennam, si non utar illo motivo, positivè non excludam causam istam gehennæ. Siquidem voluntas antecedens peccandi, seu complacentia peccati secundùm se, semel concepta, tamdiù manet, saltem habitualiter, quamdiù peccatum secundùm se non displicet. Quod impossibile est secundùm se displicere ex solo motivo timoris gehennæ.

Objiciunt 9°. solus timor naufragii, seu al- 1894
terius mortis corporalis, sine alio motivo, positivè excludere potest omne inductivum naufragii, &c. Ergo solus timor inferni, sine alio motivo, positivè excludere potest omne inductivum inferni. Sed voluntas peccandi, tam antecedens, quàm consequens, inductiva est inferni. Utraque ergo positivè excludi potest solo timore inferni, sine alio motivo.

Respondeo, istud quoque argumentum in præcipitium ducere. Si enim bona sit prima consequentia, similiter concludi poterit, solo proprio amore sui propter se, vel solo naturali timore inferni (qui subinde datur, tametsi detur etiam supernaturalis) sine alio motivo, positivè excludi posse omne inductivum inferni, ponique omne, quo non posito, infernus incurritur.

Est ergo disparitas, quòd ad excludendum om- 1895
ne inductivum naufragii, seu alterius mortis corporalis, sufficiat amor sui propter se, sive amor vitæ corporalis propter se: ad excludendum verò omne inductivum inferni, non sufficit amor sui propter se, sed necessaria est aversio à peccato secundùm se, necessarium verum ipsius odium, necessaria vera ad Deum conversio, &c. quæ ex solo sui propter se amore poni nequeunt.

Objiciunt 10°. solo servili timore inferni po- 1896
test concipi voluntas vitandi infernum. Sed voluntas vitandi infernum esse nequit efficax, nisi positivè excludat voluntatem omnem peccandi. Ergo.

Distinguo majorem: solo servili timore inferni potest concipi voluntas vitandi infernum, per se formaliter efficax, sine alio motivo, prorsus negandum est, utpote ex quo consectaria forent eadem, quæ dixi, præcipitia. Solo illo timore concipi potest voluntas vitandi infernum efficax causaliter & dispositivè, hoc sensu, quòd timore illo voluntas efficaciter compelli disponique possit ad ponendos actus necessarios, eosque concipiendos ex motivis necessariis ad vitandum infernum; *transeat.* Non enim officit assertioni nostræ, cùm in-

de haud magis consequens sit, solo servili timore inferni, absque alio motivo excludi posse voluntatem omnem peccandi, quàm solo isto motivo poni posse omne, quo non posito, infernus incurritur.

1897 Objiciunt 11°. solo desiderio beatitudinis positivè excludi potest omnis voluntas peccandi. Igitur & solo timore amittendi beatitudinem, æternamque incurrendi damnationem.

Respondeo: transeat antecedens, intellectum de desiderio beatitudinis, quatenùs est actus spei Theologicæ, & non est sine aliquo Dei propter se amore. Si autem intelligatur de desiderio beatitudinis præcisè quatenùs est nobis commoda, & ut sic provenit ex solo sui propter se amore, negandum est antecedens.

1898 Ad hujus evidentiam observandum est, omne desiderium, sicut & omnem timorem ex amore nasci. Potest enim quis timere infernum, quatenùs sibi valdè molestum, & incommodum, ibi sistendo. Similiter potest desiderare beatitudinem, quatenùs sibi valdè commodam, & jucundam, in sua etiam commoditate, jucunditateque sistendo. Et sic utrumque nascitur ex amore sui propter se. Alio modo potest quis timere infernum, quatenùs separat à Deo, ultimo fine nostro; similiter desiderare beatitudinem, sive Deum, tamquam finem nostrum ultimum, ad quem habendum, & æternùm possidendum creati sumus. Et sic nec timor, nec desiderium, ex proprio amore nostri, in nobis sistente, proficiscitur, sed ex amore Dei, pertinetque ad spem Theologicam, cujus amor non hæret in creatura, velut in fine, tametsi per eum Deus ametur, & desideretur nobis. Neque enim per istum amorem Deus refertur ad nos, velut ad finem (sicut dum Pater Filium suum unigenitum pro nobis tradidit in mortem, Filium suum, vel Filii mortem non retulit ad nos, velut in finem) sed velut ad subjectum indigens. Finis proinde noster ultimus, in actu ipsi Theologicæ, est Deus ipse, bonitasque ipsius, quam nobis ideò cupimus, quia finis noster est, ad quem possidendum creati sumus, & cujus possessione indigemus, ut perfectè ipsius simus, & ipse noster. Et ideò nihil non rectum, nihil non castum in amore isto: utpote quo Deus non amatur ob aliquid extra ipsum, nec refertur ad aliud, velut ad finem, ne quidem ad voluptatem nostram, sed sistitur in eo quòd ipsum habeamus tamquam finem nostrum: Sic itaque apparet actum ipsi esse sanctum, Deoque placentem, absque alia ad Deum relatione: cùm seipso ad Deum, non ad creaturam, velut ad finem referatur. Proinde meritò damnatæ sunt ab Alexandro VIII. propositiones sequentes: 10. *Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* 13. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.*

1899 Objicies 12°. potest fieri, quòd unum bonum creatum alteri efficaciter præferatur, absque ullo Dei propter se amore. Ergo potest fieri etiam, quòd summum bonum cuilibet bono creato, sicut & cuilibet amori ipsius mortaliter illicito, efficaciter præferatur (ac per consequens omnis voluntas mortaliter peccandi efficaciter excludatur) absque ullo Dei propter se amore.

Nego consequentiam: quia bonum unum creatum alteri efficaciter præferri potest ex solo motivo proprii amoris, seu amoris in creatura sistentis. Ex solo verò isto motivo summum bonum efficaciter præferri non potest omni bono creato, sed ad hoc amor noster elevare se debet supra omnem creaturam, & supra omnem creaturæ, etiam nostri amorem.

Ex his liquet primò, solidum, invictumque 1900
esse sextum nostrum ex Tridentino argumentum, nec solidas, sed sophisticas esse Adversariorum ad illud oppositiones.

Secundò, solum servilem timorem inferri non posse se solo esse formaliter efficacem, sive ad evitandum infernum, sive ad positivè excludendum omnem peccati affectum.

Tertiò, non dari servilem timorem inferni, se solo formaliter efficacem ad dictos effectus. Quia licèt efficaciter timere possimus infernum; non solo tamen timore servili (per se formaliter loquendo) sed filiali, vel saltem initiali.

CAPUT CLXIII.

Specialiter occurritur iis quæ opponunt Franciscus Simonis, & Richardus Arsdekin. Quorum hac in parte excessus redarguuntur, ostenditurque consonantia doctrinæ nostræ cum doctrina Romanæ Ecclesiæ, nonnullas propositiones per Alexandrum VIII. proscribentis.

FRanciscus Simonis, more suo, sub larva o- 1901
diosa repræsentat nostram, seu potiùs Sanctorum, innumerabiliumque Doctorum sapientissimorum doctrinam, quasi doceremus lethaliter peccare eum, qui de peccatis suis dolet ex solò servili metu gehennæ, sine amore Dei propter se. Quod prorsus alienum est à veritate. Nec dogma istud falsissimum solidè ipse deducit ex hoc quòd cum Sanctis passim omnibus doceamus, solo servili timore gehennæ positivè non excludi voluntatem antecedentem peccatr, seu velleitatem peccandi, si gehenna non esset. Neque enim sequitur: *Solus gehennæ timor, sine Dei propter se amore, positivè non excludit voluntatem antecedentem peccati mortalis. Igitur est mortale peccatum.* Cùm tria obstent bonitati istius consequentiæ. Primò, non omne, quod se solo formaliter voluntatem illam non excludit, v. g. fidem, esse peccatum, nec veniale quidem. Secundò, voluntatem illam antecedentem, velleitatemque, effectum non esse dicti timoris (ipsi proinde non imputandam) sed præcedentis amoris, seu affectûs ad peccatum, qui fuit ante timorem, nec sufficienter retractatur per solum illum timorem, sed per affectum contrarium. Tertiò, velleitatem illam peccandi, si gehenna non esset, plerùmque non esse actualem, nec virtualem, sed habitualem dumtaxat: nec magis vitiare actum timoris, quàm fidei. Cùm ad utrumque actum se habeat merè concomitanter, & per accidens. Calumniatur ergo Franciscus Simonis, dum istud dogma affingit assertoribus doctrinæ Sanctorum.

Sed & Richardus Arsdekin, eo ipso loco, quo 1902
suam buccinat modestiam singularem (quam omnes, inquit, & ipsa libri censura testatur) Theologiæ utique tripartitæ to. 2. p. 2. tr. 1. cap. 3. q. 21. §. 2. de eadem nostra, seu Sanctorum potiùs doctrina, non satis modestè loquitur, dum primò eam repræsentat quasi Lutheranam: *Docent* (inquit) *nonnulli, metum illum gehennæ non posse animum cohibere à pravo affectu* præexistente, *quamvis illum retrahere possit, ne in peccatum externum prorumpat. Sic sentit Lutherus in disput. Lipsic. Eckio respondens, necnon scribens adversus Leonis X. articulum sextum: sentio* (inquit) *perniciosum esse genus docendi, quo, intuitu pœnarum, præmiorum, peccatorum, docentur pœnitere. His enim doctrinis coërcentur quidem ab opere*, &c. Siccine, Richarde, Luthero associas, & velut Lutheranos depingis, quotquot sic sentiunt? Ergone Lutherani Sancti omnes cap. 160. relati, nimirùm Ambrosius, Augustinus, Prosper, Gregorius, Isido-

rus, Anſelmus, Bernardus, Aquinas, Bonaventura, Laurentius Juſtinianus, &c.? Ergone Lutherani veteres Doctores, ac Theologi paſſim omnes, ſanctis Doctoribus hac in re concinentes? Hoc aſſerere, non ſolùm eſt excedere modeſtiæ limites, ſed & obedientiæ, ſeu obſervantiæ erga Decretum Alexandri VII. & Innocentii XI. quo diſtrictè prohibentur odioſæ ſuſpiciones, & notæ hujuſmodi.

1903 Nec in eo ſolo Arſdekinus modeſtiæ, obedientiæque limites exceſſiſſe videtur, ſed & graviùs, dum ibidem *erroneam doctrinam* vocare non erubeſcit, quam Paulus tradidit, & cum Paulo omnes penè Sancti, præcipuique Doctores. Ait enim quòd *doctrinam erroneam aliis prædicant*, qui docent, *toties admitti novum peccatum, quoties opera ad Deum non referuntur ex puro charitatis motivo*, id eſt quoties propter Deum benevolè dilectum non fiunt actu, vel virtute. *Suadenda* (pergit) *omninò eſt charitas, ſed minimè ſuadendus eſt error, ex quo, cum periculo animarum, toties peccetur, quoties in operando charitas* (id eſt relatio ad Deum propter ſe dilectum) voluntariè *omittitur*. Eſtne tua illa modeſtia (Arſdekine) erroris taxare doctrinam, ſacris in Literis fundatiſſimam, commum Sanctorum, ac præcipuorum Doctorum traditione firmatam, totque rationibus Theologicis, Philotophiciſque à nobis tom. 1. demonſtratam? Benè eſt quòd tuam illam cenſuram, in damnato ſocio tuo, Caſuiſtarum Apologiſtâ, velut temerariam, falſam, ſanctis Patribus injurioſam plures Epiſcopi proſcripſerunt. Audi quid de illa Illuſtriſſimus D. Ludovicus Gondrinus, Archiepiſcopus Senonenſis, cum tota Synodo ſua, anno 1658. cenſuerit: „ Hæc propoſitio, quatenùs erroris accuſat ſanctiſſimam illam doctrinam, quâ Chriſtianis omnibus præceptum aſſeritur, ut actus omnes ſuos „ ad Dei honorem (actu ſcilicet, vel virtute) referant: temeraria, ac falſa eſt, Patribus, S. „ Thomæ, & clariſſimis Theologiæ Doctoribus „ injurioſa, qui in his S. Pauli verbis: *omnia veſtra in charitate fiant*, &, *omnia in gloriam Dei facite*: verum præceptum ſemper agnoverunt, „ quod violari ſine aliquo peccato mortali, vel „ veniali non poſſit. " Eamdem cenſuram " temerariam, & pluribus Patribus Eccleſiæ injurioſam " cenſuerunt Vicarii Generales Eminentiſſimi Cardinalis de Retz, Archiepiſcopi Pariſienſis 23. Auguſti 1658. Sed & inter alias cauſas Apologiam condemnandi, Annas de Levi, de Vantadour, Archiepiſcopus Bituricenſis, in cenſura anni 1659. Nicolaus Epiſcopus Bellovacenſis in cenſura anni 1658. Et Ægidius Epiſcopus Ebroicenſis in cenſura anni 1659. hanc retulerunt, quòd Apologiæ Author erroris arguat doctrinam orthodoxam, quæ cum Paulo aſſerit obligationem ex charitate faciendi quidquid facimus. Denique Eminentiſſimus D. Cardinalis Forbinus de Janſon, in cenſura anni 1669. poſteaquam dixit: " divinam legem in Decalogo contentam, „ primum eſſe rivulum divinæ iſtius ſcaturiginis (legis ſcilicet æternæ) " & velut alteram lampadem in hujus vitæ tenebris à Deo accenſam, ad „ dandam lucem iis, quæ nobis in prima illa lampade obſcura erant. Subdit: An non eſt aquas omnes divini fontis iſtius corrumpere, purioreſque „ immortalis iſtius lampadis radios extinguere, „ tueri " (cum Apologiſta Caſuiſtarum) " quòd „ error ſit aſſerere, quòd omnes actiones ſuas ex divini amoris motivo Chriſtiani facere teneantur. Vide (Arſdekine) quàm multa, quàm præclara, quàm perſpicua Sanctorum teſtimonia pro ſanctiſſima illa doctrina tom. 1. produxi. Ibi (cum Auguſtino lib. 1. contra Julianum)" introduxi te ſe„ dandum, atque ſanandum, non in alicujus Phi-

loſophi auditorium, ſed in ſanctorum Patrum " pacificum, honorandumque Conventum. Sit " operæ pretium, obſecro te, aſpice illos quo- " dammodò aſpicientes te, & manſuetè, ac leni- " ter dicentes: Itane nos, fili, erramus, " dum Paulina verba (ſuprà relata) de vero præcepto intelligimus, & intelligenda prædicamus? " Rogo, quid reſpondebis? quibus eos oculis intue- " beris? quæ tibi argumenta ſuccurrent? quæ A- " riſtotelis Cathegoriæ ſuppetias ferent? Quæ tuo- " rum argumentorum vel acies vitrea, vel plum- " bei pugiones in illorum conſpectu exeri audebunt? Iterùm te admoneo, iterùm rogo, vide " quibus tam gravem, tamque nefariam irroga- " veris injuriam," ipſos erroris arguendo.... " Si neſciens hoc feciſti, cur non miſeram reſpuis " imperitiam? Si ſciens, cur non ſacrilegam deponis audaciam? Convinceris undique. Luce " clariora ſunt teſtimonia tanta Sanctorum, in " quorum Conventum te introduxi.... Movere " te debet tanta conſenſio. In Eccleſia Catholica " doctrinæ ſanæ ſtudiis claruerunt, ſpiritualibus " armis muniti, & accincti, ſtrenua contra hæreticos bella geſſerunt, perfuncti fideliter ſuæ diſpenſationis laboribus, in pacis gremio dormierunt... Conventus Sanctorum illorum non eſt " multitudo popularis: non ſolùm filii, ſed & " Patres Eccleſiæ ſunt. Ex illo numero ſunt, de " quibus prædictum eſt: Pro Patribus tuis nati " ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper om- " nem terram. "

Tertiò Arſdekinus in eo exceſſiſſe videtur, quòd 1904
(in prioribus editionibus) doctrinam illam Sanctorum non ſolùm infimularit erroris; ſed erroris, *ex quo, cum pernicie animarum, toties peccetur, quoties in operando charitas omittitur*. Quaſi doctrinæ illius aſſertores cenſeant, præceptum omnia in gloriam Dei faciendi, *ſub pernicie animarum* obligare, id eſt ſub mortali, cujus homo toties reus ſit, quoties deliberatè aliquid facit, in Deum non referendo (ſolo quippe mortali *pernicies* inducitur *animarum*, proprie & in rigore voces iſtas, ut ſonant, & ut communiter uſurpantur, accipiendo) at hoc eſt ipſis per impoſturam id tribuere, à quo prorſus alieni ſunt.

Quartò videtur exceſſiſſe in eo quòd ait, *hoc* 1905
unum ab ejuſdem doctrinæ aſſertoribus *perpetuò ingeminari, tutiora ſemper eſſe ſequenda*. Cùm tamen *multò tutius ſit non errare, & doctrinam erroneam aliis non prædicare, perſuadendo toties admitti novum peccatum, quoties opera in Deum non referuntur ex puro charitatis motivo, pleriſque hominum maximè arduo & difficili..... ato igitur Theologo inquirendum, non quid tutius, ſed quid verius.... retinenda hæc reſponſio in pleriſque horum temporum controverſiis, de attritione in Sacramento, de abſolutione differenda, de uſu probabilitatis, & aliis, in quibus pro vulgari argumento fallax ſecuritatis ſpecies aſſumitur*. Qua in re imprimis aberrat à vero, dum iſtius doctrinæ aſſertoribus imponit, quòd docecant *tutiora ſemper eſſe ſequenda*. Non enim docent ſbi neceſſariò ſequenda tutiora, ubi utraque pars eſt tuta. Unde nec docent, in hoc Sacramento, adhibendam neceſſariò contritionem ex perfectiſſima charitate, nec Evangelica conſilia ab omnibus neceſſariò ſequenda, nec vitanda neceſſariò remota peccatorum pericula, &c. Docent quidem in rebus dubiis & controverſis, ubi ex una parte ſalus animarum, vel Sacramentorum valor periclitatur; ex altera non (v. g. in controverſia de ſufficientia ſervilis attritionis) ſequendam eſſe partem, in qua nullum eſt periculum, atque adeò hoc ſenſu tutiorem. At iſtud eſt quod Canones Spiritu Dei conditi, ſanctique Doctores, & cum ipſis ſanctæ memoriæ Pontifex Innocentius XI. tradunt, quod-

que Arsdekinus perperàm reprehendit. Reprehendendo quippe significat, se graviter ferre, quòd sint qui doceant, cavenda esse suæ alienæque salutis, frustratique Sacramentorum valoris pericula. Quod an pium sit, an Christianum? aliorum sit judicium. An satis etiam caveat suæ alienæque salutis, frustratique valoris Sacramenti Pœnitentiæ discrimina, solutioribus opinationibus suis de licita absolutione solùm serviliter attritorum, de absolutione consuetudinariis & recidivis non differenda, de licito usu opinionis minùs probabilis de licito, contra probabiliorem agnitam de illicito, &c. alii sint qui judicent. Validissima profectò argumenta probant, opiniones illas in praxi non esse tutas & securas, sive pro salute proximi, sive etiam respectivè pro valore Sacramenti.

1906 Quintò Arsdekinus excedere videtur in eo, quòd suam de servilis attritionis sufficientia doctrinam adeò certam prædicat, ut de ea prudenter dubitari nequeat. Cùm adeò certa sit incertitudo de sufficientia illius, ut probabiliter dici nequeat, de ea prudenter dubitari non posse, uti invictè probant argumenta quæ hactenùs deduximus. Videat Arsdekinus quæ hac de re diximus à capite 139. Videat nùm ad majorem Dei gloriam, animarumque salutem, dicat, tutiorem partem hac in re non esse sequendam. Vel solo argumento sexto doctrinæ istius periculum demonstrativè probatur. Videamus quid ei ipse opponat.

1907 Primò opponit, doctrinam quæ asserit, solo servili timore inferni positivè non excludi voluntatem antecedentem peccandi, doctrinam esse Lutheri.

Respondeo primò retorquendo & dicendo, doctrinam Arsdekini, communemque Sociorum suorum, quæ asserit, Dei propter se dilectionem non debere priùs adesse, quàm peccator Deo reconcilietur in Sacramento Pœnitentiæ, doctrinam esse Lutheri & Lutheranorum, & ut talem à Catholicis Doctoribus impugnatam, ut vidimus in superioribus.

1908 Respondeo secundò, damnanda esse omnia, quæ contra SS. Patres, Catholicosque Doctores, Lutherus docuit, & in quibus à Catholicis (qui contra ipsum scripserunt) reprehensus fuit, atque à Leone X. & Tridentino damnatus: sed nec damnanda, nec odiosè repræsentanda velut Lutherana, seu hæretica dogmata, quæ Lutherus cum sanctis Doctoribus, & Theologis Catholicis scripsit, & in quibus nec à Leone X. nec à Tridentino damnatus fuit, nec à Catholicis reprehensus, ut quòd solo timore inferni penitùs excludi nequeat voluntas antecedens peccandi, quòd attritio merè naturalis insufficiens sit ad gratiam in Sacramento impetrandam, &c.

1909 Replicat Arsdekinus, Lutheri de attritione sententiam damnatam esse per Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi contra Lutherum definit, *illam attritionem, quæ .... ex gehennæ metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem*; verùm & *donum Dei esse, & Spiritûs sancti impulsum .... quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat*, &c. Dicendo enim attritionem illam, si voluntatem peccandi excludat, ad justitiam parare, &c. apertè supponit dari ejusmodi attritionem, quæ peccandi excludat voluntatem: aliàs pro dispositione ad gratiam ridiculè nobis proponeret attritionem, quæ in rerum natura non datur, solùmque damnaret Lutheri de attritione doctrinam, ut falsam in casu impossibili, quo utique excluderet voluntatem peccandi, quam per attritionem à se descriptam censeret nunquam excludi.

1910 Istud est argumentum, in quo Arsdekinus, cum suis, mirè confidit; propter quod etiam Slaugthe-

rus in Thes. suprà allegata conclus. 8. dicit, quòd nisi Tridentinum supponat, & supponendo doceat, gehennæ metum esse motivum sufficiens ad penitùs excludendam voluntatem peccandi, ipsius definitio Lutherum non tangit. Verùm inconsideratè nimis, cùm argumenti istius acies vitrea sit.

Respondeo itaque primò, duas conditiones ibi à Tridentino exigi in attritione à se descripta, exclusionem voluntatis peccandi, spemque veniæ; non ideò tamen Tridentinum supponere, solo motivo timoris gehennæ spem istam concipi posse. Neque ergo supponit, eodem solo motivo exclusionem illam fieri posse.

Respondeo secundò, illâ Tridentini definitione Lutheri doctrinam haud esse damnatam in puncto, de quo disserimus, in quo cum Catholicis conveniebat; sed in punctis sequentibus, in quibus à Catholicis disconveniebat.

1°. in eo quòd (apud Eckium lib. 1. de pœnit. cap. 1.) negaverit, servili timore peccatorem disponi ad pœnitentiam, eamque timore illo concipi, id est dispositivè inchoari, seu parari.

2°. in eo quòd negaverit bonitatem servilis timoris, ejusque utilitatem ad parandam pœnitentiam.

3°. in eo quòd serm. de pœnit. dixerit, attritionem, timore conceptam, esse malam, facereque hominem hypocritam, & magis peccatorem.

4°. in eo quòd consequenter negaverit eamdem Dei donum esse, & Spiritûs sancti impulsum.

5°. in eo quòd a. 4 per Leonem X. damnato docuerit, *imperfectam charitatem impedimento esse ad introitum regni, propter vitium, quo imperfecta est.*

6°. in eo quòd attritionem quamcumque, & omne quod peccator facit ante gratiam gratum facientem, asseruerit esse peccatum, nec posse ad gratiam præparare. *Ego enim* (ait in assertione art. 4.) *peccatum aßero, quidquid ante gratiam fit in homine; tantùm abest ut præparet ad gratiam.* Unde apud Eckium loco citato, propositionem hanc Augustini, *bonus est timor & utilis*, &c. censurare ausus est sic: *hoc est, meo judicio, consuetudo desperandi, & odiendi Deum, si excludatur gratia.* Ante quam negavit etiam Deum ab homine propter se diligi posse.

Ista ergo sunt impia Lutheri de attritione dog- 1911
mata, divinis Scripturis contraria, atque à sanctis Patribus, & Catholicis Scriptoribus improbata, quæ ferit Tridentinum, tametsi non ferat insufficientiam servilis attritionis ad excludendum omnem affectum peccati, in quo Catholici, qui contra Lutherum scripserunt, nobiscum, & cum sanctis Doctoribus conveniunt, ut suprà vidimus in Driedone. Et idem videre est in Alfonso à Castro hom. 2. in Psalm. 32. ubi post enarratas varias servilis attritionis utilitates, subjungit, quòd *eo coërceri possunt peccatores ab his quæ foris patent, ne scilicet ad exteriorem transgressionem procedatur.... à mala autem peccati complacentia solus hic timor non potest revocare peccatorem.*

Respondeo 3°. Sicut Tridentinum supponit, 1912
dari attritionem, quæ sit cum spe veniæ; non tamen supponit, spem istam ex solo timoris servilis motivo concipi posse; ita supponit dari attritionem, quæ peccandi voluntatem penitùs excludat; non tamen supponit, peccandi voluntatem solo isto motivo penitùs excludi posse, nisi occasionaliter, casualiter, & dispositivè, ut suprà. Nec verò Tridentinum dicit, aut supponit, solo illo timore formaliter id fieri posse; imò satis innuit, ad hoc aliquid addendum, dum clausulam istam addit, *si voluntatem peccandi excludat.* Quod ne quis existimaret, secundùm Decretum Concilii, solo illo timore formaliter fieri posse, sic libravit

Decretum ſuum, ut cùm Compilator in prima delineatione particulam excluſivam *ſolùm* adjeciſſet, de attritione dicendo, quòd *ſolùm ex gehennæ & pœnarum metu, qui ſervilis timor dicitur, concipiatur*, particulam illam excluſivam, vocemque *ſervilis* expunctam Patres voluerunt.

1913 2°. Arſdekinus opponit can. 8. ſeſſ. 6. ubi Tridentinum definit, quòd *per gehennæ metum .... à peccato abſtinetur*. Quod (inquit) Tridentinum non dicit de metu amorem adjunctum habente, ſed dilectionem antecedente, viamque ſternente ad ſpem & charitatem, uti declarat cap. 6. ejuſdem ſeſſionis.

Reſpondeo, tametſi gehennæ metus, in quantum viam ſternit ad ſpem & charitatem, adjunctum nondum habeat Dei propter ſe amorem; eum tamen adjunctum habet, in quantum peccandi voluntatem antecedentem formaliter excludit. Quia licèt ſine iſto amore plerumque abſtineamus à peccato externo, & à voluntate efficaciter imperante illud; imò etiam non rarò abſtineamus à voluntate actuali conditionata peccandi: ſine iſto tamen amore nunquam in nobis formaliter excluditur, nec ſufficienter retractatur voluntas habitualis antecedens peccandi, uti neceſſarium eſt ad juſtificationem. Eo tamen non obſtante libenter fatemur, 1°. gehennæ metum, per quem à peccato abſtinemus, ut ſuprà, ſecundùm ſe non eſſe peccatum, nec peccatores pejores facere: cùm peccator eo metuat, quod verè metuendum eſt, tamquam magnum hominis malum, quod timere ipſa etiam Veritas jubet. 2°. eumdem metum eſſe motum ex ſe bonum & ſupernaturalem, quatenus ex fide procedit, & diſponit ad actus ſupernaturales ſpei & charitatis, ſicut & quatenus Spiritus ſanctus eum inſpirat, ad diſponendum hominem ad concipiendam pœnitentiam ſalutarem. Quo ſenſu Alexander VIII. meritò proſcripſit ſequentes propoſitiones: 14. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.* 15. *attritio, quæ ex gehennæ metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, & ſupernaturalis.* Tertiò fatemur, quòd idem metus efficiat hominem minùs peccatorem, cohibendo abſolutam efficacemque peccandi voluntatem. Quartò, tametſi voluntatem habitualem inefficacem & conditionatam per ſe formaliter non excludat, plerumque tamen per ſui vehementiam impedit, ne in actum prorumpat. Nec permanentia habitualis iſtius voluntatis inefficacis ipſum vitiat, quia omninò per accidens & concomitanter ſe habet ad metum; & ideò non obſtat ne metus bonus ſit, & ſupernaturalis. Non obſtat etiam, ne ad veram pœnitentiam, câque mediante ad juſtitiam & gratiam diſponat. Quinto, dum ex metu pœnæ, bonorum operum fit conſuetudo, malorumque diſſuetudo paulatim minuitur, minuitur facilitas operandi malum, difficultaſque operandi bonum; minuuntur proinde obſtacula divini amoris, quibus ſublatis charitas tandem introducitur.

1914 Abſit proinde ut negemus, vel Catholicorum quiſquam neget, timorem inferni eſſe ex ſe, ſive in ſubſtantia, atque ex officio bonum & honeſtum, uti Slaugterus concluſ. 8. calumniosè aſſerit. Si enim ex ſe foret malus & inhoneſtus, in Deum referibilis non eſſet. Ex ſe verò in Deum referibilem eſſe, quis (amabo!) Catholicorum negat?

1915 Ne tunc quidem, cùm in Deum actu vel virtute non refertur, ex ſe, ſive ſecundùm ſpeciem & ſubſtantiam ſuam bonus eſſe deſinit. Tametſi enim defectus relationis malus ſit, non vitiat timorem illum, ſecundùm ſpeciem ſuam conſideratum. Cùm enim non ſit defectus ſpecificus, ſed individualis, non obſtat ne timor iſte ſecundùm ſpeciem ſuam habeat, quod in ſpecie habere debet, ſed ſolùm ne in individuo debitam habeat relationem in Deum: per conſequens non obſtat, ne timor in ſpecie bonus ſit, & iſta eſt doctrina Angelici Doctoris 2. 2. q. 19. a. 4. ubi probat, quòd ſervilitas quidem timoris mala ſit, *timorque ſervilis ex parte ſervilitatis habeat quod ſit malus.... Quia* tamen *ſervilitas non pertinet ad ſpeciem*, ſed ad circumſtantiam individualem, *timoris ſervilis*, ſicut nec *informitas* pertinet *ad ſpeciem* (ſed ad actum individualem *fidei informis*) *ſpecies enim moralis habitûs, vel actûs, ex objecto accipitur. Objectum autem timoris ſervilis eſt pœna, cui accidit quòd bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis*, ſaltem negativè *ultimus* (id eſt tamquam finis ad Deum non relatus) *per conſequens pœna timeatur, tamquam principale malum* (quod contingit in non habente charitatem) *vel quòd ordinetur in Deum, ſicut in finem.... quod contingit in habente charitatem. Non enim tollitur ſpecies habitûs per hoc quòd ejus objectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem. Ideò timor ſervilis, ſecundùm ſubſtantiam ſuam*, & ſpeciem, *bonus eſt, ſed ſervilitas ejus* (id eſt non relatio ad Deum) *eſt mala*, ac per conſequens uſus ſervilis timoris, abſque relatione in Deum, malus eſt, non in ſpecie, ſed in individuo, ſecundùm quod Auguſtinus dicit Enchirid. cap. 121. *qui timore aliquid facit, etſi bonum ſit quòd facit, non tamen benè facit.* Quod (ut S. Thomas ibidem ad 1. ait) *intelligendum eſt de eo, qui facit aliquid timore ſervilè, in quantum eſt ſervilis*, ita ſcilicet, *ut non amet juſtitiam, ſed pœnam timeat.* Bonum eſt ergo timere infernum, tametſi in individuo malum ſit, infernum non benè timere, ſive bonum iſtud non benè facere; ſicut etiam bonum eſt juſta facere; malum, juſta facere non juſtè: bonum, peccata vitare; malum, malè ea vitare, ex cupiditate utique & amore ſui, in ſe finaliter ſiſtente: non ex charitate, ſeu amore juſtitiæ, Deum finaliter reſpiciente.

Doctrina proinde noſtra de ſervili timore, at- 1916
tritioneque, inde, vel ex turpitudinis peccati conſideratione concepta, optimè cohæret cum doctrina Eccleſiæ, quæ propoſitionem hanc per Alexandrum VIII. damnavit: *reverà peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.* Neque enim Romana Eccleſia, per iſtius propoſitionis cenſuram damnare voluit Apoſtoli Pauli, unanimemque Sanctorum Patrum doctrinam de obligatione referendi omnes actus noſtros deliberatos in Deum, ſed abuſum dumtaxat iſtius doctrinæ, ſeu malam intelligentiam, quaſi ſecundùm ſpeciem & ſubſtantiam ſuam malus, ſeu peccaminoſus foret omnis actus deliberatus, quem reſpectus in Deum non intraret. Cùm tamen Eccleſia Romana admitti velit actus, abſque iſta relatione, moraliter ex ſpecie ſua officioque bonos.

Iſtum namque eſſe ſenſum à Romana Eccleſia 1917
intentum, multa ſunt quæ ſuadent, prout oſtendi to. 1. Primò id ſuadent acta in cauſa libri R. P. Ægidii Gabrielis, cui titulus: *Specimina Moralis Chriſtianæ & diabolicæ.* Cùm enim liber iſte à Romana Inquiſitione damnatus fuiſſet, eam (inter alias) ob cauſam, quòd in prima editione propoſitio iſta eo libro contineretur: *omnis amor in hoc ſtatu, ſecluſo Salvatore, eſt malus, & perniciosus.* Petiit ipſe, obtinuitque, ut librum ſuum corrigere, correctumque denuò edere poſſet, aſſignato ſibi Reverendiſſimo, poſteà Eminentiſſimo D. Cardinale de Lauræa, qui correctioni intenderet. Cumque propoſitioni illi Reverendiſſimus addi vellet, *plerumque*, vel *utplurimùm*: quæſivit P. Gabrielis, num proſcribere vellet fundamentalem Lovanienſium doctrinam, de omnibus actibus noſtris in

Deum benevolè dilectum ex præcepto referendis; qualis amor haberi nequit absque Salvatore? *Minimè verò*, respondit Lauræa; *etenim hæc sententia, me judice, probabilis est. relinquemusque intactum quidquid de illa dicis. Falsumque est, ex ea sequi vexatam tuam propositionem. Qui enim non refert in Deum actum, cæteroquin bonum, peccat quidem, quatenùs præcisè non refert: non tamen quatenùs exercet talem actum* (secundùm speciem suam consideratum) *quare, defectu ejusus relationis, vocari non potest*, secundùm speciem suam, *malus & peccaminosus. Aliter verò sentiens, Bajanus est.*

Secundò acta paulò post in causa Lovanienſium. Cùm enim eximii Doctores, Franciſcus van Vianen, Chriſtianus Lupus, & Martinus Steyaert, à Facultate Theologica Lovanienſi ad Sedem Apoſtolicam Deputati, iſtius Facultatis doctrinam eidem S. Sedi examinandam obtuliſſent, ſpecialiter hunc articulum: *omne opus, ut plenè bonum ſit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate* (imperfecta) *procedere, & per ipſam referri in Dominum Deum.* Poſt rigidiſſimum biennii examen, articulus iſte immunis evaſit ab omni cenſura, tametſi non ſemel, ſed ſecundò ad examen revocatus fuerit, ad ſatisfactionem nonnullorum, qui unum ſaltem iſtum Lovanienſium articulum damnari expetebant, eo tempore, quo ſexaginta quinque laxioris doctrinæ articuli proſcribebantur. Sed nihil obtinuerunt, immunis permanſit articulus, placuitque Romanis Theologis explicatio, ſeu reſponſio ad ſcrupulum circa eum excitatum, ab iiſdem Deputatis facta per ſupplicam tenoris ſequentis: *Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini. Sacræ Theologiæ Doctores, à Theologica Facultate Lovanienſi ad Apoſtolicam Sedem Deputati, intelligunt, circa hunc ſuum articulum* (*omne opus, ut plenè bonum ſit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate procedere, & per ipſam referri in Dominum Deum*) *Eminentiis veſtris enaſci dubium: an ille cenſeat, opera, quæ per charitatem non referuntur in Deum, nunquam eſſe bona moraliter, ſeu* (*ut loquitur Auguſtinus*) *ex officio bona?*

Quare præfati Doctores reverenter reſpondent, iſtum ſenſum eſſe à ſe penitùs alienum. Etenim omnino profitentur, varia opera noſtra, licèt iſtâ relatione careant, eſſe moraliter, ſeu ex officio bona. Addunt tamen illa, niſi ſaltem per imperfectam charitatem in primum principium referantur, non fieri ſicut oportet. Hæc omnia profitentur ſe ſentire, ac docere, juxta ſenſum quem S. Auguſtinus tradit in lib. de patient. cap. 26. & 27. in penult. cap. Enchirid. in 3. cap. libri 4. contra Julian. ac in aliis locis.

Teſtati ſunt Qualificatores ſibi ſatisfactum eſſe. Et querela ceſſavit.

1918 Tertiò, inter articulos 104. doctrinæ per Belgium manantis è Schola Lovanienſi, per R. P. Porterum, Minoritam Hibernum, authoritate Legati Hiſpanici munitum, anno 1679. (ut primùm Româ diſceſſerant Deputati Lovanienſes) Innocentio XI. ad cenſuram oblatos, ille delatus fuit, quo aſſerebatur obligatio referendi omnes deliberatos actus noſtros in Deum benevolè dilectum. Nec tamen etiam tunc cenſuratus fuit, ſed à cenſura ſubductus, etiam à cenſura 31. articulorum per Alexandrum VIII. promulgata; à cujus promulgatione Innocentius XI. abſtinendum cenſuerat, conſilio Cardinalis Grimaldi, qui, ſuper articulis iſtis conſultus, Pontifici reſponderat, eorum cenſuram, ob terminorum æquivocationem, parum allaturam utilitatis, multum verò turbarum & diſſenſionum.

1919 Quartò, inſolitum, & abſque exemplo eſt, quòd Romana Eccleſia pro cribat doctrinam à ſanctis Patribus omnibus, vel ferè omnibus perſpicuè traditam, velut Evangelicam, vel Apoſtolicam. Credibile proinde non eſt id factum ab Alexandro VIII.

Cùm igitur tomo 1. demonſtraverimus, talem eſſe doctrinam, quæ obligationem aſſerit referendi omnes actus noſtros deliberatos in Deum; adeò certum eſſe debet, eam non eſſe proſcriptam, ut apud cordatos prudens de eo dubium ſupereſſe non poſſit: maximè cùm ex proximè allegatis, quilibet ab affectu partium liber intelligat, quòd dat cenſura propoſitionis nonæ: *revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.* Per illius namque proſcriptionem Romana Eccleſia docet, eum qui taliter odio habet peccatum, non peccare præcisè quatenùs exercet talem actum, ſecundùm ſpeciem ſuam & ſubſtantiam conſideratum, cùm peccatum (etiam merè ob ſuam turpitudinem) odium & deteſtationem mereatur; actus proinde ille ex ſpecie ſua officioque ſit bonus. Neque actus ille in individuo eſt malus, ob id ſolum, quòd ipſum non intret reſpectus ad *Deum offenſum*: cùm peccati turpitudo odio haberi poſſit propter Deum charitate dilectum, licèt odio non habeatur propter *Deum offenſum*: Sic enim peccatum Angelis & primo homini ante lapſum diſplicuit, ſine reſpectu ad Deum offenſum: utpote qui nondum offenſus fuerat. Denique licèt actus, quo quis odit peccatum, merè ob ejus turpitudinem, per ſe non referatur ad Deum; ad Deum tamen referri poteſt per alium actum (quia cùm in Deum referibilis ſit, imperari poteſt à charitate, per alium actum ipſum in Deum referente) dum ſic autem refertur, moraliter bonus eſt, etiam in individuo; cùm ad id ſufficiat, quòd ad Deum referatur, ſive per ſeipſum, ſive per alium actum.

Hæc per occaſionem dixi, non ex neceſſitate 1920
reſpondendi oppoſitionibus Arſdekini; utpote qui nihil oppoſuit ex propoſitionibus damnatis per Decretum Alexandri VIII. quia ante illud ſcripſit; doctrinæ tamen aſſerenti obligationem omnia faciendi propter Deum, non eſt veritus objicere Bajaniſmum, eamque odioſè repræſentare velut damnatam à Pio V. & Gregorio XIII. hiſce in propoſitionibus. 16. *non eſt vera legis obedientia ſine charitate.* Et 38. *omnis amor rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffuſâ Deus amatur.*

Nimirùm Arſdekinus de illis eſt hominibus, 1921
qui quoſvis ſuæ ſociorumque ſuorum doctrinæ contradicentes, vel Bajaniſmi, vel Janſeniſmi inſimulant. Utinam ipſe tam plenè ingenuèque recedat à laxitatibus per Alexandrum VII. & Innocentium XI. damnatis, quàm doctrinæ illius aſſertores recedunt à propoſitionibus per Pium V. Gregorium XIII. & Innocentium X. proſcriptis.

Itaque doctrinam illam Sanctorum in Bajo dam- 1922
natam eſſe, ſine temeritate, Romanæque Eccleſiæ & Sanctorum injuria, hæreticorumque ſcandalo aſſeri non poteſt. Damnemus damnata; ſed cavemus à temeritate damnandi doctrinam à tot Sanctis canonizatam, cui toties ad ſe delatæ S. Sedes toties pepercit, & tam ſtudioſè pepercit.

Et verò damnata aſſeri nequit in propoſitione 1923
illa 38. quia, ſalvâ veritate iſtius doctrinæ, ſubſiſtit doctrina Eccleſiæ propoſitionem illam damnantis, quòd utique detur amor medius inter vitioſam cupiditatem, quâ mundus diligitur, quæque à Joanne prohibetur (his verbis, *nolite diligere mundum, neque ea quæ ſunt in mundo*) & laudabilem illam charitatem, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffuſâ Deus amatur. Vitioſa namque cupiditas illa, *quâ mundus diligitur*, &c. eſt cupiditas voluptatis carnalis, vel pecuniæ, vel honoris & laudis: inter quam, & laudabilem charitatem per Spiritum ſanctum

ctum inhabitantem diffusam, medius est amor multiplex. Talis namque est imperfectus amor Dei propter se, qui in peccatoribus reperitur: talis quoque amor, ex humanæ miseriæ compassione succurrens proximo indigenti, &c. Neque enim est laudabilis charitas proximè dicta, neque cupiditas voluptatis, vel pecuniæ, vel honoris, quam Joannes intelligit per cupiditatem, quâ mundus diligitur: *omne enim* (inquit) *quod in mundo est, aut concupiscentia carnalis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*

1924 Neque damnata censeri potest in propositione 16. quia, salvâ etiam veritate illius nostræ, seu potiùs Sanctorum doctrinæ, subsistit veritas & æquitas censuræ propositionis 16. quòd utique detur vera legis obedientia sine charitate, qualem intelligunt assertores omnium damnatarum illarum propositionum. Cùm enim & istas hæreticas docuerint propositiones: *omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*, &c. eo sensu quo istæ hæreticæ sunt, eodem sunt & duæ illæ ab Arsdekino objectæ; utpote ex istis consectariæ. Si enim *omne quod agit peccator, peccatum est*, etiam imperfecta charitas, quæ in peccatore reperitur, peccatum est, nec datur laudabilis charitas, nisi in justis per Spiritum sanctum inhabitantem. Si etiam *in omnibus actibus suis peccator servit dominanti cupiditati*, omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas in peccatore dominans, aut laudabilis charitas in justis regnans. Ex utraque verò consectarium est, quòd non detur vera legis obedientia sine laudabili illa charitate justorum, ipsis infusa per Spiritum sanctum inhabitantem. Neque opus plura hîc addere, cùm multifariam tom. 1. demonstraverimus adversarios abuti Bullâ Pii V. & Gregorii XIII. cum scandalo hæreticorum, dum ex ea arguunt contra doctrinam Sanctorum, tanquam damnatam per Bullam Pii V. &c. Siquidem hæretici inde accipiunt ansam calumniandi Ecclesiam modernam, quasi ab antiqua defecerit, veterum Patrum doctrinam tam unanimem tamque constantem proscribendo.

1925 Nec dissimili modo adversarii abutuntur Bullâ Innocentii X. *cùm occasione*, quinque famosas propositiones condemnante, dum ex ea arguunt pro scientia sua media, gratiaque Molinisticè sufficiente, contra necessitatem gratiæ per se efficacis, ab Augustino, totque aliis antiquis Patribus, Conciliisque tam constanter assertam. Eâ (inquam) abutuntur contra expressam declarationem ipsiusmet Innocentii X. qui, post editam illam Bullam, palàm declaravit, quòd circa materiam de auxiliis omnia permanere vellet eo in statu, in quo fuerant sub Clemente VIII. & Paulo V. (sub quibus professò scientiam mediam, gratiamque Molinisticè sufficientem, miserrimo in statu fuisse, Historia de Auxiliis recenter edita manifestat) perque Eminent. Cardinalem Barbarinum Societatis Generali mandavit, ut ad omnes Societatis Provincias scriberet, ne quis Bullâ istâ ad stabiliendas Molinisticas opiniones uteretur. Quod mandatum præfato Generali se intimasse laudatus Cardinalis R. P. Æginaldo testificatus fuit.

CAPUT CLXIV.

Argumentum septimum ex Tridentinis Patribus, magnique nominis Theologis, qui sessioni 14. interfuerunt, divinique amoris necessitatem, & formidolosæ attritionis insufficientiam post illam docuerunt, nemine aliorum Tridentinorum Patrum, Theologorumve, Tridentinam definitionem ipsis objiciente.

1926 ARgumentum istud efficacissimum est: asserta quippe insufficientia, divinique amoris necessitatem, post sessionem decimam-quartam, docuerunt duo istius Concilii Præsides, atque cum ipsis, ac præter ipsos, viginti alii Patres, Theologique Tridentini quatuordecim, uti proximè videbitur. Istos omnes, tot utique, tantosque Viros Tridentinæ definitioni, vel apertæ declarationi patenter contradixisse; neminem tamen aliorum Patrum, Theologorumque Tridentinorum, hanc ipsis contradictionem objecisse, nec de ea ipsos redarguisse, nec pro Tridentina definitione contra ipsos clasicum cecinisse; adeò insolitum est in Ecclesia Dei, ut prorsus incredibile sit, improbabileque; cùm nullum in Ecclesia exemplum proferri queat, quo tale quidpiam acciderit, præsertim in re tanti momenti. Nullum tamen Patrum Tridentinorum ipsis velut Tridentinæ definitioni contradicentibus se opposuisse, adeò verum est, ut ne ipse quidem Melchior Canus, primus formidolosæ attritionis Patronus (qui sessioni illi 14. interfuit) Tridentinam ipsis definitionem objecerit, nec eam pro opinione sua allegaverit; uti nec Dominicus Sotus, qui, licèt eidem interfuerit, formidolosæque attritionis sufficientiam docuerit, pro casu quo bonâ fide quis se contritum existimaret; expressè tamen dixit, *non esse Ecclesiasticam definitionem.* Sic enim habet in 4. dist. 19. q. 2. a. 9. *non est articulus fidei, quòd attriti per Sacramentum contriti fiant: non est enim expressa Evangelica assertio, aut Ecclesiastica definitio neque apud Augustinum, aliumve ipsius classis Authorem reperitur, sed est solùm Scholasticorum* (quorumdam) *collectio, quæ quanquam vera* (secundùm opinionem ipsius) *non est certè digna, cui bilances nostræ perpetuæ salutis, aut damnationis confidamus.* Ruardus etiam Tapperus, qui similiter interfuit, in explicat 4. art. Lovan. de contrit. quòd (inquit) attritio sufficiat, *probabilis est Doctorum sententia.* Imò nullus Scriptorum, ante annum octuagesimum, pro dicta sufficientia Tridentinam definitionem legitur allegasse. Et Lopez, qui vel primus, vel ex primis pro attritionis purè formidolosæ, cognitæ ut talis, sufficientia Tridentinum allegavit, opusque suum an. 1583. divulgavit, illud non allegavit, tamquam certò eam definiens, sed tamquam probabile pro ea fundamentum subministrans: *sed jam nunc* (inquit in Instruct. consc. p. 1. c. 9) *præcedente lumine Conc. Tridentini, & quia industriâ Doctorum aliquæ veritates illustratæ sunt, audeo & hanc statuere conclusionem: probabile est, & non parum veritatis, & Concilio Tridentino consona opinio affirmativa, scilicet quòd ad impetrandam justitiam & remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, satis est attritio cognita, etiamsi pœnitens non existimet probabiliter eam esse contritionem.* Ad quæ verba Morinus l. 8. cap. 4. *hanc* (inquit) *sententiam asserere probabilem, tum illi visum est aliquid insolitum audere.* Similiter Medina 1. 2. q. 19. a. 6. dub. ult. expressè testatur, sub opinione esse positum, an attritio ex solo gehennæ metu cum Sacramento sufficiat, de eoque hinc inde esse opiniones. Idque incertum esse fatentur Suarez, Vasquez, Comitolus, Bresserus, Gamnachæus, aliique attritionarii non pauci apud Illustriss. Porphyriensem de contrit. & attrit. differt. 4. cap. 4. fluxeruntque anni 50. & plures post sessionem 14. priusquàm ausus quisquam fuisset asserere, servilis attritionis sufficientiam, sessione illâ 14. certò definitam esse.

Novitia proinde est audacia ista, & ideò merito exsufflanda, tanquam temeraria, incredibilis, omnique specie veritatis destituta.

Quòd autem divini amoris necessitatem, servilisque attritionis insufficientiam in Sacramento Pœnitentiæ docuerint imprimis duo Concilii Præsides, Seripandus nimirùm, & Hosius, S. R. E. Cardinales, deinde viginti alii Patres Tridentini, probatur exhibendo verba ipsorum.

SERIPANDUS.

927 In illud ad Galat. 5. *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur. Ad justitiam* (inquit, id est gratiam justificantem) *& salutem fides illa proficit, cujus efficacitas non est ex metu, sed ex amore & charitate. Hujus ergo fidei, quæ per charitatem operatur, recto & tuto itinere ad gloriam sempiternam*, & justitiam, seu justificantem gratiam (ut proximè dixit) *contendere oportet, tam Judæos, quàm aliarum nationum homines.* Nec certè aliud quàm Augustinus docere & sentire potuit tam dignus Augustini discipulus.

HOSIUS.

928 In explicat. Confess. Polon. Concilii Petracoviensis anni 1551. c. 76. *Augustinum secutus Petrus Lombardus, quem secuti videntur Doctores omnes, quos vulgò vocant Scholasticos* (nota benè) *præcepta neque impleri, nisi per charitatem; neque ad alium finem, præterquàm ad charitatem, ea rectè referri docet. Quamobrem in utriusque Tabulæ præceptis, non tam quid exteriùs geratur, quàm quid intùs fiat, & ex qua radice quod fit proficiscatur, attenditur. Sunt enim in cordibus hominum radices duæ, charitatis una, quam plantavit agricola Christus; cupiditatis altera, quam plantat diabolus. Nihil ex illa mali, nihil ex hac boni nascitur. Hoc docuit, hoc docet, hoc docebit semper sancta Ecclesia Catholica.* (Audiant hoc, & digitum ori imponant, qui clamitant esse ab Ecclesia damnatum; esse contra Tridentinam definitionem, &c.) .... *Etiam pueri didicimus in Ecclesia, non quid, sed propter quid faciamus aliquid, Deum attendere: adeò ut siquid ex radice charitatis profectum non sit, nihil sit nobis utilitatis allaturum. Quippe sine charitate non ambulare possunt homines, sed errare. Hæc est enim summa actionum humanarum, salus morum, finis cœlestium præceptorum....* SINE HAC NEMO DEO PLACUIT. *Cum hac nec potuit aliquis peccare, nec poterit.... Ad hanc igitur Dei charitatem & dilectionem referimus cætera præcepta.... Hoc est quod à Thoma quoque scriptum Aquinate legimus, quòd omnium actuum humanorum regula, lex est charitatis divinæ. Sicut enim videmus in artificialibus, quòd unumquodque opus tunc bonum & rectum dicitur, quando regulæ coæquatur; sic etiam quodlibet opus humanum tunc rectum est & virtuosum, quando regulæ divinæ dilectionis concordat, &c.*

Subsequuntur Tridentini Patres, Salvator Alepius, Lipomanus, Joannes Æmilianus, Cornelius Mussus, Fredericus Nausea, Franciscus Richardotus, Franciscus Sonnius, Martinus Rithovius, Janjenius Gandavensis, Joannes Antonius Pantusa, Nicolaus Pellevæus, Hieronymus Burgensis, Jacobus Naclantus, Gaspar Cassalius, Guilielmus Cassadorus, Ferdinandus Vellosillus, Leonardus Marinus, Ægidius Fuscanarius, Melchior Avosmedianus. Omnes Episcopi Tridentini. Cumque ipsis Pius Franciscanorum Generalis.

929 Audiantur ergo ipsi, & imprimis

SALVATOR ALEPIUS, LIPOMANUS, PIUS FRANCISCANORUM PRÆSES.

De iis Pallavicinus Histor. Concil. Trident. l. 8. c. 8. testatur, quòd cùm in prima delineatione Decreti, circa dispositiones necessarias ad justificationem in Sacramento Baptismi, nulla fieret mentio charitatis, *Salvatorem Alepium, Archiepiscopum Turritanum, & Lipomanum, Veronensis Adjutorem, & Pium Franciscanorum Præsidem admonuisse, ut aliquis charitatis actus adjiceretur..... Cumque id ad omnium Patrum judicium relatum esset, viginti tres ex ipsis distè illud comprobasse, adeòque insertum Decreto.* Ecce non soli tres illi, sed viginti tres Patres Tridentini charitatis actum censuerunt necessarium, inter dispositiones requisitas ad justificationem in Sacramento Baptismi. Nec dubium idem de Pœnitentiæ Sacramento censuisse. Cùm eadem vel major sit id censendi ratio. Post ipsos audiantur sequentes.

JOANNES ÆMILIANUS.

Joannes Æmilianus, Hispanicensis, Tudetanus Antistes (ut idem Historicus narrat l. 12. c. 10.) *tenuit* in Sacramento Pœnitentiæ *opus esse contritione perfectâ. Nec tamen hinc argui per Sacramentum peccata non remitti: quippe quæ Sacramentum jam invenit remissa, præeuntis contritionis efficacitate. Siquidem* (aiebat) *ipsa contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.* Talem quidem contritionem nos minimè requirimus, Æmiliani tamen meritò testimonium proferimus, utpote perspicuè sentientis pro insufficientia servilis attritionis, necessitateque divinæ dilectionis. 930

CORNELIUS MUSSUS.

Mussus, Episcopus Bisuntinus (ad efformanda Concilii Tridentini Decreta non semel à Patribus deputatus) in Synodo anni 1579. in canon. de Pœnit. ad Pœnitentiæ Sacramentum rectè suscipiendum negat sufficere attritionem ex qualicumque motivo honesto, requiritque contritionem, sive dolorem, ob Dei summi boni offensam, cujus motivum sit, *summotè Deo* (inquit) injuriam intulisse, ut vidimus n. 1672. Imò omnem actionem bonam docet esse dirigendam in gloriam Dei, ut proficua sit ad vitam æternam, ut vidimus ibidem. 931

FRANCISCUS RICHARDOTUS, ET FREDERICUS NAUSEA.

Fredericus Nausea, Episcopus Viennensis, & Franciscus Richardotus, Episcopus Atrebatensis, locis n. 1661 & 1665. relatis usque adeò improbant sufficientiam attritionis servilis, ut contritionem perfectam requirere videantur. Tametsi quæstio nonnulla sit de sensu vocis *perfecta*, quâ usi sunt. 932

FRANCISCUS SONNIUS.

Franciscus Sonnius, Episcopus Buscoducensis, tr. 4. de pœnit. (quem anno 1565. & 1566. publicis typis dedit) cap. 6. de contritione, *Contritio* (inquit) *pœnitentis est ipsa tristitia cordis secundum Deum, gemitus & suspiria de peccatis commissis, eò quòd divinæ Majestatis offensiva sint.* Et infrà: *Conteritur, atteriturque peccator, quando incipit sibi ex corde displicere super turpitudine & pravitate commissorum, atque serio odisse malam vitam suam, commemorando secum quod fortem bonitatis perdiderit, quòd mortem inveneri, quòd funibus ad interitum illaqueatus existat. Quæ si faciat prorsus ex amore ad bonum Deum.... est contritio: sin autem remissè, vel solo metu pœnæ evadendæ, est attritio, non efficiens veram pœnitentiam; attamen ad illam præparans. Hoc & similia docuit nos antiquitas Patrum veneranda* (nota benè) *non utique per excogitationem de cerebro suo, sed ex fundamento Scripturæ sanctæ, &c.* 933

Et in demonstrationib. Relig. Christ. tr. 9. de peccat. remiss. c. 6. *manifestè docemur Scripturis, remissionem peccatorum fieri verbo, fide, dilectione, pœnitentiâ, Sacramento..... sed non verbo sine fide.... nec sit verbo, etiam adjunctâ fide, sine pœnitentia & dilectione. Quoniam, teste Salvatore, nisi pœnitentiam habueritis, &c. Et teste Apostolo ejus Joanne, qui non diligit, manet in morte. Neque etiam sit verbo, fide, dilectione, pœnitentiâ, simul junctis, nisi accedat & Sacramentum, à Christo in purificationem & reconciliationis*

rum peccatoris institutum, modò Sacramentum non excludat ulla necessitas.... Non itaque sola fides justificat impium, sed concurrunt simul omnia quæ dicta sunt..... Primum est verbum Dei, terrefaciens peccatorem.... Secundum fides..... Tertium pœnitentia, quâ revertentes ad Dominum detestamur peccatum, ut iniquum quid, & impium, planè offensivum divinæ Majestatis. Quartum est dilectio, quæ facit mentem suavi quodam amore fœrare in Deum... Sextum est Sacramentum, &c.

Et infrà : *inter hæc autem omnia requisita ex parte pœnitentis, fides imprimis necessaria est; fides (inquam) per dilectionem operans, sive fides ad cor transiens, adeò ut immutetur affectus in amorem ejus, quod per fidem esse cœpit in cogitatione. Per hanc enim est proximus accessus, & ultima dispositio, quam statuit Deus deputari homini ad justitiam, sive remissionem peccatorum. Nam fides sine charitate nihil prodest.* 1. *Cor.* 13.

Et cap. 7. *vera pœnitentia est opus Dei, operantis per charitatem, prout factum est in Magdalena, in Publicano, in Petro post negationem. De quo plura in l.* 4. *ubi de sacramentali agit pœnitentia.*

Et tr. 11. c. 1. *Fides & Sacramenta..... summè necessaria sunt..... Verùm quantumlibet omnia illa necessaria sint; non tamen sufficiunt ad salutem sine charitate, uti certum est ex regula Apostolica Joannis, dicentis : qui non diligit, manet in morte. Qui non diligit (inquam) ut oportet Deum super omnia, & proximum sicut semetipsum, talis manet in morte.*

MARTINUS RITHOVIUS.

1934 Martinus Rithovius, primus Episcopus Iprensis, in lectionibus manuscriptis in 4. dist. 14. anno 1558. dictatis, & in Lovaniensi Collegio Adriani VI. asservatis, sic habet : *Cùm fides doceat peccatum duplici ratione malum esse (nam & culpam habet, & pœnam adfert) duplex etiam ejus est, vel certè duplici occasione nata displicentia..... Verùm ut propria peccati malitia est in ratione culpæ, ita & hæc principalior displicentiæ causa nobis esse debet. Quamvis, ut est communis pœnitentium consuetudo, ordo hic ferè præposterus esse soleat, & à timore pœnitentium conversio habeat exordium. Licèt autem in illo dolore, qui suppliciorum metu concipitur, nondum sit vera pœnitentiæ virtus; parat tamen ad illam iter.... Non est igitur timor vera pœnitentia, sed utilis, & ad contritionem vicinum gradum sternit.*

JANSENIUS GANDAVENSIS.

1935 Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis, Concord. Evang. c. 33. ad veram pœnitentiam requirit peccatorum detestationem, *eo quòd sint offensiva Dei.* Addens, quòd *cùm dixit Dominus, timete, &c. non vult suos servili timore.... obtemperare Patri cœlesti, sed vult inordinatum illum mundi timorem reprimi consideratione & timore eorum malorum, quæ Deus infligere potest, in eo qui habet charitatem, si modò non præcipuè, & potissimùm ob illorum malorum timorem sibi à malis temperet, & bonum operetur.*

Et c. 47. hunc textum, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*, conjungens cum eo qui sequitur : *fides tua te salvam fecit* : fides (inquit) *quæ dicitur salvam fecisse hanc mulierem, est quâ credit Jesum esse Christum, & eum qui possit tollere peccata, simul cum fiducia consequendæ remissionis ab eo. Ergo cùm hujusmodi fides etiam spem includat, & suprà Dominus remissa dixerit illi peccata propter dilectionem : docemur hanc remissionem peccatorum non fieri nisi concurrat fides, spes, charitas, hoc est non sit nisi per fidem quæ per dilectionem operatur.*

JOANNES ANTONIUS PANTUSA.

1936 Joannes Antonius Pantusa, Episcopus Litterensis, anno 1562. mortuus in Tridentino, to. 3. Opusc. c. 11. dicit quòd *in Sacramento Pœnitentiæ (inquit Thomas ibidem) Passio Christi applicatur secundum diversos contritionis gradus. Licèt enim contritio, necessaria Sacramento Pœnitentiæ, sit ad odium peccati supra omne odibile (quia pendet à dilectione Dei super omne diligibile) tamen in latitudine sua potest esse major & minor, &c.*

NICOLAUS PELLEVÆUS, ET HIERONYMUS BURGENSIS.

Nicolaus Pellevæus, Archiepiscopus Senonen- 1937
sis, postèà Cardinalis, & Archiepiscopus Remensis, è Tridentino redux, suis Diœcesanis Rituale præscripsit, in quo agens de modo administrandi Pœnitentiæ Sacramentum, contritionis necessitatem declarat in ipsamet formula absolutionis, quam sub hoc tenore præscribit : *Dominus noster Jesus Christus, qui est verus absolutor omnium criminum, per suam sanctam misericordiam te absolvat. Et ego authoritate mihi commissâ, te absolvo ab omnibus peccatis tuis, ore confessis, corde contritis, &c.* Quæ etiam formula habetur in Rituali Romano anni 1581. in Lugdunensi anni 1589. in Bononiensi anni 1564. in Aurelianensi anni 1581. in Parisiensi anni 1607. &c. Contritio verò in Ritualibus illis generatim non accipitur, sed speciatim, ut ab attritione formidolosa distinguitur. Cùm sic intellexerint illi ipsi, qui verba ista, *corde contritis & ore dictis*, ideò sustulerunt, quòd absolutio per illa restringeretur ad sola peccata contrita & ore confessa, non ad attrita, & in confessione oblita, ut videre est in Rituali Carnotensi anni 1617. ubi sic : *Absolutio peccatorum debet esse simplex, hoc est sine aliqua restrictione, per additionem verborum superfluorum, & aliquando nocivorum saluti pœnitentis, ut cùm dicitur hoc modo : Absolvo te ab omnibus peccatis tuis, contritis, & confessis. Nam est communis sententia Theologorum, eum qui solùm attritus est posse fieri contritum virtute sacramentalis absolutionis; veluti & eâdem virtute, non tantùm peccata confessione declarata, verùm etiam oblita, post competens examen conscientiæ remitti. Et cùm adduntur hæc verba, contritis & confessis : absolutio restringitur, neque se extendit longiùs quàm ad peccata contrita, & confessa. Siquidem in hac materia sacramentali, ut in pluribus aliis, quæ merè Dei gratiæ innituntur, tantùm valent verba, quantùm sonant.*

Hieronymus Burgensis, eamdem ob rationem 1938
meritò accensetur Pellevæo, cùm ipse etiam, post sess. 14. Concilii Tridentini (cui interfuit) anno 1569. Rituali suo eamdem absolutionis formam inseruerit, cum eodem additamento : *ore confessis, corde contritis.*

JACOBUS NACLANTUS.

Jacobus Naclantus, Episcopus Clodiensis, tr. 1939
10. de Indulgentiis, contritionem requirit cum confessione, saltem in voto, dum in re fieri nequit : *Indulgentia non datur, nisi solis contritis, & vel voto confessis.* Quibus verbis satis insinuat, solos contritos, non serviliter attritos, verè esse pœnitentes. Indulgentia quippe verè pœnitentibus dari solet.

GASPAR CASSALIUS.

Gaspar Cassalius, Episcopus Letterensis, postèà 1940
Conimbricensis, lib. 2. de quadripart. Instit. anno 1563. Venetiis edito c. 13. disputans contra hæreticos, solam fidem ad justificationem requirentes, nomine Catholicorum dicit, ad justificationem esse necesse, quòd intercedat *fides totius Evangelii, dilectio Dei super omnia, obedientia erga Deum ex toto corde, & pœnitentia seu peccati odium. Sanctus enim Dionysius l. de Eccles. Hierarch. c. 2. docet, quòd per dilectionem Dei regeneramur, ponimurque in statu & esse divino.*

Et cap. 23. *Satis ostensum est per divinas Scripturas non sufficere* si accedat sola fides, aut sola confidentia, sed oportere intercedere *fidem, conversionemque hominis ad Deum per dilectionem.* Quam doctrinam universaliter receptam esse testatur. Quippe *nullus fuit Doctor hactenus sanctus, & Catholicus, qui negaret in adultis hominibus, justis, & sanctis.... justificationem.... fieri per fidem, spem & charitatem, &c.*

Quid plura? celebris ille Augustini filius ac discipulus in eodem opere censet, Catholicam esse veritatem, quòd omnes actus nostri in Deum referendi sint, faciendique ex intentione ipsi placendi. Aliàs à peccato immunes non fore. Cum qua doctrina non stat sufficientia attritionis, cujus motivum est solus timor gehennæ ignis.

GUILIELMUS CASSADORUS.

1941 Guilielmus Cassadorus, Episcopus Barcinonensis, in suo Rituali anno 1569. typis mandato cap. de Sacramento Pœnit. post enarratas tres illius partes, contritionem, confessionem, satisfactionem: *differt* (inquit) *contritio ab attritione, eò quòd contritio est dolor de peccato, quatenùs offensa Dei est..... attritio verò est dolor propter supplicia inferni.* De ea subjungit, quòd *ad remissionem peccatorum non sufficit.*

FERDINANDUS VELLOSILLUS.

1942 Ferdinandus Vellosillus, Lucensis Episcopus, in advertentiis ad B. Augustinum quæsito 29. *probabile est* (inquit) *quòd dolor, qui debet baptismum præcedere, requiritur quòd sit contritio.... Quia contritio de jure naturali est remedium in remissionem peccatorum. Gratia autem & remedium baptismi non tollit id quod est de jure naturali.* Accedit (inquit) quòd pœnitentia prærequiritur baptismo, juxta illud Actor. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm.* Ad veram verò pœnitentiam contritio requiritur. Ita ille tenet, ut *probabile* quidem. At vel hinc apparet contrarium non esse à Tridentino definitum, nec perspicuè declaratum, prout nonnulli jactitant. Fortè etiam id tenet ut probabile, loquendo de contritione perfecta.

MELCHIOR AVOSMEDIANUS. *Et ex parte* MELCHIOR CANUS.

1943 Pallavicinus l. 12. Histor. Conc. Trid. c. 10. *Melchior* (inquit) *Avosmedianas, tunc Pacensis Episcopi Theologus, postea verò reversus ad Pii Concilium Guadicensis Episcopus*, in Cœtibus ante sessionem 14. habitis circa necessaria Sacramento Pœnitentiæ, dixit: *priùs nos propter pœnæ metum dolere; deinde propter Deum; postea verò peccata confitemur.* Necessarium proinde censuit dolorem *propter Deum*, non tantùm *propter pœnæ metum.*

Quid dicam de Melchiore Cano, Canariensi Episcopo, qui etiam sess. 14. interfuit? attritionem quidem sufficere docuit, sed id à Tridentino definitum seu declaratum non censuit, uti manifestum est partim ex eo quòd pro opinione (cujus est primus parens) de ipsius sufficientia Tridentinam non proferat definitionem. Partim ex eo quòd relect. de pœnitentia post dictam sessionem, dictæ sufficientiæ expressè fatetur incertitudinem, aiens: *quòd attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est adeò certum & indubitatum. Et ideò Concilium Tridentinum, communisque sententia* (nota communem pro assertione nostra sententiam, post sessionem 14.) *tenens certum, dimittens incertum, ponit contritionem partem esse hujus Sacramenti.*

LEONARDUS MARINUS. ÆGIDIUS FUSCANARIUS.

1944 Leonardus Marinus, Lancianensis Archiepiscopus, & Ægidius Fuscanarius, Episcopus Mutinensis, alteni usque adeò fuerunt ab opinione de servilis attritionis sufficientia, & multò magis ab opinione quæ sufficientiam illius putat certam, atque à Tridentino declaratam, ut in toto Catechismo Romano (ad quem elaborandum ab ipsomet Tridentino delegati fuêre) ne verbulum quidem de attritione illa dixerint. De qua tamen lectiones integras fecissent, si sufficientiam illius à Tridentino declaratam credidissent. Cùm materiam hujus Sacramenti plenè exponendam susceperint. Et verò id necessarium fuisset ad institutionem populorum. Plura ex ipsis habes suprà n. 1674. & 1675. pro necessitate divinæ dilectionis.

Cum laudatis viginti duobus Patribus Tridentinis quindecim quoque Tridentini Theologi recensentur pro necessitate divinæ dilectionis, contra sufficientiam servilis attritionis: scilicet

Primò LAINIUS (*primus post S. Ignatium Societatis Generalis*) FERRUSIUS, COLLOREDUS, CONTRERA.

IN Historia sæpè citata Concilii Tridentini lib. 12. c. 10. sic habetur: *Didacus Laiguez, qui primo loco inter Theologos minores sermonem habebat, damnans posteriorem articuli secundi partem, dixit, Sacramento* (Pœnitentiæ) *esse necessaria pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem. Dilectionem pariter, tamquam necessariam, enumeravit Jacobus Ferrusius, Hispanus, Segoviensis Episcopi Theologus. Et per hoc eumdem articulum improbavit, causatus solis terroribus minimè contineri dilectionem, quæ absolutè necessaria est: cùm Christus pronunciaverit, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et dilexit, inquit, per præteritum: quia dilectio remissionem antecesserit. Et Apostolus: tristitia, quæ est secundùm Deum (hoc est, interpretabatur Ferrusius, secundùm Deum dilectum) operatur pœnitentiam in salutem....* Unde Augustinus ait: *Absque amore gratia non datur. Idcircò exigebat is ante omnia primam quamdam, ut vocant, motionem in Deum, ad quam significandam ea Scripturæ verba dicerentur: Converte nos Domine ad te.... Posteà verò actum fidei... Hinc oritur... in homine peccatorum detestatio, assurgitque in spem animus, & amoris initium habetur... Bernardus Colloredus, Dominicanus, Forli Episcopi Theologus, tamquam necessaria numeravit, timorem, detestationem, ac fidem, ex qua spes oriatur, & ab hac dilectio. Ejusdem sententiæ fuit Franciscus Contrera, ex Ordine Minorum Observantium.*

Secundò PETRUS ET DOMINICUS SOTO. ANDRÆAS VEGA.

Petri Soto, laudatissimi Theologi, expressissima hac de re testimonia habes suprà n. 1658. Habes & Andræam Vega n. 1614.

Dominicus Soto in 4. dist. 6. q. 1. a. 7. posteaquàm dixit, quòd *dolere solùm propter incommodum temporale, non est dolere de offensa Dei*: id probat ratione quæ idipsum probat de dolore propter incommodum gehennæ sempiternæ: *Qui enim* (inquit) *sic affectus est, non dolet se Deum offendisse; sed illa se incurrisse pericula & damna. Quis autem non dolet de offensa Dei, certè non amovet voluntatem suam à peccato, quatenùs peccatum est, scilicet quatenùs contra Deum: atque adeò non solùm permanere videtur in macula peccati, verùm quodammodò in complacentia.* Et dist. 18. *Reverà qui mihi diceret, non se pœnitere propter Deum, absolvere non auderem.*

Et lib. 2. de nat. & grat. c. 15. *Qui scit se non dolere propter Deum, sed propter timorem inferni, & ita palàm patefacit, & confitetur Ecclesiæ, videtur sanè iste non talis accedere, cui sit ministrandum Sacramentum. Nam, ut suprà diximus, & Augustinus sæpè commonefacit, & Theologi in 4. dist. 4. & S. Thomas 3. p. q. 68. admonent, pœnitentes non sunt baptizandi. Ille autem quem constat non dolere propter Deum, indubitatus est peccator. Et inde augetur dubitatio, quòd profectò qui taliter*

effectus accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ, neutiquam absolvendus esset.

GENTIANUS HERVETUS.

1947 Gentianus Hervetus, Doctor Parisiensis, Eminentissimi D. Cardinalis de Lotaringia in Tridentino Theologus, in Catechismo, quem publico dedit post suum è Tridentino reditum, contritionem, quæ sit dolor propter divinam offensam, requirit, quæ licèt tanta esse queat, ut ante susceptionem Sacramenti peccatorem Deo reconciliet, regulariter tamen hoc solùm contingit, dum Sacerdotis copia deest. *Curatus: Dic nobis quid sit Pœnitentiæ Sacramentum? Christoforus: Est Sacramentum, quo peccator, habitâ contritione, & dolore propter divinam offensam, & expositis Sacerdoti suis criminibus, concessâ absolutione, impositâque ab illo satisfactione, commissorum post baptismum peccatorum remissionem consequitur. Curatus: Dic, quæso, quid sit pœnitentia? Christoforus: Est dolor à peccatore propter divinam offensam elicitus, quo indulgentiam implorat, ac proponit non peccare de reliquo, seque confiteri statuit, & satisfacere quoadpoterit.* Curatus: Hæc contritio *nonne sufficit ad obtinendam peccatorum remissionem? Christoforus: Illa tanta quidem esse potest, ut peccata omnia remitterentur*, &c. *Verùm censendum est tunc tantùm contritionem sufficere, cùm quis ad exponendum peccatum Judicem convenire non potest*, &c.

JACOBUS PAYVA.

1948 Jacobus Payva de Andrada, Regis Portugalliæ Theologus, qui conclusioni Tridentini interfuit, l. 6. contra Kemnitium c. 2. *nisi charitas præcedat, mentemque illustret, peccata deleri nullo modo possunt.* Et lib. 8. explicans cum quali contritione facienda sit peccatorum confessio: *Cùm fidei splendore* (inquit) summa meus *illustrata, ardentem Dei in se amorem intuetur, & fit ut vel sola peccatorum recordatio illi sit horribilis & formidabilis; divinam verò bonitatem, cui se tot beneficiis devinctam agnoscit, inflammatâ charitate prosequatur.... Quibus partibus cùm animi dolor constat, verè contritio appellatur.*

ALFONSUS SALMERON.

1949 To. 3. tr. 22. de Cant. Zach. de servili timore loquens: *Ejusmodi* (inquit) *affectio purgat, non affectus internos, sed externos tantùm: immutat, non cor ipsum, sed opera: coërcet iniquitatem, non justificat voluntatem.*

To. 10. tr. 25. loquens de pœnitentia, quæ debet habere conjunctam Confessionem, dicit quòd *pœnitentia displicentiam continet de Deo offenso... non satis est naturalis quædam displicentia, & horror de peccato, ob amici mortem, aut magnitudinem peccati, vel amorem proprium, vel alias similes causas; nisi sit propter Deum offensum, nostroque peccato injuriâ effectum.*

To. 11. tr. 22. de ratione instituendi Confessionem, impugnans hunc Lutheri articulum: *credens se absolutum, verè est absolutus, etiamsi minimè sit contritus*, &c. docet secundùm Scripturam, & Ecclesiam, ad justificationem requiri fidem, timorem, pœnitentiam, dilectionem, Sacramentum: *Audis præter fidem requiri pœnitentiam... De timore testatur Salomon: qui sine timore est, non poterit justificari. De dilectione: qui non diligit, manet in morte. De Sacramento Baptismi: nisi quis renatus fuerit*, &c. *De Sacramento Pœnitentiæ: quorum remiseritis*, &c. *Præter fidem ergo multa alia ad peccati remissionem necessaria sunt.*

Et quomodò non docuisset, pœnitentiam propter Deum, Deique gloriam & honorem, necessariò faciendam, qui docuit omnes actus nostros deliberatos propter Deum, seu Dei gloriam, necessariò faciendos, ita ut qui deliberatè aliter agit, peccet? Hoc autem Salmeron docet, probatque ex Apostolo, & primo mandato, *Diliges Deum ex toto corde*, &c. disp. 6. in epist. ad Colost. Verba ipsius to. 1. dedimus.

Sicubi proinde Salmeron dicit quòd *dolor ex solo timore justitiæ*, etsi per se sit imperfectus, in Sacramento tamen conjunctus, remissionem efficit peccatorum, vel loquitur de dolore ex solo timore initiali, vel id non dicit de suo (utpote non consonum principiis ex ipso relatis) sed de additamento Bartholomæi Perez, quem constat à Generali suo Aquaviva septemdecim annis post mortem Salmeronis accepisse mandatum, *ut opus Salmeronis auctum aliqua ex parte, & excusum sibi redderet*, ut habetur in epistola operi præfixa. Enimverò (præter jam dicta) credibile non est Lainio Salmeronem hac in re fuisse contrarium: maximè cùm ipsis simul ad Tridentinum abeuntibus, S. Ignatius summoperè commendasset, *ut inter eos summa esset animorum conspiratio, & mutua consiliorum sententiarumque societas*, teste Orlandino lib. 5. n. 26. *Et verè paruerunt*, ait Orlandinus ibidem. Ejusdem ergo sententiæ Salmeron fuit cum Lainio, de quo suprà.

RUARDUS TAPPERUS.

Celebris iste Doctor Lovaniensis orat. 10. habitâ anno 1552. in refutatione Confessionis Saxonicæ, sæpiùs requirit dolorem propter Deum offensum, non ob solum inferni supplicium: Quando (inquit) *in Ecclesia auditum est, quòd peccator, timore gehennæ ob peccata admissa concussus, remissionem consequitur peccatorum, si credat Filium Dei in cruce pro peccatis suis oblatum, & confidat sibi peccata remissa.... priusquàm.... sibi displiceat, quòd Patrem suum offenderit? Nunquam hanc doctrinam Ecclesia Catholica tradidit, nunquam eam secuta est.... Nam in Actibus Apostolorum scribit B. Lucas, quòd Apostolus Paulus docebat publicè, & per domos pœnitentiam, non ob supplicium.... Et ante annos mille scripsit B. Gregorius: cùm ex peccato pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur, timor ex tumore est..... Et Ezechiel: si impius egerit pœnitentiam.... Et alio loco: projicite à vobis omnes iniquitates vestras, &c. Requirit Propheta propositum præcepta omnia custodiendi.... quòdque ipse odio peccati & iniquitatis, ut contra Deum est, à se projiciat, &c.* 1950

Et infrà explicans Apostoli verba: *nos fide justificamur; Ex fide* (inquit) *operante pœnitentiam, & veram Dei dilectionem, confertur remissio peccatorum. Quomodò se interpretatur Apostolus ipse c.* 10. idem videlicet esse verbum Dei quod prædicat, & de quo capitibus superioribus disseruerat; & verbum, de quo Scriptura in Deuteronomio, *quod propè est in ore tuo, & in corde tuo.* Nam *in Deuteronomio certum est sermonem fieri de dilectione Dei, & conversione plena ad Deum.... Justificamur igitur* (interpretante Apostolo Paulo) *fide ex dilectione pœnitentiam operante, non operibus, aut operum merito, quamvis non sine operibus pœnitentiæ. Et nostra de pœnitentia doctrina perspicua est.... Nos enim simpliciter docemus, quòd impius, si gemat, & verè doleat ob peccatum commissum* (nota) *seque emendare.... proponat, si Sacerdoti peccata sua confiteatur, cum spe veniæ, per Sacramentum absolutionis.... omnium consequitur remissionem.*

Et infrà: *si adsit dolor de peccatis* (ut diximus) *ob Dei offensam, cum proposito vitam emendandi, accedente Sacerdotis absolutione, certi sumus.... peccata esse remissa.*

Et in comment. art. 3. Lovan. (quem scripsit anno 1555.) *Remittitur virtute hujus Sacramenti peccatum, quando adest dolor de commisso... qui quidem dolor.... ex Dei amore proficiscitur. Detestatio peccati, maximè mortalis, secundùm*

definitiones beatorum Ambrosii & Augustini, consistat in prævaricatione legis Dei, & recessu ab eo, tamquam ultimo fine. Qui igitur per se odit peccatum, dolet de prævaricatione legis Dei, saltem virtualiter & implicitè Deum ejusque legem amat, &c.

Infrà: *Quamvis necessarium sit ad salutem Sacramentum Pœnitentiæ; magis tamen necessaria est cuilibet peccatori, qui mortali peccato est obnoxius, ipsa pœnitentia. Nam sine ea nec potest, nec potuit unquam ei salus contingere. Est autem necessaria.... jure naturali..... est enim prima animorum conceptio, quòd filium offensæ in patrem commissæ pœnitere debeat, priusquam in gratiam recipiatur. Nec sine ea efficax esset Sacramentum Pœnitentiæ.*

Infrà §. *complectitur autem* dicit, quòd naturalis hominis ratio docet, ad reconciliationem cum Deo, dolendum de offensa in ipsum commissa. *Filius enim hæc tria assumit ad placandum patrem.... Primum.... cogitat quàm indignè adversus patrem, sibi optime affectum, ipse egerit, dolens quòd eum offenderit.*

Et §. *quamquam*, longè post medium: *Scimus Apostolum dicere, quòd Pater Jesum Christum proposuit nobis propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Sed hanc fidem intelligimus, non inanem & sterilem; sed operantem per pœnitentiam, peccata detestantem propter Dei offensionem.... accedente Sacramento Pœnitentiæ, in quo aspergimur sanguine Christi.*

Et infrà: *Universi Patres constanter ... tradiderunt, & tradidimus, quòd impius volens consequi peccatorum remissionem, primùm agnoscat se Deum Patrem suum offendisse, & propterea doleat, & detestetur peccata sua... Docemus requiri detestationem criminis ob Dei offensam* (atque adeò ex ejus amore, prout explicat paulò antè) *dicente Apostolo: tristitia, quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

In commentario articuli 4. refert quidem opinionem Cani, ipsiſmet Cani verbis, de sufficientia attritionis ex timore pœnarum supernaturalium, eamque probabilem vocat, haud dubiè ob Cani authoritatem, additque de quocumque attritionis genere Neotericos scribere quòd sic attritus, si ignoret invincibiliter se non habere sufficientem dispositionem, equidem suscipiet gratiam & remissionem virtute Sacramenti. Sed ut ostendat ab iis se opinionibus alienum, subdit: *Consolatoria quidem hæc sunt, sed incerta, & Scripturis & Patribus parum consentanea, si intelligant, nullam Dei, aut offensæ ipsius in displicentia hac habendam rationem. Nam Apostolus Paulus in Actis solam annuntiat pœnitentiam quæ secundùm Deum est. Et ad Cor. 1. Tristitia* (*inquit*) *quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Et ne homo quidem justus placaretur, cùm is qui læsit, nullam ipsius in dolore habet rationem, nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui jacturam propriam sentit, non amici offensionem. Et passim requirunt Scripturæ, quòd pœnitentes convertantur ad Dominum: Convertimini* (*inquit Propheta Joël*) *in toto corde vestro.... Oportet igitur, cum attritione, que fit ob metum supplicii* (nota benè) *& multò magis quæ fit ex consideratione luminis naturalis, aliam affectûs mutationem conjunctam esse, ut scilicet rationes, ob quas dictis modis de peccatis dolemus, moveant ad altiorem considerationem, mentisque ad Deum etiam affectionem.*

JOANNES HESSELIUS.

1951 *Hesselium.... postremorum temporum Patribus semper annumerabit Ecclesia*, ait Pinterellus in lib. de sufficientia attritionis. Ipse igitur in tract. de Sacramento Pœnitentiæ (quem anno 1562. dictavit) c. 1. *Potest* (inquit) *fieri quòd quis de peccato commisso doleat, non ex amore Dei, aut justitiæ contra quam peccavit, sed ex solo timore pœnarum. Verùmtamen talis non verè etiam agit pœnitentiam (sine qua non est, nec esse potest peccatorum remissio) non convertitur ad Deum ex toto corde secundùm Joëlem.* Et c. 3. *Timor iste supplicii, etiam cum ipse ipsum supplicium per Dei gratiam evadendi, non est contritio* (quam dixit esse primam partem Sacramenti Pœnitentiæ) *neque aliqua pars justitiæ. Non est enim tristitia secundùm Deum: quia per illum homo non servit Deo, sed sibi, spectans tantùm evasionem pœnarum.*

JUDOCUS RAVESTEYN.

In Apologia pro defensione Decretorum Concilii Tridentini p. 1. fol. 257. defendens doctrinam sessionis sextæ c. 6. ad hanc Kemnitii objectionem: *quartum vitium in Tridentino Decreto, est quòd officium proprium fidei, quod est apprehendere Christum ad justitiam & salutem, tribuunt Patres Tridentini nostræ charitati, non fidei. Unde quintum vitium est, quòd fingunt dilectionem Dei in nobis debere præcedere reconciliationem.* 1952

Respondet, *inanem esse calumniam, quòd ordinem in Scriptura monstratum, in descriptione præparationis ante justificationem invertat Synodus Tridentina, dum docet, dilectionem aliquam Dei* (charitatis utique, de qua objectio procedit) *præcedere* (debere) *justificationem. Cùm Scriptura manifestè insinuet neminem salubriter ad Deum confugere, pro impetranda reconciliatione, nisi qui aliquâ dilectione Dei, & amore justitiæ sit affectus.*

Et fol. 281. *certa & firma responsio, Scripturas illas generales, quæ promittunt omni credenti salutem, non esse accipiendas de qualibet fide, sed de fide quæ parit veram & sinceram pœnitentiam peccatorum, non ex pœnæ & damnationis tantùm timore; sed ex vero & sincero Dei amore, ac bona erga Deum voluntate, &c.*

CLAUDIUS JAYUS.

Dilectionis seu charitatis actum necessarium censuit ad justificationem in Sacramento Baptismi. De ipso namque Pallavicinus l. 8. c. 13. commemorat, quòd inter dispositiones ad justificationem in Sacramento illo, cum Salvatore Alepio, Lipomano, & Pio admonuerit: *ut aliquis charitatis actus interponeretur... Quia si pœnitentia* (*quam ante Baptismum agi oportet*) *tota esset ex timore, sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantùm, & non propter Dei offensam, infructuosa esset.* 1953

ANTONIUS CORDUBA.

Unus & ipse fuit ex Theologis Tridentinis, à nonnullis quidem Sociis allegatus pro sufficientia servilis attritionis ipsorum; sed quàm immeritò, manifestum est ex eo quòd relatis 4. opinionibus, quarum tertia dicebat serviliter attritum virtute Sacramenti justificari, eò quòd Tridentinum, dicens quòd in Sacramento *ad gratiam disponit*, aliter non possit intelligi: eâ opinione rejectâ, ad quartam transeat opinionem, *in qua standum esse* dicit, & tenendum, *quòd quamvis per se & regulariter contritio vera requiratur, cum hoc Sacramento, ad gratiam justificantem: quia sic* DOCTORES OMNES, ATQUE CONCILIA, *docent de lege requiri; at verò per accidens, ratione ignorantiæ, sufficit probabiliter æstimata contritio* (*quamvis sit vera attritio*) *eaque saltem requiritur, cum hoc Sacramento, ad gratiam justificantem, & non sufficit quòd pœnitens, sciens se non esse verè contritum, sed solùm formidolosè attritum, æstimet quacumque bonâ fide se sic esse sufficienter dispositum ad habendam gratiam, ut tertia dicebat opinio.* Ad cujus fundamentum respondet, quòd *Concilium*

Trid. *non dicit quòd illa attritio* (formidolosa) SUFFICIENTER DISPONIT, aut PERDUCIT cum Sacramento *ad gratiam*; *sed quòd disponit ad eam*; *quod verum est*, etiam dum disponit *insufficienter, remotè, vel nonnisi mediantibus aliis dispositionibus melioribus, ad quas paulatim ducit.* Manifestè ergo rejicit sufficientiam formidolosæ attritionis, cognitæ ut talis.

CAPUT CLXV.

Argumentum 8. ex eo quòd eandem insufficientiam, divinæque dilectionis necessitatem, cum S. Thoma Villanovano (qui post sess. 14. in doctrina sua perstitit, mortuus anno 1556.) post Tridentinum, vel certè post illius sessionem 14. tradiderint innumeri, omnis status, & Ordinis, præstantissimi Catholicissimique Scriptores, scilicet Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Doctores & Theologi. Quos omnes circa Tridentini mentem perspicuè errasse, vel apertæ definitioni ipsius contradixisse, asseri non potest absque temeritate.

1954 ID (inquam) absque temeritate asseri non potest, tum ob præcipuam ipsorum eruditionem. Tum ob commendatissimam sanctitatem nonnullorum. Tum ob eximiam omnium erga Ecclesiam Ecclesiasticasque definitiones observantiam ac pietatem. Tum denique quia id de tot & tantis Viris absque convincente fundamento (quale hîc non suppetit) dicere, vel sentire, non est ad sobrietatem sapere. Sola proinde propositio prima probanda est. Probatur verò per eorum inductionem paragraphis sequentibus exhibendam.

§. I.

Proferuntur sanctissimi sapientissimique Cardinales, qui post Tridentinum, servilis attritionis insufficientiam, divinæque dilectionis necessitatem asserunt.

S. CAROLUS BORROMÆUS.

VErba ipsius habes suprà num. 1760. Ipsum verò post Tridentinum scripsisse dubium non est.

CARDINALIS PALÆOTUS.

1955 Gabriel Palæotus Cardinalis, in Constitut. Bononiens. anno 1592. editis p. 3. Sermon. de Sacram. Pœnit. contritionem ex Dei timore, prout condistinguitur ab attritione ex suppliciorum metu concepta, ad Pœnitentiæ Sacramentum exigit, dicens, quòd *quamvis dolor non potissimùm ex timore Dei, sed potiùs ob suppliciorum metum... ad veram rationem contritionis non attingat, quin potiùs attritio dicenda esset, non tamen adeò peccator à spe salutis & consequendæ veniæ excidat*, ut à Tridentino Concilio (sess. 14. c. 4) declaratum est: *quoniam iste dolor ad verum Dei timorem*, id est contritionem ex Dei seu divinæ offensæ timore, &, eâ mediante; *ad gratiam in Sacramento disponit, unde virtute Sacramenti ex attrito contritus dicitur.*

CARDINALIS SARNANUS.

1956 In Summa Theol. (quam Clementi VIII. dicavit eodem anno 1592.) fol. 152. sic habet: *pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei, inquit Augustinus. In peccatoris igitur conversione est Dei operatio, cor convertentis. Deinde actus fidei, & timor suppliciorum ex fide conceptus. Posteà motus spei de consequenda venia. Postremò actus charitatis, quo peccatum displicet propter seipsum, & non propter timorem pœnæ. Nam timor pœnæ*, id est dolor ex timore pœnæ conceptus, *non est contritio*, seu pœnitentia: quia scilicet purus putus timor pœnæ, non est sufficiens motivum illius, ut ex Sarnani contextu liquet. Vera quippe contritio, sive perfecta, sive imperfecta, peccatum detestatur propter seipsum, non propter timorem pœnæ tantùm. Neque enim perfecta ab imperfecta motivo distinguitur, sed intensione, prout ait ibidem: *attritio virtute Sacramenti fit contritio. Proinde non videntur ab invicem distare, nisi penes intensionem & remissionem. Ideòque quemadmodùm eadem albedo numero potest fieri intensior; ita planè idem actus remissus potest fieri intensus. Materialiter ergo idem sunt, sicut domus opaca & lucida. Est enim attritio velut lux auroræ, quæ sensim incrementa lucis suscipiens efficitur meridies.*

CARDINALIS TOLETUS.

Post mortem ipsius typis excusa fuit ipsius In- 1957
structio Sacerdotum, cujus Autographum seu Manuscriptum, propriâ manu ipsius exaratum, Marcus Attilius Monaldus, Curiæ Apostolicæ Notarius 13. Januarii 1670. publico instrumento testatur extare in Collegio Romano Soc. Jesu, cum hac inscriptione: *Cardinalis Toleti Scripta Theologica manu propriâ.* In ea igitur Instructione Editionis Lugdunensis 1599. necnon Mediolanensis & Antuerpiensis ejusdem anni. Sicut & Editionis Romanæ & Antuerpiensis anni 1600. Editionis Venetæ, Placentinæ & Coloniensis anni 1601. & Constantiensis anni 1602. libro 3. c. 4. Toletus sic habet: *prima quidem attritio, si talis sit, ut cognoscat pœnitens, se non detestari peccatum*, UT EST DEI OFFENSA, *sed tantùm ut est alicujus mali causa*, ET PŒNÆ INFERNI, *quamvis bonus sit actus iste, tamen non sufficit ad Sacramentum.... Unde Confessores maximè debent considerare, qualiter pœnitentes admittant ad confessionem. Non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensa Dei sunt..... Unde ante confessionem mihi videtur de tali dispositione fore interrogandos. Hinc etiam sequitur, contritionem, quæ pars est materiæ hujus Sacramenti, aut esse veram contritionem, aut existimatam.* Et c. 10. *cum pœnitens habet conscientiam, se non esse verè contritum, sed solùm attritum, peccat sic accipiendo absolutionem, nec valida est confessio.* Quid autem nomine contritionis intelligat, initio capitis 4. exponit, sic eam definiendo: *contritio est peccati præteriti, ut est Dei offensa, voluntaria super omnia detestatio, cum proposito futura super omnia vitandi, & commissa confitendi.*

Non me latet Toletum in posterioribus Editionibus, Antuerpiensi anni 1603. Romana anni 1608. Lugdunensi 1638. & aliis aliter habere. Et in Instructione Toleti manu conscripta, & à Monaldo authenticè recognita, post verba illa cap. 10. *nec valida est confessio*, reperiri signum remissivum ☞, cum hac additione marginali: *quod intelligendum est de attritione, quæ est imperfectus dolor præteriti, & imperfectum propositum futuri... Nam de attritione illa, quæ est detestatio cum vero proposito, sed ob pœnas inferni, dico, quòd licèt sciat homo se esse attritum, quòd est vera confessio, & accedens absolutio dat gratiam, ut colligitur ex Trid. sess. 14. c. 4.*

Verùm imprimis possessio est pro anterioribus illis Editionibus. Cùm enim in lucem prodierint velut à Toleto dictatæ, & de Coloniensi anni 1601. Typographus testetur quòd sit excusa *ex ejus Manuscripto juxta postremam Romanam Editionem, & ab omnibus mendis expurgata.* Et reverà in Romana Editione anni 1601 (prout extat in Bibliotheca Angelica S. Augustini de Urbe) expressè habeatur, quòd sit cum Autographo collata & correcta: anteriores illæ Editiones primùm adeptæ sunt possessionem præsumptæ consonantiæ cum germano Toleti Manuscripto; à qua possessione sine plena probatione deturbari

non debent. Plena verò pro posterioribus Editionibus probatio non adfertur; imò valida potiùs probatio, eaque multiplex, pro prioribus contra posteriores. Tum quia priores inter se sunt concordes. Tum quia nulla in eis Toleti secum contradictio; nulla styli variatio, nulla doctrinæ detruncatio, nulla manca resolutio, prout in Editionibus posterioribus.

Siquidem Editiones Antuerpiensis anni 1603. & Lugdunensis anni 1638. inter se non concordant, licèt in fronte præferant collationem cum Autographo. Nam ubi in Edit. Antuerp. anni 1603. habetur, *unde Confessores maximè debent considerare, qualiter pœnitentes admittant ad confessionem. Non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensa Dei sunt:* quæ verba habentur etiam in Editione Romana anni 1601. per Stephanum Paulinum, & in altera Romana anni 1608. per Zannetum, & in Colonienſi anni 1603. in qua Typographus dicit: *quæsitum est exemplum ipsius Toleti manu conscriptum.... quod est Romæ apud Patres Societ.* De Romana etiam per Stephanum Paulinum anni 1601. Possevinus in Apparatu sacro testatur, quòd *cum Autographo* fuerit *collata.* Denique de Romana anni 1608. P. Martinus Fornarius, qui ei præfuit, sic præfatur: *hanc igitur à nobis denuò cum Autographo accuratè collatam, & correctam, libenter accipe, & tamquam germanam Authoris Editionem agnosce.* Nihilominùs Editio Lugdunensis anni 1638. aliter habet, sic nimirùm: *non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur ob debitum finem.* Anne discordia & variatio ista reperitur in Autographo? Suumne Autographum Toletus variavit post obitum suum, qui fuit anno 1596.?

Sed & ipsa Editio Antuerpiensis anni 1603. secum ipsa non concordat, multiplicique ex capite ostenditur vitiata. In ea namque Toletus, quatuor explicans modos, quibus attritio, seu imperfecta contritio potest contingere. 1°. (inquit) contingere id potest *ex parte objecti, quando pœnitens detestatur peccatum cum reliquis conditionibus contritionis, sed non quia Dei offensa, verùm aut quia est quoddam malum animam fœdans, & deturpans, faciensque servam diaboli, aut quia ei debetur pœna æterna; aut quia ex eo secutum est malum temporale.* 2°. *contingit ex parte modi...* 3°. *modo....* 4°. *modo....*

Explicans deinde sufficientiam vel insufficientiam attritionis juxta quatuor illos modos, de attritione primo modo dicit: *prima quidem attritio, si talis sit, ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantùm ut est alicujus mali temporalis causa, quamvis bonus sit actus iste, non tamen sufficit ad Sacramentum.* Quæ explicatio seu resolutio perspicuè manca est & detruncata. Quia difficultas, quam circa attritionem primo modo, id est quæ non est ex motivo divinæ offensæ, sibi explicandam Toletus proposuit, non solùm est de attritione, quæ est ob malum temporale ex peccato secutum; verùm etiam quæ est de peccato, *quia est malum animam deturpans, faciensque servam diaboli, aut quia ei debetur pœna æterna.* In resolutione tamen istius difficultatis, quam facit §. *prima quidem attritio*, de sufficientia vel insufficientia attritionis de peccato, quia est malum animam deturpans, faciensque servam diaboli, aut quia ei debetur pœna æterna, ne verbum quidem dicit.

Similiter in §. *quarta sufficeret*, Toletus ea dicit & deducit, ex quibus magis magisque apparet detruncatio, textûsque depravatio: *Quarta sufficeret* (inquit) *ad gratiam in Sacramento recipiendam, si pœnitenti non constaret, se non esse verè contritum: cùm verò constat, insufficiens est. Quia cùm sibi constat, non esse verè contritum, debet prius verè conteri, ut aliqui dicunt: quamvis opposita sententia sit probabilior, ut infrà c. 10. rursus dicam. Unde Confessores maximè debent considerare, qualiter pœnitentes admittant ad Confessionem: non enim sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensa Dei sunt, & propositum habent non peccandi imposterùm, etsi non sunt examinandi an super omne malum detestentur. Unde ante Confessionem mihi videtur de tali dispositione fore examinandos.*

Hanc Toleti deductionem: *unde Confessores*, &c. (relictam conformiter ad priores Editiones anni 1600. & 1601.) quisquis mente seriâ, & à præjudiciis liberâ perpenderit, manifestè videbit 1°. resolutionem paragraphi, *prima quidem attritio*, ex mente Toleti restituendam juxta priores illas Editiones. 2°. eamdem resolutionem in posteriori Editione anni 1603. fuisse detruncatam. 3°. verba ista, *ut aliqui dicunt, quamvis opposita sententia sit probabilior*, &c. laciniam esse textui Toleti assutam, non à Toleto, sed ab alteratore Toleti, qui verisimiliter Toleti characterem imitatus fuerit (ut sæpè fit) eamque ad marginem Autographi propriâ manu Toleti conscripti, & in Romana Bibliotheca secreta Soc. asservati, tam affabrè inseruerit, ut omninò videretur propriâ Toleti manu inserta. Nec conjectura ista est absque gravi fundamento. Siquidem per laciniam illam Toletus inducitur, perinde loquens, ac si extravagantem hanc, imò contortam faceret consecutionem (quod de tanto viro credibile non est) *probabilior est sententia, quæ dicit, pœnitentes, etiamsi certò sciant se non esse contritos* (id est non dolere de peccato, quia offensa Dei est) *equidem non debere priùs conteri, quàm ad Confessionem admittantur, & absolvantur. Ergo non sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, quia offensa Dei sunt.* Relegatur contextus paragraphi, *quarta sufficeret*, & apparebit, clausulam istam, *unde Confessores*, &c. laciniam immediatè consequentem, illationi illi extravaganti æquipollere.

Sed & in Pauliniana illa Editione Romana anni 1601, & in Zannetina anni 1608. in qua relicta est clausula, *non sunt admittendi, nisi qui peccata detestantur, ut offensa Dei sunt* (in quo contritionem ab attritione Toletus distinguit) per adjectam laciniam, de qua suprà, Toletus inducitur velut sibimetipsi contradicens: si enim lacinia vera sit, non solùm admittendi sunt qui peccata detestantur, ut offensa Dei sunt, sed & qui ea detestantur præcisè ut inductiva inferni. Insuper lacinia illa contradicit iis quæ Scriptor ille Eminentissimus in iisdem Editionibus, sicut & in altera Zannetina an. 1618. habet, nimirùm: *In hoc Sacramento materia remota peccatum est; propinqua verò est contritio, confessio, satisfactio. Itaque peccatum contritum, confessum, satisfactum est materia propinqua Confessionis.* Porrò *contritio est præteriti peccati, ut est Dei offensa, voluntaria supra omnia detestatio*, &c. ut suprà. *Non sufficit nolle peccasse, quia peccatum malum aliquid secum affert, sed hâc ratione, quia offensa Dei est*, &c. Lib. 3. c. 4. Quæ cùm apertè sonent contritionis, prout ab attritione differt, necessitatem, non minùs apertè sonant laciniæ assutæ cum illis contradictionem, Toletanique textûs subdolam depravationem.

CARDINALIS BELLARMINUS.

Si Tridentina Synodus servilis attritionis sufficientiam declarasset, Bellarminus dum l. 11. de pœnit. c. 10. Calvinum refellit, ipsum de calumnia redarguisset, in eo quòd in Instit. cap. 9. de pœnit. de Catholicis ait, quòd *contritionem, primam obtinendæ veniæ partem faciunt, eamque debitam exigunt, id est justam & plenam; sed interim non constituunt, quando securus aliquis esse possit, se hâc contritione ad justum modum defunctum esse.* Hic

Hic verò miseræ conscientiæ miris modis torquentur, dum sibi debitam contritionem imponi vident, nec assequuntur debiti mensuram, &c. Tantùm verò abest, ut in eo Calvinum Bellarminus ipsum de calumnia redarguat, quin ipse quoque ibidem contritionem ex Dei dilectione requirit, ad veniam peccatorum obtinendam. Respondens namque illis Calvini verbis: *quæ sit* (inquit) *vera seriaque contritio, sine qua peccata non remittuntur* (audis?) *non possumus aliunde melius ac tutius discere, quam ex Litteris sacris. Porrò Litteræ sacræ, utique requirunt contritionem ex toto corde, qualis est etiam vera Dei dilectio, ex qua contritio vera procedit.* Iterùm audis? Posteaquàm verò ad id allegavit Deuteron. 3. & 30. 3. Reg. 8. 2. Paralip. 30. Hierem. 29. Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro*, concludit sic: *debent ergo adversarii* (Kemnitius & Calvinus) *velint nolint admittere, sine contritione perfecta* (id est plena) *& quæ ex toto corde sit, non remitti peccata.* Quæ verba glossari nequeunt de remissione extra Sacramentum. Quemadmodùm enim Calvini objectio, sic Bellarmini responsio procedit de contritione, quæ prima pars est Sacramenti Pœnitentiæ. Unde dum cap. 18. citat hæc verba Tridentini de attritione sess. 14. c. 4. *ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit*, eo modo id intelligit, quo Palæotus suprà relatus, quòd utique ad gratiam in Sacramento impetrandam disponit, quatenùs disponit ad contritionem ex Dei dilectione. Aliàs sibi non constaret. Maximè cùm præter id quod dixit loco citato l. 2. de arte moriendi c. 6. agens de Confessione peccatorum, dolorem ex vero Dei amore requirat: *ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè suscipiendum .... hoc requiro* (inquit) *ut ex toto corde displiceat tibi quòd in Deum peccaveris .... idque ..... ex vero amore Dei.*

Cardinalis Clemens Monilianus de Olera.

Anno 1562. prodit ipsius *Compendium Theologicarum qq.* de licentia Pii V. tunc Cardinalis & summi contra hæreticam pravitatem Inquisitoris, in cujus cap. 31. docet, dolorem de peccatis *ex respectu ad solum gehennæ metum, non esse qui veniam impetrat.* De contritione (quam dicit esse dolorem *voluntariè assumptum propter Deum summè dilectum, saltem appretiativè*) dictum à Joanne: *qui non diligunt, manent in morte.* Quòd quidem *attritio*, si sit perfectè circumstantionata, videtur dispositio sufficiens ad justitiam; sed de ea loquitur, *quæ fit contritio sine mutatione reali ipsius actûs*, de attritione proinde dilectrice ejusdem speciei cum contritione.

Cardinalis Richelius.

1959 In Catechismo suo docet quidem sufficientiam attritionis, sed ad eam requirit, quòd adjunctam habeat dilectionem saltem inchoatam Dei tanquam fontis omnis justitiæ.

Cardinalis Pallavicinus Societatis Jesu.

1960 In Epistola ad Pastores Gandenses: *Equidem in hac quæstione, super qua me compellare vobis placuit; an ad gratiam justificationis assequendam in Sacramento Pœnitentiæ aliquis actus charitatis erga Deum, non quidem perfectus, sed imperfectus, & per se ad justificationem insufficiens, sit necessarius? affirmanti sententiæ semper adhæsi, eamque in Academia Romana Societatis Jesu publicè docui; adeòque in quodam traditæ à me doctrinæ de pœnitentia Breviario typis evulgavi. Quam opinionem aliqui ex eadem Societate Præceptores amplexi erant, & ante & post me, alius aliusque Theologiæ Præceptor in eodem Gymnasio propugnavit.*

Cardinalis Le Camus, Episcopus Gratianopolitanus.

1961 In Constitutionibus Synodalibus tit. 6. a. 6. de pœnit. explicans necessitatem virtutis pœnitentiæ, dicit quòd pœnitentia *sit desiderium satisfaciendi Deo pro peccatis in ipsum commissis, quòdque istud desiderium proveniat ex motivo divini amoris.* Et in Theologia Morali Francisci Geneti (quam adoptavit, suâque authoritate munitam, Clero suo populoque tradi jussit, ac fidei principiis, regulæ morum, doctrinæque Ecclesiæ conformem declaravit in Epist. Pastorali de 12. Maii 1679. to. 8. præfixa) to. 4. tr. 6. de Sacrament. Pœnit. c. 5. de contritione: quærit *an omnis dolor de peccatis proveniens ex consideratione turpitudinis peccati, vel inferni, suppliciorumque æternorum metu, sit vera & salutaris attritio?* Et respondet *certum esse quòd non: quia ut attritio sit, & sufficiens ad peccatorum remissionem cum Pœnitentiæ Sacramento, esse debet supernaturalis, Denique velut fontis omnis justitiæ amorem in se complecti.* Quem amorem ostendit motum esse charitatis.

Cardinalis Bona.

Sententia ipsius est 1°. *quidquid boni à nobis* 1962
fit, quod non sit propter Deum, etsi officio videatur bonum, deficiente tamen recto fine peccatum est. De princip. vit. Christ. p. 1. §. 19. Igitur sententia ipsius est dolorem de peccatis fieri seu elici debere propter Deum, ad ipsumque propter se dilectum referri, utpote ad quem omnes deliberatos actus nostros referendos esse docet ibidem.

2°. sententia ipsius est, *quòd nemo se diligere debet propter se, sed propter illum, qui rerum omnium ultimus finis est, & summum bonum... Nam si se diligit propter se, non se refert ad Deum, aversus ab immutabili bono, seipso fruitur, transgrediens regulam dilectionis divinitùs constitutam.* Ibidem p. 2. §. 38. Igitur sententia ipsius est, quòd nemo dolere debeat de peccatis ultimatè propter seipsum (qui enim de peccatis dolet ultimatè propter seipsum, se diligit ultimatè propter seipsum. Dolor quippe, *& omnes alii affectus, ex amore velut ex fonte procedunt. Et si est ordo in amore, omnes affectus ordinati sunt; si non est ordo in amore, in ipsis quoque nullus ordo, sed perversitas & perturbatio est.* Idem ibidem.) Sed qui dolet de peccatis ultimatè propter inferni metum, de iis dolet ultimatè propter seipsum. Considerat enim infernum ut sibi incommodum; & sic dolor ipsius est ultimatè propter commodum suum, sive ex amore commodi sui, ibi sistendo. Ergo est ultimatè propter seipsum. Quod vitiosum & inordinatum esse tradit piissimus & sapientissimus ille Cardinalis.

Cardinales de Noris, de Lauræa, de Aguire, Denhoffius, Forbinus de Janson.

De Norisio constat ex eò quòd Augustinianæ 1963
doctrinæ fidelissimus per omnia vindex & assecla fuerit.

Cardinalis de Lauræa to. 4. in 3. Sent. Scoti disp. 11. a. 1. n. 52. *indubitatum esse oportet* (inquit) quòd in qualibet detestatione peccati, offensæ Dei, etiam ex motivo gehennæ aut turpitudinis peccati, *debeat adesse actus aliquis inchoatæ charitatis.* Num. 54. in omnium Sacramentorum susceptione necessariam esse dicit dispositionem *per actus fidei, spei & charitatis.* Et disp. 17. a. 6. n. 98. & seqq. docet quòd in susceptione Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ *est necessaria dilectio Dei.* Quòd sine ea *non adesset displicentia de illius offensa*, nec *conversio ad Deum.* Nam *sicut conversio ad creaturam fuit dilectio creaturæ; ita conversio ad Deum est dilectio Dei.* Denique quòd *inter dispositiones requisitas ad gratiam justificationis præ cæteris est Dei dilectio.* Quod probat ex 1. Joan. 3. *qui non diligit, manet in morte.*

Cardinalis Aguirius differt. 8. in can. 11. & 12. Concil. Tolet. III. excursu 2. n. 149. postulat *veram contritionem, conversionem totius cordis.... dilectionem Dei... cum Sacramento.... ad impetrandam peccatorum veniam.* Et n. 150. ad idem postulat *contritionem profectam ex vero Dei amore super omnia*

Cardinalis Denhoffius in Instruct. Pastorum pag. 3. Edit. Cœnatensi. anni 1696. pœnitentiam similiter exigit ex vero Dei propter se amore.

Cardinalis Forbinus de Janson in Epistola Pastorali, quam ad Clerum suæ Diœcesis anno 1660. scripsit, dum esset Episcopus Dinensis, præclarissimas Moralis Christianæ regulas, de obligatione referendi omnes actus nostros in Deum, deque amore Dei necessario ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, dicens, quòd Scriptura docet, *solam esse quæ nos liberat à morte.* Qui enim non diligit, manet in morte. Quòd nemo possit esse justus, nisi divinus amor dominetur in corde ipsius. Quòd sine charitate, perfecta vel imperfecta, nullus sit actus benè factus, &c.

§. II.

Proferuntur insignes Archiepiscopi, & Episcopi pro eadem sententia.

STEPHANUS PARIS.

1964 STephanus Paris, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Avellanus, in Institutione Christiani hominis anno 1552. per Facultatem Theologicam Parisientem approbata, homiliâ feriæ 6. post Dominic. 4. Quadragesi. requirit contritionem perfectam, per quam peccator justificetur, priusquàm à Sacerdote absolvatur. Quam etiam opinionem noster Joannes Maria Verratus, Ferrariensis Carmelita, in disputationibus adversus Lutheranos anno 1547. editis, Paulòque III. dicatis, disput. 6. de confess. conclus. opinione 4. secutus est, & disput. 7. de pœnitentia interiori, optimè explicat, cumque efficacia Sacramenti Pœnitentiæ conciliat, licèt peccata Deus per contritionem prius remittat, quàm Sacerdos absolvat, quia Deus hoc non facit intuitu contritionis, nisi quatenùs includit votum Confessionis & Sacramenti, ideòque Sacramentum, antequam sit in re, efficax est ad illam remissionem, *quemadmodùm & Christi Passio in hoc efficax mirabiliter fuit, quoniam operata est salutem Patribus veteris Testamenti, priusquam exhiberetur in effectu.*

MARIANUS VICTORIUS.

1965 Marianus Victorius, Amerinus in Italia Episcopus, in lib. de Confess. Romæ edito anno 1562. c. 13. de absolutione, perfectam contritionem similiter requirit, per quam à Deo peccator justificetur, priusquàm à Sacerdote absolvatur.

NICOLAUS DE THOU.

1966 Nicolaus de Thou, Episcopus Carnotensis, in suo Rituali anni 1581. tit. de partib. pœnit. tres esse dicit partes Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, satisfactionem. Deinde contritionem explicans: *Contritio* (inquit) *est intimus dolor conscientiæ, quæ sentit Deum irasci peccatis, & se propter Deum graviter dolet peccasse, cum voto vitam emendandi.* Denique explicans modum quo contritio formetur: *Habet* (inquit) *contritio sua præambula, antequam perfecta sit. Incipit enim à timore servili. Si hic consistat peccator, in desperationem adigitur. Perficitur autem timore filiali, cùm peccator detestatur peccata ex amore Dei..... Deus peccatorem in hoc dolore constitutum clementer respicit*, &c.

CAROLUS DE BONY.

1967 Carolus de Bony, Episcopus Engolismensis, in Rituali suo anni 1582. tit. de Sacram. Pœnit. pag. 248. dicit, quòd *pœnitentia virtus, quæ est materia Sacramenti Pœnitentiæ, tunc est, cùm peccata nobis displicent ex amore Dei, non solùm ob pœnarum metum, vel ex amore nostri.*

PETRUS DE VILLARS.

1968 Petrus de Villars, Archiepiscopus Viennensis, in Delphinatu, anno 1584. Rituale edidit, cui titulus: *Institutio Parochorum*, ubi sub titulo de administratione Sacrament. Pœnit. docet qualiter fideles præparari debeant ad Sacramentum Pœnitentiæ, repræsentatâque injuriâ quam peccando faciunt Creatori suo, sancto baptismati, sanguini Christi, & sibimetipsis, gratiam amittendo, divinæque iræ rigorem promerendo, subjungit ad intentum: *Vos igitur oportet recogitare periculum cui vosipsos exposuistis, ardentemque & profundam in vobis contritionem, dolorosamque de peccatis displicentiam concipere, non solùm ex timore pœnæ, verùm etiam ex Dei amore.*

JOANNES DE SCHAUWENBERG, ARCHIEPISCOPUS ELECTOR TREVIRENSIS.

Anno 1590. Catechismum edi jussit, in quo 1969 declarat quòd ad peccati remissionem requiritur & sufficit ut dolor *ex vera Dei charitate super omnia emanet.*

ERNESTUS, EPISCOPUS LEODIENSIS.

Anno 1592. Parochiale & ipse edi jussit, in quo 1970 tit. de Pœnitentia divini amoris in Sacramento Pœnitentiæ necessitatem tradit.

S. FRANCISCUS SALESIUS.

Eandem necessitatem tradit l. 2. de Amore Dei c. 19. Verba ipsius habes suprà n. 1770.

JACOBUS BOONEN.

Jacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis, 1971 in Mandato de 26. Martii 1637. omnibus Confessariis mandat, *quatenùs omnem industriam eò conferant, ut omnes ad Sacramenti Pœnitentiæ perceptionem accedentes, inducant, moveant & disponant ad veram & cordialem detestationem ac dolorem suorum peccatorum, non tam ex timore pœnarum, quàm ex Dei amore, quo ipsum velut summum bonum, quod maximâ impietate peccando contempserunt, perfectè diligant, vel saltem ut fontem justitiæ... diligere incipiant.* Verba ipsius per extensum retuli num. 1420.

OCTAVIUS DE BELLEGARDE.

Octavius de Bellegarde, Archiepiscopus Seno- 1972 nensis, Galliarum Primas, in Synodo anni 1645. *Prohibemus* (inquit) *Concionatoribus prædicare, quòd ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ necessarius non sit peccatoribus amor Dei supernaturalis, ipsisque mandamus, ut populi sollicitè exponant dispositiones à Tridentino requisitas sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4.* relatisque verbis sess. 6. c. 6. *Deumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*; addit: *quòd si verba ista Concilii perspicuè ostendunt, adultis necessariam esse Dei dilectionem ad justificationem, etiam in Sacramento Baptismi; à fortiori post amissam baptismatis gratiam, contritumque Spiritum sanctum, qui in ipsis inhabitaverat, eadem dilectio necessaria est ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ.*

Similiter relatis verbis sess. 14. c. 4. concludit, quòd juxta Tridentinum *ipsamet attritio includere debeat voluntatem amplius non peccandi, cum spe veniæ à Deo consequendæ: quæ duæ conditiones esse nequeunt* (inquit) *absque amore Dei.*

LUDOVICUS HENRICUS DE GONDRIN, ET JACOBUS NICOLAUS COLBERT.

Ludovicus Henricus de Gondrin, Bellegardi 1973 in Archiepiscopatu Senonensi Successor, in Synodo anni 1678. propositionem hanc Apologistæ Casuistarum, *Verum est quòd nonnulli Casuistæ, & Jesuitæ, docuerunt, metum pœnarum temporalium, toties à Deo comminatarum in veteri & novo Testamento, ad percipiendam absolutionem sufficere, dum peccator statuit criminum suorum emendationem.* Hâc censurâ perstrinxit: *Hæc propositio, quatenùs secluso penitùs amore divino, solum pœnarum, etiam temporalium, timorem pro idonea ad fructuosam pœnitentiam dispositione obtrudit, falsa est, erronea, à novæ legis spiritu maximè aliena, & sacro Concilio Tridentino contraria.*

In Catechismo etiam jussu suo conscripto, suæque

que Diœcesi præscripto lect. 26. sic habet: *Quale esse debet contritionis nostræ motivum? R. amor Dei, fundatus super bonitate ipsius, gratisque omnibus quas nobis immeritis contulit. Quare divinus amor esse debet motivum nostri de Deo offenso doloris? R. quia sicut peccatum, cùm sit aliquod Dei odium, à Deo nos separat; solus Dei amor nos Deo reunire potest. Ergone verus Dei amor necessarius est ad reconciliandum nos Deo per Pœnitentiæ Sacramentum? R. omninò, secundùm spiritum, & regulas Evangelii. Solusne pœnarum timor insufficiens est cum Sacramento? prorsus insufficiens est, nisi ei jungatur amor.* Quod probat ex Augustino.

Et in Epistola ad omnes Confessarios Regulares Diœcesis suæ anni 1672. ipsos monet, *ut peccatores habituati sentiant justam Ecclesiæ severitatem, ipsos à sacra mensa prohibendo, absolutionemque ipsis denegando, donec cognoscatis quòd cor ipsorum Deus converterit per sui amoris infusionem, qui solus cor immutare potest, idoneumque reddere percipiendo fructus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Illustrissimi Domini Colbert, Archiepiscopi Rothomagensis, verba dabimus cap. 165.

ANTONIUS GODELLUS.

1974 Antonius Godeau, Episcopus Grassensis, & Vencensis, tanto habitus in pretio, ut Episcoporum Galliæ veluti Pater haberetur, in Institutionibus Synodalibus tit. 7. de Sacrament. Pœnitentiæ dicit, pœnitentiam, omnibus necessariam, „ in nobis nasci ex motivo divini amoris." Et in regulis Christianis, reg. 10. de metu inferni, dicit quòd " Christianus transire debeat à timore ad „ charitatem, sicque incipere à catenis ferreis, ut „ perveniat ad torquem & coronam auream; potiùsque timere infernum, quia in eo peccator „ confirmatur in odio Dei, ipsiusque in æternum „ fruitione privatur, quàm quia ibi cruciatur, sive „ in corpore, sive in anima. Cùmque nos amare non debeamus propter nosipsos, ita ut nos simus terminus amoris nostri, (quod certissimum „ est) consequenter non liceat nobis vel ipsam „ beatitudinem finaliter propter nos, sed propter „ Deum, illam ad ipsum referendo, & per ipsum, „ in ipso, ac propter ipsum beatitudinem desiderando." Regulâ etiam 8. dixerat, quòd " Christiano specialis incumbat obligatio cuncta opera „ sua referendi in Deum, eò quòd sit membrum „ Christi, qui nihil unquam fecit, nisi pro gloria „ Patris." Et in tabulis pœnitentiæ tab. de Antiocho Rege: "Si" (inquit) " consideremus „ pœnitentiam majoris partis Christianorum, deprehendemus, quòd post vitam actam in infelici „ circa Deum insensibilitate, peccatisque enormibus; antequam è vivis excedant, confiteantur, „ sacrum Viaticum, extremamque percipiant „ unctionem, plorent, suspirent, à Deo veniam „ poscant, excessus suos palàm enuntient, Deum „ invocent, tandemque redemptionis nostræ tesseram amplectendo moriantur. Certum interim „ est ex Evangelio, valdè parvum esse numerum „ salvatorum ..... oportet igitur finem majoris „ partis Christianorum fini Antiochi similem esse.... „ Non plorant ob amissam gratiam, sed ob vitam „ proximè amittendam. Nec tam dolor de offenso Patre misericordiarum, lachrymas illas ex „ oculis, pœnitentiæque verba ex ore ipsorum elicit, quàm timor Dei, quo concutiuntur. Nec „ præterita vita ipsis displicet, nisi quia instare vident horribile judicium. Contremiscunt ut fugitiva mancipia à Domino deprehensa, & apprehensa, quem adhuc procul distantem credebant; „ non ut filii revertentes, quos pœnitet Patri suo „ displicuisse, &c.

JOANNES DE WACHTENDONCK.

1975 Joannes de Wachtendonck, Episcopus Namurcensis, in Synodo anni 1659. tit. 5. de Sacram. Pœnitent. c. 21. " Mandamus" (inquit) " omnibus & singulis in hac Diœcesi nostra ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem admissis & „ approbatis, quatenùs omnem suam industriam „ eò conferant, ut pœnitentes ad Sacramenti perceptionem accedentes, prævià dispositione, per „ actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, induceant & moveant ad veram & cordialem detestationem & dolorem suorum peccatorum, non „ tam ex timore pœnarum, quàm ex dilectione „ Dei, quem cùm ex toto corde amare debuissent, maximâ impietate peccando contempsere."

CAROLUS MAURITIUS LE TELLIER.

Carolus Mauritius Le Tellier, Archiepiscopus 1976
Remensis, in Rituali suo anni 1676. de Sacram. Pœnit. tit. de contrit. *Motivum principale contritionis, Dei amor est super omnia. Tametsi enim timor, qui ordinariè concipitur ex consideratione enormitatis peccati, vel pœnarum inferni, Dei donum sit, & Spiritûs sancti impulsus, utiliter concutiens peccatorem, ipsumque disponens ad justificationem; nihilominùs timor iste non avellit ex toto peccatorem à creatura, nisi excludat voluntatem peccandi, cum spe veniæ, initialique amore, quo peccator convertatur & feratur in Deum tanquam omnis justitiæ fontem*, secundùm doctrinam Concilii Trid. sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4.

Cùmque laudatissimus iste Archiepiscopus, in suo è Generalibus Cleri Comitiis reditu anno 1681. audivisset in Remensi Collegio Societatis mensibus Martio & Maio propugnatas Theses, servilis attritionis sufficientiam asserentes, velut fundatam (tametsi non definitam) in istis Tridentini verbis sess. 14. c. 4. quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ, &c. accitum Collegii Rectorem, Thesesque Præsidem, tanto aggressus est sermonis vigore, tantâque luminis copiâ, ut ipsos compulerit ad contrariam Thesim propugnandam, uti factum est 8. Junii ejusdem anni sub hoc tenore: *Imperfecta verò contritio, quæ attritio dicitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, & amorem Dei includat, quo incipiat diligi ut omnis justitiæ fons, quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

GILBERTUS DE CHOISEUL.

Gilbertus de Choiseul du Plessis-Praslin, Epis- 1977
copus Tornacensis, in explicatione partium Sacramenti Pœnitentiæ art. 4. sic ait: *Ad peccatorum condonationem, etiam in Sacramento obtinendam, tanto beneficio imparem dolorem & contritionem agnosco, nisi sit fœtus amoris & charitatis.* Quod pluribus probat argumentis. Et ad objecta in contrarium solidè respondet a. 12.

HENRICUS DE LAVAL, ET HENRICUS DE BARILLON.

Henricus de Laval de Bois-Dauphin, Episco- 1978
pus Rupellensis, & Henricus de Barillon, Episcopus Lucionensis, in suo Catechismo anni 1676. p. 6. a. 3. lect. 8. expressissimis terminis docent insufficientiam doloris ex solo inferni metu concepti, & necessitatem divini amoris, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ. *Tum quia unum est ex primis principiis Ethices Christianæ, quòd Deus peccata non condonet, nisi iis qui se convertunt ad ipsum. Quod non fit nisi dum quis incipit verè amare Deum.* Siquidem *converti ad Deum, est ad Deum reverti, post separationem à Deo per peccatum. Creatura verò rationalis ad Deum non revertitur, nisi per amorem, quo in ipsum ferri incipit.* Tum quia *solo inferni metu, juxta sanctos Patres, non excluditur voluntas peccandi*, ut ibidem ostendunt.

GUIDO DE SEVE.

Guido de Seve de Rochechoüard, Episcopus 1979

Atrebatensis, in Instructione Pastorum & Confessariorum circa Pœnitentiæ Sacramentum c. 4. per totum fusè ostendit, quòd *attritio, ex solo timore concepta, non sufficiat ad gratiam, etiam cum Sacramento, sed ad eam necessarius sit amor Dei.*

Idem habet in regulis pœnitentiæ (quas ipso teste in Instructione citata c. 8. sub finem, 31. Episcopi approbarunt, plurimumque laudarunt) regulâ 107. 108. 109.

JOANNES NEERCASELIUS, HIPPOLITUS DE BETHUNE, PETRUS LAMBERTUS LE DROU, GENERALIS COETUS CLERI GALLICANI.

1980 Eandem denique sententiam de divini amoris necessitate in Sacramento Pœnitentiæ, formidolosæque attritionis insufficientia, tradunt Joannes Neercaselius, Episcopus Castorienſis, in Amore suo pœnitente l. 1. per totum, Petrus Lambertus Le Drou, Episcopus Porphirienſis, Sacrarii Apostolici Præfectus, Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonicus Pœnitentiarius, Romæ cum approbatione Magistri S. Palatii librum novissimè edidit anno 1707. in quo per totum validissimè probat divini amoris in Sacramento necessitatem, exprofessoque refellit attritionis servilis sufficientiam. Sicut & Hippolitus de Bethune, Episcopus Virodunensis, in praxi Sacram. Pœnit. tr. 3. reg. 1. & Conventus Gener. Cleri Gallic. in Congregatione anni 1700. in qua, post censuram 127. propositionum, solemnem hanc declarationem subjunxit: *De dilectione Dei... ad Sacramentum Pœnitentiæ.... requisitâ, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo ex sacrosancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse duximus.... nequis putet.... securum se esse, si præter fidei & spei actus, non incipiat diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem. Neque verò satis adimpleri potest Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum divinâ opitulante gratiâ sese excitet ac provocet.*

§. III.

Exhibentur magni nominis Theologi, Sæculares ac Regulares, omnium Ordinum, Academiarumque.

JOANNES VIGUERIUS, ORD. PRÆDIC.

1981 Anno 1552. (adeòque post sess. 14. Concilii Trid.) edidit *Institutiones ad naturalem & Christianam Philosophiam* (quas Facultas Theologica Parisiensis solemniter approbavit.) Ibi verò c. 16. de Sacram. Pœnit. §. 4. v. 1. *adveram* (inquit) *pœnitentiam virtutem requiruntur sex, 1°. displicentia peccati. 2°. propositum à cætero non peccandi. 3°. pœna voluntaria, quæ recompenset offensam. 4°. intentio removendi sequelam peccati, quæ est culpa, & reatus pœnæ. 5°. quòd propter Deum. 6°. cum spe veniæ.... Pœnitentia.... est falsa, quæ caret his conditionibus, vel aliquâ illarum.*

Et v. 10. *Contritio dupliciter potest considerari, 1°. ut est actus virtutis pœnitentiæ.... Et hæc contritio est de jure naturæ, & prærequiritur ad contritionem sacramentalem. 2°. ut est pars Sacramenti.* De qua sic: *contritio, ut est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, sic definitur: est dolor de peccatis propriis, voluntariè assumptus, propter Deum summè dilectum, cum proposito, &c. Ex hac definitione apparet, quòd.... contritio, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, est dolor..... propter Deum summè dilectum. Et ideò oportet quòd sit maximus.... non intensivè, sed appretiativè. Ita quòd sicut Deus debet diligi super omne diligibile.... sic peccator sit (saltem in præparatione animi) taliter dispositus, quòd mallet privari omnibus bonis mundi temporalibus... & mallet sustinere omnia tormenta, etiam inferni... quàm Deum offendere.... Et quia incertum est nobis, an talem summam dilectionem Dei ex toto corde, mente, & viribus (quam habere præcipimur) habeamus; ideò incerti sumus, an contritionem, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, habeamus.*

Et infrà: *Circa attritionem sunt variæ opiniones, pro quarum concordia & resolutione sciendum, quòd si attritio dicitur dolor de peccatis voluntariè assumptus propter timorem servilem..... atritio nunquam fit contritio.... Si autem atritio dicatur dolor voluntariè assumptus propter Deum summè dilectum, sed non cum sufficienti, & requisita intensione, sive gradu.... sit attritio per continuationem, vel applicationem absolutionis sit contritio. Et sic intelligitur id quod à Doctoribus communiter dicitur, quòd virtute clavium, ex attrito fit contritus.*

THOMAS HERENTALINUS, ET CONRADUS CLINGIUS, ORD. MIN.

Verba Herentalini ex Speculo vitæ Christi- 1982
næ, circa idem tempus edito, & iteratis typis Flandricè anno 1545. apud Coloniam recuso, vide sup. n. 1556. Sicut & Clingii (qui eodem anno 1555. prodiit) n. 1566.

JOANNES LANSBERGIUS.

In doctissimis Exegesibus suis anno 1553. Co- 1983
loniæ primùm editis, verbis perspicuis intentum tradit, uti vidimus n. 1772.

JOANNES MEDINA.

Joannes Medina, Theologus Complutensis, 1984
Codice de pœnitentia (quem circa eundem annum 1553. scripsit) q. 4. *videtur tenendum quòd pœnitentia* (id est contritio) *neque cum Sacramento, neque sine illo, potest de lege ordinaria, ad salutem animæ valere, nisi in Deum summè dilectum sit relata.*

Et Cod. de Confessione tr. 11. tres facit propositiones, quarum prima: *quòd non possit gratiam & justificationem consequi, nisi pœniteat cum veteris vitæ. Secunda, quod hujusmodi pœnitentia cordis debeat esse propter Deum summè dilectum, & ex amore Dei procedere, & non ex solo timore.*

GABRIEL PUTHERBÆUS.

In lib. *de pœnitentia & partibus ejus secundum* 1985
veritatem Ecclesiæ orthodoxæ, salutisque necessitatem (qui liber cum approbatione Doctorum Parisiensium anno 1557. Gallicè prodiit) in præmbula admonitione, loquens de pœnitentia ad finem vitæ dilata, ait, quòd in tali pœnitentia *vix judicari potest inesse charitatem, vel timorem virtuosum ac filialem; sed benè timorem servilem, qui non sufficit ad peccatorum deletionem. Talis pœnitentia oritur potiùs ex timore periculi mortis imminentis, quàm ex justitiæ amore. Quem verò pœnitet* (*dicit S. Augustinus*) *oportet non solùm timere Deum Judicem, sed & justum diligere. Quia sine charitate nullus salvus esse potest.*

Et cap. de contritione, quam dicit Confessioni præmittendam, *incipiat* (inquit) *à timore; non tamen figat ibi, sed transeat ad amorem: quia tunc demùm peccator est contritus & compunctus... Si enim peccator vellet in hoc servili timore consistere, hic metus non conversionem, sed desperationem generaret.* Denique *posteaquàm peccator à timore transiit ad amorem, atque ex amore dolet de peccatis, cum proposito vitæ melioris, accedere debet ad Sacerdotem, ut ab eo absolvatur.*

PETRUS CANISIUS, SOCIETATIS JESU.

In celebri Catechismo (anno 1560. typis dato) 1986
agens de Pœnitentiæ Sacramento, primam partem ipsius, videlicet contritionem, hoc modo definit: *Est animi dolor, & quæ de peccatis propter Dei offensam concipitur detestatio, cum proposito vitæ in melius commutandæ.* Posteà quidem inter-

varia ejus concipiendæ motiva, feveritatem refert divini judicii, fed ut hoc verum fit, in eo motivo non debet fifti; fed & habenda ratio Dei offenfi, ut etiam propter ipfum concipiatur, ut liquet ex allata ab ipfo definitione, & SS. Patrum teftimoniis, quibus eam illuftrat, nominatim ex teftimonio Auguftini ferm. 7. de temp. *Pœnitentiam certam non facit, nifi odium peccati, & amor Dei*, &c.

JOANNES BUNDERIUS ORD. PRÆDICAT.

1987 Bunderius, hæreticæ pravitatis Inquifitor, in compendio Rer. Theologic. anno 1562. Antuerpiæ edito tit. 14. de contritione: " Dicas " (inquit) " nobifcum primam pœnitentiæ partem effe " contritionem, quæ non eft fine fide, fpe, & " charitate, feu, ut explicat, charitatis amore.... " Hinc quibus perfectè " (id eft plenè) " difplicet peccatum, quia eo tam pium Patrem.... " offenderunt... habent... contritionem. Comminutum enim eft in eis peccatum per difplicentiam, ne aliquid ejus adhuc placeat in animo. Sunt & alii, non vero & perfecto corde " compuncti. Abftinent quidem à peccatis, non " quia Deo difplicent fcelera, fed fupplicii formidine.... Hos attritos dicimus, non contritos: quoniam peccatum in eorum animo non " eft comminutum, aut contritum, fed adhuc " vel ex parte placet, folo pœnæ timore ab eo " refilientes." Quibus verbis patenter innuit, peccatum non penitùs difplicere, fed adhuc ex parte placere, fecundùm le, faltem habitualiter, dum ex folo pœnæ timore difplicet.

Et in fcuto fidei orthodoxæ, anno 1556. Gandavi edito, de contrit. tit. 26. " Quemadmodùm in " peccato eft averfio à Deo fummo bono, & " converfio inordinata ad commutabile bonum, " five ad creaturam; fic in vera pœnitentia debet " effe peccatoris averfio à delicto, & à creatura " male concupita, cum perfecta" (id eft totali)" converfione ad Deum, qui eft fummum bonum. Hæc converfio ad Deum, & averfio à " peccato, accidit aliquando corde imperfecto, (id eft non ex toto corde, prout Scriptura requirit) " quando dolor ipfe de peccatis magis eft " ex timore pœnæ, quàm propter Deum fummè " dilectum.... Hunc dolorem attritionem vocamus: quia peccatum in talium cordibus non " eft contritum, fed adhuc placet in animo; exiret autem in opus, fi non eflet formido pœnæ. " Hæc attritio non placat Deum: quia peccatum " placet in animo... Alia eft converfio ad Deum " ex toto corde, quam contritionem appellamus: " in tali enim converfione peccatum eft contritum omninò, & nihil ejus placet in animo pœ" nitentis... Hæc perfecta converfio non eft nec " fide, fpe, & charitate.

FRANCISCUS PICARDUS.

1988 Franciscus Picardus, S. Germani Antifiodorenfis Decanus, *multa paffus ob finceram fidei prædicationem* (ait Poffevinus) cujus homiliæ (anno 1565. editæ) fpirant (ut idem ait) miguem pietatem, ferm. feriæ 5. poft 1. Dom. Advent. *Pœnitentiæ*, (inquit) *Sacramentum.... in tribus rebus conftitit, primum contritione, quæ dolor eft de peccato propter amorem Dei conceptus. Deinde confeffione oris*, &c. Et ferm. Dom. 2. poft Octav. Epiph. *Quamvis hic homo fit fanatus, is tamen ad Sacerdotem mittitur ut fefe fiftat, purgetur, & mundetur, & antequam quis ad Confeffionem vadat, contritus effe debet. Aliàs ille abfolutionem dare non debet, fed peccata retinere.*

EDMUNDUS AUGERIUS, SOC. JESU.

1989 Lib. 1. de Pœnit. poft recenfitam cap. 2. materiam Sacramenti Pœnitentiæ, contritionem, confeffionem, fatisfactionem. Cap. 3. contritionem explicans, *planè certum eft* (inquit) *quòd ad obtinendam peccatorum remiffionem neceffe fit dolere de peccati enormitate, non folùm ex intuitu pœnæ, cui per illud facti fumus obnoxii, fed etiam quia opponitur fummo bono, quod eft ipfe Deus... cujus reformidare debemus offenfam, ex quo fuper omnia ipfum diligere tenemur.* Quod declarat exemplis Petri & Magdalenæ, quorum contritio haud dubiè ex amore proceffit, non ex folo timore. Scripfit anno 1567.

ÆGIDIUS TOPIARIUS.

Anno 1570. conciones edidit in Epiftolas & 1990
Evangelia. Et conc. fuper epift. in die Cinerum, explicans verba Joël, *Convertimini ad me in toto corde veftro, &c.* docet, iis prædicari veram pœnitentiam, quam *Propheta conftituit in vera cordis ad Deum converfione..... toto corde*, id eft (ut ipfe explicat) *concepto odio peccati, & amore juftitiæ.* Additque iifdem Prophetæ verbis præfocari errorem Lutheri, negantis tres pœnitentiæ partes, contritionem, confeffionem, fatisfactionem. Atque adeò Prophetæ verba intelligit de pœnitentia, etiam facramentali.

ADRIANUS HECQUETIUS, ORD. CARM.

Adrianus Hecquetius, Carmelita Atrebatenfis, 1991
Doctor Parifienfis, anno 1570. typis mandavit enarrationes in Evangelia Quadrageſ. Enarratione verò in Evang. feriæ 3. poft Dominic. 1. Quadrageſ. " Ignoras" (ait) " quàm tuæ faluti conducat Pœnitentiæ Sacramentum? Qui ad pœnitentiam " non convertitur, ad Dei gratiam non revertitur. En hujus pœnitentiæ partes habeto. Contritione opus eft, confeffione, & fatisfactione. " Contritio eft quædam triftitia propter Deum, " ob peccatum perpetratum.... Certè Deus offendi non debet, ob id potiffimùm quòd infinitæ fit bonitatis. Veluti igitur tibi fcelus placuit, " fac verè pœnitens ut tibi prorfus difpliceat, & " ob id vehementer doleas, & tibi quodammodò " difpliceat, quòd non fit tibi major triftitia ob " Deum, qui tam bonus eft, toties offenfum, &c. "

PETRUS BACHERIUS, ORD. PRÆDIC.

Anno 1572. prælo dedit Homilias in Epiftolas 1992
Quadrageſimæ. Et hom. feriæ 6. poft Dominic. 1. agens de pœnitentia facramentali, primam partem ipfius explicans, fcilicet contritionem, dicit quòd " ex animo & lubenter pœnitendum eft de admiffo fcelere, non ideò tantùm quòd animæ lædat valetudinem; fed ideò etiam maximè quia indulgentiffimo Patri fupra modum " difpliceat; Patri illi dico, cui tot nominibus, " ob multitudinem in nos accumulatorum beneficiorum, fumus devincti. Id omninò poftulat " ipfe Dominus per Joëlem Prophetam c. 2. Convertimini ad me in toto corde veftro. "

JOANNES MALDONATUS, SOCIET. JESU.

To. 2. de Pœnit. p. 4. poft affignatum c. 1. 1993
difcrimen inter contritionem & attritionem, c. 2. Quòd" (inquit) " fit pars pœnitentiæ contritio, " Scriptura docet, & quemadmodùm præcipit ut " Deum diligamus ex toto corde; ita jubet ut ad " Deum convertamur in toto corde. Hæc autem " contritio eft toto corde dolere, ita ut fcindamus " corda noftra, ubi etiam exprimitur, non tantùm " æftimatio, fed etiam vehementia contritionis... " Et ratio eft: nam eâdem viâ neceffe eft ad Deum " convertamur, quâ ab eo difceffimus. Difceffimus " autem ab eo, quia illi antepoſuimus res creatas. " Ergo debemus ad illum redire, dolendo quòd " ipfum offenderimus, pluſquàm doleremus propter res omnes creatas." Et cap. 3." Neceffe eft " habeat contritionem, qui confitetur. " Et ifta communis (inquit) opinio eft.

GEORGIUS BUSTIUS, ORD. PRÆDIC.

In lib. de Pœnit. quem edidit anno 1576. q. 2. 1994
A Chriſto inſtitutum eſt Pœnitentiæ Sacramentum, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem continens, tanquam ejus partes... om- "

" ninò neceſſarias... Nam cùm per lethale pec-
" catum homo ſit à Deo averſus... ex gitur pri-
" mò, ſi Dei amicitiam per peccatum amiſſam
" conſequi exoptat, ut à peccato ipſo avertatur,
" dolens de commiſſo, proponenſque ipſum non
" ampliùs committere; quod ad rationem ſpe-
" ctat contritionis, quâ mens ad Deum conver-
" titur. Quæ tamen converſio fieri non poteſt,
" niſi adſit divina gratia, charitatem, ſive amo-
" rem Dei gignens, per quam ipſi Deo conjungi-
" tur & unitur." Sine qua contritione, ſeu converſione, q. 4. dicit, quòd *nec vera Confeſſio dici poteſt, nec peccator abſolvi debet.*

GABRIEL PRATEOLUS.

1995 In confutatione quinquaginta inſignium errorum Lutheri, Typis datâ anno 1574. confut. erroris primi, perfectam requirit contritionem. Siquidem concluſ. 2. *Peccator* (inquit) *adultus non poteſt ſine pœnitentia juſtificari.* Concluſ. 4. *Pœnitentiâ virtute, & Evangelicâ.... hoc eſt verâ & ſincerâ contritione, ante datam Sacerdoti confeſſionem, Deus peccata remittit.* Dummodò non deſit votum confeſſionis, ut dicit concluſ. 5.

MARTINUS AB EISENGREIN.

1996 Eiſengrenius S. Th. Doctor, & Procancellarius Ingolſtadienſis, in ſuo Confeſſionali edito anno 1577. c. 4. q. 5. Sic habet, " quid requiri-
" tur in pœnitente, ne informis ſit confeſſio, & Sa-
" cerdotis abſolutio inefficax? " Reſpondet: " Si
" quis hujus Sacramenti fructûs particeps eſſe ve-
" lit, 1°. neceſſaria eſt cordis pœnitentia ... 2°.
" non ſufficit atteri, ſive deteſtari peccatum prop-
" ter ipſius turpitudinem, gehennæ metum, aut
" ſimilem aliquam cauſam, ſed conteri oportet.
" Hoc eſt peccatum odiſſe debemus propter
" Deum opt. max. indignis modis à nobis offen-
" ſum.... Quòd autem hæc contritio ex amore
" Dei debeat proficiſci, & non ex metu ſupplicii
" tantùm, clarè atteſtatur S. Auguſtinus, &c.

GABRIEL INCHINO, CANONICUS REG. LATER.

1997 Anno 1577. in Eccleſia Conſentina ſermonem habuit de pœnitentia, in quo expreſsè docet, & copioſè probat, pœnitentiam veram importare dolorem pro peccatis principaliter quatenùs ſunt offenſa Dei, infructuoſamque eſſe pœnitentiam ex ſolo timore purgatorii vel inferni, aiens hanc eſſe doctrinam Catholicam, & communem Theologorum.

PETRUS EMOTTA.

1998 Theologus iſte Pariſienſis, Laudunenſis Eccleſiaſtes, lib. 3. Profeſſ. Cathol. fid. c. 9. de contrit.
" Ut proſit pœnitentia, oportet utrumque actum
" adeſſe, quem complectitur prima pœnitentiæ
" pars, quæ contritio dicitur; quæ definitur, do-
" lor voluntariè aſſumptus pro peccatis, propter
" Deum, cum propoſito confitendi & ſatisfa-
" ciendi. In qua definitione oſtenditur diſcrimen
" inter contritionem & attritionem, 1°. quia
" contritio propter Deum tamquam finem ſuſci-
" pitur, attritio autem propter timorem damna-
" tionis. 2°. quòd contritio à timore filiali naſ-
" citur, attritio ex ſervili. 3°. quòd contritio
" junèta cæteris pœnitentiæ partibus vim habet
" remittendi peccata, attritio non habet." Hæc ſcribebat anno 1578.

PETRUS DIVOLLUS ORD. PRÆDICATORUM.

1999 Petrus Divollus S. Theologiæ Doctor, Ordinis Prædicatorum, in Inſtructionibus, ſeu Sermonibus Quadrageſimal. (eodem anno 1578. editis) ſerm. ſup. Dominic. Paſſ. " Confeſſio,
" non ſervili timore fieri debet, ſed charitate &
" amore Dei." Et inf." Per confeſſionem pec-
" catorum noſtrorum, eorum obtinemus veniam
" & remiſſionem; dummodò eorum habeamus
" contritionem, quæ abſolutè neceſſaria eſt cum
" Confeſſione. Quia attritio non ſufficit, & ſi ſo-
lam haberemus attritionem, peccata nobis non
remitterentur." Explicans verò attritionem, attritio (inquit) " eſt triſtitia de peccato com-
miſſo, non ob amorem Dei offenſi, ſed ob
ſolum timorem damnationis, &c."

FRANCISCUS SAMARINUS.

Samarinus, Eccleſiæ Lateranenſis Beneficia- 2000
rius, anno 1585. publicavit " Sacerdotale, ſeu
Sacerdotum Theſaurum, juxta conſuetudinem
S. R. E. ſacrique Concilii Tridentini ſanctiones."
Ubi p. 1. de contrit. " iſtud Sacramentum habet
tres partes, contritionem, confeſſionem, &c."
Contritio eſt dolor pro peccatis voluntariè aſ-
ſumptus, &c.... dolor peccatorum debet eſſe
propter Deum, non propter timorem pœna-
rum, aut propter quodvis aliud; ſed quia ſunt
offenſa Dei." Vide ſuprà num. 1673.

MARTINUS NAVARRUS, POENITENTIARIUS ROMANUS, ET LUDOVICUS GRANATENSIS, ORDINIS PRÆDICATORUM.

Navarrus, præcipuus ſui ſæculi Canoniſta, 2001
Romanæ Eccleſiæ Major Pœnitentiarius, Manuale ſuum (quod Gregorius XIII. motu proprio laudavit, ſuoque Apoſtolico privilegio honoravit) primùm edidit tempore Tridentini, illudque deinde recudit anno 1575. Ibi verò c. 1. n. 1. *Antiquorum* (inquit) *& recentiorum, quos in cap. perfecta de pœnit. diſt. 1. citavimus, ſecuti ſententiam, definimus, quòd contritio eſt pœnitudo voluntaria, cum dolore maximo, actuali vel virtuali, peccati proprii jam commiſſi, quatenùs eſt offenſa Dei, ſuper omnia dilecti, cum ſpe veniæ, & propoſito non peccandi ampliùs.... Dixi quatenùs eſt offenſa Dei: quia ob id principaliter debet pœnitere.*

Et n. 7. dicit, *non eſſe veram illam opinionem, quam nuper vidimus defendi in ſelectis quibuſdam Comitiis, videlicet ſufficere ad condonationem peccati, per Sacramentum Pœnitentiæ, attritionem, quâ pœnitens dolet de peccato, etiamſi ſciat eam non eſſe contritionem, nec doleat propter Deum... Oportet enim imprimis ut pœniteat ob amorem Dei, vel eò quòd eſt ejus offenſa, ſaltem virtualiter.*

Et n. 33. loquens de attritione *propter metum... pœnæ temporalis vel æternæ*, dicit, quòd *non ſufficit ut per ipſam ſolam remittatur peccatum; imò neque per eam, & abſolutionem ſacramentalem ſimul; quinimò peccat, qui cum ea petit, aut accipit abſolutionem.*

Et in fine capitis: *negamus ſufficere ad abſolutionem ſacramentalem attritionem, ſive pœnitudinem, quâ peccator ceſſat à peccato, propter ſolam pœnam inferni, ſi nullus actualis vel virtualis Dei amor, vel odium peccati quatenùs eſt ipſius offenſa, eam comitetur.*

Eo ferè tempore, quo Navarrus, ſcripſit inſignis Theologus, Ludovicus Granatenſis, cujus præclarum teſtimonium, pro ſervilis attritionis inſufficientia, divinæque dilectionis neceſſitate, habes ſuprà n. 1767.

JOSEPHUS ANGLEZ, EPISCOPUS BOSANENSIS, ORDINIS MINORUM, PHILIPPUS FABER FAVENTINUS, DIDACUS STELLA, PETRUS POSNANIENSIS, ANTONIUS HIQUÆUS, ET JOANNES PONTIUS, EJUSDEM ORDINIS.

Lucidiſſima eorum teſtimonia protuli cap. 142. 2002
§. 5. Vide ibi.

ALFONSUS VIVALDUS.

In celebri Candelabro ſuo aureo, anno 1588. 2003
edito, p. 1. tit. de Sacram. Pœnit. §. de contrit. n. 2. contritionem dividit in perfectam & imperfectam. Num. 3. imperfectam definit illam, *quâ licèt tantùm propter Deum dolorem de peccatis concipiamus, non tamen ita ſervidè, & ſuper om-*

via, sicut primâ; id est perfectâ. Et postquam n. 10. dixit, peccatorem teneri ad concipiendum de peccatis dolorem: num. 13. quærit, *utrùm talis dolor debeat esse propter Deum? Respondeo* (inquit) *secundùm Navarrum.... Solum, & communem, quod sic.* Et §. de attritione, postquam n. 2. eam divisit *in perfectam* (*quâ tantùm propter Deum purè dolemus de peccatis, sed non ita fervidè, & super omnia, ut par erat*) *& imperfectam, quâ dolemus de peccatis, non propter Deum.* Num. 7. quærit, *sufficiatne attritio, quæ concipitur tantùm propter timorem inferni, cum Sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum?* Relatis duabus sententiis, quarum prima affirmat, secunda negat sufficere: *secunda* (inquit) *opinio mihi placet, nimirùm si cum tali attritione non adsit dilectio Dei, saltem virtualiter*, non sufficere. Quod (inter alia argumenta) probat ex Tridentino, quod ostendit huic favere opinioni.

JOANNES LENSÆUS.

1004 Suum de Christiana libertate Opus edidit anno 1590. Istius Operis lib. 6. c. 4. multis ostendit, eos, *qui solo metu, non amore justitiæ, quod præceptum est faciunt, nondum liberos esse à servitute peccati.* Sic loquitur in titulo capitis istius, inter alias hujus rationes, hanc afferens, quia *ubi solus animum metus occuparit, etsi ab opere nefario manus cohibetur, quia tamen cogitur homo aliud habere in opere, quàm gerat in voluntate, nondum effugerit dominantis cupiditatis & peccati servitutem.... Quonam ergo modo liber est, cujus in animo peccandi adhuc, quamvis occultior, regnat affectus? Non facio, inquis. Quare? quia timeo. Nondum amas justitiam, adhuc servus es, inquit Augustinus in Psalm. 32. Idcircò luculentissimè B. Gregorius.... Hinc igitur vetus Testamentum, cujus in ancilla Agar quædam adumbratio præcesserat, in servitutem generasse à Paulo dicitur, propterea quòd metum incutiens tantummodò, non amorem sanctum ingenerans, servos faceret, qui iram Domini & flagra formidarent; non liberos, qui pium Patrem offendere verentur.*

Et cap. 5. Deum non gratis & serviliter ille colit, qui aliud præter Deum quærit, quòd *non propter ipsum Deum amet, sed ob id potissimùm, ut sibi benè sit accommodè* (prout facit, qui de peccatis dolet ob servilem metum gehennæ; ut sibi incommodæ) *talem enim suæ adhuc cupiditati mancipatum, non justitiæ, Deique servum ultroneum, finis ipse ultimus convincit.*

Hinc cap. 6. ostendit, inordinatum esse, Deum amare propter creatam beatitudinem, ut nobis bonam, ibi sistendo. Et c. 7. ex Augustino: *Quando solus mentem occupat hic servus* (id est servilis timor) *nihil est in homine libertatis, quæ à bona voluntate sumit initium. Bonam autem voluntatem sanctus amor efficit*, prout ibidem probat ex Fulgentio.

Et l. 7. c. 14. relatâ sententiâ Chrysostomi: *non vult ergo Deus ut timeatur ab hominibus quasi Dominus, sed ut diligatur quasi Pater*, &c. *Quo loco non id agitur ut divinæ justitiæ omnis abjiciatur metus, sed ne eo solo dominante, atque occupante animum, in servitute maneat.*

1005 Est quidem utilis metus, imò necessarius, tum ad ingrediendam justitiam, tum plerisque ad eam retinendam; sed hoc in quantum metus eum amore imbecillem firmat voluntatem, ut firmiter velit, quod alioquì solùm infirmiter vellet: nam etiam justorum quorumdam *bona, sed infirma voluntas, judiciorum Dei contemplatione excitanda & firmanda est, ne peccati inescata voluptate, citò abstinere salutari deflectat.... Nam cùm bonâ voluntate homines quidam à malefactis abstineant.... ab iisdem, urgente metu, ne tormenta peccantes excipiant, majore curâ sibi temperant. Ita plerique*, UTROQUE PARITER AGENTE, ET AMORE ET TIMORE, ILLO DUCENTE, ISTO EXSTIMULANTE, *suum quisque officium faciunt.... unde imbecilla voluntas standi accipiat firmitatem.* Quem locum si Maximilianus Le Dent de attrit. & metu c. 11. §. 7. fideliter retulisset, non dixisset, eo Lensæum luculentissimè declarare, solo servili metu peccandi voluntatem penitùs excludi posse. Sed verba majusculis expressa truncavit, ut fucum faciens id suaderet, cujus oppositum Lensæus in superioribus manifestè declarat. Sicut & l. 13. c. 8. cùm dicit, *esse verissimum, dum solus urget animum metus, veram non posse esse religionem sicut nec justitiam veram*, nec veram proinde pœnitentiam.

JOANNES MOLANUS.

Et iste laudatissimus Doctor Lovaniensis, *de* 2006
Ecclesia Dei (Baronio teste) *& veritate Catholica optimè meritus*, in Theol. Pract. eodem anno 1590. Coloniæ edita, tr. 1. de pœnit. c. 2. concluss. 3. *qui pœnam* (inquit) *duntaxat reformidat, quoniam adhuc amore peccati tenetur, nondum veram pœnitentiam agit.* Quia uti cap. 7. concluss. 2. habet: *omnes docent, de ratione pœnitentiæ esse dolorem detestationemque peccati, quia contra Deum est. Considerandà quidem sunt in peccatis quæcumque mala sunt, quòd videlicet sint turpia, quòd sint contra rectam rationem & honestatem, contra honorem & famam, contra æternam vitam & felicitatem. Omnibus tamen superemineat consideratio quòd sint contra justitiam, contra Dei bonitatem, reverentiam, honorem, ac debitam obedientiam, nec si priora illa sensibilius moveant, valdè curandum est.*

Et concluss. 3. *Loquuntur Scholastici diversimodè de attritione, eò quòd sit triplex genus illius. Primum, cùm quis dolet de peccato propter humana & naturalia motiva. Alterum, quod oritur à timore pœnarum. Tertium, cùm est desiderium imperfectum placendi Deo. Saniores igitur Scholastici, cùm asserunt virtutem Sacramenti Confessionis ex attrito contritum hominem facere, loquuntur de attritione, quæ adjunctum habet affectum, quo pœniteas incipiat diligere Deum, tamquam justitiæ fontem. Meminis Ruardus quosdam consolatoriè scripsisse de quocumque attritionis genere; sed illud nec Scripturis, nec Patrum testimoniis esse consentaneum, si intelligant, nullam Dei, aut offensæ ejus in displicentia hac peccati habendam esse rationem.*

Quid ad hoc Maximilianus Le Dent? Respon- 2007
det affectum illum, quo pœnitens incipit diligere Deum, &c. esse desiderium placendi Deo, de quo proximè antè. Hoc autem habere dicit, eum qui attritus ex timore gehennæ, etiam absque alio motivo. Verùm enimverò si Molanus ita censuisset, tria illa attritionum genera non distinxisset, nec attritos cum imperfecto desiderio placendi Deo contraposuisset attritis solo servili pœnarum timore. Contraposuit autem, & meritò: quia qui solo metûs servilis motivo moventur ad displicentiam peccati, non moventur eo quòd peccatum displiceat Deo, sitque *contra Deum, contra justitiam, contra Dei bonitatem, reverentiam, honorem ac debitam obedientiam.* Hoc verò sensu Molanus tradit *habendam in displicentia hac Dei, aut offensæ ipsius rationem.* Solus proinde Molani contextus Maximiliani glossas manifestè convellit.

JACOBUS BAJUS.

Lovaniensis ipse quoque Doctor, Ecclesiæ 2008
Collegiatæ D. Petri Decanus l. 2. Instit. Christ. Relig. postea quàm cap. 1. determinavit partes Sacramenti Pœnitentiæ, contritionem, confessionem, &c. cap. 81. sic contritionem definit: *Est animi dolor de admisso contra Deum peccato, &c.* Qua ex definitione infrà colligit, quòd *displicen-*

tia peccati ex solo naturali lumine concepta, vel ex solo gehennæ metu orta (quæ peccandi voluntatem non excludit) contritionis nomen haud meretur; sed is demùm & solus dolor (nota benè) *qui est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, ex Dei amore natus* (audiant Maximiliani sequaces) *qualis animi contritio ad peccatorum remissionem semper necessaria fuit.* Quòdque imperfecta etiam contritio *amorem justitiæ conjunctum habet, quo Deum, velut fontem justitiæ, pœnitens diligere incipit.*

Et cap. 84 docet, quòd *servilis timor contritionis*, etiam imperfectæ, *rationem non absolvit, est tamen gradus ad eam introducendam propinquus. Dum enim conscientiam æterni incendii pavore flagellat, voluntas peccata... odisse, ac remedium contra tantum malum quærere incipit. Sic autem anxio Dei misericordia hominem timore perculsum in spem obtinendæ veniæ erigit..... paulatimque spe timorem pellente, amor Dei succedit.... Quo tandem amore hominis animus imbutus peccandi voluntatem deponit, necnon peccata detestari incipit..... quia Deum offendunt, justitiamque lædunt.* Non igitur antè, dum sibi solum displicebant, quia suppliciis infernalibus obnoxios reddunt; nec enim tunc ea detestabatur, *quia Deum offendunt*, nec eorum voluntatem penitùs deponebat, quia animus ipsius Dei amore nondum imbutus erat.

2009 Dicit quidem Doctor ibidem, quòd *sæpè ad Sacramentum timore solo adductus, inter confitendum plenius immutatur; nonnunquam verò istud efficitur in absolutione. Nam operi à se instituto Christus adest, ut pœnitens verbis Sacerdotis..... commotus, verè contritus efficiatur.* Verùm eo non obstante negat in homine solo timore adducto veram adesse contritionem, etiam imperfectam, quæ cum Sacramento sufficiat ad peccatorum remissionem, vultque ad id necesse esse quòd mutatio ista fiat, ita ut à timore ad amorem pœnitens tranicat, uti videbit quisquis contextum legerit, & attenderit.

Thomas Stapletonus.

2010 Quemadmodum Lensæus, Molanus, Jacobus Bajus, sic Stapletonus, Lovanienses inter Doctores celebre nomen habet, scriptisque adversùs hæreticos libris gloriosum. Libro verò 5. de inhærente justitia in Prolegom. 1. explicans dispositiones ad justificationem, à Tridentino sess. 6. c. 6. enarratas, *vera* (inquit) *contritio odium quidem peccati habet, sed propter Deum offensum, non propter timorem pœnarum. De qua Apostolus dixit: tristitia quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Manifestum est autem* (ait Ambrosius *hunc locum in Commentariis explicans*) *quòd qui tristis est, quia peccavit, secundùm Deum tristis est. Dolet enim quia fecit quod odit Deus.*

Posteaquàm deinde dixit, non tam intensum odium requiri in dispositione ad justificationem per baptismum, quàm in contritione, primâ parte pœnitentiæ sacramentalis, subdit: " quinta dis- " positio est dilectio Dei, quatenus omnis justitiæ " fons est, ut Patres Tridentini loquuntur, id est " quatenus solus ille justificationis nostræ author " & operator est.... hanc disponentem dilectio- " nem habuit Magdalena, cum diceret ei Chri- " stus: remissa sunt ei peccata multa, quoniam " dilexit multùm." (dilectio proinde illa benevo- 2011 lentiæ est.) " Necessitatem verò hujus disponentis " dilectionis apertè Apostolus docuit, dicens: " neque circumcisio aliquid valet, neque præ- " putium (supple ad justitiam consequendam) " sed fides quæ per dilectionem operatur. Hîc " enim apertè docet fidei dilectionem adjungi " oportere, ut aliquid ad justitiam operetur. Probatur quoque inde hujus dispositionis ne- " cessitas, quòd nulla potest fieri remissio pecca- " torum, nisi iis qui sunt in charitate" (loquitur ergo de dilectione charitatis) " juxta.... illud... " Orationis Domin.: dimitte nobis debita nostra, " sicut & nos dimittimus, &c. An verò hæc di- " lectio, disponens ad justitiam, sit dilectio Dei " super omnia? inter Scholasticos disputatur. Ta- " men quia communem Scholasticorum senten- " tiam, quæ illud affirmat, vellicant Protestantes, " breviter eorum argumenta diluemus."

Inter hæc argumenta præcipuum istud refert, quod est adversariorum Achylles: " diligi Deus " benevolè" non potest, maximè super omnia, " nisi jam habeatur à nobis. Unde Gregorius: qui " mente integrâ Deum desiderat, profectò jam " habet, quem amat. Et Aug. tr. 75. in Joan. quo- " modò diligimus, ut Spiritum sanctum accipia- " mus, quem nisi habeamus, diligere non possu- " mus?" Respondet: " Deum in nobis esse, & " habere nos Spiritum sanctum, per quamcumque " ejus operationem in nobis, ideòque per adjuvan- " tes & cooperantes gratias eum in nobis esse, no- " stramque infirmitatem adjuvare, antequam per " gratiam habitualem diffundatur in cordibus no- " stris."

Et in Promptuario Cathol. super Evangelium Festi S. Mariæ Magdalenæ. " Hæc autem pœni- " tentiæ pars illa est, quam Theologi contritio- " nem vocant, & remissionem peccatorum præ- " cedit... ut necessaria dispositio. Quo etiam sen- " su intelligendum est, quod Christus dixit hoc " loco de Magdalena: remittuntur illi peccata " multa, quoniam dilexit multùm."

Et infrà: " actus fidei, dilectionis, timoris, do- " loris, spei.... disponunt peccatorem, reddunt- " que idoneum, cui Deus peccata remittat & con- " donet. Neque enim absque illis condonabit. Si- " ne fide impossibile est placere Deo. Qui non " diligit, manet in morte. Qui sine timore est, non " poterit justificari, &c." Hæc omnia sacra testi- " monia" docent, media quædam & principia ad " condonationem necessaria hæc singula esse."

Et in Promptuario Dom. 10. post Pentecost. textu 6. exponens pœnitentiam secundùm Deum (de qua Apostolus 2. Cor. 7. *quæ secundùm Deum tristitia est*, &c. quamque Tridentinum sess. 6. c. 6. de pœnitentia etiam sacramentali intelligit) *secundùm Deum* (inquit) *id est propter Deum offensum*, benevolè utique dilectum, ut antè.

Vitus Miletus.

Anno 1593. librum edidit, cui titulus: *Mille sexcenti errores de Sacramentis.* Ubi titulo de contritione n. 1434. dicit, *quòd verus non est dolor, qui ex timore, sed qui provenit ex amore. Detestandum est enim peccatum, & metuendum, non propter malum pœnæ, sed culpæ.* 2011

Dionysius Peronetus, Ord. Carmelitarum.

Dionysius Peronetus, Doctor Parisiensis, Ordinis Carmelitarum, in Manuali Curatorum edito anno 1594. serm. de Sacram. Pœnit. explicans primam ipsius partem. *Contritio* (inquit) *est dolor & displicentia, quam homo concipit propter offensam commissam in Deum, cum proposito melioris vitæ.* Non satis ergo censuit dolere propter pœnam.

Christophorus Sylvestranus, Ord. Carmelitarum, et Joannes Paulus Palanterius, Ord. Minorum.

Sylvestranus noster, insignis Theologus Patavinus, anno 1594. Clementi VIII. dicavit Lectiones suas super Sententias, ubi in 4. lect. 38. de forma absolut. in respons. ad 11. & lect. 46. talem requirit contritionem, quâ peccator a Deo absolvatur per potestatem authoritatis, priusquam Sacerdos ipsum absolvat per potestatem ministerii. 2012

Circa

Circa idem tempus Palanterius, in suis quoque Lectionibus super 4. Sententiarum 96. & 101. eandem doctrinam tradit, & Lect. 84. contritionem requirit, quæ sit *motus liberi arbitrii in Deum super omnia diligendum*, & exinde *motus in detestationem peccati*.

HIERONYMUS TORRES, SOCIETATIS JESU.

2013 In Confess. August. l. 8. c. 9. de Sacramento Pœnitentiæ, §. 1. dicit, pœnitentiæ virtutem (quæ pro motivo habet interesse Dei) ut in omnibus peccatoribus, ita in omnibus adultis ante baptismum, ad justitiam consequendam requiri. Et ad hoc in ipsis *non solam fidem... sed & spem, & amorem justitiæ, atque odium peccati* necessaria esse. Et §. 6. dicit cum Augustino, quòd *pœnitentiam* (etiam sacramentalem, de qua expresè agit) *certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.*

FACULTAS LOVANIENSIS.

2014 Cap. 11. ad articulos à Pio V. damnatos, alludens ad Tridentinum sess. 6. c. 6. dicit, quòd *antequam justificetur, ineſt in pœnitente* (necessariò utique conformiter ad Tridentinum) *amor aliquis justitiæ, quâ Deum diligere incipit, tanquam fontem omnis justitiæ.* Et in justificatione Censuræ anno 1588. edita, *neque illuminatio dumtaxat suasoria, neque metus, seu terror, pœnarum post hanc vitam luendarum, incussus, sufficit ad inchoandam conversionem, sed præterea gratiâ opus est, quæ cor sic motum atque percussum emolliat*, non solùm timore concutiendo, sed etiam amore afficiendo, uti apertè significant verba sequentia: *etenim quidquid intùs est, quod suadet tantùm, & non persuadet, allicit non adducit; terrore concutit, non amore afficit.*

Quæ si conjungantur cum definitione contritionis (primæ partis pœnitentiæ sacramentalis) quam in Confessione sua Catholica anno 1544. dedit, videlicet: *Contritio est animi dolor de peccatis, propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi: non autem, ut quidam hoc sæculo perniciosè docent, terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium*, &c. Nullum superest rationabile dubium quòd antiqua Lovaniensis Facultas, perinde ut nova (de qua infrà) servilis attritionis insufficientiam, divinique amoris necessitatem docuerit.

SCOLIASTÆ LOVANIENSES.

2015 Ad lib. 4. S. Augustini de Baptismo c. 21. explicantes ista Augustini verba: " Catechumenum charitate flagrantem." *Augustinus* (inquiunt) *charitatem generatim accipit pro dilectione, quâ Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, summumque bonum, diligere incipiunt. Cujusmodi & ante justificationem*, etiam sacramentalem, *requirit Concilium Tridentinum.*

JACOBUS DE GRAFFIIS.

2016 In suis aureis decisionibus Catuum Conscientiæ, anno 1593. editis, non contentus servili attritione, cum Sacramento requirit contritionem, saltem existimatam, ita ut homo *putet se dolere propter Deum.* Lib. 1. c. 1. n. 6. & 8.

JACOBUS GUALTERIUS, SOC. JESU.

2017 In Tabula Chronographica statûs Ecclesiæ Catholicæ, ad quintum sæculum, Augustini sententiam referens, suamque faciens, *Augustinus* (inquit) *conc. 2. in Psal.* 101. *docet, pœnitenti haudquaquam satis esse dolorem ex peccatis susceptum, imò nec peccatorum confessionem, cum dolore illo conjunctam, nisi sacerdotalem quoque absolutionem consequatur. Quid enim (inquit) prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur, solvite eum, & sinite abire? Ipse quidem voce de sepulchro suscitavit, ipse clamando animam reddidit... Cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit.* Quod Augustini dictum Gualterius sic interpretatur: *hoc intellige, quando peccator verè conteritur, hoc est quando præcipuè propter Deum odit peccatum, seu, quod eodem redit, quando peccatum eo potissimum nomine detestatur, quòd Deo injuriosum est.* Deinde subjungit ex Augustino, quòd etti homo, jam à Domino per contritionem suscitatus, per Confessionem de sepulchro educitur, adhuc per Ecclesiam solvendus est; *suscitari autem ipse mortuus nonnisi intùs clamante Domino* (id est intùs operante veram contritionem, per quam anima, seu vita gratiæ mortuo redditur) *potest.* Contritionem proinde justificantem Gualterius requirit, per quam spiritualiter mortuo anima, seu gratia justificans redditur, priusquàm de sepulchro per Confessionem educatur.

JOANNES MACHERENTINUS, EJUSDEM SOC.

Macherentinus, cum opinione sanctitatis Tre- 2018
viris mortuus, in Catechismo, quem authoritate Archiepiscopi Trevirensis pro instructione Parochorum conscripsit, c. 4. de Sacram. loquens de contritione, quam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ partem facit: *Quanta* (inquit) *debet esse contritio, ut ad peccati remissionem sufficiat? Requiritur, & sufficit, ut ex vera Dei charitate super omnia emanet, ipsamque habeat. Si enim ille animi motus ex aliis quàm ex amore Dei procedit, non ad Deum, sed ad aliud bonum ducit. Si enim procedit ex amore Dei, sed non perfecto, non conjungit perfectè Deo. Qui itaque non diligit, manet in morte. Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Hæc est quæ operit multitudinem peccatorum.*

BERNARDUS ROSIGNOLIUS, EJUSDEM SOC.

Lib. 1. de discip. Christ. perfect. c. 8. " Com- 2019
punctionis apud S. Gregorium duo sunt genera... cui addi debet tertium ex.... S. Bernardo... De duobus primis ita scribit S. Pontifex: " duo compunctionis genera sunt, quia Deum " sitiens anima prius timore compungitur, post " amore.... " Itaque " primum compunctionis " genus illud est, quod à Theologis appellatur " attritio, nec alio nomine dignum est, cò quòd " adhuc longè distat ab altissimo illo mœrore & " dolore cordis, qui contritio nominatur. "

Secundum etiam mœroris genus, licèt cum " amore conjunctum sit, est nihilominùs attri- " tio, licèt priore excellentius, ut quod ex amore " proficiscitur; non autem adhuc contritio: quia " nititur non amori Dei perfecto, qualem exigit " contritio, sed amori cœlestium gaudiorum, qui " non ineptè appellatus est amor concupiscentiæ. "

Necesse igitur est, ut altiorem gradum de " peccatis commissis dolor teneat; itaque afficiat " animum, ut non amore aliquo sui " principaliter " peccata sua defleat, sed præcipuè ipso a- " more Iolius Dei, in quem solum gravissimè " injuriosus fuit, sanctissimam ejus legem vio- " lando... Et hic est tertius compunctionis, al- " tissimusque gradus. Hunc proinde necessarium " censet, cùm ait: *Necesse est igitur*, &c.

ADRIANUS MANGOTIUS, EJUSDEM SOC.

To. 1. monito 81. contritionem, seu conver- 2020
sionem, ex Dei & justitiæ amore requirit, dicens: *Vera & sincera cordis ex fide ad Deum conversio* potest consistere *sine charitate, quæ cum Deo habet amicitiam. Sine dilectione certè non est vera contritio: cùm non satis sit pœnam odisse, nisi & justitia diligatur.*

Quod probat ex illis Tridentini verbis sess. 6. q. 6. ex quibus primum nostrum ex Tridentino argumentum suprà deprompsimus.

GREGORIUS MASTRILLUS, EJUSDEM SOC.

Floruit sub initium hujusce sæculi, Ecclesiastes 2021
in Italia celeberrimus. Concionum verò to. 2. serm. 55. naturam & necessitatem contritionis explicans: *Semper* (inquit) *& in statu naturæ, Mosaicæ legis, & gratiæ, necessaria fuit contritio: cùm in-*

terim Confessio sacramentalis tantummodò necessaria sit in statu gratiæ. Qualis contritio semper necessaria fuit? Qualis sufficit? An illa quæ ex servili timore proficiscitur? Absit: quemadmodùm enim *palatium Regis Assueri non poterat ingredi, qui vestitus erat veste servili; sic & solus servilis timor cælesti te patriâ excludit. Idèo Dominus per Hieremiam monet, si reverteris Israël, ad me convertere. Quasi dicat, si vis peccatum deserere, illud desere amore mei.* Propterea contritionem, quam dixit in omni statu necessariam, sic definit: *Contritio est peccati detestatio atque odium supra omne quod odio haberi potest, & id propter Deum, summè dilectum.* Et ut ostendat se loqui de odio peccati ex Dei amore profluente, subjungit: *Facilè colligi potest, quantum esse oporteat hoc odium peccati; quandoquidem amor Dei super omnia est illius mensura. Deus est summum bonum. Peccatum summum malum. Adhæc cùm in peccato sit plus mali, quàm in inferno, hunc autem summè execremur, quantò nobis peccatum magis detestandum?*

LUDOVICUS CARBO.

2022 Celebris iste Scriptor, qui Perusii & in aliis Italiæ Civitatibus Theologiam cum laude prælegit, scribens ad exitum sæculi XVI. de præcept. Eccles. c. 13. censuit servilem attritionem cum Sacramento non sufficere, ut Maximilianus Le Dent fatetur in respons. ad Xenium. Carbonis verba sunt: *Nulla attritio, quæ non dolet de peccato, aliquo pacto ut est offensa Dei, sed tantùm ob aliquam causam; habet vim justificandi, etiam cum Sacramento conjuncta. Quoniam & divinæ Litteræ, & SS. Patres planè docent, dolorem debere esse de peccato, ut est offensa Dei. Neque enim par est ut peccatum remittatur, nisi habeatur ratio ejus, qui offensus est.*

Observatio momentosa.

2023 Ex Scriptoribus tam illustribus, tanto numero hactenùs productis, cordatus Lector conspicere potest, sententiam de necessitate amoris, insufficientiaque servilis attritionis, communem fuisse usque ad finem sæculi decimi sexti; verissimèque Suarezium, qui sua typis mandavit circa annum 1596, deque pœnitentia adhuc scribebat anno 1603. in 3. p. q. 90. a. 4. disp. 15. sect. 4. n. 7. dixisse, quòd opinio (dicens servilem attritionem cognitam cum Sacramento sufficere) nec valdè antiqua sit, nec multùm communis. Verissimè quoque Morinum scripsisse, authoritate Suarezii & Vasquezii factum, ut aliquot post annis redderetur celebris, tandemque aliquando (ob ignoratam Historiam Concilii Tridentini) communis seu communior inter Neotericos fieret. Qualis esse desiit, ex quo Historia illa, per Eminentiss. Cardin. Pallavicinum conscripta, Latino idiomate prodiit. Ante cujus editionem, anno 1670. factam, Doctores insignes, nec contemnendo numero, ab initio præsentis sæculi usque in præsens, opinioni illi contradixerunt, utique

ARCHANGELUS RUBEUS.

2024 Archangelus Rubeus, Canonicus Regularis Lateranensis, deinde Episcopus Calenus, sub initium sæculi 17. edidit eruditissimum Commentarium suum in 4. Sententiar. anno 1609. Venetiis recusum. Ubi distinct. 14. relatis verbis Concilii Tridentini sess. 6. c. 6. affirmat, quòd præter fidem & spem in peccatoris conversione *actus charitatis... necessarius est, nam sine detestatione peccati propter seipsum, & in quantum Dei offensa (quod, teste D. Thoma, ad charitatem pertinet) nunquam peccator veniam obtineret... postremò necessaria est ipsius Sacramenti Pœnitentiæ actualis susceptio, aut saltem propositum recipiendi.*

2025 Infrà: *Qui peccata propter pœnas inferni detestatur, plus illas odit quàm peccatum, si peccata detestatur propter pœnas tantùm... In hoc enim pœna est finis, cùm non aliud intendat, nisi pœnam fugere. Quod malum existit: cùm tunc convincatur pluris facere pœnam, quàm Dei offensam. Et consequenter repugnat charitati, quâ Deus super omnia diligi debet.*

Distinct. 17. *Voluntas, quæ solùm detestatur peccatum suppliciorum timore, nondum perfectè recedit ab ipso. Idèo meritò solùm attrita dicitur, hoc est fracta, quantum ad affectum peccati, solùm in partes grossiores. Quia nondum affectus peccati in ea totaliter destructus est.*

Longè infrà: *Attritio non est ut sic pars Sacramenti.... contritio, non attritio, est pars Sacramenti.* Vide etiam plura ad intentum dist. 20.

AUTHOR GEMMÆ EVANGELICÆ.

Anno 1602. liber cui titulus, *Gemma Evan-* 2025
gelica, è Latino in Gallicum translatus, typis Parisiensibus editus fuit, cum approbatione Doctorum Parisiensium, attestantium, *nihil eo contineri nisi doctrinæ Ecclesiæ conforme.* In eo verò c. 54. dicitur, quòd *si post peccata commissa cum Deo in gratiam redire velimus, oporteat nos cum amore confiteri peccata nostra, de iisque dolere magis ex amore Dei, quàm ex amore nostri.*

PAULUS COMITOLUS.

Addictus quidem fuit attritioni formidolosæ, 2026
tamquam probabiliter sufficienti; Responsor. tamen Moral. l. 1. q. 32. dixit: *non usque adèo certum, attritionem pœnitenti esse satis, quippe plures magnosque Theologos requirere contritionem perfectam. Quocirca Sacerdotis partes esse debent veræ contritionis motum in corde pœnitentis auxiliante Deo elicere... eundemque hoc modo affectum tunc demùm absolvere, cùm perspexerit ipsum propter Deum dolere de peccatis.*

JACOBUS JANSONIUS.

In 2. Cor. 7. explicans Apostoli verba: *Contri-* 2027
stati enim estis secundùm Deum, id est (inquit) *prout Deus à delinquentibus requirit, atque adèo Dei causâ.*

INNOCENTIUS CIBO GHISI, ORD. PRÆDIC.

Cibo Ghisi, S. Th. Doctor, Ord. Prædic. in 2028
discurs. moral. super 7. Psalmos Pœnit. ad illa verba: *Et anima mea turbata est valdè*, &c. dicit, quòd *dolor iste, qui ex timore nascitur, & attritio nominatur, parum proficeret, nisi accederet dolor ex amore, qui contritio dicitur.* Et infrà: *Anima pœnitens affligere turbareque seipsam debet magis propter culpam, quàm propter pœnam, seu pœnæ formidinem.*

JUDOCUS CLICTOVÆUS.

In doctrina moriendi c. 17. dicit, eorum qui 2029
conversionem suam ad vitæ finem differunt, conversionem, seu pœnitentiam, tunc incertam esse, ambiguamque: *Ambiguum siquidem id relinquitur: an amore justitiæ tunc convertatur, qui semper vitam egit in peccatis, an potiùs timore pœnæ, ob instantem & impendentem mortem.* Quippe *si non corripuisset hujusmodi hominem morbus, qui mortem minitaretur, nequaquam pœnitentiæ agendæ se fortè submisisset, nec confessus peccata sua fuisset* (loquitur ergo de pœnitentia sacramentali) *& si spes illi esset, aut fiducia evadendi imminentem mortem... adhuc pœnitentiam non ageret, neque sua Sacerdoti peccata detegeret.* Videri possunt sequentia ibidem.

GREGORIUS DE VALENTIA, SOC. JESU.

Fateor hunc Authorem, scriptis adversus hæ- 2030
reticos celebrem, deque Ecclesia (licèt non de gratia) benè meritum, non esse ex toto nostrum. Est nihilominùs, pro quanto to. 4. disput. 7. de Pœnit. q. 8. puncto 1. dicit, quatuor modis posse quem dolere de peccato. " 1°. ut dolor sit de peccato, non ut peccatum, & offensa Dei est, " sed tantùm ut pœnæ reatum inducit... ita ut " neque actu, neque etiam virtute ejusmodi do-

lor

" lor ſuſcipiatur cauſâ ipſius Dei offenſi. Quod " accidit, quando ita quis dolet de peccato, ut " niſi pœnam timeret, non doleret. 2°. ita ut " dolor ſit de peccato, tum propter pœnas, tum " ſimul actu vel virtute, propterea quòd ſit of- " fenſa Dei; ſed ſic ut non doleret quis eâ ra- " tione, niſi pœnam timeret. 3°. ita ut dolor " ſit de peccato propter pœnas, & ſimul actu vel " virtute, propterea quòd eſt offenſa Dei, etiamſi " nulla alia ſubeſſet ratio dolendi, ſic tamen ut " non habeatur de peccato ejuſmodi dolor, tam- " quam de ſummo malo ſuper omnia deteſtabili. " 4°. ut ſit dolor de peccato, quatenùs eſt Dei " offenſa, & ſummum malum, oriturque actu " vel virtute, ex dilectione Dei ſimpliciter ſuper " omnia. Jam dolor primo & ſecundo modo ne- " que contritio, neque attritio propriè nominari " debet " (hoc eſt quod pro nobis facit)" quo- " niam communiter nomine contritionis, vel e- " tiam attritionis ſolet intelligi dolor bonus. Ille " autem dolor eſt actus malus.... Quòd ſi apud " Doctores aliquos Catholicos alicubi legatur do- " lorem, ob ſolum metum pœnæ, eſſe bonum, " intelligi debet de dolore, qui actu ſit propter " ſolum ejuſmodi metum, ſed virtute tamen ſit " etiam de peccato, ut eſt Dei offenſa, etiamſi " nulla alia ratio interveniret dolendi.

Puncto 2. dicit: " virtualiter omnem attritio- " nem, quæ verè attritio dici poſſit, debere eſſe " de peccato, ut eſt Dei offenſa, ſicut ſuprà pun- " cto 1 confirmavimus.

Puncto 4. animadvertendum " nos, cùm at- " tritionem cenſemus ad rectum ac etiam fru- " ctuoſum uſum Sacramenti Pœnitentiæ ſuffice- " re, nonniſi eam attritionem exiſtimare, quæ at- " tritionis nomen in diſputatione hujuſmodi Theo- " logica verè & propriè mereatur, qualem ſuprà " puncto 1. deſcripſimus. Etenim talis attritio ha- " bere debet aliqualem reſpectum ad Deum, ita " ſcilicet ut ſit de ipſo peccato cogitato ut eſt " contra Deum, ſeu ut Dei offenſa..... 2°. " debet hæc attritio virtualiter ſaltem eſſe dolor ta- " lis, ut etiamſi nulla alia cauſa dolendi eſſet, præ- " terquàm ipſe Deus, adhuc hominem peccati " pœniteret.... Hæc demùm attritio eſt pœniten- " tia quædam ſecundùm Deum, qualis etiam in " Sacramento requiritur, ut rectè attigit Navar- " rus in Manuali c. 1. litt. D ... Et latiùs con- " firmat Ruardus Tapperus a. 4 fol. 187 & 188.

Unde eodem puncto 4. graviter inſurgit ad- verſus Canum, tamquam funditùs evertentem præceptum contritionis, id eſt actûs veræ ac le- gitimæ virtutis pœnitentiæ, dum ei præcepto ſatis- fieri dicit per uſum Sacramenti, cum ſola attri- tione ex ſervili timore profecta.

Quæ omnia uſque adeò noſtræ favent aſſertio- ni, ut ſolidiſſima ſint principia illius, quibus po- ſitis ſuapte ſponte ipſa fluit, nec ei non ſuffragari Valentia poteſt, niſi vel inconſequenter philoſo- phetur, vel pœnitentiæ, ſeu contritionis propriè dictæ neceſſitatem neget in Sacramento Pœniten- tiæ, uti in tantum negare videtur eodem puncto 4. §. *ſecundò poteſt.* Et puncto 3. §. *quartò accedit*, ut exiſtimet contritionem impedimento eſſe effe- ctui primario Sacramentorum Baptiſmi & Pœni- tentiæ, adeòque ad effectum illum abſurdè requi- ri. Quæ potiùs opinio videtur admodùm abſur- da: utpote ex qua ſequitur, nec pœnitenti con- ſultum conari ad eliciendam contritionem, nec Confeſſario ad eam hortari pœnitentem. Neque enim conſultum eſt conari, vel exhortari ad po- nendum obſtaculum primario effectui Sacramen- torum illorum, cùm id fieri nequeat abſque in- juria Sacramenti, ſacerdotaliſque authoritatis de- trimento, ſi Valentiæ fides ſit, aienti, quòd ſi vera contritio ad effectus Sacramentorum illorum neceſſaria ſit, nullum beneficium Chriſtus nobis contuliſſet per illorum inſtitutionem, nullamque Sacerdotibus contuliſſet authoritatem remittendi peccata. Longè alia mens Pii V. in Romano ſuo Rituali, cùm Confeſſarium ſuum jubet, auditâ confeſſione, *ad contritionem efficacibus verbis ad- ducere conari.*

Sed & quod Valentia ibidem puncto 3. ait: quòd autem attritio in aliquibus caſibus ſuffi- " cit ad juſtificationem, ut jam dictum eſt, id " non eſt quia per illam præcepto de pœnitentia " propriè ſatisfiat; ſed quia caſus illi ſunt excepti " à lege ordinaria de neceſſitate pœnitentiæ ad ju- " ſtificationem; " apertè repugnat Tridentino ſeſſ. 14. c. 1. dicenti: " Fuit pœnitentia univerſis... " quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſe- " quendam neceſſaria, etiam illis, qui Baptiſmi " Sacramento ablui petivilent. " Et c. 6. de abſo- lutione dicit: " Nec enim ſine pœnitentia re- " miſſionem illam præſtaret. "

GUILIELMUS ESTIUS.

Præclarus iſte Doctor, & Cancellarius Acade- 2031
miæ Duacenſis, in egregiis Commentariis ſuis in 4. diſt. 16. §. 9. aſſertionem noſtram diſertiſſi- mè tradit his verbis: *Quamvis timor gehennæ do- num Dei ſit, non tamen ſufficienter hominem præ- parat ad peccati remiſſionem, per Sacramentum Pœ- nitentiæ conſequendam. Quia per ſe non ſufficit ad excludendam omninò voluntatem peccandi... Quare niſi acceſſerit amor juſtitiæ, & dilectio Dei ſuper omnia, ac deteſtatio peccati, ſuſcepta propter Dei offenſam, non poterit timor ille hominem perducere ad amorem Dei.*

Et infrà: *Quòd autem Patres Tridentini requi- rant hanc Dei ſuper omnia dilectionem, tamquam diſpoſitionem neceſſariò præviam ad juſtificationem*, præterquàm quòd id ſatis ſignificant, requirendo voluntatem non peccandi, & propoſitum melio- ris vitæ (*neceſſe* quippe *eſt ut voluntas non peccan- di, & propoſitum melioris vitæ Deum omnibus an- teponat; alioqui enim ſi non actuali motu, ſaltem affectu & virtute perſiſtitur in peccato, dum ali- quid adhuc ſupra Deum amatur, & aliquid magis quàm Dei offenſa timetur*, quod eſt radix omnis peccati).... *apparet ex cap. 6 ſeſſ. 6. ubi volunt, ut peccator, priuſquàm juſtificetur, Deum tam- quam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat... Et ex cap. 14. ejuſdem ſeſſionis, ubi ad pœnitentiam, etiam baptiſmalem, requirunt cor contritum & hu- miliatum.... Et ex can. 3. ejuſdem ſeſſionis, ubi præſupponitur, quòd homo debeat credere, ſperare, diligere, pœnitere, ſicut oportet, ut ei juſtificatio- nis gratia conferatur. Atqui diligere Deum ſicut oportet, eſt Deum diligendo rebus omnibus antepo- nere*, &c.

LUDOVICUS BLOSIUS.

Inſignis & iſte Lætienſis Abbas, ſanctimoniâ, 2032
pietate atque eruditione celebris, eidem aſſertioni perſpicuis ſuffragatur verbis num. 1770. relatis.

PETRUS BINSFELDIUS.

Notiſſima eſt Petri Binsfeldii, Scriptoris doctiſ- 2033
ſimi, Theologorumque omnium manibus tritiſ- ſimi, ſententia Enchirid. p. 1. c. 9. §. 4. quâ docet, quòd *virtute Sacramenti attritio poteſt fieri contri- tio* per ſolam ſui intenſionem; ejuſdem proinde ſpeciei eſſe cum contritione, quam §. 5. procede- re dicit ex motivo *amoris & charitatis Dei.* Ait enim quòd hoc quod dixit, virtute Sacramenti at- tritionem poſſe fieri contritionem, hoc *multò re- ctiùs intelligitur ſecundùm illorum Doctorum ſen- tentiam, qui tradunt attritionem & contritionem non differre, niſi penes intenſum & remiſſum, ita ut idem actus numero remiſſus ſit attritio, inten- ſior factus contritio reddatur. Cui ſententiæ applau- dere videtur Concilium Tridentinum, cùm attri- tionem vocat contritionem imperfectam.*

BALDUINUS JUNIUS.

2034 In Manuali Theologico l. 18. de Sacram. Pœnit. c. 2. primam partem illius exponens, scilicet contritionem, *si paulò* (inquit) *latiùs accipiatur* (genericè utique prout etiam attritionem comprehendit) *& non solùm pressiùs* (*ut significat tantùm dolorem illum perfectum, & charitate formatum*) *describitur esse animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, ut peccatum, nimirùm, & offensa Dei est, cum proposito non peccandi de cætero.* Ad salutarem proinde attritionem requirit dolorem de peccato, *ut peccatum & offensa Dei est*, sive ut est contra Deum, contra legem æternam, &c.

VALERIUS REGINALDUS, SOC. JESU.

2035 In compendiaria praxi difficiliorum Casuum conscientiæ, edita anno 1618. q. 4. quærit, *quid cum eo in quo vera detestatio peccatorum suorum non apparet?* Et respondet: " talem, antequam " absolvatur, disponi debere ad concipiendum " timorem Dei, & amorem, ex quibus proveni- " re debet detestatio peccatorum requisita ad Sa- " cramentum Pœnitentiæ. Modus autem perve- " niendi ad talem dispositionem, est inculcatio " divinæ severitatis in impœnitentes, & bonitatis " & misericordiæ in pœnitentes..... Cæterùm ad " absolutionem sufficeret, ut pœnitens ipse de- " testetur peccata propter Deum, cujus amicitiam " tanti faciat, ut pro nulla re velit eam lædere, " talemque læsionem aversetur super omne ma- " lum, ad instar castissimæ conjugis, malentis " quæcumque mala perpeti, quàm marito fidem " datam frangere..... Quòd si Confessarius non " possit ad tam excellentem detestationis gradum " evehere alicujus animum, conetur saltem pro- " movere ad hunc, ut propter Deum verè do- " leat se ad eundem excelsum non attingere. Id " enim sufficiet saltem ad contritionem imper- " fectam, cum qua absolvi possit.

Et in lib. de prudentia Confess. c. 5. sect. 2. docet: " ad fructuosam confessionem requiri, " ut ipse (pœnitens) illa sua peccata tamquam " offensas Dei ita detestetur, ut generaliter in " quodcumque malum incurrisse malit, quàm " in peccatum, per quod Deum summum om- " nium bonorum à se alienavit, eumque sibi de " Patre amantissimo fecit inimicum.

Et infrà: " Cæterùm.... non est quòd Con- " fessarius multùm laboret in discutiendo, an " pœnitentes plæbeii contritionem perfectam ad- " ferant, ex puro Dei amore; an verò tantùm " imperfectam ex servili timore..... dummodò " constiterit eam esse propter Deum " (proinde ex initiali timore, non ex servili tamquam ex motivo unico & ultimato) " cujus amicitiam " tanti faciant, ut pro nulla re à se læsam velint, &c. ut sup.

JOANNES A JESU MARIA, ORD. CARM.

2036 Joannes à Jesu Maria, Fratrum nostrorum Discalceatorum Generalis, cælesti lumine copiosè irradiatus, in instruct. Novit. §. 9. de pœnit. sic habet: " Est autem pœnitentia " (sine qua S. Thomas dicit impossibile peccata remitti) " vir- " tus, quâ propter Deum peccata detestamur, " cum proposito non relabendi, ac Deo pro vi- " ribus satisfaciendi. Rationem quippe cujusdam " justitiæ virtus hæc habet. Et quia peccator " Deum lacessivit injuriâ, illum bonis operibus " placare, ac de seipso vindictam sumere con- " stituit. Ex quo non obscurè virtutis hujus no- " bilitas elucet. Quid enim generosius, quàm fi- " delissimo corde sibi ipsi pœnam inferre, ac " Deo contra seipsum, non propter se, sed " propter Deum constantissimè stare?

METEZELLUS, CONGREG. ORAT. PRESBYTER.

2037 In Theologia sua sacra (anno 1625. typis data) fol. 177. in fine, " quod veram pœnitentiam fa- " cit, est odium peccati, & amor Dei. "

Folio verò 51. descriptâ pœnitentiâ ut virtus & Sacramentum est: " nunc igitur primum ingres- " sum inferamus in hanc solitudinem, & deser- " tum pœnitentiarium, per contritionem & do- " lorem de peccatis. Talis enim est vera & since- " ra pœnitentia, secundùm Augustinum lib. de " ver. & fals. pœnit., quæ (inquit) quædam do- " lentis vindicta est, semper punientis in se quod " dolet commississe. Ita enim ex illa contritio e- " manat, quæ etiam ita definitur: detestatio " peccati, quatenùs est offensa Dei, super omnia " diligendi, cum proposito firmo nunquam po- " stea peccandi. Hic enim duo sunt potissimùm " consideranda, videlicet quòd sicut Deus, quia " est summum bonum, debet super omnia amа- " ri; ita peccatum, quia est summum malum, " debet super omnia odio haberi. Sunt enim in- " ter se opposita & contraria. Unde equidem fit, " ut ratio, " seu causa motiva " contritionis sit " bonitas Dei. In tribus autem illa bonitas con- " sistit, maximè 1°. quia nos creavit ad imagi- " nem suam, & capaces suæ similitudinis, scili- " cet gratiæ & gloriæ. 2°. quia post commissum " peccatum in mundo misit Filium suum ut de " eo nos liberaret.... 3°. quia nobis adhuc quo- " tidie innumera beneficia confert, & illud inter " multa, quòd patienter nos ad pœnitentiam " expectat. Hæ sunt quidem rationes, cur de pec- " catis conteri, & illa odisse debemus, &c. "

Et fol. 791. Catech. 112. de partibus Pœnit. Sacram. sic contritionem (primam partem illius) definit: " Contritio est peccati præteriti, ut est " Dei offensa, voluntaria, & super omnia dete- " statio, cum proposito vitandi futura super om- " nia, & commissa confitendi. Hæc (quæso) " omnia distinctè notentur " (inquit) " si veram " contritionem habere vultis.... Ut contritio- " nem habeamus, necesse est peccatum sic de- " testari, ut potiùs velimus quodcumque subire " malum, quàm peccare; sicque nihil abhorrea- " mus magis, quàm Deum offendere. Propterea " etiam 3. additur, ut est Dei offensa, qui bonus " est & maximus. Ratio enim contritionis maxi- " mè in illa suprema Dei bonitate fundatur. "

Et Catech. 114. " Si velimus participes fieri san- " guinis & meritorum Jesu Christi, necesse est post " contritionem " (proximè descriptam) " illa " confiteri, &c. "

GAUGERICUS HISPANUS.

Gaugericus Hispanus S. Theol. Licentiatus 2038
Duacensis anno 1627. Duaci edidit doctissimas suas ad Cajetanum additiones, ubi verbo *confessio* & verbo *contritio*, usque adeò divini amoris necessitatem, formidolosæque attritionis insufficientiam tradit, ut dicat quòd *Confessio ex solo pœnarum metu facta, & non etiam ex amore Dei, nulla est, adeòque iteranda, talis enim non fit cum attritione.*

MATTHÆUS BEUVELET.

Matthæus Beuvelet, S. Theologiæ Doctor Pa- 2039
risiensis, ibidem Seminarii Archiepiscopalis Presbyter, in Considerationibus seu Sermonibus prædicabilibus super principales Christianæ vitæ veritates, & Evangelia, posteaquàm Medit. 49. egit de Sacram. Pœnit. in sequentibus agens de partibus illius, Medit. 51. de contritione puncto 1. *contritio* (inquit) *est pars una, ita necessaria ad veram pœnitentiam, ut sit velut anima, spiritus & vita veræ pœnitentiæ.... Unde provenit quòd aliæ partes pœnitentiæ queant quandoque aliunde suppleri, sed hæc nunquam. Ipse & sua substantia semper requiritur, & in omni statu & lege.... fuit quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hæc contritionis motus necessarius.*

Hanc contritionem explicans puncto 2. *hic* (inquit) *animi dolor de peccato commisso, ut legitimus sit, quatuor conditionibus æqualiter & æquè necessariò requisitis debet esse vestitus. Prima, ut sit internus & cordialis, ita quòd.... protestemur Deo dolere nos illum peccatis nostris offendisse, dolore vero interno, concepto in visceribus cordis nostri.... Altera est, ut hic dolor super omnia sit, ita quòd ille peccator magis doleat de offensa, quàm de omnibus malis mundi, etiam possibilibus.* Quod ab ipso dici de contritione in genere, non de perfecta dumtaxat, liquet ex eo quòd sic explicet Tridentinam definitionem contritionis : *contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Ad significandum verò quòd non sufficiat dolor ob timorem gehennæ, subjungit illud Augustini : *qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Et concludit: *dolor super omnia esse debet ex Tridentino. Ob quod Deus per Prophetam ad hunc adhortatur : Convertimini* (ait) *ad me in toto corde vestro.*

FRANCISCUS SYLVIUS.

2040 Sylvius, Estii discipulus, Theologicæ Facultatis Duacensis tantùm decus, ut de ipso vulgò diceretur, *propter unum Sylvium floret Duacum* : ad 3. p. q. 1. Supplem. a. 3. quærens utrùm *attritio fieri possit contritio*, distinctis quatuor speciebus attritionis, quas eodem modo definit & explicat, quo suprà Estius, nullam ex tribus prioribus attritionis speciebus contritionem fieri posse docet, ne secundam quidem, *quæ ex solo timore temporalis aut æterni supplicii nascitur. Quòd conjunctam non habeat dilectionem Dei super omnia, vel displicentiam peccati, quatenùs est offensa Dei.* Ideòque non sit veri nominis contritio. *Quæ autem est quarti generis, cùm sit veri nominis contritio, licèt imperfecta, potest fieri contritio, scilicet perfecta. Auctâ enim dilectione Dei, & justitiæ, & per illius augmentum conceptâ majore detestatione peccatorum admissorum, & ardentiori desiderio vitæ melioris, contritio prius imperfecta perficitur.* Perfectam proinde ab imperfecta illa specie non distinguit, nec motivo, sed gradu, seu augmento.

Et infrà mentem suam clariùs exponens, *quæritur* 1°. (inquit) *quæ attritio cum absolutione sufficiat ad remittenda peccata.* Et apertè resolvit, nullam ex tribus prioribus speciebus sufficere, sed quartam dumtaxat (quam specie & motivo non distinguit à contritione perfecta, ut proximè vidimus) sic namque respondet, *solam eam sufficere, quæ est veri nominis contritio, licèt imperfecta, probatur* 1°. *quia nullum peccatum remitti potest sine pœnitentia. Sed attritio, quæ non habet essentiam contritionis, non est vera pœnitentia...* 2°. *nemini peccatum remittitur, qui non diligit Deum super omnia, qui non convertitur ad Deum ex toto corde, qui non detestatur peccatum, ut offensam Dei, qui non habet propositum melioris vitæ, ut patet* 1. *Joan.* 8. *Deuteron.* 4. *Ezech.* 18. *Qui verò est attritus ita ut essentialem contritionis rationem non assequatur, non habet omnia illa*, &c.

2041 Nec dicas sententiam hanc Sylvium in edit. 4. retractasse, dum ibi videtur contentus amore concupiscentiæ. Neque enim ibi loquitur de amore concupiscentiæ, quæ sit amor nostri ultimatè propter nos ; sed de amore concupiscentiæ sanctæ, qualis reperitur in spe, quâ etiam Deus propter Deum diligitur, prout vidimus agendo de spe.

PHILIPPUS GAMACHÆUS.

2042 Cap. 9. de attritione, constat (inquit celebris Doctor iste Parisiensis) *attritionem non esse ex solo metu, sed aliquid etiam divini amoris necessariò includere. Alioquin si nullus omninò Dei amor, neque implicitè, neque explicitè, actu aut virtute includatur, non est tunc vera attritio, nec attritionis nomen promeretur.*

Quod infrà confirmat ; *ex eo quòd attritio est species pœnitentiæ ; ideòque generalem pœnitentiæ rationem vindicare debet. Ad pœnitentiam verò generaliter requiritur, odisse peccatum, ut est offensa Dei, & quatenùs displicet Deo, ut tandem ei reconciliemur. Id quod sine aliquo Dei amore & dilectione fieri nequit.*

MARTINON, SOC. JESU.

To. 5. disp. 48. de Pœnit. sect. 9. n. 108. sic ait: 2043
Dico 2°. *contritionem, vel attritionem sufficientem ad Sacramentum Pœnitentiæ, debere esse detestationem peccati, virtualiter saltem, & implicitè, super omnia quæ peccatum non sunt* (adeòque super gehennam, ad quod profectò requiritur amor Dei super omnia ; cùm ex solo gehennæ metu, supra se non movente, fieri nequeat) *ita ut voluntas quodvis malum* (ipsam quoque gehennam) *adire velit potiùs, aut pati, &c. quam peccare.* An voluntas ad gehennam potiùs adeundam, vel patiendam, moveri potest ex solo timore gehennæ ?

P. CHEMINAIS, EJUSDEM SOC.

To. 1. serm. de pœnitentia Magdalenæ edit. Paris. anni 1690. *pœnitentia* (inquit) *ut est dolor & contritio, duas habet qualitates ; unam essentialem, & quæ nunquam debet abesse ; alteram accidentalem, & quæ solùm inest pœnitentiæ perfectæ. Dolor essentialis* (quem proinde necesse est inesse pœnitentiæ etiam imperfectæ) *est amor præferentiæ, quo Deum diligimus plusquàm nosipsos ; plusquàm nostrum peccatum ; plusquàm peccati causas ; plusquàm peccati effectus : præferentiâ absolutè necessariâ. Cujuscumque naturæ sit pœnitentia* (id est sive perfecta sit, sive imperfecta) *debet peccator Deum diligere super omnia, & paratus esse omnia propter ipsum deserere, potiùs quàm eum offendere.*

SANBOVIUS ET PEREYRET.

Celebres isti Facultatis Parisiensis Doctores, 2044
divini amoris necessitatem, formidolosæque attritionis cum Sacramento insufficientiam expressè tradiderunt, Sanbovius utique in Sorbona tr. de pœnit. disp. 2. a. 4. Pereyret in Collegio Navarræ, in iis quæ anno 1647. dictavit de pœnit. c. 2. a. 10. ubi sic : *Placet sententia.... quæ attritionem, sufficientem ad validè, licitè & utiliter obtinendam absolutionem, vult.... debere includere amorem Dei, etiam super omnia.... ita ut quamvis aliud cessaret motivum, amoris tamen pondus sufficeret ad illum dolorem eliciendum.... Illamque requiri persuadent illa divinæ Scripturæ loca supradicta, quibus præcipitur pœnitentia, & ad Deum conversio ex toto corde*, &c.

Theses in Sorbona cum magna solemnitate ac celebritate defensæ.

Omissis pluribus aliis, anno 1645. 7. Augusti 2045
Thesis ista, approbantibus D. de Breda, Facultatis Syndico, & D. Charton, Magno Pœnitentiario Ecclesiæ Parisiensis, defensa fuit : *Multùm detrahit veritati, qui sine amore Dei actu adultum justificari posse affirmat, & qui sibi suadere conatur definisse Tridentinum, attritionem cum absolutione sacramentali ad justificationem sufficere.*

Illustrissimus D. Abbas de Noaille (modò Episcopus Cabilonensis) pro Majore ordinaria columna 7. Præside Reverendissimo D. Montgaillard, S. Pontii Episcopo, Doctore Sorbonico, columna 7. post divisionem contritionis in perfectam & imperfectam, *prior* (inquit) *id est perfecta, hominem Deo reconciliat, priusquàm Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Posterior, id est imperfecta, minimè. Imò nisi adjunctum habeat Dei amorem super omnia, saltem inchoatum & initialem, nequidem ad remissionem peccatorum, etiam cum Sacramento consequendam sufficeret.*

Anno 1676. Illustrissimus D. Abbas Colbert, modò Archiepiscopus Rothomagensis, subscribentibus D. Chamillard, Syndico Facultatis, Reve-

rendiſſimo Domino Boſſuet, Epiſcopo Condomienſi, Sereniſſimi D. Delphini Præceptore, nec non Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo Pariſienſi (quorum ille Reſpondentis Præſes, iſte Magnus ejuſdem Magiſter fuit) pro Minore ordinaria, *contritio* (inquit) *alia perfecta... alia imperfecta... alio quoque nomine attritio dici ſolet: quæ ut ad gratiam in Sacramento percipiendam par ſit, ex amore Dei ſincero, ſaltem inchoato, proficiſci debet. Neque ea ſufficeret, ſi ex ſolo pœnæ æternæ, aut alio metu oriretur. Quæ opinio profectam ex metu ſolo attritionem, ut ſufficientem & proximam diſpoſitionem propugnat, ſi conſulatur antiquitas, & inter Recentiores, non poſtremi Theologi audiantur, recens eſt, & à paucis inventa. Imo nonnulli ex iis qui in ea ſunt opinione, iique magni nominis Theologi, hanc etiam eſſe minùs tutam arbitrantur. Opinioni, quæ ut proximam ad Sacramentum diſpoſitionem tuetur attritionem ex metu, non favet Concilium Tridentinum. De cujus mente (neutri licèt opinioni, inter Catholicos motæ, præjudicatum voluerit) ſi conjicere liceret, in gratiam contritionis, ex amore Dei ſaltem inchoato profectæ, omninò id propendiſſe videretur*, &c.

2046 JOANNES MORINUS, ORATORII PRESBYTER.

In laudatiſſimo de pœnitentia opere anno 1651. edito cum approbatione ſapientiſſimorum Dominorum Chattelain, Cappellas, Rouſſe, & Gauquelin, Facultatis Pariſienſis Doctorum, l. 1. c. 11. n. 2. & 3. Et lib. 8. c. 4. divini amoris neceſſitatem propugnat, opinionemque de ſervilis attritionis cum Sacramento ſufficientia novam eſſe oſtendit, primoſque Parentes illius fuiſſe Melchiorem Canum, & Henricum quemdam Salmanticenſem.

HUGO MATTHOUD, ORD. S. BENEDICTI.

2047 In doctiſſimis obſervationibus ad Robertum Cardinalem Pallum p. 5. c. 13. & 31. cum approbatione eximiorum Doctorum Bachelerii, Launoy, & Meſnydræi, loquens de doctrina formidoloſæ attritionis ſufficientiam propugnante, dicit, quòd *iſta doctrina, ut nova, ſic periculoſa ſit, & tantum Scripturæ detrahens, quantum Sacramento putat concedere. Nova quidem: cùm certum ſit eam tantùm poſt Concilium Tridentinum emerſiſſe* (quod verè ab ipſo aſſeri ſuprà demonſtravimus) *periculoſa, etiam quod mireris, eis ſponte ſatentibus, quos in eam ex parte conceſſiſſe legimus.* Profectò Gamachæus, qui nobis quidem ex parte, ſed & attritionariis ex altera parte favet, de pœnit. c. 8. etiamſi (inquit) *attritio cum Sacramento* Confeſſionis ſufficiat à parte rei ſpeculativè *ad juſtificationem* (quod tamen non dicit de attritione purè formidoloſa) *attamen practicè, & reſpectu noſtri, non ſatis tutum videtur, ut ſcienter prudenter ſolam ejuſmodi attritionem in vitæ exitu cum Sacramento adhibeamus.* Foret enim tentare Deum, *& ſe in probabile damnationis diſcrimen mittere. Alii, non pauci, nec ignobiles Authores, ad idem conglobatim referuntur.*

2048 Quippe nobiſcum, & cum ſuprà relatis ſentiunt Paſqualigus to. 2. diſput. 78. ſect. 2. Marcus Vidal in Arca vitali inquiſit. 3. Hugo Quarreus, Oratorii Presbyter, in tract. de pœnit. Chriſtian. c. 5. 11. & 12. Antonius Caignet S. Th. Doctor, Vicarius Generalis Meldenſis, in Anno Paſtorali ſerm. in Dom. 4. Advent. Et to. 4. tit. de Sacram. Pœnit. ſerm. de dilat. pœnit. Joannes Le Jeune Oratorii Presbyter (quem alterum hujus ſæculi Borromæum, & Saleſium Cazanavæus S. Th. Doctor vocat in operis approbatione) in Miſſionario Oratorii de pœnit. ſerm. 15. & 18. Biroat S. Th. Doctor, Ord. Cluniac. Conſiliarius & Concionator Regis Chriſtianiſſimi, ſerm. fer. 4. poſt Domin. 3. Quadrageſ. Adrianus Gambartus, Miſſionarius Presbyter, in Miſſionario Parochiali ſerm. Domin. 3. poſt Pentecoſten. Franciſcus Tholoſanus, Capucinus, in Miſſionario Apoſtolico tom. 1. ſerm. 34. Et tom. 2. ſerm. 11. & 20. Julianus Haincufve, Societ. Jeſu, to. 3. Medit. feriæ 4. hebdom. 7. poſt Pentecoſt. Contenſon, Ordin. Prædic. Theol. ment. & cord. to. 9. diſſert. un. ſpec. 2. c. 1. Laurentius Neeſen to. 5. de pœnit. q. 2. dub. 2. & 6. Joannes Caballus, tius in Juris Canon. Theoria & Praxi lib. 3. c. 9. Franciſcus de Genet, Epiſcopus Vaſionenſis, in Theol. Morali, per S. Palatii Apoſtolici Magiſtrum approbata, to. 4. tr. 6. c. 4. Carolus ab Aſſumptione, Fratrum noſtrorum Diſcalceatorum Provincialis, in Triumpho Thomiſtarum. Alexander White (quem Doctor Pontanus in operis approbatione *Virum eruditiſſimum* vocat) in Schiſmatis Anglicani redargutione tit. de Sacram. Pœnit. Chriſtianus Lupus, S. Theol. Doctor, Ordin. Eremit. S. Auguſtini, in Diſſert. Dogmat. de contrit. Et in epiſtola ad Henricum Noris. Franciſcus Farvacquius, S. Theol. Doctor, ejuſdem Ordinis, in quæſt. quodlib. de attrit. illiuſque Appendice. Necnon in Xenio Theol. Apologia pro Xenio. Diſceptationibus Apologet. pro verit. & charit. In vindiciis verit. & charit. In Paradoxo controverſo, &c. Macharius Havermannus, Canonicus Regularis Ordin. Præmonſtrat. in Tyrocinio Theol. Moral. illiuſque defenſione; necnon in Diſquiſit. Theol. Et in epiſt. ad Innocent. XI. Albericus Kerkovius, Ordin. Ciſterc. in Theologo-Bernardina Diſquiſitione de attritione. Nicolaus Joſephus de la Verdure, S. Theol. Doctor & Primarius Profeſſor in Academia Duacenſi, in tract. tripl. tr. 2. a. 3. quæſito 2. R. P. Leo, Soc. Jeſu, apud Havermannum in defenſ. Tyrocinii c. 4. Fridericus Nicolaus Gavardi to. 2. Scholæ Ægidianæ, Romanis typis anno 1696. excuſo. Florentius de Cocq, Ordin. Præmonſtrat. tr. de Sacram. Pœnit. & ibid. Joan. Bapt. du Hamel, Natalis Alexander, Jacobus Boudartius, Gaſpar Iveninus, aliique poſt editam Latino idiomate ab Eminentiſſimo Cardinale Pallavicino Concilii Tridentini Hiſtoriam tanto numero, ut jam communiùs tradatur, ab ipſis etiam Modernis, qui ab eo tempore ſcripta ſua typis mandarunt. Paſqualigi ſuprà relati verba videri poſſunt apud Dianam p. 11. tr. 8. reſol. 43.

Judicium modernæ Facultatis Lovanienſis pro eadem amoris neceſſitate, ſerviliſque attritionis inſufficientia.

Cùm inter Paſtores Civitatis Gandavenſis, & 2049
Patres Societatis ejuſdem Civitatis, circa annum 1662. orta foret controverſia, circa ſufficientiam ſervilis attritionis, occaſione libri, cui titulus: *Nova Inſtructio pro erudienda juventute ad riè ſuſcipienda Sacramenta Euchariſtiæ & Pœnitentiæ*, quo ſufficientia illius ſuſtinebatur. Dicti Paſtores, zelo ſalutis animarum ſuccenſi, ſenſum ſuum, iſti ſufficientiæ contrarium, ſcripto ad idem confecto expreſſum, Theologicæ Facultatis Lovanienſis judicio ſubmiſerunt. Super quo *die ultimâ Maii* 1662. *in Curia Academica ſub juramento convocata & congregata Facultas Theologica Lovanienſis, à RR. DD. Paſtoribus Civitatis Gandavenſis, per litteras hiſce junctas, regula proferre judicium ſuum, ſuper hoc articulo: attritionem, quæ ex ſolo gehennæ, aut pœnarum à Deo infligendarum metu concipitur, ſine interventu alicujus ſaltem imperfecti amoris benevolentiæ erga Deum, non ſufficere ad juſtificationis gratiam in Sacramento impetrandam; & ſimul ſuper hoc ſcripto, eidem epiſtolæ per eoſdem adjuncto, per quod doctrina iſta probatur: unanimi conſenſu cenſuit doctrinam dicti articuli eſſe ſanam, ſecuram, veram, nulli reprehenſioni obnoxiam, & meritò fidelibus eſſe prædicandam, & inculcandam. Item:*

super fundamenta, quibus doctrina ista per idem scriptum confirmatur, solida esse. Actum Lovanii anno, mense & loco quibus suprà. Infrà habetur: *De mandato eximii D. Decani, cæterorumque eximiorum Dominorum meorum.* Subsignatum: *Georgius Lipsius, sacræ Theol. Bedellus, & Notarius* 1662. Infrà: *Concordantiam tenoris judicii DD. Decani,* &c. *& facti suprascripti, cum suo originali, signato ut antè, attestor Notarius publicus Lovanii residens P. Maintart Notarius.*

§. IV.

Corollarium notatu dignum.

2050 TOt & tanti nominis Sanctos, tot Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Doctores ac Theologos ideò protuli, ut videat cordatus Lector 1°. quàm graviter hallucinatus fuerit Card. de Lugo, dum disp. 5. de pœnit sect. 8. n. 119. Doctori Sylvio, Academiæ Duacensis ornamento, formidolosæ attritionis insufficientiam propugnanti, insultavit, dicens, quòd *nullum potuit, extra Baji Scholam, pro se adferre ex omnibus Scholasticis, ut appareat hanc sententiam esse, in re gravissima, contra omnes prorsus Theologos, sine fundamento sufficienti.* Dum etiam addidit, *de Molano & Estio non esse curandum; fuerunt enim discipuli Baji, cujus doctrinam ..... quàcumque viâ possent, tueri vellent.*

2051 Verùm Lugonis hallucinatio ex suprà allegatis luce meridianâ clarior est. Ex quibus perspicuum quoque est, Illustrissimum D. Jacobum Colbert, Archiepiscopum Rothomagensem, in Thesi suprà laudata, quam in Sorbona pro Minore ordinaria defendit 13. Junii 1676. verissimè dixisse, quòd opinio de formidolosæ attritionis, sine interventu divini amoris, sufficientia, *si consulatur antiquitas, & inter Recentiores, non postremi Theologi audiantur, recens est, & à paucis inventa.* Quemadmodùm & in epistola Pastorali anni 1697. prorsus verè dixit, eandem incognitam Ecclesiæ fuisse ante sæculum proximè lapsum.

2052 Ex hoc igitur ungue leonem agnoscens, videat 2°. cordatus Lector, doctissimum quoque Gonetum to. 15. disp. 17. de contrit. a. 3. non satis consideratè scripsisse, Theologos unanimi consensu docere sufficientiam attritionis, ex solo gehennæ metu conceptæ.

2053 Videat 3°. quàm parùm fidendum sit plerisque novitiarum opinionum suarum, vel Sodalitii sui, nimiis adoratoribus, dum Authorum sibi contradicentium, pro antiquitateque decertantium, doctrinam, temerario ausu, vocare non erubescunt, *novam, singularem, Bajanam, Jansenianam,* &c. Non satis profectò esse debuit Cardinali de Lugo tot & tantis Viris Bajanismum objicere: oportuit & probare. Cùm injuriosum sit, imò calumniosum, tam nigrum tæta tot Sanctis, & tot Viris eminentis dignitatis, doctrinæ ac pietatis objicere, absque evidenti probatione. Quam non profert, nec proferre potest Lugo. Qui si legisset opera Estii super libros Sententiarum, gloriosumque S. Facultatis Theologicæ Duacensis de Estio testimonium (in præfat. ad Lectorem, præfixa libro, cui titulus: *Veritas & æquitas Censuræ Pontificiæ Pii V.* &c.) à sua illa Censura fortasse abstinuisset. *Omnibus* quippe *Facultas notum facit, quòd illo in opere docet Estius genuinam Ecclesiæ & Pontificum disciplinam, semper sibi constantem.* Quòdque idem ipse *errores à Pio V. damnatos* (vulgò Bajanos) *opportunis scriptis, expressisque titulis suffocavit.*

2054 De Molano quid dicam? Eminentissimi D. Cardinalis Baronii testimonio, *de Ecclesia Dei, & veritate Catholica optimè meritus est.* Igitur doctrinam, ab Ecclesia & veritate Catholica alienam, pro virili non defendit.

A Sylvio Bajanismi suspicionem ipse Sylvius 2055
egregiè propulsat Supplem. q. 5. a. 1. edit. 3. hisce verbis: *Quomodo possum esse discipulus Baji, cujus neque lectiones audivi, neque libros vel scripta unquam legi? Michaël Bajus mortuus est 16. Septembris 1589. quando ego agebam annum ætatis nonum. Nunquid idoneus eram, qui ex Hannonia (solo meo naturali, ubi degebam) irem Lovanium, Theologiam auditurus, priusquàm prima Latinæ Linguæ rudimenta discere potuissem? Legi quidem & relegi articulos à Pio V. & Gregorio XIII. damnatos: at non in libris Baji, sed cum explicatione Facultatis Theologicæ Lovaniensis; ac deinde in libris eorum, qui Michaëlem Bajum non viderant aliquando. Sic autem legi, ut omnes & singulos eorum articulorum pariter damnaverim, ac semper rejecerim, quemadmodùm diligens Commentariorum nostrorum Lector advertere potest, si velit. Tantùm abest ut vel unum eorum tueri contenderim. Id quod sine magno piaculo facere non possem.* Satin diserta confutatio inconsideratæ Censuræ?

Videat 4°. cordatus Lector quàm intolerabi- 2056
liter Slaugtherus, Anglo-Leodiensis è Soc. Theologus, de Pœnit. p. 2. disp. 4. sect. 6. respons. ad 5. object. dicere non vereatur, quòd pro assertione nostra, de servilis attritionis insufficientia, *non relinquatur authoritas sufficiens vel ad levem probabilitatem ei conciliandam.* Solane ergo Sociorum eruditio vel authoritas æstimatione digna est? Sola idonea ad probabilitatem conciliandam? Tot Sanctorum, tot Cardinalium, tot Archiepiscoporum, tot Episcoporum, tot sapientissimorum Theologorum, tot Ritualium, tot Catechismorum eruditio, sanctimonia, & authoritas non sufficit *vel ad levem probabilitatem* dictæ assertioni conciliandam? Erùne aliquis tam profligati pudoris, tam nullius modestiæ, ut hoc audeat asserere, omnesque illos (quales & quantos!) quasi pro nullis habere? Nimiæ profectò insolentiæ hoc foret.

Verùm (inquit Slaugtherus) *certum & evi-* 2057
dens est, quòd pro servilis attritionis sufficientia stet ferè omnium sententia; quæ debuisset damnari, & jam dudum damnata fuisset, nisi esset practicè certa.

Verùm contrà ego: ex præmissis certum & evidens esse dico, Slaugtherum in priore assumpti sui parte à veritate aberrare; in posteriori verò pessimè arguere. Quis enim Slaugthero authoritatem tribuit Ecclesiæ leges imponendi? Ubinam Scriptura vel Traditio docet, Ecclesiam debere statim quaslibet opiniones practicè falsas, vel etiam pernicioſas damnare? An ideò Probabilissimus practicè certus, quia statim ab initio non damnatus? In quæ non præcipitia ducit similis arguendi modus! Vide quæ contra simile argumentum dixi to. 1. ubi de probabilitate. Simili argumento decepti sunt Patroni vigesimæ-septimæ propositionis, ab Alexandro VII. damnatæ: *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

Replicat tamen Slaugtherus, & dicit, ex iis, 2058
quos adversus ipsum protulimus, valdè multos esse subtrahendos: utpote primò quotquot perfectam requirunt contritionem. Secundò, quotquot requirunt saltem attritionem, bonâ fide putatam contritionem. Tertiò, subtrahendum esse Petrum Soto, & quotquot requirunt contritionem vi Sacramenti factam ex attritione. Quartò, quotquot requirunt amorem Dei, sed cum Sylvio contenti sunt amore concupiscentiæ, vel cum Medina contenti sunt amore obedientiali. Quintò, etiam plurimos ex iis qui requirunt charitatem, sed exponendi sunt de charitate latè sumpta, pro quacumque salutari prosecutione boni. Sextò,

subtrahendum esse Salmeronem, quia to. 11. tract. 22. pag. 172. sic habet: *Bonus est dolor, si ex fide & timore justitiæ Dei procedat, vel solo, vel etiam cum nostri amore conjuncto (quippe equidem nos ipsos jure naturæ debemus diligere) peculiari Dei munere. Atque hic dolor, etsi per se imperfectus, cum Sacramento tamen conjunctus remissionem efficit peccatorum.* Septimò, subtrahendum etiam Pallavicinum. Hisce (inquit) subtractis, vix quemquam pro sententia nostra inveniemus. Siquidem subtractis Doctoribus perfectam requirentibus contritionem, nullus restabit inter Antiquos sententiæ nostræ Patronus. Subtractis verò illis aliis, pauciſſimi restabunt, si ulli, præter Jansenium & sequaces. Unde (inquit) à tempore Tridentini usque ad Jansenium nulla inter Catholicos controversia fuit de servilis attritionis sufficientia: utpote quam Tridentinum ita clarè expresserat, ut omnes traxerit in assensum.

2059 Respondeo, nullos ex iis quos pro assertione nostra laudavimus, esse subtrahendos, nec Slaugherum aliud facere, nisi fucum & fascinum imperitis. Enimverò quid evidentius est, quàm formidolosæ attritionis sufficientiam ab iis omnibus nobiscum negari, benevolæque dilectionis Dei necessitatem asseri, qui perfectam requirunt contritionem? In eo igitur evidenter nostri sunt, adversariique adversariorum nostrorum.

2060 Illi etiam qui saltem requirunt attritionem, bonâ fide putatam contritionem, ut Victoria, Dominicus Soto, &c. nobiscum asserunt, servilem attritionem, cognitam ut talem, haud sufficere, docentque accedenti ad Confessionem, regulariter loquendo, necessarium esse, ut de peccatis doleat, eò quòd sint offensa Dei; nec sufficere, quòd de iis doleant ex solo timore inferni, scientes, ipsos facere debere quod in se est, ut à Deo obtineant contritionem ex amore Dei propter se. Aliàs dignos non esse qui absolvantur, nec pœnitentiæ præcepto facere satis. Igitur & ipsi eatenùs nostri sunt, non adversariorum.

2061 Tertiò, quâ fronte subtrahendum asserat Petrum Soto, judicet cordatus Lector ex iis quæ Author ille laudatissimus ait in Scoliis Cathol. tit. de contrit. ubi ad Confessionem hanc Wirtembergensem: *contritionem vocamus sensum iræ Dei, seu dolorem & pavorem ex agnitione magnitudinis peccatorum, & gravitatis iræ Dei.* Addendum dicit, *& ex vera Dei dilectione ipsum super omnia bona æstimante. Sine hac verò, de qua dictum est:*" dimissa sunt ei peccata multa, "quoniam dilexit multùm," *contritio non est vera.* Et tit. de contrit. Cathol. docet, quòd *contritio ex Dei charitate..... dilectioneque ejus super omnia... semper, & ante legem, & sub lege, & revelatæ gratiæ tempore, ad remissionem peccati lethalis necessaria est in adultis.* Quod hac ratione probat in Instit. Sacerd. Lect. 14. quia *pœnitentia propriè quidam motus est animi contrarius peccato. Peccatum verò lethale.... ideò peccatum est, quia contrarium veræ charitati, & dilectioni Dei super omnia. Donec igitur in animo sit motus illi contrarius, nondum est plena conversio, nondum vera remissio. Quia nondum recessum animo à peccato....* Unde Joannes: *qui non diligit, manet in morte....* Et Paulus: *si tradidero corpus meum*, &c. An non ista eadem sunt, quæ dicimus? An non tibi contraria, Slaugherе? Sicut & illud quod Lect. 7. de necess. condit. Confess. addit, *quod necessaria sit contritio perfecta* (id est plena, plenusque recessus à peccato) *etiam cum ipso Sacramento.*

2062 Quartò, eos qui charitatem requirunt, loqui de veri nominis charitate, id est amore Dei propter se, ex ipsorum textu demonstravimus, nec fundatè negat Slaugherus, sed absque probatione. An divinum quoddam ipse est Oraculum, cui sit absque probatione credendum?

Quintò, per amorem obedientialem à Medina 2063 verum ac propriè dictum intelligi amorem, videbit quisquis Medinam legerit. Et verò Deum ab eo verè ac propriè diligi, qui pleno ac sincero corde mandata Dei vult observare, maximè primum maximumque mandatum, cap. 159. probavimus.

Sextò, Sylvium esse nostrum, non ipsius, 2064 agnovit Cardinalis de Lugo, eoque prætextu ipsum, velut Bajî discipulum, Sociorum more vexavit (licèt immeritò, uti vidimus n. 2055.) enimverò ad 3. p. q. 1. Supplem. a. 3. post expositas quatuor attritionis species (quarum secunda est illa, quæ ex solo timore temporalis, aut æterni supplicii nascitur) quærit, *quæ attritio cum confessione sufficiat ad remittenda peccata?* Et apertè resolvit, nullam ex tribus prioribus speciebus sufficere, sed quartam dumtaxat, quæ veri est nominis contritio, nec specie, seu motivo, differt à contritione perfecta. Rationes ipsius sunt, prima, quia *nullum peccatum mortale remitti potest sine pœnitentia. Sed attritio, quæ non habet essentiam contritionis, non est vera pœnitentia.... Secunda: nemini peccatum remittitur, qui non diligit Deum super omnia, qui non convertitur ad Deum ex toto corde, qui non detestatur peccatum, ut offensam Dei, qui non habet propositum melioris vitæ, ut patet 1. Joan. 3. Deuteron. 4. Ezech. 18. Qui verò sic est attritus, ut essentialem contritionis rationem non assequatur, non habet omnia illa.* Nec refert, quòd in Edit. 4 contentus videatur amore concupiscentiæ. Cùm contentus non sit amore concupiscentiæ non castæ, quæ sit amor nostri ultimatè propter nos; sed amore concupiscentiæ castæ, quo Deus non diligitur propter aliquid à Deo distinctum, sed propter Deum, prout ex contextu colligitur.

Superstunt Salmeron & Pallavicinus. Hunequè 2065 fide nobis subtrahat, non video. Cùm tract. de pœnit. postquam n. 139. dixit, attritionem sufficere, n. 140. & seq. id intelligi velit de attritione, quæ non sit purè formidolosa, sed partim saltem ex motivo charitatis. Cujus actum evidenter requirit, tam ibi, quàm in Historia Tridentina, & in epist. ad Pastores Gandavenses, prout n. 1960 vidimus.

Quòdque etiam Salmeron attritionis purè for 2066 midolosæ sufficientiam refelliat, videre est to. 3. tr. 22. de Cant. Zach. ubi de servili timore dicit, quòd *ejusmodi affectio purgat, non affectus internos, sed externos tantùm immutat, non cor ipsum, sed opera; coërcet iniquitatem, non justificat voluntatem.* Et to. 10. tr. 25. ubi requirit pœnitentiam *propter Deum offensum, nostroque peccato injuriâ affectum.* Et to. 11. tr. 22. ubi contra Lutherum, juxta Scripturam & Ecclesiam, *ad justificationem requiri* dicit *fidem, timorem, pœnitentiam, dilectionem, Sacramentum. Audis, præter fidem requiri pœnitentiam..... De timore testatur Salomon: qui sine timore est, non poterit justificari. De dilectione: qui non diligit, manet in morte... Præter fidem ergo multa alia ad peccati remissionem necessaria sunt.* Et quomodò non docuillet, pœnitentiam propter Deum, seu Dei gloriam & amorem esse faciendam, qui disput. 6. in epist. ad Colossi. ex Apostolo, & primo maximoque mandato docet & probat, omnes actus nostros ob istum finem esse faciendos, ita ut peccet quisquis deliberatè aliter agit. Verba ipsius expressissima to. 1. dedimus.

In loco proinde objecto, vel loquitur de attri- 2067 tione initiali, non de purè servili; vel id non dicit de suo, sed de additamento Bartholomæi Perez, quem constat *opus Salmeronis auctum aliqua ex parte* 17. annis post Salmeronis mortem justa Gi-

Generalis Aquaviva edidisse. Sic enim habetur in epistola operi præfixa, ut suprà dixi, & hîc repetere adversariorum cogit importunitas.

2068 Per similes additiones alteratum fuisse opus Toleti, suprà demonstravimus. Eat proinde Slaugtherus cum figmentis suis, quorum falsitas luce meridianâ clarior est ex præmissis. Si contentus non sit exercitu Patronorum assertionis nostræ, quem produximus, generosis etiam de Societate militibus numerosum, novæ Cohortis Ducem ei de Societate addemus R. P. Ayraltum, Vice-Provincialem Franciæ; utpote qui, teste Illustrissimo D. Jacobo Nicolao Colbert, Archiepiscopo Rothomagensi, in epist. Pastor. anni 1697. suis omnibus è Diœcesi Rothomagensi expresè mandavit, ut exactè sequerentur morum principia, ab eodem Illustrissimo tradita. Quorum textum est istud: *quisquis amorem Dei inchoatum necessarium asserit ad excludendum peccati affectum, alienissimus est à sustinenda pura Lutheri doctrina.* Septimum: *confiteor, quòd sine aliquo Dei amore nulla sit conversio, quodque peccator esse nequeat satis dispositus ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, nisi diligere incipiat Deum, tamquam fontem omnis justitiæ.* De contraria verò doctrina Authoris libelli, cui titulus: *Les difficultez proposées, &c.* laudatus Archiepiscopus conqueritur, quòd incognita fuerit ante sæculum novissimum, in quo initio proposita fuit (inquit) ut probabilis; nunc autem vix comprehensibili cæcitate proponitur velut sola Catholica: ita ut dicat, quòd *quisquis inchoatum amorem exigit ad eliminandum è corde hominis affectum omnem peccati, puram doceat doctrinam Lutheri.... Sic pro fidei articulo proponitur error oppositus veritati; quam constanter tradit Scriptura, Traditioque, estque per se evidens, quòd homo, reus factus peccati mortalis, per Pœnitentiæ Sacramentum justificari nequeat, nisi in amoris ordinem redeat per amorem Dei.* At verò *si peccator à timore servili ad amorem non transeat justitiæ, Deoque in corde suo non restituat principem in amore locum, quem creaturæ dando, ipsamque plusquàm Deum amando, reum se fecerat lethalis criminis, semper ordini est contrarius, semper Dei inimicus; semper proinde incapax recipiendi beneficium applicationis sanguinis Christi in Pœnitentiæ Sacramento. Hoc est quod sacrum Concilium Tridentinum satis perspicuè significavit, inchoatam dilectionem Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, exigendo, velut dispositionem necessariam ad justificationem in Sacramento Baptismi. Sensus à veritate alienus, quem servilis attritionis Patroni Tridentino dederunt, toties & tam solidè refutatus fuit, ut hodie renovari nequeat, nisi per ignorantiam, vel per malitiam. Cum gaudio videre est malam istam doctrinam ab omnibus bonis Theologis deseri. Jesuitarum Superiores conqueruntur, eam respici velut suæ Societatis doctrinam. Certiores nos fecerunt, quòd eam absolutè damnarent, adhæreretque omnibus de amore Dei principiis suprà expressis, quibus doctrina continetur, quam omnes sectari volumus in hac Diœcesi.* Hactenùs Illustrissimus ille. Videri potest Illustrissimus Episcopus Porphyriensis in lib. de contrit. & attrit. ubi novum alium è Societ. militem, imò militum egregium ducem castris nostris adjungit, nimirùm Illustrissimum D. Joachimum Colbert, Episcopum Montispessulani, in suo Catechismo.

CAPUT CLXVI.

Patronorum servilis attritionis argumenta solvuntur.

2069 Argumenta illa vel petuntur ex Tridentino, & iis satisfactum est cap. 150. 151. 152. 153. vel non sunt nisi sophismata, seu illusiones & ludificationes rationis humanæ, ex qua solidè concludi nequit, in iis quæ supra naturam sunt, ex voluntateque & institutione divina dependent, quæ per rationem purè humanam nobis non innotescit, sed per revelationem divinam, nobis notificatam per Scripturam vel Traditionem.

Enimverò argumenta illa sunt primò, quòd 2070
frustraneum erit Pœnitentiæ Sacramentum, si ad illud necessaria sit veri nominis contritio, seu attritio ex vera Dei propter se dilectione. Nunquam enim operabitur effectum, ad quem primariò & per se est institutum, remissionem scilicet peccatorum; utpote quæ semper invenict remissa per veri nominis contritionem. Omnis quippe vera contritio, ex natura sua inseparabilis est à remissione peccatorum. Secundò: quòd omnis veri nominis contritio, omnis item vera Dei propter se dilectio sit contritio, dilectioque perfecta; adeòque justificet, ante actualem Sacramenti susceptionem. Tertiò: quòd omnis homo Deum propter se super omnia diligens sit justus. Quæ argumenta cùm solidum non habeant in Scriptura, vel Traditione fundamentum, ideò dixi, quòd non sunt nisi ludificationes rationis humanæ. Hoc est, quod ex sequentibus apparebit, sicut & quàm verè Chrysostomus hom. 24. in Joan. dicat, *nihil esse pejus, quàm humanis rationibus spiritualia subjicere*

CAPUT CLXVII.

Ex Scriptura ostenditur, quòd necessitas amoris Dei propter se, frustraneum non reddat Pœnitentiæ Sacramentum.

Primò id ostenditur ex Luc. 7. neque enim 2071
dubium, Mariam Magdalenam dilexisse Dominum, verique nominis contritione compunctam fuisse, priusquàm Pharisæi domum ingressa, ad pedes Domini se prostravit, lachrymis suis eos lavit, osculata est, unguento unxit. Cùm dilectio, atque ex dilectione compunctio ipsam stimularit, ut ad hæc facienda irrueret *importuna convivio, opportuna beneficio.* Ad quod significandum, Salvator dixit: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*; & dicendo, significavit, quòd priùs tempore dilexerit, quàm Salvator peccata ei remisit, uti Jacobus Ferrusius, Segovienfis Episcopi Theologus (apud Pallavicinum Hist. Trident. lib. 12. cap. 10.) in Concilio Tridentino observavit, dicens: *dilexit* (inquit Christus) *per præteritum, quia dilectio remissionem antecessit.* Dilectionem namque præteriti temporis verbo, remissionem verbo præsentis temporis (*remittuntur*) expressit. Diligebat ergo, cùm intravit, priusquàm Christus diceret: *remittuntur ei peccata*, &c. Non protinùs ergo peccata remittuntur, cùm peccator diligit, & dilectivè compungitur. Quandoquidem Magdalena diligens & compuncta, teste Augustino, hom. 23. inter 50. *accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit ægra, ut rediret sana.... Nam quare fecit illa omnia, nisi ut sibi Salvator dimitteret peccata? Priùs* (addit ibidem) *fudit lachrymas cordis* (per contritionem) & (posteà) *lavit Domini pedes obsequio confessionis.* Teste etiam Gregorio homil. 33. *nondum lota, sed lavanda ad fontem misericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit.* Quia tamen multùm diligens hoc fecit, à Christo audire meruit: *remittuntur tibi peccata.* Quibus verbis per excellentiæ potestatem Christus quasi absolvit ipsam, sive absolutionis sacramentalis effectum ipsi absque Sacramento contulit, ut docet sanctus Thomas 3. p. q. 64. a. 3. Si ergo absolutionem illam Salvatoris frustraneam non reddidit præcedens di-

lectio, contritioque Magdalenæ; nec Pœnitentiæ Sacramentum frustraneum reddit necessaria in eo dilectio, & contritio peccatricis animæ. Unde Mathias Bredenbachius in c. 3. Matth. exemplo Magdalenæ, improbat errorem hæreticorum dicentium, non posse nos priùs diligere Deum, quàm fide facta sit reconciliatio, quia *Scriptura expressè testatur, Mariam Magdalenam dilexisse multum, antequam audiret: remittuntur tibi peccata tua.*

2072 Secundò, ex Actor. 9. ubi Apostoli Pauli conversio enarratur, qui tametsi haud dubiè conversus fuerit, atque ex dilectione contritus, dum de cælo à Deo vocatus, & in terram prostratus, auditâ Domini voce: *Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Jesus, quem tu persequeris*, se paratum obtulit ad sequendum Dominum, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Subitò namque, non sine miraculo conversus fuerat, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 112. a. 10. Et ideò, eâ ipsâ die, quâ id accidit, conversionem ipsius Ecclesia celebrat. Non protinùs tamen dimissa sunt ei peccata, sed post trium dumtaxat dierum jejunium, dum Ananias, ad ipsum missus, ut ab ipso audiret, quid ipsum facere oporteret, baptismi necessitatem, ad peccatorum remissionem, ipsi ex parte Dei declaravit, dicens: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*; ubi per ly *peccata tua*, non intelliguntur solæ peccatorum pœnæ, utpote à quibus propriè quis non abluitur, sed à peccatorum culpis & maculis, significatis etiam per cæcitatis squamas in oculis ejus. Quemadmodùm enim illæ cæcitatis squamæ ex oculis, sic peccatorum maculæ ex anima ipsius non ceciderunt, nisi per susceptum ab Anania baptismum. Idque manifestè declarat Augustinus serm. 1. de Sanctis c. 4 dum ait: *Ananias baptizavit Saulum, & fecit de lupo agnum.* Et serm. 25. *Baptizavit Saulum, & fecit Paulum: baptizavit lupum, & fecit agnum.*

2073 Tertiò, sic argumentor: Baptismi Sacramentum non est frustraneum diligentibus Deum, & contritis, ut proximè vidimus in exemplo Pauli, & amplius ostenditur exemplo Cornelii Centurionis, qui, licèt *vir religiosus, ac timens Deum, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper* (Act. 10.) Deumque sine dubio diligens, ab Angelo nihilominùs jubetur advocare Petrum, & ab ipso audire, quid ipsum facere oporteat. Venit Petrus, ipsumque docuit credere in Christum, cui *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Act. 10. Credidit itaque Cornelius, & accepto baptismo, remissionem accepit. Atqui *quæ baptismatis, eadem & reconciliationis est causa.* Aug. lib. 7. de adult. conjug. in fine. Sicut ergo Baptismi, sic Pœnitentiæ Sacramentum frustraneum non est contritis, Deumque diligentibus.

2074 Quartò, non omnis charitas, seu Dei propter se amor, est charitas perfecta, juxta divinam Scripturam, infrà referendam. Non omnis ergo charitas per se justificat ante actualem Sacramenti susceptionem. Non omnis proinde charitas, nec omnis ex charitate contritio, tametsi necessaria, frustraneum reddit Pœnitentiæ Sacramentum.

2075 Quintò, totus Psalmus sextus inducit animam peccatricem, filiali affectu, magnâ etiam de peccatis amaritudine, suspirantem ad Deum pro eorum remissione, & dicentem v. 4. *sed tu Domine usquequò?* Quæ procul dubio verba sunt diligentis, fiduciæque filialis; quâ etiam plenus est versus 6. ubi misericordiam petit, ut Deum in æternum laudet: *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Nec tamen anima illa remissionem statim accepit. Ut enim Augustinus in Psal. 6. laudata verba expendens: *sed tu Domine usquequò: quis* (inquit) *non intelligit animam luctantem cum morbis suis; dicè autem dilatam à Medico, ut ei persuadeatur, in quæ mala se peccando præcipitaverit. Quod enim de facili sanatur, non multùm cavetur... Nondum enim tam perfectè orat hæc anima, ut ei dici possit, adhuc loquente te dicam, ecce adsum.*

Sextò, non omnem veri nominis contritionem, 2076
tametsi ex veri nominis charitate, seu Dei propter se dilectione profectam, per se justificare, sed solam perfectam, & ad hoc necesse esse, quòd sit *non solùm maxima, sed vehementissima, atque hoc sensu perfecta, omnemque ignaviam & socordiam excludat*, Catechismus Romanus p. 2. q. 26. probat ex eo quod *in Deuteronomio c. 4. scriptum est: Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, & tuâ tribulatione animæ tuæ. Et apud Hieremiam c. 29. Quæretis me, & invenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro.* Unde q. 32. infert Confessionis necessitatem: *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, incensam esse debere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aquari, conferrique possit?* Hoc est enim quod Scriptura locis illis innuit, sicut & iis quibus exigit *dolorem quasi parturientis, luctum unigeniti, rugitum quasi ursi, contritionem amaram.* Istis namque locis quantulamcumque contritionem non significari, sed admodùm vehementem, incensam, & acrem, unanimis est sententia SS. Patrum Hermæ, Justini, Tertulliani, Cypriani, Cleri Romani, Paciani, Ambrosii, Basilii, Hieronymi, Augustini, Cæsarii, Eligii, Vigilii, Eucherii, Gregorii, Isidori, Bernardi, ut vidimus capite 31.

Septimò, in iis quos in perfectæ contritionis 2077
exemplum nobis Scriptura proponit, nihil aliud invenimus, nisi *intensissimos & acerbissimos dolores* (ait Petrus Soto lect. 15. de perfect. contrit.) *In David innumera sunt verba, rugiebam à gemitu cordis mei... Nimivitæ clamant ad Dominum in fortitudine. Ezechias computat omnes annos in amaritudine animæ suæ.* Manasses egit pœnitentiam *valdè. Egressus Petrus flevit amarè.* Incestuosus Corinthius adeò flevit, ut Apostolus timeret, *ne abundantiore tristitiâ absorberetur.* Quisquis verò exempla ista perpenderit, & (ut Tridentinum ait sess. 14. cap. 4.) *qui illos Sanctorum clamores consideraverit: tibi soli peccavi: laboravi in gemitu... & alios hujusdem generis, facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.* Non omnis ergo Dei propter se dilectio, nec quantulacumque contritio ex Dei dilectione profecta, est dilectio & contritio perfecta; nec proinde per se justificans; sed vehemens dumtaxat & valdè incensa. Non omni proinde Deum propter se diligenti, non omni se ad Deum ex amore convertenti, nec omni contrito magis promissa est peccatorum remissio, quàm salus promissa sit omni Deum invocanti, omni in Christum credenti, omni panem cælestem manducanti, &c. sed (ut Petrus Soto ait ibidem) *eis qui ex corde perfecto hæc aiunt, promittitur gratia, exauditio, salus, remissio*, &c. *nec aliud* (inquit) *sentiri potest sine magno errore.* Igitur ex necessitate divinæ dilectionis, profectæque inde contritionis, ad consequendam gratiam remissionis, inferri nequit frustraneum esse Pœnitentiæ Sacramentum.

CAPUT CLXVIII.

Idipsum ostenditur ex sanctis Patribus.

DOcent enim primò, non omnem Dei prop- 2078
ter se dilectionem, nec omnem contritionem inde

nde manantem, esse perfectam, & per se justificantem, ut videbitur cap. 170. §. 2.

Secundò, Catechumenis, & pœnitentibus peccata regulariter non remitti, nisi cùm Baptismi, vel Pœnitentiæ suscipiunt Sacramentum. Ita Cyprianus, Nazianzenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Augustinus, Fulgentius, Leo Papa, Innocentius III. Bernardus, &c.

2079 Cyprianus namque epist. 20. ad Calcedonium, loquens de lapsis in persecutione, qui deinde conversi, Christum de novo confessi fuerant, *sermonibus suis justificati, quibus se anteà damnaverant*, amoreque Christi deinde extorres facti, bonisque omnibus spoliati, nondum fuerant sacramentaliter absoluti, eos dicit absolvendos: quia *facere ultrà sub diabolo quasi prostrati non debent, qui exterres facti, & bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se, & cum Christo stare cœperunt.* Credidit ergo ipsos, per suam illam conversionem, nondum justificatos, usquedum absolverentur; aliàs non diceret, *facere ultrà sub diabolo non debent*, &c.

Idem S. Martyr epist. 54. ad Cornelium, justificat resolutionem Concilii à se celebrati, de absolvendis ob imminentem persecutionem lapsis, similiter conversis, qui, derelictis bonis suis, & *contemptâ domo, parentibus ac liberis, sequi Dominum maluissent.* Quam resolutionem rationabilem esse probat, quia *quomodo potest ad confessionem* (nominis Christi) *paratus aut idoneus inveniri, qui non priùs pace* (id est absolutione) *acceptâ receperit Spiritum Patris, qui, corroborans servos suos, ipse loquitur & confitetur in nobis? tum denique, si relictis omnibus rebus suis fugerit, & in latebris, atque in solitudine constitutus, in latrones fortè incurrerit, vel in febribus, aut in languore decesserit, nonne nobis imputabitur, quòd tam bonus miles, qui omnia sua dereliquit, & contemptâ domo, parentibus ac liberis, sequi Dominum maluit, sine pace & communione decedit? Nonne nobis vel negligentia segnis, vel duritia crudelis adscribetur in die judicii, quòd Pastores creditas & commissas nobis oves, nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? Nonne ingeretur nobis à Domino, quod per Prophetam suum clamat, & dicit: Ecce lac consumitis*, &c. Et ipsos ergo (tam benè conversos) Deumque sine dubio diligentes, credidit in statu perditionis, privationisque S. Spiritûs inhabitantis, nisi per absolutionis beneficium reconciliarentur. Cypriano Nazianzenus concinit in fine orationis de Baptismo.

2080 Concinunt & Cyrillus Hierosolymitanus, & Augustinus, secundùm quos peccatorum remissio, ante actualem susceptionem Baptismi, vel Pœnitentiæ, rarissimè obtinetur, tametsi rarissima non sit Dei propter se dilectio, conceptaque inde contritio, saltem in hominibus piis, humanâ fragilitate infeliciter lapsis, & in Catechumenis mox baptizandis, qui, ex Ecclesiæ ritu, diabolo & mundo renuntiant. Ex quibus multos describit Augustinus l. de fid. & oper. velut charitatis studio ferventes, & tr. 4. in Joan. velut multis fidelibus meliores, utpote qui ab omni concubitu abstinebant, sæculo valedicebant, possessiones suas relinquebant, pauperibusque distribuebant, &c.

Ipsos nihilominùs alloquens Cyrillus catecheseos mystagog. 3. *Iste* (inquit) *impudens improbitate Princeps dæmon, ad ipsas usque salutares undas te sequebatur. Pharao in mari submersus est. Iste in aquas saliens suffocatur.* Et rursus: *neque siquis aquâ baptizatur, absque Spiritu, perfectam habet gratiam; neque siquis, etiam benè compositis probisque moribus, non recipiat autem signaculum per aquam, intrabit in regnum cælorum.*

2081 Similiter Augustinus tractatu illo 4. in Joan. de ipsis dicit: *omnia peccata super illos sunt, nisi venerint ad baptismum, ubi peccata solvuntur.* Quod & eâdem Populi Israëlitici figurâ illustrat: *quomodò non caruit Populus Israël Populis Ægyptiorum, nisi cùm venisset ad mare rubrum; sic pressuris peccatorum non caret* (regulariter loquendo) *nisi cùm ad sortem baptismi pervenerit.* Et tr. 13. *quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur* (regulariter) *nisi venerit ad baptismum.* Et l. 4. de bapt. contra Donatist. cap. 21. *non dubitò Catechumenum, divinâ charitate flagrantem, hæretico baptizato anteponere.* Et nihilominùs *illi bono Catechumeno baptismus deest ad capessendum regnum cælorum.* Quia scilicet *Catechumeni quamdiù sunt, super illos sunt omnia peccata eorum* (ait l. de Symbolo ad Catechumen.) *& nisi venerint ad baptismum, cum omni sua excellentia non possunt intrare in regnum cælorum.* Tr. 4. in Joan. eò quòd utique *alterum sine altero parum est, utrumque perficit æternæ possessionis hæredem.* Lib. 4. de bapt. contra Donat. cap. 21. *utrumque necessarium est* (regulariter) *ad Dei regnum capessendum, & baptismus, & justitia.* L. de unit. Eccles. cap. 22. ubi per justitiam, charitatis intelligit dilectionem: siquidem *charitas inchoata, inchoata justitia est*, &c.

Adeò urgentia sunt illa Augustini testimonia, 2082 ut in vanum adversarii eorum vim effugere conentur, dicendo vel ea procedere de solis baptismi contemptoribus, aut neglectoribus; vel, cùm ait, super illos esse omnia peccata eorum, id non intelligere de reatu culpæ, sed pœnæ, vel de obligatione suscipiendi baptismum. Enimverò utrumque effugium Augustini præcludunt expressiones. Neque enim baptismi suscipiendi obligatio propriè appellatur *sarcina iniquitatis*: nec similitudo Ægyptiorum submersorum in mari rubro, figuraliter exprimit solos peccatores quoad pœnam, sed quoad culpam. Sic etiam, dum l. de Symbolo ad Catechum. cap. 8. dicit: *Deus non dimittit peccata nisi baptizatis*, de peccatis ipsis, non de solis peccatorum effectibus, seu pœnis loquitur. Sequitur enim: *ipsa peccata, quæ primùm dimittit, nonnisi baptizatis dimittit. Quando? quando baptizantur.* Ipsos ergo non priùs justificat, nec filios adoptionis efficit. *Nam quomodò dicunt Pater noster, qui nondum nati sunt?* Ante baptismum ergo censet ipsos nondum filios, nondum proinde justificatos. Et ideò concludit: *Catechumeni quamdiù sunt, super illos sunt omnia peccata eorum.*

Denique quòd non loquatur de solis baptismi 2083 contemptoribus, vel neglectoribus, manifestum est ex eo quòd l. 4. de baptismo cap. 21. expressè agat de iis etiam Catechumenis, qui *charitate flagrant*, necnon ex hoc quòd tr. 13. in Joan. dicat: *quantumcumque Catechumenus proficiat* (non proficit certè contemptor, sed deficit) *adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat.* Tractatu etiam 4. de Catechumenis *excellentioris gratiæ*, abstinentibus ab omni concubitu, valefacientibus sæculo, &c. ac proinde competentibus, ad baptismum anhelantibus, seque ad illum suscipiendum, per omne pietatis exercitium cum fervore præparantibus, dixerat, quòd *omnia peccata super illos sunt, & nisi venerint ad baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni excellentia sua non possunt intrare in regnum cælorum.*

Et cui dubium esse potest, Augustinum, non- 2084 dum baptizatum, unum fuisse de bonis Catechumenis istis, dum à Deo conversus, ad baptismum sese disponebat? De seipso ipse testatur l. 8. Confess. cap. 12. *flebam amarissimâ contritione cordis mei..... convertisti enim ita me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi hujus*, &c. Et l. 9. c. 1. *suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas a-*

mittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me.... & intrabas pro eis omni voluptate dulcior..... omni luce clarior.... omni honore sublimior. Cap. 2. *sagittaveras tu cor nostrum charitate tuâ.* Cap. 4. *in te inflammabar.... mihi dulcescere cœperas, & dederas lætitiam in corde meo..... Nec volebam multiplicari terrenis bonis..... cùm haberem in æterna simplicitate aliud frumentum, & vinum, & oleum.* Non quærebat ergo, nec volebat nisi Deum charitate ipsius sagittatus. Nihilominùs cum talibus & tantis dispositionibus, cùm tali & tanta contritione, dilectione, & charitate, eodem cap. 4. subjungit: *ea fides*, licèt per talem tantamque dilectionem operans, *me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tuum remissa nondum erant.* Quando ergo de peccatis præteritis desiit anxius esse? *baptizati sumus* (ait cap. 6.) *& fugit à nobis sollicitudo vitæ præteritæ.*

2085 Nec dissimiliter S. Leo Papa epist. 91. ad Theodorum Episcopum Forojulienſem, usque adeò necessarium asserit, ut " peccatorum reatus ante „ ultimum diem, sacerdotali supplicatione solva„ tur.... (sic divinæ bonitatis prædiis ordinatis, „ ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacer„ dotum " regulariter " nequeat obtineri) ut subjungat, quòd si aliquis eorum, pro quibus sup„ plicamus, quocumque interceptus obstaculo.... „ priusquàm ad constituta remedia perveniat, tem„ poralem vitam.... finierit.... Deus noster.... „ quod sacerdotale ministerium implere non po„ tuit, suæ justitiæ reservaverit, ita potestatem „ suam timeri volens, ut hic error omnibus pro„ sit, & quod quibusdam tepidis aut negligenti„ bus recidit, nemo " (tametsi non tepidus nec negligens, sed charitate fervens) " non metuat. Ecce dubitat S. Leo de salute pœnitentium, etiam non tepidorum, sed ferventium (de ipsis enim ipsum agere significant verba illa: " si aliquis co„ rum, pro quibus supplicamus, " id est in pœnitentia constitutorum, pro quibus frequentes manuum impositiones, supplicationesque tunc fiebant.) De ipsorum (inquam) perditione timendum Leo censet, ob absolutionis defectum, non obstante contritione, Deique dilectione, quam verisimile est ferventer pœnitentibus non defuisse. Et idipsum non solus Leo timendum censuit, sed & idem (circa ista tempora) communis fuit fidelium sensus, quorum ideò de Pastoribus suis, ad martyrium properantibus (teste Victore Uticensi l. 2. de persecut. Vandal.) querela erat: *quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronam? Qui nos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiâ, obstrictos vinculis solituri? quia vobis dictum est: quæcumque solveritis super terram*, &c.

2086 Eandem ob causam Theodosius Imperator, à S. Ambrosio absolutione communioneque fidelium privatus, sacerdotalis absolutionis necessitatem (non obstante suâ contritione, dilectioneque) optimè & intimè cognoscens, octo menses in continuis lachrymis & gemitibus transegit, hâc ratione, quòd *sibi ad cœlum accessus præclusus esset. Nam venit mihi in mentem* (aiebat Rufino familiari suo, tanti luctûs causam scisciranti) *sententia à Domino prolata... quæcumque ligaveritis super terram, erit ligatus & in cœlis.* Sic refert Theodoretus l. 5. histor. cap. 17.

2087 Refert etiam Gregorius Nyssenus de Archia, nobili Cumano, in Ponto, quòd (cùm baptismum suum distulisset) in prælio graviter vulneratus, tanto ardore baptismum expetierit, ut, cùm aqua deficeret, lamentabiliter clamaret: *montes & silvæ baptizate me, arbores & rupes date gratiam.*

2088 Denique eodem ex capite Augustinus epist. 228. ad Honorat. ostendit Ministrorum obligationem, non deserendi Ecclesias suas, persecutionis tempore. " An non cogitamus (inquit) cùm ad illo- " rum periculorum extrema perveniatur, nec est " potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesiam " fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni æ- " tate concursus, aliis baptismum flagitantibus, " aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ " ipsius actionem, omnibus consolationem, & " Sacramentorum confectionem, & erogatio- " nem. Ubi, si Ministri desunt, quantum exi- " tium sequitur eos, qui ex hoc sæculo vel non " regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam " luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ " æternæ requiem non habebunt? quantus deni- " que gemitus omnium? & quorundam quanta " blasphemia, de abstentia ministeriorum, & Mi- " nistrorum? "

Ista sunt loca, ex quibus Pamelius ad laudatam epist. Cypriani colligit, *improbabilem esse eorum sententiam, qui solam contritionem sufficere plerùmque existimant ad remissionem peccatorum. Si enim verum esset, non tantoperè inculcaretur à Patribus necessitas absolutionis, & reconciliationis.* 2089

Noster quoque Waldensis to. 2. doctrin. fid. de Sacram. cap. 97. ex communi Sanctorum doctrina mirè urget necessitatem suscipiendi actu Sacramenta, non obstante flagranti charitate Catechumenorum, vel pœnitentium. 2090

Et verò SS. Patribus relatis accedit S. Fulgentius, cui cùm Ferrandus, Diaconus Carthaginensis, quæstionem proposuisset de juvene Æthiope in infirmitate baptizato, dum sensibus esset destitutus, qui tamen ante infirmitatem inter competentes admissus, ad baptismum in vigilia Paschæ suscipiendum lachrymis, orationibus, jejuniis, sæculi abrenuntiatione, Christi confessione, &c. piè & exactè se præparaverat. Cùm (inquam) Ferrandus quæsisset, num Æthiops ille per pia illa exercitia (inter quæ vera contritio, Deique dilectio semper fuit) ante susceptum baptismum, remissionem non meruisset peccatorum? Respondit Fulgentius, quòd per illa quidem meruerit, ut sibi peccata per baptismum, etiam nescienti collatum, remitterentur, sed non ut ante baptismum remitterentur: " illum utique adolescentem " (ait cap. 8. resp. ad Ferrandum) " quia credidisse, & confessum fuisse novimus, ideò per Sacramentum baptismatis sal- " vum fuisse firmamus. Qui si non baptizaretur... " nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in " confessione, salus in baptismate. Nam in illa " ætate, non solùm ei confessio sine baptismo " nihil prodesset, sed nec ipsum baptisma non " credenti, neque confitenti ullatenus proficeret " ad salutem. Ideò ergo illi Deus confessionem " prodesse voluit, quia eum usque ad sanctam " regenerationem in hac vita servavit... Ita igi- " tur mysteria (prosequitur capite 9.) " id est exercitia præparatoria, " quæ ante baptisma in sancta Ecclesia geruntur, concipi spiritualem " hominem faciunt, non renasci. Hinc est quòd " perveniet ad salutem, siquem secunda nativi- " tas educet in lucem. Ad quam lucem ille ho- " mo mysteriis præparatur, sed Baptismatis Sa- " cramento perducitur. Hoc est quod superiùs " dixi, in illis mysteriis esse salutis officium, in " baptismate salutis effectum. " 2091

Tempore utique Fulgentii nondum certa erat sententia proximè ex Bernardo subjicienda. Quia licèt eam tradidisset Ambrosius, Augustinusque, necdum erat communi Ecclesiæ sensu firmata, uti posteà firmata fuit, eamque vel ipse Augustinus pro certa non habuisse videtur, sed de ea dubitasse citatâ epist. 28. ad Honoratum. 2092

Verùm post Fulgentii tempora invaluit pia sententia, quam S. Bernardus epist. 77. ex Ambro- 2093

ño & Augustino tradit, quòd utique peccator, absque baptismo actu susceptò, remissionem peccatorum accipiet, salvabiturque, *si ante extrema respuerit, & voluerit, & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo, forte obtinere nequierit, dum non desit fides recta, spes pia, charitas sincera... tantùm si aquam non contemptus, sed sola*, ut dixi, *prohibeat necessitas*. Quod & censet de relapso post baptismum, cui mors subitanea non permiserit suscipere Pœnitentiæ Sacramentum. *Credo* (inquit) *& ipsum solâ fide* (cum spe & charitate, ut antè) *posse salvari cum desiderio percipiendi Sacramentum, si tamen pro adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviarit..... Si fortè peccator corde pœniteat, sed intercurrente articulo necessitatis, ad confessionem pervenire non possit, confidenter credere debemus, quòd summus Sacerdos complet in eo, quod mortalis non potuit, & jam apud Deum factum constat, quod homo quidem verè voluit, sed non potuit adimplere. Quia confessionem non contemptus excluſit, sed impedivit necessitas.* Hanc sententiam Innocentius III. canonizavit cap. *Apostolicam* de Presb. non baptizato. Estque hodie adeò communis Ecclesiæ sensus, ut jam dubitandum non sit, quòd vera conversio peccatoris, cui non deest fides recta, spes pia, charitas sincera, absque actuali susceptione Sacramenti, justificet & salvet in dicto casu necessitatis. Non extra illum (regulariter loquendo) cùm ad eum se restringant tam Ambrosius & Augustinus, quàm Bernardus, Innocentius III. & alii infrà referendi. Nec profectò extra istius necessitatis articulum procedit ratio ab ipsis allegata: quòd utique defectum Sacramenti Deus invisibiliter suppleat, dum Sacramentum homo visibiliter percipere non potuit. Igitur vera conversio, cum fide recta, spe pia, charitateque sincera, extra dictæ necessitatis articulum, esse potest sine peccatorum remissione, nec ad eam ordinariè perducit, nisi dum actu percipitur Pœnitentiæ Sacramentum. Necessitas ergo talis conversionis inutile non reddit istud Sacramentum.

2094 Nec videtur satis tutum asserere contrarium, non solùm quia est contra constantem Sanctorum doctrinam; sed & quia in Wicleffo damnatum videtur à Concilio Constantiensi, & à Martino V. à quibus iste Wicleffi articulus damnatus fuit: *si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est ipsi superflua, & inutilis.* Neque enim Wicleffus id dixit, nisi de contritione dilectrice, de eaque ipsum Waldensis noster intellexit loco suprà relato.

2095 Hoc denique asserere, est contra Tridentinum sess. 13. cap. 7., & can. 11.: siquidem ibi sic habet: *Ne tantum* (Eucharistiæ) *Sacramentum indignè..... sumatur, statuit, atque declarat hæc S. Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem.* Eam igitur Tridentinum non credit frustraneam homini, quantumcumque se contritum existimanti, etiam contritione dilectrice. Neque enim dubium esse potest, contritos contritione dilectrice, isiâ Tridentini declaratione comprehendi. Peccaretque contra eam, qui contrarium auderet *docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu publicè disputando defendere.* Hoc enim sub pœna excommunicationis Tridentinum prohibet ibidem.

2096 Quid plura? necessitas divinæ dilectionis in pœnitentia, quam ante baptismum agi oportet, frustrancum non reddit Baptismi Sacramentum, prout idem Concilium declarat sess. 6. c. 6. Neque ergo necessitas ejusdem dilectionis in contritione necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ, frustraneum reddit istud Sacramentum.

CAPUT CLXIX.

Tametsi contritio perfecta cum Sacramento requireretur (quod non concedimus) non ideò frustraneum esset Pœnitentiæ Sacramentum.

PRobatur, quia neque Tudetanus Antistes, qui 2097
in Concilio Tridentino contritionem perfectam requisivit, frustraneum Pœnitentiæ Sacramentum credidit, nec tot antiqui Theologi, in superioribus commemorati, nec *plures* illi *magnique* Theologi, qui post Tridentinum *in pœnitente*, antequam absolvatur, *contritionem veram, charitate formatam* (apud Comitolum in resp. moral.) requisierunt. Neque sententiam ipsorum per Tridentinum damnatam censemus, tametsi eam minimè sequamur. Ut enim suprà vidimus, propositum fuit Patribus Tridentinis, celebres Scholasticorum sententias non damnare. Usque ad Tridentinum verò, adeò celebris fuit antiqua illa Scholasticorum sententia, ut de ea Morinus testetur, *aliis omnibus sigillatim sumptis prævaluisse, maximosque viros, & magno numero, paulo ante Tridentinum, hanc sententiam defendisse.*

Et confirmatur primò, quia, teste Pallavicino, 2098
l. 12. c. 10. vel sola Cajetani & Adriani sententia expungi fecit canonem, alioqui paratum, quo damnabatur, *quisquis negaret, contritione, quâ pœnitens, divinâ gratiâ per Christum cooperante, dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi, & satisfaciendi, remitti peccata.* Cùm enim *Balthasar Eredia, Calaritanus Archiepiscopus, admoniisset, eam esse Cajetani & Adriani sententiam, & ideò damnandam non esse*: Canon iste omissus fuit. Si sola duorum istorum authoritas damnationem istam impedivit; quantò magis sententia tot & tantorum Doctorum proximè laudatorum, &c.?

Confirmatur secundò, quia saltem sententia 2099
tam celebris damnata non fuisset absque contradictione. Neque enim Tudetanus, aliique Tridentini Patres, absque contradictione damnari permisissent sententiam suam, si Calaritanus absque ea damnari non permisit alienam. At contradictionis mentio nulla legitur Tridentina in Historia, magis quàm damnationis.

Si dicas, Tudetani sententiam implicitè dam- 2100
natam fuisse, per definitionem, quâ definitum est, quòd *res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim pertinet, reconciliatio est cum Deo*, quòdque absolutio actus sit judicialis.

Contrà: Tudetanus non ideò negavit, absolutionem esse actum judicialem, quia perfectam requisivit contritionem. Neque enim absolutio esse desinit actus judicialis, dum impenditur peccatori, cujus peccata per contritionem vel confessionem præcedentem remissa sunt. Adhuc enim tunc Sacerdos verè absolvit, verè Deo reconciliat, & adhuc sententia absolutionis ipsius actus est judicialis, ut Doctores communiter tatentur. Sicque Tudetanus in Tridentino sustinuit, ad peccatorum remissionem necessariam esse perfectam contritionem, ut tamen negaverit, *hinc argui, per Sacramentum peccata non remitti. Tametsi enim Sacramentum ea jam invenit remissa, præeuntis contritionis efficacitate, ipsa contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.* Sic refert Pallavicinus loco relato.

Et potest non uno sensu id explicari. Primò, 2101
quia ut S. Thomas ait in 4. dist. 18. *virtus clavium potest operari ad culpæ remissionem, prout in voto existens.* Pœnitentiæ proinde Sacramentum (& idem est de Baptismo) nondum existens phy-

cè, sed moraliter dumtaxat (in voto susceipientis) moraliter causare potest gratiam, in virtute Passionis Christi, ad eum ferè modum, quo ipsa Christi Passio, nondum existens actu, sed moraliter in scientia & intentione Dei, verè moraliter causavit gratiam in Patribus veteris Testamenti. Videri potest noster Joannes Maria Verratus, doctissimus Theologus, in disputationibus, quas adversus Lutheranos anno 1547. ad Paulum III. edidit, disp. 7. de pœnitentia interiori, ubi loquens de contritione, in qua includitur votum confitendi, dicit, quòd *Pœnitentiæ Sacramentum operatur in hujusmodi vera & sufficientis contritione, antequam exhibeatur in opere, eo modo quo Sacramenta habent causalitatem respectu sui effectûs. Nam statuit Deus, quod cùm quis contritus habet votum, seu propositum confitendi, ac susceipiendi Pœnitentiæ Sacramentum, assistere vult huic sic contrito ad delendum peccatum. Quod non faceret, si votum susceipiendi Pœnitentiæ Sacramentum non haberet... Et hoc quidem signum est magnæ efficaciæ illius utilissimi Sacramenti: quemadmodum & Christi Passio in hoc efficax mirabiliter fuit, quoniam operata est salutem Patribus veteris Testamenti, priusquam exhiberetur in effectu... Quapropter Sacramentum Pœnitentiæ delet actuale peccatum, prout comprehendit contritionem internam, & exteriorem confessionem & satisfactionem. Hæ namque partes sunt integrales Sacramenti Pœnitentiæ, sine quibus hujusmodi Confessionis Sacramentum esse non potest. Liquet igitur Sacerdotem Evangelicum, imponendo manus super peccatorem sufficienter contritum, absolvere ipsum, tamquam Christi Ministrum, ab omnibus peccatis suis, dicendo, ego te absolvo.*

1102 Secundò, Pœnitentiæ Sacramentum, in sententia illa, subinde etiam primam gratiam operatur, dum actu existit: *exempli causa* (prosequitur Verratus noster) *si quis sufficienter non contritus, ad Confessionis Sacramentum accederet, in primo autem instanti verborum absolutionis, seu in illo momento, in quo Sacerdos incipit illum* (post seriam exhortationem deprecationemque) *absolvere*, Domino exhortationem, partemque absolutionis deprecativam, atque confessionis humilitatem benedicente, *eliceret plenum ac perfectum actum contritionis: tum in illo instanti infunderetur prima gratia*, quæ corresponderet actui contritionis, cum gradu præcisè correspondente operationi sacramentali, & totum esset una *prima gratia, cujus efficax signum esset Pœnitentiæ Sacramentum, ut involvit contritionem in actu, ac satisfactionem in voto.*

1103 Tertiò, *omne Sacramentum* (ut S. Thomas ait 3. p. q. 86. a. 6. in corp.) *producit effectum suum, non solùm virtute formæ, sed etiam virtute materiæ. Unde sicut remissio culpæ fit in Baptismo, non solùm ratione formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ, principaliùs tamen virtute formæ, ex qua, & ipsa aqua virtutem recipit. Ita etiam & remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, principaliùs quidem ex virtute clavium, quas habent Ministri* (*ex quarum parte accipitur id quod est formale in hoc Sacramento*) *secundariò autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ*, & prout per fidem ordinantur etiam ad Passionem Christi. Quia sicut ad 3. ait, *ad Passionem Christi ordinantur actus pœnitentiæ virtutis, & per fidem, & per ordinem ad claves Ecclesiæ. Et ideò utroque modo causat remissionem culpæ virtute Passionis Christi.*

1104 Itaque Sacramentum Pœnitentiæ, juxta S. Doctorem, considerari debet ut totum quoddam morale, cujus partes materiales simul tempore indivisibiliter non sunt; imò nec forma ipsa, utpote constans verbis, quorum priora transeunt, dum posteriora proferuntur. Quo tamen non obstante, omnia hæc virtutem suam simul & conjunctim moraliter exerunt. Quia licèt tempore separata, ex intentione Christi conjunguntur, per virtutemque Passionis ipsius simul concurrunt ad applicandum pœnitenti meritum ipsius Passionis, per quod peccatorum fit remissio. Quæ dum fit tempore contritionis, vel confessionis, moraliter non censetur fieri extra Sacramentum, sed in ipsa actuali susceptione Sacramenti, & principaliùs per absolutionem (in voto existentem) quàm per contritionem, vel confessionem. Censetur namque fieri in Sacramenti susceptione, quod fit in aliqua parte ipsius, cum ordine ad ipsum totum morale, quo hæc omnia continentur. Et dum remissio fit in contritione v. g., non fit nisi virtute Passionis Christi, qui dum clavium ministerium instituit, voluit ut Sacramenti Pœnitentiæ partibus assisteret virtus Passionis suæ, & ut ob clavium virtutem fieri censeretur, quod fieret in aliqua parte Sacramenti Pœnitentiæ, ad claves ordinata.

1105 Et ideò assertionem nostram Carechismus Romanus p. 2. cap. 5. q. 13. confirmat dicens, Sacerdotem verba ista, *ego te absolvo, non minùs verè de illo etiam homine pronuntiare, qui prius ardentissimæ contritionis vi, accedente tamen confessionis voto, peccatorum veniam à Deo consecutus est.*

Plura hac de re, & præclara videri possunt apud Illustriss. Porphyriensem in eruditissimo libro suo de contrit. & attrit. differt. 4. per totam, ubi gravissimam hanc quæstionem plurimùm illustrat, sententiamque nostram invictè probat, & ab objectis argumentis nervosè defendit.

CAPUT CLXX.

Non omnis contritio ex Dei propter se amore, etiam super omnia, est contritio perfecta. Nec omnis dilectio Dei propter se super omnia, est dilectio perfecta.

1106 PLuribus argumentis suprà ostendimus, veram pœnitentiam, contritionemque ex vera Dei charitate procedere, & quidem ex charitate super omnia. Cùm pœnitentia & contritio esse debeat de peccato in quantum peccatum est, & peccatum mortale (de quo principaliter agitur) ideò tale peccatum sit, quia contrarium charitati, seu dilectioni Dei super omnia: ad cujus proinde remissionem necesse est adversus peccatum moveri motu contrario, per charitatem scilicet, dilectionemque Dei super omnia. Cùm aliter reparari nequeat injuria Deo facta per peccatum, nec restitui dilectio Dei super omnia, ipsi tunc injustè sublata, cùm creatura plus Deo fuit dilecta. Et hinc est quòd sicut Deus jubet se diligi ex toto corde, sic jubet ut peccator ad ipsum convertatur *ex toto corde*, id est super omnia.

1107 Sed hoc est, unde palmare suum contra divinæ dilectionis necessitatem argumentum petunt Adversarii. Existimant enim omnem dilectionem Dei propter se super omnia esse dilectionem perfectam, ac per consequens omnem contritionem ex dilectione Dei propter se super omnia contritionem esse perfectam. Ideò arguunt à nobis exigi contritionem perfectam & per se justificantem, dum exigitur contritio ex dilectione Dei propter se super omnia. Istud argumentum est quod hic refellendum suscipimus.

1108 Sed antè, Lectorem monitum volo, per dilectionem Dei super omnia, quam requirimus, à nobis non intelligi dilectionem super omnia effectu, sed super omnia affectu. Quam Lovanienses ideò rectè prædominantem vocant, quia

cùm omnem mortaliter peccandi affectum excludere debeat, omni affectu mortaliter peccandi major & fortior esse debet, atque præ omnibus aliis affectibus in corde dominari. Unde & illo termino amoris prædominantis dudum usus est S. Bonaventura in 4. dist. 16. a. 2. q. 1. *de dolore contritionis, in comparatione ad alios dolores, dico sicut de amore, quòd oportet quòd habeat prædominium.* Adrianus quoque VI. in 4. de Confess. q. 5. dub. 5. *Nisi perfecta*, id est plenâ, *voluntate convertatur ad Deum, & efficaciter velit placere Deo, ut affectus sit omnibus aliis prædominans, nequaquam reponitur ad statum salutis.* Petrus Soto in meth. conf. addit ad tit. peccat. recid. p. 206. *non aliter remittitur peccatum, nisi cùm in divinis oculis ita ejus amor prædominatur cordi, ut ille præ omnibus ametur*, sive ut Albertus Pighius in controvers. præcipuar. explic. controv. 9. *nisi amor Dei primas teneat, & amori nostri præponderet.*

§. I.

Prima assertionis probatio ex Scriptura.

2109 PRimò probatur exemplo Petri Apostolorum Principis, cui non defuit amor Dei propter se, affectu super omnia, cùm Joan. 13. Christo dixit: *animam meam pro te ponam*; defuit tamen charitas perfecta, Augustino docente l. de grat. & lib. arb. cap. 17. *quamvis parva & imperfecta*, charitas *non deerat, quando dicebat Domino: animam meam pro te ponam.* Defuisse etiam perfectam, Salvator innuit ipsi respondendo: *non potes me sequi modò*; quasi diceret: tua in me charitas satis valida & perfecta non est, ut sequi me possis modò, sive ut vires habeas pro me animam tuam ponendi modò.

2110 Secundò, exemplo Magdalenæ, Apostolique Pauli, de quibus vide cap. 168. Quòd enim Deum propter se dilexerint, ibidem ostensum est. Quòd etiam affectu super omnia, vix dubitari potest de Magdalena, quæ (teste Veritate) dilexit multùm, omnemque respectum humanum, omnem confusionem contempsit, ut ad Christum irrueret, *importuna convivio, opportuna beneficio.* Vix etiam dubitari potest de Paulo, utpote ex toto corde converso. Nec tamen sive ipsius, sive Magdalenæ conversio, dilectioque, ipsos justificavit, ante Christi remissionem, vel baptismi susceptionem respectivè, prout ibidem ostendimus.

2111 Tertiò, perfecta charitas foras mittit timorem, Joan. 4. v. 10. *sed non omnis Dei propter se dilectio*, etiam affectu super omnia, foras mittit timorem, ut apparuit in amore Petri, apparetque quotidie in multis, quorum Dei propter se amor, quamvis affectu super omnia, ob suam equidem imperfectionem indiget stimulo timoris.

2112 Quartò, ex v. 16. ibid. *in hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Ad quæ verba Augustinus tr. 9. in Joan. *quid est habere fiduciam in die judicii? non timere ne veniat dies judicii.* Hoc autem timent innumeri homines, quibus inest aliqua Dei propter se dilectio, etiam affectu super omnia.

2113 Quintò, contritio perfecta, admodum vehemens, acris & incensa esse debet, ut ex Deuter. 4. Hierem. 29. Mich. 4. Hierem. 6. necnon exemplis eorum, quos in perfectæ contritionis exemplum nobis Scriptura proponit, colligunt SS. Patres cap. 168. relati. Talis verò non est omnis contritio ex Dei propter se amore, etiam affectu super omnia: non omnis ergo contritio hujusmodi est perfecta.

§. II.

Secunda probatio ex sanctis Patribus, Conciliis, & Catechismo Romano.

2114 IMprimis ex eo quòd, juxta unanimem sententiam SS. Patrum, capite illo 168. laudatorum, sola illa contritio perfecta sit, quæ adeò vehemens est & incensa, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit. Qualis profectò non est omnis contritio ex amore Dei propter se, affectu super omnia. Confer quæ dixi capite 30. & observa Hermam, sancti Pauli discipulum, à Patribus commendatissimum, l. 3. similit. 7. inducere Angelum dicentem sibi: *ego scio totis præcordiis eos agere pœnitentiam* (adeòque super omnia) *numquid ergo protinùs putas aboleri delicta eorum qui (talem) agunt pœnitentiam? non proinde continuò: sed oportet eum qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, & humilem animo se præstare in omni negotio, & vexationes multas variasque perferre*, &c. Observa etiam reliquos Patres, saltem ad contritionem perfectam, cum Scriptura requirere *dolorem quasi parturientis, luctum quasi unigeniti, rugitum quasi ursi, contritionem amaram.* Unde Justinus Martyr in fine Dialogi cum Triphone loquens de contritione David, *cujus* (inquit) *peccatum tunc demùm remissum est, cùm ita ploravit sicut de eo scriptum est.... ac tunc demùm, cùm tantoperè flevit.* Ambrosius pœnitentiam exigit, *quæ aut æquet crimina, aut excedat.* Augustinus, *vehementissimam molestiam humiliationis.* Cæsarius, *ingentem rugitum.* Gregorius, *compunctionem cum magna fortitudine.* Bernardus, *grandia lamenta.* Petrus Blesensis, *dolorem cordis acerbissimum.* Videri potest Morinus lib. 1. c. 12. 13. & 14.

2115 Deinde probatur ex doctrina Patrum Cypriani, Nazianzeni, Augustini, Leonis Papæ, Fulgentii, Bernardi cap. 167. laudatorum, secundùm quos ante actualem susceptionem Sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ, regulariter non contingit, imò verò rarissimè, quòd remissio peccatorum obtineatur. Atqui non adeò rarò, imò satis frequenter id contingeret, si omnis contritio ex Dei propter se amore, affectu super omnia, quàmlibet remissa, foret contritio perfecta; per se proinde justificans. Cùm contritio, saltem remissa, ex amore Dei propter se, affectu super omnia, non adeò rara sit, sed frequens, saltem in hominibus piis, post lapsum meræ fragilitatis ad Deum revertentibus, sicut & in Catechumenis charitate flagrantibus, qualis fuit Augustinus, & alii de quibus cap. illo 167.

2116 Tertiò, si omnis charitas (veri nominis) esset perfecta, Augustinus tr. 5. in Joan. non diceret: *Numquid mox ut nascitur charitas, prorsus perfecta est? ut perficiatur, nascitur; cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perficitur; cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Christus est, & mori lucrum.*

2117 Quartò, si amor Dei propter se, affectu super omnia, foret charitas perfecta; omnis homo, Deum amans super omnia propter se, esset homo perfectus & sanctus. Hoc autem dici non potest: cùm in amore Dei super omnia propter se dentur gradus proximè dicti, nativitatis, seu inchoationis, nutritionis, roborationis, perfectionis; dicatque Augustinus, *charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.*

2118 Quintò, amor Dei propter se, non solùm esse debet affectu super omnia, sed & effectu super omnia, secundùm doctrinam Sanctorum, ut sit charitas perfecta, perfectaque justitia: ita scilicet ut affectus divini amoris hic & nunc tam fortis sit & validus, ut etiamsi hic & nunc præsens foret occasio sustinendi, non solùm jacturam rerum temporalium, sed & vitæ propriæ, sustinendi etiam gravissimos cruciatus, usque ad ipsam mortem, ea omnia sustineret, potiùs quàm à charitate Dei recederet. Quòd enim ad perfectam charitatem haud

sufficiat quæcumque dilectio, charitasque justitiæ, ne illa quidem, quæ ad excludendam mortalem omnem cupiditatem, servilis timoris non indiget adminiculo, Augustinus docet epist. 144. ubi ad perfectam justitiam charitatemque sic requirit, ut " quemadmodùm ad peccatum nullus vos cogebat timor, sed iptius libido voluptasque peccati; " sic ad justè vivendum non vos supplicii metus " urgeat, sed ducat delectatio, charitasque justi" tiæ," ut tamen addat:" Et hæc quidem, quan" tùm mihi videtur, nondum est perfecta, sed " quodammodò adulta justitia" (nondum proinde perfecta charitas: cùm perfecta charitas, perfecta justitia sit, secundùm ipsum.) " Neque enim " frustrà præmitteret" Apostolus:" Humanum di" co propter infirmitatem carnis vestræ," nisi quia " plus aliquid dicendum fuit, si jam illi ferre potuissent." Quid ergo plus ei dicendum? ibidem exponentem audiamus Augustinum, qui postquam dixit, quòd " plus servitutis debetur justitiæ, " quàm peccato solent homines exhibere. Nam " pœna corporis, etsi non à voluntate, tamen " revocat ab opere peccati." Addit:" Justitia verò " sic amanda est, ut ab ejus operibus, etiam pœ" næ corporis nos cohibere non debeant, atque " inter manus etiam crudelium inimicorum lu" ceant opera nostra coram hominibus, ut.... " glorificent Patrem nostrum qui in cælis est. " Hinc est quòd fortissimus ille justitiæ dilector " exclamat: Quis nos separabit à charitate Chri" sti? tribulatio? an angustia? an persecutio? an " gladius, &c.? Concinit Ambrosius epist. 44. ad Herontin. Episcop. dicens, quòd perfecta charitas *non potest timere martyrium.* Talem habuerunt SS. Martyres, qui, ut S. Augustinus ait l. 1. de nat. & grat. c. 7. *cum omnibus amoribus, terroribus, & erroribus suis, vicerunt hoc sæculum.* Talem Apostolus Paulus, de quo proximè. Sed talem nondum habuit Apostolus Petrus, quando dixit: *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Joan. 13. falsò namque *putabat se posse, quod se velle sentiebat.*

2119 Sextò, juxta nonnullos adhuc ampliùs exigere videtur Augustinus, nimirùm ut, secundùm præsentem cordis dispositionem, homo satis fortis sit ad ista sustinenda, non solùm patienter, verùm & delectabiliter, eò quòd præsens charitas sic vincat omnem vitæ præsentis, cæterarumque rerum cupiditatem, ut Deum taliter amanti tædiosa sit vita præsens, & optata mors, sicque *patienter vivat, & delectabiliter moriatur.* Quod non contingit iis, qui adhuc retinent adhæsivam erga vitam suam, vel res temporales cupiditatem. Tales enim nec delectabiliter moriuntur, nec corde omninò pleno dicunt: *cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Quod secundùm Augustinum (apud S. Thomam 2. 2. q. 24. a. 8.) charitas dicit, *cùm ad perfectionem venerit.* Secundùm Augustinum proinde perfecta charitas vicisse debet omnem affixivam cupiditatem modo dicto. Unde lib. de agon. Christ. c. 33. *perfecta* (inquit) *charitas nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem, id est nec cupiditatem, ut acquirat res temporales, nec timorem ne amittat.* Et tr. 9. in epist. Joan. *perfecta charitas facit perfectam justitiam, & non habet quare timeat; imò habet quare desideret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei.* Nondum itaque perfecti *sunt homines, qui cum patientia moriuntur* (ait ibidem) *sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Quid dixi? qui adhuc desiderat ipsam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem. Luctatur adversum se, ut sequatur voluntatem Dei... Ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte* (aliàs non fieret, quia, ut alibi dicit, *non est in carendo difficultas, ubi non est in habendo cupiditas*) *& adhibet patientiam, & fortitudinem, ut æquo animo moriatur. Iste patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolvi, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter moritur.*

Septimò, Concilium Arausicanum (cujus Ca- 2118
nones Augustini doctrinâ pleni sunt) can. ult. supponit in Catechumenis veram charitatem ante baptismi susceptionem (regulariter proinde ante peccatorum remissionem) dum ait: *Deus nullis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, ut Baptismi Sacramentum fideliter requiramus.* Per amorem quippe cælitùs inspiratum, charitatem Augustinus intelligit, uti to. 1. demonstravimus. Tridentinum quoque sess. 6. c. 6. ad pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet, veri nominis charitatem requirit, dum requirit dilectionem Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, uti probavimus cap. 154. Certum est ergo, quòd non omnem veri nominis charitatem censuerit esse perfectam: cùm certum sit, quod perfectam non requisierit charitatem.

Octavò, tametsi idem Concilium sess. 14. cap. 2118
4. definierit, *contritionem aliquando charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare, priusquàm* Pœnitentiæ *Sacramentum actu suscipiatur*; non omnem tamen contritionem ex Dei propter se amore esse perfectam, per seque justificantem, satis significavit, dum expunctum voluit Canonem, quo damnabatur, *quisquis negaret, contritione, quâ pœnitens, divinâ gratiâ per Christum coperante, dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi, & satisfaciendi, remitti peccata.* Quem Canonem Patres ideò non probarunt, quia *Balthasar Exedua, Calaritanus Archiepiscopus, admonuit, cùm ea esset Cajetani & Adriani sententia, damnandam non esse*, ut Pallavicinus narrat lib. 12. c. 10. Cajetanus verò & Adrianus eam intellexerunt de contritione propter Deum super omnia dilectum, ut videbitur n. 2138. & 2140.

Nonò, tametsi Patribus Tridentinis ignotum 2118
haud fuerit, verum Dei propter se amorem, affectu super omnia, non omninò rarum *esse*, sed satis frequentem piis fidelibus, præsertim Sacerdotibus, communicare, vel celebrare volentibus; perfectam tamen charitatem, per seque justificantem, in ipsis raram esse censuit, dum Sacerdotibus, quantumvis sibi contriti videantur, absque prævia confessione, divina mysteria peragere non permittit, nisi, urgente peragendi necessitate, Confessarius deesset: *ne tantum Sacramentum indignè sumatur, statuit illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, præmittendam esse Confessionem sacramentalem*, sess. 13. c. 7. Si enim contritionem perfectam in ipsis frequentem censuisset, periculum indignè sumendi frequenter abesse credidisset; nec proinde addidisset, *quantumcumque se contritos existiment.* Hoc quippe addidit, quia rarò quis prudenter existimare potest se perfectè contritum. In re namque incerta, quod rarum est, prudenter non præsumitur.

Decimò, Tridentinos Patres agnovisse Dei 2118
propter se dilectionem, charitatisque actum in homine nondum justificato, constat ex historia sæpè laudata l. 8. cap. 14. ubi dixisse memorantur, quòd in Decreto sess. 6. factus sit sermo de *quodam actu charitatis*, inter dispositiones necessarias ad justificationem, *cùm insit aliqua dilectio in homine, non quidem obtinente, sed exoptante justitiam.* Ecce in homine, nondum obtinente gratiam justificantem, dilectionem agnoscunt, quæ sit *charitatis actus*, dilectio proinde Dei propter se; nec tamen sit dilectio perfecta, utpote quam iidem Patres nunquam agnoverunt separatam à gratia justificante.

Una

2124 Undecimò, id ipsum probatur ex Catechismo Romano p. 2. de pœnit. q. 26. ubi docet, contritionem perfectam debere esse non solùm *maximam*, id est super omnia, & prædominantem, sed & *vehementissimam: sit non solùm maxima, sed vehementissima: etenim in Deuteronomio scriptum est, cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Idque exponens q. 32. *ut enim concedamus* (inquit) *contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit?* Ecce quantam in ea vehementiam, seu intensionem postulat: tantam utique, ut dicat, eam in valdè paucis reperiri, atque à pauciſſimis hâc viâ peccatorum veniam posse sperari; ideòque à Domino faciliorem viam institutam, per traditas Ecclesiæ claves, quibus isti defectui subveniretur: *at quoniam pauci admodùm ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut à pauciſſimis hâc viâ peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus facilliori ratione communi hominum saluti consuleret. Quod quidem admirabili consilio effecit, cùm claves regni cælestis Ecclesiæ tradidit*, &c. Videri potest illustrissimus P. Le Drou in lib. suprà relato differt. 4. cap. 1. & seqq. ubi superiora argumenta roborat, atque à contradicentium cavillationibus validissimè propugnat.

§. III.

Tertia probatio, ex densissimo agmine præcipuorum Theologorum, eorumque Principibus, S. Thoma, & Scoto.

2125 NOn omnem quippe veram contritionem, nec omnem veram Dei propter se dilectionem, perfectam esse, nec cum peccatorum remissione semper conjunctam, antiqua est celebrisque sententia, nec sine magna antiquitatis imperitia à novioribus quibusdam traducitur ut nova. Cùm non solùm sententia sit veterum Patrum, ut vidimus §. præcedenti, sed veterum quoque præcipuorumque Theologorum, ipsorum etiam Scholæ Principum, S. Thomæ & Scoti.

2126 Siquidem S. Thomas in 2. dist. 3. q. 3. ubi quærit, *utrùm Angelus in suo statu naturali, dilexerit Deum plusquàm se & omnia alia?* cùm pro parte negativa primo loco sic arguisset: Deum diligere, est actus charitatis. Sed actus charitatis, charitatem non habentis esse non potest. Cùm charitas, utpote nunquam informis, sine gratia non sit. Angeli verò, in illo statu, nec gratiam habebant, nec charitatem. Ad 1. respondet, *quòd actus charitatis potest dici dupliciter, vel qui est ex charitate* (habituali utique) *& hoc non est nisi in habente charitatem* (habitualem) *vel qui est ad charitatem, non sicut meritorius, vel generativus, sed sicut præparativus. Et hic actus charitatis ante habitam charitatem* (habitualem, ut antè, adeòque ante gratiam sanctificantem) *haberi potest, sicus facere justa, ante habitum justitiæ.*

2127 Nec loquitur de sola anterioritate naturæ, sed temporis, uti ostendit simile quod adfert, de faciente justitiam ante habitum justitiæ. Quod & ostendunt verba quæ S. Doctor ibidem subjungit. *Cùm dicitur de charitate carente, quòd diligit Deum propter se, ly propter denotat habitudinem finis*, quibus expressè admittit dilectionem Dei propter se (etiam super omnia: de ea namque S. Doctorem loqui, titulus istius quæstionis manifestat) in eo qui charitate habituali caret: manifestum est autem carentiam, seu privationem habitûs charitatis, eodem temporis instanti, cum habitu charitatis in eodem subjecto esse non posse (aliàs duo contradictoria, eodem temporis instanti, in eodem subjecto esse possent) igitur manifestum est, à S. Doctore admitti actum dilectionis Dei propter se (etiam super omnia) in aliquo temporis instanti, ante charitatis habitum; adeòque ante gratiam justificantem. Ex quo ulteriùs consequitur, à S. Doctore manifestè admitti dilectionem Dei propter se, etiam super omnia, quæ non sit perfecta. Cùm perfecta inseparabilis sit à gratia & charitate habituali.

Præterea S. Doctor ibidem dist. 28. q. 1. a. 2. 2128
(ubi non agit de Angelo in statu naturali, sed de homine in hoc statu) quærit *utrùm homo possit implere præcepta Dei sine gratia?* Cùmque secundo loco sibi objecisset: charitas non potest sine gratia haberi: sed dilectio charitatis est in præcepto, ergo, &c. Ad 2. respondet, *quòd sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundùm quod sunt à virtute, vel secundùm quod antecedunt virtutem: ita etiam est de charitate. Potest enim aliquis, etiam charitatem non habens, diligere proximum & Deum* (*etiam super omnia, ut quidam dicunt*) *& hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directè cadere.* Igitur actus charitatis, sive dilectio Dei, etiam super omnia, esse potest in non habente habitum charitatis. Non omnis proinde Dei super omnia dilectio, est dilectio perfecta; nec omnis actus charitatis, est charitas perfecta.

Præterea 3. p. q. 5. Supplem. a. 3. dicit, quòd 2129
quantulumcumque sit parvus dolor (in parte sensitiva, ut exprimit in contextu) *dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet:* sed in parte rationali, *dolor potest esse adeò parvus, quòd non sufficiat ad rationem contritionis* (prout eam ibi S. Doctor accipit in argum. *sed contrà* dicens, quòd *quælibet contritio est gratiâ gratum faciente informata*, & per hoc eam ab attritione distinguens, uti cap. 141. §. 3. vidimus) *ut si minùs intensè displiceret ei peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine: sicut amor potest esse ita remissus, quòd non sufficit ad rationem charitatis*, specialiter acceptæ pro amore amicitiæ cum Deo, qui proprius est justorum. Ecce iterùm S. Doctor patenter admittit Dei amorem, cujus insufficientia ad rationem charitatis non provenit ex hoc quòd desit ipsi motivum, sed ex eo dumtaxat quòd ipsi desit intensio sufficiens ad charitatem propriam justorum, sive ex eo quòd amor sit *ita remissus*, &c. Haud dubiè proinde admittit amorem Dei propter se ita remissum, ut non sufficiat ad rationem charitatis perfectæ, sive justificantis.

Nec mirum, quia ut idem S. Doctor dixerat ibi- 2130
dem q. 3. a. 1. ad 4. *quantitas displicentiæ de aliqua re debet esse secundùm quantitatem malitiæ ipsius.* Et ideò *requiritur quòd de majore peccato quis doleat magis: quia ratio doloris est major in uno, quàm in alio, scilicet offensa Dei.* Ibidem a. 3. Si igitur talis sit dolor contritionis, ut non sit secundùm quantitatem malitiæ, nec major de majore peccato, licèt in amore charitatis fundetur, ut dicit citato argumento *sed contrà*; equidem non sufficit ad peccatorum remissionem, nec proinde ad perfectam contritionem.

Si hæc non sufficiant, lege S. Doctorem in 2131
secundo scripto super quartum Sentent. dist. 16. a. 4 ubi pœnitentiam dividit in formatam & informem; tametsi ibidem dist. 20. q. un. a. 1. in corp. Et ad 3. dicat eam procedere debere ex amore Dei, & quidem super omnia, ut expressè dicit 3. p. q. 89. a. 2.

Lege etiam 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. q. 79. a. 3. & 2132
q. 80. a. 4. ad 5. ubi S. Doctor admittit contritionem separatam à remissione peccatorum, ob suam insufficientiam, tametsi contritio secundùm ipsum ex Dei amore debeat procedere. Non omnis ergo contritio, ex Dei amore procedens, secundùm ipsum est perfecta.

2133 S. Thomæ concinit grâviſſimus Scriptor anonymus, in perveruſto Manuſcripto, ante annos 490. conſcripto, & in Bibliotheca S. Victoris juxta Pariſios aſſervato, in quo extat tractatus de Sacram. Pœnit. ubi fol. 87. quæſtionem hanc proponit: *utrùm tam citò ſolvatur homo, quàm citò habet veram cordis contritionem?* Et reſpondet quòd non, ante Sacerdotis abſolutionem. Ad id verò quod opponitur, quòd ſi morceretur ante Sacerdotis abſolutionem, ſalvus eſſet. Reſpondet, *quòd inviſibilis Sacerdos, eum qui vult confiteri, & non poteſt, ab hoc debito ſolvit, ſed quamdiù poteſt, illud* peccatum *niſi confiteatur ore, non abſolvit.* Loca verò Scripturæ, *quâcumque horâ ingemuerit, ſalvus erit*, &c. de iis interpretatur, qui morte præoccupati, confiteri & ſatisfacere non poſſunt, *vel de omnibus* (inquit) *dici poteſt, quâcumque horâ, quia tunc peccatoris ſalus incipit. Item de Pſalmo opponitur*: dixi, confitebor injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Impietas peccati rectiſſimè ipſa mentis obcæcatio appellatur: quâ ſi ſolvitur in compunctione, nondum tamen à peccato ſolvitur. Sicut enim de vulnere priùs ferrum abſtrahitur, ut poſt medicina ſupponatur; ita & priùs peccati impietas illa, ſcilicet interna mentis cæcitas, de corde tollitur, ut poſt Sacramentorum medicina ſupponatur. Sunt enim Sacramenta quaſi quædam divinæ medelæ emplaſtra.* Videri poteſt Morinus l. 1. cap. 13. n. 12. ubi dicit, quòd cùm omnia propè illa verba ex Hugone Victorino expreſſerit anonymus, eadem videri poſſit Hugonis ſententia, non ita preſsè proinde intelligenda, ut aliquando verba ipſius ſonare videntur. Nec per conſequens divina illuminatio illa, mentis cæcitatem expellens (quæ juxta ipſorum verba cum debito damnationis æternæ ſubiſtit, donec Eccleſiæ ſatisfecerit) juſtitiam & charitatem perfectam ſignificare credenda eſt.

2134 Guilielmus Pariſienſis de Sacram. Pœnit. fol. 31. de amore contritionis, & attritionis, dicit, quòd *ſunt idem & propter idem, & ita non differunt niſi penes magis & minus.* Item quòd *ſunt ejuſdem ſpeciei amor præparatorius* ad charitatem habitualem *& amor qui charitas dicitur.* Et nihilominùs, teſte Gerſone to. 2. de pœnit. *dicit D Guilielmus, & alii communiter, quòd attritio* (ex eodem ſpecie amore procedens quo contritio) *quæ alias non foret ſufficiens* (nec proinde juſtificans, neque ex charitate perfecta procedens) *fit ſufficiens virtute Sacramenti.*

2135 In eadem ſententia ſunt, quotquot attritionem contritionemque non ſpecie, ſeu motivo, ſed penes ſolam remiſſionem intenſionemque diſtinguentes, cum laudato Guilielmo tradunt, attritionem virtute Sacramenti fieri contritionem, ſolo ſui incremento; ſicque attritionem amoroſam inſufficientem ad juſtificationem, fieri contritionem ad eam ſufficientem virtute Sacramenti. In quam ſententiam (quæ ex dictis ſuprà communis adhuc erat Sylveſtri & Cajetani tempore) Morinus l. 8. cap. 3. n. 12. iviſſe ſcribit omnes, initio diſceſſionis ab antiquiore, contritionem per ſe juſtificantem requirente. Si enim contritio ad juſtificationem ſufficiens (ſecundùm ipſos) ab attritione ad eam inſufficiente non differt ſpecie, ſed intenſione dumtaxat: igitur non omnis dolor ex amore Dei propter ſe, ſecundùm ipſos, eſt contritio perfecta, ſeu per ſe ſufficiens ad juſtificationem, ſed ad id intenſio plerùmque requiritur.

2136 In eadem quoque ſententia eſt Scotus, utpote qui licèt attritionem requirat dilectricem, ut conſtat ex dictis n. 1590. à nullo tamen Scriptore cenſetur perfectam requiſiſſe contritionem, ſeu per ſe juſtificantem. Imò in 4. diſt. 14. q. 2. n. 4. econtrà dicit, quòd motus deteſtationis peccati, " prout eſt offenſivum Dei, & contra legem divinam, & averſivum à Deo, poteſt continuari & " intendi ante infuſionem gratiæ, quòdque iſte " motus dicitur attritio, & eſt diſpoſitio ..... ad " deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in ul " timo inſtanti alicujus temporis, quo iſta attritio " duravit, " quando ſcilicet fuerit ſufficienter intenſa. Ut enim ait diſt. 17 §. ad argumenta, " attritio poteſt eſſe tanta, id eſt tam intenſa, quòd " etiam ante confeſſionem deleatur peccatum. " Et ſecundùm ipſum diſt. 20. n. 6. certa intenſio, Deo nota, requiritur ad contritionem, quæ ſit ſufficiens ad deletionem culpæ. Et in reportatis ad 4. Sent. diſt. 20. requirit vehementem deteſtationem ad hoc quòd ſit contritio ſufficiens ex congruo ad remiſſionem peccati, " ſicut fuit vehemens delectatio prior in peccato. "

Vide dicta n. 1590. Vide & Almainum in 4. diſt. 14. q. q. 1. & 2. ubi oſtendit, Scotum ſic requiſiviſſe deteſtationem peccati, in quantum eſt contra Deum, legemque ipſius, ut *quàm citò iſta deteſtatio ponitur, non ponatur gratia*, nec proinde deteſtatio iſta ſit contritio perfecta.

Præter antè dictos, in eadem ſententia ſunt quotquot juſtificationis adultorum duos aſſignant modos. Unum ante actualem Sacramenti ſuſceptionem, per dolorem vehementem, acrem, & valdè intenſum. Alterum, in ipſa actuali ſuſceptione Sacramenti, per dolorem ejuſdem ſpeciei cum priore, ſed non ita intenſum & vehementem, ut ſufficiat ad peccatorum remiſſionem, ante actualem Sacramenti ſuſceptionem. Hanc ſententiam (cum Catechiſmo Romano n. 2124. relato) tradit primò præclarus Martyr, & Eccleſiæ Defenſor Joannes Fiſcherus, Epiſcopus Roffenſis, in refut. articul. Lutheri a. 5. ubi teſtatur, communem hanc eſſe Eccleſiæ doctrinam. Poſtquam enim dixit: " non eſt mihi animus privatas quorumdam opiniones tutari, ſed communem Ec- " cleſiæ Catholicæ comprobare ſententiam. Sub- " dit: duobus itaque modis Eccleſia credit pec " catores Deo reconciliari. Altero per *ingentem* " & acerbum dolorem, nondum abſolutionis ſuſ- " cepto Sacramento. Altero per ſuſceptionem " Sacramenti. Utroque certè modo paratus eſt " Deus elargiri gratiam. Secundus tamen facilior; " nam quanta non ſuſcipienti Sacramentum ab- " ſolutionis pœnitudo ſuffecerit, explicatu diffi- " cile eſt. " Eodem tamen ac ſe juenti articulo dolorem extrafacramentaliter juſtificantem, à dolore ſoiùm in Sacramento juſtificante non diſtinguit niſi penes magis & minus, ſive penes intenſum ac remiſſum, iisdemque utitur verbis quibus Scotus ſuprà. Denique ex difficultate actûs charitatis, ſive doloris inde manantis (apud Hieronymum Hartſium in ſua Catholica & ſalutari attritione cap. 2. §. 2. pag. 23.) probat, verum eſſe quod ſuprà aſſeruimus, conſuetudinariorum utique, & magnorum peccatorum converſionem eſſe difficilem. Quia tametſi fieri poſſit, ut talis peccator per Dei gratiam " ex barathro ſcelerum omnium " ad amorem hunc repentè vocetur. At iſtud non " opinor fieri communiter, ſed magis per gradus " quoſdam, ut videlicet à ſordido vitiorum vo- " lutabro gradatim in ipſam conſcendant charitatis puritatem, &c. "

2137

Secundò, eandem ſententiam tradit Adrianus VI. in 4. q. 1. de pœnit. Edit. Pariſ. anni 1516. Dupliciter dicitur aliquis verè pœnitere. Primò, quia actus ad pœnitendum requiſitos, bonos moraliter, & ſub debitis circumſtantiis elicit, puta quòd doleat de peccato, non principaliter propter pœnam, ſed propter divinæ Majeſtatis offenſam, decernens ultrà nihil tale committere. Alio modo capitur in quæſito verè, ut idem ſit quòd perfectè: quod tum ſcilicet dicitur, cùm quis omnem conatum adhibet, & quia-

2138

" quidquid in se est, facit, ad placandum Deum.
" Tunc.... sit hæc conclusio. Potest quis verè
" pœnitere primo modo, & non recipi à Deo in
" gratiam ; sed non secundo modo. Ad hoc e-
nim magnus dolor est necessarius, ut dicit q. 5.
quodlib. Et ut q. 2. dub. 5. dixerat : *nisi vehementer doleat, contritus non est.* Et apud Tapperum a. 3. contra Luther. *non quilibet dolor ob Dei super omnia dilecti offensam, est contritio, sed ille solum, qui est vehemens & intensus.*

2139 Tertiò, eandem sententiam sequitur Rosemundus in suo Confessionali fol. 161. & 162. Posteaquam enim fol. 161. dixit, tam attritionem, quàm contritionem esse dolorem de peccatis propter Dei offensam : attritionem tamen non esse dolorem sufficientem ad justificationem. Fol. 162. id probat, quia ad justificationem " non sufficit mini-
" mus gradus, neque etiam mediocris displicen-
" tia, sed debet esse cordialis displicentia, vehe-
" mens detestatio, & dolor ex intimis cordis pro-
" veniens, ut sit contritio, & mereatur charita-
" te, & gratiâ gratum faciente formari, ante
" actualem susceptionem Sacramenti.

2140 Denique non omnem charitatem, sive non omnem Dei propter se amorem, esse charitatem perfectam, seu per se justificantem, docent celeberrimi Theologi sequentes, Cajetanus, ut ostendit Sylvius Supplem. q. 5. a. 1. & videre est in Summula, verbo *contritio*, n. 1. ubi sic : *Contritio tria exigit, displicentiam de peccatis commissis super omne odibile, propositum vitandi supra omne vitabile, & propositum confitendi, seu satisfaciendi.... & scito quòd hujusmodi vera contritio* (licèt sit propter Deum, utpote quâ plus displicet offensa Dei, quàm quodcumque aliud malum) *dupliciter inveniri potest, scilicet formata, vel informis, hoc est cum gratia & charitate* (habituali) *& sine illa.* Unde Calaritanus Archiepiscopus, in Concilio Trident. ipsi tribuit opinionem negantem contritione, quâ pœnitens de peccatis dolet propter Deum, semper peccata remitti, ut suprà vidimus.

2141 Petrus Soto Instit. Sacerd. de Sacram. Pœnit. lect. 15. *Est charitas incipiens, est proficiens, est perfecta, & quælibet vera charitas. Quod igitur* nonnulli dicunt, *non reperiri in Scriptura præceptum de intensione aliqua* charitatis, vel contritionis, *certè non putamus dici posse sine errore... Non itaque omni diligenti, omni invocanti Deum, omni se convertenti ad ipsum, sed eis qui ex corde perfecto hæc agunt, promittitur gratia & exauditio.*

2142 Jacobus Latomus in respons. ad Oecolampad. fol. 123. oppositam sententiam Oecolampadii, seu hæreticorum esse dicit, atque ex Augustino refellit. Quod & dicunt referuntque Albertus Pighius controv. 9. contra Luther. Alphonsus Virvesius Philippicâ 5. & Mathias Bredenbachius in c. 3. Matth. ubi sententiam illam hæreticorum refellit exemplo Magdalenæ, quam *Scriptura testatur dilexisse multùm, antequam audiret, remittuntur tibi peccata.*

2143 Bellarminus lib. 1. de justific. cap. 13. probat ex Scriptura, & Concilio Arausicano, " dilectio-
" nem aliquam priorem esse justificatione pecca-
" torum, vel tempore, si sit dilectio imperfecta,
" vel certè naturâ, si sit perfecta. " Imperfectam verò dilectionem libro 6. de grat. & lib. arb. c. 7. triplicem asserit : " Alia est imperfecta, quoniam af-
" ficitur quidem erga Deum, sed nondum illum
" cæteris præfert..... Alia est imperfecta, quo-
" niam æstimat quidem super omnia Deum, &
" mallet cætera omnia potiùs quàm eum perde-
" re, non tamen ita vehementer, quod attinet ad
" intensionem, afficitur in Deum, ac in res crea-
" tas..... Alia est imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum super omnia, dum eum co-
" gitat summum esse bonum, & nulla occurrit
" tentationis occasio : tamen occurrente objecto
" aliquo alliciente, facilè deficit, & extinguitur.

Scholiastæ Lovanienses ad illa Augustini verba 2144
lib. 4. de Baptis. c. 21. *Catechumenum charitate flagrantem :* " Augustinus charitatem gene-
" ratim accipit pro dilectione, quâ Deum, tam-
" quam omnis justitiæ fontem, summumque bo-
" num diligimus. Cujusmodi & ante justificatio-
" nem requirit Concilium Tridentinum : eamdem
" tamen à charitate (specialiter dicta) distinguens,
" ut quæ sit amicitia cum Deo, quâ eum puro cor-
" de in nobis jam habitantem, ut Patrem no-
" strum, summumque ac beatissimum bonum di-
" ligimus. Hæc justorum tantùm est, & filiorum
" Dei. "

Estius in 3 dist. 27. §. 23. " Est aliqua Dei di- 2145
" lectio, quæ remissionem peccatorum antece-
" dit, & ad eam prærequiritur, de qua Christus:
" remittuntur ei peccata multa, quoniam dile-
" xit multùm.... Alia est dilectio propria justo-
" rum, amicorum, & filiorum Dei, quæque non
" est, nisi in eo, qui habet manentem in se Spi-
" ritum sanctum.... Et hæc illa charitas, cui ad-
" aptantur eximia illa charitatis encomia, quæ
" apud SS. Patres inveniuntur de charitate, ut
" quòd sola discernat inter filios Dei, & filios
" diaboli... " Et de hac S. Thomas 2. 2. q. 65. a. 5. ait " charitatem esse amicitiam hominis cum
" Deo, quæ super amorem addat redamationem... "
Illa verò charitas, quam Doctores communiter
" definiunt dilectionem, quâ Deus propter se di-
" ligitur, & proximus propter Deum... reperitur
" in pœnitentibus, ante peccatorum remissionem. "

Eadem habent Lenæus de charit. l. 7. c. 3. Mo- 2146
lanus Theol. Pract. tr. 1. c. 8. Sylvius in addit. ad Binsfeld. p. 1. c. 9 §. 3. & q. 5. Supplem. a. 1. primæ & secundæ edit. Malderus 1. 2. q. 113. lect. 2. Sinnichius in Salile l. 1. c. 114. Morinus l. 1. de administrat. Sacram. Pœnit. c. 13. in fine, & alibi sæpè. Christianus Lupus in Dissert. Dogmat. de contrit. c. 7. & seqq. Franciscus Farvacques quæst. quodlib. de attrit. fol. 66. Card. Pallavicinus n. 1560. relatus, & quotquot ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ requirunt veri nominis contritionem, ex Dei propter se amore : nec tamen requirunt charitatem perfectam. Quotquot item asserunt, omnia opera nostra deliberata, in Deum propter se dilectum facienda : nec tamen perfectam ad id requirunt dilectionem. Quorum infinitus propè numerus est, prout suprà est demonstratum.

§. IV.

Probatio quarta, à multiplici ratione Theologica.

PRima ratio à priori est, quia ad charitatem, 2147
contritionemque perfectam, non sufficit quòd motivum ipsius perfectum sit, de seque excellentissimum, sed necesse est quòd eo voluntas perfectè moveatur. Neque enim perfectio, quæ ad charitatem perfectam requiritur, petitur ex sola perfectione motivi essentialis ; verùm etiam ex modo quo voluntas eo simit se moveri. Siquidem ex eo quòd motivum sit perfectum, sequitur quidem quòd potens sit ad voluntatem perfectè movendam : sed non sequitur, quòd eo voluntas perfectè, sive pro sua dignitate moveatur. Cùm certissimum sit, quòd sicut voluntas, non obstante perfectione istius motivi, sinere potest eo se moveri, & non sinere, pro sua libertate ; ita sinere potest eo se moveri imperfectè, non perfectè, pro sua libertate. Quid enim certius, quàm quòd voluntas, sicut potest amare, & non amare objectum cum excellentia sua, & dignitate propo-

situm; ita potest illud pro sua dignitate amare, & non amare pro sua dignitate. Idque fatentur ipsi etiam Adversarii, propterea dicentes, charitatem contritionemque perfectam rarissimam esse, difficillimamque (qualis non esset, si omnis vera Dei propter se dilectio, ex eaque contritio perfecta esset.) Id enim fatentur, cum aliis, Valentia disp. 7. de pœnit. q. 8. puncto 3. & Card. de Lugo de pœnit. disp. 5. n. 30. ubi ait, perfectè contritum debere *dolere de peccatis, non solùm super omnia temporalia mala, sed etiam super ipsam pœnam æternam, prout pœna non includit culpam*; adeòque perfectam contritionem debere esse tam fortem, ut si pœnitenti proponeretur hinc peccare, inde pati damnatorum tormenta, ista potiùs eligeret, quàm peccare. Unde n. 22. dicit, quòd *propositum super omnia non peccandi, quod debet habere pœnitens ex vi contritionis, includit voluntatem conditionatam, quâ velit pati pœnam inferni, si id necessarium est ad vitandum peccatum futurum.* Nec talis (inquit) eo ipso est contritio, quo procedit ex motivo adeò excellenti, ut de se potentias sit ad firmandam voluntatem in bono, quàm tormentum quodcumque, etiam inferni, potens sit ad inducendam voluntatem in malum. Quia *quod motivum in se sit excellentius, & potens ad illum excessum causandum, non arguit voluntatem de facto ferri in objectum cum illo excessu. Potest enim voluntas non amare objectum.... cum ea excellentia propositum, & potest etiam non amare illud pro dignitate, seu quantùm amari meretur. Nec videtur repugnantia, quòd de facto aliquis amet Deum* (propositum ut amabilem super omnia) *non tamen perfectissimo illo amore super omnia.* Hactenus Lugo.

2148 Vidit hæc Dicastillo, & iis consideratis, tr. 8. de pœnit. disput. 2. dub. 1. n. 237. *Quid ergo dicemus* (inquit) *ad rem præcipuè propositam? Supposito enim, quòd propositum & detestatio sint super omnem pœnam, etiam æternam, videtur esse valdè difficile habere actum contritionis: & ut significat Lugo, pauci sunt & perfecti viri, qui ex toto corde ita sunt affecti.*

2149 Istam nihilominùs conditionem dolendi de peccato super omnia alia mala, etiam æterna, Veteres omnes in vera requirunt pœnitentia, cum S. Thoma q. 3. Supplem. q. 3. a. 1. ad 4. "quantitas „ displicentiæ de aliqua re, debet esse secundùm „ quantitatem malitiæ ipsius. Malitia autem in „ culpa mortali mensuratur ex eo in quem peccatur, & ex eo qui peccat, in quantum est ei nociva. Et quia homo debet magis Deum, quàm „ seipsum diligere; ideò plus debet odire culpam, „ in quantum est offensa Dei, quàm in quantum „ est nociva sibi:" per consequens plus odire peccatum, quàm infernum, dicitque cum S. Anselmo, *se malle in inferno esse sine peccato, quàm in cælo cum peccato.*

2150 Secunda ratio, quâ prior confirmatur, est quia complacentia Dei, ipsiusque propter se amor, in millenis hominum myriadibus invenitur absque ea perfectione, quam ad charitatem perfectam Scriptura, Patresque requirunt, & absque efficaci proposito super omnia non peccandi, infernumque potiùs quàm peccatum incurrendi, quod ad contritionem perfectam ipsi quoque adversarii suprà num. 2147. postulant. Ut enim Gobat advertit Theol. experim. de Sacram. tr. 6. n. 93. millenæ hominum myriades sunt, serium habentes affectum amoris complacentiæ erga Deum, interim hærentes in luto peccatorum, destituti vel ipso proposito efficaci illinc eluctandi. Amor namque ille hisce exprimitur verbis: *gaudeo Deum esse infinitè bonum, & perfectum. Utinam totus mundus ad Deum, Christique fidem converteretur*, &c.! Myriades verò hominum eo amoris affectu in Deum feruntur, & seriò feruntur, qui ejusmodi verbis exprimitur, dicto interim efficaci proposito destituti. Ergo non omnes qui moventur motivo amoris Dei propter se, eo moventur secundùm dignitatem ipsius; cùm omnes eo moveantur ad Deum super omnia amandum, nec ita perfectè, atque efficaciter, ut revera parati sint infernum potiùs quàm peccatum eligere.

Tertia ratio: non omnis fides vera, est fides 2151
perfecta; tametsi omnis fides vera nitatur motivo fidei perfectæ. Ergo nec omnis charitas & contritio vera, est charitas contritioque perfecta, tametsi nitatur motivo charitatis contritionisque perfectæ. Consequentia bona est à paritate rationis. Probatur antecedens, quia fides vera rara non est in Ecclesia Dei, uti rara est fides perfecta. De qua Augustinus serm. 39. de verb. Dom. *Fides perfecta vix inventur in terra. Ecce plena est* Fidelibus *Dei Ecclesia.... quis non montes transferret, si plena esset fides?* (hanc enim virtutem fidei perfectæ Dominus tradit in Evangelio) *attendite ipsos Apostolos, dimissis suis, calcatâ spe sæculi, Dominum non sequerentur, nisi magnam haberent fidem.* Et *tamen, si plenam haberent fidem, non dicerent* Domino: *auge nobis fidem.*

Quarta ratio: ex oppositâ sententia consecta- 2152
rium foret, nullam intensionem necessariam esse ad charitatem contritionemque perfectam; sed charitatem, & contritionem quamcumque veram, quàmlibet remissam, esse talem. Atqui hoc est quod sine errore dici non posse censet laudatissimus Petrus Soto de perfect. contrit. lect. 15. *neque enim* (inquit) *consonat Scripturæ*, nec Patribus, nec rationi; *nec* sententia ista *utilis est animabus, imò magis periculosa:* utpote ex qua ulteriùs consequeretur, ad justificationem, etiam sine Sacramento, post crimina quàmlibet enormia, & quàmlibet multiplicata, consuetudineque firmata, quantulamcumque sufficere contritionem, ex Dei propter se amore, quàmlibet exiguo, procedentem. Tanta verò justificationis facilitas est contra divinam Scripturam, contra unanimem sanctorum Patrum sententiam (ut ex suprà dictis constat) contra bonum etiam spirituale peccatorum. Quia judicio sanctorum Patrum, Ambrosii, Augustini, &c. incentivum tribuit delinquendi. Siquidem, ut Augustinus dicit serm. 34. de div. c. 12. si tam foret facilis, post enormia crimina, quàmlibet reperita, reconciliatio peccatoris, *ludus illi esset peccando cadere in mortem.*

Quinta ratio: illa etiam Adversariorum opinio 2153
languentem ir fescentemque fovet modernorum Christianorum charitatem, afferaque ab ipsis facilitas causa est malorum omnium, quæ Sancti enarrant suprà cap. 9.

Sexta ratio: eadem opinio nonnullos olim 2154
Scholasticos in fœdos de pœnitentiæ Sacramento induxit errores; quòd utique per illud non fieret peccatorum remissio, sed remissionis per contritionem obtentæ declaratio dumtaxat: quòd etiam peccata remitterentur ex virtute contritionis, absque ordine ad claves, uti existimarunt Wicleff, & Petrus de Osma.

Septima ratio: contritio ex natura sua non est 2155
inseparabiliter conjuncta cum remissione peccatorum, ut plerique existimant, in hoc errantes (inquit Victoria relect. 1. de potest. Eccles. lect. 3. p. 19.) *quod non benè sentiant de contritione, putantes quod contritio est ita sufficiens ad remissionem peccatorum, ut quasi ex justitia debeatur remissio & gratia, positâ contritione. Unde etiam provenit, ut meritum ponant congruum, ad primam gratiam, contra Apostolum, non considerantes, quòd quantumcumque dispositione positâ in peccatore, est omninò tanta liberalitas in collatione gratiæ, ut tam gratis remittantur peccata, sicut data fuit gratia Ada in*

primo statu : imò magis. Nec oportet imaginari aliud meritum, nisi puram misericordiam divinam, nec plus contritio est meritum ad gratiam, vel remissionem peccatorum, quàm bona opera sunt merita ad prædestinationem. Hoc enim erat bona pars erroris Pelagianorum, si ego quidpiam intelligo.

2156 Post Victoriam Driedo tom. 2. de captiv. & redempt. gen. hum. tr. 4. cap. 2. *Deus operatur gratiam & remissionem peccatorum, non propter quemlibet motum liberi arbitrii nostri, aut dilectionis, aut interioris pœnitentiæ, tamquam videlicet motus ille ejusdem, per tales graduum mensuras mereatur gratiam; sed propter suam misericordiam. Nostra enim dilectio, quâ eum diligimus propter ipsum, displicentiaque, secundùm quam odimus peccata, non est digna justificatione, aut meritoria gratiæ; sed Deus pro sua misericordia, ubi vult largitur illam; quam si negaret, etiam sic dispositis, non foret injustus.*

2157 *Hæc pœnitentiæ pars* (ait Stapletonus in Promptuar. Catholic. in Festo S. Mariæ Magdalenæ §. 1.) *quam contritionem Catholici vocant, remissionem peccatorum præcedit, non ut causa meritoria & efficiens, sed ut necessaria dispositio. Hæc autem explicatio non est importuna, propter hæreticos, qui calumniantur doctrinam hac in parte Catholicam, quasi has prævias remissionis peccatorum partes ita doceremus, ut vi, ac virtute & merito earum Deum nobis peccata remittere asseramus.*

2158 *Catholici* (inquit Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 5.) *non docent contritione nos emereri remissionem peccatorum. Audiunt enim Catholici omnes Tridentinam Synodum disertis verbis concionantem, nihil eorum quæ justificationem præcedunt, mereri gratiam justificationis; & ideo gratis per Christum homines justificari*, sess. 6. cap. 8. *Itaque contritionem dispositionem esse volunt Catholici, non meritum remissionis peccatorum.*

2159 His conformiter Vega lib. 9. in Trident. cap. 17. ad argum. 3. de incertitud. grat. Cajetanus apud ipsum, Gaspar Cassalius lib. 3. de quadripart. justit. c. 2. Fredericus Nausea in suo Catechismo cap. 47. de contrit. Lescotius tract. de grat. q. 5. de justific. Medina, Suarez, Henriquez, Lugo, & ipsos referens Leander à SS. Sacram. disp. 1. de pœnit. q. 27. aiunt, contritionem, etiam ex amore Dei super omnia, non esse ex natura sua sufficientem ad justificationem, sed ex gratuita misericordia, acceptatione, & voluntate Dei.

2160 Atqui Deus contritionem, quàmlibet remissam, etiam ex amore Dei super omnia, non acceptat ad effectum justificationis, saltem post enormia crimina, &c. imò nec quamcumque aliquo modo intensam, ad eundem effectum, ante susceptionem Sacramenti, suscipiendum; sed solam perfectam, valdè incensam, acrem & vehementem, ut suprà probavimus ex divina Scriptura, & Patrum traditione. Qui optimam hanc istius divinæ dispositionis rationem reddunt, ne facilitas remittendi, incentivum tribuat delinquendi. Et ut peccator, ex difficultate remissionis, agnoscat in quæ mala peccando se præcipitaverit, peccataque sollicitiùs caveat. *Quod enim de facili sanatur, non multùm cavetur* (ait Augustinus in exposit. Psal. 6.) *Ex difficultate autem sanationis, erit diligentior custodia receptæ sanitatis.* Denique ut simul peccator agnoscat, quantis lachrymis diluenda sint mala, malorum maxima; quòdque non sine magna Dei misericordia, cum dolore non usque adeò acri, incenso, ac vehementi, fiat peccatorum remissio in Pœnitentiæ Sacramento.

CAPUT CLXXI.

Contrariis occurritur argumentis.

OBjicies primò : statim atque David dixit : 2161
peccavi Domino, Nathan Propheta ex parte Dei remissum significavit peccatum ipsius : *Dominus transtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. *Transtulit* (inquit) de præterito, non *transferet* de futuro, ut significaret, statim ad actum contritionis subsecutam gratiam remissionis.

Respondeo, David *immenso dolore* statim veniam consecutum, ut ex Ambrosio dicitur cap. *Ille Rex* de pœnit. dist. 3.

Objicies secundò divina oracula, *cor contritum* 2162
& humiliatum, Deus non despicies. Ps. 50. *Cùm ingemueris, tunc salvus eris.* Isa 30. juxta versionem 70. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.* Ezech. 5.

Respondeo, non ideò cor contritum, etiam imperfectè, à Deo despici, quia ob eam non statim peccata remittit, cùm per ejusmodi contritionem disponat peccatorem ad peccatorum in Sacramento remissionem, faciatque in ipso inchoationem quamdam vitæ spiritualis, conceptui similem (ut loquitur Augustinus) ejusmodi namque contritio spiritualem hominem concipi facit, licèt nondum faciat nasci, ut Fulgentius loquitur ad Ferrand., in ipsaque est salutis & remissionis initium, quatenùs per eam peccator ad salutem præparatur, licèt nonnisi Pœnitentiæ Sacramento ad eam perducatur. A momento itaque contritionis, licèt imperfectæ, spes certissima remissionis sit peccatori, si perfecerit omnia, quæ Deus ad eam postulat, vel contritionem suam ad perfectionem promovendo, vel Sacramentum cum debita dispositione suscipiendo. Et sub istis conditionibus, *impietas impii non nocebit ei*, &c.

Objicies tertiò : Scriptura gratiam, amicitiam- 2163
que Dei promittit omni Deum diligenti, Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Siquis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* 1. Joan. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* 1. Petri 4. *Universa delicta operit charitas.*

Respondeo primò, sic Deum id promisisse, sicut promisit exauditionem omni petenti, salutem omni invocanti, vitam æternam omni credenti, panemque cælestem manducanti : *Omnis qui petit, accipit. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Qui crediderit in eum, non confundetur. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, &c. Quæ omnia vera sunt, servatis servandis; de petente utique quomodò, & quantùm oportet; de credente, manducante, &c. si non omittat cætera, verbo Dei scripto, vel tradito requisita, &c. Sic etiam Scriptura non uno loco justificandi vim variis rebus tribuit, v. g. fidei, eleemosynæ, &c. quæ tamen sola justificare nequeunt, sed servatis cæteris, vel sub certis conditionibus, sub certa perfectione, &c. uti sapienter observat Bellarminus l. 2. de pœnit. c. 7. ad quintam object. *Non itaque omni diligenti* (ait Petrus Soto loco suprà relato) *omni invocanti Deum, omni se convertenti ad ipsum, sed eis qui ex corde perfecto hæc agunt*, vel sicut oportet, vel servatis cæteris, quæ Deus exigit, *promittitur gratia, & exauditio*, &c. *Nec aliud sentiri potest sine magno errore.* Aliàs remissionem, amicitiamque suam Deus promisisset omni diligenti se, etiam non super omnia, etiam dilectione naturali, secundùm eos qui eam admittunt, &c.

Respondeo secundò, ex loco objecto Prov. 8. 2164
Ego diligentes me diligo, non esse consequens, quòd Deus sibi statim reconciliet omnem diligentem se,

Tametsi enim, non statim reconciliet, equidem diligit eum, faciendo eum sui dilectorem; imò prior diligit, sive diligit antequam diligatur (dilectione utique benevolentiæ, non amicitiæ) secundùm illud Joan. 2. *ipse prior dilexit nos*, quatenus ad se diligendum gratiam ipsi tribuit, bonumque propositum inspirat. Unde optimè Bellarminus de justificat. c. 18. *Deus prior dilexit nos, & diligendo fecit justos*, non statim, *sed paulatim, & per certa media. Quos enim diligit, primùm vocat ad fidem; tum spem, & timorem, & dilectionem inspirat; postremò justificat, & perfectam charitatem infundit.*

2165 Locus objectus ex 1. Joan. 4. & 1. Petri 4. non procedit de dilectione, seu charitate generaliter, sed specialiter dicta, quæ est per Spiritum sanctum inhabitantem. Quam S. Thomas 1. 2. q. 65. dicit esse *amicitiam hominis cum Deo, quæ super amorem addit mutuam redamationem.* De qua etiam SS. Patres aiunt, quòd *sola discernat inter filios Dei, & filios diaboli.* Quòd sit *donum Spiritûs sancti, proprium Sanctorum, unde nemo communicat alienus.* Quòd *siquis in corde suo invenerit charitatem, securus sit, quia transiit de morte ad vitam*, &c.

2166 Locus denique objectus ex Joan. 14. integrè relatus confirmat primam nostram responsionem. Sic enim habet: *siquis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum*, &c. Eo proinde Dei mansio, seu inhabitatio, non promittitur omni diligenti, sed sic diligenti ut Christi sermonem servet, Deum ex toto corde diligendo, mandata cætera servando, nihilque eorum prætermittendo; quæ ad peccatorum remissionem Christus instituit.

2167 Objicies quartò celebrem locum Leonis Papæ, epist. ad Theodor. Episcop. Forojul. *nullas patitur veniæ moras vera conversio.*

Respondeo manifestum esse ex toto contextu, sensum S. Leonis non esse, quòd omnis verè, imperfectè tamen conversus, Deo sine mora reconcilietur, ante Sacramenti susceptionem: contrarium namque ibi declarat, dicendo, *indulgentiam Dei nonnisi supplicationibus Sacerdotum posse obtineri*; sed quòd per Baptismi, vel Pœnitentiæ Sacramentum, sine mora reconcilietur omnis verè & sufficienter conversus, quamquam sit peccator inveteratus, non obstante quòd conversionem suam ad vitæ extremitatem distulerit. Nam expressè agit contra rigorem nonnullarum olim Ecclesiarum, quæ talibus peccatoribus, solùm in extremitate pœnitentibus, Sacramenta negabant, vel nonnisi post certum pœnitentiæ tempus conferebant.

2168 Objicies quintò: omnis contritio ex amore Dei propter se, est contritio charitate perfecta. Atqui omnis contritio charitate perfecta *hominem Deo reconciliat, priusquàm Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.* Tridentinum sess. 14. cap. 4.

Respondeo primò, distinguendo majorem: omnis contritio ex amore Dei propter se, est contritio perfecta charitate, generaliter acceptâ pro amore Dei propter se, concedo. Sed de ea taliter accepta certum est Tridentinum ibi non loqui: cùm contritio ex amore Dei, etiam non super omnia, vel etiam procedens ex amore Dei propter se naturali (secundùm plerosque adversarios, qui talem admittunt) sit perfecta charitate generaliter acceptâ. Omnis contritio ex amore Dei propter se, est contritio perfecta charitate specialiter acceptâ, de qua num. 2165. nego. Unde

2169 Respondeo secundò, distinguendo minorem ad sensum majoris: omnis contritio perfecta charitate specialiter dictâ, hominem Deo reconciliat, &c. concedo: omnis contritio perfecta charitate generaliter dictâ, nego. Cùm Tridentini Patres actum charitatis generaliter dictæ admiserint in homine exoptante, sed nondum obtinente justitiam, ut Tridentinæ Historiæ Eminentissimus Author ostendit l. 8. cap. 14.

Objicies sextò: omnis qui ex toto corde ad Deum convertitur, in gratiam statim recipitur. Sed omnis qui ad Deum ex amore Dei propter se super omnia convertitur, toto corde convertitur. Ergo 2170

Respondeo, majorem esse veram, si ly *ex toto corde* significet idem quod ex corde perfecto: secùs, si significet idem quod ex amore Dei propter se super omnia præcisè. Cùm non omnis amor ejusmodi sit charitas perfecta.

Objicies septimò: vera charitas esse non potest in homine cum reatu peccati mortalis. Ergo vera contritio ex motivo veræ charitatis esse non potest in homine cum reatu peccati mortalis; nec proinde esse potest sine remissione ipsius. Probatur antecedens, quia aliàs veræ esse possent sequentes propositiones à Pio V. & Gregorio XIII. damnatæ. 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 33. *Catechumenus rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, & legem implet per charitatem, ante remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.* 2171

Respondeo, antecedens esse verum de vera charitate specialiter, non generaliter dicta, quam Tridentini Patres, ut dixi, admiserunt in homine nondum justificato. De ea proinde non procedunt tres illæ propositiones, sed de specialiter dicta, seu etiam de charitate perfecta. De qua expressè loquitur 31.

Enimverò factâ collatione trium propositionum illarum, cum aliis in eadem Bulla damnatis, manifestum est, propositionum illarum assertores voluisse, quòd charitas propria justorum, sicut & charitas perfecta, esse posset in Catechumenis, & pœnitentibus, absque remissione peccatorum. Siquidem propositione 42. dixerunt, quòd *in hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum Absolutionis, & in Catechumenis, ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.* Propositioneque 55. & 56. usque adeò ctraverunt, ut dicerent, reatum æternæ damnationis manere in perfectè contrito, cui peccatum à Deo remissum est quoad actum, non quoad reatum: perque Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, peccatum remitti quoad reatum, non quoad actum. Ipsorum namque propositio 55. sic habet: *in peccato duo sunt, actus & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat solvitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.* Propositio verò 56. est hujus tenoris: *peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat cum & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solùm reatus solvitur.* Nec solùm voluerunt, justificationem illam vivificationemque à solo Deo fieri per Spiritum sanctum nondum inhabitantem, sed ad pœnitentiam moventem & excitantem dumtaxat. Cùm distinctionem istam ut commentitiam rejecerint propositione 61. *sed & illa distinctio duplicis justitiæ: alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritûs sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.* Et propos. 62. *item & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ*

propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius quâ vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

Ad majorem hujus nostræ responsionis confirmationem, osque obstruendum adversariis, occasione Bajanarum illarum propositionum hîc & aliàs plus nimio perstrepentibus, ea hîc adjicere lubet, quæ Illustrissimus sapientissimusque Pater Le Drou, Episcopus Porphyriensis, ad eandem objectionem profert in libro non semel laudato, anno 1707. Romæ permissu Rmi. P. Magistri S. Palatii edito, cum approbatione R. adm. D. Joannis Ignatii Backx, Abbatis Belli Campi, totius Canonici Ord. Præmonstrat. apud S. Sedem Procuratoris Generalis, necnon Rmi. P. Caroli Philiberti Barberii, totius Ord. Carmelit. Exgeneralis, & R. adm. P. Ignatii Hyacinthi Amat de Graveson, S. Facultatis Parisiens. Doctoris, & Theologi Casanatensis, Ord. Prædicat. Illustrissimus ergo Porphyriensis ad objectionem illam 7. apud ipsum 2. dissert. 4. c. 1. respondet, objectas propositiones " agere de charitate habituali, easque ita exponi " à Francisco Suarez 3. p. ad art. 1. q. 85. disp. " 4. sect. 7. n. 1. ubi ait: *Hic verò referri posset* " *nova quædam opinio Michaëlis Baji, qui fate-* " *batur quidem* GRATIAM ET CHARITATEM *in* " *eodem momento infundi, in quo homo habet actum* " *contritionis vel dilectionis: peccata verò non sta-* " *tim remitti, etiam quoad culpam, donec Sacra-* " *mentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, rapiâ reci-* " *piatur. Ex quo planè sequitur, talem actum non* " *statim esse plenè formatum. Illa tamen sententia* " *supponit falsos errores, scilicet quòd peccatum* " *nunquam remittatur usque ad realem susceptio-* " *nem Sacramenti; & consequenter sine hac sus-* " *ceptione non posse hominem salvari. Item posse* " *esse hominem in statu peccati, imò & condemna-* " *ri*, CUM HABITIBUS GRATIÆ ET CHARITATIS.

" Nec abs re ita exponuntur, quia constat ex " propos. 43. earum Authorem, vel Authores do- " cuisse, dari *justificationem*, atque adeò infusio- " nem gratiæ & charitatis habitualis, absque re- " missione peccatorum; puta in pœnitentibus non- " dum absolutis, & in Catechumenis non bapti- " zatis, ut indicant verba ex quibus contexta est, " scilicet: *in hominibus pœnitentibus, ante Sa-* " *cramentum absolutionis, & in Catechumenis,* " *ante baptismum, est* VERA JUSTIFICATIO, SE- " PARATA TAMEN A REMISSIONE PECCATORUM.

" Secundò, quia in propos. 33. dicitur, Ca- " techumenum *sanctè vivere ante obtentam remis-* " *sionem peccatorum.* Siquidem non habetur san- " ctitas vitæ, absque gratia & charitate habituali, " ut docet Bellarm. l. 2. de Pœnit. c. 13. cum Au- " gustino l. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2. aien- " te, *non benè vivere homines*, nisi dum sunt *ef-* " *fecti filii Dei.*

" Dixi *Authorem*, vel *Authores*, ut incidenter " admoneam " (quod & nos monuimus to. 1. Prolegom. 6.) " totam seriem propositionum " quæ in Decreto Pii V. recensentur, vulgò per- " peràm adscribi uni Bajo, licèt passim appellen- " tur *Bajanæ*. Illic namque propositiones non " tribui uni, sed pluribus, palàm faciunt hæc " verba: *plerique, &c. in varias sententias, of-* " *fensionis & periculi plenas, tum verbo, tum* " *scriptis prorumpunt*: quæ sunt in limine De- " creti; uti & alia quæ sunt in calce: *in rigore,* " *& proprio verborum sensu ab* ASSERTORIBUS " *intento*, &c. Agnovit Bajus *plurimas ex iis-* " *dem sententiis in nonnullis libris* suis *contineri.* " Verùm etiam abnuit non paucas, uti à se nun- " quam traditas, & perperàm sibi affictas.

" In idem refluit, quod à quibusdam dicitur, " scilicet propositiones loqui de perfecta charitate actuali, & de perfecta contritione: quippe quæ " à gratia habituali nunquam divelluntur. Porrò " hunc sensum meritò eliciunt ex propos. 31. 70. " & 71. ubi fit expressa mentio *charitatis perfe-* " *ctæ*. Et quamvis propos. 71. solùm dicatur *per* " *contritionem*, nihilominùs quia mox subjungi- " tur, *etiam cum charitate perfecta*; satis ex hoc " indicatur, sermonem esse de perfecta contri- " tione; velut quæ non potest non esse perfecta, " dum est cum perfecta charitate. Quare Card. " Bellarminus l. 2. de Pœnit. c. 13. loquens de ea- " rum Authore: Fuit (inquit) Doctor quidam " ante paucos annos, qui in libro, quem de cha- " ritate conscripsit, adversus communem sen- " tentiam docuit, Catechumenis pœnitentibus, " quamvis perfectè conversis, & charitate flagran- " tibus, non remitti peccata, sive reatum mortis " æternæ, nisi cum vel baptizantur, vel recon- " ciliantur ministerio Sacerdotum, nisi fortè in " mortis articulo. Et paulò infrà: Scriptori illi " Catholico, qui veram perfectamque contri- " tionem, cum reatu lethalis peccati usque ad " Sacramenti perceptionem manere contendit, " opponimus primò, &c. "

Atque hæ expositiones cumulatè ex eo robo- " rantur, quòd dum illæ assertiones Lovanii eru- " perunt, hoc uno offendiculum præbuerint, " quòd tunc nomen *charitatis* ex usu Scholæ " significaret ejus habitum, vel actum ab inhabi- " tante sancto Spiritu productum, eoque audito " divinæ effigies amicitiæ omnium animis obver- " saretur. De quo si ambegeris, en tibi ejus rei " duos contestes oculatos, ipsum scilicet Bajum, " & Cunerum Petri, ex Doctore Theologo Fa- " cultatis Lovaniensis Leuwardiensem Præulem; " qui licèt inter se circa easdem propositiones bel- " la gesserint, & Cunerus quâ linguâ, quâ cala- " mo in faciem Bajo restiterit, in eo tamen pe- " nitùs sunt concordes. "

Dum jam à Pio V. icti forent 79. articuli, " tres Belgii Episcopi, Martinus Rithovius I- " prensis, Franciscus Sonnius Buscoducensis, & " Cornelius Jansenius Gandavensis, Bajo autho- " res fuerunt, ut palàm eos exponendo, notam " infamiæ à se amoliretur; idque solemni eo- " rum explicatione præstitit Bajus Lovanii in " Scholis Theologorum die 17. April. 1570. At- " que tum quoad articulos de charitate, an possit " illa consistere cum peccato mortali, hæc pro- " fatus est: *Quòd in Catechumenis sit bona volun-* " *tas, dilectio, amor, apud omnes est extra con-* " *troversiam. Sed difficultas ex eo nascitur, quòd* " *non distinxerim inter bonam voluntatem, & cha-* " *ritatem*, SECUNDUM CONSUETUM MODUM LO- " QUENDI SCHOLÆ. *Charitas enim* A SCHOLA " *non aliter accipitur, quàm quomodò Paulus ac-* " *cipit* 1. *ad Timoth.* 1. CHARITAS DE CORDE " PURO, *&c. hoc est* DE CHARITATE PERFECTA, " *quæ est actus, vel habitus, quem operatur* SPI- " RITUS INHABITANS ET PROPITIUS. *Habent* " *quidem dilectionem, quâ incipiunt Deum ama-* " *re, ut loquitur Tridentinum; habent bonam vo-* " *luntatem, amorem, & inchoatam charitatem,* " *licèt non perfectam. Augustinus quodam loco ista* " *non distinguit, sed dicit, bonam voluntatem, di-* " *lectionem, amorem & charitatem in Scripturis* " *indifferenter accipi.* PECCATUM EST IGITUR IN " EO QUÒD SECUTUS AUGUSTINUM, *non servave-* " *rim* CONSUETUM USUM LOQUENDI SCHOLÆ. " *Sic responsum est tribus articulis*, homo existens " in peccato mortali, &c. *art.* 67. charitas perfe- " cta, &c. *art.* 32. & Catechumenus justè & re- " ctè, &c. *art.* 33. Hæc ille. Ex quibus planum " fit, tunc usu receptum fuisse, ut *charitas* illic " non aliter acciperetur à Schola, quàm pro *cha-* " *ritate perfecta*, quæ est *actus vel habitus, quem* "

operatur *Spiritus inhabitans & propitius.* Et *in eo peccatum* à Bajo, quòd *non servaverit consuetum usum loquendi Scholæ.* De quo, & aliis erratis, finitâ omnium articulorum expositione, veniam deprecans, dixit: *fateri se aliquando disputasse in alteram partem certò definitam, & insuetas difficultates aliquando tractasse,* & CONTRA CONSUETUM MODUM ET USUM LOQUENDI SCHOLÆ LOCUTUM. *Et dolere se hoc feciſſe; & si scivisset per hoc aliquem turbatum, aut offensum iri, abstinuisset; sicut nunc edoctus facturus erat.*

Quò verò intelligamus, Bajum hîc nihil fingere, sed ex animo loqui, non erit operæ dispendium referre verba, quibus discursum suum clausit: *Hæc est* (inquit) *mea apud vos excusatio (si tamen excusatione opus sit) quam puto sufficere. Hanc mecum feram, non solùm in charta, sed etiam, coram Judice meo Deo, in memoria mea. Vivamus in pace, & abstineamus ab his, quæ vel nos, vel alios perturbare possint.*

Hactenùs exhibuimus Bajum loquentem, postquam Romana fulmina in 79. articulos jam fœverant. Nunc audiendus est in Annotationibus, quas longè antè exaravit in Censuras Sorbonæ, quibus aliquot id genus assertiones perstrictæ fuerant. Nam istæ Censuræ illi redditæ sunt anno 1560. Roma verò primùm exarsit in 79. articulos anno 1567. Ait autem Bajus ad Censuram hujus articuli: *homo existens in peccato mortali, sive ejus reatu ad mortem æternam, habet in se charitatem.* Cui Sorbona inusserat notam hæresis. Scio SCHOLÆ COMMUNE ESSE DOCUMENTUM, *charitatem esse habitum, per cujus subitam & insensibilem infusionem formaliter fiat omnium peccatorum remissio, & sine cujus infusione fieri non possit. Sed an istud Decretum tam solidis argumentis probari queat, ut contrarium dicendum sit hæreticum, magnoperè cuperem edoceri.* Ex quibus patet etiam tunc fassum fuisse Bajum, quòd loqueretur contra morem Scholæ, & ab illo recederet. Nunc ad Cunerum Petri.

Postquam Bulla Pii V. per Maximilianum Morillonium, Præpositum Arienſem, & Cardinalis Granvellani, Mechlinienſis Archiepiſcopi, tunc Romæ existentis, in Diœcesi Mechlinienſi Vicarium, Facultati Theologicæ Lovanienſi reddita esset; scripsit Cunerus contra articulos ab ea damnatos, & fronte palàm directâ in Bajum, atque ita ante suum librum præfatus est: *Charitas, quia omnes in ea* DIVINAM CONCIPIUNT AMICITIAM, *non sustinent* COMMUNES FIDELIUM AURES, *quòd* SINE CULPÆ REMISSIONE *in aliquo inveniatur; ubi si proposueris, an dilectio, seu amor Dei, à culpæ remissione ad tempus separari possit, omnes toto corde confitebuntur. Imò si progrediaris, an dilectio, quæ Dei est* EX TOTO CORDE, *eum in homine statum patiatur, ut ei, quamvis peccata certo suo loco & tempore remittantur, nondum tamen, quia Sacramenta differt, remissa sint, & adhuc imputari possint?* INVENIES CATHOLICOS DOCTORES, QUI TECUM CONSENTIENT, *modò etiam extra articulum necessitatis per eam peccata aliquando remitti confitearis.* Ita Cunerus in istius libri Præfatione, sui semper similis, & conformiter loquens, dum in ipso libro pertractat articulos ad hanc materiam spectantes.

En igitur (Cunero teste) in propatulo, quòd quantum ad *charitatem*, is tunc fuerit usus Scholæ, ut *omnes in ea divinam conciperent amicitiam*, & propterea *non sustinerent communes fidelium aures, quòd sine culpæ remissione in aliquo inveniatur.* Hoc uno molestus erat Bajus, dum secùs loqueretur. Hic erat lapis offensionis, & petra scandali. Siquis verò tunc diceret, *Dei dilectionem*, etiam quæ est *ex toto corde*, sive *super omnia*, secum admittere aliquando statum peccati, puta dum peccator (ut interdum fas est) *Sacramenta* adhuc *differt*; inveniebat *secum consentientes Catholicos Doctores*, nec erat durus sermo, sed poterat audiri absque offensione, modò fateretur, per eam *peccata aliquando remitti*, hoc est *certo suo loco & tempore, etiam extra articulum necessitatis.* Ut proinde fateri oporteat, non fuisse tunc Bajo ea de causa obstrepitum, quòd assereret ejusmodi amorem posse aliquando reperiri absque remissione peccatorum; sed quia hoc tribuebat isti amori sub nomine *charitatis*, exprimente ex usu Scholæ amorem, qui est *amicitia cum Deo*; & hoc ipso (quantùm erat ex vi loquelæ) simul consociabat amicitiam Dei cum statu peccati; quod COMMUNES FIDELIUM AURES NON PATIEBANTUR, nec modò sufferunt. Idque ex jam dictis adeò effulget, ut uberiùs hoc illustrare otiosum sit.

Non deest alioqui ejusdem rei aliud documentum *ex Forma doctrinæ*, quam Facultas Theologica Lovanienſis (jubente Joanne Franciſco Bonhomo, per utramque Germaniam sub Gregorio XIII. Apostolico Nuntio) eo fine exaravit, ut *in hisce rebus Sedis Apostolicæ judicio congrueret, damnatisque sententiis ex adverso consisteret:* quæ doctrinæ Forma (ut legitur in Actis Decanatûs Facultatis) ejusdem nomine à celeberrimo Doctore Joanne Lenſæo concepta, & præfato Nuntio consignata fuit. Siquidem, ait ibidem Facultas ad articulos de charitate: *falsum est hominem in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis existentem, posse veram habere charitatem. Etsi enim ante suam justificationem insit in pœnitente amor aliquis justitiæ, eaque dilectio, quâ Deum diligere incipit tanquam totius justitiæ fontem; is tamen amor, qui* CHARITATIS NATURAM (aliàs PRÆSTANTIAM) *assequitur, seu vera illa* (legunt alii PERFECTA) *& sincera charitas, quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, cum æternæ damnationis reatu non consistit.* Ubi cernis, nomen *charitatis* rursum stare pro amore, qui est *ex corde puro*, &c. atque adeò à Spiritu sancto inhabitante; ac insuper damnatas propositiones fuisse eo sensu à prædicta Facultate acceptas, eaque de causa rejectas & confutatas. Quod rursus consuetudini Scholæ, per id tempus ita loquentis, adscribendum est.

Quamquam verò hæ Responsiones exuberent; juvabit eis ex superabundanti adjicere nonnulla, quoad hanc particularem propositionem: *charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*; in qua Adversarii plurimum momenti constituere solent.

Imprimis quadrat illi vel maximè prima Responsio: idque non solùm ob jam explicatam acceptionem vocis *charitas*, pro charitate habituali; sed etiam quia sicut completur motus per affectionem termini ad quem, ita potissimè habetur *legis plenitudo*, & consummatio, dum lex suum finem consequitur. Non enim quævis *charitas*, sed habitualis, quæ est *de corde puro, & conscientia bona*, est finis legis, ut constat ex Apostolo ad Rom. 1. Hinc Bellarminus l. 2. de pœnit. c. 13. ex eodem Apostolo ad Rom. 13. & ex Augustino de fid. & oper. c. 14. docet, *neminem rectè vivere, neque legem implere, nisi justificatum.*

Præterea longè ab invicem distant, legem servare in voto, & solo affectu, & eandem complere in actu. Priori modo lex non completur nisi

„ nisi inchoatè, & in præparatione animi; nec „ præstatur ei sua plenitudo, nisi posterior modus „ accesserit: v. g. lex justificationis, quæ imponit „ onus suscipiendi Sacramenti, non omninò con„ summatur, nisi reipsâ suscipiatur Sacramentum. „ Quare charitas, ut in rigore sit *plenitudo legis*, debet esse Sacramento conjuncta. Et in „ hoc sensu intellecta propositio damnata, in „ casum nobis objicitur, qui sponte fatemur, „ charitatem super omnia, dum Sacramento con„ juncta est, semper justificare.

„ Atque hunc sensum jam olim ei tribuit Fa„ cultas Lovaniensis in *Forma doctrinæ* mox in„ dicata, Nuntioque Bonhomo porrecta: *neque „ enim* (inquit c. 11.) *eamdem vim habent obe„ dientia legis, & ejus plenitudo: siquidem legi „ obediens est, qui voto saltem, desiderioque ani„ mi, ac sincero conatu legi obsequitur*, ETIAMSI „ IPSA NONDUM AB EO LEGIS PLENITUDO PRÆS„ TETUR. Quin & ipse Bajus eundem sensum in„ nuere videtur l. de charitate c. 7. in argum. 15. „ dum ait: *Catechumeni & pœnitentes, de lege „ & admonitione Domini multum implent, quan„ do ad peccatorum remissionem adspirantes, con„ vertunt se ad Dominum, pœnitentiam agunt, „ confitentur, baptizantur, &c. Igitur habent cha„ ritatem, quæ est legis plenitudo.* Siquidem non „ dicit quolvis Catechumenos, aut pœnitentes, „ ad Deum conversos, habere charitatem, quæ „ est legis plenitudo; sed illos qui *confitentur, & „ baptizantur*.

„ An tamen præfatæ damnatæ propositionis „ sensus eruendus sit ex Bajo, ex quo ipse in Apo„ logia sua ad Pium V. Pontificem contestatur, nec illam, nec trigesimam tertiam: *Cate„ chumenus justè*, &c. in suo Libello inveniri, „ Lectoris judicio relinquo: *Hæ duæ sententiæ* (inquit ibidem) *in meo Libello non habentur*.

„ Denique alia est legis plenitudo, in eo sita, „ quòd charitas faciat custodiri mandata, etiam „ quando tentationes graviter tumultuantur; quæ „ charitas (juxta Bellarminum lib. 6. de grat. & „ lib. arbitr. c. 7.) est dilectio super omnia, *quoad „ affectum & effectum*. Hanc verò charitatem, „ sanè perfectam, ante realem Sacramenti sus„ ceptionem justificare, non inviti concedimus. At „ negamus id effici à charitate, quæ solùm est su„ per omnia *quoad affectum*.

Hactenùs Illustrissimus Porphyriensis, prorsus egregiè, atque omninò conformiter iis quæ diximus to. 1. Prolegomeno 6.

2172 Objicies octavò: omnis verè ad Deum conversus, desinit à Deo esse aversus. Ergo desinit esse peccator. Omnis etiam Deum propter se amans, spiritualiter vivit. Vita autem animæ gratia est.

Ad posteriorem objectionis partem respondeo, ex damnata propositione 62. constare, duplicem esse vitam; unam inchoatam per Spiritum sanctum moventem, & nondum inhabitantem; alteram perfectam per Spiritum sanctum inhabitantem, gratiamque sanctificantem. Priori vitâ vivit omnis, Deum propter se amans; non posteriori.

2173 Ad priorem verò partem respondeo, omnem verè ad Deum conversum, desinere esse à Deo aversum, quoad affectum, & complacentiam: secùs quoad culpam, Deique offensam. Quæ semel admissa non tollitur per solam retractationem, ablationemque affectûs ad illam, sed per solam Dei condonationem: ad quam non sufficit displicentia culpæ admissæ (utpote quæ ne quidem sufficit ad hoc ut homo homini offensam condonet) nisi talis & tanta sit, qualem & quantam Deus exigit. Porrò vel perfectam exigit, ad condonandum ante actualem Sacramenti susceptionem; vel saltem imperfectam, ad condonandum in Sacramento. Utramque verò esse vult ex sui propter se amore, prout ex divinis Scripturis, Sanctorum Traditione, & Concilio Tridentino satis demonstravimus.

Replicabis: difficulter explicari potest, in quo 2174
consistat culpa & offensa Dei, remanens post sublatam Dei aversionem quoad affectum & complacentiam. Neque enim consistit in voluntate sibi complacente, saltem habitualiter, in peccato præterito; neque in voluntate peccandi in futurum. Neutram enim habet, qui per suam in Deum conversionem, & complacentiam illam retractavit, & ultrà non peccare proponit: in quo ergo consistit?

Respondeo: licèt difficulter explicari posset quomodò remaneat; non ideò negandum esse remanere: sicut non ideò negandum est originale peccatum, quia illud difficulter explicare potest hominis ingenium. *Etsi* enim *nullo sermone explicetur, verum tamen est, quod antiquitùs veraci fide Catholica prædicatur, & creditur*, ait Augustinus lib. 6 in Julian. c. 5.

Cæterùm simili argumento olim satisfecit Au- 2175
gustinus loco citato cap. 19. cùm enim dixisset: *Idolis immolatio, quæ jam nec in actione est, quia præteriit: nec in voluntate, quia error, quo fiebat, absumptus est: manet tamen reatus ejus, donec in lavacro regenerationis, peccatorum omnium remissione solvatur.* Reatum tamen illum agnoscens in homine, etiam converso, quærit à Juliano: *Dic mihi reatus iste quis sit, & ubi maneat in homine jam correcto, rectèque vivente, nondum tamen peccatorum remissione liberato?* Cùmque Julianus responderet, quòd *actu præterierunte, manet ejus reatus in illius conscientia, qui deliquit, donec dimittatur.* Replicat Augustinus, hoc esse perinde, ac si diceret, *manere in animo ejus qui deliquisse se meminit, & scrupulo angitur conscientiæ, donec fiat delicti remissione securus.* Sed *quid* (inquit) *si obliviscatur se deliquisse, nec ejus conscientia stimuletur, ubi erit reatus ille, quem, transeunte peccato, manere concedis, donec remittatur? Non est certè in corpore, quia non est eorum accidentium, quæ accidunt corpori. Non est in animo, quia ejus memoriam delevit oblivio, & tamen est. Ubi est igitur, cùm jam benè vivat homo, nihil tale committens; nec dici possit, eorum peccatorum ejus reatum manere, quæ meminit; eorum verò quæ oblitus est, non manere. Manet quippe omninò, donec remittatur. Ubi ergo manet, nisi in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodò in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit. Cujus signo crucis consecratur unda baptismatis*, sicut & absolutio Sacerdotis, *ut eâ diluatur reatus, tamquam in chirographo scriptus, in notitia spiritualium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum.*

Non eo tamen modo in occultis Dei legibus, 2176
notitiaque divina, manet reatus peccatorum pœnitentium, seu conversorum, ac impœnitentium. Cùm istos Deus respiciat tamquam in affectu peccati, rebellioneque perseverantes, & ideò supplicijs æternis destinatos: illos tamquam remissioni per suam conversionem propinquantes, sibique reconciliandos, statim atque sanguis Mediatoris, per Baptismatis, vel Pœnitentiæ Sacramentum, ipsis fuerit applicatus. Quos si contingat morte inopinatâ præveniri, ante optatam susceptionem Sacramenti, in eis misericordia divina, intuitu ejusdem Mediatoris, invisibiliter supplebit, quod non ex voluntate, sed ex necessitate visibiliter defuerit, ut Sancti docent.

Objicies nonò: S. Thomas in 4. dist. 17. q. 5. 2177
a. 5. dicit, quòd minima contritio sufficiat ad deletionem peccatorum, quamlibet grandium;

Respondeo (cum Adriano, & Rosemundo suprà) per minimam contritionem, ibi à S. Doctore non intelligi minimum de peccatis dolorem, etiam propter Deum: utpote qui (ut dicit ibidem) *potest esse adeò parvus, quòd non sufficeret ad rationem contritionis*, per gratiam formandæ, *ut si minùs displiceret ei peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine: sicut* etiam *amor potest esse ita remissus, quòd non sufficiat ad rationem charitatis* specialis: sed dolorem formatum per gratiam, charitatemque habitualem, quæ, quàmlibet minima, sufficit ad deletionem quorumcumque peccatorum.

2178 Objicies decimò: Ecclesia subinde concedit Indulgentias contritis, cum proposito confessionis, suo tempore faciendæ. Igitur supponit, ipsos per contritionem justificari, & à pœnæ æternæ reatu liberari. Cùm prius sit liberari à pœna æterna, quàm à temporali, quæ tollitur per Indulgentiam.

Respondeo negando consequentiam. Quia, ut benè Sylvius, opus ab Ecclesia præscriptum ad lucrandam indulgentiam, fieri potest ante peccatorum remissionem: ante quam etiam indulgentia potest esse concessa, & à Deo acceptata, adeòque firma & rata, tametsi non fortitura effectum, nisi post sublatum mortalis culpæ, pœnæque æternæ reatum. Nec aliâ intentione indulgentiam Ecclesia concedit contritis, necdum remissionem per confessionem consecutis.

2179 Objicies undecimò: Sacerdotes omnes contriti, necessitate urgente, Confessarioque deficiente, à Tridentino celebrare permittuntur, absque prævia confessione. Omnes ergo à Tridentino supponuntur contritione justificari.

Nego iterùm consequentiam. Quia, ut benè iterùm Sylvius Supplem. q. 5. a. 1. illâ permissione solùm declaratur, ipsos ab incursione novi peccati excusandos, nec indignè communicaturos, taliter celebrando. Indignè quidem communicarent, si peccati mortalis sibi conscii, ad Altare sine confessione accederent, Confessarii copiam habentes. Non sic dum id in necessitate faciunt, peccati affectum seriò deponentes, amorosæque contritionis actum pro posse elicientes, confessuri, si copiam haberent Confessarii. Sic enim tutò se committunt misericordiæ Dei, concipientes spem, & fiduciam accipiendi gratiam à divino illo pane, qui dat vitam mundo, & in ejusmodi casu primam gratiam per accidens confert devotè communicantibus, ut dixi tom. præcedenti lib. 4. Nisi enim ita esset, perpetua in anxietate forent Sacerdotes, absque confessione in necessitate celebrantes. Cùm præsumere vix, aut ne vix possent (regulariter loquendo) perfectè se esse contritos. Eò quòd perfecta contritio rarissima sit, & in quàm paucis inveniatur, ut dicit Catechismus Romanus.

2180 Objicies duodecimò: omnis vera contritio ex amore Dei super omnia, cum Sacramenti voto, justificat in articulo mortis, si desit Sacerdos, qui reconciliet pœnitentem. Igitur & extra articulum illum. Quòd enim justificet in articulo mortis, provenit ex natura & virtute contritionis, quæ (utpote eadem extra, quàm intra articulum illum) idem extra operatur, quod intra. Idem enim, manens idem, semper facit idem.

Nego consequentiam, & id quod assumitur ad eam probandam, cujus falsitas constat ex dictis cap. præcedenti, à num. 2155. ad 2161. ubi ostensum est, imperfectè contritum in articulo mortis non justificari ex natura & virtute contritionis, sed ex gratuita Dei voluntate & misericordia, supplente defectum Sacramenti, non provenientem ex voluntate, sed ex necessitate.

2181 Objicies ultimò: omnis homo Deum propter se super omnia diligens, est justus. Omnis ergo contritus ex ejusmodi dilectione, est justus. Omnis proinde dilectio & contritio ejusmodi, est dilectio & contritio perfecta.

Respondeo distinguendo antecedens: omnis homo Deum propter se super omnia diligens, est justus, justitiâ quæ fit per Spiritum sanctum moventem, & dilectionem illam inspirantem, sed nondum inhabitantem, concedo: est justus, justitiâ quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, nego. Distinguenda quippe est duplex ejusmodi justitia, ut constat ex propositione 63. per Pium V. damnata. Et sicut non omnis homo Deum propter se diligens, super omnia diligit (aliud est enim Deum propter se, aliud super omnia diligere, & illud ab isto separatur in millenis hominum myriadibus) sic non omnis Deum propter se super omnia diligens, corde perfecto, sive perfectè diligit. Cùm infinitæ etiam sint myriades hominum, Deum propter se super omnia diligentium corde imperfecto, id est remissè, non cum ea intensione, vehementia & fortitudine, quam SS. Patres, præcipuique Doctores, cum divina Scriptura, ad perfectam requirunt dilectionem, contritionemque. Cætera quæ objiciuntur, nervosè dissolvit Illustrissimus P. Le Drou, omninò videndus à pag. 348. ad 387. Editionis Lovaniensis.

CAPUT CLXXII.

Contritio perfecta cum Sacramento non requiritur.

ITa sentio cum Catechismo Romano p. 2. c. 5. q. 47. ubi sic: *Ex Fidei Catholicæ doctrina, omnibus credendum, & constanter affirmandum est, siquis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque imposterùm non peccare constituat, etsi hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cùm peccata Sacerdoti ritè confessus fuerit, vi clavium, scelera omnia remitti, ac condonari, ut meritò à sanctissimis Viris, Patribus nostris, celebratum sit, Ecclesiæ clavibus, aditum in cœlum aperiri. De qua nemini dubitare fas est, cùm à Florentino Concilio decretum legamus, pœnitentiæ effectum esse absolutionem à peccatis. Quæ absolutio, etsi aliquando tempore præcedit Sacramentum* (inquit sanctus Thomas in 4. dist. 22. q. 2. a. 1. quæst. 3.) *aliquando tamen in ipso Sacramento efficitur.* Et opusc. 17. c. 2. *quandoque aliqui consequuntur justificationem in absolutione, quam antea non fuerant consecuti.* Quod & de Baptismo tradit Augustinus, aliique Patres cap. 169. relati. 2182

Ratio assertionis prima est, quia pœnitentia est Sacramentum mortuorum. Non supponit ergo vitam primam in subjecto suo, sed eam confert ex opere operato, sive ex virtute sanguinis Jesu Christi. Per consequens non requirit in subjecto suo dispositionem sufficientem ad vitam primam ipsi conferendam, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur. 2183

Nec omninò satisfacit responsio eorum, qui dicunt, contritionem perfectam non conferre vitam primam, nisi virtute Sacramenti, cujus votum continet. Quia ratione illius voti præcisè Sacramentum, in esse Sacramenti, non videtur conferre vitam primam. Cùm Sacramentum, ut existens in voto, verè non sit Sacramentum in esse Sacramenti, sed Sacramenti votum dumtaxat. Quod votum, cùm non magis sit votum Sacramenti absolutè futuri, quàm absolutè non futuri, ob invincibile obstaculum; non magis continet virtutem Sacramenti absolutè futuri, quàm absolutè non futuri. Ergo Sacramentum absolutè futurum, non magis confert vitam primam 2184

mam in esse Sacramenti, ratione istius voti, quàm Sacramentum absolutè non futurum.

2185 Ratio secunda est, quia credibile non est, Pœnitentiæ Sacramentum sic institutum esse, ut à pauciſsimis peccatorum venia per illud speranda essent. A pauciſſimis verò per illud peccatorum venia speranda esset, si ad eam contritio perfecta cum Sacramento requireretur. Cùm ejusmodi contritio admodùm rara sit, & in pauciſſimis inveniatur, ut constat ex dictis c. 169. Unde Catechismus Romanus loco citato q. 32. dicit, quòd *à pauciſſimis peccatorum venia speranda esset, nisi clementiſſimus Dominus faciliori ratione hominum saluti consuluiſſet.*

2186 Dices: SS. Patres ex historia Lazari, priùs à Domino suscitati, quàm à discipulis solveretur, tradunt peccatorem priùs à Domino per contritionem spiritualiter suscitari, quàm à Sacerdote absolvatur.

Respondeo SS. Patres loqui de suscitatione inchoata per gratiam actualem, quâ peccatori inspirat pœnitentiam, novæque vitæ propositum & inchoationem: non de suscitatione perfecta per gratiam sanctificantem, & Spiritum sanctum inhabitantem. Vide suprà n. 2171.

CAPUT CLXXIII.

Perfectæ contritionis ab imperfecta, seu attritione discrimen.

2187 Discrimen istud non esse penes motivum, quasi contritio perfecta, non imperfecta, procedat ex motivo amoris Dei propter se, satis demonstrant argumenta hactenùs deducta. Quia demonstrant, etiam imperfectam contritionem ex isto motivo procedere debere, ut cum Sacramento sufficiat.

2188 Neque ergo contritio imperfecta ideò perfecta est, quia ex amore illo procedit, etiamsi amor ille affectu sit super omnia, ut demonstravimus. Neque perfecta ideò theologicè perfecta est, quia ex tali motivo; sed quia ad id habet requisita per divinam Scripturam, Sanctorumque Traditionem. Nec denique perfecta ideò ante Sacramenti susceptionem justificat, quia ex tali motivo; sed ex gratuita Dei voluntate, ipsi per meritum Passionis Christi talem effectum tribuente, positis illis requisitis.

2189 Discrimen itaque perfectæ contritionis aliunde necessariò petendum est. Vel utique priùs ex eo quòd *omnis dolor de peccatis* ex amore Dei propter se, affectu super omnia, *in habente gratiam* simpliciter dictam, seu sanctificantem, *est contritio: in non habente attritio*, ut docet S. Thomas q. 28. verit. a. 8. in corp. & ad 3. ubi dicit, quòd *contritio ab attritione non differt solùm secundùm intensionem doloris, sed etiam secundùm informationem gratiæ.* Quomodò etiam discrimen utriusque Veteres passim explicarunt, Albertus Magnus in 4. dist. 19. Bonaventura ibidem dist. 17. Scotus dist. 4. S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. dicens, quòd *dolor gratiâ informatus, est contritio... qui non est gratiâ informatus..., attritio.* Videtur discrimen istud placuisse Tridentino sess. 14. c. 4. dum dixit, quòd contritio perfecta, non imperfecta, sit *charitate perfecta, hominemque Deo reconciliet, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur.* Neque enim ibi sermo esse videtur de charitate actuali (utpote quam sess. 6. cap. 6. requirit etiam ad contritionem imperfectam) sermo proinde esse videtur de charitate habituali; ac per consequens de contritione informata charitate & gratiâ habituali.

2190 Vel secundò discrimen utriusque petendum est ex eo quòd contritio perfecta procedat ex amore Dei perfecto, imperfecta ex imperfecto, quorum alter ab altero non differat specie, sed intensione, ut communis est doctrina Veterum, teste Cajetano de attrit. n. 4. vocante *communem dictum*, quòd attritio & contritio differant *secundùm magis & minus. Sunt enim unius ejusdemque speciei* (ait Guilielmus Parisiensis de Sacram. Pœnit. p. 31.) *& ita non differunt, nisi secundùm magis & minus.* Ita etiam Albertus Magnus, Alensis, Bonaventura, Scotus, & alii suprà relati. Et istud quoque discrimen ponunt S. Thomas in verbis num. præcedente laudatis, Angelus in Summa, verbo *contritio*, Josephus Anglez in Floribus q. de contritione, dicens, esse opinionem S. Thomæ, Scoti, & utriusque discipulorum. Eratque adhuc sententia celebris anno 1502. quo Cardinalis Sarnanus Summam suam Theologicam publico dedit, utpote in qua pag. 152. & ipse dicit, quòd *non videntur distare, nisi penes intensionem, & remissionem.* Et idem est de tempore Binsfeldii, qui in Enchiridio suo probat *illorum Doctorum sententiam, qui tradunt attritionem & contritionem non differre, nisi penes intensum, & remissum.*

Vel tertiò dici potest cum S. Thoma n. 2169. relato, contritionem perfectam ab imperfecta differre, partim ex priore, partim ex posteriore capite: ex priori ex parte Dei; ex posteriori ex parte liberi arbitrii. Ut enim S. Antoninus loco relato ait: *contritio & attritio differunt dupliciter. Uno modo ex parte liberi arbitrii: quia dolor imperfectus dicitur attritio, & dolor perfectus dicitur contritio. Secundo ex parte Dei: quia dolor gratiâ informatus, est contritio.... qui non est gratiâ informatus, non potest dici contritio, sed attritio.* 2192

Quem verò perfectionis gradum attingere debeat amor & dolor, ut censeri queat charitas perfecta, contritioque inde procedens contritio perfecta, ob sententiarum hac de re varietatem facile non est definire. 2193

Ad perfectam quidem charitatem diximus suprà, necesse esse quòd prædominetur omni mortali cupiditati (sicut ad calorem perfectum necesse est quòd in eodem subjecto prædominetur omni frigori; ita ut non compatiatur frigus æquale, nec majus) & hoc idcò quia mortalem omnem cupiditatem excludere debet, sicut calor perfectus excludere debet omne frigus. 2194

Id tamen non sufficit ad charitatem perfectam: cùm etiam imperfecta mortalem omnem cupiditatem excludere debeat, ut ad peccatorum veniam in Sacramento consequendam sufficiat. 2195

Idcò plerique censent, ad perfectam quidem charitatem non sufficere, quòd mortalem omnem cupiditatem excludat, si eam omninò non excludat sine adminiculo timoris servilis, sed eo adminiculo sic indigeat, ut mortalem omnem cupiditatem ex toto non excluderet, nisi æterni supplicii metus peccandi consuetudinem minueret, & ad justè vivendum impelleret. Charitas quippe perfecta eo adminiculo non indiget: cùm perfecta charitas foras mittat timorem. 2196

Cæterùm perfectam tunc censent esse charitatem, justitiæque dilectionem, dum sic in animo dominatur, ut ad excludendam mortalem omnem cupiditatem, timoris servilis non egeat adminiculo, sed ad hoc de se sat valida sit. 2197

Verùm ampliùs requirit Augustinus epist. 144. ubi ad perfectam justitiam contentus non est, quòd ad justè vivendum, non supplicii nos metus urgeat, sed ducat delectatio, charitasque justitiæ, cùm ait: *hæc quidem, quantùm mihi videtur, nondum est perfecta, sed quodammodò adulta justitia*; nondum proinde perfecta, sed quodammodò adulta charitas. Quia, ut alibi dicit, *charitas adulta, adulta justitia est*; *charitas perfecta, perfecta justitia est.* Vide suprà cap. 169.

Propterea alii ad perfectam in homine charita- 2198

tem requirunt, ut non solùm affectu, sed & effectu sit super omnia, id est tam valida, ut homini, secundùm præsentem cordis sui dispositionem, det vires sufficientes ad sustinendum hîc & nunc, non solùm temporalium, sed & vitæ jacturam, sustinendos etiam gravissimos inimicorum cruciatus usque ad mortem, potiùs quàm à charitate recederet.

2199 Sed neque hoc quibusdam sufficit ad charitatem perfectam, nisi homo sat fortis sit, non solùm ad ista patienter, sed & delectabiliter sustinenda. Nam & hoc requirere videtur Augustinus, cujus verba exhibuimus loco citato.

2200 Cùm tanta sit circa hoc sententiarum varietas, nihilque sive ab authoritate, sive à ratione certum habeamus, unde nobis constet quænam ex iis vera sit; necesse est ut, cum Doctoribus antiquis, Alensi, S. Thoma, Scoto, &c. fateamur, nobis incertum esse, solique Deo notum, usque ad quem gradum pertingere debeat charitas, & contritio, ut perfecta sit, & ante Sacramentum actu susceptum justificet: *dolor* (inquit Alexander de Ales l. 4. q. 17. m. 2. a. 1. §. 3.) *certam habet mensuram, qui contritionis dici debet. Quæ autem illa sit, ille novit quem nihil latet. Non qualiscumque motus voluntatis est sufficiens præparatio ad gratiam* (ait S. Thomas q. 24. verit. a. 5.) sicut nec qualiscumque dolor sufficit *ad remissionem peccati, sed oportet esse aliquem modum* (seu gradum) *qui quidem homini notus esse non potest.* Similiter Scotus in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. (apud Authorem Summæ de Sacram. ex doctrina Francisci de Victoria tit. de contrit. q. 117.) dicit, quòd *licèt quis habeat dolorem de peccatis propter Deum, cum omnibus bonis aliis circumstantiis, nisi talis dolor habeat certam intensionem completivam..... non sufficit ad peccatorum remissionem. Quanta autem intensio debeat esse, dicit quòd solus Deus novit.* Denique *nemo mortalium novit* (ait egregius fidei defensor, & Martyr, Thomas Morus in suo tr. de Sacram. anno 1522. nomine Regis Angliæ edito) *quantum contritionis exigit peccatum mortale.* Sicut nemo scit, an amore, vel odio dignus sit.

2201 Hoc tamen secundùm Scripturæ, & Sanctorum doctrinam (cap. 169. relatam) videtur certum, perfectam contritionem, per seque justificantem, *adeò vehementem, acrem, incensam esse debere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit*, sicut Catechismus Romanus dicit. Tanta verò doloris acerbitas, vehementiaque procedere nequit, nisi ex proportionata vehementia charitatis, seu dilectionis Dei, ac justitiæ. *Tantùm* enim *quisque peccatum odit, quantùm justitiam diligit*; & ubi Dei, ac justitiæ debilis est dilectio, debilis est dolor de peccato. Omnis quippe dolor, odiumque peccati, procedit ex amore oppositi boni, tamquam effectus ex causa: nec effectus causam suam excedere potest.

Legi meretur Illustriss. P. Le Drou dissert. 4. c. 3. §. 3. ubi lucem multam præsenti affert quæstioni, opinionemque *eximiorum Theologorum*, contritionem & charitatem perfectam constituentium in quadam intensione, pro se habere censet S. Scripturam, S. Augustinum, S. Gregorium, S. Thomam, & Catechismum Romanum, pro caque allegat verba ista Augustini tr. 5. in epist. Joan. *Charitas meretur augeri, ut* AUCTA *mereatur & perfici.* Et ista S. Thomæ 2. 2. q. 24. a. 9. ubi charitatem perfectam ab incipiente distinguit, *secundùm diversa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis* AUGMENTUM.

CAPUT CLXXIV.

Non omnis Dei propter se amor, vel ex amore dolor, cum Sacramento sufficiens ad justificationem unius peccatoris, sufficit ad justificationem cujuscumque peccatoris.

2202 RAtio est, tum quia *quantitas dispicentiæ de aliqua re debet esse secundùm quantitatem malitiæ ipsius.* Ideòque de majori peccato major dolor necessarius est, ut S. Thomas docet Supplem. q. 3. a. 1. ad 1. Cùm igitur peccatorum alii aliis majores sint, in uno major amor dolorque requiritur, quàm in altero.

2203 Tum quia tam amor, quàm ex amore dolor, ut cum Sacramento sufficiens sit ad justificationem, omnem peccati mortalis affectum excludere debet. Sed non omnis amor, atque ex amore dolor, omnem peccati mortalis affectum excludens in uno peccatore, eum excludit, seu excludere potens est in omni peccatore. Ut enim omnem excludat, omni fortior esse debet; at non eo ipso quo fortior est omni peccati mortalis affectu in parvo peccatore, in quo affectus ille nec magnus est, nec altas in corde radices egit, eo ipso fortior est omni peccati mortalis affectu, in magno peccatore, præsertim consuetudinario, & inveterato, in quo affectus ille valdè magnus est, altasque ob inveteratam consuetudinem in corde ipsius radices egit. Quemadmodùm non eo ipso quo calor ut quinque fortior est frigore intenso ut tria, fortior est frigore intenso ut octo.

2204 Simile est in gratia efficace: fieri enim potest, quòd eadem entitas gratiæ sit efficax in uno homine, in quo modicam invenit resistentiam, ob longè minorem cupiditatem sibi reluctantem; inefficax verò in altero, in quo resistentiam invenit valdè magnam, ob longè fortiorem cupiditatem sibi reluctantem, prout alibi ostendo.

CAPUT CLXXV.

Attritio ex Dei propter se super omnia amore, licèt imperfecto, ex peccatis Dei misericordia, meritoque Passionis Christi, absque actuali susceptione Sacramenti (licèt non absque voto ipsius) justificat in articulo mortis, dum actualem susceptionem excludit impossibilitas, non voluntas.

2205 PRobatur primò, quia in dicto casu justificat Catechumenum, absque actuali susceptione Baptismi. Igitur & pœnitentem, absque actuali susceptione Sacramenti Pœnitentiæ. Consequentia bona est, quia, ut dicit Augustinus, quæ baptismatis, eadem reconciliationis est ratio.

2206 Antecedens ut certum tradit, atque ex Augustino, & Ambrosio probat Innocentius III. cap. *Apostolicam* de Presbyt. non baptiz. *Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in S. Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cælestis Patriæ gaudia adeptum asserimus incunctanter.* Lege super octavo libro *Augustinum de Civit. Dei* (seu potiùs l. 4. de Bapt.) *ubi inter cætera legitur: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Librum etiam S. *Ambrosii de obitu Valentiniani* idem asserentis evolve. *Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.*

2207 In istis Innocentii verbis tria ponderanda sunt. Primò ipsum *incunctanter*, id est, absque hæsitatione id declarare, nec de eo ampliùs controvertendum esse, uti ampliùs significat, addendo: *Sopitis igitur quæstionibus Doctorum*, &c.

2208 Secundò, Innocentium declarationis, seu decisionis suæ hanc adferre rationem: *quia* Presbyter ille *in S. Matris Ecclesiæ fide, & Christi nomine*

minis confessione perseveravit, quasi dicat, quòd ideò præsumendus fuit obiisse cum dispositione piis Christianis ordinaria, contritione utique dilectrice, non perfectâ (utpote rarissimâ, ideòque in casu obscuro, secundum regulam Juris non præsumendâ) sed saltem imperfectâ.

2209 Tertiò, ponderanda sunt Augustini verba, ab Innocentio relata, *baptismus invisibiliter ministratur*, &c. Ex iis namque conficitur, attritionem dilectricem sufficere cum baptismo invisibiliter, sicut cum visibiliter ministrato. Augustini verba sunt: *Invenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm ministerium baptismi non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit.* L. 4. de Bapt. cap. 22. Quod in capitibus sequentibus declarat exemplo boni Latronis, in quo *quod ex Baptismi Sacramento defuerat, complevit Dei benignitas.* Necnon exemplo ac similitudine infantium, sine fide, licèt non sine baptismo morientium, in quibus fidei actualis defectum, ex defectu ætatis, non voluntatis, provenientem, *eadem gratia Omnipotentis implere credenda est.* Quia, ut dicit cap. 28. licèt salus hominum ordinariè non contingat absque baptismo, uti nec absque fide, in utroque illo casu fit quædam veluti dispensatio benignitatis Dei, *complente Deo, quod non ex voluntate defuisset. Supplet* quippe *Dei benignitas, quod necessitas excluserit*, aiunt *Doctores Lovanienses in Scolio ad* Augustini verba.

2210 Ab Augustino & Ambrosio divelli se non patitur Bernardus ep. 77. ad Hugonem, *si ante exitum voluerit & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo, fortè obtinere nequiverit, dum non defit fides recta, spes pia, charitas sincera* (qualis ut sit, esse non debet perfecta) *propitius sit mihi Deus, huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omninò possum desperare salutem, neque confundere spem, neque excidere charitatem. Si quis aliter sapit* (ut Otto, Episcopus Frisingenis, qui Gerardo, ea in re, contradicebat) *viderit si quod asserit persuaserit. Nam me non facilè fateor assentire, si non firmior induxerit vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum authoritas. Sed miror admodùm, si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum, invenire rationem potuerit, quæ SS. Patres latuerit, Ambrosium & Augustinum, sive authoritatem eorum authoritate potiorem.*

2211 Similia habet Theobaldus Stampensis epist. ad Episcopum Lincoln. to. 3. qui assertionem nostram probat hâc ratione memoratu dignissimâ: *Quicumque bonam voluntatem habebit in terris, pacem indubitanter & gloriam habebit in cœlis, si utique in ea ad mortem perseveraverit.* Ut enim Bernardus loco citato ait: *quid planius, quàm quòd voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas? nisi fortè putetur in malo quàm in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum qui charitas est, & promptior esse ad ulciscendum quàm ad remunerandum, misericors & miserator Dominus. Quomodò is qui alieno debito se teneri fortè in extremis positus recolit, si desit unde persolvat, solâ nihilominus pœnitentiâ & cordis contritione obtinere veniam creditur, ne jam pro eo damnetur. Sic sola fides, & mentis ad Deum conversio, sine effusione sanguinis, & sine profusione aquæ, salutem sine dubio* (observa ly *sine dubio*) *operatur volenti, sed non valenti* (*prohibente nimirùm præsentaneo mortis articulo*) *baptizari.*

2212 Probatur secundò, quia Ecclesia in Concilio Cartag. IV. anni 398. Vasensi anni 442. Arelatensi II. anni 442. Aurelianensi I. anni 511. Toletano XI. anni 675. decernit preces oblationesque Ecclesiastico ritu faciendas pro baptizatis, qui acceptâ pœnitentiâ, ante sacramentalem absolutionem, è vivis excesserunt. Publica verò pro iis suffragia fieri non decerneret, nisi piè mortuos in gratia crederet. Nec hoc crederet, si charitatem contritionemque perfectam ad id necessariam censeret: utpote in paucissimis contingentem.

Probatur tertiò: sola fides, cum mentis ad Deum 2213
conversione, licèt imperfectâ, absque Sacramento justificat in casu martyrii, ubi Sacramentum excludit necessitas, non voluntas. Igitur & extra casum martyrii, ubi Sacramentum pariter excludit necessitas, &c. Consequentiam Ambrosius ipse deducit loco citato, dicens: *qui habuit Spiritum tuum* Valentinianus, *quomodò non habuit gratiam tuam? An quia solemniter non sunt celebrata mysteria? ... Ergo nec Martyres, si Catechumeni fuerint, coronentur.... Quòd si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit* & bona *voluntas*, ob rationem n. 2211. allatam. Quòd autem sola fides, cum mentis ad Deum conversione, licèt imperfectâ (siquando cum ea sola quis, ut fieri potest, ex Christi quidem amore, sed adminiculo servilis timoris indigente, Martyr occumbat) absque Sacramento justificet, constat ex verbis Christi: *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et iterùm: *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Quæ profectò verba Salvatoris, cùm non so- 2214
lùm vera sint de Martyribus formaliter, verùm & de Martyribus æquipollenter, sive de iis qui quomodocumque perdunt animam suam pro Christo, vel membris Christi: assertio nostra etiam procedit, primò in iis qui ad metalla vel exilium pro Christo relegati, istis in ærumnis moriuntur, cùm eos pro Martyribus Ecclesia colat, & pro Martyribus Cyprianus agnoscat l. 3. epist. 25. Qui & epist. 6. idem docet de morientibus in carcere pro Christo.

Secundò in iis qui vitam ponunt & exponunt 2215
pro salute æterna proximi. Pro quibus frequens est Augustini testimonium tract. super epist. Joan.

Tertiò in iis qui Christiana ex charitate moriun- 2216
tur in assistentia & servitio pestiferorum. Pro quibus Ecclesiæ testimonium habemus in Martyrologio ad diem 28. Februarii, sicut & testimonium sanctorum Patrum, Cypriani serm. de milite, Gregorii Thaumaturgi, Dionysii Alexandrini, &c. Hoc saltem certum, quòd perdunt animam suam pro Christo, dum perdunt eam pro membris Christi. *Quod enim uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

CAPUT CLXXVI.

Satisfit argumentis, quæ contra assertionem Capitis præcedentis objiciuntur.

OBjicies primò: SS. Patres cap. 167 §. 2. rela- 2217
ti, tantam asserunt necessitatem Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ, ut sine actuali susceptione ipsorum respectivè peccatorum remissio nequeat obtineri.

Respondeo regulariter ita esse; non universaliter & absque exceptione: cùm Cyprianus epist. 56. & Fulgentius l. de fide ad Petr. c. 30. exceptionem admittat in casu martyrii; Ambrosius, Augustinus, Bernardus, &c. in casu assertionis nostræ.

Objicies secundò: prioribus Ecclesiæ sæculis 2218
tanta fuit Patrum severitas, ut preces & oblationes fieri non permiserint pro defunctis absque baptismo vel absolutione.

Respondeo, rationem severitatis istius non fuisse quia de salute ipsorum desperarunt, sed quia assertionis nostræ veritatem incertam habuerunt. Quam quia sequentium Patrum lucidissima testi-

monia, solidissimaque argumenta certam fecerunt; sequentibus sæculis mitiùs cum defunctis illis agendo, preces oblationesque pro ipsis fieri sanxerunt.

2219 Objicies tertiò: si vera esset assertio nostra, nullus periret defectu Sacramenti. At contrarium est verum: quandoquidem Sacerdotes à Patribus pronuntiantur rei animarum, quibus in extremis vel negarunt, vel neglexerunt ministerium Sacramentorum. Major propositio probatur hoc dilemmate: Vel moribundus habet attritionem ex amore Dei propter se super omnia, vel non habet? Si habet, non perit, ut asserimus. Si non habet, non tam perit defectu Sacramenti, quàm defectu dictæ attritionis, cum quo defectu periret, etiamsi Sacramentum susciperet.

Respondeo distinguendo majorem. nullus periret defectu Sacramenti, per se loquendo, verum est, nec Patribus contrarium: nullus periret defectu Sacramenti, per accidens, nego. Sunt enim, qui ob Sacramenti ministerium, sibi vel neglectum vel denegatum, pereunt ob desperationem, vel debitæ contritionis, saltem imperfectæ defectum, per denegationem illam causatum. Ob desperationem quidem, dum credunt sibi denegari Sacramentum, eò quòd desperata sit salus ipsorum. Ob defectum verò contritionis, eò quòd contritio per Sacramenti ministerium, non rarò excitetur in pœnitentibus; *sæpè enim* (ait Jacobus Bajus Inst. Relig. Christ. l. 2. c. 84.) *ad Sacerdotem solo timore adductus, inter confitendum plenius immutatur Sacerdotis ministerio, docentis, excitantis, vel increpantis. Nonnunquam verò istud efficitur in absolutione, quæ cæteris pœnitentiæ partibus ad hanc rem efficacior est. Nam operi à se instituto Christus adest, ut pœnitens verbis Sacerdotis commotus, verè contritus efficiatur. Piè etiam credimus, & sentimus* (ait Guilielmus Parisiensis tr. de Pœnit. Sacram. tit. de ejus effect. & potest.) *eis qui cum fide hujus Sacramenti, & vehementi desiderio redeundi in Dei pacem & gratiam, licèt timore infirmitatis suæ, & oppressionis malæ consuetudinis, propositum abstinendi à consuetis, & eadem emendandi non habeant, interdum de divinæ bonitatis abundantia, virtute clavium, & Sacramenti illius, præstari, & hujusmodi propositum infundi.* Quia tempus receptionis Sacramenti, tempus est beneplaciti, in quo auxilium divinæ gratiæ liberaliùs datur, atque efficaciùs operatur. *Conantibus* proinde *tunc ad Deum reverti, dexteram auxilii sui porrigere Patrem misericordiarum, dubitandum non est. Quemadmodùm ille qui lunaticum filium attulit ad Dominum* JESUM *Marci* 9. *credere quidem nitebatur, sed nondum fidem, ad quam conabatur, habebat, propterea dicebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Merito tamen sui conatûs, & filio sanitatem, & ipsemet fidei donum obtinuit. Sic de similiter conantibus, quòd præsto sit eis divinæ beneficentiæ auxilium, pia fides non dubitat.*

2220 Ideò ergo Sacerdotes in extremo vitæ articulo Sacramenta denegantes, vel conferre negligentes, rei animarum à Patribus pronuntiantur, utique per accidens sensu dicto: vel certè rei animarum dicuntur, non absolutè, sed secundùm quid, *quantùm in ipsis Ministris est.* Quia per ipsorum vel crudelitatem vel negligentiam non stat, quin damnentur. Quomodò similem Cypriani expressionem Augustinus exponit ep. 23. ubi loquens de parvulis baptizatis, quos deinde sacrilegis dæmonum sacrificiis impii obtulêre parentes, ait eos per hoc parvulis reverà non nocere, spiritualiter tamen parvulorum suorum homicidas esse: *nam* (inquit) *in illis quidem interfectionem non faciunt, sed quantùm in ipsis est, interfectores fiunt. Rectè illis dicitur, quando ab hoc scelere prohibentur, nolite occidere parvulos vestros. Dicit enim & Apostolus, spiritum nolite extinguere: non quia ille extingui potest, sed quantùm in ipsis est, extinctores ejus meritò dicuntur, qui sic agunt, ut extinctum velint. Isto sensu rectè intelligi potest, quod scripsit beatissimus Cyprianus in epist. de lapsis, cùm eos, qui tempore persecutionis idolis immolaverant, arguens (ac ne quid deesset, inquit, ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus impositi, vel attrectati, amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti) amiserunt, inquit, quantùm attinuit ad illorum scelus, à quibus amittere coacti sunt, amiserunt in eorum mente ac voluntate, qui in illis tantum facinus commiserunt.*

Objicies quartò: & est instantia contra responsionem ad objectionem præcedentem, in vita sancti Martini legitur de Catechumeno, ante baptismum morte prævento, quòd anima ipsius statim atque à corpore separata fuit, stetit ante tribunal magni Judicis, à quo severum accepit judicium, atque post illud deducta fuit in carcerem tenebrosum. Quod profectò non contigisset, si Dei benignitas invisibiliter supplevisset defectum baptismi visibilis, quem necessitas excluserat, non voluntas. In qua etiam opinione si S. Martinus fuisset, cum Monachis suis, nec ipse, nec Monachi inconsolabiliter luxissent talem mortem ipsius, nec adeò anxii fuissent de ipsius salute. 2221

Respondeo primò, ideò anxios fuisse, tum quia certi non erant de sufficienti contritione ipsius: tum quia tunc temporis certa nondum erat veritas assertionis nostræ, sicut modò certa est; incerta proinde erat salus Catechumenorum & pœnitentium, absque Sacramentorum præsidio decedentium, uti colligitur ex Cypriano, Nazianzeno, & Leone Magno, cap. 170. §. 2. relatis.

Respondeo secundò, in casu illo Catechumeni absque baptismo mortui, necessarium non fuisse ut Dei benignitas invisibiliter suppleret defectum baptismi visibilis: quandoquidem Dei benignitas decreverat ipsum ad preces S. Martini suscitare, baptismique visibilis ministerio salvare: Quem in finem S. Martinum per gratiam suam excitavit, ut pro ipsius suscitatione ferventer oraret, firmamque ipsi fidem inspiravit, quâ se exaudiendum absque hæsitatione crederet. In solo verò casu absolutæ necessitatis, Dei benignitas invisibiliter supplet, &c. juxta SS. Patres cap. præcedenti relatos.

Objicies quintò: Tridentinum sess. 14. cap. 4. declarat, contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, per se non sufficere ad justificationem. 2222

Respondeo id à Tridentino intelligi regulariter loquendo, & nisi defectum Sacramenti visibilis, in casu extremæ necessitatis, invisibiliter suppleat dispensatoria Dei benignitas. Quod supplementum perspicuis SS. Patrum sacrorumque Canonum testimoniis comprobatum est, non proinde gratis à nobis assertum. Deo quidem æquè facile foret, dicto casu in homine perfectam excitare contritionem. Verùm excitatio ista gratis asseretur, utpote nec fundamentum habens in Patribus, nec in Canonibus, nec in Scripturis sacris.

Objicies sextò: contritio imperfecta efficacior non est in mortis articulo, quàm extra. 2223

Respondeo efficaciorem non esse ex natura sua, sed ex supplente Sacramenti defectum misericordia Dei, & benignitate.

CAPUT CLXXVII.

Contritio, vel attritio naturalis non sufficit, etiam cum Sacramento.

2224 ESt de fide. Primò quia Hierem. 30. v. 18. Scriptura dicit: *Converte me, & convertar.* v. 19. *Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Et Thren. ult. *Converte nos Domine ad te, & convert-*

temur. Quæ verba, *secundùm omnium SS. Patrum intelligentiam, de convertente Deo hominem ad se per gratiæ suæ auxilium, manifestè procedunt*, ait Thomas de Lemos in Panopl. grat. tom. 3. l. 3. p. 2. tract. 2. n. 124., sicque intelligenda declarat Tridentinum sess. 6. c. 5. in fine: *cùm dicitur, convertimini ad me .... libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus: converte nos Domine, & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri fatemur.*

2225 Secundò, ex eodem Tridentino ibid. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti operatione, atque ejus adjutorio, hominem .... pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Idem antè dixerat Arausicanum II.

2226 Tertiò, *ad errorem Pelagianorum pertinet dicere, quòd homo possit se ad gratiam præparare, absque auxilio gratiæ divinæ*, ait S. Thomas quodlib. 1. q. 2. a. 7.

2227 Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.*

2228 Sufflaminanda proinde est propositio ista Molinæ in Concord. q. 14. a. 13. disp. 7. *Liberum arbitrium, cum solo concursu naturali, elicere potest non solùm actum attritionis naturalem, id est dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum ... includat.* Contra quam propositionem judicium Congregationis de Auxiliis videri potest in Historia novissimè edita istarum Congregationum lib. 3. c. 23.

CAPUT CLXXVIII.

Contritio, post mortale commissum, est sub gravi præcepto, statim atque peccator, ad se reversus, commissum à se peccatum recogitat, ita ut graviter peccet, qui diu differt.

2229 CONtritionem esse sub præcepto, constat ex eo quòd præceptum istud resonent omnes Prophetarum, Evangeliorumque Libri. *Convertimini ad me in toto corde vestro. Pœnitentiam agite*, &c. Estque præceptum istud, tam divinum positivum, locis illis expressum, quàm naturale, quo reparare jubemur injuriam Deo per peccatum illatam, tantoque animæ nostræ malo remedium adhibere. Unde S. Thomas 3. p. q. 84. a. 7. ad 1. *de jure naturæ* esse dicit, *quòd aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantùm ad hoc quòd doleat ea fecisse, & remedium doloris quærat per aliquem modum.*

2230 Atque ex hoc, & præcedenti assertione patet, de quibusdam actibus supernaturalibus naturale dari præceptum. Cùm contritionis amorisque Dei super omnia actus totius naturæ corruptæ superet potestatem, secundùm constantem Augustini contra Pelagianos doctrinam: nec necesse sit actum quemcumque præceptum jure naturæ, in nostra esse potestate sine gratia, sed satis sit quòd in nostra sit potestate gratiam ad id præstandum necessariam à Deo obtinere.

2231 Quòd autem contritionis, seu pœnitentiæ interioris præceptum sub gravi obliget ad actum ipsius non diù differendum, communis est sententia Majorum nostrorum, Alensis, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Antonini, Argentinæ, Durandi, Richardi, Majoris, Gabrielis, Sylvestri, Petri Soto, &c. A quibus dum recessit Slaugterus, Juniores alios secutus, in laxiorem, ut videtur, abiit extremitatem, propositione 19 cap. 5. enarratam: utpote ex qua consectarium foret, actum contritionis, seu pœnitentiæ interioris, absque gravi peccato, differri posse per annum, & subinde per annos plures, dum Confessarii copia non esset.

2232 Verùm imprimis hoc asserere, non est ad majorem Dei gloriam, nec ad animarum salutem, estque contra Scripturam Eccli. 5. *non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem.* Et cap. 21. *quasi à facie colubri fuge peccatum.* Certè peccaret graviter contra charitatem erga se, qui diù retineret in sinu colubrum.

2233 Deinde ut S. Thomas ait loco citato in corp. *ex naturali ratione movetur homo ad pœnitentiam de malis quæ fecit. Id enim & charitas erga Deum exigit, & justitia, quæ postulat ut homo studeat Deo satisfacere, & ipsa misericordia ordinata* (erga seipsum) *ut homo subveniat pœnitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit, secundùm illud Prov. 14. miseros facit populos peccatum. Unde Eccli. 30. dicitur, miserere animæ tuæ placens Deo.*

2234 Ex his ergo titulis efficaciter ostenditur, quòd nec per momentum licet voluntariè stare in peccato mortali, sicut nec per momentum fovere licet colubrum, seu viperam in sinu suo. Quis enim nisi insanus, & sui immemor hoc faciat? Atqui peccatum mortale incomparabiliter magis nocet animæ, quàm viperæ morsus corpori. Tum quia peccatum mortale malorum est maximum, statusque ipsius horribilium horribilissimus, utpote in quo peccator Dei est inimicus, perditionis filius, diaboli servus. Tum quia *peccatum* (ut dicit Gregorius hom. 11. in Ezech.) *si citiùs pœnitendo non eluitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo & corrigendo noluit emendare peccatum quod fecit, incipiat peccatum peccato cumulare. Non* enim *potest contingere* (ait S. Thomas 1. 2. q. 109 a. 8.) *ut* quis *diù permaneat quin operetur secundùm convenientiam voluntatis deordinatæ à Deo, nisi citò per gratiam ad debitum ordinem reparetur.*

2235 Propterea ergo, ex misericordia erga seipsum, peccator tenetur sub gravi ad satagendum exire de misero illo statu per pœnitentiam. Ad id etiam charitas erga Deum, & justitia obligat, ut sapienter observat S. Thomas. Charitas quidem erga Deum. Quemadmodum enim contra primum maximumque divinæ charitatis mandatum est, principem in amore locum alteri quàm Deo tribuere; ita & conservare, principatum illum Deo non restituendo. Justitia quoque erga Deum ad id obligat: sicut enim qui læsit jus proximi, tenetur jus illud primâ opportunitate reparare, graviterque peccat, si diù culpâ suâ differat; ita & qui jus divinum læsit, &c. Homo verò per peccatum mortale jus divinum læsit, & graviter læsit, seipsum Deo surripiendo, diabolòque tradendo, obedientiamque divinæ legi ipsius denegando, ad quam jus strictissimum Deus habet, fundatum in strictissimo supremoque, quod in creaturas omnes, & in omnes actus nostros habet dominio. Quo jure nobis Deus præcipit, quæcumque præcipit. Neque enim præcipit ea jure supremi Legislatoris dumtaxat, sed jure supremi istius dominii. Ad quod significandum Levit. 28. & alibi frequenter, ad singula ferè legis suæ præcepta, se Dominum inculcat, dicens: *ego Dominus, ego Dominus.*

2236 Et ideò peccatum innumeris ferè Scripturæ locis *injustitia* vocatur, & *injuria* contra Deum, ut Psal. 31. *confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Ideò etiam SS. Patres peccatorem furem & latronem vocant, comparantque homini furanti fundum, vel servum alieni domini, ut Augustinus 19. Civit. 21. dicens: *justitia ea virtus est, quæ sua cuique distribuit. Quæ igitur hominis justitia est, quæ hominem ipsum à vero Deo tollit, & immundis dæmonibus subdit? Hoccine est sua cuique tribuere? An qui fundum aufert ejus, à quo emptus est, & tradit ei qui in eo nihil habet juris, injustus*

est; & *qui servum aufert dominanti Deo, à quo factus est, & malignis servit spiritibus, justus est?* Quasi dicat, minimè. Salvianus quoque l. 4. de gubern. mund. *omnis Christianorum culpa, divinitatis injuria est.* Denique cæteris omissis, sanctus Thomas Villanovanus furem & latronem vocat hominem, qui de aliquo actu suo disponit, non secundùm Dei voluntatem, nec propter Deum: *quia* (inquit) *alienum est quod prodigit.*

2237 Cùm igitur communis hac de re sententia Veterum tam solidis fulciatur argumentis, sitque haud dubiè ad majorem Dei gloriam, & ad animarum salutem: quid recentioribus Casuistis convenit ei contradicere?

Objiciunt quidem ipsi 1°. praxim fidelium, sese non accusantium de transgressione hujus præcepti.

2°. præceptum contritionis esse affirmativum; ideòque non obligare ad statim, magis quàm præceptum Confessionis.

2238 Sed nunquid hæc potiora sunt argumentis, quæ ex Scriptura, Patribus, & urgenti ratione Theologica protulimus? Levioris profectò armaturæ sunt. Unde

Ad 1. respondeo, praxim illam in indoctis ex institutionis procedere defectu; in doctis verò procedere duntaxat in sequacibus novioris opinionis. Neque enim credibile est sequaces sententiæ Veterum praxim illam sequi.

2239 Ad 2. respondeo, præceptum contritionis non esse purè affirmativum, sed aliquid includere de negativo; sicut restitutionis præceptum. De quo S. Thomas 2. 2. q. 62. a. ult. ad 1. dicit, *quòd quamvis secundùm formam sit affirmativum; implicat tamen negativum, quo prohibemur rem alienam detinere.*

2240 Non ideò tamen negamus, in hoc, sicut in aliis præceptis, dari materiæ seu temporis parvitatem, à novo mortali excusantem. Tametsi enim sub gravi obliget ad *statim*; ly *statim* moraliter accipiendum est, cum aliqua latitudine, ita scilicet ut, attento rei momento, diù non differatur.

2241 Ad id quod additur in objectione, de præcepto Confessionis, quòd non obligat ad statim, respondeo 1°. cum S. Thoma esse disparitatem, quòd præceptum Confessionis, secundùm se, sit purè affirmativum: secùs præceptum contritionis. 2°. præceptum quidem Confessionis, per se, & ratione sui, non obligare ad statim: quia per se est purè affirmativum, & per se fieri potest, ut statim Deo quis per contritionem perfectam reconcilietur: per accidens tamen, & ratione reconciliationis cum Deo, attentâ difficultate magnâ eliciendi actum perfectæ contritionis, paucitateque eorum, qui per eam ante Confessionem reconciliantur; videtur mihi Confessio statim, id est primâ datâ opportunitate necessariò facienda. Si enim filius tenetur statim reconciliari patri suo, & frater fratri à se offenso, juxta illud Matth. 5. *si offers munus tuum ad altare*, &c. quantò magis peccator Deo? cùm status inimicitiæ cum Deo tam horribilis sit, tantorumque malorum incursioni, tantorum bonorum privationi obnoxius, ut qui oblatam primam reconciliationis opportunitatem negligit, divinam amicitiam parvifacere videatur, in cujusque inimicitia, cum miseria sua maxima, voluntariè permanere. Quemadmodùm fidem parvifacere censetur, qui eam, voluntariè amissam, primâ opportunitate redintegrare non curat. Sicut ergo iste ad id tenetur; ita & ille. Atque ita docent Guilielmus Parisiensis, & Alexander de Ales.

2242 Nec contrarius est S. Thomas Supplem. q. 6. a. 5. utpote cujus contextus manifestare videtur, eam (quam ibi tradit) doctrinam, procedere de obligatione præcepti Confessionis per se & ratione sui. Unde & tota ratio ipsius est, *quia præcepta affirmativa non obligant ad statim.* Quod ultrò fatemur, affertam obligationem haud fundantes in præcepto ipso affirmativo Confessionis; sed in præcepto reconciliandi se cum Deo: quod ita affirmativum est secundùm formam, ut implicet negativum (prout præceptum contritionis) quo in Dei inimicitia prohibemur voluntariè permanere.

Siquis replicet, hoc dato, non esse cur præceptum Confessionis ab Ecclesia determinatum sit ad semel in anno. 2243

Respondeo negando assumptum: quia illâ Ecclesiæ determinatione præscribitur tempus, quo præceptum Confessionis obligat per se, sicque determinatur Confessionem ultra annum non differendam, ut nihil determinetur de tempore, quo Confessionis præceptum obligat per accidens, ratione necessitatis reconciliandi se cum Deo.

CAPUT CLXXIX.

De singulis peccatis mortalibus necessaria est contritio perfecta, vel imperfecta. Non tamen necesse est quòd pro numero peccatorum sit numerus contritionum; sed sufficit unus contritionis motus, ex motivo omnibus communi ad omnia (virtualiter saltem) se extendens.

POsterioris partis ratio est, quia nec Scriptura, nec Concilia, nec Patres ampliùs requirunt. 2244

Prioris verò partis, quòd utique de singulis mortalibus necessaria sit contritio, ad omnia saltem virtualiter se extendens, ratio est, partim quia unum mortale sine alio remitti non potest. Partim quia nullum mortale remitti potest, quamdiù perseverat affectus ad ipsum. Perseverat autem, quamdiù per debitam contritionem legitimè non retractatur.

Declaratur: in quolibet mortali tria sunt, videlicet macula peccati, reatus culpæ, reatus pœnæ. Macula quidem: sicut enim (juxta Augustinum) sordescit aliquid, cùm inferiori miscetur naturæ (quia etiam de puro argento sordescit aurum) ita *sordes animi sunt amor quarumcumque rerum præter Deum.* Qui amor cùm insit omni peccato, etiam veniali; hæc macula locum habet in omni peccato. Sed in mortali alia est specialis macula, privatio utique gratiæ sanctificantis, quæ animæ decor est. Quæ profectò macula per solam extrinsecam peccati condonationem tolli nequit; sed per contritionem, Deique super omnia amorem dispositivè tollitur; formaliter autem per gratiæ sanctificantis infusionem, seu Spiritum sanctum inhabitantem. Prior verò macula, in inordinato creaturarum amore consistens, tolli nequit nisi per contrarium Dei vel justitiæ amorem, vel contritionem inde procedentem, per quam amor ille retractatur. 2245

Et quamvis reatus culpæ, seu offensa Dei, injuriaque Deo per peccatum illata, spectatâ solâ Dei potentiâ, per solam extrinsecam Dei condonationem, absque ullo contritionis seu pœnitentiæ motu, divinitùs remitti fortasse queat (quare enim injurias sibi illatas, non pœnitentibus sic remittere non posset, qui omnia potest?) spectatâ tamen regulâ divinæ æquitatis & incommutabilis justitiæ, cùm convenienter fieri nequeat, à Deo fieri non potest. Quia nullum inconveniens, quàmlibet parvum, à Deo fieri potest. 2246

Idem est proportionaliter de reatu pœnæ, quem licèt Deus, spectatâ solâ potentiâ suâ, absque 2247

ulla

ulla pœnitentia remittere queat; non tamen ſpectatâ juſtitiâ ſuâ. Neque enim Deus eſt omnipotens, niſi omnipotentiâ juſtâ, omnipotentiâ clementi, &c. Ideòque to. 1. de Deo, diſtinct. 10. n. 123. probavi, quòd Deus jure ſupremi ſui in creaturas dominii, creaturam innocentem æterno nequeat addicere igni. Neque enim Deo tribuere debemus ſupremum in creaturas dominium, ab æquitate, juſtitia, clementia, aliiſque divinis attributis ſeparatum, ſed ſupremum dominium, æquum, juſtum, clemens, &c. Creaturam verò innocentem æterno igni addicere, eſt contra regulam ſupremæ æquitatis, juſtitiæ, clementiæ, &c.

CAPUT CLXXX.

Neceſſe non eſt quòd contritio præcedat Confeſſionem; ſed ſufficit quòd præcedat, vel comitetur abſolutionem.

2248 EST communis ſententia, tametſi contradicentes habeat Ferdinandum de Caſtro-Palao, Cominck, &c. Et probatur 1°. ex communi ſenſu fidelium, communi conſenſu Doctorum, communique praxi Confeſſariorum, qui ſolliciti eſſe non ſolent de eo quòd contritio præcedat, ſed ſolùm quòd præcedat, vel comitetur abſolutionem. Peractâ namque confeſſione, demùm excitant pœnitentes ad contritionem; quâ tunc elicitâ, Confeſſarioque ſignificatâ, ſtatim abſolvunt. Iſtamque praxim confirmat veteris Eccleſiæ praxis, ſecundùm quam primò recipiebatur peccatorum confeſſio; deinde pœnitentes jubebantur variis pietatis exercitiis, pœnitentiæque operibus contritionem ſibi procurare. Ac tandem ſine nova confeſſione abſolvebantur. Videri poteſt D. Nicole Inſtruct. 4. de pœnit. c. 23.

2249 2°. quia confeſſio doloroſa eſſe poteſt, tametſi contritio ſubſequatur ipſam, non præcedat. Cùm hoc ipſo doloroſa ſit, quo ſit intentione ſacramentalis abſolutionis debitè ſuſcipiendæ; atque adeò intentione doloris ante abſolutionem, vel ſub illa concipiendi. Per ejuſmodi namque intentionem, dolor confeſſionem concomitatur in voto, proximè exequendo.

Nec eſt ratio negandi confeſſionem ſufficienter doloroſam eſſe, per hoc quòd fiat intentione concipiendi verum dolorem, vel mediâ Confeſſarii admonitione, ſeu inſtructione concipiendum; vel à Deo impetrandum per bona opera à Confeſſario injungenda, & ante abſolutionem peragenda, ſicut fiebat prioribus Eccleſiæ ſæculis.

2250 Nec momentoſa eſt ratio quæ objicitur à nonnullis in contrarium: quòd utique confeſſio, facta abſque præcedente vel concomitante dolore, non magis ſit reconciliativa, quàm abſolutio ſic data. Cum confeſſio non ſit reconciliativa pro inſtanti quo ipſa eſt, ſicut abſolutio; ſed pro inſtanti ſubſequentis abſolutionis; ideòque ſufficiat, quòd fiat intentione eliciendi dolorem (neceſſarium ad reconciliationem) prævie, vel concomitanter ad abſolutionem.

CAPUT CLXXXI.

Momentoſæ de contritione quæſtiones reſolvuntur.

2251 QUæritur 1°. an dolor poſſit diù præcedere confeſſionem, vel abſolutionem? 2°. an novus dolor toties excitandus ſit, quoties nova impenditur abſolutio? 3°. an dolor de peccatis concipi debeat in ordine ad Sacramentum? 4°. an dolor ſemel conceptus, per lapſum ſubſequentem in peccatum, ſeu mortale, ſeu veniale, retractari cenſeatur?

Ad primum reſpondeo affirmativè cum Soto, Candido, Mæratio, & Leandro à SS. Sacram. Quia judicium ſacramentale inſtitutum eſt ad inſtar judicii forenſis, quod cenſetur moraliter unum, licèt ſententia diù poſt cauſæ diſcuſſionem proferatur. Quemadmodùm ergo in judicio forenſi præcedentia diſcuſſionis cauſæ, etiam ad plures dies, vel hebdomadas, non obſtat morali unitati judicii; ſic in judicio ſacramentali præcedentia confeſſionis, vel doloris, etiam ad plures dies, vel hebdomadas, eidem unitati non obſtat, dummodò actus iſti pœnitentis moraliter permanere cenſeantur. Cenſentur autem moraliter permanere, quamdiù neque explicitè, neque implicitè retractantur. Neque enim alia requiritur unio, ſeu moralis, ſeu phyſica, inter materiam & formam judicii ſacramentalis, quàm inter materiam & formam judicii forenſis, uti conſtat ex veteris Eccleſiæ praxi, ſecundùm quam inter confeſſionem & abſolutionem intercedebat intervallum non modici temporis, quo pœnitens (ſecundùm Canones) pœnitentiæ operibus exercebatur. Proinde *non dubitandum* (inquit Mæratius de Sacram. diſput. 2. ſect. 7.) *quin valida foret abſolutio Sacerdotis, quæ multis hebdomadibus, imò menſibus, daretur poſt auditam pœnitentis confeſſionem. Quæ quamvis tamdiù differri non ſoleat, non deſunt tamen caſus, in quibus ad aliquot dies, imò hebdomadas, differtur aliquando, & differri etiam expedit*; dummodò pœnitens adhuc cenſeatur ſe ſubjicere clavibus, in ordine ad abſolutionem, nec novo peccato, ſeu aliter, peccatorum ſuorum dolorem vel confeſſionem retractaſſe.

Hinc validum fructuoſumque eſt Pœnitentiæ 2252
Sacramentum, ſiquis præcedenti veſperâ, conſcientiâ diſcuſſâ, excitatoque de peccatis dolore, cum propoſito confitendi, ſequenti die ſine novo dolore confeſſus abſolvatur. Ita Baſſæus, aliique paſſim.

Ad ſecundum reſpondeo negativè cum Roſel- 2253
la, Petro Ledeſma, Joanne de la Cruz, & aliis, quos Diana refert p. 11. tr. 5. reſol. 21. Ratio eſt, quia idem dolor ſubſervire poteſt duplici abſolutioni: cùm ad novam abſolutionem ſufficiat nova confeſſio, prout conſtat ex communi praxi fidelium, ſacramentaliumque Judicum, qui ſine novo dolore, tametſi non ſine nova confeſſione, iteratò abſolvunt oblitos alicujus peccati mortalis, illùd paulò poſt acceptam abſolutionem ſine novo dolore confitentes. Neque fideles novum tunc dolorem elicere ſolent. Enimverò ut quid novus dolor requireretur, ſi prior moraliter adhuc perſeveret, ad peccatumque de novo confeſſum virtualiter ſaltem ſe extendat? Si dolor primò elicitus adhuc actu perſeveraret, nulli dubium, quin novæ ſufficeret abſolutioni (perquam enim abſurdum eſt aſſerere, quòd illius requiratur interruptio, quaſi continuatio abſque interruptione obſit fructuoſæ abſolutioni peccati in confeſſione obliti) pariter ergo ſufficit, ſi adhuc perſeveret virtute.

Nec quia ad novam abſolutionem nova requi- 2254
ritur confeſſio, nova pariter requiritur contritio. Diſparitas eſt enim, quòd ad novam ſententiam, etiam forenſem, nova requiratur cauſæ propoſitio, novaque rei ſubjectio. Quæ fit per novam confeſſionem, non per novam contritionem. Et ſicut ad novam ſententiam ſic in judicio forenſi nova requiritur cauſæ propoſitio, ut nova non requiratur probatio, magis quàm nova cauſa; ſic in judicio ſacramentali ſic nova requiritur confeſſio, ut nova non magis requiratur contritio (per quam pœnitens probet novâ ſe abſolutione dignum) quàm nova requiratur cauſa, ſeu novum aut diſtinctum peccatum. Ad novam proinde abſolutionem, ſicut nova ſic requiritur confeſſio, ut novum ſeu diſtinctum non requiratur peccatum, ſed ſufficiat nova confeſſio, ſive peccatorum alia

legitimè confessorum, sive peccati in confessione obliti: sic nova sic requiritur confessio, ut non requiratur nova seu distincta contritio, sed eadem contritio duplici formæ perinde subjici queat, ac idem ei subjici queat peccatum. Perinde etiam, ut eadem probatio duplici sententiæ perinde subjici potest, sicut eadem causa, dummodò nova fiat illius propositio, reique subjectio.

2255 In aliis quidem Sacramentis eadem materia proxima, v. g. eadem absolutio, unctio, &c. diversis formis subservire nequit. Sed hoc ideò, quia impossibile est, quòd eadem absolutio, unctio, &c. semel exhibita, rursum posteà exhibeatur: utpote actus transiens, nec moraliter perseverans, postquam transiit. Contritio verò moraliter perseverat, etiam postquam physicè transiit. Nec potest tamdiù præcedere formam in aliis Sacramentis, sicut contritio præcedere potest absolutionem in Sacramento Pœnitentiæ.

2256 Et vide quid sequeretur, nisi vera foret assertio nostra. Sequeretur enim quòd infirmus, post absolutionem, recordatus peccati mortalis non confessi, tametsi Confessarium revocaret, dicens, se velle & debere confiteri, si antequam novum conciperet dolorem, rationis usu privatus, cum concipere non posset, absolvi non posset. Quod videtur inconveniens.

Ad tertium respondeo cum Card. de Lugo, Reginaldo, Raslero, &c. non esse necessarium, quòd intentio suscipiendi Sacramentum, vel confitendi, sit causa movens ad dolorem, vel quòd dolor ad confessionem dirigatur per intentionem distinctam à proposito servandi mandata, seu faciendi quæ necessaria sunt ad reconciliationem cum Deo. Tum quia in hac intentione confitendi voluntas continetur. Tum quia sufficit quòd dolor ad Sacramentum referatur posteaquam conceptus est, tametsi dum conciperetur, non occurrerit memoria Sacramenti. Sufficit (inquam) quòd dolore antè concepto, nec retractato, pœnitens utatur ad suscipiendum Sacramentum. Sufficit namque dolor cum spe veniæ, & voto præstandi reliqua. Nec ampliùs requirit Tridentinum sess. 14. c. 4. ubi explicans conditiones doloris, cum Sacramento requisiti, nihil insinuat de alia intentione, quàm proximè dicta.

2257 Ad quartum respondeo 1°. dolorem semel conceptum retractari per subsequentem lapsum in mortale peccatum. Utpote per quem retractatur odium & detestatio peccati, voluntasque ampliùs non peccandi.

2258 Respondeo 2°. per lapsum subsequentem in aliquod veniale, non retractari dolorem de aliis venialibus, nec de mortalibus. Quia odium & detestatio mortalium, voluntasque ampliùs ea non committendi, stat cum voluntate committendi aliquod veniale. Sicut & dolor de uno veniali, cum non dolore, imò cum affectu aliorum venialium. Neque enim legitimus de venialibus dolor necessariò se extendere debet ad omnia venialia, & quamvis dolor de mortalibus, ut legitimus sit, ad omnia mortalia se extendere debeat, non tamen ad omnia venialia. Dolor autem conceptus de aliis venialibus tamdiù permanere censetur (saltem habitualiter, quod in præsenti sufficit) quamdiù expresè non retractatur, nec in ea quis relabitur.

CAPUT CLXXXII.

Ne venialia quidem absque perfecta vel imperfecta contritione remitti queunt, sive per Sacramenta, sive per Sacramentalia.

2259 PRimò quia ut Augustinus dicit epist. 48. *ne quemquam putes à quocumque sive magno, sive parvo peccato, ad correctionem sine pœnitentia transire posse.*

2°. ut peccator, sive magnus, sive parvus, 2260
delicti veniam consequatur, voluntatem malam, Deoque injuriosam retractare debet per pœnitentiam. Quæ in Sacramento (ut pars ejus) formalis est contritio. Extra Sacramentum, dum peccata memoriæ non occurrunt, etsi non necessariò sit contritio formalis, saltem necessariò est contritio virtualis, quâ Deo quis sic afficitur, ut si memoriæ venialia occurrerent, ea propter Deum detestaretur.

Ad hoc porrò ut contritio sufficiat ad remissio- 2261
nem venialium aliquorum, sufficere non debet ad remissionem omnium. Ad hoc etiam ut contritio sufficiat ad consequendam veniam omnium mortalium, eo ipso sufficere non debet ad remissionem venialium. Cùm eo ipso non sit retractatio affectûs ad venialia, quo retractatio est affectûs ad mortalia.

Nec contrarium probat axioma: *qui potest plus, potest & minus.* Utpote quod procedit de minori contento in illo majori; secùs si in eo nec formaliter, nec virtualiter contineatur (neque enim potens docere Theologiam, eo ipso potens est docere agriculturam) contritio autem venialium, nec formaliter, nec virtualiter continetur in contritione mortalium: cùm mortalium omnium non rarò sit contritio, quæ ne quidem sit virtualis contritio venialium.

Ex dictis collige, cum qui venialia confitetur, 2262
de iis habere debere contritionem, cum proposito emendationis; non quidem extendente se ad emendationem omnium collectivè, sed omnium distributivè, seu singulorum. Tametsi enim contritio mortalium esse debeat cum proposito vitandi omnia, tam collectivè, quàm distributivè; non sic est de venialibus. Cùm humanæ vitæ infirmitas hoc non patiatur. Ut enim S. Thom. ait 3. p. q. 87. a. 1. ad 1. *homo in gratia constitutus, potest vitare omnia mortalia, & singula. Potest etiam vitare singula venialia; sed non omnia.* Unde patet difficilem non esse de venialibus contritionem, sicut de mortalibus. Neque ex frequenti relapsu in venialia tam facilè præsumi defectum contritionis, quàm ex frequenti relapsu in mortalia. Quòd enim in confessa venialia frequenter quis relabatur, provenit ex impossibilitate vitandi omnia. Ob quam proximè dixi non esse necessarium propositum vitandi omnia, sed propositum vitandi singula, cui venialia confitens addere debet propositum majori studio vigilandi ad eorum diminutionem. Ad quam vigilantiam, seriumque constum Christiani omnes, ac præsertim Religiosi tenentur (vi obligationis seriò & sincerè tendendi ad perfectionem, proficiendique in via virtutis: in qua non proficere, juxta sanctos Patres deficere est) neque enim ad majorem in dies profectum seriò enituntur, qui peccata venialia, tamquam spiritualis profectûs impedimenta, minuere seriò & sincerè non satagunt.

Cæterùm si sola quis venialia sine ullo confitea- 2263
tur dolore, & sine ullo emendationis proposito, mortali se crimine obstringit. Quia per hoc causa est irriti Sacramenti. Quod enim Philippus Faber, Professor Patavinus, ait, irritationem Sacramenti in re levi, solùm esse veniale peccatum, admitti non potest. Quia Sacramentum reddere totaliter irritum & infructuosum, sive per indispositionem materiæ gravis, sive per indispositionem materiæ levis, non esse non potest irreverentia gravis. Quemadmodùm non esse non potest injuria gravis, totalis occisio hominis, sive ense, sive acu fiat.

Aliud esset, si quatuor dumtaxat venialia quis con- 2264
fiteretur, cum dolore sic se extendente ad tria, ut affectus remaneret ad quartum. Tunc enim Sacramentum non efficeretur totaliter irritum & infructuosum. Eò quòd equidem subjiceretur materia,

supra

supra quam validè & fructuosè caderet absolutio. Nec cum venialibus contritis unum confitens non contritum, magis reus est peccati mortalis, quàm aquæ naturali in baptismo adjiciens guttulam olei; vel commissis venialibus mendaciter superaddens veniale non commissum. Quem communis sententia Doctorum solùm accusat peccati venialis.

2265 Nec refert quòd peccati mortalis reus sit, qui inter formulas triticeas consecrandam Sacerdoti offert unicam hordeaceam. Hoc enim ideò est, quia per hoc totaliter irritum reddit unum totale Sacramentum: utpote quod in plurium formularum consecratione totuplex est (saltem in ratione cibi spiritualis) quotuplex panis, qui consecratur. Quod minimè contingit in absolutione venialium: neque enim totuplex est Sacramentum, quotuplex absolvitur veniale peccatum.

CAPUT CLXXXIII.

Ne in altero quidem sæculo, venialia absque Contritione remittuntur.

2266 VEnialia post hanc vitam subinde remitti, Scriptura, & Patres passim omnes, omnes item Doctores tradunt, ita ut prorsus singularis sit opinio cujusdam Recentioris de pœnit. disp. 3. num. 63. & seqq. aientis, venialia post hanc vitam nunquam remitti, nec unquam contingere, quòd quis è vivis excedat cum solo veniali. Quia hoc ipso mortaliter peccare censet eum, qui de veniali ante mortem non pœnitet. Quia salutem, inquit, suam hoc ipso contemnit.

2267 Siquis ab ipso scisciteur, quid in casu quo justus violentâ morte & improvisâ moriatur, vel rationis usu statim post commissum veniale privatus, in illa privatione è vivis eripiatur? Respondet, casum non cadere sub præsentem Dei providentiam, quam dicit teneri ad id impediendum.

2268 Hanc opinionem prorsus singularem, meritò dixi. Tametsi enim non defuerit, qui tempore D. Bonaventuræ dixit, cum mortaliter peccare, qui cum impœnitentia de venialibus decedit, prout Seraphicus Doctor refert in 4. dist. 21. a. 1. q. 2. simul tamen admisit casum, *quo quis præter usum liberi arbitrii decedat*, tuncque posuit, quòd peccata venialia, post hanc vitam, *delentur per gratiam, cum detestatione voluntaria*, ut ibidem videre est.

2269 Contra singularem itaque opinionem illam militant Scriptura, Patresque & Doctores omnes. Quòd enim venialia post hanc vitam quandoque remittantur, Scriptura docet Matth. 12. *Qui dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi* (ait Gregorius Magnus l. 4. Dialog. c. 39.) *quasdam culpas in hoc sæculo; quasdam verò in altero sæculo posse relaxari. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur quòd non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro* (inquit Augustinus 21. Civit. 24.) *nisi essent, quibus, etsi non in ipso, tamen remitteretur in futuro.* Ita etiam ex textu illo Evangelico arguunt Isidorus, V. Beda, Bernardus, & passim alii Patres, à quorum unanimi sensu, in sacræ Scripturæ expositione, recedere prohibent Concilia, Constantinopolitanum VI. cap. 19. & Tridentinum sess. 4.

2270 Nec sanctos illos Patres Recentior ille legitimè exponit, de remissione in altero sæculo quoad pœnam, non quoad culpam. Tum quia nulla propriè sit pœnæ remissio in altero sæculo. Tum quia remissionem culpæ, non solius pœnæ, Sanctorum illorum verba exprimunt. Sicque eos S. Thomas intellexit q. 7. de malo a. 11. ubi expressè concedit, quod idem Recentior singulariter negat, contingere scilicet casum, quo quis in solis moritur venialibus: *Quandoque contingit quòd aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium, vel in proposito venialiter peccandi, occupentur somno, vel aliquâ passione auferente usum rationis. Quibus* (sic morientibus) *manifestum est quòd in hac vita peccata venialia non dimittuntur. Et tamen propterea non impediuntur perpetuò à vita æterna; ad quam nullo modo perveniunt, nisi immunes ab omni culpa effecti. Et ideò oportet dicere, quòd remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantùm ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus, in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ; non tamen meretur absolutionem, vel diminutionem pœnæ, sicut in hac vita.* Non meretur etiam infusionem novæ gratiæ. Ob eandem rationem.

Nec verò id necesse est ad remissionem venialium: utpote quorum macula non consistit in privatione gratiæ sanctificantis. In hac tamen vita absque gratiæ infusione nunquam remittuntur. Quia vel remittuntur in Sacramento; & tunc certa est infusio gratiæ per virtutem Sacramenti. Vel extra Sacramentum, per aliquem actum meritorium; & tunc vel ille, cui remittuntur, est justus, vel non? Si justus, per omnem actum meritorium suum acquirit gratiæ augmentum. Si non est justus, sed peccator, venialia ipsi non remittuntur, nisi simul cum mortalibus. Hæc autem non remittuntur, nisi per gratiæ infusionem. 2265

Ex his 1°. sponte ruunt, quæ Scriptor ille allegat pro sua illa singulari opinione. 2°. patet quàm infundata sit asserta ab ipso obligatio sub mortali eliciendi contritionem de venialibus ante mortem, quam Becanus *severiorem*; Tannerus *apertè falsam*; Nugnus appellat *errorem in fide*. Ego (à Censuris abstinens) solùm pronuntio nullâ ratione vel authoritate fuscollatam. Neque enim homo, in mortis articulo, sine beatitudinis suæ contemptu, minùs retinere potest affectum ad veniale peccatum; quàm eum retinere possit in articulo susceptionis Sacramenti, sine contemptu Sacramenti. 2267

Nec minùs infundatam censeo obligationem, quâ divina providentia teneatur impedire, ne quis (statim post veniale) per violentam causarum liberarum, vel naturalem actionem causarum naturalium, factus amens, vel phreneticus, vel aliter rationis usu privatus, in ea privatione (demto sibi capite, vel transfixo corde) statim moriatur. Quia nullâ etiam ratione vel authoritate obligatio ista fulcitur. Eam proinde asserere, est absque ratione & authoritate miracula quotidiana fingere, sine quibus impediri nequit quotidiana illa causarum secundarum efficientia. 2268

Dicendum itaque venialia in altero sæculo remitti per actum charitatis, seu contritionis inde procedentis, quem justus in solo veniali peccato decedens, elicit statim post egressum animæ è corpore. Nec difficulter elicit anima justi, quæ à corporeis vinculis exoluta, vehementissimo amoris impetu statim fertur in Deum, longè perfectiùs tunc à se cognitum, quàm in vita. 2269

Nec tamen per actum illum amoris, seu contritionis, meretur seu gratiæ infusionem, seu pœnæ remissionem, vel diminutionem, ut antè dixi. Nec proinde in eo quidquam est contra Scripturas, Concilia & Patres; ex quibus habemus quidem, in altera vita locum non esse pœnitentiæ, quâ status hominis mutetur de malo in bonum, vel homo mutetur *quantùm ad finem, vel quantùm ad charitatem, vel gratiam* (inquit S. Thomas loco citato ad 3.) manet quippe homo in 2270

eodem gratiæ gradu, in quo moritur; *tametsi possit accidentaliter mutari, per remotionem impedimentorum ad introitum cælestis regni*, sive per remissionem venialium culparum (uti constat ex allata Christi sententia, unanimique expositione illius per sanctos Patres, & sacros Interpretes omnes) sive per solutionem pœnarum in Purgatorio, ut fides docet.

CAPUT CLXXXIV.

Confessionis sacramentalis natura, præceptumque divinum.

2276 COnfessio sacramentalis est propriorum peccatorum accusatio, legitimo Sacerdoti facta, ad eorum absolutionem virtute clavium obtinendam. Fide certum est, institutam esse à Christo, esseque necessariam jure divino. Tum quia Christus Joan. 20. dicendo, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. judiciariam Apostolis, eorumque successoribus dedit potestatem remittendi peccata. Sic enim verba ista universa Ecclesia (teste Tridentino sess. 14. c. 5.) semper intellexit, & sancti Patres, Græci & Latini, per singulas ætates unanimiter tradiderunt, ut videre est apud Bellarminum. Constat autem Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non posse. Atque adeò necesse esse, ut fideles ipsis confiteantur peccata sua, si velint ea ab ipsis per sententiam absolutionis remitti. Tum quia Tridentinum ibidem can. 6. anathema dicit neganti *Confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino.*

2277 Nec verò dici potest, Confessionem à Christo quidem institutam esse; non ut absolutè necessariam, sed ut liberam, vel ut necessariam conditionatè, si nempè fideles velint à Sacerdotibus remissionem accipere.

Contrà est enim, quòd Christus Sacerdotibus non tolùm dederit judiciariam potestatem remittendi, sed & retinendi peccata, ut videre est eodem Joannis loco. Frustranea verò esset retinendi potestas, si peccata remitti possent absque onere ea confitendi, prout patet in peccatis venialibus; quorum ideò nulla est retinendi potestas.

2278 Atque hinc intelligitur, Confessionem nedum necessariam esse, necessitate præcepti; sed & necessitate medii, in re, vel in voto, ita ut contritio, quàmlibet perfecta, vim non habeat remittendi peccata sine Sacramenti voto, prout Tridentinum declarat c. 4.

2279 Necessaria verò est fidelibus post baptismum in mortale lapsis dumtaxat, non in fidelibus necdum baptizatis. Ita Tridentinum ibidem c. 5. Eòquòd *Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus: quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt judicare?*

2280 Neque argui potest à præcepto Eucharistiæ, quo ipsi etiam infideles tenentur, ad præceptum Confessionis. Quamvis enim adulti omnes, etiam infideles, baptizari teneantur, ac deinde Eucharistiam percipere; nulli adulti ad Confessionem tenentur, nisi peccatum mortale post baptismum commiserint. Cùm hujus Sacramenti materia, sola sint peccata post baptismum commissa, prout Tridentinum docet c. 5.

2281 Multò imperitiùs contra divinum Confessionis præceptum Calvinus arguit ex facto Nectarii, Episcopi Constantinopolitani. Utpote qui secretam non abrogavit Confessionem sacramentalem, quâ ab initio Ecclesia semper usa est, & modò etiam utitur, quæque magno & unanimi sanctissimorum, antiquissimorumque Patrum consensu semper commendata fuit; sed publicam dumtaxat peccatorum occultorum Confessionem, ob secutum inde scandalum. Quam cum Tridentino c. 5. fatemur non esse præcepto divino mandatam, nec consultò humanâ lege mandari posse.

Porrò divinum Confessionis præceptum obligare baptizatos in mortale lapsos post baptismum, quamprimùm opportunitas adest, ostensum est sub finem capitis præcedentis.

CAPUT CLXXXV.

Præter divinum Confessionis præceptum, de ea quoque datur præceptum Ecclesiasticum, obligans ad Confessionem ultra annum non differendam. Cui non satisfacit, qui facit Confessionem voluntariè nullam.

PRima pars assertionis constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi præceptum istud his verbis continetur: *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere. Si quis verò id neglexerit, vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mortuus Ecclesiasticâ careat sepulturâ.* Quod confirmatum habemus in Tridentino cap. 5. & can. 8. 2283

Et isti quidem præcepto satisfacit, qui, semel in anno, quâcumque anni parte confitetur. Neque enim amplius sonant verba ista, *saltem semel in anno.* Verba tamen ista laxiùs, quàm par est, interpretari videntur, qui cum Cardinale de Lugo, Diana & aliis, scribunt eum dicto præcepto satisfacere, qui confessus primâ Januarii hujus anni 1708. differt deinde Confessionem usque ad ultimam Decembris 1709. ita ut duo integri anni, uno die dempto, licitè decurrantur, sine Confessione, nisi aliunde occurrat necessitas, v. g. ratione communionis, vel articuli mortis. Quia dùm Ecclesia confiteri præcipit, saltem semel in anno, in plano sensu videtur exigere, ut inter priorem & posteriorem Confessionem non plus temporis decurrat, quàm annus, sive spatium duodecim mensium. Ita Estius in 4. dist. 17. §. 10. cum Soto, Granado, &c. 2284

Cæterùm annuæ confessionis præceptum per se non obligat Paschali tempore, sed per accidens dumtaxat, ratione communionis, siquis sibi conscius sit peccati mortalis. Unde qui vel ob infirmitatem, vel ob aliud legitimum impedimentum, vel ob ætatis defectum, à communione excusatur, tunc confiteri non tenetur, modò alio tempore intra anni spatium confitetur. Si tamen prævideret fore, ut reliquâ anni parte confiteri non posset, teneretur prævenire. Sicut prævidens fore, ut Missam die festo audire non possit post horam nonam, vel decimam (quia v. g. nulla Missa post horam illam superesset) tenetur antè audire. Sunt quidem quibus hoc non placet apud Palaum tr. 23. p. 20. §. 2. sed assertio nostra, uti tutior, ita rationabilior est, & magis fundata. 2285

Si quæras 1°. an præcepto annuæ confessionis satisfiat per quamcumque confessionem? 2°. an isto præcepto teneantur qui non habent nisi venialia? 3°. an sæpiùs per anni circulum venialia confessus, ad confessionem peccati mortalis isto anno teneatur, si in illud circa anni terminum prolabatur? 4°. an teneatur sub initium anni subsequentis confiteri, qui intra annum non est confessus? 5°. an talis initio anni sequentis confitendo, satisfaciat pro anno præsenti & præterito? 2286

Ad 1. respondeo negativè. Quia Alexander VII. anno 1665. damnavit hanc propositionem: *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Per eam profundè non evadit pœnas, hujus præcepti transgressoribus impositas.

Ad 2. respondeo negativè cum sancto Thoma 2287

Supplem. q. 8. a. 5. ad 4. Quia (teste Tridentino c. 5) *constat nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut quisque ea peccata confiteatur, quibus se Dominum Deum mortaliter offendisse meminerit.*

2288 Nec isti tenentur comparere coram Parocho, ut ipse agnoscat vultum pecoris sui. Si enim Parochus de agnoscendo pecoris sui vultu sollicitus sit, inquirat causam omissæ confessionis, tuncque Parochianus respondeat immunem se esse à mortali. Ita noster Thomas à Jesu, Cardinalis de Lugo, &c.

2289 Ad 3. respondeo affirmativè. Quia præcepto annuæ confessionis non satisfit nisi confessione mortalium. Quam solam Ecclesia præcipit.

2290 Ad 4. respondeo affirmativè, si aliquod mortale admisit. Est communis sententia contra nonnullos. Quia (prout libro præcedenti in simili dictum est de præcepto communionis) annus per Ecclesiam non assignatur velut terminus, ultra quem obligatio non protendatur; sed velut spatium, ultra quod confessio non differatur; prout colligitur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ hujus præcepti transgressorem ab excommunicatione non absolvit, nisi priùs anno sequenti confiteatur.

2291 Ad 5. respondeo probabile esse quòd sic. Tum quia à viginti annis non confessus, non tenetur hoc anno confiteri vigesies. Igitur anno præterito non confessus, non tenetur hoc anno confiteri bis. Tum quia in circumstantiis, de quibus agimus, eadem materia necessaria confessionis, eodem tempore præcepta est duplici præcepto confessionis, præcepto scilicet anni præteriti, simul & præcepto anni præsentis. Dum autem contingit, eamdem materiam, eodem tempore, præceptam esse duplici præcepto, unâ eâdemque impletione illius regulariter satisfit utrique præcepto, uti constat in recitatione Horarum, ad quam Religiosus Sacerdos, eodem tempore obligatur ex præcepto Ecclesiæ, & præcepto Regulæ.

CAPUT CLXXXVI.

Conditiones, seu qualitates bonæ Confessionis.

2292 A S. Thoma, & Doctoribus passim, solent recenseri sexdecim, hisce versibus comprehensæ.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parêre parata.

2293 Eas ad quatuor vel quinque reducit S. Carolus Borromæus, ut nimirum sit simplex, humilis, contrita, integra, parêre parata.

Imprimis *Confessio debet esse simplex* (ait S. Antoninus 3. p. tit. 14. §. 12.) *ut dicantur præcisè peccata, cum circumstantiis suis, nec immisceantur superflua. Quod difficile est, & præcipuè idiotis, dicere peccata sua, quin addant multa superflua. Non tamen hoc habet vitiare Confessionem, ex quo dicant hâc intentione, ut declarent factum suum. Prudens tamen Confessor debet, quantùm commodè potest, hujusmodi narrationes superfluas facere resecare. Et qui indiget consolatione propter tribulationes, vel consilio propter dubia, post Confessionem factam, & absolutionem, talia dicantur, & non misceantur in Confessione; ne contritionis vim diminuant.*

2294 Secundò, debet esse *humilis*, juxta illud Eccli. 3. *Presbytero humilia animam tuam*, ita scilicet ut non excuset quis peccata sua, nec ea tribuat defectui gratiæ, tentationi diabolicæ, vel proximo, qui nos ad peccatum induxerit. Quia (ut dicitur can. *non est* 15. q. 1.) *non est quòd culpiam nostram adscribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propriâ deflexerit. Non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus. Voluntarium sibi militem elegit Christus. Voluntarium servum sibi diabolus auctionatur: neminem jugo servitutis adstrictum possidet, nisi se priùs peccatorum ære ei vendiderit.* Pulchrè etiam Author lib. de ver. & falsa pœnit. cap. 16. *sentiat* (inquit) *culpam suam, nec velit excusare, ne augeat crimen, ut Adam, cui non sufficiebat peccasse, sed ampliavit crimen culpando uxorem, & culpam transferens in Authorem.*

Tertiò, debet esse *contrita*, id est facta cum 2295
debita contritione. De qua satis actum est suprà.

Quartò, esse *parêre parata*, id est facta animo 2296
parato ad obediendum Confessario in peccatorum retentione, seu absolutionis dilatione, sicut & in pœnitentiæ injunctione, præservativorumque remediorum præscriptione, juxta illud Augustini, relati can. *consideret* de pœnit. distinct. 5. *Ponat se peccator omninò in potestate Judicis, in judicio Sacerdotis, nihil sibi reservans sui, ut omnia, eo jubente, paratus sit facere, pro reparanda animæ vita, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte; & hoc cum desiderio: quia vitam recuperat infinitam, ut Deus. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus.*

Quintò, debet esse *integra*: ut enim Triden- 2297
tinum ait c. 5. *universa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem.* Est autem duplex integritas confessionis, materialis, & formalis. Materialis, in qua omnia mortalia à baptismo, vel ab ultima confessione admissa, quoad numerum, species, & circumstantias debitas, Sacerdoti exponuntur.

Formalis, in qua sola illa mortalia declarantur; quæ post debitum examen memoriæ occurrunt, non declaratis iis, quæ vel non occurrunt, vel justa de causa omittuntur.

CAPUT CLXXXVII.

Materialis integritas Confessionis non est universim necessaria, sed sola integritas formalis.

NOn nego confessionem esse debere materiali- 2298
ter integram, per se loquendo, & quantùm moraliter possibile est (*Dominus* enim *noster Jesus Christus ..... Sacerdotes suiipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides & Judices, ad quos omnia crimina deferantur*, inquit Tridentinum loco citato) sed cum eodem Tridentino affirmo, materialem integritatem non esse universim præceptam, nec esse necessariam, dum aliqua mortalia, post debitum examen, memoriæ non occurrunt. Quia, ut idem Concilium prosequitur, *constat nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut quisque, postquam diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*

Unde valida fructuosaque est absolutio taliter 2299
confitentium, tametsi aliqua mortalia ex inculpata oblivione prætermiserint. Quia, uti Tridentinum habet citato c. 5. hæc ipsa *quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa intelliguntur*, ita ut indirectè simul cum confessis absolvantur.

Quæ tamen clavibus postmodùm subjicienda 2300
sunt, si memoriæ occurrant. Sic enim Christum instituisse scimus ex communi Ecclesiæ fidelium-que sensu, necnon ex eo quòd Alexander VII. damnaverit hanc Recentiorum quorumdam propositionem: *peccata in confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non*

tenemur in sequenti confessione aperire.

¶301 Tunc autem solùm censetur aliquis ex inculpata oblivione aliqua mortalia præterire, dum oblivio non provenit ex defectu diligentis examinis conscientiæ. Illud enim Tridentinum requirit, cùm ait: *postquam diligentiùs se excusserit, &c.* Meritò quidem: quo enim jure tenemur ad finem, tenemur ad media necessaria ad finem. Medium autem necessarium ad mortalium omnium confessionem, est diligens conscientiæ examen.

¶302 Tanta porrò requiritur examinis diligentia, quantam viri prudentes adhibere solent in gravi arduoque negotio, habitâ ratione non solùm temporis ab ultima valida confessione transacti, sed & 1°. multitudinis culparum confitendarum. 2°. negotiorum gestorum, in quibus fortè quis peccaverit. 3°. occasionum plus minúsvè frequentium, quæ ad varia peccata ipsum pertrahere potuerint. Quo fit, ut quibusdam sufficiat examen brevius, in aliis requiratur prolixius, quamvis extrema perquisitio à nemine requiratur, sed mediocris sit satis. Hîc enim, sicut alibi, est modus in rebus, atque extremitas vitanda, maximè scrupulosis, quibus nunquam satisfactum, quique tam corporis quàm animi vires in nimiis exhauriunt disquisitionibus.

¶303 Siquis verò discretum & debitum examen neglexerit, & negligentia non modica fuerit, indignè invalidèque ad Sacramentum accedit, nisi rusticitas, animique stupiditas ob incapacitatem excusset, juxta illud Cathechismi Romani p. 2. c. 5. n. 42. *Si pœnitens conscientiæ suæ latebras non satis accuratè perquisierit, cùm tamen illud in animo haberet, ut integrè omnia peccata confiteretur, nihil opus ei erit confessionem iterare .... In quo tamen animadvertendum est, ne nimis dissolutè & remissè conscientiam nostram scrutati simus, adeòque negligenter peccata admissa memoriâ repetere studuerimus, ut ne ea recordari quidem voluisse, meritò videri possimus. Id enim si factum fuerit, confessionem iterare omninò oportebit.* Nisi hunc simulque contritionis defectum prudens Confessarius, in charitate Dei, & patientia Christi, interrogando & admonendo suppleat. Ipsum quippe charitas Christi stimulare debet, ut caveat, ne duriùs excipiat pœnitentem, sive ob dictam negligentiam; sive ob ipsius stupiditatem, vel imperitiam; sive ob indiscretam malamque indolem; sive ob peccatorum multitudinem, vel gravitatem: quin potiùs charitate & patientiâ, quasi *obstetricante manu, educat colubrum tortuosum*, id est seriam eliciat contritionem integramque confessionem; præsertim à verecundis puellis, de ultima peccati verecundi specie, & complemento, non statim interrogando, sed velut per cuniculos & circuitus interrogando priùs de remotis ad illud dispositionibus, paulatim deinde ultimam speciem & consummationem attingendo. Cavendo tamen, ne pœnitentem doceat de iis quæ ignorat.

¶304 Dixi in assertione, *formalem integritatem confessionis semper esse necessariam*, id est semper esse necessariam declarationem uni eidemque Sacerdoti omnium mortalium, memoriæ occurrentium, quoad speciem, numerum, & circumstantias debitas, nisi justa aliqua causa excuset. Cùm enim ad horum omnium confessionem pœnitens omninò teneatur (juxta Tridentinum c. 5. & can. 7.) nec Sacerdos alioquí statum pœnitentis sufficienter agnoscere queat; quisquis eorum aliquid voluntariè & sine justa causa omittit, in ipsa confessione mortaliter peccat; infructuosè proinde, invalidèque confitetur.

¶305 Primò ergo pœnitens omnia mortalia confiteri debet quoad numerum. Quem si post debitam confessionem exactè non noverit, dicere debet numerum verisimilem, quàm exactè potest, addendo *plus minùs*. Quæ clausula, non ad multa, sed ad pauca se extendit (secundùm L. *hæc adjectio* de verb. signific.) nec ad ea certò, sed sub dubio; atque adeò sub dubio significat, vel paulò plus, vel paulò minùs. Unde cùm dubia, confessa ut dubia, si memoriæ postmodùm occurrant ut certa, ex posteà dicendis, confitenda sint ut certa: pœnitens, qui duodecim fornicationes commisit, & confessus est decem plùs minùs; cùm certò confessus non sit nisi fornicationes octo, si certò posteà recordetur de duodecim, debet id ut certum confiteri, saltem supplendo certam declarationem in præcedenti confessione omissam, v.g. dicendo: *in præcedenti confessione manifestavi quatuor fornicationes sub incerto, posteà memoriæ occurrunt ut certæ.* Ita Cardinalis de Lugo, Hurtadus, Bonæ-spei, Ludovicus de Scildere de princip. confe. tr. 6. n. 48. contra Petrum Ledesma, Lopez, Bonacinam, & alios.

¶306 Si pœnitens ne quidem numerum verisimilem exprimere queat, explicet consuetudinem, quàm magna & diuturna fuerit, quanto tempore meretrix v.g. se prostituerit, juxta Augustinum, seu Authorem lib. de ver. & falsæ pœnit. relatum cap. *consideret* de pœnit. dist. 5. *quantùm perseveraverit, consideret*, &c. Dicat etiam meretrix, an in magno & populoso, an in parvo infrequentique Oppido, vel loco se prostituerit? (hinc enim peccati frequentia notabiliter augetur vel minuitur) an & quoties secum ipsa peccaverit? an & quoties abortum procuraverit? an peccaverit cum personis ligatis vinculo matrimonii, vel voto castitatis? an cum patre simul & filio, vel cum pluribus fratribus? an coierit contra naturam? quoties ista perpetrare soleret in mense? quoties in hebdomada? quoties in die? ut sic, pro posse, numerum exprimat fornicationum, adulteriorum, sacrilegiorum, incestuum, & peccatorum contra naturam.

¶307 Secundò pœnitens confiteri debet omnia mortalia secundùm species suas (non physicas, sed morales) ac per consequens. Tertiò etiam eas circumstantias, *quæ speciem peccati mutant*, prout idem Concilium declarat citato c. 5.

¶308 Nec ab eo excusatur, qui speciem, vel circumstantiam specificam peccati sui confiteri nequit, nisi manifestatâ personâ complicis sui. Tunc enim in tantum exprimi debet complex, in quantum necesse est ad confessionis integritatem. Hæc est *Theologorum* præcipuorum *longè communissima sententia*, inquit Morinus lib. 1. de pœnit. c. 16. n. 10. Hæc (addo ego) doctrina Sanctorum. Ita enim S. Bernardus in Formula bonæ vitæ, dicens: *De nullo prorsus siniſtrè loquaris, nisi in confessione, & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Ita S. Thomas opusc. 33. aliàs 12. ad Lectorem Bisuntinum: *Prodere crimen alterius, & ledere famam, est peccatum, quod maximè vitandum est in confessione..... Si tamen speciem peccati exprimere* pœnitens *non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. Sed si fieri potest, debet quærere talem Confessorem, qui personam sororis penitùs non cognoscat.* Similia habet in 4. dist. 16. q. 3. ad 2. quæstiunc. 5. ad 5. Ita etiam S. Bonaventura in 4. dist. 21. 2. p. ad 1. q. 3. & to. 1. opusc. tr. de modo confitendi. Et S. Raymundus l. 3. cap. de pœnit. & remiss. §. 24. dicens: quòd *tunc non est dicendus proditor: quia non dicit ut alium prodat, vel gravet, sed ut se liberet. Quod aliàs facere non posset.* Ita quoque S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 19. & S. Thomas Villanovanus conc. in Dom. 4. Quadragesimæ, *neminem in Confessione prodas, neminem accuses, nisi peccati tui circumstantia necessariò confitenda requirat.* Idem tradunt Altisiodorensis, Henricus de Gandavo, Alexander de Ales, Durandus, Paludanus, Ger-

son, Almaïnus, Gabriel, Sylvester, Adrianus VI. Cajetanus, Rosella, Petrus & Dominicus Soto, Suarez, Coninck, Vasquez, Tannerus, quos citatos sequitur Morinus ubi suprà. Ita etiam Joannes Major in 4. distinct. 17. q. 15. Hostiensis de pœnit. & remiss. c. *omnes* num. 22.

2309 Et quidni pœnitens tunc posset & deberet complicis personam manifestare, ut peccatum suum confiteretur integrè, illudque integrè confitendo plenam suorum peccatorum remissionem consequeretur? Ne (inquis) complicem diffamet, ipsique apud Confessarium detrahat. Verùm cùm varii sint casus, in quibus homo non detrahit proximo, nec ipsum injustè diffamat, tametsi peccatum ipsius manifestet; non est cur in casu nostro, potiùs quàm in istis, proximi detractor, seu injustus diffamator habendus sit. Neque enim manifestatio peccati complicis ex tam legitima causa, detractio est, vel diffamatio injusta. Cùm inter legitimas causas nonnullæ sint minoris, vel certè non majoris momenti, quàm sit integritas Confessionis, ut constat ex dictis to. 2. circa octavum Decalogi præceptum. Et si occultum proximi peccatum consanguinei, affini, amico sine injustitia revelem, ut ab ipsis damnum avertam; quidni & Confessario, ut à propriis peccatis liberer, per integram eorum confessionem? Si denique legitima causa manifestandi Confessario peccatum occultum complicis, est sola utilitas mea, v. g. ut Confessarii consiliis, ab importunis personæ complicis suggestionibus liberer: quidni similiter legitima causa sit necessitas mea, ut peccatum meum integrè manifestem, manifestandoque integræ remissionis beneficio perfruar?

2310 Denique, ne cui dubium supersit, veteris ac modernæ Ecclesiæ praxis, decem & amplius sæculorum, apertè ostendit complicis manifestationem, in casu nostro, nec illicitam esse, nec injustam; quin potius necessariam. Modernæ quidem: quia persona à Confessario sollicitata, à SS. Pontificibus jubetur sollicitantem denuntiare. Veteris autem: quia juxta antiquos Canones Pœnitentiales, rei fornicationis, vel adulterii, vel sodomiæ, cum matre, sorore, fratre, uxore, de circumstantiis istis interrogarentur, proque circumstantiarum istarum varietate variè pœnitere juberentur, prout ex S. Basilio, Pœnitentiali Romano, Burchardo, Ivone, Concilio Triburiensi, Wormacienſi, Arvernensi, Turonensi, Moguntino, Beda, & Theodoro Cantuariensi, Morinus ostendit citato lib. 2. c. 12.

2311 Juxta sanctum tamen Antoninum loco citato, *Confessor non debet interrogare specificationem personæ, cum qua pœnitens peccavit, nisi in quantum esset circumstantia necessaria dici*; tametsi possit & debeat interrogare, dum est circumstantia ejusmodi. Quod ex multiplici capite contingere sapienter observat Hennebellus in Systemate Sacram. Pœnit. §. 7. 1°. ad integritatem confessionis, quando pœnitens aliter peccati sui speciem explicare nequit, nec adire Confessarium, cui complex, vel pœnitens ignotus sit, nec confessionem suam differre in illud tempus, vel locum, quo talem Confessarium nanciscatur. 2°. ut convenientia suggerantur media, quibus pœnitens à proxima occasione peccati liberetur. 3°. ut pœnitens doceatur, quâ ratione satisfacere possit debito charitatis vel justitiæ, quo tenetur avertere gravia mala, vel complici, vel alicui tertio, vel ipsi etiam Communitati, aut Reipublicæ imminentia.

2312 Etiamsi tamen manifestatio personæ complicis, neque ex illis causis, neque ex similibus foret circumstantia necessaria dici: si equidem foret valdè utilis, vel pœnitenti (v. g. ut consiliis & monitis Confessarii adjuvaretur contra importunas complicis suggestiones) vel complici, vel utrique, vel etiam bono communi, interrogaretque Confessarius ex charitate, non ex curiositate, volens prodesse, non obesse, licita foret interrogatio, saltem si nulla inde mala aliunde imminerent, v. g. nulla irreverentia Sacramenti, nulla vel in speciem fractio sigilli. Hæc est omnium propè Doctorum sententia, inquit Morinus loco citato c. 16. n. 9. nominatim referens Sylvestrum, Angelum, Medinam, Navarrum, & Suarez disp. 34. sect. 1. ubi ad idem profert ingentem Scholasticorum antiquorum & recentiorum turbam, præclarasque reddit hujus licentiæ rationes. Imò D. Antoninus ibidem existimat complicem licitè manifestari Confessario, solùm ut Confessarius pro complice Deum precetur, præsertim si Confessarius vir sanctus habeatur. Quod tamen minùs videtur admittendum: cùm notitia complicis necessaria non sit ad orandum pro ipso.

CAPUT CLXXXVIII.

Ad Confessionem formaliter integram, præter declarationem circumstantiarum variantium speciem, necessaria est declaratio circumstantiarum notabiliter aggravantium intra eamdem speciem.

ITa Catechismus Romanus p. 2. c. 5. n. 41. his 2313
verbis: *neque verò solùm peccata gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valdè augent.* Sic Catechismus exemplificans in furto: *siquis aureum nummum furetur, leviùs omninò peccat, quàm qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim. Hæc igitur enumeranda sunt. Quæ verò pravitatem rei magnoperè non augent, sine crimine omitti possunt.* Ita etiam S. Carolus Borromæus Actor. p. 4. de Instruct. Confessar. *Confessarius esse debet instructus, quænam sint circumstantiæ peccati mutantes speciem; quæ notabiliter aggravantes. Quia tam istæ quàm illæ circumstantiæ necessariò explicandæ sunt in confessione.* Ita denique Alensis, Richardus, Resolutus, Doctor noster Baconius, Aureolus, Major, Victoria, Cajetanus, Dominicus Sotus, Melchior Canus, Bannez, Suarez, Sanchez, Sylvius, Vincentius Baronius, Henneguierus, Bonæ-spei, aliique non pauci.

Proferuntur quidem in contrarium S. Thomas, 2314
S. Bonaventura, Albertus Magnus, aliique Veteres. Sed Vincentius Baronius disp. 2. contra Amadæum sect. 3. a. 2. §. 2. post Suarezium demonstrat, D. Thomam ab assertione nostra non dissentire, quoad circumstantias idoneas ad novum peccatum mortale constituendum: quamvis enim non constituant novum peccatum mortale formaliter; constituunt virtualiter & æquivalenter, seu æquipollenter; & *nihil refert, quid de æquipollentibus fiat.* Doctores *ex l. fin. ff. mandati.* Et fusè Gutierez l. 3. qq. practic. civilium q. 15. n. 18. De iis proindè circumstantiis, speciem minimè mutantibus, loquitur S. Thomas, quæ novum mortale peccatum nec formaliter, nec æquipollenter constituunt. Eodemque sensu loqui censentur Albertus Magnus, Bonaventura, aliique Veteres. Maximè cùm à plerisque eorum aliter sumantur voces illæ, *mutantes speciem*, quàm à Modernis accipiantur. Dicuntur enim circumstantiæ illæ mutare speciem, quæ malitiam addunt mortalem. Testis est doctissimus Molanus in Compendio Theologiæ suæ Practicæ tr. 1. c. 10. ubi sic: *sunt denique circumstantiæ aggravantes, de quibus explicandæ sunt, quæ speciem peccati mutant. .... Dicitur omnis circumstantia speciem mutare, ut Adrianus explicuit, quæ novam culpæ mortalis rationem adducit.*

2315 Dicimus ergo confitendas eas circumstantias, quæ licèt speciem peccati non mutent, augent tamen usque adeò peccatum, ut sive formaliter, sive æquipollenter addant novam malitiam mortalem.

2316 Probatur 1°. quia quando circumstantia, seu formaliter, seu æquipollenter, superaddit novam malitiam mortalem, quisquis illam omittit confiteri, æquipollenter omittit confiteri unum peccatum mortale, atque ita non magis confitetur integrè, quàm si omitteret novum formaliter peccatum confiteri. Sicut enim nihil refert, quid de æquipollentibus fiat (ut suprà dictum est) sic nihil refert, quid de æquipollentibus omittatur.

2317 Confirmatur & illustratur argumentum, quia circumstantiæ intra eamdem speciem notabiliter aggravantes peccatum mortale virtualiter & æquipollenter multiplicant. Siquidem furtum centum aureorum virtualiter & æquipollenter est centum furta, quorum singula sint unius aurei. Quemadmodùm unus idemque voluntatis actus, quo decem concupiscо personas, virtualiter & æquipollenter est decem actus, quorum singuli in singulas tendunt personas. Quod sensibiliùs appareret, si singulæ illæ personæ moraliter specie differant, quarum scilicet una sit mater, altera filia, tertia soror, quarta monialis, &c. Manifestum est enim, quòd actus unus, quo decem hujusmodi personas concupiscо, virtualiter & æquipollenter est decem actus specie diversi, quorum unus tendat in matrem, alius in filiam, tertius in sororem, quartus in monialem, &c. Unde sic argumentor: non facit confessionem formaliter integram, quisquis non confitetur quot specie personas concupierit. Similiter ergo non facit confessionem formaliter integram, quisquis non confitetur quot numero personas concupierit. Proinde ad confessionem formaliter integram tam confitenda est virtualis & æquipollens multiplicatio numerica, quàm virtualis & æquipollens multiplicatio specifica peccatorum. Quemadmodùm enim virtualis ista multiplicatio specifica confitenda est ex necessitate confitendi omnia mortalia secundùm speciem; sic virtualis illa multiplicatio numerica confitenda est ex necessitate confitendi omnia mortalia secundùm numerum. Et sicut non confitetur omnia mortalia secundùm speciem, qui non confitetur omnem speciem, seu formaliter, seu virtualiter & æquipollenter talem; sic non confitetur omnia mortalia secundùm numerum, qui non confitetur omnem numerum, seu formaliter, seu virtualiter & æquipollenter talem.

2318 Probatur 2°. quia eædem rationes, quæ (Judice Tridentino) probant necessitatem confitendi circumstantias speciem mutantes, pariter probant necessitatem confitendi circumstantias notabiliter intra eamdem speciem aggravantes. Inde enim Tridentinum sess. 14. c. 5. probat, *eas circumstantias in confessione esse explicandas, quæ speciem peccati mutant: eò quòd* (inquit) *sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere.* Inde (inquam) Tridentinum probat, circumstantias speciem mutantes, ex voluntate & institutione Christi esse necessariò confitendas. Ex iisdem quoque rationibus probat, *oportere à pœnitentibus recenseri omnia peccata mortalia, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa:* quia *nonnunquam animam gravius sauciant, quàm quæ in manifesto committuntur.* Itaque nisi peccatorum gravitas Sacerdotibus innotescat, de peccatorum gravitate rectè censere non possunt, *neque æquitatem in pœnis injungendis servare.* Sicut eam servare non possunt forenses Judices, incognitâ criminum gravitate.

Istæ ergo sunt rationes, ob quas occultissima peccata, & circumstantias speciem mutantes, ex Christi voluntate & institutione oportet confiteri. Quia Sacramentum Pœnitentiæ Christus instituit per modum sacramentalis judicii, ad normam forensis judicii, in quo sicut Judex nequit judicium ferre incognitâ causâ, nec de gravitate criminum rectè censere, nec æquitatem in pœnis injungendis servare, nisi causa rei, cum tota sua gravitate, ipsi innotescat; ita nec Sacerdos in sacramentali judicio. 2319

Atqui istæ rationes æqualiter militant pro circumstantiis notabiliter intra eandem speciem aggravantibus, quàm pro speciem mutantibus, & peccatis occultissimis. Si ergo Tridentinum inde benè probavit circumstantias speciem mutantes, & peccata occultissima, ex Christi institutione necessariò confitenda; benè etiam probatur circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes, ex eadem Christi institutione necessariò confitendas. Vel enim probant efficaciter utrumque, vel neutrum. Cùmque natura sacramentalis judicii utrumque pariter exigat, vel ex natura sacramentalis judicii utrumque legitimè infertur, vel neutrum. 2320

Neque hoc argumentum enervari potest, dicendo, quòd in positivis legibus non valeat argumentum à pari. Neque enim à pari hîc argumentamur, ab una lege positiva ad aliam; sed argumentum nostrum, sicut & Tridentini, est ex natura sacramentalis judicii; quod cùm Christus instituerit ad normam aliorum judiciorum, quæ ut legitimè procedant, oportet causam, de qua agitur, integrè judicibus sic innotescere, ut de gravitate criminum rectè censere, pœnamque quam oportet, imponere possint: quemadmodùm ex hoc rectè infertur necessitas confitendi circumstantias speciem mutantes, peccataque etiam occultissima, ut de peccatorum gravitate rectè censere possint, &c. ita & necessitas confitendi circumstantias notabiliter intra eandem speciem aggravantes, ob eandem rationem. Maximè cùm reus in forensi judicio tam cogatur has, quàm illas circumstantias Judicibus aperire. 2321

Non potest etiam argumentum nostrum enervari, dicendo, quòd si ita esset, Tridentinum æquè unum atque alterum determinasset. Ideò enim non determinavit, quia intentum ipsius non fuit hac in re determinare controversias Scholasticorum inter se, sed controversias hæreticorum cum Catholicis. Propter hoc enim fuit congregatum, non propter illud. Controversiæ verò hæreticorum contra Catholicos in eo versabantur, quòd hæretici negarent confitenda peccata interna, si forent occulta, negarent etiam peccata externa confitenda in speciali, sed sufficere vellent ea confiteri in generali. Utrique isti errori contrariatur determinatio Concilii Tridentini, de confitendis peccatis internis, etiam occultissimis, deque confitendis omnibus mortalibus quoad speciem, numerum, & circumstantias speciem mutantes. Nec ad confutandos errores illos opus fuit, ut quæstionem nostram determinaret. 2322

Tertium pro assertione argumentum petitur ex eo, quòd quamvis Tridentinum quæstionem præsentem definitivè non determinaverit, ei tamen plurimùm favit, non solùm eas afferendo rationes pro necessitate confitendi circumstantias speciem mutantes, quæ æqualiter militant pro necessitate confitendi notabiliter intra eamdem speciem aggravantes: verùm etiam dum citato c. 5. dixit, necessariam esse mortalium omnium *apertam & verecundam confessionem.* Neque enim aperta & verecunda est confessio, in qua malitia 2323

longè gravior reticetur, solùm expressâ longè leviore. At verò sæpè contingit, malitiam circumstantiæ aggravantis intra eandem speciem, longè graviorem esse illâ quæ mutat speciem. Si ergo aperta & verecunda confessio requirit confessionem hujus, multò magis illius. Ratio namque, ob quam facienda est aperta verecundaque confessio peccatorum, non tam species est, quàm gravitas malitiæ: utpote quâ deficiente, ne ipsa quidem malitiæ species confitenda est. Et si de mente Tridentini non solùm confitenda sunt peccata externa & manifesta, verùm etiam interna, etiam occultissima, *quia nonnunquam graviùs fauciant iis quæ in aperto fiunt.* Igitur de mente ejusdem non solùm confitendæ sunt circumstantiæ mutantes speciem, verùm etiam notabiliter intra eandem speciem aggravantes, quia nonnunquam graviùs fauciant iis quæ speciem mutant. Ubi enim eadem ratio legis, eadem lex. Unde Melchior Canus ait, metaphysicam esse intentionem, exigere confessionem circumstantiarum mutantium speciem, & non earum quæ malitiam plerùmque longè graviorem reddunt, non mutatâ specie, quàm illæ quæ speciem mutant.

2324 Quartum denique argumentum petitur ex absurdis consequentibus ex oppositâ sententia. Utpote ex qua sequitur, integrè, apertè, & verecundè confiteri, 1°. eum qui postquam uno ictu occidit decem, solùm dicit: *semel homicidavi.* 2°. postquam uno voluntatis actu voluit occidere centum, vel adulterari, aut fornicari cum centum, solùm dicit: *semel habui voluntatem homicidandi, adulterandi, fornicandi.* 3°. postquam uno consilio induxit centum personas ad adulterandum, fornicandum, homicidandum, blasphemandum, maledicendum, furandum, &c. solùm dicit: *semel induxi ad adulterandum, fornicandum*, &c. 4°. postquam rem habuit cum matre, filia, sorore (in sententia quæ gradus omnes consanguinitatis, ac per consequens omnes incestus ponit ejusdem speciei) solùm dicit: *commisi incestum.* 5°. postquam rem habuit cum Sacerdote Religioso, solùm dicit: *rem habui cum homine ligato voto castitatis.* 6°. postquam statuit toto anno non jejunare, vel Sacrum non audire, vel Horas non recitare, solùm dicit: *semel habui voluntatem non jejunandi, vel Sacrum non audiendi, vel Horas non recitandi.* 7°. postquam totâ nocte tactus & aspectus turpes habuit cum femina, & sub finem noctis semel tantum cum ea rem habuit, solùm dicit: *semel habui rem cum femina.* Et alia ejusmodi, quæ licèt novioribus quibusdam Casuistis non videantur absurda, communi tamen fidelium sensui absurda videntur. Et verò in hujusmodi rebus indoctum vulgus melius plerùmque sapit, quàm noviores illi Theologi. Egregia quippe confessionis integritas, & intima verecundia, dùm præcipua peccati gravitas reticetur, leviore dumtaxat manifestatâ.

Solvuntur objectiones.

2325 OBjicies 1°. Tridentinum loco citato tradit accuratam explicationem necessariò confitendorum, nec tamen loquitur de circumstantiis in eadem specie notabiliter aggravantibus.

Respondeo 1°. solùm tradere accuratam explicationem, quantùm necesse est ad confutandos errores hæreticorum, prout colligitur ex eo quòd explicitè non declaret, utrùm mortalia dubia sint confitenda, utrùm ad integritatem confessionis manifestanda sit persona complicis, &c.

2326 Respondeo 2°. licèt explicitè non loquatur de circumstantiis in eadem specie aggravantibus; loquitur implicitè, uti vidimus n. 2328.

2327 Objicies 2°. assertio nostra fideles, etiam peritiores, innumeris exponit periculis, circa valorem suæ confessionis. Cùm difficulter scire possint quæ circumstantiæ notabiliter aggravent.

Respondeo negando antecedens. Neque enim asserimus, eas necessariò confitendas necessitate Sacramenti; sed necessitate præcepti, tunc solùm obligantis, quando circumstantiarum illarum notabilitas dignoscitur, vel de ea rationabiliter dubitatur.

Objicies 3°. circumstantiæ se tenentes ex parte actûs, ut duratio, intensio, libertas, &c. sunt cognitu valdè difficiles. Neque enim stateram habemus, quâ metiri possimus actuum nostrorum intensionem, & ne ipse quidem Confessarius scire potest, quænam præcisè intensio, vel duratio affectûs notabiliter aggravet mortale peccatum. Propter hoc argumentum plerique excipiunt circumstantias se tenentes ex parte actûs, quarum (inquiunt) confessionem Christus ideò non exigit, ne alioqui pœnitentes innumerabilibus scrupulis & anxietatibus expositi sint. Et ideò vix ullus Confessarius interrogat de intensione affectûs, &c. 2328

Respondeo aliquas ex iis facilè cognoscibiles esse, ut durationem, si fuerit valdè notabilis. Et ideò prudentes Confessarios interrogare diuturnitatem actûs, v. g. quamdiù duraverit odium proximi, quamdiù peccator hæserit in cogitatione morosa, in prava concupiscentia, &c. Quantùm ad intensionem & libertatem, de ea rariùs interrogant, quia frequenter non sunt circumstantiæ notabiliter aggravantes, & quia intensionem vix percipimus, nisi in actu externo causaverit operandi modum notabiliter extraordinarium, ut siquis occisum inimicum multoties post mortem confoderit, vel de eo voluntatem habuerit. Quo casu confitenda est, confitenturque timorati. Ita Gabriel, Marsilius, Toletus, Sylvius, &c.

Objicies 4°. qui multis tactibus & aspectibus ante fornicationem inforduit, unius fornicationis confessione satisfacit, tametsi malitia fornicationis per tactus illos & aspectus notabiliter aggravetur; utpote quorum singuli seorsim forent peccata mortalia. 2329

Respondeo hoc ideò esse, quia ex confessione fornicationis Confessarius à communiter accidentibus eos satis intelligit. Si tamen notabile quidpiam in iis accidisset præter ordinarium modum, exprimi deberet; ut siquis totâ nocte in tactibus & aspectibus feminæ consumptâ, semel dumtaxat cum ea sub finem noctis fornicatus esset. Neque enim satisfaceret dicendo: *semel fornicatus sum.*

CAPUT CLXXXIX.

Ad hoc ut Confessio formaliter integra sit, peccata dubia necessariò confitenda sunt ut dubia.

PEccatum dupliciter potest esse dubium, positivè & negativè. *Positivè*, quando probabiles ob conjecturas probabiliter judicat quis se peccasse; quamvis non sine probabili formidine de opposito. *Negativè*, quando intellectus hinc inde suspensus hæsitat, ob conjecturas hinc inde æqualiter probabiles, ita ut non magis judicet se peccasse, quàm non peccasse. Unde negativè dubium hîc non est illud, de quo nulla vel levis est ratio dubitandi; cùm dubium, quod sine ulla, vel nonnisi cum levi ratione procedit, moraliter non mereatur rationem dubii, sed scrupuli. 2330

Porrò tripliciter peccatum esse potest negativè dubium. 1°. quoad substantiam, quando aliquis dubitat, an illud commiserit. 2°. quoad qualitatem, quando dubitat de peccato commisso, an sit mortale. 3°. quoad confessionem, quando dubitat an illud confessus fuerit. 2331

Peccata itaque positivè dubia, quæ quis probabiliter, etsi non absque probabili formidine oppositi, 2332

judicat sese commisisse, & esse mortalia quæ commisit, confitenda sunt. Quia confitenda sunt mortalia omnia, quorum est conscientia & memoria, juxta Tridentinum sæpè citatum. Ejusmodi verò dubiorum est conscientia & memoria, si non scientifica, saltem quæ communi Theologorum, imò & Canonum sensu & usu, venit nomine conscientiæ & memoriæ. Utpote quam Theologi dividere solent in certam, & probabilem seu opinativam. Et de qua cap. *inquisitioni* de sent. excommun. dicitur quòd *conscientia quandoque pulset animum ex credulitate probabili, quamvis non evidenti & manifesta.*

2333 Quantùm ad peccata negativè dubia (quæ sola propriè dubia sunt) sententiam Lutheri, negantem esse confitenda, nuper suscitare conatus est Caramuel post Henriquez, Coninck, Marchantium, Martinonum, Theses anno 1698. in Collegio Anglicano Soc. Jesu Præside R. P. Eduardo Slaughero defensas conclus. 46. his verbis: *Videtur colligi ex Tridentino, quòd non desit stricta obligatio confitendi illa quæ post sufficiens examen dubia manent.* At confitenda esse, utrovis ex tribus modis assignatis negativè dubia sint, communis sententia est S. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Antonini, Paludani, Sylvestri, Angeli, aliorumque Veterum, tanto agmine, ut Farvacius in sua Disquisitione Theolog. de confessione peccatorum dubiorum c. 4. §. 2. testetur se Scriptorum superioris ætatis hac de re sententiam accuratissimè investigasse, neminemque reperisse, qui nostræ non sit sententiæ. Quam & sanctorum Patrum esse sententiam, non est (inquit) quòd ambigamus. Cùm (teste Morino, solertissimo eorum indagatore) *sancti Patres nostri, mille & centum annorum spatio, in eo tantùm laboraverunt, ut Sacerdotes docerent, in casu dubio, securiorem partem semper esse eligendam.* Ideòque multorum Conciliorum ac Patrum declaratio sit, confecrari debere Ecclesiam, de cujus consecratione hæsitatur; confirmandum esse, de cujus confirmatione dubium est, &c. *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat*, inquit Gregorius lib. 11. epist...

2334 Probatur itaque assertio 1°. ex communi doctrina Patrum, Theologorumque propè omnium.

2335 2°. ex communi praxi menteque Ecclesiæ, quam invitus Caramuel esse fatetur de confitendis peccatis dubiis, dum fatetur, illam totius Ecclesiæ praxim, *ortum habere ex eo quòd omnes hucusque Doctores ita docuerunt.* Verum est quòd ita docuerunt: tantâ utique asseverationc, ut contrariam Lutheri sententiam Bellarminus lib. 3. de pœnit. c. 1. pronuntiaverit esse *non parvum errorem.* Joannes Eckius (Lutheri flagellum) l. 9. de pœnit. c. 11. *errorem in veritatem Catholicam.* Insignis Christi Martyr, Joannes Firscherus, Roffensis Episcopus, in refutatione articulorum Lutheri a. 8. *cæcum & insanum esse, qui, ob unius Lutheri sententiam, velit tanto discrimini se exponere, quatenùs ea peccata, quæ vel novit, vel dubitat esse lethalia, Sacerdoti non aperiat.*

2336 3°. ex damnatione articuli 8. Lutheri per Leonem X. *Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia. Sed nec omnia mortalia. Quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solùm manifestè mortalia confitebantur.* Falsum ergo Leo X. declarat, quòd *solùm manifestè mortalia confitebantur.*

2337 4°. ex Tridentino, declarante obligationem confitendi omnia mortalia, *quorum habetur conscientia*, seu *memoria.* Cujus nomine solam non intelligi notitiam scientificam, verùm & probabilem, & dubiam, manifestum est ex Jure Canonico. Nam in cap. *petitio* de homicidio, Sacerdoti qui in prælio justo aliquos percusserat, deque morte alicujus subsecuta dubius erat, dicit Pontifex: *si de interfectione cujusquam in illo conflictu, tua conscientia te remordeat, à ministerio altaris abstinebis reverenter. Cùm sit consultius in hujusmodi dubio abstinere.*

2338 5°. ex eo quòd pœnitens esse debeat paratus facere pro anima sua, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte, vel recuperanda corporali salute, uti dicit Author lib. de ver. & fals. pœnit. apud Augustinum. Pro vitanda verò corporis morte, vel etiam recuperanda salute, Medico exponuntur mortalia vulnera, etiam dubia. Et ratio est, quia *cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium adhibeatur, quam supponatur id quod deterius est*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 6. n. 4. ad 3. quippe esse debemus prudentes in providendò rebus nostris, vel proximi, sicut & in providendo malis nostris remedio, dum de iis dubitatur. Si enim sunt, sine remedio curari non possunt. Mala verò animæ, id est mortalia peccata, sine Confessionis remedio curari non possunt. Dum ergo de iis dubitatur, providendum est de remedio ipsorum per Confessionem. Non enim sufficienter providetur per contritionem; utpote quæ prodesse nequit absque voto Confessionis. Non est autem verum & sincerum Confessionis votum, in eo qui confiteri non vult, cùm potest.

2339 6°. dubius de baptismo susceptо, tenetur sub conditione baptizari: eò quòd baptismus in re, vel in voto, necessarius sit ad salutem, necessitate medii; nec baptismi votum sufficiat, dum baptismus in re suscipi potest. Similiter ergo dubius de mortali commisso, debet sub conditione, id est sub dubio confiteri: eò quòd Confessio in re, vel in voto, necessaria sit ad remissionem mortalium, necessitate medii; nec Confessionis votum sufficiat, dum Confessio in re fieri potest.

2340 7°. denique omnia Jura clamant, quòd in dubiis via tutior est eligenda, cap. *illud* de Cler. cxcom. cap. *ad audientiam* de homicid. cap. *petitio* eod. cap. *juvenis* de sponsal. Clement. *exivi* de verb. signific. Ex quo principio, sicut dubius de irregularitate, tenetur se gerere pro irregulari, ut habetur citato cap. *ad audientiam*, & cap. *petitio*: sic dubius de mortali, tenetur se gerere ut reum illius, adeòque confiteri, saltem sub dubio.

Objectionibus itur obviam.

Objicit 1°. Caramuel: in dubio melior est conditio possidentis libertatem & innocentiam. 2341

Respondeo 1°. in casu nostro non possideri libertatem, sed vigere confitendi obligationem, uti probant septem argumenta superius deducta. Vide hac de re plura to. 1. ubi demonstratum est axioma, *in dubio melior est conditio possidentis*, non procedere extra materiam justitiæ.

2°. in eodem casu non posse præsumi innocentiam, sed debere præsumi quod tutius est, in ordine ad remedium. Cùm hoc animæ favorabilius sit.

Objicies 2°. obligatio confitendi non potest 2342
esse certior fundamento & radice, unde provenit. Sed fundamentum & radix obligationis confitendi est mortale commissum. Igitur, si hoc dubium, dubia; ac proinde nulla est obligatio confitendi.

Respondeo fundamentum certum obligationis confitendi non esse solùm mortale certum, sed mortale certum vel dubium. Sic enim Christum instituisse probant argumenta, quibus assertio nostra probata est.

Objicies 3°. in judicio forensi non admittitur 2343
accusatio dubia. Ergo nec admittenda est in judicio sacramentali.

Respondeo

Respondeo 1°. nimium inde probari, utique non esse consulendam confessionem mortalium dubiorum, nec à Sacerdote recipiendam, nec mortalia dubia absolvenda, etiam sub conditione.

2344 Respondeo 2°. negando consequentiam. Tametsi enim judicium sacramentale in multis sit ad normam judicii forensis; non tamen in omnibus. Noluit certè Christus in puncto præsenti esse ad normam illius; uti nec quoad peccata interna vel externa prorsus occulta, quæ voluit esse materiam judicii sacramentalis, licèt non sint materia judicii forensis. Et ratio disparitatis est, quia rei accusatio, in forensi judicio, tendit ad pœnam & condemnationem ipsius, ad quam requiruntur probationes certæ & manifestæ: in sacramentali verò judicio, suiipsius accusatio tendit ad absolutionem & liberationem.

2345 Objicies 4°. nulla est obligatio adimplendi votum dubium. Ergo nec confitendi peccatum dubium.

Respondeo 1°. negando antecedens, si, omnibus ritè pensatis, nullum occurrat fundamentum ad rationabiliter judicandum, votum non fuisse emissum.

2°. nego consequentiam: quia de confitendo mortali dubio probata est Christi lex & institutio. Fortasse verò nulla est positiva lex de adimplendo voto dubio. Qua de re alibi.

CAPUT CXC.

Mortalia, confessa ut dubia, si postmodum occurrant ut certa, confitenda sunt ut certa.

2346 EST adeò communis, ut Dicastillo disput. 6. dub. 2. n. 14. contrariam opinionem dicat *inauditam in Ecclesia Dei*. Quod non dixisset, si legisset Tamburinum, Pellizarium, Caramuelem, Cotonium, Leandrum, Verricellum, Martinum à S. Josepho, & Marcum Vidal, contrariæ isti opinioni adhærentes. Contra quos assertio nostra

2347 Probatur 1°. ex Tridentino, definiente quòd mortalia confitenda sint, prout sunt in conscientia. Igitur quæ nondum confessa sunt ut certa, si in conscientia pœnitentis occurrant ut certa, confitenda sunt ut certa.

2348 2°. quia sacramentalis judicii natura id requirit: cùm aliud longè sit Confessarii judicium de mortali certo, quàm de mortali dubio, aliaque pœna seu pœnitentia pro illo injungenda, quàm pro isto.

2349 Objiciunt tamen contrarii Authores, 1°. quòd confessus mortalia ut dubia, ab iis directè sit absolutus. 2°. quòd absolutus à dubia excommunicatione, licèt postmodùm occurrat ut certa, non debeat iterùm absolvi. 3°. quòd mortale confessum ut dubium, equidem clavibus subjectum sit quoad speciem, numerum, & circumstantias debitas.

2350 Verùm ad 1. respondeo, quòd ab iis absolutus sit cum onere ea postmodùm ut certa clavibus subjiciendi: quemadmodùm confessus peccatum in genere, vel in specie non infima, quod solùm in genere, vel in specie non infima occurrebat, absolutus est cum onere postmodùm illud in specie infima clavibus subjiciendi, dum taliter occurrerit.

2351 Ad 2. respondeo Ecclesiam indulsisse illud prius; sed Christum non indulsisse istud posterius. Nec in positivis ejusmodi valere argumentum à pari.

2352 Ad 3. respondeo, tametsi peccatum illud quoad speciem, numerum & circumstantias debitas clavibus subjectum fuerit ut dubium, non absolutè, & ut certò commissum.

CAPUT CXCI.

Duæ sunt causæ excusantes ab integritate materiali Confessionis: videlicet impotentia physica, & moralis.

RAtione impotentiæ physicæ excusantur 1°. laborantes naturali oblivione, vel ignorantiâ hîc & nunc invincibili. 2353

2°. muti, si per gestus, vel signa nequeant integrè declarare peccata sua.

3°. qui, inter confitendum, in tale incidunt animi deliquium, ut ultrà loqui non possint; si Confessarius absolutionem differre nequeat.

4°. extranei, quorum idioma nonnisi ex parte intelligitur à Confessario, si desit Confessarius ipsorum idioma callens, sitque necessitas absolvendi, vel etiam, secundùm aliquos, urgeat tempus præceptæ annuæ Confessionis.

5°. qui imminente naufragio, incendio, prælio, tempus non habent integrè confitendi.

6°. universim omnes, quibus vel absolutè deest tempus istud, vel respectu quorum est periculum in mora, ne absque absolutione moriantur, si integrè confiteantur. Tunc enim explicato aliquo, vel aliquibus peccatis, prout tempus tulerit, absolvi poterunt, cum onere reliqua postmodùm confitendi, si periculum evaserint. Et hoc modo absolvi possunt milites, dum periculosus instat cum hoste conflictus, præsertim inexpectatus, nec tempus ipsis permittit, seu omnibus integrè, seu singulis aliquid in specie confiteri. Tunc possunt & debent omnes & singuli simul ostendere signa doloris de peccatis, simulque omnes aliqua saltem in genere confiteri, atque hoc pacto simul absolvi in plurali dicendo: *ego vos absolvo*, &c. Ita Sylvester, Angelus, Reginaldus, Coninck, &c.

Ratione impotentiæ moralis excusatur 1°. Sacerdos, dum peccatum suum integrè confiteri non potest, absque fractione sigilli Confessionis. Cùm enim nullo modo revelare possit peccatum alterius, ex sola sacramentali Confessione notum, debet peccatum suum dimidiatè potiùs confiteri, quàm illud ullo modo, etiam indirectè revelare, si prematur necessitate confitendi, nec habeat copiam Confessarii ignoti. 2354

2°. infirmus laborans morbo contagioso, si integra Confessio ipsius à longè audiri nequit, nec propè absque periculo. Tunc enim audito uno vel altero peccato, statim absolvi potest, si grave ex diuturniore apud ipsum mora periculum imminet Confessario.

3°. infirmus valdè debilis, dum vires ipsius periclitantur in exactiori peccatorum narratione, sive id moneat infirmus ipse, sive Confessarius per se advertat.

4°. quicumque confitens, dum ex rationabili fundamento timet sibi vel Confessario notabile detrimentum, Confessioni extrinsecum, si certum peccatum confiteatur, ut puta revelationem sigilli, grave odium, sollicitationem ad turpia, grave damnum corporale, &c. Tunc enim peccatum istud (postea alteri confitendum) reticere potest, si oporteat ipsum confiteri, ratione præcepti annuæ Confessionis, vel alicujus Sacramenti administrandi, vel suscipiendi, &c. nec adsit copia alterius Confessarii. Ita Doctores passim omnes.

Quintum casum Neoterici quidam assignarunt, dum ratione solemnitatis, magnus est populi concursus, in quo respectu nonnullorum multo tempore opus sit, ad integram eorum Confessionem, cum magno aliorum pœnitentium expectantium incommodo. Eorum opinionem probabilem censet Gobat de Sacram. tr. 6. n. 479. pro casu quo multi è longinquo advenissent obtinendæ alicujus grandis indulgentiæ, Confessionem & Communionem requirentis, gratiâ. Sed opinionem istam 2355

improbabilem esse constat, ex eo quòd Innocentius XI. damnaverit hanc propositionem 59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.*

2356 Sextum casûm plerique etiam Veteres posuerunt, dum pœnitens habet casus reservatos. Censuerunt enim posse inferiori Sacerdoti declarare solos casus non reservatos, ab iisque absolvi, cum onere recurrendi ad superiorem pro casibus reservatis. Vel etiam posse superiori primùm confiteri solos casus reservatos, ab iisque solis ab ipso absolvi, & ad inferiorem pro confessione, absolutioneque non reservatorum remitti.

2357 Verùm hanc opinionem jam meritò Doctores communiter rejiciunt. Quia in posteriori casu nulla magis est in superiore potestas, etiam prætextu ordinariarum occupationum, absolvendi dimidiatè tantùm confessos; quàm in casu magni concursûs, de quo proximè. In priore verò casu nulla est in inferiore potestas absolvendi, etiam à non reservatis, propter eorum conjunctionem cum reservatis, & impotentiam absolvendi unum sine alio. Cùm enim *extra articulum mortis, Sacerdotes inferiores nihil possint in casibus reservatis*, prout Tridentinum habet sess. 14. c. 7. consequenter nihil possunt in non reservatis, propter eorum concomitantiam cum reservatis. Si enim à non reservatis tunc absolvere possent, possent aliquid in reservatis, sine quorum absolutione, nequeunt à non reservatis absolvere.

CAPUT CXCII.

Datur Confessio valida & informis, etsi non detur Pœnitentiæ Sacramentum validum & informe. Quæ in re paradoxa Neoterici cujusdam opinio confutatur.

2358 SAcramentum Pœnitentiæ dicitur à Theologis validum & informe, quando habet omnes partes suas essentiales, seu necessarias ad valorem; & tamen, propter indispositionem subjecti, non confert gratiæ effectum. Asserimus ergo non dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe. Quia ea quæ ex Christi institutione necessaria sunt ad valorem ipsius, sunt dispositio sufficiens ad effectum gratiæ consequendum (in quo Sacramentum hoc ab aliis Sacramentis differt, de quorum valore, seu essentia, non est dispositio sufficiens ad effectum ipsorum) neque enim alius dolor v. g. requisitus est ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, quàm qui requisitus est ad valorem ipsius, uti nec alia Confessio, ut patet ex Tridentino, à quo sess. 14. c. 3. non alius requiritur dolor ad peccatorum remissionem, quàm qui requiritur ad valorem tamquam materia & pars ipsius: *Sunt* (inquit) *quasi materia hujus Sacramenti pœnitentis actus, nempè contritio, confessio & satisfactio. Qui quatenùs in pœnitente ad integritatem* (id est integram constitutionem) *Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione partes pœnitentiæ dicuntur.* Ecce illi ipsi actus, qui ex Dei, seu Christi institutione, requiruntur ad integram constitutionem hujus Sacramenti, teste Tridentino, etiam requiruntur ad effectum ipsius, sive ad *plenam perfectamque peccatorum remissionem.* Unde can. 4. *Siquis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ... anathema sit.*

Nec ullibi Tridentinum ampliùs requirit in dispositione sufficiente ad effectum, quàm requirat in dispositione sufficiente ad hujus Sacramenti constitutionem. Nec sess. 6. c. 14. aliam ponit differentiam inter pœnitentiam requisitam ad remissionem peccatorum per baptismum, & pœnitentiam requisitam ad remissionem peccatorum per Pœnitentiæ Sacramentum, nisi in eo, quòd posteriori adjungi debeat confessio & satisfactio, non priori. Hoc est enim quod sibi vult, cùm dicit: *Christiani hominis pœnitentiam post lapsum, multò aliam esse à baptismali, eâque contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem*, &c. Ecce ex parte contritionis non ponit differentiam, sed solùm ex parte confessionis, &c. Quæ tam requiritur ad constitutionem, quàm ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.

Unde etiam sess. 14. c. 4. postquam definivit 2359
contritionem in genere (quam c. 3. dixerat esse partem hujus Sacramenti) *contritio est animi dolor, &c.* eam deinde dividit in perfectam, quâ peccator Deo reconciliatur priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur; & imperfectam, quam dicit disponere ad Dei gratiam in hoc Sacramento impetrandam. Eadem igitur contritio (secundùm Tridentinum) disponit ad gratiam in Sacramento impetrandam, quam proximè definivit, quæque per modum partis constituit Sacramentum. Nec ullus est Scripturæ, Conciliorum, vel Patrum locus, qui aliam contritionem exigat ad gratiæ effectum in hoc Sacramento impetrandum, quàm quæ exigitur ad hoc Sacramentum constituendum. Et idem est de confessione. Nullum est igitur fundamentum aliquid ampliùs requirendi ad effectum, quàm ad valorem hujus Sacramenti. Unde cùm ampliùs aliquid sine fundamento exigi nequeat, verum manet, quòd eadem contritio & confessio, quæ sufficit ad hujus Sacramenti constitutionem, sufficit ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam. Neque ergo ex parte doloris, neque ex parte confessionis datur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

Et quomodò daretur, cùm forma hujus Sa- 2360
cramenti, absolutio utique, foret falsa, adeòque irrita & invalida, si non præstaret, quod expressè significat, remissionem utique peccatorum, quæ fit per gratiam, seu gratiæ infusionem? Et in hoc aliud elucet discrimen (præter n. 2358. allatum) inter hoc & alia Sacramenta. Neque enim alia Sacramenta expressè significant actualem peccatorum remissionem per gratiæ infusionem, sicut forma Sacramenti Pœnitentiæ; sed vel applicationem materiæ, ut in Baptismo & Confirmatione: *ego te baptizo: signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*; vel effectum à gratia separabilem, ut in Ordine, potestatem ministrandi, vel sacrificium offerendi, vel à peccatis absolvendi: vel vinculum conjugale, ut in Matrimonio: vel veniæ deprecationem, ut in extrema Unctione: *per istam sanctam unctionem paricat tibi Deus, &c.* Reliquorum proinde Sacramentorum forma non falsificatur ex hoc quòd gratiam illicò non conferant. Falsificaretur autem forma Sacramenti Pœnitentiæ: *absolvo te à peccatis tuis*, sive *remitto tibi peccata tua*, nisi per Sacramentum hoc, statim atque perfectum est, peccata de præsenti remitterentur, adeòque gratia præstaretur. Cùm forma ipsius significet remissionem de præsenti. Utigitur Sacramenti Pœnitentiæ forma sit vera, de præsenti operari debet quod expressè significat, remissionem utique peccatorum, confessionemque ad hoc sufficientem.

Et ista est S. Thomæ sententia (quidquid aliqui 2361
dixerint) utpote qui in 4. dist. 23. q. 1. a. 4. quæstiunc. 2. loquens de Extrema Unctione: *hoc* (inquit) *Sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione Ministri consequatur,*

omnibus quæ sunt de essentia Sacramenti ritè peractis; sicut character semper ex operatione Ministri consequitur *in baptismo & confirmatione, & transsubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ.* Quibus profectò verbis S. Doctor perspicuè docet, Pœnitentiæ Sacramentum semper ex operatione Ministri operari remissionem peccatorum, existente contritione, quæ est de essentia ipsius. Subintellige, existente etiam confessione, quæ pariter est de essentia; existente (inquam) confessione taliter integrâ, ut homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet. Quod ibidem dist. 17. q. 3. a. 4. quæstiunc. 2. dicit essentialiter requisitum ad validam confessionem: *de necessitate confessionis est, quòd homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet* (nisi utique adesset causa aliqua legitimè excusans) *quod si non facit, non est confessio, sed confessionis simulatio.* Neque ergo ex parte contritionis, neque ex parte confessionis S. Doctor admittit Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

2362 Non diffiteor tamen à S. Doctore Confessionem validam & informem admitti eâdem distinct. 17. q. 3. a. 4. quæstiunc. 1. ubi *confessio, secundùm quod est pars Sacramenti, potest esse in eo qui non est contritus. Quia potest peccata sua pandere Sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ se subjicere. Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum; tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est in aliis Sacramentis. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodùm fictionem illam confiteri.*

2363 Verùm aliud est confessio valida & informis, aliud Sacramentum validum & informe. Admittit quidem ibi S. Doctor partem unam Sacramenti Pœnitentiæ validam & informem, scilicet Confessionem, sed non Sacramentum validum & informe: imò nec admittit contritionem validam & informem, uti constat ex verbis ipsius numero præcedente relatis. At verò non admittendo contritionem validam & informem, admittere nequit Sacramentum validum & informe. Nec loco citato quærit S. Doctor, utrùm detur Sacramentum validum & informe, sed *utrùm confessio possit esse informis*, còque respiciunt quæcumque ibi objicit, & quæcumque ad objecta respondet.

2364 Porrò tunc confessionem admittimus validam & informem, quando quis, in ordine ad absolutionem, confitetur omnia mortalia, quæ sibi post debitum examen occurrunt, & confitetur cum defectu sufficientis contritionis, bonâ fide putans sufficientem. Tunc enim confessio (tametsi informis) invalida non est (cùm nihil ei desit requisitum ad valorem confessionis: contritio namque reipsâ sufficiens, ad fructum confessionis requiritur, non ad valorem) nec proinde apud eumdem Confessarium repetenda; sed ei solùm notificanda fictio, seu defectus contritionis (postquam innotuerit) ut absolutionem ipse repetat. Et hoc est solum quod S. Doctor intendit n. 2362. citato.

2365 Neque enim dici potest cum Carolo nostro ab Assumptione in Pentalogo suo Diaphorico pag. 16. & in Elucidatione usûs absolutionis c. 15. S. Doctorem ibi loqui de confessione scienter & voluntariè facta cum defectu doloris, atque adeò formaliter sacrilega. Quasi talis confessio non foret iteranda, taliterque confessus, etsi tunc non consequeretur absolutionis fructum, postea excitando cordis contritionem, peccatumque fictionis, id est sacrilegæ confessionis, confitendo, *præcedentis reciperet absolutionis effectum*, prout ipse censet, tribuitque S. Doctori.

Enimverò sine injuria S. Doctoris tam absona 2366
opinio ipsi tribui non potest, qui tantum tribuere solet communi Ecclesiæ sensui, opinioni illi diametraliter adversanti, non solùm in eo quod dicit, talem confessionem, qualis scienter & voluntariè sacrilegam, esse validam; sed & in eo quod addit, non obstante illo sacrilegio, validam esse absolutionem, cujus fructum licèt taliter confessus tunc non recipiat, postea recipiet, si postea conteratur, & peccatum voluntariæ fictionis, seu sacrilegii confiteatur.

Nam quòd confessio taliter facta, secundùm 2367
communem Ecclesiæ sensum, non sit valida, inde conficitur, quòd si valida foret, per eam peccator satisfaceret confessionis præcepto, sicut per validam, licèt sacrilegam susceptionem baptismi, satisfit præcepto suscipiendi baptismum. Per eam verò, secundùm communem Ecclesiæ sensum, non magis satisfit præcepto confessionis, quàm per sacrilegam communionem satisfiat præcepto communionis. Cui non satisfieri constat ex damnata per Innocentium XI. propositione 55. Sed & hanc propositionem Alexander VII. damnavit: *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Enimverò opinio, dicens per sacrilegam con- 2368
fessionem satisfieri confessionis præcepto, usque adeò adversatur communi fidelium sensui, ut eam tolerabilem non esse, pii & docti judicent. Nec mirum: neque enim credibile est, à Christo ratam validamque haberi confessionem, quâ peccator novam gravissimamque injuriam Deo infert, Sacramento sacrilegè abutendo ad novum peccatum; tuneque exigendo absolutionem, cum novo se ligamine illaqueando, se reddit absolutionis incapacem; denique mendacem (quantùm in se est) faciendo veritatem, dum ejusdem veritatis nomine absolutionem postulat, cujus incapax est & indignus.

Quòd etiam valida esse nequeat absolutio ejus, 2369
qui confessus est cum sacrilegio voluntario, demonstratur: quia hoc audire piæ aures non minùs exhorrescunt, quàm validam esse posse absolutionem ejus, qui confessus est cum voluntate actu inhærente peccatis omnibus, quæ peccator confitetur, tametsi voluntatem illam non confiteatur.

Quod licèt sit horribile dictu, admittit tamen 2370
laudatus Author, dum in sua illa Elucidatione validam censet confessionem, ac per consequens absolutionem ejus, qui solùm confitetur mortalia quæ in conscientia pœnitentis sunt per sui memoriam; licèt non confiteatur ea quæ in ea sunt per sui præsentiam, id est quæ actu committit, dum confitetur. Quod si verum esset, sequeretur, eum qui totâ vitâ confessus esset, cum actuali voluntate inhærente peccatis antè commissis, quæque, dum confitetur, in conscientia ipsius sunt per sui memoriam, tametsi omittat actualem voluntatem illam, quæ in conscientia ipsius (ut ipse loquitur) solùm est per sui præsentiam; sequeretur (inquam) eo non obstante toties quoties validè absolvi, omniumque absolutionum illarum fructum recipere in fine vitæ, si tunc omnia illa sacrilegia, cum peccatis ab ultima confessione commissis, & vero dolore confiteretur. Quis audivit horribilia talia hodie? horrescit hoc communis fidelium, ipsius etiam Ecclesiæ sensus: quia communis est, semperque fuit fidelium omnium sensus, ipsius etiam Ecclesiæ, quòd invalida sit absolutio ejus, qui volens & sciens sacrilegè confessus est sine ullo dolore: quantò magis cum voluntate actu inhærente mortalibus peccatis? Nec hîc argui potest à Baptismo ad Pœnitentiæ Sacramentum, prout ex superioribus patet, ipseque Carolus admittit, dum nobiscum fatetur, Pœnitentiæ Sacramentum

esse non posse validum & informe, licèt secùs sit de Baptismo.

2371 Quòdque ex sensu Ecclesiæ invalida sit absolutio ejus, qui sciens & volens confessus est sine dolore, & multò magis cum voluntate actu inhærente peccatis, constat ex Tridentino sess. 14. c. 6. ubi sic: *non debet pœnitens adèo sibi de sua ipsius fide abblandiri, ut, etiamsi nulla adsit contritio, aut Sacerdoti animus serìò agendi & verè absolvendi desit, putet tamen se.... verè & coram Deo absolutum.* Tam ergo (secundùm Tridentinum) invalida est absolutio non contriti, quàm absolutio sine animo serìò & verè absolvendi.

2372 Doctrinamque laudati Authoris, n. 2365. enarratam, quòd utique sine ullo dolore, atque adeò sacrilegè, sciens & volens confessus, cum talique confessione absolutus, licèt tunc non recipiat absolutionis fructum, postèa recipiet, si postèa conteratur, sacrilegiumque confiteatur, in Ecclesia hactenùs inauditam fuisse, patet 1°. quia hactenùs in Ecclesia auditum non fuit, quòd Sacramentorum forma materiam præcedere possit, v. g. forma Baptismi ablutionem, forma Confirmationis unctionem, &c. Dolor verò, seu contritio, secundùm Tridentinum, materia est, seu pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

2373 Secundò, quia in Ecclesia inauditum est, quòd confessio formaliter non integra, possit esse valida (cujus oppositum tradit S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 2. dicens: quòd confessio, formaliter non integra, *non est confessio, sed confessionis simulatio.* Oppositum etiam cum S. Thoma tradit Catechismus Romanus, tradunt & Ritualia omnia, Doctoresque omnes.) Atqui formaliter integra non est confessio illius, qui cum defectu doloris, adeòque cum sacrilegio, sciens & volens confitetur: nec sacrilegium illud confitetur, quo profectò non absolveretur. Non est (inquam) confessio formaliter integra, magis quàm confessio illius qui confitetur cum voluntate actu inhærente peccatis quæ confitetur, nec istam confitetur inhæsionem. Ut enim confessio moraliter sit integra, debet esse omnium mortalium, quæ sunt in conscientia, sive per sui memoriam, sive per sui præsentiam; speculatioque illa Carolina, quòd confitenda sint quæ in conscientia sunt per sui memoriam, non quæ in conscientia sunt per sui præsentiam, sive que actu committit, dum confitetur, mera est cavillatio, & ipsa hactenùs inaudita. Cùm Tridentinum sess. 14. c. 5. declaret *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri*, non distinguendo utrùm eorum conscientiam habeant per sui memoriam, an per sui præsentiam. Denique ridiculum prorsusque inauditum est asserere, voluntariam omissionem mortalium, quæ in conscientia sunt per sui memoriam, obesse valori confessionis; secùs voluntariam omissionem eorum quæ in conscientia sunt per sui præsentiam.

2374 Tertiò, quia inauditum hactenùs fuit in Ecclesia, quòd peccatorum mortalium unum sine alio validè absolvi queat. Hoc autem laudatus Author asserit, & S. Doctori adscribit. Asserit enim, & S. Thomæ adscribit, quòd valida sit absolutio ejus qui non confitetur voluntarium defectum doloris, seu sacrilegium, cum quo sciens & volens confitetur. Manifestum est autem, defectum istum, seu sacrilegium, non confessum, validè non absolvi (etiam indirectè) nec posse absolvi, pro tempore quo actu committitur. Eo tamen non obstante, asserit cætera mortalia confessa validè absolvi. Idque S. Doctori adscribit. Absit verò à nobis, quòd tam patentes errores sancto Doctori adscribamus.

CAPUT CXCIII.

Casus invalidæ, adeòque iterandæ Confessionis. Et qualiter tunc iteranda sit.

Assertio prima: quoties confessio mortalium, 2375
legitimè non confessorum, invalida fuit, iteranda est, sive defectus valoris culpabilis fuerit, sive inculpabilis. Et sive defectus se tenuerit ex parte pœnitentis (v. g. ob voluntarium defectum doloris, voluntariamvè reticentiam alicujus peccati necessariò confitendi) sive ex parte Confessarii, ut quia non habuit jurisdictionem, vel nullum peccatum intellexit ob surditatem, somnum, distractionem, &c.

Atque ex parte quidem pœnitentis confessio ite- 2376
randa est, 1°. quoties sciens & volens, absque causa legitima, reticuit in confessione peccatum mortale, legitimè non confessum, sive quoad speciem, sive quoad numerum, sive quoad aliquam circumstantiam debitam. Nisi ob simplicitatem magnam, vel inculpatam stupiditatem, absque notabili culpa sua ignoraverit talem vel talem circumstantiam esse necessariò confitendam; vel ex conscientia erronea (errore inculpabili, vel saltem notabiliter non culpabili) bonâ fide credideritnon confitendam. Ita Doctores passim.

2°. quoties notabilem negligentiam commi- 2377
sit in discutienda conscientia sua, nisi defectum istum suppleverit charitas & patientia Confessarii. Ita Catechismus Romanus.

3°. quoties nullus extitit dolor de peccatis, 2378
aut propositum emendationis. Vel certè dolor, aut propositum non fuit ex toto corde, sed ex semiplena & semisaucia voluntate, aut ex velleitate potius quàm seria efficacique voluntate. Uti ex antedictis plerùmque contingit in consuetudinariis; in facilè & citò recidivis; atque in peccatoribus existentibus in proxima occasione, quam sub prætextibus insufficientibus nolunt deserere. Uti enim confessio iteranda est, cùm integritas ipsi defuit ex gravi culpa confitentis; ita & dum ex eadem culpa debitus dolor ipsi defuit.

Assertio secunda: si Confessio invalida apud a- 2379
lium Confessarium iteretur, omnia mortalia, secundùm numerum, species & circumstantias debitas, repetenda sunt. Cùm prior Confessio nulla fuerit, & in ordine ad diversum Confessarium perinde se habeat, ac si facta non fuisset.

At si Confessio iteretur apud eumdem Confes- 2380
sarium, adhuc memorem peccatorum sibi confessorum (licèt invalidè) necesse non est omnia distinctè repetere, sed sufficit generaliter hoc modo: *accuso me de omnibus peccatis, quæ tibi invalidè confessus sum, & insuper de sacrilegio in illa Confessione commisso* (si scienter, vel ex negligentia graviter culpabili, seu alia gravi culpa; illud commiserit) addendo tamen distinctè peccata omissa, si quæ tunc omiserit. Ita Doctores communiter.

Pro coronide sciat Confessarius, ex plurimorum 2381
sententia fieri posse, quòd aliqua Confessio invalida fuerit (defectu integritatis vel doloris) non ideò tamen confessiones omnes sequentes, in quibus iste defectus manifestatus non fuit, invalidæ fuerunt. Cùm fieri possit, ut omissio ista in Confessionibus sequentibus contigerit ex oblivione, vel inadvertentia hîc & nunc non culpabili, saltem graviter. Quo casu necesse non erit repetere confessiones omnes intermedias, sed illam solam præcedentem invalidam, modo dicto. Ita Cardinalis de Lugo hîc n. 599.

CAPUT CXCIV.

Confessio ore, seu voce humanâ, regulariter fieri

debet, tametsi hoc non sit de necessitate Sacramenti.

2382 QUòd hoc non sit de necessitate Sacramenti, communis est & certa Theologorum sententia, patetque in mutis & moribundis, quorum confessionem per nutus & signa Ecclesia admittit, dum ore confiteri non possunt. Et ratio est, quia legitima sui accusatio per quæcumque signa sensibilia in necessitate fieri potest. Unde in Concilio Arausicano can. 12. & Cartaginensi III. c. 3. absolvendus decernitur ægrotus, voce destitutus, si nutibus confiteatur.

2383 Quòd autem confessio ore regulariter fieri debeat, constat ex Florentino, ubi materia hujus Sacramenti declaratur *oris confessio*, non ad significandum quòd id sit de necessitate Sacramenti, sed saltem de necessitate præcepti, dum fieri potest. De quo etiam constat ex generali Ecclesiæ consuetudine, quæ ex communi sensu Doctorum habet vim legis. Videri potest S. Thomas quodlib. 1. a. 10. ubi docet, regulariter non esse licitum, aliter quàm ore confiteri. Ad quod præfigurandum, *præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus; docens corporali præsentiâ confitenda peccata, non per nuntium, non per scripturam manifestanda*, uti dicitur can. *quem pœnitet* de pœnit. distinct. 1.

2384 An autem præceptum illud, vel consuetudo, graviter obliget? Solùm obligare sub veniali centent Sotus, Ledesma, Benzonius, Villalobos. Econtrà Toletus, Valentia, Suarez, Vasquez & Cardinalis de Lugo, probabiliùs censent obligare sub mortali, nisi rationabilis causa excuset.

2385 Porrò rationabilem causam excusare censet Benzonius de fuga pestis q. 5. dum (ob nimiam verecundiam) ingentem quis difficultatem sentit in confitendo vocaliter. Quod non rarò in puellis accidit. Idque probat exemplo SS. Basilii & Joannis Eleemosynarii, qui mulieribus, nimiam verecundiam sentientibus in confitendo vocaliter, mandarunt (prout ipse refert) peccata sua scribere in charta. Quâ lectâ, eas absolverunt. Hanc etiam causam, ut rationabilem, admittunt Vasquez, Suarez, Layman, Bonacina, & alii apud Castro Palao puncto 8.

2386 Minor esset difficultas in praxi istius opinionis, si verecunda puella, peccata sua scriberet in charta, eamque legendam Confessario tradens, eâ à Confessario lectâ, vocaliter subjungeret: *de his omnibus me accuso.* Quia generalis ista accusatio, ore facta, in talibus circumstantiis, æquivaleret specificæ & distinctæ, quoad numerum, speciem & circumstantias debitas, distinctamque Confessario peccatorum omnium notitiam perinde excitaret, ac in casu, quo Sacerdoti, memoriam habenti peccatorum, aliàs invalidè confessorum, generaliter quis diceret: *accuso me de peccatis tibi anteà confessis.* Cujusmodi confessionem ut excusabilem admittunt Cardinalis de Lugo disput. 15. n. 84. Palao loco citato n. 8. & alii. Tametsi Vasquez videatur contrà sentire.

2387 Præterea etsi inordinatum foret (sepositâ causâ rationabiliter excusante) nutibus velle confiteri. Probabile tamen est, in casu magnæ verecundiæ, in aperiendo vocaliter determinato aliquo peccato, dum reliquorum peccatorum confessio ore fieret, Confessarium dissimulare posse cum pœnitente, si ipsum de peccato illo interrogando, pœnitens, nutu tantùm, illud se fecisse fateretur, ratione maximi pudoris in quo versaretur. Verùm prudenti Confessario difficile non videtur tunc obtinere, ut verbo dicat quòd sic.

2388 Quoad moribundorum confessionem, Rituale Romanum sic habet: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægro deficiant, nutibus & signis conetur Sacerdos quoad poterit peccata pœnitentis cognoscere. Quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium vel per se, vel per alium ostenderit, absolvendus est.*

Cæterùm qui voce non potest, haud dubiè nu- 2388
tibus confiteri tenetur, non solùm in mortis articulo, sed & extra illum. Scripto autem non teneri putant Castro-Palao n. 11. & plerique alii apud ipsum. Eò quòd scriptura sit instrumentum permanens, publicationi de se obnoxium.

Sed vera est contraria sententia Paludani, Ma- 2390
joris, Sylvestri, Suarez, Cardinalis de Lugo, &c. Quia, cùm modus iste confitendi non sit nimiùm difficilis, non est cur ad eum non tenearur, qui aliter integrè confiteri nequit. Neque enim scriptura instrumentum est publicationi obnoxium, moraliter loquendo, sed ad summum metaphysicè. Cùm pœnitens, lectis à Confessario peccatis, chartam recipere possit, statimque lacerare, vel comburere.

Et quamvis ex vi præcepti confessionis nullus 2391
videatur obligatus ad confitendum per interpretem, uti Recentiores communiter censent: eò quòd Christus nos non obligaverit ad declarandum peccata nostra, nisi soli Sacerdoti, absolutionis Ministro. Nihilominùs saltem ex præcepto propriæ charitatis, vel etiam reconciliandi nos Deo, (quia id sperare vix possumus per contritionem perfectam, in pauciſſimis contingentem) videmur ad id obligati, dum alioquin periculum foret nimis diù permanendi in statu mortalis peccati, & maximè in articulo mortis. Non sic tamen ut teneamur omnia peccata secundùm speciem & numerum, &c. per interpretem confiteri; sed aliquod dumtaxat, accusando nos de reliquis in generali. Cùm integra confessio solùm in obligatione esse videatur, quando moraliter fieri potest soli Sacerdoti. Ita Suarez, Vasquez, Palao, Layman, &c.

CAPUT CXCV.

Confessio inter absentes per epistolam fieri non potest.

COnstat ex can. *quem pœnitet* n. 2383. relato. 2392
Necnon ex Bulla Clementis VIII. data anno 1602. ubi sub pœna excommunicationis docetur, defendi, imprimi, vel ad praxim reduci vetat hanc propositionem: *Licet per litteras, seu internuntium, Confessario absenti peccata sua sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem peccatorum obtinere.* Quod Pontificium Decretum cùm Suarez interpretaretur in sensu copulativo, ita ut per illud Pontifex declaraverit confessionem absenti sic non posse fieri, ut etiam absolutio daretur absenti; sed non declaraverit confessionem epistolarem fieri non posse absenti, modò absolutio præsenti daretur. Hanc interpretationem Pontifex reprobavit, Successorque ipsius Paulus V. prohibuit, & Congregatio S. Officii non subsistere declaravit. Igitur nec confessio per epistolam fieri potest absenti Sacerdoti, nec à Sacerdote absente sacramentalis absolutio per epistolam dari.

Enimverò absolutio, seu forma Sacramenti Pœ- 2393
nitentiæ, non secùs ac forma Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis & Ordinis, ex communi Ecclesiæ sensu debet ore proferri, idque de necessitate Sacramenti. Pronomen verò *te*, ore prolatum à Sacerdote (dicente *absolvo te*) designat personam ad sensum præsentem, sicut pronomen *hoc*, in forma consecrationis, designat materiam ad sensum præsentem. Et ideò ne in casu quidem extremæ necessitatis

absolutionem dari posse absenti, Pontifex declaravit.

2394 Quod attinet ad confessionem, etsi de necessitate Sacramenti non debeat ore proferri, idcòque confessio epistolaris in omni casu invalida non sit: modum tamen confitendi per epistolam meritò Ecclesia prohibet, tum quia contrarius est primævo usui, & moribus Ecclesiæ. Tum quia modus ille confitendi sensim alioqui in Ecclesiam irrepturus fuisset, ob non modicam authoritatem Suarez, aliorumque Patronorum illius, non sine magno præjudicio primævæ consuetudinis, salutarisque verecundiæ, cum qua secundùm Tridentinum confiteri oportet.

2395 Si objicias 1°. S. Thomam Cantuariensem ab Alexandro III. absente petiisse & obtinuisse absolutionem. 2°. Gregorium Magnum absentibus pariter absolutionem misisse. 3°. Cyprianum epist. 13. per litteras jussisse ut, non expectatâ præsentiâ suâ, pax, id est absolutio, quibusdam in necessitate constitutis daretur. 4°. can. *generalis* 30. q. 5. dici, quòd pœnitentia adulteræ per epistolam recipienda sit.

2396 Ad 1. respondeo, S. Thomam Cantuariensem non petiisse, nec obtinuisse sacramentalem absolutionem à peccatis, sed extrasacramentalem à suspensione, quâ seipsum mulctaverat.

2397 Ad 2. respondeo, Gregorium absentibus non misisse absolutionem sacramentalem à peccatis, sed extrasacramentalem à pœnis, seu indulgentiam.

2398 Ad 3. respondeo, Cyprianum jussisse ut pax, id est absolutio, ipsis daretur, sed *per Presbyterum quemcumque præsentem*, ut ibi dicitur.

2399 Ad 4. respondeo, ibi sermonem non esse de pœnitentia sacramentali, sed de significatione seu testificatione resipiscentiæ extra Sacramentum, qualem Inquisitores ab hæreticis, per litteras hæresim abjurantibus, recipiunt.

CAPUT CXCVI.

Moribundus, qui absente Confessario confessionem petiit, si interim amissâ loquelâ, & sensuum usu, nullum in præsentia ipsius signum dare valeat, potest & debet absolvi.

2400 ITa S. Antoninus 3. p. tit. 10. c. 2. Sylvester, Tolerus, Bellarminus, & Doctores communiter contra Lopez & Sotum.

Probatur 1°. ex Concilio Cartaginensi IV. c. 7. ubi sic: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate, obmutescat, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et, si continuò moriturus credatur, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.*

2°. ex Concilio Arausicano I. can. 12. ubi idem habetur.

3°. ex Leone Papa, idem habente epist. 91.

4°. ex Rituali Romano Pauli V. idem præscribente.

5°. ex eo quòd Sacerdos tunc possit & debeat absolvere sufficienter confessum. Atqui moribundus iste pro talibus circumstantiis est sufficienter confessus. Cùm petitio illa Confessarii sit confessio quædam, saltem generalis, nec specifica requiratur in extremitate illa: utpote pro tunc impossibilis. Recole verba Ritualis Romani à Paulo V. approbati suprà n. 2388.

Satisfit objectionibus.

2401 OBjicies 1°. ibi non est confessio, ubi Confessarius non plus se cognoscit de peccatis moribundi, quàm cognoscat de peccatis cujuslibet hominis, quem in genere scit peccatorem.

Respondeo ibi esse confessionem, qualis esse potest, per eamque moribundum cognosci aliter peccatorem, quàm cognoscatur quilibet homo. Ipsum enim cognoscit ut peccatorem se accusantem in ordine ad absolutionem, per petitionem confessionis, vel per datum signum contritionis.

Objicies 2°. ex assertione sequeretur moribundum per litteras, vel internuntium confiteri 2402
posse absenti, & à Sacerdote præsente absolvi, contra Decretum Clementis VIII.

Respondeo moribundum, dum aliter non potest, sic confiteri absolvique posse. Nec id esse contra Decretum Clementis VIII. utpote qui de hoc casu interrogatus, declaravit se non intendisse eum suo Decreto comprehendere; imò eo se casu daturum absolutionem. Sic enim ex ore Pontificis se accepisse testes sunt Bellarminus, & Archiepiscopus Armacanus, qui hac de re testimonium, propriâ manu subscriptum, 16. Aprilis 1608. Lessio tradiderunt, prout ab ipsomet Lessio se accepisse Præpositus scribit ad q. 4. Supplem. n. 84. Unde licèt Decretum Clementis VIII. tam in sensu diviso, quàm in sensu copulativo, procedat pro omni casu, quo absolutio datur absenti; non procedit tamen pro omni casu, in utroque sensu, dum absolutio datur præsenti.

Objicies 3°. can. *quem pœnitet* de pœnit. dist. 2403
1. dicitur confessionem fieri debere ore proprio, non per nuntium, vel per scripturam.

Respondeo ita regulariter esse; sed necessitatis casum eodem excipi canone.

CAPUT CXCVII.

Moribundus, sensibus repentè destitutus, tametsi confessionem non petierit, nec aliud pœnitentiæ signum speciale dederit, si tamen pie & christiane vixerit, absolvi potest, & debet, saltem sub conditione.

§. I.

Multiplici authoritate ostenditur antiquitas & probabilitas assertionis nostræ, inconsideratioque nonnullorum, qui eam novam & improbabilem dicere non verentur.

REgula fidei semper fuit, absolutionem iis tantum concedendam, quos verisimile est intimus de peccatis suis pœnitere. Nunquam proinde licuit, nec jam licet, quemquam absolvere sine verisimili conjectura, quòd ipsum de peccatis suis pœniteat. Aliàs absolutio prodigeretur, Christique sanguis imprudenter, imò sacrilegè dispensaretur. Quare publici peccatores, hæretici, apostatæ, &c. qui Sacramenta non frequentarunt, quorumque vita, status, habitus, &c. nullam scelerate vitæ suæ indigitat retractationem, absque speciali aliquo signo pœnitentiæ absolvendi non sunt, ne quidem in articulo mortis. Nec de iis procedit assertio nostra; verùm de iis, qui, licèt subinde peccaverint, Sacramenta tamen frequentarunt, pro humanaque fragilitate vitam christianam duxerunt. Quos subinde contingit apoplexiâ, lethargiâ, phrenesi, vel ardenti febre subitò obmutescere, sensibusque in tantum destitui, ut nullum speciale signum pœnitentiæ edere possint. 2404

Istos ergo absolvi non posse plurimorum sententia est, & ita anno 1665. censuit Facultas Parisiensis in Censura Amadæi Guimenii, quam refert P. Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. to. 4. l. 2. q. 7. reg. 7. Ita etiam nuperrimè censet Author Theol. Mor. jussu Illustr. D. Episcopi Petrocorensis editæ to. 4. l. 2. tr. 1. c. 7. q. 10. Verùm enimverò licèt sententia ista speculativè fortasse probabilior sit, assertio nostra equidem nonnisi inconsideratè à nonnullis dicitur *nova*; à Gonet *improbabilis*; à Carolo ab Assumptione *irrationabi-* 2405

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nabilis. Quod profectò mirum: mirum (inquam) quòd Author ille fidelibus de salute sua extremè periclitantibus tam ipse severus sit, qui aliis non ita periclitantibus, tam benignus, & largus, utique consuetudinariis, assiduèque in eadem gravia relabentibus. Contra quos lubet imprimis demonstrare assertionem nostram antiquam esse, non novam. 2°. probabilem esse ab extrinseco, sive ab authoritate. 3°. probabilem quoque ab intrinseco, sive à ratione. 4°. per consequens esse praticè certam, seu certò in praxim redigendam, ita ut peccet, qui secùs fecerit.

2406 Imprimis ergo demonstratur antiquitas illius. 1°. ex eo quòd illi perspicuè suffragetur Augustinus, eamque validis rationibus probet esse practicandam, uti videbitur §. 4.

2407 2°. ex eo quòd eam, post Augustinum, tradiderit D. Antoninus in Confessionali p. 3. c. 17. eam in sententiam in Memoriali Confessorum à Gregorio XV. relatus.

2408 3°. ex eo quòd eamdem dudum expressè tradiderit Sacerdotale Romanum Venetiis anno 1560. excusum fol. 62. his verbis: *talis infirmus aut jam amisit loquelam, vel usum rationis, puta quia phreneticus, aut non? In primo casu, si benè vivebat, ut bonus fidelis, & frequentabat confessionem & communionem, & hujusmodi, quamvis non petierit Sacramenta (quia ex insperato talia acciderunt) vel, etiamsi malus & obstinatus, diù perseverans in peccatis est, & diù non confessus, si petiit Sacerdotem, ut confiteretur, ostendit se facere velle omnia quæ debet, & interea factus est mutus, vel phreneticus, & periculum est in mora; debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato..... deinde debet dari ei Eucharistia, quamvis non sit confessus.*

2409 Magnum profectò assertioni nostræ pondus accedit ex authoritate hujus Sacerdotalis (perinde ut ex authoritate Augustini, & D. Antonini) utpote cujus titulus sic habet: *Sacerdotale juxta S. Romanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum usum, ex Apostolicæ Bibliothecæ, & SS. Patrum, Jurium sanctionibus, & Ecclesiarum & Doctorum scriptis, ad optatum commodum quorumcumque Sacerdotum collectum, & omni nuper diligentiâ castigatum, ac SS. Pontificum authoritate multoties approbatum.*

2410 4°. ex Gregorio XV. qui assertionem nostram non solùm approbavit, dum esset Archiepiscopus Bononiensis, sed & à Sacerdotibus in praxim reduci voluit in Memoriali Confessorum edito Bononiæ anno 1623. c. 1. de forma Sacram. Pœnit. n. 16. ibi: *licet absolvere moribundum, etiamsi nullum pœnitentiæ signum det in præsentia Confessarii, si tamen aliquis testetur eum ostendisse confitendi desiderium. Imò, addit Sacerdotale Romanum p. 624. ex doctrina D. Antonini, posse etiam absolvi moribundum, assuetum frequentare confessionem, quamvis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit. Neque solùm potest Confessarius in his duobus casibus absolvere, sed & debet. Quia contingere potest moribundum esse tantùm attritum, unde damnetur nisi absolvatur.* Nec factus Pontifex opinionem mutavit, quin eam in suo quondam Archiepiscopatu tradi & practicari permisit. Quod non permisisset, si improbabilem censuisset.

2411 5°. ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis, editis in Synodo anni 1620. cui duodecim adfuere Doctores, Abbates undecim, Decani tres, Præpositi septem, Priores decem, Archipresbyteri decem, &c. In Statutis istis c. 21. sic habetur: *poterit quoque idem applicari remedium ei, qui judicio, omniumque sensuum usu statim captus est, non petitâ pœnitentiâ, nulloque signo contritionis edito, cùm violentiâ morbi judicatur derepentè & ex improviso præventus & oppressus, & christianè vixit, ferrique potest judicium, ex actionibus vitæ & moribus, eum libenter Pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore si tempus & violentia morbi permisissent. Licèt in hoc casu nihil de absolutionis effectu promittere possimus. Sed animarum salvandarum causâ nullum remedium omittere debemus, quod Deus potestati nostræ commisit.*

6°. ex eo quòd eandem nostram assertionem, 2412
ante annos centum, præter suprà laudatos, tradiderint Joannes Hesselius, Lovaniensis Doctor celeberrimus, in suo Catechismo p. 2. c. 55. Alphonsus Salmeron, S. J., apud Leandrum de Sacram. Pœnit. disp. 5. q. 46. Gabriel Lottherius, vir doctissimus, & P. Lupus Capucinus, apud Molfesium tr. 7. cap. 5. Jacobus Bajus l. 1. Institut. c. 91. Jacobus Janssonius apud Lessium q. 9. Supplem. n. 20. Quos subsecuti sunt Antonius de Litteratis in Summa (anno 1611. Romæ edita cum approbatione Magistri S. Palatii) p. 1. c. 35. Jacobus Gordonus disput. de Sacram. c. 7. q. 2. sub finem. Victorianus Præmoli, in Memoriali Clericorum p. 4. c. 1. Author libri, cui titulus, *Cura Clericalis*, pag. 115. & 116. Molfesius loco citato, Homobonus Pœnitentiarius Bononiensis in exam. Ecclesiar. p. 1. tr. 7. cap. 18. Bartholomæus Faustus Theol. Moral. to. 1. l. 4. q. 204. Smising apud Joannem Bosco disput. 7. de Sacram. Pœnit. c. 10. Philippus Servius in Amico fideli p. 3. c. 1. Joannes Morinus lib. 10. de pœnit. c. 10. Petrus Marchantius Tribun. Sacram. to. 1. tr. 4. dub. 7. Herinx Theol. p. 4. de pœnit. disput. 3. n. 77. Bosco ubi suprà. Ludovicus de Scildere in princip. conse. tr. 6. c. 5. n. 39. Theophylus Raynaudus, Torreblanca, Machadus, Martinus de S. Joseph, Remigius, Joannes Pontius (apud Caramuelem Theol. Fundament. resolut. à n. 1711. ad 1883.) Leander loco relato, Diana p. 3. tr. 3. resolut. 8. & p. 9. tr. 6. resol. 20. & p. 11. tr. 7. resol. 31. Pellizarius in Manuali Regul. to. 1. tr. 5. c. 3. sect. 1. n. 60. & to. 2. tr. 8. c. 3. sect. 2. n. 114. (testatus ita etiam censuisse Baldellum & Naldum, à se consultos, & ita practicasse Suarem, idque ex fideli relatione Virorum gravium se accepisse) Necsen tr. 5. de Sacram. Pœnit. dub. 13. Huyghenius in Methodo tr. 3. in fine. Havermannus in Exam. Pental. Diaphor. n. 41. & seqq. Florentius Cocquius Theol. Moral. to. 4. c. 8. sect. 7. Merbesius in Sum. Christ. to. 2. q. 85. Genetus Vasionensis Episcopus apud Iveninum de Sacram. Pœnit. pag. 738. art. 3. Iveninus ibidem art. 4. in fine testificans ita in suo se Manuscripto tradidisse. Van Roy de Sacram. Pœnit. c. 9. q. 3. Atque è nostris Gabriel à S. Vincentio disp. 7. de pœnit. q. 7. Antonius à S. Spiritu n. 717. Franciscus à Jesu Maria tr. 6. de Sacram. Pœnit. c. 8. n. 154.

Ex his adeò perspicuè demonstrata est assertio- 2413
nis nostræ antiquitas, & probabilitas ab authoritate, ut de ea relictus non sit ambigendi locus. Neque enim negari potest antiquam, & ab authoritate probabilem esse assertionem, quam Augustinus, Antoninus, antiquum Sacerdotale Romanum, totque & tanti Doctores, novi & veteres, tradiderunt. Præsertim cùm iis accedat Universitas Lovaniensis, quæ (teste Havermanno suprà) assertionem nostram tota docet ac defendit. Quam & probabilem Universitas Viennensis censet apud Caramuelem Theol. Fundam. propos. n. 1310. sicut & Malderus Episcopus Antuerpiensis, apud Herinx n. 77. citato. Qui & testatur Illustr. D. Gasparem Nenium, Archiepiscopum Cameracensem, coram publico Auditorio eamdem declarasse verè probabilem, atque in praxi securam. Eam-

dem denique probabilem noster sapientissimus Pater Lezana fatetur in Summa to. 3. verbo *confessio* n. 11. sient & Delbene tr. 3. de consc. dub. 48. sect. 3. Nec solùm probabilis est ab extrinseco, sive ab authoritate; sed & ab intrinseco, sive à multiplici ratione, prout ostensum imus.

§. II.

Ex ipsamet disciplina & traditione Ecclesiæ ratio multiplex pro assertione nostra eruitur.

2414 PRima ratio est, quia certum est ex disciplina & traditione Ecclesiæ, ad absolvendum in extremo mortis articulo, necessariam haud esse contritionem, vel confessionem certam, sed sufficere probabiliter ex signo aliquo externo præsumptam, vel saltem dubiam. Atqui ex rationibus postea deducendis certum est, non deesse moribundo nostro contritionem & confessionem ex signo aliquo externo probabiliter præsumptam, vel saltem dubiam. Ergo certum est ipsum absolvi posse, secundùm Ecclesiæ disciplinam & traditionem. Minor patet, quia ex rationibus deducendis si non resultet probabilis præsumptio, saltem resultat probabile dubium, an moribundus, de quo agimus, hic & nunc non sit contritus, & an non habeat confitendi voluntatem, quam exequeretur, si posset. Hoc enim ut minimum probant rationes illæ.

Probatur major, quòd utique certum sit ex Ecclesiæ disciplina & traditione, ad absolvendum in illa extremitate (saltem sub conditione) necessariam non esse contritionem & confessionem certam, sed sufficere probabiliter ex signo aliquo externo præsumptam, imò & dubiam. Certum quippe est, ipsis etiam sceleratissimis, qui totâ vitâ in criminibus peractâ, pœnitentiam ad mortem usque distulerunt, saltem post tria priora sæcula, absolutionem ab Ecclesia semper fuisse concessam, si eam in mortis articulo petiissent. Id (inquam) certum est ex Innocentio I. epist. 3. ad Exuperium c. 2. Cælestino I. epist. 2. ad Episc. Gall. Concilio Cartaginen. IV. Andegavensi c. 13. Imò etiamsi absolutionem non petiissent, nec confessionem, si tamen nutu se pœnitere significassent, dandam ipsis absolutionem, Ecclesiæ traditio est, prout videre est apud Morinum loco citato c. 4. Certum est tamen, & omnibus notum, istorum hominum pœnitentiam omnibus Patribus adeò suspectam dubiamque fuisse, ut solemne Patrum proverbium sit, *pœnitentia sera, rarò vera.* Nec tunc solùm ipsis suspecta fuit & dubia, dum simplici fuit nutu significata, sed & dum absolutio & reconciliatio multis petita, non nutibus, sed verbis, lachrymis & gemitibus, uti Morinus ostendit lib. 3. c. 9. & nos etiam ostendimus sup. cap. 36. Quantò igitur magis suspecta dubiaque ipsis fuit eorum pœnitentia, si nutu tantùm, aut verbulo absolutionem (totâ vitâ neglectam) demùm in morte petierint. Cùm hujusmodi signa in talibus hominibus rarò procedant ex pleno efficacique peccatorum odio, plenaque & efficaci sese emendandi voluntate; uti facto utplurimùm ostendunt, dum mortem evadunt. Ad pristina quippe crimina protinùs redeunt.

2415 Secunda ratio: publicam agentibus pœnitentiam (tametsi in eo statu per annos plerùmque multos, utique septem, decem, quindecim, viginti, &c. permanerent) si fortè morbo, stuporem mentis, vel phrenesim incutiente, ex improviso correpti, nullis verbis, nec nutibus reconciliationem petiissent, nec hîc & nunc petere potuissent, nihilominùs absolutionem, imminente morte, Ecclesia semper dedit, dandamque tradidit, prout variis exemplis Morinus demonstrat lib. 10. c. 5. Cur ita? Quia ex ipsomet pœnitentium statu, absolutionis implicitam saltem pro mortis articulo voluntatem, in ipsis præsumpsit. Atqui ex ipso etiam piorum fidelium, Sacramenta frequentare solitorum statu, absolutionis implicita saltem pro mortis articulo voluntas pari ratione præsumitur. Sicut enim voluntas ista in dictis pœnitentibus ideò rectè præsumitur, quia ideò statum istum amplexi sunt, ut debito tempore absolverentur; sic pii fideles ideò christianam vitam amplexi sunt, Sacramentaque frequentandi consuetudinem, ut christianè mori, Sacramentisque proinde necessariis in morte muniri mererentur.

Tertia ratio: quia Catechumenos, morbo repentino sic oppressos, ut nec ad interrogata respondere, nec baptismum, ne nutu quidem petere possent, Ecclesia nihilominùs semper baptizavit, baptizandosque tradidit, teste Innocentio III. cap. *majores* de baptismo. At quæ baptismatis, eadem reconciliationis seu absolutionis causa & ratio est, prout Augustinus l. 1. de adulterino conjug. c. 26. aliique Patres contestantur apud Morinum ibidem c. 6. Si ergo Catechumenatus ipsorum, illiusque professio, est signum externum sufficiens ad rationabiliter præsumendam in ipsis dispositionem necessariam ad conferendum ipsis (tametsi nec verbo, nec nutu petentibus) in morte baptismum; similiter vita christiana, solitaque Sacramentorum frequentatio, & utriusque professio, est signum externum sufficiens ad rationabiliter præsumendam in ipsis dispositionem necessariam ad conferendum ipsis (tametsi nec verbo, nec nutu petentibus) in morte absolutionis Sacramentum. Neque enim credibile est, in extremo vitæ termino (quo absolutio maximè necessaria est) absolvi nolle, qui semper voluit, semperque ad absolutionem anhelavit. Nec magis credibile est, Ecclesiam, quæ pios fideles suos, cùm sani essent, perfectorum Christianorum catalogo adscripsit, sacrificiis suis interesse voluit, absolutione donavit, Eucharistiâ pavit, eos morti proximos, cùm ista verbo vel nutu postulare nequeunt, his omnibus spoliare velle. 2416

Quarta ratio: Concilia & Patres, ad absolvendum in morte pium fidelem, *nullibi* requirunt conditiones istas, si confessionem vel absolutionem inclamaverit, si nutu pœnitentiam demonstraverit, si de eo adstantium testimonium adsit, &c. Nullibi (inquam) conditiones istas magis requirunt ad reconciliandos in morte pios fideles, repentino mentis stupore, vel phrenesi detentos, quàm ad reconciliandos pœnitentes, de quibus n. 2415. Atqui eas non requirunt ad istos reconciliandos. Ergo probatur minor 1°. ex c. 13. Concilii Nicæni, ubi nullâ istarum conditionum, vel alicujus earum mentione factâ, de pœnitentibus è vita excedentibus, *antiqua* (inquit) *& canonica lex nunc quoque servabitur, ultimo & maximè necessario viatico* (id est absolutione) *ne privetur*, id est *non moriatur ligatus*, sive inabsolutus, uti Synesius explicat epist. 67. Canone etiam *si Presbyter* apud Yvonem Decreti p. 15. c. 43. ex Julio I. sic habetur: *siquis Presbyter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum: quia Dominus dicit, quâcumque die fuerit conversus peccator, vitâ vivet, & non morietur. Vera enim conversio in ultimo tempore potest esse.... sicut Latronius momenti pœnitentiâ meruit esse in paradiso, in hora ultimæ conversionis.* 2417

Concilium quidem Cartaginense IV. c. 76. eas conditiones postulat ab eo *qui pœnitentiam* demùm *in infirmitate petit.* Sed loquitur de peccatore publicam merito pœnitentiam; utpote quem, si supervixerit, eodem Canone ad publicam pœnitentiam amandat: non de fideli qui piè & christianè vixit, nec pœnitentiam usque ad infirmitatem distulit. Imò de aliis pœnitentibus, qui licèt peccaverint, pœnitentiam tamen usque ad infirmitatem non distulerunt, Canone sequente absque ulla conditione dicit: *pœnitentes, qui in infirmitate sunt, Viaticum accipiant*, id est absolutionem. 2418

Simi-

Similiter Arausicanum I. can. 3. nullius conditionis factâ mentione, statuit, ut qui pœnitentiam acceperunt, si, eâ nondum peractâ, in vitæ discrimen deveniant, Eucharistiam accipiant sine solemni manûs impositione, quæ solis pœnitentiâ integrè functis tunc concedebatur. In quibus ergo dictas postulat conditiones? in iis qui pœnitentiam nondum acceperunt, sed eam usque ad infirmitatem petere distulerunt. De iis enim loquitur canone 12. dicens: *subitò obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* Ubi ly *prout statutum est*, respicit citatum canonem 76. Concilii Cartaginensis; ideòque canon iste Arausicanus de iisdem peccatoribus accipiendus est, de quibus canon iste. Maximè cum de pœnitentia loquatur sicut de baptismo, pro quo in morte conferendo ab omnibus baptizandis conditiones istas non requirit, sed à solis gentilibus, qui ante infirmitatem baptismum non petierunt.

2419 Nec ab omnibus in morte sive baptizandis, sive absolvendis conditiones istas magis exigit, quàm ab omnibus in amentia ungendis, Eucharistiâ pascendis, de quibus can. 13. absolutè, & sine appósita ejusmodi conditione dicit: *amentibus quæcumque pietatis officia conferenda sunt.* Non utique amentibus, qui nullam pietatem ostenderunt, nec vitam Christianam duxerunt, sed qui piè & christianè vixerunt, quibus pietatis officia conferri vult, non in omni circumstantia, sed ut in canone sequenti dicitur: *in quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit.* Cùmque universim & absque exceptione dicat, *quæcumque pietatis officia:* igitur, si ante amentiam devotionem habuerint, sive ad Sacramentum Baptismi, sive ad Sacramentum Pœnitentiæ, sive ad Sacramentum Eucharistiæ, sive ad Sacramentum Extremæ Unctionis, extrema in necessitate, in qua pii omnes Catechumeni, vel fideles, iis ab Ecclesia muniuntur, ea amentibus etiam non petentibus canon iste conferenda præscribit. Unde S. Thomas 3. p. q. 80. a. 9. docet, amentibus Eucharistiam in articulo mortis conferri posse, si antequam inciderent in amentiam, devotionem erga illud Sacramentum habuerint, neque timeatur vomitus vel expuitio Sacramenti. Et dat rationem, quia *amentibus quæcumque pietatis officia conferenda sunt*, uti dicitur in citato canone. *Et ita* (infert S. Doctor) *est eis conferendum Eucharistiæ Sacramentum, quod est Sacramentum pietatis.* Porrò idem de Baptismo, Pœnitentia, Extremaque Unctione, ob eamdem rationem inferri potest: quia & ista sunt pietatis officia, seu Sacramenta. Manifestum est ergo Concilium Arausicanum dictas conditiones can. 12. universim non exigere ab omnibus moribundis, sed ab iis solis qui antequam loquelam, aliorumque sensuum, vel etiam rationis usum amitterent, nullam devotionem, nec piam affectionem ostenderunt ad susciendum Baptismi vel Pœnitentiæ Sacramentum. Quales sunt gentiles, vel scelerati, qui usque ad infirmitatem tales fuerunt.

2420 Similiter S. Leo epist. 91. apertissimè declarat, de iis se peccatoribus agere, qui ante infirmitatem christianè non vixerunt, nec Sacramenta frequentarunt, sed pœnitentiam usque ad infirmitatem & periculi urgentis instantiam distulerunt. De iis enim loquitur, *qui* (cùm id antè non fecissent) *in tempore tantæ necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant. Quorum propterea occasione admonet oportere unumquemque Christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec... periculosè... alius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel Confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis.* Pro talibus ergo, non pro iis qui piè & christianè vixerunt, dictas requirit conditiones, prout disertè exprimit verbis immediatè sequentibus: *Verùm (ut dixi) etiam* TALIUM *necessitati ita auxiliandum est, ut & actio illis pœnitentiæ, & communionis gratia, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensûs postulant, non negetur. At si aliquâ ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulò antè poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.*

Nullibi itaque Concilia, vel Patres conditiones 2421
illas magis postulant in piis fidelibus, qui hactenùs christianè vixerunt, Sacramentaque piè frequentarunt, quàm in pœnitentibus, qui, dum sani essent, pœnitentiam petierunt, & acceperunt, in statuque pœnitentiæ vixerunt.

Quinta ratio: pro ægrotis, nutu vel verbo, pro 2422
se, hîc & nunc, respondere non valentibus, Concilia tam benè requirunt voluntatis præteritæ testimonium, ad baptismum recipiendum, quàm ad Pœnitentiæ Sacramentum. Siquidem in Concilio Cartagin. III. can... dicitur: *ægrotantes, si pro se respondere non possint, cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum.* In Arausicano quoque I. c. 12. *subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat.* Similiter loquuntur Eliberitanum, & Toletanum, necnon Leo Papa, apud Morinum l. 10. c. 7. Imò & ad recipiendam Extremam Unctionem, illius petitionem Rituale Romanum exigit tit. de Extr. Unct. *infirmis autem, qui, dum sanâ mente, & integris sensibus essent, illud petierunt... præbeatur.* Atqui testimonium illud ad baptismum non exigunt pro piis Catechumenis, nec ad Extremam Unctionem exigunt petitionem pro piis fidelibus, Sacramenta frequentare solitis. Vel saltem non exigunt petitionem distinctam à Catechumenatu piè peracto, vel à vita Christiana, nec testimonium aliud quàm dicti Catechumenatûs, aut vitæ Christianæ. Ergo nec ista ad Pœnitentiæ Sacramentum exigunt pro piis fidelibus, vel certè pro iis non exigunt signum vel testimonium distinctum à vita pia & Christiana, testimonioque illius. Sapienter proinde doctissimus Albaspinæus, Episcopus Aurelianensis, ad citatum canonem Arausicanum observat, *nihil magnoperè difficile esse in hoc canone, qui de gentilibus est accipiendus; non verò de Catechumenis, quibus, etsi nullum suæ voluntatis testimonium haberent, baptismus esset conferendus.* Quemadmodùm autem canon ille de gentilibus accipiendus est, quâ parte agit de baptismo; sic accipiendus est de excommunicatis, publicis peccatoribus, & in scelerata vita usque ad infirmitatem persistentibus, quâ parte de pœnitentia agit. Et ita cum intelligit Albaspinæus. Unde ad can. 34. Concilii III. Cartaginensis sic ait: *Catechumenum quidem non crediderim in id discrimen vocatum, ut de ejus baptismo dubitaretur, quamvis morbus loquendi facultatem ei præripuisset; quòd ejus animus, voluntas & cupiditas, toto Catechumenatu nemini non cognita, dubitationem omnem de dando baptismo tolleret. Secùs in alio, qui Catechumenus non esset: exploranda erat ejus voluntas atque sententia. Uno verbo idem erat de Catechumenis & pœnitentibus judicium. Nam quamvis obmutuissent, & tam præcipiti valetudine, ut ne quidem baptismi aut absolutionis petendæ spatium habuissent, absolvebantur tamen, & baptizabantur. Gentilibus, aut excommunicatis, & apostatis, non eadem gratia. Nam neque adjuvabantur ab Ecclesia, ne-*

que his Sacramentis, nisi ea petiissent, aut nutu, aut signo se ea petere ostenderent, donabantur. Ecce praxis & disciplina Ecclesiæ, ab eruditissimo illo, diligentissimoque veterum Canonum, atque Ecclesiasticæ disciplinæ scrutatore enarrata. Ecce respectu quorum supradictas conditiones Ecclesiæ disciplina traditioque semper requisivit, sive in ordine ad baptismum, sive in ordine ad pœnitentiam. Certè nec à piis Catechumenis, nec à piis fidelibus, si ipsi fides. A quibus etiam sicut Ecclesiastica disciplina non requisivit testimonium à pio Catechumenatu, vitaque distinctum in ordine ad baptismum & pœnitentiam; ita nec in ordine ad Extremam Unctionem. Unde antiquum Pastorale Mechliniense tit. de Extr. Unct. §. 5. *Licèt* (inquit) *Sacramentum Extremæ Unctionis regulariter post Pœnitentiam & Eucharistiam ministrari debeat; ei tamen qui ob insaniam, furorem, vel alium morbum, hæc Sacramenta recipere non potest, conferenda est Extrema Unctio, sine prævia Confessione, vel Eucharistiæ sumptione. Quamvis* (*antequam insaniret, aut loquelam amitteret*) *non petierit* (petitione distinctâ à vita christiana, ut sequitur) *si tamen erat bonæ vitæ. Quia non præsumitur immemor suæ salutis in morte plusquam in vita. Unde præsumitur quòd petat, vel quòd petivisset, si advertisset, & quòd petere voluit, sed non potuit.* Quod sicut rectissimè dicitur de Sacramento Extremæ Unctionis; ita & de Sacramento Pœnitentiæ. Nihil enim soliditatis habent argumenta, quæ à contradicentibus objiciuntur ad disparitatem ostendendam, uti constabit ex dicendis §. 4.

§. III.

Rationes, propter quas Augustinus baptizandum censet Catechumenum, in extremitate constitutum, qui nec verbo, nec nutu significare valet desiderium suum suscipiendi baptismum, ipsomet Augustino judice, pariter ostendunt absolvendum pium Catholicum iisdem in circumstantiis.

3423 INterrogavit S. Augustinum Pollentius, an Catechumeni, irruente morbo, in extremis constituti, qui nec ad interrogata respondere, nec baptismum petere possunt, essent nihilominus absolvendi? Affirmativè respondit Augustinus l. 1. de adulter. conjug. c. 26. addens similiter reconciliandos fideles in similibus circumstantiis. Cùm eadem sit reconciliationis, quæ baptismatis causa. Unde pro assertione nostra totus stat Augustinus. Sed ipsum audiamus: *Catechumenis ergo, in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut, quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, profit eis quòd eorum in fide Christiana jam nota voluntas est, ut eodem modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum nulla adhuc voluntas patuit. Non tamen damnare debemus eos, qui timidiùs agunt... qui... baptizare non audent eos.... ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non potest, in quibus adhuc rationis nullus est usus. Sed non solùm incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle: verùm, etiamsi voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi, velit an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit, se non oportere de corpore exire... Ego non solùm alios Catechumenos, verùm etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati, retinent adulterina consortia, cùm salvos corpore non admittamus ad baptismum; tamen si desperati* (edita exemplaria addunt: *& intra se pœnitentes*; sed hoc novissima editio, post vetusta Manuscripta, omittendum dicit) *jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris regenerationè abluatur. Quis enim novit, utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad baptismum statuerant detineri?.... Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia.*

In iltis S. Augustini verbis fulgentissimis quatuor observanda sunt cum Morino lib. 10. c. 6. 3424
Primum, Catechumenos, de quibus agit, non solùm non petere baptismum, cùm baptizantur, sed ne quidem illum petisse, cùm morbus irrupit. Quamquam enim hoc postremum expressis verbis non notet Augustinus " (ait Morinus) " discrtè tamen ex ipsius verbis consequitur. Omnes enim rationes, quibus freus decernit illis baptismum non esse negandum, ab eorum statu, Catechumenatu scilicet, petuntur. " Quo fit, inquit, ut *profit eis quòd eorum in fide Christiana jam nota voluntas est.*" Secundam deinde rationem adjungit, *incredibile esse nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle.* Et tertiam: ponamus incertam ipsius voluntatem, *multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi, velit an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit, non se oportere de corpore exire.* Manifestum est igitur, baptismum, cùm morbo correptus est, non postulasse. Alias his S. Augustini rationibus nullus prorsus fuisset locus. Idem præterea demonstrat notabile illud S. Augustini effatum: hunc adultum Catechumenum ut infantes baptizari. Quo fit manifestissimum, ad Baptismum verum, & Baptismi gratiam ab adultis suscipiendam, Catechumenatûs statum sufficere, atque (ut ita dicam) habitualem baptismi voluntatem, quæ tamdiù durare, secundùm Augustinum, præsumenda est, quamdiù non probatur retractata. "

Secundum observandum: " Quæcumque dixit 3424
Augustinus de Catechumenis & Baptismo, eadem de pœnitentibus & pœnitentia dicenda esse. Quapropter nihil ne fingi quidem potest " assertioni nostræ " demonstrandæ accommodatius & efficacius. Quæenim de baptismo diximus, pœnitentiæ (ut jubet Augustinus) applica. Tum " nulla tibi occurret difficultas, quæ non facilè " dissuatur. *Quæ baptismatis, eadem reconciliationis* " *est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ peri-* " *culum præoccupaverit.* "

Tertium observandum: rationes omnes, qui- 3426
bus hæc praxis oppugnari potest, S. Augustinum præoccupasse. Objiciat ergo quisquis velit, nullam in moribundo, de quo agimus, apparere contritionem, nullam confessionem externam & sensibilem quæ (secundùm Tridentinum) sunt *quasi materia hujus Sacramenti.* Cum Augustino namque respondebimus, hîc non minùs apparere contritionem & confessionem externam & sensibilem, quàm in Catechumeno (de quo in principio agit Augustinus) apparet baptismi voluntas externa & sensibilis. Quemadmodùm enim voluntas & petitio baptismi sensibiliter apparet *in fide Christiana*, Catechumenatúque ipsius; sic moribundi nostri contritio & confessio, seu confitendi voluntas (neque enim hîc requiritur confessio à confitendi voluntate distincta) sensibiliter apparet in vita Christiana Catholicissimoque ipsius. Et verò si ad suscipiendum baptismum Catechumeni *in fide Christiana* externè & sensibiliter *jam nota voluntas est*; similiter ad suscipiendam absolutionem moribundi nostri in vita Christiana externè & sensibiliter jam nota voluntas est. Præterea sicut externa professio fi-

dei

dei Christianæ, in Catechumenatu, implicita est voluntas baptismi in extremo periculo recipiendi; sic externa professio vitæ Christianæ, in Catholicismo, implicita est voluntas absolutionis in extremo periculo recipiendæ. Quemadmodùm enim Catechumenus fidem Christianam in Catechumenatu communiter & utplurimùm profitetur in ordine ad baptismum recipiendum; sic Catholicus vitam Christianam in Catholicismo communiter & utplurimùm profitetur in ordine ad mortem Christianam; in ordine proinde ad Sacramenta, Catholicis morientibus ab Ecclesia conferri solita, illud præcipuè quod Nicænum Concilium appellat *Viaticum maximè necessarium*. Et ideò non solùm prima Augustini ratio, sed & duæ reliquæ perspicuè ostendunt, Augustinum totum esse nostrum.

Tam enim incredibile est in fine vitæ absolvi nolle Catholicum, qui christianè vixit, Sacramentaque totâ vitâ frequentavit, quàm *incredibile est in fine vitæ baptizari* Catechumenum *nolle*. Ideò enim voluit christianè vivere, quia voluit christianè mori. Nec præsumi potest nolle absolvi in morte, qui semper absolvi voluit in vita. Cùm in obscuris id præsumatur quod utplurimùm fieri consuevit; timorataque & Christiana voluntas pii Catholici, quæ totâ vitâ apparuit, in articulo tantæ necessitatis meritò permanere præsumatur, nisi mutata probetur; sicut scelerata voluntas impii, qui totâ vitâ sceleratè vixit, etiam in morte permanere præsumitur, nisi mutata probetur. Quo argumento, sicut in amentibus, qui ante amentiam semper inviti fuerunt, & baptismo contradixerunt, etiam in mortis articulo *intelligitur contradictionis propositum perdurare* (nisi mutatio interveniisse probetur) ut Innocentius III. declarat cap. *majores de baptismo* §. *dormientes*; sic in piis timoratisque Christianis, qui ante repentinum morbum (quo, loquelæ & sensuum usu destituti, edere non possunt suæ voluntatis signa à vita Christiana distincta) more piorum fidelium Sacramenta semper recipere voluerunt, etiam in mortis articulo intelligitur ea recipiendi propositum perdurare.

2427 Denique sicut vita scelerata captivi, qui in carcere invenitur laqueo suspensus, pro istis circumstantiis est accusatio virtualis & interpretativa, sufficiens ad ipsum condemnandum, tamquam suiipsius homicidam; sic vita pia & Christiana moribundi, non valentis verbo vel nutu petere Confessarium, pro istis circumstantiis est confessio virtualis & interpretativa, sufficiens ad ipsum absolvendum.

2428 Si dicas incertum esse, an voluntas moribundi nostri permanserit usque ad circumstantias istas; cùm potuerit mutari.

Respondeo voluntatem etiam Catechumeni, de quo Augustinus, potuisse mutari antequam loquelæ & sensuum usu destitueretur. Quemadmodùm igitur, eo non obstante, dicit Augustinus, *multò satius esse nolenti dare* (baptismum) *quàm volenti negare*; sic & nos dicimus, eo non obstante multò satius esse nolenti dare, quàm volenti negare absolutionem, *ubi* scilicet, *velit an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.* Quod profectò credibilius est in pio Christiano nostro, quàm in moribundo, de quo Augustinus. Eò quòd non solùm ideò crediderit, uti Catechumenus; sed & ideò christianè vixerit, ut christianè moreretur, sive ut vitam piam & Christianam piâ & Christianâ morte concluderet; & ideò Sacramenta more Catholicorum piè frequentavit in vita, ut ea suscipere mereretur in morte. Totus igitur Augustini discursus, triplexque ratio ipsius, tam perspicuè nostram firmat assertionem, ut suum illum discursum ipsemet Augustinus hâc coronide meritò concludat: *quæ baptismatis, eadem reconciliationis est causa*, &c.

Nec verò dubium ibi Augustino sermonem esse 2429
de reconciliatione sacramentali; sicut de baptismo sacramentali. Nec probabilis apparet glossa, quâ nonnullus Augustinum invitum nobis eripere conatur, dicens, ipsum agere de solo illo moribundo, qui, cùm morbo corriperetur, nec confessionem vel absolutionem verbo petere posset, saltem eam petiit facto aliquo, tanquam signo. Siquidem ex dictis n. 2424. manifestum est, glossam istam evidenter aberrare à textu sensuque Augustini. Et verò si de solo illo moribundo ageret; similiter ageret de solo Catechumeno, qui, cùm morbo corriperetur, signo aliquo reali, etsi non verbali, baptismum petiisset. Falsum proinde foret notabile effatum ipsius, adultum illum Catechumenum *eo modo baptizari, quomodò baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Sed & rationibus Augustini nullus prorsus esset locus. Non enim sufficeret, quòd *eorum in fide Christiana jam nota voluntas est.* Nec sufficeret præsumptio, quâ Augustinus *incredibile esse* dicit, *nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle*, si (prout ille putat) præsumptio hîc locum non haberet, sed necessarium esset signum à fide & vita Christiana distinctum. Et si Minister adultum tunc solùm baptizare deberet, quem (intra se pœnitentem) baptizari velle videret, non adderet Augustinus: *si voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi, velit an nolit*, voluntas *sic non apparet*, &c. Appareret enim, si, irruente morbo, reali signo foret manifestata. Appareret, si eam Minister videret in ejusmodi signo. Nec ad eam cognoscendam Minister opus haberet recurrere ad præteritam ipsius fidem, quâ credidit sine baptismo vel absolutione non se oportere de corpore exire, si voluntatis ipsius reale signum præsens haberet. Ad eam tamen recurri vult Augustinus: *multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut credibilius sit eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere*, SINE QUIBUS JAM CREDIDIT NON SE OPORTERE DE CORPORE EXIRE.

Nec Augustinus dumtaxat suffragatur assertioni 2430
nostræ; imò liberalior est quàm sit assertio nostra, cùm ait: *Ego non solùm alios Catechumenos, verùm etiam ipsos, qui, viventium conjugiis copulati, retinent adulterina consortia.... si desperati jacuerint, nec pro se verbo, nec nutu, respondere potuerint, baptizandos puto.... Quis enim novit, utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad baptismum statuerant detineri?* Istis namque verbis Augustinus videtur non desperare de valore nec de fructu baptismi, etiam tali Catechumeno collati, verisimiliter se fundans in exemplo, quod refert l. 4. Confess. c. 4. de quodam sibi amicissimo, qui cùm à fide in superstitiosas perniciosasque fabulas deflexisset, nullo suæ conversionis signo dato, febribus correptus, *jacuit diù, sine sensu, in sudore lethali, & cùm desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante, & præsumente id retinere potiùs animam ejus, quod à me acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longè autem aliter erat: nam recreatus est, & salvus factus. Statimque utprimùm cum eo loqui potui* (*potui autem, mox ut ille potuit, quoniam non discedebam, & nimis pendebamus ab invicem*) *tentavi apud illum irridere, tanquam & illo irrisuro mecum baptismum, quem acceperat mente atque sensu absentissimus; sed tamen jam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit, ut inimicum, admonuitque mirabili & repentinâ libertate, ut, si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. Ego autem stupefactus atque turbatus, distuli omnes motus meos, ut convalesceret priùs.... Sed ille abreptus dementiæ meæ....*

post paucos dies, me absente, repetitur febribus, & defungitur. Quod isti accidit, nùm & aliis similibus in facti contingentia non contingat, dubitari posse censuit Augustinus; in eoque dubio posse saltem sub conditione baptizari. Multò ergo magis censuit, pium Christianum nostrum posse saltem sub conditione absolvi.

§. IV.

Assertio nostra ampliùs illustratur ipsismet rationibus, ob quas Adversarii fatentur, Extremam Unctionem, Eucharistiam & Confirmationem piis Catholicis, in hujus vitæ ultimo constitutis, conferri posse, quamvis ea nec verbo, nec nutu petierint, dum taliter petere non possunt.

2431 EX hucusque dictis apparet tot & tam validis rationibus assertionem nostram muniri, ut moribundus, de quo agimus, in dictis circumstantiis, valdè probabiliter præsumatur contritus esse, confiterique velle, suamque contritionem confitendique voluntatem omnibus quibus potest signis externis manifestare. Sed gratis demus, id ex tot tantisque rationibus non confici, illud saltem conficitur, quòd si ob illas probabiliter credi non possit contritus, confiterique volens, ad minimum probabiliter dubitari potest, an talis non sit, & an non faciat quidquid potest ut suum confitendi desiderium manifestet. Conficitur proinde, non solùm omnes gemitus ipsius, suspiria, fixos intuitus, sed & motus omnes corporis ipsius, oculorum, manuum, &c. ipsas quoque respirationes, probabiliter accipi posse ut signa, saltem dubia istius desiderii. Siquidem *moriens* (uti dicitur l. finali C. ad legem Juliam repetund. & cap. *sancimus* 1. q. 7.) *nunquam præsumitur immemor salutis æternæ.* Et si fortè id fieri probabiliter non præsumitur, saltem probabile dubium est, an in homine fideli, qui piè & christianè vixit, hîc & nunc non fiat, quod plerùmque fieri solet, cap. *inspicimus* de regul. Jur. in 6. Multiplex verò experimentum docuit, plerùmque contingere, quòd pii homines, qui piè & christianè vixerunt, istis in circumstantiis pœniteant, & summoperè desiderent confessionem, istudque desiderium quibuscumque possunt signis manifestent, etiam dictis corporis motibus, & respirationibus, dum aliter non possunt. Sic enim se in tali extremitate constitutos fecisse, plures testati sunt, ut Marchantius loco citato q. 3. Florentius de Cocq to. 4. c. 8. sect. 7. in fine. Noster quoque Gabriel à S. Vincentio loco pariter citato narrat, se in facti contingentia, reprehensum fuisse à moribundo, quem, repentino morbo correptum, inabsolutum dimiserat, quòd in ipso doloris petitæque confessionis signa non videret. Qui ad se reversus asseveranter dixit, se signa pro posse exhibuisse; quòdque proinde ipsum debebat absolvere, benèque de ipso præsumere. Addens, quòd si tunc mortuus fuisset, ob defectum absolutionis de sua desperabat salute. A quo die prænominatus Gabriel pristinam mutavit sententiam, nostram amplexus, precaturque Lectorem, ut & ipse nostram in praxi sequatur. Quam (inquit) *pestis tempore anno 1629. dum essem Papiæ..... ad praxim deducebam Confessarii. Cùm enim in multis pestis illa statim phreneſim causaret, vel maximum capitis dolorem, ita quòd multi dare nequirent doloris signum manifestum, absolvebantur. Quia facilè talis dolor præsumebatur. Imò Confessarios rogabant, ut, si fortè morbo illo inficerentur, illos absolverent. Quia sperabant se posse aliquod doloris signum exhibere, etiamsi fortè non cognosceretur*, nisi sub dubio, ut suprà. *Quod & ego meo Confessario dixi, & illum rogavi hoc obnixè, harum tamen ignarus sententiarum, cùm adhuc juvenis essem.* Et quis nescit piam praxim multorum piorum fidelium, per singulos annos, imò & menses ad mortem se parare solitorum, spirituale testamentum condendo, in eoque protestando, velle se necessariis Sacramentis in morte muniri, atque ex tunc pro nunc, id est pro mortis tempore, confiteri & absolvi, si fortè repentinus casus non permitteret certum istius voluntatis signum à se tunc exhiberi? Quis denique ignorat, paucos esse timoratos fideles, qui non identidem in vita manifestent suum de recipiendis in morte Sacramentis desiderium? Non sum quidem nescius, subinde contingere, quòd post talem manifestationem mortaliter peccent. Sed cùm voluntas quæcumque mortaliter peccandi non sit voluntas in peccato illo ad mortem usque perseverandi, non est incompatibilis cum voluntate in morte confitendi, si pœnitentiæ tempus à Deo concedatur. Eam proinde necessariò non interrumpit; sed ad summum voluntatem confitendi pro tempore voluntatis peccandi.

Quæ cùm ita sint, & contra allegatas rationes 2432
authoritatesque nullum proferatur argumentum convincens, sed ad summum probabile vel dubium, omnibus consideratis negari non potest, adesse in casu nostro materiam absolutionis, saltem dubiam. Hæc autem (in casu extremæ necessitatis) pro certo sufficit ad absolutionem dubiam, seu conditionatam; sicut materia baptismi dubia, in ejusmodi necessitate, pro certo sufficit ad baptismum dubium, sive ad formam baptismi sub conditione proferendam. Neque enim ad dubiam absolutionem certa requiritur materia, sed sufficit dubia. Et sicut graviter peccaret, qui habere non valens materiam certam, in extrema necessitate non baptizaret in materia incerta; ita graviter peccaret, qui habere non valens materiam, seu contritionem confitendique voluntatem certam, in extrema necessitate non absolveret in incerta.

Si hæc adversariis haud sufficiant ad senten- 2433
tiam nostram ipsis persuadendam, considerent pro ea stare illas ipsas rationes, ob quas fatentur, Extremam Unctionem, Eucharistiam, Confirmationem, piis fidelibus, in hujus vitæ ultimo constitutis, posse conferri, tametsi ea Sacramenta nec verbo, nec nutu petierint, morbo id non permittente. Videatur super hoc Bonacina tom. 1. disp. 1. q. 6. p. 6. n. 8. Ibi imprimis validâ authoritate probat, *ad suscipienda Sacramenta non semper requiri intentionem actualem, aut virtualem, sed sufficere habitualem, ita ut suscepturus Sacramentum aliquando intenderit recipere, seu petierit implicitè.* Ex quo posteà concludit, *valdè administrari Sacramenta existenti in articulo mortis, si catholicè vixit. Hic enim, catholicè vivendo, censetur implicitè petiisse Sacramenta, quæ conferri consueverunt in articulo mortis.* Similia habet Coninck 3. p. q. 64. a. 8. dub. 5. n. 102. ubi similiter ex S. Leone epist. 91. & Innocentio III. cap. *majores* de bapt. ostendit, ad hoc *ut quis validè suscipiat aliquod de dictis Sacramentis, non esse necesse ut id actu intendat, dum suscipit; sed sufficere ut id aliquando actu intenderit, & hoc nunquam revocaverit.* Unde pariter concludit, quòd is *qui catholicè vivit, censetur velle sibi morienti conferri Sacramenta, ab Ecclesia morientibus conferri solita. Ideòque si subitò destituatur usu rationis, debet inungi, nisi sciatur certò esse in peccato mortali, de quo non sit attritus. Quod non debet facilè præsumi, nisi quis in ipso actu peccandi ita subitò destituatur ratione, ut humanitùs impossibile sit, eum doluisse de peccatis. Quòd si aliquamdiù post peccatum commissum usus sit ratione, potest præsumi contritus.* Hæc probat ex Augustino, à nobis relato, cujus authoritas & rationes non solùm de-

clarant eandem quoad hoc esse rationem Extremæ Unctionis & Baptismatis, sed & reconciliationis & Baptismatis. Dumque Coninck id postea ad Confirmationem extendit, hâc ratione: *quia hoc ipso quo talis piè & catholicè vivit, censetur aliquo modo desiderare sibi conferri omnia ea Sacramenta, quæ omnibus Christianis sunt valdè utilia, ut est Confirmatio.* Quis non videt hanc quoque
2434 rationem, nostram firmare assertionem?

Similia interim habent Sylvester verbo *Baptismus* 4. q. 14. Reginaldus lib. 26. n. 50. Suarez disp. 14. de Sacram. in gen. sect. 2. pluresque alii veteres Scholastici apud ipsum. Qui proinde nostram virtualiter tradunt assertionem (etsi formaliter ei contradicant) dum ea tradunt principia, ex quibus ipsa consequitur. Vel enim rationes ipsorum validæ sunt pro Pœnitentiæ Sacramento; vel validæ non sunt pro istis aliis Sacramentis. Si enim intentio habitualis pro aliis sufficit Sacramentis, sufficit & pro pœnitentia (uti manifestum est ex eo quòd validè & cum fructu absolvatur, qui, antequam rationis usu privaretur, confiteri voluit, & jam nonnisi habitualiter vult) & si alia Sacramenta habitualiter velle censetur, qui catholicè vixit; pari omninò ratione velle etiam habitualiter censetur absolutionem. Denique si catholicè vivens eo ipso censetur velle sibi morienti conferri Sacramenta valdè utilia; multò magis Sacramenta necessaria, morientibus conferri solita: ac præ cæteris illud quod maximè est necessarium, prout est Pœnitentiæ Sacramentum.

2435 Nihil enim refert quòd Pœnitentiæ Sacramentum institutum sit per modum judicii, in quo sacramentalis Judex sententiam sensibiliter ferre non potest, nisi reus sensibiliter imploret officium ipsius. Quemadmodum enim moribundus per hoc quòd piè & christianè vixit, Sacramentaque, more piorum fidelium, frequentavit, censetur pro articulo mortis sensibiliter implorare officium Sacerdotis, ut ipsum ungat oleo sancto; necnon Pastoris, ut ipsum pascat Viatico; baptizantis etiam, si Catechumenus sit, fidemque professus Christianam, ut ipsum regeneret per aquam. Sic & officium sacramentalis Judicis, ut ipsum absolvat. Tam ergo hic potest & debet absolvere, quàm Sacerdos ungere, pascere, baptizare. Nec ad illud magis requiritur signum distinctum à vita christiana, quàm ad illa.

§. IV.

Contraria argumenta solvuntur.

2436 Objicies 1°. Tridentinum sess. 14. c. 3. aiens: *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, satisfactio.*

Respondeo nihil inde contra assertionem. Quia ipsemet objiciens fatetur, materiam vel quasi materiam hujus Sacramenti, in casu nostro non esse solam confessionem formalem & expressam, sed vel formalem, vel virtualem; vel expressam, vel implicitam; quæ consistit in signo externo & sensibili voluntatis confitendi, etiam in absentia Confessarii dato. Cujusmodi signum, in casu extremæ necessitatis, dum signum aliud dari non potest, est vita christiana, prout ostendimus.

2437 Instat quidem ipse dicens, sensibile signum volitæ confessionis esse debere distinctum à vita Christiana.

Sed peto, cur sensibile signum volitæ confessionis, in extrema (de qua agimus) necessitate, esse debeat distinctum à vita Christiana, magis quàm sensibile signum volitæ unctionis, vel Eucharistiæ, &c.?

2438 Ob duplicem (inquit) rationem. Prima est, quia Christianus, etsi christianè vixerit, non est tam facilè præsumendus velle confessionem (utpote pluribus valdè difficilem) quàm Eucharistiam, vel Extremam Unctionem, quæ nihil habent difficultatis. Secunda est, quia duo ista Sacramenta pro materia essentiali non habent actus pœnitentis, contritionem & confessionem, uti habet Pœnitentiæ Sacramentum. Quod proinde conferendo moribundis, absque signo à vita Christiana distincto, periculum est ipsis conferendi Sacramentum manenti. Cujusmodi periculum non est in istis aliis Sacramentis.

Verùm neutra ratio valida est. Non prima, 2439
tùm quia confessio in genere (qualis in morte sufficit, dum in specie fieri nequit) facillima est. Tum quia piis Christianis, assuetis confiteri in vita, confessio, seu illius voluntas, non est difficilior in morte, quàm in vita; imò facilior, extremam ob necessitatem. Et ut foret difficilior, facilè tamen præsumenda est voluntas illius in morte, eò quòd neglecta nunquam fuerit in vita. Et quia longè magis necessaria, quàm Unctio vel Eucharistia. Voluntas autem recipiendi Sacramenta tantæ necessitatis facilè præsumenda est in timoratis, quos nefas est in morte præsumere immemores suæ salutis.

Nec magis valida est secunda ratio. Tum quia 2440
periculum omne per appositam vel subintellectam in absolutione conditionem abstergitur. Tum quia periculum illud in casu nostro perperàm allegatur. In quo utique Sacramenta (utpote pro hominum salute instituta) potiùs exponenda sunt periculo mutilationis, vel etiam nullitatis; quàm hominum salus periculo amissionis. Tum denique quia non majus est periculum conferendi Sacramentum Pœnitentiæ mancum, in casu nostro, conferendo illud absque signo volitæ confessionis à vita christiana distincto; quàm sit periculum conferendi Sacramentum Unctionis, vel Eucharistiæ infructuosum, conferendo illud moribundo absque distincto signo dispositionis ad receptionem fructuosam requisitæ. Nec minùs cavendum est periculum istud quàm illud. Verùm, in circumstantiis, de quibus agimus, sicut istud cavendum non est; ita nec illud. Ob rationem proximè dictam.

Objicies 2°. Concilia Arausicanum & Car- 2441
thaginense, Rituale Romanum, & Leo Papa requirunt petitæ absolutionis signum, vel testimonium, saltem per alios.

Respondeo 1°. simile signum vel testimonium requirere, in ordine ad Baptismum, vel Extremam Unctionem, uti constat ex dictis n. 2422.

Respondeo 2°. nec Arausicanum, nec Car- 2442
thaginense, nec Leonem Papam, in ordine ad absolutionem requirere signum illud vel testimonium, vel saltem non requirere distinctum à vita Christiana, magis quàm in ordine ad Baptismum, vel Extremam Unctionem. Neque enim agunt de fidelibus, qui hactenùs piè & christianè vixerunt; sed de gentilibus, vel sceleratis, publicam meritis pœnitentiam, excommunicatis, apostatis, &c. qui pœnitentiam, seu illius petitionem usque ad ultimam infirmitatem distulerunt, nec proinde christianè vixerunt, ut constat ex dictis num. 2422. & seqq. Et idem sensus est Ritualis Romani. Neque enim signum à vita Christiana distinctum exigit, dum ait: *Si, antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis* Sacerdos *conetur, quoad ejus fieri potest, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Istud quippe desiderium satis ostendit in vita Christiana, dum aliter non potest. Nec ampliùs Rituale requirit, uti significat, dicendo, *quoad ejus fieri potest.*

2443 Objicies 3°. ad absolutionem non sufficit confessio probabiliter præsumpta in vita Christiana. Ob materiæ hujus Sacramenti à Christo determinationem, & ab Ecclesia declarationem. Quia dum Christus pro materia hujus Sacramenti confessionem instituit, veram & propriè dictam intellexit, non fictam, aut præsumptam. Concilia etiam (quorum, uti Scripturæ, verba propriè accipienda sunt) dum loquuntur de necessitate confessionis, de vera & propriè dicta loquuntur. Confessio verò significata per solam vitam Christianam, non est confessio propriè dicta.

Respondeo, ex Conciliis & Patribus, atque adeò ex Ecclesiæ declaratione certissimum esse, quòd etsi aliàs diversissima sint confiteri, & velle confiteri; in extrema tamen necessitate de necessitate Sacramenti non sit confessio distincta à voluntate confitendi signo aliquo externo notificatâ. Cùm Concilia, Patres, & cum iis Theologi omnes tradant, absolvendum esse moribundum, qui nullum peccatum in genere, nec in specie confiteri potest, sed solùm confessionem petiit, vel confitendi desiderium signo aliquo externo notificavit. Confitendi verò desiderium, seu voluntas, per vitam Christianam, tamquam signum externum, notificata, tam propriè est confessio (id est confitendi voluntas signo externo notificata) quàm confitendi voluntas significata per nutum (in moribundis, præsertim hactenùs sceleratis, plerùmque ambiguum, an ex cordiali efficacique animi compunctione, & postulatorum intelligentia procedat, an ex doloris perturbatione, naturalivè gemitu & planctu, vel etiam ex sola mortis imminentis formidine, sine ullo justitiæ amore) tam propriè item confessio est, quàm confitendi voluntas significata per statum pœnitentis secundùm veteres canones; denique tam propriè confessio est, quàm baptismi voluntas per Catechumenam vitam significata, sit petitio baptismi propriè dicta.

2444 Objicies 4°. desiderium contritionis non est contritio. Ergo desiderium confessionis non est confessio.

Respondeo 1°. hanc objectionem ducere in præcipitium. Probat enim, si quid probat, absolvi non posse moribundum, si aliter confessus non fuerit, quàm per externum signum, vel testimonium desideratæ confessionis. Cujus oppositum Concilia & Patres ex Christi institutione declarant.

2445 Respondeo 2°. quidquid sit de antecedente, nullam esse consequentiam, si consequens intelligatur de confessione, qualem in moribundo Ecclesia ex Christi institutione declaravit sufficere.

2446 Objicies 5°. ad hoc ut confessio prudenter præsumpta, sive in prudentum æstimatione petita sufficiat, duo requiruntur quæ hîc non concurrunt. Primum est, ut de præsenti confiteri velit, idque rationabiliter peterè præsumatur, dum absolvitur. Ne absolutio sit sacrilegâ. Hoc autem nullus rationabiliter de moribundo nostro præsumere potest, ob id solum quòd christianè vixerit. Hoc enim quod est christianè vixisse, non est signum præsentis voluntatis confitendi, sed præteritæ. Cùm signum istud (benè utique & christianè vixisse) idem perseveret in amentia & sapientia; idem post primam absolutionem, & post alias millies posteà repetitas. Secundum requisitum est, ut signum confessionis ad petendam confessionem dirigatur (aliàs confitendi voluntatem non significaret) moribundus verò Christianam vitam suam, ad petendam in morte confessionem non direxit, nec ad significandam petitionem istam.

2447 Respondeo 1°. verum esse, quòd ut moribundus absolvatur de præsenti, necessarium sit quòd in prudentum æstimatione de præsenti confiteri velit, certò, vel dubiè. Hanc tamen voluntatem non debere esse actualem; verùm sufficere virtualem; imò sufficere etiam habitualem, id est actualem, diù antè conceptam, usque nunc habitualiter perseverantem. Voluntas autem in morte confitendi, etiam diù ante infirmitatem concepta, tamdiù in prudentum æstimatione habitualiter perseverat, quamdiù res desiderata non est obtenta, nec voluntas retractata. Et ideò voluntas ista præsens esse censetur in mortis articulo, nullo apparente retractationis signo. Et quia vita Christiana (in prudentum æstimatione) non est implicita confessionis petitio, pro tempore quo explicita confessio possibilis est, sed pro tempore quo impossibilis est, & absolutio extremè necessaria est: ideò non est implicita petitio plurium absolutionum, magis quàm plurium confessionum; sed unius & necessariæ absolutionis, sicut unius & necessariæ confessionis. Ad repetitam quippe absolutionem repetita requiritur confessio. Quapropter etiamsi maneat vita Christiana ipsius, etiam post mille absolutiones, in morte non est petitio nisi primæ absolutionis. Eò quòd una tantùm absolutio semel confitentibus soleat in morte conferri. Et ideò antequam Sacerdos moribundum ob vitam Christianam absolvat, inquirere debet, an alius non absolverit, saltem dum de eo dubium sibi occurrit. Aliàs imprudenter absolveret.

Respondeo 2°. etiam verum esse, quòd signum confessionis ad petendam confessionem dirigendum sit. Verùm eo ipso ad confessionem absolutionemque dirigi, quòd est implicita saltem voluntas in mortis articulo, more piorum Christianorum, sacramentaliter confitendi, absolutionemque recipiendi. Cùm enim fidelis quisque ideò piè & christianè vivat, ut piè & christianè moriatur, implicitè saltem vitam suam Christianam dirigit ad suscipienda in morte Sacramenta, christianè morientibus conferri solita. Quod sicut (absque alia petitione, dum alia fieri nequit) sufficit ad suscipiendam Extremam Unctionem, Eucharistiam, Confirmationem; ita & ad suscipiendam absolutionem. Quòd enim confessio sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, non Extremæ Unctionis, &c. nihil prorsus refert. Neque enim confessio explicita pars est essentialis ipsius; sed explicita, vel implicita, seu prudenter ex signo aliquo sensibili præsumpta.

2448

Si dicas hanc præsumptionem non esse certam. 2449
Repono, cum Augustino, *incredibile esse nec in fine vitæ hujus pium Christianum absolvi velle*, sicut *incredibile est nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle*. Et dato quòd voluntas ejus incerta sit, *multò satius esse nolenti dare, quàm volenti negare, ubi, velis an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus* non solùm *jam credidit non se oportere de corpore exire*, sed ut sine iis de corpore non exiret, christianè vixit, Sacramentaque hactenùs piè frequentavit.

Instabis, ex dictis sequeretur totam vitam Christianam moribundi, tamquam signum petitæ absolutionis, esse partem Sacramenti.

Respondeo 1°. fortassis non esse inconveniens 2450
quòd tota vita Christiana ipsius eo modo pars sit judicii sacramentalis, quo tota vita scelerata hominis, ob scelera in carcere detenti, qui in carcere reperitur laqueo suspensus, tamquam signum desperationis & suicidii ipsius, pars est judicii forensis.

Respondeo 2°. verius esse, quòd non sit pars 2451
intrinseca Sacramenti, sed signum extrinsecum, fundans rationabilem præsumptionem non solùm internæ contritionis ipsius, voluntatisque confiten-

di; sed & quòd internam voluntatem istam notificare conetur omnibus, quibus potest, signis externis, omnibus (inquam) motibus corporis sui, ipsis etiam respirationibus, dum aliter non potest, juxta dicta num. 2431.

2452 Objicies 6°. vita christiana non magis est præsumpta confessio pro nunc, id est pro articulo mortis, quàm pro tempore præcedenti. Cùm pro nunc non det ullum signum volitæ confessionis, quod non dederit tempore præcedenti.

Respondeo negando antecedens. Quia vita christiana, etiam præcedenti tempore, fuit præsumpta confessio, non pro tunc, id est pro tempore quo possibilis & necessaria est formalis & explicita confessio; sed pro nunc, id est pro extremo vitæ termino, quo confessio explicita possibilis non est, & absolutio summè necessaria est.

2453 Objicies ultimò, ad absolvendum moribundum requiritur aliqua in ipso mutatio interior & exterior, post peccatum. Interior per contritionem. Exterior per confessionem, per quam interior illa mutatio innotescat. Atqui nulla mutatio interior & exterior apparet in moribundo nostro.

Respondeo 1°. utramque mutationem non debere esse formalem. Quamvis enim mutatio interior esse debeat formalis, sufficit quòd exterior implicita sit, vel interpretativa, seu rationabiliter præsumpta, ex vita christiana, tamquam signo significante pro nunc, ut antè dictum est.

2454 Respondeo 2°. ad absolvendum sub conditione in ultimo vitæ termino neutram illam mutationem esse debere certam & indubitatam, sed sufficere dubiam. Qualem hic & nunc non deesse, ex omnibus hucusque dictis manifestum est.

CAPUT CXCVIII.

Ægrotis in periculo mortis significanda est pœnitentia, seu satisfactio, quam implere debeant si convaluerint, impositaque interim eâ quam facilè tunc implere possint, absolvi debent.

2455 ASsertio probatur ex can. *ab infirmis* 26. q. 7. ubi sic: *ab infirmis, in periculo mortis positis, per Presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum. Non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda... A quo periculo si divinitùs ereptus fuerit, pœnitentiæ modum à Sacerdote sibi impositum diligenter observet.* Similia statuuntur in Concilio Nannetensi anni 658. can. 5. Moguntino anni 847. can. 26. Synodo Nemausensi anni 1284. tit. de Pœnit. &c.

2456 Sanctus quoque Carolus Borromæus in Instruct. de visit. & cura infirmorum sic monet Sacerdotem: *pœnitentiam ne ideò nimis levem imponat, quòd justa ab homine jacente non possit præstari, si probabile sit quòd convalescet, & tunc præstare poterit, quod non potuerat jacens. Quòd si credibile sit eum non amplius surrecturum, rationes justæ pœnitentiæ eliget, quæ possint præstari à jacente, veluti magnam eleëmosynam, pro facultatum modo. Suadebit verò semper, ut morbi afflictiones pœnitentiæ loco libenter accipiat, Dominoque pro peccatis offerat.* Et Rituale Romanum dicit, *ægris non esse injungendam gravem aut laboriosam pœnitentiam, sed indicandam... quam, si convaluerint... peragant, &c.*

CAPUT CXCIX.

Satisfactio pro peccatis jure divino necessaria est.

2457 SAtisfactio est voluntaria punitio sui ipsius, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, redimendamque graviorem pœnam promeritam. Vel est sacramentalis, dum in Sacramento injungitur à sacramentali Judice; vel non sacramentalis, dum vel injungitur, vel assumitur extra Sacramentum.

Debet esse pœnalis, seu afflictiva. Quia ex justa 2458
Dei lege pœna pro peccato debetur, nec nisi per aliam pœnam satisfaciendo compensatur. Quia tamen homini carnali, ad malumque propensо opus quodcumque bonum (in hoc statu naturæ corruptæ) contrarium est, adeòque pœnosum; ideò omne opus bonum homini pœnitenti in satisfactionem injungi potest. Sed maximè triplex in sacris Litteris commemoratum, *oratio, eleëmosyna, jejunium.* Et ideò Eugenius IV. in Decreto unionis, *satisfactio* (inquit) *pro peccatis... præcipuè fit per orationem, jejunium & eleëmosynam.* Cujus rationem optimam pius Lector videre potest apud S. Thomam in 4. dist. 15. q. 1. a. 4. q. 3. in corp.

Porrò satisfactionem pro peccatis, jure divino 2459
necessariam esse constat ex Scriptura veteris & novi Testamenti. Danielis 4. *peccata tua eleëmosynis redime.* Joël 2. *convertimini ad me in jejunio, in fletu, & planctu.* Matth. 3. *pœnitentiam agite.* Luc. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Apoc. 2. *memor esto unde excideris, & age pœnitentiam.* Quæ loca Tridentinum sess. 6. c. 14. exponit *de satisfactione per jejunia*, &c. Unde sess. 14. c. 3. dicit satisfactionem *in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri.* Tertullianus l. de pœnit. c. 4. dicit, quòd pœnitentiam *Deus præcipit.* Et c. 6. nihil esse tam *ineptum, quam pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere.... Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hâc pœnitentiæ compensatione redimendam proponit iniquitatem.* S. Cyprianus in lib. de lapsis: *cùm scriptum sit, memento unde excideris, & age pœnitentiam: nemo se fallat.... Dominus nostrâ satisfactione placandus est... reverà timini, inquit, ad me ex toto corde vestro, simulque & jejunio, & fletu, & planctu... iram & offensam ejus jejuniis, fletibus, & planctibus, sicut admonet ipse, placemus.* Unde epist. 11. ad Martyres, eos monet, quòd lapsis indulgentiam sine satisfactione largiri, sit *contra Evangelii vigorem.* Similia passim habent alii Patres, alentes, hic divinam exigere justitiam, ut impunita esse peccata non possint. Unde Augustinus in Psal. 44. *differt Deus manum suam à peccatis tuis, tu noli differre. Converte te ad puniendа peccata tua; quia impunita esse peccata non possunt.* Et in Psal. 50. *non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam. Non impunitum erit; sed ideò volo ut tu me non punias, quia ego peccatum meum punio.*

Nec sine multiplici utilitate nostra sic divina 2460
postulat justitia. Ut enim Tridentinum ait sess. 14. c. 8. *divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter à Deo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ità nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ peccata leviora putantes, velut injurii, & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit, ad amovendam imminentem à De-*

mino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentarent.

Accedit ad hæc, quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis sufficientia nostra est, conformes efficimur, certissimam quoque arrham inde habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur.

Neque verò nostra hæc satisfactio derogat satisfactioni Christi, quia *non ita nostra est, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis, tamquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

CAPUT CC.

Satisfactio non solùm necessaria est ad satisfaciendum Ecclesiæ, sed & divinæ justitiæ, nec ad remissionem pœnarum temporalium dumtaxat, sed (saltem in voto) necessaria quoque est ad remissionem lethalis culpæ, pœnaque æternæ.

2461 NUllus est inter Catholicos, qui non credat satisfactionem esse necessariam ad remissionem pœnarum, saltem temporalium. Id enim Tridentinum definivit sess. 14. c. 8. Et ratio est, quia pœna temporalis *non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristavêrunt, & templum Dei violare non sunt veriti* (inquit Tridentinum sess. 6. c. 14. & sess. 14. c. 8.) *perspicua enim* (ait hoc loco) *& illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus (præter divinam traditionem) contrarius hæreticorum error quàm manifestissimè revincitur*, v. g. in David, quem Deus, ob adulterium, multis pœnis afflixit, etiam postquam Nathan ipsi dixerat: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Qui etiam propterea totâ vitâ ploravit peccatum suum, dicens: *amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*, &c. In Exodo quoque, postquam Dominus, Moysis precibus exoratus, populo idololatræ pepercerat, minatus est se tanti flagitii pœnas repetiturum.

2462 Quòd autem satisfactio, saltem in voto, necessaria quoque sit ad remissionem lethalis culpæ, pœnæque æternæ, ratio est, quia ad remissionem lethalis culpæ, pœnæque æternæ, necessaria est pœnitentia, ut fide certum est. De ratione verò pœnitentiæ est sincerum propositum in se puniendi peccatum, ut constat ex dictis c. 33. & 61. De ratione etiam pœnitentiæ est plenum peccati odium, per quod bellum implacabile declaretur peccato, illudque peccator ulciscatur in seipso, juxta Apostolum 2. Cor. 7. Vide suprà c. 28. Denique de ratione veræ pœnitentiæ est facere fructus dignos pœnitentiæ. Siquidem *omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Idque esse necessarium ad effugiendum ignem æternum, patet ex Matth. 3. & Luc. 3. *quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quod profectò non facit, qui pro peccato satisfacere negligit.

2463 Quid plura? quòd pœnitentiæ opera necessaria sint ad placandam Dei iram, ad reconciliationem cum Deo, pœnæque æternæ remissionem, pluribus aliis divinæ Scripturæ testimoniis, Patrumque traditione probatum habes suprà cap. 61. per totum. Et idipsum multipliciter ostendit Morinus lib. 3. c. 12.

CAPUT CCI.

Quòd satisfactio pœnitentibus in Sacramento Pœnitentiæ imponatur, divinæ est institutionis, non humanæ usurpationis.

COnstat ex verbis Christi Matth. 18. & Joan. 20. quibus Apostolis suis, eorumque successoribus, ligandi & solvendi tradidit potestatem: *quæcumque alligaveritis super terram*, &c. *quorum remiseritis peccata*, &c. Quæ universa Ecclesia sic semper intellexit, ut per ea Christus Dominus *è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes suipsius Vicarios reliquerit, tamquam Præsides & Judices* peccatorum, cum potestate ea remittendi & retinendi, atque adeò puniendi æquitate servatâ, prout S. Leo testatur epist. 91. his verbis: *Mediator Dei & hominum, Homo Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Nec propterea Christi satisfactio definit esse sufficientissima, quòd per Sacramenta, satisfactionesque nostras nobis applicari debeat, ut in nobis efficaciter operetur. Sicut Christi dolor, quo pro peccatis nostris afflictus est, & lachrymæ quas pro eorum remissione fudit, non desinunt esse sufficientissimæ, tametsi nobis applicari debeant per contritionem lachrymasque nostras, ut dictam remissionem in nobis efficaciter operentur. Sicut etiam passio Christi talis esse non definit, ex hoc quòd ipsi compati debeamus, ut conglorificemur. Sic enim unum Scriptura asserit, ut requirat & alterum.

Peccatoris etiam cum Deo reconciliatio non definit esse vera, tametsi eâ lege fiat, ut injuria Deo per peccatum illata, per satisfactionem reparetur. Cùm etiam in hominum reconciliatione simile quid accidat. Ad redintegrandam quippe amicitiam, exigere solent læsi honoris, damnorumque illatorum reparationem. In reconciliatione quippe hominis cum Deo misericordia & veritas se invicem osculantur; misericordia, quâ Deus peccata remittit; veritas, quâ nihilominùs ea punit, nisi seipsum homo puniat.

Ut quid igitur (ait hæreticus) Ambrosius lib. 10. in Lucam, *lachrymas* (inquit) *Petri lego; satisfactionem non lego?*

Respondeo, satisfactionem ibi ab Ambrosio non sumi pro criminis punitione, sed pro illius excusatione, prout constat ex textu, ubi sic: *Nos excusamus, ipse non excusavit ... Maluit suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo; quàm gravaretur negando .... Non invenio quid dixerit* pro sui justificatione, *invenio quòd fleverit.* Hoc sensu ergo immediatè sequitur: *lachrymas ejus lego; satisfactiones non lego.* Quòd enim satisfactionis necessitatem non neget, perspicuum est ex toto libro ipsius de pœnit. atque ex c. 8. ad virg. lapsf. *grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.*

CAPUT CCII.

Prorsus abjicienda est propositio ista: Absolvi potest pœnitens, nullâ satisfactione impositâ, sed in Purgatorium dilatâ.

ESt enim contra Scripturam & traditionem, quibus probata est necessitas satisfactionis in hac vita. Est etiam contra officium Judicis, impunitum relinquere peccatum. Est contra officium Ministri hujus Sacramenti, id non agere, ut integrum sit Sacramentum. Quod sine satisfactio-

ne

ne (ad integritatem ipsius requisitâ, secundùm Tridentinum sess. 14. c. 3.) integrum non est. Est denique contra officium Medici & Patris spiritualis: cùm hoc non sit curare, sed fovere peccata, fovendo impœnitentiam. Eitque peccatis connivere, & licentiam dare, cùm oporteret satisfactionis fræno ac veluti flagello coërcere, animarumque vulnera, & pravos affectus, habitusque satisfactoriâ castigatione sanare.

2469 Meminerit Sacerdos, quòd *ut segnes natos facit indulgentia matrum*; sic propriæ salutis incurios, legisque neglectæ reos facit indulgentia Patrum spiritualium; quâ dum eorum vulnera manu parcente contrectant, non curant, sed exaggerant. Ideò namque scriptum est: *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Ideò etiam Tridentinum docet, vel ipsam *divinam clementiam decere, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccatum dimittatur, ut occasione acceptâ, peccata leviora reputantes... in graviora labamur... Procul dubio enim magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ.* Ideò denique Institutio Christiana Moguntinensis de satisfact. §. *longum esset* fol. 201. & 202. *multos* (inquit) *tulit ætas nostra, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas. Qui, contra Evangelii vigorem, veniæ facilitatem promittentes, malitiam hominum in immensum augent. Nimirùm ista diaboli est nociva persecutio, sub falsa securitate incautas animas ad certum interitum venantis. Dum enim ipse facilis veniæ nihil metuitur, scelera sceleribus cumulantur.* Hujusmodi Confessarios *piè impios, & impiè pios* vocat S. Thomas Villanovanus, *qui ne pœnitentem aliquantisper contristent, illum in sua nequitia manere permittunt. At quantò* (ait) *melius esset ad modicum contristare, quàm in æternum damnare!* Si enim *per falsas pœnitentias animæ ad inferna trahuntur*, uti Doctor Angelicus ait opusc. 65. de offic. Sacerd. quantò magis per pœnitentias nullas? per quas proinde pœnitentes non mittunt in purgatorium, sed in infernum. Nam ut Hugo de S. Victore Erudit. Theol. l. 2. de Sacram. p. 14. c. 3. ait, tametsi *post mortem ignis quidam purgatorius datur, ubi purgantur, & mundantur, qui hic corrigi cæperunt, & non perfecerunt.* Tamen *qui in hac vita nec incipere voluerunt, ibi consummare non possunt.*

2470 Sed dato, non concesso, quòd eorum punitio in purgatorium differretur, nimia profectò crudelitas est, malle in acerbissimas purgatorii pœnas filium spiritualem transmittere, quàm hîc ad modicum contristare. Quàm enim acerba sit purgatorii pœna, Augustinus in Psal. 37. insinuat, dicens: *quia* 1. Cor. 3. dicitur, *salvus erit: contemnitur ille ignis. Gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita. Magna fuit pœna B. Laurentii in craticula, & etiam B. Bartholomæi* (ait S. Vincentius Ferrerius serm. 2. Dom. 15. post Trinit.) *sed nihil fuerunt respectu purgatorii, in tantum quòd momentum videntur mille anni.* Tanta sunt purgatorii supplicia, ut iis visis extatica Virgo S. Maria Magdalena de Pazzis anno 1587. exclamaverit: *tormenta omnia à SS. Martyribus tolerata, horum respectu, sunt instar horti amœnissimi.* Censeo itaque eum, qui dicit, nolo hîc satisfacere, sed in purgatorio, blasphemare contra misericordiam Dei, quæ ipsum invitat ad pœnas respectivè levissimas, ut evadat acerbissimas.

CAPUT CCIII.

Adjicienda quoque hac plurium Juniorum propositio: nulla, vel modica satisfactio imponenda est, dum pœnitens confitetur ad lucrandum Jubilæum, vel aliam Indulgentiam plenariam.

CArdinalis de Lugo disput. 27. de pœnit. n. 27. 2471 & alii Noviores Casuistæ docent, nullam à Confessario pœnitentiam esse necessariò imponendam, dum pœnitens lucrari vult Jubilæum, vel aliam Indulgentiam plenariam. 1°. quia Bonifacius VIII. ut refert Glossa in Extrav. *antiquorum* de pœnit. & remiss. in Consistorio declaravit, *quòd sui Pœnitentiarii nihil debent injungere, ultra injunctionem hîc positam. Aliàs*, ut dicebat, *Indulgentia frustraretur... nisi ad alium finem injungeretur, v. g. ad cautelam futurorum*, &c.

2°. qui lucratur Indulgentiam plenariam, lucratur exemptionem ab omni pœna peccatis debita. Nulla igitur pœna ipsi injungenda est. Cùm nulla injungenda sit exempto ab omni pœna. Idque supponit Innocentius III. c. *cùm ex eo* in fine de pœnit. & remiss. dum ait, *per indiscretas & superfluas Indulgentias, satisfactiones sacramentales enervari.*

Verùm opinio ista, 1°. Patribus, Conciliis, 2472 Ecclesiæ sensui, rationi parum consona est. 2°. Ecclesiæ est minùs honorifica. 3°. videtur animarum saluti noxia. 4°. sufficienti non est fundamento suffulta.

Neque enim primum fundamentum, pro ea allatum, validum est, quia dato, non concesso, quòd Bonifacius VIII. id in Consistorio dixerit, dictum istud intelligi non potest in sensu quem Cardinalis de Lugo, & alii Juniores intendunt: aliàs sibimetipsi, aliisque Pontificibus, Conciliis, & Patribus Bonifacius adversaretur, ut infrà patebit: sed hoc sensu, quòd nulla satisfactio, ad lucrandam Indulgentiam, à Pœnitentiariis injungenda sit, ultra eam quam ad eam lucrandam ipse Papa injungit. Dicit enim *ultra injunctionem hîc positam* Hoc autem verificatur, salvâ veritate assertionis nostræ, secundùm quam, opera quidem satisfactoria, per Bullam Indulgentiæ, ad eam lucrandam requisita, ad hoc censeri debent sufficientia, sed suppositis supponendis, quòd utique subjectum dignum sit adjuvari per thesaurum Ecclesiæ, nihilque in ipso obstet effectui Indulgentiæ. At innumeri sunt, in quibus est obstaculum, quique digni non sunt, qui per Ecclesiæ thesaurum adjuventur, ad consequendum plenarium effectum Indulgentiæ plenariæ. Neque enim omnes, in gratia per confessionem & absolutionem existentes, effectu illo digni sunt. Quia, ut sapienter observat Cajetanus tr. 10. de Indulgent. (qui hanc quæstionem contra Lutheri calumnias accuratissimè tractavit) " sunt confessi in gratia duplicis ordinis: " quidam solliciti ad satisfaciendum per seipsos pro " peccatis suis; quidam negligentes satisfacere per " seipsos: primi condignas pœnitentias vel petunt " à Confessoribus sibi imponi, parati eas implere; " vel sponte eas assumunt, dum continuò studeant " per sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleëmosynas dando, &c. Secundi verò levissimam pœnitentiam aut rogant, aut læti susscipiunt, & cùm illam impleverint, quam sciunt " esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo. Et hi sunt, quibus Indulgentiæ non prosunt, judicio meo. Nullus enim indignus alienâ satisfactione, pro pœna sibi debita, consequitur veraciter fructum Indulgentiæ. Sed quilibet, in gratia constitutus, negligens satisfacere per seipsum, est indignus alienâ satisfactione, pro pœna propriis peccatis debita." Et talis censetur in omni Republica benè ordinata, in qua " quantumcumque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes " tamen solvere, indigni censerentur adjutorio " thesauri. Ex eo enim quòd possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali "

" sublevamine. Et nisi tales pro indignis haberen-
" tur, foveretur negligentia: quoniam alii horum
" exemplo, ad similem negligentiam provoca-
" rentur. " Hoc igitur esset otiosos & inertes in otio & inertia, tepidos & negligentes in tepore & negligentia fovere, contra Reipublicæ bonum. Quod proinde exigit, ut tales indigni censeantur tali gratiâ & sublevamine. *Cùm igitur Ecclesia sit* Respublica *à Deo ordinata*, benè proinde ordinata, *æquum non est ut pro dignis* dispensatione spiritualis thesauri habeat taliter negligentes, & tepidos in satisfaciendo pro peccatis propriis, ut cum in finem, nihil, aut ferè nihil faciant, & facere velint; pro quibus ex Ecclesiæ thesauro satisfacere, quid aliud esset, nisi eorum mollitiem, teporem, negligentiam, imò & peccata fovere? Esset igitur potestate à Deo acceptâ uti in destructionem, non in ædificationem (ad quam Deus Ecclesiæ dedit ligandi atque solvendi, atque adeò Indulgentias conferendi potestatem) siquidem esset eâ uti ad enervandam pœnitentialem satisfactionem, non sine grandi præjudicio salutis animarum. Dum enim pœnitentialis satisfactionis opera peccatores negligunt, peccatorum suorum gravitatem non sentiunt, vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus non extirpant, nec satisfactoriarum pœnarum fræno à peccato revocantur, cautioresque & vigilantiores redduntur. Quibus pœnitentialium satisfactionum fructibus, à Tridentino enarratis, privati, à peccatorum recidiva non cohibentur; ideòque ad solita peccata facilè redeunt, in iisque perseverantes, tandem impœnitentes moriuntur, & pereunt.

2473 Et ampliùs illustratur allata ratio: quemadmodùm enim viventium suffragiis digni non sunt juvari in purgatorio, qui, ut ea sibi prodesse possent, non meruerunt in hoc sæculo: sic digni non sunt juvari de Ecclesiæ thesauro, qui, ut sibi thesaurus iste prodesse possit, non merentur, seipsos pro posse juvando, pro suisque delictis, quantùm possunt, satisfacere non negligendo. Denique digni non sunt amicorum subsidio, qui sibimetipsis subsidium ferre negligunt, cùm possint.

2474 Et ideò optimè Baronius ad annum 1075. n. 71. monet, *Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantùm suppetunt vires, benè operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentiâ torpescentibus.* Et Bellarminus l. 2. de Indulg. cap. 6. *Indulgentias dari diligentibus, negari negligentibus.* Et Cardinalis Le Camus, Episcopus Gratianopolitanus, Constitut. Synodal. tit. 5. art. 3. de Indulg. docet quòd *Jubilæa & Indulgentiæ à SS. Pontificibus iis solis concedantur, qui ad proficuum earum usum disponunt seſe per veram pœnitentiam quique* CHARITATE JUNGENTE (*ut magnus quidam Pontifex ait*) MEMBRA SUNT CHRISTI, *ita ut applicatio meriti sanguinis Jesu Christi, Sanctorumque cum ipso in cælis regnantium, supplementum sit insufficientiæ satisfactionum nostrarum.* Paulò ante verò dixerat, *perversam* esse *doctrinam*, quâ *Indulgentiarum sacrilegus fit abusus*, dum *peccatoribus persuadetur, quòd ad faciendam pœnitentiam minimè teneantur.*

2475 Laudatis Cardinalibus (quibus cap. 205. S. Bonaventuram adjungemus) subscribunt graviſſimi Episcopi, præcipuique Doctores Scholastici, quos eodem capite proferemus.

2476 Non itaque subsistit primum fundamentum, quod pro opinione sua profert Cardinalis de Lugo. Nec magis subsistit secundum. Cùm enim Indulgentiæ non sint nisi in supplementum insufficientiæ nostræ (ut patet ex dictis, & ampliùs patebit ex Pontificibus, Conciliis & Patribus, capite sequenti exhibendis) nec vergere debeant in destructionem, seu enervationem Ecclesiasticæ, imò potiùs Evangelicæ disciplinæ, pœnitentialisque satisfactionis nostræ: Ecclesiæ intentio est, semperque fuit, ut solis prodessent diligentibus, non negligentibus facere quod possunt & debent pro peccatorum suorum satisfactione. Etilli soli digni sunt, qui per plenariam Indulgentiam ab omni pœna liberentur, qui ex parte sua nihil neglexerunt, quo se vicinos redderent satisfactioni. Cui quantò viciniores, tantò Indulgentiâ plenariâ digniores. Verùm cùm pauci tales sint, pauci plenariæ Indulgentiæ plenarium consequuntur effectum. Pauci proinde ab omni pœna per Indulgentiam liberantur. Non est igitur prætermittenda impositi pœnitentiæ sub prætextu Indulgentiæ.

Primò, quia opinio id permittens, non est ido- 2477
neo fundamento suffulta, ut vidimus. Paucissimi enim, rarissimique hoc tempore (quo canonicarum pœnitentiarum usus desiit, antiquoque rigori mollities magna successit) Plenariam Indulgentiam lucrantur in tota sua plenitudine. Tum quia eâ soli illi digni sunt, qui pro modulo suo dignos pœnitentiæ fructus fecerunt (Indulgentia namque non est nisi in supplementum insufficientiæ nostræ, subsidiumque infirmitatis, quæ tanta est, ut etiam post factos pro modulo nostro pœnitentiæ fructus, non parum superfit nobis in altera vita luendum, nisi succurratur nobis per Ecclesiæ thesaurum) sed & quia Confessarii vix aut ne vix quidem scire possunt, quinam plenario Indulgentiæ effectu digni sint, sive quinam sufficientes ad hoc pœnitentiæ fructus fecerint: cùm vix aut ne vix quidem scire possint, quæ & quanta satisfactionis mensura pro peccatis singulis debeatur. Tum quia pauciſſimi sunt, rariſſimique in tota fidelium universitate, in quibus nullus reperiatur obex plenarii effectûs plenariæ Indulgentiæ. Quandoquidem ab omni obice soli illi liberi sint, qui expurgati sunt ab omni affectu ad peccatum quodcumque, etiam veniale. Quamdiù verò quis affectum retinet, vel ad unum veniale, illius remissionem consequi non potest: cùm certum sit non remitti pœnam, quamdiù affectus retinetur ad culpam. At quàm pauci sunt, quàm rari, quibus nullus supereſt affectus ad ullum veniale peccatum! Siqui sunt, sancti sunt, & perfecti. Sanctorum verò, perfectorumque quàm exiguus est numerus! Tum denique quia multi & valdè multi deficiunt in adimplendis conditionibus ad plenariam Indulgentiam præscriptis, vel ob defectum fervoris, seu devotionis in iis adimplendis, vel quia minùs præstant, quàm (secundùm Ecclesiæ intentionem) præstare debent, dum v. g. ipsis oratio præscribitur, vel eleëmosyna, ad lucrandam Indulgentiam plenariam. Multi namque & valdè multi seipsos decipiunt, dum (post multa, enormiaque crimina) plenariæ Indulgentiæ plenitudinem lucrari putant, ad consequendum finem ab Ecclesia intentum, in Ecclesia determinata, solùm recitando v. g. quinquies Pater & Ave: vel solùm dando eleëmosynam modiciſſimam, respectivè ad opes & facultates quibus abundant. Per hoc enim talis peccator sufficienter non contribuit ad finem ad Ecclesia intentum; ad quem convenienter non orat, qui tam parum orat: nec eleëmosynam respectivè convenientem dat, qui tam parum dat. *Quando* enim *datur Indulgentia indeterminatè ei qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ* v. g. (ait S. Thomas in 4. dist. 20. a. 3. q. 2. ad 3.) *intelligitur tale auxilium, quod sit conveniens ei qui dat. Et secundùm hoc plus, vel minùs de Indulgentia consequitur. Unde etiam aliquis pauper, dans unum denarium, consequitur totam Indulgentiam; non autem dives, quem non decet, ad opus tam pium & fructuosum, tam parum dare: sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, si ei obolum daret.*

2478 Secundò : opinio illa videtur *animarum saluti noxia*, ob ea quæ dixi n. 2472. sub finem : si enim opinio ista vera esset, evacuaretur studium pœnitentiæ, & satisfactionis : nec peccatores, quàmlibet enormes, vellent ullam subire pœnitentiam, ultra opera præscripta per Bullam Indulgentiæ, præsertim magnis in civitatibus, in quibus tanta frequentia est plenariarum Indulgentiarum, ut nulla sit hebdomada, nulla ferè dies, absque Indulgentia plenaria, modò in ista, modò in illa Ecclesia. In istis proinde civitatibus, tanta, tamque frequenter occurrens facilitas plenæ remissionis, absque necessitate satisfactionis, latam aperiret portam, non solùm suffragia pro defunctis, plenariè in morte absolutis, sed & satisfactiones pœnitentiales, utpote non necessarias, negligendi. Magnum proinde tribueret incentivum delinquendi. Quia etiam millenorum adulteriorum, vel etiam nefandarum contra naturam spurcitiarum, sacrilegiorum, homicidiorum, blasphemiarum, perjuriorum rei, non obstante totali hactenùs salutis incuriâ, dignorumque pœnitentiæ fructuum negligentiâ, cum sola adimpletione, etiam non admodùm ferventi (ut in talibus assolet) modicarum conditionum pro Indulgentia plenaria requisitarum, totum ipsius effectum, absque alia satisfactione sic consequi possent, ut post Indulgentiam repentè mortui, rectà in cælum absque purgatorio transvolarent. Si *facilitas veniæ*, Ambrosio judice, *incentivum tribuit delinquendi*; maximè profectò facilitas tanta totalis veniæ, atque remissionis. Tanta quippe facilitas tollit præcipum frænum, quo peccatores à peccando retrahuntur. Quemadmodùm enim *magnoperè à peccatore revocant, & quasi fræno quodam coërcent satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt*, ut Tridentinum ait sess. 14. c. 8. Sic omnia contraria eveniunt, dum frænum istud & medela negligitur.

2479 Tertiò : opinio illa *Ecclesiæ minùs est honorifica* : utpote ex qua hæretici ansam accipiunt Ecclesiam calumniandi, quòd per Indulgentias suas nimis largum faciat forum Dei, nimiumque tribuat illicium peccandi, tantam tribuendo facilitatem totalem peccatorum remissionem obtinendi. Quam calumniam facilè nos confutamus, dum asserimus, per Indulgentias non tolli obligationem faciendi fructus dignos pœnitentiæ, nec obligationem eos injungendi. Cùm hoc sit de jure divino, testeque Tridentino loco citato, " divinæ justitiæ " ratio exigere videatur, ut aliter ab eo in gratiam " recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto " Spiritûs sancti dono, scientes, Templum Dei " violare, & Spiritum sanctum contristare non " formidaverint. Et divinam clementiam decet, " ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes.... in graviora labamur. Ad quod " præcavendum, ad plenam & integram peccatorum remissionem per Sacramentum Pœnitentiæ, " sine magnis nostris fletibus & laboribus pervenire non possumus (sicut per Sacramentum Baptismi) divinâ id exigente justitiâ (inquit c. 20.) " ut meritò pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à SS. Patribus dictus fuerit. Nec hoc dicendo, aliquid adimitur efficaciæ Indulgentiarum (prosequitur Cajetanus ubi suprà) sicut " nihil adimitur efficaciæ Sacramentorum, ex hoc " quòd oporteat accedentes ad illa esse dignè dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli siquidem indigni Indulgentiâ, ab illius fructu, juxta hunc dicendi modum, excluduntur.

Quartò : illa opinio *Patribus, Conciliis, Ecclesiæ sensui, rationi parum est consona.* Quòd parum consona sit rationi, satis apparet ex dictis. Quòd parum consona sit Patribus, Conciliis, & Ecclesiæ sensui, apparebit ex dicendis capite sequenti.

CAPUT CCIV.

Ampliùs opinio illa confutatur ex Patribus, Conciliis, & Ecclesiæ, seu Romanorum Pontificum sensu.

HUnc in finem lubet Indulgentiarum originem, 2480
& circa eas SS. Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum, atque adeò Ecclesiæ sensum ob oculos ponere.

De Indulgentiis itaque Catholicorum quisque meritò assentitur Concilio Tridentino sess. 26. in Decreto de Indulgent. declaranti, primò, quòd *potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit*, utique Matth. 16. & Joan. 20. *quæcumque solveritis*, &c.

Secundò, quòd *hujusmodi potestate, divinitùs sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus Ecclesia usa fuerit.*

Tertiò, quòd negari nequeat, *Indulgentiarum* 2481
usum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum, etiam Generalium, Nicæni I., Lateranensis I., Lugdunensis sub Gregorio X. Viennensis sub Clemente V. authoritate *probatum, in Ecclesia retinendum esse.*

Quartò, *in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhibendam.*

Antiquissimum igitur esse Indulgentiarum usum constat, non solùm ex approbatione ipsius per Concilia antiquissima; verùm & ex eo quòd Christus Dominus, Apostoli, & antiquiores Ecclesiæ Præsules, pœnam peccatis debitam remiserint. Hoc autem est Indulgentiam concedere. Christus (inquam) Magdalenæ *multa peccata* dimisit, *quoniam dilexit multum.* Et adulteræ pœnam remisit, quia se judicio ipsius, cum maxima contritione, humillimè submisit. Apostolus incestuoso Corinthio, nondum peractâ totâ pœnitentiâ, quod residuum erat condonavit, *ne abundantiori tristitiâ absorberetur.* Et hoc sensu 2. Cor. 2. dicit: *cui aliquid donastis, & ego.... donavi.... in persona Christi*, per acceptam ab ipso solvendi potestatem. Neque enim ista Apostoli verba intelligi possunt de absolutione à peccatis, vel ab excommunicatione. Cùm & verborum proprietas, & Apostoli contextus, hunc respuant intellectum. Absolutio namque ab excommunicatione propriè *condonatio* non dicitur: nec in Scriptura sacra, vel apud SS. Patres, taliter usquam appellatur. Illud etiam quod Apostolus dicit: *cui aliquid*, id est partem aliquam, *donastis, & ego*, de peccatis intelligi nequit. Necessariò ergo intelligitur de pœnis, sicque exponitur à Chrysostomo & Theodoreto. Aliquam itaque pœnarum partem, quæ solvenda supererat, Apostolus condonavit; indulgentiam proinde concessit. Et Christus quidem eam concessit adulteræ, & Magdalenæ, sine aliqua satisfactione, per potestatem excellentiæ. Sed Apostolus, peractâ majori satisfactionis parte, secundùm Dei Legem.

Et istud est quod (post Apost.) fecerunt sanctiores Ecclesiæ primorum sæculorum Antistites, 2483
quos Christianis lapsis, pœnitentiam sedulò agentibus, ad Martyrum, Confessorumque instantiam supplicationemque, ob egregia ipsorum in Ecclesiam merita, præscriptæ pœnitentiæ partem condonasse legimus in lib. Tertulliani ad Martyres, & in lib. Cypriani de lapsis. Unde in lib. de pudicitia Tertullianus, Montanista jam factus, sic exprobrat Zephirino Papæ: *Tu jam & in Martyres tuos*

effundis hanc potestatem..... sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque effundere quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem suâ solvit, nisi solus Dei Filius?..... Proinde qui illum æmularis, donando delicta, si nihil ipse deliquisti, planè patere pro me. Si verò peccator es, quomodò oleum faculæ tuæ sufficere & mihi & tibi poterit? Quis permittis homini dare, quæ Deo referenda sunt? Verùm quod verbis istis Tertullianus hæreticus improbat, Cyprianus probat; sed hâc conditione, si cum debita fiat moderatione; si utique fiat intuitu meritorum, & supplicationis Martyrum, & supplicatio ista non fiat pro iis, qui pro se satisfacere, vel nolunt, vel negligunt, sed pœnitentiæ operibus sedulò incumbunt: *Credimus* (inquit lib. de lapsis) *posse apud Judicem plurimùm valere Martyrum merita.... Mandant aliquid Martyres fieri? si justa, si licita, si non contra Dominum, à Dei Sacerdote facienda sunt.... si petentis* (pro quo supplicant Martyres) *fuerit religiosa moderatio*; ita scilicet ut non negligat conditionem, quam ad id ibidem & alibi requirit, dicens: *si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus, si justis & continuis operibus Dominum inflectat.... potest Deus indulgentiam dare.... pœnitenti, operanti, roganti* (ecce conditio) *potest clementer ignoscere: potest acceptum facere quidquid pro talibus* (ecce iterùm *pro talibus*: non ergo pro ignavis, atque ex nimia mollitie, salutisque incuria negligentibus orationes & opera pœnitentiæ, atque satisfactionis) *& petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

2483 Negligentibus verò, & non facientibus pro posse fructus dignos pœnitentiæ, indulgentiam concedere, sic Deo reservatum censuit Cyprianus, ut ipsis indulgentiam concedere, dixerit esse contra legem Dei, Evangeliique vigorem. Ideòque dum immoderantiam animadvertit in nonnullis Martyrum, Confessorumque libellis, ac supplicationibus, ita ut pro iis poscerent indulgentiam, qui nullam adhuc pœnitentiam egerant, imò (freti Martyrum & Confessorum libellis) agere detrectabant, ipsos graviter reprehendit, protestatus id esse *contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem*, ut eodem libro de lapsis videre est, sicut & lib. 3. epist. 11. ubi sic Martyribus & Confessoribus scribit: si justam & secundùm Dei legem esse vultis supplicationem vestram, *peto ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello.* Ecce ergo conditio à Cypriano requisita, ecce quos indulgentiâ dignos censuit: *quorum* utique *pœnitentia satisfactioni proxima est.*

2484 Qua in re Cypriani sensum zelumque universæ postmodùm Ecclesiæ sunt subsecutæ. Propterea namque can. 25. Concilii Illiberitani, & can. 9. Concilii Arelatensis anni 314. statutum est, ut nulla haberetur ratio libellorum, seu supplicationum Martyrum, per quos seu per quas vigor Evangelicus & satisfactio pœnitentialis enervabatur. Canone etiam 5. & 22. Concilii Ancyrani, ejusdem anni, statutum est, Indulgentiam solis illis concedendam, quorum zelus & fervor in actione pœnitentiæ ipsos Episcopis commendabiles efficeret.

2485 Concilium quoque primum Oecumenicum, Nicænum, can. 12. pro regula indulgentiæ concedendæ statuit, ut ea non concederetur negligentibus opera pœnitentiæ, sed in eis ferventer & perseveranter se exercentibus: *Quicumque cum omni timore & lachrymis perseverantibus, & bonis operibus conversationem suam... opere & veritate demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes* (id est annos præscriptos in pœnitentiæ studio) *fidelibus in oratione communicent. Postmodùm verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque verò indifferenter habuerunt lapsum, & sufficere sibi ad conversionem introitum in Ecclesiam arbitrati sunt, isti omninò tempora statuta compleant.*

Hanc regulam subsecuta Concilia tenuerunt. 2486
Et ideò Concilium Lateranense IV. anni 1215. sub Innocentio III. can. 62. *moderandas voluit indiscretas & superfluas Indulgentias, quia per eas & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur.* Concil. quoque Salegunstadiense anni 1022. can. 18. declaravit, Indulgentias minimè profuturas iis, qui pœnitentialem satisfactionem, sibi pro peccatorum suorum gravitate per Episcopum vel Confessarium impositam, vel imponendam, accipere nolebant, quia Romam eundo Indulgentiam plenariam se à S. Pontifice impetraturos confidebant: *quia* (inquit) *multi tantâ mentis suæ falluntur stultitiâ, ut in aliquo capitali crimine deprehensi, pœnitentiam à Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi peccata dimittat: sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit; sed prius, juxta modum delicti, pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus accipiant. Et tunc Romam si velint ire, ab Episcopo proprio licentiam & litteras ad Apostolicum ex eisdem rebus deferendas accipiant.*

Eundem quoque semper fuisse sensum Roma- 2487
norum Pontificum, argumento est, quòd satisfactionem indulgentiæ proportionatam semper requisierint in suscipientibus indulgentiam, ita ut eam non æqualiter omnes, sed secundùm illius satisfactionis proportionem, alii magis, alii minùs eam consequerentur.

Hinc est enim quòd Gregorius VII. anno 1705. 2488
Episcopo Lincolniensi, delictorum indulgentiam postulanti, eâ solùm lege concesserit, ut pœnitentiam pro posse ageret: *absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti... tibi mittere dignum duximus. Si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris* (nota benè) *corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.*

Gelasius II. in epistola ad Exercitum Christia- 2489
norum Cæsaraugustæ commorantem, & ad omnes fideles contra Saracenos pugnantes; omnes quidem ea in expeditione pœnitentiâ suscepta morientes, ab omnibus peccatis plenariè absolvit; sed aliis eadem in expeditione laborantibus ad reficiendam istius urbis Ecclesiam, à Saracenis dirutam, aliquid contribuentibus, indulgentiam non concedit, nisi *secundùm laborum & beneficiorum Ecclesiæ impensorum quantitatem.* Similiter Alexander III. in Concilio Lateranensi III. fidelibus contra hæreticos decertantibus nonnisi biennium de pœnitentia injuncta relaxat, nec Episcoporum discretioni amplioris committit indulgentiæ concessionem, nisi *secundùm modum laboris, si longiorem ibi moram habuerint.*

Gregorius VIII. cùm Ecclesiam Beneventi de- 2490
dicasset, populo ait: *tutius est ut agatis pœnitentiam, quam vel tertiam partem, vel aliquotam vobis remittam*, ut refert Petrus Cantor in Sum. de Sacram. & animæ consiliis.

Eugenius IV. (ut refert Thomas à Kempis in 2491
Chronica montis S. Agnetis) Religiosis istius Monasterii anno 1440. plenariam in mortis articulo Indulgentiam concessit, sed hâc lege, ut eâ se dignos redderent, jejunando, per integrum annum, omnibus feriis sextis, vel alia opera, loco jejunii, de consilio Confessarii substituendo, sicut Monasterii consuetudine, soliti essent omnibus feriis sextis jejunare. Hâc etiam additâ conditione, quòd Indulgentia non perduraret, nisi *quamdiù vixerint in observantia regulari.*

Mens itaque Romanorum Pontificum, Indul- 2492

gentiam plenariam concedentium, non est, ut eam in tota sua plenitudine consequantur (præscriptas conditiones adimplendo) qui ipsius plenitudine, secundùm divinam legem, se dignos non reddiderunt, pro posse faciendo dignos pœnitentiæ fructus. Neque enim plenaria Indulgentia ideò plenaria dicitur, quia omnes, quibus conceditur, eam plenariè consequuntur; sed quia Pontifex, eam concedendo, concedit totum, ad quod potestas clavium se extendit, sive quia intendit dare totum quod potest secundùm plenitudinem potestatis suæ. Sic enim Bonifacius VIII. exposuit quod dixit in extrav. *antiquorum*, Indulgentiam *plenam, pleniorem & plenissimam* concedendo. Ad quæ verba Glossator sic habet: *Dico, Papam interpretatum fuisse in Consistorio, me præsente, ideò plenam* & plenissimam meritò dici, quia talis est, *prout clavium potestas se extendit, idem tam multum dare volebat Pontifex, quantùm dare poterat virtute clavium in ejusmodi circumstantiis.*

2493 Intelligebat ergo Pontifex plenitudinem, quantùm est ex parte potestatis & voluntatis suæ, suppositis supponendis secundùm legem Dei: non autem plenitudinem, quantùm est ex parte effectûs, ita ut eam omnes plenariè consequerentur. Aliàs omnes, quibus conceditur, eam æqualiter (quia æquè plenariè) consequerentur. Cujus oppositum, in dicta extrav. Bonifacius VIII. declarat, dicens: *unusquisque tamen plus meretur, & Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas* (ad lucrandam Indulgentiam designatas) *ampliùs & devotiùs frequentabit.*

2494 Iste proinde sensus est Romanæ Ecclesiæ. Quæ propterea in Concilio Lugdunensi sub Innocentio IV. Indulgentiam quidem plenariam concessit contribuentibus in expensas belli sacri, sed participandas *juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum.*

2495 Atque hoc modo intellectæ Indulgentiæ non præjudicant divinæ legi (de satisfactionis, dignorumque pœnitentiæ fructuum necessitate) nec præjudicant Ecclesiæ honori, nec animarum saluti, nec Indulgentias ipsas contemptibiles reddunt, (prout hæretici prætendunt) quia nimiâ facilitate remittendi incentivum non tribuunt delinquendi. Quod omninò cavere, Ecclesiæ mens semper fuit, ideòque in novissimo etiam Generali Concilio Tridentino sess. 25. in Decreto de Indulgent. voluit, *in concedendis Indulgentiis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi, ne nimiâ facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur*, id est ne nimia Indulgentiarum facilitas incentivum peccatoribus tribuat pœnitentialem satisfactionem, dignosque pœnitentiæ fructus prætermittendi, sibi persuadendo, faciliori ratione sibi peccata remitti per Indulgentias, absque aliorum operum pœnitentialium labore. Quam persuasionem cùm ipsis ingerat opinio quam impugnamus, Ecclesiæ Catholicæ menti patenter contrariatur, ut dixi cap. præcedenti.

2496 Denique Indulgentiæ modo dicto intellectæ, omni ex parte plurimùm utiles sunt, rectæque rationi omninò conformes. Utiles quidem, eò quòd talis & tanta sit infirmitas nostra, ut, etiam post laboriosa pœnitentiæ opera, pro morali nostra possibilitate practicata, ob quotidiana delicta nostra non parum nobis superfit in altera vita luendum, ut suprà dixi. Sunt etiam conformes rectæ rationi; utpote quæ dictat, quòd Indulgentiarum, etiam plenariarum, effectum ampliùs participare debeat, qui ad eas participandas ampliùs est dispositus, sicut Sacramentorum effectum ampliorem consequuntur, ampliùs dispositi. Ampliorem proinde Indulgentiarum effectum cæteris paribus participare debeant, qui pro paucioribus & levioribus satisfacere habent, quàm qui pro pluribus & gravioribus: ampliorem item, qui ad satisfaciendum pro seipsis nihil neglexerunt, quàm qui neglexerunt.

Nec intellectus ille obstat, ne verum sit quod 2497
vulgò dicitur: *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant.* Quia adhuc hoc verum est simpliciter, si debita dispositio adsit: secundùm quid verò, sive quantùm est ex parte concedentis, si ad totalem effectum aliquid desit ex parte recipientis, uti ex Bonifacio VIII. diximus n. 2493.

Fateor quidem, hoc posito, valdè incertum 2498
esse, quando quis plenariam Indulgentiam plenariè consequatur, & quantum quisque ex ea consequatur. Verùm incertitudo ista perutilis est ad stimulandum Fideles, ne propter Indulgentias negligant pœnitentiæ labores, neque opera pietatis, neque ampliorem remissionem per Sacramentorum frequentationem: præcipuè quia *quandoque sunt plurium debitores, quàm credant*, ait S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. quæstiunc. 1. ad 4.

CAPUT CCV.

Laudatis Pontificibus accedunt novissimi Pontifices, Cardinales, Episcopi, Theologique gravissimi.

ANte Eugenium IV. referendus fuerat Inno- 2499
centius III. qui in cap. *super eo* de pœnit. & remiss. ait, quòd *licèt generaliter fiat Indulgentia, propter laborem, propter devotionem & periculum, tamen unus plus alio habet intra metam à Prælato constitutam, secundùm quod plus devotus est, vel plus laborat, vel majoribus periculis se exponit.*

Adrianus VI. in qq. de clavib. post quæstionem 2500
quæ incipit, *viso de excommunicatione*, similiter docet, quòd duorum idem opus facientium, unus plus consequitur de Indulgentia quàm alius; eò quòd unus ad causam tanti beneficii majori quâdam proportione accedat quàm alter.

Sixtus IV. & Clemens VIII. effusas nimis In- 2501
dulgentiarum concessiones ideò revocandas, vel ad veterem consuetudinem moderandas censuerunt, quòd nimiâ earum multitudine & largitate fideles in faciendis pœnitentiæ fructibus, peccatisque emendandis fiant remissiores. Sic de Clemente VIII. referunt Baronius ad annum 847. n. 4. & Bellarminus l. 1. de Indulg. cap. 12. Sixtus verò IV. extrav. commun. l. 5. cap. 5. sic habet: *properssiori studio præcavendum esse* censentes, *ne cujusvis Indulgentiæ remissionis, vel facultatis obtentu Christi fideles procliviores ad illicita imposterùm committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum... & ne exinde clavium authoritas deducatur in contemptum*, plures Indulgentias à se concessas rescindit, eò quòd *multorum fide dignorum testimonio accipimus* (inquit) quòd *ob* earum *multitudinem... fideles præfati ad peccandum... nonnunquam procliviores existant, in non parvum periculum salutis animarum suarum.* Unde inde ad peccandum procliviores, nisi quia cum Card. de Lugo arbitrantur pœnitentialis satisfactionis necessitatem cessare per obtentum Indulgentiarum? Opinionem ergo Cardinalis de Lugo animarum saluti noxiam Ecclesia censet.

Et ideò, post relatos Pontifices, sapientissimi 2502
pariterque sanctissimi Cardinales, traditæ à nobis doctrinæ facem prætulerunt, ut S. Bonaventura in 4. dist. 20. a. 8. q. 6. ubi duo dicit. Primò, quòd Indulgentiæ, quantùm est ex potestate & voluntate dantis, tantùm valent, quantùm promittunt. Secundò, quòd tamen non omnibus valent æqualiter, sed secundùm æstimationem quam habuit, vel habere debuit, qui Indulgentiam dedit,

Quam (inquit) *non oportuit exprimere : quia omnes fideles debent in corde præsupponere, quod dona & miserationes Sancti Spiritûs donentur cum æquo libramine*, salvis utique legibus divinæ justitiæ. Cardinalis Cajetani verba habes n. 2472. Et non absimiliter loquitur Card. Bellarminus l. 1. de Indulg. c. 12. cùm ait, quòd prudentes Christiani Pontificias sic accipiunt Indulgentias, ut simul etiam studeant facere dignos fructus pœnitentiæ, pro suisque peccatis Deo satisfacere. Et l. 2. cap. 1. Ecclesia, dum largitur Indulgentias, non prohibet studium *pœnitentiæ, imò nos hortatur, & allicit*. Et cap. 6. *legimus in antiquis Conciliis, Indulgentias concedi solitas, non iis qui se supra modum gravatos dicerent, sed qui pœnitentiam injunctam, aliquanto tempore, studiosè libenterque peregerant*. Prolatisque ad id Canonibus Conciliorum Ancyrani, & Nicæni, subjungit: *ubi vides, Indulgentias dari diligentibus, negari negligentibus*.

2503 S. Carolus Cardinalis Borromæus Act. p. 7. litt. I. in Epist. Pastor. de disposit. requis. ad lucrand. Jubil. anni sancti, populum monet, ne sibi sufficere putet, Romam proficisci, ibique Ecclesias & Sanctorum Reliquias visitare; sed quòd hisce jungere debeat veram perfectamque pœnitentiam, & iter istud facere, non solùm in statu gratiæ, sed & cum tanta carnis ac sensuum mortificatione, ut hæc ipsa esse possint pro peccatorum suorum satisfactione.

2504 Stephanus Cardinalis Camusius, Episcopus Gratianopolitanus, cujus tanta est vitæ sanctimonia & asperitas, ut oleribus & aquâ vitam in perpetuo jejunio transigat, totque aliis in austeritatibus, ut à Summo Pontifice eas jussus fuerit mitigare, quemque (nihil tale cogitantem) Innocentius XI. ad Purpuram, ob egregia merita, magnasque virtutes, evexit, in Constitut. Synodal. tit. 5. art. 3. de Indulgentiis docet, quòd tunc Indulgentiarum *sacrilegus fit abusus, dum peccatoribus persuadetur, quòd ad faciendam pœnitentiam minimè teneantur*. Vide suprà n. 2474. Cardinalis quoque Denhoffius in sua Instruct. Pastor. p. 182. praxim Confessariorum, levissimas pœnitentias Jubilæi tempore pro gravissimis delictis imponentium, reprehendit velut abusum, spiritui & intentioni Ecclesiæ contrarium.

2505 Cum iis Benzonius, Episcopus Lauretanus, lib. 2. de anno Jubil. c. 4. opinionem Cardinalis de Lugo vocat *minùs piam, usuique Ecclesiastico adversantem*. Gondrinus, Archiepiscopus Senonensis, eamdem graviter improbat in Epistola sua Pastorali. Godæus eamdem confutat, praximque ipsius periculosissimam, & Christiano prorsus indignam pronuntiat. Sicut & Labarius, Episcopus Lectoratensis, in Compend Theol. seu Instruct. præcipuar. obligat. homin. lect. 66. de Indulg. Et ipsis tota penè Ecclesia Gallicana concinit, ex qua Episcopi plusquàm triginta assertionem nostram tradunt in suis ad populum Institutionibus & Catechismis. Videri potest celebris Catechismus trium Illustrium Henricorum, Henrici Rupellensis, Henrici Andegavensis, Henrici Lucionensis, Episcoporum, lect. 16. de Indulgent. ubi docent, "Indulgentiam esse supplementum partis satisfactionis, quæ solvenda superest divinæ justitiæ. Per eam Redemptoris merita applicari sincerâ voluntate facientibus quod possunt, ut Deo pro peccatis suis satisfaciant, ac per hoc dignis, quibus Ecclesia (consideratâ eorum infirmitate) moveatur ad remittendam ipsis residuam satisfactionis partem, ad quam alioqui tenerentur. Ita illi, addentes, Ecclesiam, quæ spiritu Dei regitur, nihil facere posse contra regulam legis æternæ, quæ peccatum impunitum esse non patitur, idcòque per eam peccatoribus concedi non posse impunitatem, seu totam remitti pœnam, peccatis ipsorum debitam.

Denique eidem assertioni nostræ calculum suum adjiciunt Scholastici præcipui, Altisiodorensis in Sum. l. 4. tr. de relaxat. per claves q. 3. ubi negat eos in cælum Indulgentiæ beneficio evolare, qui non faciunt fructus dignos pœnitentiæ. Guilielmus Parisiensis tr. de Sacramento Ordinis c. 4. cùm certum sit eos solos Indulgentias percipere, qui mundi sunt & immunes à mortalibus peccatis; nulli ergo certum est, quòd Indulgentias percipiat. Certum est autem unicuique, se esse debitorem injunctæ pœnitentiæ, vel injungendæ. Quare certum est, neminem debere propter hujusmodi Indulgentias, cessare ab agenda pœnitentia; ne committat se periculo, & inæstimabilem acerbitatem ignis purgatorii incurrat." Henricus Gandavensis quodlib. ult. q. 14. litt. X. " quantitati subsidii, & affectûs proportionaliter respondet Indulgentia." S. Antoninus 1. p. tit. 10. c. 3. §. 3. " nec credunt Doctores, quòd per has Indulgentias generales minùs teneatur agere pœnitentiam in hac vita; & horum dictum satis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius." Petrus Soto lect. 2. de Indulg. suprà relatam Adriani & Cajetani sententiam multò censet probabiliorem, & Juribus magis consonam. Hesselius in Catech. p. 2. c. 46. non est putandum, quòd quicumque Indulgentiarum particeps fuerit, si statim moriatur, absque ulla pœna continuò ad Cæli gaudia transiturus sit, multùm oportet pro peccato pœniteat, & valdè piè, perfectèque participet Indulgentias, cui hoc contingit: aliàs plurimùm evacuaretur studium pœnitentiæ, & satisfactionis, &c." Ethius in 4. dist. 20. §. 10. ex Apostolo, Cypriano, & veteribus Conciliis probat" eos qui graviter deliquerunt, non consequi plenam remissionem per Indulgentiam, nisi ipsi quoque satisfaciendo, certâ quâdam proportione, ad tam magnum beneficium accesserint. Neque verò quidquam id derogat Indulgentiis, quæ plenæ, seu plenariæ dicuntur. Plenæ enim dicuntur Indulgentiæ, quarum ea vis est, ut plenam, is qui sit præparatus, ex iis accipere queat peccatorum remissionem. Per quod certum est, non omnem satisfactionem excludi: quandoquidem præparatio, seu dispositio requiritur ex parte suscipientis, idque ex lege divina, cui beneficium hoc Indulgentiæ plenariæ non contrariatur, &c." Idem iisdemque penè verbis dicit Molanus Theol. Pract. tract. 1. de pœnit. c. 14.

2506

2507 Ipsis per omnia concinit Comitolus respons. moral. q. 36. aiens, quòd " quamvis plenissima sit Indulgentia, pœnas nihilominùs non æqualiter condonari universis, qui efficiunt quæ requirit Pontifex, sed perinde ut iidem minore, majorevè pietate instructi, Jubilæi gratiam quærunt... De eleëmosyna impertienda, hoc item ex sensu gravissimorum Authorum, tradimus in Jubilæi à Clemente VIII. concessi explicatione, eam esse debere dignam opibus & facultatibus ejus, qui impertitur, cæteroquin fructu carere Jubilæi. Sic, inquit, prorsus docuerunt D. Bonaventura... Paludanus... Durandus... Major... Henricus... Adrianus... Sylvester... D. Thomas... Angelus."

2508 Concinunt pariter Navarrus de Indulg. & Jubil. notab. 15. num. 4. Maldonatus 4. de Indulg. Wigers ad q. 25. Supplem. dub. 7. Sylvius ibidem a. 2. Franciscus Genet, Episcopus Vallonensis, Th. Moral. tom. 4. tr. 6. c. 7. Authores Conferentiarum Diœcesis Petrocorens. Conferent. 4. Daniel & Guilielmus Episcopi Petrocorenses Theol. Moral. tom. 4. l. 2. tract. 1. c. 6. Merbesius in Sum. Christ. tom. 2. dissert. 4. q. 69. Alexander Natalis Th. Dogm. & Moral. to. 5. lib. 2. de Indulg. c. 3. reg. 12. Iventius de

Sacram. differt. 14. c. 4. Et (præter innumeros alios) Christianus Lupus in differt. de Indulgent. cap. 8. & 10., ubi (postcaquam ostendit, pro lucrandis Indulgentiis necessaria esse" varia pœ-
" nitentiæ opera, quibus peccator redditur vicinus
" absolutioni) docet, quòd Pœnitentiales Presby-
" teri, qui plenæ Indulgentiæ diebus, nullas aut
" modicas pœnitentias imponunt magnis pecca-
" toribus, gravissimè exorbitant, & plurimos fru-
" strantur Indulgentiæ fructu. Quòdque in anno
" Jubilæi, aut quâvis aliâ Indulgentiâ, non omnes
" plenam, sed plurimi solùm juxta suæ pœniten-
" tiæ, & aliorum bonorum operum merita, &
" quantitatem, consequuntur remissionem, prout
" nempe plenæ satisfactioni magis aut minùs per
" ista accesserint.

2509 Ista fusiùs prosequi, charitas Christi ursit me, zelusque salutis animarum, ut Confessarii, & Concionatores à mentibus Christianorum falsam illam auferant persuasionem, quâ seducti peccatores innumeri Indulgentiis abutuntur ad impœnitentiam, vel certè ad negligendam pœnitentiam, cujus opera dum negligunt, peccatorum gravitatem non sentiunt, eaque proinde non emendantes, in ipsis moriuntur, & pereunt.

CAPUT CCVI.

Confessarius tenetur, per se loquendo, pœnitentibus imponere, & pœnitentes acceptare pœnitentiam, seu satisfactionem gravitati multitudinique criminum proportionatam.

2510 Hic etiam charitas Christi, zelusque salutis animarum urget nos ad redarguendam ex sacris Litteris, Conciliis, Patribus, Sanctis novissimis, & præcipuis Doctoribus, nimiam in pœnitentiis injungendis Confessariorum remissionem, quâ fit ut peccatorum infinitus numerus, dum à peccatis non revocatur fræno pœnitentiæ salutaris, nec à pravis habitibus, peccando contractis, convenienti medicinâ curatur, peccata peccatis accumulet, & in peccatis perseverando, tandem pereat. Sit itaque

§. I.

Assertio probatur ex sacris Litteris.

2511 PRimò, quia, ut Bellarminus ait conc. 9. in Dom. 4. Advent. *Scripturæ sacræ, cùm de pœnitentia loquuntur, ubique cinerem & cilicium commemorant, & nunc planctum amarum, nunc luctum unigeniti adhibendum esse docent* Hierem. 4. & 6. Mich. 4. &c.

2512 Secundò, quia Matth. 3. & Luc. 3. v. 8. Præcursor Domini aliam peccatoribus viam non demonstrat, ad fugiendam venturam iram (quâ sententia æternæ maledictionis post hanc vitam in reprobos fulminabitur, de qua se explicat ibidem v. 10. *Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*) aliam (inquam) viam ipsis non demonstrat, nisi hanc, *facite fructus dignos pœnitentiæ*. Ubi Gregorius Magnus observat (hom. 20. in Evangelia) quòd *non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos fructus pœnitentiæ admones esse faciendos.* Pro cujus explicatione, *sciendum est* (inquit) *quòd quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur.... At siquis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet ejus qui minùs, & ejus qui amplius deliquit, aut ejus qui nullis, & ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit, & ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur, facite fructus dignos pœnitentiæ, uniuscujusque conscientia convenitur, ut tantò majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpam.*

Tertiò ex Act. 26. *annuntiabam ut pœnitentiam* 2513
agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera faciendo. Veram igitur ad Deum conversionem comitari debet exercitium dignorum pœnitentiæ operum. Quid est *dignorum*? quæ scilicet proportionata sint magnitudini, multitudinique criminum commissorum. Sic enim SS. Patres unanimi sensu semper intellexerunt, uti proximè videbitur.

§. II.

Probatur etiam ex unanimi sensu, traditioneque Sanctorum, Conciliorumque veterum ac novissimorum.

QUòd enim pœnitentia seu satisfactio gravi- 2514
tati criminum esse debeat proportionata, uno ore Concilia & Sancti proclamant. *Quàm magna deliquimus* (ait Cyprianus l. de lapsis) *tam graviter deflemus.... pœnitentia crimine minor non fit.* Et quid ibidem addit de Sacerdote pœnitentiam proportionatam non imponente? *peccandi* (inquit) *fomitem subministrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit.... Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat... aperiendum est vulnus, & secandum, & putraminibus amputatis, medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cùm senserit sanitatem.*

Clerus Rom. epist. ad Cyprian. *ne sint minora* 2515
remedia, quàm vulnera.

Basilius hom. in illud: *attende tibi: attende* 2516
tibi, ut pro delicti proportione, hinc quoque mutueris, ex admota tibi medela, valetudinis instauranda subsidium. Magnum est, & grave peccatum? multâ opus habes confessione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso & continenti jejunio.

Chrysostomus homil. 80. ad populum Antio- 2517
chenum: *parem peccatis pœnitentiam exhibeamus.*

Ambrosius ad virg. lapsa. *grande scelus, gran-* 2518
dem necessariam habet satisfactionem..... quanta, putas, & qualis necessaria pœnitentia? quæ aut æquet crimina, aut excedat.

Hieronymus in cap. 2. Hierem. *levi peccato-* 2519
rum sorde maculatus, levioribus purgatur monitis. Porrò peccata gravia.... nec nitro, nec herbâ borith dilui possunt, sed gravioribus tormentis indigent.

Augustinus serm. 34. de diverss. c. 12. *gravia* 2520
& mortifera nisi per vehementissimam molestiam... tribulationis pœnitentiæ non relaxantur. Et Enchirid. cap. 65. *agendam* dicit *pœnitentiam secundùm modum sui cujusque peccati.*

S. Leo serm. de Octava SS. Petri & Pauli: 2521
gravis negligentia, majore satisfactione curanda est.

Gregorius Pastoral. p. 3. post admonit. 30. 2522
scriptum est: potum dedis illis in lachrymis in mensura, ut videlicet uniuscujusque mens tantùm pœnitendo compunctionis suæ bibat lachrymas, quantùm se à Deo meminit aruisse per culpas.

S. Eligius hom. 25. *majora crimina admitten-* 2523
tibus, majora sunt admittenda remedia.

Isidorus lib. 2. de divin. Offic. c. 16. *quantò* 2524
in peccando fuit ad mala promptior mentis intentio, tantò devotior debet esse in pœnitendo.

Petrus Damiani opusc. de perfect. Monach. c. 2525
6. *unusquisque quò magis gravatur offensis, eò majori gravandus est pondere satisfactionis.* Et serm. 2. de S. Andræa (qui reperitur inter opera sancti Bernardi) *ne tibi blandiaris, si graviter peccanti levior pœnitentia, vel à nesciente, vel à dissimulante dictatur: cùm purgatorii ignis perficere de-*

beat, quidquid hìc minùs feceris. Quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. Licèt autem non evaserit manus Omnipotentis, qui tibi planè non consuluit; tibi tamen ratio magistra præsidet, quæ te doceat, tantùm à licitis abstinere, quantum te memineris illicita perpetrasse.

2526 Bernardus, seu quisquis est Author libri de modo viv. ad soror. cap. 27. *secundùm infirmitatem adhibenda est medicina. Gravia peccata, grandia lamenta desiderant.*

2527 Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 14. cap. 21. *si in correctione minor est afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentiæ fructus.*

2528 Ex ipsis, & post ipsos Magister Sentent. in 4. dist. 16. *satisfactio à Joanne præcipitur, ubi ait:* facite fructus dignos pœnitentiæ, *scilicet, ut secundùm qualitatem & quantitatem culpæ sit qualitas & quantitas pœnæ.* Magistrum sequuntur Albertus Magnus, & S. Thomas ibidem. Qui etiam opusc. 65. de offic. Sacerd. dicit, quòd *per pœnitentias falsas animæ ad inferna trahuntur.* Quòdque Sacerdos cavere debeat, *ne pœnitentiam ita levem imponat, ut peccator contemnat peccatum, & ex levitate pœnitentiæ relabatur liberiùs ad peccandum.*

2529 S. Carolus Borromæus in Sacramentali Ambrosiano tit. *Institutio pœnitentis: Parochus maximè cavebit, ut ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, id quod & Confessoribus, & pœnitentibus periculosum est: cùm id à sacris Literis, & à Conciliorum Decretis, & à SS. Patrum sententia alienum sit. Nam divinæ Litteræ ab iis qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejunio, & fletu, & planctu. Et verò qui pro peccatis gravibus leves quosdam pœnitentiæ modos imponunt, hi* (inquit canon 38. Concilii II. Cabilon.) *conjunxit pulvillos sub omni cubito manûs*, &c.

Idem dicit canon 31. Concilii Moguntini sub Rabano. Et canon 32. Concilii Parisiensis VI. Et idcò igni tradendos statuit libellos quosdam pœnitentiales, quibus leviores quàm par erat pœnitentiæ statuebantur, *ne per eos Sacerdotes imperiti animas decipiant.*

2530 Ad quod etiam præcavendum, Concilium Turonense III. anni 813. statuit, ut *juxta modum peccati pœnitentia imponatur.* Et Concilium Romanum V. sub Gregorio VII. can. 5. *falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundùm authoritatem sanctorum Patrum, pro qualitate criminum imponuntur.* Cùmque tempore Comneni Imperatoris, quidam Episcopus homicidam leviori quàm par erat pœnitentiâ mulctasset, Lucas, Patriarcha Constantinopolitanus, convocato Episcoporum Concilio, Episcopum illum suspendit. Cùmque se ille excusaret, dicens, licere Episcopo (secundùm Canones) canonicas pœnitentias diminuere: Synodus respondit, id quidem verum; at concessùm non esse aranearum filis ligare, quæ triplici rudente alliganda sunt. Sic refert Theodorus Balsamon Comment. in Canon. Epist. S. Basilii.

2531 Et ut ad viciniora Concilia veniamus, Institutio Christiana (juxta quam populos erudiri jubet Concilium Moguntinum anni 1549.) tit de satisfact. §. *longum esset*, sic habet: " multos tulit " ætas nostra, qui consuunt pulvillos sub omni " cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite " universæ ætatis, ad capiendas animas: qui contra " Evangelii vigorem, veniæ facilitatem promittentes, malitiam hominum in infinitum augent. " Nimirùm ista diaboli est nociva persecutio, sub " falsa securitate animas ad certum interitum venantis. Dum enim spe facilis veniæ nihil metuitur, scelera sceleribus cumulantur. Quod ne fiat, §. 1. *sic temperanda* dicit, *pœnitentiæ exercitia, ut molesta sint sensui carnis, & pœnam habeant.*

Synodus Archidiœcesana Pragensis anni 1605. tit. de pœnit. idipsum repetit quod suprà dicit canon 38. Concilii Cabilon.

Sed his omnibus majus est quod Concilium 2532
Generale Tridentinum ait sess. 4. cap. 8. " debent
ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & "
prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, "
& pœnitentium facultate, salutares & conve- "
nientes satisfactiones injungere, ne si fortè pec- "
catis connivent, & indulgentiùs cum pœni- "
tentibus agant, levissima quædam opera pro "
gravissimis delictis injungendo, alienorum pec- "
catorum participes efficiantur. Habeant ergo "
præ oculis, ut satisfactio quam injungunt, sit "
non tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infir- "
mitatis medicamentum; sed etiam præterito- "
rum vindictam & castigationem. "

Verba sanè Confessariis formidanda. Quis e- 2533
nim non reformidet alienorum peccatorum participeps fieri? Cui dubium esse potest, plurimos Confessarios, vitæ alioquin austeræ & probatæ, ob idipsum in foveam & periculum damnationis prorueresse? non tam ob propria, quàm ob aliena peccata, quæ dum convenienti satisfactione non castigaverunt, nec curaverunt, eorum participes effecti, unà cum ipsis ad inferna descendunt.

§. III.

Tertiò probatur ex gravissimis querimoniis, sententisque gravissimorum Cardinalium, Episcoporum, adversus molliores Confessarios levissimas pœnitentias pro gravibus delictis imponentes, necnon adversus pœnitentes, qui tales Confessarios quærunt.

SAnctus Leo Papa epist. 79. de talibus Con- 2534
fessariis dicit: *abjicienda prorsus pestifera hæc a pastorali vigore patientia, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.* Terribiliùs adhuc Hormisdas Papa ep. ad univers. Provinc. quæ extat in fine Pœnitentialis Halitgarii tom. 5. Biblioth. Patrum: *quæ est ista inimica benignitas, palpare crimina, & vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare: verè dico, quia illi ipsi, quibus cum periculosa & falsa misericordia indulgere videmur, cùm ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nosipsos causas dicturi sunt, dicentes, quòd dum aut asperitatem linguæ eorum expavimus, aut falsa blandimenta, & periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, nos eos, dum illis inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut ipsa etiam peccata augere permiserimus.*

S. Cardinalis Petrus Damiani in suo Gomor- 2535
rhiano cap. 2. de iis Confessariis agens, qui remissiùs in pœnitentia imponenda agebant cum Clericis sese polluentibus: *hæc* (inquit) *impia pietas non vulnus amputat, sed, ut augeatur, fomitem subministrat.* Capite etiam 10. 11. & 12. molliores seu remissiores peccatorum castigationes, *vana ludibria* vocat, & *deliramenta, quibus carnales considunt.... & vanæ se spei securitate deludant.* Imò (inquit cap. 11.) *figmenta sunt diabolica ad decipiendas simplicium animas.... cave ab his quicumque es, ne te Sirenarum carmen mortiferâ suavitate demulceat, ne navim tuæ mentis in Scyllæ voraginis profunda demergat.* Et serm. 70. *in pœnitentiæ virtute caligant oculi plurimorum, qui vel discretione privati, vel assentatione seducti, aut nesciunt quid injungant, aut, si sciunt, privatam gratiam præferunt veritati.*

Jacobus Cardinalis de Vitriaco serm. 3. Dom. 2536
in Albis: *si Sacerdos pro jejunio unius diei ab omni pœna criminalium, quæ peccator commisit, absol-*

vit,

vit, non approbatur in curia cœlesti; sed tam Sacerdos, quàm ille quem indiscretè putat absolvere, in foveam cadunt. &c.

2537 Cardinalis Gropperus in Institutione sua Catholica vehementer redarguit negligentiam imperitiamque plurium Sacerdotum, in congruis pœnitentiis imponendis, eamque dicit esse causam fœdissimorum malorum, & scandalorum, quæ videmus in Ecclesiam agminatim inundasse. Et ideò p. 231. valdè hortatur Sacerdotes, ut caveant, *ne vulneri, dum adhuc pus intùs est, parcente manu cicatricem obducant; sed potiùs, secato eo, & aperto, fortiorem pœnitentiæ medicinam, dum omnis putredo evacuetur, infundant. Et addit, eos qui hanc tam necessariam & salutarem curam negligunt..... saucios & semivivos, non attrectato vulnere, inani spe lactare, eâque impletos, in mortem æternum duraturam, dum impœnitentes manent, nullosque pœnitentiæ fructus edunt, præcipitare.*

2538 Cardinalis Bellarminus conc. 9. in Domin. 4. Advent. graviter conqueritur, quòd digna pœnitentiæ opera *non solùm in moribus nostris, sed vix jam in libris* juniorum Casuistarum *reperiantur.* Et enarratâ austerâ pœnitentiâ veterum Christianorum, negligentiâque & mollitie modernorum: *unde* (inquit) *tantus tepor in nobis, tanta segnities?.... nisi ex eo.... quòd non intelligimus, nec intelligere cupimus, quid sit Deum offendere? & quid inde sequitur, nisi ut quamplurimi turmatim in gehennam descendant?* cujus causam conc. 8. esse dicit nimiam Confessariorum facilitatem, qui *tam satisfacere paratos, quàm non paratos, quasi propriâ potestate & authoritate absolvunt. Isti suâ imperitiâ & superbiâ corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt,* &c.

2539 Cardinalis Camusius in Constitut. Synod. tit. 6. a. 6. sect. 6. *nullum abusum Concilia, sanctique Episcopi novissimorum sæculorum tantoperè deplorarunt, sicut pœnitentiæ relaxationem, cujus non superest nisi exterior superficies, & nomen apud Christianos: eò quòd pauciissimi sint Sacerdotes, qui salutares & convenientes imponant, sicut & peccatores, qui eas acceptent. Hunc abusum Sancti pronuntiant causam esse malorum omnium & scandalorum, quæ in domum Domini turmatim introierunt, omnemque decorem sponsæ ipsius deformaverunt.*

2540 Jonas Episcopus Aurelianensis lib. de Institut. Laïc. c. 10. *quidam peccatorum suorum conscii, imperitos animarum suarum Medicos expetunt, ut sibi ad votum suum pœnitentiæ tempora imponant, & peritos ideò declinant, ne austeriori pœnitentiæ eos addicant. Verùm si peritus Medicus ad morbos corporis pellendos quæritur; quantò magis Medicus animæ peritissimus quærendus est? Ut ergo artis medicinæ nescius, dum curare nescit vulnus corporis, non illud minuit, sed majus plerùmque incrementum ei addit; ita & imperitus Medicus animarum, dum earum languoribus mederi vult, quia his congrua medicamenta nescit adhibere, eosdem languores creditur incrementare. De talibus inquit Deus per Prophetam: vivificabant animas quæ non vivebant, & mortificabant animas quæ non moriebantur. Sunt etiam plerique spirituales Medici, qui medendi animarum vulnera habent scientiam, sed aut amoris proprii, aut adulationis causâ, errata eorum, qui sibi confessionem peccatorum suorum faciunt, salubberrimæ pœnitentiæ rigore ferire refugiunt. De quibus rursùs Dominus per Prophetam: væ (inquit) his qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs... Hunc locum Papa Gregorius in Libro Pastorali ita exponit: sub omni cubito manûs ponere, est cadentes à sua rectitudine animas, atque in hujusmodi se delectatione reclinantes blandâ adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput ponentis excipitur, cùm correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. Hi autem qui imperitos adulatores animarum suarum Medicos quærunt, vanâ securitate seipsos decipiunt. Ad hoc nempe tales quærere solent, ut in pœnitendo penè nihil afflictionis corpus eorum sentiat; præsertim cùm Papa Gregorius dicat: caro læta nos traxit ad mortem; afflicta reducat ad vitam.*

Guido de Seve, laudatissimus Episcopus Atre- 2541
batensis, in regulis pœnitentiæ, quas Episcopi supra triginta, non sine magnifico elogio, suas fecerunt, reg. 145. " si Confessarii impensiùs vacarent legendæ Scripturæ sacræ (quæ verus est " fons moralis christianæ) ubique deprehenderent, pœnitentiam conversionis esse sociam. Si " vitas lustrarent Sanctorum, ex ipsis nec unum " invenirent absque labore salutem consecutum. " Si Patres de pœnitentia tractantes consulerent, " in omnibus rigorem inspicerent. Si Veteres omnes hac de re agentes evolverent, nullum ex " ipsis comperirent mollioris erga criminosos praxeos patronum. Si ergo mollior quisque Confessarius suum agendi modum conferat cum " doctrina Scripturæ, Conciliorum, Patrum, circa qualitatem doloris, & satisfactionis, vel " Scripturam, Concilia, Patres damnabit; vel molliorem suum agendi modum, si propriam amet " salutem, emendabit. Et reg. 119. sibine Confessarius, sapiens & discretus, persuadere potest, " enormia crimina, tam severè olim castigata, " sufficienter hodie expiari per satisfactionem, nihil austeri præ se ferentem, pœnitentiamque nihil nisi pœnitentiæ nomen habentem? Et reg. " 120. inconceptibile est, quòd cùm justis alia " non pateat salutis via, nisi via crucis, aliam quis " patere velit peccatoribus viam suavem, facilem, " placentem, & absque alia pœna, nisi quòd ea " Confessario fateri debeant peccata, subinde publica, de quibus frequenter apud mundanos " homines gloriati sunt. "

Talibus Confessariis, seu Medicis spiritualibus 2542
(quos magno esse numero suprà audivimus ex Petro Damiani, Jona Episcopo Aurelianensi, &c.) se curandos tradere non debent, qui sanitatem animarum suarum toto sinceroque corde desiderant. Ipsos namque alloquens Gregorius VII. in VII. Concilio suo Romano Can. 4. *inter omnia vos hortamur* (inquit) *atque monemus, ut in accipiendis pœnitentiis non ad illos curratis, in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum, quàm ad salutem ducunt (teste Veritate, quæ ait: si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt) sed ad eos qui Religione & Scripturarum doctrinâ instructi, viam veritatis & salutis vobis ostendere valeant.* Secùs facere, an non est insanire? An non insania magna est, Medicis ineptis, seu imperitis, vel adulatoribus, animæ salutem committere? An sanæ mentis homines talibus committunt salutem corporis? Dicitur tamen in speculo virtutum tit. de conscient. fol. 221. quòd " hujusmodi insanorum magnus est numerus, qui sine discrimine ad Con- " fessarios simplices, & confitentium animas curare negligentes accedunt: id quod tamen in " causa corporis sui mortalis vix facerent. Etenim " si infirmi vel saucii forent, morbis & vulneribus suis expertissimum utique, quem invenire " possent, Medicum vel Chirurgum exquirerent. " At verò luxuriosi, superbi, avari, aliique peccatis (quæ vel deserere, vel dignis pœnitentiæ " operibus emendare nolunt) impliciti, sui in peccatis similes, saltem simplices, vel adulantes " Confessarios quærunt, quò graviores, quas meruêre, pœnitentias evitent, fugiuntque sapientes & rectos. Adeòque cæcus cæcum in fo- " veam inferni, vel ut minimùm horribilis purgatorii ducit. "

Insanos istos acriore Censurâ perstringit B.
543 Henricus Suso lib. 9. de rupibus cap. 9. S. quo-
que Vincentius Ferrerius Domin. 4. post Trinit.
serm. 1. §. de ea virtute in morali: *sunt* (inquit)
*aliqui qui quando debent confiteri, scienter eligunt
Confessorem cæcum, sicut sunt usurarii, concubinarii,
vindicativi, & similes, dicendo, si ego confiterer
tali, qui est multùm intelligens, non absolveret
me, & scienter vadunt ad bestiam ignorantem.....
& condemnat se, & venientes ad se, quia nescit
quid debeat eis injungere.* Denique (pluribus aliis
dimissis) S. Bernardinus Senensis to. 3. serm. 35.
de amore conterente, *occurrit in confessione, sicut
in mercatoribus, vendentibus pannos ejusdem boni-
tatis, conditionis & collationis, & unus vendit
pannum suum pro majori pretio quàm alter: Certè
ille mercator habebit majorem concursum, qui ven-
dit minori pretio, quam qui vendit majori. Ita hodie
accidit in confessione: quia Confessores qui dant mi-
nores pœnitentias, habent majorem concursum,
quàm dantes magnas, & sic fit mercatura de pœni-
tentiis; & isti qui vadunt ad tales qui dant mino-
res pœnitentias, causâ evadendi bonos Confessores,
causâ non habendi congruas pœnitentias, & mag-
nas, non plus habent contritionis, quàm diabolus.*

Sapienter verò Hugo Victorinus Erudit. Theol.
544 l. 2. de Sacram. p. 14. c. 3. observat, propter pec-
cata plurimorum, Deum permittere talem infa-
miam ipsorum, quòdque incidant in Confessarios
vel imperitos, vel adulatores, vel laxiora opinamen-
ta sectantes. Ibi namque pœnitentem ab ejusmo-
di Confessore deceptum, de eoque conquerentem
inducens: *Quare* (inquit) *factum est ut talem
Sacerdotem non habeam, qui dicat mihi hoc quod
oportet? Audi quare; propter peccata tua fa-
ctum est hoc, quibus meruisti ut malum haberes;
quibus (si districtè judicarem) & hoc meruerat ut
nullum haberes. Qui* (inquit Scriptura) *regnare
facit hominem hypocritam propter peccata populi*
(*Job* 24.) *& ego* (ait *Ezech.* 3.) *adhærescere fa-
ciam linguam palato tuo, & eris mutus, nec quasi
vir objurgans, quia domus exasperans est.... Pigri-
tia tua & negligentia occasionem torporis quæsivit,
non correctionem. Et vidit hoc Deus, & dedit tibi
secundùm cor tuum, ut non invenires quod non quæ-
rebas accipere.*

§. IV.

*Ratio propter quam in Assertione dixi, Confessa-
rium teneri ad imponendam pœnitentiam pecca-
tis proportionatam,* per se loquendo.

545 RAtio (inquam) propter quam addidi ly *per se
loquendo*, est quia Confessarius, in satisfactio-
nibus injungendis, non solùm habere debet ratio-
nem gravitatis, qualitatis, & multitudinis crimi-
num, sed & *facultatis pœnitentium*, uti Concilium
Tridentinum docet loco citato: *debent... Sacer-
dotes... pro qualitate criminum, & pœnitentium
facultate... convenientes satisfactiones injungere.*

546 Et ideò ægris ac moribundis, notificatâ pœni-
tentiâ quam promeruerunt, sufficit injungere pa-
tientiam, & voluntatis resignationem in perferen-
dis molestiis ægritudinis suæ, uti & in perferenda
morte, si Deus sic disposuerit. Sunt etiam nonnulli
sani corpore, qui ob continuum laborem (sibi neces-
sarium ad suam, suorumque vitam sustentandam)
nec multùm orare possunt, nec multùm jejunare,
nec habent unde eleëmosynam faciant. Quibus im-
prudenter Confessarius eleëmosynas, vel multas
orationes (diebus saltem ferialibus) vel multa je-
junia imponeret. Ipsis proinde ea solùm injungere
debet, quæ possunt, hoc addendo, ut laborem
suum, & quæcumque sustinent mala, Deo fre-
quenter offerant in remissionem peccatorum suo-
rum.

Nec solùm habenda est ratio corporalis facultatis; 547
verùm & spiritualis, seu humanæ fragilitatis, ita ut
minuenda sit pœnitentia, dum pœnitens, non ex
voluntatis pertinacia, tolavè voluntaria mollitie &
ignavia, allegat se talem vel talem pœnitentiam
ferre non posse, sed ex eo quòd fragilitatis suæ
conscius, timeat ne sibi animus in ea perferenda
deficiat, & ne proinde eam omittat, vel etiam
desperet. Tunc (inquam) pœnitens animandus
est quidem, ut hîc potiùs quàm in purgatorio sa-
tisfaciat, ipsi ostendendo criminum ipsius gravi-
tatem, & quantam ob ea pœnam promeritus sit,
quam si hîc neglexerit; ibi horribiliter cruciandus
sit. Verùm si nihilominùs adhuc in tantum appa-
reat tentatione turbatus, ut omissio, vel despera-
tio timenda sit, mitiùs cum ipso agendum, ne
quid deterius ipsi contingat, eaque ipsi pœniten-
tia imponenda, quam possit & velit adimplere.
Tunc enim procedit, quod vulgò dicitur, me-
lius esse pœnitentem cum minori pœnitentia mit-
tere in purgatorium, quàm cum majori in infer-
num.

Et ita docent sancti Patres, veteres ac novi. 548
Imprimis Joannes noster Hierosolymitanus Pa-
triarcha XLIV. homil. 43. oper. imperfecti in
Matth. (quod opus Chrysostomo tribui solet)
super illum locum; *obligant onera gravia, &c.
Si fascem super humeros adolescentis, quem non pa-
tejt bajulare, posueris, necesse habet, ut aut fas-
cem ejiciat, aut sub pondere consringatur: sic &
homini, cui grave pondus pœnitentiæ ponis, ne-
cesse est, ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut
suscipiens, dum sustinere non potest, scandalizatus
amplius peccet. Tunc itaque, si erramus, modi-
cam pœnitentiam imponendo, nonne melius est pro-
pter misericordiam rationem reddere, quàm propter
crudelitatem?*

Præclarè etiam hac de re agit S. Pater Nilus, 549
S. Joannis Chrysostomi discipulus, epist. 3. ad
Charicliem Presbyterum. Epistolam hanc per ex-
tensum refert Author Tempestatis Novatorientis
art. 15. velut luculentum (inquit) monumen-
tum, quo traditur hodierna praxis plurium Con-
fessariorum, remissiùs agentium cum peccatori-
bus quibuscumque, quàmlibet magnis, quàmli-
bet, & quantumlibet recidivis, etiam centies post
datam Confessario melioris vitæ fidem fidefra-
gis, ipsos toties quoties indilatè absolvendo in so-
lo verbo, quo se contritos afferunt; vel levissi-
mas etiam pœnitentias pro gravissimis delictis
passim imponendo. Verùm neutram istam prax-
im ea in epistola tangit S. Nilus, utpote qui ne
verbum quidem habet sive pro ista, sive pro illa
praxi. Legatur, & relegatur animo non præoc-
cupato. Duplicem Chariclis Presbyteri in admi-
nistrando Pœnitentiæ Sacramento duritiem ni-
miam in epistola ista unicè reprehendit S. Nilus, &
nos cum ipso. Primò in eo quòd ore confitentes
peccata sua, tametsi corde contrito, & humiliato,
nunquam absolveret, nisi condignâ satisfactione,
ante absolutionem peractâ, eò quòd diceret, *eos qui,
cùm opere peccaverint, verbis solùm confitentur, a
Domino non accipi.*

Secundò in eo quòd laboriosa pœnitentiæ ope-
ra, eaque condigna universim exigeret ab omnibus,
nullam in pœnitentiæ impositione habendo ratio-
nem fragilitatis & infirmitatis pœnitentium, sed fo-
lius gravitatis peccatorum. Utramque istam duri-
tiem cum S. Nilo condemnamus, & nescio quis
non condemner. Sed non ideò S. Nilus probat re-
missiorem praxim paulò ante memoratam. Nimi-
rùm dignissimus ille Magni Chrysostomi discipulus
non recessit à doctrina tanti Magistri, qui (tametsi
mitissimus, de nimiaque indulgentia accusatus in
Synodo ad Quercum) utramque praxim illam ni-
hilominùs improbavit. Posteriorem quidem homil.

80. ad

80. ad populum Antioch. ubi *parem peccatis pœnitentiam* requirit, per se loquendo. Priorem verò suprà c. 76. & omnibus locis in quibus emendationem requirit, ad judicandum de vera pœnitentia, atque homil 34. in c. 4. Joan. *ea demum est pœnitentia, ne amplius peccemus.* Enimverò *usuvenire solet, ut qui pœnituit* verè, *corrigat plurima, maximaque facinora*, Paræneſi pr. ad Theodor. lapſ. *Vera pœnitentia sic est quomodò ager fructifer, aut vinea fœcunda, aut arbor fructifera*, ſerm. 7. de pœnit. Non eſt igitur cenſenda pœnitentia vera, quæ emendationis fructus non profert. Unde concludit: *risum fuge, linguam contine, mores compone, vitia vince, virtutem dilige, sanctitatem sequere, & plena est pœnitentia tua.* Verus pœnitens eſt arbor à Deo plantata: *atqui non es arbor à Deo plantata, si bonos fructus non exhibes.* Homil. 24. de arbore ficûs à Domino arefacta. Fructus verò præcipuus veræ pœnitentiæ, emendatio eſt. Et ideò orat. de S. Philogonio, veræ pœnitentiæ hanc affert conditionem, *ut vacetis spiritualibus, nec denuò convertamini canis in vomerem ad proprium vomitum.* Homil. 41. ad popul. Antioch. demonſtrat, quòd Petrus *egit pœnitentiam quemadmodùm oportebat, quia flevit amarè, & cætera quæ fletum sequuntur similia fecit. Quid enim fecit? Per multa suam ostendit fortitudinem, & animi constantiam.*

Porrò ex his omnibus conſectarium eſt, de mente Chryſoſtomi, abſolvendum non eſſe conſuetudinarium, facilè & citò, ac frequenter crimina repetentem, niſi reipsà emendatum, ſaltem poſt violata ſæpè promiſſa futuræ emendationis. Si enim talis non eſt baptizandus: profectò nec abſolvendus. Talem verò baptizandum non eſſe, docet homil. 32. ad popul. Antioch. ubi emendandam dicit à Catechumeno pravam malorum conſuetudinem, quâ non emendatâ, ſi baptizaretur, *timor est non parvus, & periculum non mediocre, ne rursum ad eadem redeat, & vulnus ipsi fiat de medicina. Siquis* ergo *morum vitia non correxeris* (inquit) *ne baptizetur..... ne ad pristinum redeat vomitum..... Quod enim oporteat priùs pœnituisse, & à prioribus desitisse malis, Scriptura docet* Luc. 3. *facite fructum dignum pœnitentiæ.* Et Act. 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm..... Pœnitentiam autem agens non amplius eadem attingat negotia, quorum pœnituit. Propterea* namque *jubemur dicere, abrenuntio tibi Satana, ne amplius ad ipsum revertamur..... Dic ergo continuò, abrenuntio tibi Satana: nihil hac tutius voce, si ipsam per opera exhibeamus.* Emendationem igitur per opera exigit à conſuetudinariis, priuſquàm baptizentur. Sacerdotalemque vigorem erga peccatores, nimis frequenter ad ſolita crimina redeuntes, homil. 7. in cap. 3. Epiſt. ad Coloſſ. ſuo exemplo demonſtrandum docet: ita ut ne ob timorem quidem defectionis ipſorum à fide, ipſis parcendum ſit: " At " ſunt (inquit) hiſce temporibus plures ſectæ, " & hæreſes, ad quas illi, abdicatâ fide Catholicâ, veluti transfugæ deficerent, ſi eos acriùs " urgere perrexeris. Inanis & frigida eſt hujuſmodi objectio. Virum unum, voluntatibus Domini perficientem, mille iniquis anteferendum eſſe, ſacræ me Litteræ docuerunt. Nam (amabo) an malles habere mille ſervos perditos, nebulones, fures? an unum dumtaxat fidelem & benevolum? Eum dubio procul mille improbis & ſcelcratis anteponeres..... Quiſquis ex Eccleſia exire voluerit, exeat ſanè: quiſquis me incuſare, & reprehendere voluerit, reprehendat, per me licet. At palàm & liberè profiteor, me neminem ex iis quos arguo, in Eccleſiam ingredi paſſurum eſſe. Cùm ad Chriſti tribunal judicandus adſtitero, non eſtis mihi præſto futuri, nec mihi quidquam profuturus eſt veſter in me amor, in ratione, quam tam formidoloſo Judici ſum redditurus. Peſſumdantur, & exulcerantur omnia, cùm dicit quis: PARCE ILLI PAULULUM, NE SE AB ECCLESIÆ COMMUNIONE SEGREGET, ET AD HÆRESIM DEFICIAT. IMBECILLIS EST, DEMITTE TE PAULULUM, ET AD EJUS IMBECILLITATEM TE TANTILLUM ATTEMPERA. SED QUOUSQUE TANDEM? SEMEL ET ITERÙM, ET TERTIÒ EJUS INFIRMITATI DARE ALIQUID POSSUMUS: SED NON PERPETUÒ. Ecce denuò conteſtor, & ipſiſſimis Pauli verbis denuntio, quòd ſi redeam ad vos, me nemini eſſe parciturum. Quando autem vos chriſtianè gerere volueritis, tunc ſcietis, quantam utilitatem ſitis ex hac mea oratione percepturi.

Eodem Magiſtri ſpiritu haud dubiè animatus, 2550
eâdem doctrinâ imbutus fuit S. Nilus, reſpectivè ad peccatores, futuræ emendationis ſuæ fidem, ſæpiùs in confeſſione datam, perpetuò violantes, maximè conſuetudinarios; nec ipſos verè pœnitentes credidit in ſolo verbo ipſorum, poſt tot facta contraria, ſed ab ipſis requiſivit operum, ſeu effectivæ emendationis cautionem. Nec de ipſis agit cum Charicle, cujus ſolum redarguit exceſſum rigoris in eo quòd ſolam probaret confeſſionem per multùm laborioſa generoſæ pœnitentiæ opera, univerſim improbando eam, quæ ſolùm fit per verba, etiam cum multa humilitate & lachrymis animi pœnitentis conjuncta: ideòque reconciliare noluerat *Fauſtinum, palàm confeſſum peccata, cum multa humilitate*, ob id ſolum, quòd laborioſa pœnitentiæ opera, puta *jejunium, vigilias, humicubationem, ſubſtrationem ſacci & cineris, eleëmoſynam largam*, &c. (quæ omnibus univerſim non magis abſolutè neceſſaria ſunt, quàm cilicia, &c. de quibus ſuprà egimus) non fecisſet. Quem *meritò* redarguit, partim quia abundantiori dolore ipſum *ſubmergere ſtuderet*, contra id quod *Apoſtolus fecerat:* partim quia non ſola illa opera, ſeu etiam majora, " caſtitatem, & juſtitiam, & martyrii tolerantiam, & religioſæ vi- "
tæ inſtitutionem optimam ſuſcipit Deus; ſed & "
triſtitiam de peccatis conceptam, & pulſationem "
frontis, & percuſſionem pectoris, & genuflexio- "
nem, & manuum extenſionem, cum dolore "
cordis, & oſcula peccatricis Dominicos lingen- "
tis pedes, & lamentabilem peccata deplorantem vocem, & ſuſpirium ex profundo tractum, "
& fructum labiorum confitentium nomini Je- "
ſu Chriſti, & lamentationis quiritationem, & ſtil- "
lationem lachrymarum, & cogitationes ejula- "
tionem cientes, & conſiderationem cum dolore "
clamantem, & elevationem oculorum familia- "
riter ad Deum ſuſpicientium, & flentium, & "
oris confeſſionem. Multa autem omninò ſunt "
ex his pœnitentiæ ſignis, quæ à peccatoribus e- "
duntur, in ſpeciem parva, ſed quæ magnam "
ſalutem verâ de peccatis pœnitentiâ inſtructis "
offerant. Vide & magnum Moyſen, vel potiùs "
Deum per illum lege caventem, ut non tan- "
tùm boves, & capræ, oveſque & capri, & hirci, "
pro iis qui peccaverunt, offerantur (harum e- "
nim rerum copia divitibus affluit) ſed multæ "
præterea, rationem habens eorum, quibus fa- "
cultates animæ imbecilles, parumque à virtuti- "
bus confirmatæ ſunt, quorum nihilominùs ſa- "
luti conſultum cupit, infirmitati accommodet "
ſe miſerorum, ac demittat ad captum ac ſtatum "
humilium, ne deſperent, uſque ad columbam "
& turturem, & parvam menſuram ſimilæ, quarum rerum multò viliorum oblationes in locum "
majorum hoſtiarum, lex admittit: & tu igitur, "
ô Presbyter, ne deſpice, ſed potiùs ſuſcipe & fo- "
ve cor contritum & humiliatum..... non ob- "
firmans animum in ſola illa ſalutis via utique "
indiſcenda, quâ gravibus, & multum laborioſis "

" generosæ pœnitentiæ fructibus lapsorum pecca-
" ta redimuntur, compensatione exhibitâ... ve-
" rùm & verba non rejiciens contritorum de pec-
" cato suo, & maximâ humilitate aperientium sibi
" malefacta propria, " utpote quæ accipi debent ut signa animi verè pœnitentis, quando non eliduntur per signa contraria, seu circumstantias & conjecturas, quibus verbalis fides ipsorum meritò reddatur suspecta.

2551 Hactenùs S. Nilus, à Catholicis omnibus ea in re procul dubio recipiendus. Cùm de fide sit, cordis contriti & humiliati confessionem verbo factam, Deo esse acceptam; nec heroïca dumtaxat, seu majora opera bona, sed & minora à Deo præmiari; denique Deum non rejicere pœnitentiam, quamlibet parvam, dummodò sinceram, ex corde que verè contrito & humiliato procedentem.

2552 Quæ cùm ita sint, Confessarius ergo repellere non debet confitentem peccata sua corde verè contrito & humiliato, tametsi *gravibus & multùm laboriosis generosæ pœnitentiæ fructibus* parum instructus veniat, eò quòd hactenùs *non satis attendens* ad eorum necessitatem, vel *impeditus causâ quâdam*, vel etiam *mollitie animi nimis fluxâ resolutaque, aut multâ negligentiâ*, ea prætermiserit, dummodò de ista sua negligentia, mollitie que (id est delicatâ animi imbecillitate) se humiliet, verèque ac sincerè doleat, Deo pro peccatis commissis satisfacere paratus, quantùm potest, *secundùm facultates animæ imbecillet, earumque à virtutibus confirmatas.* Talem (inquam) Confessarius repellere non debet, nec idcò præcisè inabsolutum dimittere, quia nondum potest parem peccatis satisfactionem exhibere, sed cor contritum & humiliatum Dei exemplo suscipere, fovere, adjuvare, se *miserorum infirmitati accommodando, ac demittendo ad captum humilium*, ut non deperent, sed paulatim à minoribus ad majora progredientes, posit oblatos Deo *pilos caprarum*, postea generosiores robustioresque, pretiosam byssum, aurum, aliaque præcipuæ æstimationis dona majorum operum Deo offerant. Hic est genuinus sensus, scopusque unicus totius illius epistolæ S. Nili. Quam proinde Tempestatis Novaturientis Author pro laxiore doctrina sua non produxisset, si majori cum judicio ac discretione consideraset.

2553 Nihil itaque aliud docet ibi S. Nilus, nisi quod Tridentinum suprà, in satisfactione utique injungenda, Sacerdotem non solùm attendere debere qualitatem criminum, sed & pœnitentium facultatem. Et *aliquando per accidens melius esse quòd Sacerdos* (ut S. Thomas ait quodlib. 3. q 13. a. 1.) *pœnitenti indicet, quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda, & injungat ipsi nihilominùs aliquid, quod pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus implesione assuefiat ut majora impleat, quàm Sacerdos sibi injungere attentasset.* Et hoc est etiam quod S. Raymundus docet l. 3. §. 49. *si dicit se pœnitere de peccatis, & proponat de cætero abstinere, cùm allegans fragilitatem, recusat satisfactionis asperitatem; debet Sacerdos primò ipsum inducere, ut animum habeat paratum ad omnem satisfactionem, ostendendo ipsi magnitudinem peccatorum, quot & quanta bona amisit propter ista peccata, quæ omnia recuperabit per pœnitentiam. Ostendat etiam quantam pœnam sustinuit Adam, & totum genus humanum, usque in finem sæculi, tantummodò quia gustavit de pomo ligni vetiti: quanta ergo pœna debetur tantis, quæ in commisisti... Si non potest ad hoc eum inducere, imponat ei talem satisfactionem cum voluntate sua, quam utiliter possit portare, ne fortè postea frangendo deteriùs peccet. Hoc tamen sanè intellige* (ait S. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 20.) *videlicet si aliàs ipsum pœnitet, & paratum se dicit facere quod debet, sed onus pœnitentiæ* (peccatis proportionatum) *dicit non posse sufficere... Et debet Confessor, cùm minorem pœnitentiam debito imponit, innotescere ei, quòd illa imposita non est condigna, ne decipiatur, putans ipsam sufficere, atque* (ut S. Franciscus Salesius ait in monit. ad Confess. instruct. editis c. 8.) *ut præscriptam satisfactionem humiliùs & ferventiùs impleat.* Quam ob causam Salesius ibid. *utplurimùm magis expedire dicit, cum pœnitentibus benignè & amanter agere* (*ita tamen ut peccatis non aduletur*) *quàm durè & asperè illos tractare.* Similiter S. Carolus Borromæus in Instruct. Confess. *pro imponenda pœnitentia prudens esse debet Confessor, nec ita levem adhibeat, ut clavium potestas inde contemnatur, & ipse peccatorum alienorum evadat particeps; nec ita gravem & diuturnam, ut pœnitentes ei obsequi recusent, aut acceptam ex integro non exequantur.*

§. V.

Satisfit argumentis prætendentium, ex proximè dictis justificari hodiernum morem plurium Confessariorum, pœnitentias levissimas passim imponentium pro gravissimis delictis.

2554 HUnc ipsi morem malè putant justificari ex dictis §. præcedenti. Arguunt enim primò hic: tanta est hodie imbecillitas hominum, ut pœnitentias magnas pro delictis, etiam gravissimis, non ferat ætas nostra: prudenter igitur faciunt Confessarii, dum (videntes facultatem pœnitentium non esse ad portandam magnam pœnitentiam) passim non dant nisi levem. Sic arguit Author Pentalogi pag. 137.

Respondeo primò negando antecedens: tantam quippe hodie esse hominum imbecillitatem, ut graves pro gravibus delictis pœnitentias non ferat, fictitium est commentum, cujus ego falsitatem, & quamplurimi mecum Confessarii pii & prudentes sæpiùs experti sumus. Tametsi enim canonicas plurium annorum pœnitentias (quales olim imponebantur) ætas nostra non ferat, vel certè pauci essent, qui ferrent: necdum usque adeò degeneravit ætas nostra, quin multi & valdè multi, cum grandi fructu animarum suarum, inducerentur ad libenter subeundas pœnitentias peccatis suis convenientes, si ad id animarentur à piis, doctis, & zelosis Confessariis, ipsos instruentibus quanta sit fuorum criminum magnitudo, quanta peccando bona amiserint, quæ sua ipsis recuperabit pœnitentia; quàm horribilia post mortem luituri sint supplicia, nisi ea redimant congruâ pœnitentiâ; quanta oportuerit pati Adamum, & totum genus humanum, pro esu pomi vetiti; quanta Christum pro satisfactione peccatorum nostrorum, &c. Verùm zelus iste, & labor in pœnitentibus taliter animandis, in majori parte Confessariorum hodie deficit. Ipsorum proinde vel imperitia, vel modicus zelus, defectusque sacerdotalis vigoris, causa est omissionis dignorum pœnitentiæ fructuum, in majori parte hominum: causa proinde tam facilis repetitionis criminum, dum Confessarii faciliores sunt in remittendis divinis, quàm humanis injuriis. Defectus itaque, seu omissio dignorum pœnitentiæ fructuum (ut verbis utar Cardinalis Gropperi, egregiæ sanctimoniæ, ac doctrinæ Viri, Institt. Cathol. p. 226.) ferè *non aliâ ratione, quàm inexcusabili prorsus negligentiâ, aut imperitiâ*, vel affectatione, seu laxiori indulgentiâ Sacerdotum... in majori parte hominum exolevit: *requirit verò vigorem Evangelicum praxis contraria, pro qua decertamus, velati res summè necessaria, præsertim hoc deploratissimo tempore, quando omne flagitiorum genus ita ubique sine pudore inundat, ut flagitia vix pro flagitiis habeantur.* Et p. 245. *sunt qui.... existimant populum, præsenti sæculo, & fide & charitate nimis languere, ut non videatur unquam hunc vigorem recepturus. Verùm longè mihi alia mens est. Equidem, ut quod sentio dicam, quò magis fides, charitasque in hominum cordibus refrixerunt, eò ardentius Sacerdotibus zelosis insistendum puto, ut convenientium pœniten-*

tiarum usum in Ecclesiam reducant. Nam cùm negari non possit id quod res ipsa loquitur, convenientis pœnitentiæ neglectu, simul omnem disciplinam (quæ Religionis fulcimentum est) exolevisse, & ejus loco fœdissima scandala in Ecclesiam agminatim inundasse .... Dicant (quæso) isti tam modicæ fidei, quanam aliâ putent ratione scandala ista .... è medio unquam tolli, & Religionem retineri posse, nisi in usum restituatur, quod neglectum hactenùs, tantorum est unica causa malorum. Languet quidem (quod dolendum est) populus fide, & vacat charitate: sed disciplina (Authore Cypriano....) retinaculum fidei est, custos spei, & nutrimentum charitatis, quâ in Christo manemus, & jugiter in Deo vivimus. Igitur si languentem fidem erigere, & consolidare, si charitatis igniculos in hominibus excitare velimus, hoc tantum restat, ut Ecclesiarum Præsides & Confessarii disciplinam, & imprimis, quæ hujus maxima pars est, pœnitentiam convenientem restituant, quâ infinita scandala tollent è medio, & innumeras animas, quæ hujus contemptu nunc.... relegantur in infernum, Christo lucrifacient. Poterunt autem non difficulter reducere eam, modò tamen suo munere graviter ac strenuè perfungi velint. Nam cùm lege divinâ indicata, ac demandata sit .... quamvis à multis, ob crassam ignorantiam, non satis percepta: quid vetat, quominùs id quod olim in Ecclesia, non sine maximo fructu usitatum fuit, & quod sacræ Litteræ tantoperè commendant, imò quod Christus & Apostoli tam serò præcipiunt .... in usum revocetur? Siquidem cùm nunc omnes Evangelici dici velint; quâ, rogo, fronte respuent disciplinam Domini sui, præcepta Imperatoris sui, censuram divinam, & Evangelii legem? siquid desperandum est, magis à Sacerdotum socordia, quàm à populorum languore (cui mederi Sacerdotes debent) desperandum esse videtur.

2555 Respondeo secundò, sicut hodie sunt, sic plures olim fuisse pœnitentes delicatos, & molles, qui dicebant gravem se pœnitentiam ferre non posse, totque tales sæculo fuisse undecimo, ut S. Petrus Damianus lib. 1. epist. 15. ad Alexandrum II. Pontificem scribat: *quis sæcularium ferat, si vel triduò per hebdomadam jejunare præcipias? modò stomachi læsionem simulant, modò splenis, sive vesicæ lamentantur exitium, modò marcidi pulmonis vitio intercludi sibi anhelitum conqueruntur.* Imò non defuerunt eodem sæculo, qui pœnitentiam sibi impositam causantes nimis gravem, ad alios Confessarios, ut hodie, currebant, ut leviorem impetrarent. Non defuerunt etiam, qui à pœnitentiis sibi impositis ad Episcopos appellabant, prout Olibanus Comes (eodem Damiano referente) ad plures Episcopos & Abbates appellavit, à pœnitentia sibi per S. Romualdum imposita, quæ nihilominùs per ipsos fuit confirmata.

2556 Numquid ideò S. Petrus Damianus justificavit morem Confessariorum leves pœnitentias passim dantium pro peccatis magnis? Absit: imò eos redarguit serm. 70. ad populum, velut imperitos, palpones & adulatores, magis gratiam & gloriam hominum quærentes, quàm Dei; *in pœnitentiæ virtute caligant oculi plurimorum, qui vel discretione privati, vel assentatione seducti, aut nesciunt quid injungant, aut, si sciunt, privatam gratiam præferunt veritati.*

2557 Secundò arguit idem Author, quòd satisfactio, quam Sacerdos injungit, duo habet. Est enim solutio pro debito pœnæ temporalis. Est & remedium pro peccato vitando. In quantum solutio, esse debet proportionata qualitati criminum. In quantum remedium, accommodari debet facultati pœnitentium. Cæterùm, plus debet Confessarius satisfactionem considerare ut remedium, quàm ut solutionem. Quia ut solutio, non est de necessitate salutis: cùm possit in purgatorio fieri.

Respondeo primò, satisfactionem sic solutionem esse, ac remedium, ut Sacerdos eam imponens, utrumque præ oculis habere debeat, juxta Tridentinum sess. 14. cap. 8. *habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

2558 Secundò, Authorem Pentalogi de suo dicere, quòd Confessarius plus debeat considerare satisfactionem ut remedium, quàm ut solutionem: cùm neque Scriptura id dicat, neque Patres, neque Tridentinum. Imò contrarium Patres innuunt, dum satisfactionem definiunt, quòd sit *quædam dolentis vindicta*, &c. Ita Author libri de ver. & falsi pœnit. Sed & Tertullianus l. de pœnit. cap. 6. satisfactionem principaliter considerat ut *pretium* quo *Dominus veniam addicere instituit.* Necnon ut *compensationem, quâ redimendam proponit impunitatem.* Et ideò Cyprianus l. 1. epist. 3. satisfactiones vocat redemptrices peccatorum: experientiaque ipsa docet, satisfactionem non esse remedium efficax contra relapsum, nisi castigatio & vindicta sit scelerum commissorum.

2559 Tertiò, Authorem Pentalogi, in eo quod addit satisfactionem, ut solutio est, seu pœna & vindicta peccati, non esse de necessitate salutis, nimium consentire cum hæreticis, admittentibus pœnitentiæ necessitatem, quatenùs servit ad novam vitam; non quatenùs servit ad peccatorum vindictam. Contra quos Catholici docent, quòd licèt satisfactio, seu solutio in actu, non sit de necessitate salutis, ut patet in iis, quibus ad id tempus, vel vires non suppetunt: benè tamen satisfactionem in voto, sive in proposito. Hoc enim sensu Scriptura & Patres eam necessariam asserunt ad fugiendam venturam iram, ad extinguendam gehennam, ad evitandam perditionem æternam, &c. Unde Augustinus serm. 41. de Sanctis: *illi qui crimina committunt, si, quamdiù vivunt, ea redimere pœnitentiæ medicamento noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apostolus (salvus erit, quasi per ignem) venire non poterunt. Sed magis illam duram & irrevocabilem sententiam audituri sunt: discedite à me maledicti in ignem æternum.* Unde constat, quòd licèt solutio possit in purgatorio fieri; non possit, nisi contra Dei legem, usque ad purgatorium voluntariè differri. Vide suprà cap....

2560 Tertiò alii arguunt: satisfactio non est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, sed integralis dumtaxat. Ergo necessaria non est, ad hoc ut Sacramentum illud totam suam habeat essentiam. Nec proinde ut habeat effectum.

Respondeo, satisfactionem in actu, sive in executione, non esse partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ: secùs in voto, seu proposito; utpote quod includitur in contritione, ut S. Thomas ait 3. p. q. 90. a. 2. ad 1. Enimverò omnis contritus habere debet votum seu propositum servandi legem Dei. Satisfacere verò pro peccatis est de lege Dei, ut benè Tertullianus de pœnit. cap. 4. *quid revolvis? Deus imperat.*

2561 Quartò arguunt: Christus non legitur gravem pœnitentiam magnis peccatoribus imposuisse, ut Magdalenæ, Zachæo, &c. Igitur nec Confessarii eam imponere debent.

Nego consequentiam. Tametsi enim Christus nullam imposuerit, tantam nihilominùs inspiravit, ut Magdalena totâ vitâ eam peregerit vastâ in solitudine; Zachæus dimidium bonorum suorum dederit pauperibus, quadruplumque reddiderit iis quos fraudavit.

2562 Quinò arguunt : pœnitentiarum impositio regulari debet spiritu Dei, qui est spiritus dulcedinis ac dilectionis.

Respondeo, sanctos Patres spiritu illo veræ dulcedinis ac dilectionis præ cæteris repletos fuisse; pœnitentias tamen peccatis proportionatas imposuisse. Quia hoc ipsum vera dulcedo ac dilectio est; & praxis contraria, vera est crudelitas, & falsa misericordia. *Non enim erigitur sic lapsus, sed magis impellitur adruinam*, ait Cyprianus epist... *neque hoc est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere*, ait Clerus Romanus epist. 31. inter epistolas Cypriani. Meminerint adversarii veram Confessarii dulcedinem, misericordiam & dilectionem, esse dulcedinem, misericordiam, dilectionemque Patris & Medici. *Pater* autem *qui parcit virgæ, odit filium suum. Qui autem diligit illum, instanter erudit*, Prov. 13. v. 21. Et *quis est filius, quem non corripit pater*? Hebr. 12. v. 7. Quis magis Pater, quàm Deus? *quem* autem *diligit Deus, corripit*, Prov. 3. v. 12. Et nonne crudelis est Medicus, dum vulnera, quæ manu parcente contrectat, non curat, sed exaggerat, & vulneratum occidit, quem curare deberet? vera econtrà dulcedo, ac dilectio est, pœnis incomparabiliter minoribus ab incomparabiliter majoribus inferni & purgatorii suppliciis, sicut & à relapsu pœnitentem liberare, medicinamque curando vulneri convenientem præscribere. Denique Confessarius dispensator est Mysteriorum Dei. Debet proinde imitator esse Dei, qui sic dulcis est, ac benignus, ut simul sit justus, peccata castigando. Sic ergo Confessarius æmulator esse debet divinæ benignitatis, ut simul æmulator sit divinæ justitiæ, peccata castigando, ut peccator sentiendo, quid sit Deum offendere, à peccato revocetur, vitiosos habitus contrariis virtutum actibus emendet, & imminentem à Domino pœnam à se amoveat. Vide Chrysostomum hom. 14. in 2. ad Cor. atque ex his omnibus disce duo hæc, benignitatem & virgam, sive misericordiam & justitiam, omnibus animarum Directoribus esse necessariam. Quia benignitas sine justitia, relaxatio est; justitia sine misericordia, est severitas, ait S. Thomas lect. 2. in cap. 6. primæ ad Corinth. *Faciat ergo Sacerdos quoddam temperamentum ex misericordia & severitate* (ait opusc. 68. de offic. Sacerd.) *ut pœnitentia non sit nimis dissoluta, nec nimis rigida*, &c. *Ut autem Sacerdos ad ista doctus sit, meditabitur Scripturas, & dicta Sanctorum, in quibus ista inveniet.*

CAPUT CCVII.

Confutatur opinio Arsdekini Theol. tripart. tom. 2. p. 2. tract. 3. cap. 5. ad quæstionem : quanta pœnitentia videatur proportionata pro uno mortali ordinario, *respondentis*: justam satis pœnitentiam esse v. g. Coronam quinque Decadum.

2563 HAnc opinionem vocat ipse *communem*. Nec putat necessarium, *imponere graviorem illi, qui non videtur aliter compescendus v. g. à frequenti pollutione, aut alio simili*. Hoc enim solùm dicit esse *consultum*. Solùm proinde esse de consilio, non de præcepto. Et quasi hoc dicendo, multùm dixerit, istud addit temperamentum : *non debet tamen hæc quantitas pœnitentiæ crescere æqualiter, crescente numero peccatorum, quasi necesse foret injungere pro decem mortalibus*, v. g. decem pollutionibus, vel fornicationibus, *decem Coronas*, &c.

2564 Verùm opinio ista videtur nimis laxa, atque sacris Litteris, Conciliis, Patribus, Ecclesiæ menti, rationique & æquitati contraria : idque facilè perspiciet, quisquis apud se perpenderit, quænam hodie mortalia sint ordinaria, adulterium utique, fornicatio, incestus, mollities (in qua ipsemet Arsdekinus exemplificat) blasphemia, sacrilegium contra votum castitatis, perjurium, superbia, avaritia, ebrietas, rixæ, & similia, quæ cùm miserabili hoc sæculo frequentissima sint, proh dolor! ordinaria sunt.

Ergone satis justam & proportionatam pro uno 2565
adulterio, vel saltem pro una fornicatione, vel mollitie, vel blasphemia, pœnitentiam Confessarius imponit, dum quinque decadum pœnitentiam imponit? Istane per consequens praxis communis? si ita est, vel hinc patcat evidenter, communem hodie plurimorum in Ecclesia praxim & doctrinam, non esse doctrinam Ecclesiæ, nec praxim. Cùm praxis & doctrina ista non minus aliena sit ab Ecclesiæ mente & doctrina, quàm à sacris Litteris, Patribus, & Conciliis. *Pro gravibus* namque *peccatis levissimas pœnas imponere.... à sacris Litteris, & à Conciliorum Decretis, & à Sanctorum Patrum sententia alienum est*, ait sanctus Carolus Borromæus in Instructionibus pœnitentiæ. Ecclesiæ quoque doctrinam & mentem discere nos oportet ex Rituali Romano, & Tridentino. Quid dicit Rituale? quid Tridentinum? *videat* Confessarius, *ne pro peccatis gravibus pœnitentias levissimas imponat, ne, si fortè peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur*. Pro uno verò adulterio, vel fornicatione, vel mollitie, vel blasphemia, nonnisi quinque decadum recitationem injungere, si non est pœnitentia respectivè levissima; quænam talis erit? An sola recitatio unius, vel trium, vel quinque Pater & Ave? At ista est levissima pœnitentia pro venialibus, præsertim isto in genere gravioribus. Quantò magis recitatio quinque decadum pro dictis mortalibus?

Sed & Ecclesia per Tridentinum declarat se 2566
velle, ut pœnitentiæ, per se loquendo, imponantur pro criminum gravitate, idque ratio & æquitas haud dubiè postulat, postulant & sacræ Litteræ, Concilia, & sancti Patres, ut vidimus cap. præcedenti §. 1. & 2. Talem verò esse quinque decadum pro uno adulterio, vel fornicatione, vel mollitie, vel blasphemia recitationem, ridiculus sit qui affirmet. Similiter *Scripturæ sacræ, cùm de pœnitentia loquuntur, ubique cinerem & cilicium commemorant, & nunc planctum amarum, nunc luctum unigeniti adhibendum esse docent*, inquit Bellarminus n. 2511. relatus. Denique peccatorum vindictam exigunt, & fructus dignos pœnitentiæ. Insignis verò vindicta, & valdè dignus pœnitentiæ fructus, pro commisso adulterio, fornicatione, mollitie, blasphemia, quinque decades recitare! Et numquid austerum istud est cilicium, molestumque jejunium? numquid luctûs unigeniti, amarique planctûs insigne argumentum?

Denique opinionem Arsdekini patenter alienam 2567
esse ab Ecclesiæ mente, doctrinaque Sanctorum, duplici alio demonstratur argumento. Primò ex eo quòd ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus, seu pœnitentiam justam, proportionatam, convenientem, Ecclesia & Sancti docent facienda esse contraria peccatis commissis, v. g. carnis macerationem pro peccatis carnis, eleëmosynam pro commissa avaritia, &c. prout ostendam cap. seq. Pro commissa fornicatione numquid egregia carnis macceratio, quinque decadum recitatio?

Secundò ex eo quòd solæ illæ pœnitentiæ justæ 2568
sint & proportionatæ, spectatâ præsentis temporis conditione, quæ idoneæ sunt ad consequendos fines quos in pœnitentiarum impositione Ecclesia, cum SS. Patribus, immò cum Spiritu sancto intendit. Atqui juxta Tridentinum, Ritualeque Romanum, intendit primò ut pœnitentia non sit tantùm

tantùm ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, sed & ad commissorum peccatorum castigationem. Sit verò peccator, cui pro commissa fornicatione, mollitievè vix Sacerdos quinque decadum recitationem imponit. Ehem! qualis castigatio!

2569 Secundò, *ut à peccato revocent, & quasi fræno quodam coërceant satisfactoriæ pœnæ.* Ita Tridentinum sess. 14. cap. 8. cò quòd utique pœnarum metus à peccato revocet, secundùm Scripturam & Patres. Numquid huic fini locum relinquit, pro commisso adulterio, vel fornicatione, &c. imposita pœnitentia Arsdekini? Quinque utique decadum recitationis metus, idoneus non est ad peccatorem revocandum ab ejusmodi peccatis, quæ tot blanditiis, illecebrisque alligatum semel animum tam vehementer ad se alliciunt. Ad id necesse est ut peccatori talis imponatur pœnitentia, ex qua peccati sui sentiat gravitatem. Numquid adulterii vel fornicationis gravitatem sentire facit quinque decadum recitatio? an non potiùs de levitate ipsius judicare facit tam levis pœnitentia? nihil proinde aliud facit tam levis pœnitentiæ impositio, nisi (ut Tridentinum ait) *occasionem præbere, ut in graviora peccata labantur*, atque *Spiritui sancto magis injurii & contumelioſi efficiantur.* Tanta quippe facilitas mortalia crimina solvendi, experientiâ teste, facit ut ferè pari facilitate peccatores ad ea, quàm ad ludum jocumque prosiliant, ita ut vere Augustinus dixerit: *si facilè & citò rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.*

2570 Tertius finis justæ & salutaris pœnitentiæ est, *ut vitioſos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollat.* Ita Tridentinum ibidem. Quis verò affirmare ausit, unâ quinque decadum recitatione vitioſos tolli habitus fornicandi, se polluendi, blasphemandi, &c.? Ad hoc Tridentinum injungi vult contrarios virtutum actus, cùm dicit habitus illos *contrariis virtutum actibus tolli.* Contraria enim contrariis curantur.

2571 Quartus finis est, *ad amovendam imminentem à Deo pœnam.* Ita rursus Tridentinum. Ad hoc Sancti uno ore proclamant, necesse esse, quòd homo se pro commissis peccatis puniat, ut non puniatur à Deo. Eritne qui dicere audebit, ad amovendam pœnam à Deo pro commissa fornicatione, &c. imminentem, sufficere Coronæ quinque decadum recitationem? Si ita est, cur ergo ad amovendam pœnam à Deo imminentem, tam severam tristemque pœnitentiæ faciem Scriptura describit in Achab 3. Reg. 21. In Manasse 2. Paralipom. 23. In Nabucodonosor Daniel. 4. In Rege & populo Ninivæ Jonæ 3. Si ita est, ergo post commissum adulterium retineri poterunt solitæ corporales deliciæ, sæculi pompæ, voluptates non flagitioſæ, universa oblectamenta de se indifferentia, & nihilominùs imminens à Deo pœna removeri, solùm quinque decades recitando; easque recitando, peccator usurpare poterit istas Tertulliani voces: *Deliqui in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo & maceror, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.* An non hoc ridiculum? ridiculum censet Tertullianus l. de pœnit. c. 11.

2572 Quintus finis est, *ut dum satisfaciendo patimur pro peccatis nostris, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit..... conformes efficiamur.* Verba sunt Tridentini loco citato. An non exploderetur Arsdekinus, si populo prædicaret, adulterum, fornicatorem, mollem, &c. per Coronæ quinque decadum pro istis peccatis recitationem Christo Jesu, qui pro peccatis nostris tam amarâ Passione satisfecit, conformem effici? nec aliam satisfactionem seu compassionem, & cum Christo patiente conformitatem necessariam esse?

Ex hisce ergo omnibus, simul junctis, luce 2573
clarius apparet, illam Arsdekini satisfactionem, seu potiùs satisfactionis larvam, idoneam non esse ad producendos in pœnitente memorabiles effectus illos, quos Spiritus sanctus & Ecclesia intendit; nec per consequens esse justam & proportionatam satisfactionem à Tridentino, Ritualique Romano præscriptam; nec omen habere, sed nomen dumtaxat satisfactionis. Imò nec eo nomine dignam esse.

Et ideò, licèt verissimum sit quod Pastorale 2574
Mechlinienſe (sub Hovio) anno 1588. dixit, utique quòd *infirmitas hominum jam non patitur, ut condignæ peccatoribus pœnitentiæ juxta veteris Ecclesiæ disciplinam imponantur*; addit tamen Pastorale, & benè addit, quòd *ad eam, quantùm fieri potest, redeundum est.*

Porrò juxta veteris Ecclesiæ disciplinam, sive 2575
juxta extractum sacrorum Canonum à S. Carolo Borromæo secundùm decem præcepta Decalogi dispositum §. de septem peccat. capit. *pro capitali mortalique crimine pœnitentia septem annorum indicitur, nisi peccati gravitas & personæ status severiorem diuturnioremque pœnitentiam requirat.* Saltem *pro perjurio & adulterio dantur pro pœnitentia regulariter septem anni, & similiter pro fornicatione, licèt non ita aspera*, ut in eodem extracto dicitur.

Cum duabus sororibus fornicatus pœnitentiam aget toto vitæ tempore (ut habetur ibidem ad text. Decal. præcept.) qui verò incestum fecerit, non ita enormem, *et alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem pœnitentiam constituunt. Quòd si Presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam decem annorum faciat. Tribus primis mensibus quotidiè, exceptis Dominicis & Festis, jejunet in pane & aqua, sacco indutus, & humi prostratus, misericordiam Dei jugiter implorans. Posteà resumptis aliquantisper viribus unum annum & dimidium, exceptis Dominicis & Festis, expleat in pane & aqua. Hoc expleto, particeps sit corporis Domini. Deinde usque ad completionem septimi anni, singulis septimanis, excepto tempore Paschali, tres legitimas ferias in pane & aqua jejunet. Tribus verò sequentibus annis, id est octavo, nono & decimo, sine ulla redemptione, omni feriâ sextâ in pane & aqua jejunet.* Sic habetur in extracto Canonum è corpore Juris exceptorum §. 2.

In extracto verò S. Caroli habetur, quòd *quicumque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem*, &c. *perpetuam pœnitentiam aget.*

Diaconi verò, & Subdiaconi, propter fornicationem, è suo gradu ad Laïcos in perpetuum ejiciebantur, nec ad honorem pristinum poterant reparari. S. Basilius Epist. 2. Canon. ad Amphiloch. can. 3. Gregorius Magnus l. 3. epist. 26. & l. 4. epist. 16. & 17.

Si dicas, fornicationem Sacerdotis, vel Dia- 2576
coni, aut Subdiaconi, non esse peccatum ordinarium. Respondeo, utinam atque utinam non esset! Verùm adeò frequens est in Græcia, Italia, Hispania, Germania, &c. ut jure dicatur ordinarium, imò peccadillum reputetur, tametsi valdè horrendum in iis qui solis radio puriores esse debent.

Laïcus in fornicationem lapsus cum laïca fe- 2577
mina, si uterque absolutus sit à lege conjugii, secundùm Pœnitentiale Romanum *tres annos pœniteat. Et quantò sæpiùs, tantò majori pœnitentiâ officietur.* Secundùm Pœnitentiale Basilii Epist. Can. 3. ad Amphiloch. can. 59. *septem annis non communicabit, duobus defiens, & duobus audiens, & duobus substratus, & in uno competens. Octavo autem ad communionem admittetur.*

Seipsum polluens, secundùm Canones Angli- 2578

canos, sub Edgaro Rege, can. 38. *jejunet tres annos, & in eorum quolibet* 40. *dies in pane & aqua.* Secundùm Pœnitentiale Gallicanum apud Mabillonium tom. 1. Musæi Italici can. 14. *annum unum.* Secundùm Cumeanum l. de mensura pœnitentiarum à Patribus definita cap. 1. primâ vice *centum dies pœniteat. Et iterans annum unum. Si cum gradu est, addatur pœnitentia.*

2579 Quàm ordinarium mortale sit blasphemia, & juramentum falsum, vel juramentum per caput Dei, per ventrem, &c. nemo non videt. *Quis enim non videt* (ait Catechismus Romanus ad 2. Decal. præcept.) *omnia jurejurando affirmari? omnia imprecationibus & execrationibus referta esse? usque adeò ut nemo ferè vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non jurandi religionem interponat, Deique sanctissimum Nomen millies, vel in re levissima & inani temerè non usurpet?* Atqui *immanis est blasphemia* (ait Concilium Moguntinum anni 1649.) *cùm sanctum Nomen Dei, & salutaris Christi Passio, & devotus pro salute hominum Sanguis ejus, & reverenda Christi Sacramenta... ad execrationes & maledictiones assumitur.* Et ut Concilium Trecense anni 1427. *Sunt nonnulli, qui Redemptorem suum turpiter inhonorantes, detestabilia in ejus blasphemiam faciunt juramenta, sicut per carnem suam, per sanguinem, per mortem.... per caput.... jurantes.*

Et tametsi blasphemia ista non videatur nisi secundi ordinis; de ea nihilominùs in extracto S. Caroli sic habetur: *Si jurasti per capillum Dei, aut caput ejus, vel alio modo blasphemiâ contra Deum usus fueris, si semel nescienti feceris, septem dies in pane & aqua pœniteas.* Canone verò *siquis per capillum* 22. q. 1. sic habetur: *Siquis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemiâ contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur; si laicus, anathematizetur. Et siquis per creaturam juraverit, acerrimè castigetur, & juxta id quod Synodus dijudicaverit, pœniteat.*

Et Concilium Lateran. V. sub Leone X. sess. 9. *in foro conscientiæ, nemo blasphemiæ reus absque gravissima pœnitentia, severi Confessoris arbitrio injuncta, potest absolvi.* Numquid talis est recitatio quinque decadum?

2580 Denique cap. *statuimus* de maledicis, de enormi blasphemia primi ordinis sic statuitur: *Siquis Deum, vel B. Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blasphemaverit, pro foribus Ecclesiæ, diebus Dominicis septem, in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet; ultimoque ex illis die, sine pallio, & calceamentis, ligatus corrigiâ circà collum, septemque feriis sextis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo ingrediens. Quolibet quoque prædictorum dierum tres, si potest, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus suppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur. Præterea*, ut ibidem dicitur, *multandus est pœnâ solidorum* 40. *si dives fuerit. Alioquin* 30. *vel* 20. *Et si ad id non sufficiat,* 5. *solidorum, nullam in hoc misericordiam habiturus.*

2581 De perjurio in extracto S. Caroli: *Quicumque sciens peccaverit,* 40. *dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur. Siquis autem coactus, necessitate aliquâ compulsus perjurium commiserit,* 40. *diebus pane & aquâ victitet, ac præterea omnibus sextis feriis. Siquis seductus, ignorans, & postea cognoscit, pœnitentiam agat annum unum, quadragesimas tres, vel dies quadraginta.*

2582 *Clericus, si notabile furtum fecerit, septem annos pœniteat, laicus quinque.* Cap. *siquis Clericus* 17. q. 4.

Siquis facilè detraxerit, falsumque in eo dixerit, 2583
pœnitens erit dies septem in pane & aqua. In extract. S. Caroli.

De ebrietate & crapula ibidem: *Sacerdos im-* 2584
prudenter ebrius factus, pane & aquâ pœnitentiam agat dies septem. Si negligenter, dies quindecim. Si per contemptum, dies quadraginta.

Monachus ebrius, pane & aquâ mensibus tribus. Si Clericus, viginti dies.

Qui humanitatis gratiâ alium inebriare cogit, pœnitentiam agat dies septem. Si per contemptum, dies triginta.

Qui præ ebrietate & crapula vomitum fecerit, si Presbyter, aut Diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta. Si Monachus, aut Clericus, dies triginta. Si Laicus, dies quindecim. Siquis gulæ causâ ante horam legitimam jejunium fregerit, duos dies pœnitentiam aget in pane & aqua.

Siquis nimio cibo se ingurgitaverit, & inde dolorem senserit, unum diem pœnitentiam aget in pane & aqua.

Quid plura? Secundùm veteres Ecclesiæ cano- 2585
nes, pro quolibet mortali peccato, si fides Gratiano, Magistro, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Raymundo, Scoto, S. Antonino, Vincentio Ferrerio, septennis pœnitentia foret regulariter imponenda. Et ita statuitur in Synodo Nemausensi anno 1248. celebrata, esset que in unaquaque hebdomada singulis feriis 2. 4. & 6. jejunandum in pane & aqua. Quomodò id absque excessivo rigore Ecclesia statuit, si ad justam pœnitentiam, pro peccato mortali ordinario sufficiat quinque decadum recitatio una?

Ecce ergo quàm immanè ab Ecclesiæ mente 2586
& praxi distat praxis & doctrina Arsdekini. Fateor quidem Ecclesiam hodie ad tantum rigorem non obligare; sed non ideò permittit Confessariis ab eo ex toto discedere: cùm velit pœnitentiam imponi secundùm gravitatem criminum. Si autem in moralibus parum pro nihilo reputatur, Arsdekiniana illa pœnitentia, canonicæ illi pœnitentiæ comparata, habenda est pro moraliter nulla, & levissima (qualem pro gravibus delictis imponi Ecclesia vetat:) moraliter ergo loquendo Arsdekinus ab antiquo illo rigore permittit ex toto recedere, contra Ecclesiæ mentem, nec ad majorem, sed contra majorem Dei gloriam; ut & dum dicit, tantillam illam suam pœnitentiam crescere non debere æqualiter seu proportionaliter ad crescentem numerum peccatorum mortalium. Cùm & suprà relati canones & Sancti unanimiter doceant contrarium, & S. Carolus Borromæus in Instruct. pœnit. Sacerdotes moneat, ut in peccati gravitate dijudicanda, perpendant quoties commissum sit. *Nam siquis in eodem peccati genere sæpiùs offenderit, dignus est qui graviori pœnâ afficiatur.* Recta etiam ratio dictat, pœnitentiam haud esse proportionatam gravitati, multitudinique peccatorum, nisi incremento multitudinis, gravitatisque proportionatum sit incrementum pœnitentialis laboris.

CAPUT CCVIII.

Imposita pœnitentia, secundùm Theologiam Sanctorum, peccatis ex adverso debet respondere.

SIc namque Chrysostomus docet homil. 10. in 2587
Matth. "pœnitentiam dico, non solùm à prioribus malis recedere, verùm & quod majus est, "
bona præstare. Facite, inquit Joannes, fructus "
dignos pœnitentiæ. Et quomodò id faciemus? "
si peccatis adversa faciamus. Verbi gratiâ, alie- "
na rapuisti? incipe donare jam propria. Longo "
tempore fornicatus es? præscripto tempore ab "
uxore abstine, meditare continentiam. Proxi- "
mum vel verbo vel facto violasti? refer benedi- "
ctionis verba conviciis, & percutientes te, nunc "

efficiis

" officiis, nunc etiam beneficiis placare contende.
" Neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tan-
" tumnodò spicula de corpore evellere, sed etiam
" remedia adhibere vulneribus. Deliciis antè, & te-
" mulentiâ diffluebas? jejunio, & aquæ potu utrum-
" que compensa... Vidisti impudicis alienum deco-
" rem oculis? feminam jam omninò non videas,
" majore tactus cautione post vulnera. Declina,
" inquit, à malo, & fac bonum, &c.

2588 Sic etiam S. Carolus Borromæus in Instruct. Confess.: " faciat, ut imposita pœnitentia peccatis
" respondeat. Ita pro peccatis luxuriæ injungantur
" jejunia, vigiliæ, peregrinationes, cilicii usus, a-
" liaque hujusmodi corpori macerando propria.
" Pro avaritiæ peccato, præter debitas restitutio-
" nes, eleëmosynæ pro cujusque facultatibus im-
" ponantur. Sanandæ superbiæ, aliisque peccatis
" spiritualibus, oratio adhibeatur, quâ coram Deo
" vires & vigor acquiruntur, quibus his peccatis
" obsistatur. Pro negligentia rerum christianarum,
" quas ignorant, conciones audiant, & per aliquod
" tempus doctrinæ christianæ scholas frequentent.
" Indevotis & tepidis juvabit imponere, ut Eccle-
" sias, divinaque Officia oraturi sæpiùs adeant,
" multasque usurpent orationes. At verò Blas-
" phemis, & sacrilegâ linguâ in Deum & Sanctos
" petulanter maledicis, pœnitentias graves, & dif-
" ficiles injungent, quæque culpæ gravitati re-
" spondeant. (Die Arsdekine, sitne talis quinque
" decadum recitatio?) qua in re Canonibus sa-
" cris, Pontificiis Decretis, Concilio Lateranensi,
" nostrorum Conciliorum Statutis sese confor-
" mabunt.

2589 Et in Instruct. Sacram. Pœnit.: " injunget pœ-
" nitentiam pro causæ & personæ ratione, ita ut
" superbis, humilitatis opera; carnis voluptatem
" sectantibus, jejunia, abstinentiam, cilicii gesta-
" tionem, aliamque corporis macerationem pro
" peccati gravitate indicat. In oratione negligen-
" tibus, ut singulis diebus, manè saltem & ves-
" peri orationi vacent, Feriâ secundâ, & aliis cer-
" tis diebus, pro defunctis orent: certis item defi-
" nitisque diebus devotè visitent Stationes, & præ-
" cipuæ devotionis Ecclesias, & altaria, præsertim
" in Adventu, & Quadragesima. Mundi pom-
" pas, choreas, aliaque opera satanæ consectan-
" tibus, eam pœnitentiam imponet, ut in hebdo-
" mada, manè, certis diebus (id quod in singulos
" dies etiam faciendum esse, gravissimè D. Chry-
" sostomus monet) sanctâ meditatione sibi propo-
" sitâ, solemnem illam sponsionem, quam per
" Compatres in Baptismo sanctè fecerunt, redin-
" tegrent, intimè Deum precando. In qua pre-
" catione, firmo, stabilique animi proposito,
" statuant Christo Domino adhærere, renuntia-
" reque iterùm atque iterùm sæculi pompis,
" operibus tenebrarum, & diaboli imprimis, cui
" se adversarios esse, & professi sunt, & profiten-
" tur perpetuò.

2590 " Atque hæc quidem pœnitentiæ genera à san-
" ctis Viris accepta, Ecclesiasticæque disciplinæ
" Interpretibus, pro peccatorum ratione adhiberi
" poterunt.

" Ut pœnitens vestium sericarum usu, auri
" ornamento, conviviorum apparatu, venatione
" aliquo tempore abstineat.

" Ut egentibus hominibus cibum suppeditet,
" ac ministret, pedes item lavet.

" Ut peregrinos, pro facultatum ratione, hos-
" pitio excipiat.

" Ut in publica domo hospitali, locovè pio
" aliquot dies operam navet.

" Ut visitet qui in carcere sunt, eosdem conso-
" letur, & cum per facultates potest, alat certo
" præstituto tempore.

" Ut se per aliquot dies in Monasterium ali-
" quod, aliumvè semotum locum, abdat, ubi pœ-
" nitens vivat. "

Ut aliquot diebus carne, aut etiam vino ab-
" stineat. "

Ut certis diebus, præsertim feriâ quartâ, sex-
" tâ, & sabbato jejunet. "

Ut etiam vescatur solùm pane, & aquæ po-
" tu utatur. "

Ut certo aliquo tempore non equitet. "

Ut, si facultates suppetunt, certam pecuniæ,
" aut frumenti, aut vini quantitatem, in eleëmo-
" synam Christi pauperibus conferat. "

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extensis
" in modum crucis, certo tempore & horâ præ-
" finitâ, ante crucem, aliamvè sacram imagi-
" nem, in Ecclesia oret. "

Ut humi aliquando jaceat, cubetvè. "

Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat."

Ut cilicium aliquot dies induat. "

Ut religiosam aliquam peregrinationem sus-
" cipiat, sanctèque conficiat. "

Ut statutos Psalmos Pœnitentiales, aliasque
" pœnitentiales preces piè recitet aliquot dierum
" spatio. "

Ut certas Ecclesias, puta Stationales, & præ-
" cipuæ devotionis visitet. " Hactenùs S. Carolus.

Rituale quoque Romanum tit. Ordo minist. 2591
Sacram. Pœnit. injungi vult pœnitentias peccatis contrarias: *Sacerdos curet, quantùm potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleëmosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones.* Quod & dicitur in Catechismo Romano, variisque Conciliis, Colonienſi anni 1230. a. 8. Nemausensi anni circiter 1284. tit. de pœnit. Oxoniensi anni 1287. Moguntino anni 1549. Osnabrugensi anni 1628. cap. 17. §. 8. *pro peccato luxuriæ jejunium & continentiam*, &c. sive ut Joannes de Burgo in pupilla oculi cap. 1. *opera carnis afflictiva, ut jejunia, vigiliæ, disciplinæ, cilicium, lectus durus.*

Et meminerit Confessarius, impudicitiis obnoxios rarò curari, nisi pœnitentiâ nonnihil severiori. Quemadmodùm enim anima, quæ libera est, in suo erga Deum officio utplurimùm non continetur nisi amore; sic caro, quæ serva est, in officio, more servorum, utplurimùm non continetur nisi timore. Propter quod Regius Psaltes ait: *confige timore tuo carnes meas.* Et ideò natura hominibus pudorem & verecundiam indidit, passionum concupiscibilium repagulum, quod nullus unquam perrumpere potuit: *verecundiâ* namque *naturali habent provisum lupanaria ipsa* (ait Augustinus l. 14. Civit. cap. 18.) *facilius quæ potuit impudicitia non habere vincula prohibitionis, quàm impudentia non habere latibula illius fœditatis. Sed hanc etiam ipsi turpes turpitudinem vocant, cujus licèt sint amatores, ostentatores esse non audent.* Atqui naturalis ille pudor verecundiaque non est nisi infamiæ timor. Unde dum impudici homines timorem istum excutere possunt, quærendo tenebras, & latibula suæ fœditatis, utplurimùm non supereſt, nisi timor severæ pœnitentiæ, quo veluti fræno cohiberi possint. 2592

Quamvis ergo Confessarius primò ipsis incutere debeat timorem inferni, districtique Judicii Dei: quia tamen istiusmodi homines, istis (utpote non præsentibus, sed futuris) parùm concuti solent, eorumque metum ipsis plerumque excutit præsumptuosa spes tum longioris vitæ, tum inferni supplicia evadendi per confessionem, levemque precatiunculam, vel modicam eleëmosynam, sibi à Confessario imponendam, in eaque spe ipsos fovet mollior praxis pœnitentialis plurium hodie Confessariorum: alio fræno contineri debent in officio, timore utique severæ pœnitentiæ. Quam proindeConfessarius zelosus & prudens 2593

ipsis debet injungere, & talem, quæ faciat ipsos affici sensu gravitatis fœdæ libidinis suæ. Qui enim secùs faciunt Confessarii, in causa sunt, quòd impudici homines, ex levitate pœnitentiæ, peccata sua leviora reputantes, eorumque proinde gravitatem non sentientes, in eadem, vel graviora relabantur. Talis itaque pœnitentia est ipsis injungenda, ut sentiant tam difficile esse à peccato isto resurgere, quàm facile in illud cadere, experianturque verissimum esse, quod pius è Societate Theologus, Paulus Zehentner in suo malæ spei Promontorio l. 3. §. 2. dicit: *gemmula ista cælestis gratiæ, cujus jacturam facit impius venator libidinis suæ, tametsi recuperabilis sit, non tamen obvenit, nisi multum judanti, & gementi, & dolenti, & deprecanti*, &c.

2594 Nec zelus & vigilantia Confessarii solùm esse debet, ut injuncta pœnitentia serviat ad Deum placandum pro peccatis præteritis, sed & ut præservet à futuris, eum in finem ipsis præscribendo (præter jejunia) eleemosynas, orationes, pias considerationes, fugam occasionum, humilitatisque & misericordiæ opera, seu opera pietatis ad impetrandum donum castitatis, extinctionemque fœdæ cupiditatis.

2595 Et quia tantò gravius peccat infamis venator libidinis suæ, quantò majoris est dignitatis, tantò severior ipsi pœnitentia injungenda est. Ita Concilium Nimociense (in Cypro) anni 1298. cap. 4. Et Concilium Anglicanum (sub Edgaro Rege) circa annum 969. tit. de Confess. a. 3. quia ut Chrysostomus ait de Sacerdot. " ostendere volens " Deus hominum peccata longè majori supplicio expiari, dum à Sacerdotibus, quàm dum à privatis fiunt, mandat (Levit. 4.) ut tantumdem à Sacerdotibus, quantum pro universo populo, Sacrificium offeratur. Quod quid aliud " significat, quàm Sacerdotis vulnera majori medicamento atque auxilio indigere, atque adeò " tanto, quanto conjuncta simul universi populi " vulnera indigent. Porrò majori nequaquam indigerent, nisi ea graviora forent. Atque gravio- " ra certè fiunt, non naturâ ipsâ, sed Sacerdotis, " qui ea commiserit, conditione & dignitate." Et ideò Presbytero, in fornicationem lapso, veteres Canones pœnitentiam decem annorum, Episcopo verò quindecim annorum imposuerunt. In extracto S. Caroli ad 10. præcept. *si Episcopus concupiscit fornicari, pœnitens erit annos septem. Si Presbyter, annos quinque. Si Diaconus, aut Monachus, tres: è quibus unum in pane & aqua.* In extracto Reginonis l. 2. c. 250. *Presbyter, si osculatus fuerit feminam, per immundum desiderium sensualitatis* ex ipso osculo, non autem fornicationis (aliàs pœnitere deberet quinque annis, ut proximè dictum est) *viginti dies pœniteat.*

CAPUT CCIX.

Pœnitentiam gravem, pro mortalibus à Confessario impositam, pœnitens suscipere & implere tenetur sub mortali. Imò si pro iis leviorem Confessarius imposuerit, pœnitens ad ampliorem peragendam obligatur.

2596 Ratio prioris partis est, tum quia una ex conditionibus bonæ confessionis est ut sit *parêre parata*, id est facta animo parendi judicio ac sententiæ Confessarii. Tum quia obediendum est omni Superiori legitimè præcipienti: obediendum proinde Confessario tanquam legitimo Judici: ac per consequens legitimo Superiori. Tum quia, cùm pœnitentia imponenda sit secundùm legem Dei & Ecclesiæ, sicut eam Judex sacramentalis lege divinâ tenetur imponere; sic & reus suscipere tenetur & implere. Itaque *si suscipere renuit, vel si ex negligentia omittit, cum proposito non faciendi id quod sibi est injunctum pro mortalibus, mortaliter peccat*, ait S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. §. 19. Ita etiam D. Bonaventura in 4. dist. 16. q. 1.

Hinc sequitur primò, absolvendum non esse, 2597
qui justam pœnitentiam non vult suscipere. Cùm absolvi nequeat, qui in ipsomet sacramentali judicio mortaliter peccat. Et qui sic affectus est, ut hîc pœnitentiam agere nolit, sed satis pati in purgatorio, non est purgatorii pœnis expiandus, sed perpetuo inferni igne coercendus, ut docet S. Cæsarius hom. 37. quæ nunc est in Appendice serm. Augustini serm. 104. Vide suprà num. 1224.

Sequitur secundò, falsissimam esse sententiam, 2598
quæ dicit, nullam satisfactionem imponendam pœnitenti, cujus tanta est imbecillitas, ut nullam sit acceptaturus. Si enim nullam sit acceptaturus: non est debitè contritus. Rectè proinde Gaspar Loart è Soc. Jesu (à S. Carolo Borromæo Act. p. 4. commendatus) Instruct. Confess. cap. 9. *si Confessarius tolerabilem imposuisset pœnitentiam, nec tamen eam pœnitens admitteret, nec justa aliqua ex causa recusaret, etsi quidam putant, nihilominùs absolvendum, ne desperans abeat; ego tamen non absolvendum judicarem. Quia qui sic affectus est, ad absolutionem consequendam non est dispositus, eritque melius, ut malè contentus, quàm deceptus abjeedat.....*

Si tamen *non videtur sibi posse facere, vel nimis difficile* (ait S. Antoninus loco citato) *propter quod petat sibi commutari*, faciat Confessarius ut dictum est cap. 205. §. 4.

Ratio posterioris partis, est quia cùm ex lege divina peccator teneatur ad dignos pœnitentiæ fructus, si eos Confessarius non præscribat, agit contra *Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem*, ut Cyprianus dicit. Non ergo sententiam Confessarii tunc acceptat Deus. Sicut enim Deo acceptæ non sunt absolutiones omnes suorum Locumtenentium: ita nec omnes pœnitentiarum impositiones. Per talem proinde sententiam Confessarii, pœnitens non liberatur ab eo, ad quod divinâ lege tenetur. Unde meritò sanctus Thomas quodlib. 3. q. 13. a. 1. *peccator est debitor alicujus satisfactionis dupliciter. Uno modo, ex injunctione Sacerdotis. Alio modo ex peccato commisso: unde, si contingat quòd Sacerdos minorem satisfactionem imponat pœnitenti, quàm sit illa, ad quam obligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo quod remittitur virtute clavium, & contritionis præcedentis, nihilominùs pœnitens ad aliquid ulterius obligatur. Quod si in hac vita non perficiet, in purgatorio exsolvet.* Ad quod tamen solutionem voluntariè differre, est contra legem charitatis propriæ, nec minùs infanum, quàm si quis curari non valens à morbo lethali, nisi venæ apertione, vel brachii abscissione, secundum voluntariè eligeret. Confer quæ dixi cap. 94. Nec te moveant, quæ contra hæc allegantur à Suarez, Meratio, & aliis. Quia nullius sunt momenti, nec satis conformia sacris Litteris, nec Theologiæ Sanctorum. Cui inhærens Jacobus Cardinalis de Vitriaco serm. 3. de Evangelio Domin. in Albis: *Si Sacerdos* (inquit) *pro jejunio unius diei ab omni pœna criminalium absolvit, non approbatur in Curia cælesti, sed tam Sacerdos, quàm ille quem indiscretè putat absolvere, in foveam cadunt. Ille residuum pœnitentiæ in purgatorio supplebis, & Sacerdos pro indiscretione punietur.* Imò si talem Confessarium peccator ex proposito quærit, qui levissimam pœnitentiam pro gravissimis peccatis imponit, ambo cadunt in foveam inferni. Vide quæ circa hoc dixi cap. 205. §. 2. & 3. Vide etiam tractatum sacerdotalem (quem Stephanus, Episcopus Posnaniensis, ab omnibus Pastoribus suis haberi, & observari voluit) cap. de Sacram. Pœnit. ubi con-

cludit: *vide ergo, quicumque judicas secundùm caput tuum, injungendo pœnitentias, non taxatis circumstantiis, quia in magno periculo es, decipiens te & pœnitentem, si arbitraris aliter pœnitentiam, quàm Spiritus sanctus dictavit, illi pœnitenti imponendam.*

2599 Pœnitentiæ sunt quidem arbitrariæ, hoc sensu, quòd juxta veteris Ecclesiæ disciplinam non sint necessariò imponendæ; non sic tamen ut Sacerdos eas imponere possit secundùm beneplacitum suum, sed secundùm placitum Dei, regulasque justæ discretionis; in totum non abjiciendo veteris Ecclesiæ rigorem, sed ad eum, quoad fieri potest, accedendo, spectatâ gravitate criminum, & facultate pœnitentium.

CAPUT CCX.

Pœnitentiam ab uno Confessario impositam alius Confessarius mutare non potest, nisi causâ cognitâ, & graves ob causas.

2600 RAtio sumitur ex Tridentino sess. 14. c. 5. quia *constat, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non posse, neque æquitatem in pœnis injungendis*, vel moderandis, aut commutandis *servare*. Usus tamen & praxis Ecclesiæ hanc Confessariis potestatem tribuit, dummodò discretè, causâ cognitâ, justamque ob causam id fiat. Ita S. Raymundus lib. 3. §. 66. & S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 15. Quia plerùmque id expedit animarum saluti, pro qua Sacramentum est institutum.

Nec tamen id extra Sacramentum fieri debet, sed in Sacramento. Cùm sit actus judicii sacramentalis, seu jurisdictionis clavium ligandi & solvendi, quæ nonnisi in Sacramento exercetur.

2601 Nec idcò par in parem exercet imperium, sed in subditum, seu pœnitentem, secundo Confessario iteratâ priori confessione se subjicientem. Nulla proinde hîc intervenit appellatio, sed iterata dumtaxat causæ subjectio, facta æquali Judici, eamdem habenti potestatem moderandi, vel commutandi, quam primus Confessarius habuit. Nisi pœnitentia imposita fuerit ob peccata reservata. Quo casu ab eo solo moderari commutativè potest, qui in reservata habet potestatem.

2602 Ipse tamen pœnitens non potest eam in aliam, licèt majorem, propriâ mutare authoritate. Cùm propriâ authoritate solvere nequeat vinculum, quo ligatus est per legitimum Judicem.

Similiter propriâ authoritate substituere sibi alium non potest, qui pœnitentiam (v. g. peregrinationem) loco suo adimpleat, sed eam personaliter adimplere debet, ut declaravit Alexander VII. in damnatione propositionis 15. inter 45.

CAPUT CCXI.

Pœnitentia imponenda est per modum præcepti, non ex toto per modum consilii.

2603 QUia imponenda est ex potestate ligandi. Qui autem nihil præcipit, sed solùm consulit, non ligat.

2604 Pars tamen pœnitentiæ consultivè imponi potest, vel disjunctivè injungi, dicendo v. g. *fac hoc, si potes; si non potes, facias istud.* Sic enim Sacerdos adhuc ligat ad alterutrum. Ita S. Thomas quodlib. 3. q. 13. art. 1. ubi etiam docet, quòd *opus quod quis facit ex intentione Sacerdotis, dupliciter valet pœnitenti. Uno modo ex natura operis. Alio modo ex vi clavium. Cùm enim satisfactio, à Sacerdote absolvente injuncta, sit pars pœnitentiæ, manifestum est quòd in ea operatur vis clavium, ita quòd amplius valet ad expiandum peccatum, quàm si proprio arbitrio homo faceret idem opus.*

Unde concludit, utilissimum esse & expediens, 2605
quòd Sacerdos, post injunctam pœnitentiam, datamque absolutionem, dicat pœnitenti: *quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*, &c. quòdque hæc omnia ipsi pro pœnitentia injungat. Quia hæc omnia *quæ per injunctionem expressam facit* (pœnitens) *accipiunt majorem vim ex illa generali injunctione*, tametsi indeterminata. Ita etiam S. Raymundus apud Nicolaum de Ausmo in Supplemento Pisanellæ verbo *pœnitentiæ* 2. S. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 20. ante §. 1. S. Vincentius Ferrerius Dominic. 15. serm. 2. §. *quantùm ad quartum*. Joannes de Burgo in Pupill. ocul. c. 10.

Utilissimum quoque erit pœnitentem hortari, 2606
ut quotidie, & frequentiùs æterno Patri maxima cum fiducia pro peccatis suis offerat Unigeniti sui passionem, pretiosumque sanguinem, in eoque se sordesque suas lavet, atque inde speret supplementum ejus quod deest suæ imperfectioni atque infirmitati. Est enim modus optimus evitandi purgatorium, vel saltem longissimum acerbissimumque purgatorium in brevem & levem commutandi, uti Christus revelavit S. Gertrudi, & S. Mechtildi, & B. Henrico Susoni, prout videre est in ejus vita c. 42. & in vita S. Gertrudis l. 3. c. 18. & S. Mechtildis l. 1. c. 17. 18. 30. l. 3. c. 14. l. 4. c. 21. &c. Videri potest etiam Ludolphus de Saxonia in vita Christi p. 2. c. 58. Lansbergius l. 2. alloquiorum Jesu Christi ad animam fidelem p. 1. c. 4. & 5. Blosius in farrag. utilis. institut. tit. *hæc sunt notatu digna.* Necnon in Specul. spirit. c. 7. & 9. Et lib. 2. Enchirid. parvul. in Append. docum. 3.

Addit Albertus Magnus, devotam & quoti- 2607
dianam Dominicæ Passionis recordationem, cum simplici humilique corde, fiducia in meritis illius, oblatione pro peccatis, gratiarum actione, & imitationis proposito conjunctam, plus homini valere, quàm totius anni jejunium in pane & aqua, vel quotidianam flagellationem, etiam usque ad sanguinis effusionem.

Idem censeo de eo, qui quælibet adversa, tam- 2608
quam justè à Domino immissa, cum Job benedicendo suscipit; quaslibet etiam injurias, & offensas sibi illatas ex animo dimittit, omnesque afflictiones istas æterno Patri quotidie offert in unione injuriarum & passionum, quas Christus sustinuit, gaudens sibi suppetere occasionem sic Christo compatiendi. Sicut & de eo, qui miseriis proximi ex animo compatitur, &, ut potest, charitativè succurrit, ex affectu in eo imitandi charitatem & misericordiam Christi. Teste namque Evangelio, talem erga se sentiet Deum, qualem se exhibuerit erga proximum. Nec dubito, quin proximè dictis exercitiis, simul sumptis, peccator, etiam enormis, pœnarum omnium quas promeruit, etiam absque gravi suæ carnis maceratione, remissionem aliquando obtinere possit.

CAPUT CCXII.

In pœnitentiam imponi potest opus aliàs præceptum. Etiam oratio, eleëmosyna, &c. pro defunctis.

RAtio prioris partis est, quia opus non desi- 2609
nit esse pœnale & satisfactorium, ex eo quòd sit præceptum. Ad illudque pœnitens duplici præcepto obligari potest, Ecclesiæ v. g. & Confessarii. Qui tamen censetur præscribere aliud jejunium, quàm aliàs præceptum, dum simpleciter præscribit jejunium, illud non determinando ad diem quo aliunde est præceptum.

2610 Ratio posterioris partis est, tum quia similiter oratio & eleëmosyna non desinit esse satisfactoria, ex eo quòd pro defunctis fiat. Tum quia jussus à Confessario talem vel talem orationem, eleëmosynam, seu aliam pœnitentiam facere pro defunctis, non ideò desinit ex opere operato satisfacere pro seipso. Ut enim n. 2603 dixi ex sancto Thoma, *opus quod facit ex injunctione Sacerdotis, dupliciter valet pœnitenti. Uno modo ex natura operis*, id est ex opere operantis. *Alio modo ex vi clavium*, id est ex opere operato. In dicto verò casu valorem operis sui ex opere operantis sic applicat defunctis, ut valor ejusdem ex opere operato maneat sibi, utpote quem pro arbitrio suo alienare non potest.

CAPUT CCXIII.

Pœnitens, antequam sit justificatus, pro peccatis suis satisfacere potest, dummodò deposuerit affectum ad mortale peccatum, operaque satisfactoria faciat corde contrito, & satagente per opera illa amissam Dei gratiam recuperare.

2611 ALtisiodorensis 4. p. Summæ, cum quibusdam aliis Veteribus, censuit iterandas pœnitentias quascumque extra statum gratiæ factas. Rationem dat S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 20. §. 2. *quia in hoc concordant omnes, quòd satisfactio facta in mortali, sicut nec alia opera, valent in foro Dei ad tollendum, vel minuendum debitum pœnæ pro peccatis, ad quod ordinatur omnis satisfactio.* Similia habet S. Thomas Supplem. q. 14. a. 2. Et 4. ad Annibaldum dist. 22. a. 2. ad 3. ubi propterea dicit, quòd *pars satisfactionis facta in mortali oportet quòd iteretur.* Eò quòd, ut dixerat dist. 15., ne sublato quidem peccati obice reviviscat. *Non enim potest revivisc ere quod vitâ caruit.*

2612 Ipsemet tamen S. Doctor Supplem. q. 14. a. 2. ad 3. satis insinuat, imò articulo isto tertio ad 1. apertè declarat, se id intelligere de satisfactione facta cum affectu peccati mortalis, vel quæ non fit corde contrito, satagenteque per satisfactionem illam se disponere ad reconciliationem cum Deo. Neque enim ea quæ fit ante Spiritum sanctum inhabitantem, sed per fidem & gratiam Spiritûs sancti moventis cor pœnitentis ad reconciliationem cum Deo, est opus planè mortuum, sed vivum; non vitâ perfectâ, sed inchoatâ, prout imperfecta contritio & confessio facta corde contrito in ordine ad absolutionem, per quam demùm peccatorum obtinetur remissio, gratiæque justificantis infusio. Quemadmodùm enim imperfecta contritio & confessio effectum suum ex opere operato fortiuntur accedente absolutione; ita & similiter satisfactio à Confessario injuncta, cordeque contrito ante absolutionem peracta. Neque enim frustratoriam esse, sed fructuosam, praxis Ecclesiæ, tam veteris, quàm modernæ, demonstrat. Si enim satisfactionem taliter factam Ecclesia censeret, & olim censuisset frustratoriam, eam ante absolutionem fieri olim non jussisset, nec modò subinde juberet. Id autem olim frequenter jussit, sicut & hodie justis de causis subinde jubet.

2613 Quemadmodùm igitur imperfecta contritio & confessio, corde contrito per fidem & gratiam Spiritûs sancti moventis facta ab homine nondum justificato, non est opus planè mortuum, sed vivum, talitercque confitens & contritus non est omninò mortuus, sed vivus, vitâ proximè dictâ (juxta illud Augustini serm. 8. de verb. Dom. secundùm Matth. *quare confiteris in accusatione ipsius tui? quare confiteris, nisi quia ex mortuo vivus factus es?*) ita etiam satisfactio ex fide & gratia excitante, &c. non est opus mortuum, sed vivum, & factum ab homine, qui non est omninò mortuus, sed vivus modo dicto: nec est opus frustratorium, sed utile ad salutem, de congruoque meritorium. Distinguendam quippe esse vitam duplicem, unam per gratiam Spiritûs sancti cor moventis & excitantis; alteram per gratiam Spiritûs sancti inhabitantis, Pius V. & Gregorius XIII. declararunt per Bullam, quâ articulos vulgò Bajanos proscripserunt.

Nec obstat Apostolus 1. Cor. 13. dicens *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 2614 Talis enim reverà charitatem habet, si non habitualem, saltem actualem. De qua Apostolo sermonem esse, constat ex eo quòd pœnitenti nondum reconciliato haud dubiè prosint, non solùm orationes, eleëmosynæ, lachrymæ, gemitus, jejunia, aliaque opera bona, quibus se disponit ad reconciliationem cum Deo; sed & actus fidei, spei, & initialis dilectionis Dei, tamquam fontis omnis justitiæ, contritionisque inde conceptæ, sicut & cæterorum actuum, quibus peccatorem ad gratiam justificantem disponi Tridentinum docet sess. 6. c. 6.

Non obstat etiam ratio S. Thomæ suprà, *non potest revivisc ere quod vitâ caruit.* 2615 Tum quia satisfactio, de qua agimus, non omninò vitâ caruit. Tum quia ad hoc ut effectum suum operetur ex opere operato, non est necesse quòd reviviscat, sed solùm ut superveniente absolutione vivificetur vitâ perfectâ, quæ jam vivit vitâ inchoatâ; eo utique modo quo confessio, & imperfecta contritio. Siquidem confessio, imperfecta contritio, & satisfactio (per subsequentem affectum peccati mortalis non mortificata) superveniente absolutione (cum qua moraliter uniuntur, velut partes materiales cum formali, unumque cum ipsa faciunt Sacramentum, sicut materia & forma compositum unum) vivificantur vitâ perfectâ per gratiam sanctificantem, quam ex opere operato simul cum eadem absolutione producunt. Hoc modo intellige quod Catechismus Romanus ait: *necesse est ut is qui Deo satisfacit, justus sit & Dei amicus.*

Illud tamen verum est (in quo Veteres con- 2616 cordant) quòd satisfactio, sive ante, sive post absolutionem, facta cum affectu ad mortale peccatum, non valet in foro Dei ad tollendum debitum pœnæ pro peccatis, uti nec oratio, nec eleëmosyna sic facta. Tametsi non omnis satisfactio taliter facta, iteranda sit, juxta S. Thomam citatâ q. 14. a. 9. ad 3. eò quòd (inquit) *aliquæ satisfactiones sunt, ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis transiit, sicut ex jejunio manet corporis debilitatio, & ex eleëmosynarum largitione substantiæ diminutio. Et sic de similibus. Et tales satisfactiones in peccatis factæ, non oportet ut iterentur. Quia quantùm ad hoc quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ sunt.* Et sic valent in foro Dei ad tollendum debitum pœnæ. *Satisfactiones autem, quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transiit, oportet ut iterentur, sicut orationes, & alia hujusmodi. Actus autem interior, quia totaliter transiit, nullo modo vivificatur, sed oportet ut iteretur.*

CAPUT CCXIV.

Absolutè & universim necessarium non est ut imposita satisfactio ante sacramentalem absolutionem impleatur.

TAmetsi enim graviorum criminum rei, se- 2617 cundùm veteris Ecclesiæ disciplinam, regu-

lariter non priùs absolvebantur, quàm satisfactionem canonicam, magna saltem ex parte, implevissent, ut constat ex dictis cap. 15. & seqq. Ista res disciplinæ fuit, quæ & antiquiùs varia fuit, & ab Ecclesia justis de causis mutari potuit, uti revera mutata est, tacito saltem consensu. Hodierna quippe disciplina est, ut verè pœnitentibus ante impletam satisfactionem absolutio utplurimùm impendatur. Nec hoc reprehendi potest, cùm nullâ lege, vel authoritate, vel ratione ostendi possit, satisfactionem absolutioni esse necessariò præmittendam ex institutione Christi, vel ex natura hujus Sacramenti; imò oppositum constet ex damnatione hujus propositionis Petri de Osma à Sixto IV. & Concilio Complutensi: *non peractâ pœnitentiâ, confitentes absolvendi non sunt*, necnon ex damnatione sequentium propositionum ab Alexandro VIII.

Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei idipsum quodammodo dictante.

Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominùs ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

2618 Denique hanc propositionem: *executio pœnitentiæ, seu satisfactionis impositæ, necessariò ex institutione Christi, ac invariabili natura Sacramenti, ita prærequiritur absolutioni, ut aliquâ absolutio non sit valida, nisi ejusmodi satisfactio priùs completa fuerit:* Facultas Parisiensis damnavit *ut temerariam, & hæreticam, & à Sixto IV. contra Petrum de Osma, illiusque sequaces prædamnatam.* Profectò validam esse absolutionem ante peractam satisfactionem, Tridentinum supponit, dum sess. 6. c. 14. pœnitentiæ partes isto ordine enumerat: *contritio, confessio, absolutio, satisfactio, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, unâ cum culpa remittitur.* Apertè quippe supponit, ante satisfactionem, Sacramentum jam validum esse & fructuosum, utpote quo *pœna æterna unà cum culpa remittitur.*

CAPUT CCXV.

Confessarius pœnitentem obligare potest ad satisfactionem ex parte, vel ex toto implendam ante absolutionem, dum id ipsius curationi spirituali judicat expedire.

2619 TAmetsi enim veterem disciplinam universim instaurare, non sit privatorum hominum, sed Summorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium; nihilominùs cùm Christus de tempore implendæ satisfactionis nihil præceperit; nec Ecclesia universim jubeat pœnitentem absolvi ante peractam satisfactionem; nec absolutionem usque ad eam peractam differri prohibeat; nihil est quod prohibeat Confessarium id facere, dum curationi spirituali pœnitentium rationabiliter judicat id expedire. Quod profectò rationabiliter judicat, quando meritò timet pœnitentem, nunc absolutum, facilè relapsurum, nisi territus dilatione absolutionis, & interim jussus peragere opera laboriosæ satisfactionis, tandem ad se reversus, gravitatem peccati, emendationisque necessitatem agnoscat. *Ego* (inquit Arriaga de pœnit. disput. 38. n. 39.) *dicere possum, me multoties cum aliquibus juvenibus hoc remedio usum, & feliciter illud mihi successisse.*

Id etiam rationabiliter judicat, dum pœnitens impositam sibi satisfactionem, post acceptam absolutionem, non semel neglexit, ut absolutionis dilatione compulsus discat ampliùs non negligere. Idem est dum meritò timetur negligeturus.

Id denique rationabiliter judicat, dum, sive ob 2620
frequentem, festivum, & facilem relapsum, sive aliam ob causam ipsi hic & nunc meritò suspecta est sufficiens contritio pœnitentis. Tunc enim necesse est ut eam diligenter exploret, non solùm attendendo ad confessionem pœnitentis, & ad verba promittentis (absque ullo fructu sæpiùs facta) sed & ad fletus, & lachrymas, & opera corrigentis. Aliàs enim meritò dicere potest cum Gregorio: *Confessionis verba quid sunt aliud nisi folia?* & subsumere, veram pœnitentiam non ex foliis, sed ex fructibus emendationis, & satisfactionis cognosci, prout multis argumentis demonstratum est suprà.

Nequis verò existimet, præsentem assertionem 2621
esse singularem, legat, si lubet, Cardinalem de Lugo de pœnit. disp. 14. sect. 10. ubi communem esse dicit Theologorum doctrinam, quòd *possit Confessarius aliquando obligare pœnitentem, ad implendam pœnitentiam ante absolutionem. Quod licèt non possit facere per modum vindictæ & punitionis; potest saltem facere per modum medicinæ, quando judicat id esse necessarium, vel utile pœnitenti, ex eo quòd soleat facilè omittere pœnitentias postea sibi impositas, vel ut Confessarius certus sit de pœnitentia impleta, vel ob alios fines.* De eadem communi doctrina testatur Joannes Bosco Theol. Sacram. p. 3. disp. 7. de Sacramento Pœnit. sect. 4. conclus. 11. n. 198. pro ea nominatim referens Suarez, Reginaldum, Filliutium, & Bonacinam.

Denique quòd absolutio usque ad peractam 2622
pœnitentiam differri possit, etiam ad explorandam pœnitentis contritionem, idque expediens sit, dum pœnitens in eadem sæpè peccata relapsus est, docet novissimè Natalis Alexander Theol. Dogmat. & Moral. to. 4. l. 2. c. 6. a. 6. regulâ 4. per totam.

CAPUT CCXVI.

Absolutionis sacramentalis natura exponitur.

EXpositâ materiâ, seu partibus materialibus Sa- 2623
cramenti Pœnitentiæ, exponenda superest forma ejusdem, videlicet absolutio, quæ, ut Tridentinum definit sess. 14. c. 6. *quamvis aliena, divini utique, beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actûs judicialis, quo ab ipso* (Sacerdote) *velut à Judice, sententia pronuntiatur.*

Itaque absolutio est sententia definitiva remis- 2624
sionis peccatorum, à legitimo Ministro prolata super pœnitentem, ritè contritum & confessum. Consistit in his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen*, prout habetur in Rituali Romano. Unde dici non debet (ut aliqui dicunt) *ab omnibus peccatis tuis.* Quia Rituale reformatum sustulit vocalem *omnibus.* Non enim Sacerdos absolvit ab omnibus venialibus: cùm nec omnia pœnitens confiteatur, rarissimèque habeat affectum ab omnibus depuratum. Dici etiam non debet, *à peccatis tuis contritis, confessis, & oblitis.* Quia ly *contritis*, intellectum de contritione perfecta, malè additur: cùm sufficiat contritio imperfecta. Illa verò, *confessis & oblitis*, superflua sunt. Quia ly *confessis* satis significatur per circumstantiam consignificantem. *Reliqua* verò *peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur*, ait Tridentinum sess. 14. c. 5. Et ideò Romana Ec-

clesia, cæteræque modò Ecclesiæ, verba ista in forma absolutionis omittunt, tametsi in nonnullis olim Ecclesiis usurpata fuerint.

2625 Est autem de necessitate hujus Sacramenti, quòd forma ipsius, sicut & reliquorum Sacramentorum (præter Matrimonium) voce, non nutibus, vel scripturâ proferatur. Sic enim Christum instituisse, scimus ex traditione Ecclesiæ, Florentinique & Tridentini definitione. De quo ne dubium superesset, Florentinum, traditâ universali hâc doctrinâ: *omnia novæ legis Sacramenta perficiuntur verbis tamquam formâ*; solum excipit Matrimonii Sacramentum, dicendo, illud *regulariter* perfici verbis; quo significaret illud non semper, nec necessariò perfici verbis. Quæ exceptio pro reliquis firmat regulam in contrarium. Unde probabilis non est opinio Joannis Pontii apud Dianam p. 11. tr. 6. resol. 14. existimantis, Sacerdotem mutum (alio deficiente) posse & debere nutu vel scripto absolvere hominem, animam agentem, in eaque extremitate petentem absolutionem. Nec eam probabilem vocare audet Diana. Vox tamen *ego* (utpote contenta in voce *absolvo*) non solùm non est de necessitate Sacramenti; sed ne quidem de necessitate præcepti, ut aliqui dicunt. Neque sanctissimæ Trinitatis expressio de necessitate est Sacramenti. Quia (ut S. Thomas ait 3. p. q. 84. a. 3. ad 3.) *hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo*, suntque (apud Morinum) plures Antiquorum formæ, in quibus SS. Trinitatis mentio non fit. Omitti tamen non debet, ut servetur Ecclesiæ usus.

2626 An voces istæ, *à peccatis tuis*, sint de necessitate formæ? controvertitur. Negant Doctores communiùs, aientes, hæc verba sufficere ad valorem formæ: *absolvo te*. Quia per circumstantias consignificantes satis determinantur ad significandam absolutionem à peccatis. Faventque S. Thomas 3. p. q. 84. a. 3. & Catechismus Romanus p. 3. §. 19. de Sacram. Pœnit. aiens: *est autem forma, ego te absolvo*. Istius sententiæ Patronos quadraginta tres profert Diana p. 11. tr. 6. resol. 11. Quos inter Suarez de censuris disp. 10. sect. 2. scribit, hanc sententiam esse certissimam; eò quòd Florentinum in litt. Eugenii pro forma substantiali non assignet nisi duo illa verba, *absolvo te*. Alii nihilominùs, ut Durandus, Paludanus, Gabriel, Major, Petrus Soto, Wigers, &c. affirmant verba ista, *à peccatis tuis*, esse de valore formæ. Favetque Tridentinum sess. 14. c. 3. hujus Sacramenti formam in illis Ministri verbis constituens, *ego te absolvo*, &c. Addendo quippe ly, &c. significavit necessariò addenda verba ista, *à peccatis tuis*. Et ratio est quia duo ista verba, *absolvo te*, etiam prolata post peccatorum confessionem, indifferentia sunt ad significandam absolutionem *à peccatis*, vel *à censuris*, saltem si pœnitens confessus fuerit casum censuræ obnoxium. Formam verò hujus Sacramenti oportet determinatè significare remissionem peccatorum.

2627 Ex ista sententiarum diversitate, reique proinde incertitudine, Sylvius rectè conficit, verba ista, *à peccatis tuis*, omitti non posse absque mortali crimine. Ob periculum cui aliàs Sacramentum exponitur. Et quia saltem necessaria sunt necessitate præcepti. Gravior disceptatio est, nùm forma seu absolutio deprecatoria valeat? An verò enuntiativa, seu absoluta (quâ modò Ecclesia Latina utitur) sit de necessitate Sacramenti? pro resolutione sit

CAPUT CCXVII.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ indicativa, quâ Latina Ecclesia modò utitur, haud dubiè optima est. Sed non ideò irrita est forma deprecatoria, quâ Ecclesia usa fuisse videtur per multa sæcula.

PRior pars assertionis est extra controversiam, 2628
quia formam absolutam probarunt duo Oecumenica Concilia, Florentinum, & Tridentinum. Probat & usus totius Ecclesiæ Latinæ. Præsumptuosumque foret, imò erroneum, asserere quòd Sacerdos dicere non possit: *ego absolvo te*, prout ex Evangelio S. Thomas benè ostendit opusc. 22.

Posterior pars contradicentes habet plerosque 2629
Scholasticos. Sed ipsorum opinio contra se habet praxim veteris Ecclesiæ, tam Latinæ quàm Græcæ. Quam praxim ipsi ignoraverunt. Si enim vidissent formam absolutionis deprecatoriam, ipsisque compertum fuisset eâ solâ usam fuisse Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem, per multa sæcula, invalidam haud dubiè non censuissent formam pluribus sæculis ab Ecclesia usurpatam.

Porrò formam absolutionis, tam in Ecclesia 2630
Occidentali, quàm Orientali, per multa sæcula deprecativam fuisse, non indicativam, Scriptores graviissimi, & in antiquis Ecclesiæ ritibus versatissimi contestantur, scilicet Hugo Menardus, Petrus Arcudius, Jacobus Goar, Joannes Morinus, Joannes Cabassutius, & quod plus est, id (quoad Ecclesiam Orientalem) testatur Clemens VIII.

Primò itaque Hugo Menardus, Ordinis S. Be- 2631
nedicti, in notis ad Sacramentale Gregorianum, testatur, absolutionem, tam apud veteres Latinos, quàm apud Græcos, nonnisi deprecatoriam extitisse.

Secundò, Petrus Arcudius, Græcus ipse Cor- 2632
cyræus, & apud Græcos diutissimè versatus, l. 4. de concord. Eccles. Orient. cum Occident. c. 3. tametsi magnâ diligentiâ conatus formam indicativam in nonnullis Scriptoribus invenire, unam tantùm profert, paucis Græcis usitatam, nec ita pridem, sed nuper à Ruthenis acceptam, novissimo schismate posteriorem, ipsoque fatente recens natam, quam etsi magis approbet Scriptor nuperus Gabriel Philadelphiensis in suo de Sacram. Opusculo: ipse tamen Arcudius fatetur, hujusmodi absolutionem apud Græcos esse nuperam, à paucis usitatam, Græcorumque Euchologia omnia formam merè deprecativam tradere. *Forma* (inquit) *quæ extat in Euchologio, videtur in his verbis consistere: Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc à peccatis suis.* Alia forma est ejusmodi: *Dominus noster Jesus Christus, qui dedit Apostolis suis potestatem, quæ per illos transit ad nos, absolvat te*, sive *condonet tibi peccata tua.*

Tertiò, Joannes Morinus l. 8. de pœnit. c. 8. 2633
& seqq. profert Euchologia diversa, & Ritualia omnium ferè Ecclesiarum Orientis, Conciliorum Generalium, & SS. Pontificum Decretis approbata, atque à Græcis, Armenis, Syris, Maronitis, antequam schismata supervenirent, usurpata, sicut & antiqua Ritualia, quibus Ecclesiæ Latinæ usæ sunt ante sæculum duodecimum; in quibus alia non habetur absolutionis forma nisi deprecatoria. Quòdque absolutio olim in universa Ecclesia, etiam Latina, per deprecationem fieret, probat insuper ex Tertulliano, Cypriano, Paciano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Leone Magno, Concilio Aquisgran. II. c. 3. Moguntino sub Rabano can. 26. lib. 5. capitul. c. 52. 62. 64. Et lib. 6. c. 203. Necnon ex Theodulpho, Episcopo Aurelianensi, S. Bernardo, Petro Cellensi, & Petro Cantore.

Quartò, Jacobus Goar, nuper in Orientem 2634
missus, ibique diù versatus, ac Linguæ Græcæ peritia

peritiâ nulli secundus, in præclaro Euchologio suo, seu Rituali Græcorum, anno 1647. edito, hasce Græcorum formas refert: *Dominus Jesus Christus remittat tibi omnia, quæ coram mea tenuitate confessus es.* Estque formula ista Chrysostomi (inquit) post aliquas preces: *Optime, & valdè misericors Domine, cuncta quæ filius meus spiritualis N. contrito corde coram tenuitate mea confessus est, in præsenti & futuro sæculo condona, & indamnatum coram te adstare concede.* In notis verò ad Euchologium, ingenuè fatetur, ex Ritualibus Græcorum & Latinorum, quæ fuerunt ante quartum abhinc sæculum, ostendi non posse formam hanc fuisse indicativam.

2635 Quartò, Cabassutius in notitia Ecclesiastica sæculi 4. Dissertatione ad Canones Ordinationum Concilii Cartagin. IV. innumeris (inquit) constat SS. Patrum, tum Latinorum, tum Græcorum testimoniis, olim in absolvendis pœnitentibus Ecclesiam verbis usam deprecatoriis, Græcosque etiamnum Orthodoxos, approbante Ecclesiâ Latinâ, usos fuisse, & adhuc uti precibus pro ipsamet absolvendi formula.

2636 Et reverà ostendi non posse, Ecclesiam Latinam olim usam formâ indicativâ, probat disceptatio desuper orta tempore sancti Thomæ. Cùm enim S. Doctori objectum fuisset, vix triginta annos effluxisse, cùm omnes formâ deprecativâ uterentur; ideòque Guilielmum Altissiodorensem, & Parisiensem, & Hugonem Cardinalem deprecativam absolutionis formam comprobasse, opusc. 22. S. Doctor hanc objectionem non confutat ex Ritualibus plusquàm triginta annorum (quod haud dubiè feciflet, si potuisset) neque ex scriptis illorum Doctorum. Sed de iis solùm dicit, *non constare quòd ita senserint: sed etsi sic senserint, eorum opiniones præjudicare non debere verbis Domini, dicentis Petro: quodcumque solveris.* Quæ Domini verba non præjudicare valori formæ deprecativæ, infrà apparebit.

2637 Quintò, Clemens VIII. Constitutione 8. §. 3. contestatur idipsum, quod de Græcis dictum est: in *casu* (inquit) *necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur formâ absolutionis in Generali Concilio præscripta. Et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro* HUJUSMODI ABSOLUTIONE DICERE TANTÙM CONSUEVERUNT. De Sacramentorum verò materia & formâ, neque in Concilio Florentino, neque in Lugdunensi, Latini Græcis litem moverunt, sed salvis ipsorum ritibus & euchologiis, ipsos ad suam unionem receperunt. Jamque in Concilio Florentino, absque ulla super his lite, Græcorum cum Latinis unio facta erat ante adventum Armenorum. Quos Concilium invitavit ad ea complectenda, quæ in Latina Ecclesia observantur: sed neque ipsos circa usitatam ab ipsis Sacramenti Pœnitentiæ formam reprehendit, nec formam indicativam servare præcepit.

2638 Denique Græcus Sacerdos, Ligarinus nomine, Chius natione, vir doctus, qui Romano in Collegio adolescentibus Græcis græcè erudiendis præerat, à Morino, dum Romæ esset, hac de re interrogatus, respondit, absolutionis formam, Græcis usitatam & vulgarem hanc esse: *ipse Domine, remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua est potentia, & tuum regnum, Patris & Filii, &c.* prout refert Morinus ipse lib. 8. c. 12. n. 7. in fine.

Solvuntur objectiones contra valorem formæ deprecativæ.

2639 OBjicit primò Natalis Alexander: Eugenius IV. in Decreto unionis Armenorum, & Tridentinum, formam Sacramenti Pœnitentiæ in his verbis positam asserunt: *ego te absolvo.*

Respondeo, Eugenium & Tridentinum id dicere de forma in Ecclesia Latina necessariò adhibenda necessitate præcepti, non necessitate Sacramenti, prout & aliorum Sacramentorum, Baptismi, Confirmationis, Ordinis, &c. formas describunt verbis in Ecclesia Latina necessariò quidem adhibendis necessitate præcepti, non necessitate Sacramenti.

Objicit secundò: verba Evangelii, quibus ab- 2640
solvendi potestas data est, non sunt deprecativa, sed indicativa: non enim Christus dixit, *quorumcumque solutionem petieritis*; sed, *quæcumque solveritis*, &c.

Respondeo, illis verbis benè impugnari Doctorem, contra quem scripsit S. Thomas opusc. 22. (ex quo est illa objectio) qui utique Doctor existimabat, formam absolutionis indicativam esse nullam, solamque deprecativam esse validam: quasi Sacerdos dicere non posset: *ego te absolvo.* Quod S. Doctor ibi meritò dixit temerarium & præsumptuosum. Quia Sacerdos reverà absolvit, uti probant allata Christi verba. Meritòque sanctus Doctor requirit, quòd forma significet Sacerdotem absolvere: cùm forma non operetur nisi quod significat. Cæterum hoc quod Sanctus subsumit: *qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit*, verum est de eo qui petit oratione fallibili: secùs de eo qui nomine & in persona Christi petit oratione infallibili, seu infallibiliter practica, qualis est oratio, quæ pro forma Sacramentorum ab Ecclesia adhibetur, v. g. pro forma Sacramenti Extremæ Unctionis, & aliquando adhibita fuit pro forma Sacramenti Confirmationis, prout ex libro Sacramentorum Gregorii Magni (anno 1675. Parisiis edito) necnon ex Amalario Fortunato, & S. Augustino probat Franciscus Farvacius Opusc. Theol. p. 3. c. 3. q. 3. quisquis enim sic petit, orat, deprecatur, &c. ex potestate sibi à Christo collata, petendo, orando, deprecando facit quod petit, atque adeò dat Spiritum sanctum in Confirmatione; solvit peccata in Pœnitentia; animam ægrotantis à peccatorum reliquiis alleviat in Extrema Unctione. Videri potest Gamachæus hic post Albertum Magnum in 4. dist. 23. a. 4. observans, quòd oratio quæ adhibetur pro forma alicujus Sacramenti, non sit similis iis quæ nihil actu ponunt, & incertum habent effectum, sed rata sit & efficax; quia non fit nomine solius Sacerdotis, sed Ecclesiæ totius; imò Christi, cujus Sacerdos est Minister, & cujus oratio infallibiliter exauditur pro sua reverentia. Sed & potestatem absolvendi ab excommunicatione Christus Sacerdotibus concessit, dicendo, *quæcumque solveritis*, &c.: concors tamen Theologorum sententia est, aliquem posse ab excommunicatione absolvi formâ deprecatoriâ, *absolvat te Deus*, &c. per eamque Sacerdotes absolvere. Tametsi ergo Sacerdos olim absolveret deprecando & orando; verè equidem absolvebat: quia ex potestate à Christo accepta faciebat quod deprecando infallibiliter deprecabatur. Verbi quippe deprecatoriis ipsius Christus conferebat vim infallibiliter practicam, per eaque solvendi seu absolvendi potestatem, cum effectu infallibiliter conjunctam; quam à Christo sic potuisse conferri, nemo est qui in dubium revocare queat. Nihilominus verum est quod sanctus Doctor addit, Christum in Evangelio non dicere: *quorumcumque solutionem petieritis*, &c.: quia dando absolvendi potestatem, noluit determinare modum quo absolutio deberet exerceri, an deprecativè, an indicativè; sed id Ecclesiæ determinandum relinquere voluit. Si enim dixisset, *quæcumque petieritis*, &c. dubium reliquisset formam non deprecativam, quâ modò Ecclesia Latina utitur;

cùm tamen voluerit utramque formam esse validam, tam scilicet deprecativam, quàm non deprecativam, prout ex vario usu Ecclesiæ colligitur. Quòd si varium hunc usum S. Thomas, & deprecatorium quidem per tot sæcula practicatum, Ritualiaque & Euchologia suprà commemorata cognovisset, ei haud dubiè subscripsisset: cùm 2. 2. q. 10. a. 12. dicat, quòd *maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper in omnibus est æmulanda.*

2641 Objicit tertiò: absolutio est actus judicialis, Sacerdosque absolvens est verus Judex. Sed oratio non est actus judicialis, nec Judex fert sententiam orando, sed pronuntiando.

Respondeo primò, cùm absolutio deprecatoria in Ecclesia Latina per mille ducentos annos usurpata fuerit, atque etiamnum usurpetur apud Græcos, huic traditioni in re sacramentaria frustrà opponi rationes ex proprio ingenio excogitatas. Cùm Sacramenta vim habeant à voluntate instituentis, quæ nobis ex traditione innotescit, non ex humana ratione.

2642 Respondeo secundò, cùm oratio, quâ tamdiù usa est Ecclesia, vera absolutio fuerit, & adhuc sit apud Græcos, verus est & fuit actus judicialis, & Sacerdos eâ utendo, est & fuit verus Judex: quia absolutionis sententiam verè profert, ac protulit. Judex quippe secundarius orando verè profert sententiam absolutionis, dum sic orat, ut orando infallibiliter peccata remittat: justaque Sacerdotibus olim causa fuit sic peccata remittendi, ut Deum istius remissionis primarium Authorem, se verò Ministros tantummodò profiterentur. Nec est ratio id improbandi: cùm certum sit Christum potuisse taliter instituere hoc sacramentale judicium, ut modo dicto exerceri sententiaque proferri posset. Sic autem instituisse compertum est ex dicta traditione.

2643 Objicit 4°. testimonia Patrum, qui peccata Sacerdotum precibus & supplicationibus remitti asserunt, intelligenda sunt de precibus quæ præmittuntur absolutioni, non de ipsa absolutione. Vel certè ad sacramentalem absolutionem non spectant, sed ad canonicam.

Respondeo oppositum constare, tum ex eo quòd neque in Patribus, neque in Libris Ritualibus, Pœnitentialibus, Sacramentariis, & Pontificialibus ante sæculum undecimum habeatur alia forma absolutionis sacramentalis, nisi deprecatoria. Tum ex eo quòd SS. Patres Sacerdotum supplicationibus peccata remitti asserunt, cùm de sacramentali absolutione loquuntur, ut videre est apud Morinum loco citato. Eorum verò testimonia ad solam extrasacramentalem absolutionem detorquere, est hæreticis aperire januam dicendi, nullam in Patribus mentionem esse absolutionis sacramentalis, sed canonicæ, & extrasacramentalis dumtaxat.

2644 Objicit 5°. Contenson: falsum est formam absolutionis sacramentalis apud Græcos esse deprecatoriam, non indicativam, ut patet in sequenti formula Michaëlis Patriarchæ Antiocheni, Theodosium Zygomalam absolventis: *mediocritas nostra habet veniâ condonatum spiritualem filium suum.... omnipotenti potestate & gratiâ sancti & adorandi Spiritûs eum solvimus, & habemus liberum, & veniâ donatum.* Et hujus Sacramenti forma frequens apud Græcos est: *habeo te solutum, & veniâ donatum.*

Respondeo 1°. Euchologia Græcorum non exhibere ejusmodi formam, sed solam deprecatoriam, ut fatetur Arcudius, ex quo Contenson ista refert.

2645 Respondeo 2°. absolutionem illam, à Michaële Patriarcha usurpatam, non esse à peccatis, sed à pœnis peccatorum, post deprecatoriam absolutionem à peccatis, uti Morinus ostendit lib. 8. cap. 12. n. 13. Et idem est de ista alia forma, quam Contensonus objicit.

Respondeo 3°. ista parum, aut nihil facere 2646
contra assertionem nostram, cùm nupera sint, & paucorum Græcorum anterioris sæculi, qui à Latinis (cum quibus commercium verisimiliter habuerunt) ista desumpserunt. Quibus gratis concessis, verum equidem manet, antiquum, perpetuum, & communem usum Græcorum eum esse quem diximus, uti constat ex omnibus Euchologiis ipsorum, apud eundem Morinum.

Objicit ultimò, Concilium Tridentinum sess. 2647
14. c. 3. dicit, quòd formæ absolutionis, *ego te absolvo, &c. preces de Ecclesiæ sanctæ more laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant.*

Respondeo id hodie verissimum esse in Ecclesia Latina, secundùm præsentem praxim ipsius, quia preces illæ, ex præsente sensu & praxi ipsius, non proferuntur ex intentione Sacramenti conficiendi; sed ista dumtaxat verba, *ego te absolvo à peccatis tuis.*

CAPUT CCXVIII.

Sensus horum verborum, Absolvo te à peccatis tuis.

DE fide est ex Tridentino sess. 14. can. 9. ver- 2648
ba illa *non esse nudum ministerium declarandi peccata esse remissa*, sed esse veram eorum remissionem. Quæritur ergo quomodò Sacerdos verè remittat peccata ei qui non confitetur nisi peccata jam antè legitimè confessa & remissa. Cùm certum sit ejusmodi peccatorum iteratam confessionem sanctam & salutarem esse, uti Benedictus XI. declaravit extrav. *cùm inter cunctas* de privileg. ibi: *propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.*

Nec solvitur difficultas dicendo, Sacerdotem 2649
verè equidem peccata illa remittere quoad pœnam peccatis debitam, vel quoad obligationem confitendi. Neque enim confitendi obligationem remittit, ubi nulla est obligatio. Neque remittit pœnam ei, cui omnis pœna remissa est, qui tamen iteratò confiteri, absolvique potest. Neque appareret, quomodò remittat culpam ei, qui in culpa ampliùs non est; vel quomodò solvat vincula peccatorum, quæ ampliùs non sunt.

Si dicas eum verè peccata remittere, quatenùs 2650
tollit peccata, prout sunt tollenda, vel scilicet primò, vel secundò, &c. Redit difficultas. Quia non apparet quomodò peccata, quæ nullo modo ampliùs sunt, secundò tolli possint. Tametsi enim detestari confiterique possim præterita mea peccata, quæ ampliùs non sunt, detestando & confitendo non videor equidem illa propriè tollere, seu à me abjicere. Quomodò enim à me abjicio, quod ampliùs non est, nec mihi ampliùs ullo modo conjunctum est?

Possum quidem idem sæpiùs promittere, & do- 265
nare. Sed primæ promissionis vel donationis repetitio, moraliter loquendo, non tam videtur nova promissio, vel donatio, quàm primæ continuatio, vel confirmatio, aut ratificatio. Aliud est de absolutione, quæ dum repetitur, verè est nova, distinctaque absolutio, novumque & distinctum Sacramentum, novum ac distinctum conferens effectum.

His tamen non obstantibus, dicendum, pec- 265
cata commissa, tametsi jam remissa, posse equidem adhuc verè remitti; adeòque sensum horum verborum, *absolvo te à peccatis tuis*, adhuc in dicto casu, esse hunc naturalem & obvium: *remitto tibi peccata tua.* Neque enim peccatum commissum,

sum, tametsi remissum, in esse commissi perinde se habet, ac si nunquam fuisset commissum; sed solùm in esse reddentis subjectum suum dignum odio & pœnâ. Quia ergo per absolutionem, seu remissionem, non tollitur quòd peccatum non fuerit commissum, sed semper verum manet illud fuisse commissum: sicut de illius commissione peccator potest se iterùm iterùmque coram Deo, Deique Ministro humiliare, remissionemque petere; sic Deus, Deique Minister potest illud iterùm iterùmque remittere, dicendo, *perinde te recipio in gratiam, ac si nunquam commisisses.* Nec verò id absque novo effectu dicitur, sed novam gratiam ex se remissivam conferendo.

2653 Neque hîc valet argumentum à vinculis corporalibus, quæ semel soluta verè ampliùs solvi nequeunt, nisi quis iis de novo fuerit constrictus. Quia aliud est de vinculis physicis, aliud de moralibus; neque ab illis ad ista valet argumentum. Ut enim quis verè hîc & nunc solvatur à physicis vinculis, debet hîc & nunc iis esse constrictus; non sic ut solvatur à vinculis moralibus peccatorum, quæ sufficit aliquando fuisse commissa, ut toties ab iis solvatur, quoties ea confitendo ab iis absolvi petit. Constatque ex Ecclesiæ sensu quòd ejusmodi solutio non sit absque effectu, prout solutio vinculorum physicorum, jam solutorum: cùm per eam verè conferatur gratia ex se remissiva peccatorum commissorum. Et aliàs absque effectu foret absolutio ejus qui per contritionem perfectam cum confessionis voto à Deo jam est absolutus.

CAPUT CCXIX.

Absolutio illicitè & invalidè datur absenti.

Constat ex dictis cap. 194. Vide ibi.

CAPUT CCXX.

Absolutio sub conditione de præsenti, si sis contritus, si sincerum habes te emendandi vel restituendi propositum, &c. illicita est. Sub conditione de futuro est invalida.

2654 Posterioris partis ratio est, quia non est in potestate Sacerdotis, Sacramenti effectum suspendere ad tempus impletæ conditionis. Ita Manuale Cameracense, & Doctores communiter.

Prioris verò partis ratio est, quia ejusmodi conditio (cujus appositionem Gobat tr. 7. de Sacram. n. 268. justificare conatur, pro casu quo Confessarius rationabiliter dubitat de sufficienti dolore vel proposito pœnitentis, nec adhibitâ diligentiâ dubium solvere potest. Quo etiam casu plures Confessarii perperàm existimant se sacrilegii metu liberos, absolvendo sub conditione) absolutionem perinde ridiculam & stolidam reddit, ac si Judex Civilis sententiam ferret pro ea parte à qua jus & ratio potior stat. Quemadmodùm enim hoc ipsum est de quo Civilis Judex judicium absolutum ferre debet; sic illud ipsum est de quo Judex sacramentalis absolutè debet judicare. Ad hoc quippe à Christo Judex est institutus, ut absolutè judicet, an peccator sufficientem habeat dolorem ac propositum, ad hoc ut absolvatur. Nec absolvere debet in terris, nisi quem absolutum vel mox absolvendum credit in cœlis, prout communis est sententia Patrum. Nec sententia, seu absolutio, sub tali conditione data, dumtaxat est ridicula, sed & perniciosa. Quia per eam fit, quòd pœnitens, se verè absolutum existimans, de reparando defectu sufficientis doloris ac propositi, non sit sollicitus, sed in malo fortè statu, ob defectum illum, perseverans communicet. Quapropter opinionem illam Gobatii Cajetanus exterminandam dicit ab Ecclesia Dei.

Confessor nihilominùs, secundùm Ecclesiæ sen- 2655
sum & usum, sub conditione potest absolvere, dum rationabiliter dubitat, num absolutionis verba protulerit. Tunc enim dicere potest: *si non es absolutus, ego te absolvo*, &c. Sicut in dubio de baptismo collato: *si non es baptizatus, ego te baptizo*, &c.

Potest etiam sub conditione absolvere, dum, 2656
omnibus consideratis, rationabile dubium est de physica capacitate pueri, an scilicet ad hoc adeptus sit sufficientem rationis usum. Ad hoc quippe judicandum constitutus non est à Christo Judex sacramentalis.

Potest denique sub conditione absolvere mori- 2657
bundum, de quo dubitat, num adhuc vivat: vel de quo non habet nisi probabile testimonium vel dubium indicium, quòd absolvi velit, uti Doctores communiter censent.

Porrò in casibus proximè dictis necesse non est 2658
conditionem voce exprimere, sed sufficit exprimere mente, ut communis est sensus & usus: cui absque sufficienti fundamento Caramuel contradicit Theol. Moral. lib. 3. n. 1495. dicens, absolutionem sic non esse sensibilem, nec menti vocem concordare. Quemadmodùm enim forma non desinit esse sensibilis, licèt effectus ipsius non intendatur nisi sub conditione mente concepta, intentioque ejusmodi sufficienter determinat formam sensibilem ad sensum sacramentalem, potiùs quàm ad sensum merè historicum vel jocosum, &c. sic intentio conficiendi Sacramentum sub conditione, solâ mente concepta, sufficienter determinat formam sensibilem ad sensum conditionatum. Ad id proinde necesse non est quòd apposita conditio sit sensibilis (uti Caramuel putat) neque ut verba correspondeant menti absolventis, necesse est quòd exprimant totum quod intenditur; sed satis est quòd non significent aliud quàm mens intendit. In casu verò nostro non significant aliud: & sicut non habent significationem sacramentalem; sic non habent significationem absolutam vel conditionatam, nisi ut substant absolutæ vel conditionatæ intentioni Sacerdotis absolventis. A qua intentione præscindendo, præscindunt à sensu absoluto & conditionato, sicut præscindunt à sensu sacramentali, & non sacramentali.

CAPUT CCXXI.

Absolutio à censuris præcedere debet absolutionem à peccatis.

Probat hoc S. Thomas Supplem. q. 24. a. 1. 2659
ad 2. quia, *cùm excommunicatus non sit particeps Sacramentorum Ecclesiæ, Sacerdos non potest absolvere excommunicatum à culpa, nisi sit priùs absolutus ab excommunicatione.*

Confirmat idipsum S. Carolus in Instruct. Con- 2660
fess. *si pœnitens aliquâ censurâ innodetur, à qua Sacerdos licentiam habeat eum absolvendi, debet, ea absolutio peccatorum absolutionem præcedere; & bonum est præmittere semper ad cautelam: in quantum possum, & tu indiges.*

CAPUT CCXXII.

Obviis quibuscumque, tametsi sua peccata confitentibus, absolutio impartienda non est; sed neganda omnibus, quorum nulla vel ficta est conversio.

Quia sic exigunt leges, quas Sacramenti Pœ- 2661
nitentiæ Ministris Christus præscripsit, ut peccata non dimittant nisi iis qui ea oderunt, qui

malum cogitationum suarum auferunt ab oculis Domini, qui quiescunt agere perversè, & discunt benè facere, qui faciunt judicium, & justitiam, qui à se projiciunt omnes prævaricationes suas, &c. juxta illud Joël 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Isa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere perversè, discite benè facere.... si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... & fecerit judicium, & justitiam, vitâ vivet, & non morietur... projicite a vobis omnes prævaricationes vestras... & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israël?... revertimini, & vivite.* Si iis legibus, & non aliter, Deus veniam pollicetur; iis legibus, & non aliter, Dei Minister veniam concedere potest. Quia non est servus major Domino suo, nec habet potestatem concedendi veniam, nisi secundùm voluntatem Domini.

2662 Nec istæ Dei leges dumtaxat leguntur in veteri Testamento; verùm & in novo, ubi etiam venia & accessus ad regnum cælorum non promittitur, nisi pœnitentiam agentibus. Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Actor. 11. *Pœnitentiam agite... in remissionem peccatorum vestrorum.*

2663 Hinc Augustinus in Psal. 22. Deus *converſis ad se, peccata donat; non converſis, non donat.* Fulgentius lib. de peccat. remiss. cap. 6. *remissionem peccatorum sola de Deo potest elicere cordis vera contritio.* Et epist. ad Venantium: *ipsa justitia Dei talis est, ut aversos damnet, conversos salvet.* Quia, ut S. Petrus Chrysologus ait serm. 30. *Deus sic dat peccatis veniam, ut justitiam in ipsa misericordia, rationemque custodiat.* Peccata verò condonare peccandi voluntatem ex toto non exuentibus, contra justitiam est. Ut enim Tertullianus l. de pœnit. c. 6. *quàm ineptum, quàm iniquum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere! hoc est pretium non exhibere, ad mercem manum mittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hâc pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo, qui venditant, priùs nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, nevè rasus, ne adulter. Etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem priùs inire, tantam nobis mercedem, perennis scilicet vitæ, concessurum. Sed differamus tantisper pœnitentiæ veritatem. Tunc.... emendatos liquebit, cùm absolvimur? Nullo pacto... Peccator ante veniam deflere se debet... Furto quidem aggredi, & propositum... circumduci facile est. Sed Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos. Quid denique ait? nihil est occultum quod non revelabitur. Quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est,* &c.

2664 Ideò etiam Hieronymus ad illa verba, *& tibi dabo claves regni cælorum:* Sacerdotes illos cæcutire asserit, qui obvios quoscumque absolvunt: *istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Phariseorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur (cùm apud Deum, non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur) de quibus Ezech. 13. dicitur: mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.*

2665 Hinc denique solemnis est sententia Patrum, Sacerdotem solvere non debere, nisi vivificatum à Deo per contritionem, & eductum è sepulchro per confessionem; idque probant exemplo Lazari, quem Salvator priùs suscitavit, atque è sepulchro eduxit, quàm Apostolis solvendum traderet. Teste namque Irenæo l. 5. adversus hæreses c. 13. Lazarus (quem Christus *vocavit voce magnâ, dicens: Lazare veni foras*) *& exivit, inquit, mortuus, colligatus pedes & manus institis: hoc symbolum est ejus, qui inligatus fuerat in peccatis. Et propter hoc ait Dominus: solvite illum, & dimittite eum abire.* Quod symbolum explicans Augustinus in Psal. 101. conc. 2. *remissio* (inquit) *peccatorum solutio est. Quid enim prodesset Lazaro quia processit de monumento, nisi diceretur, solvite eum, & sinite abire! ipse quidem (Christus) voce de sepulchro suscitavit, ipse clamando animam reddidit.... Fit hoc in corde pœnitentis. Cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit. Cùm audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est; sed nondum solutus est. Quando solvitur? à quibus solvitur? Quæ solveritis, inquit, in terra, erunt soluta & in cælo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: suscitari autem ipse mortuus non nisi intùs clamante Domino potest. Hæc enim Deus interiùs agit.* Et serm. 8. de verb. Dom. secundùm Matth. *Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret. Vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Dicit ergo aliquis: quid prodest Ecclesia, si jam Confessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti... ipsum Lazarum attendite. Cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt? nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos: solvite illum, & sinite abire.*

Et post Augustinum Eucherius homil. post Do. 2666
min. 4. Quadragesi. relato Lazari exemplo: *hoc* (inquit) *fortassè significatio est, ut intelligamus, quia peccator quâcumque horâ conversus fuerit, & ingemuerit, vitâ vivet.... Ligatus tamen adhuc esse videtur, donec ab Episcopis solutus, Ecclesiæ Sacramentis reconcilietur.* 2667

Et post Eucherium Gregorius Magnus hom. 26. in Evang. *Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia solvat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Judicis. Quod benè prædicta quatriduani mortui resuscitatio illa significat: quæ videlicet demonstrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit, & vivificavit dicens: Lazare veni foras. Et postmodùm is qui vivens egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est: Cùmque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis: solvite eum, & sinite abire. Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum... Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per Pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.*

Hanc sanctissimi Pontificis sententiam de pec- 2668
catore non absolvendo, nisi se divinæ gratiæ adjutorio per contritionem revixisse probaverit, passim amplexati sunt, quotquot ipsum subsecuti sunt Patres & Doctores, nimirùm S. Eligius homil. 11. Beda in cap. 11. Joan. Et in lib. scintillar. c. 74. Christianus Drutmarus Corbeiensis Monachus, in epist. Matth. c. 10. Haymo Halberstat homil. in die SS. Petri & Pauli. Et homil. in Octav. Pasch. Anselmus in c. 16. Matth. & 11. Joan. Brunis, Signiensis Episcopus, Apostolicæ Sedis in Gallia Legatus, in Joan. p. 2. c. 9. Rupertus Abbas lib. 10. in Evang. Joan. c. 11. Laurentius Justinianus l. 1. de spirit. interrogat. animæ, ubi sic: *solerter Sacramentorum cælestium dispensator invigilet, ut eum tantummodò solvat, quem introrsum per compunctionem, sive compas-*

ctionis indicium, vivificatum esse à Deo deprehendit. Ita etiam noster Waldensis to. 2. de Sacram. c. 143. *placet quòd Lazarus suscitatur, & vivit, priùs tempore quàm solvant discipuli. Ita Dominus suscitat peccatorem priùs, quàm solverint Sacerdotes.*

2669 Eo tamen non obstante pœnitens peccator adhuc verissimè vivificatur ministerio Sacerdotis, meritòque inter articulos à Pio V. damnatos, iste 55. reprobatus fuit: *peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat. Ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.*

Vita quippe illa, quâ peccator pœnitens à Deo vivificatur, cùm ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, ut plurimùm non est nisi imperfecta & inchoata, consistens in inchoata dilectione, quâ pœnitens Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipit, & inde adversus peccata movetur per verum eorum odium ac detestationem. Præter vitam quippe illam, opus est vitâ absolutâ & perfectâ, per infusionem gratiæ sanctificantis, per quam homo verè sanctificatur, & per Spiritum sanctum inhabitantem Dei amicus, & palmes vivus in vite Christo efficitur. Qualiter peccator utplurimùm non vivificatur ante Sacerdotis absolutionem.

2670 Distinguendam verò esse duplicem illam vivificationem, idem Pontifex, & Ecclesia per ipsum declaravit, dum & istum articulum reprobavit: *illa distinctio duplicis vivificationis; alterius quâ vivificatur peccator, cùm ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius quâ vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur; pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.* Cui condemnationi subscribens Facultas Lovaniensis anno 1586. eleganti Augustini testimonio eam illustravit: *etenim ante remissionem peccatorum, atque inhabitantem Spiritum, & justificationis & vitæ quædam inchoationes fiunt conceptionibus (ut loquitur Augustinus q. 2. ad Simplicianum) similes. At non solum spiritualiter concipi, verùm etiam nasci opus est. Ac tunc demùm cœptum justificationis ac vivificationis opus, infusione vivificæ charitatis absolvitur.*

CAPUT CCXXIII.

Absolutio (extra mortis articulum) differenda est iis, quorum contritio, spectatis omnibus, dubia & incerta est. Nec ad eam impendendam sufficit quæcumque de ea probabilitas, si in contrarium sit æqualis vel major probabilitas.

2671 Est contra nonnullos Recentiores, aientes, quòd licèt stante dubio de materia sufficienti, quando sensibilis est, Sacramentum administrari nequeat: secùs quando materia non est sensibilis, sed interna, prout est contritio. Unde contendunt, quòd Confessarius debeat esse contentus contritione probabili, quæ tunc probabilis est, dum pœnitens dicit se esse contritum. Quia contritio certa haberi non potest. Ita Franciscus Reymakers in sua Appendice n. 270. Quam Adolfus Godefridus Volusius, Ordinarius Moguntinus, laudibus à veritate prorsus alienis exornavit.

2672 Unde contra ipsos assertio nostra probatur, quia Confessarius (regulariter loquendo) non potest absolvere eum, quem rationabiliter non credit à Deo vivificatum per contritionem, ut constat ex dictis capite præcedenti. Sed cum non credit rationabiliter vivificatum per contritionem, cujus contritio, spectatis omnibus, ipsi dubia est, ob æqualem hinc inde probabilitatem. Et multò minus dum Confessario magis probabile videtur, ipsum non esse, quàm esse contritum. Cùm ex dictis to. 1. de probabilitate, intellectus assentiri nequeat uni parti contradictionis, dum, spectatis omnibus, æqualis vel major ipsi apparet probabilitas in contrarium. Et dato, non concesso, quod id physicè posset, saltem moraliter, seu rationabiliter & prudenter non potest, sed temerariè ad summum, prout ibidem ostensum est.

2° tametsi contritio omnimodè certa haberi 2673 nequeat; haberi potest plusquàm dubia, & plusquàm æquè vel minùs probabilis, seu æquè vel minùs probabiliter vera, quàm falsa. Tam ergo requiritur plusquàm dubia, & plusquàm æquè vel minùs probabilis, in Sacramento Pœnitentiæ, quàm requiritur materia plusquàm dubia & plusquàm æquè vel minùs probabilis, in reliquis Sacramentis, ubi materia est sensibilis & externa. Est enim magistralis regula Doctorum, quòd in administratione Sacramentorum, citra necessitatem, uti non liceat materiâ vel formâ dubiâ, dum adhiberi potest certa: &, dum certa adhiberi nequit, saltem adhibenda sit, quæ proximiùs accedit ad certam, ita ut non adhibeatur probabiliùs falsa, quàm vera (fatuum namque & irrationabile est, scienter & volenter magis accedere ad falsum quàm ad verum, in necessariis ad salutem) sed adhibeatur tam propè accedens ad certam, quàm adhiberi potest. A qua regula apertè deviat, qui adhibet contritionem dubiam, vel probabiliùs falsam, absolvitque dubiè vel minùs probabiliter contritum. Et qui talem absolvit, in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sequitur opinionem minùs probabilem de valore, relictâ tutiore (cùm tutius sit non absolvere dubiè contritum, quàm absolvere) hoc autem illicitum Ecclesia declaravit, dum propositionem hanc damnavit: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore, relictâ tutiore.*

3°. reverentia Sacramento Pœnitentiæ debita, 2674 tam postulat cavere ipsius irritandi periculum, quantùm fieri potest; quàm id postulet reverentia aliis Sacramentis debita. Sed non cavet ipsius irritandi periculum, quantùm fieri potest, qui (sine necessitate) illùd administrat, iis in circumstantiis, in quibus æquè vel magis probabiliter ipsi apparet futurum, quàm non futurum irritum, eò quòd contritio pœnitentis ipsi appareat æquè vel magis probabiliter falsa, quàm vera.

4°. dum haberi nequit certitudo, ea ad mi- 2675 nus cum prudentia administrandum est Pœnitentiæ Sacramentum, quam adhibere solent quicumque seriò & cordatè, juxta prudentiæ regulas, magni momenti rem pertractant. Ad eam verò contenti non sunt quâcumque probabilitate, si tam tenuis sit, ut æqualis vel major probabilitas appareat in contrarium. Siquidem hac de re interrogatus quisque cordatus, testimonium perhibebit, se in rebus magni momenti non dirigere se secundùm apparentiam, cujus falsitas ipsi videtur æquè vel magis probabilis, quàm veritas: quippe se incursurum notam viri admodùm imprudentis, si secùs faceret. Siquidem ab omnibus imprudens haberetur, & ut talis videretur Mercator, qui negotiationem suam dirigeret secundùm apparentiam probabiliùs ipsi malè, quàm benè cessuram. Et si aliqua ipsi appareret via dubii successûs, imò probabiliùs mali quàm boni, eam tamen inire mallet, quàm viam securiorem & probabiliorem, ab omnibus pariter ut fatuus irrideretur. Si ut fatuus meritò irrideretur negotiator ille terræ; quantò rationabiliùs ut fatuus irridendus esset negotiator cœli, qui in negotiis animæ suæ, vel proximi, unde pendet æternitas, negotiatio-

nem suam dirigeret secundùm apparentiam probabiliùs malè, quàm benè cessuram, malletque inire viam ejusmodi, quàm securiorem probabiliorem que, tantisper expectando, magisque probando pœnitentem, usquedum daret indicia suæ contritionis certa, vel saltem probabiliùs vera, quàm falsa.

2676 Hue proinde faciunt argumenta, quibus suprà demonstrata est æquitas & justitia Censuræ Illustrissimi D. Episcopi Atrebatensis contra hanc propositionem: *Confessarius habet rationabile, seu sufficiens motivum credendi quòd pœnitens (relapsus, vel habens consuetudinem, vel occasionem proximam peccandi) sit verè contritus, quando pœnitens attestatur se verè esse contritum, & Confessario manifestè non constat contrarium.*

Siquidem omnia illa argumenta demonstrant prorsus irrationabiles esse opiniones Recentiorum, contra quos in præsenti agimus.

2677 Idem demonstrant argumenta, quibus probavimus Confessarium prudenter credere non posse verbo pœnitentis, se contritum asserentis, dum ex operibus ipsius in contrarium sunt conjecturæ æquè vel magis probabiles, etsi non manifestæ.

2678 Ex his omnibus manifestè consequitur id quod toties dixi, Confessarium nec posse, nec debere semper credere verbo pœnitentis, se contritum asserentis. Quemadmodum enim occurrunt circumstantiæ, ex quibus Confessarius certò cognoscit istud dictum pœnitentis esse falsum (quo casu Adversarii fatentur ipsi non esse credendum) sic occurrunt circumstantiæ, ex quibus, etsi non certò, saltem probabiliùs cognoscit, illud esse falsum, vel dubium. Atqui tunc prudenter judicare nequit, ipsum esse contritum, cùm prudenter judicare nequeat esse verum, quod, spectatis omnibus, probabiliùs apparet ipsi falsum. Quo proinde casu ipsum absolvere nequit: cùm absolvere nequeat nisi quem prudenter judicat esse contritum, ut suprà vidimus.

Quæ cùm ita sint, absolutio illis differenda est, qui de iisdem mortalibus semper se accusant, & nunquam emendant, tametsi emendationem sæpiùs polliciti sint. Tum quia similium hominum pollicitationes meritò suspectæ sunt, cùm fidem toties fefellerint, & Confessarius probabiliter judicet, quòd adhuc fallant: *siquidem ex præteritis oportet nos quasi argumentum sumere de futuris*, ait S. Thomas. Et, ut S. Carolus ait, *differenda est absolutio, donec emendatio appareat, iis pœnitentibus, qui, licèt peccatum se dimissuros polliceantur, Confessarius tamen probabiliter judicat ad illud reversuros.* Tum quia cautio operum jure exigitur ab iis, quorum verba sæpè hactenùs data sunt absque effectu, & quorum sterilia infructuosaque promissa, multoties repetita, de sinceritate promissionis, relinquunt dubitandi locum. Igitur *Confessores mittant eos in domos suas, & cùm invenerint correctos & emendatos, tunc absolvant* (ait sanctus Thomas Villanovanus conc. 3. in Dom. 3. Quadrag.) *melius est enim differre, quàm decipere eos.*

2679 Illis etiam differenda absolutio est, qui, post commissum crimen è gravioribus, nullis præmissis pœnitentiæ operibus, nec precibus (nisi fortè modicis ac remissis) ad impetrandum conversionis donum, statim absolvi volunt. Quibus absolutionem citò dandam non esse Cyprianus ex supradictis docet, alius, quòd si ipsis detur, irrita & falsa sit, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Quod etiam docet Clerus Romanus, & sancti Martyres & Confessores, & S. Ambrosius, & alii Patres. Et ratio est, quia plena conversio peccatoris, post commissum crimen è gravioribus, rarò completur in ictu oculi, vel tempore brevissimo, sed rudioribus primùm inchoationibus utplurimùm concipitur, deinde sensim formatur, formata adolescit, antequam perficiatur, & matura sit absolutioni; præsertim in illis, quibus peccandi consuetudo velut altera natura facta est. Primò enim oportet ut humilibus ac ferventibus precibus à Deo postuletur: deinde ut precibus jungantur pœnitentiæ opera, jejunia, recessus à noxiis consortiis, meditatio rerum sacrarum, eleëmosynæ, &c. quibus solis divina misericordia utplurimùm flectitur ad plenæ conversionis donum ipsis concedendum, prout ex Scriptura, Patribus, experientia & ratione in superioribus demonstratum est.

Denique cap. 117. probatum est, concubinarios nec primâ vice absolvendos, nisi ejectâ priùs concubinâ, uti nec eos qui alibi alunt feminam, cum qua peccare solent. Idemque esse de quacumque externa occasione per se proxima, quæ tamen si domi non sit, sed alibi quis frequenter certam feminam, vel feminarum consortia, in quibus frequenter peccet, affectibus, aspectibus, colloquiis, vel tactibus impudicis, &c. absolvi possunt, si eis nuntium remittere polliceantur. Sed si semel iterumque aliàs polliciti, non præstiterint quod polliciti sunt, absolutionem eousque differendam, quousque præstiterint, seseque emendarint. Capitibus seqq. idem diximus & probavimus de iis qui proximam aliis dant occasionem mortalis peccati. De iis quoque, qui in confessione præcedenti polliciti restitutionem famæ, vel bonorum injustè ablatorum, vel solutiones legatorum piorum; id tamen non fecerunt cùm possent. Et idem de peccatoribus publicis, v. g. publicis meretricibus, vel usurariis, donec publicè satisfecerint, scandalumque, quantùm in ipsis est, sustulerint. Idem denique de iis qui Christianæ fidei rudimenta, Deique & Ecclesiæ præcepta ignorant: necnon de patribus & matribus-familias, qui de iis per se, vel per alios, instruere liberos suos negligunt. 2680

Idem quoque sentio (cum S. Carolo) *de iis*, 2681 qui nimio vestium luxu debita contrahunt, quibus solvendis pares non sunt; sicut & cum sancto Francisco Xaverio, de iis qui occultas vel apertas cum proximo inimicitias exercent; quæ si inveteratæ sint, vel capitales, priùs cum Deo reconciliandi non sunt, quàm sese proximo reconciliarint.

CAPUT CCXXIV.

Solus Sacerdos à peccatis absolvere potest, Pœnitentiæque Sacramentum administrare.

SOlis quippe Apostolis (quibus ex perpetua ab 2682
Apostolis ad nos traditione hac in functione Sacerdotes succedunt) Christus Joan. 20. dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Solis proinde Sacerdotibus à peccatis absolvendi competere potestatem, Patres uno ore affirmant. Ambrosius l. 1. de pœnit. c. 2. Atque ita definivit Martinus V. in Concilio Constant. Eugenius IV. cum Concilio Florent. in Decreto unionis, & Concilium Tridentinum sess. 14. c. 6. & can. 10.

Objicies 1°. Cyprianus epist. 12. ad Presbyte- 2683
ros & Diaconos Cartaginens. dicit, absente Presbytero, lapsos olim potuisse *apud Diaconum exomologesim facere delicti sui, ut manu eis in pœnitentiam impositâ, venirent ad Dominum cum pace.*

Respondeo exomologesis nomine ibi non significari confessionem sacramentalem, sed solemnis pœnitentiæ ritum, quo lapsi prostrati crimina sua palàm detestantes, Ecclesiæ reconciliari, & Sacramentorum communioni restitui humiliter postulabant. Quæ restitutio, dum à Diacono, absente Episcopo & Presbytero fiebat, non erat

absolutio sacramentalis, sed canonica, quæ jus communionis reddebat, solumque forum exterius spectabat, nec sacerdotalis Ordinis potestatem requirebat (quæ solis Presbyteris convenire potest) sed solius jurisdictionis, quæ Diaconis committi potest. Absolutio verò sacramentalis, non potestatem dumtaxat jurisdictionis, sed & sacerdotalis Ordinis postulat: quia clavium potestatem requirit. At verò *claves regni cælestis solis Episcopis, vel Presbyteris traditas esse in Evangelio* legimus.

2684 Objicies secundò: Concilium Eboracense anni 1194. Londinense anni 1200. & Odo de Soliaco, Episcopus Parisiensis, in Statutis suis Synodalibus Diaconis potestatem fecerunt audiendi confessiones, & pœnitentias imponendi.

Respondeo, ejusmodi confessiones, factas Diaconis, non fuisse sacramentales (prout Odo de Soliaco faretur ibidem: *claves enim*, inquit, *non habent*, nec possunt absolvere) sed cæremoniales, quæ etiam in arctissima necessitate, Laïco fieri possunt, ad manifestandum votum sincerum confessionis sacramentalis, uti sanctus Thomas docet q. 1. Supplem. a. 2. quas tamen Deus ita acceptas habebat, ut interiori pœnitentium dispositione, & precibus Ecclesiæ motus, sacramentalis confessionis defectum invisibiliter suppleret.

2685 Objicies tertiò: quilibet homo minister est baptismi, in periculo mortis, propter necessitatem ipsius. Ergo & pœnitentiæ, ob eandem necessitatem.

Respondeo negando consequentiam: quia ut S. Thomas ait Supplem. q. 8. a. 1. ad 2. *baptismus est magis Sacramentum necessitatis, quàm pœnitentia, quoad confessionem, & absolutionem. Quia quandoque baptismus prætermitti non potest sine periculo salutis æternæ, ut patet in pueris, qui non habent usum rationis. Sed non est ita de confessione & absolutione, quæ tantùm ad adultos pertinet, in quibus contritio cum proposito confitendi, & desiderio absolutionis, sufficit ad liberandum à morte æterna.*

2686 Objicies quartò: Jacobus Christianis omnibus dicit: *confitemini alterutrum peccata vestra*, Jacobi 5.

Respondeo, vel Jacobum loqui de confessione Sacerdotibus facienda: præmittit enim, *infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes oleo.... & si in peccatis sit, remittentur ei.* Et immediatè subdit: *confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, quasi dicere volens, confessionis, sicut unctionis, ministerium ad Presbyteros pertinere. Vel certè loquitur de confessione venialium, quæ ad humilitatis exercitium Christiano cuicumque fieri potest, ut mutuâ oratione remittantur. Ita explicat V. Beda: *in hac* (inquit) *sententia, illa debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata coæqualibus alterutrum confiteamur. Porro gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus*, &c.

CAPUT CCXXV.

Nullius momenti est absolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.

2687 ITa definivit Tridentinum sess. 14. c. 4. Et ratio est, partim quia absolutio Sacerdotis est *ad instar actûs judicialis, quo ab ipso* (Sacerdote) *velut à Judice sententia pronuntiatur*, inquit Tridentinum ibidem c. 6. Atqui (ut prosequitur c. 7.) *natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur. Et ideò in Ecclesia Dei persuasum semper fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.* Partim quia quamvis omnis Sacerdos ex vi suæ Ordinationis, & istorum verborum Christi (quæ secundùm Tridentinum solis Episcopis & Sacerdotibus dicta sunt) *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, accipiat potestatem judicialiter remittendi peccata, proferendique, per modum sacramentalis Judicis, sententiam absolutionis, nec eam Christus limitaverit, sive quoad loca, sive quoad personas, sive quoad peccata, sed indistinctè & illimitatè dixerit, *quorum remiseritis*. Eam tamen dedit cum subordinatione ad Ecclesiam, supremumque Pastorem illius, qui & quæ posset exercitium illius impedire, restringere, & limitare, quoad loca, personas & peccata, prout in Domino judicaret expedire.

Ecclesia verò potestatem illam variè limitavit 2688
& restrinxit, tam quoad loca, quàm quoad personas & peccata, ut posteà videbitur. Et ideò licèt quilibet Sacerdos, ex vi suæ Ordinationis, non solùm accipiat potestatem Ordinis, sed & jurisdictionis ad remittendum peccata (accipit enim judiciariam potestatem, atque adeò potestatem jus dicendi, quæ est potestas jurisdictionis) eam accipit ab Ecclesia impeditam, non expeditam, atque ab eadem limitatam & restrictam. Impeditam (inquam) non solum quoad licitum usum, ita ut eam nec licitè, nec validè exercere possit, nisi vel curam animarum habeat, vel Episcopi approbationem obtineat: & ne tunc quidem expeditam accipit, nisi cum multiplici limitatione & restrictione quoad loca, personas & peccata. Hanc quippe impediendi, limitandique seu restringendi potestatem, Ecclesiæ à Christo collatam scimus ex perpetua traditione, ab Apostolis ad sanctos Patres, & per ipsos ad nos derivata. Idque omninò postulabat rectum & conveniens Ecclesiæ regimen. Ad validam itaque absolutionem, supra potestatem Ordinis, requiritur potestas expeditæ jurisdictionis, quæ supra potestatem Ordinis (quæ de se illimitata est, & ad totum mundum se extendens, nisi ipsam Ecclesia limitaret) non importat augmentum seu additamentum potestatis, sed sublationem dumtaxat impedimenti vel restrictionis, ita ut Ecclesia non impediat ne talis vel talis Sacerdos, circa tales vel tales personas, taliaque vel talia peccata, exerceat acceptam in sua Ordinatione peccata remittendi potestatem. Sic enim colligitur ex his Tridentini verbis sess. 14. c. 7. *ne occasione reservationis aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis*, atque ideò (nota causalem, quasi dicat, ex eo quòd pro tunc nulla sit Ecclesiæ reservatio, nulla restrictio, nullum impedimentum) *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibuscumque peccatis & censuris absolvere posse.*

CAPUT CCXXVI.

Exponitur ordinaria & delegata absolvendi potestas.

EX dictis capite præcedenti constat duplicem 2689
esse absolvendi potestatem, ordinariam, & delegatam. Ordinaria est quam habet Sacerdos, cui ex officio incumbit cura animarum, ut Papa, Episcopus, Parochus, Prælati Regulares respectu subditorum suorum. Delegata est illa, quam quis habet ex commissione habentis potestatem ordinariam.

Ad delegatam reducitur potestas, seu jurisdi- 2690
ctio jure concessa ei qui in Confessarium eligitur à pœnitente, eligendi potestatem habente à jure, consuetudine, vel privilegio. Quia taliter electus eligentem absolvere potest potestate ad id sibi delegatâ ab Ecclesia, seu Papa.

Ad eam similiter à nonnullis reducitur potestas, 2691
quam quilibet Sacerdos habet ad absolvendum in

articulo mortis. Sed fortè meliùs reducitur ad ordinariam, acceptam in significatione paulò ampliori. Ordinaria quippe potestas meritò dicitur, non solùm illa quæ competit ex officio curæ animarum; sed & illa quæ competit ex vi potestatis Ordinis, per Ecclesiam non impeditæ, nec restrictæ. Cessante quippe omni impedimento & restrictione seu limitatione ex parte Ecclesiæ, res redeunt ad eum statum, in quo fuerunt in principio Ecclesiæ, ante omnem Diœcesæon & Parochiarum divisionem, & ante omnem Ecclesiæ hac de re dispositionem: in quo, uti doctissimus noster Lumbierus advertit in observationibus suis Theologicis ad propositiones ab Innoc. XI. damnatas n. 53. *omnes fideles erant oves unius cumque Sacerdotis, vi potestatis Ordinis.* Nulla quippe adhuc facta fuerat Diœcesæon, nec Parochiarum divisio, vel reservatio, nec ad absolvendum Ecclesia adhuc requisierat aliam potestatem, præter eam quam vi Ordinationis sacerdotalis, quilibet Sacerdos à Christo accipit, remittendi peccata. Et ideò tunc attendebatur potestas Ordinis, quæ eo ipso se extendebat ad omnes ubique fideles, & ad omnia omninò peccata, quæ non erant per Ecclesiam impedita, nec restricta, nec quoad loca, nec quoad personas, nec quoad peccata.

2692 Porrò Confessarium eligendi potestatem à jure habent omnes Prælati, id est Episcopi, Abbates, Priores Generales, Provinciales & Locales, cap. *ne pro dilatione* de pœnit. & remiss.

2693 Secundò, eam à consuetudine habent Cardinales. Proinde tam isti, quàm illi possunt eligere sibi Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario, uti de Episcopis, Abbatibus, Prioribus, &c. significant illa verba citati capitis: *præter sui Superioris licentiam providum & discretum sibi eligere possunt Sacerdotem.*

2694 Tertiò, Regulares extra suos Conventus existentes, nec habentes copiam Sacerdotis Ordinis, sibi etiam eligere possunt simplicem Sacerdotem, ab Episcopo non approbatum. Quia approbatio per Tridentinum solùm requiritur ad audiendas confessiones sæcularium. Idque nobis Carmelitis conceditur per Constitutiones nostras, à Sede Apostolica in forma speciali approbatas p. 1. c. 23. n. 8. *Fratres itinerantes, vel extra Monasterium occupati, cuicumque Sacerdoti professo nostri Ordinis, etiam Novitio, vel defectu Sacerdotis Ordinis, extraneo Religioso, aut Sacerdoti Sæculari confiteri possunt.*

2695 Quartò, Parochi possunt eligere sibi quem voluerint Sacerdotem, ab Episcopo approbatum, tam vi citati canonis *ne pro dilatione*, quàm vi consuetudinis. Siquidem potestas ista conceditur *Episcopis, & aliis Superioribus*, &c. Cùm autem beneficia Principum largissimè sint interpretanda, cap. *olim* de reg. Jur. voces istæ, *& aliis Superioribus*; ad Parochos meritò extenduntur; maximè cùm ratio canonis, *ne periculum immineat animarum*, ipsos maximè spectet, utpote sæpissimè obligatos confiteri ob frequentes obligationes celebrandi, Sacramentaque administrandi; & ipsi etiam prælationis officio fungantur, cap. *tua nos* de Cler. ægrot. ita ut ipsos *Prælatos inferiores* vocet S. Thomas 2. 2. q. 188. a. 4. & 5. & *Ecclesiarum minores Principes* 3. p. q. 67. a. 2. ad 2.

2696 Antiqua etiam consuetudo Parochis dictam tribuit potestatem, uti Doctores passim testantur. Quæ consuetudo, utpote rationabilis, & legitimè præscripta, vim habet legis, cap. *cum tanto* extr. de consuetudine.

2697 Non possunt tamen ipsi eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem, ab Episcopo non approbatum, tametsi plures Doctores tenuerint sequentem propositionem: *qui Ecclesiam curatam habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.* Est quippe decima-sexta ex damnatis ab Alexandro VII.

CAPUT CCXXVII.

Approbatio Episcopi ad absolvendum non requiritur in articulo mortis: in quo proinde simplex Sacerdos validè potest moribundum absolvere, etiam præsente approbato. An etiam liceat? ex textu Tridentini videtur clarè inferri quòd sic.

SIc sentio cum sapientissimo Patre nostro Raymundo Lumbiero, Aragoniæ semel & iterum Provinciali, in Universitate Cæsaraugustana S. Theol. Doctore, & Antecessore Primario, Concionatore Regio, supremæ Inquisitionis Qualificatore, & pro Archiepiscopatu Cæsaraugustano Examinatore Synodali, in citatis observationibus n. 52. cumque plerisque aliis gravissimis Doctoribus apud Barbosam ad cap. 7. sess. 14. Concilii Tridentini. Ut enim Lumbierus loco citato, legat unusquisque Tridentini textum sess. 14. c. 7. & duas ibi clausulas distinctas inveniet, ex quibus, gravissimo cum fundamento, moralem nostræ sententiæ poterit evidentiam elicere. 2698

Prima est: *ne hâc occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.* Altera est: *atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuscumque peccatis, & censuris absolvere possunt.* 2699

In prima clausula perpende ly *nulla*: nulla igitur reservationis species unquam in Ecclesia fuit pro eo articulo. Nulla proinde neque quoad territoria & Diœceses (in quibus absolutio impenditur) neque quoad personas quæ absolvuntur; neque quoad Sacerdotes, qui absolvunt; neque quoad peccata, à quibus absolvunt; neque quoad censuras. Hæc clausula perspicuè declarat, nullam ex his speciebus reservationis pro mortis articulo unquam fuisse in Ecclesia, sed potestatem Ordinis, pro eo, semper mansisse, ut in primo nascentis Ecclesiæ initio (ante omnem Diœcesæon & Parochiarum divisionem) fuit absque ulla limitatione, restrictione, vel impedimento. Tametsi enim justissimis posteà de causis eam impedierit, limitaverit, restrinxerit, reservaverit quoad territoria, personas, casus, & censuras; nunquam tamen Ecclesia voluit, impedimenta illa, limitationes, restrictiones, & reservationes locum habere pro articulo mortis. Et quamvis causa ad id movens, seu titulus abstinendi ab omni pro tunc reservatione & impedimento, sit & fuerit necessitas salutis animarum (quæ omne genus favoris, libertatis, & amplitudinis exposcit) *ne* (inquit) *hâc occasione aliquis pereat*: verum equidem est, ac semper fuit, quòd nulla pro articulo mortis unquam fuerit reservatio, seu reservationis species. Ex eo autem quòd nulla pro tunc sit, nec unquam fuerit reservationis species, potestas Ordinis, pro eo articulo, est, ac semper fuit absque ullo impedimento, restrictione, limitatione, reservatione. Semper proinde pro tunc expedita, illimitata, & in tota amplitudine, quæ ipsi competit ex verbis Christi: *quorum remiseritis peccata.* 2700

Et hoc est quod perspicuè declarat altera clausula: *atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuscumque peccatis, & censuris absolvere possunt.* Hæc quippe clausula est illatio clara & perspicua, quam Concilium facit ex prima clausula. Ex eo namque quòd nulla sit, nec unquam fuerit reservationis species pro articulo mortis, clarè & perspicuè infert, omnes Sacerdotes (si omnes, igitur etiam non approbatos) pro eo articulo, posse, quod in primis Ecclesiæ incunabulis potuerunt, 2701

runt, in quibus compertum est (ait Cardinalis Pallavicinus Histor. Concil. Trid. l. 12. c. 11. n. 2.) *licuisse cuivis Sacerdoti quemlibet à peccatis* quibuslibet *absolvere*. Et, si Navarro credimus (in cap. *placuit* de pœnit. dist. 1. n. 1. & seqq.) *hujusmodi libertatem perdurasse usque ad tempora Urbani II. à quo fuit interdicta*. Ex eo itaque quòd nulla sit, nec unquam fuerit reservationis species pro articulo mortis, aperta est illatio Concilii, totam potestatem Ordinis pro eo articulo manere in tota libertate, amplitudine, & universalitate, in qua fuit in primis Ecclesiæ incunabulis. Si ergo in illis quilibet Sacerdos, absque ulla speciali animarum cura, & approbatione, etiam præsente Episcopo, vel Parocho, validè & licitè potuit ubique, quoscumque fideles à quibuscumque peccatis & censuris absolvere; sequitur (ex illatione Concilii) in articulo mortis, etiam hodie, quemlibet Sacerdotem, absque ulla speciali animarum cura, & approbatione, id. validè & licitè posse, etiam præsente Episcopo, Parocho, vel approbato. Nullum quippe pro tunc omninò est impedimentum, nulla restrictio, nulla limitatio, nulla reservatio, secundùm Concilium. Ergo potestas cujuslibet Sacerdotis, pro tunc, est absque ullo impedimento, absque ulla restrictione, limitatione, reservatione, &c. Tam proinde ampla, libera, & universalis, quàm primitus fuit. Vide tamen dicenda infrà n. 2759.

Solvuntur objectiones.

2702 OBjicies 1°. quando Tridentinum dicit, singulos Sacerdotes in articulo mortis absolvere posse quoscumque pœnitentes, à quibuscumque casibus, &c. non condit jus novum, sed explicat antiquum, in Ecclesia semper custoditum, ut patet ex his verbis: *custoditum in Ecclesia semper fuit*, &c. Atqui jus antiquum non permisit moribundis, absolvi à simplici Presbytero, nisi absente Episcopo, uti constat ex can. *Presbyter* 26. q. 7. *Presbyter, inconsulto Episcopo, non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, ultima necessitas cogat.*

Respondeo negando minorem, quia jure antiquo, nulla unquam reservatio fuit in articulo mortis, uti Concilium Tridentinum perspicuè declarat. Nec contrarius est canon *Presbyter*, utpote expressè agens solùm de foro externo. Loquitur enim de publicè & notoriè excommunicato, cujus reconciliatio, ob publicum scandalum, & commotionem totius civitatis, ante ædem seu atrium Ecclesiæ publicè facienda erat. Ita Magister Sentent. in 4. dist. 20. Quia ergo peccator ille erat excommunicatus non toleratus, reparatio scandali postulabat, ut consuleretur Episcopus si aderat, & tempus permittebat.

2703 Objicies 2°. Bonifacius VIII. extrav. commun. l. 5. tit. 10. c. 1. reservatâ sibi aliquâ excommunicatione, decernit, quòd taliter excommunicatus, à nullo, absque speciali mandato, absolvi possit: *nisi forsan ad nos habere accessum non possit, in mortis articulo constitutus.* Ergo ne quidem in articulo mortis potest, si accessum habere possit.

Respondeo negando consequentiam. Neque enim Bonifacius ibi vult, in articulo mortis excommunicationem à se latam manere reservatam in foro interno, sed in foro externo, ita ut inferior Sacerdos ab ea in foro externo absolvere non possit, si ad Pontificem sit accessus. Si autem pro tunc non sit accessus, sed contingat moribundum convalescere, servanda est generalis regula, ab eodem Bonifacio VIII. sancita cap. *eos qui* de sent. excom. in 6. juxta quam in articulo mortis absolutus à censuris reservatis, à non habente aliàs potestatem in reservata, tenetur posteà, si convalescat, sistere se Superiori reservanti, vel ejus delegato, non ut rursus absolvatur, sed ut mandatis ejus pareat (aliàs in eandem censuram reincidit, ut ibi habetur) nam ut S. Thomas ait q. 8. Supplem. a. 6. *non oportet, quòd* (in articulo mortis) *absolutus ab excommunicatione ad Judicem vadat* (*qui aliàs absolvere potuisset*) *absolutionem petens, sed satisfactionem offerens.* Absolutus tamen, in articulo mortis, à casibus reservatis per simplicem Sacerdotem, seu approbatum, aliàs non habentem potestatem in reservata, non tenetur posteà se sistere Superiori. Quia directè absolutus est à reservatis, ab eo qui directam tunc habebat in casus illos potestatem. Nec absolutus est cum onere, prout in superiori casu. Quia onus istud nullibi statuitur.

Objicies 3°. potestas absolvendi quoscumque 2704
à quibuscumque peccatis, & censuris, in articulo mortis, concessa non est cuilibet Sacerdoti, nisi ob necessitatem: *ne quis pereat.* At præsente approbato, vel potestatem in reservata habente, nulla est necessitas ut id fiat per simplicem Sacerdotem, neque periculum est *ne quis pereat.*

Respondeo ut suprà, Ecclesiam quidem ob necessitatem, pro eo articulo, abstinuisse ab omni reservatione; rationem tamen immediatam, ob quam Sacerdos id potest, non esse necessitatem, sed quia nulla tunc est reservatio, nullum impedimentum, nulla restrictio, vel limitatio potestatis in Ordinatione acceptæ; quæ proindetam manet cum tota sua amplitudine & universalitate in simplici Sacerdote, quàm in approbato, vel aliàs potestatem in reservata habente.

Objicies 4°. Rituale Pauli V. sic habet: *si pe-* 2705
riculum mortis immineat, approbatusque desit, quilibet Sacerdos poterit à quibuscumque censuris & peccatis absolvere.

Respondeo Rituale Pauli V. id ibi asserere quod à Doctoribus omnibus absque controversia receptum est, præscindendo ab eo quod controversum est. Assertio verò nostra, tametsi evidenter, ut nobis videtur, in Tridentino fundata, est nihilominùs inter Doctores adeò controversa, ut videatur communis contra communem. Et quamvis Doctores ei contradicentes videantur æquivocatione decepti, putantes Tridentinum loqui pro solo casu necessitatis, cùm ita non sit (ut vidimus) quia tamen eorum authoritas nonnihil ingerit dubitationis, & in ea dubitatione non potest esse nimis magna securitas, ubi periclitatur æternitas: & aliunde nec charitas, nec prudentia permittit æternæ salutis aleam committere vel minimæ incertitudini; nec probabilior aut probabilissima opinio (ubi de valore Sacramenti maximè necessarii agitur) ponit in tuto salutem, si à parte rei falsa sit, ut esse potest (neque enim contrariæ opinioni ob gravium Patronorum multitudinem negare possumus aliquam, saltem ab extrinseco probabilitatem) ideò in praxi caveat simplex Sacerdos, præsente approbato vel Parocho, moribundum absolvere, caveat etiam moribundus ipsi confiteri. Neque enim id omnimodè securum est, licèt videatur tam clarè à Tridentino traditum.

CAPUT CCXXVIII.

Nullus Sacerdos, etiam regularis (*extra mortis articulum*) confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, potest audire, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopo per examen (si illi videbitur necessarium) approbationem obtineat.

ITa statuit Tridentinum sess. 23. c. 15. *privile-* 2706
giis (inquit) *& consuetudine quàcumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Unde

Sequitur 1°. cessare hodie varia privilegia Re-

gularium, quibus ipsis (injustè ab Episcopo recusatis) per Clementinam *dudum* de privilegiis, aliasque SS. Pontificum Constitutiones, concessum erat sæcularium confessiones audire: utpote præsenti Decreto Concilii Tridentini abrogata.

2708 Sequitur 2°. etiam Lectores & Graduatos in Theologia huic legi Tridentini subjectos esse, uti 6. Augusti 1571. declaravit Pius V. Constitutione, quæ incipit, *Romani Pontificis.*

2709 Sequitur 3°. Episcopi approbationem non requiri ad audiendas confessiones Regularium. Cùm Tridentinum eam solùm requirat ad audiendas *confessiones sæcularium.*

2710 Sequitur 4°. Episcopi approbationem non requiri in habentibus Parochiale Beneficium: utpote qui à Tridentino excipiuntur. Ipsi tamen per suam institutionem in Parochos, solùm accipiunt ordinariam jurisdictionem audiendi confessiones in Parochia sua; non in tota Diœcesi. Nec censentur pro tota Diœcesi approbati, nisi quatenùs idonei censentur, ad audiendas in tota Diœcesi sæcularium confessiones, accedente Parochorum consensu (quo consensu, secundùm declarationem SS. Pontificum non indigent Regulares privilegiati) per consensum namque Parochorum delegatam accipiunt jurisdictionem audiendi confessiones in Parochiis ipsorum, ubi sic habet consuetudo per Episcopum approbata; prout sic habèt in Belgio. Aliàs quippe Parochiale Beneficium nullam ipsis, nisi in Parochianos suos, tribuit jurisdictionem.

2711 Et quia cessante titulo jurisdictionis, cessat jurisdictio, statim atque Parochus desinit esse Parochus, jurisdictionem ad audiendas confessiones habere desinit, nisi fortè prius ad eas audiendas approbatus fuisset independenter à Beneficio Parochiali. Ita cum communi Barbosa in Trid. sess. 23. c. 15. n. 21. & p. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 25. §. 16. ad id referens declarationem S. Congregationis Concilii Tridentini.

CAPUT CCXXIX.

Unius Episcopi approbatio non sufficit ad hoc ut Sacerdos, etiam Regularis, sæcularium confessiones ubique audire possit.

2712 ASsertio certa est 1°. quia, cùm Innocentius X. ad instantiam Episcopi Angelopolitani, per S. Congregationem Cardinalium, ad id specialiter deputatorum, in judicio contradictorio anno 1643. examinari jussisset varias quæstiones, quas inter nona erat: *utrùm Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ sæcularibus, sine licentia Episcopi Diœcesani, si in alia Diœcesi approbatus sit.* Congregatio respondit: *Regulares, etiam Societatis Jesu, in sua Diœcesi ab Episcopo approbatos, ad confessiones sæcularium audiendas, nequaquam posse, in alia Diœcesi, hujusmodi confessiones audire.* Quam resolutionem Innocentius X. per Decretum, quod incipit, *cùm sicut*, authoritate Apostolicâ confirmavit, observarique præcepit ab omnibus Regularibus, etiam Societatis Jesu, non obstantibus privilegiis, sub quacumque forma & tenore concessis.

2713 2°. S. Congregatio Cardinalium, anno 1659. ab Alexandro VII. specialiter deputata, hanc propositionem: *Regulares Ordinum Mendicantium, semel approbati ab uno Episcopo, ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec novâ indigent Episcoporum approbatione:* declaravit *falsam, & saluti animarum perniciosam.* Eamque declarationem Alexander VII. per Breve ad Episcopum Andegavensem, authoritate Apostolicâ confirmavit; atque à cunctis tenendam, & in praxi observandam, sub gravibus pœnis mandavit, non obstantibus quibuscumque contrariis.

3°. Clemens X. in Constitutione *superni magni Patris-familias* anno 1670. cum expressa derogatione omnium privilegiorum, & consuetudinum in contrarium, declaravit, *Religiosos, ab Episcopo ad confessiones sæcularium audiendas approbatos, non posse, in alia Diœcesi, eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* In quo postremo Religiosi approbati differunt à Parochis, qui Parochianorum suorum confessiones in aliena Parochia & Diœcesi audire possunt; eò quòd ordinariam in illos authoritatem habeant, quam ubique exercere possunt, quoad ea quæ fiunt absque strepitu judicii. 2714

4°. Congregatio Concilii, ante novissimas istas declarationes, die 6. Junii 1608. declaraverat, *tam Sæculares, quàm Regulares, in una Diœcesi approbatos ad audiendas personarum sæcularium confessiones, non posse in alia easdem confessiones audire, absque Episcopi Diœcesani approbatione*, ut videre est apud Barbosam p. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 25. §. 32. 2715

5°. idipsum adhuc diù ante declaratum erat in Clementina *dudum* de sepulturis, quoad hoc nunquam revocata, sed (ut vidimus) à Sede Apostolica sæpiùs confirmata, & innovata. Ibi enim sic habetur: *Provinciales... Ordinum Prædicatorum eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vitâ probatas, discretas, modestas, atque peritas, ad tam salubre ministerium, & officium exequendum. Quas sic ab ipsis electas repræsentent... Prælatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito, in.... Diœcesibus eorumdem, hujusmodi personæ sic electæ confessiones confiteri sibi volentium audiant... extra Civitates & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, confessiones nullatenùs audituræ.* 2716

CAPUT CCXXX.

Ad audiendas sæcularium confessiones, non sufficit approbatio obtenta ab Episcopo pœnitentis; sed necessaria est approbatio obtenta ab Episcopo loci, ubi audienda est confessio.

SIc pro certo sentio cum sapientissimo Patre nostro Lezana to. 1. qq. regular. c. 19. n. 19. contra Magistrum meum Bonæ-Spei de pœnit. disp. 11. n. 25. Et sic pro certo sentire debent omnes, postquam Clemens X. sic expressè declaravit in citata Constitut. *superni*, prout n. 2714. vidimus. 2717

CAPUT CCXXXI.

Ad audiendas sæcularium confessiones, necessaria est approbatio obtenta: non sufficit petita, & injustè negata.

SIc etiam pro certo sentire debent omnes. Tum quia Tridentinum expressè dicit, *approbationem obtineat.* Tum quia Alexander VII. damnavit hanc propositionem 13. inter 45. *satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* 2718

CAPUT CCXXXII.

Regularis approbatus ad tempus limitatum, eo elapso, confessiones sine novâ approbatione audire nequit, sive justè, sive injustè fuerit limitatus.

APertè sequitur ex dictis capite præcedenti. Et 2719
lapso quippe tempore, ad quod limitatus fuit, destitutus

destitutus est approbatione: sine qua juxta Tridentinum confessiones audire nequit. Neque enim approbatio, injustè ad annum v. g. limitata, eo elapso magis habetur pro approbatione obtenta; quàm approbatio, injustè ab initio negata, habeatur pro approbatione ab initio obtenta. Et ideò Urbanus VIII. in Brevi dato 30. Januarii 1639. in causa mota inter Episcopum Giennensem, & Regulares istius Diœcesis, declaravit quòd *illi quos* idemmet *Episcopus approbavit, si quidem hujusmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapso non possint confessiones audire, absque nova ipsius Episcopi licentia & approbatione, prævio etiam, si eidem libuerit, novo examine.*

CAPUT CCXXXIII.

Regularis usque ad revocationem approbatus, revocatione, seu justè, seu injustè factâ, debet a confessionibus audiendis desistere.

2720 SEquitur etiam apertè ex dictis capite 230. Quia revocatione factâ, quàmlibet injustè, equidem cit approbatione destitutus. Tametsi enim approbatio Regularibus Mendicantibus semel absolutè & illimitatè concessa, sine justa causa, ad confessiones pertinente, revocari nequeat: eò quòd non habeat se per modum gratiæ ex se revocabilis, sed per modum justæ sententiæ, quæ transit in rem judicatam. Idcòque, rebus omnibus in eodem statu permanentibus, revocari nequeat, uti sæpiùs declararunt SS. Pontifices, ac novissimè Clemens X. in Constitutione citata, ibi: *Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas, prævio examine, simpliciter & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo approbatos (secus autem, si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis) non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab iisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias ipsis concessas revocari, nisi novâ superveniente causâ, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi (in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus) cùm præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas, sit vitæ integritas, ac morum honestas: utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominùs ob eam possit Episcopus Regulares, à semetipso approbatos, suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis.* Sed & variæ etiam hac de re extant S. Congregationis declarationes.

2721 Scio à nonnullis oppositum practicari, non solùm adversùs dicta capite præsenti, sed & adversùs dicta cap. 229. 230. 231. 232. Sed Deo rationem reddituris de periculis animarum, deque periculis Sacramentorum, quæ non sine sacrilegio invalidè administrant, defectu legitimæ potestatis. Maximè cùm non magis liceat Pœnitentiæ Sacramentum, citra necessitatem, administrare cum jurisdictione dubia, quàm cum materia dubia. Nec certum sit Ecclesiam supplere jurisdictionem, dum illud quis administrat, sequendo opinionem probabilem: cùm certum non proferatur istius suppletionis fundamentum, & contrarium per S. Congregationem sæpiùs sit declaratum, prout alibi ostendo. Denique illicitum sit in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, uti Innocentius XI. declaravit, propositionem, quæ negat id illicitum, *ut minimùm tamquam scandalosam, & in praxi perniciosam* damnando, & non solùm eam defendi sub pœna excommunicationis prohibendo, sed & insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibendo omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis & statûs, ne eam ad praxim deducant. Quantò ergo magis illicitum est Sacramentum Pœnitentiæ conferre secundùm opinionem improbabilem (utpote contradicentem tot & tam apertis Ecclesiæ declarationibus) relictâ tutiore, qualis haud dubiè nostra est?

His tamen non obstantibus, approbationes 2722
Regularibus datæ, cum clausula *ad beneplacitum*, vel *usque ad revocationem*, ex communi Jurisperitorum sententia, Christianique Orbis consuetudine, censentur perpetuæ, nisi taliter approbatus delicto aliquo seipsum gratiâ suæ admissionis indignum reddiderit. Quia tale beneplacitum significat arbitrium boni viri, ex justa causa procedentis, uti docent Menochius de arbitr. l. 1. q. 55. n. 11. & 12. Bordenau *de l'état des Causes Ecclesiastiques* c. 16. L'oyseau l. 5. de Offic. c. 4. Chassan. ad Consuet. Burgund. tit. 10. Boërius Decis. 14. 149. Lotherius de re benef. l. 13. c. 33. Felinus, & alii communiter.

CAPUT CCXXXIV.

Prælatus, & Confessarii Regulares, non approbati ab Episcopo, in Monasteriis & Collegiis suis audire possunt confessiones illorum sæcularium, qui ibi sunt verè de familia, & continui commensales. Non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt.

SIc enim declaravit Gregorius XV. Bullâ *in-* 2723
scrutabili, & Clemens X. Bullâ *superni*, hisce verbis: *in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia Instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regulares eorumdem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum sæcularium, qui ibi sunt verè de familia, & continui commensales: non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt.* Ubi Pontificem loqui de Confessoribus, etiam ab Episcopo non approbatis, liquet ex exceptione, *illorum qui tantùm ipsis deserviunt.* Quos non exciperet, si de approbatis ageret.

Distinguenda itaque sunt duo genera sæcula- 2724
rium, deservientium Monasteriis. Alii enim sunt, qui sic ibi deserviunt, ut non sint de familia, nec intra septa Monasterii resideant, seu domicilium fixum habeant, sed solùm ibi ad tempus sub stipendio serviant, ut artifices. Alii verò sunt de familia, & tanquam tales aluntur à Monasterio, intra septa illius domicilium & residentiam habentes (eo ipso namque verè dicuntur continui commensales, id est in Monasterio mensam fixam, sicut & domicilium habentes, tamquam verè de familia Monasterii existentes) & de istis, non de prioribus, Clemens X. loquitur. Isti namque, cùm vivant sub servili obedientia Prælati Monasterii, exempti sunt ab Ordinario, Sacramentaque recipere possunt à Prælato Monasterii, & delegatis ab ipso, absque speciali licentia Ordinarii, non obstante Clementinâ *Religiosi* de privileg. & excess. privilegiat. ubi Regulares prohibentur, absque speciali licentia Ordinarii loci, Laïcis administrare Sacramenta Extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ, vel eorum matrimonia solemnizare, *præterquàm in casibus à jure expressis, vel privilegiis Sedis Apostolicæ concessis iisdem.* Siquidem Regularibus ad id privilegium concessum est à Sede Apostolica. Nimirum Augustinianis ab Innocentio VI. Bullâ 1. Carmelitis à Sixto IV. Bullâ 37. Mi-

nimis à Leone X. Bullâ 41. ut videre est apud Peyrinis t. 1. Privileg. Minim. in Constit. 1. Julii 2. §. 15. n. 12. Nec privilegiis istis derogavit Tridentinum sess. 24. c. 11.; imò ea firmavit, etiam quoad exemptionem ab Ordinario, respectivè ad sæculares Monasteriis servientes, *qui intra eorum sepia resident, subque eorum obedientia* (servili) vivunt, ut rectè observavit Donatus Laynensis rer. Regular. to. 3. tr. 4. q. 7. n. 1. post Joannem Crucium de statu Relig. l. 2. c. 6. dub. 1. *Non enim* (inquit) *Tridentini textus potest intelligi de obedientia religiosa: quia servitores sæculares, cùm professionem religiosam minimè fecerint, non possunt obligari ad obedientiam religiosam, sed ad servilem, id est ad exequenda servitia & obsequia sibi imposita.*

CAPUT CCXXXV.

Ne venialium quidem confessiones à sæcularibus factas, audire licet Sacerdoti, sive sæculari, sive regulari, ab Episcopo non approbato.

2725 ITa Cajetanus opusc. to. 1. tr. 17. de confession. q. 2. Navarrus in Manuali c. 21. Donatus Laynensis rer. Regular. to. 3. tr. 4. q. 4. Et ratio est, vel quia Tridentinum sess. 23. c. 15. de reform. generaliter requirendo approbationem ad confessiones sæcularium audiendas, etiam venialium confessiones Confessariis approbatis reservavit, ut aliquibus videtur. Vel si de venialium confessionibus non loquatur, ideòque quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, vi suæ Ordinationis, à venialibus absolvere possit, eò quòd Ecclesia nunquam ea reservaverit (uti communior est opinio, idem censens de mortalibus legitimè confessis & remissis) quia tamen id non est usquequaque certum, & opposita sententia suâ non caret probabilitate: partim ob istius opinionis incertitudinem: partim quia frequenter mortalia sunt, vel dubium an talia non sint, quæ putantur venialia: partim denique ad evitandum fraudes exindè oriundas (neque enim in foro externo coërceri, nec convinci possent, qui, mortalibus auditis, contenderent se venialia duntaxat audivisse.) Ideò S. Congregatio Concilii Tridentini 12. Febr. 1679. approbante Innocentio XI. Episcopis, Parochis, & Confessariis injunxit, *ut non permittant ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secùs egerint, sciant Deo opt. max. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum, justam & rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis, per hoc Decretum, per Sedem Apostolicam specialiter attributâ. Et factâ.... de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua probavit, ac præsens Decretum typis mandari ac publicari voluit.*

CAPUT CCXXXVI.

Sacerdotum, sive sæcularium, sive regularium, approbationes Episcopi certis limitibus circumscribere possunt, & ad certas personas, loca, vel tempora coarctare, si non adeò idonei reperti fuerint.

2726 ITa declaravit Clemens X. in Bulla *superni magni Patris-familias*, his verbis: *illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter fuerint, ab Episcopis generaliter quoque & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, in Diœcesi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere.* Idem iisdem penè verbis antè declaraverat S. Congregatio Concilii 2. Julii 1687.

Et ideò Alexander VII. hanc propositionem, 2727
non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt, ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare, anno 1659. in causa Andegavensi damnavit *ut falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam.*

Et S. Carolus in Instruct. Confess. *Sacerdotes* (inquit) *qui à nobis licentiam confessiones audiendi, sed nonnisi ad certum tempus, aut locum, aut quasdam personas, limitatam obtinuerunt, caveant ne facultatis formam & limites excedant.*

CAPUT CCXXXVII.

Clausula in approbationibus Episcoporum Belgii apponi solita, quâ Regularibus facultatem confessiones audiendi concedunt, de consensu eorum, quorum interest, utique Parochorum, censenda non est taxativa, sed limitativa, sed modalis: ita ut non desinat conditionem sine qua non; sed modum convenienter utendi dictâ facultate, ad evitandas dissensiones, & rixas, inter Confessarios Regulares & Parochos.

PRobatur, quia cùm Episcopi Belgii erga Se- 2728
dem Apostolicam observantissimi sint, præsumendi non sunt per illam clausulam, velle aliquid contrarium Apostolicis Constitutionibus, & Privilegiis, quibus concessum est Confessariis Regularibus ubique confessiones audire, sine consensu Parochorum. Igitur præsumendi non sunt per clausulam illam requirere consensum Parochorum tamquam conditionem sine qua validè confessiones audire nequeant in Parochiis, vel Ecclesiis ipsorum, sed tamquam modum pacificè & convenienter utendi facultate sibi concessâ. Convenit enim in eo deferre Parochis honorem. Convenit, privilegiatos privilegiis suis uti suaviter & pacificè, reddendo cui honorem, honorem. Convenit Parochorum Coadjutores bonam cum Parochis habere intelligentiam, maximamque concordiam, ad promovendam animarum salutem, & fidelium ædificationem, omnemque contentionis occasionem præscindere. Hoc est quod Gerson sapienter monet lib. de statibus Ecclesiasticis. De statu namque Curatorum, consideratione 15. *status* (inquit) *Curatorum debet cum bona gratia suscipere statum privilegiatorum, tamquam Coadjutores missos, habentes à Superioribus licentiam prædicandi, & confessiones audiendi, si non appareat rationabilis causa aliquem talem repellendi, utpote si detractor, si colluſor, si corruptor, si quæstuosus, si seductor appareat; aut parochianorum multi inde venient in contemptum Curatorum. Aut si Curatus, per seipsum, id agere circa parochianos suos quod agendum sit, satis potuerit. Quia videretur præferendus, nisi legitima fieret exceptio contra eum.*

Deinde de statu privilegiatorum, consideral. 2729
11. sic ait: *status privilegiatorum debet cum bona charitate licentiâ suâ uti, non ad quæstum, non ad æmulationem, non ad ambitionem, non denique in præjudicium temporale vel spirituale Curatorum, sed instando, clam & palàm, apud parochianos, quatenùs honorem debitum ac sustentationem suis reddant Curatis. Alioquin faciunt, quod sibi fieri nollent. Meritòque repelluntur hi, de quibus aliter constiterit, & excommunicationem à Canone nonnunquam incurrunt.*

Et de utroque statu, consideral. 11. *status uter-* 2730
que studeat alter alterius onera portare, sine con-

tentione, sine æmulatione, in rebus prædicatis, vel aliis: ne si invicem, more cornicum, se mordeant, consumantur. Ne prætereà surgat fœda opinio Ecclesiasticorum apud Laicos, & vituperetur ministerium verbi Dei.... Nonne pacis est Deus, non divisionis?

2731 Propterea etiam S. Carolus Borromæus in Instruct. Confess. *Confessores* (inquit) *Regulares, qui potissimùm extra urbem degunt, cum locorum Parochis (ubi aut habent Monasteria, aut concionantur, aut quacumque ex causa ibi confessiones audiunt) ita conveniant, ut pœnitentes non absolvant, qui viventes cum scandalo, in peccato perseverant, aut pœnitentiis publicis ipso facto subjiciuntur, aut ad legatorum piorum, similiumque rerum restitutionem tenentur, qui propterea à Parochis non absolverentur, nisi priùs his obligationibus satisfecissent. Ideò Regularium Superiores Confessarios suos sæpiùs moneant, & ad hanc animorum unionem, in fidelium ædificationem, adhortentur. Curentque imprimis, ut dum in casuum resolutione diversa inter eos & Parochos sententia fuerit, prudenter in eo se gerant, & ad Laicorum notitiam id non veniat, sed ad nos pro decisione recurrant.*

2732 Propterea etiam licèt, *semel approbati, possint, in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque, etiam infirmorum, confessiones audire, absque ulla Parochorum venia*, prout Clemens X. ait in Bulla *Superni* sæpè citata: convenit tamen ut juxta S. Caroli instructionem (ibidem) *Regulares, ad infirmos audiendos convocati, si ex temporis angustia aliud non potuerint, hujus infirmi Pastorem adeant, quæ spectant ad hujus statum scisciturі, ut diligentius illum examinent, utpote in hoc vitæ termino constitutum, à quo salus, aut æterna damnatio pendet. Quòd si ante confessionem, Pastorem convenire tempus non fuerit, saltem post eam quamprimùm Confessor adeat, ut ambo de infirmi necessitatibus, eoque specialiter adjuvando statuant.*

2733 Istam ergò convenientiam, seu convenientem, salutarem, ædificativum, pacificum & concordem agendi modum, suâ illâ clausulâ, Belgii Antistites intendunt; non autem privilegiis Apostolicis ullum adferre præjudicium, per adjectionem clausulæ, quæ privilegium inane redderet, quo Clemens X. proximè relatus declarat, Regulares posse, *in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis tempore, etiam Paschali, & quorumcumque, etiam infirmorum, confessiones audire, absque ulla Parochorum venia.* Proinde censendi non sunt velle quòd confessiones à Regularibus auditæ, sine consensu Parochorum, irritæ sint & nullæ (hoc enim injustum foret, utpote contra jus Regularibus concessum, per Apostolica privilegia; non secùs ac si vellent nullas esse confessiones ab ipsis auditas tempore Paschali, vel nullas esse confessiones infirmorum Regularibus factas, &c.) sed solùm indicant modum extrinsecum convenienter utendi facultate concessâ, ut dictum est. Sic enim intellecta clausula illa rationabilis est & justa, nihilque habet præjudicans juribus Regularium, privilegiisque SS. Pontificum, nihil absonum & insolitum. Sic proinde haud dubiè intelligi debet. Cùm jura juribus concordanda sint, & dicta clausula censenda sit justa; nihil proinde continens alienis juribus dictisque privilegiis contrarium.

CAPUT CCXXXVIII.

Confessarii Ordinum Mendicantium, in Diœcesibus, in quibus sunt approbati, confessiones audire possunt quorumcumque sæcularium ad se accedentium, etiam extraneorum, deque alia Diœcesi existentium.

HUjus assertionis probationem vide in speciali Tract. de Privilegiis Religiosorum Mendicantium, typis proximè committendo. 2734

CAPUT CCXXXIX.

Per confessionem, quovis tempore, etiam Paschali, factam Mendicantibus approbatis, impletur præceptum annuæ confessionis.

VIde etiam id multipliciter demonstratum ibidem. Sicut & pleraque alia privilegia, Regularibus Ordinum Mendicantium concessa, in ordine ad absolvendum à variis casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, ad commutandum vota, ad dispensandum in impedimento petitionis debiti, &c. 2735

CAPUT CCXL.

Confessarii Ordinum Mendicantium, nec intra, nec extra Italiam, absolvere possunt à casibus, & censuris, quos & quas Episcopi sibi reservant; nisi ad id specialem ab ipsis licentiam acceperint.

ESt certissima sententia, quæ videri potest certissimis argumentis demonstrata in Tractatu memorato. 2736

CAPUT CCXLI.

Sacerdotes Regulares, quàmlibet ab Episcopis approbati, fratres suos validè absolvere non possunt, nisi ad id à Superioribus suis deputati fuerint.

ETiam id certis argumentis probatum videri potest ibidem. Dixi *fratres suos*. An enim absque deputatione Superiorum suorum absolvere possint sæculares, in Diœcesibus, in quibus sunt approbati? An (inquam) ultra approbationem Episcopi opus habeant licentiâ sui Prælati? alia quæstio est Ut validè absolvere possint sæculares, sufficere approbationem Episcopi, censet Natal. Alex. to. 4. l. 2. a. 7. reg. 15. post Donatum Laynensem, Peyrinis & alios. Quia, inquit, jurisdictionem habent ab Episcopo, non à suo Superiore Regulari. Sed hæc ratio non placet: quia Regulares non habent jurisdictionem ab Episcopo, sed à Papa, vel Ecclesia, ut communis est sententia. Intentio verò Ecclesiæ, & SS. Pontificum, semper fuit ut Regulares, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, Superiorum suorum dispositioni subjacerent. 2737

Et ideò sententia est Mirandæ 1. p. Manual. q. 45. a. 2. Suarez t. 4. de Relig. tr. 10. l. 9. c. 2. nostri sapientissimi Lezanæ 1. p. Summæ c. 19. n. 12. quòd non obstante approbatione Episcopi non solùm illicitè (quod omnes fatentur) sed & invalidè sæculares absolvant. Quod de nobis Carmelitis nescio an non asserant Constitutiones nostræ p. 1. c. 23. de Confessariis n. 12. dum sic aiunt: *sciant autem omnes Sacerdotes, ut præfertur deputati, præter superiùs enumerata (aliàs absolutio est nulla) sibi necessariam RR. Ordinariorum approbationem.* Videtur enim textus ambiguus; dubium (inquam) videtur, an interjecta parenthesis (*aliàs absolutio est nulla*) non referatur ad proximè antè requisita, id est facultatem Provincialis, vel (in maxima necessitate) institutionem Prioris (conformiter ad sententiam Lezanæ) siquidem minùs aptè referri posse videtur ad posteà requisitam Ordinariorum approbationem. Hoc tamen sapientiorum judicio malim relinquere, quàm ipse definire. 2738

CAPUT CCXLII.

Sacerdotes Regulares, quàmlibet amplam haben-

tes à Sede Apostolica licentiam, absolvendi quoscumque fideles, à casibus quantumcumque enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, sicut in vim licentiæ hujusmodi absolvere non possint sæculares à casibus sibi ab Episcopo reservatis; ita nec absolvere fratres suos à casibus reservatis Superioribus suis.

2739 QUòd in vim licentiæ hujusmodi absolvere nequeant sæculares à casibus sibi ab Episcopo reservatis, Clemens X. expressè declaravit in Bulla sæpè memorata, dicens: *habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere.* Et ratio est, quia Pontifices non intendunt Episcopis auferre potestatem reservandi certos casus, sibi per Concilium Tridentinum attributam; imò eam integram servare. Ut enim Gregorius Magnus ait: *si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per Nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?*

2740 Quòd etiam nequeant, in vim ejusdem facultatis, absolvere fratres suos à casibus reservatis Superioribus suis, ipsi etiam Pontifices sæpiùs expressè declararunt, prout ostendo in laudato tractatu. Et ne privilegia à Sede Apostolica concessa cederent in destructionem, non in ædificationem recti regiminis, Urbanus VIII. ibidem relatus declaravit, Apostolicæ Sedis intentionem semper fuisse & esse, ut, non obstantibus quibuscumque privilegiis eligendi Confessarium, vel à reservatis absolvendi, Religiosi, quantùm ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, subjecti sint ordinariæ dispositioni suorum Superiorum, nec proinde posse, aut potuisse, in vim Bullæ Cruciatæ, seu aliorum quorumcumque privilegiorum, sibi eligere Confessarium, à Superioribus ad id non deputatum, nec absolvi à casibus Superioribus reservatis.

CAPUT CCXLIII.

Observanda circa absolutionem injicientium manus violentas in Clericos, vel Religiosos.

2741 CAnone *siquis suadente* 17. q. 4. sic habetur: *siquis suadente diabolo.... in Clericum, vel Monachum, violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Sic Innocentius II. statuit in Concilio Lateran. c. 15. Circa cujus intelligentiam nonnulla observanda sunt.

2742 Primò, eos qui privilegium habent in foro conscientiæ absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, extra Bullam quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, ab illa injectione extra Italiam absolvere posse, nisi eam Episcopus loci sibi specialiter reservaverit. Tametsi enim Clemens VIII. anno 1605. exceperit quinque casus, scilicet violationem immunitatis Ecclesiasticæ, violationem clausuræ Monialium ad malum finem, provocationem & pugnam in duello, injectionem manuum violentarum in Clericos, simoniam realem scienter contractam, necnon confidentiæ beneficialis: exceptionem istam solùm fecit pro Regularibus intra, non extra Italiam.

2743 Secundò, non omnem Clerici vel Monachi percussionem esse reservatam, neque excommunicationi obnoxiam. Triplex namque est percussio, levis, gravis, enormis.

Levis est quæ *non odio, vel invidiâ, vel gravi indignatione fit, sed levitate jocosâ fit*, ut dicitur cap. *super eo* extra de sent. excom. Subindè enim inter jocandum levis exurgit iracundiæ motus, quo unus alterum manu trudit, vel parum percutit in naso, v. g. absque nota gravis despectûs. Nec percussio inde censetur gravis, quòd sanguinis effusio secuta fuerit ex naso, maximè in æstate. Quamvis ergo gravis percussio censeatur, quando processit usque ad effusionem sanguinis ex membro unde facilè sanguis exire non consuevit, uti Doctores notant apud Fagnanum in 2. p. l. 5. Decretal. ad cap. *cùm illorum* de sent. excom. n. 181. ipse tamen Fagnanus, post Innocentium, Hostiensem, Joan. Andræam, Marianum, Socinum, & communiter Doctores admittunt modicam & levem percussionem in naso, etsi sanguis exivit ab eo, maximè *cui exire consuevit, præsertim in æstate.*

2744 Et hujusmodi percussio Clericorum, vel Monachorum inter se, non est casus reservatus, neque excommunicationi obnoxius, uti constat ex citato cap. *super eo*, ubi sic: *super eo verò quòd consilium posuisti, utrum Scholares, si se invicem in plena, vel minori ætate, Clerici vel Religiosi viri in claustro percusserint, secundùm canonem illum, quo statutum est, ut illi qui in Clericos violentas manus injiciunt, mittantur ad Apostolicam Sedem, pro sua absolutione debeant venire? Inquisitioni tuæ respondemus, quòd si Clerici infra puberes annos se ad invicem, aut unus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat.*

Nec Clerici, si sunt plenæ ætatis, & non odio, vel invidiâ, vel indignatione, sed levitate jocosâ, se ad invicem percutere contingat. Neque Magister, si Scholarem Clericum intuitu disciplinæ vel correctionis percusserit: quia non potest in ipsis injectio manuum violenta notari. Cæterùm si ex odio iidem Scholares, vel sæculares Clerici sese percusserint, pro sua absolutione debent ad Apostolicam Sedem venire.

2745 Gravis percussio est, quæ est graviter injuriosa, adeòque mortale peccatum in ratione injuriæ. Quam tamen Clemens III. cap. *pervenit* eod. tit. levem vocat comparativè ad enormem, eamque, non Sedi Apostolicæ, sed Episcopo reservat.

2746 Enormis, seu atrox percussio (quæ sola est Papæ reservata) est si *ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis* (copiosam, prout Glossa intelligit, & quidem è membro de quo facilè sanguis exire non consuevit, prout suprà dixi) *est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta*, ut habetur citato cap. *cùm illorum.*

2746 Unde quadruplici ratione percussio dicitur enormis & atrox, ut notat Fagnanus ibidem n. 19. 20. & 21. Primò, ratione quantitatis facti, ut si oculus effodiatur, cap. *si evangelica* dist. 55. siquis vulneretur, si fustibus cædatur, §. *atrox* ff. de injuriis. Secundò, ratione qualitatis personæ, ut si in Episcopum, vel Abbatem, seu Prælatum, sit violenta manus injecta. Talis quippe excessus semper gravis est & enormis. Fagnanus ibi post Hostiensem. Et idem est (inquit) si in Priorem suum, locum Abbatis tenentem. Idem quoque quando inferior in superiorem suum, filius in patrem, discipulus in magistrum, parochianus in Parochum suum. Tertiò, ratione scandali, ut si fiat coram multitudine populi. Fagnanus ibidem n. 22. Quartò, ratione loci, velut (inquit Fagnanus) si in theatro, in foro, in conspectu Prætoris, & à fortiori si in Ecclesia, vel Cœmeterio, Choro, & maximè in Altaris ministerio. Uno verbo, pensandæ sunt omnes circumstantiæ, etiam modus percutiendi, gradus personæ tam percussæ, quàm percutientis, ut si dignior à viliori percutiatur, ipsaque contumeliæ ratio habenda. Si enim alapa impingatur Clerico in actuali altaris, vel concionis ministerio; si pugno vel calcibus im-

petatur in Choro, vel solemni supplicatione; si vestis ejus contumelioso modo dilaceretur; si facies vel caput luto, atramento, stercore, urinâ, sputis fœdetur, &c. certè non leves sunt istiusmodi percussiones, sed vel graves, vel etiam atroces & enormes.

2748 Porrò canonem *siquis suadente* 17. q. 4. de percussione enormi alii canones explicant, ut notat Natalis Alexander Th. Mor. to. 4. l. 2. c. 5. a. 7. reg. 36.

CAPUT CCXLIV.

Peccatum habens reservatum, non potest, extra mortis articulum confiteri Sacerdoti non habenti potestatem in reservata, neque hic sive à reservatis, sive à non reservatis ipsum absolvere.

2749 RAtio est, quia Tridentinum sess. 14. c. 7. expressè declarat, quòd Sacerdotes inferiores *extra mortis articulum nihil possint in casibus reservatis, idcòque id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.* Ecce solum mortis excipit articulum; nullam verò aliam necessitatem.

2750 Proinde si Parochus, casum habens reservatum, festo die celebrare debeat, ut populus Sacrum audiat, nec id absque gravi scandalo omittere queat, nec Vicarium substituere, nec adire Superiorem, seu habentem in reservata potestatem; perinde se gerere debet, ac si Confessarii copiam non haberet; licèt habeat copiam Confessarii approbati pro casibus non reservatis; utpote qui ipsum nequidem à non reservatis absolvere potest, ob eorum conjunctionem cum reservatis, à quibus absolvere non potest.

CAPUT CCXLV.

Confessarius, qui, non obtentâ ad id facultate, absolvere audet, vel præsumit à casibus Sedi Apostolicæ, vel sibi ab Episcopo reservatis, excommunicationem ipso facto incurrit.

2751 SIc enim habetur in Decretis S. Congregationis Cardinalium, Episcoporum, & Regularium negotiis præpositorum, à Clemente VIII. Paulo V. & Urbano VIII. confirmatis. Id verò audent, vel præsumunt, qui scienter id faciunt, vel ex ignorantia crassa vel affectata, inquit Natalis Alexander hîc regulâ 41.

CAPUT CCXLVI.

Confessarius, qui id seu scienter fecit, seu ignoranter, pœnitentem ad confessionem, si potest, revocare tenetur, obtentâque facultate absolvere; vel certè monere de errore, ut Superiorem adeat, seu habentem facultatem. Si neutrum possit, pœniteat, Deòque negotium commendet.

2752 ITa S. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 12. ubi sic: *quicumque absolvit aliquem ab aliquo peccato, in casu in quo non potest.... quia reservatus est.... præterquam quòd graviter peccet, quando absolvit scienter, vel etiam quando ignorantia juris crassa... tenetur illum, quem sic absolvit, avisare de errore suo, si cognoscit, vel potest invenire... quando fieri potest sine scandalo notabili. Unde in Concilio Basileensi quidam Periti, habitâ super hoc collatione, dixerunt, quòd talis Confessor petat authoritatem à Superiore super hoc casu, à quo non potuit absolvere, & tamen absolvit. Quâ habitâ, vocet illum (quem absolverat cùm non posset) & per aliquem modum coopertum interroget de aliquibus quæ sibi confessus est, quasi meliùs volens informari, ac si non plenè intellexisset, & siqua alia commisit crimina postea. Et sic absolvat ab omnibus iterùm, & tunc, & priùs aliàs auditis. Vel si magnum scandalum ex hoc timeretur.... committat summo Sacerdoti, scilicet Christo, præsertim quando multitudo est sic neglecta, vel multùm distans à loco, ubi est Confessor.*

CAPUT CCXLVII.

Facultas ab Episcopo obtenta, absolvendi à casibus ipsi reservatis, non cessat, mortuo Episcopo.

COntraria est opinio Natalis ab Alexandro regulâ 34. Delegatio enim (inquit) morte delegantis extinguitur, uti habetur L. & *quia* ff. de jurisdictione omn. Judic. Sed assertio nostra communis est, & certa, ex cap. *si cui* de præbend. in 6. & cap. *si super gratia* de offic. deleg. eod. lib. ubi dicitur, quòd *gratia non expirat per mortem concedentis.* 2753

Neque obstat ratio P. Natalis, utpote solùm procedens in concernentibus jurisdictionem contentiosam. 2754

CAPUT CCXLVIII.

Confessarius, tam secularis, quàm regularis, (aliàs non habens potestatem in reservata) in Diœcesi in qua est approbatus, pœnitentes ex alia Diœcesi ad se accedentes, absolvere potest à casibus in illa Diœcesi reservatis, si reservati non fuerint in Diœcesi, in qua est approbatus, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis, ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.

ITa pro Regularibus declaravit Clemens X. Bullâ *superni magni Patris familias*, ubi dicit: *posse regularem Confessorem, in ea Diœcesi in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi, à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis, ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* 2755

Ratio verò cur hoc possit Confessarius, etiam secularis, est tum quia viator, tempore quo foris est, fortitur forum pœnitentiale in loco ubi confitetur, prout ab Eugenio IV. declaratum testatur Cajetanus in Summa, verbo *absolutio.* Neque enim legibus proprii territorii tenetur extra illud. Tum quia reus judicari solet secundùm leges & consuetudines loci, ubi fertur de ipso judicium. 2756

CAPUT CCXLIX.

Tametsi Confessarius, habens facultatem absolvendi à casibus S. Pontifici reservatis, à censuris etiam absolvere possit; Confessarius tamen, habens facultatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis, non ideò potest absolvere à censuris ipsi reservatis.

RAtio prioris partis est, quia aliàs à nullo casu S. Pontifici reservato absolvere posset: cùm nulli casus S. Pontifici reservati sint absque censura. 2757

Ratio posterioris partis est, quia cùm Episcopi reservare soleant casus absque censura, & aliud sit casus reservatus, aliud censura reservata; facultas concessa ad unum, non censetur ad alterum concessa, nisi exprimatur. 2758

CAPUT CCL.

Invalida est confessio facta Sacerdoti hæretico, schismatico, notoriè excommunicato, suspenso, irregulari.

2759 RAtio est, quia talis Sacerdos jurisdictionem non habet, nec clavium usum; utpote quem ipsis Ecclesia subtraxit. Ita S. Thomas q. 19. Supplem. a. 6. Unde qui à talibus Sacramenta petunt, lethaliter peccant, ut constat ex dictis l. 1. Si tamen excommunicatio sit occulta, nec nota pœnitenti, validum est Sacramentum. Quia jurisdictionis usum in taliter excommunicato tolerat Ecclesia, juxta extrav. *ad evitanda scandala.* Si etiam pœnitens sit in articulo mortis constitutus, plerique cum Navarro censent absolvi posse ab excommunicato denuntiato. Sed S. Congregatio apud Fagnanum ad cap. *non est vobis* de sponsal. & matrim. declaravit oppositum. Et cum S. Congregatione Fagnanus ibidem oppositum multipliciter ostendit. Pro quo stant etiam S. Thomas, S. Antoninus, noster Bachonius, & Veteres passim.

CAPUT CCLI.

Valdè periculosum est, juxta doctrinam Sanctorum, confessionibus audiendis se ingerere, absque signis vocationis divinæ.

2760 SI enim tantæ sint invectivæ SS. Patrum in eos qui Ecclesiasticos Ordines absque divina vocatione assumunt; longè major est ratio invehendi in eos qui ad officium Confessarii absque divina se vocatione ingerunt: cùm salus istorum longè magis periclitetur, quàm illorum, necessariamque esse vocationem Dei ad suscipiendum istud officium, gravissimæ rationes suadeant.

2761 Primò, quia ars artium est regimen animarum, cujus proinde honorem quisquam sibi sumere non debet, sed *qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Cùm enim sit ars difficillima, periculosissimaque, ejus sibi honorem sumere, tanta præsumptio est, ut Mellifluus Doctor serm. 10. in Cant. exclamet: *ad regimen animarum sese ingerere, quanta impudentia est!*

2762 Secundò, quia exactam à Confessario rationem exiget Deus de omnibus animabus, quarum audierit confessiones, deque omnibus, & singulis earum confessionibus auditis, absolutionibus impartitis, profectu confitentium neglecto, emendatione efficaciter non procurata, convenienti satisfactione non imposita, salutaribus remediis non applicatis, pulvillis positis sub omni cubito manûs, &c.

2763 Tertiò, quia pro isto ministerio malè administrato plurimi (aliàs vitæ sanctioris, austeriorisque) peccatorum alienorum participes effecti damnantur, qui aliàs salutem æternam consequerentur, juxta illud: *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

2764 Quartò, vel unius animæ cura Cardinali Berullo visa est magis ardua, quàm cura regni amplissimi. In animarumque directione, vel nimiâ remissione, vel districtiori, quàm par est, severitate non labi, tantum opus, tantus labor est, ut pauciores sint, quàm dici queat, tantæ provinciæ pares; nec sine affluso sibi divinæ sapientiæ lumine potest quis jura Dei sic tueri, ut hominum infirmitatem non opprimat; nec sic hominum imbecillitati consulere, ut in jura Dei non peccet.

2765 Neque indoctis dumtaxat id maximè arduum est, sed & doctis: utpote quos nisi Deus specialiter illustret, & induat virtute ex alto, facile est, sive ex pusillanimitate, sive ex culpabili defectu cælestis prudentiæ, sive ex defectu luminis, sive ex defectu fortitudinis plurima omittere, quæ si omissa non fuissent, damnati non fuissent, qui ipsis confessi sunt.

Quintò, quia occasione hujus ministerii, auditionisque confessionum, præsertim alterius sexûs, 2766
frequentes occurrunt tentationes & pericula non parva, dum istius sexûs deteguntur miseriæ, magnaque ad peccatum carnis pronitas, quam diabolus repræsentare non cessat, ut ad peccatum istud alliciat. Quæ profectò tentationes, & pericula superari nequeunt absque speciali Dei gratia: de qua fundatè præsumere non potest, qui istius ministerii honorem sibi assumit, non vocatus à Deo tamquam Aaron.

Sextò, quia Confessarii officium est corda fide- 2767
lium à vitiis retrahere, ad Deique & justitiæ amorem excitare; ad quod consequendum, necesse est, ut voci ejus Deus det vocem virtutis, & per gratiam suam operetur in cordibus, quod ipse hortando suggerit auribus. Quas gratias non meretur, qui absque signo divinæ vocationis isti ministerio se ingerere præsumit.

CAPUT CCLII.

Variæ in Confessario dotes, seu qualitates requiruntur, ad istud ministerium rite obeundum.

EAs recenset S. Carolus in Concilio suo Me- 2768
diolanensi 1. p. 2. tit. de pertinentib. ad Sacram. Pœnitentiæ: *in probandis Confessoribus hanc rationem habeant Episcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti, & fideles custodes sint eorum quæ in confessione dicuntur.* Quibus fortitudo & benignitas addi potest. Oportet enim Confessarium fortiter & suaviter in ministerio suo agere. Omnes istas qualitates complectuntur duo versiculi sequentes.

Sit probus & fortis, Confessor, sitque peritus,
Discretus, patiens, mitis, pius, atque fidelis.

Itaque necessaria Confessario imprimis est mo- 2769
rum probitas. Nimirùm, *ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, & grex, qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur..... Illa enim vox libentius auditorum cor penetrat, quàm dicentis vita commendat.* S. Gregorius Pastoral. p. 2. c. 3. Enimverò ad virtutes in aliis promovendas *multùm juvat illud in se primùm ostendere, quod in aliis positum desiderat (plus enim movent exempla, quàm verba) nec alios valet edocere virtutem, qui non habet.*

Deinde Confessarius magnâ debet prædituse esse 2770
patientiâ, ut tam pœnitentium crimina, quàmlibet enormia, quàm eorum rusticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliosque defectus patienter ferat, juvet, pœnitentesque, licèt rusticos, ignorantes, stupidos, & valdè defectuosos, peramanter suscipiat, exemplo patris, filium prodigum, licèt squalidum, fœtentem, lacerum, dissipati cum meretricibus patrimonii reum, paterno affectu complectentis, & super eum flentis. Exemplo etiam Salvatoris, qui discipulos, tametsi rusticiores, patienter sustinuit, & compassus fuit peccatoribus. *Quomodò* enim *se sibi curandum præbeat* (inquit Ambrosius l. 1. de pœnit. c. 1.) *qui contemptui se, non compassioni, Medico suo putet esse futurum? Ideò Dominus Jesus compassus nobis est, ut ad se vocaret, non deterreret. Mitis venit, venit humilis. Denique ait: venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Reficit ergo Dominus Jesus, non excludit, neque abjicit. Meritòque tales discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent.*

Unde

Unde liquet, eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur, & cùm ipsi quærant Domini misericordiam, aliis denegant. Et lib. 2. c. 8. *me* (inquit) *perditum vocasti ad Sacerdotium..... ut condolere velim peccantibus aspectu intimo* (*hæc enim summa virtus: quia scriptum est: & non gaudebit super filiis Juda, in die perditionis eorum*) *sed quotiescumque peccatum alicujus lapsi exponitur, compatiar; nec superbè increpem, sed lugeam & defleam, ut dum alium fleo, meipsum defleam, dicens: justificata est magis Thamar, quàm ego. Fortasse adolescentula lapsa sit; occasionibus, quæ delictorum fomites sunt, decepta ac præcipitata sit; peccamus & nos. Repugnat in nobis lex hujus carnis legi mentis nostræ, & captivos nos trahit in peccatum, ut faciamus quod nolumus. Illis de ætate suppetit excusatio; mihi jam nulla. Illa enim debet discere; nos docere. Ergo justificata est magis Thamar, quàm ego. Incusamus alicujus avaritiam? recordemur, si nihil ipsi avari fecimus; & si fecimus...., dicamus singuli: justificata est magis Thamar, quàm ego. Si commoti fuerimus in quemquam graviter, leviorem causam Laicus habet, quàm Episcopus*, vel Sacerdos, *eò quòd commotus egerit aliquid. Retractemus nobiscum, & dicamus: justificatus est magis iste, qui commotionis arguitur, quàm ego.* Itaque, ut S. Carolus ait in Instruct. Confess. *confessiones æquo animo audiant, nec pœnitentes inconfessos dimittant, nec ægrè eos audire quoquo modo significent; sed econtrà efficiant, ut pœnitentibus innotescat, sibi gratissimos esse pro eorum salute labores.*

2771 Tertiò, necessaria est Confessario *pietas, ad omnia utilis.* Non solùm utique pietas in Deum, quâ & sibi cælestè auxilium, & pœnitentibus gratiam & misericordiam impetret orando, meditando, aliaque pietatis exercitia frequentando; sed & in proximum, secundùm id quod dicitur cap. *qui vult* de pœnit. dist. 6. Sacerdos peccatis *cognitis adsit benevolus, paratus erigere, & secum onus portare; habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate. Adjuvet confitentem orando, eleëmosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, &, cùm opus fuerit, etiam increpando. Doceat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudii*, &c.

2772 Quartò, ipsi necessaria est mansuetudo & benignitas, ex sincero proveniens desiderio salutis proximi, per quam corda pœnitentium stimulantur ad libenter audiendum & exequendum monita instructionesque Confessarii. Est enim regina cordium mansuetudo; nec est in commotione, nec in igne Dominus; sed in sibilo auræ tenuis. Cum magna proinde tranquillitate, & suavissima mansuetudine Confessarius cum pœnitentibus agere debet, ut ipsos convertat. Neque enim duritiem cordis ipsorum Confessarii durities franget, sed pietas & mansuetudo, relucens in modo agendi cum ipsis, ita ut si eos oporteat increpare, id fiat in spiritu lenitatis: quem facilè concipiet Sacerdos, si reflectat 1°. assumendum sibi agendi modum, qui suo congruat ministerio, animarumque conversioni & saluti. Quem in finem necesse est corda pœnitentium suavitate & mansuetudine captivare. 2°. si reflectat tantam esse hominis fragilitatem, ut non sit peccatum, quod facit homo, quod non faceret alter homo, si non succurreret Deus, Rector ille benignus, à quo factus est homo. Eâ igitur mansuetudine agere debet cum peccatore, quâ secum agi vellet, si peccasset. Agat igitur cum peccatore, non solùm mansuetè, sed & affectuose. Ut enim moveat aliam, primùm moveatur oportet. Intelligat ergo pœnitens, Confessarium sibi loqui ex affectu cordis, sinceroque desiderio suæ salutis. Et siqua aspera subinde ei injungere oporteat, vel absolutionem differre, aspero modo non injungat, nec differat, sed suavi & benigno.

Quintò, necessaria est ipsi fortitudo contra hu- 2773
manos respectus, ut sciat vitiis non parcere, Dei gloriam animarumque salutem dumtaxat quærere, non laudes, nec favores hominum, multitudinemque pœnitentium. Ideò sic mitis esse debet, suavis & benignus, ut non sit mollis & remissus. Non deterreat pœnitentes morosâ severitate, nec ipsis aduletur noxiâ blanditie. Non ponat pulvillos sub omni cubito manûs. Cùmque sit animarum Medicus, corporum Medicos imitetur, qui amaris potionibus aliquid dulcedinis immiscent, quò facilius ab ægris sorbeantur. Et sicut isti ferrum & ignem adhibent, dum id medicinæ ratio exposcit, nec sanitas aliter potest recuperari; sic spiritualis Medicus fortiora adhibeat remedia, dum aliter curari nequeunt animarum vulnera.

Ut enim Cyprianus (sæpè laudatus) ait, *qui* 2774
peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat.... At qui consiliis fortioribus redarguit, simul & instruit fratrem, promovet ad salutem.... Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem: gratias aget postmodùm, cùm senserit sanitatem. Hoc tamen fiat cum mansuetudine, fiat cum compassione, fiat cum debita moderatione. Sit Confessor *Samaritanus* (inquit Petrus Blesensis lib. de pœnit.) *infundens oleum misericordiæ, vinumque justitiæ. Habeat conscientia ejus, quasi arca fœderis, manna & virgam, ut sciat compati & ignoscere, arguere & monere.... Medium autem teneat; ne nimia remissio, vel nimia austeritas sit in eo, certumque pœnitentiæ modum, juxta sanctorum Patrum instituta, præscribat. Beatus enim Gregorius falsas pœnitentias vocat, quæ non secundùm authoritatem Sanctorum, & pro qualitate criminum imponuntur.*

Præter morum probitatem, patientiam, pieta- 2775
tem, mansuetudinem, fortitudinem, Pœnitentiæ Ministro necessaria est scientia, prudentia & fidelitas in servando confessionis secreto. De quibus posteà.

CAPUT CCLIII.

Oportet Confessarium esse instructum triplici scientiâ, Judicis, Medici, & Doctoris, saltem in gradu convenienti & mediocri, etsi non sublimi & eminenti. Pœnitentem verò oportet conformare se opinioni Confessoris, non contrà.

INnocentius IV. cap. *cùm in cunctis* de elect. & 2776
electi potest. *scientiam* (inquit) *reputamus eminentem, quæ subtiles quæstiones discutere & definire novit, & in promptu responsiones habet. Ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nescit respondere; & qui in libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere, etsi in promptu omnia non habeat.* Scientia quidem eminens optanda esset in Confessario; quemadmodùm & in Episcopo & Parocho. Sed si sufficit ut electus in Episcopum vel Parochum, *illius litteraturæ, licèt non eminentis, tamen convenientis existat, ut pro defectu scientiæ ab electione non debeat excludi:* hoc etiam sufficit in Confessario. Quamvis pœnitentes, suæ perfectionis & salutis cupidi, ad doctiores potiùs confugere debeant, quàm ad minùs doctos, vel semidoctos, sicut periculoso morbo correpti, non obvium quemque Medicum eligunt, nec qualitercumque doctum, sed scientiâ experientiâque potiorem. Præsertim cùm S. Theresia cap. 5. vitæ suæ testetur,

proprio se experimento didicisse, minùs nocere Confessarios penitùs ignorantes, quàm semidoctos.

2777 Porrò cùm triplex sit Confessarii munus, Judicis, Medici, & Doctoris, peripicuum est, oportere eum instructum esse eâ scientiâ, quæ ad munera ista ritè obeunda necessaria est.

2778 Debet ergo imprimis Confessarius ea scire, de quibus debet judicare. Quæ, ut dicitur can. *qui vult* de pœnit. dist. 6. *oportet sciat cognoscere, quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc expostulat, ut quod debet judicare, discernat.* Et ideò spiritualis hujus judicii, seu *Sacramenti hujus doctrinam omnem nosse studebit* (ait S. Carolus Borromæus in Instruct. de Sacram. Pœnit.) *ita ut quæ illius ratio, qui effectus, quæ illius partes, quæ illarum partium vis & natura, peritè intelligat. Quæ peccata mortalia, & quæ venialia, cognoscat. Peccati circumstantias sciat, quæ præsertim mutant speciem peccati, & quæ in confessione explicandæ sunt; quæ restituendi onus inducant. Censurarum rationem, & vim rectè intelligat, & quibus criminibus annexæ illæ sint. Casus reservatos in promptu habebit, ita ut rectè sciat qui jure Canonum S. Pontifici: qui rursus Episcopo: qui præterea in Bulla Cœnæ Domini; quique pro varietate temporum Episcopo reservati sint. Differentiam satisfactionum pœnitentialium etiam probè noscet, ac præterea Canones pœnitentiales, ut infrà ordine Decalogi explicatos. Memoriâ tenebit casus, quibus confessio sit iteranda. Cognitum etiam habere Confessarius omnis debet, ac præterea animadvertere, antequam ad audiendas confessiones accedat, quanta sit authoritas potestasque jurisdictionis suæ; ita ut, cùm norit & quos, & a quibus peccatis censurisque absolvere possit, tum etiam caveat, ne facultatis suæ limites prætergrediatur.*

2779 Deinde, ut Medicus, scire debet qualiter & quando suppeditare debeat *vinum & oleum vulneribus saucrati; & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum*, ut dicitur can. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss. Debet (inquam) vulnerum qualitates noscere, quæque ad sanandas animas, & impositurum contra vim morbi muniendas remedia sint aptiora.

2780 Denique, ut Doctor & Director animarum, præditus esse debet *scientiâ Sanctorum*, ut eam ab ipso addiscant ii quos docet & dirigit. *Nulla* quippe *ars doceri præsumitur* (ait Gregorius in Pastor. p. 1. c. 1.) *nisi intentâ prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium quâ temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum? Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas* (ait Concilium Toletanum IV.) *& Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tam fidei scientiâ, quàm morum disciplinâ.* Meminerint etiam dictum à Domino Matth. 15. *cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Ubi (ut S. Augustinus ait) *terret non solùm cæcum ducentem; sed & cæcum sequentem. Neque enim* (ait) *cadit in foveam ducens, & non cadit sequens; sed cæcus, cæcum ducens, ambo in foveam cadunt.* Enimverò frequenter contingit, quòd ad confessionem accedentes, vel ea ignorent, quæ ipsos scire oportet, vel de dubiis suis Confessarium interrogent. Debet igitur convenienti scientiâ esse instructus, ut & ignorantes docere possit, & dubia sua proponentibus respondere. Ne in suis instructionibus erret, & alios errare faciat, sicque ambo in foveam cadant. Siqua tamen perplexa & subtiliora ipsi proponantur, necesse non est quòd de iis sciat in promptu respondere, sed satis est quòd de iis sciat dubitare. Dum autem dubitat, *debet securiorem viam semper eligere* (ait S. Bonaventura in 4. dist. 17. n. 98.) *& sapientes consulere.*

2781 Si omni tempore Confessariis necessaria fuit scientia & Theologia Sanctorum, maximè hodie, dum tot errores, & laxiora opinamenta à luxuriantibus ingeniis disseminantur, de quibus Alexander VII. in Decreto anni 1666. *Sanctissimus Dominus Alexander P. VII. audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, Christianæ vitæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm suscitari; partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus operandi irrepsit alienus ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela.*

Inter ejusmodi opiniones, judicet sapiens Lector, an non ea sit, quæ Confessarium in sacro Tribunali sedentem obligat ad se conformandum opinioni pœnitentis, dum eam aliqui Doctores probabilem censent, tametsi eam longè minùs probabilem, imò falsam, vel etiam improbabilem Confessarius judicet. Quid enim? an non Confessarius in sacro illo Tribunali, locum tenet Christi, unius Magistri nostri, prout dicitur Matth. 23. *Magister noster unus est Christus?* Si locum tenet Christi, locum tenet Veritatis: non ergo potest se conformare opinioni, quam certò vel probabilius scit esse falsam. Nec solùm est Locumtenens Christi, est & Judex pœnitentis: judicare ergo nequit secundùm opinionem minùs probabilem, uti declaravit Innocentius XI. Et nonne pœnitens eodem in Tribunali reus est? *ô inauditum philosophandi genus* (ait S. Bonaventura) *Judex sententiam ferre debet ad arbitrium rei, & reus Judicis arbitrio obedire non tenetur!* Dicendum itaque, quòd Confessarius advertens pœnitentem accedere cum proposito non dimittendi aliquam occasionem, vel non restituendi, eò quòd inhærendo opinioni minùs probabili, & minùs tutæ pauciorum vel minùs sapientum Doctorum, judicet se ad occasionem illam dimittendam, vel ad restituendum minimè teneri: si tamen Confessarius (doctior pœnitente) oppositum cum pluribus & sapientioribus absolutè judicet, non potest nec debet ipsum absolvere, quamdiù persistit in proposito non dimittendi, vel non restituendi. Quia tametsi pœnitens fortassis accedat in existimatione sua rectè dispositus; non accedit tamen rectè dispositus juxta existimationem & judicium sui Confessarii, qui solum absolvere potest pœnitentem, quem ipse judicat rectè dispositum. An enim dispositio pœnitentis hîc & nunc sit legitima, non debet judicare pœnitens, sed Judex qui profert sententiam. Nec Confessarius credere debet pœnitenti, in iis quæ ad ipsum (ut pœnitens est) non attinent, nempe in quæstione juris, an sit vel non sit talis vel talis obligatio, an legitima sit, vel non sit talis dispositio; sed solùm in quæstione facti, an hoc vel illud fecerit, vel non fecerit? an cum istis vel istis circumstantiis, &c.?

2783 Dices: propositum non abstinendi à tali occasione, non restituendi, &c. in pœnitente inhærente quoad hoc opinioni probabili, non est peccatum mortale. Ergo non obstat legitimæ dispositioni ipsius.

Respondeo 1°. negando antecedens, si opinio ista, post fundamenta hinc inde diligenter examinata, non appareat ipsi longè probabilior, sed vel minùs, vel æquè, vel ferè æquè probabilis dumtaxat: tunc enim tutiorem, æquè vel magis probabilem, in conscientia sequi tenetur.

2784 Respondeo 2°, rursum negando antecedens, si pœnitens taliter adhæreat isti opinioni, faventi libertati contra legem, ut licèt Confessarius (ipso doctior) illum certiorem faciat de majore probabilitate sententiæ, faventis legi contra libertatem, deque

deque debilitate fundamentorum, quibus opinio pœnitentis nititur, eam nolit abjicere. Tunc enim bonâ & inculpatâ fide eam non sequitur. Quia oportet eum, qui bonâ & inculpatâ fide aliquam sequitur opinionem, faventem libertati contra legem, taliter esse dispositum, ut paratus sit praxim ipsius abjicere, si ipsi ostendatur falsitas, vel minor probabilitas istius opinionis, contrariamque esse magis, vel saltem æquè probabilem. Cùm tunc certa, vel propè certa sit obligatio sequendi tutiorem.

2785 Respondeo 3°. negando consequentiam. Quia etiam propositum non abstinendi ab aliquo, à quo pœnitens ex errore inculpato putat se non teneri abstinere, non est peccatum mortale. Non ideò tamen Confessarius, certò sciens ipsum errare, potest ipsum, in tali proposito persistentem, absolvere; sed instruere debet, monereque de errore; quem si monitus dimittere nolit, absolvi non potest. Similiter ergo, in casu priori, debet ipsum monere de minori probabilitate opinionis ipsius, quòdque probabilius peccaturus sit contra legem Dei, deceptus opinione minùs probabili, si eam in praxi sequatur. De quo monitus, si Confessario acquiescere nolit, mortaliter peccat; nec proinde potest absolvi. Enimverò cùm necesse sit, vel pœnitentem in talibus circumstantiis hîc & nunc conformare se judicio Confessarii (circa obligationem vel non obligationem restituendi, talem vel talem occasionem evitandi, &c.) vel Confessarium se conformare judicio pœnitentis: certum est reum Judici, subditumque Superiori potiùs se conformare debere, quàm Judicem reo, Superiorem subdito. Hoc enim postulat æquitas, & recta ratio, debitaque rei & subditi erga Judicem & Superiorem submissio. Maximè cùm Judex nequeat sibi persuadere justum, sententiam proferre juxta opinionem rei, dum eam judicat falsam; reus autem possit & debeat sibi persuadere justum, submittere judicium suum voluntatemque judicio & voluntati sui Superioris & Judicis, in iis quæ manifestè prava ex seipsis non conspiciuntur, uti communis est Sanctorum doctrina.

CAPUT CCLIV.

Explicatur prudentia, quâ pollere debet Confessarius.

2786 PRudentiam & discretionem (ut suprà dixi) in Confessario requirit Concilium Lateranense IV. can. 21. *Sacerdos* (inquit) *sit discretus & cautus, ut more periti Medici, superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.* Idcò S. Franciscus Salesius, in monitis ad Confessarios, ab iis exigit prudentiam Medicorum: cùm peccata sint animarum ægritudines & vulnera.

2787 Oportet ergo Confessarium prudentem esse 1°. in opinionum delectu, maximè hoc tempore, quo tanta est opinionum christianæ vitæ relaxativarum prurigo. 2°. in salutarium consiliorum suggestione. 3°. in convenientium remediorum applicatione. 4°. in pœnitentiarum injunctione. 5°. in pœnitentium examine, ut discernat, quibus absolutionem impendere, quibus negare, quibus debeat suspendere. 6°. in instructione errantium, maximè si culpabiliter errent, errorque sit ipsis causa peccati.

2788 Quod attinet ad pœnitentium examen, in eo *Confessor prudens esse debet* (ait S. Carolus Borromæus in Instruct. Confess.) *non interrogando nisi de peccatis pœnitentium statui convenientibus. Quod spectat ad carnis peccata, summam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, ut cùm peccati speciem, & circumstantias graviores audierit, à cæteris abstineat. Summâ prudentiâ mulieres, aut adolescentes interroget, ne eos, quod ignorant, doceat: iisque utatur verbis, pudorem minimè lædentibus; ne ex gestu, aut signo, de non ordinario, graviorique peccato pœnitentem confessum fuisse, aliquis suspicetur; nec verbis eum deterreat, ut in causa sit, cur aliud peccatum gravissimum prætermittat. Imò eum ad graviora, quæcumque sint, detegenda inducat.* Similiter S. Franciscus Salesius: *si videatis* (inquit) *pœnitentes pati difficultatem & verecundiam in manifestandis peccatis inhonestis, incipietis examen à levioribus, primùm interrogando an libenter audierint loqui de rebus inhonestis; deinde de cogitationibus; posteà de desideriis; deinde de actionibus. Quâ proportione conscientiam manifestabunt, ipsis adjicietis animos ad ampliorem manifestationem, his vel similibus verbis: quàm felix es, quòd benè confitearis! ne dubites magnâ Dei gratiâ hoc à te fieri. Video cor tuum à Spiritu sancto excitari ad hoc ut bonam facias confessionem. Macte animo, fili mi! dic confidenter peccata tua; ne timeas. Magnam protinus habebis satisfactionem, quòd benè confessus fueris, nec pro ullare mundi velles tam integrè non exonerasse conscientiam tuam. Magna tibi consolatio erit in hora exitûs tui, de hac humili confessione tua. Deus largam det benedictionem cordi tuo tam benè dispositio ad se accusandum*, &c.

Et ne, pretiosam absolutionis margaritam imprudenter dispensando, projiciat ante porcos, sacrilegiumque committat, *videat diligenter Sacerdos* (ait Rituale Romanum) *quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces.* Quia inter alias causas, quare mundus tot iniquitatibus sit repletus, hæc non videtur minima, quòd Confessiones tam facilè absolvant, quos sua conscientia & Deus ligatos tenent. Videat proinde quorum sincera & plena sit vel non sit conversio. Nec illis conversionibus fidat, ad quas vel nulla vel ferè nulla vitæ mutatio sequitur, post receptum absolutionis beneficium, sed vel in iisdem perseverant criminibus, vel si palbabilia non perpetrent crimina, manent semper æquè tepidi, & vacui affectu ad spiritualia & cœlestia, vacui etiam amore Dei in corde suo prædominante: sine quo prædominio esse nequit vera conversio; utpote quæ transitus est ab amore creaturæ prædominante ad amorem prædominantem Dei. Cujus prædominii ubi nulla apparent signa, consequenter non apparet conversio plena & sincera. 2789

Imò nec lachrymas pœnitentis semper credet sufficiens esse signum conversionis. Ut enim Petrus Blesensis: *si senseris in te.... affluentiam lachrymarum, non ideò te statim arbitreris Domino reconciliatum. Nec opinetur servus se esse filium, licèt quandoque pascatur pane filiorum.... Vera pœnitentia non in lachrymis momentaneis, aut horaria compunctione consistit.....* Est quidem *gratum Deo sacrificium lachrymarum, & pro omnibus delictis sufficiens holocaustum. Sed quibus? confitentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum*, &c. 2790

Ut autem meliùs discernere queat, quorum vera sit & sufficiens conversio, meminerit, nonnullorum peccatorum conversionem, sive ob subtractionem gratiarum, sive ob specialia vincula concupiscentiarum, offusasque intellectui ex concupiscentiis tenebras, magis difficilem esse, quàm aliorum. Ex gratiarum quippe subtractione tantò difficiliùs cæteris paribus peccatores convertuntur, quantò gravioribus & pluribus peccatis Deum offenderunt: ficut & illi, qui, post suam cum Deo 2791

reconciliationem, post gustatum donum cæleste, post expertam in se benignitatem Dei, in pristina crimina relabantur. Quia ut S. Thomas ait in 4. dist. 21. q. 1. a. 2. q. 3. *quanto fuerunt peccata dimissa graviora, tanto fuit beneficium remissionis majus. Et quanto fuit beneficium remissionis majus, tanto ingratitudo major* in recidivo. Tantò etiam major contemptus beneficii accepti. Et tantò major (ob utramque rationem) subtractio gra-
2792 riæ Dei. Ob quam difficilior fit conversio.

Ob specialia verò concupiscentiarum vincula, quæ certa concomitantur peccata, offusasque intellectui ex concupiscentiis tenebras, fit, quòd à peccatis externis sordidæ libidinis, saltem consummatis, peccator, maximè Sacerdos, vel Religiosus, difficiliùs convertatur, imò difficillimè, si in consuetudinem transierint, & in affectum cordis. Quantò verò major est difficultas conversionis, tantò majus periculum defectûs illius. Et *ubi est majus periculum, ibi est plenius consulen-*
2793 *dum*, cap. 3. de election. in 6.

Prudenter etiam animadvertat, quænam sint signa, quibus conversionem suam pœnitens manifestat, an non eadem, vel similia planè iis, quibus antè sæpiùs protestatus est, se ex corde proponere emendationem: cùm tamen nulla prorsus secuta fuerit. Si enim cum iisdem, vel similibus signis redeat, nec alia specialiora, seu extraordinaria secum adferat, Confessarius probabiliter conjiciet, quòd idem, manens idem, faciet idem, id est, quòd imposterum se non magis emendabit, quàm hactenus emendaverit. Cùm tories eadem, vel similes protestationes in vanum fecerit, & similium protestationum simile sit judicium, atque *ex præteritis* (ut S. Thomas ait) *oporteat nos argumentum sumere de futuris*. Nam ut D. Hieronymus ait super Oseæ c. 8. *ex priùs datis & neglectis apparet quòd has negliget*. Canonizatur caput *scribam eis* lib. 2. Decretal. tit. 23. de præsumpt. Atque ut D. Gregorius ait epist. 4. Registri, *ex transacta in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua præsumamus*. Canonizatur ibidem cap. *mandata*. Tunc proinde Confessarius prudenter dubitabit de firmo emendationis proposito, sequeturque monitum Gasparis Loartii, pietate & doctrinâ S. Carolo Borromæo chari, in Instruct. Confess. *si* (inquit) *Confessarius de pœnitentis dispositione dubitaverit, scilicet an contritionem habeat sufficientem, vel firmum non ampliùs delinquendi propositum, in tali casu debebit Confessarius illi præcipere, ut aliquantisper orationi se dedat, cum pollicitatione, se quoque pro illo oraturum; utque hoc pacto ad se revertatur. Quòd si Confessario tunc in pœnitentis dispo-*
sitione complacitum fuerit, absolvet eum. Sin aliter, nequaquam; sed, uti dictum est, utetur suspensione.

CAPUT CCLV.

Prudentia Confessarii in monitione errantium.

2794 IN hoc etiam prudenter se gerere debet Confessarius. Tametsi enim certum sit, quòd (in quantum Doctor pœnitentium) ipsos instruere debeat de suo errore, quando ipsis causa est quòd peccent, ut dum putant esse peccatum, quod non est; sicut & dum ex errore vel ignorantia culpabi-
li versantur in malo statu, v. g. matrimonii invalidi. Si enim Confessarius dissimulet, deest officio Doctoris. Et si dissimulando absolvat, absolvit indignum, utique versantem culpabiliter in malo statu.

2795 Etiamsi tamen pœnitens in malo ejusmodi statu versaretur bonâ fide, inculpatè ignorans matrimonii sui invaliditatem, prudentiâ adhuc opus esset, ut tunc instrueretur, moneretur que de errore. Nec omittenda est monitio, dum ex monitione fructus speratur; & si pro nunc non videatur ad faciendum fructum satis dispositus, sed speretur in futurum meliùs disponendus; tantisper monitio differatur, utique ad tempus quo speratur fructum habitura.

Sed quid, si Confessarius absolutè non speret 2796
fructum, sed prævideat in malo illo statu, malâ fide perseveraturum, in quo bonâ fide, id est nullâ suspicione, vel dubio interturbatâ, nunc esse supponitur? Aliquorum Theologorum sententia est, Confessarium dissimulare debere, ipsumque in bona sua fide relinquere; ne posteà formaliter & scienter peccet, qui priùs solùm materialiter & ignoranter peccabat. Et ratio ipsorum est, 1°. quia præceptum correctionis fraternæ non obligat, cùm nullus fructus speratur, prout docet S. Thomas post S. Augustinum relatum cap. *siquis autem* de pœnit. dist. 7. *si scirem non tibi prodesse, non te monerem*. 2°. quia monitio tunc esset nociva, & laqueus seu causa scandali, id est formalis peccati. At nullus debemus laqueum injicere, cap. *siquis autem* de pœnit. dist. 7. 3°. quia Innocentius III. cap. *quia circa* de consanguin. & affinit. *dissimulare poteris* (inquit) *ut remaneant in copula sic contracta: cùm ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere.*

Hoc etiam plerique censent locum habere an- 2797
te contractum matrimonium, ita ut si Confessarius animadvertat, pœnitentem, bonâ fide nunc ignorantem impedimentum, de eo admonitum, adhuc equidem contracturum, nec Confessarii monitis acquieturum, possit & debeat ipsum in suo errore, seu ignorantia relinquere.

Sed hoc posterius meritò rejicitur. Si enim 2798
nullus tunc speretur fructus, hoc provenit ex prava dispositione & malitia pœnitentis. Ob eandem quoque rationem Thyrsus Gonzales (Generalis Societatis) in fine libri de recto usu opinionum probabilium, in simili meritò etiam rejicit illud prius. Quia Confessarius non habet rationabile fundamentum prævidendi, seu judicandi, nullum fore fructum admonitionis suæ, nisi rationabiliter judicet, ipsum ob humanas aliquas considerationes ita addictum illi statui, materialiter malo, ut quamvis admoneatur de obligatione illum dimittendi, non sit dimissurus; imò scienter & volenter in eo contra Dei legem permansurus. Si autem rationabiliter judicet ipsum taliter addictum isti statui, judicat ipsum non esse rectè dispositum ad absolutionem. Quia judicat ipsum animo sic dispositum & affectum, ut paratus sit potiùs Deum offendere, quàm statum illum dimittere. Ergo judicat ipsum (actu, vel virtute) vel saltem habitu esse in mortali peccato: utpote non amantem Deum super omnia, nec habentem legem Dei in corde suo, nec habentem virtualem, imò nec habitualem voluntatem subeundi potiùs quævis mala hujus vitæ, quàm committendi peccatum mortale. Ergo judicat ipsum indispositum ad absolutionem.

Nec obstant rationes allegatæ in contrarium. 2799
Non prima: quia licèt is qui solùm ex communi lege charitatis, & fraternæ correctionis, tenetur proximum instruere, vel qui ad id aliunde tenetur, quàm ex officio Confessarii, potiùs dissimulare debeat, quando prævidet ex monitione sua secuturum potiùs scandalum, quàm fructum: alia ratio est de Confessario, qui prohibetur absolutionem impendere indignò & indisposito. Quales sunt omnes, qui de veritate scandalum sumunt, nec volunt intelligere ut benè agant. Debet ergo Confessarius (in dicto casu) monere pœnitentem de errore suo, & obligatione procurandi dispensationem, si obtineri possit, seque etiam ad eam procurandam offerre. Quod si pœnitens nolit, debet ipsum admonere de obligatio-

ne dimittendi statum illum, & cohabitationem, nisi maliut continentiam vovere, simulque vivere tanquam frater & soror. Si pœnitens audire & obedire nolit, debet ipsius duritiem increpare, inabsolutumque dimittere. Illud autem quod velut ex Augustino lib. 50. homiliar. homil. 41. dicitur cap. *siquis autem* non habetur in Augustino, ut videbit quisquis ibi Augustinum legerit. Agit enim de pœnitente in extremis. Cui dicit absolutionem non negandam. Quia certum non est non profuturam. Nam (inquit) *si scirem* certò *nihil tibi prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse* (hîc ergo non habet, *non tibi prodesse*) *non te admonerem, non te terrerem*, id est tot argumentis non exaggerarem pericula dilatæ ad extremum pœnitentiæ. Quod profectò nihil ad rem facit. Et ut ad rem faceret, & id Augustinus haberet, quod ex ipso profertur citato canone, solùm probaret, neminem ex præcisa lege charitatis teneri ad fraternam correctionem faciendam, quando scit non profuturam.

2800 Non obstat etiam secunda ratio, quia tunc non est monitio Confessarii, quæ injicit laqueum, vel causat nocumentum & scandalum, sed sola malitia & prava dispositio pœnitentis, de veritate scandalum, laqueum, & nocumentum accipientis, & nolentis intelligere, ut benè agat.

2801 Nec tertia ratio obstat. Quia Innocentius III. ibi non loquitur de Confessario, in ordine ad absolutionem impartiendam in foro interno; sed de Episcopo, vel Parocho, instruens quomodò se gerere possit & debeat in foro externo.

2802 Confirmantur hæc omnia, quia nisi vera essent quæ dixi, sequeretur Confessarium non debere monere de errore pœnitentem, quem videret bonâ fide procedere, & per errorem sequi ut veram, opinionem falsam & improbabilem, quæ v. g. dicit, ipsum non teneri restituere quod ultra sortem exegit tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solùm quod exegit tamquam ex justitia debitum. Virum equestrem, ad duellum provocatum, posse illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat. Esse licitum occidere calumniatorem, falsum accusatorem, &c. quando alius non suppetit modus evitandi damnum ab ipsis illatum. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, posse Judicem pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. Posse Judicem judicare juxta opinionem minùs probabilem. Concubinatium posse retinere concubinam, nimis utilem ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*. Licitum esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere, pro eo quòd se obligat ad non repetendum usque ad certum tempus. De fide interrogatum à potestate publica, posse tacere. Esse licitum procurare abortum, ante animationem fœtûs, ne puella diffametur. Non esse mortale, detrahentis authoritatem, sibi noxiam, falso crimine elidere, seu imponere falsum crimen alteri, ut suam justitiam & honorem defendat. Proximam occasionem peccandi non esse fugiendam, quando causa utilis aut honesta non fugiendi occurrit, &c. Sequeretur (inquam) de errore circa hæc monendum non esse pœnitentem, bonâ fide ista credentem, & eâdem fide practicantem, dum ex monitione fructus non speraretur; sed in sua bona fide & errore relinquendum, ne monitus scienter peccaret, qui alias solùm ignoranter peccabat, solùmque materialiter (in sententia circa hæc inculpatam admittente ignorantiam, in iis qui opiniones illas nesciunt esse condemnatas) posseque versantem in ea animi dispositione, ut monitus non desisteret, sed formaliter & scienter peccaret, nihilominùs absolvi, atque ad absolutionem dispositum judicari. Cùm tamen certissimè non sit immunis à culpa, utpote creaturam, non Deum amans amore prædominante, nec habens legem Dei, sed contrarium illi affectum in medio cordis sui. Quæ etiam ratio procedit in casu nostro, ostenditque prorsùs repudiandam esse opinionem Gobati de Sacram. tr. 7. n. 316. aientis Confessarium non debere monere pœnitentem de malitia mollitiei, cui ex invincibili (ut loquitur) ignorantia est obnoxius, si omninò putet, non obstante monitione, scelus nihilo rariùs patraturum. Et idem n. 318. dicit de eo qui ignorat esse mortale, rem falsam, vel levem confirmare juramento. Ista verò perabsurda esse, quis non videt?

CAPUT CCLVI.

Prudentia Confessarii in ordine ad pueros sibi confitentes.

PRudentia hac in re ideò necessaria est, quia 2803
alioqui frequens periculum est, vel dimittendi sine absolutione non dimittendos, vel absolvendi indispositos seu incapaces ex defectu rationis, seu judicii requisiti ad fidem, & dolorem supernaturalem, propositum, notitiam peccati, &c. ita ut etiam viri docti in his discernendis non modicam difficultatem & scrupulum non rarò patiantur.

Igitur de capacitate puerorum ac puellarum 2804
Confessarius judicare non debet ex sola ætate, ex eo utique quòd septennium exegerint. Tametsi enim rationis usus in permultis tunc contingat, jusque præsumat rationis usum expleto septennio cap. *litteras*, & cap. *accessit* de desponsi. impuber. In plerisque tamen, maximè rusticis, seriùs accidere, experientia docet; Victoriaque & Corduba apud Salas de legib. q. 96. tr. 414. disp. 1. sect. 13. tradunt, discretionem ad peccandum mortaliter evenire communiter femellis anno octavo & nono; masculis decimo vel undecimo. S. Antoninus 2. p. Summ. tit. 9. v. 8. §. 2. & apud ipsum Ancharanus, pueros & puellas non esse constitutos in annis discretionis, *antequam magis appropinquent pubertati, quàm præteritæ infantiæ; quod contingit in masculo, quando habet decem annos, & dimidium, & aliquantulum ultrà; in femina autem, quando habet novem annos, & dimidium, & ultrà aliquantulum.* Gobat de Sacram. tr. 4. n. 126. puellas in Germania non videri communiter doli seu peccati mortalis capaces ante expletum octennium, pueros ante expletum novennium. Quod & propriâ, & plurium aliorum experientiâ se didicisse testatur, tametsi addat quòd loquendo de solis pueris & puellis cultiorum civitatum, fortè æquè multi & multæ sapiunt paulò ante dictam ætatem, quàm posteà. Diligenter ergo Confessarius, præter ætatem, examinabit ingenii & educationis qualitatem, ex qua constat multos post illam ætatem, alios ante, peccati mortalis capaces fuisse, ut notum est in puero illo quinquenni (apud S. Gregorium) in blasphemiis mortuo & damnato. Observabit etiam vultum & gestus puerorum, utrùm modestè & devotè se gerant in confessione, an ridiculè, v. g. nugando cum cratibus, cum pileo, cum rosario, &c. facietque interrogationes, ex quarum responsis intelligere possit, utrùm discernant bonum à malo? utrùm sciant quid eventurum sit malè agentibus, & quid benè? utrùm habeant timorem Dei, affectumque ipsi serviendi? utrùm pudefiant de mendacio, de aliqua impudicitia commissa, & similibus? Proderit etiam interrogare, cur venerint ad confessionem, nec desistere, donec dicant se credere quòd qui nolunt confiteri peccata sua, damnantur; qui confitentur, cælo donantur. Postquam autem Confessarius, consideratis considerandis, judicaverit puerum verè & deliberatè pec-

cassè in eo quod confitetur, examinandus erit, imò verò juvandus ad eliciendum verum actum fidei, & doloris supernaturalis, generaliter quærendo, v. g. utrùm putet Deum posse mentiri? & quid si Deus ipsi diceret se solùm habere quatuor digitos, quid tunc crederet? Deinde descendat ad particularem actum fidei, v. g. an credat quòd Christus mortuus sit pro peccatis nostris? Quid si Turca diceret, *demetam tibi caput, nisi dicas quòd Deus mentitus sit, quando dixit quòd Christus mortuus sit pro nobis*? Denique ab actu fidei transibit ad actum spei, & doloris, examinans an doleat ex solo motivo humano, quia à patre vapulabit, an quia Deum offendit, vel quia peccatum est contra Deum, &c. Ut enim sapienter observat Layman l. 5. tr. 6. c. 5. n. 7. sunt non pauci à natura adeò vagi, & malè educati, ut licèt satis dispositi fuerint ad peccandum, non sint tamen satis dispositi ad dolendum ut oportet: nec aliquando satis hîc & nunc disponi à Confessario possint. Quo casu Confessarius eos non terreat increpando, sed aliquam orationem, pœnitentiæ loco ipsis imponat, deinde cum benedictione dimittat. Expedit enim pueros, etiam absolutionis nondum capaces, benignè audire, ut paulatim instruantur, & confessioni assuescant. Quandocumque omnibus consideratis de pueri capacitate dubium supereſt, non absolvantur, sed cum benedictione, & impositâ precatione dimittantur, si solùm confessi sint venialia. Si aliquod de se mortale confessi sint, vel sub conditione absolvantur, *si capax es*, &c. si probabilis sit dispositio ipsius; vel si parum verisimile sit quòd eliciant actum fidei, & doloris supernaturalis, idcòque ob incapacitatem non absolvantur, de hoc ipso suaviter monendi sunt, ut cum meliori dispositione redeant ad confessionem. Ita Layman loco citato. Vide suprà cap. 220.

CAPUT CCLVII.

Prudentia Confessarii in ordine ad rudes, fidei mysteria ignorantes.

2805 CErtum est rudes homines, ignorantes necessaria ad fructuosam perceptionem hujus Sacramenti, ante omnia edocendos à Confessario, uti proximè diximus de pueris. Et siqui sint adeò hebetes, ut nullo modo intelligere possint rem significatam his verbis: *Deus est trinus & unus, secunda persona SS. Trinitatis est incarnata*, &c. licèt voces istas memoriâ teneant, non magis esse capaces absolutionis, quàm pueros ante usum rationis, ista memoriter recitantes, sed non intelligentes. Quamdiù enim non magis intelligunt quàm pueri isti, non magis credunt fide supernaturali, quàm ipsi. Absolutionis verò capax non est qui illa non credit. Cùm improbabile sit, explicitam & distinctam fidem Trinitatis & Incarnationis non esse necessariam necessitate medii, quidquid dixerit Gobat tr. 7. n. 311. posse absolvi qui ignorant duos istos articulos, modò promittant se daturos operam, ut discant primo quoque tempore. Hoc est enim, quod Innocentius XI. damnavit propos. 64. *absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis D. N. Jesu Christi.*

2806 Quòd si mysteria illa ignorantes provectæ sint ætatis, non est facilè præsumendum quòd ea non ignorent per negligentiam graviter culpabilem. Cùm utplurimùm de illis instrui potuissent, nisi crassa eorum negligentia intercessisset. Eò quòd toti terrestres vix cogitaverint & solliciti fuerint de concernentibus animæ salutem, sed de solis ferè corporalibus & temporalibus. Prudens proinde Confessarius parum fidet præcedentibus confessionibus ipsorum, nec facilè præsumet ipsos habuisse dispositionem sufficientem ad absolutionem peccatorum anteà confessorum, sufficientem utique eorum detestationem, negligentiæque vel ignorantiæ graviter culpabilis, in qua fuerunt.

Et quia rarò fit quòd brevissimo tempore suf- 2807
ficienter instruantur & disponantur, & experientia docet tales ne post multum quidem tempus de credendis sufficienter instrui posse; parumque credibile est negligentibus suam salutem à Deo dari gratiam quâ eor ipsorum subitò plenè immutetur, concipiatque sufficientem detestationem negligentiæ suæ, aliorumque præcedentium peccatorum. Ideò Confessarius prudenter ipsis differet absolutionem, ut intereà de credendis sufficienter instrui, necessariaque ad bonam confessionem, plenamque conversionem à Deo obtinere possint. Maximè cùm aliogui periculum non leve sit, quòd absoluti ob suam rusticitatem in pristinam relabantur negligentiam.

Nec refert si dicant, se aliquando mysteria illa 2808
scivisse & credidisse, sed posteà oblitos fuisse. Quia Innocentius XI. etiam damnavit hanc propositionem 65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.* Et meritò: quia mysteriorum illorum fides totam Christianam vitam dirigere debet. Quia finis ultimus Christianorum, Trinitas est; via ad finem ultimum, Christus. Tota autem vita Christianorum debet ad finem ultimum tendere per viam, quæ est Christus. Estque ad omnes errores dispositus, ob ignorantiam principalium mysteriorum fidei, nec fidem in baptismo susceptam exercere potest, qui Christum & Trinitatem ignorat.

CAPUT CCLVIII.

Prudentia Confessarii in ordine ad hæreticos, ad Ecclesiam redeuntes.

IMprimis cavebit temerè ipsos ad Sacramenta 2809
suscipere; sed priùs videbit, an sincero animo redeant, suamque hæresim seriò detestentur. Cùm (experientiâ teste) plerique ex ipsis fictè redeant & pœniteant, non ex motivo divino, sed humano, spe utique alimentorum, vel alicujus adjutorii humani. In cujus signum, sublatâ eâ spe, ad vomitum redeunt.

Probabit ergo spiritus, an ex Deo sint, an ex 2810
mundo. Quòd si ex Deo, habitâ debitâ facultate, ipsos instruet, & ad seriam pœnitentiam disponet. Cùmque ad confessionem admittet, ante omnia scire debebit in qua fuerint hæresi; cùm diversas hæreses diversa concomitentur peccata. Intellectâ verò hæresi, necesse non erit interrogare de peccatis ordinariis istius hæresis (v. g. quòd non audierint Sacrum, non jejunaverint diebus præscriptis, &c.) utpote quæ satis intelliguntur, dum de hæresi se accusant. Interrogabit tamen de iis quæ tali hæresi ordinaria non sunt, & de tempore, quo in hæresi permanserunt.

Denique exposito singulari Dei beneficio, quo 2811
fidei donum acceperunt, ipsos ad gratitudinem excitabit, ipsisque hæreticorum contortia interdicet, præsertim initio conversionis, dum fides adhuc in ipsis tenella, pristinæque dispositionis radices necdum penitùs sunt avulsæ.

CAPUT CCLIX.

Prudentia Confessarii in ordine ad recidivos & consuetudinarios.

DE iis sufficienter egimus in superioribus, ubi 2812
& duplicis generis recidivos distinximus. Alii namque tales sunt ex malitia; alii ex fragilitate: & cum istis mitiùs agendum diximus, quàm cumillis. Ut autem Confessarius ipsos à recidiva deter-

reat, prudenter ipsos edocebit momentosas hasce veritates. 1°. quòd quâ mensurâ numerum augent peccatorum suorum, eâdem augeant difficultatem salutis suæ, periculumque proinde suæ damnationis. 2°. quòd pravi habitus majores & majores quotidie vires acquirant, pro majori & majori multiplicatione actuum. 3°. quòd per consequens intellectus magis & magis obtenebrescat. 4°. quòd voluntas magis & magis debilitetur, magisque & magis corrumpatur. 5°. quòd gratiarum auxilia magis magisque subtrahantur. 6°. quòd validius & validius efficiatur dæmonis in peccatorem imperium, major & major audacia, major & major vis ad tentandum: quo fit ut peccator utplurimùm ac ferè semper absque resistentia cedat tentationi. 7°. quòd ex frequenti iteratione nascatur consuetudo, ex consuetudine (juxta Augustinum id in semetipso expertum) necessitas, ex necessitate dura peccati servitus, à qua peccator non, cùm voluerit, exit: ut enim S. Gregorius ait lib. 11. Moral. c. 5. *sæpè nonnulli à pravis actibus exire cupiunt; sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt.* Quæ omnia simul sumpta demonstrant æternam damnationem ipsis certò moraliter imminere, nisi citiùs catenam abrumpant, gratiamque magnam ad id à Deo impetrent, quæ nonnisi magnis gemitibus, & piis operibus implorata descendit.

2813 Ex his apparet valdè difficulter exui affectum peccandi, consuetudine firmatum, & maximè inveteratum, ita ut mirum non sit eum ordinariè plenè non exui tempore brevissimo, prout ex Scripturis & Patribus ostensum est cap.... Tales proinde Confessarius statim non absolvet, nisi, vel ex emendatione, vel ex aliis signis extraordinariis, diligentique ad gratiam impetrandam præparatione sibi moraliter constiterit ipsos esse dispositos. Aliàs Confessarius rationabilem habet causam dubitandi, num ad absolutionem sint sufficienter dispositi. Imò, ob rationes proximè deductas, sine signis extraordinariis rarò affulget spes emendationis ipsorum. Sine qua absolvendi non sunt: cùm Innocentius XI. damnaverit hanc propositionem: *pœnitenti, habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, vel Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferant se dolere, & proponere emendationem.* Vide dicta cap....

CAPUT CCLX.

Prudentia Confessarii in ordine ad discernendas occasiones, relapsis sub mortali vitandas.

2814 Hic maximè prudentia Sacerdotis exquiritur. Si enim hîc sequatur opinionum humanarum luxuriam, sequetur tenebras pro luce, nec peccatores diriget in portum salutis, sed allidet in scopulos pernicioſæ laxitatis. Sunt enim quædam hac de re humanæ opiniones, à sacris Litteris, & Sanctorum Traditione abhorrentes, quas si fideles practicare permittantur, ingens irreptura est vitæ Christianæ corruptela; viaque salutis, quam suprema Veritas, Deus, arctam esse definivit, in animarum perniciem non solùm dilatabitur, sed verius pervertetur. Videat prudens Confessarius, an non talis sit opinio Caramuelis in Theol. Regul. disp. 40. n. 1056. & Gobat tr. 7. n. 526. asentium sub mortali non fugendas occasiones relabendi in mortale peccatum, nisi tales fuerint, in quibus peccator constitutus, non solùm probabiliter, sed certò moraliter relabetur. Quando enim solùm est probabile te succubiturum tentationi (inquit Gobat) certè etiam probabile est te non succubiturum. Atqui, sicut in pluribus aliis materiis fas tibi est ex utralibet sententiarum speculativè probabilium deducere practicam conclusionem tibi gratam: ita licebit hîc ita argumentari. Occurrunt mihi graves rationes, ob quas vir prudens sapienter judicare potest, me lapsurum in novum crimen mortale, si accessero hanc domum. Vice versâ sunt aliæ rationes, etiam graves, ob quas alius æquè prudens pronuntiaret me non lapsurum. Ergo possum, sine nota temeritatis, & imprudentiæ, me committere illi occasioni (certò non commissurus, si liquidò scirem me in illa admissurum istud grave peccatum) adeòque fas est, per se loquendo, committere se periculo probabili peccandi mortaliter.

Unde (pergit Gobat n. 527.) Confessarius 2815
non judicabit illum suum pœnitentem esse in occasione proxima se inebriandi, aut peccatum turpitudinis, occasione pravæ societatis, patrandi, qui, tentatus decies, acquievit solùm bis tervè. Secùs si bis tervè superior evasisset, succubuisset autem septies vel octies. Ergo illi priori, nolenti recedere ab occasione, non negabit absolutionem. Plus audet Caramuel (apud Dianam p. 7. tr. 11. resol. 29.) & plus revera sequitur ex pseudo-principio Gobatii. Si enim fugienda sub mortali solum sit occasio, in qua moraliter certò peccabis mortaliter de novo, non in qua solùm probabiliter; & si periculum probabile non sit occasio proxima, sed solùm periculum moraliter certum; si denique ubi utrimque probabilitas, liceat hîc, uti in pluribus aliis materiis, sequi quamlibet malueris ex duabus oppositis: licet ergo hîc, sicut in illis aliis, sequi minùs probabilem, tibi gratam. Hoc est quod Caramuel asserit ibidem. Verba ipsius to. 1. protuli, nec gravabor hîc repetere, ad incutiendum novum horrorem propudiosæ laxitatis.

Primò periculum, ut censeatur proximum, " 2816
debet esse evidens, physicè aut moraliter. Si "
enim tantùm sit probabile, periculum morale "
non est. Nam probabiliter etiam certere poteris, periculum nullum subesse. Rationes evidentes assensum prædeterminant. Si sint probabiles, mentem non cogunt; sed opinio eligenda committitur optioni eligentis. "

Si iveris ad talem domum decies; & quin- " 2817
quies peccaveris, & quinquies non peccaveris: "
est probabile, si revertaris, te peccaturum esse; "
& æquè probabile, te non peccaturum. Ergo "
non est periculum proximum. "

Si octies iveris; & septies peccaveris, & se- "
mel non peccaveris: est probabilius te peccaturum esse; est tamen probabile te non peccaturum esse. Ratio est quia octava pars est gravis; & dat gravem authoritatem, facitque opinionem probabilem. "

Si novies iveris, & octies fueris lapsus, scias " 2818
te exponi periculo proximo. Quia nona pars "
non est gravis authoritatis. Et ideò improbabile "
est, te, datâ occasione, non succubiturum. Ac "
per consequens est moraliter evidens, hoc est "
certum, te peccaturum. Ergo est periculum "
proximum. " Hactenus Caramuel.

Sed quis Christianus non exhorrescat ad tantam 2819
laxitatem? quis non rejiciat exoticam novitatem? Novitatem voco. Non sic enim Antiqui, qui non solam illam occasionem sub mortali vitandam censuerunt, ex qua moraliter certò; sed & illam, ex qua verisimiliter seu probabiliter quis pertrahendus sit in peccatum, prout ostendi to. 1. lib. 10. p. 1. cap. 28.

Exoticam autem novitatem ideò voco, quia 2820
extranea est ab Evangelicis regulis, sanctorumque Patrum, & Ecclesiæ doctrina, prout ibidem demonstravi. Et quomodò esse potest actio digna Christiano, ponere se in æquilibrio lapsûs vel non lapsûs in mortale peccatum, sive in occasione in

qua æquè probabiliter lapsurus sis quàm non lapsurus: cùm Christianus seu Christi discipulus esse non possit, si *non oderit patrem & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam*, id est si suus ad charissima ista omnia affectus non sit usque adeò submissus Christo, spirituique gratiæ ipsius, ut semper paratus sit hæc omnia potiùs deserere, quàm Dei gratiam & amorem abjicere? Cùm etiam Christianus jubeatur abscindere & projicere à se charissima, utilissima, & necessaria quæque, etiam dextrum oculum, dextram manum, dextrum pedem, si sibi sit occasio scandali, seu mortalis peccati?

2821 Si ponere se in occasione, in qua æquè probabiliter lapsurus sis, quàm non lapsurus, esse nequit actio digna Christiano; quantò minùs ponere se in occasione, in qua probabiliùs lapsurus sis, quàm non lapsurus? Quid ergo dicendum de eo qui ex octo vicibus, quibus in tali occasione fuit, septies cecidit, & semel tantùm non cecidit? Profectò si probabile sit ipsum non lapsurum, casu quo ad eam redeat occationem, probabilitas ista tam tenuis est, ut eam non liceat sequi, postquam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 3. *generatim, dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Et verò si ex decem vicibus cadere novies, & semel non cadere, est periculum certum, secundùm Caramuelem, parum omninò distat, ex octo vicibus cadere septies, & non cadere semel. Si ergo unum periculum est certum; alterum certitudini proximum.

2822 Abjectis igitur monstrosis opinionibus istis, dicendum probabile periculum sufficere ad occasionem moralem sub mortali vitandam, nec proinde ad hoc requiri quòd occasio sit talis, in qua moraliter certò sis lapsurus. Imò neque quòd in ea semper, vel ferè semper, vel frequentiùs sis lapsurus de novo. Sufficit enim probabile esse, quòd in ea lapsurus sis. Ita cum Antiquis Tannerus to. 4. disput. 6. q. 9. n. 106. Julius Mercorus in Basi Theol. Moral. 3. p. a. 24. Qui sapienter observat, periculum peccandi non esse commensurandum tantùm ab experientia; quia (exempli gratiâ) decies quis accessit ad domum aliquam, & in ea quinquies peccavit. Sunt enim attendendæ etiam aliæ circumstantiæ, scilicet temporis, occasionis, dispositionis animæ & corporis, hîc & nunc occurrentes. Contingit enim te primis quinque vicibus non peccavisse: quia mulier nondum erat disposita, ita ut decem fortè vicibus peccavisses, si toties dispositam invenisses. Ideò si rursùm accedas, tamò probabilius est te denuò peccaturum, quantò facilius fit quòd post perditum jam quater vel quinquies pudorem, jam minùs ipsam pudeat denuò consentire. Contingit etiam te peccavisse, dum solus accessisti; tunc verò non peccasse, dum cum socio.

2823 Omnes ergo circumstantiæ pensandæ sunt, quibus perpensis, si probabile sit te peccaturum, quamvis etiam probabile sit te non peccaturum, procul dubio peccas, si ad illam occasionem redeas. Nam sicut procul dubio peccat, qui vult probabile periculum damni corporalis proximi sui; sic à fortiori procul dubio peccat, qui vult probabile periculum damni spiritualis animæ suæ. Quemadmodùm enim vis eo ipso injuriam proximi tui, quo vis probabile periculum illius, faciendo aliquid ex quo scivisti, vel scire debuisti injuriam verosimiliter, id est probabiliter secuturam, uti declarat Gregorius IX. cap. *si culpa* de injur. & damn. dat. *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere.* Quemadmodùm etiam parentes eo ipso velle censentur suffocationem teneelli infantis sui, quo volunt probabile periculum illius, ponendo cum in uno secum lecto (uti declarat Stephanus V. cap. *consuluisti* 2. q. 4.) licèt ex illo facto solùm probabile sit periculum istius suffocationis. Sic eo ipso vis fornicationem, pollutionem, adulterium, &c. quo vis probabile periculum illius. Denique sicut tenemur evitare probabile periculum inferendi mortem, vel aliud mortale damnum corporale proximo; sic tenemur evitare probabile periculum inferendi mortem spiritualem animæ nostræ per mortale peccatum.

Dicat jam Caramuel, dicat quisquis propugnare audet parùm Christianam opinionem ipsius, si parentes experti sunt se decies collocasse teneellos infantes suos in uno secum lecto, & quinquies fuisse, quinquies non fuisse suffocatos, an non certissimè peccent, si probabili illi periculo rursus eos exponant? Ipsos velut infanticidas haud dubiè damnaret Ecclesia. Igitur non solùm tenemur evitare periculum certum damni corporalis, vel spiritualis, sed & probabile. Quare enim peccat qui se exponit probabili periculo inferendi mortem infanti suo? quia eo ipso censetur interpretativè velle mortem ipsius, quo ipsius inferendæ probabili periculo se exponit. Sicut ergo exponens se probabili periculo inferendi mortem corporalem infanti suo, ideò certissimè peccat, quia eo ipso censetur interpretativè velle ipsi inferre mortem corporalem: sic certissimè peccat exponens se probabili periculo inferendi mortem spiritualem animæ suæ, quia eo ipso censetur interpretativè velle ipsi mortem spiritualem inferre. 2824

Nihil proinde certius, quàm illam etiam occasionem sub mortali vitandam, quæ non sæpius, nec æquè sæpè nos in mortale peccatum inducit, quàm non inducat. Idque videbit quisquis attentâ mente consideraverit, quid omnes sentiant de periculo inferendi mortem corporalem, an tunc solùm sub mortali vitanda sit, dum sæpiùs vel æquè sæpè ex tali periculo sequitur mors corporalis, quàm non sequatur? Sic enim ratiocinari nos oportet de periculo inferendi mortem spiritualem animæ nostræ, sicut omnes ratiocinantur de periculo inferendi mortem corporalem proximo nostro. Cùm minorem habere non debeamus sollicitudinem vitandi mortem spiritualem animæ nostræ, quàm vitandi mortem corporalem proximi nostri, juxta Augustinum serm. 102. de temp. ubi reddens rationem, quare projectus fuerit in tenebras exteriores, qui regali cœnæ interfuit absque veste nuptiali: *ecce* (inquit) *quam sententiam acceptura sunt, qui majorem de corpore, quàm de anima sollicitudinem gerunt.* Atqui omnes Theologi, etiam laxiora sectantes, fatentur sub mortali vitandum probabile periculum inferendi mortem corporalem proximo, etiam dum periculum istud est minùs probabile, ita ut ex decem vicibus semel aut bis dumtaxat sequatur mors ipsius (uti constat in allato casu infanticidii) idem ergo fatendum de morte spirituali, probabilique illius periculo. 2825

Nec dicas cum Stephano nostro à S. Paulo, mortem corporalem proximi, dum semel incurritur, esse irreparabilem; spiritualem verò animæ mortem reparari posse per pœnitentiam. Tum quia hæc reparabilis non est humanis viribus, sed solâ speciali Dei gratiâ & misericordiâ, quam qui sibi promittit, dum probabili periculo mortalis peccati temerè se exponit, de misericordia Dei præsumit. Quod peccatum, utpote in Spiritum sanctum, irremissibile Christus dicit in Evangelio, id est valdè difficulter remissibile reparabileque. Tum quia probabile periculum mortis spiritualis 2826

animæ, licèt per gratiam reparabilis, majus malum est, magis proinde fugiendum, quàm probabile periculum mortis corporalis, licèt irreparabilis: quemadmodùm certum periculum mortis spiritualis per pœnitentiam reparabilis, majus malum est, magisque fugiendum, quàm certum periculum mortis corporalis irreparabilis, prout constat ex eo quòd certam mortem corporalem, imò mille mortes corporales subire teneamur, potiùs quàm vel semel spiritualem animæ mortem peccando incurrere.

2827 Nec dicas 2°. esse in potestate voluntatis, in occasione proxima peccati existentis, non peccare; non esse verò in potestate parentum v. g. existentium in occasione proxima suffocandi tenellum infantem, in eodem secum lecto positum; non suffocare illum, dum super illum dormiendo jacent. Quia neque hæc responsio admodùm christiana est, dum sic ponit esse in potestate voluntatis, in proxima peccandi occasione seipsam constituentis, non peccare, seu non consentire tentationi & occasioni, quasi ad non peccandum, seu non consentiendum, in tali tentatione & occasione, necessaria non sit gratia Dei efficax. Quam sibi temerè & præsumptuosè promitteret, qui talem occasionem vitare non vult, cùm potest. Cùm scriptum sit: *qui amat periculum, peribit in illo.* Denique sic est in potestate voluntatis, in dicto casu, non peccare, seu non consentire tentationi, ut morale periculum sit, ne fiat de nolente volens, & de non consentiente consentiens, etiamsi jam resolvat & protestetur se nolle peccare. Si autem regula sit generalis prudentiæ, & charitatis, è duobus malis occurrentibus eligendum minus, si utrumque caveri non possit: multò magis è duabus partibus, ex quarum una imminet morale periculum consentiendi in mortem animæ suæ; ex altera nullum; eligendam partem, quæ periculo caret. Probabile autem periculum est consentiendi in mortem animæ tuæ, si talem adeas occasionem; nullum periculum, si eam fugias (nec enim adire teneris, ut suppono) igitur ex regula prudentiæ & charitatis, eam fugere teneris. Et si hoc negas, notissimas prudentiæ & moralis christianæ regulas negas. Quare non tam ratione quàm sensu tecum agendum.

2828 Inquiro ergo à te, an te exponeres viæ, quam scires à latronibus vel leonibus adeò infestari, ut ex decem hominibus eam ingressis, solùm quatuor vel quinque lacerati fuissent, atque in frusta concisi? an (inquam) ei te exponeres, si posses non exponere? utique si tale periculum, etsi solùm probabile, contemneres, ab omnibus imprudens, & temerarius, mortemque tuam interpretativè volens censereris; ac proinde eo ipso peccare. Cur ergo non censeberis magis imprudens, & temerarius, spiritualemque mortem animæ tuæ interpretativè volens, periculum illius (etsi solùm probabile) adeundo, dum posses non adire?

2829 Aliud esset, si maneres in occasione, quam sine peccato non posses deserere (quomodò uxor v. g. deserere non potest maritum, qui ipsi frequens est occasio peccandi) vel nonnisi incidendo in aliam occasionem peccandi periculosiorem, magisque fugiendam. In talibus enim circumstantiis non censereris velle peccatum, volendo talem occasionem, utpote quam non posses deserere.

2830 Dum autem frequentans consortium, in quo probabile est peccandi periculum, solùm allegat morem patriæ, necessitatem convictûs, commoda temporalia, imminens ex separatione infamiæ vel fortunarum periculum, aliaque ejusmodi, quæ solus amor proprius, prudentiaque carnis & sæculi suggerunt, istis omnibus præponderare debet Christi præceptum, *si oculus tuus dexter*, &c: ferventi tamen oratione, prudentiâque non vulgari Confessario tunc opus est, ut consanguineos & affines in eadem domo manentes, atque hinc in probabili incestûs periculo existentes, consiliis suis juvet & dirigat in electione mediorum convenientium ad illam separationem, tametsi ideò necessariò exequendam, quia omnes considerationes temporales floccifaciendæ sunt, dum periclitatur æternitas, agiturque de vitanda æterna damnatione.

Istis proinde considerationibus & prætextibus flecti non debet Confessarius, imò maximè ostendere debet, pro nihilo habendum prætextum infamiæ, allegari solitum ab iis qui moralem peccandi occasionem ideò dicunt se non posse deserere, quia non possunt absque periculo scandali & infamiæ. Neque enim scandalum rationabiliter timeri potest ex objectione occasionis peccandi. Cùm econtrà tota vicinia quotidie scandalizetur de malo exemplo, dato ab iis qui sciuntur, vel suspectantur esse in ejusmodi occasione. Usque adeò enim tota vicinia quotidie adversus ipsos personat, obloquitur, murmurat, ut valdè cæci sint, qui sibi persuadent, se non esse aliis scandalo, dum in tali permanent occasione. Ridiculi ergo sunt, ne dicam insensati, dum ideò turbantur ad præceptum Confessarii, jubentis talem præscindere occasionem, quia prætexunt, famam ipsorum periclitari, si præscindant. Imò periclitatur potiùs si non præscindant. Convincantur argumento isto cornuto: vel vicinia scit, aut suspicatur aliquid mali in illa tua occasione, vel non? Si non, nullam infamiam, vel scandalum rationabiliter metuis ex dimissione talis occasionis, magis quàm ex dimissione ancillæ, seu alterius personæ nullo modo suspectæ. Si sic: manifestum est timendam à te infamiam & scandalum ex mansione in tali occasione, non ex dimissione illius; utpote per quam scandalum, & famam tuam perditam, vel saltem periclitantem reparabis.

Si equidem pœnitens non acquiesceat, allegans 2831
sibi nimiùm difficile dimittere talem occasionem, cum jactura famæ, vel fortunarum suarum. Exponat ipsi Confessarius oraculum Christi: *quid prodest homini, si mundum universum lucretur*, &c. Exponat & hoc, quòd si regnum cælorum absque difficultate acquiri posset, frustrà Christus dixisset: *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Frustrà denique jussisset eruendum sibi oculum, abscindendam manum, & pedem, si nulla ad hoc difficultas subeunda foret, sed tunc solùm occasio rescindenda foret, cùm sine difficultate posset.

Denique exponat ipsi prudens Confessarius, 2832
quòd nullum ex illis prætextibus allegaret, sed sponte ipse occasionem dimitteret, si femina, cujus conversationem perditè amat, fieret valdè difformis, vel molesta, vel leprosa, vel si dimissio illius necessaria foret ad obtinendam pinguissimam hæreditatem, sibi sub ista conditione promissam. Quòd proinde ab omnibus istis peccati occasionibus à fortiori abstinere debeat ad vitandam gehennam, obtinendumque regnum cælorum. Quod nisi actu præstiterit (dum agitur de dimittenda occasione proxima per se) absolvi non debet, nec Confessarius quoad hoc prudenter credet verbalibus promissis ipsius. Vide suprà cap. 117. & 223.

CAPUT CCLXI.

Prudentia Confessarii in ordine ad perjuros & blasphemos.

DUo sunt blasphematorum genera. Alii enim, 2833
Lucifero similes, Deum blasphemant ex ira

contra Deum, formalique intentione Deum inhonorandi. Alii blasphemant ex ira contra aliquam creaturam. Priores, velut rebelles declarati, ponunt in cælum os suum, injuriosa verba in Deum, vel Sanctos evomentes, vel facto aliquo Dei honorem directè impetentes. Posteriores, absque formali intentione Deum inhonorandi, jurant in ira sua per mortem, per caput, per ventrem, per sanguinem Dei, & similia.

2834 Quæ licèt aliquibus non videantur esse blasphemiæ; contrarium dicendum est, eò quòd communi timoratorum apprehensione contineant formalem inhonorationem, indignissimamque tractationem sanctissimi nominis Dei, membrorumque Christi. Ideòque *immanis est blasphemia* (ait Concilium Moguntinum anni 1649) *cùm sanctum nomen Dei, & salutaris Christi passio, & devotus pro salute hominum sanguis ejus, & reverenda Christi Sacramenta... ad execrationes & maledictiones assumuntur.* Et Concilium Trecense anni 1427. *sunt nonnulli, qui Redemptorem suum turpiter inhonorantes, detestabilia in ejus blasphemiam faciunt juramenta, sicut per carnem suam, per sanguinem, per mortem... per caput... jurantes.* Denique Chrysostomus homil. 1. ad pop. Antioch. assidua ejusmodi juramenta, blasphemias vocat. Sicut & Justinianus Imperator in Authent. 6. tit. 6. de his qui luxuriantur. Et ratio petitur ex Hieronymo relato can. *cùm caput* 33. q. 5. quia *verbum Domini blasphematur, dum contemnitur... vel pro nihilo ducitur.* Similiter ergo blasphemia est, dum nomen, caput, venter, sanguis Dei, &c. contemnitur, vel pro nihilo ducitur. Quod profectò fit dum, pro re levissima & inani, sanctissima illa nomina, vel ad demonstrandam iram indignè assumuntur, vel ad execrationes, & maledictiones, & minas usurpantur. Quod facientes, blasphemi vocantur can. *fiquis* 21. q. 1.

2835 Jam verò prudens Confessarius scire debet, tantam impietatem (sic eam voco, quia similia verba non procedunt nisi ex corde impio) phreneticamque febrim mollibus remediis ordinariè non curari, sed asperis & pungentibus; ideòque neminem, blasphemiæ reum, absque gravissima pœnitentia absolvendum. Cùm blasphemia gravissimum sit peccatum, damnatorumque occupatio. *Non* enim *aliud opus in inferno exercent* (inquit D. Antoninus p. 2. tit. 7. c. 5.) *nisi blasphemare Deum, & maledicere, ut de illis ait S. Joannes Apocal. 16... blasphemaverunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis, &c. Qui ergo hoc vitio detinentur, ostendunt se pertinere ad statum damnatorum, ex quo exercent artem eorum.* A cujus criminis gravitate, ut paulò antè dixerat, *quis non excusatur, quòd ex subita ira* hoc facit, *vel ex more. Sicut nec excusaretur ab homicidio, & consequenter à pœna mortis, fiquis ex impetu iræ hoc ageret.* Ideò Leo X. approbante Concilio Lateran. sess. 9. *in foro* (inquit) *conscientiæ, nemo blasphemiæ reus, absque gravissima pœnitentia, severi Confessoris arbitrio injuncta, possit absolvi.* Quod Pius V. confirmavit Constitut. quæ incipit *ut primùm. Siquis* autem *Deum negaverit* (ait Concilium Trecense anni 1427.) *vel despitaverit, pro prima vice duos dies, pro secunda quatuor in pane & aqua jejunare compelletur.* Vetus Pœnitentiale Romanum, cum qui per capillum Dei, aut caput ejus juraverit, aut alia blasphemiæ verba protulerit, si semel nesciens, id est inconsideratè, & præcipiti linguæ motu id fecerit, septem dies pœnitentiæ in pane & aqua. Si secundò, vel tertiò increpatus id commiserit, dies quindecim in pane & aqua pœnitere statuit.

2836 *Quicumque verò blasphemantem audierit* (prosequitur Leo X. cum Concilio Lateranensi) *eum verbis acriter objurgare teneatur, si citra periculum suum id fieri posse contingat, eumque deferre vel notificare apud Judicem Ecclesiasticum, seu secularem intra triduum debeat.* Quod etiam Pius V. confirmavit ubi suprà. Iis autem qui blasphemos denuntiaverint, decem annos Indulgentiarum Leo X. concessit.

Ei igitur, quem Confessarius invenerit reum 2837
tantæ impietatis, quam non immeritò nuncupaveris monstrum iniquitatis, præter ordinaria pœnitentialia opera, orationes, jejunia, eleëmosynas, disciplinas, &c. proderit injungere, ut impiâ linguâ suâ toties in die terram lingat; toties in die, prostratus coram Crucifixo, veniam humiliter petat; toties in reparationem violati honoris divini recitet Rosarium ex divinis laudibus compositum, e. g. ex *gloria Patri*, &c. vel *sit nomen Domini benedictum*, loco *Pater noster*, & *ave Maria*, &c.

In remedium autem prætervativum, oculis incarnatorum Luciferorum istorum velut basiliscorum, proderit exponere. speculum deformitatis suæ, ut seipsos, seu execrandam malitiam suam exhorreant. Ipsis ergo Confessarius ob oculos ponat gravitatem malitiæ ipsorum, utpote quæ similis est, imò major malitiâ damnatorum. Ipsi enim blasphemant manum Dei vindicem iniquitatum ipsorum; blasphematores verò nostri blasphemant nomen sanctum, in quo est salus, vita & resurrectio ipsorum; nomen, inquam, Dei, à quo replentur omni gratiâ & benedictione; blasphemant & sanguinem, qui tollit peccata mundi. Proderit etiam ipsis injungere, ut quoties ipsis verba impietatis exciderint, toties talem vel talem eleëmosynam dent egenis, &c.

Dumque se excusant super habitu suo, vel ira 2838
suâ, in qua non intendunt facere Deo injuriam. Reponat Confessarius: Ergone sanctum Dei nomen, adorandum Christi caput, venter, sanguis, &c. in ira tua, tam irreverenter pronuntiari debet? Justumne est ut furori tuo satisfacias, tam indignè tractando sanctissimum nomen Dei, sanguinem Christi, &c.?

Nec ipsos excusat habitus, imò magis accusat, dum omni modo possibili non satagunt ipsum destruere. Quia certum est verba blasphemiæ ipsis voluntaria esse in tali causa, imò & utplurimùm in se. Quia tametsi lumen rationis attenuetur per iram impræviſam; utplurimùm tamen non ita subitò obscuratur, quin miseri illi saltem confusè advertant se valdè indignè tractare adorandum Dei nomen, caput, &c.

Et hactenùs quidem dicta de blasphemia cum 2839
proportione applicari possunt perjurio; ad quod facilè transeunt, qui frequenter jurant, ut Augustinus monet in lib. de mendac. circa medium. Propterea namque Eccli. 3. dicitur, quòd *vir multùm jurans replebitur iniquitate.* Ut autem enormitatem perjurii peccator percipiat, Confessarius ipsi exponat sequentia. 1°. tantam esse istius criminis impietatem, ut perjurus can. *quicumque* 6. q. 1. declaretur infamis. 2°. quòd can. *prædicandum* 22. q. 1. non minor pœnitentia imponenda statuatur perjuro, quàm homicidæ: *prædicandum est ut fideles perjurium caveant; scientes hoc grande scelus esse, nec levem perjurii pœnitentiæ modum imponendum, sed talem qualis homicidio imponitur, & cæteris criminibus capitalibus.* 3°. juxta S. Thomam quodlib. 1. a. 18. Sotum l. 8. de just. a. 3. Sanchez lib. 3. in Decal. c. 5. n. 37. graviorem esse perjurii quàm homicidii malitiam.

CAPUT CCLXII.

Prudentia Confessarii in ordine ad deditos voluptatibus obscœnis.

VAldè difficulter curantur obscœnitatibus de- 2840
diti; ideòque prudentiâ magnâ opus est ad curationem

curationem istius lamentabilis lepræ, in prioribus quidem Ecclesiæ sæculis rarissimæ; verùm hodie, proh dolor! vulgarissimæ. Ad cujus curationem ante omnia inducendus est pœnitens, ut concipiat ipse magnum & ardens suæ curationis desiderium, sicut Joann. 5. Christus ad illud excitavit à triginta octo annis languentem, dicens: *vis sanus fieri?* Rarò enim similes homines seriò cogitant de sua curatione. Quam tamen nisi ardenter desiderent, cætera remedia modicùm ipsis proficient. Istius quippe desiderii ardor se habet veluti calor vitalis, sine quo vulnera non curantur. Quia, ut Galenus ait l. 3. de temperam. *remedia non agunt, nisi calore vincente.*

2841 Porrò ad desiderium istud excitandum nihil ita movet, sicut expositum ipsis periculum evidens suæ damnationis, nisi citò respiscant. Istud verò periculum ideò evidens est, quia salus nostra & à divina voluntate dependet, & ab humana, secundùm illud: *qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Deus, qui odio infinito lethalem omnem odit iniquitatem, odium istud contra nullum aliud peccatum terminis adeò vehementibus manifestavit, sicut contra impudicitiæ peccatum. Contra quod solum plura & graviora iræ fulmina vibrasse legitur, quàm contra reliqua simul omnia. Neque enim ob ullum aliud peccatum genus humanum universali diluvio delevit, sed ob solum carnis peccatum, per quod *omnis caro corruperat viam suam, pœnituisse legitur eum, quòd hominem fecisset in terra, tactusque dolore cordis intrinsecùs, delebo (inquit) hominem quem creavi à facie terræ.* Nec hoc tantùm, sed juravit dicens: *non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*, sive *quia cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum*, sive (ut Chrysostomus exponit) *intenta esset ad feminam.* Tametsi enim peccata carnis non sint omnium maxima; sunt tamen omnium turpissima & putidissima. Propter quod ea Dei spiritus in tantum abhorret, ut ab homine iis dedito oculos avertat, gratiæque suæ auxilia subtrahat. *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Denique ob nullum aliud peccatum integras civitates cælesti igne consumpsit.

2842 Sed & humana voluntas à nulla alia passione usque adeò captiva detinetur, sicut à passione carnalis voluptatis. *Quia nulla alia passio humanam mentem usque adeò excæcat, neque usque adeò quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit*, inquit Angelicus Doctor 2. 2. q. 15. a. 3. Per ipsam verò *sic totus homo absorbetur ab ipso, & in ipso corpore* (inquit Augustinus serm. 162. edit. nov.) *ut jam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit, quòd caro sit, & spiritus vadens, & non revertens... Quia majore libidinis ardore, quo superior nullus est, voluptas ipsius corporis tenet servum, efficitque captivum... quia nusquam sic totus homo corporis ipsius voluptati addicitur, & ineffabiliter affligitur.*

Difficillimè proinde curantur putido isti vitio dediti, difficillimèque ad Deum toto corde revertuntur, juxta illud Osee 5. *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* Traduntur enim *in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt.* Rom. 1. Quippe *dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*, brutalitasque istius passionis hominem adeò bestialem facit, ut *spargente Deo pœnales excitates super illicitas cupiditates*, nec criminis sui consideret gravitatem, nec injuriæ quam facit Deo (ejus imaginem violando) & corpori Christi (cujus membrum, membrum facit meretricis) & Spiritui sancto (cujus est templum) & sibimetipsi, se bestiis insipientibus assimilando. Omnes istas considerationes ex animo luxurioso obliterat & absorbet brutalis passio; ne mortis quidem ac judicii ipsi occurrit cogitatio. Et si imminentis mortis ac judicii ipsi fiat admonitio, ludus ipsi videtur; uti visa est duobus generis Loth, quos dum ipse de imminente Sodomæ subversione monuit, *visus est eis quasi ludens loqui*, Genes. 19. Proinde brutalis passio ipsi auferendo cognitionem omnium mediorum, quibus ab ea retrahi posset, veluti obtendit murum cujusdam impossibilitatis ab ea se expediendi. Unde fit, ut *desperantes semetipsos tradant impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis*, Ephes. 4. ita ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc*, Apoc. 22. Et ideò *diabolus maximè dicitur gaudere de peccato luxuriæ* (ait S. Thomas 1. 2. q. 73. a. 5. ad 2.) *quia est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo potest eripi.*

Hæc fortiter & suaviter insinuanda sunt miserabilibus mancipiis brutalis passionis. Quorum *pars sanitatis est velle sanari.* Ut verò plenè sanentur, opus habent multâ, ferventi, humilique oratione, & jejunio. Quia *hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio*, Matth. 9. Orationi & jejunio jungenda sunt occasionum fuga, sensuum mortificatio, piorum librorum lectio, vigiliæ, disciplinæ, vini temperantia, ciborumque, quibus caro inflammatur, ut sic corpus in servitutem redigatur, concupiscentiæ que fomes, alimento subtracto, paulatim restinguatur. 2843

Si pœnitens in his causetur difficultatem, meminerit 1°. quia *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* 2°. quòd *gemmula cælestis gratiæ, cujus jacturam facit impius venator libidinis suæ, tametsi recuperabilis, non tamen obvenit, nisi multùm sudanti, & gementi, & dolenti, & deprecanti*, &c. 3°. quòd sponte se ipse injecerit in istam difficultatem. 4°. quòd incomparabiliter melius & optabilius est temporaneam istam difficultatem sustinere, quàm in sempiternum ardere. Prudens tamen Confessarius in his pensabit vires & facultates corporales & spirituales pœnitentis, ut ea sola injungat, quæ ipsi profutura judicabit ad exuendum infamis vitii affectum. Quo exuto, ad extirpandas istius vitii reliquias, multùm proderit ipsi frequentiam injungere Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, uti monent SS. Carolus Borromæus, & Franciscus Salesius in Instruct. Confess. 2844

CAPUT CCLXIII.

Prudentia Confessarii erga tepidos, suæque perfectionis adeò incuriosos, ut licèt nulla mortalia committere videantur, nulla etiam Christianæ vitæ signa demonstrent.

SUnt plerique adeò tepidi, suæque perfectionis incurii, ut licèt palpabilia crimina non committant, venialia vitare & emendare non curent, nullumque affectum habeant ad orationem; nullam teneritudinem erga ea quæ Dei sunt; nullum studium mortificationis; nullum amorem virtutis & perfectionis; nullum effectum amoris Dei prædominantis, sine quo nullus est justus. *Sunt enim toti terrestres & animales*, affectu & cogitatione toti leves, ac totaliter immersi proprio amori, hoc solùm excepto quòd palpabilia, ut dixi, crimina non committant. Tales personæ cum multis peccatis venialibus perseverantibus & inhærentibus (uti ea vocat Taulerus serm. 4. de Ven. Sacram. festiv.) Pœnitentiæ quidem & Eucharistiæ Sacramenta frequentant, *suas nihilominùs consuetudines & modos retinentes, nec aliquid ex præ-* 2845

dictis repudiare volentes. Cùmque hac de causa nec Deum, nec sancti Spiritûs intùs sentiant consolationem, non magnoperè curant, sed suis studiis & consuetudinibus inhærent, atque ad creaturas cum delectatione & amore se convertunt, sicque nonnunquam 40. vel 50. & eo amplius annos sub habitu sancto, & opinione bona transigunt, manentes in eodem semper sopore & tepore, manebuntque (secundùm omnem apparentiam) usque ad mortem, nisi speciali dexteritate prudens Confessarius allaboret & adjuvet, ut eos ab infelici statu illo educat. Ex hoc enim quòd palpabilia crimina non committant, pro seipsis solliciti non sunt, nec sibi timent, uti timerent, si crimina patentia committerent. Difficiliùs proinde curantur, securiùsque dæmon illos illaqueatos tenet, quàm teneret, si palpabiliter forent criminosi. Quippe in ipsos quadrat illud Apocal. *utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Sunt enim in malo statu, utpote in via Dei proficere non curantes, tempus pretiosum, seu notabilem illius ac vitæ partem, imò totam penè vitam in otio transigentes, servi proinde inutiles, accepta talenta in terra fodientes, qui projici jubentur in tenebras exteriores. Denique similes sunt ficulneæ infructuosæ, cui Dominus maledixit. Maledicti sunt, quia faciunt opus Dei negligenter. Accediæ rei sunt. Dumque sibi placent, noluntque meliores fieri, deficiunt (cùm nolle proficere sit deficere) imò pereunt, Augustino teste serm. 169. *ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris sufficit, & periisti.* Vide dicta to. 1. lib. 10. p. 1. cap. 21. & seqq. & hic lib. 4. c. 33.

2846 Quo ergo pacto tales in salutis viam prudens reducet Confessarius? imprimis commonendo illos de malo statu suo, vel saltem admodùm periculoso, juxta verba Apoc. loco citato: *dicis quia dives sum, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Deinde sedulò allaborando, ut sibi procurent charitatem ardentem, prout ibidem talibus suadetur: *suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris*, &c.

2847 Verùm hoc opus, hic labor est. Quia ex una parte talem charitatem sperare non possunt per Sacramenta in periculoso illo statu (utpote damnationis) suscepta. Ex altera parte, cùm nihil confiteantur palpabiliter criminosum, ipsis Confessarius facilè videbitur injustus, si ipsos à beneficio absolutionis excludat. Quo tamen cùm revera digni non sint, sua ipsis indignitas, malusque status tantâ suavitate repræsentandus est, ut lubenter acceptent sibi absolutionem differri, usquedum ea adimpleverint, quæ necessaria videbuntur, ad comparandum aurum illud ignitum ferventis charitatis.

2848 Ad hoc proderit ipsos magna cum mansuetudine, & testificatione charitatis, zelique salutis ipsorum, interrogare 1°. an non sit verum, quòd à multis annis (post tot confessiones communionesque) non profecerint in via salutis, sed semper iidem, vel fortè magis negligentes & torpentes manserint, in iis quæ Dei sunt? an non benè videant quòd nisi de somno suo surgentes novum fervorem concipiant, semper iidem permanebunt, in suoque torpore, perfectionisque neglectu, uti vixerint, morientur? 3°. an non timeant in suo illo torpore, negligentiaque, in periculoso proinde statu mori, & coram Judice tremendæ Majestatis comparere? 4°. an non optent talem nancisci Confessarium, qui ipsos à periculoso illo somno excitet, efficaciorique modo ipsos ad id adjuvet, quàm hactenùs factum sit; cùm in magno versentur salutis discrimine, si sic moriantur. Ob argumenta, quibus id demonstratum est to. 1. citato cap. 21. & seqq. Hæc cùm admiserint (facilè verò admittent, si benè proponantur; & ut non admitterent, convinci facilè possent ex suprà dictis) 5°. interrogandi sunt, an non libenter essent in sancta illa dispositione, in qua & fructuosè Sacramenta reciperent, & quæ Dei suæque salutis sunt, cum fervore peragerent, ut sic securè vivere & mori possent? Cujus dispositionis cùm in ipsis desiderium Confessarius excitaverit, ostendet possibilitatem eam assequendi, imò istius dispositionis initium brevi experturos, si promittant se judicio & consilio Confessarii humiliter submissuros. Optimum porrò, imò unicum medium eam consequendi esse susceptionem Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ cum debita dispositione.

Et ideò ante omnia excitandum in ipsis erit desi- 2849
derium se speciali modo præparandi ad Sacramenta illa debitè & fructuosè suscipienda. Ipsos proinde Confessarius hortabitur ad confessionem cum fervore extraordinario instituendam, eamque, si fieri queat, generalem. Eumque in finem ea suggeret, quæ utilia videbuntur ad fervorem illum concipiendum, necnon ad concipiendum magnum præteriti teporis odium & dolorem, ea addendo quæ specialiter serviunt ad charitatem in ipsis accendendam, cujusmodi sunt orationis studium, frequens elevatio mentis in Deum per pias aspirationes, mortificatio passionum & concupiscentiarum, &c. Præ cæteris verò inculcabit speciale humilis orationis studium, sine quo frustrà est expectare successum.

Post resolutionem novo extraordinarioque cum 2850
fervore Sacramenta imposterùm recipiendi, monebit Confessarius esse consultum ut tantisper expectent, seseque specialiter præparent, antequam illa recipiant.

Interea monebit eos, ut, dum allaborant ad 2851
comparandam dispositionem ad ea cum dicto fervore suscipienda, interim ad Confessarium identidem accedant, narraturi, quomodò sibi res succedat, ab ipsoque consolationem & consilium accepturi, pro superandis difficultatibus, ab humani generis hoste suscitandis.

Dum autem primis vicibus accedentes inventi 2852
fuerint nondum dispositi, monendi erunt, præstare ut per aliquod adhuc tempus allaborent dignæ præparationi. Cùm justus adhuc timor sit de insufficientia illius quam habent.

CAPUT CCLXIV.

Prudentia Confessarii in loquendo de auditis in confessione.

2854 CConfessarii summâ cautelâ abstinere debent à narratione auditorum in confessione, sive in suggestu, sive in colloquiis, sive aliâ quâvis occasione, ob frequens periculum violandi sigillum confessionis, vel reverentiam Sacramento debitam. Violat enim reverentiam Sacramento debitam, si de iis per jocum loquatur. Neque enim jocandum est cum rebus sacris, Sacramentove commissis, etiam dum nullum videtur periculum revelandi pœnitentis. Violat verò sigillum confessionis, si pœnitentis personam manifestet, vel ex narratione ipsius audientes in illius cognitionem aut suspicionem veniant, ut si dicat se Titium ad Pœnitentiarium remisisse, vel si dicat, talem pœnitentiam injungo reis talis delicti, & antè vel posteà significet, se talem pœnitentiam Titio imposuisse. Vel si dicat, primus pœnitens quem audivi, mihi confessus est tale crimen, & antè vel posteà primum pœnitentem nominet. Vel si dicat, in angusto illo loco (in quo confessiones audivit) multos esse fures, fornicatores, adulteros. Vel in tali

Monasterio, multos esse proprietarios, vel impudicos. Vel ex omnibus puellis, quas audivit, paucas esse virgines. Vel suo pœnitenti iratus dicat, novi qualis sis. Vel Superiori dicat, unus de familia tua fornicationem commisit, vel apostasiam meditatur, &c. His namque modis omnibus, vel manifestatur persona pœnitentis, vel audientibus via aperitur veniendi in cognitionem aut suspicionem illius.

CAPUT CCLXV.

Violatio sigilli confessionis semper est mortale peccatum, seu mortalia, seu venialia dumtaxat peccata in specie Confessarius revelet.

2855 SIgillum confessionis est obligatio strictissima, secreta servandi ea quæ in confessione sacramentali sunt cognita. Hæc obligatio non solum est ex jure Ecclesiastico, can. *omnis utriusque* de pœnit. & remiss. (ubi dicitur: *qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus; verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in Monasterium detrudendum*) verùm etiam ex jure naturali (quo quisque tenetur depositum sibi secretum servare) atque ex strictissimo jure divino obligante graviter, in omni prorsus casu, etiam vitandæ mortis, vel damni totius Reipublicæ. Quia sic Christus instituit, ut communis est Catholicorum omnium sensus, idque in reverentiam & confidentiam hujus Sacramenti, ne scilicet Sacramentum hoc aliàs redderetur odiosum, ab eoque homines directè vel indirectè retraherentur, sicque in æternam damnationem præcipitarentur. Ad quod præcavendum tam sancta est obligatio sigilli, ut nullam prorsus ob causam, quamlibet gravem, liceat, absque consensu pœnitentis, revelare audita in confessione, sive in vita, sive post mortem ipsius.

2856 Atque hinc patet, sigilli violationem esse Sacramento graviter injuriosam, adeòque mortale peccatum, etiamsi peccatum dumtaxat veniale in specie reveletur. Quia per talem revelationem odiosa redditur venialium confessio, ab iisque confitendis homines retrahuntur.

2857 Dixi *in specie*. Neque enim sigilli infractor censetur, qui pœnitentem veniale (in genere) sibi confessum dicit. Cùm nemo ad confessiones accedat, nisi peccatum saltem veniale Sacerdoti deponat. Caveat tamen, dum plures audivit, dicere: Titius sola mihi venialia confessus est; ne tacitè innuat, alios sibi lethalia confessos, atque adeò sigillum indirectè violet.

CAPUT CCLXVI.

Sigillum confessionis non violat Confessarius, nec secretum prodit, absolutionem negando quibus oportet, vel eam differendo, ad hoc ut pœnitens ad eam, sicut & ad Communionem, per dignos pœnitentiæ fructus interim se disponat.

2858 PRobatur 1°. quia aliàs sigillum secretumque confessionis Ecclesia (absolutionem pluribus sæpè annis differendo) per duodecim sæcula violasset. Quod dici nequit.

2859 2°. S. Carolus Sacerdotes obligasset ad illud violandum, infinitis propè casibus, quibus absolutionem differri voluit usque ad vitæ emendationem.

2860 3°. violasset illud Concilium Augustanum anni 1548. ab Othone Cardinale collectum, dum cap. 19. de pœnit & remiss. multis de causis Communionem à Confessario negari, vel differri jussit, etiam ob peccata ordinaria, ut ebrietatem, furtum, alearum usum, inimicitiam erga proximum, &c. decrevitque quòd *potest unus quilibet Confessor, cui curæ sunt animæ sibi confitentium, pro peccatorum magnitudine & gravitate, iisdem sibi confitentibus, seu filiis confessionis suæ, ex causa, quæ sibi justa videbitur, ad tempus sacrâ Communione interdicere, eique tales confitentes morem gerere debent.*

4°. non est cur sigillum violetur per negatio- 2861
nem, vel dilationem absolutionis, utpote tam secretam, quàm confessio ipsa. Neque per dilationem Communionis, utpote quam pœnitens celare potest. Et ut innotescat, sciri nequit an differatur ex humilitate, vel timore reverentiali, an ex præcepto Confessarii, an alia de causa, v. g. ob defectum jejunii.

5°. absolutio vel neganda, vel differenda est 2862
in multis casibus ab omnibus admissis. Nec tamen sigillum tunc violatur. Ergo nec violatur, eam differendo in casibus controversis.

6°. sigillum non magis violatur per dilatio- 2863
nem absolutionis, quàm per impositionem pœnitentiæ gravis, v. g. jejunii in pane & aqua, &c. Sicut enim siquis tunc suspicetur tale jejunium esse injunctum à Confessario, ob peccatum grave confessum, temerè suspicatur (cùm multis aliis de causis taliter quis jejunare possit;) ita siquis (in casu dilatæ confessionis) ex eo quòd animadvertat confessum non communicare, suspicetur id fieri ex defectu absolutionis, temerè suspicatur: cùm multis aliis de causis à communione quis abstinere possit. Et sicut ob temerarias ejusmodi suspiciones Confessarius abstinere non debet ab imponendis pœnitentiis criminibus proportionatis (uti Tridentinum præscribit) ita nec abstinere debet à differenda absolutione, dum ex gravi causa, seu etiam ex necessitate differendam ipse judicat.

CAPUT CCLXVII.

Sigilli confessionis obligatio oritur ex omni & sola confessione sacramentali, saltem inchoata, etiamsi absolutio secuta non sit, ob defectum doloris vel propositi emendationis.

PEr confessionem sacramentalem, ea intelligi- 2864
tur, quam pœnitens facit bonâ fide, intendendo facere confessionem à Christo institutam, in ordine ad absolutionem consequendam. Siquis proinde accedat ad pedes ejus, quem bonâ fide putat Sacerdotem, cùm non sit; vel accedat ad pedes Sacerdotis non approbati, bonâ fide putans approbatum; vel accedat ad pedes approbati Sacerdotis, eo animo, ut secundùm Christi institutionem se accuset coram eo, velut Christi locum tenente, sed sine contritione sufficientique proposito, ut ab eo juvetur & dirigatur in ordine ad absolutionem suo tempore obtinendam, hujusmodi confessio sacramentalis est, ex eaque oritur obligatio sigilli. Aliàs fidelibus fiducia tolleretur, & confessio odiosa redderetur. Et hoc est quod Alexander III. significat cap. *quòd quidam* extra de pœnit. & remiss. ubi Episcopo Bellovacensi rescribit: *quòd quidam ad confessionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse. Consultationi tuæ taliter respondemus: quòd eorum confessionem recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere. Quia licèt non sit vera hujusmodi pœnitentia, admittenda est tamen eorum confessio, & crebris & salutaribus monitis pœnitentia indicenda.*

Aliud esset si peccator ad pedes Confessarii ac- 2865
cederet, non ex intentione faciendi confessionem à Christo institutam, sed fictam & dolosam, non ut absolveretur, vel dirigeretur in ordine ad abso-

lutionem aliquando consequendam, sed solo animo irridendi, decipiendi, vel pertrahendi Confessarium in consortium, vel patrocinium sui peccati, v. g. hæresis, schismatis, conjurationis, libidinis, &c. Qualis fuit in casu, quem Cæsarius Cistercienſis Monachus historiar. memorabil. c. 31. & 32. sic narrat: *In domo quadam Cistercienſis Ordinis, Monachus quidam sine Ordine celebravit. Hoc cùm die quâdam Abbati suo retulisset in confessione, nec tamen cessare vellet à tanta præsumptione* (sed Abbatem trahere in patrocinium vel impunitatem sui criminis) *Abbas doleni & lachrymans, ut à blasphemia tam magna desisteret, miserum rogavit, monuit, præcepit, sed non profecit. Ille verò, timens notari, si cessaret, celebravit ut priùs. In sequenti Capitulo Generali, Abbas idem proposuit casum eundem, interrogans quid faciendum foret Confessori, si fortè tale quid in aliqua domo emergeret. Cùmque Dominus Cistercienſis, & cæteri Abbates super hoc nihil auderent definire, casum scripserunt Innocentio Papæ III.* (Authori Canonis *omnis utriusque*) *qui convocans Cardinales, viroſque litteratos, casum eis proposuit, & quid de hoc sentirent, à singulis requisivit. Omnibus penè in hoc sentientibus, quòd confessio non esset prodenda; respondit, Ego dico in tali articulo esse prodendam, quia talis confessio non est confessio, sed blasphemia. Nec debet Confessor blasphemiam talem ac infamiam celare, per quam periculum incumbere poterit toti Ecclesiæ. Et placuit sententia omnibus, scripsitque sequenti anno Capitulo, quod à se fuerat determinatum, & à Cardinalibus approbatum.* Simile judicium S. Pontificis Dominicus Soto in 4. dist. 18. q. 4. a. 5. refert de confessione Cardinalis (qui conspirationem in Pontificem moliebatur) facta alteri Cardinali, *eâ intentione, ut eum in suam conjurationem traheret.*

CAPUT CCLXVIII.

Personæ obligatæ sigillo.

2866 SIgilli obligatione 1°. ligatur Confessarius. 2°. Interpres, si per eum confessio facta sit. 3°. omnes qui pœnitentis confessionem vel casu, vel ex industria audierunt. 4°. Superior, à quo pœnitens, per se, vel per Confessarium petit facultatem pro casu reservato. 5°. Consiliarius, quem Confessarius de licentia pœnitentis consulit, ut sciat quomodò agere debeat cum pœnitente. 6°. Laïcus, vel Clericus, qui finxit se Sacerdotem, cùm non esset. 7°. qui invenit & legit chartam, in qua pœnitens sua descripserat peccata ad faciendam confessionem. Ita Navarrus, Rodriguez, Malderus, contra Lugonem & Meratium. 8°. omnes illi quibus aliquis ex supradictis confessionem pœnitentis injustè revelavit.

2867 Itaque omnes illi meminerint verborum S. Thomæ quodlibet. 12. a. 15. *In nullo casu licet revelare confessionem, nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo signo... quia est sacrilegium.* Sicut & verba citati canonis, *omnis utriusque. Caveat omninò Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenùs prodat peccatorem*, sive directè, sive indirectè.

CAPUT CCLXIX.

Materia cadens sub sigillum.

2868 SIgillum *confessionis* (ait S. Thomas Supplem. q. 11. a. 2.) *directè non se extendit, nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio* (id est ad omnia mortalia in genere & in specie, omnia item venialia in specie, eorumque circumstantias) *sed indirectè, id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa, per quæ posset peccator, vel peccatum deprehendi*, sive ingeri notitia, vel suspicio peccati confessi. Sicut & quæcumque audita in confessione, quorum narratio pudorem, dedecus, vel aliud quodcumque damnum causare posset pœnitenti, eique odiosam reddere confessionem. Quæ proinde omnia *summo studio sunt celanda. : tum propter scandalum : tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere posset.* Hactenus S. Doctor.

Peccata etiam complicis, vel aliorum, à pœ- 2869
nitente rudi & imperito, vel ad confessionis integritatem narrata, vel propriorum peccatorum confessioni conjuncta, materia sunt saltem indirecta sigilli. Quia ad confessionis integritatem reverà spectant, vel à pœnitente rudi spectare bonâ fide creduntur. Eorumque revelatio confessionem redderet odiosam. Propter quod Facultas Parisiensis hanc propositionem: *si pœnitens aperuerit in confessione peccatum complicis sine necessitate, non tenetur Confessarius occultare sub confessionis sigillo peccatum complicis; atque ita oportet illa manifestare pro bono communi, ut & alia secreta naturalia, modo tamen non innotescat pœnitens:* anno 1665. reprobavit tamquam falsam, scandalosam, sigillo confessionis contrariam, & à Sacramento Pœnitentiæ avertentem.

Sed quid de illis secretis, quæ nec in confessio- 2870
ne, nec in ordine ad illam, nobis committuntur, sub hac vel simili expressione: *dico tibi sub secreto confessionis?*

Respondet S. Thomas ibidem ad 2. *quòd aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo. Si tamen recipiat, tenetur ex promissione, hoc modo, ac si in confessione haberet: quamvis sub sigillo confessionis non habeat.* Quod sic non est intelligendum, quasi frangat sigillum confessionis, illud manifestando (cùm illud *sub sigillo confessionis non habeat*) sed sic ut violet promissionem magni secreti jure naturali obligantem. Quod tamen secretum si vergeret in grave Ecclesiæ, vel Reipublicæ, vel Principis, vel alicujus tertii damnum, illud revelare non solùm posset, sed & deberet. Quod profectò non posset, si sigillo confessionis verè teneretur. Ita Doctores communiter.

Sed quid si Judex Confessarium interroget, an 2871
non sciat Titium commisisse homicidium, seu aliud crimen Reipublicæ damnosum, quod ab ipso commissum esse ex sola scit sacramentali confessione? Respondeo cum S. Thoma Supplem. q. 11. a. 1. ad 3. si Judex sit Catholicus, interrogetque nullâ factâ mentione confessionis, non præsumitur interrogare, nùm sciat ex confessione; ideòque Confessarius sine mendacio, & restrictione mentali respondere potest, etiam cum juramento (si ad illud adigatur) se nescire: quia responsio ipsius, istis in circumstantiis, hunc ex usurpata apud Catholicos consuetudine habet intellectum: non scio ut homo, ut benè Essius cum S. Thoma loco citato, cujus hæc sunt verba: *homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo: & ideò, sine læsione conscientiæ* (sine restrictione proinde mentali, ac sine mendacio) *potest jurare se nescire, quod scit tantùm ut Deus*, 2872
id est ut Dei vices gerens. Si tamen Sacerdos ab impio Judice interrogaretur, an Titius crimen illud ipsi non esset confessus? respondere non posset negativè (aliàs mentiretur, esset que perjurus, si responsionem juramento firmaret) sed respondere deberet, interrogationem esse impiam, nec sibi fas esse respondere, etiamsi ob negatam aliam responsionem certò sibi moriendum foret. Tunc enim Deo magis quàm hominibus obediendum foret. Videri potest Essius in 4. dist. 17. §. 14.

Si rursus Judex quæreret, an ipsum absolverit? 2873
respondere deberet, se partes suas impleviſſe.

Neque enim dicere potest se negasse absolutionem : quia ex hoc Judex induceretur in suspicionem commissi ab ipso gravis criminis, de quo non satis pœniteret. Et ideò violator est sigilli, qui absolutionem se negasse dicit homini, cujus confessionem excepit.

CAPUT CCLXX.

Sacerdos, cui facta est confessio, potest de licentia expressa pœnitentis, de rebus in confessione auditis cum eo colloqui, & cum qualibet alia persona.

2874 ITa S. Thomas Supplem. q. 11. a. 4. S. Bonaventura, S. Antoninus, & Doctores passim omnes. Rationem dat S. Thomas, quia *duo sunt propter quæ tenetur Sacerdos peccatum occultare. Primò & principaliter quia ipsa occultatio est de essentia Sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cujus vicem gerit in confessione. Alio modo propter scandalum vitandum. Potest autem confitens facere, ut illud quod Sacerdos sciebat tantùm ut Deus, sciat etiam ut homo; quod facit, dum licentiat eum ad dicendum. Et ideò si dicat, non frangit sigillum confessionis. Tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli reputetur.* Ratio brevior hæc afferri potest : quia sicut pœnitens crimen à se confessum extra confessionem revelare potest; ita revelandi licentiam concedere.

2875 Nec dicas hinc aperiri viam malis Sacerdotibus revelandi confessionem, sub falso prætextu licentiæ pœnitentis. Quia (ut S. Doctor prosequitur) *imminet eis probatio* (si accusantur) *quòd de licentia pœnitentis revelaverint.* Quam proinde ut in facti exigentia probare possint, sine licentia in scriptis facilè non revelabunt.

2876 Dixi *de licentia expressa pœnitentis.* Neque enim sufficit tacita, vel interpretativa. Ob grandia mala sequi nata ex eo quòd Confessariis relinqueretur potestas interpretandi mentem, seu voluntatem pœnitentis. In qua interpretatione facilè excederent, fallerenturque præsumentes consensum pœnitentis, cùm non esset. Quo fieret, ut fideles cum fundamento averterentur à confessione, si Confessarius liceret pro libitu sic confitentium mentem interpretari.

2877 Debet etiam licentia pœnitentis esse omninò libera & spontanea, & nullo modo coacta, vel extorta per importunitatem Confessarii, vel coactionem cujuspiam alterius. Unde si uxor, à marito coacta, facultatem daret Confessario peccatum suum revelandi, illud revelare non posset.

CAPUT CCLXXI.

Illicitus est omnis usus scientiæ confessionis, extra confessionem, per quem confessio redditur odiosa, vel qui sit cum pœnitentis gravamine, vel incommodo, confessioni extrinseco.

2878 PLurimorum opinio est, Confessarium posse extra confessionem uti scientiâ confessionis, dummodò id fiat absque periculo detegendi confessionem, & absque periculo suspicionis, quòd id fiat ob scientiam confessionis. Pro ea S. Thomam, S. Bonaventuram, S. Antoninum, Scotum, Dionysium Carthusianum, aliosque magno numero referunt Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 16. num. 2. Morinus l. 2. c. 16. Leander à SS. Sacramento hîc q. 62. ubi illos sequitur cum Tannero, Sylvio, Hurtado, Villalobos, &c. Indeque plurima concludit. 1°. q. 63. Superiorem posse ob peccatum ex sola confessione notum privare subditum officio ad nutum amovibili, etiam post Decretum Clem. VIII. posteà referendum. 2°. q. 64. esse licitum secretò negare suffragium ob indignitatem ex sola confessione notam. 3°. q. 66. esse licitum monere Prætores urbis, Principes, Prælatos, &c. de malo imminente urbi, vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel Monasterio, ut diligentiùs invigilent, & periculum avertant, modò reus, vel complices, quorum crimen ex sola confessione notum est, nominatim & in individuo, directè vel indirectè non manifestentur, nec prodantur. Quod etiam (uti & secundum) novissimè docet Natalis Alexander Th. Dogmat. to. 4. l. 2. reg. 48. & 57. 4°. q. 67. esse licitum Superiori, ob scientiam confessionis, negare subditis licentiam eundi foras, alloquendi externos, claudere januas vel fenestras, per quas de nocte exeunt, &c. 5°. q. 69. Confessarium posse dimittere famulum, quem ex sola confessione scit esse furacem.

Verùm hæc opinio præsentis Ecclesiæ sensui 2879
non congruit. Nec ullo modo sequenda est in praxi. Primò, quia ipsimet Patroni illius tot circumstantias, tantamque cautelam ad praxim illius requirunt, ut vix in praxi concurrant, uti benè advertit Sanchez ubi suprà.

Secundò, quia opinio illa miseris peccatori- 2880
bus odiosum & formidabile reddit Pœnitentiæ Sacramentum, in ipsorum solamen & levamen, non in odium à Christo institutum. Tollit enim miseris peccatoribus confidentiam & securitatem confitendi peccata sua, saltem gravia, hoc ipso quòd sciunt Confessarium uti posse scientiâ ex sola confessione acquisitâ, ad suffragium ipsis negandum, ad removendum ipsos ab officio, licèt ad nutum amovibili, &c. Et cui (amabo!) securum erit, & molestum non erit, confiteri alicui Thomistæ, vel Scotistæ v. g. quem sciverit imbutum illâ opinione S. Thomæ, vel Scoti, imò per Constitutiones suas adstrictum ad eam sequendam : periculum proinde esse, si tali confiteatur, ne sibi in occasione suffragium negent, communiaque aliis commoda recusent ob confessionem?

Tertiò, opinio illa dat miseris peccatoribus oc- 2881
casionem tacendi in confessione gravia peccata, ex quorum manifestatione, jure merito timere poterunt exclusionem à suffragiis, communibusque aliis commodis, si opinio illa practicè probabilis sit. Si enim practicè probabilis sit, probabiliter timere poterunt praxim illam. Communis verò Doctorum sententia est, probabiliter timentem sibi, vel aliis, aliquod grave incommodum, vel damnum, extrinsecum confessioni, ex eo quòd confiteatur certum aliquod peccatum, non teneri illud confiteri.

Quartò, si opinio illa practicè sit probabilis, 2882
omnes Novitii excusabuntur ab obligatione confitendi peccata, ob quorum confessionem probabiliter timere poterunt, ne sibi suffragium negetur ad profitendum, sicut & omnes Professi ab obligatione confitendi peccata, ob quorum confessionem probabiliter timere poterunt, sibi suffragium negandum ad officia & prælaturas, sibi negandam exeundi licentiam, &c. Quo proinde casu omnes Religiosi, tam Professi, quàm Novitii, excusabuntur ab obligatione confitendi gravia crimina, ab eorumque confessione retrahentur. Hoc ipso namque probabilem habebunt causam id timendi, quo habebunt notitiam istius opinionis, practicæque probabilitatis illius. Igitur opinio illa miseros peccatores retrahit à confessione. Frustraneam etiam reddit peccatorum reservationem. Quia fideles, qui in casum reservatum inciderint, non tenebuntur illum confiteri Superiori, vel delegato ipsius, ob justum timorem incurrendi grave incommodum ex tali confessione.

Et ideò Clem. VIII. 16. Maii 1594. Regula- 2883

rium Superioribus vetuit, ne notitia confessionis ad exteriorem gubernationem quovis modo uterentur: *tam Superiores* (inquit) *pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui posteà ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Ubi, cùm indistinctè loquatur, non est quòd à nobis limitetur; sed simpliciter & absque limitatione observandum est. Cùm etiam Pontifex excludat omnem casum (generaliter namque, & absque ulla exceptione loquitur) signum est ipsum censuisse id ex natura rei, ex ipsaque institutione hujus Sacramenti illicitum. Aliàs omnem casum excludere non potuisset, prout ostendit Dicastillo disput. 7. sect. 5.

2884 Anno etiam 1682. emanavit Decretum S. Congregationis, inhibens docere, quòd liceat uti scientiâ confessionis cum gravamine pœnitentis. Atqui eâ scientiâ utitur cum gravamine pœnitentis, qui ex ea negat suffragium vel licentiam aliquam, aliàs non negaturus. Tametsi enim pœnitens non habeat jus ad suffragium vel licentiam; habet tamen jus ne suffragium vel licentia sibi negetur, ex sola scientia suæ confessionis. Tametsi etiam pœnitens fortè non sciat, nec suspicetur, sibi suffragium vel licentiam negari ratione confessionis; sed solus Deus id sciat: scit equidem posse negari, secundùm illam opinionem, in eoque se gravari posse à Confessario, quòd confessione ipsi factâ uti queat contra Christi institutionem, qui non vult ut Confessarius eâ scientiâ, in pœnitentis incommodum, utatur ut homo, quam non habet ut homo, sed ut Deus. Qui etiam, ubi de incommodo pœnitentis agitur, vult ut Confessarius non magis utatur eo quod per confessionem scit, quàm si nesciret, & in praxi sequatur verissimam hanc Carthusiani sententiam: *quod per confessionem scio, minùs scio, quàm quod non scio.* Confessionem quippe instituit in favorem, commodum, & levamen; non in odium, incommodum, vel gravamen pœnitentis, vultque ad eam ut amabilem omnes attrahi, neminem ab ea velut formidabili retrahi.

2885 Ex his sequitur 1°. prorsus improbanda esse quæcumque Leander suprà n. 2878. deducit ex opinione quam impugnamus.

2886 2°. Prælatum punire non posse subditum, ob peccatum ex sola confessione notum; nec Parochum à matrimonio repellere parochianum, ob impedimentum, cujus notitiam ex sola habet confessione; nec ob negatam absolutionem negari posse testimonium confessionis, *audivi confessionem talis*, &c. Imò nec testimonium de laudabili vita & moribus (in ordine ad Ordines v. g.) ob crimen in confessione auditum, ubi mos est hujusmodi testimonium dare.

2887 3°. non esse licitum, aufteriorem vultum pœnitenti ostendere, propter audita in confessione; nec conversationem ipsius declinare; nec minus honoris ipsi deferre; nec minorem affectum, quàm anteà, demonstrare.

4°. Confessarium non posse, extra confessionem, loqui cum pœnitente, de auditis in confessione, absque licentia ipsius. Proinde *si loqui cum pœnitente necesse sit, petitâ ab ipso licentiâ, tum eâdem secreti religione, ac in confessione, se teneri noverit*, inquit S. Carolus Borromæus in Instruct. Confessar. 2888

5°. plerique Authores nostræ assertionis sequi etiam putant Confessarium à proposito sacrificandi desistere non posse, si ex sola confessione pœnitentis sciat ipsum miscuisse venenum vino ad sacrificandum parato, nec aliud vinum ad manum sit; non posse etiam declinare locum, in quo ex sola confessione scit insidias sibi paratas ad ipsum occidendum. Ita Card. de Lugo, & alii apud Dianam p. 5. tr. 11. resol. 46. & p. 11. tr. 8. resol. 50. Puto tamen Confessarium posse tunc obligare pœnitentem ad concedendam sibi licentiam declinandi mortem sibi paratam. Quam si dare nolit, alicui fortè videbitur confessionem ipsius non esse sacramentalem, sed insidiosam, deceptoriam, illusoriam, & simulatam, sive factam ad decipiendum, illudendum, vel ad simulandum, non ad consequendam absolutionem, prout in casu n. 2865. relato ex Cæsario, sicut & in casu conjurationis in Pontificem (de quo ibidem) in quo Pontifex censuit confessionem non fuisse sacramentalem. Sed tu cogita: malo namque hac in re sapientiorum audire judicium, quàm edicere proprium. 2889

Sequitur 6°. non esse licitum Confessario, comitanti reos ad furcam, auditis omnium confessionibus, dicere Judici aut populo (post omnium supplicium) sibi constare Petrum v. g. fuisse innocentem. Quia sic indirectè censetur ex confessione Judici vel populo notitiam vel suspicionem ingerere alios fuisse nocentes: aliorum proinde confessionem indirectè revelat. 2890

Hinc periculosum est, ex paucis pœnitentibus tuis, de quibus est sermo, unum præ aliis ex sacramentali directione conscientiæ ipsius commendare, innocentissimum declarare, etiam post mortem omnium. Quia eo ipso quo unum sic specialiter commendans, de aliis tacet, suspicionem ingerit alios non fuisse ita innocentes, ita commendabiles, &c. 2891

Cæterùm licitus est talis usus scientiæ confessionis, qui pœnitenti nullo modo odiosus sit, nec incommodus. Quia nullo modo odiosam, vel molestam, seu incommodam reddit confessionem. Et ita communis timoratorum Confessariorum praxis ostendit, dum ex scientia confessionis cavent pericula, ex quibus aliorum lapsum intellexerunt; vel discunt modum conversandi cum pœnitente, sine offensione, vel scandalo ipsius; vel specialiter orant Deum pro ipso; vel dum Superiores ex sacramentali scientia murmurationum contra suum regendi modum, se emendant, moderatiùs regendo, &c. 2892

LIBER

LIBER SEXTUS.

AMOR UNGENS AD EXTREMAM CUM DIABOLO LUCTAM,

Sive

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Quàm suavis est Domine spiritus tuus! quàm fortis amor, quàm constans, quàm providus! neque enim solùm in ingressu & progressu, sed & in egressu vitæ, adversus insidias & tela inimicorum omnium, fidelibus tuis prospectum esse voluisti. Et quemadmodum ipsis auxilia maxima in Sacramentis aliis præparasti, quibus conservare se adversus inimicorum insidias, dum viverent, possent; ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio munivisti. Nam si adversarius noster diabolus occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementiùs omnes suæ versutiæ nervos intendit, fortiorique & acriori impetu insurgit ad perdendos nos, & à divinæ misericordiæ fiducia deturbandos, quàm cùm impendêre nobis perspicit vitæ exitum, extremumque pro æternitate certamen. Quis similis tui in fortibus Domine? Quis in auxiliando similis tui? Magnificus planè in dilectione, qui tot modis, tot Sacramentis nobis succurris, & parvulis vitam, adultis robur, fortibus cibum, pœnitentibus veniam, languentibus medicinam impendis, ut certantes defendas, victoresque perpetuâ beatificæ visionis coronâ tandem remuneres. Quis fidelium deesse sibi Deum causabitur, qui tam multiformi gratiâ è fontibus Salvatoris manante nos jugiter munit? Per Baptismum quippe gratiam infundit ad novam vitam instituendam, eique nos conformandos, cujus filii facti sumus. Per Confirmationem, robur addit internum, ad fidem, etiam cum vitæ discrimine, alacriter profitendam. Per Eucharistiam, internâ suavitate, spiritûs pinguedine, spiritualique delectatione animum implet. Per Pœnitentiam, spiritum compunctionis, peccatique horrorem inspirat. Gratia Extremæ Unctionis vim habet eximiam ad mitigandos infirmæ carnis dolores, ad languores animi spiritualibus lenimentis instaurandos, ad ultimos callidi tentatoris conatus superandos. Per sacram Ordinationem, gratiam confert singularem ad consequendam vitæ sanctimoniam, Ecclesiæ Ministris necessariam, sacrasque functiones sancte & religiosè peragendas. Denique per Matrimonij Sacramentum, gratiam tribuit, quâ & libido refrenetur, & proles piè educetur, & familia tranquillè instituatur. Absit proinde ut tot præsidiis muniti cedamus adversariis, abscondentibus laqueos pedibus nostris. Absit ut tantâ gratiarum varietate instructi, terrena sapientes, jejuni, aridi, languidi, assimilemur terræ desertæ, inviæ & inaquosæ, vel montibus illis maledictis, in quos neque ros, neque pluvia descendit. Absit ut tot talentis ditati, tamquam servi inutiles, projici velimus in tenebras exteriores. Quin potiùs in via spiritûs proficientes, Deo alacriter serviamus in justitia & sanctitate coram ipso, omnibus diebus nostris, ut tandem de manu inimicorum nostrorum liberati, cum Davide dicere valeamus: *Dominus, qui eripuit me de ore leonis, & unxit me unctione misericordiæ suæ, ipse me eripiet de manibus inimicorum meorum.*

CAPUT I.

Extrema Unctio verum est novæ legis Sacramentum à Christo institutum.

EXtrema Unctio Sacramentum est novæ legis, quo infirmus, de vita periclitans, à Presbytero ungitur oleo ab Episcopo benedicto, sub præscripta verborum forma. 1

Esse novæ legis Sacramentum, à Christo institutum, fide certum est. Sic enim contra Lutheri & Calvini hæresim Tridentinum definivit sess. 14. c. 1. de Sacram. Extr. Unct. necnon can. 1. 2. & 3. atque ex Scriptura, Traditione, & ratione probatur. 2

Ex Scriptura quidem: istud namque Sacramentum *apud Marcum* (c. 6.) *est insinuatum* (ait Trid. citato cap. 1.) *per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur inquit* (c. 5.) *quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei. Quibus verbis, ut ex Apostolica Traditione, per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium Ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti.* 3

De Traditione verò præterquàm quòd Tridentinum testetur, hanc Ecclesiæ Catholicæ perpetuam fuisse doctrinam, veteres Patres, & Concilia, Authoresque Ecclesiastici contestantur, nominatim Origenes, Chrysostomus, Innocentius I. Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Magnus, S. Eligius, V. Beda, pluresque alii Patres apud Natalem Alexandrum Theol. Dogmat. to. 5. l. 2. c. 1. a. 1. Ubi etiam profert Concilia Cabilonense anni 813. Aquisgranense anni 836. Moguntinum 847. Wormatiense anni 968. &c. 4

Tandem ratione idipsum probatur, quia Extremæ Unctioni nihil deest eorum quæ sunt de ratione Sacramenti. Non materia, non forma, non effectus, non Christi institutio. Est igitur gratiæ invisibilis visibile signum, ad sanctificationem nostram stabili lege divinitùs institutum. Proinde est Sacramentum. 5

Istud verò Sacramentum à Christo institutum esse, constat, tum ex Tridentino citato can. 1. tum ex eo quòd *Sacramenta* novæ legis *ad fundamentum legis pertinent* (ait S. Thoma Supplem. q. 24. a. 3.) *& ideò ad Legislatorem pertinet eorum institutio.* An autem Christus illud instituerit per se immediatè, an per Apostolos, ex mandato & nomine Christi? controvertitur. Posterius affirmant Magister Sententiarum, S. Bonaventura, Hugo Victorinus, &c. Prius S. Thomas & alii. Cùm nihil circa istas Catholicorum opiniones determinaverit Tridentinum (teste Tappero, qui Tridentino interfuit) sed solùm contra Lutherum & Calvinum definierit, Extremam Unctionem esse verum novæ legis Sacramentum à Christo institutum; idque verificetur in utraque ex dua- 6

bus opinionibus relatis (ut ostendimus l. 1.) hâc in re abundet quisque sensu suo.

CAPUT II.

Materia & forma hujus Sacramenti.

7 MAteriam remotam Jacobus Apostolus designavit, cùm dixit: *ungentes eum oleo*, utique olivarum, uti Florentinum declaravit. Quia nempe solum istud oleum, olei nomine propriissimè venit, & nonnisi per similitudinem aliis liquoribus olei nomen tribuitur, soloque isto oleo homines uti solent ad eos fines, per quos significantur proprii effectus hujus Sacramenti; alio verò nonnisi ipsius defectu. Aptissimè proinde hæc materia significat illud, quod *virtute hujus Sacramenti interiùs in animâ efficitur* (ait Catechismus Romanus) *nam ut oleum ad mitigandos corporis cruciatus magnoperè proficit; ita Sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tamquam pabulum præbet: tum verò ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum est. Quæ omnia quid in ægroto, divinâ virtute, per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.*

8 Oleum istud ab Episcopo benedictum esse debere in Ecclesia Latina, habemus ex Florentino & Tridentino, docentque Innocentius I. epist. ad Decentium, S. Gregorius in Sacramentario, V. Beda in epist. S. Jacobi, & Capitularia Caroli Magni lib. 6 c. 76. Id tamen non est de necessitate Sacramenti (quidquid dixerit Merbesius cum non nullis aliis) cùm hoc Sacramentum validè & licitè apud Græcos conferatur oleo ab Episcopo non benedicto, uti constat ex ipsorum Euchologiis, eumque ritum Clemens VIII. approbaverit in Instructione super aliquibus Ritibus Græcorum. In necessitate etiam non negamus, quin oleum non consecratum, consecrato possit oleo admisceri (cùm scilicet consecratum deficit) sic enim habetur in cap. *quod in dubiis* extra. de consecrat. Eccles. Summus denique Pontifex concedere potest, ut oleum infirmorum à simplici Presbytero benedicatur. Cùm enim id passim fiat in Ecclesia Orientali, non est cur S. Pontifex id concedere non possit in Ecclesia Occidentali.

9 Si per errorem aliud oleum, quàm quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum Sacerdos adhibuerit, v. g. Chrysmatis, vel Catechumenorum, vel oleo ab Episcopo non benedicto unxerit (propter opinionem Merbesii suprà relatam) erratum emendet, unctionemque & formam repetat, uti statuitur in Concilio Mediolanensi V. traditque S. Carolus in Instruct. de Sacram. Extrem. Unct.

10 Materiam hujus Sacramenti proximam, scilicet unctionem, Jacobus Apostolus pariter designavit, dicens: *ungentes*. Tot porrò unctiones fieri debent, quot in Ritualibus præscribuntur, maximè in organis quinque sensuum (cùm id fieri potest) nullaque tunc prætermitti potest absque gravi peccato; tametsi unica sufficiat ad substantiam Sacramenti; eò quòd unicâ fiat id quod per Jacobum Christus fieri voluit, *ungentes eum oleo*. Unde nec Græci ungunt organa quinque sensuum, sed frontem, genas, mentum & manus, ut testis est Simeon Thessalonicensis lib. de Sacram. Nunc autem præterea ungunt pectus & pedes, ut Arcudius testatur. Temporibus Apostolorum (prout Authores graves referunt) major corporis pars ungi consueverat.

11 *Quinque verò corporis partes* hodie *præcipuè ungi debent* (ait Rituale Romanum) *quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempè oculi, aures, nares, os, & manus. Attamen pedes etiam & renes ungendi sunt. Sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratiâ, semper omittatur, atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* Pastorale tamen Mechlinienſe (sicut & Leodiense) loco renum, pectus ungi statuit. In feminis tamen nonnisi summum pectus, sive imum guttur inungitur. Manus in Presbyteris exteriùs, in aliis interiùs unguntur. Pedes in omnibus exteriùs, seu supernè, tanquam in parte decentiore, ne oleum sub pedibus calcari videatur.

In morbis contagiosis, pesteque grassante, ut 12
periculum vitetur, sufficit inungi sensûs organum magis ad unctionem expositum, aut detectum, dicendo: *per istam sanctam unctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & gressum.* Tunc que preces, quæ præmittendæ & subjungendæ forent, poterunt in Ecclesia coram Venerabili Sacramento devotè legi, prout habetur in Pastorali Mechlinienſi, anno 1588. per Facultatem Lovanienſem approbato, can. 9. de Extr. Unct. Quando verò mors urget, fiat quod potest; si tamen tempus permittat, saltem *ungantur celeriter quinque sensuum organa in capite, dicendo semel: per istam sanctam unctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum*, &c. Ita Manuale Cameracense, addens, quòd, *si tantum sit contagii, vel mortis periculum, ut nec consuetæ partes ungi, nec illa forma pronuntiari possit*, ungatur organum sensûs magis ad unctionem expositum, dicendo: *per istam sanctam*, &c. *quidquid deliquisti per quinque sensus tuos.* Et rursus, *in rabidis ungatur pars oris vicina* (simile observari debet in mutilatis, in quibus ungendæ partes viciniores organis sensuum, prout S. Carolus docet in Instruct. de Extrem. Unct.) *ne saliva, quæ inficiendi vim habet, tangatur. In pestiferis utiliebit virgâ oblongâ, oleo intinctâ, quæ deinde comburatur, aut servanda purgetur.* Quibus etiam S. Eucharistiam mediâ cannulâ, vel spatulâ argenteâ, aut aliâ, ad vitandum periculum, ministrari aliqui permittunt.

Porrò in ungendis oculis, aliisque membris, quæ 13
in homine gemina sunt; meminerit utrumque membrum, v. g. utrumque oculum sub una verborum formula, sub duplici tamen cruce ungere, incipiendo à dextro, uti S. Carolus & Ritualia præscribunt. Caveat proinde tunc Sacerdos prius formam absolvere, quàm utrumque hujusmodi membrum perunctum sit. Quòd si, *dum inungitur*, infirmus decedat, Presbyter ultrà non *procedat*, & loco aliarum orationum, animæ commendationes legat. *Quòd si dubitet, an vivat adhuc, prosequatur unctionem sub conditione*, si vivis, per istam, &c. Sic passim Ritualia.

Forma denique hujus Sacramenti, est ista: *per* 14
istam unctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum. Et similiter in aliis. Ita Florentinum & Tridentinum. Quæ forma deprecativa fundatur in verbis Jacobi: *orent super eum.* Ex quibus licet *cognoscere formam precationis modò proferendam esse.* Verba tamen indicativa esse posse, authoritate & ratione probari potest, ut videre est apud Morinum lib. 8. de pœnit. c. 16. n. 13. & 14.

CAPUT III.

Minister hujus Sacramenti.

MInister hujus Sacramenti est Sacerdos, uti de- 15
claravit Tridentinum. Et quidem solus, uti Tridentin. definivit can. 4. & Jacobus declaravit, dicendo: *inducat Presbyteros.* Quo nomine *eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligen-*

di veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum Presbyterii. Tridentinum c. 3. & can. 4.

16 Cuilibet tamen Sacerdoti Sacramentum hoc administrare non licet, sed soli proprio Pastori, sive Episcopo, vel Parocho, vel cui illi commiserint. Ita Concilium Mediolanense V. Deficiente tamen Parocho, & quovis ab ipso, vel ab Episcopo ad id delegato, quilibet Sacerdos, etiam Regularis, illud licitè administrat. Quòd si extra hunc casum Regularis sæculari infirmo administret, lethaliter peccat, atque in excommunicationem incidit. Clement. I. de privilegiis, & Clement. *didum*, de sepultur.

17 Siquando acciderit, Parochum, vel ab eo delegatum, ungendo deficere, nec posse perficere, alius Sacerdos, si adsit, vel certè statim evocatus, partes nondum unctas ritè ungat; unctas verò denuò non ungat. Ita S. Carolus in Instructione citata.

18 *Tenetur* verò *Parochus ex justitia subdito petenti ministrare, etiam peste infecto.* Ita Rituale Romanum §. 23. Quia ad hoc tenetur ex officio Parochi, & ad hoc Parochialia jura recipit. Et quamvis hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis, est tamen præcepti, & maximæ utilitatis, agiturque de momento unde pendet æternitas. In quo nihil negligendum. Si tamen *Parochus sit tots populo sic necessarius, ut ejus mors, aut infectio, futura sit magna populi desolatio, & jactura.... sufficiet, si Sacramenta magis necessaria administret*, inquit Manuale Cameracense. Verùm hic casus adeò hodie rarus est, ut plerùmque rationabilis non esset sub hoc prætextu excusatio. Saltem suo circa hoc Parochus judicio stare non deberet, sed Episcopi. Ne sub vano prætextu omittat officium boni Pastoris, qui debet animam suam ponere pro ovibus suis, meminisseque Augustinianæ sententiæ tr. 123. in Joan. *Christi amor, in eo qui pascit oves ejus, in tantum debet crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem.* Confer ea quæ dixi lib. 1. c....

CAPUT IV.

Subjectum hujus Sacramenti.

19 SAcramentum hoc in Ecclesia Latina administrandum est solis ægrotantibus, de quorum morte timetur. Non autem peccatoribus sanis, & benè valentibus (prout in Ecclesia Græca, permittente Latinâ, administrari constat, partim ex ipsorum Euchologio, partim ex variis Authoribus, Græcis & Latinis, qui de Græcorum Ritibus scripserunt) id enim conformius est Jacobo Apostolo: *infirmatur quis ex vobis*, &c. Atque ita Eugenius IV. præscripsit in Decreto suo, his verbis: *hoc Sacramentum nonnisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet.* Ita etiam Tridentinum sess. 14. de Extrem. Unct. c. 13. *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis præsertim qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constitui videantur. Unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.* Non est tamen necesse expectare ultimum vitæ periculum, sed sufficit quòd infirmus, Medicorum judicio, periculosâ ægritudine laboret. Imò expedit illud administrari *eo tempore, cùm adhuc integra mens & ratio viget, tum ut, ad uberiorem Sacramenti gratiam recipiendam, ipsi etiam infirmi suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur oleo* (inquit Rituale Roman.) Tum ut effectus hujus Sacramenti secundarius, sanitas videlicet corporis, per illud sine miraculo expectari queat: ad quod convenit, quòd adhuc spes aliqua vitæ supersit. Vix enim sine miraculo expectari potest, dum ad statum desperatum æger adductus est. Cùm tamen hunc effectum Sacramentum non operetur per modum miraculi, sed virtute ordinariâ supernaturali, causas naturales adjuvante.

Et ideò redarguenda est praxis plurimorum, 20
expectantium velut ultimum vitæ halitum. Sicut & stulta opinio, quâ falsò persuasum habent nonnulli, iis ex hac vita necessariò migrandum esse, qui inuncti fuerint: vel quâ sibi imaginantur, nullam inunctо supereſſe potestatem testamentum condendi, vel mutandi. Horum quippe & similium persuasione inimicus humani generis deterrere conatur ab hoc Sacramento suscipiendo, in tempore opportuno, ad impediendum fructus illius.

Debet autem hoc Sacramentum solis iis infir- 21
mis conferri, qui usum rationis adepti fuerint. Non autem pueris, necdum rationis usum assecutis, nec ab ortu amentibus, qui lucida nunquam habuerunt intervalla. Utpote quibus non congruit forma ipsius: *indulgeat tibi Dominus*, &c.; cùm non peccaverint post baptismum. Debet tamen conferri senibus, qui senio confecti in diem putantur morituri, licèt nullâ aliâ infirmitate laborent, quàm extremâ senectute: utpote quæ periculosus ipsa morbus est. Ita Concilium Mediol. IV. & S. Carolus in suis Institutionibus. Imò Synodus Aquensis anni 1585. jubet illud administrari senio confectis, etiam leviter laborantibus.

Addit Rituale Romanum §. 13. illud admini- 22
strandum *feminis in partu deficientibus* (non sic in partu laborantibus, ut in mortis periculo constitutæ non sint) *rabidis; peste infectis; lethaliter vulneratis; ex hausto veneno periclitantibus, etiam dum adhuc robusti sunt, si posteà suscipiendæ unctionis opportunitatem non sint habituri.*

Nemini autem, *qui graviore morbo affectus non* 23
est, Sacramentum Unctionis dare licet (ait Manuale Mechlinienſe cum Catechismo Rom.) *quamvis periculum mortis adeat; vel quia periculosam navigationem parat, vel quia prælium inituras sit, à quo certa mors illi impendeat, vel etiamsi, capitis damnatus, ad supplicium raperetur.* Neque enim illis congruit quod Jacobus ait: *infirmatur quis ex vobis*, &c.

Pueri autem post usum rationis periculosè æ- 24
grotantes, licèt sint solùm octo aut novem annorum, quamvis nunquam communicaverint, si tamen fuerint peccati & confessionis capaces, ungendi sunt, *ita tamen, ut si eos mori contingat, non sint eorum parentes urgendi ad exequias more adultorum*, inquit Manuale Mechlinienſe. Imò si tales ad Viaticum disponi queant, etiamsi nunquam anteà communicaverint, nec sani adhuc communicaturi forent, per modum Viatici communicandi sunt, juxta illud, *nisi manducaveritis carnem meam*, &c.

Denique amentes & furiosi, qui rationis usum 25
habuerunt, si tunc *piam animi significationem dederunt, aut hoc Sacramentum petierunt, licèt posteà in furorem aut insaniam incidant, ungendi sunt. Impœnitentibus vero, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis penitùs denegetur* (ait Rituale Roman.) Cameracense verò iis addit eos *qui rationem amiserunt in statu evidenter malo, ut si interpeccandum subitò sensibus priventur, antequam moraliter loquendo possint verè ad Deum converti; aut anteà vixerint in manifesto peccato mortali, ut publicus usurarius, publica meretrix, neque signa veræ ad Deum conversionis ostenderint.*

Porrò *infirmus periculosè decumbens in una in-* 26
firmitate, semel tantùm ungendus est (ait Manuale Mechlinienſe) quando scilicet idem morbi status, & periculum perseverat. Si tamen post unctionem convaluerit, vel periculum evaserit; quo-

ties posteà in idem vitæ discrimen inciderit, toties hujus Sacramenti subsidio juvandus erit. Ita Manuale Cameracense his verbis: *iteranda erit unctio, quoties posteà simile periculum redierit, dummodò prudenti judicio diversi status morbi, diversaque pericula censeantur*; dummodò (inquam) talis mutatio intercesserit, ut æger non solùm meliusculè se habuerit (prout manè se habere solet, comparatione ad vesperum) sed & dici potuerit periculum evasisse. Ita etiam ferè habent Synodus Lingonensis anni 1404 Senonensis anni 1524 Carnotensis anni 1526. S. Thomas in 4. dist. 23. q. 2. a. 4. q. 2. S. Carolus in Instruct.

27 Ratio verò cur Unctio, in eodem morbo & morbi statu, minùs repeti possit quàm sacra Communio, est quia sacra Communio est panis quotidianus, quò anima quotidie indiget: sacra verò Unctio est Sacramentum exeuntium; tunc solùm proinde repetendum, cùm de novo quis est in periculo exeundi.

CAPUT V.

Quadruplex effectus hujus Sacramenti.

28 QUatuor Extremæ Unctionis effectus Tridentinum sess. 14. de Extrem. Unct. c. 2. enarrat dicens: *delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: quâ infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*

29 Primus itaque effectus est peccatorum remissio, si quæ sint expianda, juxta illud Jacobi: *si in peccatis sit, remittentur ei.* Etiam quoad culpam, etiam mortalem nondum condonatam, si fortè per inadvertentiam Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum infructuosè susceptum fuerit.

30 Secundus est abstersio reliquiarum peccati, quæ sunt animi torpor, debilitas, ineptitudo ad exercendos actus supernaturales, angor, & timor, & consternatio, quibus imminente morte ægrotantes invaduntur, ex eo quòd proximè de mundo decessuri, adstituri sint tremendo Judici. Quas peccatorum reliquias hujus Sacramenti virtus abstergit, exhilarando ægrotos, & magnam in ipsis divinæ misericordiæ fiduciam excitando.

31 Tertius effectus est alleviatio animi, sive robur ad morbi incommoda levius ferenda, faciliùsque resistendum tentationibus diaboli, calcaneo insidiantis.

32 Quartus est corporis sanitas, si ad salutem animæ expediat. Ita S. Jacobus: *oratio fidei salvabit infirmum.* Cujus rationem S. Thomas ubi suprà q. 1. a. 2. q. 2. optimam reddit, *quòd Extrema Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ operatur rationabiliter. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundùm quod expedit ad principalem: ideò ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quantum expedit ad spiritualem sanationem. Et tunc semper eam inducit, dummodò non sit impedimentum ex parte recipientis*, v. g. infirmitas fidei. Ut enim Catechismus Romanus observat, *si ægroti hoc tempore eam* corporis sanitatem *minùs consequuntur, id quidem non Sacramenti vitio, sed ob eam causam evenire credendum est, quòd eorum magna pars, vel qui sacro oleo unguntur, vel à quibus administratur, infirmiorem fidem habet. Testatur enim S. Matthæus c. 13. Dominum apud suos multas virtutes non fecisse, propter incredulitatem eorum.*

CAPUT VI.

Enumerati effectus tales ac tanti sunt, ut ex iis meritò inferatur, lethalis peccati reos esse, qui, à Pastore moniti, negligunt Sacramentum istud suscipere. Reos item Pastores, qui, rogati, negligunt ovibus suis illud administrare. Ad quod sub mortali tenentur, etiam cum vitæ suæ periculo.

POsterior pars constat ex dictis n. 18. Prior 33
pars probatur (contra Estium & varios Recentiores) 1°. quia suscipiendæ Extremæ Unctionis divinum extat præceptum, istis Jacobi verbis significatum: *inducat Presbyteros*, &c. Neque enim verba ista merum significant consilium, sed præceptum, uti post Rupertum, in vita Hereberti, Concilium Coloniense anni 1538. p. 7. c. 50. declarat his verbis: *sacra Unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici*, id est divini ab Apostolo promulgati. Sicut & Concilium Senonense anni 1528. Decret. 10. *ne hic noster ungendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen Sacramentum esse videretur: si quis infirmatur*, &c. Quibus verbis declarat, ritum ungendi infirmos, & Christi præceptum, & Sacramentum esse. Idem declarat Tridentinum c. 3. cùm dicit, audiendos non esse, qui *contra apertam & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam, hanc Unctionem, vel figmentum esse humanum, vel ritum esse à Patribus acceptum,* NEC MANDATUM DEI, *nec promissionem gratiæ habentem.*

2°. quia fieri potest quòd infirmus, post ab- 34
solutionem & communionem, aliquod peccatum mortale commiserit, cujus tamen conscientiam non habeat, ut illud confiteatur. Fieri etiam potest, ut Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum, in malo statu nescius susceperit; quod proinde per Extremam Unctionem, tamquam remedium ordinarium, ex secundaria intentione à Christo institutum, delendum sit. Deinde quidquid de eo sit, tanta est humana infirmitas in extremo tempore, dum accusante hominem conscientiâ, ob scelera in memoriam redeuntia, mortis & terribilis judicii imminentis terror & horror ipsum invadit, & inter morbi angustias, extremasque diaboli insidias, animus ipsius adeò languet, ut nisi juvetur per ingentia illa bona & auxilia, quæ per hoc Sacramentum conferuntur, periculum sit, ne deficiat & succumbat. Ne enim deficeret, hoc Sacramentum, velut remedium, Christi amor instituit. Igitur tantum remedium negligere, imo eoque ex hac vita voluntariè migrare, est salutem suam periculo magno exponere. Quod profectò non leve est, sed grave peccatum. Periculosum quippe esse sine hoc Sacramento emigrare, Synodus Andegavensis anni 1293. declarat, dicens: quòd *Sancti dicunt, quòd sine hoc Sacramento periculosum est ex hac vita migrare.* Synodalia etiam Statuta Remensis Ecclesiæ (apud Natalem Alexandrum to. 5. Theol. Dogmat. l. 2. de Extr. Unct. reg. 20.) dicunt, quòd *necessarium est ad salutem istud Sacramentum, si possit haberi.*

3°. ex dictis libro 3. mortale est Sacramenti 35
Confirmationis susceptionem negligere. Ergo & negligere susceptionem Sacramenti Extremæ Unctionis.

4°. teste Martino V. in Bulla edita in Conc. 36
Constant. susceptio hujus Sacramenti contemni non potest absque mortali peccato. Illud verò datâ opportunitate negligere, vel est virtualis quidem contemptus, vel parem aut ferè parem cum contemptu malitiam habet. Certè in foro exte-

riori illud contemnere præsumuntur, qui sine causa prætermittunt. Et *licèt dicant quòd non faciant ex contemptu; debet tamen dubitari, ne malignus spiritus, eos extrahens, in extremo decipiat*, ait Synodus Lingonensis anni 1404. Synodus quoque Senonensis anni 1514. Sacramentum hoc *contemni dicitur* (inquit) *quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit, aut despicit recipere.*

37 Meritò proinde S. Carolus in Concil. Mediol. V. p. 2. tit. de iis quæ pertinent ad Sacr. Extr. Unct. *Caveat* (inquit) *Parochus, ne in eo Sacramento ministrando negligentiam, ullamvè moræ culpam contrahat. Alioqui si ad illius administrationem accersitus, ire neglexerit, cùm rationem Deo reddet, tum pœnâ ab Episcopo graviter plectatur.* Ipsum namque lethaliter peccare, Ritualia Remense, Colonienſe, Trevirense, Leodiense, perspicuè declarant. Quod ne committat, laudatum Concilium Mediolan. ipsi in memoriam revocat *exemplum sanctissimi Episcopi Malahiæ, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus est, quòd culpâ suâ mulier quædam Sacramenti hujus gratiâ fraudata deceſſerit, ut totam noctem orando, gemendo, lachrymando consumpserit, lachrymarumque.... imbre pro oleo sancto.... mortuam perfuderit. Manè autem exaudivit Dominus Sanctum suum, ita ut illa è morte excitata... Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps à morbo convaluerit.* Meritò etiam Concilium Burdigalense anni 1583. Parochis *præcipit, ut omnes curæ suæ creditos frequenter moneant, ne sint hac in re lentiores, aut negligentiores, cùm inter eos aliquis periculosè laborare videbitur, &c.*

Ex dictis omninò perspicuum est, prorsus im- 38
probandam esse nonnullorum opinionem, quæ dicit, nullum de hoc Sacramento suscipiendo præceptum extare (cujus oppositum constat ex laudatis Tridentini verbis) & ne venialiter quidem peccare eos, qui susceptionem illius voluntariè omittunt. Legant ipsi Manuale Parochorum, editum à R. P. Carolo Mussardo, viro certè gravi, acrisque judicii, alieno à fabulis, perquàm studioso solidæ veritatis. Ibi velut credibilissimum refert exemplum (antè relatum à R. P. Nicolao de Nisa Ordin. Minor. in *Gemma Prædicantium*) cujusdam utique viri, magni aliàs meriti, qui interrogatus an vellet ungi, respondit, errore humano seductus: *nolite, obsecro: quia omnes, qui unguntur, moriuntur.* Atque hoc dicto obiit. Cùm verò linteaminibus obvolveretur, aperuit oculos, & dixit: *quia Extremæ Unctionis Sacramentum abhorrui, centum annis in Purgatorio, justo Dei judicio, torquebor. Si unctus fuissem, de ægritudine convaluissem; sacra enim Unctio non est acceleratio mortis, sed dilatio.* Atque his dictis iterum expiravit. Peccasset ille mortaliter, nisi à mortali ipsum excusasset ignorantia, seu error à mortali excusans, non à gravi veniali.

LIBER SEPTIMUS.

AMOR ORDINANS MINISTROS ECCLESIÆ MILITANTIS.

Sive

DE SACRAMENTO ORDINIS.

DIvinus amor subsidia necessaria ad salutem non solùm providit homini, in ordine ad salutem suam privatam; sed & in ordine ad vitam socialem, salutemque aliis procurandam. Quia enim homo animal sociale est, nec sibi soli natus est, duo postulat, quibus & speciei suæ perennitatem, & sempiternam aliis salutem adscisceré queat, propagationem nimirùm speciei, & spirituale regimen ovium Christi. Utrique providit divinus amor: propagationi, per Matrimonii Sacramentum; regimini, per sacram Ordinationem, per quam iisdem Christi ovibus providit de dispensatoribus Mysteriorum Dei. Sed quantam putas in dispensatoribus istis exigit vitæ sanctimoniam? Attendant, qui tales sunt, quàm sanctum, quàm augustum, quàm divinum sit ministerium ipsorum, quàmque eminens ipsis collata potestas, quæ in divinissimis Sacramentis conficiendis, contrectandis, dispensandis consistit? Hinc tam eximium innocentiæ & sanctitatis gradum in ipsis Concilia & Patres requirunt, ut quæ in ore sæcularium nugæ sunt, in Sacerdotibus blasphemias esse Bernardus contestetur. Hinc Seraphicus vir Franciscus Sacerdotalem Ordinem constanter detrectavit, illum vitæ candorem in se non agnoscens, qui sibi fuerat ab Angelo sub aquæ pellucidæ symbolo præmonstratus. Hinc alii viri sanctissimi, quos Dei spiritus impleverat, divinissimorum Mysteriorum sacro horrore perculsi, à divinis agendis tractandisque identidem supersederunt, quo se ad ea jejuniis, gemitibus, orationibus, omnique pietatis studio interim disponerent. Hinc denique Episcopus, novos Ecclesiæ Ministros ad sacras Ordinationes provehens, *imitamini* (inquit) *quod tractatis.* Audiant sacri Ministri, timeant Sacerdotes. Nihil eorum statu munereque divinius, quibus solis tam divina tractare datum est, collataque sublimitas tanta, *quâ nec majus quippiam, nec præstantius apud nos est*, ait Nazianzenus orat. 1. *Quo non oportet* igitur esse *puriorem tali fruentem sacrificio?* Quo solari radio non splendidiorem manum, *carnem hanc dividentem? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* Si altarium Ministri à reliquo populo segregantur, nihil in ipsis plebeium & commune esse oportet. *Quomodo enim observari potest à populo, qui nihil secretum habet à populo?* ait Ambros. epist. 10. Qui & alibi dicit, *ex inordinata & indisciplinata multitudine Sacerdotum, hodie esse contemptui Redemptoris nostri Venerabile Sacramentum.* Sed & hodie vilescit Sacerdotii dignitas, quia in pluribus Sacerdotibus nihil quoad mores à populo segregatum, nihil eminens populi respiciunt. Quid enim in ipsis miretur, si sua in ipsis cognoscat? Ergo si à populo honorari volumus Sacerdotium nostrum, vel potiùs in Sacerdotio Christum, quod officio & Ordine sumus, & moribus simus, inquit pius Contensonus. Congruat actioni nomen, & actio respondeat nomini. Ne sit honor sublimis, & vita proclivis; deifica professio, & illicita actio; gradus excelsus, & mores abjecti. Denique tales simus, qualia Sacramenta quæ tractamus, ut dum sic lucebunt coram hominibus opera nostra, glorificent Patrem nostrum, qui est in cælis.

CAPUT I.

Ordinis definitio.

1 ORdo à Magistro Sententiarum in 4. dist. 24. & ibidem à S. Thoma, & S. Bonaventura definitur sic: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato*, utique in ordine ad corpus Christi consecrandum. De qua definitione S. Thomas, *definitio* (inquit) *quam Magister ponit de Ordine, convenit Ordini, secundùm quod est Ecclesiæ Sacramentum. Et ideò duo ponit, scilicet signum exterius, ibi:* signaculum quoddam: *id est signum quoddam*; & *effectum interiorem, ibi:* quo spiritualis potestas, &c. Nec solùm convenit Ordinibus majoribus, sed & minoribus: utpote quorum omnium finis ultimus est potestas consecrandi Christi corpus. Ad hoc enim omnes mediatè, vel immediatè instituti sunt; omnes etiam ad divinam illam potestatem suscipiendam suo modo præparant ac disponunt.

CAPUT II.

Ordo est verum novæ legis Sacramentum.

2 ID optimè probat Tridentinum sess. 23. c. 3. quia *cùm Scripturæ testimonio, Apostolicâ Traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri* (adeòque Ordinem esse invisibilis gratiæ visibile signum practicum) *dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.*

3 Illud verò Scripturæ testimonium petitur ex 2. Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Apostolicæ Traditionis depositarii sunt SS. Patres, quos inter S. August. l. 2. contra epist. Parmen. c. 3. tam Ordinem, quàm Baptismum esse dicit Sacramentum: *utrumque enim Sacramentum est, & quâdam consecratione utrumque homini datur; illud cùm baptizatur; istud cùm ordinatur.* Quod (ut infrà dicit) *nemo dubitat.* Erat igitur traditio certissima. De eadem traditione testatur S. Leo epist. 11. aliàs 81. & epist. 1. aliàs 86.

CAPUT III.

Divisio Ordinis.

4 *DIstinctio Ordinum* (ait S. Thomas Supplem. q. 37. a. 2.) *est accipienda secundùm relationem ad Eucharistiam. Quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut aliquod ministerium, ordinatum, ad hoc Sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est Ordo Sacerdotum. Et ideò, cùm ordinantur, accipiunt potestatem conficiendi corpus & sanguinem Christi. Cooperatio autem Ministrorum est vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Primò est ministerium, quo Minister cooperatur Sacerdoti in ipso Sacramento, quantùm ad dispensationem: & hoc pertinet ad Diaconum. Secundò, est ministerium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in sacris vasis: & hoc pertinet ad Subdiaconum. Tertiò, est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam Sacramenti: & hoc competit Acholyto. Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum, non potest esse nisi super immundos: quia qui mundi sunt, jam sunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex est autem genus immundorum, secundùm Dionysium in lib. de cælesti Hierarchia c. 3. Quidam enim sunt omninò infideles, credere nolentes: & hi totaliter etiam à visione divinorum, & à cœtu fidelium arcendi sunt: & hoc pertinet ad Ostiarios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet Catechumeni: & ad horum instructionem ordinatur Ordo Lectorum. Quidam verò sunt impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet Energumeni: & ad hoc habet ministerium Ordo Exorcistarum.*

Proinde, ut idem S. Doctor habet l. 4. contra Gentes c. 75. *Ordines sunt septem, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acholytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus. Infimi Ordines deserviunt Sacerdotali Ordini, solùm in populi præparatione. Ostiarii quidem, arcendo infideles à cœtu fidelium; Lectores autem, instruendo Catechumenos de fidei rudimentis.... Exorcistæ autem, purgando eos qui jam instructi sunt, si aliqualiter à dæmone impediuntur à perceptione Sacramentorum.* 5

Superiores verò Ordines Sacerdotali deserviunt, & in præparatione populi, & ad consummationem Sacramenti. Nam Acholyti habent ministerium super vasa non sacra, in quibus Sacramenti materia præparatur. Unde eis urceoli in sua Ordinatione traduntur. Subdiaconi autem habent ministerium super vasa sacra, & super dispositionem materiæ nondum consecratæ. Diaconi autem ulterius habent aliquod ministerium super materiam jam consecratam, prout sanguinem Christi dispensant fidelibus. Et ideò *hi tres Ordines, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, sacri dicuntur, quia accipiunt ministerium super aliqua sacra.* 6

Dicuntur & sacri aliâ consideratione, quia videlicet annexum habent solemne votum continentiæ, per quod homo specialiter & immobiliter Deo consecratur. Et utrâque etiam ratione dicuntur Ordines majores. Reliqui verò minores. 7

Si quæras 1°. cur non dicamus esse octo Ordines, prænominatis addendo Episcopatum: utpote quem esse Ordinem, constat ex eo quòd ipsi conveniat tradita Ordinis definitio. Verè enim Ordinatio Episcopalis est sacra cæremonia, signaculumque Ecclesiæ, quo spiritualis potestas, & gratia ipsa traditur Episcopo, juxta illud 2. Timoth. 1. *resuscita gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* 8

Respondeo, licèt Episcopatus verè sit Ordo, verè etiam Sacramentum, non esse tamen octo Ordines: tum quia Episcopatus comprehenditur sub Sacerdotio, quatenùs Sacerdotium dividitur in summum, & non summum: tum quia Episcopatus non distinguitur adæquatè à Sacerdotio, sed ipsum essentialiter importat, potestatem utique consecrandi. Non sunt ergo nisi septem Ordines, adæquatè à se invicem distincti. 9

Si quæras 2°. an Tonsura non sit Ordo? 10

Respondeo negativè. Neque enim est Ordo major, ut patet. Neque minor. Cùm Tridentinum sess. 23. c. 2. & de reform. c. 6. eam à minoribus Ordinibus perspicuè distinguat, ibi: *nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus*, &c. Nec certè per ipsam confertur ulla specialis potestas Ordinis, sed per eam solùm deputatur quis ad Dei ministerium, deputatione Clericis omnibus communi. *Et ideo non est Ordo* (ait S. Thomas in 4. dist. 24. q. 3. a. 2. q. 2. in corp.) *sed præambulum*, seu dispositio *ad Ordinem.* Nec ipse Clericatus est Ordo, sed quædam professio vitæ, dantium se divino ministerio, ait idem S. Doctor opusc. 5. Videri nihilominùs potest Fagnanus in cap. *cùm contingat* de ætat. & qualit. ordin. ubi cum communi Canonistarum sententia pluribus contendit, Clericalem Tonsuram esse verum Ordinem. Quod etiam censent ex Theologis Alcuinus de div. offic. c. 35. Major, Eckius, Angelus, & cum ipsis Leonardus Van-Roy Th. Mor. p. 4. tr. de Ordine cap. 2. q. 3.

CAPUT IV.

Minores Ordines, & Subdiaconatum verè & propriè esse Sacramentum, plerique magni Theologi probabiliter affirmant. Alii probabilius negant.

11 AFfirmant quippe S. Thomas, Bonaventura, Scotus, &c. Faventque Florentinum (dum ait: *sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo:* dumque deinde cujuslibet Ordinis, etiam minoris, materiam, æquè ac Presbyteratûs assignat) & Tridentinum sess. 23. ubi postquam c. 2. omnes septem Ordines enumeravit, eorumque convenientiam hâc ratione demonstravit: *cùm divina res sit Sacerdotis ministerium; consentaneum fuit (quò dignius & majori cum veneratione exerceri posset) ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent; ita distributi, ut qui jam Clericali Tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Cap. 3. absolutè & indistinctè definit, Ordinem esse Sacramentum.

12 Favet & ratio. Cur enim alioqui homines ad controversorum Ordinum ministeria destinarentur per traditionem materiæ, prolationemque formæ, prout ad Sacerdotii ministerium, quod haud dubiè est Sacramentum?

13 Negant verò Durandus, Cajetanus, Estius, Dominicus Soto, Navarrus, Vasquez, Morinus, &c. 1°. quia isti Ordines ab Ecclesia instituti sunt, non à Christo. Eos quippe à Christo fuisse institutos, nec Scriptura docet, nec Traditio. Nullus enim SS. Patrum id asserit. 2°. quia ut Urbanus II. in Concilio Beneventano dicit (apud Ivonem Decret. p. 5. c. 72.) *sacros Ordines dicimus, Diaconatûs & Presbyteratûs. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse. Super his solis præceptum Apostolicum habemus. Cæteri Ordines* (ut Amalarius dicit lib. 2. de offic. Eccles. c. 6.) *postea adjecti sunt, propter utilitatem ministerii.* Quod probat authoritate Ambrosii, seu antiqui Scriptoris, qui Paulinas Epistolas Commentariis suis illustravit. Et idipsum testantur Petrus Blesensis serm. 47. Hugo Victorin. l. 2. de Sacram. fidei p. 3. c. 13. Gratianus dist. 21. Magister lib. 4. Sententd. dist. 24. litt. I. Gratiani verba sunt: *Levitas autem ab Apostolis ordinatos legimus; Subdiaconos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* Iisdem planè verbis Magister utitur, loco citato.

3°. non iidem omnibus in Ecclesiis sunt Ordines inferiores. Quidam olim fuerunt, qui hodie non sunt, ut Cantores, & Fossarii, seu *laborantes, qui mortuorum corpora curant*, quorum meminerunt Ignatius epist. ad Antiochum, & Epiphanius in exposit. fidei. Cantorum etiam, seu Psalmistarum, meminit Concilium Cartag. can. 21. Subdiaconi & Lectores olim quidem fuerunt in Ecclesia Græca & Latina; Acholytorum verò vix aut ne vix quidem mentio ante Cypriani tempora. Nec eorum usus est in Ecclesia Græca, sed (præter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos) Subdiaconorum & Lectorum dumtaxat (prout ex Euchologiis Græcorum ante annos 800. conscriptis, antiquisque Canonibus Conciliorum Orientalium, aliisque probatissimis monumentis ostendit Morinus p. 3. de sacris Ordination. exercit. 4.) Quod profectò argumento est, Acholytatum, Exorcistatum, & Ostiariatum, non secùs ac Fossariatum & Cantoratum, non esse divinæ institutionis, sed Ecclesiasticæ; nec proinde esse Sacramenta, nec characterem imprimere. Neque enim Ordines isti tot subire potuissent mutationes, institui, abrogari, modò esse, modò non esse, ibi esse, alibi non esse potuissent, si forent divini juris, Sacramentaque verè, & propriè dicta.

4°. Materia Ordinum illorum aliquibus in Ecclesiis adhibetur ab Archidiacono; forma verò profertur ab Episcopo. Quod fieri non posset, si forent Sacramenta, quorum Minister & materiam adhibere debet, & formam proferre. 15

Nec urget quod ex Florentino & Tridentino in contrarium attulimus. Neque enim Conciliorum istorum mens fuit, Scholasticam hanc quæstionem determinare, sed solùm docere eorum officia, materiamque in Ecclesia Latina adhiberi solitam. Unde dum Florentinum dicit: *cujus materia*, &c. sensus est, *cujus Ordinis*; non autem, *Sacramenti Ordinis.* Ad quod insinuandum postmodùm addit: *confertur Ordo*; non autem, *confertur Sacramentum Ordinis.* Quòd autem Tridentinum indistinctè locutum fuerit, ideò fuit, quia nihil de præsenti controversia definire voluit. Neque, ut vera sit definitio ipsius (sacram utique Ordinationem esse Sacramentum) necesse est omnes Ordines esse Sacramentum; sed sufficit id esse verum de principalibus Ordinibus, Episcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu. 16

Nec magis urget allata ratio, quòd omnes Ordines conferantur per traditionem materiæ, prolationemque formæ. Nam & Doctoratus, seu Laurea Doctoralis, confertur per traditionem pilei, prolationemque certorum verborum. Nec tamen est Ordo. Variæ item dignitates politicæ simili modo olim conferebantur, v. g. Magistratus. Nam insignia dignitatis, ut cingulum, aut fasces, aut imagines, tradebantur, quibus certa verborum formula, dignitatis explicativa, erat adjuncta. Quas formulas refert Cassiodorus l. 6. c. 11. & 12. 17

CAPUT V.

Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, haud dubiè sunt Sacramentum.

HAud dubiè enim sunt divinæ institutionis, suntque signa practica & visibilia gratiæ invisibilis. Sunt (inquam) certo certiùs divinæ institutionis, uti Tridentinum definivit sess. 23. can. 6. *siquis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Ubi per Ministros Diaconi intelliguntur, quia Græca vox *Diacon* Ministrum significat, Diaconosque Ignatius Martyr in epist. ad Trallens. vocat *Ministros Jesu Christi, & Ecclesiæ Dei.* Et, ut Concilium Cartag. IV. can. 4. ait, *Diaconus... ad ministerium consecratur.* 18

Quòd autem sint signa practica & visibilia gratiæ invisibilis, demonstratur (contra Durandum & Cajetanum) ex eo quòd conferantur per manuum impositionem (ut infrà ostendam, idque etiam de ipso Diaconatu constat ex Actor. 6. ubi legitur septem Diaconos ab Apostolis ordinatos esse per manuum impositionem.) Per eam verò, juxta Scripturam & Patres, Spiritus sanctus, atque adeò gratia confertur. Cùm enim Diacono Episcopus imponit manus, dicit: *accipe Spiritum sanctum*, & deprecatoriè addit: *remitte in eos quæsumus Domine Spiritum sanctum*, &c. Tridentinum verò citatâ sess. 23. can. 4. anathema dicit ei qui dixerit, *per sacram Ordinationem non conferri Spiritum sanctum, ac proinde frustrà Episcopos dicere: accipe Spiritum sanctum.* 19

Præterea Anastasius Papa II. in epist. ad Anastasium Imperatorem c. 7. Sacramenti gratiam expressis verbis attribuit Sacerdotum & Levitarum Ordinationi. 20

CAPUT VI.

Minorum Ordinum materia, forma, & officium.

21 INter minores Ordines primus est *Ostiariatus*. Cujus materia est clavium Ecclesiæ traditio ab Episcopo. Forma: *sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus reclduntur.* Ostiarii officium est Ecclesiæ claves & januas custodire, aditu Ecclesiæ infideles atque excommunicatos arcere, campanasque pulsare.

22 Secundus est *Lectoratus*. Cujus materia est traditio sacri Codicis, seu veteris & novi Testamenti. Forma: *accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum iis, qui verbum Dei benè administraverunt ab initio.* In Ecclesia Græca Lectoratus materia est manûs impositio. Forma, oratio manuum impositioni adjecta. Lectorum officium est veteris & novi Testamenti libros clarè & distinctè in Ecclesia recitare. Panem etiam, & *omnes fructus novos* benedicere, ut admonet Episcopus, ipsorum officia explicans; tametsi benedictiones istæ à solis hodie Presbyteris peragantur.

23 Tertius est *Exorcistatus*. Cujus materia est traditio libri exorcismorum, uti docet Concilium Cartag. IV. can. 7. seu (loco ipsius) Pontificalis aut Missalis, ut permittit Pontificale Romanum. Forma: *accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos.* Proinde Exorcistarum officium est ejicere dæmones, & dicere populo, ut *qui non communicat, det locum*, & aquam in ministerio fundere, ut habet Pontificale Romanum.

24 Quartus & ultimus Ordinum minorum, seu non sacrorum, est *Acholytatus*. Cujus materia est duplex, una ceroferarii cum cereo, altera urceoli vacui. Quam materiam Ritualia antiqua, Concilium Cartag. IV. & Ordo Romanus volunt ab Archidiacono tradi; formam verò ab Episcopo pronuntiari. Quæ est: *accipite Ceroferarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Accipite urceolum, ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi.* Ex qua utraque forma patet quodnam sit Acholytorum officium.

CAPUT VII.

Materia, forma, & officium Subdiaconatûs.

25 SUbdiaconatus ab initio, ac deinde per aliquot sæcula, inter minores Ordines & non sacros numerabatur, nec Subdiaconi adstricti erant continentiæ voto, nec prohibiti à conjugio, ut constat ex Siricio Papa epist. ad Himerium, Episcopum Tarraconensem, ubi prohibitionem istam ultra Diaconos non extendit, uti nec Innocentius I. epist. 2. & 3. nec Concilium Cartag. V. c. 3. ubi jubet Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ab uxoribus abstinere, sub pœna depositionis ab officio: *cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Concilium Turonense I. Presbyteris tantùm, & Levitis, connubii usum prohibet. Concilium tamen Turonense II. Subdiaconos deponit, nisi ab uxoribus abstinuerint. Gregorius I. lib. 1. epist. 42. Romanam consuetudinem (juxta quam Subdiaconi continebant) in Siciliam sic induxit, ut qui ante prohibitionem uxorati fuerant, non cogerentur ab uxoribus separari. Tamen *videtur mihi* (inquit) *ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit.* Antè ergo id non promittebant, saltem universim. Post Gregorii tamen tempora, ampliùs tolerati non fuere Subdiaconi uxoribus suis utentes. Hodie itaque Subdiaconatus est Ordo sacer, non ex divina, sed ex Ecclesiastica institutione; uti tradit Innocentius III. cap. *Omnis* de ætate, qualit. & ord. præfic.

26 Subdiaconatûs materia est traditio patenæ vacuæ, calicisque vacui ab Episcopo. Cui additur traditio urceolorum cum vino & aqua, & manutergio ab Archidiacono. Forma sunt verba Pontificalis, quæ Episcopus profert. Græci pro materia solùm adhibent manuum impositionem; pro forma orationem. Traditio Libri Epistolarum ante quingentos annos non erat in usu; nec ipsius meminerunt qui ante illud tempus scripserunt; uti nec Concilium Cartag. IV. nec antiqua Ritualia de legenda ab ipsis Missæ Epistola quidquam habent. Isto quippe munere Lectores fungebantur, atque etiamnum funguntur apud Græcos. Quænam proinde traditio sit materia essentialis Subdiaconatûs, non est facile definire: cum Subdiaconatus non sit divinæ institutionis, & materiæ ipsius Ecclesia modò aliquid addiderit, modò resecaverit, variaque materia sit apud Græcos & Latinos.

27 Subdiaconorum tamen officium in Ecclesia Latina hodie est in Missa solemni Epistolam cantare, Diacono patenam & calicem portigere, sicut & urceolum cum vino & aqua, denique Sacerdoti aquam ad lavandas manus infundere, manutergiumque præbere, &c.

28 Tres verò obligationes in sua Ordinatione contrahunt. Prima est habendi titulum beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis, ne indecorè vivant. Secunda est castitatis. Tertia Breviarii recitandi.

CAPUT VIII.

Materia, forma, & officium Diaconatûs.

29 DIaconatûs materia essentialis sola est manuum Episcopi impositio, non Libri Evangeliorum traditio. Primò, quia solius impositionis manuum Scriptura meminit Act. 6. Secundò, quia Concilium Cartag. IV. can. 4. *Diaconus* (inquit) *cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat.* Canone verò sequenti ideò Subdiaconum ordinari dicit traditione patenæ vacuæ, & calicis vacui: *quia manûs impositionem non accipit.* Quo patenter innuit, in Ordinationibus, quæ per manuum impositionem fiunt, nullam instrumentorum traditionem esse de substantia. Tertiò, non semper traditus est Diaconis Evangeliorum Liber, in ipsorum Ordinatione, nec per eam ordinati sunt ab Apostolis septem primi Diaconi, sed per solam manuum impositionem Act. 6. *hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Imò tunc nondum conscripta erant Evangelia, ut plurimi censent. Quartò, Libri Rituales nongentorum annorum solius manuum impositionis meminerunt (sicut & Euchologia Græcorum, Missale vetus Francorum à Mabillonio editum, Isidorus, Alcuinus, Amalarius) non traditionis Evangeliorum. Imò Amalarius l. 2. de offic. Eccles. c. 11. & 12. *primævo* (inquit) *tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum.* Denique pluribus in Ecclesiis Diaconi non legerunt Evangelium; sed Lectores, ut constat ex epist. 33. Cypriani.

30 Posteà tamen *statutum est à Patribus, ut Diaconus legeret Evangelium*, & ab eo tempore similiter *statutum est, ut & Subdiaconus legeret Epistolam*, inquit Amalarius loco citato.

31 Propterea dici potest, traditionem Evangeliorum esse materiam Diaconatûs accidentaliter accessoriam

cessoriam ex Ecclesiæ institutione. Unde & verba hæc : *accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei*, &c. similiter dici possunt forma accessoria, non essentialis, quæ in orationibus impositioni manuum conjunctis est posita : *emitte in eos quæsumus Domine Spiritum sanctum*, &c. Unde eadem apud Græcos & Latinos est materia essentialis, eadem forma,

32 Præcipuum Diaconi officium est, Episcopum perpetuò sequi, concionantem custodire, Sacerdoti in sacrificio ministrare, Evangelium in Missæ sacrificio legere, panem & vinum Sacerdoti consecraturo porrigere, sanguinem, imò & corpus Domini fidelibus distribuere (uti testantur Justinus Martyr Apolog. 2. Cyprianus lib. de lapsis, Author Constitutionum Apostolicarum, Ambrosius, aliique Patres.) Denique baptizare & prædicare, prout Episcopus, Diaconos ordinans, dicit : *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare.* Hodie tamen officium baptizandi non competit Diaconis, nisi ex commissione Sacerdotis, prout constat ex can. *Diaconos* dist. 93. & can. *constat* de Consecrat. dist. 4. Nec ipsis, præsente Presbytero, amplius competit dispensatio corporis Christi, utpote ipsis vetita per can. 15. Concil. II. Aurelianensis, & can. 38. Concil. IV. Cartag. Unde præcipuum hodie Diaconi officium est Evangelium solemniter in Missa cantare, Sacerdotique in Missæ sacrificio proximè assistere & ministrare.

CAPUT IX.

Materia & forma Presbyteratûs.

33 MAteria *Presbyteratûs* est manuum impositio; non instrumentorum porrectio; utpote apud Græcos inusitata, nec à veteribus Scriptoribus, S. Dionysio in lib. de Eccles. Hierarch. Maximo Martyre, & Pachimere, Dionysii Interprete (qui Ritus omnes hujus Ordinis diligenter prosecuti sunt) nec à vetustis Patribus Latinis & Græcis ullo modo commemorata; uti nec à Ritualibus antiquis, seu Latinis, seu Græcis; nec à veteribus Canonibus & Conciliis, in quibus sola fit mentio impositionis manuum pro materia, & orationis pro forma. Ideò Maldonatus tract. de Ordine q. 3. *impositio manuum* (inquit) *non est habenda tanquam cæremonia non necessaria, sed tamquam pars essentialis Sacramenti; idque videtur tenendum fide Catholicâ. Primùm, quia in Scriptura, ubicumque fit mentio de Ordinatione, declaratur per impositionem manuum, & videtur mihi esse temerarium Scripturam deserere, & consectari chimæras, id est rationes naturales. Secundò, quia veterem Ecclesiam nunquam ordinasse sine impositione manuum, ex omnibus Authoribus antiquis perspicuum est. De traditione autem calicis & hostiæ nulla est mentio apud illos. Tertiò, quia videtur nimis durum esse, cæremoniam, quam nobis perspicuè tradunt Apostoli, excludere, & inducere illam, de qua nulla fit mentio in Scriptura.*

34 Denique Græcorum Ordinationes Romana Ecclesia ratas semper habuit. Traditionem verò instrumentorum in Ordine Sacerdotali, ne ab antiquis quidem Patribus usurpatam fuisse, sed solam manuum impositionem, ostenditur ex Ordinatione Salamani, Anachoretæ sanctissimi, apud Theodoretum in Histor. Relig. c. 19. *Pontifex* (inquit) *civitatis, cujus erat is vicus, cùm viri didicissent virtutem, accessit, volens ei donum dare Sacerdotii.... manumque imposuit, & peregit precationem. Et sæpè quidem ei dixit, & quæ ad eum venerat gratiam significavit.* Ubi non solum nulla mentio, nisi impositionis manuum, & precationis; sed & si sanctissimo illi viro tradita fuisset patena cum hostia, calixque cum vino, se factum Presbyterum ignorare non potuisset; imò tangere instrumenta recusasset, nec proinde Presbyter factus fuisset. Similem historiam cap. 13. commemorat de Ordinatione Macedonii, eum scilicet, Ordinatione factâ, nescisse prorsus quid factum esset. Sciviset autem, si patena cum hostia, & calix cum vino, ipsi tradita fuissent. Tandem Hieronymus in cap. 58. Isa. dicit, quòd Ordinatio Clericorum, *non solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manûs*, quòdque *vocis imprecatio clandestina* subinde *Clericos ordinet nescientes.* Quod fieri non potuisset, si per instrumentorum traditionem Ordinatio facta fuisset, utpote quæ ordinatum latère non potuisset. Manus autem cùm variis de causis imponantur, facilè fieri potest, ut à simplicibus nesciatur ad quid fiat.

Sed cùm in Ordinatione Presbyteri triplex fiat 35
impositio manuum : Prima statim post Litanias, dum Episcopus, nihil dicens, singulis ordinandis manus imponit, idemque adstantes Sacerdotes faciunt. Secunda, quâ Episcopus, & Sacerdotes, manus extensas habent supra ordinandos, Episcopusque orationem simul pronuntiat. Tertia in fine adorationis, dum Episcopus super unumquemque dicit : *accipe Spiritum sanctum : quorum remiseris peccata*, &c. Quæstio est, utra ad materiam Ordinationis spectet?

Respondeo : nec prima, nec tertia, sed secun- 36
da. Non prima : quia non est conjuncta formæ. Tertiam plerique volunt ad materiam Presbyteratûs spectare, pro ea parte quâ importat potestatem remittendi peccata; traditionem verò patenæ cum pane, & calicis cum vino, pro ea parte quâ importat potestatem sacrificandi. Sed quemadmodùm istud posterius ex dictis apparet non subsistere; sic illud prius non subsistere videtur, eò quòd tertia illa manuum impositio, cum sua formula, Græcis sit prorsus incognita, & inusitata, nec Ritualia antiqua, etiam Latina, ante quingentos annos illius meminerunt. Nec Concilium Cartag. IV. can. 3. ubi secundam, non tertiam manuum impositionem designat, cùm ait : *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Ubi cùm dicit, *Episcopo eum benedicente*, benedictio ista non ea est, de qua in tertia benedictione, *accipe Spiritum sanctum*; sed est oratio longa & vetusta, cujus hîc titulus in Ritualibus antiquis : *consecratio.* Et quæ eam sequitur, sub hoc titulo : *consummatio Presbyterii.*

Confirmatur 1°. ex Concilio Hispalensi II. 37
can. 5. ubi irrita declaratur Ordinatio Presbyteri, in qua Episcopus manum imposuerat, sed Presbyter benedictionem pronuntiaverat, non Episcopus, eò quòd præ oculorum dolore non posset. Qui certè memoriter potuisset, si ea benedictio non fuisset longa ista oratio, sed brevis ista formula : *accipe Spiritum sanctum*; quam nullus Episcopus memoriter non scit.

2°. ex Tridentino sess. 14. c. 3. ubi declarat, 38
Extremæ Unctionis Ministros esse solos Episcopos, aut *Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterii.* Cùm enim tertia manuum impositio fiat à solo Episcopo, non à Presbyterio, de ea Tridentinum non loquitur, sed de secunda : per quam proinde dicit Sacerdotes ritè ordinari.

Atque ex his conficitur, hæc verba Episcopi 39
tradentis instrumenta : *accipe potestatem offerendi sacrificium*, ad formam essentialem non pertinere, uti neque ista tertiæ manuum impositioni conjuncta : *accipe Spiritum sanctum*, &c. Priora namque per 900. propè annos in Ecclesia Latina

non fuerunt usurpata, nec inveniuntur in Ritualibus antiquioribus ante 700. annos ; uti nec posteriora in Ritualibus ante sæculum duodecimum scriptis. Et utraque Græcis sunt prorsus inusitata, ut Morinus ostendit. Hodie tamen usurpanda sunt tamquam forma accessoria ex Ecclesiæ Latinæ præscripto, ad majorem expressionem utriusque potestatis Presbyterorum, sacrificandi scilicet, peccataque remittendi. Videri potest Morinus de sacris Ordinat. p. 3. exercit. 7. c. 1, & 2.

40 Si objicias 1°. Florentinum, in Instructione Armenorum, nullam aliam tradere materiam Presbyteratûs, quàm calicis cum vino, & patenæ cum hostia traditionem. Nec aliam formam, nisi *accipe potestatem*, &c.

Respondeo cum Becano, Florentinum (in illa Instructione) solùm meminisse materiæ accidentalis & accessoriæ, quæ ab Ecclesia fuit instituta; non essentialis, quam Christus instituit; eò quòd hæc ex Scripturis & Patribus satis esset cognita.

41 Deinde retorqueo argumentum : Concilia antiqua, aliam non assignant materiam, nisi manuum impositionem; quibus cùm Florentinum non contradicat, solùm ergo meminit materiæ accidentalis, neque ex professo suscepit accuratè declarare materiam & formam essentialem singulorum Ordinum, sed locutum est juxta communem modum & consuetudinem, quo materia Sacramentorum appellari solet illa res vel cæremonia externa, in Sacramenti confectione usurpari solita, quæ idonea est ad exprimendum Sacramenti effectum, sive interim sit materia accidentalis, sive essentialis, sive de necessitate Sacramenti, sive de necessitate præcepti. Quomodò idem Florentinum Confirmationis materiam esse dicit Chrysma confectum ex oleo & balsamo, per Episcopum benedicto; balsamum tamen magis ad ornatum, quàm ad essentiam istius Sacramenti pertinere, plerique magni nominis Theologi non sine fundamento docent, prout vidimus lib. 3. c. 4.

Si objicias 2°. instrumentorum porrectionem ex concordi Theologorum sententia, solam esse materiam essentialem Presbyteratûs.

Respondeo negando assumptum. Quia istam solùm esse materiam accidentalem, solamque manuum impositionem essentialem esse, nobiscum tradunt Hugo Menardus in librum Sacramentor. Gregorii, Maldonatus to. 1. de Sacram. tr. de Ord. q. 3. p. 2. Becanus de Sacram. Ord. q. 4. Morinus de sacris Ordinationibus p. 3. exercit. 7. c. 1. Iveninus de Ord. q. 3. c. 2.

CAPUT X.

Differentia Presbyteratûs ab Episcopatu.

42 SAcerdotium dividi solet in summum, & non summum, Sacerdotesque in simplices Sacerdotes, & summos, seu Episcopos, quos Concilium Tridentinum sess. 23. c. 4. declarat *Apostolorum successores, positos (sicut Apostolus ait) à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse; ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Et can. 7. *siquis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.*

43 Hinc Aërius inter hæreticos semper est habitus, quòd diceret, *nulla in re Presbytero Episcopum antecellere, nullum inter utrumque discrimen esse. Est enim* (inquiebat) *amborum unus Ordo, & idem honor, & dignitas.* Aërium hac in re secuti sunt Albigenses, Waldenses, Wiclefitæ, Lutherus, & Calvinus. Sed ipsos hâc ratione refellit S. Epiphanius hæresi 75. *Episcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Aiter, cùm Patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit; non tamen Patres, aut Magistros. Quinam verò fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodò Presbyter Episcopo dici potest æqualis?* Ante S. Epiphanium, Alexandrina Synodus, in causa S. Athanasii congregata, in Epistola Synodica, probat Ischyram, à Colluthо ordinatum, Presbyterum non fuisse, ex hoc quòd Colluthus non erat Episcopus, sed simplex Presbyter.

Allatam inter Episcopos & Presbyteros differentiam ex Christi institutione esse, adeòque ex jure divino, pluribus ex Scriptura & Traditione congruentiis Morinus, Petavius, & alii ostendunt. Id solum Catholici controvertunt, an ista differentia ejusmodi sit, ut Episcopatus Presbyteratui novum addat characterem, novum Ordinem, novum Sacramentum? an idem sit Presbyteratûs & Episcopatûs character, idem Ordo, idem Sacramentum, solùm dicens novam extensionem, vel relationem? 44

Magister, Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, veteresque Scholastici communiter (apud Morinum) censent Episcopatum idem esse Sacramentum, eumdemque Ordinem cum Presbyteratu, nec diversum imprimere characterem. Contraria est opinio Altisiodorensis in Summa l. 4. tr. 8. q. 1. & nonnullorum aliorum. Media est opinio Paludani in 4. dist. 24. q. 7. a. 4. characterem Episcopalem esse ipsummet characterem Sacerdotalem, sed auctum accessione Episcopalis Consecrationis, per modum quo idem habitus scientiæ augetur plurium conclusionum cognitione, ita ut illâ accessione Sacerdotalis character jam possit, quod ante non poterat, scilicet ordinare & confirmare. Ad quod necesse non est quòd augeatur entitativè, sed sufficit quòd augeatur potestativè, ad quod sufficit accessus novæ potestatis ex voluntate divina, cujus vi Sacerdos, in Episcopum consecratus, ordinare & confirmare jam possit, quod antè non poterat, sicque character ipsius jam evaserit (quod antè non erat) fons, ex quo reliqui Ordines tamquam rivi emanent. Sic dum Rex eundem hominem ad diversa officia promovet, vel pecuniæ pretium auget, nihil novi entitativè addit homini vel pecuniæ, sed sola Regis voluntas facit eumdem illum hominem jam posse, quod non poterat, eamdemque pecuniam valere plusquàm antè valebat. Hanc opinionem, utpote Patribus & vetustioribus Theologis conformem, valdè probabilem existimo. 45

Illa etiam quæstio acriter in Concilio Tridentino controversa fuit, an Episcopi non solùm quoad potestatem Ordinis (de qua omnes conveniebant) sed & quoad potestatem jurisdictionis superiores sint Sacerdotibus jure divino, ut videre est apud Pallavicinum lib. 18. c. 14. & 15. ubi exhibet insignem Didaci Laynii (Societatis Jesu Generalis) hac de re Dissertationem, quâ ostendit Ordinis Episcoporum potestatem in singulis Episcopis esse immediatè à Deo; jurisdictionis verò Episcopalis esse à Deo immediatè in genere, nimirùm in quibusdam, ut in Petro ac Successoribus, atque in cunctis Apostolis ex peculiari privilegio; in reliquis Episcopis eam esse à Deo mediatè, immediatè à Romano Pontifice. Ideòque in Romano Pontifice, quamdiù perseverat in Pontificatu, jurisdictionem esse invariabilem; similiter 46

liter in Apostolis : in Episcopis variari posse, mutarique à Pontifice ; non ex mera voluntate, sed ex causa. Videri potest tota illa Dissertatio citato cap. 15. Sanctorumque Leonis & Gregorii Magni pro illa testimonia, cum responsione ad ea quæ in contrarium ex Scriptura, & aliunde proferuntur argumenta.

47 Confutavit deinde quorumdam distinctionem : jurisdictionem Episcoporum esse de jure divino ; sed istius jurisdictionis materiam & loca à S. Pontifice destinari. Uti & istam aliam : jurisdictionem esse immediatè à Deo, sed non illius exercitium. Priorem quidem : quia jurisdictio est respectus quidam : omnis autem respectus ab ea causa, à qua profluit, accipit ut suos terminos signatè respiciat ; terminos verò hujusce respectûs esse subditos & loca. Si ergo definitam jurisdictionem Episcopi haberent à Deo, consequens foret eam ad omnem hominem & omnem locum extendi. Qui enim contulit indefinitam, contulit illimitatam.

48 Posteriorem confutavit, dicens, absurdum esse à Deo collatam Episcopis jurisdictionem impotentem, & quæ exerceri non posset. In summa, si universa jurisdictionis materia à Christo subjecta fuerit Romano Pontifici, ab eo cæteris Episcopis distribuenda, ipsumque etiam jurisdictionis exercitium ipsi subjectum fuerit ; non esse, cur jurisdictio ipsi pariter subjecta non fuerit. Videantur quæ utramque in partem hac de re apud laudatum Historicum inveniuntur. Illud solum observo, Laynii Dissertationem cum laude in Concilio acceptam fuisse.

CAPUT XI.

Fidei dogma est, præter Sacerdotium spirituale & internum, Christianis omnibus commune ; aliud esse Sacerdotium externum & visibile, in ultima Cœna à Christo Domino institutum, ad sacrificandum & offerendum Deo corpus & sanguinem suum.

49 Dixi 1°. *præter Sacerdotium spirituale & internum*, quod in baptismo fundatur, consistitque in oblatione orationum, gratiarum actionum, contriti cordis, &c. De quo 1. Petri 2. *& ipsi tamquam lapides vivi, superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.... Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Et Apocal. 1. *fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo.*

50 Dixi 2°. *aliud esse Sacerdotium externum & visibile, in ultima Cœna à Christo Domino institutum, ad sacrificandum & offerendum Deo corpus & sanguinem suum.* Christus namque, *etsi seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illam redemptionem operaretur* (ait Tridentinum sess. 22. c. 1.) *quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus, in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem, secundum ordinem Melchisedech, se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba : hæc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitûs de Ægypto, multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia, per Sacerdotes, sub signis visibilibus, immolandum, in memoriam transitûs sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit.... Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam, nomini suo, quod magnum futurum esset in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit. Et quam non obscurè innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit : non posse eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens,* &c.

Quàmlibet obstrepant Lutherani, & Calvinistæ, certissima sunt quæ allatis verbis docet Tridentinum. Quòd enim in novissima Cœna Christus incruentum novæ legis sacrificium obtulerit, videlicet corpus & sanguinem suum, sub panis & vini speciebus ; quòdque proinde suos tunc Apostolos, Apostolorumque in Sacerdotio successores, novi Testamenti tunc constituerit Sacerdotes, dicendo : *hoc facite in meam commemorationem.* Probatur 1°. ex Evangelica Cœnæ novissimæ narratione, sive ex verbis, quibus Christus consecravit, prout apud Lucam in Græco leguntur, *hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, id est *offertur* præsenti tempore. Luc. 22. Vel, ut habet Paulus 1. Cor. 11. *quod pro vobis frangitur.* De calice item apud tres Evangelistas, verbo præsentis temporis in Græco legitur, *qui pro vobis effunditur. Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Luc. 22. 51

Illa quippe verba præsentis temporis, *datur, frangitur, effunditur*, non significant dari, vel effundi Apostolis ad manducandum, & bibendum, sed dari, & effundi Deo in sacrificium. Neque enim Christus ait : *vobis datur, frangitur, effunditur* ; sed *pro vobis*. Nec solùm *pro vobis* præsentibus, sed *pro vobis* apud Lucam, & *pro multis* apud Matthæum & Marcum. Sensus proinde est : *pro vobis & pro multis datur*, & offertur Deo in sacrificium propitiatorium, *in remissionem* videlicet *peccatorum*, ut legitur Matth. 26. Atque ita universa Ecclesia semper intellexit, prout fatetur Lutherus in lib. contra Regem Angliæ, in lib. de captiv. Babylon. & in lib. de abrog. Miss. priv. Fatetur & Calvinus l. 4. Institut. c. 18. §. 11. & 12. Fatentur (inquam) contra se stare traditionem Veterum, *plurimorum sæculorum usu firmatam, omniumque consensu probatam* (verba sunt Lutheri de captivit. Babylon.) Atqui universalis Ecclesiæ est de vero Evangelii sensu judicare, ubi de eo controvertitur, uti demonstratum est to. 2. lib. 2.

Probatur 2°. quia Christus est *Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Psalm. 109. Sicut ergo Melchisedech panem & vinum obtulit in sacrificium, Genes. 14. hoc fecit & Christus : non in cruce, sed in ultima Cœna, offerendo corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini. Ideò namque est, & dicitur *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, quia idem sacrificium obtulit, ut optimè exponit Cyprianus epist. 63. ad Cæcil., ubi alludens ad verba illa, *secundùm ordinem Melchisedech*, dicit quòd *hic ordo est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quòd Melchisedech Sacerdos Dei Summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei Summi, quàm* 52

Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.... Ergo in Genesi... præcedit imago sacrificii, in pane & vino scilicet constituta: quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. Augustinus quoque lib. 16. Civit. c. 22. dicit, quòd in oblatione Melchisedech *primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto Orbe terrarum, impleturque illud quod.... per Prophetam dicitur ad Christum... Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Et epist. 95. ad Innoc. *Melchisedech, prolato Sacramento mensæ Dominicæ, novit æternum ejus Sacerdotium præfigurare.* Similia habent Eusebius Cæsarienfis l. 5. Demonstrat. Evang. c. 3. Ambrosius, Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus, aliique Patres.

53 Tertiò, idipsum probatur ex Malach. 1. *non est voluntas mihi in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus.* Quibus verbis Deus per Malachiam Propheram prædicit se veteris legis sacrificia repudiaturum, & in lege nova offerendum aliud ex hostia pura & sancta, & istud per omnes gentes toto terrarum Orbe sibi offerendum. Quod profectò intelligi nequit de sacrificio crucis, nec de sacrificiis Hebræorum, nec de solo sacrificio laudis vel bonorum operum. Ergo intelligitur de solo visibili sacrificio Missæ, seu Eucharistiæ, quod Christus instituit in Cœna. Non (inquam) de sacrificio crucis, utpote quod in uno dumtaxat, non in omni loco erat offerendum. Neque de sacrificiis Hebræorum, utpote quæ non erant offerenda in gentibus. Neque de spirituali sacrificio laudis, offerendo per omnes gentes. 1°. quia sacrificium istud, utpote latè & impropriè dictum, à Scriptura non usurpatur simpliciter nomine sacrificii, sed cum addito: *sacrificium laudis, sacrificium justitiæ, hostiam vociferationis.* 2°. dicendo: *munus non suscipiam de manu vestra: in omni enim loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, novum aliquod sacrificium designatur, Judaïcis repudiatis succesturum, atque à gentibus offerendum. Qualia non sunt sacrificia laudum, ab ipsis quoque Judæis frequentata. 3°. sacrificium à Malachia prædictum de visibili Eucharistiæ, seu Missæ sacrificio universi Patres semper intellexerunt, ut Justinus Martyr Dial. cum Triphon. Iræneus l. 4. c. 32. Tertullianus l. 3. contra Marcion. Cyprianus lib. 3. contra Judæos c. 16. Eusebius Cæsarienfis lib. 1. Demonstr. Evangel. c. 10. Chrysostomus in Psal. 95. Augustinus 18. Civit. 35. Hieronymus & Theodoretus in cap. 1. Malach. Damascenus l. 4. fid. orthod. c. 14.

54 Quartò, Paulus Apostolus 1. Cor. 1. mensam, in qua Christiani corporis & sanguinis Christi participes efficiuntur, altare vocat, ipsumque corpus & sanguinem Christi vocat hostiam: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?.... Videte Israël secundùm carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?... sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.... Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Ecce mensam Domini, in qua communicamus corpori sanguinique Christi, opponit mensæ dæmoniorum. Per mensam autem dæmoniorum altare intelligit (utpote in qua *quæ immolant Gentes*, dæmoniis immolant. Ergo per mensam Domini altare intelligit, figuratum per altare Israëlis. Propter quod dicit: *videte Israël secundùm carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris*, &c.? Igitur Christiani habent altare & hostiam, de qua participant, dum corporis & sanguinis Christi communionem accipiunt. Nunquam autem altare propriè dictum origitur, nisi ad sacrificium propriè dictum. Et sic Patres omnes, Græci & Latini, Conciliaque Nicænum l. can. 18. Constantinopolitanum I. can. 1. Ephesinum l. c. 7. & in declaratione anathematisini XI. Calcedonense can. 1. & in libello quem Ischyrion, Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, Leoni Papæ, ipsique Concilio Calcedon. obtulit. Ita denique veteres omnes Liturgiæ Christianarum Nationum omnium, ipsorum etiam Apostolorum Jacobi, Petri, Marci apud Contensonum de Eucharist. differt. 1. c. 1. specul. 2. Quibus conformiter Andræas Apostolus (ut videre est in Actis passionis ipsius, à Presbyteris Achaïæ, oculatis testibus, conscriptis, quorum veritatem Contensonus adversus Aubertinum Calvinistam solidè propugnavit.) *Ego* (inquit) *omnipotenti Deo... immaculatum Agnum quotidie sacrifico, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cujus carnes postquam omnis populus manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus.*

Nec istud incruentum altaris sacrificium infinitam sacrificii crucis virtutem evertit, vel minuit, nec obstat, ne Christus unâ crucis oblatione totius mundi peccata expiarit, Deoque homines perfectè reconciliarit. Quia non obstat, ne sacrificium crucis sit unicum *sacrificium Redemptionis*, cujus fructus sic nobis applicatur per sacrificium altaris, ut sacrificium altaris omnem virtutem suam habeat à sacrificio crucis. Et licèt sit aliud *sacrificium Religionis* quoad offerendi modum; est tamen idem quoad victimam oblatam, principalemque offerentem. Nec præter Christum alii sunt Sacerdotes, qui ipsi tamquam defuncto succedant; sed per quos velut Ministros & Vicarios suos Christus ipse ubique & quotidie sacrificat. 55

Itaque fatemur sacrificium crucis esse perfectissimum, vimque infinitam & sempiternam habere ad sanctificandum, nec opus esse alio sacrificio crucis, aut ejusdem sacrificii crucis, seu passionis & mortis Christi repetitione. Sed inde non magis est consequens, everti sacrificium crucis, si in nova lege aliud sit altare præter crucem; quàm everti sacrificium crucis, si in veteri lege aliud fuerit altare præter crucem. Placuit enim Deo varia media instituere, quibus fructum sacrificii crucis consequeremur. Atque unum ex istis, in nova lege, est Ecclesiæ seu Missæ sacrificium; sicut in veteri lege fuit sacrificium Synagogæ. Quod quidem Missæ sacrificium necessarium Deus esse voluit ad Religionem constituendam (cujus actus præcipuus est visibile sacrificium) ad Deum supremo, ipsique soli debito cultu honorandum, ad sacrificium crucis commemorandum, fructumque illius nobis applicandum. 56

Rursum fatemur, solam oblationem, factam in cruce, fontem esse omnis sanctificationis omnium sæculorum, per se sanctificantem omnes quotquot sanctificantur. Sed sicut effectus ille sanctificationis applicatur hominibus per baptismum, aliaque Sacramenta, & opera bona; sic & per sacrificium Missæ; quod per istud in cruce oblatum sacrificium operatur sanctificationem. Quomodò Baptismus, aliaque Sacramenta, & opera bona nos sanctificant in virtute sacrificii in cruce oblati, sive in sanguine Christi. Et hoc in æternum, id est pro omni ætate & generatione, quæ fuit, est, & erit, ita ut opus non sit alio 57

Christo, qui pro nobis crucifigatur, neque aliâ passione ejusdem Christi.

58 Meritò proinde Tridentinum loco citato can. 1. *siquis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & propriè dictum sacrificium, aut quòd offerri, non sit aliud quàm nobis Christum manducandum dari, anathema sit.*

59 Can. 2. *siquis dixerit, illis verbis:* HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.*

60 Can. 3. *siquis dixerit, Missæ sacrificium, tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti; non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

61 Can. 4. *siquis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.*

CAPUT XII.

Sacerdotalis Ordinis officium, dignitas & excellentia.

62 Dignitas & excellentia perspicuè innotescit ex officio & potestate ipsius erga corpus Christi verum & mysticum. Nam erga corpus Christi verum, Sacerdos habet ex institutione Christi potestatem illud consecrandi, seu conficiendi, offerendi, & fidelibus distribuendi. Hanc quippe potestatem Sacerdotibus Christus largitus est in Cœna novissima, quando Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedech instituit, dicens: *hoc facite in meam commemorationem.*

63 Erga corpus verò Christi mysticum, seu fidelem populum, Sacerdos potestatem habet ipsum Deo reconciliandi, baptizando, absolvendo, Eucharistiam, Extremamque Unctionem porrigendo, pro populo sacrificium offerendo, precibus suis nomine Ecclesiæ pro eo intercedendo, populique preces ad Deum deferendo, Deique voluntatem populo annuntiando: Hinc Apostolus 1. Cor. 4. Sacerdotes vocat *Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. Cor. 5. explicans istud ministerium, *Deus* (inquit) *nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.... Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Sacerdotes proinde sunt mediatores pacis inter Deum & homines, istudque ministerium implent, quando, stantes ad altare, eam, quæ per fusum pro nobis in cruce Christi sanguinem facta est, reconciliationem Deo Patri offerentes, nomine totius Ecclesiæ supplices rogant, ut istius reconciliationis intuitu & virtute Deus populo suo propitius fiat, fructumque illius eidem applicet.

64 Hoc sensu Sacerdotem *Mediatorem Dei & hominum* SS. Patres appellant, Chrysostomus homil. 5. de verb. Isa. & lib. 3. de Sacerdot. Ambrosius epist. ad Eccles. Vercell. Cyrillus Alexandrinus l. 2. de recta fid. ad Reginas. Hieronymus in cap. 1. Malach. Augustinus epist. 149. aliàs 69. ad Paulinum.

65 Atque ex his innotescit admiranda Sacerdotalis Ordinis dignitas. Quippe (ut Chrysostomus ait lib. 3. de Sacerdotio) *non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, sed ipse Paracletus Ordinem hujusmodi disposuit... Idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut in cœlis ipsis collocatus, inter cœlestes illius virtutes medius staret. Terribilia namque atque horrifica fuisse feruntur, quæ gratiæ tempus præcesserunt; quod genus fuêre tintinnabula, mala punica, lapides pectori Sacerdotis, aliique superhumerali ejusdem superpositi, mitra, cidaris, vestis ad pedes usque demissa, lamina aurea, Sancta Sanctorum, ingens intùs quies, atque silentium. At verò siquis ea, quæ gratiæ tempus nobis advexit, examinet, terribilia atque horrifica, quæ dixi, judicabit esse admodùm levia. Nam dum conspicis Dominum immolatum, & Sacerdotem sacrificio incumbentem, & preces fundentem, tum verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi, etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? An non potiùs è vestigio in cœlos transferris? .... Posito ob oculos Eliam, & infinitam turbam circumfusam, & sacrificium lapidibus superpositum; tum verò reliquos omnes admodùm quietos & taciturnos; solum autem Prophetam preces fundentem, secundùm id flammam derepentè è cœlo delapsam, sacrificiumque ipsum lambentem. Mira sunt ista profectò, ac stupore omni plena. Ab illis ergo sacris ad nostra te transfer: nec ea mira modò esse videbis; sed etiam omnem stuporem excedentia. Adest enim Sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum sanctum. Is preces diuturnas fundit, non quo flamma cœlitùs delapsa, sacra apposita absumat; sed ut gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igne excocto purgatoque.*

66 O stupendam Sacerdotum dignitatem! *iis qui terram incolunt commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt dispensent. Iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse volait. Neque enim ad illos dictum est:* Quæcumque alligaveritis, &c. & quæcumque solveritis, &c. *Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem: verùm corporum solùm. Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit, usque adeò, ut quæcumque infernè Sacerdotes confecerunt, illa Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet... Quænam obsecro potestas hâc unâ major esse queat?... Quid multa? Rex aliquis, sicui ex subditis suis hunc honorem detulerit, ut potestatem habeat quoscumque velit in carcerem conjiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille & admirandus judicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tantò majorem acceperit potestatem, quantò cælum terrâ pretiosius est, quantò etiam animæ corporibus præstant, hic vilem eousque dignitatem accepisse nonnullis videri debet? .... Insania manifesta est despicere tantum principatum, sine quo neque salutis, neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. Nam si non potest quis in regnum cælorum ingredi, nisi per aquam & spiritum regeneratus fuerit; & qui non manducat carnem Domini, & sanguinem ejus non bibit, æternâ vitâ privatur; omnia autem hæc haud aliter quàm per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus* (inquam) *Sacerdotum: qui fiet, ut citra illarum opem gehennæ ignem evitare quis possit, aut reposita in cœlo coronæ præmia assequi? Hi enim sunt, quibus concreditæ sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus à Deo est commissus. Per hos Christum induimus, unà cum Dei filio sepelimur, beati illius Capitis membra efficimur. Quo nomine Sacerdotes meritò non modò vereri plus debemus, quàm vel Principes, vel Reges; verùm etam majori honore, quàm parentes proprios honestare. Hi enim ex sanguinibus, & voluntate carnis nos genuerunt; illi verò Authores nobis sunt nativitatis ejus, quam à Deo habemus, beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atque adeptionis ejus, quâ nos per gratiam filii Dei sumus effecti. Corporis lepram purgare, seu verìùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probe*

re, Judæorum Sacerdotibus solis licebat. At verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.

CAPUT XIII.

Sanctitas vitæ Sacerdotibus necessaria.

67 SEd quantam putas sanctitatem Deus exigit ab iis, quibus tantam contulit dignitatem? Profectò quemadmodùm supra omnes Laïcos, & supra ipsos quoque Monachos elevati sunt omnes in sacris Ordinibus constituti, maximè Sacerdotes; sic ad majorem sanctitatem, quàm istos omnes, adstrictos esse, certò tenendum est (ait Petrus Soto Institut. Sacerdot. de vita Sacerdot. lect. 1. Hinc B. Thomas 2. 2. q. 184. a. 8. *per sacrum* (inquit) *Ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris. Ad quod requiritur major sanctitas interior, quàm requirat etiam Religiosus status.... Unde gravius peccat, cæteris paribus, Clericus in sacris Ordinibus constitutus, & agens aliquid contrarium sanctitati, quàm aliquis Religiosus, qui non habet Ordinem sacrum.* Certè (prosequitur Sotus) si rectè hoc pensetur, omne eorum peccatum mortale, sacrilegium meritò judicari potest. Est enim profanatio sacri istius instrumenti Christi, usúsque illius contrarius ei ad quod consecratum est.

68 Pensate ergo Sacerdotes Christi, quia cui plus datum est, plus exigetur ab illo. Seriò etiam perpendite verba ista Concilii Burdigalensis anni 1582. *quantò quis honoris gradu, atque dignitate præstat, tantò cæteris omni virtutum genere debet excellere. Ejus enim vita omnium oculis sic exposita est, ut inde benè, vel malè vivendi communiter exempla duci soleant. Ex quo, ut vitiosi Principes, sic flagitiosi Sacerdotes, perniciosè de Republica merentur, quòd non solùm vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem. Præterquàm quòd efficiunt, ut ipsorum dignitas, per se præclara, atque laudabilis, odio atque contemptui apud impium, vel malitiosum hominum genus habeatur. Ideòque Clerici, qui in sortem Domini vocati sunt, non solùm ab omni vitiorum turpitudine abesse, sed etiam omni virtutum genere ornari debent:* spectaculum facti (*ut ait Apostolus*) mundo, Angelis, & hominibus, nemini dantes illam offensionem, ne vituperetur ipsorum ministerium; sed in omnibus exhibentes semetipsos sicut Dei Ministros.

69 Concilii Nicæni I. can. 2. statutum fuit, ut si, post baptismum, *aliquod delictum animæ reperiatur* in aliquo, *& à duobus aut tribus testibus arguatur, à Clero talis abstineat.*

" Dubitatur quidnam sit illud *delictum animæ*, " seu potiùs *animale* (ait Cabassutius ad canonem " illum) istud exponit Theodorus Balsamon de " quacumque culpa, quâ Dei gratia extinguatur " in delinquente. Alii peccatum quodcumque in- " telligunt, cujus expiationi leges Ecclesiasticæ " publicam injungebant pœnitentiam. Eaque pec- " cata ab Antiquis vocitantur per antonomasiam " *mortalia*, seu capitalia; quamvis non desint " alia, minora quidem, & tamen mortalia, qui- " bus non infligebatur pœnitentia, nisi privata. " Eoque sensu intelligendum est, quòd scribit Isi- " dorus lib. 2. de divin. Offic. *consuetudinem Ec- " clesiæ hanc esse, ut sordidati peccato mortali* (post " baptismum commisso) *ad Ordines non promoveantur: & siquis post Ordinationem mortale peccatum commiserit, prohibeatur sacri Ordinis exercitio.*

" Præterea Concilium Valentinum in Gallia sub " Damaso Papa can. 4. inhibet ab Episcopatu, " Sacerdotio & Diaconatu eos qui se mortali cri- " mine fatentur irretitos. Concilium pariter Aga- " thense can. 32. decernit, Clericum, qui se ca- " pitali crimine adstrinxerit, deponi, & in Mo- " nasterium detrudi..... Et passim sacri canones " vetant, publicâ pœnitentiâ perfunctos ordinari... " Secunda hæc sententia non levi nititur proba- " bilitate. Prior verò nullatenùs est verisimilis, " secundùm quam, vel unicus actus odii, invidiæ, " aut libidinosi consensûs, ab Ordinibus in æter- " num excluderet, atque ordinatus illorum pro- " hiberetur exercitio. Unde uberrima nascerentur " scrupulorum & anxietatum seges, ob ambigui- " tatem sive judicii, sive memoriæ circa hujus- " modi culpas. Innumeris præterea viris, egregiè " de Ecclesia meritis, & Ecclesiæ valdè utilibus, " aditus ad Ecclesiæ ministeria intercluderetur; " vixque unus & alter reperiri posset ad Clerum " idoneus; atque messis abundans deperiret, ope- " rariorum parcitate. "

Tertia denique, omninòque probabilissima " 70 explicatio est, de completa per actum externum " luxuria, post baptismi susceptionem. " Est enim conformis canonibus 9. & 10. Concilii Neocæsariensis (quibus ab executione Ordinum suspenduntur Sacerdos, & Diaconus, post fornicationem ordinati) & canoni Eliberitano 50. statuenti: *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia fuerunt mœchati.... Si autem aliqui sunt in præterito ordinati, amoveantur.* Ecce quantam illis temporibus vitæ antè actæ innocentiam Ecclesia ad sacrorum Ordinum susceptionem, sacrumque eorum ministerium exigebat.

Ab ea innocentia, vitæque sanctimonia mani- 71 festè alieni sunt 1°. avari, sive qui immoderato habendi detinentur affectu, ideòque de Ecclesiæ bonis plura sibi retinent, paucioraque aliis tribuunt, quàm charitatis ratio exigat. Quod in ipsis tantò damnabilius est, quantò certior, Patribusque & rationi conformior doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 185. a. 7. ad 4. ipsos ne ipsi quidem Ecclesiæ thesaurizare posse, nec ejus facultates augere, quando sunt qui egent. Et ad 3. *peccare Clericum, si velit de rebus Ecclesiæ vivere, in articulo necessitatis pauperum, dum habet patrimonialia bona, de quibus vivere posset.*

Sacerdotem itaque alienum esse oportet à cu- 72 piditate habendi, velut contraria perfectioni sanctitatique ad quam tenetur; utpote quæ licèt non constituat in abdicatione proprietatis (cùm inter magnas divitias esse queat perfecta charitas, sicut fuit in Abraham) sed in abdicatione cupiditatis, nimiæque sollicitudinis, quæ à divinis & spiritualibus aostrahit. Et hoc sensu S. Thomas intelligit S. Hieronymum in epist. de vita Clericorum, non postquam nomen Clerici à sorte dictum esse ait, eò quòd Clerici de sorte Domini sunt, & Dominus pars eorum; addit: *Qui Dominum possidet, nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quidpiam habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus.* Et infrà: *Obsecro te, ne officium Clericatûs antiquæ militiæ putes, id est ne lucra sæculi in Christi quæras militia.*

2°. à sanctimonia, quam Deus in Sacerdoti- 73 bus exigit, alieni sunt, qui corpori suo per temperantiam dominari nesciunt, tam utique per temperantiam, quæ delectationes cibi & potûs, quàm quæ veneream voluptatem moderatur. Quemadmodùm enim oportet, tam Sacerdotem, quàm Episcopum, *hospitalem* esse, *non cupidum*; sic oportet ipsum esse *sobrium, pudicum, non vinolentum.* Cùm vitia contraria obtundant & obscurent aciem mentis, ineptamque reddant ad divinarum rerum contemplationem: cui debent potissimùm Ecclesiæ Ministri vacare. Igitur post contemptum terrenorum (ait Petrus Soto ubi suprà lect. 4.) vel eorum moderatum affectum, ad seipsos opus est ut se convertant, & corpori

suo dominentur, ut cum Paulo dicant: *castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Necessaria est maximè temperantia Christianis omnibus, quibus Luc. 21. inquit Christus: *cavete ne graventur corpora vestra crapulâ vel ebrietate.* Et rursum: *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes*, &c. Sed Ministris Ecclesiæ dicitur à Paulo: *in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, quasi morientes, & ecce vivimus, ut castigati, & non mortificati*, &c.

74 Et castitas quidem ipsis adeò necessaria est, ut jam ex proprio voto, atque Ecclesiæ statuto conjuncta sit Ordinibus sacris, & olim à susceptione Ordinum, eorumque ministerio in perpetuum arceretur, vel semel fornicatus. Nihil enim sic ineptum reddit ad tremendum altaris ministerium, sicut luxuriæ peccatum. Cujus periculum quia secum trahit cohabitatio & frequentatio mulierum; ideò multis Conciliorum Pontificumque Decretis cohabitatio illa prohibetur in Jure Canonico tit. de cohabit. Cleric. & mulier. in quibusdam mitiùs, in aliis severiùs, pro qualitate scilicet temporum, locorum, & morum. Quidam enim Canones solùm extraneas prohibent mulieres, permittuntque matrem, amitam, sororem. Alii omnes prohibent. Aliqui solùm suspectas. Ne antiqui hostis fraude Sacerdotes decipiantur, sicque profanorum hominum suspicionibus & oblocutionibus pateant, ut vituperetur ministerium ipsorum. *Noxia est innocentia* (ait Author lib. de singularit. Clericor. inter opera Cypriani) *quæ Sponsæ Christi* (Ecclesiæ) *efficit famæ. Et cùm Christus, Agnus innocens, totum se contempserit pro Ecclesia, ut eam sine macula ulla vel ruga redderet illibatam; qualis est Clericus, cui ad hoc Sponsa Christi committitur, ut, pro unius fœminæ amore, culpari totam Ecclesiam patiatur? ... Propter quod Apostolus sic testificatur: omnia sustinemus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi.* Et iterùm: *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.... Unusquisque, quisecurus est, quia necdum tentatur, timeat: quia nihil de illo dicitur, prospiciat ne dicatur. Homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus. Accipimus quidem fortitudinem spiritualem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur. Sed ita nobis spiritualis fortitudo collata est, ut providos, non ut præcipites tueatur: ut illos muniat, qui renuntiant importunitatibus delectorum; non eos, qui se magis importunis delictis immergunt. Custos nobis datus est Spiritus; sed ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus faveat: nec ut voluntarios & pronos in adversa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari confirmet. Nam quicumque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritûs sancti, qui neminem vult ultroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari, nec protegit eum, quinimò deserit, quem periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit, sicut ipse jam tunc per Salomonem locutus est dicens: amans periculum, in illo peribit.*

75 3°. à dicta sanctitate maximè alieni sunt, qui persolutis utcumque Canonicis horis, reliquum vitæ transigunt in jocis, ludis & otio, negligentes lectionem spiritualem, orationemque mentalem. Cùm tamen ex natura ipsa (inquit Petrus Soto) "atque adeò ex jure divino, ad assiduè oran-
" dum, & contemplandum, & meditandum cæ-
" lestia ac divina, & ad cætera pietatis exercitia,
" ut ad lectionem, vigilias, & similia teneantur,
" idque duplici ratione. Primò ex debito, quo
" obligati sunt Ecclesiæ & populo, de quo ver-
" bum illud Pauli intelexerunt Patres: *obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes,* "
postulationes, &c. *pro omnibus hominibus, pro Regibus*, &c.... Tenentur etiam secundò ad præ- "
dicta propter se. Nec enim sanctitas illa vitæ, "
castitas, & puritas, ad quam tenentur, sine as- "
siduâ oratione, meditatione, vigiliis, & lachry- "
mis obtinetur. Omnibus dicit Christus: *oportet semper orare.* Et Paulus: *sine intermissione* "
orate. Quantò igitur magis his qui conjunctio- "
res illi sunt, & qui ab Ecclesia universa ac po- "
pulo legati missi sunt ad Deum? Cùm enim "
non possint omnes propter vitæ præsentis neces- "
sitates, & impedimenta carnis, semper, aut assi- "
duè, ut oportet, orare; naturali ratione, & di- "
vinâ dispensatione factum est, ut aliqui depu- "
tarentur, ad hoc pro omnibus agendum; & "
ideò communibus stipendiis alerentur.... Et "
infrà: itaque ne putent Ecclesiæ Ministri, verbali "
illâ pronuntiatione Psalmorum, & precum sa- "
tisfeciste se obligationi illi, quâ ex jure divino "
pro suis & populi necessitatibus orare tenentur. "
Certè vita Ministrorum Ecclesiæ dignè transigi "
non potest, sine assiduitate spiritualium medi- "
tationum... *Attende* (inquit Apostolus 1. Timoth. "
4.) *lectioni, exhortationi & doctrinæ. Hæc me-* "
ditare. In his esto.... hoc enim faciens teipsum "
salvum facies, & eos qui te audiunt. Itaque non "
ad alios tantùm docendos, sed ad se etiam sal- "
vandum, putat hæc necessaria. Unde eodem "
loco dicit: *exerce teipsum ad pietatem*, quo "
exercitio & lectionem, & meditationem, & ora- "
tionem etiam complexus est." Hactenùs Soto, tandem concludens, non tutò vivere Ministrum Ecclesiæ, nisi lectioni sacræ Scripturæ, piorumque librorum assiduè vacet, & orationi, & meditationi; quibus vitia carnis comprimuntur, mundana desideria mitigantur, animus ad divina formatur.

CAPUT XIV.

Sacramenti Ordinis Minister ordinarius solus est Episcopus.

ISta fait perpetua Ecclesiæ ab initio praxis & tra- 76
ditio, per plures antiquos Canones firmata; deinde per Florentinum, ac novissimè per Tridentinum sess. 23. cap. 6. & can. 7. definita. A quo tamen cadem sess. c. 10. de reform. permittitur quibusdam Abbatibus, ut Religiosis sibi subditis Tonsuram & minores Ordines conferant.

Chorepiscopis etiam, quorum plerique non e- 77
rant Episcopi, Concilii Antiocheni can. 10. & Concilii Hispalensis can. 4. aliquando concessa fuit Ordinatio Subdiaconorum. An etiam Diaconorum & Sacerdotum? Morinus putat extraordinariam ad id potestatem ipsis ab Ecclesia concessam fuisse, dummodò id facerent de Episcopi consensu. Ita etiam quidam alii suam opinionem fundantes 1°. in can. 12. aliàs 13. Concilii Ancyrani, ubi statutum est, *Chorepiscopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed neque urbis Presbyteris, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit in aliena Parochia.* 2°. in citato can. 10. Concilii Antiocheni, ubi de iis dicitur: *non autem Presbyterum, aut Diaconum audeant ordinare, præter conscientiam Episcopi Civitatis, vel Ecclesiæ, cui adjacens invenitur seu ipse, seu regio, in qua præesse dignoscitur.*

Respondeo tamen Chorepiscopos id nunquam 78
potuisse, nisi Ordinatione fuerint veri Episcopi. Quia *sanctarum Litterarum authoritate, certissimâ traditione, omnium Patrum testimonio, Conciliorum Decretis, sanctæ Ecclesiæ usu & consuetudine comprobatur*, Presbyteri Ordinationem ad solum Episcopum pertinere, inquit Catechismus Concilii Tridentini; idque adeò verum est, ut

neque ex commissione Ecclesiæ Sacerdos non Episcopus Sacerdotium conferre queat, imò nec Diaconatum, secundùm sententiam S. Thomæ in 4 dist. 25. q. 1. a. 1. ad 3. Denique Damasus Papa epist. 4. aliàs 5. declarat, irritas fuisse Ordinationes factas per impositionem manuum à Chorepiscopis: quia *cùm Pontifices non erant, ea quæ solis Pontificibus debentur, dare non poterant.* Quod saltem de Presbyteratu & Diaconatu intelligendum est.

79 Scio quidem Sylvestro, Ludovico, Meratio, aliisque nonnullis Scholasticis & Canonistis visum esse, quòd facultas ordinandi Presbyteros simplici Presbytero à S. Pontifice, vel Generali Concilio in casu necessitatis tribui possit. Sed sicut absque exemplo, sic absque fundamento: nec satis conformiter Traditioni Ecclesiæ, quæ docet, Presbyteri Ordinationem propriam esse Episcopi. Tametsi fide Catholicâ certum non sit, id potestate ab Ecclesia delegatâ fieri non posse: cùm Ecclesia nullibi articulum istum, tanquam ad fidem pertinentem, definierit.

80 Ad Canonem 12. Ancyranum. Respondeo cum D. de Marca, quòd textus Græcus istius Canonis, qualem nunc habemus, corruptus sit, & emendandus ex antiquioribus Versionibus Latinis. Quarum prima (Dionysii exigui, quam ut fideliorem & antiquiorem Baronius sequitur ad annum 314.) sic sonat: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare; sed nec Presbyteris Civitatis* (id est Parochis) *sine præceptò Episcopi, vel litteris, in unaquaque Parochia aliquid imperare, nec sine authoritate litterarum ejus in unaquaque Parochia aliquid agere.* Secunda Ferrandi Diaconi: *Chorepiscopi, id est Vicarii Episcoporum, nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent, nisi tantùm Subdiaconos. Ut Presbyteri, sine jussu Episcopi nihil jubeant, nec in aliqua Parochia aliquid agant.* Tertia (quæ legitur in epitome Canonum Adriani I.) *ut Chorepiscopi, vel Presbyteri, Presbyterum vel Diaconum non ordinent; nec Presbyter aliquid agat in Parochia sine præcepto Episcopi.*

81 Ad Canonem 10. Concilii Antiocheni. Respondeo 1°. Concilium istud nec legitimum fuisse (utpote Arianorum Concilium, contra S. Athanasium congregatum) nec Generale; nec proinde dare potuisse Sacerdotibus non Episcopis, potestatem Episcopis propriam. 2°. verba ista, *præter conscientiam Episcopi*, non significare Chorepiscopos id posse sciente & contentiente Episcopo: sed id posse *unà cum Episcopo*, ita scilicet ut unà cum Episcopo manum capitibus ordinandorum imponant, ut optimè Thomassinus advertit. Enimverò alia Versio sic habet: *nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Episcopum* (id est absque Episcopi interventu) *cui ipse cum possessione subjectus est.* Alia sic: *nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant, absque urbis Episcopo, cui subjicitur ipse, & regio.*

82 Sed quid ad epistolam Nicolai I. ad Rodulphum, Episcopum Bituricensem, ubi *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, à Chorepiscopis effectas, quos quidam Episcoporum deponunt, quidam verò denuò consecrant*, dicit non esse infirmandas nec iterandas, eò quòd essent Episcopi? Respondeo 1°. nihil inde contra assertionem nostram; cùm Nicolaus se fundet in eo quòd Chorepiscopi illi fuerint Episcopi.

83 Respondeo 2°. Nicolaum in eo à Decessorum suorum sententia recessisse. Cùm & Damasus suprà, & Leo III. contrarium tradiderint. Constansque Veterum sententia fuerit, ut Episcopos Apostolis, sic Presbyteros Discipulis successisse. Nec proinde Chorepiscopos (quos Concilium Neocæsariense can. 24. dicit esse *in figura Septuaginta*, seu ad eorum formam creatos) magis habuisse Episcoporum officia, quàm Septuaginta habuerint officia Apostolorum.

Respondeo 3°. epistolam illam Nicolai multis titulis videri supposititiam & suspectam, uti multipliciter ostendunt Thomassinus to. 1. vet. & nov. discipl. p. 1. pag. 221. & Joannes Bosco de Sacram. p. 4. disput. 10 de Ordine n. 122. 84

Certum proinde videtur (licèt non certitudine fidei) Presbyteratum conferri non posse à simplici Presbytero, etiam ex commissione S. Pontificis. Unde nec ullus SS. Pontificum facultatem illam legitur simplici Presbytero tribuisse. Idem quoque probabilius de Diaconatu censeo cum S. Thoma, Bonaventura, Scoto, Bellarmino, Navarro, Covarruvia, Vivaldo, & Veteribus communiter. Tametsi probabile videri possit oppositum, quod nonnulli docent, ob privilegium quod Innocentius VIII. concessisse dicitur Abbati Generali Ordinis Cisterciensis, aliisque quatuor primariis Abbatibus ejusdem Ordinis, conferendi non solùm minores Ordines, sed & Subdiaconatum & Diaconatum Regularibus sibi subditis. Quod privilegium se vidisse & legisse testantur Victoria, Vasquez, & alii, eiseque in usu etiam post Tridentinum plures affirmant. Revocatum tamen esse, si aliquando valuit, censet Navarrus consil. lib. 5. consil. 14. Imò ibidem *exorbitans privilegium* vocat, rejicitque tanquam non legitimum. Illud etiam revocant in dubium Sylvius in 3. p. q. 28. a. 1. & Hallerius sect. 5. de Ministro sacræ Ordinat. §. 11. aiens probabilius esse quòd fictitium sit & suppositicium. Si tamen constet de istius privilegii veritate, Innocentius VIII. illud concesserit, quia id se potuisse bonâ fide censuit; non ideò tamen certum est Pontificem id posse. Nequeenim ex facto SS. Pontificum, universalis Ecclesiæ regimen non concernente, certum deducitur argumentum de eorum potestate, uti constat in dispensationibus super voto solemni castitatis, facto in Religione approbata, & in dissolutionibus matrimonii rati, non consummati, quas plures Pontifices fecisse leguntur, secuti opinionem visam sibi probabiliorem. Alii tamen Pontifices facere recusarunt, quia id non posse censuerunt, uti ostendam lib. sequenti. Unde Paulus IV. super tali dissolutione requisitus, non ideò censuit id se posse, quia id aliqui ex Prædecessoribus suis id fecissent. Ut enim refert Joannes Haya, Doctor Parisiensis (oculatus & auritus istius rei testis) cùm Paulus IV. urgeretur ad dissolvendum matrimonium ratum Francisci Montmorantii, & Joannæ Halluynæ Piennæ, Antecessorum suorum facta sequi noluit, nisi quatenùs Scripturæ & rationibus Theologorum niterentur, congregatisque ad discutiendum Cardinalibus ac Theologis, sic interlocutus est: *Filii mei & Fratres, ego sanè vos congregare volui, ut ex vobis id cognoscam, quod exigui non est momenti ac ponderis: num videlicet matrimonium, per verba de præsenti contractum, possis nostrâ authoritate dissolvi, intelligo cùm carnalis nulla intercessit conjunctio. Ne quæso vos teneant Prædecessorum meorum facta & exempla, quæ eatenùs sequi volo, quatenùs Scripturæ authoritas, & Theologorum rationes vos ad illud agendum adducent. Non dubito, quin ego, & Decessores mei, errare aliquando potuerimus, non solùm in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus; & tamen condemnandi planè non sunt: Nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi ad certum tempus abscondat multa, quæ tum inde patefecit.... Perspicite, an Decessores nostri id satis intellexerunt, quod de indissolubili vinculo matrimonii inquirimus.* 85

Addit idem Doctor, Paulum IV. pluribus indiciis ostendisse, sibi gratam acceptamque fuisse sententiam negativam, Antonielloque pro affirmativa peroranti respondisse: *se pro tanta sibi au-* 86

tributa potestate nullas gratias agere. Denique, cùm idem Orator D. Thomàm in Patronum affirmativæ protulisset, Pontificem subjunxisse, B. Thomam potuisse, cùm esset junior, multa dicere, quæ factus ætate doctior revocaverat.

87 Quod Paulus IV. censuit de facto Decessorum suorum, in causa dissolutionis matrimonii rati, graves Theologi censent de facto, seu privilegio illo Innocentii VIII. Unde & adeò singulare est, ut nullus alius Summus Pontifex simile concessisse legatur. Quod verisimiliter feciſſent, si se facere posse censuissent.

CAPUT XV.

Episcopus ordinans debet esse proprius Episcopus ordinandi, vel saltem ad licitam Ordinationem requiritur ipsius licentia, de qua constet per litteras dimissorias ab eo concessas. Tametsi valida sit Ordinatio ab Episcopo non proprio, facta sine licentia ipsius.

88 POsterior pars constat ex eo quòd omnis Episcopus, etiam excommunicatus, hæreticus, schismaticus, degradatus, ratione characteris indelebilis, potestatisque Ordinis (quam à Christo acceptam nulla humana potestas ipsi auferre potest) quemcumque Ordinationis capacem validè, licèt non licitè, ordinare possit; uti constans est omnium hodie sententia; licèt varia olim sententia fuerit circa Episcopos hæreticos, schismaticos, &c.

89 Prior pars verò constat ex cap. *cùm nullus* de tempor. ordin. *cùm nullus Clericum Parochiæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus; seu in cujus Diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum; seu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.* Proprium proinde Episcopum, à quo possit ordinari, quilibet nanciscitur, vel ratione originis ordinandi in sua Diœcesi, vel ratione beneficii, vel ratione domicilii, quod habet in Diœcesi ipsius, seu (ut jure novissimo addit Concilium Tridentinum sess. 23. c. 9. de reform.) ratione familiaritatis, id est triennalis commorationis continuæ, & non interpolatæ cum Episcopo, tamquam unus de familia ipsius, dummodò Episcopus ei statim reipsà beneficium Ecclesiasticum conferat.

90 Porrò ibi quis censetur habere domicilium, ubi sic habitat, ut ibi perpetuò manendi intentionem habeat, non ad locum nativitatis suæ redeundi, vel ubi habet majorem rerum suarum partem, uti docet Glossa ad citatum cap. *cùm nullus* verb. *domicilium*, & liquidò statuitur in L. *Cives* C. de incolis *in eodem loco singulos habere domicilium dicimus, ubi quis... rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cùm profectus est, peregrinari videatur, si redit, peregrinari jam desinit.* Ad cavendas fraudes, decennale domicilium postulant Concilia Mediol. IV. & Aquense anni 1565. ut quis ab Episcopo domicilii ordinari queat.

91 Quoad locum originis ea duplex censeri potest ex jure communi. Nam alia est origo respectu loci, in quo quis natus est; alia origo respectu loci, in quo pater suus natus est. Unde natus Leodii ex patre nato Coloniæ, duplicem (jure communi) habet originis Episcopum, à quo ordinari potest, vel scilicet Leodiensem, vel Coloniensem. Ita Zerola prax. Episcop. p. 2. verb. *dimissoriæ.* Barbosa de offic. & potest. Episcop. p. 2. alleg. 4. n. 4. & seq. Et fundatur in L. *assumptio* §. 1. ff. ad municip. Et L. *filios* C. de municip. lib. 10. Sacra etiam Congregatio 16. Decemb. 1599. Et 12. Augusti 1628. Et 7. April. 1629. fertur declarasse, quòd ordinari quis possit ab Episcopo originis paternæ; licèt pater ibi non habitaret tempore nativitatis filii. In Galliæ tamen regno agnosci non solet alius Episcopus originis, nisi is in cujus Diœcesi quis natus est, nullâ habitâ ratione originis paternæ, exceptis duobus casibus sequentibus.

Primus est, siquis v. g. Orator Principis Reipu- 92
blicæ causâ missus ad exteram regionem, ibique degens ad tempus non sufficiens domicilio constituendo, interim liberos ibi suscipiat. Tunc enim, secundùm Leges Civiles, & consuetudinem, liberi oriundi censentur ex paterna civitate, Episcopusque illius censetur Episcopus originis ipsorum.

Secundus est, siquis aliquo in loco fortuitò na- 93
tus sit, in eo scilicet ad quem mater peregrina perrexerit animo ibi non commorandi. Neque enim filius, ibi taliter natus, illius loci civis efficitur, uti colligitur ex citata Lege *filios*, ubi sic: *filios apud originem patris, non in materna civitate, etsi ibi nati sunt, ad honores seu munera posse compelli, explorati juris est.*

Denique ab Episcopo beneficii, sive pinguis, 94
sive tenuis, juxta citatum cap. *cùm nullus*, ordinari quis potest, modò possessionem illius acceperit, nec beneficium istud susceperit in fraudem, ad subterfugiendum examen Episcopi originis suæ, vel domicilii. Neque enim canon ille distinguit an beneficium pingue, an tenue sit, sed Episcopo ordinandi potestatem seu authoritatem indistinctè tribuit, ratione beneficii. Dumque Tridentinum sess. 21. c. 2. prohibet, ne quis Clericus ordinetur, *nisi prius constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*, non agit de beneficio, ratione cujus subditus fiat Episcopo in ordine ad ipsum ordinandum; sed de beneficio sufficiente ad ipsum *titulo beneficii* ordinandum, tametsi ex patrimonio non habeat sufficienter, unde honestè vivere queat. Quod considerare debet Episcopus, ipsum tamquam sibi ex beneficio subditum ordinans; neque enim ipsum ordinare potest titulo beneficii tenuis, nisi simul habeat titulum patrimonii sufficientis.

Caveat etiam Episcopus, ne beneficium alicui, 95
ex alia Diœcesi oriundo, in eaque domicilium habenti, conferat in fraudem, ut ex ista Diœcesi ipsum extrahat, Episcopique illius examini subducat. Neque enim hujusmodi fraus ipsi prodesset, neque ordinato. Sed taliter ordinatus incideret in suspensionem ab executione Ordinum. Episcopus verò taliter ordinans à collatione Ordinum per annum (juxta cap. *eos qui* de tempor. ordin.) suspensus esset, prout sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum declaravit. Cùm enim Cardinalis Aquaviva, Archiepiscopus Neapolitanus, S. Congregationi exposuisset, quosdam Clericos, primâ Tonsurâ, vel minoribus Ordinibus Neapoli initiatos, ad subterfugiendum examen, probationemque patrimonii sufficientis (ad normam Constitutionum Synodalium Neapolitanarum) confugere ad vicinum aliquem Episcopum, curareque ab eo sibi provideri de aliquo vel tenuissimo beneficio, cujus intuitu, ab eo postmodùm ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium promovebantur, moxque Neapolim reversi, susceptos Ordines ibi exercebant. S. Congregatio censuit, *taliter ordinatos in suspensionem incidisse, & Episcopum à collatione Ordinum per annum etiam suspensum esse.* Ad consultationem quoque Episcopi Cadurcensis, eadem Congregatio 7. Octobris 1662. sic respondit: *Congregatio Concilii sæpiùs declaravit: tametsi quis possit ordinari ab Episcopo loci beneficii; si tamen adeptus sit beneficium in*

fraudem, esse malè promotum; ac, si in susceptis Ordinibus ministraverit, irregularitatem contrahere. Cæterùm an ipsa fraus intercesserit, ex legitimis conjecturis, ad præscriptum juris, esse dignoscendum.

97 Consonat Fagnanus ad cap. *omnis* de pœnit. & remiss. n. 98 & 99.

98 Porrò præsumptionem fraudis esse, dum Episcopus ordinat Clericum, ex aliena Diœcesi oriundum, in eaque domicilium habentem, ratione tenuissimi beneficii, v. g. duorum vel quatuor dumtaxat ducatorum, vel ad summum septem, censent Zerola in praxi Episc. p. 1. verbo *beneficia* §. 3. Sotus l. 2. de just. q. 3. Barbosa de offic. & potest. Episc. p. 2. allegat. 4. n. 45. Natalis Alexander Theol. Dogm. & Mor. to. 5. l. 2. de Ordine cap. 3. a. 3. reg. 2.

CAPUT XVI.

Proprius Episcopus Regularium est ille, in cujus Diœcesi situm est Monasterium, ubi suorum Superiorum mandato degunt. Ubi cum discretione defenduntur privilegia Mendicantium quoad Ordines.

99 ITa S. Congregatio Concilii declaravit... Martii 1596. his verbis: *Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse suo subdito, item Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia, ab iis ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit. Et, si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum. Dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus Ordinationes esset. Verùm cùm à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in iis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent.* Hanc declarationem Clemens VIII. non solùm approbavit, sed & mandavit observari *ab omnibus & singulis quorumcumque Regularium Superioribus*, & ut eam ipsi facerent observari, prout videre est apud Ascanium Tamburinum de jure Abbat. to. 2. disp. 2. q 25. Piasecium in praxi Episc. c. 1. n. 14. & Jordanum elucubr. vol. 1. l. 3. tit. 6. n. 24. ubi Superiores illos reprehendit, qui suos ad aliquantulum tempus mittunt ad Monasterium alterius Diœcesis, habentis Episcopum faciliorem, benigniorem que, & postquam ibi ordinati sunt, revocant eos domum. Suntque reverà reprehensibiles, si hoc faciant absque privilegio. Quia incurrunt in pœnas statutas à Pio V. contra Superiores Regulares, facientes (sine privilegio) suos ordinari ab alio, quàm à proprio Diœcesano. In quas etiam pœnas S. Congregatio (referente Riccio in Decisionib. Curiæ Neapolitanæ Decis. 159.) censuit incurrere Superiorem, *qui unum è suis subditis, rejectum ab Episcopo proprio, propter imperitiam, intra eadem tempora Ordinationis misit ad aliud Monasterium alterius Diœcesis, faciendo illum fratrem localem illius ejusdem Monasterii, & curando confestim ordinari ab illo Diœcesano.* Et ratio est, quia Superior, in utroque casu, censetur ad aliam Diœcesim mittere in fraudem, sive ad subducendum suum Religiosum ab Ordinatione proprii Episcopi.

Dixi, *si hoc faciant absque privilegio.* Quod u- 100
tique habent Patres Societatis sibi concessum à Gregorio XIII. per Bullam quæ incipit, *pium & utile*, ut sine interstitiis, & licentia proprii Ordinarii *ad Minores, ac etiam extra tempora à jure statuta, tribusque Dominicis, vel etiam aliis festivis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam Presbyteratûs Ordinem promoveri possint.* Sed quia illius *gratiæ communicationem aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, fieri omninò prohibuit*, videndum an communicatio ipsis facta non fuerit à Successoribus ipsius, quibus ipse manus ligare non potuit?

Nota ly *à Successoribus ipsius.* Neque enim post 101
Tridentinum valent similia privilegia, Regularibus Mendicantibus ante Gregorium XIII. & ante Tridentinum concessa, utpote Tridentinis Decretis sublata, illis etiam in locis ubi clausulam eorum derogatoriam Tridentinum specialiter non adjecit, nec eorum, seu etiam Regularium specificam mentionem fecit, prout alibi validè (ni fallor) demonstro, subversis iis quæ in contrarium Bosco allegat hîc disp. 10. n. 245. & seq.

Propterea ne illas quidem Successorum Grego- 102
rii XIII. Bullas, in favorem aliorum Regularium solidè allegari existimo, quibus ipsis facta est amplissima communicatio privilegiorum Societatis, tametsi concessorum sub clausulis communicationis prohibitivis, cujusmodi est Bulla Gregorii XIII. *Romanus Pontifex* 3. apud Rodericum. Et Bulla ejusdem *illius qui pro gregis*, quam refert Hieronymus à Sorbo in addit. ad Compendium Mendicantium verb. *communicatio.* Et Bulla Urbani VIII. *ad uberes* 15. apud Cherubinum to. 4. Quia tametsi in omnibus istis Bullis fiat aliis Ordinibus communicatio privilegiorum Societatis, additur tamen hæc clausula: *dummodò revocata non sint, nec Concilii Tridentini Decretis adversa, seu contraria*, seu repugnantia.

In favorem proinde aliorum Ordinum melius 103
allegatur 1°. Bulla Gregorii XIII. *ex injuncto* 18. apud Cherubinum, in qua Camaldulensibus (ac per consequens Ordinibus Mendicantium cum ipsis communicantibus) idem Pontifex, sine ejusmodi clausula, communicavit omnia privilegia *concessa, & concedenda quibusvis aliis Regularium Congregationum Ordinibus* (etiam proinde Societatis Jesu) *etiamsi talia forent, quæ requirerent specialem mentionem. Non obstantibus quibusvis Literis* (non obstantibus proinde clausulis prohibitivis communicationis) *eisdem Ordinibus concessis.*

2°. in eorum favorem rationabiliter allega- 104
tur Bulla Urbani VIII. *Redemptoris nostri* 133. apud eundem Cherubinum, quâ Discalceatis Ordinis SS. Trinitatis, Redemptionis Captivorum, anno 1634. communicavit omnia privilegia, quibusvis Ordinibus Mendicantium & non Mendicantium, etiam Soc. Jesu, concessa, & concedenda, quamvis illa difficilis sint concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, *non obstantibus Concilii Generalibus*, hâc solâ additâ restrictione: *quatenùs sunt in usu, & non revocata.* Privilegium verò Societatis, n. 100. relatum, certissimè est in usu, & non revocatum; imò à Paulo V. anno 1606. ex certa scientia innovatum. Unde nec ullam Patribus Societatis circa hoc difficultatem facere solent Episcopi Germaniæ & Belgii.

3°. quoad Ordinationem extra tempora, & 105
non servatis interstitiis, tribus Dominicis vel Festis continuis, vel interpolatis, & à quocumque Episcopo, in eorumdem favorem meritò allegatur privilegium à Clemente VIII. die 23. Novembris 1596. post Tridentinum, & declarationem n. 99. relatam, concessum Congregationi S. Joan.

Evan-

Evangelistæ in Portugallia (& consequenter cæteris communicantibus) ut ordinari possint extra tempora, & per quemcumque Episcopum. Cujus concessionis Bullam se vidisse testatur Portel verbo *Ordines sacri* n. 4. Et ideò Religiosos Mendicantes extra tempora à quocumque Episcopo ordinari posse, docent Emmanuel Rodriguez to. 3. qq. Regular. q. 25. a. 5. Portel loco citato; Villalobos 1. p. Summ. tr. 11. diffic. 13. n. 6. Hieronymus Rodriguez in Compend. q. 4. regular. resol. 106. Diana plures alios referens p. 10. tr. 11. resol. 10. & p. 11. tr. 4. res. 6. Urbanus noster ab Ascensione de privil. in speciali c. 5. reg. 2. noster Bonæ-spei de Ord. n. 60. & seqq. noster Andræas à Matre Dei de Ord. tr. 8. c. 4. n. 68. & 83. Barbosa apud ipsum. Novarius Lucern. Regul. verbo *Ordines*. Herinx de Ord. disp. 10. à n. 79. ad 91. Leander à SS. Sacram. disput. 7. de Ord. q. 22. & 23. Donatus Laynensis Rer. Regul. to. 3. q. 26. Aliique non pauci. Et quoad Ordinationem extra tempora, hanc opinionem Aversa de Sacram. Ordinis q. 3. sect. 9. dicit esse tutam in praxi, atque in pluribus Diœcesibus practicari, & in Romana ipsa urbe. Denique noster Gabriel à S. Vincentio disp. 2. de Ord. q. 3. sect. 9. testatur Eminentiss. D. Cardinalem Sfortiam anno 1650. in Civitate Ariminensi quemdam, sui Ordinis Religiosum, id est Carmelitam Discalceatum, extra tempora juxta istud privilegium ordinasse.

106 Sicubi tamen Episcopi non solùm nolint extra tempora Regulares privilegiatos ordinare, sed ne statutis quidem à jure temporibus, non servatis interstitiis, habenda patientia est. Tum quia dispensationem super interstitiis Episcopi judicio & arbitrio Tridentinum relinquit sess. 23. c. 11. & 14. Tum quia Sacra Congregatio apud nostrum Lezanam to. 1. qq. Regular. c. 14. monet Prælatos, ut, *cùm mittunt suos subditos ad Ordines suscipiendos, & expedire judicaverint, ut cùm iisdem in interstitiis dispensetur*, in litteris dimissorialibus humiliter debeant exorare Episcopos, ut id faciant. Tum denique quia non desunt graves Doctores, etiam Regulares, qui censent, quòd dispensare super interstitiis spectat ad Episcopum ordinantem; qui tamen quoad dispensationis causas stare debeat judicio & attestationi Superioris Regularis ordinandi, uti S. Congregationem declarasse referunt Donatus Laynensis ubi suprà q. 29. & apud ipsum Bellarminus, Quaranta, Genuensis, Passarellus, Riccius, & Miranda. Tametsi plures Episcopi Religiosos Mendicantes, absque interstitiis, sine scrupulo ordinent, tum hîc, tum alibi, tùm etiam Romæ, ut testatur Aversa q. 3. sect. 9. §. *qui verò*. Sed & Religiosis facilius quàm sæcularibus præscripta interstitia Episcopi remittere solent, Gelasii I. Summi Pontificis exemplo, qui breviora Monachis interstitia, quàm sæcularibus imposuit: *quia quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte susceptа docetur præstitisse devotio.*

CAPUT XVII.

Sexus, ætas, & qualitates ordinandorum.

107 SExum femineum ab ipsa quoque prima Tonsura excludi, ex praxi Ecclesiæ certum est; imò sexum illum Presbyteratûs incapacem esse, de fide est, ut ostendit Vasquez disp. 245. Enimverò sexus ille, subjectionis est. Ordo verò, maximè Presbyteratûs, ad imperandum, præsidendum, docendum institutus est. Et quomodò ipsis permitteretur in Ecclesia sacrificium offerre, quibus in Ecclesia non permittitur loqui? *Mulieres in Ecclesia taceant* (inquit Apostolus 1. Cor. 14.) *non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* Et 1. Timoth. 2. *docere mulieri non permitto, neque dominari in virum... Adam enim primus formatus est, deinde Heva.* Unde Epiphanius hæresi 49. Quintillianistas, seu Pepuzianos velut hæreticos refellit, quòd in Ordinatione Episcopi & Presbyteri nullum sexûs discrimen servabant, abutentes his Apostoli verbis: *in Christo Jesu neque mas est, neque femina.* Quod Apostolus non 111
dixit quantùm ad Ordinationem, sed quantùm ad fidem, justificationem, adoptionem in filios, bonorum operum retributionem, secundùm quod subjungit: *omnes enim filii estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Hæresi verò 79. ostendit, ex quo mundus condimus est, mulieres nunquam Sacerdotio functas. Et verò, *si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potiùs quàm Mariæ illud in novo Testamento committi debuit, cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque* 112
suo Regem omnium ac cœlestem Deum, Deique Filium concíperet..... Verùm longè Deo aliter est visum, ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta. Cùm alioqui tingi ab illa Christus potiùs quàm à Joanne potuisset.

Nominantur quidem in sacris Canonibus Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ. Non quia sacrum Episcopatûs, Presbyteratûs, vel Diaconatûs Ordinem perceperant (numquam enim in altari ministraverunt, nec ad altare accesserunt, nec vasa sacra tetigerunt) sed quia Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum uxores fuerant. Quòd si Ordinationis Diaconissarum mentio legatur apud Tertullianum, Concilium Calcedonense, &c. earum Ordinatio, seu manûs impositio, mera erat cæremonia, similis benedictioni Abbatissarum, per quam nulla eis potestas Ecclesiastica tribuebatur, sed destinabantur ad ea mulieribus officia ex honestate præstanda, quæ Diaconi viris. Joannæ verò Papissæ historia, mera est fabula; cui ansam dedit incontinentia Joannis XII. tanta, ut tres concubinas habuerit, inter quas cùm Joanna quædam principatum haberet, atque in Pontificatûs administratione se nimiùm ingereret, vulgò Papissa dicta est. Videri potest Baronius to. 10. ad annum 853. n. 86. 108

Solus proinde sexus masculinus susciendæ Ordinationis capax est. Nec eam licitè suscipere potest ante usum rationis; licèt possit validè, etiam Presbyteratum & Episcopatum. Qui proinde Ordines repetendi non forent, si in illa ætate susceperint, prout docent S. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. a. 1. & 3. p. q. 37. a. 2. S. Bonaventura, Scotus, & Doctores communiter, contra Durandum, & Petrum Sotum. Colligiturque ex eo quòd ad Ordines validè suscipiendos necessarius non sit liber consensus susceipientis, ut infrà monstrabitur. 109

Loquendo verò de eo quod licitum est, Tonsura Clericalis, minoresque Ordines conferri non debent, nisi iis qui per ætatem capaces sunt eligendi certum vitæ statum, in quo perpetuò maneant. Cùm ii, qui Tonsurâ initiantur Clericali, Laïcali vitæ renuntiantes, sanctioris vitæ genus eligant, seque peculiariter in Domini sortem adscitos profiteantur. *Quid* verò *indecorum magis quàm eum in statum admoveri infantes, qui non intelligant quid agant, imò ne capiant quidem, quid Clerici nomen, & reliqua minorum Ordinum vocabula significent*, inquit Concilium Coloniense anni 1536. p. 1. c. 27. Unde licèt Tridentinum non definierit ætatem initiandorum primâ Tonsurâ, minoribusque Ordinibus, sed Episcoporum prudentiæ id reliquerit; sessione tamen 26. c. 6. de reform. statuit nullum initiatum primâ Tonsurâ, vel etiam minoribus Ordinibus, *ante decimum quartum annum, beneficium posse obtinere.* 110 111

Peccare verò eos, qui, sine intentione manendi in statu Clericali, eum, seu Tonsuram Clericalem suscipiunt, vel sæcularis judicii fugiendi fraude, vel sola Ecclesiæ bona, seu beneficia suscipiendi intentione, Doctor Hallerius præclarè ostendit in l. de sacris Ordin. tit. de præpar. & dispos. ordinand. c. 3. §. 6. n. 30

111 Ad Subdiaconatum autem nullus promoveri potest ante vigesimum secundum annum; ad Diaconatum, ante vigesimum tertium; ad Presbyteratum, ante vigesimum quintum inchoatum, prout idem Concilium statuit ibidem c. 12. de reform. Siquis antè suscipiat, ex Constitutione Pii II. ipso jure suspensus est à functionibus Ordinum ita susceptorum. Quòd si suscepto ante legitimam ætatem Sacerdotio fungantur (non obtentâ absolutione à S. Pontifice, si delictum sit publicum; vel ab Episcopo, si occultum) irregulares fiunt, ut ibidem habetur.

112 Nec solus masculinus sexus, certaque ætas requiruntur in ordinandis, sed & convenientes qualitates. Quarum prima est, divina vocatio. Scriptum est enim Joan. 6. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos.* Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo.* Neque enim *Christus semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu.* Enimverò si ne terreni quidem Regni, Rege non præcipiente & vocante, quis audeat occupare ministeria, & negotia dispensare; magnæ profectò temeritatis est, in tremenda cœlestis Regis ministeria se ingerere, absque ipsius vocatione interna, & externa Prælatorum Ecclesiæ, cum iis de quibus Hierem. 23. *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant. Audi* (inquit Gaufredus Abbas IV. Clarevall. declamat in Evangel. *ecce nos reliquimus omnia*, ex S. Bernardi verbis contexta §. 13.) *audi querelas Domini, quid super hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor, pœnitentiam cupiens, magis quàm vindictam: ipsi* (*inquit*) *regnaverunt, & non ex me. Principes extiterunt, & ego non vocavi eos. Universos siquidem in Ordinibus Ecclesiasticis, cæterisque ad Sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremò quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, manifestè *prorsus & indubitanter, non ea quæ Deus est charitas, sed aliena à Deo, & omnium radix malorum cupiditas introducit. Quid istud temeritatis? imò quid insaniæ est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii? Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi, nisi Rege introducente, præsumit. Tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus.* Trahe me post te (*ait illa*) in odorem unguentorum tuorum curremus. *Nunc autem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes quæstum æstimant pietatem. Quorsum certa est damnatio.*

113 Signum porrò divinæ vocationis est, dum quis moribus innocens, atque a sæculi moribus, & vanitatibus alienatus, non quærens quæ sua sunt, sed unâ serviendi causâ, salutisque proximorum procurandæ gratâ, Clericali militiæ dat nomen, juxta Melliflui Doctoris sententiam n. 116. proferendam.

114 Secunda qualitas est ea conscientiæ puritas, & vitæ hucusque actæ honestas, ut vel innocenter hactenus vixerit, vel occultas prioris vitæ lethales maculas convenienti pœnitentiâ diluerit. In persona namque Timothei quilibet Episcopus eruditur; *manus citò nemini imposueris* (id est *ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experimentum disciplinæ*, ut explicat S. Leo epist. 85. ad Episcop. African.) *neque communicaveris peccatis alienis.* Quasi diceret, alienis peccatis Episcopum communicare, si ordinaverit absque prævio examine convenienti de vita & moribus ordinandi. Neque enim se excusare poterit, dicendo se ignorasse malam vitam ipsius. Ut enim habetur cap. *nullus* dist. 24. *hæc excusatio accusationem auget: tenebantur enim, quem eligere voluerunt, priùs benè cognoscere.* An videlicet talis foret, qualis esse debebat, secundùm illud Actor. 6. *Considerate fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus.* Unde Tridentinum sess. 23. c. 12. de reform. monet, ad sacros Ordines assumi debere *dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit.* Et olim Diaconus ante Ordinationem in Ecclesia publicè proclamabat, ut quicumque sciret aliquod de ordinando crimen, liberè id posset illi objicere, ut constat ex Origene lib. 8. contra Cellsum in fine. *Et Apostolus Paulus, quando elegit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicumque ordinandus est ad Præposituram Ecclesiæ* (inquit Augustinus tr. 41. in Joan. §. 10.) *non ait*: siquis sine peccato est. *Hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait*: siquis sine crimine est, *sicuti est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi.*

Siquis aliquid horum occultè commiserit, sal- 115
tem condignâ pœnitentiâ diluisse debet, antequam ordinetur. Ut enim Nazianzenus orat. 1. *hic est rerum naturalis ordo, purgari priùs, deinde purgare; sapientiâ instrui, atque ita demùm sapientiâ alios instruere; lux fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios deducere; sanctificari, & posteà sanctificare.* Et, ut S. Gregorius Pastor. cur. p. 1. *si homo apud hominem, de quo non præsumit, fieri intercessor erubescit; quâmente apud Deum intercessoris locum pro populo accipit, qui familiarem se gratiæ ejus per vitæ meritum nescit? Aut ab eo quomodò aliis veniam postulat, qui, utrùm sibi sit placatus, ignorat? Qua in re adhuc aliud est sollicitiùs formidandum, ut qui placare posse iram creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur.* Cùncti enim liquidò novimus, *quia, cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.*

Confirmat hoc ipsum S. Bernardus tr. de con- 116
versione ad Clericos c. 19. hisce fulminantibus verbis: *multi quidem veniunt; sed considera quis vocetur. Ordinem ipsum Dominici sermonis attende.* Beati (*inquit*) mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Ac deinde*: beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Mundicordiæ usque vocat Pater cælestis, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; nec quod sibi utile, sed quod multis.* Petre (*inquit*) amas me? Domine tu scis quia amo te. Pasce (*ait*) oves meas. *Quomodò enim sic amatas oves committeret non amanti? Nimirùm hoc quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Væ Ministris infidelibus, qui, necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi hominès qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se filios gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ, qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, & placare velle præsumunt. Non miramur, fratres, quicumque præsentem Ecclesiæ statum miseramur. Non miramur de radice colubri regulum orientem. Non miramur, si vindemiat vineam Domini, qui instituta à Domino prætergreditur viam. Imprudenter enim pacifici gradum, & Filii Dei vitam occupat homo, qui nec primam quidem adhuc vocem Domini ad cor revocantis audivit. Aut si-*

quando

quando forsitan cœperit audire, resiliens fugit ad folia, ut abscondaretur in eis. Propterea necdum peccare quievit, sed longam adhuc trahit vestem... Quid de munditia cordis loquar? Utinam non illud oblivioni dedisset, tamquam mortuus à corde! Utinam non esset columba seducta, non habens cor! Utinam esset quod vel deforis est mundum, nec ea quæ corporalis, maculata tunica inveniretur! ut obediret vel in hac parte dicenti: mundamini, qui fertis vasa Domini.

117 Confirmat & Catechismus Romanus, dicens: *primùm in eo qui Sacerdos creandus est, vitæ & morum integritas commendetur magnoperè oportet, non solùm quia si alicujus mortiferi peccati conscius se initiari curet, vel etiam patiatur, novo se & maximo scelere obstringit; sed etiam quia virtutis & innocentiæ lumen aliis præferre debet. Ea de re quid Apostolus Tito & Timotheo præcipiat, Pastoribus declarandum erit, & simul illud docendum, ea corporis vitia, quæ in veteri lege ex Domini præscriptione aliquem ab altaris ministerio excludebant* (quorum vitiorum unumquodque moraliter explicatum videri potest apud S. Gregorium ubi suprà c. 11.) *in Evangelica lege ad animæ vitia præcipuè transferenda esse.* Confer quæ dixi cap. 13.

118 Tertia qualitas est scientia sufficiens, pro ratione cujusque Ordinis, juxta illud Act. 6. *plenos Spiritu sancto, & sapientiâ.* Et primâ quidem Tonsurâ initiandus scire debet fidei rudimenta, legereque & scribere. Tridentinum, sess. 23. c. 4. Ad minores Ordines suscipiendos, Linguæ Latinæ requiritur notitia. Ibidem cap. 11. Ad Subdiaconatum & Diaconatum, notitia pertinentium ad dictos Ordines. Ibidem cap. 13. Ad Presbyteratum, ea scientia, quâ docere populum quis possit ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ritèque Sacramenta administrare. Ibidem cap. 14. Omninò illiteratus, & qui nullo modo scit Latinè loqui, juxta cap. *illiteratus* dist. 16. irregularis est, & inhabilis ad Ordines.

119 Quarta qualitas est, quòd sit baptizatus. Siquis enim non baptizatus ordinaretur, juxta cap. *siquis* & cap. *vivens* extra de Presbyt. non baptizat. Ordinatio in praxi repetenda foret, licèt in speculatione certò irrita non foret, ob ea quæ dixi lib. 1. cap. 24.

120 Quinta qualitas, quòd sit confirmatus. Nam tametsi hoc non sit de necessitate Sacramenti Ordinis, sed de necessitate præcepti Ecclesiastici, fundati partim in consuetudine generali, vim legis obtinente, de qua Cornelius Papa testatur in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. 6 Histor. Eccles. c. 43. ubi Novatianum tanquam Ecclesiasticæ regulæ prævaricatorem graviter arguit, in eo quòd Presbyter factus sit, Sacramento Confirmationis non susceptо. Partim in Tridentino sess. 23. c. 4. statuente, ut primâ Tonsurâ nemo initietur, qui Sacramentum Confirmationis nondum susceperit.

121 Sexta qualitas, ut inferiores Ordines, nullo prætermisso, gradatim susceperit, priusquàm ad Ordinem superiorem promoveatur. Quisquis enim non servatâ illâ gradatione per saltum ordinatur, incurrit suspensionem ab executione Ordinis suscepti, & (si eum exerceat) irregularitatem, prout Alexander II. statuit can. *sollicitudo* dist. 52. & Innocentius III. cap. *tuæ litteræ* extra de Clerico per saltum promoto. Tametsi Ordines per saltum susceptі non sint repetendi, sed solùm conferendi Ordines prætermissi, prout iidem Pontifices ibidem declararunt.

122 Septima qualitas, ut ad Subdiaconatum non promoveatur absque titulo. Qui, in Regularibus, est titulus paupertatis; in Sæcularibus, titulus Beneficii, vel patrimonii, ad congruam sustentationem sufficientis. Ita Tridentinum sess. 21. c. 2. Quia *non decet* (inquit) *eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere.* Quòd si Episcopus quempiam absque titulo ordinaret, teneretur ipsi de congruis alimentis providere, cap. *cùm jam dudum*, cap. *non licet*, & cap. *Episcopus* de præbend. Et ista obligatio transit ad Episcopos successores, cap. *cùm secundùm* eod. tit. Absque titulo verò ordinati, à sacris Ordinibus ita susceptis ipso jure olim erant suspensi, cap. *neminem*, & cap. *Sanctorum* dist. 70. Sed hodie non ita. Quia tametsi Tridentinum, antiquorum canonum pœnas innovando innovaverit pœnam cap. *cùm jam dudum* quoad hoc quòd Episcopus alere tenetur sic ordinatum; non tamen quoad pœnam suspensionis, positam in cap. *neminem*, & cap. *Sanctorum*, prout S. Congregatio declaravit apud Fagnanum 1. p. lib. tertii Decretalium ad citatum cap. *cùm jam dudum* n. 68. dummodò utique ordinatus, Episcopum ordinantem ementitis falsis probationibus non deceperit.

Addit Tridentinum loco citato, quòd titulo 123
beneficii ordinatus, *id beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito quòd aliunde vivere commodè possit.* Patrimonium verò (quo nomine hìc non ve- 124
niunt sola bona paterna, vel materna, sed & quæcumque acquisita per donationem, legatum, &c.) *vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos, pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum suarum. Eò quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem ab eis verè obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps, sine licentia Episcopi, alienari, aut extingui, vel remitti nullatenùs possunt, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint.*

Siquis verò confictо titulo, sive ementitis fal- 124
sis probationibus, deceperit ordinantem, ipso jure incurrit pœnam suspensionis, statutam in citato cap. *neminem*, & cap. *Sanctorum*, pro isto casu innovatam à Tridentino, uti S. Congregatio declaravit die 27. Novemb. 1610. apud Fagnanum loco citato. Innovavit etiam Urbanus VIII. undecimâ Decembris 1624. Constitutione quæ incipit, *Decretis æternæ providentiæ*, his verbis: *promotis verò perpetuæ suspensionis pœnam absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ incurrant. Eo ipso insuper promotos hujusmodi, ac etiam qui cum falsis, aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solùm prædictis, verùm etiam majoribus, arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis, infligendis pœnis*, &c.

Sed quid de ordinato cum titulo patrimonii, 125
sibi donati cum pacto, quòd statim post Ordinationem illud retrodonabit, seu reddet ei à quo accepit? Talem habendum pro suspenso docent Suarez to. 5. in 3. p. disp. 31. sect. 1. n. 35. Layman lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 8. Navarrus & alii apud Garciam de benefic. p. 2. c. 5. n. 161. ubi tamen contrarium ipse docet cum Petro Ledesma Sum. de Ord. c. 7. post 5. conclus. diffic. 3. ad fin. Villalobos 1. p. Sum. tr. 11. diffic. 15. n. 10. &c. Quia talis non ordinatur cum titulo fictо, sed vero, si ficta non fuerit donatio, id est sine intentione donandi, sed vera. Qualis esse potest non obstante pacto retrodonandi (sicut vera venditio esse potest, non obstante pacto retrovendendi) & maximè in casu præsenti, in quo, non obstante pacto isto retrodonandi, patrimonium usque adeò manet ipsius, ut non teneatur, nec possit retrodonare, tametsi id juraret. Tam enim juramentum, quàm pactum retrodonandi, nullum est, &

habetur pro non adjecto, per dispositionem Tridentini n. 123. allatam. Per quam etiam prohibetur illud alienare, *donec beneficium sufficiens sit adeptus*, contra quam prohibitionem si verè intenderit alienare, mortaliter peccavit, quandoquidem habuerit intentionem faciendi contra legem Ecclesiæ in re gravi.

126 Quidquid de eo sit, saltem recipiendum non est quod nonnulli aiunt apud Leandrum à SS. Sacram. hîc q. 5. quòd licèt donatio non fuisset vera, sed ficta, id est absque intentione donandi, ordinatus titulo patrimonii taliter sibi donati, patrimonium equidem retinere posset, nec illud in conscientia teneretur restituere. Sed cùm per fictam donationem non acquisierit dominium illius, non apparet quomodò non teneatur restituere. Et ideò Corduba, Suarez, Avila, Joannes de la Cruz, Sanchez de matrim. l. 6. disp. 32. probabilius dicunt, in foro quidem exteriori, donationem taliter factam, in fraudem legis, in pœnam fictæ donationis posse rescindi. Sed quoadusque judex id non fecerit, restitutionem in foro conscientiæ non posse non fieri. Addo ego, scienter sic ordinatum ab incursa suspensione non posse etiam excusari; utpote scienter ordinatum cum falso titulo patrimonii.

127 Addit denique Navarrus consil. 36. ordinatum titulo patrimonii vero, sed insufficiente, vel antecedenter gravato variis oneribus, quæ si solvantur, pauca inde supererunt ordinato; si non solvantur, creditores anteriores illud ipsi auferre & possidere poterunt. Talem (inquam) non incurrisse quidem pœnam suspensionis; mortaliter tamen deliquisse: quia decepit Ecclesiam in re gravi.

128 Quæ dicta sunt de scienter ordinato sub ficto titulo patrimonii, proportionaliter applicanda sunt scienter ordinato sub ficto titulo paupertatis Religiosæ professionis, qui utique sciens se invalidè professum, titulo equidem Religiosæ professionis, seu paupertatis, sacros suscipit Ordines. Talis namque mortaliter peccat, & suspensionem incurrit. Sayrus l. 4. de Censur. c. 13. n. 14. Portel. verb. *Ordines sacri* n. 8. Idque non solùm declarat Pius V. Bullâ *Romanus Pontifex* 75. apud Cherubinum; sed & insuper, si tales in altari ministrent, *privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis Clericis concessis omninò privari, & irregularitatis, aliasque in dicto Decreto* (Concilii Tridentini) *contentas pœnas eo ipso incurrere, à quibus nisi à Romano Pontifice, vel in mortis articulo, minimè absolvi possint.* Ita Joannes Bosco disp. 10. de Ordine sect. 4. n. 142. nisi (inquit) suæ professionis invaliditatem suo consensu supplere posset, atque eo ipso actu supplere intenderet.

129 Octava qualitas est, ut certæ adscribatur Ecclesiæ, cui si adscribatur, inconsulto Episcopo, à sacris ministeriis suspendi debet. Ita Trid. sess. 23. c. 16. de reform. *cùm nullas debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis; & Synodus, vestigiis sexti canonis Concilii Calcedmensis inhærendo, statuit, ut nullus imposterùm ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quòd si locum inconsulto Episcopo, deseruerit; ei sacrorum exercitium interdicatur.*

130 Nona qualitas, ut non sit prorsùs invitus ac reluctans, sed suæ Ordinationi consentiens. Siquidem *Episcopus, qui ordinat, sine justa causa, Clericum invitum, sive reclamantem, vel penitùs invitum, absolutè suspenditur uno anno*, prout habet canon 33. Pœnitentialis. Fuisse tamen aliquos, penitùs invitos, validè ordinatos, varia evincere videntur antiquitatis exempla, & argumenta. Quæ l. 1. c. 21. videri possunt. Ubi etiam n. 227. solutum habes contrarium argumentum Natalis Alexandri hîc reg. 31. petitum ex invaliditate baptismi invito collati.

Ob gravia tamen inconvenientia id fieri non 131
debet absque gravi causa, ut habetur in citato canone.

Decima qualitas, pro initiando sacris Ordini- 132
bus, est ut sit probatæ castitatis, speretque Dei dono se continentiam servaturum. Ita S. Leo epist. 12. aliàs 84. ad Anastasium Episcop. Thessalon. c. 4. ubi dicit, *ne Subdiaconi quidem connubium carnale concedi.* Ita etiam Innocentius III. cap. *à multis* extra de ætat. & qualit. ordin. id confirmans ex Decretis Urbani II. dicentis: *eos qui in sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu sunt positi, si castè non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate... Unde... B. Gregorius statuisse legitur, ut nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se castè victurum promiserit.* Siquis post sacrum Ordinem contrahat matrimonium (præterquàm quòd illud sit invalidum) incurrit irregularitatem c. 1. & 2. *qui Clerici, vel voventes*, necnon excommunicationem Clementin. un. de consanguinit. Utrum verò castitatis obligatio in ipsis oriatur immediatè ex solo Ecclesiæ præcepto, (ut volunt Scotus, Paludanus, &c.) an immediatè ex solo voto, ut volunt S. Thomas, & alii communiùs? Respondeo immediatè oriri ex utroque. Sicut enim obligatio non contrahendi matrimonium immediatè oritur ex utroque; ita & obligatio non 133
utendi matrimonio contracto. Quòdque non oriatur ex solo voto, patet ex hoc quòd ad contrahendum matrimonium inhabilis fit, etiam ille, qui sacrum Ordinem suscepit cum expressa voluntate non vovendi. Ratione scilicet Constitutionis Ecclesiæ, quæ justa de causa ad matrimonium contrahendum inhabilitare potest personas etiam nolentes. Et de facto inhabilitavit omnes sacris Ordinibus initiatos. Eò quòd matrimonium ipsos dedeceat, maximè propter carnales actus (quos secum trahit) sicut Ecclesia matrimonium ipsis prohibuit, etiam præciso voto; ita & carnales actus. Utrumque enim æqualiter prohibet cap. *Presbyteris* dist. 27. & cap. *à multis* de ætat. & qualit. ord. & cap. *proposuisti* cum seqq. dist. 82. ubi veneris usum ipsis prohibet, non factâ mentione voti.

Nec tamen hinc sequitur, quòd puer sacris Or- 134
dinibus initiatus ante usum rationis, eo adepto teneretur continentiæ lege. Cùm enim lex illa sit validè difficilis observatu, eam nulli Ecclesia imponit, nisi voluntariè assumenti statum, cui scit, vel scire debet continentiæ legem esse annexam.

Non sequitur etiam continentiæ voto, tametsi 135
non præcepto, obligari eum, qui sacrum Ordinem invalidè suscepisset, in sua tamen Ordinatione continentiæ votum omisisset. Quia (nisi expressè intenderit vovere, etiam præcito Ordine) censetur votum istud non fecisse nisi accessoriè. Accessorium verò sequitur suum principale, eoque ablato tollitur.

Undecima & ultima qualitas est, ut nullo sit 136
ligatus Ordinationis impedimento. Quinam verò à suscipienda Ordinatione impediantur, Concilium Mediolanense IV. p. 2. tit. *quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, explicat his verbis: *impedimento irretiti hi sunt minores natu* (id est pueri rationis usum necdum adepti) *Sacramento Chrysmatis non confirmati, rudes & ignari, criminosi, solemniter pœnitentes, neophyti* (id est recenter ab Idololatria, Mahumetismo, vel Judaismo conversi) *ebrietati aut gulæ dediti, impudici, lasciui post Ordinem susceptum, perjuri, usurarii manifesti, infames, ratiocinii obligati, servi, corpore vi-*

tiati, insigniter deformes, illegitimè nati, peregrini & ignoti, bigami, irregulares, quovis alio modo suspensi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, &c. Ex iis præcipua sigillatim explicabimus capite sequenti; iis non repetitis quæ in superioribus explicata sunt.

CAPUT XVIII.

Ordinationum impedimenta & irregularitates.

§. I.

Irregularitas in genere.

137 IRregularitas est impedimentum canonicum, quo quis prohibetur promoveri ad Tonsuram, & Ecclesiasticos Ordines, & in susceptis ministrare. Unde irregularitas non modò Tonsuræ, & Ordinum susceptionem impedit, sed etiam usum horum ante susceptorum, can. *curandum*, & can. *si cujus uxorem* dist. 34. & cap. fin. de temp. ord.

138 Hinc irregularitas impedit susceptionem beneficiorum, paritque incapacitatem ad illa, cap. *Pastoralis* de Cler. excom. sequiturque ex eo quòd inhabilem efficiat ad Tonsuram. Irregularitas tamen subsequens ipso jure non privat beneficio prius acquisito, nec fructibus & administratione illius; imò ne quidem jurisdictione, cujus actum (modò non sit actus Ordinis, cujusmodi est absolutio à peccatis) non solùm validè, sed & licitè Clericus irregularis adhuc exercere potest. Rota decis. 195. & Doctores communiter ex cap. *ex parte* de excess. Prælat. ubi ne quidem irregularis ex delicto homicidii (quæ irregularitas omnium gravissima est) judicatur ipso facto depositus à suo beneficio, sed per Judicis sententiam deponendus. Multò ergo minùs irregularis ex solo defectu, citra culpam, est ipso facto privatus & depositus: sed hoc solum curandum est Superiori, ut, si beneficium ipsius curatum sit, ei de Vicario provideatur, cum assignatione partis fructuum beneficii, cap. *ex parte*, & cap. fin. de Cler. ægrot. nisi ipse Beneficiarius velit resignare. Hoc enim liberè potest.

139 Duplex est irregularitas. Una ex delicto: altera ex defectu. Illa provenit ex aliqua indecentia, citra culpam hominis in eam incurrentis. Illa oritur ex proprio delicto (non veniali, sed mortali: cùm enim importet gravissimum incommodum, non imponitur propter leve delictum) quod prohibitione à Clericatu, Ordinibusque, & eorum ministerio Ecclesia coërcere voluit.

140 Irregularitatis ex defectu septem sunt species. Prima est ex defectu animi. Quo modo irregulares sunt amentes, energumeni, omninò illiterati, neophyti, id est recenter conversi ab Idololatria, Mahumetismo, vel Judaismo.

141 Secunda ex defectu corporis. Quo modo irregulares sunt membro aliquo mutilati, si sint insigniter deformes; leprosi, epileptici, seu morbo caduco laborantes, hermaphroditi.

142 Tertia ex defectu natalium. Quo modo irregulares sunt filii illegitimi & spurii. Qui tamen defectus per Religiosam sic tollitur professionem, ut professus ad sacros Ordines promoveri possit; sed non ad Prælaturas regulares, nec ad Episcopatum, cap. 1. de fil. Presb.

143 Quarta ex defectu libertatis. Quo modo irregulares sunt servi, & rationi reddendis obligati.

144 Quinta ex defectu ætatis per jura requisitæ.

145 Sexta ex defectu Sacramenti. Quo modo bigami sunt irregulares.

146 Septima ex defectu lenitatis, id est ex homicidio publicâ authoritate perpetrato. Quo modo Judices, Regii Cognitores, Notarii causarum capitalium, accusatores & testes sunt irregulares. Canones, quibus omnium supradictorum irregularitas probatur, videri possunt apud Toletum lib. 1. c. 57. & seqq.

147 Irregularitatis ex delicto species sunt quinque. Prima est ex iteratione baptismi. Secunda ex indebita susceptione, vel usu Ordinis. Tertia ex hæresi. Quarta ex homicidio illicitè perpetrato. Quinta ex infamia.

148 In irregularitatibus ex defectu Episcopus dispensare non potest, nisi in uno vel altero casu. Potest namque cum illegitimis dispensare ad solos minores Ordines, atque ad Beneficium simplex, non ad curatum, cap. 1. de fil. Presbyter. Ex consuetudine etiam dispensare potest cum bigamo ad minores, & Beneficia simplicia. Sanctus Thomas in 4. dist. 27. q. 3. a. 3. Sylvester verbo *bigamus* q. 7. Rota decis. 447. Azorius p. 2. lib. 3. c. 5.

149 In irregularitatibus verò ex delicto occulto dispensare potest Episcopus, exceptâ eâ quæ provenit ex homicidio voluntario, exceptis item aliis deductis ad forum contentiosum. Tridentinum sess. 24. c. 6. de reform. In irregularitatibus ex delicto publico solus Papa dispensare potest. Vide tamen infrà §. 9.

§. II.

Observanda circa irregularitatem ex epilepsia, seu morbo.

150 EO morbo laborantes, si anteà ordinati non fuerint, cap. *maritum* dist. 33. sicut & amentes, & lunatici, in perpetuum excluduntur ab Ordinibus. Consuetudo tamen obtinuit, ut irregulares non censeantur illi, qui epilepticos affectus experti sunt ante completum decimum quartum ætatis annum (inquit Cabassutius Jur. Can. Theor. & Prax. lib. 5. c. 19. n. 8.) neque in iis haberi solet ratio similium affectuum, qui in annis infantiæ contigerunt. Alioqui magna Clericorum & Sacerdotum pars esset irregularis. In teneris enim annis hos affectus permultis contingere, qui deinde provectiores ad sacros Ordines indiscriminatim accedunt, docet experientia. Aitque Hippocrates Aphor. 7. sect. 5. quòd *epilepsia ante pubertatem amotionem recipit: post vigesimum verò quintum annum ferè comitatur ad mortem usque.* Et Aphor. 28. sect. 3. *plurimi pueriles morbi, alii intra dies 40. nonnulli intra 7. menses, quidam intra annos septem, alii ipsis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui verò permanserint, neque pueris circa pubertatem, neque feminis cùm menstrua erumpunt soluti fuerint, inveterascere consueverunt.* Zachias, qui Medicinam Romæ cum magna doctrinæ fama profitebatur, hac de re consultus, sic respondit consil. 59. "eum qui gravi, non autem levi, epilepsiâ pluries, etiam post puberes annos, correptus est, non tamen esse irregularem, & posse sine dispensatione ordinari, si aliquot annorum spatio symptoma non recurrerit. Ibidemque suadere conatur, Canones, qui contrarium decernere videntur, intelligendos esse de fœda & gravi epilepsia, quæ post pubertatem est ferè insanabilis." Sed Zachiæ refragamur, & tutius esse ducimus, & Canonum præscriptis conformius, omnes verè epilepticas affectiones, quæ post pubertatis annos contingunt, irregularitati adscribere; exiguam tamen, aut nullam habendam esse rationem earum, quæ impuberibus contigerunt. Hucusque Cabassutius.

151 Quando autem, post susceptam Ordinationem, epilepticus seu caducus morbus supervenit, eo laborantes non permittuntur ministrare, nisi eo liberati fuerint, can. *usquequò* eâd. dist. Et quidem in toto liberati, ministrare permittuntur, sicut & amentes, & energumeni. Qui tamen ne post totalem quidem liberationem promoverentur, semel in furiam lapsi, can. *siquis* §. *sicut ergo* 15. q. 5. Quòd

si non constet, quempiam caduco morbo laborasse, sed de eo dubitetur, conceditur probatio per 30. dies. Dum autem constat laborasse, ad cognitionem liberationis requiritur probatio per annum, can. *communiter*, & ibi Glossa dist. 33.

152 Quando verò quis in totum liberatus non est à morbo caduco, distinctione opus est (inquit Toletus lib. 1. cap. 64. n. 12.) Aut enim frequenter eo morbo corripitur, aut rarò? Si frequenter, ministrare non potest, can. *in tuis* 7. q. 2. Si rarò (ut semel in mense, secundùm Cabassutium) & ne tunc quidem ministrare permittitur, si corripiatur cum confusæ vocis emissione, & spumæ jactatione. Si absque his accidentibus, permittitur ministrare cum coadjutore Sacerdote, qui ministerium suppleat, casu quo post inchoatum Canonem deficeret, can. *illud* 7. q. 1. Estque eadem distinctio de lunatico & amente, inquit Toletus. Dæmoniacus autem ministrare non permittitur, nisi totaliter liberatus. Quia majus in eo scandalum. Toletus ibidem.

153 Nec refert, quòd epilepticus morbum præsentiat, antequam eo corripiatur, si equidem corripiatur cum spuma, confusa voce, &c. Leffius in Consil. verbo *missa* c. 7. Videri potest can. *in litteris* 7. q. 1. & can. *nuper* ibidem.

§. III.

Observanda circa hermaphroditos & mutilatos.

154 Toletus & Fornarius negant hermaphroditos esse irregulares, si in ipsis prævaleat sexus virilis. Sed contrarium ex jure probat Suarez de Censur. disput. 52. sect. 2. sequiturque Bonacina ibidem disp. 7. q. 2. n. 15.

155 Irregularis est qui se castravit, vel etiam se castrari permisit ob cantum, vel ob castitatem, uti fecisse legitur Origenes, propterea à SS. Patribus & Conciliis reprehensus. Sed si permisit ex causa licita, v. g. dum Medicus id necessarium judicat ad curationem morbi, non efficitur irregularis, can. *siquis abscideritur*, & can. *siquis se* dist. 55. & cap. *significasti* de corp. vitiat.

156 Siquis suâ culpâ gravi, membro aliquo (licèt invitus) mutilaretur, etiam membro occulto, & citra notabilem deformitatem, vel impedimentum usûs Ordinis, equidem irregularis efficeretur, can. fin. dist. 55. Et ita Navarrus & Doctores communiter, exemplificantes in eo cui, in adulterio deprehenso, virilia in pœnam vel vindictam excinderentur.

157 Denique quivis alius corporis defectus causat irregularitatem, qui vel notabilem inducit deformitatem, ut abscissio nasi; vel impedit usum Ordinis, ut cæcitas. Sola carentia visûs in oculo sinistro (qui Canonis oculus dici solet) non efficit irregularem, si ita prævaleat oculus dexter, ut sine indecentia possit Canonem de altari legere. Ita Cabassutius n. 13. post Navarrum, Leffium, &c. Judicium autem deformitatis aut defectûs corporis ad irregularitatem inducendam, vel non, pertinet ad Episcopum, c. 2. de corp. vitiat. Sylvester verb. *corpore vitiato* q. 1. & Doctores communiter.

158 Porrò quisquis, ob corporis defectum, impeditur à susceptione Ordinis Sacerdotalis, juxta Angelum, Ugolinum, Avilam, & Doctores communiùs, impeditur etiam à susceptione Ordinum inferiorum. Tametsi Paludanus, Sairus, aliique pauci dissentiant. Sed qui post susceptum Sacerdotium evasit irregularis quoad Missæ celebrationem, quia v. g. amisit pollicem, indicem, vel oculos, non ideò prohibetur exercere alia munia, ad quæ supereſt ipsi habilitas. Et ideò potest adhuc confessiones excipere. Cabassutius n. 15.

§. IV.

Observanda circa bigamos.

159 EX triplici bigamia oritur irregularitas, scilicet ex vera, interpretativa & similitudinaria. Vera est in eo qui duas successivè duxit uxores. Interpretativa in eo qui unicam duxit, sed viduam, vel ab alio vitiatam, vel duxit virginem, quæ post matrimonium adulterata est, si post adulterium eam cognoverit, can. *si cujus*, & can. *Laici* dist. 34. Similitudinaria est in eo qui post solemne votum, sive sacri Ordinis, sive Religiosæ professionis, matrimonium duxit & consummavit, sive validè ex dispensatione Papæ (in sententia multorum) sive invalidè, can. *quotquot* 27. q. 1. & cap. *nuper*, & cap. fin. de bigam. Ratio irregularitatis ex triplici illa bigamia est defectus Sacramenti, id est mysticæ significationis, seu conformitatis cum mysticis nuptiis Christi & Ecclesiæ (unicæ, perpetuæ, & incorruptæ Sponsæ) quarum imaginem referunt Christianorum nuptiæ. Et ideò irregularitas ex bigamia non contrahitur ex multis matrimoniis ratis, si solùm sit unum consummatum cum virgine. Quia licèt matrimonium ratum referat imaginem unionis Christi cum Ecclesia, quæ ex gratia & charitate resultat; non tamen imaginem unionis, quæ per divini Verbi Incarnationem facta est. Solum Papam cum bigamis, etiam in Ordine ad Tonsuram & minores Ordines, dispensare posse, non Episcopum, constat ex declaratione Sixti V. & S. Congregationis apud Fagnanum ad cap. *quoniam* de Consuetudinib. n. 32.

§. V.

Observanda circa defectum lenitatis.

160 IRregularitas ex defectu lenitatis provenit ex illicita occisione, vel mutilatione voluntaria hominis, qualis fit à Judice, Apparitore, carnifice, (dum suo justè funguntur officio) necnon ab accusatore, denuntiatore & teste in causa sanguinis, sicut & à militibus in bello justo, can. *siquis viduam* dist. 50. & cap. *in Archiepiscopatu* de raptor. cap. fin. ne Cler. vel Monach. in 6. & Clem. un. de homicid.

161 Potest tamen Episcopus, & quisquis Clericus jurisdictionem obtinet temporalem, absque periculo irregularitatis, Baillivo suo injungere, ut veritatem inquirens super homicidio, vel alio crimine in sua jurisdictione commisso, justitiæ debitum exequatur, tametsi Baillivus inde processerit ad pœnam sanguinis, cap. *Episcopus* ne Clerici & Monachi.

162 Possunt etiam Clerici, absque metu irregularitatis, de injuriis damnisque sibi illatis, querelas contra malefactores suos deponere apud Judicem, & emendam deposcere, etiamsi Judex mortem ipsis illaturus sit, justitiâ exigente: *modò protestentur expressè, quòd vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt. Alioquin, si Prælati, aut Clerici, propter metum hujusmodi, quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi*, ait Bonifacius VIII. cap. *Prælatis* de homicid. in 6. Si tamen sic conquerentes mortem intenderent, in foro conscientiæ irregulares essent, quibuscumque verbis intentionem istam dissimularent, licèt Ecclesia in foro externo ipsos ab Ordinum susceptione vel usu non prohiberet, nisi istam intentionem ipsorum confessione vel probatione compertam haberet. Cardinalis Ostiensis in Sum. tit. de homicid. §. 4. n. 5.

163 Nec illi Clerici ideò sunt irregulares, qui authores sunt, ut capiatur malefactor, etiamsi malefactor à capiente occidatur. Quia de licito opere consilium

consilium dederunt, nec occisionem suggesserunt, vel suaserunt, vel jusserunt. Innocentius IV. in cap. *ad audientiam* extr. de homicid.

164 Idem dicendum de Sacerdote, qui flagitiorum repressionem intendens, suadet Principi ut legem ferat, quâ certorum criminum rei, morte digni, capite plectantur. Quia per generalem istam suasionem dici nequit causa mortis, nisi remota, can. *delatori* 5. q. 6. Et ita docent Ugolinus, Avila, Suarez, Bonacina, Caballutius, &c.

165 Idem rursus dicendum de Confessario, reum juridicè interrogatum urgente, ut suum capitale crimen Judici legitimè interroganti confiteatur. Cùm enim reus ad hoc in conscientia teneatur, Confessarius in hoc fungitur officio suo. Sicut & dum recusat absolutionem Magistratui, secundùm leges punire nolenti malefactorem, quem lex jubet morte plecti, dummodò generatim loquatur, ut puniat secundùm legem, nec specificè exprimat mortis pœnam. Caballutius citato c. 19. n. 17.

166 Ut autem accusans, seu querelam apud Judicem Laïcum deponens in materia criminis capitalis, ab irregularitate sit immunis, duas conditiones requirit Caballutius n. 19. id colligens ex citato cap. *Prælatis*. Prima est, ut accuset de injuria sibi, suisque rebus illata; non verò de illata alteri. Secunda, ut expressè protestetur ut suprà n. 162. Ista verò protestatio, si fiat ab ipso ut teste, nihil ipsi prodesset (inquit) cùm enim nullus esse queat testis in causa propria, interveniret in causa aliena. Prodest tamen ipsi, si accusat violatorem Ecclesiæ suæ. Quia propriæ Ecclesiæ causa ad eum pertinet. Aliena proinde non est respectu ipsius. Ita (inquit) Bonacina & ait communiter, idem docentes de Clerico, qui (cum dicta protestatione) revelat patriæ proditionem. Quia salus patriæ ad omnes & singulos adeò pertinet, ut omnes & singuli exterminium illius, jure naturæ pro posse impedire teneantur.

167 Clericus nequit esse testis in causa sanguinis, cap. *his à quibus* 23. q. 8. In Gallia tamen (secundùm mores & usum regni) non censentur irregulares testes à Judice compulsi, uti nec Notarii, uti tradit Jurisprudentia Gallorum apud Natalem Alexandrum Theol. Dogmat. & Moral. to. 5. l. 2. c. 4. a. 9. n. 1. Quòd tamen aliarum Ecclesiarum legibus & moribus non præjudicat, ubi Clerici ad id compelli jure non possunt, quamvis de licentia sui Superioris testificari possint, ad oppressi innocentis liberationem, non obstante quòd inde (præter ipsorum intentionem) calumniatoris mors sequatur. Quia per accidens sequitur respectu ipsorum. Non enim intendunt calumniatoris pœnam, sed solam innocentis calumniosè accusati liberationem. Bonacina de irregularit. disp. 7. q. 4. p. 3. n. 4. post Suarez, Ugolinum, Sairum, &c.

168 Neque irregulares sunt Laïci Medici aut Chirurgi, dum juxta suæ artis regulam ad totius conservationem, membrum resecant, vel resecari mandant. Sed irregularitatem ex delicto incurrerent, si per gravem culpam ipsorum homo interiret, vel mutilaretur. Ad cujus periculum præcavendum, Clerici, sacris Ordinibus initiati, chirurgicam artem exercere prohibentur, cap *sententiam sanguinis*, ne Clerici vel Monach. & cap. *tua nos* extra de homicid.

169 Et verò irregularis efficitur Clericus exercens chirurgiam, si mors ægroti ex operatione ipsius vel indirectè sequatur, tametsi sit in arte peritus, debitamque adhibuerit diligentiam ne sequeretur. Sic rescripsit Innocentius III. cap. *tua nos* citato, in causa Monachi Sacerdotis, qui mulierem à tumore gutturis curare volens, tumorem ferro aperuerat, monens ipsam ne se vento exponeret. Quod monitum cùm ipsa neglexisset, aperto gutture, sanguineque copiosè effluente mortua est: *Licèt* (inquit Pontifex) *ipse Monachus multùm deliquerit, alienum officium usurpando, quod sibi minimè congruebat; si tamen causâ pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere; non est, ex eo quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeò reprobandus, quòd non, post satisfactionem condignam, cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare. Alioquin interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis executio de rigore.*

Quæstio superest de occidente injustum aggressorem, non solius famæ, temporaliumvè bonorum, sed propriæ vitæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ, an ex hoc irregularis efficiatur? 170

Non est dubium quòd sic, si dictum moderamen excederet. Et licèt aliqui Recentiores irregularem non censeant occidentem injustum invasorem propriæ famæ, vel bonorum, dum aliter defendi nequeunt. Contrarium tamen meritò docent graviores sanioresque Doctores; imò contrarium Alexander III. docet cap. *suscepimus* extr. de homicid. ubi duos Monachos reos declarat, qui latrones ligaverant, à quibus noctu ingressis in personis affecti erant, propriisque vestimentis spoliati fuerant. Dum verò eorum unus rem Abbati delaturus, eos ligatos in custodia alterius fratris reliquisset, & interea fures sese solvere niterentur, eos ipse (ne ab ipsis occideretur) occidit. Istum Pontifex irregularem declarat, hâc ratione: *quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam*, latrones dimittendo, *quàm pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere.* Et utrumque jubet pœnitentiæ subjici: *quia constat latrones, contra mandatum Ecclesiasticum, ex utriusque ope interfectos.* Videri potest Fagnanus ibi.

Occidentem tamen, cum dicto moderamine, injustum aggressorem vitæ suæ, ex hoc irregularitatem non incurrere, communis sententia docet, colligiturque ex cap. *significasti* extr. de homicidio, atque expressius ex Clementina *si furiosus* de homicidio, ubi habetur, irregularitatem non incurri ab eo *qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* 171

Eum quidem qui occidit injustum aggressorem alienæ vitæ, etiam patris, filii, fratris, uxoris, non valens aliter ipsis succurrere, irregularem esse putat Glossa, Sylvester, Navarrus (apud Caballutium n. 24.) sed (ipso teste) negant hoc Covarruvias, Navarra, Suarez, Lessius, Bonacina, Coninck, &c. Quia nullo jure generatim statuitur illum esse irregularem, qui quâcumque actione hominem occidit, ad necessariam suæ vel alienæ vitæ defensionem. Imò contrarium colligitur ex cap. *ex litteris* de homicid. 172

§. VI.

Observanda circa irregularitatem ex delicto.

Dixi §. 1. cum æquiore & communiore sententia, ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiri mortale delictum. Quia irregularitas ex delicto est gravis & valdè gravis pœna. Pœna autem debet esse proportionata delicto, cap. *felicis* de pœnis in 6. Ergo ubi gravis pœna, oportet grave esse delictum. Ita Sotus, Navarra, Suarez, &c. 173

Præterea ad eam incurrendam requiritur delictum actu externo consummatum. Quia Canon ultimus 15. q. 1. factum requirit, non solam voluntatem. 174

Porrò delicta, ex quibus irregularitas incurritur, sunt 1°. hæresis vel apostasia à fide, can. *qui in* 175

aliquo dist. 51. can. *quibus* de Consecr. dist. 4. Et hæc extenditur ad filios ipsorum, nisi constet parentes ante mortem conversos fuisse, cap. *statutum* de hæret. in 6. ibi : *qui tales esse vel decessisse probantur.*

176 2°. iteratio baptismi : quicumque enim sacrum baptisma iterarunt, vel iterationi ministrarunt, irregulares sunt, cap. *ex litterarum* extr. de apostatis & *reiterantibus baptisma.*

177 3°. indebita sacri Ordinis susceptio, vel executio : ratione cujus irregulares sunt quicumque ad suscipiendos sacros Ordines non approbati nec vocati obrepserunt, cap. *veniens ad nos* extr. de excessib. Prælat. Item qui majori excommunicatione, vel aliâ censurâ ligati, Ordines susceperunt, vel in eis ministrarunt, cap. *cùm illorum* extr. de sent. excom. & toto titulo de Clerico excom. depos. vel interd. ministr. Item qui ministrant in Ordine quo carent, c. 1. & 2. de Cler. non ordin. ministr.

178 Quartum & præcipuum delictum est illicitum homicidium, vel mutilatio : ratione cujus irregulares sunt, tam qui illud mandant, vel consulunt, quàm qui exequuntur, vel executori auxilium aut defensionem præstant, can. *Clericum*, & can. *miror* dist. 50. cap. *suscepimus*, & cap. de *cætero* extr. de homicid. voluntar. & casual. Si tamen mandans, quantùm in se est, efficaciter revocaverit mandatum ante executionem, non erit irregularis, etiamsi mandatarius, post revocationem, equidem perrexerit ad executionem. Ita Doctores communiter : aliter sentientes de consulente, qui similiter consilium revocavit. Ratio disparitatis est, quia mandatum est in gratiam & commodum mandantis ; consilium verò in gratiam & commodum ejus cui datur : ideòque consilii influxus manet, etiam revocato consilio ; secus influxus mandati, eo revocato. Dispositio enim ejus, quod nostra interest, nostro, non alieno subest arbitrio ; secùs dispositio ejus quod nostra non interest, sed alterius, qui ob proprium interesse, adhuc post consilii revocationem, movetur consilio sibi dato.

179 Collige ex dictis procurantem abortum fœtûs animati irregularem esse; utpote verum homicidam.

180 Ad irregularitatem ex mutilatione culpabili, Covarruvias, Navarra, Suarez, & Cabassutius requirunt mutilationem partis, quæ per se habet distinctum & completum in corpore officium, qualis est manus, pes, &c. non verò digitus, aures, nares. Sed verius Cajetanus & Sotus sufficere putant abscissionem cujuscumque partis, ad corporis integritatem spectantis, etiam digiti. Idque Iveninus probat ex Innocentio I. epist. 4. cap. 1. Nec ad eam incurrendam sufficit aliquem ita cædere, seu verberare, ut aliquod membrum reddatur inutile ; sed necesse est ut abscindatur, vel ita tabescat, ut necesse sit illud amputare. Cabassutius c. 20. n. 7. cum Soto, Navarra, Suarez, Avila, Coninck.

181 Ex fortuito etiam homicidio vel mutilatione irregularitas contrahitur, dum aliquis, dans operam rei illicitæ, hominem fortuitò occidit, vel mutilavit, cap. *continebatur* extr. de homicid. voluntar. & casual. Ad hoc tamen ex dictis n. 173. requiritur, ut dando operam rei illicitæ mortaliter deliquerit, seu latam culpam commiserit, saltem debitam diligentiam omittendo, ut colligitur ex cap. fin. de homicid. necnon ex cap. *quæsitam* de pœnit. ubi decernitur parentes, quorum aliquâ negligentiâ infans noctu inter dormiendum ab ipsis oppressus est, non esse irregulares, *nisi ea negligentia fuerit studiosa.*

182 Sunt etiam qui irregularitatem ex homicidio casuali, & non intento, tunc solùm contrahi putant, dum opus illicitum, ex quo sequitur, involvebat in se periculum homicidii. Ita Sotus, Navarra, Valentia, Coninck. Sed contrarium dicendum videtur cum Sylvestro, verbo *homicidium* n. 2. & Cajetano 2. 2. q. 64. a. 8. Aliàs irregularitatem non contraxisset Sacerdos, de quo num. 169. Contrarium tamen rescripsit Innocentius III. ut ibi visum est. Nec eam contraheret Clericus inter venandum, telum vibrans in feram, omni adhibitâ diligentiâ, ne hominem interficiat: quem tamen casu ibi transeuntem, vel latentem interfecit. At contrarium etiam declaratur cap. *continebatur* extr. de homicid. voluntar. & casual. hâc solâ ratione, quia hominem interfecit dando operam rei illicitæ, id est venationi, Clericis interdictæ. Quod non solùm ratione periculi ibi decernitur : cùm ne ipsis quidem Laicis venari licitum sit cum morali periculo homicidii. Denique irregularis est, qui rixam illicitam cum altero habuit, si amici ejus fortè advenientes occiderint illum ejus intuitu, tametsi præter ipsius voluntatem. Quia rei illicitæ operam dedit : tametsi rixa illa ex se non involveret periculum homicidii.

Hinc etiam cap. *Presbyter* extr. de homic. irregularis decernitur Sacerdos, qui puerum intuitu 183
disciplinæ percussit *in capite, si ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse.* Et *qui mandat aliquem verberari, licèt expresè inhibeat, ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius, fines mandati excedens, mutilet, vel occidat. Cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.* Ita Bonifacius VIII. cap. *is qui* de homicid. in 6.

Similiter irregularis est, qui absque consilio Me- 184
dici, potionem dedit infirmo, qui inde mortuus est, tametsi bono animo dederit. Quia cùm non esset peritus artis, dedit operam rei illicitæ, ex qua periculum prævidere debuit, cap. *tua nos* extr. de homicid. Et idem dicendum de custodientibus infirmum, si, contra vel præter Medici præceptum, dent ei aquam vel vinum, unde mors ipsius sequatur ; vel morti proximum loco movent, quo fit ut citiùs moriatur, nisi debitam adhibuerint diligentiam ne hoc contingeret. Ita Natalis Alexander ubi suprà a. 9. in fine. Unde Franciscus Arauxo tr. 3. q. 21. casu 10. irregularem censuit quemdam Ordinis sui, qui alium ejusdem Ordinis Fratrem, extra Conventum moribundum, contra Medici judicium, currui impositum, misit ad Conventum, quò perveniens, statim mortuus est. Quia infirmum exposuit periculo mortis ictibus currûs.

Scio nonnullos circa præmissa benigniùs sen- 185
tire. Quos inter Gobat de Sacram. tr. 8. n. 665. censet 1°. cum nonnullis aliis, nullum crimen, quàmlibet enorme, excepto homicidio, inducere irregularitatem, nisi sit notorium. Sed in eo ipse, sicut & in multis aliis, nimis laxus est, contrariumque Suarez to. 5. in 3. p. disp. 31. sect. 1. n. 68. probat cum communi. Enimverò Tridentinum apertè supponit contrarium, dum sess. 24. c. 6. deforedat Episcopis facultatem dispensandi *in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario*, &c.

2° censet cum Palao & Diana p. 4. tr. 2. resol. 186
85. nullum crimen inducere reipsà irregularitatem, in foro conscientiæ, nisi patrator illius criminis sciat irregularitatem esse illi annexam. Et hoc (inquit) extendit Diana ad id ignorantem ex negligentia crassa, excipiens tamen homicidium. Sed & ista videtur laxitas nimia. Enimverò si annexæ irregularitatis scientia non requiritur in homicidio, cur potiùs in aliis? Casuistæ isti homicidium non excipiunt, cùm aiunt, nec excommunicationem,

nec

nec suspensionem incurri, nisi à scientibus censuram istam annexam esse actui quem exercent. Igitur à censuris istis perperàm arguunt ad irregularitatem ex delicto.

187 3°. censet in dubio facti, quando dubitas an commiseris aliquod ex iis criminibus, quibus irregularitas est annexa, posse te, stante illo dubio, gerere pro non irregulari; solo excepto dubio facti de homicidio. Istud videri posset æquitati satis consonum. Quia odia sunt restringenda. Et dum partium jura sunt obscura, reo favendum. Et quia nulla irregularitas incurritur, nisi in casibus jure expressis, cap. *irqui* de sent. excom. Nusquam autem in jure exprimi videtur, dubium de aliis delictis, quàm de homicidio, debere se gerere pro irregulari, sed de solo eo qui dubitat de patrato homicidio, cap. *significasti* & cap. *ad audientiam* de homicid.

188 Nihilominùs præferenda est contraria sententia veterum Theologorum, quæ & communis est Canonistarum, in eo utique dubio facti, in foro conscientiæ, tutiorem partem esse sequendam in praxi, quidquid sit de foro exteriori. In foro namque conscientiæ regula de tutiori parte in dubio sequenda procedit in omni materia, in qua subesse potest peccatum (uti coram Deo subesse potest, siquis irregularis, excommunicatus, &c. celebret) prout fusè à nobis ostensum est to. 1. l. 11. probatque Fagnanus ad cap. *ne innitaris* de Constitut. n. 220. & seqq. & ad cap. *ad audientiam* de homicid. n. 2. & seqq. Et reverà regula, in qua se fundant Pontifices in cit. cap. *significasti*, & cap. *ad audientiam*, quòd utique in dubio, ubi vertitur animæ periculum, via sit eligenda tutior, generalis est, in omnique materia procedens: cùm sit juris divini & naturalis. Citati verò Canones *significasti*, & *ad audientiam*, licèt loquantur in materia irregularitatis ex homicidio (quia ita contigit casus, quem ibi Pontifices resolvunt) decisionem tamen non deducunt ex speciali indecentia celebrandi post homicidium fortè commissum, sed deducunt ex dicta regula universali juris naturalis & divini. Et ideò extendendi sunt ad latitudinem istius regulæ, seu rationis. Quia quandocumque ratio legis, vel canonis, est amplior vel generalior dicto, seu dispositio, tunc ad amplitudinem rationis extenditur ipsa dispositio. L. *regula* §. fin. ff. de jur. & fact. ignor. Et L. *nomen debitoris* §. fin. ff. de leg. 3. cum concord. Et hoc maximè procedit ubi agitur de securitate animæ; tunc enim lex, etiam pœnalis, dicitur favorabilis, & extendenda ex rationis identitate, ut in cap. penult. *qui filii sint legitimi*, prout adnotarunt Hostiens. in fin. Andræas n. 5. & seq. Præpositus n. 3. Bartolus & Doctores in Auth. *Sacramenta puberum* C. *si adversus vendit.* Et ita citatos Canones intelligunt Expositores, ex eis regulam generalem colligentes, quòd in omnibus dubiis, spectantibus ad animæ salutem, & ubi agitur de materia peccati, pars tutior eligenda sit. Ita Canonistæ apud Fagnanum ad cit. cap. *ne innitaris* n. 223. & cum ipsis S. Thomas, Scotus, Angelus, Sylvester, Tabiena, Navarrus, ibidem à Fagnano relati. Et verò cùm ratio illa de tutiore parte eligenda, ad evitandum peccati periculum, expressa sit in Canone, ubicumque viget illa ratio, casus dicitur à jure expressus, ut ex Calderino consil. 147. Fagnanus ait ibidem.

189 4°. censet generatim, eos qui assistunt, aut inserviunt ægris, non debere quidquam prorsus apprehendere de irregularitate, ejusque periculo, dum charitatis causâ eos, etiam in ultimo vitæ constitutos, movent in lecto, ut quictius cubent, vel cibum aut potum ipsis ministrant, &c. Sed dictatne charitas, proximum exponendum esse periculo accelerandæ mortis, ut quietius cubet, &c.? In eo proinde sequendum quod n. 184. dictum est.

Ex dictis sequitur, Medicum, rationabiliter dubium, an ægrotus gravi suâ culpâ interierit, sine dispensatione ordinari non posse. Uti nec eum, qui cùm abortum cum effectu procuraverit, dubius est an fœtus esset animatus. Ita Cabassutius n. 13. Qui etiam n. 14. benè observat, communem esse Canonistarum sententiam, dubium quidem facti homicidii à sacro ministerio cessare debere; sed propriis beneficiis spoliandum non esse. Quia Canones *ad audientiam*, & *significasti*, dubium irregularitatis effectum non extendunt nisi ad prohibendum sacrum ministerium. 190

§. VII.

Observanda circa irregularitatem ex infamia.

INter irregularitates ex delicto, ea recenseri solet quæ provenit ex infamia, quamvis infamia aliquando contingat absque vero delicto, licèt non absque præsumpto. Siquidem infamia duplex est, una juris, quam ad sententiam Judicis contrahit, quisquis in judicio Ecclesiastico declaratur reus criminis infamiam inducentis, vel in judicio sæculari, capitali pœnâ, exilio, carcere, vel ad triremes damnatus est. Altera facti, quàm gravia quædam delicta suo authori inurunt, dum notoria sunt, & pervulgata. Et hæc tollitur notoriâ morum emendatione. Sed juris infamia solùm tollitur Canonicâ purgatione, vel Apostolicâ dispensatione. 191

Utramque infamiam comitatur irregularitas, ut constat ex can. *infame* 6. q. 1. 192

Quamobrem innocens, si, falsis testimoniis, præsumptionibus, & probationibus oppressus, damnatus fuerit ut reus criminis, suo authori infamiam inferentis, tenetur in foro exteriori pro irregulari se gerere, quousque innocentiam suam probaverit, & sententiâ legitimi Judicis fuerit absolutus, vel à Sede Apostolica dispensatus. Quod donec consecutus fuerit, judicatur incapax Ordinis, beneficiorum & jurisdictionis 2. q. 5. per totam, & toto tit. de purgat. can. 193

Proinde siquis exilio damnatus fuerit ob stuprum, etiamsi se insontem & per calumniam oppressum contestetur, debet se in foro exteriori pro irregulari gerere. Sicut & ille, qui in Monasterio suo carcere damnatus, & reclusus fuit, quamdiù integra manet sententia, etiamsi eam iniquam esse causetur. Videri possunt Cabassutius n. 3. & Natalis Alexander a. 10. 194

CAPUT XIX.

Malè ordinatorum pœna.

PRimò suspensionis pœnam incurrit, qui ab alieno Episcopo sine dimissoriis proprii Ordinarii majores Ordines suscipit. Pius II. extrav. *cùm ex sacrorum.* Quæ quidem suspensio durat usquedum proprius Episcopus usum Ordinis ipsi permittat. 195

2°. perpetuæ suspensionis pœnam ipso facto incurrit, qui sacrum Ordinem ante legitimam ætatem scienter suscipit. Pius II. ibidem. Secùs si bonâ fide secutus fidem parentum. Quo tamen casu mortaliter peccabit, & irregularitatem incurret, si, errore detecto, ante legitimam ætatem actum Ordinis exercuerit. Ita Navarrus, Marchantius & alii contra Layman, Escobarium, Gobat. 196

3°. eandem suspensionem incurrit, qui se ordinari permittit extra tempora, ita ut sacro Ordine taliter suscepto uti licitè non possit. Pius II. ibidem. 197

4° qui duos sacros Ordines uno die suscipit, incurrit suspensionem sententiæ ferendæ, non latæ. Cap. *Litteras* de temp. ordin. Suspensionem 198

(inquam) ab exercitio posterioris, non prioris Ordinis: utpote quem legitimè susceperit.

199 5°. qui scienter ordinatus est cum ficto titulo beneficii, vel patrimonii, vel paupertatis religiosæ, est ipso jure suspensus, ut constat ex dictis n. 124. & seqq. Et idem aliqui censent de eo qui ordinatus est cum vero quidem titulo; cum eo tamen, à quo illum accepit, pactus est, quòd statim post Ordinationem illum ipsi resignabit vel restituet. Sed de eo vide quæ dixi n. 125.

200 6°. qui per saltum est promotus, ipso jure suspensus est ab executione Ordinis taliter suscepti, & irregularis, si eum exerceat. Ita Alexander II. can. *sollicitudo* dist. 52. & Innocentius III. cap. *tuæ litteræ* extr. de Cler. per salt. promot. Nec taliter promotus ascendere potest ad alium superiorem Ordinem, ut ostendit Palao de censur. disp. 4. p. 10. §. 1. n. 9. post Navarrum, Suarez, &c. Cum ipsis tamen, *si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa potest dispensare.* Tridentinum sess. 23. c. 14.

201 7°. prædictæ pœnæ incurruntur ab Episcopo, scienter ordinante eos, de quibus suprà. Videri potest Bonacina de censur. disp. 3. q. 2.

202 8°. qui suspensus, aut excommunicatus, exercet actum proprium Ordinis sacri, obnoxius est irregularitati. Quisquis enim censuras incursas non servat, divina Officia, vel propria Ordinis exercendo, irregularis efficitur.

CAPUT XX.

Si ante Ordinum collationem Episcopus palàm protestetur, se non intendere ordinare eos, qui talem vel talem habent contra Canones defectum, eum defectum habens valide equidem ordinatur.

203 ITa Dicastillo to. 1. in 3. p. tr. 1. disp. 3. dub. 9. n. 187. Cabassutius Jur. Can. Theor. & Prax. l. 6. c. 16. n. 15. Ludovicus Bail in examine ordinandorum. Henriquez in Sum. l. 2. c. 8. addens in Commentario litt. E. Theologos & Canonistas in facti contingentia ita sensisse.

204 Et ratio prima est, quia Episcopus ille per proprium Ordinationis actum talem intentionem revocare censetur; non solùm quia censeri non potest velle gravissimè peccare (uti peccaret contra Ecclesiæ consuetudinem taliter procedendo, horrendisque inconvenientibus occasionem dando) sed & quia Jus declarat irritam esse protestationem illius, qui protestationi illi proprio actu ex post-facto contravenit, cap. *sollicitudinem* de appellat. & cap. *olim causam* juncta Glossa de censib.

Et ideò qui, post factam protestationem, quòd 205
omnia quæ dicet, vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, si posteà publicè dicat: *consentio in te*, in isto casu Ecclesia judicare debet pro matrimonio, inquit Glossa in cap. *tua nos* v. *mulierem* de sponsalib. quia (inquit) recurrendum est ad communem verborum intelligentiam, & potuit recedere à prima voluntate. Ita etiam Joannes Andræas ibidem.

Secunda ratio petitur ex horrendis, quæ aliàs 206
sequerentur, inconvenientibus. Nisi enim verum esset quod diximus, omnes Missæ Sacerdotis taliter ordinati forent invalidæ, sicut & omnes Consecrationes, Extremæ Unctiones, absolutiones, Ordinationes (si talem fieri contingat Episcopum) & consequenter innumeræ sequerentur animarum strages, & perditiones.

Et ideò talem protestationem valdè improbat 207
Card. de Lugo to. 1. in 3. p. disp. 8. n. 119. Cùmque in dubio, utrùm Episcopus tam horrendis inconvenientibus occasionem dare, & contra communem aliorum omnium Episcoporum consuetudinem agere velit, præsumendus non sit id velle: ideò in dubio, an in casu proposito in actu exercito Ordinationis hoc velit, præsumendus non est velle, sed factam protestationem revocare, solùmque eam fecisse ad terrendos suprà dictos, nisi contrarium in actuali Ordinatione mente exprimat, exprimendique, seu priorem intentionem retinendi gravissimam habeat causam, v. g. si intellexisset unum vel plures ex schismaticis vel hæreticis, qui Episcopos & Sacerdotes à Catholicis ordinatos, pro certò ordinatis habere volunt, latère inter Candidatos Ordinum. Tunc enim gravissimam haberet causam impediendi validam Ordinationem ipsorum. Validè proinde ac licitè dicere posset: nemo ex talibus hæreticis, vel schismaticis, v. g. Hussitis, vel Presbyteranis accedat; nec enim nostra est, nec erit intentio talibus conferendi characterem Episcopalem, Sacerdotalem, &c. Videri potest Navarrus consil. l. 1. de tempor. ordin. ubi rectè statuit, quòd si revera, dum actu applicat materiam & formam Ordinis, non intendit ordinare, non valet Ordinatio, defectu intentionis in Ministro; in dubio tamen non esse ordinarie præsumendum quòd id intendat in actu exercito Ordinationis, quia graviter peccaret, si haberet.

LIBER OCTAVUS.

AMOR PROCREANS COLONOS ECCLESIÆ TRIUMPHANTIS.

Sive

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

MAtrimonii institutionem, effluvium esse divini amoris erga genus humanum, solus ille nescit, qui nescit à quo, & qualiter Matrimonium primitùs fuerit institutum; ad quid significandum fuerit institutum; ad quàm sublimem dignitatem à Christo fuerit elevatum; quàm uberes, quàmque divino amore digni fructus illius. Usque adeò honorabile divinus amor fecit connubium, ut nihil prætermiserit, quo illud commendaret. Quis enimverò Matrimonium, nisi divinus amor primitùs instituit? Et quando instituit? An non tempore amoris, cùm Protoparentes, adhuc Deo chari, adhuc innocentes, necdum à Deo exules, in deliciis adhuc erant Paradisi? Tunc divinus amor *immisit soporem in Adam: cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus.... & ædificavit.... costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam, hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Et acceptans sibi datam divinitùs in uxorem, prophetavit, dicens: *quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Nec solum agnovit tunc divinam

Matrimonii institutionem, sed & mysticam significationem futurarum nuptiarum Verbi cum carne, Divinitatis cum humanitate, Christi cum Ecclesia. Neque enim mysterio vacavit immissus ille sopor in Adam, sed tempore illius divinus amor Protoparenti præmonstravit, quàm divinis nuptiis præluderent primæ nuptiæ, quas cum Eva mox celebraturus erat. *Tunc* (inquit Tertullianus) *prophetavit magnum illud Sacramentum, in Christum & Ecclesiam. Dormit Adam, ut fiat Eva* (ait Augustinus tr. 9. in Joann.) *moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormiente Adam, fit Eva de latere: mortuo Christo, percutitur latus; ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.* Nec hoc modo dumtaxat cum Protoparente lusit in orbe terrarum divinus amor; sed & ideò matrem omnium viventium de latere ejus formavit, *ut in hoc quædam dignitas primi hominis servaretur, ut, secundùm Dei similitudinem, esset & ipse principium totius suæ speciei, sicut Deus est principium totius Universi* (ait S. Thomas 1. p. q. 92. a. 2.) Nec hîc stetit exuberantia divini amoris, sed & ad sublimem Sacramenti dignitatem in nova lege Matrimonium elevavit, ut in Christianorum nuptiis *plus* (inquit Augustinus) *valeret dignitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri. Conveniebat enim* (ait Cyrillus noster Alexandrinus lib. 2. in Joann. c. 2. aliàs 22.) *ut* divinus amor, *qui naturam ipsam hominis* (per culpam Protoparentum corruptam) *renovaturus, ac totam in meliorem formam revocaturus erat, non solum iis, qui jam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur; sed & iis quoque, qui posteà nascituri essent, gratiam præstrueret, & eorum ortum sanctum efficeret*; & unà cum cæteris Sacramentis Matrimonium è latere Christi proflueret; indeque sanctificatum sanctos & uberes fructus pareret; uti revera parit. Nam per illud *numerosius se charitas porrigit*, inter maritum & uxorem, inter patrem & socerum, inter filios & parentes, inter fratres & sorores, inter cognatos & affines societatem conciliando, & gratiam nuptiali fœdere junctis conferendo, ut vas suum possideant in sanctificatione & honore, Deoque & Ecclesiæ filios sanctâ intentione procreent, qui & Deum habeant Patrem, & Ecclesiam Matrem, & per sanctam educationem aliquando perveniant ad Hierusalem cælestem.

PARS PRIMA.

DE SPONSALIBUS, ET DENUNTIATIONIBUS MATRIMONIO PRÆMITTI SOLITIS,

Necnon de Dispensationibus Matrimonialibus.

CAPUT I.

Sponsalium natura & obligatio.

1 Sponsalia sunt futurarum nuptiarum mutua & libera promissio.

2 Certas proinde conditiones sponsalia requirunt, ut obligationem inducant. Primò namque esse debent inter personas habiles ad sponsalia, cujusmodi non sunt ligati voto castitatis, nec illi qui matrimonium inter se contrahere nequeunt, ob impedimentum. Quia non valet promissio, cujus executio non est in promittentium facultate.

3 Secundò, inter eas personas esse debet promissio *mutua*. Quia ordinariè una pars non censetur velle se per promissionem obligare, nisi altera pars viciſſim se obliget. Proinde si una pars promittat, & altera sic promissionem ipsius acceptet, ut viciſſim non repromittat, non sunt sponsalia, nec qui promisit (seclusis extraordinariis) promissione tenetur, ob rationem proximè allatam. Bonacina de matrim. q. 1. p. 1. n. 7. & alii passim. Si tamen intendisset verè promittere, independenter à mutua alterius repromissione, suppositâ acceptatione, haud dubiè obligaretur: *studiosè enim agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere impleantur*, cap. *qualitates* de pactis.

4 Tertiò, esse debet promissio *libera*, tam utique libertate arbitrii, à quo actus humani liberi dicuntur; quàm libertate illâ, quæ opponitur metui, sive coactioni. Illa enim coactio, quæ matrimonium efficit nullum, efficit & sponsalia nulla. Metus autem reverentialis, sicut matrimonium non efficit nullum (ubi nec metus justè incussus) nisi sit adminiculatus; ita nec efficit sponsalia nulla.

5 Quartò, esse debet promissio vera & sincera; non ficta, & citra voluntatem se obligandi. Ubi enim nulla se obligandi voluntas, ibi nulla promissio.

6 Siquis tamen fictè promiserit, & sub ea promissione feminam cognoverit, tenetur eam ducere, nisi causa aliqua gravior obstet, qualis est magna conditionis inæqualitas, aut magnum ex eo matrimonio scandalum probabiliter secuturum. Quo casu saltem eam dotare tenetur, seu indemnem reddere, quia uti to. 2. ostendi (ubi de contractibus) fictè quidem initus non est verus contractus. Ille tamen qui fictè contractum iniit onerosum, cum altero bonâ fide procedente, tenetur ex justitia fictionem tollere, sicque stare contractui.

7 Si fictus promissor teneatur futurarum nuptiarum promissionem servare; quantò magis sincerus promissor? Audiamus S. Thomam in 4. dist. 24. q. 2. a. 1. ad 2. *ex tali* (inquit) *promissione obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat. Et secundùm hoc etiam Ecclesia cogit, injungendo pœnitentiam pro peccato.* Tamen *in foro contentioso non compellitur: quia matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere. Nisi fortè juramentum intervenerit. Quia tunc cogendus est* (*ut quidam dicunt*) *quamvis aliis non videatur, propter causam prædictam, præcipuè si de uxoricidio timeretur.*

8 Violatores factæ de futuro matrimonio promissionis, can. 54. Concilii Illiberitani triennali

abstinentiâ à Communione olim puniebantur. Et cap. *ex litteris* extr. de sponsalibus & matrim. Cùm quidam juraſſet ſe ducturum filiam alterius, conſentiente patre, & nihilominùs cum altera matrimonium contrahere vellet, Alexander III. ſic reſcripſit: *quia prædicto viro periculoſum eſt, contra ſuum juramentum venire; Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs eum Eccleſiaſticâ cenſurâ compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.* Capite verò *requiſivit* eod. tit. de muliere, quæ juraverat ſe Titio nupturam, poſteà tamen id exequi recuſabat, Lucius III. dixit: *cùm libera debeant eſſe matrimonia, monenda eſt potiùs quàm cogenda: cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere.*

9 Quamobrem etſi acriùs compellendi ſint, qui fidem juratam ſervare detrectant (cùm illi etiam ad eam ſervandam urgendi ſint, qui fidem ſine juramento dederunt) ſatagere tamen debet Judex, ut volentes ex nolentibus fiant. Et ſi ſponſorum alter in negando conſenſu adhuc poſt cenſuram pertinax ſit, atque implacabiles inimicitiæ, vel lites ex nuptiis inter ipſos probabiliter timeantur, levius malum tolerandum eſt, ad gravius avertendum; ideòque potiùs tolerandum ut fides data violetur, quàm per matrimonium omninò coactum implacabilibus inimicitiis, ſcandalis & litibus inter duas familias occaſio detur.

10 Porrò variis modis ſponſalia contrahuntur, ſcilicet re, verbis, litteris, conſenſu. *Re*, per nudam ſubarrhationem, vel annuli immiſſionem. *Verbis*, ſi inter virum & mulierem verbalis promiſſio intervenerit. *Litteris*, cùm abſentes de futuris nuptiis inter ſe per epiſtolam, nuntium, vel procuratorem paciſcuntur. *Conſenſu*, cùm pubes, & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus malitia non ſupplet ætatem, matrimonium per verba de præſenti contrahunt. Juris enim interpretatione conſenſus ille vim habet ſponſaliorum, cùm ob præſentem ipſorum incapacitatem habere nequeat vim matrimonii de præſenti, cap *ſi infantes* de deſponſat. impuber. in 6.

11 Paulò aliter S. Thomas a. 1. citato: promiſſio futuri matrimonii *fit dupliciter, ſcilicet abſolutè, & ſub conditione. Abſolutè, quatuor modis.* 1°. *nudâ promiſſione, ut cùm dicitur*, accipiam te in meam; *& è contrario.* 2°. *datis arrhis ſponſalitiis, ut pecuniâ, vel ejuſmodi.* 3°. *annuli ſubarrhatione.* 4°. *interveniente juramento. Si autem fiat dicta promiſſio ſub conditione, diſtinguendum eſt. Quia aut eſt conditio honeſta, cùm dicitur*, accipiam te, *ſi parentibus placeat. Et tunc, ſtante conditione, ſtat promiſſio; & non ſtante, non ſtat. Aut eſt inhoneſta. Et hoc dupliciter: quia aut eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicam: accipiam te, ſi venena ſterilitatis procures: & tunc non contrahuntur ſponſalia. Aut non eſt contraria bonis matrimonii, ut ſi dicam: accipiam te, ſi furtis meis conſentias: & tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt condicio.*

12 Contrahuntur etiam ſponſalia, vel conſenſu expreſſo, vel tacito, ut ſi dum parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus ea contrahunt, ipſi præſentes non contradicant, obligantur (ait Pontifex cap. unico de deſponſ. impuber. in 6.) *& ex eis oritur juſtitia publicæ honeſtatis.* Et idem eſt, ſi hoc parentes fecerint in abſentia ipſorum, & ipſi poſteà hoc reſcientes non contradixerint.

CAPUT II.

Ætas ad ſponſalia requiſita.

13 Licèt jure naturæ nulla certa ætas requiratur ad valorem ſponſalium, ſed rationis uſus ſufficiat; jure tamen poſitivo ad eorum valorem requiritur ſeptennium completum, cap. *litteras*, & cap. *acceſſit* de deſponſ. impuber. ita ut ex illis citiùs non contrahatur impedimentum publicæ honeſtatis, uti declaratur ibidem. Impuberes quidem ab initis ante pubertatem ſponſalibus reſilire poſſunt adeptâ pubertate, ſed non ante pubertatem, quæ in maſculis incipere ſolet completo anno decimo quarto; in feminis, completo anno duodecimo. Nec eorum alter, pubertatem adeptus, reſilire poteſt ante pubertatem alterius: quam poſteaquàm uterque attigerit, ambobus permittitur contracta ante pubertatem ſponſalia, etiam alterâ parte invitâ, revocare, cap. *de illis* tit. eod. Si tamen copula carnalis ante ſolitos pubertatis annos intervenerit, reſilire non poſſunt, cap. *à nobis* eod.

CAPUT III.

Tempus adimplendi ſponſalia.

SI tempus matrimonii contrahendi in contractu ſponſalitio determinatum fuerit, per ſe loquendo illud eſt ſervandum. Si nullum tempus fuerit præfixum, ad illud contrahendum tenetur quis primo tempore opportuno, parte petente. Qui renuerit, cenſetur eſſe in mora. *Quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur, & ſolvi debet, ſi petatur*, reg. Juris 14. ff. de reg. Jur. Excipe niſi adſit juſta cauſa differendi. Ut enim dicitur L. *ſæpè* ff. de ſponſ. *ſæpè juſtæ ac neceſſariæ cauſæ, non ſolùm annum, vel biennium, ſed etiam triennium & quadriennium trahunt ſponſalia, aut valetudo ſponſi, ſponſæve, vel mores parentum.* Non tenetur tamen debitor, niſi requiſitus. L. *debitores præſentes* C. de pignorib. 14

CAPUT IV.

Sponſalia clandeſtina valida ſunt.

VAlida quippe fuerunt ante Tridentinum. Ergo valida quoque ſunt poſt Tridentinum: utpote quod circa ſponſalia nihil innovavit; ſed circa matrimonium dumtaxat. An autem licita ſint? Sunt utique, ſpectato jure communi. Quia nullo jure communi prohibentur. Spectato tamen jure particulari variarum Diœceſeon, graviter peccare eos, qui ſponſalia clandeſtina, ſine præſentia ſcilicet Sacerdotis & teſtium, & ſine ritu ab Eccleſia præſcripto contrahunt, docet Natalis Alexander Th. Dogm. & Mor. to 6. l. 2. c. 3. reg. 21. Quia ſponſalia in facie Eccleſiæ celebrari Ritualia (inquit) omnia jubent, eorumque ritum præſcribunt. Eaque celebranda eſſe in loco ſacro, & non alibi (ſine licentia Ordinarii) coram Parocho, vel ejus Vicario, & duobus teſtibus, ſtatuunt Synodus Senonenſis anni 1524. Carnotenſis anni 1536. Synodus prima Cameracenſis, & Concilium Remenſe anni 1583. Quæ utinam in viridi eſſent obſervantia! Sponſæ enim ſæpè conqueruntur de fide ſibi non ſervata, etiam poſt conceſſam ſui hâc conditione copiam; ſed ideò fruſtrà conqueruntur, quia per teſtes probare nequeunt eſſe datam. Sponſalia etiam clandeſtina non rarò contrahuntur ſub formulis controverſis (cui inconvenienti mederetur præſentia Parochi, à quo ſuggereretur formula citra controverſiam ſignificans vera ſponſalia.) Denique ſponſalia clandeſtina ſæpè contrahuntur ex levitate juvenili, ſine matura conſultatione, quam meretur negotium tanti momenti, ſæpè etiam cum conditionibus turpibus, v. g. *ſi puella concedat ſui copiam*, &c. Ad quæ inconvenientia vitanda, optanda foret obſervantia Statutorum illorum Synodalium, quorum obſervantia urgenda eſt in locis, ubi Statuta illa facta ſunt. 15

CAPUT V.

Sponsalia, insciis parentibus, communiter illicita sunt.

16 ITa Layman cum communi l. 5. tr. 10. p. 1. n. 14. & fusè Menochius consil. 69. Cùm enim filii, & maximè filiæ, parentibus debeant id honoris, ut ipsos consulant in re tanti momenti, graviter delinquunt contra præceptum honorandi parentes, dum ipsos non consulunt, dantque ipsis occasionem gravis offensæ. Ita Navarrus, Lopez & alii communiter.

17 Nihilominùs dum parentes scirentur injustè impedituri matrimonium, vel subesset alia gravis & justa causa illud ipsis occultandi, excusari possent, utrumque contractum ipsis insciis celebrando. Perez disp. 18. sect. 18. n. 5. Si verò consuluti nollent in istud matrimonium consentire, sed aliud prudenter suaderent, secundùm Bellarminum l. 1. de matrim. c. 19. Lopez, Rodriguez, graviter delinquerent illud contrahendo, ipsis invitis; licèt non ita secundùm Viguerium, Ledesmam, Covarruviam, & alios apud Sanchez ipsos referentem l. 9. disp. 23. n. 10. Quia *non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo*, seu alio statu perpetuo eligendo (inquit S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 5.) *nec possunt parentes invitas filias cogere certo conjugio sociari. Quorum enim unum corpus est, debet esse & animus.* Urbanus II. can. de nupt. 31. q. 1. Enimverò cùm homo per matrimonium perpetuæ subjiciatur servituti (ut ait S. Thomas Supplem. q. 47. a. 2.) æquissimum est, ut in hac re sit plenè sui juris. Maximè cùm etiam matrimonium perpetuam exigat societatem, mutuo amore conglutinatam, & amor sponte nasci debeat, non ab alio imperari. *Quod enim quis non eligit, non diligit*, cap. *præsens* 20. q. 3.

18 Si tamen parentes gravissimam haberent causam dissuadendi matrimonium cum Titio v. g., quia ipsis cessurum esset in probrum; gravissimamque econtrà causam habeant suadendi matrimonium cum Cajo, eò quòd v. g. per illud graves sedarentur inimicitiæ inter parentes sponsi & sponsæ; si filii vel filiæ non decrevissent manere cœlibes, sed in statu se matrimonii collocare, tenerentur ex pietate cedere tam rationabili voluntati ipsorum. Sanchez loco citato n. 4. & Doctores communiter, addentes sponsalia, invitis parentibus inita, iis in circumstantiis in quibus gravis & diuturna parentum offensa, gravesque inimicitiæ & rixæ timerentur inter parentes sponsi & sponsæ (si matrimonium inter ipsos contraheretur) non inducere obligationem contrahendi illud, Magistratumque Ecclesiasticum posse & debere illud impedire. Quia promissio non obligat, dum servari nequit absque gravi scandalo proximi, gravique, justa & diuturna parentum indignatione, nec proinde absque læsione charitatis in proximum, pietatisque in parentes. Videri potest Sanchez lib. 1. disp. 14. Sicut & Menochius loco suprà relato.

CAPUT VI.

Conditio turpis, adjecta sponsalibus, in foro conscientiæ non semper habetur pro non adjecta.

19 EX dictis n. 11. constat, irrita esse sponsalia, sub conditione turpi, si hæc sit contra bona, seu substantiam matrimonii, ut si dicatur, *promitto tibi matrimonium sub conditione quòd potero illud dissolvere, si non placueris mihi.* Si autem sponsalia inita sint sub conditione turpi, quæ non sit contra substantiam matrimonii, vel sub conditione impossibili, irrita non sunt, saltem in foro externo; utpote in quo ejusmodi conditiones, sicut habentur pro non adjectis in matrimonio, cap. *quicumque.* cap. *de illis.* cap. *super eo.* cap. *per tuas.* & cap. *si conditiones* extr. de condition. apposit. ita & in sponsalibus, ex communi sententia Doctorum.

Hoc tamen universim non est verum, in foro 20
interno; non est enim verum, si conditio impossibilis, vel turpis, adjiciatur ad indicandum dissensum in sponsalia, v. g. dicendo: *accipiam te, si pro dote attuleris mihi regnum* Hispaniæ; vel ad significandum, quòd Titius Titiam non ducet, nisi conditione positâ, ut plerùmque fit, v. g. dicendo: *accipiam te, si dederis mihi copiam corporis tui*; vel si Lutheranus Catholicæ idem promittat, *si à religione Papistica ad suam transierit*, &c. (quod plerùmque in Germania contingere, istâque formulâ, de more gentis, solitam significari voluntatem quidem accipiendi illam, sed nonnisi impletâ conditione, testis est Gobat, Author Germanus tr. 10. de sponsal. casu 4. sect. 2. n. 154.) tunc proinde sponsalia in foro conscientiæ nulla sunt, si conditio non ponatur. Ut enim cap. *nuper* de bigam. dicitur: *in matrimoniis* (idem est de sponsalibus) *contrahendis, non juris effectus, sed animi destinatio attenditur.* Ubi ergo consuetum est sic intelligere ejusmodi conditiones, videat Judex, an in dubio judicare non debeat secundùm regulam 114. de reg. Jur. *inspicimus in obscuris quod plerùmque fieri solet.* Videri potest Gobat loco citato.

CAPUT VII.

Valeantne, obtentâ dispensatione, sponsalia impeditorum impedimento dirimente, sub conditione, si Papa dispensaverit? controvertitur. Graves Doctores censent non valere, nisi renovato consensu.

SAnchez lib. 5. de matrim. disp. 5. cum com- 21
muni docet, in casu quo subest impedimentum, in quo Papa nonnisi rarissimè, & non sine gravissima causa dispensat, v. g. affinitatis in primo gradu, nullam esse promissionem, sub ejusmodi conditione; utpote quæ tunc habetur pro impossibili. Et idem dicit, quando Papa facilè quidem dispensat, sed nonnisi ex certa causa, cujus veritas non reperitur in eo de quo agitur. Sed dum Papa facilè dispensare solet in isto impedimento, censet valere sponsalia, post eam impetratam, ita ut una pars resilire nequeat, invitâ altera. Ita ipse cum pluribus aliis quos refert.

Verùm ibidem fatetur, multos Canonistas & 22
Theologos contrà sentire, assereque, quòd licèt talis promissio firmata sit juramento, feminaque sub conditionali illa promissione sit imprægnata, non esse obligationem ducendi illam, etiam secutâ dispensatione. Et ita sæpè Romana Rota censuit, ut videre est in secunda Rotæ decisione, inter eas quas Diana refert p. 6. in fin. ubi deciditur non valuisse, etiam post dispensationem, sponsalia, quæ juncti secundo gradu inierant, referunturque plurimi Doctores pro ea decisione, atque insuper quinque aliæ ejusdem Rotæ decisiones, quibus generaliter deciditur invaliditas sponsalium, contractorum sub conditione dispensationis. Ipse etiam Diana p. 11. tr. 2. resol. 70. multis probat, invalida esse sponsalia, sub conditione dispensationis Pontificiæ, si post eam obtentam ratificata non fuerint per novum consensum. Ut enim Seraphinus probat de privileg. juramenti privilegio 33. novus consensus, post obtentam dispensationem, necessarius est, ad hoc ut subsistant. 1°. quia sponsalia priùs inita non potuerunt, etiam sub conditione, juxta L. *inter stipulationem* 82. §. Sacram. ff. de verb. signif. statuentem, ubi res à commercio eximitur, non posse super ea contrahi obligationem, contractamque extingui; nec reviviscere, cessante impedimento. L. *continuus*

137. §. *cùm quis* eod. 2°. quia ex facto à lege improbato oriri nequit obligatio. L. *cùm lex* ff. de fidejuss. 3°. quia consensum in talibus eventis necessariò renovandum Rota Romana perpetuò docuit, docentque plerique Theologi & Canonistæ apud Riccium in Praxi aurea to. 1. resol. 228.

CAPUT VIII.

Sponsalia, sub conditione pœnali, quòd pars quæ promissis non stèterit, pendet alteri 100. aureos v. g. non obligant ad solutionem pœnæ resilientem ex causa justa.

23 ITa Doctores passim omnes, aientes id procedere, etiamsi talia sponsalia juramento forent firmata. Tum quia taliter jurantes tacitè excipiunt casus, quibus jura permittunt resilire. Tum quia legitima juramenta, sponsalibus adjecta, sequuntur naturam sponsalium, nec proinde obstant libertati matrimonii. At verò cap. *Gemma* de sponsal. dicitur, quòd *cùm libera matrimonia esse debeant; ideò talis stipulatio, propter pœnæ interpositionem, sit meritò improbanda.*

24 Siquis tamen resiliat injustè, videtur tunc obligatus ad solvendam pœnam stipulatam, quidquid in contrarium dicant Sanchez, Tannerus, Tamburinus, Dicastillus. Eò quòd utique Canones, improbantes adjectionem pœnæ, non procedant pro casu resilientiæ injustæ. Non solùm quia pro eo casu non procedit ratio quam allegant (neque enim obligatio solvendi pœnam, in eo casu, officit libertati matrimonii. Cùm ipsimet Canones sub censuris cogi velint injustè resilientem) sed etiam quia ipsamet jura probant adjectionem pœnæ in casu injustæ resilientiæ, dum probant conditionem, ut qui injustè resilierit à sponsalibus, perdat arrhas. L. ult. C. de sponsal. Nec hoc tantùm; sed ibidem additur, posse à sponsis adjici conditionem, ut perfidus sponsus, vel sponsa, habens 25. annos completos, ultra restitutionem arrhæ acceptæ, solvat duplum, decuplum, centuplum ejus arrhæ. Si hanc pœnam (propriè vel impropriè dictam) jura non improbant pro casu resilientiæ injustæ, solida ratio non apparet, cur improbent (pro eo casu) solutionem 100. aureorum v. g. Et ideò validè & licitè adjici conditionem mulctæ pecuniariæ, ab injustè resiliente solvendæ, docent Barbosa in citatum cap. *Gemma* n. 9. & 10. Layman l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 87. Coninck disp. 22. dub. 5. Perez disp. 7. sect. 1. n. 6. Basilius Pontius apud Dianam p. 3. tr. 4. resol. 211. ubi & ipse subscribit.

25 Et confirmatur: si pars innocens, occasione celebratorum sponsalium, neglexerit optimum matrimonium, quod aliàs in manu habebat, potest à sponso (injustè resiliente) exigere compensationem istius emolumenti cessantis (uti docet Glossa communiter recepta in L. *Titiæ* 134. ff. de verb. obligat. contra Barbosam & Sanchez) sicut si fecisset expensas notabiles in vestes nuptiales, futurum convivium nuptiale, &c. posset ab ipso exigere compensationem istius damni emergentis, uti fatentur Sanchez & Barbosa (siquidem æquè passa est illud lucrum cessans, ratione contractûs sponsalitii; quàm istud damnum emergens: parsque injustè resiliens æquè est causa injusta illius, quàm istius: cùm illud patiatur propter ipsum, & propter acceptam ab ipso fidem, quam injustè violat; non passura, si perfidiam ipsius resciviset) ergo similiter exigere potest solutionem pœnæ, injustè resilienti appositæ.

CAPUT IX.

Invalida sunt sponsalia, etiam jurata, quæ quispiam contraxit post votum simplex castitatis, vel ingrediendæ Religionis.

ITa habetur cap. *rursus* qui Clerici vel voventes. Et ratio est, quia quod Deo jam consecratum & datum est, alteri sine sacrilegio dari vel promitti non potest. Nec validum esse potest de eo juramentum. Quia juramentum esse non potest vinculum iniquitatis. 26

Excipiunt quidem Lessius, Lugo, Sanchez & alii casum, quo sponsalia, post votum castitatis, inita essent cum puella voti nescia, sub promissione matrimonii cognita & imprægnata; quæ diffamaretur, nisi duceretur. Quia cum obligatio erga puellam sit ex strictâ justitia, fortior est obligatione voti, solùm obligantis ex religione. 27

Sed exceptionem non admittimus, nec admittunt Navarrus, Vivaldus, Rodriguez, Layman, Sylvius q. 62. q. 6. concluss. un. & plerique alii. Quia voto castitatis obstrictus; non tenetur eam ducere ratione promissionis: utpote ob allatam rationem invalidæ, uti declaratur citato canone. Nec ratione damni illati: utpote quod nec debet, nec potest reparare, per medium quod non est in sua potestate (ut patet in eo qui, ligatus voto solemni castitatis, vel impedimento affinitatis, puellam sub promissione matrimonii violasset, & imprægnasset, diffamandam, nisi duceretur) sed per medium in sua potestate existens, v. g. per pecuniam, &c. Non est autem in potestate ipsius, promittere & dare ipsi corpus suum, jam Deo datum & consecratum per votum castitatis, nisi votum illud per legitimam potestatem tollatur. Sicut non est in potestate ipsius, ad indemnandum Titium, dare ipsi centum aureos, jam antè Ecclesiæ datos, nec amplius existentes in potestate sua. Nec solidum apparet fundamentum dicendi, quòd eo casu fortior sit obligatio justitiæ, quàm religionis, vel quòd Deus cedat juri suo, ut puella servetur indemnis. Contrarium enim apparet in casu voti solemnis, & in casu copulæ per vim extortæ, absque matrimonii promissione. Qui enim sic extorsisset, maneret obligatus voto, non obstante puellæ damno. 28

Et quare (in casu nostro) fortior esset obligatio justitiæ, quàm religionis: cùm corpus Deo datum & consecratum, per votum castitatis, non sit obnoxium obligationi justitiæ, ob promissionem onerosam puellæ factam: utpote invalidam, quia de re quæ non erat in potestate promittentis? 29

Si dicas 1°. rationem esse, quia Deus coli non vult de bonis alteri ex justitia debitis, nec vult coli cum injuria proximi. Respondeo, nec tunc Deum coli de bonis alteri ex justitia debitis, ut ostensum est; nec cum injuria proximi: utpote qui debet esse contentus reparatione damni, quæ sit in potestate damnificantis, ut patet in duobus casibus n. 28. in fine allatis. 30

Si dicas 2°. esse in potestate ejus, qui sub matrimonii promissione puellam imprægnavit, petere dispensationem super voto suo, cùm justissimam ad hoc habeat causam. Respondet Sylvius, posse quidem (ob dictam causam) petere dispensationem, sed ad id in rigore non teneri. Neque enim id promisit, nec validè promittere potuit. Ob ea quæ dixi n. 22. Solùm proinde tenetur ad id, ad quod teneretur, si idem damnum ipsi per injuriam intulisset, absque matrimonii promissione. Tenetur ergo aliâ viâ satisfacere pro damno, si possit, efficiendo per dotationem ut æquè bene nubat. Si tamen damnum famæ ipsius reparare nequeat, nisi ipsam ducendo, æquum est ut dispensationem procuret, & tunc ducat. Quia seduxit eam, sub spe matrimonii promissi, non monendo eam de voto suo. Cujus si conscia fuisset, sibi damnum imputare deberet. Quòd si corrup- 31

tio

tio ipsius publicata non fuerit, nec proinde famam amiserit, satisfacit dotando ipsam.

CAPUT X.

Sponsalia ipso jure dissolvuntur 1°. per matrimonium de præsenti cum alia initum. 2°. per solemnem professionem in religione approbata. 3°. per sacri Ordinis susceptionem. 4°. per ortam inter sponsos cognationem spiritualem, ex eo quòd sponsus filium sponsæ de fonte baptismi levaverit; vel affinitatem ex superinducta copula cum cognato, vel cognata alterius, in primo vel secundo gradu.

32 PRima pars constat ex cap. *si inter unum* extr. de sponsalibus & matrim. ubi Gregorius IX. dicit: quando *inter ipsos accessit tantummodò promissio de futuro... si alius mulierem illam per verba de præsenti desponsaverit, etiamsi inter ipsam & primum juramentum intervenerit de futuro, hujusmodi intuitu secundum matrimonium non poterit separari* (utpote indissolubile) *sed eis est de violatione fidei*, & juramenti, si intervenerit, *pœnitentia injungenda.* Graviter enim peccaverunt violando. Et si prior sponsa de futuro expectare voluerit mortem istius uxoris, ipsâ mortuâ jus habet exigendi ipsum in maritum, ratione datæ fidei, quæ per matrimonium istud absolutè extincta non fuit, sed sopita, vel suspensa pro tempore durantis istius matrimonii; utique ob impossibilitatem servandi illam durante illo matrimonio. Quo cessante, non est cur urgere nequeat jus, quod absolutè non amiserat per perfidiam alterius partis. Neque enim perfidus ipsi absolutè auferre potuit jus, per injuriam à se factam, neque sua fraus ipsi quoad hoc debet patrocinari. Et ideò in hoc casu matrimonium subsequens priora sponsalia non dissolvit absolutè; sed pro solo tempore quo ipsum durat, ut rectè docet Bonæ-spei disp. 1. de sponsalib. n. 104. cum Adriano, Ledesma, Sylvio, Coninck, Palao & aliis, contra Sanchez, Rodriguez, & Layman, oppositum sentientes, eò quòd obligatio, licet validè contracta, extinguatur per impedimentum fortius superveniens. At hoc non esse semper verum, constat ex eo quòd ille qui votum emisit ingrediendi religionem, & posteà matrimonium contraxit, & consummavit, mortuâ uxore, religionem ingredi teneatur.

33 Secunda pars aperte sequitur ex eo quòd solemnis professio religionis approbatæ dissolvat matrimonium ratum, prout docet Tridentinum sess. 24. can. 6. Si autem solvit vinculum fortius, multò magis vinculum minùs forte. Et si solvat vinculum matrimoniale, à quo vincitur vinculum sponsalitium; à fortiori solvit vinculum sponsalitium, juxta regulam Juris: *si vinco vincentem te, à fortiori vinco te.*

34 Ille tamen qui religionem simpliciter ingreditur, sponsaliorum vinculo non solvitur ante professionem, licèt pars in sæculo manens, sponsione suâ eo ipso liberetur, quo pars altera vestem religiosam suscipit. Quia cum per illam susceptionem ostendat se à nuptiis alienum, censetur alteri remittere sponsionis obligationem; vel saltem ipsi dare justam resiliendi causam, ob notabilem rei mutationem, in eo quòd cum magno incommodo suo expectare debeat per annum ut ei nubat, cui abjectio cuculli, vel veli, & inconstantia, cum ignominia, rixarumque periculo, improperari possent, ut sæpè fit in sæculo. Sic Bonæspei n. 91. & seqq. & passim alii.

35 Tertia pars habetur in cap. unico de voto in 6. Susceptio tamen Ordinis sacri post sponsalia illicita est. Quamvis enim post sponsalia licitus sit religionis ingressus (cùm etiam post matrimonium ratum, nondum consummatum, invitâ comparte, jus permittat religionis ingressum, cap. 2. de conversione conjugatorum) post ea tamen nullum jus permittit, sacri Ordinis invitâ comparte susceptionem, nec illius suscipiendi votum, nec votum simplex castitatis; eò quòd per sponsalia corpus spondentis jam sit alteri obligatum, ideòque non teneat simplex votum illi obligationi præjudicans. Tunc enim procedit communis ratio, quòd Deus aliis subtrahi nolit bona ipsis obligata, ut sibi offerantur, nec coli velit cum alterius injuria. Unde Ecclesia non admittit allegationem sponsi, probantis se simplex votum castitatis emisisse post sponsalia. Imò in cap. *veniens* qui Cler. vel vovent. reprobat continentiæ votum, à muliere post sponsalia emissum, inconsulto sponso, iplique matrimonium permittit. Et quod plus est, in extrav. Joan. XXII. cap. un. de voto, decernitur, cum qui, nondum consummato (quod contraxerat) matrimonio, sacrum suscepit Ordinem, non obstante solemni voto castitatis illi annexo, ad petitionem uxoris, cogendum esse, sub pœna excommunicationis, consummare matrimonium, nisi religionem ingredi malit.

Quarta pars constat ex eo quòd quidquid di- 36
rimit matrimonium, dirimat & sponsalia (cùm fortius sit vinculum matrimonii, quàm sponsaliorum.) Cognatio verò illa, & affinitas dirimunt matrimonium. Igitur & sponsalia.

CAPUT XI.

Occurritur argumentis contradicentium assertioni, quâ n. 35. dictum est, invitâ comparte, licitam non esse (post sponsalia) susceptionem Ordinis sacri, nec emissionem simplicis voti continentiæ.

HOc quod ibi dixi, dixi cum S. Antonino 3. 37
p. tit. 1. c. 18. §. 2. Hostiensi, Innocentio, Panormitano, & communi sententia Canonistarum, quibus ex Theologis subscribunt Navarrus, Sanchez, Reginaldus, Valentia, Coninck, Becanus, aliique non pauci.

Isti tamen doctrinæ contradicunt (fateor) S. 38
Thomas in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæsito 2. ad 1. Richardus, Cajetanus, Sotus, Rodriguez, Ledesma, Suarez, Vasquez, Bonacina, Mastrius, aliique plures, hisce argumentis suffulti, 1°. quia in sponsalibus subintelligitur tacita conditio: *nisi status perfectior eligatur* (cùm sponsalia non debeant statum perfectiorem impedire) susceptio verò Ordinis sacri, promissæque continentiæ status, est status perfectior matrimonio, per sponsalia promisso. 2°. per votum ingrediendi religionem sponsalia dissolvuntur: ergo & per votum simplex castitatis.

Verùm hæc argumenta non enervant assertio- 39
nem nostram. Non primum, tum quia conditio illa, seu exceptio, neque subintelligitur ex Jure positivo, seu Canone aliquo id declarante: utpote ex quo oppositum potiùs conficitur (per ea quæ n. 35. allegata sunt) tum quia exceptio religiosi status; ante matrimonium consummatum, in jure positivo est singularis; ultra expressos proinde limites non extendenda, nec ad quemlibet statum sponsalibus & matrimonio perfectiorem amplianda: quemadmodùm vis solvendi matrimonium ratum, religiosæ professioni singularis, ad quemlibet perfectiorem statum, seu perfectioris status votum extendenda non est.

Neque exceptio illa, seu conditio, in sponsa- 40
litio contractu subintelligitur ex natura rei, vel ex communi sensu sibi invicem spondentium ma-

trimonium. Cur enim subintelligitur in contractu sponsalitio; potiùs quàm in alio quolibet contractu (v. g. donationis, promissionis, venditionis ceniùs annui 100. flor) subintelligatur tacita exceptio, seu conditio: nisi postèà voluero censum illum dare Ecclesiæ, vel Hospitali? Et cur tacita conditio: *nisi voluero perfectiorem quemlibet statum eligere*, potiùs subintelligitur in contractu sponsaliorum, quàm in contractu matrimonii? in quo non subintelligi, constat ex eo quòd matrimonium ratum alioqui solveretur per votum simplex castitatis, vel susceptionem sacri Ordinis: cujus oppositum decernitur in citata extravagante Joannis XXII.

41 Nec secundum argumentum contradicentium nostram enervat assertionem. Quemadmodùm enim non sequitur: votum solemne professionis religiosæ solvit matrimonium ratum, nondum consummatum. Ergo & votum solemne susceptionis sacri Ordinis, vel votum simplex castitatis. Sic non sequitur: votum ingrediendi religionem solvit sponsalia. Ergo & votum suscipiendi Ordinem sactum, vel votum simplex castitatis. Ratio namque, propter quam votum ingrediendi religionem solvit sponsalia, est quia jus permittit, absque consensu compartis, ingredi religionem post sponsalia; imò & post matrimonium ratum, ex speciali Christi privilegio, uti monstrabimus agendo de impedimento voti. Non autem permittit, absque consensu compartis, post sponsalia vovere susceptionem sacri Ordinis, vel observantiam castitatis, extra statum religionis. Neque ad hoc privilegium Christus concessisse ullibi legitur. Imò non concessisse ex mus ex suprà laudata extravagante Joannis XXII.

42 Colligo ex dictis votum simplex castitatis, absque consensu compartis, post legitima sponsalia esse invalidum; non omni ex parte, sed in quantum præjudicat juri compartis, quod jus quia à sponsa invita auferre non potest, nisi religionem ingrediatur, si non eam ingredi (ad quod profectò non tenetur, qui solam castitatem, non religionis ingressum vovit: neque enim onerandus est graviori obligatione, quàm voverit, ut S. Bernardus meritò docet) tenetur servare votum, in quantum juri compartis non præjudicat (utpote catenùs validum) atque adeò tenetur à comparte petere juris seu obligationis sponsalium remissionem. Quam obligationem si remittere nolit, tenetur compartem ducere, ipsâque exigente, matrimonium consummare; sic tamen ut debitum petere non possit, sed continentiam servare debeat, quantùm potest, salvo compartis jure (nisi dispensationem super voto suo obtineat, quam ob periculum incontinentiæ expedit postulare) nec ad secundas nuptias convolare potest, si comparti supervivat, cap. *licèt* de convers. conjugat.

CAPUT XII.

Præter causas enarratas cap. 10., quibus stantibus, sponsalia ipso jure solvuntur; aliæ sunt causæ, propter quas facto hominis solvuntur, seu solvi permittuntur.

43 PRima causa est mutuus utriusque partis consensus: per quem sicut jus sponsalium nascitur; sic per eum solvitur, cap. *propterea* 2. de sponsalib.

44 Secunda causa est votum ingrediendæ religionis. Qui enim religionis ingressum vovit post sponsalia, etiam juramento firmata, religionem ingredi potest, nullâ sponsalium, nec juramenti habitâ ratione. Quia promissum non infringit, qui in melius (à Christo concessum) illud commutat, ut dicitur cap. *pervenit* extr. de jurejurando, & cap. *scriptura* extr. de voto & vot. redempt. Itaque *sine peccato potest intrare religionem, & non contrahere* (inquit Glossa) tutiùs tamen utrumque servabit (& sponsalium fidem, juramentique religionem, & votum) primùm nubendo; deinde, ante matrimonii consummationem, religionem intrando), prout docet Alexander III. cap. *commissum* extr. de sponsalib. ubi sic: *significavit nobis Fraternitas Tua, quòd quidam cuidam mulieri de contrahendo matrimonio fidem dedit, & secum ea intra biennium per verba de præsenti contracturum, præstito juramento firmavit. Nunc autem, privatâ lege ductus, ad frugem melioris vitæ transire suspirat..... Fraternitati Tuæ taliter respondemus, quòd tutius est ei (religione juramenti servatâ) prius contrahere; & postèa, si elegerit, ad religionem migrare, si tamen post desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis.*

Tertia causa, est fornicatio alterutrius sponsi, 45
post sponsalia. Tupe enim pars innocens fide datâ ampliùs non tenetur, sed solùm pars nocens (cui sua malitia patrocinari non debet) si innocens velit, cap. *quemadmodùm* extr. de jurejurando, ubi Innocentius III. *siquis* (inquit) *juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ex fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem.* Et rationem dat S. Thomas in 4 dist. 27. q. 2. a. 3. ad 6. *quamvis enim nondum dederint sibi mutuò potestatem corporis sponsalia contrahentes; tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum. Et ideò potest sibi præcavere unus contra alium, sponsalia dirimendo.*

Quarta causa, est notabilis in alterutra parte fa- 46
cta, vel cognita in pejus mutatio, ut si contingat sponsam ab alio opprimi. Sponsalitiæ namque promissioni hæc subintelligitur annexa conditio, quòd res manet in eodem statu, vel quòd in ea nihil postèa deprehendatur, quo ab initio cognito, promissio facta non fuisset. Quam ob causam, illa etiam sponsa deseri potest, quæ cùm crederetur esse virgo, postèa deprehenditur fuisse corrupta. Neque hoc est contra citatum caput *quemadmodùm*. Quod enim ibi Innocentius III. dicit, non posse ei fornicationem objici præcedentem, verum est, si ab initio cognita fuerit, vel sic eam objici non posse, quasi per eam *illa contra regulam desponsationis venerit*, ut ibi habetur in contextu. Ex alio autem capite objici posse non negat. Et universim objici posse dictum, quo ab initio cognito, matrimonium non fuisset promissum, docent Tannerus to. 4. disput. 8. q. 1. n. 69. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 62. & 63. Coninck disp. 23. dub. 8. Layman l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 18. Natalis Alexander l. 2. c. 3. reg. 7. Et verò quis neget objici posse sponso vel sponsæ notabilem infirmitatem, vel illegitimitatem, sui vel parentis, ab initio non manifestatam, sibi causaturam infamiam; vel aliud grave incommodum in matrimonio, si illud contrahat?

Quinta causa, est discessus sponsi, absque con- 47
sensu sponsæ, ad loca dissita, unde non sit brevi rediturus. De quo casu in cap. *de illis* de sponsalib. & matrim. Alexander III. statuit sic: *De illis autem, qui, præstito juramento, promittunt se aliquas mulieres ducturos; & postèa, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, hoc sibi volumus innotescere, quòd liberum erit mulieribus ipsis (si non est ampliùs in facto processum) ad alia se vota transferre, receptâ tamen de perjurio pœnitentiâ, si per eam steterit, quominùs matrimonium fuerit consummatum.*

Et ratio est: quia per istam discessionem spon- 48
sus datam fidem retractare, voluntatisque mutationem declarare videtur. Jure quidem civili triennalis absentia constituta est, ut sponsalia solvi possint;

sint : sed allato Canone Pontifex solùm discessum in longinquam regionem ad hoc requirit. Excipiunt aliqui casum, quo sponsus, absque consensu sponsæ, migravit ob causam necessariam, quo casu censent ipsum expectandum, juxta L. *sæpè* ff. de sponsalib. Ita Layman l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 13. & Sylvester apud ipsum, idem asserentes, quando ob causam rationabilem, licèt non necessariam, absque consensu ipsius discessit. Censent enim ipsum biennio vel triennio expectandum. L. 2. C. de sponsal. & L. 2. de repud. Verùm alii cum Henriquez, Sanchez, Palao, absolutè negant, sive in isto, sive in illo casu, tamdiù expectandum. Quia Pontifex cit. cap. *de illis*, absque ejusmodi exceptione, rescribit, in casu migrationis ad longinquas partes, liberam esse ad alia se vota transferre.

49 Prudenter tamen ad alia vota non transibit, si sponsus esset de proximo rediturus. Quia ipsum tunc præstolari deberet. Abbas ad citatum caput *de illis*. Sanchez, Palao, &c. Si non sit in loco nimis dissito, moneat ipsum ut certo tempore adsit pro nuptiis contrahendis. Si recuset, justo detentus impedimento, in re tanti momenti non assumat partes Judicis in propria causa, sed Ecclesiasticum adeat Judicem, cujus erit, inspectâ qualitate sponsæ, periculo incontinentiæ, aliisque circumstantiis, judicare nùm adsit sufficiens causa dissolvendi sponsalia. Palao disp. 1. de sponsalib. n. 23. In quibusdam locis, priusquàm sponsalia solvantur, tribus edictis absens citatur in Ecclesia, in qua futuri matrimonii denuntiationes factæ sunt. Sic statuit Synodus Senonensis anni 1524. Parisiensis anni 1557. &c.

50 Sexta causa est ferocia & asperitas morum alterutrius sponsi. Ob quam certò (non solo vulgi rumore) cognitam, sponsalia posse dissolvi, Doctores colligunt ex cap. *veniens* extr. qui Clerici vel voventes.

51 Septima causa est defectus solutionis dotis promissæ, seu alterius conditionis pacto appositæ. Ut enim dicitur citato cap. *de illis : si aliquis dixerit, vel juraverit : ego te in uxorem accipiam, si tantum mihi donaveris, reus perjurii non habebitur, si eam, nolentem sibi solvere, quod sibi dari petiit, non acceperit in uxorem, nisi.... carnalis inter eos sit commixtio subsecuta.* Ex qua ultima particula colligitur, sponsum, habentem causam sufficientem dissolutionis, jus amittere dissolvendi, si post eam, carnalem cum ipsâ commixtionem habuerit. Ita Sanchez lib. 1. disp. 66. Hurtadus disp. 31. difficult. 16. & alii.

52 Octava causa sunt capitales inimicitiæ, inter sponsos, vel eorum parentes subortæ. Cùm enim funesti exitus ex nuptiis illorum timendi sint, Ecclesiæ judicio sponsalia tunc dirimuntur, cap. *requisivit* extr. de sponsalib. & matrim.

53 Ultima causa est lapsus temporis, ad matrimonium contrahendum ex conventione partium in ipsis sponsalibus constituti, cap. *sicut* extr. de sponsalib. & matrimon.

CAPUT XIII.

Prima sponsalia non solvuntur per secundâ, etiam jurata, etiam secutâ copulâ cum secunda sponsa, priorum sponsalium ignara.

54 Doctores omnes conveniunt, quòd si secunda mulier sciverit priora sponsalia, hæc non dissolvuntur per secunda, etiam copulâ secutâ. Quia ipsa voluit decipi. Imò non fuit decepta. Quia injustè, injustitiâ cognitâ, hanc secundam promissionem & copulam admisit. Sed si secunda sponsa, priorum sponsalium ignara fuerit, & ipsa alias erat virgo, vel honesta vidua, plures censent, per secunda sponsalia, copulâ secutâ, priora dissolvi, tametsi fateantur, quòd per secunda non solverentur, si copula cum secunda secuta non fuisset, vel secuta pariter fuisset cum prima. Cùm nimis perspicuum sit, quòd, cæteris paribus, quæ prior est tempore, potior sit jure. Cùm nulla sit ratio ipsi auferendi jus priùs tempore acquisitum.

55 Extra hunc casum, priora sponsalia solvi per posteriora, secutâ (ut dictum est) copulâ, docent Coninck, Pontius, Mastrius, Palao, Leander à SS. Sacramento, &c. Sed contrarium nobiscum asserunt Dominicus Sotus, Sanchez, Becanus, Villalobos, Hurtadus, Aversa, Henriquez, & Illustriss. Pater Herinx disp. 1. de sponsalib. n. 41. Et ratio est, quia secunda sponsalia nulla sunt (cùm res uni ex justitia obligata, non possit alteri subsequenter obligari, nisi per matrimonium, vel alium contractum, quo fit actualis traditio dominii.) Ergo per ea non solvuntur priora sponsalia. Sed neque solvuntur per copulam eis superadditam : utpote priori sponsæ catenùs injuriosam, quatenùs fit in ordine ad matrimonium cum secunda ineundum contra fidem priori datam. Per injuriam autem sponsus non acquirit jus ad dissolvendam fidem istam. Neque per injuriosam copulam istam actu tradit secundæ sponsæ dominium corporis sui. Cùm hoc per solum fiat matrimonium. Denique priora sponsalia non ideò solvuntur per posteriora, quia hæc sunt fortiora; quasi secunda femina, ratione copulæ, vel damnorum inde consequentium, acquirat jus fortius, quàm erat jus priori feminæ acquisitum; ideòque jus prioris feminæ elidatur, vel suspendatur per jus secundæ feminæ, tamquam fortius. Hoc est enim quod Adversarii supponunt, & non probant, nec probare possunt. Nullum enim jus in matrimonium cum ipso sponso secunda femina acquirit, nec acquirere potest, id impedientibus sponsalibus cum prima initis, per quæ persona ipsius, primæ ex justitia obligata, non potest cum injuria istius prioris obligationis, alteri obligari, etiam intuitu damni quod illatum est secundæ. Cùm damnum ipsi illatum non auferat, nec suspendat alterius innocentis.

At (inquit Bonac. ex Spei disp. 1. de sponsal. n. 110.) per subsequens matrimonium priora sponsalia cum alio vel alia solvuntur, vel saltem sopiuntur, seu suspenduntur. Ergo fides posteriùs data potest aliquo casu solvere, vel suspendere fidem priorem, ubi scilicet fides posteriùs data fortius ligat, prout in præsenti. 56

Respondeo distinguendo consequens : ergo fides posteriùs data, per quam non fit traditio dominii, potest aliquo casu solvere, vel suspendere fidem priorem, nego : si per fidem posteriùs datam fiat traditio dominii, uti fit in matrimonio, concedo. Sed hoc non fit in fide sponsalitia posteriùs data. Et ideò nec fortius ligat, quàm fides prima data ; nec verè ligat, quia vana & irrita est, propter priorem, quam nec solvere, nec suspendere potest. Ob rationem suprà allatam.

Instat tamen idem Author : ubi duæ ejusdem rei venditiones concurrunt, secunda non est irrita propter priorem, si secunda sit completa per rei traditionem. Ergo nec in nostro casu fides posterior per priorem : cùm posterior sit completa per traditionem usûs corporis, non prior. 57

Respondeo negando consequentiam : quia etiam secunda venditio foret irrita propter priorem, si non foret completa per traditionem dominii, sed usûs dumtaxat. Neque enim venditiones complentur, nisi per traditionem dominii, nec res primùm vendita Titio, deinde Cajo, debetur Cajo præ Titio, eò quòd venditor ad hoc usum ipsius (absque dominio) concesserit Cajo; sed per hoc dumtaxat, quòd Cajo dominium illius tradiderit.

CAPUT XIV.

Sponsus, vel sponsa, laborans defectu, qui cognitus averteret compartem à matrimonio, tenetur illum manifestare, si repugnet substantiæ matrimonii, vel sit infectivus alterius, vel futurus ipsi graviter noxius. Aliàs non, etiamsi matrimonium inde futurum sit minùs commodum, & minùs appetibile.

58 IMprimis quòd manifestare teneatur defectum, repugnantem substantiæ matrimonii, v. g. impotentiam, vel aliud impedimentum dirimens, omnes conveniunt. Quia esse nequit obligatio ad matrimonium, nec proinde sponsalia, cum tali impedimento.

59 Quòd etiam teneatur manifestare defectum infectivum alterius, vel futurum ei graviter noxium & damnosum, saltem si per accuratam inquisitionem detegi non soleat, v. g. morbum gallicum, lepram, &c. etsi negent Sanchez, Hurtadus, Escobar, Dicastillo: meritò tamen affirmant Turrianus, Pontius, Coninck, Palao, tum quia peccat contra justitiam, qui mercem inutilem, vel multùm noxiam, aut notabiliter vitiosam, vendit ignoranti hæc vitia, ut de lignis putridis traditur L. *Julianus* 13. ff. de act. empt. & L. 1. ff. de Ædil. Edict. Tum quia nisi manifestentur, periculum est ne matrimonium infaustos sortiatur exitus, meritò imputandos doloso sponso, vel sponsæ. Tum denique quia cùm ejusmodi defectus sit justissima causa dissolvendi sponsalia, fraudulentus censetur sponsus vel sponsa, si eo non detecto sponsalia vel matrimonium contrahat, frausque ista valdè scandalosa est: eò quòd spectatâ humanâ fragilitate, det comparti occasionem maximæ exacerbationis, aliorumque non levium peccatorum.

60 Denique quòd manifestare non teneatur defectus non infectivos, nec noxios, etsi reddere possint matrimonium minùs commodum, & minùs appetibile, docent omnes passim Doctores: tum quia & in usu communissimo timoratorum est receptum. Tum quia in contractu emptionis non est obligatio aperiendi leviores defectus mercis. Tum denique quia sibi pars altera debet imputare, quòd accuratiorem de iis non fecerit inquisitionem.

61 Hujusmodi defectus à Doctoribus censentur fornicatio sponsi, vel sponsæ, antecedens vel subsequens sponsalia, ignobilitas, paupertas & similia, personam intrinsecè non afficientia, sed extrinsecè, adeòque per accuratam perquisitionem detegi solita. Ad quæ manifestanda tunc maximè non tenetur sponsa, quando non potest absque sui diffamatione. Neque enim tenetur seipsam diffamare. Et ideò non tenetur manifestare fornicationem suam. Si tamen meritò timeret, ne vitium suum post matrimonium fieret manifestum, & sponso noxium, indeque orituras graves rixas, & diuturnas, grandiaque peccata, ut si foret occultè gravida, teneretur illud manifestare, vel nuptias declinare: utpote de quibus alioqui meritò timere deberet infaustos exitus, graveque damnum sponsi innocentis, propter illegitimum puerperium, indeque ignominiam ipsius, educationem illegitimæ prolis, hæreditatem, &c.

CAPUT XV.

Qui promisit, vel etiam juravit, se non ducturum nisi Titiam, absolutè non tenetur eam ducere, sed solùm casu quo nubere velit.

62 RAtio est, quia negativarum ejusmodi promissionum, vel pactionum, genuinus sensus non est de ducenda absolutè tali, sed de alia non ducenda. Sicut si quis dicat: *non vendam equum meum, nisi Cajo*, sensus non est, *ipsi absolutè vendam*; sed, *si vendam, Cajo vendam.* Unde Cajus ipsum cogere non potest ad vendendum. Reus tamen esset violatæ promissionis, si alteri venderet. Et similiter, in casu nostro, si aliam duceret.

CAPUT XVI.

Ad dissolvendum sponsalia clandestina, seu occulta, dum causa dissolvendi est moraliter certa, necessaria non est authoritas Judicis Ecclesiastici.

63 ITa S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 7. Quia nullo jure pro illo casu statuitur necessitas Judicis Ecclesiastici. Uti nec pro casu, quo sponsalia publicè contracta sunt, si dissolvendi causa sit publicè manifesta. *Sed in aliis casibus dirimi debent secundùm judicium Ecclesiæ* (ait S. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. a. 3.) utique primò, quando causa dissolvendi dubia est. Secundò, dum sponsalia contracta fuerunt publicè, & in facie Ecclesiæ, & dissolvendi causa est occulta. Tunc enim, ad vitandum scandalum, recurrendum est ad Judicem. Sed antequam reveletur occultus defectus alterius partis, monenda est, ut, ad evitandam infamiam suam, consentiat in dissolutionem; adhibitis etiam, si necesse sit, parentibus ipsius, seu aliis viris piis, à quibus inducatur ad consensum istum. Quòd si post hæc omnia nolit consentire, sibi imputet, si defectus, cum infamia ipsius, deferatur ad Judicem. Ita Doctores communiter.

CAPUT XVII.

Observanda post sponsalia.

64 IMprimis summoperè cavere debent sponsi, ne ante matrimonium, per verba de præsenti contractum, sub eodem tecto habitent, vel peccato carnis, sive opere consummato, sive per libidinosa oscula, amplexus, vel tactus inchoato, se invicem polluentes, Deum à cordibus suis excludant, cum diaboloque incipientes, quod in Domino inchoandum & perficiendum est, gratiæ sacramentali, divinisque benedictionibus obicem ponant, infaustasque proinde nuptias contrahant. Quod tanti momenti censuit S. Carolus Borromæus, ut carnalem copulam inter sponsos ante matrimonium Episcopo reservatam esse voluerit in Concilio Mediolanensi VI. tit. *de his quæ ad matrimonium pertinent.* Quod & fecit Synodus Aquensis anni 1585.

Deinde ad matrimonium se præparare debent modo exponendo capite sequenti.

CAPUT XVIII.

Præparatio Sponsorum ad matrimonium.

65 PRimò nunquam Christianus homo, vel Christiana, statum matrimonialem eligere debet, nisi ante omnia, etiam ante sponsalia, ferventibus, frequentibusque orationibus, aliisque pietatis exercitiis, à Deo postulaverit ut notam sibi faceret viam, in qua ambulare, ipsi servire, salutemque suam operari debeat, sicque diligenter perpenderit, an vocatio ad matrimonium ex Deo sit, an ex inclinatione carnis & sanguinis. Neque enim verum est quod ait Author libri gallicè conscripti, sub hoc titulo: *Traité de la vocation Chrétienne des enfans*, scilicet quòd omnes naturaliter ad matrimonium vocati sint, vocatione generali, exceptis iis solis qui se vocatos specialiter sciunt ad virginitatem. Neminem proinde examinare debere, num vocatus sit ad matrimonium: sufficere, quòd se specialiter vocatum non sciat ad

cœlibatum. Aliam enim regulam cognoscendæ divinæ vocationis tradit Apostolus 1. Cor. 7. *si se non continent* (id est siqui prævident, vel prudenter metuunt, ne in tentationibus, in quibus sunt, vel futuri sunt, in castitate non perseverabunt) *nubant. Melius est enim nubere quàm uri.* Unde August. lib. de bono conjugali c. 10. concludit: *hoc tempore solos eos, qui se non continent, conjungi oportere.* Et Gregorius p. 3. curæ Pastoral. admonit. 28. *admonendi sunt cœlibes, ut si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant.* Vel ergo illi soli censentur ad matrimonium vocati, vel cum ipsis qui specialia in se signa cognoscunt divinæ ad eum statum vocationis.

66 Et ideò frequenter & ferventer Deum hoc vel simili modo orare debet: *Domine quid me vis facere? notam fac mihi viam in qua ambulem, dà mihi virtutem contra hostes tuos, carnem & sanguinem, ut non secundùm eorum inclinationem, sed secundùm beneplacitum tuum dirigar.* Adolescentibus & puellis, in ætate nubili constitutis, hoc frequenter inculcandum est à Parochis & Confessariis.

67 Secundò, quia proprium judicium hîc facilè corrumpitur à cæco amore propriæ voluptatis; ideò eorundem Parochorum & Confessariorum, aliorumque (quibus animi sui propensio nota est) in re tanti momenti consilium dicti adolescentes & puellæ prudenter exquirent.

68 Nec sibi sponsum vel sponsam eligent, parentibus inconsultis, 1°. quia Scriptura parentibus committit ut filios suos & filias nuptui tradant. 2°. quia graviter peccant contra præceptum honorandi parentes, qui absque justa urgentique causa, matrimonium ineunt ipsis inconsultis aut invitis. Honor quippe parentibus debitus postulat, ne quid magnum sine ipsorum consilio aggrediantur. 3°. quia non parum interest parentum, quem generum vel nurum habituri sint, cui tamquam filio vel filiæ dotem consignare, & parentum officium impendere debeant. Unde S. Ambrosius epist. 47. Sisymo scribit, justam fuisse paternam offensionem ipsius, quòd, ipso inconsulto, filius uxorem accepisset: *quoniam* (inquit) *venturam in locum filiæ debuisti eligere judicio, cui fieres pater.* 4°. ipsorumtnet filiorum id ordinariè interest. Utpote quos alioqui, in delectu conjugis, excæcant libido, præcipitantia, & incircumspectio juvenilis.

69 Tertiò, post dictam consultationem & orationem, persuasus se à Deo ad matrimonium vocari, eligere debet sponsam, nullo ligatam impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, &c. quæque paris sit cum ipso conditionis, ætatis, & indolis. Ne à superioris conditionis sponso vel sponsa facilè despiciatur, & inferioris conditionis sponsum vel sponsam ipse vel ipsa facilè despiciat. Ad quod præcavendum Poëta dixit: *si vis nubere, nube pari.* Sed & dispar indoles sæpè disparitatem inducit animorum, & ætas longè dispar plerùmque argumentum est vel avaræ, vel libidinosæ intentionis in matrimonio contrahendo, dum non prolis intuitu fit; sed vel libidinis, vel pecuniæ.

70 Quartò, matrimonium eâ intentione contrahi debet, quam Raphaël Archangelus Tobiæ 6. juniorem Tobiam docuit, dicens ei: *Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem, cum acceperis* uxorem... *accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum, magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.*

Hinc Concilium Colonienſe anni 1536. can. 71
12. postquam ostendit, matrimonium propter liberos procreandos, & propter fornicationem vitandam, esse institutum, monet eos *qui matrimonium contrahere affectant, ne alius affectus ipsos huc rapiat... Nam si neque ob prolem sustentandam, neque ob fornicationem vitandam, sed potiùs divitiarum, aut opum nancisccendarum, aut alterius rei gratiâ matrimonium contrahatur, perperàm agitur, ac graviter in Sacramentum peccatur. Hic quæ Tobiæ 6. 7. & 8. scribuntur, enarrari, proponi, ac doceri conveniet. Ubi locus pulcherrimus est, exemplo commonstrans, quemadmodùm bona uxor donum Dei sit, debitum timenti Dominum. Quomodò in timore Dei uxor à parentibus, non luxuriæ causâ, sed solâ posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Domini in sæcula, petenda. Quo pacto conjugii conscriptione factâ, tradenda. Quemadmodùm etiam convivium nuptiale cum laude & benedictione Dei agendum. Denique quòmodò precandus sit Deus per conjuges, ut benedictionem suam in ipsos, quos conjunxit, impleat. Hæc enim docent Sanctorum filii, qui non debent ità conjungi, sicut Gentes quæ ignorant Deum. Eritque ob oculos ponendum horrendum illud exemplum, de septem viris Saræ à dæmonio occisis,* quia libidinis explendæ causâ conjugium susceperunt.

Similiter S. Carolus Borromæus in Instructione 72
de Sacram. Matrim. tit. *quæ Parochus doceat: docebit* (inquit) *quo animi affectu, & quam ob causam fideles matrimonium ineant. Quo in genere demonstrabit, ad illud eos non explendæ libidinis causâ duci oportere, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Neque præcipuè efferri cupiditate divitiarum; sed cum prolis suscipiendæ gratia, quæ sanctam Catholicam Religionem colens, ad cœlestium præmiorum hæreditatem, Christianæ vitæ præceptis, pièque agendi usu instituatur. Tum etiam causâ vitandæ fornicationis. Et ut conjuges, alter alterius ope adjuti, vitæ incommoda faciliùs ferre, & senectutis imbecillitatem sustentare queant.*

Duos istos posteriores fines explicans Augusti- 73
nus lib. de bono conjugali cap. 3. ostendit conjugium esse bonum, *non propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem.* Et hinc ostendit, conjugium esse bonum etiam in senibus: quia *esse in ipsis emarcuit ardor ætatis inter masculum & feminam; urget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem.* Dumque *à commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt..... servatur fides honoris, & obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu.* Denique tripliciter ostendit, quomodò conjugium bonum sit ex causa vitandæ fornicationis, in quantum scilicet *carnalis, vel juvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis.* Et *quia reprimitur, & quodammodò verecundiùs æstuat concupiscentia carnis, quam temperat parentalis affectus. Intercedit enim quædam gravitas fervidæ voluptatis, cùm in eo quòd sibi vir & mulier adhærescunt, pater & mater esse meditantur.* Tertiò, *quia in eo ipso quòd sibi invicem conjuges debitum reddunt, etiamsi id aliquantò intemperantiùs & incontinentiùs expetant, fidem tamen sibi pariter debent.*

Primus itaque principalisque incundi matrimo- 74
nii finis (si non ineatur ad castè vivendum, sed in ordine ad usum) est ad suscipiendam prolem, quæ piè & christianè educata, aliquando perveniat ad cœlestem hæreditatem, prout Tobiam docuit Angelus suprà n. 70.

Secundus, sed in quo sistere non oportet, sed 75
eum ad ulteriorem finem referre, est propter vi-

tandam fornicationem, juxta illud Apostoli, *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*, &c. Et hic finis excusatur, dum concupiscentia carnalis *ad propagandæ prolis redigitur honestatem*, dumque concupiscentiæ carnalis æstum *temperat parentalis affectus*, denique dum eidem concupiscentiæ expetita copula conceditur ad debitum reddendum, uti S. Augustinum audivimus exponentem.

76 Tertius finis est, *diversi sexûs mutuò expetita societas, mutui auxilii spe conciliata, ut alter, alterius ope adjutus, vitæ incommoda faciliùs ferre, & senectutis imbecillitatem sustentare queat*, uti cum S. Carolo ait Catechismus Romanus. Et hic finis est bonus, sed, ut benè intendatur, à charitate imperari debet, ad Deumque referri, prout innuit Augustinus suprà n. 73. ibi: *viget tamen ordo charitatis.* Et hanc præcipuè intendere debent, qui in ea ætate matrimonium inire volunt, in qua filios se procreare non posse sciunt, prout Augustinus ibidem.

77 Denique tunc suæ intentionis rectitudinem ostendent, qui nubere volunt, si in eo vel in ea, quem vel quam ducere volunt, non tam terrenas opes, corporis pulchritudinem, vel aliud simile motivum terrenum considerent, quàm opes & pulchritudinem animi. *Fallax* quippe *gratia, & vana est pulchritudo* corporis: *mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.* Prov. 31. Et *gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.* Eccli. 26. Et *qui invenit mulierem bonam, invenit bonum.* Prov. 28. Juvabit præ oculis habere hosce Poëtæ versus:

Quæ tibi ducenda est, habeat P. quinque puella.
Sit Pia, sit Prudens, Pulchra, Pudica, Proba.

CAPUT XIX.

Præter dicta capite præcedenti, matrimonium præcedere debent tres proclamationes, seu denuntiationes, vulgò banna.

78 QUia sic statutum est in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. cap. 51. Et in Tridentino sess. 24. de reform. matrim. c. 1. præscribitur, ut, antequam matrimonium ineatur, *ter à proprio contrahentium Parocho*, vel alio Sacerdote, de ejus licentia, *tribus continuis festivis diebus* (id est nullo festo interruptis) in Ecclesia, inter Missarum solemnia publicè *denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.* Verba sunt Tridentini loco citato. Idque justissimè statutum est, ut impedimenta matrimonii, si quæ sint inter partes, Ecclesiæ innotescant, solæque illæ personæ conjungantur, quas legitimas esse constiterit. Et ideò si contrahentes diversarum sint Parochiarum, proclamationes faciendæ sunt in Parochia utriusque, juxta declarationem S. Congregationis Cardinalium. Aliàs impedimenta sufficienter cognosci nequeunt. Atque ita Paulum V. in Rituali decrevisse, refert Christophorus Marcellus.

79 Factis proclamationibus, si nullum legitimum opponatur impedimentum, statim ad matrimonii celebrationem procedi potest. Sed si impedimenti probabilis appareat conjectura, matrimonium expresse interdicendum est, donec de rei veritate manifestis constiterit documentis, cap. *cùm inhibitio* de clandest. desponsat.

80 Porrò ad Episcopum, ejusque Vicarium spectat dispensatio super proclamationibus istis. Utpote quas Ordinariorum prudentiæ & judicio Tridentinum suprà committit, nimirùm ut judicet, num expedirat, ut una tantùm proclamatio ante matrimonium fiat, vel post illius celebrationem, ante consummationem proclamationes in Ecclesia fiant, sive etiam ut dictæ proclamationes remittantur.

Hoc ipso verò quòd earum remissionem Episcopi judicio & prudentiæ committit, satis innuit, requiri justam causam ad dispensandum. Neque enim prudens est dispensatio, sed crudelis dissipatio (ut S. Bernardus ait) nisi causâ justâ nitatur. Causæ autem sunt, sequentes. 81

1°. si probabilis fuerit suspicio, matrimonium, vel matrimonii usum fraudibus injustis, vel maleficiis malitiosè impediri posse. 82

2°. si proclamationes fieri nequeant absque notabili infamia, scandalo, aliove notabili incommodo, ut dum femina partum de proximo præstolatur, vel periculum est relapsûs in peccatum, vel gravium rixarum, odiorum, &c. inter consanguineos, vel corrivales. 83

3°. si instet tempus Adventûs, vel Quadragesimæ, quo nuptiæ interdicuntur. Hanc causam approbavit S. Congregatio Concilii Trident. apud Zerolam in praxi Episcop. verbo *matrimonium* dub. 9. Sed S. Carolus Borromæus cum Concilio V. Mediolanensi improbat p. 3. tit. *quæ ad matrimonium pertinent.* 84

4°. si periculum sit, ne compartis animus, dilato matrimonio, ex innata levitate, vel aliorum suasione immutetur. 85

5°. ut proles, statim nascitura, legitimetur. 86

6°. quoties disparitas conditionis, vel divitiarum, est inter volentes contrahere, ut si ignobilis cum nobili, dives cum paupere, honestus cum meretrice contrahere velit, ut eam à peccato revocet. S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 16. 87

Septimam causam nonnulli assignant, dum summi Principes contrahunt. Non solùm quia prærogativâ aliquâ digni sunt; sed & quia eorum genus & facta omnibus comperta sunt; nec proinde in ipsis periculum est impedimenti occulti. Præterea vix unquam contrahunt, quin matrimonium ipsorum aliquo priùs tempore sit omnibus notum; ideòque absque proclamationibus facilè innotescere posset impedimentum, siquod subesset. 88

Quòd si matrimonium ultra duos menses (juxta Rituale Romanum) vel ultra quatuor menses (juxta declarationem S. Congregationis, apud Possevinum & Barbosam) factis proclamationibus differatur, proclamationes arbitrio Episcopi repetendæ sunt. 89

Si denique, factis proclamationibus, testis unus, omni exceptione major, asserat impedimentum, ipsius unius assertione matrimonium impeditur, donec oppositum probetur. Et idem est, si impedimento sit fama communis, cap. *super eo* de consanguin. & affin. cap. *præterea*, & cap. *cùm in tua* de sponsal. ubi etiam dicitur, admittendum non esse juramentum à parentibus oblatum in contrarium. Quia parentes in eo tamdiù suspecti sunt, quamdiù probationes in contrarium non proferunt. 90

Quicumque absque dispensatione, aut causa legitima (v. g. dum gravis & aperta necessitas urget, nec per temporis angustias adiri Episcopus potest, ut dum vir, in præsenti mortis periculo, vult ducere feminam, ut proles ex ea suscepta, legitima reddatur, vel stuprator virginis (authoritate Judicis) cum ea statim matrimonium contrahere compellitur, ad abolendam ipsius infamiam) nullis præmissis denuntiationibus, matrimonium contrahit, mortaliter delinquit contra Ecclesiæ præceptum in re gravi. Ita S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 16. Imò *matrimonium sine denuntiationibus validè contrahi non posse* in regno Galliæ, declarat Constitutio Regia Blesensis a. 40. Quod tamen intelligendum est quoad effectus Civiles, quamvis in ratione contractûs & Sacramenti valida sint, uti Regis nomine Clero Gallicano Primarii Ministri Regii responderunt anno 1629. 91

CAPUT XX.

Nimia facilitas hodie dispensandi promiscuè cum omnibus dispensationem petentibus, etiam sine justa causa, super proclamationibus, seu bannis, plurimorum & ingentium malorum causa est.

92 PRimum malum, omnibus ejusmodi dispensationibus commune & generale, est quòd nimiâ istâ facilitate sacris Canonibus, Spiritu Dei conditis, & totius Orbis reverentiâ consecratis, vulnus absque necessitate, utilitateque Ecclesiæ, infligatur (dispensatio quippe vulnus est quoddam inflictum legi quæ relaxatur) hoc autem Bernardo crudelis dissipatio est.

93 Secundum malum est, quòd sæpè post matrimonium contractum, detegitur impedimentum, cum quo matrimonium invalidè contractum est, & propter quod non sine magnis incommodis taliter conjunctos separare oportet.

94 Tertium est, quòd dum sine proclamationibus matrimonium contrahitur, frequenter indignè contrahitur: eò quòd Pastoribus non suppetat tempus ad dignam illius celebrationem disponendi eos qui contrahere volunt.

95 Et hinc quartum exurgit malum, seu potiùs congeries malorum n. 98. enarrandorum, quæ ex matrimonio indignè contracto nata sunt provenire, defectu gratiæ sacramentalis, ad castam & piam in matrimonio vitam, ad Christianam prolium educationem, ad rectam familiæ administrationem. Quibus profectò malis obviare non valent Parochi, matrimonium (non obstante dispensatione) differendo, nisi summis se difficultatibus exponant. Deploranda proinde est nimia illa promiscuè dispensandi facilitas, meritòque deploratur à plerisque zelosis & doctis viris. Ut enim Tridentinum sess. 25. de reform. c. 18. *frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs quàm certo personarum delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.* Quod certè non cedit in ædificationem, sed in destructionem. Meminisse verò debent dispensatores, sibi dictum à Mellifluo Doctore: *non sum tam rudis, ut ignorem, positos vos dispensatores; sed in ædificationem, non in destructionem.* Rationem proinde dispensationum nimis facilè concessarum, vos tremendo Judici reddituros.

CAPUT XXI.

Sæpè periculosum est, mediante dispensatione, super impedimento dirimente, matrimonii statum assumere.

96 PRimò, quia periculosum est statum illum assumere sine divina vocatione. Neque enim status ille ipsum assumentibus cooperatur in bonum, nisi à Deo vocati sint, juxta illud Rom. 8. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Sed quibus? sequitur, & dicit Apostolus: *his qui secundùm propositum vocati sunt sanctis....* Nam quos *prædestinavit, hos & vocavit* ad eum statum, in quo ipsos salvare decrevit & prædestinavit. *Et quos* ad statum illum *vocavit*, in eo *hos & justificavit*, & tandem glorificavit. Totum proinde illud pendet à vocatione Dei, facientis ut assumptio status eis cooperetur in bonum, qui *secundùm* Dei *propositum* ad eum *vocati sunt.* Principium ergo salutis hominum est divina prædestinatio: medium divina vocatio: ac deinde justificatio: finis glorificatio. Noli itaque putare, ô homo, quòd salutem consequêris in quocumque volueris statu, sed in eo solo ad quem te vocavit Deus. Quemadmodùm enim à Deo salus hominis; sic à Deo est determinatio status, in quo Deus decrevit salvare hominem. Hunc autem statum Deus vocatione suâ determinat.

Jam verò qui statum matrimonialem cum ea 97
persona assumit, cum qua, nonnisi mediante dispensatione, assumere potest, majora suæ vocationis indicia, quàm alius, habere debet. Cùm enim impedimento Canonico per divinam providentiam impediatur, nec possit eo impedimento solvi sine vulnere inflicto Canonibus Spiritu Dei conditis; ipsummet impedimentum, quo detinetur, signum est non vocationis, nisi tam evidentia concurrant signa vocationis, ut, non obstante signo illo non vocationis, prudenter judicetur, talem hîc & nunc vocatum esse. Aliàs namque currit regula Juris: *inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerùmque fieri consuevit.* Et in dubio judicandum secundùm ordinarias divinæ providentiæ regulas. Ut plurimùm verò, & secundùm ordinarias divinæ providentiæ regulas, Deus non vocat ad statum, ad quem divina providentia induxit impedimentum. Idque tamdiù verisimilius censetur, quamdiù de oppositio in casu particulari non constat.

Secundò melius est (regulariter loquendo) 98
matrimonium contrahere cum persona, cum qua id potes absque dispensatione (cùm hoc conforme sit ordinariæ dispositioni providentiæ Dei, & Ecclesiæ, à qua impedimenta dirimentia Spiritu Dei sunt constituta) cur ergo te subducis ab ista ordinaria regula cognoscendi divinam voluntatem? cur pro te vis infligi vulnus Ecclesiæ legibus, sine quo vulnere nullam dispensationem concedi, unanimis Canonistarum sententia est. Quod cùm ita sit, non difficulter intelligitur, nullam dispensationem usurpandam esse, nisi illa vulneris inflictio alterius boni accessione compensetur, uti docet Augustinus epist. 50. & refertur can. *ipsa pietas* 23. q. 4. Siquidem loquens de Sacerdotibus, ab hæresi Donatistarum ad Catholicam Ecclesiam revertentibus, quos ut ad id attraheret pia Mater Ecclesia, respectu ipsorum relaxavit Canones, qui Sacerdotes lapsos suis gradibus post pœnitentiam restitui non finebant: *hoc non fieret* (ait magnus ille Doctor) ... *quoniam fieri non deberet, nisi* PACIS IPSIUS COMPENSATIONE *sanarentur. Doleant qui in tanta morte præcisionis jacent, ut isto quodam* VULNERE *Matris Catholicæ reviviscant.* Sic etiam docet Bernardus de præc. & dispens. c. 2. *novit fidelis servus & prudens ibi tantùm usurpare dispensationem, unde bonam possit habere* RECOMPENSATIONEM. Tanta proinde esse debet necessitas, vel utilitas ad licitam concessionem, vel usum dispensationis, quæ vulnus Ecclesiasticæ legi inflictum recompenset. Ideò Fagnanus ad cap. *nimis* de fil. Presbyt. n. 8. testatur, *quod sit unanimis consonantia Canonum, Conciliorum, & Interpretum, quòd causa necessitatis, vel utilitatis in dispensatione debet esse magna, seu quod idem est major, maxima, justa, evidens, urgens, & his consimiles; quibus sacri Canones promiscuè utuntur tanquam synonimis. Alioqui, si ejusmodi causa desit, non est dispensatio, sed dissipatio.* Et verò quid aliud sibi volunt Concilia & Patres, dum uno ore cum Leone Magno (apud Bernardum loco citato) *ubi non est necessitas* (inquiunt) *nullo modo sanctorum Patrum instituta violentur. Ubi ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, dispenset.* Quid aliud Bernardus ipse, dum l. 2. de consid. ad Eugen. c. 10. ait: *ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico, communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Quid denique aliud Tridentinum, dum sess.

25. de reform. c. 18. ait: *sciant universi, sacratissimos Canones ab omnibus, & quoad eos fieri potest, indistinctè observandos*, nisi *urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit cum aliquo dispensandum esse.* Quod, in ordine ad matrimonia contrahenda, rarò contingere censuit, dum sess. 24. c. 5. dixit: *in contrahendis matrimoniis, vel nulla omninò dispensatio detur, vel rara.* Si rarò contingit: rarò ergo quis præsumere potest respectu sui subesse talem causam. Enimverò cùm talem oporteat esse causam, quæ non solam necessitatem, vel utilitatem propriam, sed communem Ecclesiæ concernat (aliàs namque per eam non compensaretur vulnus Ecclesiasticæ legi inflictum) quis audebit facilè præsumere, talem se esse, vel talis considerationis in mundo, ut Ecclesiæ utilitas vel necessitas ipsum in tali matrimonio requirat? Meritò ergo quisque privatus timere debet, respectu sui non subesse causam, ad id coram Deo sufficientem: cùm sola illa coram Deo sufficiens sit, quæ tanta est, ut communis Ecclesiæ utilitas vel necessitas postulet dispensationis concessionem, ut dictum est. Jam verò nisi reverà subsit causa coram Deo sufficiens, ut contra ordinarias regulas Spiritu Dei conditas, matrimonii statum assumas, habes unde vehementer metuas, ne idem ille Spiritus, cujus regulas absque causa coram Deo sufficiente negligis & violas, tibi subtrahat gratias & benedictiones, ad christianè & salubriter in matrimonio vivendum necessarias. Quibus subtractis, quanta non malà sequuntur! Quemadmodùm enim matrimonium, ritè & secundùm Deum susceptum, ingentium bonorum fons & causa est; ita & ingentium malorum, si non suscipiatur ritè, & secundùm Deum. Nam sicut per gratiam, in debita matrimonii susceptione acceptam, fit, ut conjuges piam & christianam in matrimonio vitam agant, filios suos in pietate, Deique timore educent, & familiam suam rectè gubernent, unde & in filios filiorum ad multas plerùmque generationes, & ad domesticos & famulos ad multas sæpè familias pietas morumque honestas diffunditur. Sic econtrà, per subtractionem gratiæ, matrimonium indebitè suscipientibus negatæ, contingit, quòd nec ipsi conjuges suo in conjugio piè & christianè vivant, nec pietatem, Deique timorem filios suos & domesticos edoceant, sed potiùs impietatem suo malo exemplo: quæ deinde in filios filiorum, atque in domesticos & famulos, & ab his in familias alias propagetur.

99 Tertiò, ipsimet Canones docent, ad Superiores, pro dispensatione, nisi magnâ necessitate & Ecclesiæ utilitate, non esse recurrendum. Siquidem canon *ab excommunicatis* 9. q. 1. *ad Superiores* (inquit) *confendere non concedimus, nisi necessitas, & utilitas maxima flagitaverit, & ipsorum sancta conversatio promeruerit.* Can. *exposuisti* de præben. *Capellaniarum ad Canonicatus unio* non conceditur, nisi *evidens necessitas vel utilitas exigat.* Can. *etsi illa* 1. q. 7. Gelasius expresè dicit, quòd *nullatenus mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas.* Ubi vocula *extorquet* haud dubiè significat necessitatem, vel utilitatem adeò urgentem, ut quasi extorquere videatur dispensationem. Innocentius III. lib. 1. Reg. 13. epist. 118. ad dispensandum cum Duce Austriæ in quinto gradu consanguinitatis similiter requirit *necessitatem urgentem, ac evidentem necessitatem*, quòdque *scandalum ex hoc facto non valeat suboriri.* Unde meritò Oldradus consil. 327. *recessus à jure communi debet non esse..... sine notabili causa movente.* Proinde tuti non sunt in conscientia, qui utuntur dispensatione obtentâ absque ejusmodi causa, communique utilitate maxima. Quamvis enim non defuerunt, qui sæculo præcedenti dixerunt, licitum esse usum dispensationis absque sufficienti causa obtentæ, modò postulata fuerit absque fraude & fictione, candidè exponendo statum rei, ut se habebat. Putarunt enim quòd licèt peccaret Superior, dispensationem sine causa concedendo, non peccaret tamen subditus sic concessâ utendo. Hæc tamen opinio nec unquam fuit, nec modò est vera, nec tuta. Tum quia *eadem fidelitas à subditis* exigitur in obtemperando, *quæ à Præpositis in dispensando*, S. Bernardus de præcept. & dispens. c. 3. Tum quia certissimè peccat, qui petit ab alio, quod ipse concedere nequit absque peccato. Siquidem peccant *non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, Rom. 2. & à fortiori etiam qui ad faciendum precibus & artificiis inducunt. Unde Cajetanus 2. 2. ad q. 78. a. 4. *si quis peteret ab aliquo actum, quem non potest exercere sine peccato, procul dubio ad peccandum eum induceret, quamvis paratissimum, ac per hoc particeps peccati esset, consentiens peccato alterius.* Verissimè proinde 1. 2. ad q. 96. a. 5. *si Papa licentiet se, vel alium, quia placet, ad non dicendas Horas Canonicas, vel carnes comedendum in Quadragesima, licentiatus malè facit, non dicendo Horas, aut carnes comedendo: quia turpis est pars, quæ non consonat suo toti, ex naturæ jure, quod violatur à subdito, & multò magis à Capite. Non est tamen reus violati præcepti, super quo est validè, quamvis illicitè, dispensatus.* Vide quæ dixi to. 2. lib. 1. à num. 279. ad 290.

Quartò, ex dictis ibidem tam multa requiruntur, juxta modernæ Romanæ Curiæ stylum, ut dispensatio valeat, ut quisquis ea vigilantiùs & attentiùs perpenderit, facilè videbit, ea omninò, in personis privatis, rarò verificari, eâ saltem certitudine, quæ requiritur in re tanti momenti. Ut meritò timendum sit, ne matrimonia taliter inita à Deo improbentur. Quod frequenter apparet ex infaustis ejusmodi matrimoniorum eventibus. Quibus Deus docet, *quanto periculo quæratur per dispensationem, quod est aliàs Ecclesiasticis legibus interdictum*, ait in simili Baronius ad annum 254. Igitur *quis sapiens erit* (inquit Cantipratanus l. 1. de Apibus c. 19. n. 9.) *qui fallat se, & sibi super dispensatione aliqua blandiatur?* Profectò Bernardus in vita S. Malachiæ c. 3. agens de dispensatoria Ordinatione ipsius ante ætatem: *siquid* (inquit) *præter Canonum formam processisse videtur, ut verè videtur, donandum sanè, tum zelo ordinantis, tum meritis ordinati. Ego verò, nec in sancto redarguendum, nec usurpandum consulo ei qui sanctus non fuerit.* 100

Quintò, his omnibus accedit, frequenter contingens miseria, de qua testatur Pyrrus Conradus in praxi dispensat. Apostol. l. 7. c. 1. nostque temporibus nostris experimento comperimus: *sanè cùm frequentissimus sit nostro hoc tempore dispensationum usus* (ait Pyrrus Conradus) *nescio quæ prava consuetudo, aut corruptela veritis invelevit, quâ Judices Commissarii, tantæ rei pondus non æquâ lance æstimantes, expositâ, quâ par est diligentiâ, veritate niti negligant edocere, Pontificem dispensasse contenti, cùm reverà non dispensarit, sed ipsis dispensandi authoritatem, certis sub conditionibus, demandarit: quæ nisi ut jubetur impletæ fuerint, quidquid superstruxerint, corruet. Olim quippe hujusmodi dispensationes, in ipsa Romana Curia, causæ cognitione, narratorumque verificatione præcedente, in forma gratiosa utplurimùm concedebantur. Et quidem, ut rarior, ita & tutior illarum erat usus. At quoniam difficile, valdèque incommodum id comperiebatur, optimè profectò rationi ita sacri Canones sancivere, ut omnes dispensationes, extra ipsam Curiam, locorum Ordinariis, seu eorum Officialibus, in forma communi, sive commissaria* 101

missaria dirigerentur : qui nonnisi causis in partibus verificatis, tum demum Apostolicâ authoritate dispensarent. At sæpè videmus, SS. Pontificum providentiam ex delegatorum Judicum imperitia, aut incuria, ita suo fine frustrari, ut quod ad boni communis ædificationem salubriter conspicimus institutum, id ad certam perniciem atque destructionem detorqueatur. Ecce quot ex capitibus periculosum est, mediâ dispensatione, matrimonium inire. Præter dicta tamen, aliud est periculum, videlicet perjurii, dum illi, quibuscum est dispensandum, jurare jubentur veritatem narratorum in Rescripto Pontificio ; quæ tamen plerùmque non habent locum in istis determinatis personis, ad quas Rescriptum dirigitur. Neque enim formulæ Rescriptorum expediuntur post causæ expressionem earum nomine factam ; sed jam pridem determinatæ sunt in Congregationibus tam exiguo numero, ut difficile sit eas congruere tam multis personis, quæ dispensationem petunt.

CAPUT XXII.

Quàm multis ex capitibus impetratæ dispensationes matrimoniales frequenter invalidæ sint, & quænam ab Oratoribus exprimenda sint, ut dispensatio valeat.

102 DUo ista puncta fusiùs deducta, explicata, & probata vide to. 2. l. 1. de Legibus cap. 34. per totum.

CAPUT XXIII.

Matrimonio jungendi non sunt, qui Christianæ fidei rudimenta ignorant.

SIc enim præscribit Rituale Romanum. Sic etiam S. Carolus in Concilio Mediol. V. necnon in Instructionibus. Et ratio est, quia ea mysteria, in tali ætate, utplurimùm culpabiliter ignorantur; eaque proinde ignorantes, ratione istius culpæ (utpotè gravis) dispositi non sunt ad Sacramentum Matrimonii dignè suscipiendum. 103

Maximè cùm ex indigna susceptione illius secutura sint ingentia mala, tum ipsis, tum proli- 104
bus, tum familiæ. Ipsis, quia non recipient gratiam, quâ suam in matrimonio salutem operentur. Prolibus, quia eas nec instruere, nec christianè educare poterunt ; adeòque non enutrient ad salutem, sed ad damnationem. Familiæ, quia nec eam christianè gubernabunt, gratiâ illâ destituti.

Ideò Parochi pro viribus obsistere debent, ne 105
hoc Sacramentum indignè suscipiatur, nisi necessitas contrahendi tanta sit, ut sacrilegæ illius susceptioni, malisque inde oriundis præponderet. Quod quia rarissimum, facilè sibi persuadere non debent.

PARS SECUNDA.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT I.

Matrimonii essentia & institutio.

1 MAtrimonium est *legitima conjunctio maritalis viri & feminæ, individuam vitæ societatem retinens.* Dicitur 1°. *legitima*, id est absque ullo impedimento Canonico. 2°. *maritalis*, id est quâ vir conjungitur ut maritus, feminæ ut uxori. 3°. *individuam*, id est inseparabilem usque ad mortem. Et ratio est, quia cùm Matrimonium ordineur ad generationem, educationemque prolis, & ad mutua auxilia sibi invicem totâ vitâ præstanda : usque adeò inseparabilis esse debet conjugii societas, ut, relictis patre & matre, vir & uxor invicem debeant inseparabiliter adhærere, ut se invicem adjuvent, tam in prolium generatione & educatione, quàm in mutuis obsequiis, ad vitæ incommoda faciliùs portanda, & sustentandam senectutis imbecillitatem.

2 Matrimonium à Deo in ipso mundi exordio institutum esse, patet ex dictis in præludio ad cap. 1. primæ partis. Et quamvis aliquibus videatur tunc institutum, quando Deus Protoparentibus dixit: *crescite & multiplicamini.* Quod & visum est S. Thomæ juniori. Alii tamen probabiliùs censent, verbis illis solùm datam ipsis, jam conjugatis, à Deo benedictionem, sicut & per eadem bestiis data est. Tunc verò institutum aiunt Matrimonium, quando Adam, inspirante Deo, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ita S. Augustinus l. 1. contra 2. epist. Pelag. c. 5. aiens, *à Deo nuptias esse institutas tunc, quando dictum est: propterea relinquet homo patrem*, &c. Id enim non tam ipse Adam dixit, quàm Deus per Adam, ut significat Christus Matth. 19. verba illa referens, nec Adæ, sed Deo attribuens, cùm ex illis concludit: *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Et ab initio quidem Matrimonium fuit *magnum* 3
Sacramentum in Christo & Ecclesia, ut loquitur Apostolus Ephes. 5. quia ab initio fuit signum repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia, in utero Virginis inchoatæ per Incarnationem, & in cruce (tamquam in thalamo amoris) consummatæ per pretiosissimi sanguinis ipsius effusionem. Descendens quippe de cælis quodammodò dereliquit Patrem, in cælis existentem; & in terris, Synagogam Matrem suam deseruit (juxta illud Hierem. 12. *reliqui domum meam, & dimisi hæreditatem meam*) & adhæsit Ecclesiæ Sponsæ suæ, ipsique adhærebit *omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, prout dicit Matth. ult. Similiter Ecclesia reliquit patrem, diabolum, & matrem, gentilitatem, ut Sponso suo Christo adhæreret.

Ab initio proinde Matrimonium Adami cum 4
Eva magnum fuit Sacramentum : quia significativum magnæ conjunctionis, & *Sacramenti Amoris*, scilicet Matrimonii Christi cum Ecclesia; quæ cùm vera sit Sponsa Christi, quisquis amat Christum, amare debet Ecclesiam, nec esse potest amator & venerator Christi, nisi sit & Eccle-

fiæ. Quæ causa est Augustino conc. 2. in Psal. 88. dicendi : *amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus; illum sicut Patrem, istam sicut Matrem. Matrimonium hoc magnâ charitate compaginatur. Nemo offendit unum, & promeretur alterum. Nemo dicat, etsi in parte Donati* (seu Lutheri vel Calvini) *sum, Deum tamen colo, & veneror. Quid prodest, si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum prædicas, Filium ejus agnoscis sedentem ad dexteram Patris, & blasphemas Ecclesiam ejus? Quid tibi prodest venerari Patrem, qui offensam vindicat Matrem?*

5 Cæterùm etsi matrimonium ab initio (largiore sensu dicto) fuerit Sacramentum, & Magister l. 4. dist. 26. dicat, quòd *Matrimonii Sacramentum ante peccatum legitur institutum à Domino, non ad remedium, sed ad officium* (quod absque cogente fundamento Vasquez de matrim. disp. 21. c. 1. & seqq. notat, tamquam fidei contrarium) hoc saltem certum est, quòd ante Christi adventum, gratiam ex opere operato non conferebat, uti confert in nova lege. In qua Christus ipsum elevavit ad dignitatem Evangelici Sacramenti. Quòd enim verè sit Sacramentum novæ legis, fide certum est; quia definitum est in Tridentino sess. 24. c. 1. & can. 1. his verbis : *siquis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum; sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

CAPUT II.

Matrimonium est verè & propriè novæ legis Sacramentum.

6 ILlud enim *inter novæ legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ Traditio semper docuerunt*, ait Tridentinum cap. 1. citato. Id denique (ut paulò antè dixit) *Paulus Apostolus innuit, dicens: viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam .... mox subjungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Hoc etiam Apostoli loco Florentinum utitur in Decreto Eugenii, his verbis : *septimum est Sacramentum Matrimonii, quòd est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, secundum Apostolum*, &c.

7 Et ideò locum istum Apostoli prorsus ineffi-cacem existimare non debent Catholici; cùm eo usi sint Patres Florentini ac Tridentini. Et meritò : quia licèt Apostolus ibi ex parte loquatur de matrimonio Protoparentum, imò etiam de matrimonio Gentilium, præcipuè tamen de matrimonio Christianorum, ut patet ex subjecto & fine scriptionis ipsius. Ibi namque fidelibus scribit, finisque scriptionis ipsius est hortari Ephesios conjugatos, ut se invicem diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Et ut ad id efficaciter hortetur, dicit, matrimonium ipsorum esse Sacramentum magnum, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Est autem duplex conjunctio Christi cum Ecclesia: una per naturæ conformitatem, quæ facta est per Incarnationem. Altera per gratiam & charitatem, quâ Christus ut Sponsus, Ecclesiæ ut Sponsæ suæ, arctissimo dilectionis nexu connectitur. Utramque hanc conjunctionem Christi cum Ecclesia repræsentat matrimonium Christianorum, ratione duplicis unionis, quæ in ipso reperitur. Quarum una est civilis & naturalis, orta ex contractu, per quam repræsentatur prior unio Christi cum Ecclesia; & ista repræsentatio reperitur etiam in matrimonio Gentilium. Altera, per quam posterior conjunctio significatur, est spiritualis, quæ oritur ex gratia Sacramenti, quæ cùm sit gratia dilectionis & charitatis conjugalis, de ea, utpote maximè faciente ad propositum ipsius, maximè loquitur Apostolus. Matrimonium proinde Christianorum & Sacramentum est repræsentativè, in quantum repræsentat duplicem illam conjunctionem Christi cum Ecclesia : & Sacramentum est verè & propriè, in quantum confert gratiam conjugalis istius dilectionis, quâ Christiani conjuges se invicem diligere debent, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Quam gratiam per matrimonium Christianorum conferri ampliùs significat & explicat 1. Timoth. 2. ubi innuit, per Matrimonii Sacramentum quatuor gratiæ dona conjugibus necessaria conferri. 1°. gratiam fidei, seu fidelitatis. 2°. gratiam dilectionis. 3°. gratiam sanctificationis, ut sciant vas suum possidere in sanctificatione & honore. 4°. gratiam sobrietatis, quâ libidinem & concupiscentiam reprimant, & ad debitum modum reducant. De Christiana quippe conjugata dicit, quòd *salvabitur per filiorum generationem, si permaneat in fide, dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate.* Quasi diceret, quòd in eo statu salva fiet, si permaneat in illis donis, quæ in matrimonii celebratione accepit.

Quod autem Tridentinum loco citato addit, 8 Concilia, Patres, & Traditionem semper annumerasse Matrimonium inter novæ legis Sacramenta, constat imprimis ex Concilio Florentino in Decreto unionis Armenorum, ubi septem novæ legis Sacramenta recensentur, & inter illa Matrimonium numeratur. Deinde Concilium Constantiense, in condemnatione Joannis Hus, ipsum cum sequacibus damnat, quòd septem Ecclesiæ Sacramenta fideliter non confiteatur.

Quod ad Patres attinet, Traditionemque, Am- 9 brosius l. 1. de Abraham c. 7. dicit, *eum, qui conjugii thorum polluit, Sacramenti cælestis amittere consortium.* Cyrillus noster Alexandrinus l. 2. Joann. c. 22. vocat nuptias sanctas, aitque Christum suâ institutione sanctificasse principium nativitatis nostræ, & in ipsis nuptiis præparasse gratiam hominibus nascituris. Idem habet S. Leo epist. 92. Augustinus l. de fid. & oper. c. 7. *in Ecclesia nuptiarum non solùm vinculum, verùm etiam Sacramentum, ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.* Et lib. de bono conjug. c. 18. *in nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* Et ibidem c. 7. matrimonii Christiani, præ matrimonio Gentilium, indissolubilitatem probat ex eo quòd illud, non istud, sit Sacramentum. Et cap. 24. sicut & lib. de nuptiis & concupisc. c. 10. eodem modo de Matrimonio loquitur, ac de Baptismo & Ordine, quoad Sacramenti rationem. Et tr. 9. in Joan. *Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugatis castitas firmaretur, & ostenderetur Sacramentum nuptiarum.*

Denique (pluribus omissis) Lucius III. cap. *ad* 10 *abolendam* extr. de hæreticis Matrimonium inter cætera Ecclesiæ Sacramenta recensct, anathema dicens iis *qui de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de Baptismo, seu de peccatorum confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & observat.*

His accedit perpetuus Ecclesiæ Orientalis cum 11 Occidentali quoad hoc consensus, ut constat ex Florentino, & censura Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani c. 7. Orientales namque, seu Græci, etsi ab annis 800. schismatici, tenent septenarium Sacramentorum numerum, sicut Latini. In quem numerum si non consensissent ante schisma, non consentirent nunc. Neque enim in hoc puncto ad Latinos accedere voluissent, nisi perpetua Ecclesiæ Græcæ, sicut & Latinæ tra-

ditio

ditio septenarium illum numerum docuisset.

12 Accedit & ratio: congruebat enim legi gratiæ, ut matrimonium elevaretur in Sacramentum, quo gratia conjugibus præstaretur ad mutuam inter se dilectionem, ad sanctum conjugii usum, ad piam filiorum educationem, ad rectam familiæ administrationem, & onera matrimonii constanter sustinenda.

13 Sed quandonam (inquies) Matrimonii Sacramentum Christus instituit? Res incerta est. Nonnulli putant, quando Joan. 2. in Cana Galilææ nuptias suâ præsentiâ honoravit. Tunc enim nuptias sanctificavit, iisque benedixit, ut Ephesini Patres affirmant. Alii censent id factum Matth. 19. quando Christus confirmavit primam matrimonii institutionem, majoremque ipsi quàm antè tribuit indissolubilitatem. Alii denique post resurrectionem, quando discipulis frequenter apparens, multa cum ipsis locutus est de regno Dei, deque pertinentibus ad Ecclesiæ regimen. Quo etiam tempore Pœnitentiæ Sacramentum instituit Joan. 20. Ex tribus hisce sententiis, secunda est probabilior. Tum quia ex verbis Christi Matth. 19. *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, Tridentinum colligit, Christum instituisse hoc Sacramentum. Tum quia major indissolubilitas, quam Christus tunc matrimonio tribuit (excluso libello repudii, Judæis antè concesso) provenit ex ratione Sacramenti, uti dicitur in cap. *gaudemus* de divortiis.

CAPUT III.

Eadem est materia & forma Sacramenti Matrimonii, quæ contractûs matrimonii. Verba proinde Sacerdotis: ego vos in matrimonium conjungo, *&c. non sunt forma substantialis Sacramenti Matrimonii.*

14 PRobatur, quia ipsummet matrimonii contractum Christus elevavit in Sacramentum. Neque ex Scriptura vel Traditione habemus, aliam esse materiam & formam ipsius in esse Sacramenti, quàm in esse contractûs. Hinc

15 Colligo 1°. quòd sicut contractûs, sic Sacramenti Matrimonii materia remota sunt personæ, seu corpora contrahentium: proxima, traditio eorum, seu verba vel signa, quibus ea traditio fit: forma denique, mutua acceptatio istius mutuæ traditionis, seu verba vel signa eam significantia.

16 Ad cujus intelligentiam, observandum quòd verba ista: *accipio te in meam, accipio te in meum*, duplicem significant consensum. Primò in mutuam corporum traditionem. Secundò in mutuam istius traditionis acceptationem. Quatenùs ergo significant consensum mutuum in traditionem, habent rationem materiæ proximæ. Quatenùs verò significant consensum mutuum in acceptationem, habent rationem formæ, juxta illud S. Thomæ in 4. dist. 26. q. 2. a. 1. ad 1. *verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.*

17 Scio Melchiorem Canum, Estium, Sylvium, aliosque Theologos non contemnendæ authoritatis aliter censere de forma hujus Sacramenti, & dicere, hujus Sacramenti formam non esse dicta verba conjugum, sed verba Sacerdotis: *ego vos in matrimonium conjungo*, &c. Verùm in contrarium faciunt argumenta sequentia: 1°. quia verba ista Sacerdotis non esse formam, ex S. Thoma proximè audivimus. Quod & S. Doctor repetit dist. 28. q. 1. a. 3. in corp. & ad 1. post Magistrum Sentent. ibidem §. *præmissæ autem*, ubi sic: *In hujus Sacramenti celebratione, sicut in aliis, quædam sunt pertinentia ad substantiam Sacramenti, ut consensus de præsenti (qui solus sufficit ad contrahendum matrimonium) quædam verò pertinent ad decorem & solemnitatem Sacramenti, ut..... Sacerdotis benedictio.* Magistro, & S. Thomæ concinunt S. Bonaventura, Scotus, & longè maxima Scholasticorum Veterum & Modernorum pars, ita ut opposita paucorum sit, nec satis fundata, ut videbitur.

2°. nulla forma verbalis est de substantia hujus Sacramenti, prout est de substantia aliorum Sacramentorum (aliàs Ecclesia certa aliqua verba præscripsisset, saltem pro tota Ecclesia Latina; sicut pro aliis præscripsit Sacramentis: hoc autem non fecit. Imò verba proferenda à Sacerdote reliquit dispositioni cujusque Provinciæ, ut proximè videbimus) ergo verba illa Sacerdotis: *ego vos in matrimonium conjungo*, &c. non sunt forma substantialis hujus Sacramenti, sicut verba Sacerdotis in aliis Sacramentis sunt eorum forma substantialis. Aliàs iisdem illis verbis, ex præscripto Ecclesiæ, Sacerdotes omnes uterentur, saltem in Ecclesia Latina; sicut iisdem verbis, ex præscripto Ecclesiæ, omnes Latini Sacerdotes utuntur pro forma aliorum Sacramentorum. Non iisdem autem verbis omnes Latini Sacerdotes, nec omnes Ecclesiæ Latinæ utuntur, prout ipsummet Tridentinum innuit sess. 24 c. 1. de reform. matrim. ibi: *Parochus.... vel dicat: ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ morem.* Testaturque Sotus in 4. dist. 26. q. 2. a. 2. argum. 4. in nonnullis Ecclesiis Parochos dicere: *ego vos sponso, & Sacramentum confirmo.* Alios alibi: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Alios aliter. 18

3°. S. Congregatio Concilii Tridentini die 2. Martii 1580. proposito sibi hac de re dubio, censuit illa verba, quæ juxta Tridentinum sess. 24. c. 1. de reform. matrim. Parochus, *viro & muliere interrogatis*, dicere jubetur (*ego vos conjungo* &c.) non pertinere ad substantiam matrimonii, *ideoque matrimonium valere, etiamsi verba prolata sint tantùm à contrahentibus, & non à Parocho, dummodo adsit præsentia Parochi, quam absque verbis sufficere putavit.* Ita refert, testaturque Illustrissimus Fagnanus ad caput *quod nobis* de clandest. desponsat. num. 54. Qui cùm fuerit vir integerrimus, per multosque annos sacræ Congregationis Concilii, aliarumque Secretarius, declarationem illam ut legitimam & authenticam non retulisset, nisi talem esse cognovisset. Non est proinde de numero earum, quas eadem Congregatio anno 1621. reprobavit, ut fictitias, & quibus fidem non habendam Urbanus VIII. anno 1631. 2. Augusti statuit. Nam etiam tunc Fagnanus Secretarius erat, & quibus fides habenda esset, apprimè noverat. Supradictam proinde declarationem vir integerrimus, & in istis versatissimus, non retulisset, si talem esse cognovisset. 19

4°. si verba illa Sacerdotis forent substantialis forma Sacramenti Matrimonii, nunquam sine illis, uti nec ante vel post illa, foret Matrimonii Sacramentum, ut à simili constat in forma substantiali cæterorum Sacramentorum, quæ nec sine forma eorum, nec ante vel post illam sunt, seu esse incipiunt. Atqui Sacramentum Matrimonii plerùmque est, seu esse incipit, dum verba illa non sunt, sive ante, aut post illa. 20

Imprimis quandocumque masculus & femina, baptizati, ablque ullo impedimento, coram Parocho, nihil dicente, & duobus testibus, cum debita intentione contrahunt per verba de præsenti. Neque enim dubium, quin istud matrimonium 21

sit non solùm licitum, sed & verum, ratum, & legitimum. Catholici autem semper docuerunt, matrimonium verum, legitimum & ratum Christianorum, cum debita intentione contractum, esse Sacramentum, adeò ut contrarium asserere, Fagnano ad cap. *quod nobis* de clandest. desponsat. n. 51. & Doctoribus communiter apud ipsum, esse videatur periculosum in fide. Saltem esse videtur contra decisionem Innocentii III. cap. *quanto* de divortiis, quâ declarat, quòd *etsi matrimonium verum inter infideles existat; non tamen est ratum. Inter fideles autem* (absque impedimento, cum debita intentione contrahentes) *verum & ratum existit*, non solùm in ratione contractûs (quomodò est inter infideles) sed & in ratione Sacramenti. Quare? quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, *& nunquam amittitur, ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, ipso durante, perduret.* Ecce matrimonium fidelium dicitur *ratum*, & magis indissolubile, quàm matrimonium infidelium, quia est Sacramentum. Enimverò cap. fin. 28. q. 1. matrimonium infidelium dicitur legitimum, sed non ratum & indissolubile, quia non est Sacramentum. Omne ergo fidelium matrimonium, cum debita intentione contractum, secundùm Canones est Sacramentum. Profectò ut tale sit, nec Scriptura amplius requirit, quàm quod dictum est, nec Traditio. Nec ad id necessaria esse verba Sacerdotis, ex Scriptura, vel Traditione, ullo modo ostendi potest, uti proximè videbitur.

22 Deinde dum matrimonium coram Parocho & testibus per verba de præsenti contrahitur, cum impedimento gravis metûs, sed occulto, tametsi Parochus taliter contrahentibus dicat: *ego vos conjungo*, certum est quòd matrimonium tunc (ob dictum impedimentum) nec ratum, nec legitimum efficitur, sive in ratione contractûs, sive in ratione Sacramenti. Si tamen posteà accedat consensus liber & spontaneus utriusque, etiamsi non repetantur solemnitates à Tridentino requisitæ quoad præsentiam Parochi, &c. matrimonium ex tunc convalescit, efficiturque validum, legitimum & ratum, uti S. Congregatio respondit, & Pius V. declaravit apud Fagnanum ad cap. *is qui fidem* de sponsalib. n. 14. ubi sic: *dubitavit Episcopus Hieracensis, si matrimonium contractum & consummatum fuerit per metum, servatâ in cæteris formâ Concilii Tridentini, & posteà conjugum mutuo consensu, & spontaneâ cohabitatione convaluerit, an bodie illud censeatur validum, non aliter servatâ formâ Tridentini Concilii?* Ad hoc dubium (ait Illustrissimus Fagnanus) *bonæ memoriæ Cardinalis Caraffa hæc annotavit* (utique in libris S. Congregationis, prout declarat ad cap. *cum inhibitio* de clandest. desponsat. n. 9.) *si impedimentum ex metu præsuppositio occultum sit, non esse opus iterùm contrahere repetitis solemnitatibus, aliàs ritè adhibitis in primo contractu. Si autem impedimentum esset manifestum, matrimonium de novo contrahendum esset, servatâ formâ Concilii Tridentini, juxta responsum S. Congregationis, aliàs datum ad dubium Cardinalis Portugallensis, ac secundùm declarationem Pii V. de qua testatur Navarrus in Summa c. 22. n. 70. vers. advertendum quarò.* Quod profectò S. Congregatio intellexit de matrimonio, etiam in ratione Sacramenti. Si enim non censuisset matrimonium illud, accedente spontaneo consensu, non repetitâ Parochi præsentiâ, effici validum in ratione Sacramenti, absolutè & indistinctè non respondisset in dicto casu, *non esse opus iterùm contrahere repetitis solemnitatibus*, &c.; sed cum distinctione dixisset, id non esse opus ad matrimonium convalidandum in ratione contractûs; secus in ratione Sacramenti. Cùm ergo indistinctè respon-

derit, non esse opus novâ præsentiâ Parochi; credibile profectò non est, Congregationem solùm voluisse docere, quid necessarium sit ad matrimonium convalidandum in ratione contractûs, non curando docere de necessariis ad illud convalidandum in ratione Sacramenti: cùm gratiâ illius destituti Christiani conjuges, magnis destituantur beneficiis cælestibus, gratiisque necessariis ad sanctum conjugii usum, ad castum amorem mutuum, ad prolium educationem, ad cætera onera matrimonii sanctè portanda. Perspicuum ergo videtur ex illo responso S. Congregationis, & declaratione Pii V. præsentiam Parochi in dicto casu non esse repetendam ad efficiendum matrimonium validum in ratione Sacramenti. Atqui ad hoc necessaria foret, si verba supradicta Parochi: *ego vos conjungo*, &c. essent forma substantialis hujus Sacramenti. Cùm Sacramentum hoc effici nequeat validum, dum præsens non est forma substantialis ipsius, sed vel antè fuit, vel postmodùm erit.

Præterea quotiescumque in S. Pœnitentiaria committitur dispensatio super matrimonio, inito 23
cum impedimento affinitatis occulto ex fornicatione, in commissione ponitur hæc clausula, ut Commissarius cum taliter conjugatis, *de nullitate prioris consensûs certioratis* (ita cautè, ut si compars *adhuc ignoraverit, latoris delictum nusquam detegatur*) dispenset, *ut matrimonium secretò inter se contrahere valeant.* Non adhibito proinde de novo Parocho, &c. Credibile est, similes commissiones sacræ Pœnitentiariæ solùm valere ad matrimonium valide ineundum in ratione contractûs, non in ratione Sacramenti: atque adeò S. Pœnitentiariam solùm sollicitam esse de procurando valore, non de procuranda sanctitate matrimonii eorum, qui ad ipsam pro dispensatione recurrunt?

Præterea, dum matrimonium coram Parocho 24
& testibus contractum est per verba de præsenti, sed sub conditione de futuro, matrimonium solùm incipit valere, dum posteà conditio purificatur; nec tamen tunc opus est iteratâ præsentiâ Parochi, nec repetitione verborum ipsius: *ego vos conjungo*, &c. Imo ne quidem opus est repetito contrahentium consensu, ut communis est sententia Canonistarum, quam *servat* Romana *Curia, etiam post Concilium Tridentinum* (inquit Fagnanus ad cap. *super eo* de condition. appos. in desponsat.) *& ideò ab illa, consulendo & judicando, non est ullatenùs recedendum. Nam* (inquit) *in S. Congregatione Concilii aliàs fuit propositum infrascriptum dubium. Cùm quidam contraxissent coram Parocho & testibus, per verba de præsenti, sub conditione licita, quæ posteà fuit purificata, si reputantes se pro legitimis conjugibus, sine alia solemnitate, matrimonium consummaverint: an validum sit ipsum matrimonium, vel conjuges cogendi sint, ut denuò* (quia purificata est conditio) *coram Parocho legitimè contrahant? In Congregatione Generali, cui interfuerunt S. R. E. Cardinales Moronus, Perusinus, Aliatus, Senonensis, Montaltus, S. Sixti, & Caraffa, solus Aliatus tenuit cum communi Canonistarum, quòd, conditione purificatâ, non sit opus aliâ iteratione contractûs matrimonii coram Parocho. Reliqui omnes tenuerunt* opus esse contrahere coram Parocho. Et ita respondendum: *non quia contra dictam communem Canonistarum prævaleat opinio Theologorum.... Sed quia Concilium videtur intelligere de matrimonio perfecto purè per verba de præsenti, ibi: ego vos conjungo* (nota verba ista: ex iis namque perspicuum est, in ea Congregatione actum de matrimonio in ratione Sacramenti; cùm certum sit de eo agere Tridentinum, cùm dici vult à Parocho: ego vos conjungo).... *ita-*

men dictum fuit agendum cum Sanctiſſimo.... Sanctiſſimus (nempè Pius V.) probavit ſententiam Canoniſtarum, quòd (purificatâ conditione, per conſenſum patris) matrimonium ſit perfectum, nec opus eſt aliâ iteratione contractûs coram Parocho, ſicque prævalere. & in decidendo attendendam eſſe opinionem Canoniſtarum. Concilium autem Tridentinum nihil ad hanc rem facere, ſeu non eſſe contrarium. Idem ſenſit altera Congregatio ſub Clemente VIII. idipſum approbante, ut videre eſt apud Fagnanum loco citato.

25 Ecce Sanctiſſ. D. Pius V. apertè pro aſſertione noſtra. Quia hoc ipſo virtualiter declaravit, verba illa Parochi (*ego vos conjungo*, &c.) non eſſe formam ſubſtantialem Sacramenti Matrimonii, quo declaravit, ſecundùm opinionem Canoniſtarum (in dicto caſu) Matrimonii Sacramentum, purificatâ conditione, eſſe perfectum, abſque nova præſentia Parochi. Quod eſſe non poſſet, ſi verba illa Parochi eſſent forma ſubſtantialis hujus Sacramenti. Cùm enim verba illa ſint de præſenti, præſentialiter proferenda ſunt, dum Matrimonii Sacramentum perficitur, ſi ſint forma ſubſtantialis ipſius; ſicut forma verbalis & ſubſtantialis reliquorum Sacramentorum præſentialiter proferri debet, dum ipſa perficiuntur.

26 Denique (ut arguit Fagnanus ad cap. *quod nobis* de clandeſt. deſponſ. n. 5.) " certùm eſt, ante Concilium Tridentinum, matrimonium clandeſtinum fuiſſe verum & ratum matrimonium, " & conſequenter Sacramentum. Doctores in cap. " *ex publico* de converſ. conjug. cap. *gaudemus*, " & cap. *quanto* de divortiis, adeò ut contrarium " aſſerere, ſit (inquit) periculoſum in fide.... Nam " cùm Eccleſia Catholica ſemper docuerit, verum " fidelium matrimonium eſſe Sacramentum, cap. " *ad abolendam* de hæret. ſitque definitum, ma- " trimonium clandeſtinum fuiſſe verum & ratum " matrimonium. Tridentinum ſeſſ. 24. c. 1. de " reform. matrim. Sequitur, ut definitum iti- " dem ſit, matrimonium clandeſtinum eſſe Sa- " cramentum." Ita ille. Enimverò, juxta laudatos Canones, ſolum illud matrimonium dicitur ratum, quod eſt Sacramentum. Et ſi nec matrimonia clandeſtina (antequam ea irrita faceret Eccleſia) nec matrimonia, de quibus n. 21. 22. 23. 24. fuiſſent Sacramenta, ſed contractus merè civiles; ad ſorum Eccleſiaſticum privativè non ſpectaſſent: utpote ad quod privativè non ſpectant contractus purè civiles: & ad quod matrimonium non ſpectabat, priuſquàm eſſet Sacramentum. Siquidem cauſa matrimonialis, ratione Sacramenti, pertinet ad Eccleſiaſticam, non ad Laicam Poteſtatem, uti docet S. Thomas in 4. diſt. 42. a. 1. ad 4. junctò argumento contrario, eſtque receptiſſima Theologorum & Canoniſtarum ſententia. Dicta verò matrimonia ad forum Eccleſiaſticum non pertinere, nec pertinuiſſe, nullus eſt qui audeat aſſerere.

CAPUT IV.

Parochus, vel Sacerdos de ejus licentia matrimonio aſſiſtens, non eſt Miniſter eſſentialis Sacramenti Matrimonii, ſed ipſi contrahentes.

27 Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe Sacerdotem, innuere viſus eſt Guilielmus Pariſienſis lib. de Sacram. tr. de Matrim. c. 9. Sed vel nullos, vel pauciſſimos ſectatores habuit uſque ad Melchiorem Canum, qui lib. 8. de locis Theol. c. 5. in ſolut. ad 3. hanc opinionem tuetur, pro ea perperàm referens Petrum Paludanum in 4. diſt. 5. q. 2. cum ibidem clarè tradat oppoſitum, his verbis: *eſſentia matrimonii conſiſtit in mutuo conſenſu per verba unius alteri expreſſo. Hic benedicens, qui ſolum Sacramentale quoddam adhibet.* Canum tamen ſecuti ſunt Simon Vigor, Doctor Sorbonicus, Eſtius, Sylvius, Scribonius, & nonnulli hodie Sorbonici & Lovanienſes, in eo tamen ſuos non ſecuti Majores, ut videre eſt in Heſſelio Catech. lib. 5. cap. 102. de cauſa efficiente matrimonii, ubi dicit conſenſum utriuſque partis per verba de præſenti ſufficere *ad eſſentiam conjugii*. Et infrà: *patet ſufficere conſenſum conjugum quoad eſſentiam Sacramenti ſecundùm leges*, ut Nicolaus Pontifex ait, id eſt ſecundùm legem *naturæ & divinam*. Idem videri poteſt in Molano, Wiggers, &c.

In eo etiam dicti Authores receſſiſſe videntur 28
à Magiſtro Sententiarum, S. Thoma, Scoto, & maxima parte Veterum & Modernorum. Apertè enim fallitur Bannez (ut Cabaſſutius oſtendit in Jur. Can. Theor. & Prax. lib. 3. c. 18. n. 2.) dum 1. p. q. 1. a. 8. dub. ult. in reſponſ. ad 3. ait, Magiſtrum, D. Thomam, & Scotum dubitaſſe de hac quæſtione. Itaque cum Doctoribus penè omnibus (ut videre eſt apud Vaſquez de Matrim. diſp. 3. dub. 3. & ſeqq.) aſſerimus, Sacerdotem non eſſe miniſtrum eſſentialem Sacramenti Matrimonii, ſed ipſoſmet contrahentes. Et

Probatur 1°. ex Tridentino ſeſſ. 24. c. 1. de re- 29
form. matrim. ubi non præcipit abſolutè Parochis, ut verbis illis utantur, dum matrimonio aſſiſtunt: *ego vos conjungo*, &c.; ſed vel illis, vel aliis, pro ritu cujuſque Provinciæ. Abſolutè verò præcepiſſet illis uti, ſi verba illa ſubſtantialem Sacramenti formam continere putaſſet. Etſi enim in ritibus accidentalibus Sacramentorum ſuus cuique Eccleſiæ ritus permittatur; non tamen in ritibus eſſentialibus, ac præſertim in forma ſubſtantiali: ut patet ex eo quòd Concilium Florentinum eamdem materiam & formam Sacramentorum omnibus Nationibus, ſaltem pro Eccleſia Latina, præſcripſerit. Quòdque de mente Patrum Tridentinorum verba illa Parochi non ſint de eſſentia Sacramenti Matrimonii, ampliùs colligitur ex eo quòd circa quæſtionem: *num quodcumque inter Chriſtianos conjugium eſſet Sacramentum? omnes ferè* in Tridentino *ſentiebant quòd ſic*. Pauci enim cum Simone Vigor id cenſebant de eo ſolo quod Sacerdotis benedictio ſuſcipiti, teſte Pallavicino lib. 20. Hiſtor. Conc. Trid. c. 4. num. 1.

2°. Si Sacerdos foret miniſter eſſentialis hu- 30
jus Sacramenti, neceſſariò deberet eſſe præſens, dum hoc Sacramentum de invalido & nullo (*v. g.* ob occultum metûs impedimentum) fit validum. Atqui dum matrimonium coram Parocho & teſtibus eſt invalidè celebratum, ob occultum metûs impedimentum, Parochus non debet neceſſariò eſſe præſens (nec per ſe, nec per alium à ſe commiſſum) dum hoc Sacramentum de invalido fit validum, uti Pius V. & Clemens VIII. ſacraque Congregatio Concilii declararunt ſuprà n. 24.

3°. dum Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum, 31
nullum novum ritum inſtituit, quoad materiam, formam & miniſtrum matrimonii; ſed legitimum matrimonii contractum, qui jam erat in uſu, ſecundùm quod erat in uſu, voluit in baptizatis eſſe Sacramentum. Solùm proinde aliquid ſpeciale requiſivit ex parte ſubjecti, ſeu contrahentium, ut ſcilicet forent baptizati; intentionemque haberent in omnibus Sacramentis requiſitam, utique faciendi quod ipſe inſtituit. Ampliùs enim voluiſſe, dum hoc Sacramentum inſtituit, neque ex Scriptura probari poteſt, neque ex Traditione, ſive ex Patribus & Conciliis.

4°. cauſa efficiens reliquorum Sacramento- 32
rum eſt eorum miniſter. Igitur & cauſa efficiens Sacramenti Matrimonii eſt illius miniſter. Sed *cauſa efficiens* Sacramenti *Matrimonii eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti regulariter expreſſ.*

sus, seu ipsimet contrahentes, per illum consensum. Florentinum in Instructione Armenorum. Quòd enim Florentinum ibi loquatur de Matrimonio, ut Sacramentum est, non ut contractus est præcisè, conficitur ex eo quòd in ea Instructione Patres Florentini *Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem, pro faciliori Armenorum doctrina, sub brevissima redegerunt formula*, ut ibidem dicitur. Incredibile proinde est quòd cùm Florentinum ibi singulorum Sacramentorum veritatem ipsis compendiosè explicandam proposuerit, reliquorumque Sacramentorum ministrum expresserit, hujus solius Sacramenti ministrum inexplicatum reliquerit. Per consequens, incredibile est quòd, postquam susceperit declarare ministrum, seu causam efficientem hujus Sacramenti, sui deinde propositi immemor, solius contractûs, non Sacramenti Matrimonii causam efficientem intellexerit, cùm ait: *causa efficiens Matrimonii est mutuus consensus*, &c. Maximè cùm id à se intelligi de Matrimonio, ut Sacramentum est, contextus satis designet. Immediatè enim præcedit: *septimum Sacramentum est Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia.* Post quæ verba immediatè sequitur: *causa autem efficiens Matrimonii.* Non dixit causa efficiens *hujus Sacramenti*, prout in aliis Sacramentis dixit, *causa efficiens hujus Sacramenti.* Nec ly *hujus* Sacramenti hîc referretur ad conjunctionem Christi cum Ecclesia, de qua mentio immediatè præcedebat. Denique nullum alium ministrum hujus Sacramenti designavit, nisi contrahentes. Ipsos ergo designavit ministros, & nullum alium. Non proinde Sacerdotem: quem si censuisset hujus Sacramenti ministrum, id utique declarasset; cùm hujus Sacramenti veritatem, Romanæque Ecclesiæ de eo doctrinam declarandam susceperit: ne ignorato ministro, contingeret Armenos necessarium ministrum non adhibere, Matrimoniique proinde Sacramento carere.

33 5°. minister essentialis hujus Sacramenti ille est, qui profert formam substantialem ipsius. Sed eam proferunt contrahentes, non Parochus, seu Sacerdos, ut probatum est capite præcedenti. Igitur Parochus non est minister hujus Sacramenti, sed contrahentes. Nec oppositum sufficienter probant Adversarii, vel probare possunt, ut proximè ostendemus.

CAPUT V.

Satisfit argumentis quæ objiciuntur contrà doctrinam Capitis tertii & quarti.

34 OBjicium ipsi 1°. Matrimonium non esse Sacramentum, absque Sacerdotis ministerio, ex sacris Canonibus & Traditione probatur. Siquidem Evaristus Papa (relatus 30. q. 5. c. 1.) *legitimum* (inquit) *non est conjugium, nisi ab his, qui super fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus sponsetur, & legibus dotetur, & sub tempore sacerdotaliter (ut mos est) benedicatur, & à Paranymphis custodiatur, & solemniter accipiatur.* Item: *ita peracta legitima scitote esse connubia. Aliter verò præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel fornicationes sunt: nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima.* Tertullianus lib. 1. ad uxorem c. 9. *unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rata habet?* Concilium Carthag. IV. c. 13. *sponsus & sponsa, cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis, vel à Paranymphis offerantur: qui cùm acceperint benedictionem, eâdem nocte, pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* Refertur 30. q. 5. c. 5. Hormisdas Papa (ut refertur ibidem c. 2.) *nullus fidelis, cujuscumque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione acceptâ à Sacerdote, publicè nubat in Domino.* Siricius epist. 1. ad Himerium Tarracon. Episc. c. 4. *illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur.* Innocentius III. epist. 2. ad Victricium Rothomag. Episc. *in Paradiso, cùm Parentes humani generis conjungerentur, ab ipso Domino sunt benedicti.... Quam formam etiam Sacerdotes omnes servare, usui ipse demonstrat Ecclesiæ.... formam tenuisse legis, à Domino antiquitùs institutæ, docetur.*

Respondeo 1°. negando antecedens. Ad cujus probationem authoritates allegatæ nihil faciunt ad rem. Cùm nullus in Jure locus reperiatur, ubi conjunctio conjugum per hæc verba Sacerdotis, *ego vos conjungo*, &c. vocetur *nuptiarum benedictio.* De illa ergo conjunctione sermo non est in objectis authoritatibus, sed de benedictione solemni, quæ fit cum precibus & oblationibus (quam Adversarii fatentur Sacramento essentialem non esse, dum prætendunt, sola illa verba Sacerdotis, *ego vos conjungo*, &c. essentialia esse) dicit namque Evaristus: *cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur.* Et Tertullianus: *quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, obsignat benedictio.* Quòdque de ea etiam agat Concilium Cartag. IV. argumento est, quòd loquatur de benedictione, ad quam sponsi à Paranymphis deducuntur, quæ solemnitas denotat ibi sermonem esse de benedictione solemni. Enimverò sola solemnis benedictio in Jure solet intelligi, dum simpliciter agitur de benedictione nuptiarum, ut patet ex cap. *Capellanum*, & cap. *vir autem* de secundis nuptiis, in quorum priore Alexander III. & in posteriore Urbanus III. statuunt, secundas nuptias non esse benedicendas, nuptiarumque benedictionem iterandam non esse; imò puniendum Sacerdotem qui iteraverit. Certum est autem non esse prohibitum Sacerdoti in secundis nuptiis dicere: *ego vos conjungo*, &c. Idem constat ex Tridentino, & Rituali Romano. Siquidem Tridentinum sess. 24. c. 1. de reform. matrim. postquam statuit, Parochum, accepto utriusque partis consensu, dicere debere: *ego vos in matrimonium conjungo*, &c. hortatur *conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitque, benedictionem à proprio Parocho fieri*, eamque à conjunctione (per illa verba: *ego vos conjungo*, &c.) apertè distinguit, dum suspendit Sacerdotem, qui *alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit.* Rituale verò Romanum tit. de matrim. benedictionem à conjunctione perpetuò distinguit: *moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam*, &c. *Caveat etiam Parochus, ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat.... Matrimonium.... si domi celebratum fuerit, præsente Parocho & testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam, benedictionem accepturi*, &c.

35

Respondeo 2°. specialiter ad Evaristum, 36
matrimonia facta sine solemnitatibus, quas ibi enumerat, esse coram Deo legitima, etiam ratione Sacramenti; sed non sic ut habeant omnem decorem & honestatem debitam. Ita respondet Magister loco citato. Et verò si omnia, quæ ibi enumerantur, forent de essentia matrimonii, sequeretur, matrimonium contractum, non petitâ venia parentum, aut tutorum, aut fine dote, &c. coram Deo esse illegitimum & nullum. Quod est contra fidem. Nec solùm illegitima & nulla so-

rent in ratione Sacramenti, sed & in ratione contractûs : dicit enim matrimonia *aliter præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel fornicationes esse.* Quod ne ipsi quidem objicientes admittunt. Sequeretur denique, talia esse matrimonia inita sine benedictione solemni, cum precibus & oblationibus (quod etiam ipsi non admittunt) utpote de qua loquitur ibidem, ut suprà vidimus. Nihil ergo habet Evaristus, quod ipsis vel in speciem faveat. Imò solutionem omnium antè dictorum præferunt ultima Evaristi verba, quibus declarat non esse conjugia, *nisi voluntas propria* conjugum *suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima.* Istis ergo solis effici censet conjugia.

37 Respondeo 3°. Concilium Cartaginense non loqui de benedictione, quæ sit essentialis Sacramento; cùm loquatur de benedictione, quæ non omnibus adhibetur matrimoniis. Neque enim diceret: *sponsi, cùm benedicendi sunt,* si omnes benedicendi essent. Loquitur ergo de benedictione, quæ non sit, efficiat Sacramentum, sed solùm sit sacramentale quoddam, ut ait S. Thomas suprà n. 16. Ob cujus nihilominùs reverentiam jubet ab usu conjugii eâ nocte abstinere. Sicut ob reverentiam diei Festi vel Dominici, olim lege vel consuetudine jubebatur, ab eodem usu illo die abstinere; sicut & eo die quo Martyrum cryptas quis visitasset, ut ex Patribus & Historiis ostendi potest.

38 Respondeo 4°. quòd licèt benedictio nuptialis non sit Sacramentum, sed sacramentale dumtaxat; ipsius tamen violatio apud fideles meritò habetur instar sacrilegii, ut Siricius Papa dicit. Tum quia non Sacramentorum dumtaxat, sed & sacramentalium violatio sacrilegium est. Tum quia licèt non sit Sacramentum, accessorium tamen est Sacramenti. Accessorium autem sequitur suum principale: & ideò Matrimonii Sacramentum violare censetur, qui violat accessorium ipsius.

39 Instabis: imò benedictio illa Sacramentum est. Sic enim benedictionem nubentium vocat Alexander III. cap. *cùm in Ecclesiæ* 9. de simonia: *horribile nimis est, quòd.... pro sepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur.... Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro.... sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis, aliquid exigatur, districtiùs inhibemus.*

Respondeo, neque hanc instantiam ad rem adversariorum facere: quia Alexander III. benedictionem nuptiarum ibi non vocat Sacramentum, quasi sit ipsummet Matrimonii Sacramentum: cùm sit benedictio solemnis, à conjunctione matrimoniali distincta, nec fiat dicendo, *ego vos in matrimonium conjungo,* &c.; sed cum precibus & oblationibus, ut constat ex dictis n. 35.

40 Vel ipsis proindè objicientibus explicare incumbit, quo sensu benedictionem nuptialem Alexander III. ibi vocet *Sacramentum.* In proprio certè & stricto sensu id intelligere nequeunt de benedictionibus nubentium, magis quàm de sepulturis & exequiis mortuorum, quæ ibi pariter enumerantur. Nisi fortasse octavum comminisci velint Sacramentum propriè & strictè dictum, à Sacramento Matrimonii distinctum, uti voluit Glossa ibi verbo *benedictionibus nubentium*, & quidem Sacramentum initerabile, ut ait ad cap. *fuam* eod. tit. In quo profectò Glossa illa erravit. Et tantò magis erravit, quòd priori loco dixit, per benedictionem nuptiarum gratiam conferri, non per Matrimonii Sacramentum. Quod postremum censuit etiam Cardinalis de Vitriaco c. 36. Sicut & Robertus Cardinalis Pullus, & Petrus Pictavienſis, per Matrimonii utique Sacramentum gratiam non conferri. Sed hoc damnatum est in Tridentino sess. 24. can. 1. Vel ipsi ergo objicientes fateri debent, Sacramentum ibi latè accipi pro Sacramentali, vel pro sacro ministerio, quatenùs scilicet benedictio nuptiarum est cæremonia sacra, repræsentans benedictionem, quâ *in Paradiso, cùm parentes humani generis conjungerentur,* ab ipso Domino sunt benedicti, prout Innocentius III. ait suprà n. 34. in fine. Hæc quippe intelligentia sufficit ad intentum Alexandri III. quia eo ipso quo benedictio nubentium est cæremonia sacra, vel Sacramentale quoddam, sive sit Sacramentum propriè & strictè, sive non, pro ea aliquid exigere simonia est.

Objiciunt 2°. Ambrosius epist. 70. dicit, quòd 41
ipsum conjugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat. Igitur ante sacerdotalem benedictionem non est sanctum. Nec proinde Sacramentum.

Respondeo negando consequentiam. Quæ est enim ista consecutio: oportet conjugium sacerdotali benedictione sanctificari (ex Ecclesiæ præscripto, vel legitima consuetudine) igitur alioqui sanctum non est? nonne scriptum est: qui sanctus est, sanctificetur adhuc? quidni ergo conjugium, sanctum ex institutione Christi, adhuc sanctificari possit per benedictionem Ecclesiæ, si ipsa, lege vel laudabili consuetudine, id præscribat? Quàm inermes esse oportet objicientes, dum objiciunt argumenta tam levis armaturæ? Oporteat tamen conjugium, jam sanctum in ratione Sacramenti, seu potiùs conjuges eo sanctificatos, adhuc sanctificari, ex Ecclesiæ præscripto, sacerdotali benedictione: quis objicientibus revelavit oportere hoc fieri per illa verba, *ego vos conjungo,* &c.? Rogo adversæ opinionis sequaces, ut, attentis dictis & dicendis, videant, quàm parùm solida sint, quæ objiciunt. Oporteret certè validiùs armatam esse paucitatem, quæ contra tantam numerositatem præcipuorum Scholasticorum, imò Scholæ Principum decertat. Tandem aliquando discant, inermes se esse in antiquitate, seu Veterum traditione. Quamdiù enim non probant, Veteres, de sacerdotali benedictione loquentes, de ea conjunctione loqui, quâ Sacerdos dicit: *ego vos conjungo,* &c. aërem verberant. Atqui Ambrosium de ea conjunctione loqui, haud magis verisimile est, quàm Nicolaum I. ad Consulta Bulgarorum c. 3. de ea loqui, dum referens Latinorum conjugiorum morem: *nostrates* (inquit)... *quando nuptialia fœdera contrahunt... post sponsalia, quæ futurarum nuptiarum sunt promissio, fœdera quoque, consensu eorum, qui hæc contrahunt,... celebrantur* (ecce matrimonium per verba de præsenti) .... *post hæc ambo ad nuptialia fœdera* consummanda *perducuntur. Et primùm quidem in Ecclesia Domini, cum oblationibus, quas offerre debent Deo, per Sacerdotis manum statuuntur; sicque demùm* BENEDICTIONEM ET VELAMEN CÆLESTE SUSCIPIUNT. Ecce Pontifex, iisdem utens (quibus Ambrosius) verbis, non loquitur de sacerdotali conjunctione per hæc verba, *ego vos conjungo,* &c. sed de benedictione solemni, *cum oblationibus,* conjugium per verba de præsenti jam completum subsequente, quæque non datur in omni conjugio. Subdit enim: *verùmtamen velamen illud non suscipit, qui ad secundas nuptias migrat.*

Objiciunt 3°. Martinus V. in fine Concilii 42
Constantiensis, jubet suspectos de hæresi interrogari: *an credant, quòd Christianus, contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter?* Ergo solemnizationem Matrimonii (cujus solemnizationis Parochus est Minister) perinde Sacramentum vocat, quàm Confirmationem, vel Extremam Unctionem.

Respondeo 1°. neque hoc facere ad rem. Neque enim per Matrimonii solemnizationem Martinus intelligit sacerdotalem conjunctionem per hæc ver-

ba, *ego vos conjungo*, &c. Istum namque intellectum quis objicientibus revelavit? Et unde eum ipsi probant? Nos potiori jure (quia secundùm regulam Juris, *inspicimus in obscuris*, &c.) intelligimus solemnem matrimonii benedictionem; eò quòd hæc in Jure utplurimùm intelligi soleat per matrimonii solemnizationem, seu benedictionem, ut ex præmissis constat. Et hinc

43 Respondeo 2°. dum Martinus V. matrimonii solemnizationem vocat Sacramentum, abstractum accipere pro concreto, id est matrimonii solemnizationem pro matrimonio solemni. Et per matrimonium solemne intelligere matrimonium solemniter benedictum (ut antè) vel matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum. Cujus ministri sunt ipsi contrahentes, non Parochus, qui solùm est minister solemnitatis, seu benedictionis solemnis. Quæ licèt non sit de substantia Sacramenti Matrimonii, peccat tamen mortaliter qui eam contemnit. Quia cùm ab Ecclesia adhibeatur in honorem & reverentiam Sacramenti Matrimonii, quisquis eam contemnit, ipsum Matrimonii Sacramentum contemnere censetur.

44 Objiciunt 4°. Concilium Florentinum, in Decreto Eugenii, docet Sacramenta tribus perfici, rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & intentione ministri. At Matrimonii Sacramentum sine verbis perfici posset, si contrahentes forent illius ministri; utpote nutibus aliquando, vel per litteras consensum exprimentes. Posset etiam perfici sine intentione ministri. Cùm conjuges de intentione conficiendi Sacramentum sæpè non cogitent; nec de eo ab Ecclesia moneantur.

Respondeo nec istud argumentum ullius esse momenti, cùm Matrimonii Sacramentum in contractu fundetur; contractus autem non semper verbis perficiatur, ut distinguuntur à nutibus; vel aliis signis; sed nutibus & signis aliquando perficiatur. Quod cùm sit, nutus, & alia ejusmodi signa, licèt formaliter non sint verba, sunt virtualiter & æquivalenter, in quantum signa sunt internam exprimentia voluntatem, perinde ac verba. Propter quod Florentinum, agens in specie de Sacramento Matrimonii, dicit, quòd causa efficiens illius est *mutuus consensus per verba de præsenti regulariter expressus*, per quod satis innuit verba non esse necessaria universim & semper, sed *regulariter*, quando sic fieri potest.

45 Quoad intentionem, licèt conjuges plerùmque non habeant explicitam intentionem faciendi Sacramentum, dum contrahunt matrimonium, pii tamen fideles illam habent implicitè, dum volunt contrahere matrimonium sicut Christianos decet, & sicut vult Christus, quem sciunt elevasse matrimonium ad dignitatem Sacramenti. Nec opus est quòd aliter instruantur; cùm sufficiat generalis instructio, ut velint conjungi, eo modo quo Christus vult conjungi Christianos, nec necesse sit ipsos monere de præsenti controversia.

46 Objiciunt 5°. Tridentinum sess. 24. c. 1. de reform. matrim. vult ut Parochus, tamquam Dei minister, contrahentibus dicat: *ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris*, &c. Igitur per hæc verba Parochus eos verè in matrimonium conjungit, & non solùm conjunctos declarat. Aliàs dicere potiùs deberet: *ego vos declaro in matrimonium conjunctos*, &c.

Respondeo 1°. plura & solidiora pro assertione nostra ex Tridentino argumenta depromi, quàm contra illam. Primò namque Tridentinum, in eo tantùm ponit differentiam matrimonii novæ ac veteris legis, quòd illud *per Christum gratiâ præstet*. Non omisisset, quòd etiam ministro præstet, si ita censuisset. 2°. *clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia* pronuntiat, *quamdiù Ecclesia ea irrita non fecit*. Illa ergo non solùm censuit vera in ratione contractûs, sed & rata in ratione Sacramenti. Unde dum addit, quòd ea nihilominùs Ecclesia semper detestata est, atque prohibuit, causam hujus non enarrat, quòd Sacramenti minister iis deesset, ideòque Sacramentum non esse censeret (semper enim detestata est, & prohibuit Baptismum, Confirmationem, & alia Sacramenta conferri ab excommunicato, tametsi ea equidem vera Sacramenta esse crederet) sed plane alias hujus causas recenset, peritas ex magnis inconvenientibus, quæ proveniebant ex eo quòd tale matrimonium in facie Ecclesiæ probari non posset. Pro quorum efficaci remedio contrahentes reddidit inhabiles ad matrimonium contrahendum aliter quàm in facie Ecclesiæ, *præsente* utique *Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus*. 3°. ut insinuaret, se per hoc non requirere Parochum, tamquam ministrum Sacramenti Matrimonii, non dixit: *qui aliter quàm præsente, & loquente Parocho*, seu verba illa proferente: *ego vos conjungo*, &c. sed solùm *qui aliter quàm præsente Parocho* .... eos *S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit*. Ideòque Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, declaravit, de mente Concilii, non pertinere ad substantiam matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat, uti n. 19. vidimus, ubi & declarationem illam legitimam, non spuriam esse ostendimus. 4°. verba illa Parochi non esse formam substantialem Sacramenti Matrimonii, aliâ insuper declaratione Pii V. & Clementis VIII. aliisque argumentis solidè probavimus cap. 3. 5°. verba illa non proferri à Parocho, tamquam conficiente matrimonium, seu Matrimonii Sacramentum, constat ex eo quòd Tridentinum ad illa proferenda Parochum absolutè non adstringat, sed vel ad illa, vel ad alia, *juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum*. In nonnullis verò Provinciis, ut in Diœcesi Constantiensi, non illa, sed ista habentur in Rituali: *matrimonium per vos contractum, secundùm ordinem S. Matris Ecclesiæ, ego, authoritate quâ hac in parte fungor, ratifico, confirmo & benedico in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.* Et ideò.

Respondeo 2°. manifestum esse ex ritu illo 47
nonnullarum Provinciarum, aliisque argumentis à nobis deductis, Parochum non conjungere contrahentes, nisi sensu illo quem exprimit ritus Constantiensis, à Tridentino approbatus; eumque proinde esse sensum verborum illorum, *ego vos conjungo*, &c. Nisi malis ea sic explicare: *ego vos conjungo in facie Ecclesiæ*, sive *meâ præsentiâ & authoritate officio vos conjunctos conjunctione legitimâ, non solùm in foro interno, sive Dei; sed & in foro externo, sive Ecclesiæ.*

At (inquit Sylvius) ista non est conjunctio 48
propriè dicta; sed conjunctionis declaratio.

Respondeo, esse conjunctionem propriè dictam quatenùs *coram Ecclesia*, pro quanto propriè efficit, ut contrahentes in foro Ecclesiæ habeantur verè & propriè conjuncti; tametsi ista conjunctio *coram Ecclesia*, supponat conjunctionem *coram Deo*, per mutuum contrahentium consensum. Quod etiam verum est in sententia Sylvii, in qua Sacerdos propriè non conjungit, sed conjunctos supponit. Propriè enim conjungere, est vinculum novum imponere. Quod coram Deo non imponit Sacerdos, ne quidem vinculum perpetuitatis indissolubilitatisque matrimonii. Utpote quod (teste Tridentino) non defuit matrimonio Protoparentum nostrorum; nec minùs perpetuum indissolubileque foret matrimonium fidelium, si

loco

loco verborum illorum : *ego vos conjungo*, &c. Sacerdos diceret : conjunctionem vestram *ratifico & confirmo*, juxta ritum Constantiensem; vel (juxta ritum nonnullarum aliarum Provinciarum apud Sotum) diceret : *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Frustrà proinde Sylvius prætendit, quærendam omnimodam proprietatem in significatione sacerdotalium verborum : *ego vos conjungo.* Cùm alia significatio quærenda non sit, nisi quam Ecclesia per verba illa intendit. Est autem manifestum ex dictis, Ecclesiam non intendere aliam ab ea quam expressimus, quamque communis Doctorum penè omnium sensus intelligit.

49 Instat quidem Sylvius : Sacerdos in omni proprietate absolvit : ergo in omni proprietate conjungit.

Sed instantia solida non est : quòd enim Sacerdos verè & propriè absolvat in foro Dei, & non solùm absolutionem declaret, vel confirmet, scimus ex Ecclesiæ definitione : ex qua etiam habemus 1°. verba illa, *absolvo te*, esse formam essentialem Sacramenti Pœnitentiæ. 2°. non supponere anteriorem absolutionem. 3°. proferri judicialiter à Sacerdote, tamquam istius Sacramenti ministro. Quæ omnia indubitata sunt apud omnes Catholicos. Sed nihil simile habemus ex Ecclesiæ definitione ; imò contraria habemus ex multis & validis Theologicis argumentis, communique Doctorum Catholicorum sensu, de verbis illis, *ego vos conjungo*, &c.

50 Objiciunt 6°. Concilium Colonienſe in Enchiridio Christianæ Institutionis dicit : *in nova lege Sacerdotes. ... legitimos hujus Sacramenti ministros esse. In lege quidem veteri pater, aut, defuncto patre, proximus puellæ agnatus, seu tutor, Dei loco conjuges jungebat. Sic Tob. 7. legis :* Et apprehendens Raguel dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens : Deus Abraham.... vobiscum sit, & ipse conjungat vos, &c. *Ad eumdem modum ab Apostolorum temporibus Matrimonii Sacramentum in facie Ecclesiæ celebratum est, ministris Sacerdotibus Christi.*

Respondeo 1°. ex his verbis potiùs arguendum, quòd Sacerdos minister sit accidentalis, non essentialis, sive minister solemnitatis, non substantiæ Sacramenti Matrimonii, nisi fortè accepti prout *in facie Ecclesiæ*, ut suprà. Neque enim in veteri lege pater fuit minister essentialis, neque Raguel fuit minister, nisi solemnitatis, dum publicam interposuit authoritatem illi contractui, qui tunc Sacramentum non erat. 2°. idem Concilium ibidem §. *verbum* expressè dicere, quòd contrahentes ministri sint Sacramenti Matrimonii : *verbum* (inquit) *hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum fit Sacramentum, id nimirùm est, quo ambo, mas & femina, cum pietatis respectu, quæ ad Deum est, sibi mutuò fidem conjugalem dant accipiuntque*, quo proinde *non quovis modo, sed in Dei nomine conjunguntur.*

51 Objiciunt 7°. varia Ritualia vocant Parochum ministrum hujus Sacramenti, sicut eum vocat & Synodus Cameracensis anni 1567. cap. 1. de matrim. Rituale etiam Romanum sub Paulo V. dicit administrationem hujus Sacramenti ad Parochos pertinere.

Respondeo, salvâ assertione nostrâ, Parochum multis de causis dici posse, & à Ritualibus dici ministrum matrimonii, quamvis non conficiat illud, neque in quantum contractus est, neque in quantum est Sacramentum, videlicet 1°. quia suâ præsentiâ dat firmitatem, & quodammodò valorem matrimonio, quod alias esset invalidum. 2°. (& in idem redit) quia licèt non sit causa illius, neque in quantum contractus est, neque in quantum est Sacramentum; est tamen causa illius in quantum *in facie Ecclesiæ*, sive in quantum publicum est, publicamque habens authoritatem. Hanc enim ipsi dat Parochus, non per verba quæ profert, sed per suam præsentiam. 3°. quia non solùm fideles dirigit in eo suscipiendo, sed & dignos ad illud admittit, indignosque repellit : quâ ratione Sacramentum dispensare dicitur, qui secundùm regulas æquitatis hos ad Sacramentum admittit, istos arcet. 4°. quia minister est sacrarum cæremoniarum, benedictionum & precum, quæ matrimonio, ob Sacramenti reverentiam, adjunguntur, atque adeò minister est solemnitatis Sacramenti.

Objiciunt 8°. S. Thomas non uno loco dicit, solum Sacerdotem ex officio Sacramenta ministrare & dispensare. Et in 4. dist. 1. q. 1. a. 3. ad 5. dicit, quòd Pœnitentia, & Matrimonium, *secundùm quod utrumque est* Sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet *aliqua verba pro forma, sicut in matrimonio sunt* verba exprimentia consensum, & iterùm benedictiones ab Ecclesia institutæ. 52

Respondeo 1°. mirum esse quòd nobis objiciunt S. Thomam, cujus habemus testimonia meridianâ luce clariora pro assertione nostra, tum illud quod n. 16. protulimus ex dist. 26. lib. 4. a. 1. ad 1. Tum quia ibidem dist. 28. q. 1. a. 3. in corp. dicit, *quòd sicut in aliis Sacramentis quædam sunt de essentia Sacramenti, quibus omissis non est Sacramentum; quædam autem ad solemnitatem Sacramenti pertinent, quibus omissis verum perficitur Sacramentum.... ita etiam consensus expressus per verba de præsenti, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit* (etiam in ratione *Sacramenti*; sequitur enim) *quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti. Alia autem omnia* (igitur & sacerdotalia verba, *ego vos conjungo, &c.*) *sunt de solemnitate Sacramenti... unde si omittantur, verum matrimonium est.* Et ad 2. *Actus noster in pœnitentia, quamvis sit de essentia Sacramenti, non est tamen sufficiens ad inducendum proximum effectum Sacramenti, scilicet absolutionem à peccatis: & ideò oportet, quòd ad perfectionem Sacramenti interveniat actus Sacerdotis. Sed in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio : quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare. Et ideò Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia Sacramenti.* Ecce iis locis, ubi hac de re agit specialiter, atque ex professo, apertissimè est noster. Nullâ igitur æquitate, his neglectis, adversarii ipsum nobis eripere conantur, ob alia quædam loca, ubi neque specialiter & ex professo hac de re agit, neque clarè eam determinat. Cùm nec æquum, nec rationabile sit, clara & perspicua testimonia explicare per obscura, nec apertam veritatem, quæ oculis clarè inspicitur, obscurioribus conjecturis elidere.

Respondeo 2°. solum Sacerdotem ex officio ministrare & dispensare Sacramenta, in quantum solus ex parte Ecclesiæ ad hoc est ordinatus, sive ut ea conficiat, sive ut aliunde confecta dispenset, sive ut assistat & dirigat eos, qui ex divina ordinatione ea conficiunt, sive aliis modis n. præcedenti explicatis. Ex quibus patet ad objectum testimonium ex dist. 1. q. 1. a. 3. ad 5. 53

Objiciunt 9°. Sacramentum Matrimonii est res sacra. Ergo petit ministrum sacrum, & formam sacram. 54

Respondeo 1°. ex eo quòd Matrimonii Sacramentum sit res sacra, non sequi quòd ipsius minister necessariò esse debeat sacer : cùm baptismus, etsi sacer, à ministro non sacro validè, & in necessitate etiam licitè confici possit. Neque ex eo quòd aliorum Sacramentorum minister extra necessitatem sit sacer, idem consequens est in hoc

Sacramentò; ſicut ex eo quòd cætera Sacramenta in re tranſeunte conſiſtant, idem non ſequitur de Euchariſtia. Diſparitas eſt 1°. quòd alia Sacramenta non conſiſtant in contractu, prout Matrimonii Sacramentum; ideòque abſurdum non ſit quòd miniſter conficiens hoc Sacramentum non ſit ſacer. Quemadmodùm enim abſurdum non eſt matrimonii contractum, aliàs non ſacrum, elevatum eſſe ad dignitatem Sacramenti; ſic abſurdum non eſt miniſtros contractûs, aliàs non ſacros, elevatos eſſe ad dignitatem miniſtrorum iſtius Sacramenti. Secundò diſparitas eſt, quòd alia Sacramenta ordinantur, vel ad ſpiritualem cujuſque hominis in ſeipſo perfectionem, vel ad ſpiritualem gubernationem multiplicationemque Eccleſiæ, uti Florentinum docet in Decreto Eugenii. Matrimonium verò ordinatur ad corporale Eccleſiæ augmentum; quod ſicut Deus per laïcos viros & feminas fieri diſpoſuit; ſic & ipſos hujus Sacramenti miniſtros eſſe voluit, per quos & hujus Sacramenti materia exhibetur, & forma profertur.

55 Reſpondeo 2°. contrahentes matrimonium, prout elevatos à Deo ad dignitatem conficiendi hoc Sacramentum, poſſe certo ſenſu dici miniſtros ſacros, ſicut & verba quæ proferunt, ex intentione conficiendi hoc Sacramentum, ex Chriſti inſtitutione & elevatione dici poſſunt forma ſacra.

56 Objicit 10°. Franciſcus Farvacius: miniſter Sacramenti profert formam, vice, nomine, & in perſona Chriſti. Sed contrahentes non proferunt formam matrimonii, vice, nomine, & in perſona Chriſti. Aliàs ſicut Chriſtus eſt qui principaliter baptizat, confirmat, conſecrat, abſolvit, ungit, ordinat: ſic Chriſtus eſſet, qui matrimonium principaliter contrahit, quique principaliter dicit: *accipio te in maritum, accipio te in uxorem.*

Reſpondeo, ſicut Chriſtus eſt qui tamquam principalis miniſter principaliter baptizat, confirmat, &c. ita Chriſtus eſt qui tamquam principalis miniſter principaliter conjungit & conjungendo ſanctificat eos quos conjungit. Nec mirum, quia, etiam ante elevationem matrimonii in Sacramentum, Deus erat qui principaliter eos conjungebat, ſecundùm illud: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Sed ſicut in Baptiſmo Chriſtus ſeipſum principaliter non baptizat, nec in Confirmatione ſeipſum confirmat, &c.; ſic in Matrimonio ſeipſum principaliter non conjungit, ſed contrahentes invicem jungit. Et ideò verba iſta: *accipio te in uxorem, accipio te in maritum,* à contrahentibus non proferuntur vice, nomine, & in perſona Chriſti, tamquam per illa accipientis v. g. Cajam in uxorem, & Titium in maritum (hoc enim Chriſti perſonam non decet) ſed vice, nomine, & in perſona Chriſti, tamquam principaliter conjungentis Titium tamquam maritum Cajæ tamquam uxori, per iſtamque conjunctionem ipſos ſanctificantis.

CAPUT VI.

Omne matrimonium baptizatorum, cum debita intentione, etiam per procuratores initum, eſt Sacramentum.

57 PRobatur, quia ſacri Canones, & Concilia, Florentinum & Tridentinum, definiunt, matrimonium fidelium eſſe Sacramentum. Quæ propoſitio cùm ſit indefinita, & in materia doctrinali, æquivalet univerſali, ac ſi diceret, omne matrimonium fidelium, ſeu baptizatorum, ſuppoſitis ſupponendis, ſuppoſitâ utique debitâ materiâ, formâ, & intentione miniſtri, eſſe Sacramentum. Requirit namque Florentinum in omni Sacramento debitam materiam, formam, perſonamque miniſtri conferentis Sacramentum, *cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Si autem nihil eorum deſit, perficitur haud dubiè Sacramentum in ſubjecto capaci. Cùm igitur omnis fidelis, nullo impedimento ligatus, ſit capax hujus Sacramenti, ſi contrahentes ſint fideles, adhibeantque debitam materiam & formam, ut dictum eſt cap. 8. habeantque intentionem faciendi quod facit Eccleſia, omne ipſorum matrimonium taliter contractum haud dubiè eſt Sacramentum.

Dixi, *etiam per procuratores initum.* Quia tametſi Cajetanus, Victoria, Canus, Sylvius, &c. 58
hoc negent; meritò tamen affirmant Sotus, Valentia, Sanchez, Averſa, Baſilius Pontius, Wigers, Gonet, & è noſtris Cornejo, Gabriel à S. Vincentio, Andræas à Matre Dei, Bonæ-ſpei, &c. Quia in matrimonio per procuratores inito, nihil deeſt ad rationem Sacramenti. Cùm non deſit legitima materia, ſcilicet corpora contrahentium, nec legitima forma, nimirùm conſenſus utriuſque partis ſufficienter expreſſus per verba, vel ſigna contrahentium, ad hoc utentium procuratoribus, tamquam inſtrumentis, & vicariis ſuis, per ipſoſque facientium quod ipſi faciunt, juxta vulgatam Juris regulam: *quod per alium facimus, per nos utique facere cenſemur.* Denique non deeſt intentio debita, ut ſupponimus, nec Parochi & duorum ſaltem teſtium præſentia per Tridentinum requiſita. Supponimus enim procuratores, exhibito ſuæ commiſſionis mandato, coram ipſis illud exequi, conſenſumque mandantium per verba de præſenti eorum nomine exprimere. Nihil igitur deeſt ad rationem Sacramenti, ſicut adverſatii nihil deeſſe fatentur ad rationem contractûs. Ex quo aſſertio noſtra roboratur. Contractum enim matrimonialem baptizatorum, ſuppoſitâ debitâ materiâ, formâ & intentione, Chriſtus elevavit ad rationem Sacramenti, ut Scriptura & Traditio docet.

Proinde hîc arguendum non eſt à paritate alio- 59
rum Sacramentorum, quæ per eorum miniſtros mediatè & perſonaliter perfici debent. Eſt enim ſpeciale Sacramento Matrimonii, quòd fundetur in contractu, ideòque ſequatur naturam contractûs, qui ex natura ſua inter abſentes, per procuratores, vel internuntium, perfici poteſt, ut conſtat ex utroque Jure.

Nec contrarium evincitur ex forma hujus Sa- 60
cramenti, *accipio te in meum, accipio te in meam.* Tum quia verba iſta non ſunt de neceſſitate formæ, ſed ſufficiunt quæcumque verba, vel ſigna, exprimentia conſenſum contrahentium de præſenti: quæ expreſſio per procuratores fieri poteſt. Tum quia procurator Titii v. g. nomine ipſius dicere poteſt procuratori Cajæ, *accipio te in meam.* Et procurator Cajæ, nomine ipſius dicere procuratori Titii, *accipio te in meum.*

Tres tamen conditiones cap. ult. de procura- 61
toribus in 6. requiruntur, ad hoc ut matrimonium per procuratores ineatur. Prima, ut procuratores *ad hoc mandatum habeant ſpeciale.* Secunda, ut procuratores alium deputare non poſſint, niſi & hoc ſit ipſis ſpecialiter commiſſum. Tertia, ut *procurator, antequam contraxerit, à Domino non fuerit revocatus. Aliàs contractum poſtmodùm matrimonium ab eodem nullius momenti exiſtit: cùm illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequit.*

Non requiritur tamen diverſitas ſexuum in pro- 62
curatoribus: utpote non contrahentibus proſe & nomine ſuo, ſed nomine mandantium, ipſis ut inſtrumentis utentium, ad exprimendum conſenſum ſuum. Quem vir & mulier exprimere poſſunt, vel

vel per duos viros, vel per duas mulieres, æquè ac per litteras nullius sexûs.

CAPUT VII.

In matrimonio tamen fidelium baptizatorum ratio contractûs separabilis est à ratione Sacramenti, dabileque est verum matrimonium, quod non sit Sacramentum.

63 HOc fieri posse negant Ledesma, Sanchez, Castro-Palao, Aversa, noster Cornejo, noster Bonæ-spei. Sed meritò affirmant Cajetanus, Melchior Canus, Vasquez, Bonacina, Pontius, Villalobos, Sylvius, Gonet, Herinx, & è nostris Gabriel à S. Vincentio, Andræas à Matre Dei, & alii, quos l. 5. retulimus c. 130. n. 1445. Quia contractus matrimonii, intentioque celebrandi ipsum, separari potest ab intentione celebrandi Sacramentum. Utpote à qua de facto separatur in infidelibus, separataque fuit pluribus annorum millibus, quibus matrimonium elevatum non fuit ad dignitatem Sacramenti. Ex quo verò Christus matrimonium baptizatorum ad eam dignitatem elevavit, non invalidavit contractum matrimonii aliàs validum, nec abstulit contrahentibus potestatem validè contrahendi absque intentione Sacramenti (nullum quippe invenitur in Scriptura vel Traditione fundamentum dicendi, contractum matrimonii sic à Christo elevatum esse ad rationem Sacramenti, ut si Sacramentum non esset, nec contractus esset;) sed valido baptizatorum contractui solùm addidit dignitatem Sacramenti, dum adessent reliqua ad rationem Sacramenti generaliter requisita. Certum est autem, ex declaratione Concilii Florentini, intentionem faciendi Sacramentum, seu faciendi quod facit Ecclesia, usque adeò esse requisitam, ut, si desit, non perficiatur Sacramentum. Cùm ergo intentio illa æquè possit contrahentibus non adesse, ac potest exteriùs applicanti materiam, & proferenti formam Baptismi, non adesse intentio per hoc faciendi Sacramentum Baptismi, ut ostendimus lib. 1. sequitur matrimonium baptizatorum perfici posse in ratione contractûs. absque eo quòd perficiatur in ratione Sacramenti.

64 At (inquies) supponimus falsum, scilicet posse in baptizatis abesse intentionem Sacramenti Matrimonii, ubi adest intentio contractûs; vel posse adesse intentionem illi contrariam. Cùm intentio faciendi Sacramentum Matrimonii ex Christi institutione sit in baptizatis ipsamet intentio faciendi contractum matrimonii. Utpote quem Christus eo ipso voluit esse Sacramentum, quo foret matrimonium baptizatorum.

65 At (inquam ego) ipse potiùs falsum supponis, principiumque petis. Hoc est enim quod quæritur, an Christus voluerit hoc quod ipse dicis (quodque neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ex Christi institutione probas.) An (inquam) an (inquam) eo ipso voluerit matrimonium esse Sacramentum, quo foret matrimonium baptizatorum; ita ut nulla in baptizatis requireretur intentio faciendi Sacramentum, nisi quæ foret ipsamet intentio conficiendi matrimonii contractum. Hoc neque Scriptura dicit, neque Concilia, neque Patres, neque communi calculo Doctores. Quia licèt ex ipsis habeamus, omne baptizatorum matrimonium ex Christi institutione esse Sacramentum, eo ipso quo ponuntur reliqua ad rationem Sacramenti generaliter requisita, v. g. intentio suprà dicta. Cæterùm quòd hæc eo ipso adsint, quo validus est matrimonii baptizatorum contractus, hoc nullibi dicunt. Et nos oppositum probavimus loco citato. Oppositum etiam probat Bonæ-spei to. 1. de Sacram. in gen. disp. 4. dub. 3. ubi multis ostendit, ad Sacramenti valorem necessarium esse quòd minister intendat *facere quod facit Ecclesia, non solùm quoad externa materialia Sacramenti, sed quoad esse Sacramenti, quod absolutè intendit.* Si enim non sufficit velle exteriorem materiam & formam reliquorum Sacramentorum, nisi per hæc quis velit conficere Sacramentum: non sufficit ergo velle exteriorem contractum matrimonii, seu materiam & formam illius, nisi per hæc minister conficere velit Matrimonii Sacramentum. Et si hoc ipso non velit conficere reliqua Sacramenta, quo ponere vult materiam & formam eorum: igitur nec eo ipso conficere vult Matrimonii Sacramentum, quo ponere vult materiam & formam contractûs matrimonialis. Denique si in reliquis Sacramentis requiritur intentio distincta ab intentione ponendi & applicandi materiam & formam eorum: igitur & in Sacramento Matrimonii. Quòd enim in Baptismo v. g. requiratur intentio distincta, &c. ibidem n. 19. probat, quia alioqui minister plerumque baptizaret sub invincibili ignorantia Christi, Ecclesiæ, & Sacramentorum ejus, dum, infantem vel adultum abluendo, diceret: *te abluo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Quod censet dici non posse: quia Sacramentum confici debet nomine Christi; nihil autem fit nomine Christi, aut Ecclesiæ, sub invincibili ignorantia Christi, & Ecclesiæ.

Atqui idem argumentum militat pro Sacramento 66
Matrimonii. Si enim in eo non requireretur intentio distincta, &c. ministri illius plerumque illud conficerent sub invincibili ignorantia Christi, Ecclesiæ, & Sacramentorum ejus, quoties utique duo baptizati in infantia, & statim ad Turcas abducti, ibi inter se matrimonium contraherent, ubi nihil omninò de Christo, nec de rebus ad Christianæ fidei documenta spectantibus audissent. Quo etiam casu intendere non possent Matrimonii Sacramentum, nec agere nomine Christi, aut Ecclesiæ, sub invincibili ignorantia Christi, & Ecclesiæ, & Sacramentorum. Nec per consequens possent velle facere quod Christus instituit, & quod Ecclesia facit; utpote prorsus invincibiliter ignorantes & Christum, & Sacramentum quod Christus instituit, & quod Ecclesia facit. Neque enim voluntas velle potest, quod intellectus nullo modo cognoscit, sed prorsus invincibiliter ignorat.

Siquis instet, & contendat cum Bonæ spei, dicto 67
baptizatos, sub invincibili ignorantia Christi, & Ecclesiæ, & Sacramentorum, velle equidem matrimonium in ratione Sacramenti, idque non solùm confusè, sed & distinctè, hoc ipso quòd distinctè intendunt vinculum matrimoniale, sive matrimonium reipsà baptizatorum, tametsi tales se esse nesciant. Eò quòd Matrimonii Sacramentum, & matrimonium reipsà baptizatorum prorsus idem sint, nec Sacramentum addat contractui ullum novum ritum quoad ministrum, materiam & formam, sed solùm requirat baptismum ex parte subjecti, seu contrahentium.

Respondeo id frustra contendere 1°. quia cer- 68
tum est quòd baptizati, invincibiliter ignorantes se esse tales, non velint vinculum matrimoniale in ratione Sacramenti invincibiliter ignorati. 2°. sicut matrimonium baptizatorum Christus elevavit ad rationem Sacramenti Matrimonii; sic ablutionem non baptizati, cum prolatione istorum verborum: *ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Christus elevavit ad rationem Sacramenti Baptismi. Ipse tamen fatetur, eum qui sub invincibili ignorantia Christi, & Ecclesiæ, & Sacramenti Baptismi, vult abluere infantem non baptizatum, & abluendo dicere: *ego te baptizo*, &c. non velle eo ipso baptismum in ratione Sacramenti. Ergo nec dicti contrahentes eo ipso volunt matrimonium in ratione Sacramenti. Tametsi ergo Chri-

stus instituerit matrimonium baptizatorum Sacramentum novæ legis, nec aliquid immutaverit circa ritus exteriores, sive materiam, formam & ministros contractûs; requirit tamen in ministris contractûs intentionem generaliter requisitam in ministro Sacramentorum, utique faciendi quod facit Ecclesia, distinctam ab intentione adhibendi exteriorem ritum, sive materiam & formam contractûs, super subjectum capax Sacramenti Matrimonii, prout in ministro Sacramenti Baptismi requirit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, distinctam ab intentione adhibendi materiam & formam Baptismi super subjectum capax Sacramenti Baptismi. Confer quæ dixi citato cap. 130.

CAPUT VIII.

Matrimonium baptizati cum non baptizata, contractum ex Pontificia dispensatione, Sacramentum est in baptizato: minimè in non baptizata.

69 ITa Eckius in lib. homil. hom. 73. de Sacram. Sotus, Bonacina, Cornejo, Andræas à Matre Dei, contra Vasquez, Sanchez, Coninck, Palaum, Pontium. Et ratio est, quia nihil obstat quominùs sit Sacramentum respectu baptizati: cùm sit subjectum capax istius Sacramenti; & neque ex Scriptura, neque ex Traditione habeamus Matrimonii Sacramentum sic esse essentialiter contractum duorum baptizatorum, ut habere nequeat rationem Sacramenti in uno solùm baptizato. Unde Adversarii gratis asserunt & contendunt, Christum solùm elevasse ad rationem Sacramenti contractum duorum baptizatorum. Neque enim id ex Scriptura probant, neque ex Traditione. Ex alterutro tamen capite probare debent. Cùm ea quæ dependent à supernaturali Dei institutione, nobis non innotescant, nisi vel per Scripturam, vel per Traditionem. Fatemur quidem, matrimonium, quà Matrimonii Sacramentum totale, sive in utroque conjuge, esse essentialiter contractum duorum baptizatorum. Sed quid (quæso) obstat, ne matrimonium, quà partiale Sacramentum in uno conjuge, & non in alio, sit contractus unius dumtaxat baptizati, & in eo dumtaxat Sacramentum, non in alio qui baptizatus non est, ideòque capax non est Sacramenti Matrimonii? Si fieri queat, quòd absolutio super duos prolata, sit Sacramentum in uno dispositio & capaci, non in alio indispositio & incapaci; quòdque idem Matrimonii Sacramentum in uno operetur gratiam, quia dispositio; in altero non operetur, quia indispositio: Quidni etiam fieri queat, quòd idem matrimonium in uno sit Sacramentum, quia ob baptismum capaci; in altero non sit, quia ob baptismi defectum incapaci? Id profectò sic contingere meritò asserimus, eò quòd in baptizato non sit ullus defectus dispositionis, secundum Concilia & Patres ex Christi institutione necessariæ ad suscipiendum Matrimonii Sacramentum.

70 Accedit 1°. quòd idem matrimonium, duorum baptizatorum, in uno sit Sacramentum, non in alio, dum unus vult, alter non vult suscipere Matrimonii Sacramentum, uti colligitur ex dictis cap. præcedenti. Ergo similiter in casu nostro.

71 Accedit 2°. quòd in primitiva Ecclesia, dum pauci erant fideles, ideòque necessitas erat contrahendi matrimonium cum infidelibus, congruum erat fidelem conjugem eo casu non privari gratiâ Sacramenti Matrimonii: cùm iisdem, imò majoribus subjacerent matrimonii difficultatibus & oneribus, quàm modò. Est quidem necessarium carere gratiâ Sacramentorum Confirmationis, Eucharistiæ, &c. eos qui Sacramenta illa recipere non possunt, quia versantur in locis ubi non habent qui ministrent. Sed disparitas est in casu nostro, in quo non deest minister, nec subjectum capax Sacramenti.

Accedit 3°. quòd utriusque quidem corpus, 72
consensus, & verba, seu signa exprimentia consensum, sint materia & forma matrimonii; ideòque Matrimonii Sacramentum requirat consensum utriusque. Quia tamen consensus, ut procedit personaliter à quolibet conjuge (cum simili & reciproco consensu alterius) est contractus legitimus & matrimonialis, quo transfert potestatem sui corporis in alium, & vicissim acquirit potestatem alterius, perficit in ipso Sacramentum, si capax sit illius, debitamque ad id habeat intentionem. Quia illud sibi ipse ministrat, non alter; licèt absque consensu alterius, sibi ministrare non posset.

CAPUT IX.

Parentum consensus necessarius non est ad valorem matrimonii.

ITa Tridentinum sess. 24. c. 1. de reform. 73
matrim. ubi dicit, quòd *jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat... qui falsò affirmant matrimonia, à filiis-familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.*

Certum est tamen filios, absque parentum con- 74
sentu matrimonium contrahentes, contra divinas humanasque leges, regulariter loquendo, mortaliter peccare (nisi prævideantur futuri irrationabiliter inviti, juxta dicta p. 1. c. 5.) sicut & Sacerdotes assistentes, ut satis innuit Tridentinum ibidem aiens, quòd ejusmodi matrimonia *Ecclesia semper detestata est.*

Meritò quidem, quia matrimonium absque 75
consensu parentum contrahere, est contra præceptum *honorandi parentes*, graviterque repugnat pietati in parentes, sicut & naturali æquitati, quæ dictat, filios à parentibus, absque eorum consensu, non debere recedere, nec ipsis privignas inducere, postquam tot & tantis sollicitudinibus & laboribus eos ipsi aluerunt, & ad ætatem nubilem perduxerunt.

Hinc sequitur 1°. grave peccatum esse, con- 76
tra rationabile consilium parentum, nubere v. g. cum hæretica, vel in fide suspecta, vel pravis moribus imbuta, notabiliter inæquali, vel cum bonorum dilapidatore, &c. imò hîce in casibus, parentes jure patrio impedire possunt matrimonium filiorum suorum, peccantque Ecclesiæ Prælati, ejusmodi matrimoniis faventes; sicut & Sacerdotes in Universitatibus nimis facilè assistentes matrimoniis inæqualium, quæ parentibus inconsultis vel invitis ineuntur. *Nam nec in terris filii sine consensu patrum rectè & jure nubunt.* Tertullianus lib. 1. ad uxorem.

Sequitur 2°. nimis laxam esse sententiam eo- 77
rum qui dicunt, filios, inconsultis parentibus, licitè matrimonium inire posse; sicut & eorum qui (cum Sancheze l. 4. de matrim. disp. 23. n. 10.) generaliter aiunt, filios, invitis parentibus, ad nuptias licitè progredi, postquam consilium & consensum ipsorum petierunt, nec obtinuerunt. Cum hoc solùm licitum sit, dùm parentes injustè & irrationabiliter dissentiunt.

Sequitur 3°. justas esse leges Civiles, quæ in 78
Hispania & Gallia parentibus dant facultatem exhæredandi filios & filias, contra justam rationabilemque voluntatem ipsorum matrimonia contrahentes. Justum est enim hoc fræno levitatem coërcere filiorum, ne per eam grave dedecus familiæ suæ inferant, vel gravem parentibus mœrorem, ut pluribus ostendit Basilius Pontius l. 2. de matrim. c. 1. ubi etiam probare conatur ex Tertulliano & Basilio, primis Ecclesiæ temporis

bus servatas fuisse leges Romanorum, secundùm quas consensus parentum requirebatur ad matrimonii valorem.

79 Sequitur 4°. ad promovendam filiorum erga parentes observantiam, justè Philippum IV. Catholicum Regem nostrum 23. Novembris 1625. minores 25. annis, sine parentum consensu nubentes, privasse omnibus emolumentis, quæ ab invicem, per donationem, vel successionem, alterutri obvenire possunt, irritasseque omnia pacta in utilitates alterutrius inita. In Gallis autem per Edicta Regum Henrici II. Henrici III. & Ludovici XIII. sancitum est, ne Parochi filios-familias, minores 30. annis, & filias, minores 25. completis, invitis parentibus, matrimonio conjungant; sed eorum consensum in scriptis exigere teneantur. Tametsi enim incommoda quædam ex hoc sequantur in paucioribus, majori & publicâ utilitate, matrimoniorumque, Veneris potiùs quàm Dei amore contractorum, extirpatione compensantur. Admonendi tamen sunt ab Episcopis & Parochis parentes, ne hoc legum beneficio, & patriâ abutantur authoritate, se nimis difficiles & morosos exhibendo, in filiorum filiarumque suarum matrimoniis permittendis, dum convenientia sunt.

80 Quoad filios & filias, qui præscriptam Regiis Constitutionibus ætatem attigerunt, Constitutione Blesensi, & Edicto Ludovici XIII. statutum est pro Gallis, Parochos conjungere ipsos matrimonio non debere, nisi consilium parentum scripto illos rogasse constet.

81 Sequitur 5°. eorumdem Regum Christianissimorum Henrici III. & Ludovici XIII. Edicta, quibus matrimonia filiorum absque consensu parentum, vel tutorum, vel etiam absque proclamationibus inita, decernuntur irrita & invalida, nihil statuere contra Tridentinum, nec attingere vim Sacramenti, imò ne valorem quidem contractûs matrimonialis, quoad effectus juris divini, naturalis, & ecclesiastici, secundùm explicationem, quam Ludovici XIII. Regis nomine regni Cancellarius, & Illustrissimi Commissarii, ad id à Rege deputati, Clero Gallicano anno 1629. dederunt, quòd scilicet tota nullitatis & invaliditatis declaratio intelligeretur quoad effectus mere civiles, ita scilicet ut taliter contrahentes, eorumque filii ac nepotes, in perpetuum excluderentur ab omni hæreditate, priventurque omnibus juribus & commodis, quæ vi matrimonialium contractuum, testamentorum, Legumque aut Constitutionum municipalium beneficio aliàs acquirerent; filiique, & nepotes eorum, in ordine ad honores, ac successiones civiles, in tribunalibus civilibus, perinde habeantur, ac si forent illegitimi. Videri possunt Isaacus Habertus, Episcopus Vabrensis, in lib. de justitia connubialis Edicti à Ludovico XIII. conditi, Cabassutius in Theor. & Prax. Jur. Canon. lib. 3. c. 27. Natalis Alexander Theol. Dogm. & Moral. to. 6. l. 2. tr. de Sacram. Matrim. c. 2. a. 2. regul. 1. 2. 3. 4. & 5. ubi ex Ambrosio ostendit, pictatem postulare, ut Episcopi, Parochi, & Confessarii, parentes filiis placare & reconciliare conentur, ipsisque persuadere, ne secundùm legum severitatem in ipsos agant.

CAPUT X.

Ad valorem matrimonii necessarius est contrahentium consensus, per verba vel signa de præsenti, sensibiliter expressus.

82 ITa Florentinum in Decreto Eugenii. Et ratio est quia verba futuri temporis matrimonium non efficiunt, sed spondent. Unde non sufficiunt hæc verba: *non ducam nisi te.* Imò neque hæc: *non duco uxorem, nisi te*; quamvis aliqui secus existiment. Quia non significant quòd Cajus v. g. Titiam de præsenti accipiat in uxorem, sed quòd non accipiat aliam. Quod verum est, licèt nullam accipiat.

Sed quid de casu sequenti: Parocho & duobus 83
testibus vocatis apud Cajam, ibi expectantem Titium ad finem contrahendi cum ipso matrimonium, superveniens Titius, interrogatus ad quid veniat, respondit: *ut videam Cajam, quia ipsa est conjux mea.* Tumque Caja respondit: *& ipse meus est conjux.* Quo audito, fugit Parochus. Quæritum fuit de valore matrimonii taliter contracti? Multi Juristæ, teste Lugone to. 2. de contractibus, censuerunt valere. Lugo oppositum sensit. Illa tamen Juristarum opinio non caret probabilitate, si Titius & Caja setiam habuerint intentionem per illa verba matrimonium contrahendi, de eoque sub juramento interrogati, eam se habuisse affirment. Cùm enim verba, quibus Sacramenta conficiuntur, practica sint, efficiantque quod significant, per verba illa Titius & Caja practicè significarunt, & quòd Caja fieret conjux Titii, & Titius conjux Cajæ; sicut per verba ista: *hoc est corpus meum*: practicè significatur, quòd contentum sub his speciebus fiat corpus Christi.

Si tamen interrogati, dicant se nescire, quâ in- 84
tentione verba illa protulerint, signum est seriam illam intentionem ipsis defuisse. Neque enim tam facilè memoriâ excidissent, si habuissent. Cùm homines non soleant talis intentionis oblivisci, in negotio tanti momenti, ad quod sine magna deliberatione procedere non solent.

CAPUT XI.

Necesse non est quòd consensus matrimonialis exprimatur verbis, sed verborum loco, tum nutus, tum signa, quæ internum consensum aperte indicent, satis ad matrimonium esse possunt; tum ipsa etiam taciturnitas, cùm puella, propter verecundiam, non respondet, sed pro ea *tacente* parentes loquuntur.

VErba sunt Catechismi Romani. Et ideò Flo- 85
rentinum non requirit verba absolutè, sed cum addito, *regulariter*. Et cap. *cùm apud Sedem* de sponsalibus Innocentius III. declarat mutum & surdum posse alicui matrimonialiter copulari: *cùm quod verbis non potest, signis valeat declarare.*

CAPUT XII.

Expressio verborum, sine interiori consensu, matrimonium non facit. *Qui tamen tum tali simulatione matrimonium cum altera, sincerè procedente, contraxit, eam ducere tenetur, nonnullis casibus exceptis.*

ITa S. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. quæsito 4. 86
Cui concinit S. Bonaventura ibidem q. 2. dicens: *si sit consensus exterior, sine interiori, non est matrimonium secundùm veritatem, nec secundùm divinum judicium, nec secundùm conscientiæ forum; quamvis esse videatur & judicetur secundùm judicium Ecclesiasticum.*

Ratio est, quia *sicut se habet ablutio exterior ad* 87
Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum (ait S. Thomas loco citato.) *Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum & dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum, sine interiori consensu, matrimonium non facit.* Unde Innocentius III. interrogatus an vale-

ret matrimonium, quo quis, alienum nomen mentitus, absque interiori consensu mulieri dixerat, *Joannes te in uxorem accipit*, cum ipse non vocaretur Joannes, sed Petrus, tametsi copulam posteà cum ipsa habuisset, cap. *tua nos* extr. de sponsi. & matrim. Respondit: *quòd si ita res se habuerit, videlicet quòd ille eam non proposuerit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari. Cùm in eo nec substantia conjugalis contractûs, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri. Quoniam ex altera parte dolus solummodò adfuit, & defuit omninò consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.*

88 Si dicas, quòd fraus & dolus nemini debet patrocinari. Respondet S. Thomas, quòd fraus & dolus ipsi *non patrocinatur, nec in foro conscientiæ, nec in foro Ecclesiæ: quia in utroque foro pro hoc punitur.* Deinde ex justitia tenetur fictionem tollere, simulationeque depositâ, ipsam ducere, uti dixi p. 1. cap. 1. Quia dum verbis exprimendo, quod animo non habebat, mulieri sincerè procedenti illusit, contra justitiam commutativam graviter peccavit. Ex justitia namque tenebatur & ipse sincerè procedere, consensumque verum præstare. Quod debitum cùm non sit extinctum per fraudem injustitiamque ipsius, manet ergo ex justitia debitor veri consensûs. Manet proinde ex justitia obligatus ad ipsam ducendam.

89 Excipiuntur tamen à Theologis casus sequentes. 1°. si cum legitimo consensu alteram duxerit; quamvis injuriam priori illatam, prudentum arbitrio tunc compensare teneatur. Quamvis etiam casus iste vix occurrat. Quia cùm Ecclesia judicet secundùm ea quæ foris apparent, judicat pro priori matrimonio, nec secundum permittit; ipse tamen *debet potiùs excommunicationis sententiam sustinere, quàm ad primam uxorem accedere; vel debet in alias regiones remotas fugere*, ait S. Thomas ubi suprà ad 3.

90 2°. non tenetur eam ducere, si tanta sit conditionis disparitas, vel tanta fuerit evidentia fictionis, ut meritò judicetur mulierem voluntariè deceptam fuisse. Quia volenti non fit injuria.

91 3°. si mulier decepta, ipsum etiam deceperit, simulando se virginem, cùm non esset.

92 Si grandia mala, capitales inimicitiæ, diffidia, cædes, &c. ex matrimonio cum ipsa meritò timeantur. Quo casu pecuniaria sufficiet compensatio.

CAPUT XIII.

Consensus matrimonialis, coram Parocho & testibus præstitus per verba de præsenti, sub honesta conditione de futuro, purificatâ conditione transit in absolutum, per eumque perficitur matrimonium, absque necessitate novi consensûs, iterationeque contractûs coram Parocho.

93 Est communis sententia Canonistarum, contra communiorem sententiam Theologorum, ex quibus tamen S. Antoninus, Paludanus, Petrus Soto, Card. de Lugo, Sanchez, Perez, Gaspar Hurtadus, aliique plures, nobiscum, & cum Canonistis sentiunt. Et probatur, quia assertionem nostram sequitur Romana Curia, ex quo Pius V. auditis variantibus hac de re Cardinalium opinionibus, Canonistarum sententiam probavit, & in decidendo attendendam esse censuit, declaravitque opus non esse iteratione contractûs coram Parocho, ut vidimus p. 1. n. 24. Idemque censuit S. Congregatio sub Clemente VIII. Qui & istam S. Congregationis sententiam probavit, ut videre est apud Fagnanum ad cap. *super eo* de condition. appos. n. 6.

Nec contrarius est Urbanus III. cap. *super eo* de condition. appos. ubi interrogatus, *utrum ille qui in quamdam mulierem consentit, si pater ejus junm præstaret assensum, sit ad consummandum matrimonium compellendus?* Respondet: *nisi voluntas patris postmodum accedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum.* 94

Non (inquam) contrarius est: solùm enim vult, talem non compellendum ad matrimonium consummandum ante conditionis eventum. Quod verissimum est, quia ante conditionis eventum matrimonium non est perfectum, *cùm* (ut ibidem Pontifex ait) *hujusmodi consensus non sit de præsenti habendus*, id est de præsenti efficiens matrimonium perfectum, sed solùm impletâ conditione, ut exponit Fagnanus ibidem n. 3. post Abbatem. Per adventum verò conditionis consensus conditionalis purificatur, & matrimonium ex eo tempore perficitur, perinde ac si purè ab initio foret initum. L. *potior* ff. *qui potiores in pignore habeantur.* Et L. *hæc venditio* ff. de contr. empt. 95

Dixi, *ad matrimonium consummandum*: sic enim textum capitis istius summant Abbas, & Alex. de Nævo. Proinde dum Pontifex ait: *non est cogendus ad matrimonium contrahendum*, sumit *contrahere* pro *consummare*, ut sic responsio congruat interrogationi. L. *Aurelius* §. *Stichus* ff. de libert. leg. & L. 1. Cod. de diverf. rescript. 96

Multò minùs contrarius est Alexander III. cap. *de illis* de condit. appos. dicens, quòd qui juravit mulieri: *ego te in uxorem accipiam, si tantum mihi donaveris*: non est *reus perjurii, si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dare petit, non acceperit uxorem, nisi* posteà *de præsenti* purè consenserit, vel eam cognoverit. Idcò enim non tenetur ducere ipsam nolentem implere conditionem, nisi posteà purè de præsenti consenserit; quia prior consensus pro præsenti non habet effectum, sed pro tempore futuro, si tunc ponatur adjecta conditio. Quâ deficiente, consensus desicit; ideòque tunc novus requiritur consensus absolutus. 97

Aliquid tamen observatione dignum est in responsione istâ Alexandri III. utique cum qui cum muliere contraxit, sub conditione de futuro, si eam cognoscat ante conditionis eventum, per copulam istam recedere censetur à conditione, absolutèque consentire, atque adeò matrimonium perficere, independenter à conditione. Atque ita Doctores communiter tradunt. 98

CAPUT XIV.

Consensus matrimonialis, coram Parocho & testibus per verba de præsenti præstitus, sub honesta conditione de præsenti, vel de præterito (v. g. accipio te in uxorem, si es legitima, si es virgo, &c.) ab initio nullus est deficiente conditione, nec convalescit ex copula subsequente.

Ratio prioris partis est, quia licèt error qualitatis, vel fortunæ, alias non reddat consensum in substantia nullum, hoc tamen non procedit, dum qualitas, in qua erratur, adjicitur contractui per modum conditionis honestæ, v. g. accipio te, si es dives, nobilis, &c. Tunc enim deficiente conditione, nullus est consensus, utpote conditioni alligatus. Ita S. Thomas in 4. dist. 29. q. 1. a. 3. q. 3. S. Bonaventura in 4. dist. 30. in exposit. litt. n. 4. Paludanus ibidem q. 1. a. 2. n. 9. S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 2. in fine. Adrianus, Sylvester, Sotes, & alii passim. 99

Ratio posterioris partis, quòd scilicet ex copula subsequente non convalescat, est quia tunc 100

demùm per copulam recedere quis censetur à conditione, quando conditio est de futuro. De qua expresè agit Pontifex cap. *per tuas* suprà relato: secus dum conditio de præsenti est, vel de præterito. Et ratio disparitatis est, quia dum conditio est de futuro, consensus ab initio non est nullus, sed validus, & legitimus, tametsi effectus ipsius suspensus sit usque ad conditionis eventum. A qua suspensione, sicut & à conditione Ecclesia recedere præsumit eum, qui cognoscit taliter sibi desponsatam: quia (ut fornicationis præsumptionem excludat) in favorem matrimonii præsumit accessum ad eam fuisse affectu maritali, atque adeò ipsum transisse de consensu conditionato in purum & absolutum. Dum verò conditio est de præsenti, vel præterito, eâ deficiente, consensus non est suspensus, sed ab initio nullus, ut dictum est numero præcedenti. Dum autem consensus ab initio nullus est, postea convalescere non potest per copulam, sed opus est novo consensu, novoque proinde contractu coram Parocho & testibus. Cùm ob defectum consensûs matrimonium ab initio fuerit omninò nullum, nulliterque coram Parocho contractum.

101 Quam sententiam (inquit Fagnanus ad cap. *si conditiones* de condit. appos. n. 26.) jam pridem approbavit Sacra Congregatio Concilii, dum censuit matrimonium nullum ob defectum ætatis, quamvis contractum coram Parocho & testibus, tamen non convalescere per consensum & copulam supervenientem post legitimam ætatem, sed debere iterùm contrahi, servatâ formâ à Concilio præscriptâ.

CAPUT XV.

Conditio turpis, adjecta contractui matrimoniali, illum reddit irritum & nullum, si sit contra substantiam & bona matrimonii. Alias habetur pro non adjecta.

102 TRia sunt bona de substantia matrimonii, secundùm Augustinum lib. de bono conjug. c. 24. videlicet proles, fides, & Sacramentum. Per prolem intelligitur obligatio non impediendi generationem prolis per sterilitatis poculum, abortum, &c. Per fidem, obligatio fidelitatis, quâ uterque conjux prohibetur accedere ad alterum vel alteram. Per Sacramentum, obligatio non dissolvendi matrimonium. Quæ indissolubilitas ideò vocatur Sacramentum, quia ex divina institutione, signum est rei sacræ, indissolubilis utique conjunctionis Christi cum Ecclesia.

103 Quòd conditio turpis, non contraria substantiæ matrimonii, non vitiet matrimonium, sed habeatur pro non adjecta, constat ex cap. *quicumque* de condit. appos. & cap. *si conditiones*, &c. Quòd autem turpis conditio matrimoniali contractui adjecta contra substantiam, seu bona dicta matrimonii, matrimonium nullum & irritum reddat, Gregorius IX. expresè declarat cap. *si conditiones* de condit. appos. his verbis: *si conditiones contra substantiam conjugii inferantur, puta, si alter dicat alteri: contrabo tecum, si generationem prolis evites. Vel, donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem. Aut, si pro quæstu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus... caret effectu.*

104 Ubi per primam conditionem Pontifex non intelligit evitationem generationis præcisè, nec per tertiam adulterium præcisè. Sed per primam intelligit obligationem seu promissionem evitandi generationem, per aliquem contranaturalem modum, quo proprius copulæ conjugalis effectus impediatur, v. g. per sterilitatis poculum, abortum, &c. Per secundam intelligit reservationem potestatis ducendi aliam, vivente comparte. Per tertiam intelligit obligationem tradendi se adulterandam. Quæ profectò tres conditiones apertè repugnant tribus substantialibus obligationibus matrimonii.

Sola tamen conditio vitandi copulam, sive ex 105
pacto, sive ex voto, mutuo consensu adjecta contractui matrimoniali, non adversatur obligationi substantiali ipsius, ut patet ex matrimonio B. Virginis cum S. Josepho, S. Henrici Imperatoris cum S. Cunegunde, Eleazari cum Delphina, Eduardi Angliæ Regis cum Editha, Marciani Imperatoris cum Pulcheria, &c. Matrimonium quippe verum B. Virginis cum S. Josepho, Angelus huic in somnis apparens agnoscit, cùm dicit: *noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Et S. Augustinus lib. 1. de nupt. & concup. c. 17. necnon in lib. de consensu Evangelist. c. 1. hoc (inquit) *exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.*

Et ratio est 1°. quia *matrimonium non coitus,* 106
sed consensus facit, prout in Jure dicitur.

2°. matrimonium contrahi potest cum intentione, imò votiva obligatione, ante illius consummationem, religionem ingrediendi, cap. *commissum* de sponsal. Ergo & cum votiva obligatione, de mutuo consensu, castitatem servandi.

3°. stat verum matrimonium, stante vero do- 107
minio in mutua corpora. Sed verum in mutua corpora dominium esse potest ligatum & impeditum quoad usum, per votum, vel pactum, seu conditionem matrimoniali contractui adjectam: sicut verum in alias res dominium esse potest ligatum & impeditum quoad usum, per legem, vel pactum. Sæpè enim lege fit, ut habens directum rei dominium, seu proprietatem, nec usum-fructum habeat, nec usum, ut fit in pupillo, quamdiu sub tutoribus est: quamvis enim sit *dominus omnium*, de iis tamen, absque tutorum consensu, disponere non potest. Et ratio à priori est, quia usus à dominio separabilis est, cap. *exit* de verb. signif. Stat ergo dominium sine usu, & sine potentia expedita ad usum, ut in dictis pupillis patet.

CAPUT XVI.

Consensus ad valorem matrimonii requisitus debet esse liber à coactione, & metu gravi, ad ipsum extorquendum injustè incusso.

RAtionem adfert Alexander III. cap. *cùm lo-* 108
cum de sponsal. & matrim. *cùm enim locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut ubi consensus cujusquam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur; & ubi de ipso quæritur, plenâ debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.*

Unde cap. *veniens* secundo eodem tit. cùm 109
quidam spopondisset se ducturum mulierem, cum qua copulam habuit, ex qua & filium suscepit, ac deinde in domo vicini sui cum filia ipsius concubuisset, & à patre puellæ in uno lecto inventus, coactus fuisset ipsam, per verba de præsenti desponsare. De eo casu idem Pontifex interrogatus, respondit: *si inveneris quòd primam post fidem præstitam cognoverit, ipsum cum ea facias permanere. Alioqui secundæ (nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit) adhærere facias ut uxori.*

Et cap. *consultationi* eod. *mulieres* (ait Inno- 110

centius III.) *quæ veniunt ad valvas Ecclesiæ cum sponsis, & ibi reclamantes, affirmant se nunquam in eorum matrimonium consensisse: audiri (sponsis legitimè probantibus contrarium) non oportet. Cùm legitimis & idoneis testibus non debeat illarum simplex assertio prævalere. Sanè illis quæ, benedictione acceptâ, mox à sponsis aufugiunt, ante carnis copulam subsecutam, asserentes se nunquam in illos veraciter consensisse, sed metu illato compulsas, verba protulisse consensûs, licèt animo dissentirent, non statim est audientia deneganda; sed de illato metu est cum diligentia inquirendum. Et si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem virum, erunt non immeritò audiendæ.*

111 Ex citatis Canonibus satis apparet, matrimonium ex gravi metu contractum esse ipso jure nullum. Idque probat S. Thomas in 4. dist. 29. q. 2. a. 3. q. 1. *quia vinculum matrimoniale perpetuum est. Unde illud quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium. Metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractûs tollit: quia potest peti restitutio in integrum* (secundùm canones allatos) *& ideò talis coactio metûs, qui cadit in constantem virum, tollit matrimonium, & non alia. Quidam autem dicunt, quòd, si adsit consensus, quamvis coactus, interius est matrimonium, quantùm ad Deum; sed non quantùm ad statum Ecclesiæ, quæ præsumit ibi non fuisse consensum interiorem, propter metum. Sed hoc nihil est: quia Ecclesia non debet de aliquo præsumere peccatum, quousque probetur. Peccavit autem* (mentiendo) *si dixit se consentire, & non consensit. Unde Ecclesia præsumit eum consensisse; sed judicat illum consensum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium.*

112 Dixi ex metu gravi, *injustè incusso*. Quia dum metus justè incutitur, consensus per injuriam non extorquetur, nec jure se invitum conqueri potest, qui jure ipso cogitur, cui si non pareat, injustus est, ut dum ab Ecclesia sub gravissimis pœnis compellitur quis ducere eam, cui fidem suam obstrinxit, sub eaque data copulam ab ea extorsit. Et idem est dum à Judice quis sub pœna exilii, vel triremium, compellitur ad ducendam eam quam constupravit.

113 Hinc Gregorius Magnus epist. 42. ad Episcop. Sipontin. lib. 2. jubet ut Felix, qui virginem quamdam stupro deceperat, *aut quam stupravit, uxorem habeat, aut, si renuendum putaverit; corporaliter castigatus, excommunicatusque, in Monasterium, in quo agat pœnitentiam, retrudatur; de quo nulla sit egrediendi sine nostra præceptione licentia.*

114 Nec metus, à causa naturali, vel interna proveniens, irritum facit matrimonium carnale, magis quàm spirituale, juxta cap. *sicut nobis* extr. de Regularibus, ubi approbatur religiosa professio, ad quam aliquis metu mortis, ex gravi morbo imminentis, inductus est. Et ratio est, quia dum metus ex tali causa provenit, citra omnem injuriam provenit, ex sola dispositione divina. Et sicut tunc non deest libertas sufficiens ad votum; ita nec ad matrimonium. Denique dum metus causatur ab intrinseco, à nullo alio quis ad matrimonium compellitur, nisi à seipso.

115 Et ideò si viator videat puellam ab incendio, vel tempestate, de vita periclitantem, & vocatus in auxilium, renuat, nisi matrimonium ipsi promittat, & ipsa metu mortis ipsi promittat, tenetur promissione. Et si Medicus, videns infirmum usque adeò periclitantem, ut nulla sit ipsi spes recuperandæ sanitatis, nisi ope Medici; & interim Medicus minetur se derelicturum ipsum, nisi filiæ suæ nubat, matrimonium ex ejusmodi metu contractum validum est. Quia metus mortis (qui causa est illius) ipsi propriè non incutitur à Medico, sed à morbo, sicut in proprio casu si juvenis nollet puellam de naufragio periclitantem juvare, nisi duceret ipsum.

Nec ille metus, injustè incussus, matrimo- 116
nium irritum facit, qui illatus non est ad extorquendum consensum in matrimonium, sed alia de causa, ut si pater hominem cum filia sua inventum in stupro interficere velit, in ultionem injuriæ dedecorisque familiæ suæ, & ipse, ad evadendam mortem illam, sponte offerat matrimonium in compensationem istius injuriæ, ad placandum irati patris animum, valet matrimonium. Quod tamen irritum esset, si pater ipsi minaretur mortem, nisi filiam suam statim duceret, ut constat ex cap. *consultationi* n. 110. relato. Quòd si non minaretur ipsi mortem à se inferendam, sed à Judice, cui ipsum delaturus esset, nisi stupratam duceret, matrimonium valeret. Quia pater non incussisset metum injustè. Denique secundùm omnes valet matrimonium, metu mortis vel stupri contractum à puella, quæ lapsa in manus sicariorum, vel stupratoris, ne ab eo occideretur, vel stupraretur, promisit matrimonium viatori illac transeunti, si ipsam ex imminenti periculo criperet.

Porrò quotiescumque puella ex gravi metu in- 117
justo matrimonium invalidè contraxit, debitum reddere non potest, etiamsi ad illud metu mortis adigeretur. Aliàs fornicaretur. Cùm tamen mortem vir & femina constans subire debeat, potiùs quàm mortale peccatum committere. Ut enim S. Thomas ubi suprà a. 2. ad 2. *peccata sunt maxima malorum. Et ideò ad hoc nullo modo potest homo constans cogi; imò magis debet homo mori, quàm talia sustinere.*

Sed quisnam (inquies) metus gravis, & ca- 118
dens in constantem virum; quis levis censetur, seu cadens in virum inconstantem? Hoc enim scire interest: cùm levis metus (secundùm D. Thomam, Bonaventuram, & omnes) non dirimat matrimonium. Partim quia tametsi libertatem minuat, non tam per se minuit, atque ex vitio concutientis metum, quàm per accidens, ex vitio timentis, ob ejus inconstantiam. Partim quia libertatem non minuit invincibiliter, sed vincibiliter, cùm facilè deponi possit.

Respondeo metum gravem esse, quo grave 119
malum ex gravi timetur fundamento. Grave (inquam) malum, id est tale, ut vir gravis & constans metu illius moveatur ad faciendum quod aliàs facturus non esset (cujusmodi est metus mortis, stupri, carceris, exilii, &c.) cujus metu vir gravis non movetur, nisi ex gravi fundamento illud timeat, id est ex tali fundamento, ut appareat probabiliter futurum, eò quòd facilè illud vitare nequeat, & persona, à qua malum timetur, potens sit minas exequi, probabiliterque præsumatur eas executurus.

Tunc autem levis est metus, seu cadens in 120
virum inconstantem, quando vel est metus levis mali, vel, si gravis, ex levi fundamento; eò quòd incutiens metum vel non sit potens minas exequi, vel probabiliter non præsumatur executurus; eò quòd malum facilè impediri possit.

CAPUT XVII.

Matrimonium coram Parocho & testibus celebratum, si ab initio fuerit occultè nullum, ob gravem metum vel fictionem unius partis, accedente vero & libero consensu ipsius convaluerit, modò altera pars in pristino consensu persistat.

ITa S. Thomas in 4. dist. 29. q. 2. a. 3. ad 2. 121
ibi: *ex consensu libero illius qui prius coactus est,*

est, non fit matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet. Censet ergo fieri matrimonium, si consensus præcedens in altero adhuc maneat. Concinit S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 7. *si postea consentiat liberè, personâ alterâ in consensu pristino persistente, verum efficitur matrimonium.* Estque communis sententia, non solùm Theologorum, sed & Canonistarum, ut Fagnanus ostendit ad cap. *licèt* de sponsa duorum num. 2.

122 Et ratio est quia, ut convalescat, non est opus iteratâ præsentiâ Parochi & testium, prout declaravit Pius V. Nec opus est novo consensu utriusque partis, cùm consensus unius partis supponatur adhuc moraliter perseverare. Solùm ergo opus est, ut ei accedat consensus verus & spontaneus alterius partis, quæ priùs fictè vel coactè consensit.

123 Et confirmatur 1°, si pars, quæ priùs coactè consensit, spontaneè postea cohabitaret, vel commisceretur alteri ut conjugi, matrimonium convalesceret, juxta cap. *ad id* de sponsal. & matrim. cap *significavit* extr. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult. Et cap. *proposuit* de conjugio servor. Hoc autem ideò est, quia spontanea cohabitatio, vel commixtio, seu copula coactionem subsecuta, quædam est spontanei consensûs declaratio.

124 2°. rectè arguitur à matrimonio spirituali ad carnale. Matrimonium autem spirituale, quod contrahitur inter eligentes & electum, valet, licèt electi & eligentium consensus eodem tempore non præstentur, cap. *cùm inter Canonicos* de electione.

CAPUT XVIII.

Matrimonium coram Parocho & testibus celebratum, si ab initio nullum fuerit ob impedimentum occultum, dispensatione obtentâ non convalescit, nisi novus utriusque partis consensus accesserit, verbis aut signis expressus, licèt hoc positio necessarium non sit eum de novo exprimere coram Parocho & testibus.

125 RAtio prioris partis est 1°. quia consensus ab initio præstitus fuit nullus, quia inter personas illegitimas.

126 2°. quia dispensatio, superveniens matrimonio invalidè contracto, non facit priorem consensum de invalido validum, sed dumtaxat personas de illegitimis legitimas ad matrimonium contrahendum.

127 3°. novo proinde opus est contractu, ut jam legitimè contrahant, qui priùs illegitimè contraxerunt. Igitur novo opus utriusque partis consensu, utpote sine quo novus contractus fieri non potest.

128 4°. matrimonium legitimè non contrahitur, nisi consensu utriusque partis legitimo. Cùm ergo consensus antè præstitus legitimus non fuerit, novus adhibeatur necesse est.

129 Ratio posterioris partis est, quia novâ præsentiâ Parochi & testium opus non est, dum semel adhibita fuit, & in facie Ecclesiæ probari nequit quòd illegitimo contractui adhibita fuerit, prout ostensum est ex declaratione Pii V. non semel allata.

130 Novâ proinde præsentiâ Parochi & testium solùm opus est post dispensationem, obtentam super impedimento publico, sive quod publicè probari potest. Et ratio est, quia si tunc sufficeret consensus clandestinus ad matrimonium de novo validè contrahendum, ex simili matrimonio facilè oriri possent incommoda, propter quæ Tridentinum irrita esse voluit matrimonia clandestina, ut constat ex suprà dictis. Quæ quia prudenter timeri nequeunt ex matrimonio clandestinè renovato, post obtentam in S. Pœnitentiaria dispensationem super impedimento occulto, postquam matrimonium cum eo publicè coram Parocho & testibus celebratum est (eò quòd primum matrimonium publicè celebratum probari non possit nullum) ideò Pius V. declaravit tunc sufficere clandestinam renovationem per novum consensum privatim expressum. Quippe nunquam S. Pœnitentiaria occultè dispensat, nisi impedimentum taliter occultum sit, ut in foro externo probari nequeat. Si enim aliquis esset timor, vel probabile periculum, quòd aliquo modo fieri posset publicum in futurum, Major Pœnitentiarius (ut monet Pyrrhus Corradus) retnitteret supplicationem ad Datariam, ut Oratores ibi peterent secum dispensari in utroque foro: quia non occultum, sed manifestum dicitur, quòd potest probari.

Ideò ergo in supplica exprimenda non sunt no- 131
mina eorum pro quibus dispensatio petitur in S. Pœnitentiaria, & in Rescripto Major Pœnitentiarius ponit hanc clausulam, *dummodò impedimentum inde proveniens occultum sit.* Dumque dispensationem committit super matrimonio inito cum impedimento affinitatis occulto ex fornicatione, hanc addit clausulam: *quòd Oratores diligenter experiantur, num sine scandalo possint separari: Quod si fieri potest, fiat omninò. Si autem fieri non poterit, saltem experiantur, an cohabitantes, ut frater & soror, continenter vivere valeant. Quòd si neutrum fieri valeat, & ex cohabitatione incontinentiam, ex separatione verò scandalum oriri posse tibi visum fuerit, cum ipsis latoribus, de nullitate prioris consensûs certioratis (sed ita cautè, ut si illa adhuc ignorarit, latoris delictum nusquam detegatur) dispensa, ut matrimonium secretò inter se* (nova ergo non requiritur præsentia Parochi, &c.) *contrahere valeant, prolem susceptam, siquæ sit, & suscipiendam exinde, legitimam declarando in foro conscientiæ tantùm.*

Ex his verbis, *cum ipsis latoribus, de nullitate* 132
prioris consensûs certioratis, nonnulli inferunt, matrimonium nullum, ob impedimentum dirimens, de novo validè non contrahi, nisi uterque conjugum certioretur de impedimento. Non in specie, sed saltem in genere, ita ut saltem cognoscat aliquem defectum fuisse in matrimonio priùs inito; ideòque opus esse novo consensu. Rationem dat Scotus in 4. dist. 35. q. 1. quia *primus consensus non fuit matrimonialis; & ideò ad hoc quòd sint conjuges, requiritur novus consensus. Et tunc dico, quòd si impedimentum non exprimatur personæ insciæ, ipsa in copula carnali sequenti non consentit novo consensu, sed solùm reddit in virtute primi consensûs, qui nullus fuit. Et ideò licèt persona sciens de novo consentiat, non tamen sufficit.* Hoc expressè dicit Glossa in cap. 1. de eo qui duxit in uxor. quam poll. per adulter. *In primo* (inquit) *consensu, qui fuit nullus, intelligitur perdurare*, quamdiù nihil scit de illius nullitate; ideòque novo consensu ad validum conjugium opus esse. Propterea ergo in dispensationibus, quæ dantur in sacra Pœnitentiaria, ad tollendum omne dubium in materia tam delicata, poni solet hæc clausula: *cum ipso latore dispensa, muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur.*

Hoc haud dubiè tutius est, servandumque in 133
praxi, si possit absque periculo suspicionis adulterii, dissensionis, scandali, absolutæ separationis. Uno verbo si tanta sit unio inter utrumque, ut nihil inde timendum sit. Sed quia non rarò ex hoc periculum est, vel scandalorum, vel dissensionum, vel suspicionum, absolutæ etiam separationis, si magna non sit unio inter ipsos, tunc satis esse censent Sanchez, Sylvius, Natalis ab

Alexandro, Neesen, aliique viri docti, quòd pars consscia impedimenti, alteram blanditiis suaviter delinitam, sollicitet ad sui amorem, hoc vel simili modo: *Charissima, ita te diligo, ut si non esset inter nos matrimonium, te acciperem, & ita de facto te accipio. siquis fortè defectus fuerit in nostro matrimonio. Numquid tu similiter?* si verbis vel signis annuat, matrimonium convalescit. Igitur absolutè necessarium non est, quòd pars nescia impedimenti, fiat illius consscia, ut novum consensum sufficientem præstet, & non solùm persistentiam in priori, vel ejus ratificationem. Quæ profectò non sufficeret.

CAPUT XIX.

Matrimonium Christus reduxit ad primam institutionem: secundùm quam esse debet unius cum una.

134 PRobatur 1°. ex illis Christi verbis Matth. 19. *non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos. Et dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Igitur (secundùm declarationem Christi) matrimonium sic à Deo primitùs institutum est, ut esset unius cum una, non unius cum pluribus. Propterea enim non dixit: *masculum & feminas*; sed, *masculum & feminam fecit eos.* Nec dixit, *adhærebit uxoribus*; sed, *uxori suæ.* Nec dixit, *erunt tres vel plures*; sed, *erunt duo in carne una.* Ex quibus verbis, unum uni tantùm uxori ex primæva institutione conjungendum SS. Patres colligunt, Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthymius, & Innocentius III. cap. *gaudemus* de divortiis.

135 Polygamia itaque simultanea, non quâ una uxor plures simul haberet maritos (quod nunquam permissum fuit; eò quòd fini matrimonii, scilicet generationi prolis adversetur) sed quâ vir unus plures simul haberet uxores, primævæ, imò naturali institutioni matrimonii à Deo factæ adversatur. Non sic tamen ut sit intrinsecè mala, nullaque de causa ex divina concessione, vel dispensatione de facto licita fuerit Patriarchis, ad multiplicationem populi Dei, certorumque mysteriorum significationem. Ut enim Innocentius ait loco citato, *nulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum.... Per quam.... Patriarchæ, & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.* Quam revelationem, seu divinam concessionem, quia habuisse non creditur Lamech, primus polygamus, ideò polygamiam ipsius damnant sancti Patres, & Nicolaus Papa cum *adulterum* vocat. L. 1. ad Consulta Bulgar. c. 51.

136 Secundò, probatur ex istis aliis verbis Salvatoris Marci 10. *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Ex quibus Innocentius III. ibidem arguit sic: *si ergo uxore dimissâ, duci alia de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ.* Concessionem itaque Patriarchis factam Christus sustulit, matrimoniumque ad primævam Dei institutionem reduxit, ut communis est, semperque fuit traditio Christianorum omnium à tempore Apostolorum, ne ipsis quidem hæreticis dissentientibus, excepto spurcissimo Luthero (apud Bellarminum lib. 1. de matrim. cap. 10.) & Anabaptistis apud Kemnitium in 2. p. exam. pag. 1229. ubi fatetur eorum errorem rectè damnari à Tridentino sess. 24. can. 2. ubi anathema dicit ei, qui *dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum.* Hic canon contra Lutherum editus est, qui unà cum Bucero & Melanchtone, novo & apud Christianos inaudito exemplo, permisit Philippo, Hassiæ Lantgravio, ut, vivente adhuc Christianâ Ducissâ Saxoniæ, Margaritam Saal uxorem duceret, quæ tamen solùm secundaria foret, & velut concubina, ita ut filii ex ipsa suscipiendi hæredes non forent, prout ex actis publicis refert Jacobus Benignus Episcopus Meldensis l. 6. variat. Eadem acta exhibet Iveninus de matrim. q. 4. c. 1. a. 2. Instructionem scilicet Lantgravii Bucero traditam. 2°. Lutheri, Melanchtonis, Buceri, &c. ad eundem Lantgravium consultationem. 3°. publicum Notariorum Instrumentum, quo constat Lantgravium, post receptam illam consultationem, aliud matrimonium, stante adhuc priore, contraxisse. Sed nullus alius Rex, vel Princeps hæreticus, factum insolens ausus est imitari. Quod Romani Gentiles semper horrucrunt; prout & ipsimet Barbari Germani, eo nomine laudati à Tacito. Apud Græcos laudatur Cerops, eò quòd primus (teste Athenæo) *unam feminam uni marito attribuit.* Quem morem sapientissimi quique Ethnici probarunt. Hinc ab ipsis laudari solet hæc sententia Euripidis, in persona Hermionis: *non decet unum imperare feminis geminis virum; contentus uno conjugis vivat thoro, quicumque cupiet ritè curatam domum* Utique vel ipsi Ethnici viderunt rectæ administrationi familiæ, pacique domesticæ convenientem non esse simultaneam uxorum polygamiam. Eamque contrariam esse legi divinæ, Augustinus ostendit in lib. de bono conjugali c. 7. & 15. Et lib. 22. contra Faustum c. 47. Et lib. 3. de doctr. Christ. c. 18. Proinde non solùm illicita est Christianis, sed & Turcis, aliisque Infidelibus & Paganis. Et ideò dum Infideles ad fidem convertuntur, jubentur unam tantùm uxorem, primo utique loco acceptam, velut legitimam retinere, cæteris velut illegitimis dimissis.

CAPUT XX.

Matrimonium baptizatorum ratum, solâ morte (naturali vel civili) quoad vinculum solvi potest: consummatum, solâ morte naturali.

137 ESt dogma Catholicum, apertè traditum à Christo Matth. 19. *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Matth. 10. *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit*, &c.

138 Necnon ab Apostolo 1. Cor. 7. *iis autem qui matrimonio junctì sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat... Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*, &c.

139 Idem tradunt Patres omnes. Quos inter Augustinus lib. de bono conjugali c. 15. *semel* (inquit) *initum connubium in Civitate Dei nostri* (id est in Ecclesia) *ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam Sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest, nisi alicujus eorum morte dissolvi. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cujus causâ initum est, manifestâ sterilitate non subsequatur*, &c.

140 Et ideò Tridentinum sess. 24. can. 5. anathema dicit ei qui (cum Calvino) dixerit, *propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum.* Quod & à Calvinistis practicatur.

141 Nec contrariatur Gregorius II. can. *proposuisti* 32. q. 2. *si mulier, infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis?.... si se non poterit continere, nubat magis.*

Quamvis

Quamvis enim contrariari putet Gratianus ibidem, & ideò Reſcriptum illud Gregorii rejiciat ut *Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ penitùs adverſum*; Baronius ad annum 726. accipit in meliorem partem de infirmitate matrimonium præcedente, per quam mulier facta ſit impotens ad matrimonii uſum.

142 Fateor tamen nonnullos Pontifices in Reſcriptis matrimonialibus nonnulla contra matrimonii indiſſolubilitatem ſcripſiſſe. Nam & Papa Deusdedit in Reſcripto ad Gordianum, Archiepiſcopum Hiſpalenſem, interrogatus quid agendum cum conjugatis, viris & mulieribus, qui *pro magno populorum concurſu neſcientes proprios ſuos filios ſuſcepiſſent ex lavacro ſancto*? Reſpondit: *Nos enim... invenimus in Archivis hujus Apoſtolicæ Sedis jam talia contigiſſe Eccleſiæ Iſauriæ, & Epheſiorum, ſimulque Hieroſolymæ....* Quòdque beatæ memoriæ *ſanctiſſimi Patres Julius, Innocentius, & Cæleſtinus.... prohibentes talia præſcripſerunt & confirmaverunt, ut nullo modo jam in conjugio ſe reciperent mulieres, aut viri, qui quàcumque ratione ſuos ſuſceperant natos, ſed ſeparent ſe. Mulieres verò, cum ſeparatæ fuerint pro hac illicita re à propriis viris, totam præcipimus recipere dotem. Et poſt expletum annum, recipiant alium virum. Similiter & vir uxorem.* Clemens III. (ut refert Robertus Corzen in Sum. Theol. q. de impedim. matrim. atque ex eo Chriſtianus Lupus diſſert. de opin. probab. c. 6.) reſcripſit uxorem hæretici, ad fidem converſam, ad alias poſſe nuptias convolare, ſi vir pertinax abſque fidei injuria nolit cohabitare. Quidam etiam Prædeceſſores Alexandri III. judicarunt matrimonium ratum cum una, dirimi per conſummatum cum alia. Sed contrarium reſcripſit Alexander III. cap. *licèt* de ſponſa duorum: *quamvis* (inquit) *aliter à quibuſdam Prædeceſſoribus noſtris ſit aliquando judicatum.* Reſcriptum etiam Clementis III. ab Innocentio III. revocatum fuit, cap. *quanto* de divort. conſtatque ex citato can. 5. Concilii Tridentini jam teneri non poſſe. Denique Hugo à S. Victore tr. 7. Theol. erudit. c. 20. poſt relatum Reſcriptum Deusdedit Papæ, *ſed non eſt* (inquit) *et in hoc accedendum. Cùm prohibeat Dominus virum dimittere uxorem, niſi cauſâ fornicationis.* Et etiam Innocentius, & alii Authores, quos ipſe induxit ad ſuam ſententiam corroborandam, de illis tantùm agere videntur, qui antè compatres, & commatres fuerunt quàm conjuges eſſent. Quos jure prohibuerunt, ne ſe conjugio reciperent.

143 Nec tamen ſolidè Joannes Launojus ex allatis Reſcriptis arguit contra infallibilitatem Summi Pontificis in definitionibus fidei. Ut enim optimè Cajetanus loco citato: *Decretales Pontificiæ de hac materia, non ſunt definitivæ fidei, ſed judicialis facti.* Profitentur autem ipſi Pontifices, ut patet in cap. *quanto* de divortiis, & cap. *licèt* de ſponſa duorum, Romanos Pontifices aliquando in his judiciis matrimoniorum erraſſe.

CAPUT XXI.

Ne quidem ob adulterium diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, ſi non de fide, ſaltem eſt fidei proximum.

144 MAtrimonii vinculum diſſolvi poſſe ob moleſtam cohabitationem, affectatam abſentiam conjugis, & adulterium, hæretici cenſent, apud Bellarminum de matrimonio l. 1. c. 15. & Florim. Raymundum de ort. & progreſſ. hæreſ. l. 8. c. 13. n. 4 & 5.

145 Et in cauſa quidem adulterii, matrimonii (etiam conſummati) vinculum poſſe diſſolvi, magni olim viri, imò magnæ Synodi docuerunt (inquit Chriſtianus Lupus diſſert. de opin. probab. c. 5.) ſic utique intelligentes verba Chriſti Matth. 5. *omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis cauſâ, facit eam mœchari.* Ita imprimis (cum pluribus aliis authenticis Græcis Patribus) S. Aſterius, Epiſcopus Amaſenus, homil. in cap. 19. Matthæi, dicens, *exceptâ morte ac adulterio, nulla ex cauſa matrimonium dirimi.* Ita etiam Græcos paſſim docuiſſe, liquet (inquit) ex Imperatoris Juſtiniani, & Leonis ſapientis Legibus, & variis Decretis exiſtentibus in Jure Græco-Romano. Itaque conſuetudo multis à ſæculis apud Græcos invaluit, ut patet ex eo quòd inter articulos, de quibus Latini in Concilio Florentino à Græcis rationem, poſt concluſam unionem, poſtularunt, fuerit iſte: *quare conjugia dirimitis, dicente Domino: quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*? Cùmque Dorotheus, Mitylenenſis Metropolita, prætatas leges allegaſſet, & Latini repoſuiſſent eas prævalere non poſſe Evangelio: interim Eugenius cenſuit unionem propter articulum iſtum non abrumpendam. In Concilio etiam Tridentino, cùm paratus eſſet Canon, cum anathemate in eum qui diceret, matrimonia conſummata ob adulterium diſſolvi, Oratores Veneti 11. Auguſti 1663. ſolemniter interceſſerunt, ut Canon iſte ſeniretur, quòd *ſatis conſtaret, in more poſitum apud Græcos, ut uxorem adulteram deſerant, & aliam ducant, veterrimam Majorum conſuetudinem, ut ipſi dicunt, ſecuti, nec ideircò illos damnatos, aut anathemate perculſos fuiſſe ob ulla Synodo Oecumenica, etiamſi Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ hujuſmodi mos liquido innotuiſſet*, prout narrat Card. Pallavicinus Hiſt. Concil. Trid. lib. 22. c. 4. n. 27.

Quin & plures Latini Patres, & Synodi eamdem ſententiam docuerunt, quos inter Chriſtianus Lupus ubi ſuprà refert Avitum Archiepiſcopum Viennenſem epiſt. 29. ad Anſemondum, S. Bonifacium Martyrem in ſelectis Capitulis c. 35. S. Theodorum Cantuarienſem Archiepiſcopum cap. 116. ubi ſic: *cujus uxor fornicatur, licet eam dimittere, & aliam ducere.* 146

Refert & Synodum primam & numeroſiſſimam Arelatenſem can. 10. Venericam can. 1. Synodum Compendienſem ſub Pipino Rege can. 8. Synodum Sueſſionenſem ſub eodem cap. 9. Synodum Vermerienſem ſub eodem cap. 2. ubi ſic: *ſiquis cum filiaſtra ſua manet... uxor ejus.... ſi poſteaquam cognovit quòd cum filia ſua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habet.... poteſt alii nubere.* Simile quid habetur in Capitularibus Caroli Magni lib. 5. c. 19. Sicut & in Synodo Romana ſub Eugenio II. cap. 36. Et altera ſub Leone IV. c. 26. ubi ſic: *nulli liceat, exceptâ fornicationis cauſâ, adhibitam uxorem relinquere, & aliam copulare.* 147

Denique (pluribus aliis Synodis omiſſis) ſic etiam Cajetanus cenſuit in cap. 19. Matthæi, & Catharinus in tract. de matrim. qui Romæ editus eſt anno 1552. cum Julii III. privilegio. Et noviſſimè Hamelius tr. de matrim. lib. 1. c. 4. dicit, quòd *multi & graves Theologi in ea ſint opinione, ut putent hanc quæſtionem ad diſciplinam potiùs quàm ad fidei dogma pertinere.* In quam opinionem ipſe etiam propendet ibidem, & cap. 5. *niſi quis* (inquit) *Eccleſiam Catholicam in hoc errare pertenderet.* 148

Cenſeo tamen 1°. aſſertionem noſtram, quæ (contra Lutheranos, Calviniſtas, & Anabaptiſtas) dicit matrimonium ne quidem ob adulterium ſolvi poſſe; ſi non abſque controverſia fide certam, ſaltem eſſe fidei proximam. 2°. eſſe contra fidem, aſſerere cum iſtis hæreticis, quòd Eccleſia erret, *cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulte-* 149

rium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi.

150 Hoc secundum patet ex can. 7. sess. 24. Concilii Tridentini: *siquis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissâ adulterâ, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.* Enimverò est contra fidem, asserere quòd Ecclesia, quæ columna est, & firmamentum veritatis, cuique Deus infallibilitatem promisit, erret in intelligentia Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ.

151 Ratio verò prioris dicti nostri, seu prioris illius partis, *si non absque controversia fide certam*: est quia inter viros doctos aliqua adhuc controversia est, an sit omninò de fide, quòd matrimonium ob adulterium dissolvi non possit, uti constat partim ex præmissis, partim ex eo quòd Græcorum consuetudo suprà relata, laudatarumque Synodorum doctrina, à nulla Synodo Oecumenica, nec ab ullo Romano Pontifice damnata fuerit, & anathemate percussa. Non utique à Nicolao I. nec à Leone IX. tametsi temporibus ipsorum Latinos inter & Græcos grave hac de re ortum esset dissidium. Nec à Concilio Lateranensi sub Innocentio III., vel à Lugdunensi sub Gregorio X. ubi Græci cum Latinis convenerant. Nec à Florentino, in quo Latini Græcis consuetudinem illam objecerunt: quam tametsi Eugenius IV. correctione dignam asseruerit, non ideò tamen Græcos hæreticos censuit; imò (eâ non obstante) sic Græcos allocutus est: *Nos, Fratres, Dei beneficio sumus fide conjuncti.* Denique cùm in Tridentino Canon paratus fuisset, quo anathema dicebatur asserenti, matrimonium consummatum quoad vinculum ob adulterium solvi posse, ad instantiam Oratorum Venetorum Canon iste lenitus fuit, & in eum (quem paulò antè exhibuimus) commutatus, ne illam Græcorum consuetudinem anathemate ferire videretur. Tametsi Andræas Cuesta, Episcopus Legionensis, fortiter obstiterit, dicens hanc veritatem, de indissolubilitate matrimonii ob adulterium, esse definitam in Synodo Milevitana can. 17. in sexta Oecumenica, & in Florentina.

152 Sed de Florentina contrarium videtur ex proximè dictis. Sextam Synodum laudatus Episcopus malè allegavit: cùm in ea nulli Canones editi fuerint. Voluit fortasse allegare Trullanam Synodum, cujus Canones in Ecclesia recepti non sunt. In laudato quidem Canone Milevitano habentur hæc verba: *placuit, ut secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur. Sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.* Sed non ideò Augustinus (qui ei interfuit, & istius Synodi Canones magna ex parte digessit) censuit hoc ibi determinatum, tamquam articulum fidei, sed tamquam articulum disciplinæ. Anno quippe circiter 419. (adeòque post Synodum istam, anno 416. celebratam) scripsit duos libros suos de adulterinis conjugiis, ubi lib. 1. c. 25. quæstionem hanc *obscurissimam & implicatissimam esse* fatetur, & lib. 2. retract. c. 57. *difficillimam.* Quod non diceret de quæstione, tamquam articulo fidei, ex Evangelica Apostolicaque doctrina dilucidè definita.

153 His tamen non obstantibus, assertionem nostram de indissolubilitate matrimonii ob adulterium, esse fidei proximam, ostenditur ex eo quòd doctrinam istam Ecclesia tradat velut Evangelicam & Apostolicam, teste Tridentino ibi: Ecclesia *docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium .... matrimonii vinculum non posse dissolvi.* Atqui doctrina, quam Ecclesia tradit ut Evangelicam & Apostolicam, si non est de fide, quia necdum ab Ecclesia definita ut talis, saltem est proximè definibilis, adeòque fidei proxima. Enimverò eam Tridentinum de facto definiisset, nisi intercessio Oratorum Venetorum ad leniendam definitionem movisset, prout constat ex Canone ad ipsius definitionem parato.

Accedit 1°. quòd assertio illa fidei proxima 154
sit, quæ probabilissimè, imò moraliter certò continetur in sacris Litteris. Atqui indissolubilitas vinculi matrimonialis ob adulterium, probabilissimè, imò moraliter certò continetur in sacris Litteris. Contineri enim censet Ecclesia: nec negari potest probabilissimum, imò moraliter certum esse, quod Ecclesia censet.

Accedit 2°. quòd ille Scripturæ sensus vel de 155
fide sit, vel fidei proximus, quem Ecclesia tenuit ac tenet (cùm ei sensui nullus contradicere queat, juxta Tridentinum sess. 4. prohibens ne quis S. Scripturam ad suos sensus contorqueat, contra sensum quem tenuit & tenet S. Mater Ecclesia.) Atqui loca Evangelii & Apostoli (capite præcedenti relata) Ecclesia intelligit & intellexit in sensu assertionis nostræ, ut patet ex Tridentino relato, probaturque insuper

1°. ex Concilio Eliberitano can. 9. *fideli* 156
femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quàm is quem reliquit, de sæculo exierit.

2°. ex citato Canone 17. Milevitano, cui 157
consonat Canon 69. Concilii Africani.

3°. ex Concilio Nannetensi anni 900. can. 158
12. *sicujus uxor adulterium perpetravit, & hoc à viro deprensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa verò septem annis pœniteat. Vir verò ejus, illâ vivente, nullatenùs accipiat aliam uxorem.* Idem sancit Concilium Forojulienſe anni 791. can. 10. ubi addit, quòd *etsi legatur in sacris Evangelicis Paginis, solâ fornicationis causâ dixisse Dominum, dimittere virum uxorem suam; non tamen legitur concessisse aliam, vivente illâ, in conjugio sibi copulare: probabuisse quidem modis omnibus non ambigitur*, in locis utique cap. præcedenti relatis.

4°. ex Florentino in Decreto (post Græco- 159
rum discessum) Armenis tradito, *quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere; non tamen aliud matrimonium contrahere fas est: cùm matrimonii vinculum (legitimè contracti) perpetuum sit.* Unde & Eugenius IV. convocatis Præsulibus Græcis, ante discessum eorum dixit, *omnes de separatione matrimoniorum conqueri, idque correctione indigere.* Cui Præsules illi dixerunt, responsum se dare non posse, ob Imperatoris, & multorum Præsulum absentiam. Ideòque nihil ibi definitum fuit, tamquam de fide. Quidquid de eo sit, mens Ecclesiæ Romanæ, seu Occidentalis, hac de re certissima est, eique adstipulantur præcipui Patres ferè omnes, etiam Græci, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, Origenes homil. 7. in Matth. 19. Basilius epist. ad Amphiloch. can. 9. Ambrosius in cap. 16. Lucæ 21. 36. & 48. Hilarius can. 4. in Matth. 8. Martialis epist. 2. c. 9. Hieronymus in cap. 19. Matth. l. 1. in Jovin. epist. 30. ad Oceanum, epist. 147. ad Amandum. Augustinus homil. 47. inter 50. l. 1. de nupt. & concupisc. c. 10. in duobus libris de adult. conjug. & alibi frequenter. Innocentius I. epist. 111. ad Exuper. Beda in cap. 10. Marci. Et in cap. 7. primæ ad Corinth. Paschasius Radbertus l. 9. in Matth. Druma-

rus cap. 11. in Matth. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus epist. ad Thomam Eborac. Anselmus in cap. 5. & 19. Matth. Ivo Carnot. epist. 125. Cum his Magister, S. Thomas, S. Bonaventura, & omnes Scholastici sentiunt.

160 Difficultatem nonnullam facit textus Matth. 19. *qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Hunc enim textum contra assertionem nostram planum & dilucidum existimant Cajetanus & Catharinus; in eo secuti Erasmum annotat. ad cap. 7. prioris ad Corinth.

161 Verùm Augustinus l. 1. de adult. conjug. c. 8. & seqq. ostendit, textum illum non posse sic intelligi, quasi sensus sit: *quicumque causâ fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur*, vel quasi non omnis qui uxore dimissâ, aliam ipsâ vivente duxerit, mœchetur, si utique aliam duxerit, ob fornicationem dimissæ uxoris. 1°. quia par est quoad hoc causa uxoris & mariti, juxta Apostolum 1. Cor. 7. Par autem non esset, si modo dicto intelligeretur. *Quandoquidem mulier, etiamsi causâ fornicationis discesserit à viro, & alii nupserit, mœchatur.* Neque enim Christus Matth. 19. exprimit id posse uxorem, ob fornicationem mariti, quod marito concedit ob fornicationem uxoris. Quæ causa fuit consuetudinis Legibus Imperialibus suffultæ, secundùm quam id quidem licebat marito, sed non uxori.

162 2°. Christus sic ibi affirmavit mœchari eum, qui dimissâ uxore non fornicante aliam duxerit, ut non negaverit mœchari eum qui dimissâ uxore fornicante aliam duxerit. Quemadmodùm Jacobus c. 4. dicendo, *scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*, sic affirmat peccare scientem bonum facere, & non facientem, ut non neget peccare nescientem bonum facere, & ideò non facientem. Non negat (inquam) dari peccata ignorantiæ, dum affirmat dari peccata scientiæ. Sed sicut Jacobus peccatum scientiæ ideò commemorare voluit, quia gravius peccato nescientis; sic Matth. 19. ideò Christus commemorare voluit adulterium mariti, dimissâ uxore non fornicante aliam ducentis, quia gravius adulterio ejusdem, dimissâ uxore fornicante aliam ducentis.

163 3°. quia si obscuritas aliqua remanet, ex eo quod Matthæus ibi generaliter non asseruerit, mœchari eum qui dimissâ uxore aliam duxerit, sed id tacuerit: alii Evangelistæ, Marcus & Lucas, id non tacuerunt, sed obscuritatem sustulerunt, tantâ generalitate exhibendo verba Salvatoris, ut ex iis satis intelligatur, mœchari tam eum qui ducit aliam dimissâ uxore fornicante, quàm dimissâ non fornicante. Generaliter quippe & absque exceptione Salvator Marci 10. ait: *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Et Luc. 16. *omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur. Et qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Quod cùm ita sit: *qui nos sumus* (inquit Augustinus c. 10.) *ut dicamus, est qui mœchatur uxore suâ dimissâ alteram ducens; & est qui hoc faciens non mœchatur?* Cùm Evangelium dicat, *omnem mœchari, qui hoc facit. Proinde si quicumque hoc fecerit, id est omnis qui... uxore suâ dimissâ alteram ducit, mœchatur, sine dubitatione ibi sunt ambo, & qui præter causam fornicationis, & qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim*: QUICUMQUE DIMISERIT, *hoc est* OMNIS QUI DIMITTIT. Locus proinde obscurior apud Matthæum explicandus est per clariorem apud Marcum & Lucam, sicut & per concinentem æquè clarum textum Apostoli Rom. 7. & 1. Cor. 7. non clarior per obscuriorem, prout adversarii prætendunt.

4°. difficultatem omnem submovet doctrina 164
Ecclesiæ, cujus est de vero Scripturæ sensu judicare, juxta Tridentinum sess. 4. Ecclesia verò sic intelligit allatum textum Matthæi, ut per eum Christus non permiserit viro, dimissâ uxore adulterâ, aliam ducere.

Quam quidem Ecclesiæ interpretationem ge- 165
nuinam esse, Bellarminus de matrim. c. 16. benè ostendit, " observans Dominum Matth. 19. respondisse Pharisæis, qui venerant parati ut eum tentarent, & in sermone caperent. Et quia jam audierant eum in monte quædam disseruisse contra libellum repudii, à Moyse in lege concessum, & consequenter etiam contra polygamiam; interrogaverunt eum, an liceret uxorem dimittere quacumque ex causa, ut nimirùm eâ interrogatione impellerent eum ad pronuntiandum aliquid apertè contra legem, & exempla Patrum. "

Quare Dominus, cùm videret Auditores in- " 166
capaces esse, respondit eis præcisè ad interrogata. Quæsierant illi, an liceret uxorem dimittere, nimirùm quoad vinculum, quacumque ex causa? Respondit Dominus, non licere quacumque ex causa. Idque probavit, quia non licet dimittere non fornicantem, & aliam ducere. Id quod tam perspicuè verum erat, ut nullo modo negari posset. Utrùm autem liceat dimittere fornicariam quoad vinculum, & aliam ducere? Dominus tunc apertè dicere noluit. Quia hoc altius erat, quàm ut ab eis tunc capi posset. Quamquam ex iis quæ Dominus dixerat de prima origine institutionis matrimonii, facilè poterat hoc etiam intelligi. Sed ne daret illis Dominus ansam calumniandi verba sua, voluit ut ipsi per se hoc intelligerent, quemadmodùm fecit in parabola vineæ, & aliàs sæpè. Et nihilominùs domi paulò post (ut Marcus scribit cap. 10.) apertè pronuntiavit, omnem, qui dimittit uxorem, & aliam ducit, mœchari." Hactenùs Bellarminus.

CAPUT XXII.

Asserta matrimonii indissolubilitas est de jure divino: probabiliter etiam de naturali.

DE jure divino esse probatur ex Apostolo 1. 167
Cor. 7. *præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*, &c.

Quod probabiliter etiam de jure naturali, ratio 168
est, quia *matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solùm per aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ est, quòd parentes filiis thesaurizent, & filii parentum hæredes sint. Et ideò cùm proles sit commune bonum viri & uxoris, oportet eorum societatem perpetuò permanere indivisam, secundùm legis naturæ dictamen*, inquit S. Thomas in 4. dist. 33. q.... a. 1. Tum quia Tridentinum sess. 24. explicans primam matrimonii institutionem, ait, quòd *matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis Parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit: hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Ille quippe divini Spiritûs instinctus, quo affla- 169
tus id pronuntiavit, alius non videtur nisi luminis naturalis, de quo Psal. 4. *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Sic enim Hieronymus intelligit apud S. Thomam in Catena super cap. 19. Matthæi, dum dicit, Christum, cùm retulit verba illa Protoparentis, naturalem legem adduxisse. Tum denique quia si matrimonium non esset naturâ suâ indissolubile, naturâ

suâ solubile foret mutuo contrahentium consensu, ticut reliqui contractus : traditioque corporum, sistendo in jure naturali, fieri posset solubiliter, sicut traditio aliarum rerum, juxta illud: *res per quas causas nascitur, per eas dissolvitur.* Sed non est ita : imò de traditione corporum in ordine ad generationem, sistendo in jure naturæ, aliter philosophandum est, quàm de traditione aliarum rerum. Aliàs traditio corporum jure naturæ fieri posset in ordine ad usum, non concesso dominio; sicut traditio equi jure naturæ fieri potest in ordine ad usum, dominio illius non concesso. Quemadmodùm ergo usus corporum jure naturæ inseparabilis est à dominio, licèt usus aliarum rerum ab earum dominio separabilis sit; sic corporum dominium jure naturæ concedi solubiliter non potest, licèt aliarum rerum dominium sic concedi possit.

170 Fateor hoc argumentum principaliter probare naturalem indissolubilitatem matrimonii consummati. Valet tamen etiam pro matrimonio rato, utpote per quod etiam traditur dominium corporum, licèt nondum fiat corporum usus. Quod per accidens est. Cùm usus dominii, dominii naturam non immutet.

171 Et confirmatur : sicut ex allatis verbis Protoparentis benè probatur naturalis matrimonii unitas (quòd utique jure naturæ matrimonium esse debeat unius cum una; ita & naturalis indissolubilitas, utpote quam ex iisdem verbis Tridentinum deducit.

CAPUT XXIII.

Matrimonium ratum, non consummatum, solemni professione religionis approbata solvitur quoad vinculum, jure divino.

172 QUòd solvatur solemni professione religionis approbatæ, expressè declarant SS. Pontifices cap. *verum*, cap. *ex publico*, & cap. *ex parte tua* de convers. conjug. Et cap. *commissum* de sponsal. & matrim. definitque Tridentinum sess. 24. c. 6. *siquis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterutrius conjugum non dirimi, anathema sit.*

173 Quòd autem solvatur jure divino, Doctores communiter affirmant post Abulensem & Scotum in 4. dist. 31. q. un. ubi dicit hoc fieri ex privilegio in favorem religiosæ professionis à Christo concesso, quòdque Ecclesia nunquam attentasset licentiare alterum ad religionem, altero in sæculo remanente, nisi Christus hoc instituisset.

174 Et probatur 1°. quia non solvitur jure Ecclesiastico. Ergo divino. Probatur antecedens : quia, ut S. Thomas ait in 4. dist. 38. §. 8. *quidam dicunt, quòd hoc est propter statutum Ecclesiæ. Sed hoc non sufficit : quia secundùm hoc Ecclesia posset etiam contrarium statuere* (quòd utique professio solemnis matrimonium non dirimeret) *quod non videtur verum.*

175 2°. quia matrimonium, non solùm consummatum, sed & ratum, indissolubile est jure divino; eò quòd indissolubilitas ipsi competat ex primæva institutione, quæ usque adeò divina est, ut Christus matrimonium ad primævam institutionem suam reducens, absque exceptione ullius hominis dixerit : *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

176 3°. ipsamet Ecclesia in cap. *ex publico*, & cap. *ex parte tua* de convers. conjug. declarat, quòd dissolutio matrimonii rati per religiosam professionem fiat, *ex sacri Eloquii interpretatione* (uti dicitur cap. *ex publico*) & *divina revelatione*, uti habetur cap. *ex parte tua.*

177 4°. in Ecclesia Dei hoc semper observatum fuit, quòd per religiosam professionem matrimonium ratum, non consummatum solveretur, nec ostendi potest hoc per aliquod Ecclesiæ Statutum, vel per aliquem Canonem, etiam Apostolorum, introductum. Cùm prima introductio, seu institutio nusquam reperiatur. Signum est ergo, quòd sit ex institutione Christi, per Ecclesiæ & Apostolorum traditionem nobis notificata. Ut enim Augustinus docet l. 4. de bapt. c. 24. *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis statuum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

Quòd autem ostendi nequeat hoc per aliquod 178
Ecclesiæ Statutum introductum, inde patet, quòd antiquissimum Statutum, quod hac de re inventur, sit Eusebii Papæ, vel (ut alii) Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, circa annum 680. dicentis, quòd desponsatæ puellæ *licet Monasterium sibi eligere.* At Eusebius, vel Theodorus, non dicit *liceat*, tamquam rem novam statuens; sed *licet*, tamquam rem antehac licitam declarans. Id ergo anteà licitum erat, nec ostendi potest, quando licitum esse cœperit.

5°. tametsi Pontifices nonnulli (plurium Ju- 179
ristarum opinionem secuti) arbitrati sint matrimonium ratum, nondum consummatum, authoritate suâ posse dissolvi; alii tamen S. Bonaventuram, Scotum, & majorem Theologorum antiquorum partem secuti, id se non posse senserunt, ut Alexander III. in Append. Concil. Lateran. p. 6. c. 8. ubi reprobat judicium quorumdam Prædecessorum, qui judicaverant à se dissolvi posse matrimonium ratum, non consummatum, ideòque illud dissolverant, in casu secundi matrimonii jam contracti & consummati, & dicit, feminam quæ secundò sic contraxit & consummavit, à secundo viro *separari debere, & ut ad primum redeat, Ecclesiasticâ districtione compelli, quamvis alii aliter sentiant; aliter etiam à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Et ante Alexandrum III. Nicolaus I. can. *is qui matrimon.* 32. q. 8. ait dissolvi non posse matrimonium à sanis contractum, licèt alteri superveniat amentia, impotentia, &c. Quæ tamen foret S. Pontifici justissima causa dissolvendi illud, si per ipsum dissolvi posset. Sed & Innocentius III. relatus à Petro de Sampsone apud Fagnanum ad cap. *verum* de convers. conjug. n. 8. & Innocentius VIII. relatus à Panormitano apud Basilium Pontium l. 9. de matrim. c. 3. cùm ab ipsis talis dissolutio quæreretur, eam prorsus recusarunt. Cùmque Orator Innocentio VIII. allegaret Glossam, dicentem hoc ab ipso fieri posse, respondit Innocentius : *maledictus, qui te docuit.*

Et Adrianus VI. (teste Dom. Soto in 4. dist. 180
27. q. 1. a. 4.) rogatus ut super matrimonio rato dispensaret, allegatâ authoritate Cajetani istam authoritatem ipsi concedentis : miratus Pontifex Theologum hoc sibi persuadere potuisse, tandem respondit, se concedere quantùm posset; credere tamen se non posse.

Tandem Paulus IV. anno 1557. rogatus dis- 181
pensare in simili matrimonio Francisci Montmorantii, & Joannæ Halluynæ Piennæ, clarè significavit se propendere in sententiam, quæ dicit non posse. Convocatis namque sapientissimis Cardinalibus, unà cum Archiepiscopo Consentino, & Episcopo Antoniello, hunc cum ipsis sermonem habuit, teste Joanne Haya, Doctore Parisiensi, qui isti Congregationi interfuit. *Pontifex inæpit, & argumentum rei proposuit, in hunc ferè modum: Fratres & Filii mei, ego sanè vos congregare volui, ut ex vobis id cognoscam, quod exigui non est momenti ac ponderis. Num videlicet matrimonium, per verba de præsenti contractum, possit nostrâ authoritate dissolvi. Et notate diligenter quod*

ego dico. Hic enim non agitur quæstio de verbis futuri temporis, aut de simplici promissione. Nos quærimus, num matrimonium, per verba de præsenti contractum, quod est verum matrimonium, & verum Sacramentum, juxta saniorum Theologorum sententiam, authoritate nostrâ dissolvi possit. Intelligo cùm carnalis nulla intercessit conjunctio. Deinde addidit hæc: Ne, quæso, vos teneant Prædecessorum meorum facta & exempla, quæ eatenùs sequi volo, quatenùs Scripturæ authoritas, & Theologorum rationes vos ad illud agendum adducent. Dixit adhuc quod sequitur: Non dubito, quin ego & Decessores mei errare aliquando potuerimus, non solùm in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus: & tamen condemnandi planè non sumus. Nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi ad certum tempus abscondat multa, quæ tum inde patefacit. Quod Christus ipse satis innuit, cùm B. Petro dicebat: quod ego facio, tu nescis modò, scies autem posteà. *Et in alio loco aiebat:* adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò... *Quis igitur scit modo, num quæ reliquis circa indissolubile matrimonii vinculum antè fuerant incognita, per nos Deus apertam in lucem nunc prodi velit? Quamobrem Fratres & Filii mei, omni studio incumbite in illud auxilium, quod à vobis hac in causa expecto. Nec rationem habete ullam exempli, quod hic vel ille Decessor meus posterit reliquerit. Ut jam admonui, perspicite, an Decessores nostri id satis intellexerint, quod de indissolubili vinculo matrimonii disquirimus.*

182 *His confectis, ad Consentinum Archiepiscopum, aliàs Apostolicum Nuntium apud Imperatorem, sermonem convertit, & ut deliberaret præcepit.*

183 *Consentinus ingenii ac industriæ suæ nervos omnes contendit, ut persuaderet, matrimonium, de quo agitur, dissolvi nullo modo posse. Pontificæ sententiam hanc gratam sibi atque acceptam esse, indiciis pluribus ostendit. Consentinum opinando excepit Episcopus nomine Antonellus, vir admodùm senex, & venerazione dignus, qui contrariam in sententiam discessit, & paucis decidit, Pontificem posse dissolvere ejusmodi matrimonium. Cui Pontifex respondit, se pro tanta sibi attributa potestate nullas gratias agere.* Sed quia Episcopus hic nonnullis *B. Thomæ* testimoniis usus fuerat, *Pontifex subjunxit, B. Thomam potuisse, cùm esset junior, multa dicere, quæ factus cum ætate doctior, revocaverat. Insuper B. Paulum induxit, dicentem:* cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus.... quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. *Deinde addidit: ego non sine causa vos hac de re moneo, sed ut ex iis, qui deliberaturi sunt, nullus fundamentum in iis rebus, quas S. Thomas, cùm esset junior, docuerit, constituat.*

CAPUT XXIV.

Matrimonium ratum, quoad vinculum probabilius dissolvi nequit authoritate Pontificiâ.

184 HAc in re Theologiam Sanctorum tradentes, S. Thomam sequimur in 4. dist. 33. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. ad 31. cum Theologis communiùs, & SS. Pontificibus Nicolao I. Innocentio III. & VIII. Alexandro III. Paulo IV. & Adriano VI. cap. præcedenti relatis. Nec verò Alexander III. in Appendice Conc. Lat. p. 6. c. 8. negans primum matrimonium dissolvi posse propter consummationem secundi, *quamquam aliter à quibusdam Prædecessoribus suis sit aliquando judicatum*, agit de primo matrimonio consummato. Cùm ostendi nequeat istos Prædecessores ipsius censuisse matrimonium consummatum à se dissolvi posse.

185 Itaque probatur assertio. Quia in jure naturali & divino (unde ex dictis provenit indissolubilitas matrimonii rati) Pontifex dispensare non potest, cap. *sunt quidam* 25. q. 2.

Nec satisfit dicendo, id quidem non posse jure ordinario: secùs ex speciali Christi commissione & privilegio, quando obligatio juris divini & naturalis pro fundamento habet actum humanum, uti habet in præsenti. Quamvis enim specialis illa Christi commissio ex perpetuo Ecclesiæ sensu & traditione locum habeat in votis simplicibus, non religiosis; nullo sufficienti fundamento demonstratur locum habere in matrimonio rato, magis quàm in consummato; tametsi obligatio istius pro fundamento æquè habeat actum humanum, quàm obligatio illius. 186

Imò contrarium ostenditur, tum ex cap. *inter corporalia* de translat. Episc. ubi sic: *Omnipotens Deus dissolutionem carnalis conjugii, quod est inter virum & feminam, suo tantùm judicio reservavit.* Ejus proinde vinculum *homo dissolvere nequit*, cap. 17. eod. tit. Ubi de rato matrimonio, non consummato, sermonem esse contextus manifestat. Tum ex cap. *siquis matrimonium* 32. q. 2. & cap. *hi qui* ibid. q. 7. ubi dicitur, matrimonium ratum à Pontifice dissolvi non posse ob amentiam, vel impotentiam supervenientem. Non apparet autem cur ista non foret justa causa dissolvendi, si penes Pontificem foret hoc faciendi potestas. Tum denique ex cap. *ex parte* de convers. conjug. ubi Innocentius III. dicit, matrimonium ratum solùm posse dissolvi ex *divina revelatione*, id est, ut ibidem exponit, ex causa ingressûs religionis. Non igitur ex dispensatione Pontificis. 187

Satisfit argumentis in contrarium.

OBjicies 1°. multi Pontifices de facto dispensarunt in matrimonio rato, ut Martinus V. & Eugenius IV. (teste D. Antonino) Paulus V. Pius IV. Gregorius XIII. 188

Respondeo inde confici oppositæ sententiæ probabilitatem, ob tantorum Pontificum authoritatem, qui nisi eam probabilem censuissent, non practicassent. Nostram tamen assertionem aliis Pontificibus n. 184. relatis visam probabiliorem, talemque nobis videri, tum ob rationem à nobis exhibitam. Tum quia præsens quæstio resolvenda non est ex factis Romanorum Pontificum, nisi quatenùs Scripturæ authoritate, vel Theologicâ ratione probantur, uti Paulum IV. suprà monentem audivimus. 189

Objicies 2°. ista potestas necessaria est Ecclesiæ, ad occurrendum gravissimis malis, regnorumque perturbationibus, quæ per Pontificiam matrimonii rati dissolutionem subinde sedari possunt. 190

Respondeo potestatem solvendi matrimonium ratum, Ecclesiæ non magis necessariam esse, quàm potestatem solvendi matrimonium consummatum. Per cujus dissolutionem æqualia vel majora subinde mala sedari possent, uti non ita pridem Orbis ingemiscens vidit in matrimonio Henrici VIII. Angliæ Regis cum Catharina Austriaca, cujus dissolutione impedita fuisset defectio totius Anglicani regni à fide Catholica. 191

Objicies 3°. Ecclesia per solemnem professionem religionis approbatæ solvere potest matrimonium ratum. Igitur & per Pontificiam dispensationem. 192

Respondeo negando antecedens: neque enim matrimonium ratum per solemnem professionem religionis approbatæ dissolvitur jure Ecclesiastico, sed divino. Neque professio solemnis illud dissolvit, in quantum solemnis est solemnitate per Ecclesiam inductâ, sed in quantum est immobiliter religiosa, & perpetua, tam ex parte Religiosi per eam se Deo immobiliter ac perpetuò tradentis, 193

quàm ex parte Ecclesiæ, seu Dei per Ecclesiam traditionem illam in perpetuum acceptantis. In eoque S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. discrimen constituit inter votum solemne & simplex, quòd in voto simplici non sit actualis traditio, sed promissio dumtaxat proprii corporis, nec proinde simplici castitatis voto ligatus, proprii corporis amiserit potestatem seu dominium; sed per votum solemne *homo* (inquit) *sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens*, quam traditionem Deus per Ecclesiam immobiliter, sive in perpetuum acceptat. Et ideò voto solemni Christus vim tribuit matrimonium ratum dissolvendi, potiùs quàm simplici, sicut eidem vim tribuit matrimonium contrahendum dirimendi, potiùs quàm simplici. Ut enim S. Thomas ibidem, homo sui corporis potestatem amplius non habens, *non potest ipsum tradere in potestatem uxoris, matrimonium contrahendo.*

194 Objicies 4°. Ecclesia dispensare potest in voto solemni castitatis religiosæ. Igitur & in matrimonio rato. Consequentia bona est, quia solemne votum religiosæ castitatis fortius ligat, quàm matrimonium ratum (utpote quod per illud dissolvitur) si ergo Ecclesiastica dispensatio solvere potest illud, solvere potest & istud, secundùm vulgatum istud: *si vinco vincentem te, à fortiori vinco te.* Probatur itaque antecedens, quia votum solemne à simplici (in quo Ecclesia dispensare potest) non differt nisi per solemnitatem. *Solemnitas autem voti est ex Ecclesiæ Constitutione*, uti dicitur cap. *quod votum* de voto in 6. Quemadmodum verò in sua Constitutione; sic in eo quod ex sua est Constitutione, Ecclesia dispensare potest.

195 Respondeo cum S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 11. in corp. probabilius esse, quòd in voto solemni religiosæ castitatis Ecclesia dispensare non possit. Quia per illud Religiosi corpus est immobiliter traditum Deo, ab eoque in perpetuum per Ecclesiam acceptatum. Quod autem est immobiliter acquisitum Deo, ipsi non potest per Ecclesiam subtrahi; sicut quod per matrimonium consummatum, est immobiliter traditum uxori, ab eaque acceptatum, non potest uxori per Ecclesiam subtrahi. Propter quod cap. *cùm ad Monaster.* de stat. Monach. Innocentius III. dicit, quòd *custodia castitatis ita est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Quo non solùm significat, Monachum, quamdiu manet Monachus, ad ducendum uxorem non posse dispensari: hoc enim falsum est, si tota solemnitas religiosæ castitatis sit ex Constitutione Ecclesiæ. Quia eo dato Religiosus, manens per votum non solemne Religiosus, Ecclesiæ dispensatione poterit uxorem ducere. Neque enim solemnitas Ecclesiastica de essentia est castitatis religiosæ, ut constat in religiosa castitate Scholarium Societatis Jesu.

196 Ad probationem antecedentis, dicendum, Summum Pontificem dispensare posse in votis solemnibus religionis, secundùm quod solemnia sunt; non secundùm quod immobiliter religiosa sunt. Vel dic, in solemni religiosæ castitatis voto duplicem esse considerandam solemnitatem: una est primaria, quâ Religiosus immobiliter & in perpetuum Deo, per Ecclesiam id acceptanti, se perfectè & totaliter tradit; altera secundaria, consistens in variis conditionibus ad illius traditionis legitimitatem ab Ecclesia requisitis. Et ista est quæ dependet à Constitutione Ecclesiæ, non illa, positâ semel Ecclesiæ acceptatione. Quemadmodùm enim ad solemnitatem matrimonii carnalis varias conditiones Ecclesia requirit; sic & ad solemnitatem matrimonii spiritualis, requirit v. g Noviciatûs annum, talem ætatem, quòd usque ad mortem professio fiat in religione approbata, &c. Et sicut positis conditionibus ab Ecclesia requisitis, carnale matrimonium per Ecclesiæ dispensationem nequit dissolvi; ita nec matrimonium spirituale. Denique sicut carnale matrimonium indissolubile non est, nec ratum, nisi accedat consensus, & acceptatio compartis; ita nec spirituale, nisi accedat consensus, & acceptatio Dei per Ecclesiam sponsam suam acceptantis. Gratis autem dicunt aliqui, quòd Ecclesia non accepter illam Religiosi traditionem simpliciter & absolutè, sicut fit à Religiosis simpliciter & absolutè, sed secundùm quid, utpote quia ipsa per Summum Pontificem dispensat. Cùm istius limitationis nullum appareat fundamentum in religiosa professione solemni. Imò in dicto cap. *cùm ad Monasterium* appareat declaratio Ecclesiæ in contrarium. Quòd si in votis simplicibus limitatio ista subintelligatur, hoc ex perpetua & constanti Ecclesiæ praxi habetur. Non fuit autem similis perpetua & constans Ecclesiæ praxis pro religiosa professione solemni. Neque enim perpetuæ, & constanti Ecclesiæ praxi S. Thomas, cum famosis aliis Doctoribus, variisque Pontificibus contradixisset, si talis fuisset.

Et quid est quòd simplex castitatis votum, etiam Scholarium Societatis, ex communi sententia Doctorum ejusdem Societatis, vim non habet dissolvendi matrimonium ratum, antè contractum, sicut vim habet solemne votum religionis, nisi quia illud non est ex divina institutione perpetuum & immobile; sicut istud tale est, positâ semel Ecclesiæ acceptatione? Certè si istud non foret à Christo taliter acceptatum, non magis accepisset vim dirimendi matrimonium ratum, antè contractum, ex divina institutione perpetuum, quàm illud (neque enim verisimile est quòd ex divina institutione superaret firmitatem matrimonii rati, ex divina institutione perpetui, nisi ipsum foret ex divina acceptatione & institutione perpetuum;) accepit verò vim istam à Christo, potiùs quàm illud. Signum est ergo quòd potiùs sit simpliciter & absolutè, ex divina institutione, perpetuum, quàm illud. Unde per istud Religiosus censetur in perpetuum absolutè civiliter mortuus. Et ista est ratio congruentiæ, propter quam Christus dictam vim ipsi tribuit. Eò quòd utique per matrimonium ratum conjuges inter se non conjungantur nisi civiliter; per religiosam autem professionem solemnem civiliter moriantur. Congruum autem fuit civilem conjunctionem solvi per civilem mortem; sicut carnalis conjunctio matrimonii consummati per carnalem, seu naturalem mortem solvitur. 197

CAPUT XXV.

Impedimenta matrimonium impedientia.

198 DUplicis generis sunt impedimenta matrimonii, videlicet impedientia & dirimentia. *Impedientia* sunt quæ reddunt illud illicitum, non invalidum. *Dirimentia*, quæ ipsum nedum illicitum, sed & invalidum efficiunt.

199 Olim varia fuere impedimenta matrimonium impedientia. Sed vel à Tridentino, vel à consuetudine sublata sunt, exceptis quatuor, quæ comprehenduntur hoc versu: *Ecclesiæ vetitum, votum, sponsalia, tempus.*

200 Primum proinde impedimentum impediens est *Ecclesiæ vetitum*, seu interdictum, quo scilicet Tridentinum prohibet, ante factas proclamationes matrimonium inire; vel quo Judex Ecclesiasticus idipsum vetat fieri, donec plenior de impedimentis notitia accesserit.

201 Secundum est *votum* simplex castitatis, vel ingrediendæ religionis. Graviter enim peccat, qui, postquam simplici se continentiæ, vel religionis

ingrediendæ voto obstrinxit, illius exsolvendi impedimentum, per matrimonium, voluntariè assumit, ut probat Augustinus epist. 70. ad Bonifacium Comitem. Unde Apostolus 1. Timoth. 5. viduas, post fidem Deo datam, nubere volentes, dicit habere damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt.

202 Tertium est impedimentum *sponsalium*. Quo (jure naturali) quilibet prohibetur fidem alteri datam infringere, nisi persona, cui data est, voluntariè cedat juri suo, vel justa alia subsit causa contraveniendi.

203 Quartum impedimentum est *temporis feriati*, id est intra quod Ecclesia prohibet matrimonia solemnia. Circa quod notanda sunt verba Tridentini sess. 24. de reform. c. 10. *ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ; & à feria 4. Cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus præcipit.* Ubi quia solùm mentio fit *solemnium nuptiarum*, plerique Doctores censent, iis diebus absolutè non prohiberi nuptias, sed solemnes dumtaxat, id est cum solemni benedictione, solemnique sponsæ ad ædes sponsi traductione, cum pompa, choris, canticis, &c. Ita Glossa in cap. *Capellanus* de feriis, Paludanus, Cajetanus, Sylvester, Navarrus, Sanchez, Coninck, Bonacina. Sed hic benè monet sequendam hac in re locorum consuetudinem.

CAPUT XXVI.

Impedimenta dirimentia in communi.

204 SUnt quatuordecim hisce versibus comprehensa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

Duo sequentia Tridentinum jure novo adjecit:

Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptavè sit mulier, nec loco reddita tuto.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

205 Præter allata impedimenta (à Concilio Tridentino statuta) nulla alia sunt, etiam in Gallia, quæ Matrimonii Sacramentum, vel etiam contractum, invalidum reddant coram Deo, vel Tribunali Ecclesiastico; sed ad summum civiliter, coram Judice Civili, quatenùs ex ipso non conceditur civilis actio, nec civilis oritur obligatio, neque civilia ulla jura prætendi possunt, uti cap. 9. dictum est.

206 An verò (præscindendo à quæstione de facto) Principes sæculares inducere possint nova impedimenta, matrimonii contractum irritantia? Respondeo id posse quoad effectus civiles, juxta dicta ibidem. Quoad substantiam & firmitatem contractûs coram Deo, id posse negat Zypæus, & est sententia communior inter Doctores, ex quo matrimonium est Sacramentum (tametsi secus sentiant Petrus & Dominicus Soto, Ruardus Tapperus, Albertus Pighius, Petrus de Marca, Layman, Gonet, D. Gerbais, Joannes Baptista du Hamel, &c.) sive potestas illa Principibus sublata fuerit Evangelicâ lege, dum matrimonii contractum nobilitavit Sacramenti dignitate: sive Ecclesiasticâ lege, declarante causas matrimoniales ad Judices Ecclesiasticos pertinere; in omnibus proinde Christi fidelibus ab Ecclesiæ Constitutionibus pendere. Quod totus Christianus Orbis adeò credit, ut circa hoc omnes passim Christiani Principes & Magistratus tanti ponderis potestatem (exceptis saltem effectibus civilibus à multis sæculis Ecclesiæ reliquerint.

CAPUT XXVII.

Impedimentum erroris, & conditionis.

TRiplex est error, personæ, qualitatis, & con- 207
ditionis. *Error personæ*, est quando quis existimans se contrahere cum una persona, v. g. cum Rachele, contrahit cum alia, v. g. Jacob cum Lia. *Error qualitatis*, sive accidentium personæ, est quando quis existimans se contrahere cum divite, nobili, formosa, virgine, reverà contrahit cum inope, ignobili, deformi, corrupta. *Error conditionis*, est quando quis existimans se contrahere cum persona libera, contrahit cum serva, id est cum mancipio. Neque enim *servi* nomine hîc veniunt famuli & ancillæ nostrates, suas operas & obsequia aliis elocantes.

Error itaque matrimonium dirimens, non est 208
error qualitatis, sed error personæ, vel conditionis. Quòd enim *qualitatis error* matrimonium non dirimat, ratio est, quia matrimonii contractus versatur circa personas, non circa personarum qualitates; eoque errore non obstante, adest verus & absolutus consensus circa personam præsentem.

Nec refert, quòd Titius in eam non consen- 209
tiret, si sciret esse corruptam, pauperem, iracundam, &c. Hoc enim non tollit absolutum hîc & nunc consensum in personam præsentem; sed tantùm tolleret, positâ illâ conditione, id est scientiâ qualitatis.

Duo tamen casus excipiendi sunt. Primus est, 210
quando quis explicitè vel implicitè intendit non contrahere, si talis qualitas non insit personæ, cum qua contrahit. Quia non subsistente conditione, mente vel exteriori significatione appositâ contractui, contractus non subsistit.

Dixi *explicitè vel implicitè*. Parùm enim refert, 211
quòd ejusmodi conditio explicitè adjiciatur, dummodò ex circumstantiis implicitè adjecta censeatur. Unde Doctores Salmanticenses apud Basilium Pontium rectè censuerunt, nullum fuisse matrimonium puellæ, quæ frequenter declaraverat se malle mori, quàm matrimonium inire cum aliquo ex sanguine Judæorum oriundo. Et postea, sponso protestante se non descendere ex sanguine Judæorum, ipsum duxerat. Quo errore postea deprehenso, reclamavit puella, & matrimonium judicatum est nullum.

Secundus casus est, dum error qualitatis tran- 212
sit in errorem personæ. Quod contingit quotiescumque qualitas, circa quam erratur, determinat certam aliquam personam, distinctam ab ea quæ præsens est, ut dum quis intendens contrahere cum filia Titii, Provinciæ Præsidis v. g., contrahit cum ea quæ se dicit filiam ipsius, cum non sit. Tunc enim non consentit in personam præsentem, sed in aliam, ab ipsa diversam. Ita Navarrus, Sanchez, Bonacina, &c.

Quòd autem *error personæ* matrimonium di- 213
rimat, est de jure naturæ, & habetur 29. q. 1. per totam. Quia qui circa personam præsentem errat, in eam non consentit, imò de ea ne cogitat quidem, uti patuit in Jacob, primitùs non consentiente in Liam, sed in Rachelem. Consensus verò in personam est de essentia matrimonii.

Nec refert quòd Titius, per errorem contra- 214
hens cum Caja, putans esse Titiam, sic animo affectus sit, ut si sciret esse Cajam, cum ea nihilominùs contraheret. Quia ex hoc non probatur velle hîc & nunc contrahere cum Caja, sed id voluturus, si sciret, &c. Si tamen vellet ipso actu contrahere cum persona præsente, quæcumque illa sit, validum haud dubiè foret matrimonium, ob sufficientem consensum.

215 Denique *error conditionis servilis* matrimonium dirimit inter liberum & servam, vel liberam & servum, cap. *vult* de conjug. servor. Non tamen inter duos servos. Servus namque validè contrahit cum serva, quam putat esse liberam, cap. *fiquis*, & cap. *ad nostram* tit. cod. Sed & si liber contraheret cum serva, sciens conditionem servitutis ipsius, valeret matrimonium, cap. *vult* citato.

CAPUT XXVIII.

Impedimentum voti.

216 NOmine voti hîc intelligitur solemne castitatis votum, quod emittitur per professionem religionis approbatæ, vel sacri Ordinis susceptionem. Utrumque enim matrimonium dirimit. Clement. un. de consanguin. Et qui cum tali voto contrahit, excommunicationem latæ sententiæ incurrit. Ibidem. Vide Tridentinum sess. 24. de Sacram. Matrim. can. 9. Et quia vota simplicia, quæ post biennium Novitiatûs emittuntur in Societate, verè efficiunt Religiosos, ipsa etiam subsequens dirimunt matrimonium. Gregorius XIII. in Bulla *ascendente Domino*. Imò solemne religionis votum tanto privilegio decoratum est à Christo, ut si emittatur post matrimonium ratum ante consummationem, illud sic dissolvat, ut, secutâ professione, conjux in sæculo superstes ex tunc aliud matrimonium contrahere possit, priore conjuge in Monasterio vivente. Tridentinum ibidem can. 6.

217 Non potest tamen ad alias nuptias convolare, nisi post ipsius professionem. Et ideò favore religionis conjugatis conceduntur duo menses (velut Novitiatus quidam) post contractum de præsenti matrimonium, ad deliberandum de religionis ingressu; intra quos, is qui deliberat, comparti petenti non tenetur reddere debitum, nec matrimonium consummare, potestque, comparte invitâ, Monasterium ingredi, quamdiù non consummavit, cap. *verum*, cap. *ex publico*, & cap. *ex parte* de convers. conjugat. Id tamen privilegium non competit voto emisso per susceptionem Ordinis sacri. Extrav. un. Joan. XXII. de voto. Nec competit supradictis votis simplicibus Societ. Vasquez, aliique passim Soc. Scriptores. Ratio est, quia vota illa non faciunt immobiliter Religiosum. Et aliàs Religiosus Societatis, post illa dimissus, vivente uxore (cum qua ante Societatis ingressum matrimonium contraxerat, sed non consummaverat) cum alia matrimonium contrahere posset. Ex quo turbæ & scandala frequenter sequerentur. Quia, ob frequentem dimissionis usum, casus iste frequenter accidere posset. Et idcò cùm Frater Avila, temporalis Coadjutor, post matrimonium ratum, tempore S. Ignatii fuisset Societatem ingressus, fuit Romæ solemniter professus, ut matrimonium illud dissolveretur.

CAPUT XXIX.

Impedimentum cognationis.

218 TRiplex est cognatio, naturalis, spiritualis, legalis. *Cognatio naturalis*, seu consanguinitas, est propinquitas duorum, vel plurium, ab eodem communi stipite per carnalem generationem descendentium. *Cognatio spiritualis* est propinquitas jure Ecclesiastico inter personas aliquas introducta, ratione Baptismi, vel Confirmationis, vel Pœnitentiæ. *Cognatio legalis* est propinquitas personarum ex adoptione proveniens, per quam persona extranea assumitur in filium, vel nepotem, hicque transit in potestatem adoptantis, ut ei tamquam hæres succedat.

§. I.

Cognatio naturalis.

219 IN cognatione naturali stipes vocatur illa persona, ex qua aliqui ducunt originem, ut pater respectu duorum fratrum, avus respectu filiorum fratrum, &c.

220 Distinguitur verò consanguinitas per lineas & gradus. *Linea consanguinitatis*, est ordinata collectio personarum consanguinitatem inter se habentium. Gradûs nomine intelligitur distantia personarum consanguinearum à communi stipite. Unde tot sunt consanguinitatis gradus, quot gradus distantiæ à communi stipite. Persona proinde, quæ stipes dicitur, gradum aliquem non facit. Quippe nemo à seipso distare dicitur.

Linea est duplex, recta & transversa, seu collateralis.

Linea recta, est collectio personarum, quarum una mediatè vel immediatè descendit ab alia, v. g. in qua filius comparatur ad patrem, avum, &c.

221 Linea transversa, est collectio personarum, quarum una, nec mediatè, nec immediatè descendit ab alia, v. g. in qua frater comparatur ad fratrem.

222 Ad faciliorem computationem graduum consanguinitatis tres statuuntur regulæ, una pro linea recta, duæ pro transversa.

223 Pro linea itaque recta unica utroque Jure, Canonico & Civili, regula statuitur ista: *tot sunt in linea recta gradus, quot personæ, unâ demptâ.* Et ideò pater & filius consanguinei sunt in primo gradu. Avus & nepos in secundo. Proavus & pronepos in tertio. Abavus & abnepos in quarto.

224 Pro linea transversa duæ sequentes regulæ statuuntur Jure Canonico. Prima: *in regula transversa æquali* (id est in qua personæ consanguineæ æqualiter distant à communi stipite) *quot gradibus singulæ in linea recta distant à communi stipite, totidem distant inter se.* Unde quia fratres & sorores uno tantùm gradu à patre suo, vel matre, distant in linea recta, uno etiam tantùm gradu distant inter se; atque ideò inter se consanguinei sunt in primo gradu; filii verò fratrum, vel sororum, in secundo. Quia in linea recta duobus gradibus distant à communi stipite. Et sic de aliis.

225 Secunda regula: *in linea transversa inæquali* (id est in qua personæ consanguineæ inæqualiter distant à stipite communi) *quot gradibus persona remotior distat à communi stipite, totidem gradibus ipsæ personæ distant inter se.* Unde avus à filio sororis suæ distat in secundo gradu: quia filius sororis suæ (quæ est persona remotior à communi stipite, scilicet patre avi) duobus gradibus distat à communi stipite, eò quòd in linea recta duæ tantùm sint personæ, dempto patre avi, scilicet mater (quæ soror est avi) & filius ipsius.

226 Gradus tamen lineæ transversæ aliter computantur Jure Civili: quot enim gradibus à communi quisque stipite distat, totidem simul sumptis omnes distant inter se, secundùm Jus Civile. Sicque duo fratres, quia singuli uno gradu distant à communi stipite, se contingunt in secundo gradu, alter verò eorum cum filio alterius in tertio gradu, & sic deinceps. Eò quòd utique Lex Civilis spectet transfationem hæreditatis: quæ cùm transferri nequeat nisi ab una persona in aliam; ideò Jus Civile non constituit duas personas in uno gradu lineæ transversæ, sed numerat personas singulas, ita ut quot personæ sunt, dempto stipite, tot sint gradus in linea transversa. Jus verò Canonicum duas personas in uno gradu constituit, quia spectat matrimonium, quod sine duabus

bus personis stare non potest. Alexander II. cap. *ad Sedem* 35. q. 5. ubi propterea dicit, quòd *duo gradus legales, unum gradum canonicum constituunt. Fratres itaque, qui secundùm sæculares leges dicuntur in secundo gradu, juxta Canones numerantur in primo.* Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hîc computantur in secundo. Nepotes verò, qui in sexto ibi, istic numerantur in tertio.

227 Consanguinitas itaque olim quidem matrimonium dirimebat usque ad septimum gradum; sed jure novo Concilii tam Lateranensis IV. quàm Tridentini solùm dirimit usque ad quartum inclusivè. Et in primo quidem gradu lineæ rectæ valdè probabiliter illud dirimit jure naturali, prout insinuat Ambrosius epist. 66. *ne pater accipiat filiam suam in uxorem, interdictum est jure naturæ.* Eò quòd conjuges æqualem habeant potestatem dominativam in mutua corpora; jure verò naturæ indecens videatur, quòd filia potestatem habeat dominativam in corpus patris, æqualem cum patre: usuique istius potestatis in ordine ad generationem resistere videtur pudor à natura impressus, qui & ostendit turpe esse, quòd filia revelet turpitudinem patris sui in actu conjugali, excepto saltem casu metaphysico necessitatis extremæ, quo genus humanum alioqui perire oporteret. Quod quia falsò existimarunt filiæ Loth, post eversionem Sodomorum, à Chrysostomo excusantur in eo quòd patrem suum ebrium cognoverunt.

228 Idem aliqui probabiliter docent de primo gradu lineæ transversæ, sive de matrimonio inter fratrem & sororem; tametsi oppositum videatur probabilius. Aliàs Deus humanum genus non sic instituisset, ut statim ab initio necessarium fuisset matrimonium inter fratres & sorores; uti necessarium fuit inter filios & filias Adam.

229 Siquis objiciat, turpe esse, quòd frater revelet turpitudinem sororis suæ. Respondeo turpitudinem istam non habituram locum in statu naturæ integræ. In hoc tamen statu naturæ corruptæ, Gentiles solius luminis naturæ ductu matrimonia sororum cum fratribus abhorruerunt. Et Tertullianus Apolog. c. 9. Gentilibus probro vertit, quòd Jovis exemplo incestuosi forent, sorores suas ducendo, uti Jupiter Junonem sororem suam duxit. Sed & Augustinus lib. 15. de Civit. Dei c. 16. dicit, quòd *etiamsi* apud quosdam Gentiles *perversis legibus permittantur fraterna conjugia; melior tamen consuetudo ipsam malit exhorrere licentiam*, ita ut vel ipse Lucanus, & passim Poëtæ incestos appellent partus sororum ex fratribus; & Lucianus in Necromantia connubia fratrum cum sororibus nefanda apud inferos haberi non dubitet. Propter quod etiam Innocentius III. cap. *gaudemus* de divort. decernit, infideles, ad fidem conversos, separandos non esse à matrimonio tempore infidelitatis contracto in secundo gradu consanguinitatis, & deinceps. Sed nihil simile dicit de primo gradu.

§. II.

Cognatio spiritualis.

230 SEcundùm Tridentinum sess. 24. c. 2. de reform. matrim. cognatio spiritualis dirimit matrimonium inter baptizatum & baptizantem, baptizatique patrem & matrem. Necnon inter suscipientes de baptismo, & susceptum, susceptique patrem & matrem, non ultra. Et idem proportionaliter statuit de cognatione, quæ ex Confirmatione contrahitur, quam dicit matrimonium solùm dirimere inter confirmantem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem, suscipientemque de Confirmatione, susceptique patrem & matrem. *Omnibus inter aliat personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò subtatis.*

Præterea idem Concilium ibidem statuit, *ut* 231
unus tantùm, sive vir, sive mulier.... vel ad summum unus & una baptizatum de fonte suscipiant. Et ut Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum vel eos tantùm ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excusari valeant. Quòd si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Ex quibus

Sequitur 1°. inter susceptorem & susceptri- 232
cem non exurgere spiritualis cognationis impedimentum.

2°. baptizatum inire posse matrimonium cum 233
sorore patrini sui.

3°. Parochum committere incestum, si desi- 234
derio, vel opere, peccaverit cum matre infantis à se baptizati.

4°. baptizantem scienter (absque necessitate) 235
propriam prolem, contrahere spiritualem cognationem cum uxore sua, impedientem ipsum à petitione debiti.

Dixi *absque necessitate*: quia *in mortis articulo*, quando alius non reperitur, *qui baptizet, pater aut mater, tunc* baptizando, *nullam contrahunt cognationem, quæ matrimonii usum impediat*, uti declarat Rituale Pauli V. Eam tamen contrahit baptizans prolem suam illegitimam ex fornicatione susceptam. Quia in Tridentino nulla invenitur exceptio, nisi respectu patris, vel matris, prolem ex matrimonio susceptam in necessitate baptizantis. Fagnanus ad cap. *veniens* de cogn. spir. Et quia *fraus & dolus nemini debet patrocinari*, si fraudulenter quis baptizaverit prolem suam ex fornicatione susceptam, ut liberaretur à promissione ducendi matrem, non ideò liberaretur ab obligatione istius promissionis, sed teneretur petere dispensationem.

Sequitur 5°. in casu quo plures tangunt bap- 236
tizatum, si nullus eorum in patrinum designatus sit à parentibus, vel saltem à Parocho (cujus est in defectum parentum designare) nullum ex ipsis contrahere spiritualis cognationis impedimentum, uti colligitur ex allatis verbis Tridentini: *si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, spiritualem cognationem nullo modo contrahant.* Si tamen plures quàm unus & una designati fuerint, nec appareat quis prior sit designatus, omnes contrahunt cognationis impedimentum, uti S. Congregatio respondit apud Fagnanum ad cap. *ex litteris* de cognat. spir.

Sequitur 6°. in casu quo designatus per pro- 237
curatorem levat infantem, cognationem spiritualem à procuratore non contrahi, utpote non designato, nec levante nomine suo, sed patrini designati. An verò designatus, per procuratorem levans, contrahat impedimentum cognationis? Negant aliqui, ad id requirentes actionem personalem. Sed S. Congregatio Concilii declaravit contrahere, ut videre est apud Fagnanum ad cap. *veniens* de cognat. spir.

Ex collatione etiam Sacramenti Pœnitentiæ ex- 238
urgit cognatio spiritualis inter Confessarium & filium vel filiam confessionis, quæ licèt non sit impedimentum matrimonii, facit tamen ut accessus Confessarii ad filiam confessionis habeat rationem cujusdam incestûs, necessariò in confessione exprimendam. Quia, ut Symmachus dicit can. *omnes* 30. q. 1. *omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mer-*

gentibus, unda sacri baptismatis regeneravit. Sylvester quoque docens admonet unumquemque Sacerdotem, ut nullus, causâ fornicationis, ad suam pœnitentialem accedat. Quia scriptum est: omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita filii nostri sunt, ut in baptismate suscepti. Unde S. Thomas in 4. dist. 42. q. 1. a. 2. ad 8. *per pœnitentiam* (inquit) *contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem & mulierem confitentem, simile cognationi spirituali* (quæ contrahitur per baptismum) *ut tantùm peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia. Et hoc ideò quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem & confitentem, & ex hoc ista prohibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio.*

§. III.

Cognatio legalis.

239 Dirimit matrimonium 1°. inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes & adoptantis ascendentes usque ad quartum gradum. 2°. inter adoptatum & filios naturales adoptantis. 3°. inter uxorem adoptati & adoptantem, & inter adoptatum & uxorem adoptantis. Et ista dirimens cognatio, sicut & prima, est perpetua; sed secunda solùm subsistit durante adoptione, & quamdiù filius naturalis in potestate est patris; aliàs non. cap. unico de cognat. legali.

240 Adverte tamen, quòd licèt aliqui velint hoc impedimentum exurgere non solùm ex adoptione perfecta, per quam persona extranea, sui juris existens, Principis rescripto in alterius veluti patriam transit potestatem, & in familiam ipsius; verùm etiam ex imperfecta, per quam persona extranea, in potestate sui patris existens, ab alio in filium vel filiam adoptatur, sic tamen ut ex patris vel avi potestate non egrediatur, nec necessarius sit hæres ex testamento patris adoptantis, sed tantùm jus habeat ipsi ab intestato succedendi; nec Principis requirit potestatem, sed à Magistratu fieri potest. Probabiliùs tamen Sylvester, Petrus Ledesma, Vasquez, & alii censent hoc impedimentum solùm exurgere ex adoptione perfecta, eò quòd matrimonii impedimenta dirimentia in dubio amplianda non sint, sed potiùs restringenda, & adoptati per imperfectam adoptionem solùm imperfectè gerant similitudinem filii naturalis, hoc ipso quòd non transeunt in potestatem & familiam adoptantis.

CAPUT XXX.

Impedimentum affinitatis.

241 Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, sive illa licita fuerit, sive illicita. Cujus ratio est, quia cùm vir & femina per copulam carnalem fiant una caro; consanguinei unius sic pertinent ad alterum, ut femina fiat affinis consanguineis viri, & vir affinis consanguineis fœminæ, in eodem gradu, in quo ille vel illa consanguineus est, vel consanguinea cum iisdem. Unde per carnalem copulam Titii cum Caja, consanguinei Cajæ in primo, secundo, tertio gradu, &c. fiunt affines Titio in primo, secundo, tertio gradu, &c. Consanguinei tamen Cajæ non fiunt affines consanguineis Titii. Quia illi soli sunt affines, quorum unus per copulam factus est una caro cum consanguineo vel consanguinea alterius. Cujus defectu pater & filius, ducere possunt matrem & filiam, duo fratres duas sorores, & Titius, qui duxerat Cajam, sororem Sempronii, post mortem Sempronii ducere potest viduam ipsius. Quia Titius per copulam habitam cum Caja, factus est quidem affinis cum fratre Cajæ, aliisque consanguineis ipsius, sed non cum affinibus Cajæ; vidua autem fratris Cajæ solùm est affinis Cajæ, non consanguinea. Et hoc est quod dici solet: *affinitas non parit affinitatem:* id est, non ideò efficior affinis consanguineis tuis, quia efficior affinis tibi; nec per consummationem matrimonii Titii cum sorore mea efficior affinis consanguineis Titii, sed affinis Titio dumtaxat.

242 Porrò gradus affinitatis eodem modo computandi sunt, quo gradus consanguinitatis; sic tamen ut in arbore affinitatis, stipes, seu principium affinitatis, sit duplex illa persona, per carnalem copulam una caro facta; & in linea recta ejusdem affinitatis sint ascendentes & descendentes personæ, quacum altera facta fuit una caro. Ascendentes quidem, pater, avus, abavus ipsius, &c. descendentes verò, ipsius filii, nepotes, abnepotes, &c. In linea verò transversa sint ipsius fratres & sorores, cognati & cognatæ, &c.

243 Necessaria verò est ad inducendam affinitatem, copula perfecta per commixtionem seminum; necessaria proinde effusio seminis virilis intra vas debitum feminæ; utpote sine qua fieri nequeunt una caro. Quod est fundamentum affinitatis. Quæ proinde non provenit ex sola copula sine dicta seminatione; neque ex copula præpostera & sodomitica; neque ex matrimonio rato, non consummato.

244 Affinitas itaque ex copula licita, seu conjugali, matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusivè; ex illicita, usque ad secundum inclusivè, uti præscribit Tridentinum sess. 24. de reform. matrim. c. 4. Unde Titius, qui sponsalia contraxit cum Caja, & postea fornicatus est cum sorore ipsius, neutram ducere potest. Non Cajam, ob impedimentum affinitatis in primo gradu contractum per fornicationem cum sorore ipsius. Neque ipsius sororem, ob impedimentum publicæ honestatis, ex sponsalibus validis cum Caja ipsius sorore.

245 In nullo tamen gradu lineæ transversæ affinitas matrimonium dirimit jure naturæ, nec divino; sed Ecclesiastico dumtaxat; in quo Ecclesia potest dispensare: prout colligitur ex eo quòd in lege veteri, frater post mortem fratris, absque liberis defuncti, jubebatur ducere uxorem ipsius, & suscitare semen fratri suo. Necnon ex eo quòd in omni gradu istius lineæ Ecclesia sæpè dispensarit. Videri potest cap. finale de divortiis.

246 In primo tamen gradu lineæ rectæ, affinitas, si non dirimit matrimonium, saltem impedit vel jure naturali, vel divino, vel gentium. Quia omnes gentes benè institutæ semper execratæ sunt conjugia privignorum cum novercis suis, ut habetur L. *liberi* C. de nuptiis. Unde Apostolus 1. Cor. 5. *auditur* (inquit) *inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Sed & Amos 2. Deus sic queritur: *filius & pater ejus, iverunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.* Et Levit. 20. coitus cum nuru vel noverca sua connumeratur inter gravissima peccata bestialitatis, & sodomiæ, acerbissimoque ignis supplicio concremari jubetur, *qui novercam suam duxerit: qui supra uxorem filium, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.*

247 Nec obstat exemplum Seleuci, Regis Syriæ, qui videns Antiochum filium suum periculosè infirmum, ex languore amoris, quo Stratonicem novercam deperibat, hanc ipsi nuptui dedit, uti referunt Valerius Maximus, & Plutarcus. Istud quippe factum connumerandum est inter execranda scelera, prout exemplum Persarum, approbantium nuptias filiorum cum propriis parentibus, uti referunt Herodotus, & Quintus Curtius.

Non obstat etiam exemplum Adoniæ, qui affe-

ctavit nuptias cum Abisac uxore David patris sui 3. Reg. 2. Quia nullam cum ipsa habuit affinitatem; cum David, teste Scripturâ, non cognoverit eam. Illa tamen cupiditas Adoniæ temeraria fuit, & contraria publicæ honestati.

CAPUT XXXI.

Impedimentum publicæ honestatis.

249 PUblica honestas est propinquitas orta ex sponsalibus validis, vel matrimonio rato, nondum consummato. Ob quam Ecclesia judicavit indecorum, & publicæ honestati contrarium, cum tali propinquitate inire matrimonium. Et, si quidem oriatur ex sponsalibus validis, jure novo Tridentini sess. 24. c. 3. (quo sublatum est impedimentum ex sponsalibus invalidis) solùm dirimit matrimonium in primo gradu; tametsi jure veteri dirimeret usque ad quartum gradum. Neque hoc impedimentum morte finitur, cap. *siquis desponsaverit* 27. q. 2. Nec cessat per voluntariam ex mutuo consensu sponsalium dissolutionem. Quia Ecclesia impedimentum istud, semel contractum, voluit esse perpetuum, cap. *siquis desponsaverit* eod. Atque ita Romæ (approbante Alexandro VIII.) 6. Julii 1658. decisum est à S. Congregatione, prout videre est apud Fagnanum ad cap. *ad audientiam* de sponsal. num. 29. Opposita proinde Barbosæ sententia non est ampliùs audienda: cùm decisionem illam S. Congregationis Alexander VII. mandaverit deinceps observari.

250 Si autem publica honestas oriatur ex matrimonio rato, extenditur usque ad quartum gradum, sicut olim, uti Pius V. declaravit Bullâ *ad Romanum* anno 1568. editâ. In ea quippe declaravit, impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato, *durare adhuc in omnibus casibus, & gradibus, quibus de jure veteri, ante Tridentinum, introductum erat*, idque procedit etiamsi matrimonium, ex quo oritur, sit irritum ex quacumque causa, præterquàm ex defectu consensûs, prout S. Congregatio declaravit apud Fagnanum ad cap. *tua nos* de desponsat. impub. n. 24. Unde corrigendi imprimis sunt Toletus & Lopez, scribentes impedimentum honestatis ex matrimonio rato fistere in primo gradu. Cùm ante Tridentinum extenderetur ad quartum gradum, testeque Pio V. in Bulla citata, Tridentinum nihil innovaverit circa hoc impedimentum, ortum ex matrimonio rato. Et licèt Sanchez l. 7. de matrimon. disput. 70. n. 13. & Natalis Alexander de matrim. l. 2. c. 4. a. 10. regulâ 5. censeant istud impedimentum non oriri ex matrimonio invalido ob clandestinitatem, seu defectum præsentiæ Parochi & testium: contrarium sequitur ex dictis; ex eo utique quòd usque ad quartum gradum oriatur ex matrimonio, ex alia quacumque causa invalido, præterquàm ex defectu consensûs, ut multis probat Fagnanus ad cap. *ad audientiam* de sponsalib. & matrim. à num. 20. ad 29. Neque enim matrimonium nullum ex defectu clandestinitatis, nullum est ex defectu consensûs naturalis, tametsi ad validum matrimonium nunc insufficientis; neque inhabilitas per clandestinitatem inducta, est inhabilitas ad naturalem consensum, sed ad effectum illius de jure positivo.

CAPUT XXXII.

Impedimentum Ordinis.

251 OMnis & solus Ordo sacer matrimonium dirimit. Tridentinum sess. 24. c. 9. Et ideò Presbyter, Diaconus, Subdiaconus matrimonium invalidè contrahit, contrahendoque irregularitatem incurrit, cap. 1. & 2. qui *Clerici* vel *voventes*. Necnon excommunicationem. Clement. un. de consanguinit.

252 Istud verò impedimentum non solùm incurritur ratione solemnis voti castitatis, annexi sacro Ordini; sed immediatè etiam ratione legis Ecclesiasticæ, sic statuentis, in reverentiam sacræ Ordinationis. Cùm Ordo numeretur ut impedimentum distinctum à voto, idque Tridentinum insinuet sess. 2. c. 9. *siquis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ* pro dictis Clericis, *vel voto* pro Religiosis, *anathema sit*. Efficaciùsque idipsum colligitur ex Canonibus antiquis, Decretisque veterum Pontificum & Conciliorum, quibus obligatio continentiæ absolutè & simpliciter sacro Ordine initiatis imponitur, matrimoniumque interdicitur, nullâ factâ mentione voti. Siquidem omnia ferè prisca Concilia legem continentiæ sacro Ordine initiatis præscribunt, usuque matrimonii, antè initi, abstinere jubent. Enimverò indubitatum est, Nicæno Concilio antiquiora fuisse in Oriente Ancyranum, & in Occidente Eliberitanum. Ancyranum verò can. 10. dispensat ab ista continentiæ lege solos illos Diaconos, qui ante suam Ordinationem expressè protestati sunt, nec posse, nec velle se ab uxore abstinere. Eliberitanum autem can. 33. *placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à conjugibus, & non generare filios: quicumque verò fecerit, ab honore Clericatûs exterminetur*. Nicænum I. can. 3. statuit, *non Episcopo, non Presbytero, non Diacono licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ omnem suspicionem* carnalis conversationis *subterfugiunt*. Concilium Neocæsariense cap. 1. statuit, *Presbyterum, si uxorem duxerit, ab Ordine deponendum: si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, ampliùs puniri, & ad pœnitentiam redigi debere*. Cartaginense V. can. 2. *placuit & condecet sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, & Levitas continentes esse in omnibus.... ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam se ab uxoribus contineant*. Cartaginense V. can. 3. *placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundùm priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere*. Arelatense II. can. 2. *assumi aliquem ad Sacerdotium non posse sub matrimonii vinculo constitutum, nisi fuerit promissa conversio*. Et can. 3. *siquis de Clericis, à gradu Diaconatûs in solatio suo mulierem, præter aviam, & matrem, & neptem, sororem, filiam, vel conversam secum uxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur*. Siricius Papa epist. ad Himerium Tarraconensem c. 7. continentiæ legem in sacro Ordine initiatis renovat, sed ultra Diaconos non extendit, uti nec Innocentius I. epist. 2. & 3. In Concilio Agatensi can. 9. Siricii Decretum renovatur. Et similiter Turonense I. Presbyteris tantùm & Levitis connubii usum interdicit. Leo I. epist. 82. ad Anastasium Episc. Thessalon. *ne Subdiaconis quidem* (secundùm Romanum morem) *connubium carnale conceditur*. Concilium Turonense II. Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros deponit, si ab uxoribus suis non abstinent. Subsecuta Concilia idipsum prohibuere. Ante beatum tamen Gregorium id non fuit Subdiaconis generatim in omnibus Ecclesiis prohibitum, cùm in Sicilia aliter observaretur. Verum ipse Gregorius Magnus

l. 1. epist. 42. Romanam morem de continentia Subdiaconorum sic induxit, ut qui, ante prohibitionem, uxores duxerant, nec castitatem promiserant, compellendi non essent ab uxoribus, seu earum usu separari. Sic tamen ut *ab præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi se victurum castè promiserit.* Post cujus tempora non fuit ampliùs in Subdiaconis toleratum, ut suis uxoribus uterentur.

253 Nec sola antiqua Concilia, Summique Pontifices, sed & veteres Patres, etiam Græci, cœlibatum Sacerdotum adstruunt, nullâ factâ voti mentione. Eusebius l. 3. Demonstrat. Evangel. c. 9. Epiphanius ad finem operis contra hæreses. Basilius Magnus epist. 198. Chrysostomus homil. 2. de patientia Job. Gregorius Nyssenus lib. de virginit. c. ult. Ambrosius l. 1. de Offic. c. ult. Hieronymus l. 1. contra Jovinian. &c.

254 Oppositа Græcorum (utentium uxoribus ante sacram Ordinationem ductis, uxores tamen post suam Ordinationem non ducentium) consuetudo quinto demùm sæculo, paulò ante Synodum quini-sextam, invalescere cœpit, ut constat ex Hieronymo diù in Oriente versato, contra Vigilantium sic scribente: *quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt?*

255 Cæterùm etsi matrimonia Clericorum, in sacris existentium, in Ecclesia apud Latinos semper fuerint prohibita; non fuerunt tamen semper invalida, uti colligitur ex citatis Canonibus Conciliorum Ancyrani & Neocæsarienſis, constatque ex Concilio Cartag. V. can. 3. Arausicano can. 23. & 24. Turonensi I. can. 2. Nec certè Siricius & Innoc. matrimonia hujusmodi irritarunt. Quando irritari cœperint, planè non constat. Id primis mille annis lege universali in Ecclesia Latina factum non esse censet Merbesius de matrim. dissert. 72. Imò nec ante Concilium Lateranense II. anni 1139. Contrarium tamen probatur ex canone *Presbyteris* dist. 27. qui canon in Summario dicitur esse Calixti II. sed in correctione Romana esse dicitur Urbani II. circa annum 1090. editus. Ibi enim sic habetur: *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitùs interdicimus: contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, juxta sacrorum Canonum diffinitiones judicamus.* Juxta priorum ergo Canonum diffinitiones Ordo sacer erat impedimentum dirimens. Quod postea in dicto Concilio Lateran. II. sub Innocentio II. & alio Lateran. sub Alexandro III. & in Remensi sub Eugenio III. rursum fuit expressè declaratum. Et aliquando quidem continentiæ votum facere jussi sunt sacris Ordinibus initiandi. Verùm Ecclesia Orientalis, ut dicitur cap. *olim* de Cler. conjug. *votum continentiæ* non admisit. Græci tamen, seu Orientales, cum Latinis conveniunt, sacrum Ordinem esse impedimentum dirimens matrimonium posteà contractum. Igitur Ordo sacer, etiam independenter à voto, matrimonium posteà contractum dirimit. Maximè cùm usus voti expressi, olim per sacros Canones præcepti, in desuetudinem abierit. Neque sacri Ordinis susceptio alio sensu hodie censeatur continentiæ professio, nisi quatenùs eum Ordinem suscipiens eo ipso censetur se prædictæ legi Ecclesiasticæ subjicere, illiusque vinculo ex virtute religionis in sacri Ordinis reverentiam se subjicere, nisi expressum animum habeat se non subjiciendi, nec vovendi. Quo nihilominùs casu vi dictæ legis Ecclesiasticæ, & non vi voti (cujus essentiæ animus ille repugnat) adhuc invalidè contraheret matrimonium, qui post sacram Ordinationem illud contraheret. Videri potest S. Thomas Supplem. q. 53. a. 3. ad 2. ubi dicit, quòd *Ordo* sacer *ubique impedit matrimonium contrahendum* (tam scilicet *apud Græcos, quàm apud Latinos*) *quamvis non habeat ubique votum annexum.*

CAPUT XXXIII.

Casus mirabilis de conjugato, qui, uxorem falsò existimans mortuam, absque consensu ipsius sacros Ordines, etiam Sacerdotium, atque Pastoratum suscepit.

TItius non ita pridem Coloniæ relicto, cui vacabat, Philosophiæ cursu, Cajam accepit 256
uxorem. Deinde Hollandicæ militiæ adscriptus, eumque aliis ad conscendendam classem evocatus, uxorem reliquit graviter ægrotantem. Post multos menses cum classe redux eam non inveniens in loco ubi eam reliquerat, fidem adhibuit testimonio cujusdam, sine certis indiciis narrantis ipsam obiisse. Ideòque de consilio Confessarii imperiti, cui rem, ut proximè deducta est, exposuit, sacros Ordines suscepit, & exercuit, etiam Presbyteratum. Intereà uxor ipsum undique conquisitum tandem invenit, & nihilominùs Pastoratum ipse susceptum administravitque, ipsâ non invitâ, nec reclamante.

Quæritur 1°. an sacros Ordines taliter susci- 257
piendo peccarit?

2°. an eos exercere potuerit, postquam uxo- 258
rem superstitem scivit?

3°. an uxori petenti debitum reddere debue- 259
rit?

4°. an Pastoratum vel aliud Beneficium Ec- 260
clesiasticum suscipere potuerit?

5°. an exequi potuerit officium Pastoris? 261

Ad primum respondeo, ipsum procul dubio 262
peccasse, sacros Ordines suscipiendo, absque certo nuntio de morte uxoris. Quemadmodùm enim conjugatus, absque certo nuntio de morte uxoris, ad alias nuptias convolare nequit, uti videbitur cap. sequenti; ita nec ad sacros Ordines. Maximè cùm nullus conjugatorum sit *ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam professente fuerit absolutus*, cap. *conjugatus*, & cap. *sanè* de convers. conjugat. Qui enim uxore non consentiente, neque divortii causam per adulterium dante, sacrum Ordinem suscipit, mortaliter peccat, nisi per credulitatem de morte uxoris moraliter certam excusetur. Si enim de morte ipsius solùm habeat credulitatem probabilem & incertam, exponit se discrimini contra sacros Canones in re gravissima faciendi, atque adeò graviter peccat.

Ad secundum, quartum & quintum respon- 263
deo, sacros Ordines, uxore non consentiente susceptos, absque consensu uxoris exercere non potuisse, nec Beneficium vel Officium Ecclesiasticum obtinere, minùs exercere, postquam uxorem superstitem scivit. Quia Joannes XXII. extrav. *antiquæ* de voto & voti redempt. *authoritate Apostolicâ districtiùs inhibet, ne quispiam, durante matrimonio, nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris Canonibus noverit convenire*: adeòque non sine certo nuntio de morte uxoris, vel de consensu ipsius continentiam professentis. *Quòd si secùs à quoquam forsitan attentatum fuerit, ordinamus, quòd nec matrimonio soluto* (quantò minùs durante) *in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad Superiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum valeat promoveri, nisi aliquam de religionibus approbatis.... ipsum canonicè contigerit ingredi, ac*

ejus regulam expresè vel tacitè profiteri. Quo casu Diœcesanus super præmissis & singulis præmissorum cum eo dispensare valeat..... Ad ingressum hujusmodi sic ordinatum (si matrimonium consummatum non fuerit) per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, & induci. Quod si forsan renuerit adimplere, ipsum (si sponsa ejus institerit) per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare. Quia (ut antè Pontifex dixit) *votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis..... ad dissolvendum matrimonium prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum (cùm nec jure divino, nec per sacros reperiamus Canones hoc statutum) invalidum est censendum.* Et ratio est, quia sacros Ordines absque consensu uxoris susceptos, absque eo non potuit exercere, simul & debitum reddere. Utrumque enim juxta sacros Canones incompatibile est. Post Ordines proinde absque consensu uxoris susceptos, absque eo non potuit debitum non reddere. Absque eo igitur non potuit susceptos Ordines exercere. Nec Pastorale Beneficium obtinere & administrare. Cùm nihil istorum possit, qui non potest conjugale debitum non reddere. Cum qua redditione non consistit exercitium Beneficii & Officii Pastoralis.

264 Ad tertium respondeo, non potuisse debitum non reddere uxori petenti, quamdiù ipsa juri suo non cessit, in susceptionem vel exercitium sacri Ordinis, vel Beneficii, Officiivè Pastoralis consentiendo. Quia Titius sacros Ordines, vel etiam Pastoratum, absque consensu legitimæ uxoris suscipiendo, non potuit uxori auferre jus, per legitimum matrimonium acquisitum, exigendi ab ipso conjugale debitum. Quia ex susceptione vel executione sacri Ordinis, vel Beneficii Ecclesiastici, absque uxoris consensu facta, *nullum ei præjudicium generatur*, inquit S. Thomas loco proximè referendo, constatque ex citata extravagante Joannis XXII. Ex quo tamen Caja scivit Titium exercere sacrum Ordinem, susciperequecuram Pastoralem, & non reclamavit, juri suo ad debitum exigendum cessisse censetur. Ex tunc proinde non potuit debitum exigere, sed debuit continentiam perpetuam vovere, sicut debet illa uxor, de cujus consensu maritus sacrum Ordinem susscepit, juxta laudatum caput *conjugatus*, & cap. *sanè*. Quibus consonat S. Thomas in 4. dist. 37. q. 1. a. 2. ad 2. *si uxor sciat, & de ejus consensu vir Ordinem sacrum susceperit, tenetur continentiam perpetuam vovere. Non tenetur religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc quòd vir ejus solemne votum emisit.* Qui ibidem in corpore addit, quòd qui sacrum Ordinem susceperit absque uxoris consensu, *non potest* ab ipsa *debitum petere, nec uxor tenetur ei reddere.* Quia sacrum Ordinem susciperido, ratione legis Ecclesiasticæ, & voti, sesipsum à petitione debiti impedivit.

CAPUT XXXIV.

Impedimentum ligaminis.

265 *Ligamen* est vinculum matrimonii, quo quis alligatur, quamdiù vivit persona cum qua matrimonium contraxit. Ut enim Apostolus ait Rom. 7. *mulier alligata est legi, quanto tempore vivit vir ejus.* Nec prius matrimonium, licèt ratum tantùm, solvitur per secundum, tametsi consummatum, sed dirimit illud jure divino, quo polygamia in lege nova, nec licita est, nec valida; licèt olim Judæis permissa fuerit uxorum polygamia; ideòque repudiatâ uxore possent alteram ducere, vinculo prioris matrimonii non soluto, uti docent SS. Patres, Ambrosius, Augustinus, &c. significatque Scriptura Deuteron. 14. & Hierem. 3. dum mulier, post repudium, alteri nubens, *polluta & abominabilis* dicitur, fornicariæque comparatur.

Ligamen itaque prioris matrimonii dirimit 266
quodcumque aliud, quamdiù vivit prior conjux. Nec mulier, matrimonio juncta, potest alteri nubere, nisi ipsi certò moraliter constet de morte prioris mariti, vel per certum nuntium, vel per litteras, vel per alia indicia, de quibus, arbitrio prudentum, nulla subsit ratio dubitandi. Nec ad hoc sufficit longa absentia, etiam septem, decem, viginti, vel plurium annorum, ut constat ex responso Clementis III. ad Cæsaraugustanum Episcopum, cap. *in præsentia* de sponsi. & matrim. *quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causâ captivitatis, vel peregrinationis absentes, ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita, vel de morte ipsorum, licèt super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, &, pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis matrimoniis copulari. Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare; nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum recipiant nuntium de morte virorum.*

Quòd siquis, certò moraliter credens priorem 267
conjugem obiisse, alterum matrimonium bonâ fide contrahat, tamdiù excusatur, seu petendo, seu reddendo debitum, quamdiù moralis illa certitudo perseverat, uti docet S. Leo epist. 129. ad Nicetum Episcopum Aquileiensem, filiique ex secundo matrimonio geniti nihilominùs legitimi judicantur, uti docet S. Raymundus in Summa lib. 4. fol. 553. Verùm statim atque de priore marito superstite constiterit, mulier, licèt bonâ fide à secundo viro ducta, ipsi restituenda est, prout S. Leo docet ibidem, confirmatque Lucius III. cap. *Dominus* de secundis nuptiis. Nec isto casu licitum est ab ista secunda conjuge debitum exigere, imò nec reddere, prout ex Innocentio III. proximè dicetur. *Si verò aliquis*, vel aliqua, *nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine, ad secundas nuptias convolarit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti. Quod à se tamen noverit nullatenùs exigendum*, ait Lucius III. ibidem.

Denique Innocentius III. cap. *inquisitioni* de 268
sentent. excommun. sic habet: *Credimus distinguendum, utrùm alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit? An non sciat pro certo, sed credat? In primo casu debet potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus, utrùm habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria* (cum qua stare potest moralis certitudo de contrario) *an probabili & discreta?* (cum qua certitudo moralis stare nequit) *& quidem, ad sui Pastoris consilium* (*conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ*) *licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta; debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alterutro, vel contra legem conjugii* (debitum negando) *vel contra judicium conscientiæ* (exponendo se probabili periculo exigendi à non sua) *committat offensam.*

CAPUT XXXV.

Impedimentum criminis.

269 IMpedimentum criminis potest contingere quadrupliciter. Primò, solo homicidio. Secundò, solo adulterio. Tertiò, homicidio simul concurrente cum adulterio. Quartò, adulterio simul concurrente cum matrimonio de præsenti cum adultero vel adultera.

267 Primò itaque *solum homicidium*, seu occisio unius conjugum, ex machinatione, seu conspiratione alterius conjugis cum tertia persona, matrimonium ejus ambiente, tametsi nullum adulterium inter ejusmodi personas intervenerit, matrimonium inter eas dirimit. Ita ex Concilio Triburiensi Cœlestinus III. cap. *laudabilem* de convers. infidel. ubi sic: *interrogasti de Saracenis, qui, dum in captivitate essent, quarumdam Christianarum viros, earum insidiis & machinationibus occiderunt, utrùm, quia postea per ipsas ad fidem Christianam conversi sunt, eas de jure possint accipere in uxores? Hîc Triburiensis Concilii regulâ contenti fumus, asserentis, quòd si in mortem ipsorum malitiosè fuerint machinatæ, licet earum studio ad fidem accesserint; tamen nec iis adhærere debent; nec sunt, si adhæserint, etiam tolerandi. Cùm tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.* Ibi profectò nulla fit adulterii mentio, nec intentionis cum illis contrahendi. Sufficit proinde occisio mariti, ex conspiratione uxoris matrimonium cum occisore ambientis machinata; nec requiritur occisio ab uxore physicè perpetrata, sed sufficit moraliter procurata consilio, mandato, &c. Non sufficit tamen occisio attentata, sed requiritur perfecta. Et si uxor occisionem quidem mandaverit, sed mandatum ante executionem revocaverit, mandatique revocationem significaverit, tunc non est causa efficax mortis, nec proinde obnoxia est impedimento. Uti nec in casu quo mariti occisionem non procuravit, sed post factum solùm ratificavit. Quia ad impedimentum canones requirunt procurationem, seu machinationem, non solam ratihabitionem. Ita Glossa ad citatum caput *laudabilem*, & ad can. *siquis vivente* 31. q. 1. Nec dubium, valere matrimonium cum mariti occisore contractum, si uxor occisionem non procuraverit, sed aliunde acciderit. Quia, ut Cœlestinus addit ibidem, *cùm tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, matrimonium inter hujusmodi personas* (dictorum scilicet virorum uxores, & occisores qui eos prælio occiderunt) *potest contrahi.*

271 Denique impedimentum dirimens non contrahit, qui suam, vel alterius conjugem occidit, ut possit matrimonium contrahere cum ipsius superstite, quæ homicidii particeps non fuit, nec adulterium cum ipso commisit. Quia Canones, hoc impedimentum statuentes, ad illud contrahendum requirunt, quòd conjux superstes, vel occisionem compartis defunctæ procuraverit, vel cum occisore adulteraverit.

272 Secundò, adulterium solum, id est absque homicidio, matrimonium inter adulteros dirimit, quando factum est cum promissione, quâ adulter adulteræ promittit matrimonium post mortem alterius conjugis. Tunc enim ne quidem post mortem alterius conjugis matrimonium inter ipsos subsistere potest, cap. *propositum*, cap. *super hoc*, & cap. *significasti* de eo qui duxit in uxorem, quam polluit per adulterium.

273 Quòd *siquis, uxore vivente, fide datâ, promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit; si nec antè, nec post* (*legitimo ejus superstite*) *cognovit eamdem: quamvis utrique ipsorum... graviter deliquerint... non est tamen matrimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum, dirimendum*, inquit Gregorius IX. cap. *siquis*, eodem tit.

Similiter siquis uxorem alterius adulterio pol- 274
luit, absque promissione matrimonii, cum ipsa post mortem conjugis contrahendi, matrimonium cum ipsa, post ipsius mortem contractum, validum est, cap. *significasti* suprà. Tametsi enim contrarium primâ fronte innuere videatur canon *nullus* 31. q. 1. & canon *illud verò* ibidem, prohibentes, *ne ullus ducat in conjugium, quam prius polluit per adulterium*: hanc tamen prohibitionem Glossa ibidem rectè monet restringendam ad tres casus: nempè *si vivente marito dederit ei fidem, quòd si maritus præmoreretur, eam duceret.* Vel *si alter in mortem mariti cum effectu machinatus est.* Vel *si publicè eam duxit.* Aliàs *mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo priùs adulterium fuit*, inquit Augustinus l. 1. de nupt. & concupisc. c. 10.

Nec criminis impedimentum contrahit; qui, 275
fide adulteræ datâ, de ipsa in matrimonium ducenda, ipsam cognovit, nesciens uxorem esse alienam, sed putans esse solutam. Uti nec ille qui, uxorem habens, sibi aliam, hujusmodi rei insciam, matrimonio copulavit. Sic enim habetur citato cap. *propositum*, & cap. *veniens* cod. tit.

Nec denique (secundùm plerosque Doctores) 276
criminis impedimentum contrahitur ab eo, qui, fide datâ de matrimonio cum ipsa post mariti mortem contrahendo, uxore ipsius abutitur absque effusione seminis intra vas, vel cum ea taliter polluta marito vivente de facto contrahit. Quia canones hoc impedimentum statuentes, ab ipsis loqui censentur de adulterio perfecto. Quale non est absque seminis intra vas effusione. Ad verum enim & perfectum adulterium tria requiruntur, 1°. ut matrimonium sit legitimum. 2°. ut adulter & adultera noverint conjugem esse superstitem. 3°. ut semen intra vas naturale fundatur. Quia aliàs non fiunt una caro.

Tertiò, homicidium cum adulterio concur- 277
rens, matrimonium cum adultero vel adultera contrahendum dirimit, tametsi contrahentium alter non fuerit homicidii conscius, nec particeps, dummodò homicidium ab altero commissum fuerit eo fine ut cum altero conjuge superstite matrimonium contraheret. Ita enim Doctores colligunt ex cap. *super hoc* de eo qui duxit, &c.

Quartò, adulterium concurrens cum matrimo- 278
nio de præsenti cum adulterii complice, vivente adhuc ipsius conjuge, dirimit matrimonium istius adulteri cum adultera, etiam post mortem ipsius conjugis. Ideòque Titius, qui uxore suâ vivente Cajam adulterio polluit, cum eaque matrimonium (licèt invalidum) de præsenti contraxit, non potest legitimum cum Caja matrimonium inire, etiam post mortem legitimæ uxoris suæ, cap. *ex litterarum*, cap. *cùm haberet*, & cap. *siquis* eod. tit. Ad istud tamen impedimentum necesse est quòd uterque, adulter scilicet & adultera, conscius fuerit prioris matrimonii, cap. *propositum*, & cap. *veniens* eod. Necesse quoque est, quòd prius matrimonium validum fuerit. Si enim invalidum fuerit, impedimentum non incurritur, cap. *significavit* eod. Videri potest S. Raymundus l. 4. Summæ fol. 546.

CAPUT XXXVI.

Impedimentum disparitatis cultûs.

PEr cultûs disparitatem hîc intelligitur diversi- 279
tas religionis, non qualis est inter Catholicum & hæreticum, sed qualis est inter baptizatum & non baptizatum. Et certum est baptizatorum cum

non

non baptizatis matrimonia in Ecclesia Dei irrita esse, olimque fuisse, non ex aliquo Canone Ecclesiastico pro tota Ecclesia condito (ut notant Estius in 4. dist. 39. §. 3. & Christianus Lupus in notis ad can. 14 Concilii Calcedon.) sed ex universali Ecclesiæ consuetudine, vim legis habente, quæ post tempora S. Monicæ, & S. Augustini, videtur sensim introducta fuisse, licèt exordium ipsius ignoretur. Unde Concilium Toletanum IV. can. 63. præcipit, ut ejusmodi conjugium separetur. Et Ivo Carnotensis ep. 122. expresse supponit irritum matrimonium Catholici cum Judæa. In eoque Theologi omnes cum S. Thoma, omnes item Canonistæ conveniunt, tamquam in re certa, per Majorum traditionem accepta.

280 Certæ pariter sunt assertiones sequentes. Prima: fidelium cum infidelibus matrimonia jure naturali, & divino positivo illicita sunt, ubi periculum subversionis, seu æternæ salutis imminet fideli, vel proli nascituræ. Propterea namque Deus Exodi 34. & Deuteron. 8. Israëlitis prohibuit connubia cum gentibus, quarum terram possessuri erant. Et Apostolus 2. Cor. 6. *nolite* (inquit) *jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum infideli*, &c. ?

281 Secunda: matrimonia fidelium cum infidelibus, seclusо periculo subversionis, educationisque filiorum in falsa religione, ab Ecclesia tolerata fuerunt, saltem ubi spes fuit conversionis conjugis infidelis per fidelem. Id enim constat exemplis SS. Cæciliæ, Monicæ, &c. *Nihilque in Evangelio, vel Litteris Apostolicis sine ambiguitate* in contrarium *declaratum* esse censet Augustinus lib. de fid. & oper. c. 19. & l. 1. de adult. conjug. c. 25.

282 Tertia: dum infidelium conjugum alter ad fidem Christianam conversus baptizatur, non ideò matrimonium dirimitur. Sic enim canonicis regulis declaratur cap. *siquis*, & cap. *gaudemus* de divortiis.

283 Quarta: conjux ad fidem Christianam conversus, in eaque baptizatus, licèt non teneatur, potest tamen, Ecclesiastici Judicis sententiâ, quoad thorum, non quoad vinculum dimittere conjugem infidelem, in infidelitate pertinacem, cum ipso pacificè cohabitare nolentem. Id tamen non expedit. Est doctrina Sanctorum, Augustini l. 1. de adulterin. conjug. c. 13. 17. 18. 20. 21. & 25. ubi verba Apostoli 1. Cor. 7. scribentis: *siquis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*, consilii esse dicit, non præcepti. Quod confirmat l. 1. de serm. Dom. in Monte c. 16. Si non est præceptum non dimittere: igitur potest dimittere. Non expedit tamen, cùm (Apostolo teste) consilium sit non dimittere. Unde idem Augustinus c. 18. citato: *tunc non expedit quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis. Sicut est... discessio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis; sed prohibet Apostolus consilio charitatis: quia infidelibus affert impedimentum salutis. Non solùm quia perniciosissimè scandalizantur offensi; verùm etiam quia in alia conjugia cùm cecíderint, vivентibus eis, à quibus dimittuntur, adulteriis nexibus colligati difficillimè resolvuntur.*

284 Quòd autem in dicto casu conjux fidelis, vivente comparte infideli, non possit ipsum dimittere quoad vinculum, nec proinde ad alias nuptias convolare, idem S. Doctor tradit citato cap. 25. dum ibi de infidelitate loquitur sicut de adulterio: *propter quodlibet tamen fornicationis genus, sive carnis, sive spiritûs, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro non licet alteri nubere, & dimissâ uxore non licet alteram ducere. Quoniam Dominus, nullâ exceptione factâ, dicit:* si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur. Et omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchatur. Marci 10. & Luc. 16. Idipsum confirmat Alexander III. cap. *quæsivit* de divortiis: *si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari, ita quòd ei nubere alteri non licebit. Quia licèt separentur, semper tamen conjuges erunt. In viris quoque præsentis sententiæ forma servetur.*

Confirmat totam hanc assertionem S. Thomas 285
in 4. dist. 39. q. 1. a. 5. *si infidelis vult cohabitare, sine contumelia Creatoris, vel sine hoc quòd ad infidelitatem inducat, potest fidelis liberè discedere, sed discedens non potest alteri nubere.* Ut enim dixerat a. 3. *per hoc quòd alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipso vinculum matrimonii solvitur*, uti declaratur can. *siquis* 28. q. 2. & cap. *gaudemus* de divortiis.

Quinta: si conjux infidelis cum fideli nullo 286
modo cohabitare velit, vel non velit sine contumelia Creatoris, vel nonnisi ut fidelem pertrahat ad mortale peccatum; fidelis infidelem non solùm deserere potest quoad thorum, sed & quoad vinculum, aliud matrimonium contrahendo. Sic enim SS. Patres, sacrique Canones intelligunt dictum Apostoli 1. Cor. 7. *quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, id est* (inquit Augustinus lib. de fid. & oper. c. 16.) *ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor, legitimâ societate conjuncta sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Christiano, propter hoc quia Christianus est, permanere noluerit. Non attendunt* (illi quibuscum disputat) *eo modo illam rectissimè dimitti, si viro suo dicat: Non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus domum nostram transigebas, etiam Christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum, vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tunc enim ille, cui hoc uxor dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad baptismum, habetque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, & membrum, quod eum scandalizat, fortiter amputat.* Similiter Author canonis *si infidelis* 28. q. 2. Et Innocentius III. cap. *quanto* de divortiis: *si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat in peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: si infidelis discedit, discedat: frater enim, vel soror, non est servituti subjectus in hujusmodi.*

Sexta: si infidelis ad fidem Christianam con- 287
vertatur, antequam conjux priùs conversus, aliud inierit matrimonium, illum recipere tenetur, uti declarat Innocentius III. cap. *gaudemus* eod. Quia scilicet vinculum matrimonii inter utrumque non solvitur, nisi dum conjux fidelis, ob causas proximè dictas, aliud matrimonium contrahit. Ut enim S. Thomas ait in 4. dist. 39. q. 1. a. 5. ad 2. *crimen uxoris, nolentis cohabitare sine injuria Creatoris, absolvit virum à servitute, quâ tenebatur uxori, ut non posset ea vivente aliam ducere; sed nondum solvit matrimonium. Quia si blasphema illa converteretur, antequam aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus. Sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis non solutus à servitute uxoris per copulam ejus.* Ad 4. tamen addit, *quod si post conversionem viri sit aliqua probabilis spes de conversione uxoris, non debet votum continentiæ vir emittere, nec ad aliud matrimonium transire: quia difficilius*

converteretur uxor, viro suo sciens se privatam. Si autem non sit spes de conversione, potest ad sacros Ordines, vel ad religionem, vel ad aliud matrimonium *accedere,* priùs requisitâ uxore ut convertatur. Et tunc si *postquam vir sacros Ordines,* vel aliam uxorem *accepit, uxor convertatur, non ei vir suus erit reddendus; sed debet sibi imputare in pœnam tardæ suæ conversionis, quòd viro suo privatur.* Isti tamen uxori, post seriam suam conversionem, & transitum mariti ad alias nuptias, concedi potest ut alium virum accipiat, ut Angelicus Doctor ibidem ad 8. dicit: *postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimoniale ab utraque parte: quia matrimonium non claudicat quoad vinculum. Unde...* si uxor infidelis *postmodùm convertatur, potest ei concedi dispensativè, ut alteri nubat, si vir ejus aliam uxorem duxit.*

288 Septima: proles minorennes conjugis ad fidem converti debent ipsi dari, & subtrahi alteri, in infidelitate pertinaci. Sic in favorem fidei Christianæ meritò declaratur can. *Judæi,* & can. *Judæorum* 28. q. 1. sicut & cap. *ex litteris* de convers. infidel. *cùm in ætate talis quis non debeat apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quòd saluti vel vitæ insidientur illius.*

289 Octava: Catholicorum cum hæreticis matrimonia valida sunt, nec propter transitum alterutrius à fide ad hæresim, vel etiam ad gentilitatis errorem, dissolvi possunt. Ratio prioris partis est quia nec naturalis, nec divina, nec Ecclesiastica lex statuit ejusmodi matrimonia esse irrita. Posteriorem partem definit Innocentius III. cap. *quanto* de divortiis. Et Tridentinum sess. 24. can. 5. *si quis dixerit, propter hæresim.... dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* Rationem autem, cur potiùs irritum sit matrimonium propter disparitatem baptismi, quàm propter disparitatem fidei, S. Thomas loco citato a. 1. esse dicit, *quia matrimonium Sacramentum est; & ideò, quantùm pertinet ad necessitatem Sacramenti, requirit paritatem quantùm ad Sacramentum fidei, scilicet baptismum, magis quàm quantùm ad interiorem fidem.*

290 Nec obstat canon 71. Trullanæ Synodi, Catholicorum cum hæreticis matrimonia pronuntians irrita. Quia Synodus ista legitima non fuit, & Canonem illum Ecclesia Catholica nunquam recepit.

291 Corrigendus proinde est Lessius in Auctario, verbo *hæreticorum cum Catholicis conversatio* casu 26. dicens, quòd hæreticorum *matrimonium est nullum,* eorumque *conjunctio est fornicatio.*

292 Corrigendi etiam sunt, qui apud Gobat tract. 9. de matrim. num. 242. & tract. 10. num. 705. putant, hæreticorum, vel cum hæreticis matrimonia non esse indissolubilia, magis quàm matrimonia infidelium: eò quòd radix indissolubilitatis sit ratio Sacramenti, quæ ratio deficit (inquiunt) in matrimonio hæreticorum, vel cum hæreticis: eò quòd rationem Sacramenti nec credant, nec intendant. Tridentinum autem ad valorem Sacramenti requirit intentionem ministri conficiendi illud. Corrigendi (inquam) sunt, tum quia ex dictis cap. 6. constat omne matrimonium Christianorum validum & consummatum, ex sententia omnium Catholicorum, esse indissolubile, juxta illud Luc. 16. *omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur.* Tum quia ex eo quòd hæretici non credant suum matrimonium esse Sacramentum, non sequitur quòd communiter non habeant intentionem conficiendi & suscipiendi Sacramentum. Siquidem error ille privatus ipsorum non obstat, ne generalem intentionem communiter habeant faciendi & suscipiendi quod Christus instituit. Quamvis enim non conficerent, nec susciperent Sacramentum, si contraherent cum expressa intentione non conficiendi, nec suscipiendi Sacramentum, non obstante quòd matrimonialem contractum Christus Sacramentum esse voluisset: pauciſſimi sunt, siqui sunt, & nonnisi perversissimi, qui tam perversam habent voluntatem. Tum denique quia baptizatorum matrimonium eo ipso indissolubile est, quo ratum & consummatum, prout Innocentius III. definit cap. *quanto* de divort. ibi: *etsi matrimonium verum inter infideles existat* (id est inter non baptizatos) *non tamen est ratum. Inter fideles autem* (id est baptizatos) *verum & ratum existit*; ideòque indissolubile, si consummatum fuerit: *quia Sacramentum fidei, quod semel admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.* Ubi priorum verborum, *etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum,* sensus est, quòd etsi matrimonium non baptizatorum verum sit, non tamen est ratum, id est ita firmum, ut etiam postquam consummatum fuerit, nullo casu dissolvi possit. Posteriorum verò, *inter fideles autem,* &c. sensus est, quòd inter baptizatos matrimonium verum & ratum existat, adeòque post consummationem nullo casu dissolubile sit (siquidem, ut Glossa observat, in textu illo Pontifex agit de eo fidelium matrimonio, quod ita verum & ratum est, ut carnali copulâ sit consummatum) *quia Sacramentum fidei* (id est baptismus) *quod semel admissum, nunquam amittitur, sic ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret:* omni proinde casu indissolubile est. Unde laudatum caput sic communiter accipitur, ut ibi definiatur matrimonium baptizatorum (etiam hæreticorum) consummatum nullo casu dissolvi posse. Quamvis enim Pontifex dicat: *inter fideles autem,* &c. per fideles intelligit baptizatos: nec decisionem suam fundat in eo quòd fideles, id est verâ & Catholicâ fide præditi sint; sed in eo quòd baptizati seu insigniti sint *Sacramento fidei.* Aliàs, ut benè observat Basilius Pontius l. 1. de matrim. c. 15. matrimonium Catechumeni esset ratum, & si ante baptismum resiliret à fide, nolletque absque contumelia Creatoris cohabitare alteri converso & baptizato, baptizatus non posset ducere aliam. Cujus oppositum ex dictis constat. Deinde matrimonium baptizatorum non dici ratum ex fide suscepta, constat ex eo quòd aliàs in hæreticis, amissâ fide, desineret esse ratum, atque adeò non obstante consummatione desineret esse indissolubile. Cujus oppositum ibi definit Innocentius III. definit & Tridentinum sess. 24. can. 5. Ibi ergo dicitur ratum ex reali susceptione baptismi, tamquam causa, suppositâ consummatione ex significatione conjunctionis Filii Dei cum carne humana & Ecclesia, tamquam signo, vel effectu.

Ex hac proinde utraque ratione provenit indis- 293
solubilitas matrimonii consummati baptizatorum, non præcisè ex eo quòd baptizatorum matrimonium sit Sacramentum propriè dictum. Neque enim illis verbis, *ratum efficit conjugii Sacramentum,* Pontifex vim facit in eo, quòd baptizatorum matrimonium, in dicto casu, sit Sacramentum, hoc intelligendo de Sacramento propriè dicto (aliàs separatâ in nonnullis casibus ratione Sacramenti propriè dicti, à ratione contractûs (uti separabil s est ex plurimorum Doctorum sententia) matrimonium, etiam Catholicorum, non esset ratum, nec omninò indissolubile, tametsi consummatum, quod nullus dixerit) sed per Sacramentum intelligit matrimonii vinculum, quod ratione sacræ significationis, de qua antè, sit Sacramentum late acceptum.

Corrigendus denique Petrus Marchantius Tri- 294
bunal.

bunal. Sacram. to. 4. tr. 1. tit. 6. ubi pro civiliter legitimis habens matrimonia quæ hæretici inter se contrahunt, cum impedimento dirimente juris tantùm Ecclesiastici; ex eo tamen præcisè quòd matrimonia ejusmodi non sint (inquit) Sacramenta, sed contractus merè naturales & civiles, non sunt omninò indissolubilia, sicut nec infidelium matrimonia; sed si alteruter ad veram fidem convertatur, periculo aliquo subversionis existente, potest Catholicus relinquere conjugem hæreticam, & ad alias nuptias in foro conscientiæ transire, licèt in foro externo, ob Reipublicæ bonum, hæreditates, successiones prolium, &c. civiles leges contradicerent. *Unde sicut infidelis (ut ait Apostolus 1. Cor. 2.) si discedat, discedat: non enim servituti subjectus est frater: ita si hæreticus discedit, discedat: cùm enim vinculo Sacramenti non sint colligati, ob periculum subversionis, contractus naturalis & civilis (Christo per Apostolum ita declarante) dissolvi etiam quoad vinculum potest.* In eo (inquam) Marchantius corrigendus est. Quidquid enim sit, an matrimoniales contractus hæreticorum cum impedimento dirimente juris Ecclesiastici, sint vel non sint veri & legitimi contractus naturales & civiles (de quo postea) supposito quòd tales sint, accedente consummatione, secundùm omnes Doctores, & legitimum intellectum capitis *quanto* suprà allatum, sunt ex mente Ecclesiæ omninò indissolubiles, ut vidimus.

295 Nona assertio: Catholicorum cum hæreticis matrimonia, per se, & utplurimùm sunt graviter illicita. Ita S. Ambrosius l. 1. de Abraham c. 9. & Doctores omnes. Quia hæreticus, Ecclesiam non audiens, habendus est *sicut ethnicus & publicanus.* Estque secundùm Apostoli sententiam devitandus: *hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita.* Nec in domum admittendus est, nec salutandus, secundùm illud Joannis epist. 2. *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Denique hæreticus omnis est excommunicatus. Cum ipsis proinde Catholici matrimonia contrahere non debent. Maximè cum ea contrahendo, cum ipsis communicent in iis quæ Sacramenta sunt (cujusmodi sunt baptizatorum matrimonia) ipsisque occasionem præbeant eorum sanctitatem violandi, ac sibimetipsis periculum creent subversionis; proliibusque suis periculum malæ educationis; domesticis denique periculum dissensionum & rixarum, ob diversitatem religionis. Ad quæ præcavenda, Catholicorum cum hæreticis conjugia prohibita sunt per varia Concilia, Eliberitanum can. 16. Laodicænum can. 10. Cartaginense III. can. 12. Calcedonense can. 14. Agathense can. 67. &c.

296 Nec consuetudo, seu potiùs corruptela Regionum, in quibus Catholici cum hæreticis permixti vivunt, & passim cum illis matrimonia contrahunt, taliter contrahentes à gravi peccato excusat, nisi dispensationem à S. Pontifice justis gravibusque de causis obtinuerint, absitque periculum subversionis, provideatur denique catholicæ prolium educationi. Tametsi enim, his suppositis, hujusmodi matrimonia prohibita non sint lege naturali, nec divinâ; sunt tamen prohibita legibus Ecclesiasticis, quarum dispensatio in re tanti momenti, ad disciplinam Concilii Generalis authoritate constitutam spectante, pertinet ad S. Pontificem, ut constat ex praxi ipsorummet Principum, pro ea ad Summum Pontificem recurrentium. Particularium autem secùs facientium consuetudo, quamlibet longæva, non tam consuetudo, quàm corruptela dicenda est, juxta cap. *cum tanto* de consuetudine. Unde ex tali praxi utplurimùm oriri majora mala, quàm bona, Tannerus, Layman, Marchantius, aliique Doctores testantur: utplurimùm enim mariti hæretici, si non pervertant uxores, saltem iis non permittunt se immiscere filiorum, saltem masculorum educationi, nec hæreticæ uxores, maritis permittunt immiscere se educationi filiarum, in concernentibus religionem; imò pactum in contrarium explicitè vel implicitè adjicere solent. Impium autem, & nullo casu licitum est matrimonium Catholici cum hæretica, vel Catholicæ cum hæretico, cum tali pacto. Finis enim matrimonii jure divino est generatio prolium educandarum in Dei timore, in eaque religione, in qua salvari possint. Id etiam est contra jus Ecclesiasticum can. *Judæi* 22. q. 1. & cap. *ex litteris* de convers. infidel. Unde Navarrus & alii passim aiunt, impia esse pacta matrimonialia, ut pars prolium nascituraruni patrem hæreticum sequatur, pars matrem, vel contrà.

CAPUT XXXVII.

Impedimentum violentiæ, seu coactionis.

PEr violentiam, seu coactionem, non intelli- 297
gitur violentia, seu coactio absoluta, & omnimoda (utpote quæ inferri nequit voluntati in actibus suis elicitis) sed intelligitur violentia & coactio secundum quid, quæ fit incutiendo metum. Et metus quidem levis non dirimit matrimonium. Cum enim facilè vincibilis sit, non tollit libertatem sufficientem ad matrimonium, uti S. Thomas, S. Bonaventura, & Doctores communiter observant.

Metus itaque matrimonium dirimens, est solus 298
metus gravis, seu cadens in constantem virum, vel constantem feminam, injustè incussus ad extorquendum consensum in matrimonium. Cujus naturam & cætera huc spectantia, quia fusè explicavimus cap. 17. necesse non est hîc repetere, sed solùm denuò observare, quòd ut metus sit gravis & sufficiens ad matrimonium dirimendum, esse non debeat talis absolutè & respectu omnium, nec proinde esse debeat metus mortis, vel incarcerationis, vel mutilationis, vel publicæ ignominiæ, aliorumque ejusmodi malorum, quæ gravia sunt absolutè & respectu omnium. Talem quippe metum exigere ad matrimonium dirimendum, est contra regulam communiter receptam, quòd ad dijudicandam metûs gravitatem inspicere oporteat ætatem, qualitatem, aliasque circumstantias personæ, cui metus incutitur, nec tanti mali metum exigere in puella juvencula, quàm in viro forti. Quia, utrectè Suarez de relig. to. 3. l. 6. c. 4. n. 11. aliam circumstantiam requirit recta ratio in viro, quam in femina, & aliam in matura ætate, quàm in puerili. Aliam proinde in femina maturioris ætatis, quàm in juvenculâ; aliam in puella aliud refugium habente quam personam incutientem metum, & sub illius potestate non constitutam, aliam in ea quæ sub ipsius est potestate, nec aliud habet refugium, cujus proinde diu sustinere terribilem vultum, verba aspera, malam tractationem, consuetæ gratiæ, & amicitiæ subtractionem, indignationem, minas ejectionis è paterna domo, mandata impetiosa ducendi talem, &c. respectu juvenculæ hujusmodi puellæ meritò cententur gravia mala, eorumque proinde metus gravis, ut videre est apud Barbosam in votis decisivis l. 1. voto 1. ubi agit de coactione certè non majori, imò non aceò gravi, à Pædagogo illata Ludovisio ad matrimonium incundum cum Josepha, ut confitenti persuasum erit. Illud tamen matrimonium, ab illustrissimo D. Nuntio Hispaniarum, Judicibusque ab ipso

deſignatis, pronuntiatum fuit irritum & nullum. Quia ſcilicet in matrimonio, tam carnali, quàm ſpirituali, requiritur omnimoda libertas, ait Barboſa ibidem, & ad hoc ut matrimonium dicatur non coactum, non ſufficit ſimplex conſenſus, ſed requiritur plena ſecuritas & libertas, prout tenent Navarrus conſil. 3. ſub n. 3. de ſponſal. Fachin. l. 3. controv. c. 28. verſu *ad 2. reſpondeo.* Rota deciſ. 643. n. 9. p. 1. recent. Et ſunt obſervatu digna verba Pariſii conſil. 61. n. 31. lib. 4. *quoniam matrimonia debent eſſe libera, & gaudere pleniſſimâ libertate*, ut in cap. *cùm locum*, cap. *requiſivit*, cap. *gemma* de ſponſal. Et iterùm conſil. 53. n. 56. eod. lib. 4. *quia in matrimonio requiritur voluntas cum plena libertate, & ſecuritate*, ut deduxit & tenet Abbas..... *infertur neceſſariò, quòd voluntas & libertas neceſſariæ ſunt in ipſo matrimonio, & ſi adeſt voluntas, & non libertas, non poteſt dici ſatisfactum diſpoſitioni juris, nec matrimonium ita celebratum poterit ſubſiſtere. Sequitur Hippolytus Rimin. conſil. 77. n. 14. inter matrimonialia Zilleti. Fortunat. Garza in tract. de ult. fin. n. 188. 189. & 409.* At verò habere non dicitur liberum arbitrium, ſeu libertatem, multò minùs plenam libertatem, qui in eligendo ſequi compellitur alterius voluntatem. Anton. de Butr. in cap. *cùm virum* n. 7. de regular. Et pulchrè in noſtris terminis Franc. Monaldus conſil. 5. n. 42. & 44 p. 2.

299 Facit etiam ad intentum doctrina Gobat de Matrim. tr. 9. ſect. 1. caſu 12. n. 250. quòd quando probatur interceſſiſſe metum reſpectivè gravem, perinde diſſolvendum eſt matrimonium, ac ſi demonſtraretur interceſſiſſe gravem abſolutè. Quia in talem metum cadit propriiſſimè, quod Alexander III. ait in cap. *cùm locum* de ſponſal. quòd utique *locum non habeat conſenſus* omninò liber, *ubi metus vel coactio intercedit.* Quandoquidem defectus omnimodæ ſeu plenæ libertatis, matrimonium invalidans, immediatè & præcipuè cauſatur à vehementia metûs, ſeu apprehenſionis mali imminentis; remotè autem & minùs principaliter ab ipſo malo formidato, foris exiſtente, ut per ſe notum eſt. Quia igitur ratio, propter quam metus abſolutè gravis matrimonium irritat, eſt quia plenam non relinquit libertatem; hanc autem reſpectivè ad talem perſonam plenam pariter non relinquit metus reſpectivè gravis, matrimonium pariter irritat. Quia ubi eadem eſt cauſa, idem eſt effectus, & ubi eadem eſt ratio, eadem eſt juris diſpoſitio. L. *illa* ff. ad leg. Aquil.

300 Hinc ubi puella expreſsè declarat, ſe nolle tali nubere, pater autem, quem multùm veretur, & reveretur, imperioſè jubet ut ei nubat, reſultat metus ſufficiens ad matrimonium annullandum, uti Barboſa loco citato n. 16. arguit, & in terminis conſiderat Hippolytus Rimin. conſil. 77. n. 24. in hæc verba: *ex quibus verbis imperioſè prolatis arguitur vis & metus illatus Martinello, ſecundùm Vermaſ. in d. conſ. 2. col. 2. tantòque magis, quia* reſpondit Martinellus: *io la voglio ſpoſare.* Vel, ut aliqui teſtes dicunt: *gia che voleti che io la ſpoſepo, la ſpoſaro. Priora enim verba metum inferunt, veluti præceptiva. Secunda verò, defectum voluntatis Martinelli in deſponſando dictam Catinellam. Quæ ambo ſunt contraria ſubſtantiæ matrimonii.*

301 Similiter ubi præter imperium, & declaratam nolitionem accipiendi talem, importuniſſimæ accedunt ſollicitationes, nimiæque inſtantiæ eorum, ſub quorum aliquis eſt poteſtate, arguitur defectus plenæ libertatis ac voluntatis. Iſtud enim fuit ſecundum fundamentum, propter quod (teſte Barboſa ſuprà) matrimonium Ludoviſii cum Joſepha judicatum fuit nullum. Illæ enim importuniſſimæ ſollicitationes, tantaque inſtantia, præſertim diù continuata, graviter compellunt, prout ex variis legibus & canonibus Barboſa oſtendit ibidem n. 30. ex quibus juribus patet (inquit) quòd nimiæ importunitates & importuniſſimæ ſollicitationes habentur loco compulſionis & coactionis, & inferunt matrimonii invaliditatem. Ita Angelus de Ubaldis conſil. 46. n. 4. p. 1. inter conſilia Zilleti, ibi: *nimia importunitas infert ad actus invaliditatem, ſicut & metus.* Idem probat Ferret. conſil. 296. n. 17. ibi: *per quæ jurà patet, quòd nimia perſuaſio, per quam perſona inducitur ad contrahendum, habetur loco compulſionis & coactionis, & conſequenter quòd tollatur* in puella *plena ſecuritas, & liber conſenſus contrahendi*, & æquiparatur metui *ad actûs reſciſſionem. Innocentius ad cap. petitio de jurejur.* Aym. Gravet. conſil. 461. n. 11. vol. 3. ibi: *perſuaſio enim vim coactionis habet.* Philipp. Paſchal. de virib. patriæ poteſt. p. 3. c. 2. n. 37. Franciſc. Monald. conſil. 5. n. 47. & 48. vol. 2. Joan. Delcaſtillo l. 3. c. 1. à n. 105. Et idipſum comprobat eſeganter, plures referens, Baſilius Pontius de matrim. l. 4. c. 5. n. 17. ibi: *ex ſpectata natura ipſius rei, & rationis judicio, adeò gravem moleſtiam inferunt inſtantiſſimæ preces*, ſaltem perſonæ quam revereris, & à qua plurimùm dependes, *ut meritò movere debeant virum conſtantem ad aliquid efficiendum. Si enim metus cruciatûs alicujus corporalis eſt cadens in virum conſtantem; gravior cruciatus animæ eſt inſtantia precum aſſidua. Quòd ſi apud Pontifices, quorum ſuprema in Republica authoritas eſt, importunæ preces adeò gravem moleſtiam inferunt, ut ſæpè, velut inviti, annuant votis poſtulantium* (juxta illud Joannis XXII. extrav. *execrabilis* de præbend. *improbitas importuna petentium à nobis, & Prædeceſſoribus noſtris, non tam obtinuiſſe, quàm extorſiſſe plerumque noſcatur*, &c. utique *invitis* (ut Gloſſa notat ibidem) *quis dubitet etiam, ſecundùm rectæ rationis judicium, adeò moleſtas eſſe importunitates inſtantes, ut meritò metui cadenti in conſtantem virum æquiparari poſſint.* Ita etiam Gloſſa in cap. *tuæ fraternitatis*, verbo *importunitatem* de præbend. Et ibi Hoſtienſis in princip. Imola n. 2. Rebuff. to. 2. Conſtit. reg. tit. de reſcript. a. 2. Gloſſ. 3. Peralta in L. *ſiquis* n. 93. de legat. Naldus in Sum. verbo *metus* n. 4. Rota deciſ. 326. n. 3. coram Gregorio XV. ibi: *concurrunt importunæ & continuæ perſuaſiones, quibus nomine patris ſollicitabatur tam à noverca, quam à quodam Sacerdote, quæ ſufficiunt ſine minis & verberibus.*

Denique obſervanda eſt doctrina Baldi in l. 302
ſpadonem §. *qui pulchræ* ff. de excuſ. tutor. ſcilicet quòd habet in plenè probando metu locum illud: *ſingula quæ non proſunt, collecta juvant.* Et ut infrà n. 12. dicit: *Judex debet illa ſimul jungere, quæ ſimul juncta poterunt plenam probationem facere, & ſic ferre ſententiam.* Ex multis enim deductis coram ſe, poteſt animi ſui motum informare, ut dicit textus in cap. *cùm ad Sedem* in fin. de reſtit. ſpoliat. Nam, ut iterùm Baldus ait in cap. *cùm cauſam* de probat. n. 1. *ex multis imperfectis fit una probatio perfecta, ſicut ex multis membris invicem cohærentibus fit perfectum corpus, & ex multis ſonantiis fit perfecta harmonia.* Hæc jungere placuit dictis citato cap. 17. quia plurimorum ad matrimonium ſpirituale vel carnale contra voluntatem ſuam compulſorum ſaluti & in integrum reſtitutioni ſervire poſſunt.

CAPUT XXXVIII.

Impedimentum impotentia.

IMpotentia dirimens illa eſt, quæ impedit copu- 303
lam conjugalem, per quam vir & mulier fiant

una caro. Non fiunt autem una caro, nisi per intromissionem virilis seminis intra vas naturale mulieris. Ideò dum vir intra illud semen suum intromittere nequit, etiamsi alioqui vas penetrare possit, impotentia est. Quæ si perpetua sit, & antecedat matrimonium, sive proveniat ex natura, sive ex maleficio, sive undecumque, matrimonium dirimit absolutè & respectu omnium, si impotentia sit absoluta; respectivè dumtaxat ad illum vel illam, si solùm sit respectiva, sive solùm respectu hujus vel illius, non respectu omnium. Nec matrimonium solùm dirimit jure positivo, toto titulo de frigid. & malefic. sed & jure naturali. Quia sicut in aliis contractibus, nullus se obligare potest ad dandum vel faciendum id quod dare vel facere non potest; sic in contractu matrimonii nullus se obligare potest ad actum, ad quem potens non est. Si verò impotentia non sit perpetua, vel matrimonium non anteeedat, sed ei superveniat, illud non dirimit.

304 Itaque 1°. eunuchi & spadones, utroque testiculo carentes, quamvis eorum aliqui vas mulieris ingredi valeant, quia tamen carent semine prolifico, incapaces sunt matrimonii, prout Sixtus V. motu proprio declaravit anno 1587. Et idem est de illis, quibus uterque testiculus est attritus: secus de illis, quibus unus supereſt illæsus. Cùm enim capaces sint generationis, capaces sunt & matrimonii.

305 2°. illi qui, integris licèt partibus, semen prolificum emittere nequeunt, ob naturalem frigiditatem, vel perpetuam complexionis debilitatem, sunt pariter matrimonii incapaces. Sicut & illi, qui ob maleficium nequeunt erigere virgam, vel quibus virga ad accessum feminæ sic concidit, ut vas ipsius ingredi nequeat. Si enim maleficii vis judicata fuerit perpetua, matrimonium dirimit, ut habetur toto titulo dicto.

306 3°. illæ etiam feminæ matrimonii sunt incapaces, quæ sunt taliter arctæ, ut cum ipsis vir copulam perficere non valeat. Solam tamen feminæ ad seminandum impotentiam Sanchez lib. 9. de matrimon. disp. 17. n. 24. Bonacina q. 3. puncto 13. & alii censent non dirimere matrimonium; uti nec impotentiam ad retinendum semen viri, postquam illud intra se susceptt. Ut enim femina capax sit matrimonii, sufficit ut virile semen intra se sic susceipere queat, ut cum viro una caro fiat. Illa verò deperditio ex parte feminæ subsequitur illum necessarium sufficientemque effectum, licèt aliquando impediat generationem, quæ si foret prorsus necessaria ad matrimonii valorem, matrimonium inter conjuges steriles non subsisteret. Quod dici nequit.

307 4°. siqui sint præ senio ita debiles, ut penetrare nequeant vas femineum, vel si penetrare possint, nequeant tamen intra illud seminare, incapaces sunt matrimonii. Ita Dominicus Sotus. Si tamen vetuli calorem sufficientem habeant ad carnalem copulam, & seminandum intra vas, tametsi non habeant calorem sufficientem ad generandum, *conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundùm quod est in officium naturæ*, inquit sanctus Thomas in 4. dist. 34. q. 1. a. 2. ad 3.

308 5°. idem aliqui censent de iis, qui ita calidæ sunt naturæ, ut semper totum semen effundant, antequam vulvam mulicbrem aperiant. Hinc enim conjuges impediuntur, ne fiant una caro. Martinus Perez de matrim. disp. 37. sect. 2. n. 8. Verùm Cabassutius Theor. & Prax. Jur. Can. lib. 3. c. 25. observat, hinc rarò contingere perpetuam impotentiam. Tametsi enim multos conatus & congressus conjugum hinc fieri contingat absque effectu; continget tamen aliquando, ut aliquis ex multis conatibus effectu non frustretur, utque nimius ardor progressu temporis defervescat, & ut aliquam saltem partem seminis intromittere possit. Quod sufficit.

6°. Perez ibidem num. 8. perpetuò impotentes censet eos, qui tantam habent aversionem ab aliqua muliere, ob summam ipsius deformitatem, ut quando de conjugali actu cum illa habendo cogitant, toti frigeant ad venerem, si aversio ista & horror cum ipsis videatur inemendabilis. 309

7°. licèt impotentia perpetua sit nota comparti, & hæc juri suo cedat, adhuc equidem matrimonium dirimit, cap. *consultationi*, & cap. *laudabilem* de frigid. & malefic. Unde juxta laudatum motum proprium Sixti V. irrita sunt matrimonia cum quibuscumque mulieribus, etiam defectum scientibus, illorum eunuchorum & spadonum, qui utroque testiculo carent. 310

Scio Basilium Pontium lib. 7. c. 55. & seqq. alioſque apud Dianam p. 4. tr. 4. resol. 75. existimare, quòd taliter impotentes impotentiâ perpetuâ, utrique notâ, inire possint matrimonium in ordine ad castè vivendum. Sed cùm Sixtus V. ibi declaret inhabiles ad matrimonium quocumque modo contrahendum, tenenda est sententia communis in contrarium. 311

8°. si mulier, post matrimonium inventa impotens ob arctitudinem, Medicorum judicio reddi queat apta viro per incisionem, absque periculo vitæ vel gravis morbi, tenetur eam pati, si nequeat per medicinas vatis laxativas aptam se reddere. Cùm enim impotentia ipsius, utpote curabilis, perpetua non sit, juxta cap. *fraternitatis* de frigid. & malefic. ibi: *nos attendentes, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo potuit removeri*; ideòque matrimonium ipsius validum sit, & maritus per illud acquisierit jus ad copulam cum ipsa; juri isti satisfacere tenetur per media ad id necessaria, quæ moraliter adhiberi possunt. Uti possunt in dicto casu, non obstante eo quem passura est dolore, qui non erit major dolore partûs. Ita Doctores communiter, contra Pontium & Leandrum. 312

Si tamen defectus non teneret se ex parte mulieris, sed ex parte viri, probabile est quòd mulier non teneretur tunc incisionem, & dolorem gravem pati, ut se viro aptam redderet. Cùm apta supponatur ex parte sua, ineptitudoque ex parte viri se teneat. Cui proinde, non mulieri, incumbit uti remedio. Quòd si nullo remedio, absque gravi corporis periculo, vir iste se illi aptum reddere possit, matrimonium ipsius censeri debet invalidum. Ita Basilius Pontius, aliique plures, dissentiente Sanchez cum nonnullis aliis. 313

9°. hactenùs dicta non habent locum in impotentia, matrimonium validè contractum subsecuta, can. *hi qui* 32. q. 7. & cap. *quoniam frequenter* ut lite non contestatâ. 314

10°. nec habent locum in impotentia non perpetua, sed temporanea, ut constat ex cit. cap. *fraternitatis*, aliisque canonibus. Matrimonia tamen impuberum sunt irrita, nisi in ipsis malitia suppleat ætatem, cap. *de illis*, & cap. *tuæ* de desponsat. impuberum. 315

11°. tametsi S. Thomas in 4. dist. 34. q. 1. a. 2. ad 5. censeat nullam impotentiam naturalem esse perpetuam, si non fuerit absoluta, sed respectiva: *non potest* (inquit) *esse perpetuum impedimentum naturale in viro respectu unius personæ, & non respectu alterius; sed si non possit implere carnalem actum cum virgine, & possit cum corrupta*; tunc medicinaliter aliquo instrumento posset clauſtra *pudoris frangere, & ea conjungi; nec esset hoc contra matrimonium: quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.* Opinio 316

contraria apud Judices Ecclesiasticos prævaluit. Dum enim vir consummare nequit matrimonium contractum cum virgine, etsi possit cum corrupta, matrimonium illud declarare solent irritum, dareque illi viro facultatem contrahendi cum vidua

317 12°. impotentia ex maleficio perpetua censetur, quando humano opere, Ecclesiæque precibus & exorcismis curari non potest; sed solùm per aliud malefícium, vel miraculum. Quod ubi compertum est, matrimonium eo ipso nullum censetur. Itaque *si per sortiarias, atque maleficas, occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur; hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut puram confessionem Deo & Sacerdoti, corde contrito & humiliato, de omnibus peccatis suis faciant, & profusis lachrymis, & largioribus eleëmosynis, & orationibus, atque jejuniis, Domino satisfaciant, & per exorcismos, ac cætera Ecclesiastica medicinæ munia Ministri Ecclesiæ tales (quantùm Dominus annuerit, qui Abimelech, ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit) sanare procurent. Quòd si fortè sanare non potuerint, separari valebunt, cap. si per sortiarias 33. q. 1.*

318 13°. *ad cognoscendum* (inquit S. Thomas a. 2. citato in corp.) *utrùm sit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo hujus rei posset esse experimentum, scilicet triennium* (cap. *laudabilem* de frigidis, &c.) *ita quòd si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte* (adhibitis spiritualibus remediis, de quibus proximè, si impotentia sit ex maleficio) *dederunt operam carnali copulæ implendæ, inveniatur matrimonium non esse consummatum, judicio Ecclesiæ dissolvitur. Et tamen in hoc Ecclesia quandoque errat: quia per triennium quandoque non sufficienter experiri potest perpetuitas impotentiæ. Unde si Ecclesia se deceptam inveniat, per hoc quòd ille in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum eadem, vel cum alia perfecisse, redintegrat præcedens matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia factum.* Unde priori viro, à quo ob præsumptam impotentiam separata fuerat, & alteri nupserat, mulier reddi debet, cap. *laudabilem*, & cap. *fraternitatis* de frigidis, &c. Triennale verò illud experimentum secundùm aliquos computandum à die inchoatæ experientiæ; secundùm alios à tempore præfixo à Judice. Videri potest Diana p. 11. In Gallia tamen experientiæ triennalis consuetudo in tantum defiit, ut in nonnullis Provinciis illius ad id solùm concedatur experientia trimestris; in aliis experientia unius dumtaxat diei à Judice præfixi, seu etiam trium, vel quatuor horarum, cum certis conditionibus pudibundis, quas necesse non est hîc commemorare. Sed tam pudibundum & tam breve experimentum ipsimet Galli Doctores improbant, nimirùm Cabassutius ubi suprà, Merbesius differt. 7. q. 14. 15. & 16. Natalis Alexander lib. 2. de matrim. c. 4. a. 11. reg. 10. apud quem Cyprianus epist. 62. monet, quòd in exploranda puellarum virginitate, *& manus obstetricum, & oculus sæpè fallantur*, quamvis experimentum inspectionis canones probent, & Judices sæpè decernant.

319 Quòd si post triennalem experientiam, adhibitaque spiritualia remedia, impotentia perseveret, non possunt ultrà experiri. Quia jam moraliter humano modo de impotentia perpetua, matrimoniique adeò nullitate constat. Ideò non possunt amplius exercere tactus, aliaque quæ illicita sunt non conjugibus; sed communiter per Judicem Ecclesiasticum (ad tollendum scandalum) separandi sunt, ob periculum incontinentiæ. Quamvis eo secluso simul habitare permittantur tamquam frater & soror, cap. *consultationi*, & cap. *laudabilem* eod. tit.

Porrò factâ, ut dictum est, separatione, pars 320
non impotens aliud matrimonium contrahere potest; secùs pars absolutè impotens. Cui tamen idipsum concederetur, si non foret nisi respectivè impotens. Cujusmodi impotentia subinde etiam ex maleficio provenit. Ut enim S. Thomas ait loco citato a. 3. *maleficium quandoque potest præstare impedimentum ad unam tantùm: quia diabolus voluntaria causa est, non ex necessitate naturæ agens. Et præterea impedimentum maleficii potest esse ex impressione dæmonis, in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia movens ad talem mulierem, & non ad aliam.*

Et ideò S. Doctor ibidem, *hæc est* (inquit) 321
differentia inter maleficium & frigiditatem: quia qui est impotens ex frigiditate, sicut est impotens ad unam, ita & ad aliam. Et ideò quando matrimonium dirimitur, non datur ei licentia ut alteri conjungatur. Sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam. Et ideò, quando judicio Ecclesiæ matrimonium dirimitur, utrique datur licentia quòd alteram copulam quærat. Ita etiam S. Raymundus l. 4. tit. de impotentia coëundi §. 4.

14°. in dubio an maleficium præcesserit ma- 322
trimonium bonâ fide contractum, an illud fuerit subsecutum, posterius in favorem matrimonii præsumitur. Quia in dubio præsumendum est pro matrimonio, cap. fin. de sent. & re judic. & cap. *siquis acceperit* 33. q. 5. atque ita docent Sanchez, Gutierrez, Reginaldus & alii, contra Angelum, Sa, &c.

15°. hermaphroditi, id est utrumque sexum 323
habentes, per se loquendo non sunt impotentes. Ideòque per se loquendo nubere possunt, secundùm sexum qui in ipsis prævalet. Si uterque sexus in ipsis sit æqualis, alterutrum eligere debent, & secundùm illum contrahere. Sed, factâ semel electione, illam mutare, & secundùm alium sexum aliud matrimonium contrahere prohibentur. Quamvis, si secùs fecerint, validè contrahant. Quia per factam electionem, potentiam naturalem non amiserunt.

16°. quando, contracto bonâ fide matrimo- 324
nio, deprehenditur impotentia, matrimonium propriâ authoritate equidem dirimi non potest, sed Judicis Ecclesiastici. Apud quem dum matrimonium ob impotentiam accusatur, si vir cognitam à se uxorem dicat, mulier verò neget, viro affirmanti & juranti credere debet, & secundùm eum pronuntiare. Quia vir caput est mulieris. Et sic determinatur can. *siquis acceperit* 33. q. 1. cap. *continebatur* de despons. impub. & cap. *accepisti* de frigid. & malef. Si tamen mulier virum arguat mendacii ac perjurii, seque virginem per experimentum plurium juratarum matronarum probet, juramento mulieris testimonioque illarum matronarum Judex fidem potiùs adhibere debet, cap. *proposuisti* de probat. *Cautela tamen magna adhibenda est in hujusmodi inspectione* (inquit S. Raymundus ubi suprà §. 6.) *ut fiat per duas vel plures matronas honestas, & peritas in opere maritali. Et hoc quia res illa occulta est, & non pervia visui.* Propter quod dicit Canon, *quòd manus obstetricum, & oculus sæpè fallitur.*

In casu etiam quo vir litem movet de matri- 325
monio, & coram Judice affirmat, se uxorem cognoscere non posse; mulier econtrà se cognitam fuisse contestatur; si aliæ probationes pro viro non suppetant, mulieri afferenti fidem Judex potiùs adhibere debet, & in favorem matrimonii sententiam ferre. Quia, cùm vir in illa actione sit actor, & mulier rea, *actore non probante*, qui vel quæ *convenitur*, *etsi nihil præstiterit*, *obtinebit*,

cap. *cùm Ecclesia* de causa profess. & proprict. Et sic tradit S. Raymundus ibidem.

CAPUT XXXIX.

Impedimentum clandestinitatis, seu defectus præsentiæ Parochi & testium.

326 MAtrimonia *aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote (de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia) & duobus vel tribus testibus* contracta, irrita & nulla Tridentinum sess. 24. de reform. matrim. c. 1. declaravit, ipsosque contrahentes *ad sic contrahendum inhabiles* reddidit. Nec dubium quin hoc facere potuerit. Cùm Ecclesia possit constituere impedimenta matrimonium dirimentia, ex quo matrimonii contractus ad Sacramenti dignitatem est elevatus, causæque proinde matrimoniales ad Ecclesiam spectant. Nec ideò circa Sacramenti substantiam aliquid immutavit. De substantia quippe matrimonii divino naturalique jure est, quòd à legitimis personis contrahatur. Ad legitimitatem autem personarum contrahentium, Ecclesia secundùm potestatem sibi à Christo datam, certas quasdam conditiones exigere potest, sicut in Domino expedire judicaverit, sicut Legislator Civilis certas potest exigere conditiones, ad hoc ut aliquis sit habilis ad vendendum, emendum, &c.

327 Illud porrò Tridentini Decretum vim habet omnibus & solis in locis, ubi est promulgatum, prout in fine citati capitis declaratur. An etiam solis in locis ubi non solùm promulgatum, sed & usu susceptum est? Affirmant Ferdinandus de Castro-Palao disp. 2. de sponsal. p. 13. §. 8. n. 3. Gobat tr. 9. n. 456. usque adeò ut adjungant nec promulgationem, nec receptionem ipsius sufficere, si postmodùm in usu esse desierit.

328 Verùm ex hoc sequeretur Tridentini Decretum vim non habere in Hollandia, Zelandia, Frisia, aliisque locis, ubi Tridentinum promulgarum fuit, & aliquamdiù observatum, sed deinde per hæreticorum rebellionem, contemptumque legum Ecclesiasticarum in usu esse desiit. In illis proinde subsistere matrimonia hæreticorum absque præsentia veri Parochi celebrata. Quod licèt admittant Tannerus to. 4. disput. 8. q. 3. dub. 6. n. 122. Layman l. 5. tr. 10. parte 2. c. 4. n. 7. Dicastillo de matrim. disp. 3. dub. 10. n. 84. & alii apud Gobat n. 460. ipse tamen Gobat n. 461. & seqq. meritò improbat. Quod enim isti pro fundamento subsistentiæ matrimoniorum illorum allegant, Papam scire matrimonia ab hæreticis absque vero Parocho fieri, nec tamen contradicere, nec ea declarare irrita; tacitè proinde ea approbare, ad vitanda graviora mala. Probabile non videtur. Tum quia falsum est quòd iis non contradicat, imò per S. Congregationem ea declarat irrita. Tum quia licèt non contradiceret, quia utiliter non potest, ubi ab hæreticis non auditur, sed perinde contemnitur ut Turca, vel Antichristus; probabile non est quòd eorum malitiæ & rebellioni quoad hoc cedat & concedat, quod Catholicis sibi obedientibus non concedit. Aliàs commodum sinè magnum ex sua malitia, rebellione, Ecclesiæque, & legum Ecclesiasticarum contemptu præ Catholicis obedientibus reportarent. Quod æquitas non patitur, magis quàm quòd sua fraus cuiquam patrocinetur. Sed hæc de re plura capite sequenti.

329 Relicti proinde tantisper hæreticis, pro observantia Tridentini Decreti notanda sunt sequentia. 1°. Decretum illud habere locum, etiam in articulo mortis, ita ut, ne in extremo quidem agone, moribundus absque Parocho ducere valide possit eam quam imprægnavit, ad prolem legitimandam. Ita Barbosa de Parocho p. 2. c. 21. n. 81. Quia Tridentini Decreti verba sunt clara, universalia, & absque exceptione. Quam proinde non licet nobis privatâ authoritate comminisci. Unde audiendi non sunt qui (apud Palaum loco citato n. 9.) oppositum probabile censent. Nec audiendus Amicus apud Dianam p. 10. tr. 13. resol. 13. duas alias privatâ authoritate faciens exceptiones à generali illa lege Tridentini, v. g. in casu quo tibi quis minaretur mortem, nisi clandestinè contraheres, & mox consummares. Neque enim à generalibus Conciliorum Generalium legibus privatâ licet authoritate excipere. Aliàs nihil in illis firmum staret, dum latissima pateret janua luxuriantibus hominum ingeniis, ad excogitandas privato sensu exceptiones & subterfugia.

2°. nomine Parochi ibi intelligi verum Paro- 330
chum (qualis non est Prædicans apud Acatholicos, tametsi ab ipsis pro Pastore habeatur) nec quemcumque Parochum, sed proprium, uti S. Congregatio Cardinalium, Apostolicâ Sede approbante, sæpiùs declaravit.

3°. licèt Jacobus Boudart cum aliis existimet, 331
Parochum, ut matrimonio validè assistat, esse debere Sacerdotem, eumque putet obvium sensum verborum Tridentini, *vel alio Sacerdote* (vox enim *alius*, juxta obvium sensum, importat similem qualitatem in eo quem refert, & ita S. Congregationem verba illa ponderasse refert Navarrus lib. 4. consil. tit. 1. consil. 30.) contrarium Doctores communiter affirmant, valere utique matrimonium contractum coram Parocho nondum Sacerdote, idque S. Congregatio Concil. ann. 1595. declaravit, approbante Clemente VIII. ut videre est apud Dianam p. 11. tr. 3. resol. 32. Quia Concilium absolutè loquitur de Parocho, qui verus & proprius Parochus est, licèt nondum promotus ad Sacerdotium, nec ad ullum Ordinem sacrum. Videri potest Barbosa de Parocho num. 60. & Fagnanus in cap. *quoniam.* de Constitution.

4°. matrimonium coram Parocho suspenso; 332
vel excommunicato denuntiato, nihilominùs esse validum, prout eadem S. Congregatio, tempore Cardinalis Matthæi, re diligenter examinatâ, declaravit apud Fagnanum in cap. *litteræ quas* de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. Ratio est quia excommunicatus & suspensus non desinit esse Parochus; & quamvis invalida sint acta ipsius, si sint acta jurisdictionis; secùs si non sint acta jurisdictionis, sed meræ præsentiæ, ut in præsenti. Irritum tamen est matrimonium coram Parocho publico hæretico, in loco ubi Tridentinum est promulgatum. Quia talis desinit esse verè Parochus; utpote ipso jure privatus Beneficio Parochiali. Sicque declaravit S. Congregatio apud Fagnanum in cap. *ad abolendam* de hæret. n. 38. & seqq.

5°. irritum esse matrimonium coram Parocho 333
intruso. Quia non est verus Parochus. Valere tamen, si titulum habeat coloratum, communique errore vulgi Parochus habeatur. Tunc enim licèt non sit Parochus jure; est tamen possessione, parochialiumque actuum valore; eò quòd Ecclesia, ob titulum coloratum, communemque errorem, suppleat defectum istius juris, ut valeant acta per ipsum. Ita Doctores communiter.

6°. ad matrimonii valorem sufficere præsen- 334
tiam unius Parochi, etiamsi contrahentes ex diversis sint Parochiis. Quia Tridentinum requirit præsentiam Parochi, non Parochorum. Sufficereque tunc Parochum loci, ubi matrimonium celebratur. S. Congregatio approbante Gregorio XIII. declaravit. Imò sufficere Parochum viri, etiam in Parochia mulieris. S. Congregatio Concilii pariter declaravit apud Fagnanum in cap. *quod nobis* de clandest. desponsat.

335 7°. si sponsus sit de Parochia, ubi Tridentinum est promulgatum, sponsa verò de Parochia, ubi non est promulgatum, valere matrimonium sine Parocho contractum in Parochia sponsæ; tamen non valeret sic contractum in Parochia sponsi. Quia contractus quoad valorem sequitur leges loci, ubi celebratur, cap. fin. de foro compet.

336 8°. valere matrimonium celebratum in Parochia sponsæ, coram Sacerdote non habente licentiam à Parocho ipsius, modò licentiam habeat à Parocho sponsi. Sic 16. Februarii anno 1595. S. Congregatio declaravit. Quia assistentia Parochi per se, vel per alium Sacerdotem, exerceri potest extra Parochiam: cùm non sit actus jurisdictionis, sed nudæ præsentiæ, qui extra propriam Parochiam non minùs exerceri potest, quàm actus jurisdictionis voluntariæ. Hanc autem extra territorium exerceri posse, Jurisconsulti probant ex L. 2. ff. de offic. Procurat.

337 9°. ut valeat matrimonium coram Sacerdote, qui non est proprius contrahentium Parochus, non sufficere tacitam licentiam ex tolerantia Parochi videntis, & non prohibentis, sed necessariam esse specialem & expressam, vel saltem generalem administrandi omnia Sacramenta. Sic eadem Congregatio declaravit 22. Junii 1581. teste Fagnano suprà. Nec hoc tantùm, sed insuper declaravit, Vicarios Ecclesiæ Parochialis, etiam temporales, & ad nutum amovibiles, matrimoniis tamquam Parochos interesse posse, & aliis licentiam dare ut interfint, ut videre est apud eundem.

338 10°. non valere matrimonium coram Sacerdote extraneo, licentiam à proprio contrahentium Parocho non habente, etiamsi Parochus proprius factum postea ratificaverit. Quia ubi lex exigit præsentiam corpoream, ratihabitio sequens non sufficit ad valorem actûs, nec in similibus æquiparatur mandato præcedenti. Unde S. Congregatio 7. Septembris 1620. censuit, *matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui reverà non habuit à proprio Parocho licentiam veram, esse nullum.* Et die 5. Decembris 1626. declaravit, *matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui habet licentiam à proprio Parocho unius ex contrahentibus, & ignorat se illam habere, prout & ignorat unus ex contrahentibus, esse invalidum.*

339 11°. valere matrimonium coram Sacerdote, licentiam habente ab Episcopo contrahentium, etiam absque consensu Parochi. Quia Tridentinum solùm requirit præsentiam Parochi, vel alterius Sacerdotis, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia. De Ordinarii porrò licentia fieri censetur, id quod ipse, vel Vicarius Generalis ipsius, vel Capitulum, Sede vacante, vel Legatus Pontificis, vel ipse Pontifex concessit. Abbas tamen, jurisdictionem quasi Episcopalem habens, personas suæ jurisdictioni subditas matrimonio jungere non potest, nec ad hoc Sacerdoti extraneo licentiam concedere, sub pœna nullitatis. Quia non venit nomine Ordinarii.

340 12°. si Episcopus alicui Sacerdoti mandet, ut assistat alicui matrimonio, putans ipsum esse proprium Sacerdotem contrahentium, cùm non sit, valere equidem matrimonium, uti S. Congregatio respondit apud Fagnanum ibidem. Quia Tridentinum voluit sufficere, ut matrimonium fiat coram Sacerdote, de licentia Episcopi, etiamsi non esset proprius Parochus. Nec determinavit intentionem, vel modum talis licentiæ, sed satis habuit, ut daret licentiam Sacerdoti, non Parocho.

341 13°. valere matrimonium, licèt Parochus adstiterit invitus, vel coactus, vel dolo vocatus, & licèt adstiterit non vocatus, sed merè fortuitò & casualiter. Etiamsi nihil eorum quæ agebantur, viderit, vel intellexerit, si affectavit non intelligere. Quia v. g. obturavit aures suas ne intelligeret, clausitque oculos ne videret. Sic enim S. Congregatio declaravit apud Fagnanum in cap. *quæsitum* de pœnit. & remiss. Qui enim admonitus velle matrimonium contrahere eos qui adsunt, ipsos de præsenti contrahentes intelligere, & videre potuit, sed noluit, non censetur expers scientiæ, sed affectatæ ignorantiæ, cap. *cùm inhibit.* de clandest. despont. §. *siquis verò.* Fagnanus loco citato. Barbosa de Parocho p. 2. cap. 21. Diana p. 11. tr. 3. resol. 32. & apud ipsum Pontius, Leander & alii, contra Sanchez lib. 3. disp. 39. opinantem contrarium, si Parochus equidem reverà non intellexerit. Sed Congregatio sic censuit non valere, si Parochus non intellexit, ut exceperit casum, quo affectasset non intelligere.

14°. sacram quidem Congregationem apud Fagnanum in cap. *quod nobis* de clandest. despons. 342
n. 54. censuisse, quòd non valeret matrimonium contractum in præsentia Parochi, & aliis requisitis non omissis; sed cui Parochus formaliter adhibitus non fuisset, solùmque per accidens, dum convivandi, vel confabulandi, vel aliud tractandi causa ibi adesset, audivisset matrimonium de præsenti contrahi. Non valere (inquam) *nisi alia intervenerint, quæ Parochum à contrahentibus adhibitum fuisse arguunt.* Sed hinc consequens non est invalidum esse matrimonium, tempore convivii, vel confabulationis, vel tractationis alterius negotii, vel etiam tempore transitûs Parochi celebratum, dum ipse præter expectationem audit à contrahentibus proferri: *Domine Paroche, serò accipio hanc feminam in meam uxorem: accipio hunc virum in meum maritum.* Neque enim alia formalis adhibitio Parochi necessaria est, nisi quâ appareat contrahentes intendisse coram ipso verba ista serò proferre. Quod apparere potest, etiamsi tempore convivii, confabulationis, &c. verba ista proferantur. Nulla proinde alia formalis adhibitio Parochi requiritur, quâ sic coram ipso serò contrahatur, ut sufficienter cognoscat id serò coram se fieri, etiamsi ipse coram se fieri nolit. Ita Barbosa l. 2. de Parocho c. 21. n. 50. Et in Tridentino sess. 24. de reform. c. 1. n. 77. cum plurimis aliis contra Pontium. Idque apertè colligitur ex L. *coram Titio* ff. de verb. signific. ibi: *coram Titio facere jussus, non videtur eo præsente fecisse, nisi is intelligat.* Igitur à contrario sensu coram Parocho contrahere jussus, eo præsente fecisse videtur, si is intelligat. Ut enim pergit ibi Jurisconsultus: *scire, non etiam velle is debet.*

15°. ut matrimonium valeat, necessarium non 343
esse ut contrahatur coram proprio Parocho loci, ubi fixum habet domicilium cum animo ibi perpetuò manendi, sed sufficere quòd contrahatur coram proprio Parocho loci, ubi hîc & nunc habitat, quamvis diù ibi habitare non intendat, dummodò ibi non sit solius recreationis gratiâ, vel ad ruralia exercenda, aut aliâ brevi causâ statim ad domicilium suum reversurus. Ita Fagnanus in cap. *significavit* de Parochis & alienis parochianis n. 30. id latè probans, dicens esse sententiam magis communem, & addens, quòd qui peritis aut belli causâ aliò divertunt, etsi non habeant ibi animum manendi, nisi quoad duraverit necessitas, verè tamen acquirere jus Parochiæ ad effectum recipiendi Ecclesiastica Sacramenta, præterquàm Ordinis. Ad hoc enim (ut ostendit) jura non considerant domicilium, sed simplicem habitationem. Et ita (inquit) quoad matrimonium S. Congregatio Concilii sæpiùs declaravit. *Nam cùm olim juvenis nobilis, & meretrix Senensis, cuperent invicem matrimonio copulari, & dubitarent, ne si matrimonium in civitate Senarum con-*

tra-

traherent, adhibendo Concilii Tridentini solemnitates, juvenis parentes impedimento essent; Romam accesserunt, ibique aliquantisper commorati, coram Parocho & testibus S. Anastasiæ, in cujus Parochia tunc habitabant, matrimonium per verba de præsenti contraxerunt. Et cùm de ejus validitate dubitaretur, S. Congregatio censuit matrimonium esse validum. Eâ ratione, quia is est proprius Parochus, in cujus Parochia habitabant contrahentes tempore contractûs. Glossa in Clement. 1. de privil. verb. parochialis. Abbas in c. omnis utriusque sexûs de pœnit. & remiss. ubi de communi testatur.... Aliàs censuit valere matrimonium Scholaris, qui Patavii per quinque vel sex menses moratus, timens impedimentum à parentibus, ibi duxit mulierem plebeiam, coram Parocho loci & testibus. Idemque respondit de matrimonio alterius, qui ob eamdem causam se in Angliam contulit, & ibi aliquantisper moratus, coram Parocho habitationis cum meretrice contraxit matrimonium. Quinimò cùm vir & mulier Trajectenses, timentes impedimentum à parentibus, ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulissent, & ibi aliquamdiù morati, matrimonium contraxissent: S. Congregatio, consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgrani manserunt. Quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate. Aliàs de novo referendum in Congregatione.

344 16°. proprium vagorum Parochum esse quemlibet Parochum locorum per quæ transeunt; valere proinde matrimonium, ab ipsis coram ipso celebratum. Non licere tamen Parocho matrimoniis eorum interesse, nisi, factâ inquisitione, sufficienter ipsos cognoscat, ad idque licentiam ab Ordinario obtineat. Tridentinum sess. 24. de reform. matrim. c. 1. Vagis Lessius in Auctario ad 1. 2. verb. *matrimonium* casu 13. annumerat milites, qui præsidium sic habent, ut continuò pendeant a nutu sui Ducis, emittentis vel evocantis eos ad exercitum, vel ad aliquam expeditionem. Ipsi tamen plerùmque habent castrensem Pastorem, coram quo matrimonium inire debent. Aliàs censeo in Parochia, ubi præsidium habent, matrimonio jungi debere coram Parocho illius, seu coram Parocho loci, ubi hospitantur. Coninck disp. 27. n. 20. Quemlibet tamen alium Parochum posse matrimonio jungere vagos, censent Sanchez disp. 19. & 26. Layman l. 3. tr. 6. c. 10. n. 7. Pontius & alii.

345 17°. in locis ubi non sunt Episcopi, nec Parochi, vel ubi matrimoniorum celebrationi assistere ipsis vetitum est sub pœna mortis, exilii, vel gravioris mulctæ, Catholicorum matrimonia coram Magistratu contracta, valida esse S. Congregatio Concilii sub Clemente VIII. declaravit, teste Cardinali Bellarmino, in litteris ad Octavium Episcopum Tricaricensem, Apostolicum Nuntium per Germaniam & Belgium, 30 Decembris 1600. Quod & rursùm die 19. Januarii 1603. respondit D. Salboldo, Archiepiscopo Philippensi. Idemque D. Miræo, Episcopo Antuerpiensi, ipsum desuper interroganti respondit Estius 19. Martii 1607.

346 18°. Cardinalem de Lugo respons. moral. l. 1. dub. 36. exhibere authenticum Breve Urbani VIII. anno 1627. datum ad Archiepiscopum Colonienſem, cujus exemplum testatur ex autographo istius Brevis se accepisse. In quo Urbanus VIII. confirmat, observarique præcipit responsum S. Congregationis, scribentis ad eundem Archiepiscopum, *non esse legitimum matrimonium, quando ineolæ, tam masculi, quàm feminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, retinentes idem domicilium, se transferunt aliò* (ubi non est promulgatum) *solo animo sine Parocho & testibus matrimonium contrahendi, habitationem non mutantes.* Quod etiam de matrimoniis hæreticorum Austriacorum eo solo fine transeuntium ex Austria in Hungariam, resolvit Facultas Theologica Viennensis 18. Maii 1655. An quæstionem namque sibi propositam ab excelso Regimine Austriæ: *an Concilium Tridentinum, etiam Acatholicos Austriacos in causis matrimonialibus ita obliget, ut si extra Austriam, sine propris Parochi consensu, in Hungaria copulentur, pro veris & legitimis conjugibus taliter copulati non sint habendi?*

Respondit: *si ejusmodi Acatholici* (quos in Austria Tridentini Decreto obligari censuit) *in fraudem Tridentini Decreti, eò sine ut sine propris Parochi præsentia matrimonium contrahant, ad illas Hungariæ partes, ubi Decretum non ligat, proficiscuntur, eorum matrimonium ita contractum, est irritum.* Et Zypæus l. 4. de sponsal. & matrim. consult. 6. *hæc quæstio S. Congregationi Card. Conc. Trid. Interpretum, à me proposita anno* 1628. *resoluta est, ut matrimonium sit irritum, sicut initio narratum est, quasi ob fraudem, extra locum domicilii.* 347

CAPUT XL.

Impedimentum Raptûs.

DE illo Tridentinum sess. 24. de reform. matrim. c. 6. sic habet: *decernit S. Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiù ipsa in raptoris potestate manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta, a raptore separata, & in loco tuto & liberò constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. Et nihilominùs raptor ipse, ac omnes consilium, auxilium, & favorem illi præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu excidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive in uxorem duxerit, sive non, decenter arbitrio Judicis dotare.* 348

Pro cujus intelligentia notandum 1°. quòd raptus (prout hîc accipitur) juxta S. Thomam 2. 2. q. 154. a. 7. & Doctores passim, est abductio personæ de loco ad locum, per vim injustam, matrimonii cum ipsa contrahendi causâ. 349

2°. quòd duplex est raptûs species. Una, quâ vis infertur personæ quæ abducitur. Altera, quâ vis infertur, non ipsi, sed parentibus, vel tutoribus, sub quorum est potestate. Ut enim S. Thomas ibidem a. 6. *qualitercumque violentia adsit, salvatur ratio raptûs.* 350

Utramque speciem agnoscit non solùm Jus Civile (secundum cujus leges ad raptum, incurrendaque, pœnas illius, sufficit quòd vis inferatur vel personæ abductæ, vel parentibus L. 1. ff. de injuriis) sed & Jus Canonicum, ut videre est canone *de raptoribus* 36. q. 1. In ordine tamen ad matrimonium dirimendum, incurrendasque suprascriptas pœnas Concilii Tridentini, vis inferri debet ipsi personæ quæ abducitur, ut rectè Sanchez lib. 7. disp. 13. n. 13. Coninck 3. p. disp. 41. n. 48. Perez disp. 38. sect. 4 Reginaldus, Lessius, noster Cornejo, & Doctores communiter contra Navarrum, Rebellium, Henriquez, Guttierez, aientes, incurri hoc impedimentum, etiamsi solis parentibus vis inferatur. Ratio assertionis nostræ est, quia Tridentinum in verbis ex ipso descriptis, aliud non intendit, nec attendit, nisi consulere libertati matrimonii, providendo ne libertas alicujus contrahentium per raptum lædatur. Cujus periculum non est, dum volens & consentiens (invitis licèt parentibus) abducitur. Et hoc sensu Lucius III. cap. *cùm causa* de raptoribus dicit, quòd *cùm ibi raptus dicatur admis-* 351

ii, ubi nihil antè de nuptiis agitur: ipse raptor (ad matrimonium dirimendum) *dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quam cognoverit, licèt parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.*

352 Et quamvis aliàs raptor sit, qui non matrimonii contrahendi, sed libidinis dumtaxat explendæ causâ puellam per vim abducit; ideòque Bonacina de matrim. q. 4. p. 18. n. 3. censeat, talem raptum sufficere ad matrimonium dirimendum, pœnasque supradictas incurrendas. Rectiùs id negant Sanchez disput. 13. citatâ, Perez, Dicastillo, aliique communiùs. Quia Tridentinum de illis solis agit, qui rapiunt in ordine ad matrimonium, illiusque lædunt libertatem. Si tamen puella, in raptu violata, ex hoc cogeretur in matrimonium consentire, raptor ipsius, licèt directè non violaret nisi puellæ castitatem; indirectè violaret ipsius ad matrimonium cum raptore libertatem. Ideòque tunc procedere videretur opinio Bonacinæ.

353 Quamvis etiam raptor non censeatur, qui precibus & blanditiis, vel etiam dolo feminam abducit, ad matrimonium cum ipsa contrahendum. Si tamen preces tam importunæ fuerint, ut ipsa difficillimè potuerit resistere, ideòque violentiæ potuerint æquiparari, matrimonium cum taliter rapta nullum est. Sanchez, Guttierez, Bonacina, Dicastillo, &c.

354 An matrimonium cum sponsa, per vim abducta, à sponso, validum sit? variant Authores. Siquidem affirmant Barbosa in citatum cap. 6. Concilii Tridentini n. 6. cum Henriquez, Rodriguez, Lessio & aliis à se relatis. Negant verò Sanchez loco citato n. 15. Hurtadus de matrim. disp. 23. diffic. 3. Prioribus favent verba illa laudati cap. *cùm causæ, cùm ibi raptus dicatur, ubi nihil antè de nuptiis agitur.* Posterioribus favet ratio, quòd sponsæ libertas per raptum violetur. Tametsi enim liberè consenserit in sponsalia, necesse est ut liberè etiam consentiat in matrimonium. Et ideò posterioribus subscribendum censeo, saltem pro casu quo justam habet causam à sponsalibus resiliendi.

CAPUT XLI.

Legibus Ecclesiasticis de impedimentis dirimentibus etiam hæretici usque adeò ligantur, ut si cum aliquo ejusmodi impedimento matrimonium contrahant, invalidè contrahant.

355 NAtalis Alexander l. 2. de matrim. c. 2. a. 2. reg. 8. loquens de matrimoniis contractis coram hæretico Ministro, vel Laico Magistratu, non servatâ formâ Tridentini, iis in locis, ubi promulgatum est, si solum Concilii Decretum spectetur, matrimonia hujusmodi irrita esse fatetur. Sed *si mores* (inquit) *& usus Ecclesiæ spectentur, quæ matrimonia hæreticorum, publicè contracta secundùm leges locorum, in quibus hæresis regnat, coram hæretico Ministro, non rescindit, nec permittit alterutri conjugum, ad fidem Catholicam converso, ut alterum matrimonium ineat, rata illa esse asserendum est.*

356 Ita etiam Tannerus to. 4. disp. 8. q. 3. n. 122. Layman l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7. Dicastillus de matrim. disp. 3. dub. 10. Henricus Mayer opusc. de sponsal. & matrim. n. 70. Joannes Moquetius disput. de nupt. clandest. Serarius apud ipsum. Simon Felix in Thesibus Friburgi Brisgojæ anno 1632. defensis, Bonagratia Capucinus in disputatione *matrimoniorum hæreticorum*, quam attexuit suæ Summulæ selectarum qq. regular. pro eadem opinione referens insuper Urbanum nostrum ab Asscns. Vegam & Veracrux, quorum aliqui valere etiam putant matrimonia ab hæreticis juxta consuetudinem suam contracta cum impedimento affinitatis in tertio gradu. Imò Henricus Mayer tria dicit: Primum, *à vi Decreti Tridentini excipiendos esse hæreticos, qui secundùm patriæ suæ consuetudinem, in Parochiis etiam in quibus Tridentinum fuit promulgatum, nec testes, nec Parochum adhibent.* Secundum, *valere nuptias conjugum in hæresi educatorum, qui post primas, ob defectum consensûs parentum in suo Consistorio rescissas, transierunt ad secundas, & posteà fide suâ ejuratâ, fidem Orthodoxorum sunt complexi.* Tertium, *canones, qui causas matrimoniales foro civili subtrahunt, non extendere se ad casum cum tanta perturbatione Reipublicæ conjunctum, ut adeò Magistratus in talibus retinuerit jus disponendi de contractu matrimoniali, & impedimenta ponendi.*

Nec aliud sentire videtur Petrus Marchantius 357
Tribun. Sacram. to. 3. tit. 7. q. 4. ubi sic: *Advertendum est, in Hollandia, quoad spiritualia, duplicem velut reperiri Christianam Rempublicam. Alia est pseudo-Ecclesiæ, quæ est hæreticorum, & synagoga Satanæ, in qua ritus sacri, & cæremoniæ transierunt, vel in politicas sanctiones, vel in adulterinos ritus. Unde ut matrimonia non sint clandestina inter eos, vel contrahunt coram Magistratu, vel coram Ministro. Et cùm hæc Respublica non tantùm sit hæretica, sed etiam schismatica, non agnoscens Caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi, frustrà de legibus Ecclesiæ ab illis servandis disputamus: cùm nec Legislatorem agnoscant, sed legem & jugum excusserint. Unde sive ex erronea conscientia, sive argumentosa, sive etiam dissimulante, & non urgente Ecclesiâ verâ sua præcepta (quia inutiliter illa urgeret) tamquam exleges à lege Ecclesiastica habendi sunt... Alia est in illis locis Ecclesia vera, Catholicæ Romanæ membrum*, &c.

Verùm hisce Scriptoribus acquiescere non pos- 358
sum. Primò, quia in contrarium est authentica declaratio Congregationis Concilii apud Zypæum Juris Pontificii novi analyt. enarrat. l. 4. tit. de sponsalibus, quæ *perpensis consultationibus Episcopi Tricaricensis, circa formulam matrimoniorum, quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ contrahuntur, ita censuit.*

Primo, ubi Decretum ejusdem Concilii c. 1. sess. 359
24. de reform. matrim. non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observatione formæ à Concilio præscriptæ.

Secundò, publicationem præsumi, ubi id Decre- 360
tum fuerit aliquo tempore in Parochia, tamquam Decretum Concilii observatum.

Tertiò, hæreticos quoque, ubi Decretum dictis 361
cap. 1. est publicatum, teneri talem formam observare; & præterea ipsorum etiam matrimonia, absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.

Quartò, ubi etiam constat Decretum Concilii esse 362
publicatum, vel aliquo tempore in Parochia, tamquam Decretum Concilii observatum; sed Parochialis Ecclesia, utpote vacans, proprio Parocho careat, & Cathedralis ipsidem Episcopo, atque Capitulo, habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi, vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque præsentia Parochi: servatâ tamen, in eo in quo potest, formâ Concilii, nempè adhibitis saltem duobus testibus.

Quintò, si extent quidem Parochus, & Epis- 363
copus, sed, nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubinam sit, vel eodem metu à Diœcesi abjit, nec ad alterutrum sit tutus accessus; validum esse matrimonium, contractum absque forma, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus.

Quod

364 *Quod verò attinet ad casum specialem, in scripturis ejusdem Nuntii contentum, Congregatio ita duxit respondendum. Cùm secundùm ea quæ proponuntur, matrimonium fuerit contractum in Parochia, ubi fuerat publicatum dictum Decretum, & extaret in Diœcesi Antuerpiensi, cujus erat Parochia, Vicarius, qui, juxta Concilii Decretum, poterat providere. Utique hujusmodi matrimonium, absque forma contractum, esse nullum.* Et subscriptum erat, *Hieronymus Cardin. Matth.* Facta est illa declaratio 19. Januarii 1603. non in primis hæreseos tumultibus, sed quando jam Geusii rerum potiebantur. Et videri potest apud Dianam p. 11. tr. 6. res. 1.

365 Porrò Concilium Tridentinum promulgatum fuit anno 1565. de mandato Philippi II. per Margaritam Parmensem. Constat proinde promulgatum fuisse in Hollandia, Zelandia, Frisia, Gueldria, Transinsulania, & per totum territorium Ultrajectense, antequam istæ Provinciæ ab obedientia Regis Catholici defecissent. De quibus Provinciis Joannes Lindebornus in Notis Catecheticis ad matrimonii Sacramentum Catechesi c. 1. §. 4 constare dicit, apud se esse exemplar authentici Mandati Frederici Tautenburgii, Archiepiscopi Trajectensis, de 22. Aprilis 1568. quo ad iteratam ejusdem Concilii promulgationem, convocat omnes Prælatos, Abbates, Archidiaconos, Præpositos, Priores, Decanos & Pastores territorii Trajectensis, Hollandiæ, Gueldriæ, Transinsulaniæ, Frisiæ. Additque Lindebornus constare ex litteris (apud se pariter extantibus) Burgesii, tunc Decani Metropolitani, postèà Tautenburgii in Archiepiscopatu successoris, id quod in Mandato suo Convocatorio Tautenburgius faciendum insinuaverat, factum esse. Denique Joannes Baptista Verjus in Past. Mission. tr. 13 a. 1. scribit sibi relatum, quòd à paucis annis viverent Ultrajecti viri senes, qui à parentibus suis certa dictæ promulgationis ibi factæ signa acceperant.

366 Constat proinde ex authentica S. Congregationis declaratione suprà relata, irrita esse matrimonia hæreticorum in dictis Provinciis, contracta coram Ministro hæretico, vel Laïco Magistratu, non servatâ formâ Concilii Tridentini, præterquàm in duobus casibus ibidem exceptis. Si ista sunt irrita, ergo & alia eorumdem matrimonia, contracta cum quolibet alio impedimento dirimente, sive cognationis, etiam spiritualis, sive affinitatis, sive ligaminis, &c. Quæ proinde Petrus Marchantius perperàm vult sic irrita esse ac nulla, in ratione Sacramenti, ut tamen valida sint in ratione contractûs naturalis & civilis, si nihil habeant contra leges naturales, divinas, & politicas. Cùm id æquè contra Ecclesiæ mentem asseratur de matrimoniis hæreticorum, contractis cum aliquo ex dictis impedimentis, quàm de matrimoniis Catholicorum: quandoquidem hæreticorum (utpote baptizatorum) matrimonia, validè contracta, juxta cap. *quanto* de divortiis, æquè sint Sacramenta, quàm Catholicorum; nec verisimile sit Ecclesiam tacitè consentire in valorem naturalem civilemque matrimoniorum, à suis infentissimis pertinacissimisque rebellibus cum aliquo ejusmodi impedimento malitiosè contractorum, magis quàm in naturalem civilemque valorem matrimoniorum, à suis obedientissimis filiis cum aliquo ejusmodi impedimento ignoranter contractorum.

367 Secunda ratio, propter quam Scriptoribus n. 328. relatis acquiescere non possum, est quia hæretici, perinde ut Catholici, legibus Ecclesiasticis tenentur, ut communis & generalis est sententia Doctorum, nominatim Suarez de legib. l. 4. c. 19. n. 3. Cornelii à Lapide in 1. Cor. 15. vers. 12. Cardinalis de Lugo 10. 3. in 7. p. disp. 15. sect. 7. n. 149. Enimverò absurdissimus ille foret (ait ibidem Cardinalis de Lugo) qui assereret, hæreticos, qui non receperunt leges Ecclesiæ, cui per baptismum incorporati & subjecti sunt, iis non obligari. Nec est ullus Catholicus qui dubitet, ipsos teneri legibus jejuniorum, abstinentiarum, festorum, &c. Si autem teneantur legibus Ecclesiæ dirigentibus: eâdem ratione tenentur ejusdem legibus irritantibus. Igitur tenentur Ecclesiæ legibus matrimonii impedimenta irritantia statuentibus.

Tertia ratio est, quia si Ecclesiasticis legibus 368
matrimonii impedimenta dirimentia statuentibus non tenerentur, ideò esset quia earum observantia, per diuturnam consuetudinem contrariam, apud illos desiisset (si enim titulus contrariæ consuetudinis ipsis quoad hoc non patrocinetur, nullus profectò alius patrocinatur) arqui contraria hæreticorum consuetudo non eximit ipsos ab obligatione dictarum legum Ecclesiasticarum, sive dirigentium, sive irritantium. Nulla enim consuetudo contraria quemquam eximit, nisi ex rationabiliter præsumpto Ecclesiæ consensu, ut probat Suarez de legib. l. 7. c. 13. fateturque Tannerus loco citato. Ecclesia verò nullo modo præsumitur consentire in illas hæreticorum consuetudines, ex Ecclesiæ contemptu, in eamque rebellione provenientes, nec ob eas ipsos eximere à communibus legibus suis. Cùm ex una parte nullus Princeps censeatur consentire in ullas rebellium subditorum suorum consuetudines, legibus à se stabilitis contrarias, neque ullo modo probare earum non observantiam, ex sola rebellione, Regiæque authoritatis contemptu provenientem, nec denique ob ejusmodi consuetudinem & non observantiam à communibus legibus suis ejusmodi rebelles & contemptores suos eximere. Ex alia parte rationabile non sit aliquos eximere ab obedientia propter suam inobedientiam; & hæretici, utpote Ecclesiæ rebelles, atque in sua rebellione pertinaces, Ecclesiasticæque potestatis contemptores impudentissimi, qui Ecclesiam omni momento perderent si possent, omninò indigni sunt, qui ex sua illa rebellione, tantoque Ecclesiæ odio & contemptu, magnum illud exemptionis ab Ecclesiasticis legibus, seu dirigentibus, seu irritantibus commodum ex benignitate Ecclesiæ reportent. Ut enim Tridentinum sess. 24. de reform. matrim. c. 5. *non est dignus, qui Ecclesiæ benignitatem experiatur, cujus salutaria præcepta temerè contempsit.* Et si æquum non est, ut legis sentiat auxilium, qui contemnit legem, juxta illud cap. *bonæ* de elect. *frustrà legis auxilium invocat, qui committit in legem:* similiter æquum non est, ut de Ecclesiæ benignitate reportet exemptionis privilegium, qui Ecclesiam contemnit.

Denique si æquum & rationabile non est, præsumere quòd Ecclesia rebelles illos eximat ab obligatione communium legum suarum dirigentium, ob illarum non observantiam, contrariamque consuetudinem ex earumdem contemptu, Ecclesiæque odio provenientem; similiter æquum & rationabile non est, præsumere quòd eosdem rebelles & contemptores ob eorum rebellem & contemptricem consuetudinem eximere velit ab obligatione communium legum suarum irritantium, uti satis declaravit per exhibitam authenticam S. Congregationis declarationem.

Quarta ratio est, *quia consuetudo, quæ canoni-* 369
eis obviat institutis, nullius esse debet momenti, cap. *ad nostram* de consuetud. Et *consuetudo, ex qua disrumpitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, irritanda est*, cap. *cùm inter*. Et consuetudo, *sacris Canonibus inimica, non tam consuetudo, quàm corruptela dicenda est*, cap. *cùm venerabilis* eod. tit. Et *mala consuetudo, non minùs quàm pernicio-*

corruptela, radicitùs est evellenda, can. *mala consuetudo* dist. 8. Atqui nullis consuetudinibus magis ista conveniunt, quàm illis hæreticorum consuetudinibus, quarum initium & progressus aliam causam non habet, nisi Ecclesiasticæ authoritatis & disciplinæ contemptum, odium, pervicacissimamque in illam rebellionem. Nimis ergo irrationabile est, quòd ejusmodi consuetudines, seu potiùs corruptelas Ecclesia approbet, vel quòd, ob eas, justissimarum, sanctissimarumque legum suarum vim emolliat. Maximè cùm istæ hæreticorum consuetudines in sua radice sint hæreticæ, adeòque contrariæ veritati. Consuetudo verò veritati contraria *est abolenda*, can. *si consuetudinem* ibidem. Et quia *in Evangelio Dominus*, ego sum (*inquit*) veritas; *non dixit*, ego sum consuetudo, *debet consuetudo cedere veritati*.... Et consuetudinem ratio & veritas semper excludit, can. *qui contempta* ibidem. Nam *consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Propter quod, relicto errore, veritas sequenda est*, can. *consuetudo* ibidem. Denique *consuetudinum Ecclesiasticarum contemptores coërcendi sunt*, can. *in his* dist. 11.

Propterea Lessius in Auctario ad 1. 2. verbo *præscriptio*, casu 1. & 2. pronuntiat esse certum, quòd irrita sint matrimonia hæreticorum cum Ecclesiastico impedimento dirimente contracta. Id que confirmat ex praxi Ecclesiæ: *nam* (inquit) *simul atque ad fidem* hæretici *convertuntur*, eorum *matrimonia in gradibus ab Ecclesia prohibitis inita dissolvuntur*, ita ut illi etiam qui non coram Parocho, sed coram hæretico Ministro, vel Magistratu contraxerant, dum ad Catholicorum transierunt castra, suum coram Parocho & testibus matrimonium renovarint.

370 Et cui non mirum videatur, quòd aliqui ex Patronis contrariæ opinionis dicere ausi sint, rescissis à Consistorio Prædicantium hæreticorum primis nuptiis, ob defectum consensûs parentum (quas & rescindunt ob conversionem prioris conjugis ad Catholicam fidem) valere secundas, ab hæreticis contractas vivente priori conjuge. Cùm priores, semel consummatæ, jure divino indissolubiles sint, imò vera Sacramenta; polygamiaque eodem jure divino in nova lege non solùm illicita sit, sed & prorsus invalida. Quis Prædicantibus hæreticis dedit potestatem rescindendi, quod jure divino irrescindibile, seu indissolubile est? Non majorem certè potestatem habet hæreticorum Consistorium rescindendi priores nuptias, ob defectum consensûs parentum, quàm ob conversionem prioris conjugis ad Catholicam fidem.

371 Quid igitur faciendum hæreticis ad fidem conversis, qui secundas nuptias, ob priorum rescissionem ab hæretico Consistorio factam, ut suprà contraxerunt? relicto secundo conjugio ad priorem conjugem haud dubiè oportet ipsos redire, & si, in hæresi, matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, v.g. consanguinitatis, vel affinitatis, &c. contraxerint, Confessarius, seu alius debet ipsis dispensationem impetrare, eâque impetratâ oportet eos de novo contrahere, servatâ formâ Concilii Tridentini. Quod etiam facere debent, qui in hæresi clandestinè, id est non coram vero Parocho contraxerunt.

372 Nec alicujus momenti est quod objicit Layman, oritura gravissima inconvenientia, si hæretici viderent sua conjugia à nobis reputari illegitima, filiosque suos illegitimos, nec admitti ad Ecclesiasticas dignitates, sacrosque Ordines. Hinc enim difficilior evadet conversio ipsorum. Hæretici namque, quamdiù hæretici sunt, parùm curant quid Papa de ipsis, eorumque filiis judicet. Cùm Pontificem usque adeò rideant, totamque Ecclesiam Romanam, ut nihil apud ipsos solemnius, nihil magis decantatum in ipsorum Synodis, libris, suggestis, quàm irrita esse matrimonia, quæ vel ipsi Catholici Imperatores, Reges, Principes, ex Pontificia dispensatione contrahunt in primo gradu affinitatis, & in secundo consanguinitatis. Et cur ipsorum matrimoniis favorabiliores esse debent Catholici, quàm ipsi favorabiles sint matrimoniis Catholicorum? Quibus hæretici non solùm favorabiles non sunt; imò pro irritis habent matrimonia, in territoriis ipsorum contracta aliter quàm coram Ministro vel Magistratu. Ad id quod additur conversionem ipsorum ex hoc evasuram difficiliorem. Respondeo nihil minùs. Quia certum est Sedem Apostolicam facillimè dispensaturam cum iis qui resipiscere voluerint, & ad Ecclesiæ Matris suæ gremium redire.

CAPUT XLII.

Catholici, qui compelluntur à suis Magistratibus hæreticis, in Hollandia, coram hæretico contrahere Ministro, peccant si pareant huic mandato; licèt intendant postea contrahere, vel anteà contraxerint coram legitimo Sacerdote.

SI hæreticus Minister ibi non concurreret ob causam religionis, sive ut Minister Ecclesiæ 373
ipsorum, sed ob rationem merè politicam, sicut concurrit Magistratus (ut putat noster Stephanus à S. Paulo) id quidem illicitum non foret. Sed ipsum concurrere ut Ministrum Ecclesiæ ipsorum, probat formula à Ministro usurpari solita, de qua Lessius in Auctario ad 1. 2. verbo *Catholic. cum hæret. conversatio* casu 24. & 25. sic loquitur: *Lectâ formulâ, quæ in Provinciis hæreticis Belgii fœderati servatur, adverti Ministrum adhiberi ut Ministrum Ecclesiæ, & dare firmitatem matrimonio, & orare super conjuges, & populum hæreticum vocat Ecclesiam Christi, communitatem sanctam*, &c. Et ideò coram tali Ministro contrahere, est implicitè approbare hæreticorum sectam. Et ideò *Apostolica Sedes* (teste Illustrissimo D. Castoriensi in suis Constitutionibus fol. 25.) *declaravit, omninò esse illicitum, ut Catholici contrahant coram Prædicante Acatholico, eâ conjunctionis formulâ, quæ apud ipsos solet usurpari. Hinc volumus* (pergit idem Antistes, Sedis Apostolicæ in partibus illis Vicarius Generalis) *ut Cooperarii nostri sæpè populum doceant, quàm sit fidei Catholicæ adversum, ita conjungi, ut si hoc ipsum docere neglexerint, eam incurrant pœnam, quam divina justitia illis intentat speculatoribus, qui videntes venire gladium, haud insonuerint buccinâ.*

Nec Catholicis grave videri debet dicto mandato non obedire, ob periculum mulctæ. Cùm 374
sciant melius esse mulctam illam solvere (quæ tamen notabilis esse non solet) quàm Deum offendere; temporaliaque æternis à se postponenda esse, sumptumque illum recuperari posse, parcendo sumptibus in luxu, conviviis, &c.

Addit Lessius casu 26. Catholicis ordinariè licitum non esse convivium nuptiale hæreticorum 375
suâ præsentiâ sic honorare, ut conjunctis de eorum conjunctione gratulentur. Cùm eorum conjunctiones fornicariæ sint, & nullæ. Quia tamen adire tale convivium alium habet usum, amicitiæ utique conservationem, corporis refectionem, &c. id non esse per se malum, modò conjunctis non gratulentur, nec munera dent in signum gratulationis. Quia tamen conjunctiones istæ, licèt quoad substantiam contractûs, & Sacramenti, invalidæ ac nullæ, videntur dici posse validæ quoad effectus civiles, quos suprema Principum suorum, vel Magistratuum, authoritas ipsis tribuit, v. g. quoad hæreditates, & similia merè temporalia: fortasse videbitur non omninò illicitum hoc sensu ipsis congratulari.

CAPUT XLIII.

Solus Papa jure ordinario, & subinde Episcopus jure extraordinario, ex præsumpta rationabiliter Papæ voluntate, dispensat in impedimentis, solo Ecclesiastico jure matrimonium dirimentibus.

376 RAtio prioris partis est, quia dicta impedimenta, vel à Conciliis Generalibus, vel à SS. Pontificibus instituta sunt. In legibus verò SS. Pontificum, vel Generalium Conciliorum, Episcopi, utpote ipsis inferiores, jure ordinario dispensare non possunt. Cùm inferior, jure ordinario dispensare nequeat in lege Superioris, cap. *cùm inferior* de majorit. & obed.

377 Ratio posterioris partis est, quia subinde occurrunt circumstantiæ, in quibus necessitas urgens exigit hîc & nunc cum aliquibus dispensari, & interim vel tempus, vel aliæ circumstantiæ non permittunt pro dispensatione recursum ad Pontificem. In istis proinde circumstantiis rationabiliter præsumitur voluntatem S. Pontificis esse, ut id Episcopi faciant, quod Pontifex ipse per se faceret, si de eo requisitus esset, ut tradunt omnes communiter Theologi, & Canonistæ, firmat consuetudo, dictatque recta ratio. Incredibile namque est, S. Pontificem velle dispensationem illam sibi reservatam in summis angustiis, cum animarum, gravissimorumque inconvenientium periculo. Cùm Pontifex præsumi nequeat id velle quod repugnat charitati, bonoque fidelium regimini. Repugnat autem charitati, bonoque fidelium regimini, velle, quòd fideles, qui matrimonium bonâ fide cum impedimento dirimente ignoranter contraxerunt, in circumstantiis, in quibus ad S. Pontificem recurrere nequeunt, opportuno quo hîc & nunc maximè indigent remedio maneant destituti. Id ergo velle Pontificem præsumi nequit. Rationabiliter proinde præsumitur velle, ut Episcopus pro tunc provideat de remedio opportuno cum talibus personis, ob urgentem necessitatem dispensando. Unde Zerola, Episcopus Minoricensis, in sua *Praxi Episcopali* p. 1. verbo *dispensatio* §. *ad quintum* testatur, sibi ex Romana Curia datum responsum, dispensationum illarum potestatem esse penes Episcopum, concurrentibus sex circumstantiis sequentibus.

378 1ª. ut matrimonium jam sit contractum.

379 2ª. ut sit contractum cum ignorantia impedimenti, adeòque bonâ fide. Cùm enim Tridentinum sess. 24. c. 5. de reform. matrim. spe dispensationis consequendæ eos carere velit, qui *intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserint*, æquum non est potestatem dispensandi cum talibus, Episcopis esse concessam.

380 3ª. ut sit consummatum.

381 4ª. ut impedimentum sit occultum, id est publicâ famâ non vulgatum, nec deductum ad forum contentiosum; vel in eo, ob defectum sufficientis probationis lite diremptâ, reus sine nota dimissus. Si enim impedimentum fuerit publicum, in eo Episcopus dispensare non potest. Neque enim periculum est scandali ex publica talium conjugum separatione.

382 5ª. ut partes adeò pauperes sint, ut ad Summum Pontificem, vel ad Legatum mittere nequeant.

383 6ª. ut scandalum verisimiliter oriretur, si foret separatio.

384 Siqua ex his circumstantiis desit, & personæ reverâ sint pauperes, vel rudes ac rusticæ, Episcopalis vel Sacerdotalis charitatis erit hanc dispensationem à Sede Apostolica procurare in forma pauperum, ut à personis illis nihil exigatur.

385 Circa matrimonia verò contrahenda, longè contractior est Ordinariorum potestas. Si tamen magna id necessitas postulet, nec temporis angustia recursum permittat ad Pontificem, vel ejus Legatum, sicut Episcopus ob similes circumstantias dispensare potest post, ita & ante matrimonium contractum. Ita Sanchez l. 2. disp. 40. n. 1. Sylvius, aliique multi. *Ejusmodi autem necessitas* (inquit Sylvius) *videtur esse, siquis morti proximus, ad legitimandos liberos, vel ad restaurandum honorem, vel pro bono, aut pro compositione magnæ litis, velit matrimonium contrahere; obstet autem impedimentum dirimens, nec possit adiri Pontifex, vel ejus Legatus, habens potestatem dispensandi. Item si sponsus aut sponsa manè venit ad confessionem, & per eam deprehenditur esse inter illos impedimentum dirimens* (v. g. affinitatis ex copula illicita) *cujus manifestatio esset causa gravis infamiæ, & si non statim procedant ad contractum, alteruter æstimabitur fuisse confessus aliquod enorme peccatum, ob quod Parochus nolit, vel etiam non possit eos conjungere; jamque amici sunt in diem illum vocati, omniaque ad nuptiale convivium parata, nullaque occurrit via cavendi publicum scandalum, infamiam, vel gravissimas inimicitias, si matrimonium differatur. In his rerum angustiis ad Episcopum recurrendum est, ut dispenset pro conscientiæ foro.* Quod ab ipso fieri posse, docent (cum Sylvio) Sanchez, Reginaldus, Præpositus, Bonacina, Barbosa, Perez, Dicastillo, Pontius, Villalobos, Diana, plures ex ipsis referens p. 11. tr. 3. resol. 80. contra Sotum, Cordubam & Medinam.

386 Addit tamen Sylvius, *in hoc casu videndum, an Confessarius non possit scandalum & infamiam dispensatorum cavere, jubendo pœnitenti ut voveat castitatem ad unum, duos menses, ut interea quæratur dispensatio; pœnitens autem consanguineis & amicis dicat, se habere votum castitatis, & propterea Pastorem velle, ut expectetur dispensatio.... Quod si tali medio possit differri matrimonium, sine ullius gravi nota vel infamia, donec recurratur ad S. Sedem, vel Nuntium sufficienti potestate instructum, Episcopus non potest dispensare. Si verò possit quidem evitari infamia & omne dedecus per aliquam dilationem, non possit tamen esse recursus ad Pontificem, vel ad eum, qui facultatem habet dispensandi, nec etiam possit matrimonium totaliter impediri sine magno scandalo, & dedecore, poterit Episcopus dispensare.*

387 An etiam Vicarius Generalis Episcopi? Negant citati Authores Vicarium Generalem posse in istis extraordinariis casibus dispensare; nisi Episcopus hoc ipsi specialiter commiserit, vel rationabiliter præsumatur dedisse ipsi omnem suam potestatem, etiam quam habet, ut S. Sedis Delegatus. Quam rationabiliter præsumitur ipsi dedisse Episcopus, plures possidens Episcopatus, ab invicem remotissimos. Videri potest Gobat tr. 9. n. 584.

388 Ad extremum observo, nonnullis Episcopis esse titulo præscriptionis acquisitum jus dispensandi in quibusdam impedimentis dirimentibus. Quod fieri posse tradit (cum communi) Layman l. 3. tr. 1. c. 8. n. 15. Et sic Episcopus Leodienses, ejusque Vicarius Generalis (ut Leffius observat loco citato, verbo *matrimonium*, casu 9.) dispensare possunt cum pauperibus in tertio & quarto gradu affinitatis, quando justa necessitas celerem exigit dispensationem. Et quia Episcopatus Namurcensis extractus fuit è Leodiensi, idem practicare solent Episcopi Namurcenses, jure præscripto ab annis plusquàm octoginta. In nonnullis etiam Galliarum Diœcesibus certum est id practicari.

CAPUT XLIV.

Tria matrimonii bona, debitique reddendi obligatio.

389 TRia matrimonii bona, prolem, fidem, Sacramentum, recenſent Auguſtinus l. 1. de nupt. & concup. c. 11. & Concilium Florentinum in Decreto unionis. Per *prolem* prolis intelligitur procreatio, Chriſtianaque inſtitutio. Per *fidem* intelligitur obligatio juſtitiæ, quâ uterque conjugum alteri obligatur petenti debitum reddere, & alteri quàm conjugi ſui corporis uſum non concedere. Per *Sacramentum* à Florentino intelligitur *indiſſolubilitas matrimonii, propter hoc quòd ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ*, divinique Verbi cum humanitate. De matrimonii indiſſolubilitate ſatis diximus cap. 21. 22. 23.

390 Obligationem reddendi debitum explicat Apoſtolus 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat; ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare invicem, niſi fortè, ex conſenſu, ad tempus, ut vacetis orationi.*

391 Cùm illa obligatio juſtitiæ ſit, injuſtitiæ reus eſt, qui vel quæ debitum abſque juſta cauſa denegat, ipſiuſque peccatum ex ſuo genere mortale eſt, aliorumque gravium peccatorum plerumque cauſa, veluti diſſenſionum, ſeparationum, pollutionum, adulteriorum, &c.

392 Nihilominus non deſunt cauſæ, ob quas licet aliquando debitum negare. 1°. ſi mulier ſit gravida, & periculum ſit fœtum perdendi. 2°. ſi ſit menſtruata. 3°. ſi reddere nequeat ſine ſanitatis detrimento. 4°. ſi petens laboret leprâ, vel alio morbo contagioſo, quamdiù periculum eſt morbum illum contrahendi. 5°. ſi conjux adulteraverit. Quia fidem frangendo perdidit jus exigendi debitum.

393 Ex dictis ſequitur neutrum conjugum, abſque alterius conſenſu, vovere poſſe continentiam, etiam ad tempus. Cùm enim conjugatus ſui corporis poteſtatem non habeat, non poteſt corpus ſuum Deo ad continentiam devovere.

394 An autem alter conjux, ſine alterius conſenſu, facere poſſit votum nunquam exigendi debitum? Affirmat Richardus. Negat S. Thomas: quia matrimonium per ejuſmodi votum, alteri redditur onerioſum, quatenùs ipſi ſoli onus & neceſſitas incumbit exigendi debitum. Hinc Sotus & Eſtius aſſerunt virum irritare poſſe hujuſmodi votum uxoris, & uxorem viri. Id viro poteſt, quia eſt caput uxoris. Id etiam poteſt uxor, quia in tali mariti voto magis gravata eſt, ob naturalem pudorem, quo fit ut ipſi præ viro moleſtior ſit neceſſitas debiti ſemper exigendi: quamvis ſcrupulum hîc omnem tollere poſſit diſpenſatio Epiſcopi, vel Confeſſarii ad id privilegiati.

395 Sed nec alia vota, eorum conjugalem indirectè attingentia, ſine partis aſſenſu poſſunt à conjugatis emitti. Si nihil ad eorum attineant, non pauci equidem cenſent, virum, ut caput mulieris, potiùs validè omnia uxoris vota irritare (tametſi licite ea ſola irritare poſſit, quæ marito nocent, vel familiæ adminiſtrationi) dicitur enim Num. 30. *Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & ſemel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento: quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcunque promiſerat. Sin autem audiens ſtatim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obſtrinxerat animam, propitius erit ei Dominus... Si voverit, & juramento ſe conſtrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abſtinentiam, affligat animam ſuam, in arbitrio viri erit ut faciat, ſive non faciat. Quòd ſi audiens vir taquerit,... quidquid voverat atque promiſerat, reddet.... Sin autem contradixerit, poſtquam reſcivit, portabit ipſe iniquitatem ejus.* Quæ ultima verba innuunt, maritum ſine cauſa contradicentem peccare, ſed uxorem à voto liberam eſſe.

CAPUT XLV.

Finis, quem juxta doctrinam Sanctorum intendere debent conjuges, actum conjugalem exercendo, ut omni culpâ vacent, eſt procreatio prolis, per quam Deus benedicatur, & debiti redditio.

NOn eſt dubium, quin licitus & honeſtus ſit actus conjugalis, dum fit cauſâ procreandi prolem, per quam Dei nomen benedicatur. Quia tunc eo fine fit, propter quem à Deo eſt inſtitutus, & propter quem factus fuiſſet etiam in Paradiſo. Unde Tobias, *& nunc* (inquit) *Domine tu ſcis, quia non luxuriæ cauſâ accipio ſororem meam conjugem, ſed ſolâ poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.* 396

Licitus quoque atque honeſtus eſt actus conjugalis, cauſâ reddendi debitum. Quia actus eſt juſtitiæ, ad quem ipſe Deus obligat, ut conſtat ex Apoſtolo ſuprà. 397

Propter alterutrum ex duobus illis finibus actum illum fieri debere, ut conjuges in eo omni culpâ vacent, communis eſt doctrina Sanctorum. Communis item doctrina veterum Theologorum, ipſorumque Scholæ Principum. 398

Clemens quippe Alexandrinus in ſuo Pædagogo l. 2. c. 10. *Non eſt* (inquit) *in petris & lapidibus ſeminandum, ſed in hominibus ubi ſemen radicari poteſt, & germinare. Semen generationis degenerat, ineptumque redditur, ſi matricis ſulcis privetur. Neque verò Moyſes ullum unquam veterum Hebræorum inducit, coëuntem cum ſua uxore prægnante. Sola enim voluptas, ſiquis eâ utatur, etiam in conjugio, eſt præter leges, & injuſta, & à ratione aliena. Rurſus autem Moyſes abducit viros à prægnantibus quousque pepererint. Reverà enim matrix, ſub veſica collocata, ſuper inteſtinum autem, quod rectum appellatur, poſita, extendit collum inter humeros in veſica, & os colli, in quod venit ſemen, impletum occluditur uſque ad partum. Fructu autem depoſito, deinde ſemen ſuſcipit. Matrix itaque ſitiens filiorum procreationem, ſemen ſuſcipit, probroſumque & vituperandum negat coitum poſt ſationem, ore clauſo jam omninò excludens libidinem. Ejus autem appetitiones.... intrò converſæ, in procreatione ſoboli occupatæ, operantur unà cum officio. Nefas eſt ergo operantem jam naturam moleſtiâ adhuc afficere, ſuperfluè ad petulantem prorumpendo libidinem.* Et infrà: *Ei ſoli qui uxorem duxit, ut qui tunc ſit agricola, ſerere permiſſum eſt, quando tempus ſementem admittit.* Et l. 3. Strom. addit ita juberi, nedum à Moyſe, ſed & à melioribus Gentilium Philoſophis, quaſi ex ipſo naturalis legis dictamine. Manifeſtè ergo docet, conjugii uſum peti licitè non poſſe, niſi ad finem procreandæ prolis; ideòque inordinatam eſſe petitionem, quando tempus ſementem & novam generationem non admittit.

Similiter Ambroſius lib. 1. in Luc. occaſione Elizabethæ, Matris S. Joannis Baptiſtæ (quæ in ſenili ſe ætate gravidam ſentiens, quinque menſibus ex verecundia quadam ſe occultavit) graviter obſervat, *eſſe etiam ipſi quædam tempora præſcripta conjugio, quando dare operam liberis ſit decorum, dum ſcilicet anni vigent, dum ſuſcipiendorum liberorum ſpes eſt. Senes enim ab ipſa concluduntur ætate, & juſto intemperantia priores re-*

vocentur ab opere nuptiarum. ... Quin etiam ipsi juvenes, sobria timore Dei corda qui temperant, susceptâ plerumque sobole renuntiant operibus juventutis. Et quid mirum est de hominibus, si pecudes quoque, muto quodam opere, loquuntur generandi sibi studium, non desiderium esse coeundi? Siquidem ubi semel gravem alvum sibi senserint, jam nec concubitu indulgent, nec lasciviam amantis, sed curam parentis assumunt.

Et culpat homines, in eo minùs moderatos quàm pecudes: *at verò homines nec conceptis, nec Deo parcunt; illos contaminant, hunc exasperant. Priusquam te, inquit, formarem in utero, novi te. Ad cohibendam petulantiam tuam, manus quasdam tui Auctoris in utero hominem formantis advertis. Ille operatur; & tu sacri uteri secretum incestas libidine. Vel pecudes imitare, vel Deum venere. Et quid de pecudibus loquor? Terra ipsa à generandi opere sæpè requiescit; & si impatienti hominum studio factis frequenter seminibus occupetur, impudentiam mulctat agricolæ, & fœcunditatem sterilitate commutat. Ita quidem in ipsis elementis, ac pecudibus ab usu non cessare generandi, naturæ pudor est.*

S. Hieronymus l. 1. adversus Jovinianum circa finem, laudatâ sententiâ Xisti Pytagorici: *adulter est in suam uxorem, amator ardentior*, subdit: *in aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non voluptatis affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius quàm uxorem amare ut adulteram.* Quid Hieronymo est uxorem amare ut adulteram? Quid uxoris amor nimius, amor ardentior? amor propter coitum, amor propter voluptatem, non propter generationem.

399 Patet hoc, ex eo quod subdit: *certè qui dicunt se causâ Reipublicæ, & generis humani, uxoribus jungi, & liberos tollere; imitentur saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus se exhibeant, sed maritos.* Et in cap. 18. Ezech. *per singulos menses gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur. Quo tempore, si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vitium sanguinis trahere, ita ut leprosi & elephantiaci ex hac conceptione nascantur.* (Varii hoc ipsum tradunt Medici, quos inter Platearius l. de ægritud. cutis. Ex hoc etiam concubitu viros infignes fecretionum partium excoriationes & inflammationes contraxisse, non semel se vidisse, testis est Michaël Boudewins Ventilabri Medico-Theologici p. 2. q. 15.) *Præcipitur ergo viris, ut non in alienis mulieribus, sed in suis quoque ..... certa concubitûs norint tempora, quando coeundum, quando ab uxoribus abstinendum sit. Quod quidem & Apostolus, & Ecclesiastes sonant: tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Caveat ergo & uxor, ne fortè, victa desiderio coeundi, illicitat virum ... putans omni tempore subjectam sibi esse debere conjugii voluptatem. Unde & Paulus* (1. Thessal. 4.) *ut noverit* (*inquit*) *unusquisque possidere vas suum in sanctitate & pudicitia.*

400 Cur ita Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Hieronymus? Si licitum existimassent coitum conjugalem, non ob filiorum generationem, sed ob voluptatem exercitum, profectò ab uxoribus gravidis non præciperent abstinendum. Idcò ergo tempora generationi apta servari præcipiunt, quia (ut rectè Jonas, Episcopus Aurelianensis, l. 2. de Institutione Laicali c. 7.) *si causâ prolis uxor ducitur, & commixtio maris & fœminæ amore filiorum, non ardore libidinis debet exerceri; postquam fructum oviunda prolis tumefactus uxoris uterus indicaverit, quid coitus cum uxore, nisi æstum libidinis demulcet?* Nonne ab hujuscemodi coitu abstinere valenti quodammodò dicit Dominus: *si causâ liberorum uxorem duxisti, jam me operante adeptus es quod voluisti. Ut quid operi meo morbidæ libidinis quidquam superaddere præsumpsisti?* Et ideò Hieronymus in cap. 5. epist. ad Galat. ad ea verba: *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria*, &c. dicit, quòd Apostolus *in hoc loco ... ipsarum quoque opera nuptiarum, si non verecundè, & cum honestate, quasi sub oculis Dei fiant, ut tantùm liberis serviatur, immunditiam & luxuriam nominavit.*

S. Augustinus l. de bono conjugali c. 7. *Reddere debitum conjugale, nullius est criminis. Exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis.* Et c. 10. *concubitus necessarius, causâ generationis, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur* (exigendo) *jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem.* Et paulò antè: *non itaque nuptias secundùm veniam concedit Apostolus* (*nàm quis ambigat absurdissimum dici, non eos peccasse, quibus venia datur?*) *sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, utique non solâ causâ procreandi, & aliquando nullâ causâ procreandi: quem nuptiæ ... ignosci impetrant.* Et cap. 11. *decus ergo conjugale est castitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides: hoc est opus nuptiarum. .. Exigendi autem debiti ab alterutro sexu immoderatior progressio ... conjugibus secundùm veniam conceditur.* Tunc autem immoderatior est progressio in exigendo, quando actus ille exigitur, non ad hoc propter quod institutus est. Ut enim cap. 9. dixerat: *his bonis, quæ propter aliud necessaria sunt* (*ut sunt cibus, potus, somnus ... concubitus*, sicut antè dixerat) *qui non ad hoc utitur, propter quod instituta sunt, peccat, aliàs venialiter, aliàs damnabiliter.* Atqui sicut cibus institutus est ad salutem hominis, ita concubitus ad salutem seu propagationem generis, prout c. 16. ait: *quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis.* Et cap. 18. *propter solam generationem sunt institutæ nuptiæ*, id est usus nuptiarum. Et ideò c. 11. dicit, *quod ille naturalis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore.* Et c. 6. vocaverat *immoderatiorem exactionem debiti carnalis*, quando *præter causam procreandi, sibi conjuges miscentur.* Et c. 17. *nuptiæ in quantum nuptiæ, quia procreandi causâ sunt .... bonæ sunt. Hi tamen homines*, qui intra finem illum se non continent, hoc faciunt quod *ad nuptias non pertinet.* Et ideò *secundùm veniam* ipsis *conceditur progressus ille, qui excedit generandi necessitatem.* Et c. 26. dicit, quòd *animus justitiæ contrà libidines serviens carnalibus motibus non acquiescat, nec eos in concubitum ultra generandi necessitatem prolabi aut progredi sinat.* Hoc (inquit) *ordo naturæ & legum sacra præscribunt.* Enchirid. c. 78. *putari posset non esse peccatum, miscere conjugi, non filiorum procreandorum causâ ... sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii ... incontinentiam devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset* (Apostolus) *hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium. Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolicâ auctoritate fateatur?* Serm. 51. aliàs 63. de divers. c. 13. *qui uxoris carnem amplius appetit, quàm præscribit limes ille, liberorum procreandorum causâ, contrà ipsas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulæ, & recitantur in conspectu omnium adstantium, & recitatur, liberorum procreandorum causâ, & vocantur tabulæ matrimoniales ... Nunquid hoc non est peccatum, amplius quàm liberorum*

401

procreandorum necessitas cogit, exigere à conjuge debitum? Est quidem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit: hoc autem dico secundùm veniam. Lib. de peccato originali c. 38. *concupiscentiâ.... malè utuntur.... conjuges, quando non propagandi voluntate operam creandis filiis impendunt, sed lasciviendi voluptate, exsaturandæ cupidini inserviunt. Quod propter vitandas fornicationes maritis & uxoribus, ne fraudent invicem.... secundùm veniam, non secundùm imperium concedit Apostolus. Evidenter enim, dum tribuit veniam, denotat culpam.* Et l. 1. de nupt. c. 4. *isto bono* (actu conjugali) *malè utitur, si sit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis.* C. 15. *carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter conjugem, venialem habet culpam.* Propterea idem Augustinus lib. de bono conjug. c. 6. *sunt* (inquit) *viri usque adeò incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant:* hoc *immodestum, inverecundum, sordidum... vitium est hominum, non culpa nuptiarum.* Et lib. 3. contra Julian. c. 21. *pudicitia conjugalis..... si faciat quod præscribunt tabulæ matrimoniales, in ipso quoque thoro conjugali conflictu gloriosiùs belligerat, ne ultra quàm generandis filiis sat est, etiam ipsum conjugis corpus adtrectet. Talis pudicitia nec menstruatis, nec gravidis utitur feminis, nec ejus ætatis, quâ certum est eas jam concipere non valere; nec eam prorsus concumbendi vincit effectus, sed tunc relaxatur, cùm speratur generationis effectus. Siquod verò fit in conjuge... quod tabularum matrimonialium limitem transeat, veniale apud Apostolum reperitur.*

402 S. Fulgentius epist. 1. de conjugali debito cap. 2. *culpabilis usus non in conjugali concubitu, sed in concumbentium reperietur excessu.* In quo excessus iste consistit, cap. 3. declarat, dicens: *Conjugalis igitur potestatis inculpabilis est usus, officio gignendi divinitùs attributus, si justitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Justitia verò utendi conjugii hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi conjuges congruo tempore misceantur... conjugatus ergo... si thori fidem non deserat, sed in uxore suâ naturali dumtaxat usu aliquantulùm excedat, non solùm scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens* (hîc est ergo quod Fulgentius excessum vocat) *hoc equidem sine culpa non facit.* Unde c. 4. concludit, quòd *maculam contrahit.... quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis, suæ miscetur uxori.*

403 Cæsarius serm. 37. quæ sint minuta peccata, exemplis declarat. Inter exempla verò minutorum peccatorum hoc recensct: *quoties excepto desiderio filiorum, uxorem suam* aliquis *cognoverit.* Et serm. 88. (qui 292. est in Appendice to. 5. Operum S. Augustini) *qui bonus Christianus est, non solùm ante plures dies quàm communicet, castitatem servat; sed & uxorem suam, excepto desiderio filiorum, non agnoscit: quia uxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur.* Denique & *ipsæ tabulæ matrimoniales hoc continent: liberorum* (inquit) *procreandorum causâ. Velim tamen scire, Fratres charissimi, ille qui uxore suâ incontinenter utitur* (id est propter libidinem, non propter filiorum procreationem) *si quoties se luxuriâ victum agnovit, toties suum agrum in uno anno araverit, vel seruerit, qualem messem colligere possit? Qui ergo se continere nolunt, si toties terram quandam suam, quam jam seminaverant, iterùm arent & seminent, videamus qualiter de ejus fructu gaudebunt... Quod ergo non vult aliquis in agro suo, quare facit in corpore suo? Sed dicet aliquis: homo juvenis sum, continere non possum. Vide, ne fortè ideò te non contines, quia plus manducas quàm expedit, ac plus vinum accipis quàm oportet. Fortè etiam turpibus cogitationibus occupas mentem tuam, & luxuriosa verba non solùm libenter, sed etiam frequenter, aut ipse dicere, aut, aliis dicentibus, audire non metuis, nec erubescis. Incipe, cum Dei adjutorio, gulæ concupiscentias refrænare, castis cogitationibus, & honestis sermonibus mentem vel linguam tuam jugiter occupare; & videbis quia, Deo auxiliante, castitatem poteris custodire. Nec te pigeat (si corporis infirmitas non prohibet) frequentiùs jejunare, ad Ecclesiam maturiùs surgere, ut possis tuam animam à libidinosis maculis nitidam custodire.*

Sed dicis, uxorem excepto desiderio filiorum agnoscere, peccatum non est. In tantum peccatum est, 404
ut Propheta pœnitens clamet: in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea, &c.

Et infrà: *quoties dies Dominicus, aut aliæ festivi-* 405
tates veniunt, uxorem suam nullus agnoscat. Et quoties fluxum sanguinis mulieres patiuntur, similiter observandum est. Propter quod Propheta ait: ad mulierem menstruatam non accesseris. Ezech. 18. *Nam qui uxorem suam in profluviis positam agnoverit.... qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci nascentur... Et reverà, Fratres, si animalia sine intellectu non se contingunt, nisi certo & legitimo tempore: quantò magis homines, qui ad imaginem Dei facti sunt, hoc observare deberent! Sed quod pejus est, sunt aliqui ita luxuriosi, vel ebriosi, qui aliquoties, nec prægnantibus uxoribus parcunt. Et ideò si se non emendaverint, ipsi videant, si non pejores animalibus judicandi sint. Illis talibus clamat Apostolus: ut sciat unusquisque suum vas possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderii, sicut & Gentes, quæ spem non habent....*

Rogo vos, Fratres, ut mihi indulgeatis, quia 406
pro salute animæ vestræ, cum grandi timore, & cum verecundia, de talibus rebus vos admonere videor. Quia & hoc mihi expedit dicere, & vos oportet audire.... Et ideò... reus ero ante tribunal Christi, si vobis non dixero.

Gregorius Magnus in respons. ad interrogat. 407
10. Augustini, Anglorum Episcopi: *Oportet legitima carnis copula ut causâ prolis fit, non voluptatis.... Aliàs habent conjuges etiam de sua commixtione quod defleant... Nam cùm Paulus Apostolus diceret, qui se continere non potest, habeat uxorem suam, statim subjungere curavit; hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Non enim indulgetur, quod licet & justum est. Quod enim indulgeri dixit, culpam esse monstravit.* Et lib. 32. Moralium in Job. cap. 17. *Tunc solùm conjuges in admixtione sine culpa sunt, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur.* Et Pastor. cur. p. 3. admonit. 28. *admonendi sunt conjuges, ut susceptendæ prolis se meminerint causâ conjunctos; & cùm immoderatè admixtioni servientes, propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant, quòd licèt extrà non exeant, in ipso tamen conjugio conjugii jura transcendunt. Unde necesse est quòd crebris exorationibus deleant, quòd pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. Hinc est enim quòd peritus Medicus cælestis Apostolus, non tam sanos instituit, quàm infirmos.... Quibus dum in magna honestate conjugii aliquid de voluptate largiretur, adjunxit: hoc autem dico secundùm indulgentiam... culpa quippe esse innuitur, quod indulgeri perhibetur; sed quæ tantò citiùs relaxetur, quantò non per hanc illicitum quid agitur; sed hoc, quod est licitum, sub moderamine non tenetur.*

Jonas Aurelianensis Episcopus loco citato, ca- 408
piti sexto hunc præfixit titulum: *quòd cum uxoribus carnis commixtio gratiâ fieri debeat prolis, non voluptatis.* Unde cap. 7. sic arguit: *Si causâ prolis uxor ducitur, & commixtio maris & fœminæ amore filiorum, non ardore libidinis debet exerceri,*

postquam

postquam fructum oriundæ prolis tumefactus uxoris uterus indicaverit, quid coitus cum uxore, nisi jam æstum libidinis demonstrat, &c. ? ut suprà num. 400. Et infrà : *Liquidò igitur patet, quoniam sicut clarissimorum Doctorum dicta sanciunt, & antiqui conjugati Patres in exemplum sunt, prorsus à coitu uxorum prægnantium sit abstinendum.*

409 S. Petrus Damian. l. 1. epist. 15. *dum non gignendæ proli, sed ingenitæ deserviunt voluptati, non mariti, sed prolectarii ; non conjuges, sed potiùs amatores jure dicuntur.*

410 Similia habent Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus in 1. ad Cor. 7. V. Beda ibid. S. Anselmus ibid. Magister Sententiar. in 4. dist. 31. Albertus Magnus ibidem a. 21. S. Thomas ibidem q. 2. a. 2. S. Bonaventura ibid q. 3. Alensis 2. p. Summ. q. 147. memb. 2. Scotus in 4. dist. 26. Richardus de Media-Villa loco infrà referendo. S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 20. Dionys. Carthus. in 1. Cor. 7. Gerson Compend. Theol. de Sacr. conjug. uno verbo omnes Veteres. Teste namque Soto in 4. dist. 31. q. 1. a. 3. *nemo Doctorum (ante Majorem) contradixit.* Teste quoque Ettio ibid. §. 7. *Veteres omnes, & Scholasticorum præcipui... docent conjuges venialiter delinquere in actu conjugii, quando non intendunt prolis procreationem, nec debiti redditionem, sed solam voluptatem, vel tentationem evadere periculosiorem.*

411 Qua in re SS. Patribus, & antiquis Scholasticis, insignes hujus & præcedentis sæculi Scriptores accedunt. Accedit etiam Innocentius XI. in Decreto quo hanc condemnat propositionem : *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ & defectu veniali.*

Concludo itaque Sanctorum, veterumque Doctorum agmen verbis expressissimis clarissimisque S. Thomæ loco citato : *Semper in actu matrimonii aliquod peccatum accidit, nisi hâc intentione fiat conjunctio, ut proles procreetur, vel saltem ut debitum reddatur. Nam motus naturæ solius tendit in prolem habendam absolutè, quæ intentio non est recta, nisi ulteriùs referatur in Deum, ita ut proles quæratur ad cultum Dei suscipienda & nutrienda.* Et in fine corp. *duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causâ prolis procreandæ, & debiti reddendi. Aliàs autem semper est ibi peccatum ad minus veniale.* Unde ad 2. dicit *quòd si aliquis per actum matrimonii intendit vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum ; quia hæc est quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet : sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas, & secundùm hoc est peccatum veniale ; nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.* Et ad 4. *quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum ; tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum. Sicut qui ex Sacramento Baptismi tantùm salutem corporalem quæreret. Et similiter est in proposito de actu matrimoniali.* Et in 4. dist. 31. in expos. litt. cum Hieronymo vituperat *accessum viri ad uxorem impragnatam ; non tamen ita quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabiliter timetur de periculo abortûs.* Hactenùs S. Thomas, qui, quod ait primo loco, intentionem suscipiendæ prolis non debere in prole sistere, sed ad Deum ulteriùs tendere debere, *ita ut proles quæratur ad cultum Dei suscipienda,* &c. ex S. August. desumpsit, qui l. 1. de nuptiis c. 4. sic ait : *nuptiæ habent intentionem generandi regenerandos, ut qui ex eis filii nascuntur, in Dei filios renascantur. Quapropter qui non hâc intentione, hâc voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi... etiamsi tanta sit observantia, ut, secundùm matrimoniales tabulas, nonnisi liberorum procreandorum causâ concumbant, non est in eis vera pudicitia conjugalis.* Et l. 4. contra Julian. c. 1. *hæc est enim, & esse debet piorum conjugum intentio, ut regenerationi generatio præparetur.*

CAPUT XLVI.

Satisfit objectionibus recentiorum Casuistarum, contra allatam SS. Doctorum, præcipuorumque Scholasticorum doctrinam.

OBjicies 1°. si actus conjugalis solùm esset licitus ob filiorum procreationem debitivè redditionem, sequeretur 1°. eum non esse licitum ad vitandam fornicationem. Hoc autem est falsum. Quia ad vitandam fornicationem licitum est inire conjugium, juxta illud Apostoli, *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat,* 1. Cor. 7. Ergo eumdem ob finem licitus est conjugalis actus, secundùm quod Apostolus addit ibidem : *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu, ad tempus, ut vacetis orationi : & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* 412

Sequeretur 2°. non esse licitum decumbere cum uxore gravida, utpote ex qua nec sperari, nec intendi potest filiorum procreatio. 413

Sequeretur 3°. sterilibus & senibus decrepitis illicitum esse actum conjugalem, ob eandem rationem. Hoc autem esse videtur contra Ecclesiæ mentem, quæ dum matrimonio jungit personas steriles, & effœtas, ipsis matrimonii usum concedit. Aliàs matrimonio jungendo eas monere deberet, ne utantur conjugio, saltem debitum petendo. 414

Sequeretur 4°. matrimonii statum esse multis peccatis venialibus obnoxium. 415

Respondeo ad primam sequelam, sanctos Doctores tradere, quòd actus conjugii licitus non sit ad solum finem vitandi in se fornicationem. Ita S. Augustinus de bono conjugii c. 6. 7. & 10. cujus verba habes suprà. S. Gregorius suprà ad interrogationem 10. Augustini. Beda in 1. Cor. 7. S. Thomas in verbis relatis ex dist. 31. q. 2. a. 2. ad 2. Qui etiam in 4. ad Hannibaldum dist. 31. a. 3. ad 3. *dicendum* (inquit) *quod semper in actu matrimoniali aliquod peccatum incidit, nisi hâc intentione fiat conjunctio, ut proles procreetur... vel saltem ut debitum reddatur... vitatio autem fornicationis intenta non excusat à toto : quia aliter potest quis fornicationem vitare, scilicet penitùs abstinendo. Non enim totaliter excusatur, qui facit minus malum, ut evitet majus, si possit utrumque vitare.* Qui autem nullo amore prolis, vel justitiæ conjugalis, facit actum conjugalem, sed solùm ad vitandam in se fornicationem, facit minus malum ad vitandum majus, cum possit utrumque vitare. Quia malum est obsequi concupiscentiæ intra limites matrimonii, ut docet S. Augustinus suprà, & S. Thomas ibidem a. 3. *si quæratur delectatio intra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæratur quàm in conjuge, sic est veniale peccatum.* Hoc autem facit, qui nullo amore prolis, nec justitiæ conjugi reddendæ, facit actum conjugalem ad evitandam in se incontinentiam. Revera enim (juxta Augustinum suprà relatum) obsequitur concupiscentiæ intra limites matrimonii, quamvis ei obsequi nolit extra limites illius. Quia in matrimonio quærit voluptatem, ne eam quærat extra, eamque habet pro fine, licèt simul intendat abstinere à voluptate non matrimoniali. Quemadmodum tentatus ad carnes manducandas die prohibito, si ad hoc evitandum, velit se delectare in esu delica-

torum piscium, ne delectet se in esu carnium, reve à obsequitur concupiscentiæ circa materiam licitam, ne ei obsequatur circa materiam illicitam. Et ideò S. Thomæ concinit S. Bonaventura in 4. dist. 31. a. 2. q. 2. ubi quærit, *an coitus conjugalis causâ fornicationis vitandæ, possit esse sine omni peccato veniali?* Et respondet, *quod qui coit causâ fornicationis vitandæ, aut hoc est in se, aut in altero? Si in altero, ut reddat debitum, hoc est puræ justitiæ...* qui verò coit *causâ fornicationis vitandæ in se, in hoc semper peccat venialiter.* Et hæc opinio (ait Richardus de Media-Villa in 4. dist. 31. a. 3. q. 2.) *est communior.* Et (ut Dominicus Soto ait ibidem q. 1. a. 4.) *gravitate & numero Patrum protegitur.* Denique *communiter tenetur*, ait Angelus de Clavasio verbo *debitum* n. 22.

417 Nec obstant verba illa Apostoli: *Revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Hoc enim Apostolus declarat se dixisse *secundùm indulgentiam*, id est *secundùm veniam.* Quæ verba culpam venialem evidenter denotare, communis est doctrina & interpretatio SS. Patrum, secundum quam Concilia exponi jubent S. Scripturam. Videri potest Tridentinum sess. 4. Enimverò præcipua laxatæ disciplinæ causa est recessus à sanctissima purissimaque doctrina SS. Patrum, uti to. 1. ostendimus, specialiterque ostendi potest ex pluribus laxissimis & licentiosissimis opinionibus nonnullorum Casuistarum, quibus habenas laxant conjugatis circa sordidas voluptates, quas referre pudor est.

418 Neque ex eo quòd licitè, ex motivo vitandæ incontinentiæ, conjugium ineatur, consequens est quòd licitè ex eodem solo motivo posteà actus conjugii exerceatur. Quia (præter dicta cap. 18. num....) qui tali motivo matrimonium init, non necessariò sic dispositus est, ut velit ex eo solo motivo posteà matrimonio uti; sed, si animo planè casto velit matrimonium inire ad vitandam incontinentiam, sic apud se statuit: quia fragilitati meæ timeo à sordibus incontinentiæ, illi me statui dedam, in quo minus sit earum periculum. In illo namque officium conjugis in timore Dei exercendo, amore posteritatis, vel justitiæ conjugalis, adjuvante gratiâ tanti Sacramenti, minùs tentabor à desiderio faciendi extra matrimonium, quod in matrimonio licitè facio.

419 Ad secundam sequelam. Respondeo 1°. eam invidiosè proponi, ad reddendam doctrinam Sanctorum populo odiosam. Hoc enim non semel expertus sum ab adversariis fieri ad suscitandas vociferationes vulgi, sæculi corruptelis assueti, magis quàm in castissima Sanctorum, præcipuorumque Theologorum doctrina versati. Sed propter insanas ejusmodi vociferationes, animaleque judicium vulgi carnalibus dediti, abjicienda non est castissima doctrina Sanctorum. Et ideò

420 Respondeo 2°. esse licitum decumbere cum conjuge gravida, ad justitiam conjugalem ipsi petenti reddendam: *reddere* enim *conjugi* debitum, *ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem*, ut Augustinus suprà dicit.

421 Respondeo 3°. unanimem esse doctrinam Sanctorum, quòd illicitum sit debitum exigere ab uxore gravida, postquam venter ipsius sic intumuit, ut superfœtatio sperari non possit, uti capite præcedenti vidimus. Ita enim Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Hilarus Diaconus, Jonas Aurelianensis, solidè comprobantes, eos qui secùs faciunt, incontinentes, irrationabilesque esse, nec voluptatibus suis modum ponere; imò vix non sequi putidam Mahometi regulam, *uxores vestræ sunt aratura vobis: indite araturam vestram ad libitum.* Propter quod ipsis pœnitentia imponitur in Pœnitentiali Romano tit. 7. c. 9. & 10. Sicut & in Pœnitentiali Bedæ c. 2. & 10. *Non tamen semper hoc est peccatum mortale* (inquit S. Thomas in 4. dist. 31. in expos. text.) *nisi fortè quando probabiliter timetur de periculo abortûs.*

Ad tertiam sequelam. Respondeo, si vera sit 422
Augustini regula, ab aliis etiam communiter SS. Patribus tradita, *concubitus necessarius, causâ generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est.* Enchirid. 78. *complexus carnalis propter solos gignendos filios adhibendus est.* L. 2. de consensu Evang. c. 1. *reddere tamen conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem:* Ex ea conficitur, sterilis, & valdè senes, secundùm Augustini doctrinam, posse quidem reddere, sed exigere non posse debitum. Idque Augustinus ipse declarat, dum 3. contra Julian. 21. dicit, quòd *conjugalis pudicitia nec menstruatis, nec gravidis utitur feminis, nec ejus ætatis, quâ certum est eas jam concipere non valere.*

Verùm (inquiunt adversarii) inde sequeretur, 423
senes non posse licitè inire matrimonium. Verùm (inquam ego) *conjugium non solùm propter filiorum procreationem, sed etiam propter ipsam naturalem in diverso sexu societatem*, bonum esse docet Augustinus de bono conjugali c. 3. eo ergo fine iniri potest à senibus, intendendo castè vivere; vel matrimonio benè uti, reddendo; non exigendo debitum. Et ideò matrimonium ipsis Ecclesia permittit. Dumque permittit, necesse non est ut ipsos moneat de non exigendo debito; sicut dum matrimonio juvenes jungit, necesse non est ut ipsos moneat, ne ob solam voluptatem matrimonio utantur. Frustrà namque id moneret, sciens monitum istud ab ipsis vix, aut ne vix quidem servandum; melius proinde esse in ipsis dissimulare minus malum, quàm de eo cavendo ipsos monere, cum periculo mortiferæ incontinentiæ ipsorum extra matrimonium. Quam etiam ob causam Confessarii, prudentiam Apostoli imitantes (dissimulantis minus malum, &c.) utplurimùm dissimulare debent cum conjugibus, qui sese continere vix aut ne vix quidem possunt, ut debitum frequentiùs exigant, quàm matrimonii finis permittat. Interrogati tamen à conjugibus, an illud licitè exigant ad vitandam in seipsis fornicationem, respondere debent, sanctos Patres id ipsis non permittere. Tametsi enim vitare in seipsis fornicationem medio licito, rationabile sit, tale medium non est matrimonii usus, ob fines, ob quos matrimonium non est institutum, nisi secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.

Ad quartam sequelam. Respondeo id quod 424
assumitur usque adeò verum esse, ut propterea in Evangelio Petrus dicat, quòd *non expedit nubere*, atque id ipsum Augustinus frequenter inculcet in libro de bono conjugali, & in lib. de S. virginitate. Unde 4. Soliloq. 10. dicit, conjugem, qui hac in parte numquam excesserit, magis esse mirabilem, quàm imitabilem. Et cap. 13. citati lib. de bono conjugii, quòd hoc *tam magnum est, ut multi homines faciliùs se totâ vitâ ab omni concubitu abstineant, quàm modum teneant non coeundi, nisi prolis causâ, si matrimonio copulentur.* Nam (inquit) *quem tandem audivimus inter familiaria colloquia, sive eorum qui conjugati sunt, sive qui fuerunt, indicantem nobis, numquam se conjugi esse commixtum, nisi sperando conceptum? Quod ergo præcipiunt conjugatis Apostoli, hoc est nuptiarum; quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed jerunt*, id est tolerant minus malum, ad cavendum majus.

Objicies 2°. matrimonium est ordinatum in re- 425
medium concupiscentiæ. Ergo licitum est uti matrimonio in remedium concupiscentiæ.

Respondeo negando consequentiam. Ob ea quæ 426
dixi

dixi in fine responsionis ad primam & tertiam sequelam objectionis præcedentis. Itaque matrimonium eatenùs ordinatum est in remedium concupiscentiæ, quatenùs per Matrimonii Sacramentum confertur gratia coërcitiva concupiscentiæ, & quatenùs ratione operum licitorum in matrimonio, concupiscentia minor exurgit, ut explicat Augustinus l. 1. de nupt. & concupisc. c. 10. Status quippe matrimonialis licèt concupiscentiæ non permittat fruitionem, seu amorem voluptatis propter se, permittit usum, amore filiorum, justitiæque conjugalis, sicque facit quòd concupiscentia non ita stimulet ad usum fornicarium, adulterinum, contranaturalem, &c.

427 Objicies 3°. dum SS. Patres aiunt usum conjugii, causâ vitandæ in se fornicationis, non esse immunem ab omni peccato, commodè intelliguntur de iis qui intendunt vitare fornicationem satiando suam concupiscentiam, id est exercendo actum conjugalem causâ voluptatis: secus de iis qui actum illum exercent causâ sanandæ concupiscentiæ.

428 Respondeo argumentum illud non esse nisi speciosum, deceptoriumque sophisma. Ut enim non satietur, sed sanetur concupiscentia, usus illius referri debet ad id propter quod à natura. Denique Authore naturæ institutus est; utique ad prolis procreationem, vel justitiæ conjugalis adimpletionem. *Dum enim ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur*, inquit Augustinus suprà. Jam proinde non sanatur, sed satiatur concupiscentia. Tunc enim satiatur, quando conceditur ei id quod postulat. Tunc satiatur, quando ei satisfit & obeditur intra limites matrimonii, ne ei satisfiat & obediatur extra limites matrimonii, ut dictum est in responsione ad sequelam primæ objectionis. Ut ergo sanetur, non satietur concupiscentia, usus illius continueri debet intra fines matrimonialis institutionis. Si enim ultra illos progrediatur, Augustino judice, ei, non rationi, homo obsequitur.

429 Objicies 4°. copula matrimonialis, præter generationem prolis, debitique redditionem, alios fines habet, videlicet, ut vitetur periculum incontinentiæ, &c. juxta illud Gersonis in Compend. Theol. tit. de vitio in fine desumptum ex confess. Bonav. p. 14. c. 2. *concubitus matrimonialis ... licitus est tripliciter, vel scilicet causâ prolis ad honorem Dei & cultum; vel causâ reddendi debiti, dum exigitur; vel causâ fornicationis vitandæ.* Ita Bonæ-spei in sua Noctua Belgica, &c.

430 Respondeo negando antecedens. Quod non benè probatur ex Gersone, utpote integrè non relato. Neque enim Gerson simpliciter dicit, concubitum illum esse licitum *causâ fornicationis vitandæ*; sed (cum Bonaventura suprà relato) sic: *causâ fornicationis vitandæ, non quidem in se, sed in sua conjuge.* Quod ideò adversarius omisit, quia contra sententiam suam esse non ignoravit.

431 Objicies 5°. quando Augustinus dicit, esse peccatum veniale, conjugalem actum exercere, præcisè ad vitandam in se fornicationem, per peccatum veniale, non intellexit peccatum propriè dictum, sed intellexit aliquid de se licitum, ad vitam tamen æternam non ordinatum, sive non beatificum. Ita subtilis quidam Recentior in Noctua Belgica n. 133. id se colligere putans ex illis Augustini verbis 4. contra Julian. 3. *hoc ergo amore* Creatoris *opus est ut bonum beatificum sit, & pudicitia conjugalis.* Aliàs (inquit) cùm Apostolus (postquam 1. Cor. 7. dixit: *propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*) addat, se hoc dixisse secundùm veniam, seu indulgentiam, & Augustinus de bono conjug. c. 10. subjungat, *absurdissimè dici, non peccasse, cui venia datur*, Augustinus vellet Apostolum dedisse veniam ad committendum peccatum veniale propriè dictum.

Respondeo negando antecedens. Quia glossa il- 432
la adeò violenta est, & ab obvio sensu aliena, ut manifesta sit Augustini tortura, à Doctoribus communiter omnibus rejecta, qui Augustinum intelligunt de peccato veniali propriè dicto. Quod Augustinus ipse patenter denotat l. 5. contra Julian. c. 9. *Apostolum audiant fideles Christi, qui sunt connubio colligati, ut ex consensu temperent, quo vacent orationi; & cum in idipsum redeunt propter intemperantiam suam, noverint etiam inde dicere Deo:* dimitte nobis debita nostra: *quod enim secundùm veniam à tanto Doctore dicitur, utique ignoscitur, non jubetur.* Per *debita* namque in Oratione Dominica, haud dubiè intelliguntur peccata propriè dicta, non præcisè opera ad vitam æternam non ordinata.

Neque ideò Apostolus dedit veniam ad propriè 433
peccandum venialiter. Dicendo enim, *hoc dico secundùm indulgentiam* (Græcè habetur, *secundùm ignoscentiam*) absolutè & simpliciter id non permisit, sed comparativè, quasi diceret, melius esse ut *revertendo in idipsum*, ad vitandam periculosiorem tentationem satanæ, venialiter peccent, quàm mortaliter, periculosiori tentationi succumbendo.

Objicies ultimò: quamvis illicitus sit actus con- 434
jugii ob voluptatem immoderatam: secùs ob moderatam. Sic cum pluribus aliis Novioribus idem Author tam in Noctua, quàm disput. 8. de matrim. n. 26. & 27.

Respondeo negando antecedens: tum quia dam- 435
natum ab Innocentio XI. ut vidimus n. 411. Nam dum Innocentius XI. 65. propositiones damnavit, non damnavit propositiones à nullo Catholico Scriptore traditas; sed *partim ex diversis vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas*, ut ipsemet declarat in Proœmio Decreti sui. Nullus verò Scriptor Catholicus, imò ne hæreticus quidem, unquam asseruit, conjugalem actum esse licitum ob voluptatem immoderatam. Tum quia omnes SS. Patres, suprà relati, meritò docent, omnem voluptatem carnalem, propter se amatam & quæsitam, esse immoderatam ex parte finis. Quia scilicet excessus est debitæ moderationis, quando voluptati ceditur ob indebitum finem. Quod fit quando ceditur propter ipsam. Propter quod Augustinus l. 5. contra Julian. c. 5. Juliano solum libidinis excessum culpanti sic respondet: *quid enim te adjuvat, quòd reprehendere videris ejus excessum, cujus approbas motum*, ad alium quàm voluptatis finem non relatum? *Tunc enim excedit limitem, quando ejus motibus ceditur.* Sapiens certè non approbat, nec concubitum propter voluptatem ipsius concupiscit. Imò Eccli. 23. Sapiens orat: *auser à me ventris concupiscentias, & concubitûs concupiscentia non apprehendat me.* Denique immoderatam esse exactionem omnem debiti conjugalis, quæ fit præter causam procreandæ prolis, Augustinus, relatus can. *quidquid* 32. q. 2. expressè docet, vitium esse dicens *in ipsa quoque immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis secundùm veniam concedit Apostolus, ut etiam* PRÆTER CAUSAM PROCREANDI *sibi misceantur*, addens quòd *eos pravi mores ad talem concubitum impelliunt.*

CAPUT XLVII.

Illicitam esse debiti exactionem à conjuge mensiruata, Scripturâ & Patres docent.

TAm redditionem, quàm exactionem debiti, 436
tunc esse peccatum mortale, docent Scotus, Richardus à Media-Villa, Lyranus, Petrus Soto, Estius, & Hesselius in 2. p. Catech. c. 135. Petitionem esse peccatum mortale, sed redditionem

esse veniale docent S. Bonaventura, & Sylvester. Tam petitionem quàm redditionem solùm esse peccatum veniale censent Petrus Paludanus, Cajetanus, Alphonsus à Castro, Victoria, Dominicus Sotus. S. Thomas ubi suprà q. 3. dicit, quòd mulier tunc debet maritum avertere precibus & monitis: *tamen finaliter, si vir non desistit à petitione, debet debitum reddere poscenti.* Nec propterea (inquit) consentire peccato viri censenda est, nisi voluntariè debitum reddat: *quando enim involuntaria est, magis patitur quàm consentiat.* Si tamen innaturalis & quasi continuus sit ejusmodi fluxus, cum S. Thoma in 4. dist. 32. a. 2. quæstiunc. 2. in corp. Authores ferè conveniunt virum tunc posse petere. Quia nimis durum esset perpetuò abstinere.

437 Quidquid de eo sit, Levit. 18. sic habetur: *ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes.* Et c. 20. *qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, interficientur ambo de medio populi sui.* Quod (exceptâ pœnâ mortis) *etiam tempore novi Testamenti* sine dubio custodiendum esse, docet Augustinus l. 3. qq. in Levit. c. 64. Quod Dominus *videtur* (inquit) *etiam per Prophetam Ezechielem significasse, qui* c. 18. *inter illa peccata, quæ non figuratæ, sed manifestæ iniquitatis sunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menstruatam siquis accedat. Et inter justitiæ merita, si non accedat. Quæ in re non natura damnatur, sed concipiendæ proli noxium prohibetur*, ob periculum ne proles tunc concepta, leprâ vel elephantiasi inficiatur, ut S. Hieronymus cap. 45. relatus asserit.

438 Et ideò Clemens Romanus epist. ad Jul. sic monet: *observet unusquisque, ne menstruatæ mulieri misceatur: hoc enim execrabile dicit lex Domini.* Ita etiam Hieronymus ubi suprà, & in Isaïam dicens quòd *tunc viri abstinere debent à mulieribus.* Jonas Aurelianensis l. 2. Institut. Laïc. c. 10. dicens quòd id *SS. Patrum documenta declarant.* Haymo Halberstatensis Episcopus in cap. 64. Isa. S. Thomas in 4. dist. 32. a. 2. quæstiunc. 2. & 3. In Pœnitentiali Bedæ c. 2. de formic. 30. dierum pœnitentiâ mulctatur, qui ad uxorem tempore menstrui fluxûs accesserit.

CAPUT XLVIII.

Exorbitantes opiniones, in quas prolapsi sunt, qui à doctrina Sanctorum cap. 45. & 46. relata recesserunt.

439 TAles quippe omninò videntur (hac ipsa in materai) opiniones sequentes, à SS. Patrum doctrina profectò alienissimæ.

440 Prima: uxor, statim post copulam se invertens, ut semen emittat, ne concipiat, peccatum lethale non admittit, si aliqua causa rationabilis excuset, v. g. periculum mortis in partu, aut labor magnus, & magnum detrimentum in illo retinendo. Fagundez apud Dianam p. 10. tr. 14. resol. 55.

441 Secunda: non peccat mortaliter conjugatus, absente uxore à domo, seipsum libidinosè tangens, absque periculo pollutionis. Palao apud Gobat tr. 10. de matrim. n. 660.

442 Tertia: licitum est inchoare copulam cum uxore, & posteà, ob morbi periculum, de consensu ipsius se retrahere, quamvis ex hoc aliquando sequatur pollutio. Diana p. 10. tr. 6. res. 37.

443 Quarta: quando copula ob circumstantiam extrinsecam interdicitur conjugibus, v. g. propter notabile periculum sanitatis, vel abortûs, vel propter Ecclesiæ prohibitionem, ob iniquè contractam cum altero conjuge affinitatem, delectationes morosæ & tactus impudici, secluso periculo pollutionis, non sunt ipsis mortaliter mali. Gobat ibidem n. 663. etiamsi inde exurgant motus carnis, & distillationes prævisæ. Idem n. 665.

Quinta: non peccant conjuges in signum amoris conjugalis se amplectentes, quamvis prævideant secuturam inde pollutionem. Diana loco citato. 444

Sexta: oscula, tactus, amplexus non impudici, in signum consuetum benevolentiæ, liciti sunt sponsis de futuro, licèt adsit periculum pollutionis. Gobat n. 671. 445

Septima: postquam vir seminavit, & se retraxit, uxore, quæ nondum seminavit, manente valdè irritatâ libidine, potest ipsa, absque mortali, tactibus se excitando seminare. Sanchez apud P. Mendo in statera differt. 5. q. 18. 446

Octava: inchoatio copulæ in vase præpostero, intentione majoris delectationis, excitationisque ad eam perficiendam in vase debito, non est mortale peccatum, secluso periculo pollutionis. Leonardus Ovandus & alii apud Mendo ibidem q. 14. 447

Pluribus aliis ejusmodi opinionum monstris proferendis superfedeo: pudor profectò fuit istas proferre. Sed pudor earum Authoribus major esse debuit, eas tradere. Quod non fecissent, si à sanctissima Sanctorum Theologia non recessissent, & præ oculis habuissent, matrimonium esse Sacramentum, cujus sanctitas, nec ex toto, nec ex parte excusare potest opiniones à Christiana pudicitia & sanctitate usque adeò exorbitantes, Apostolo 1. Thessal. 4. contestante: *hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra... ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore; non in passione desiderii, sicut & Gentes quæ ignorant Deum... Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* A voluntate illa Dei, sanctitateque Christianissimi, & Sacramenti Matrimonii, nemo non videt opiniones illas excessivè nimis deviare. 448

CAPUT XLIX.

Peccata conjugatorum recensentur.

SAnctus Antoninus 3. p. tit. 1. c. 20. novem enumerat casus, quibus conjuges in actu conjugali mortaliter peccant. 449

Primus casus est propter intentionem effrænatæ libidinis, quando utique intentio fertur extra limites matrimonii, ita ut concubitus fieret cum quacumque alia, si sibi occurreret, vel cum eadem, tametsi non foret uxor. Quomodò etiam mortaliter peccat, qui uxorem cognoscens, ad aliam intendit, quam carnaliter diligit. 450

Secundus casus est propter locum in quo fit, ut si citra grandem necessitatem fiat in loco sacro, vel tam patente, ut alii inde graviter scandalizentur. 451

Tertius casus est propter modum contra naturam, estque semper mortale, si non servetur vas debitum, vel si servato debito vase semen voluntariè fundatur extra, prout fecit Onan filius Judæ. Si autem servato debito vase vir absque necessitate accedat à tergo more bestiarum, ob solam voluptatem, Paludanus dicit esse mortale. Sed S. Antoninus cum S. Thoma in 4. dist. 32. in fine dicit communiter solùm esse veniale. Neque enim per hoc impeditur generatio prolis, tametsi modum illum, tamquam bestialem, Confessarius durè debeat increpare. Similiter quando vir succumbit, & femina supergreditur, peccatum esse mortale censent Paludanus & Henricus Gandavensis. Sed (absente periculo fundendi semen extra vas) communis opinio est quòd solùm sit grave in linea peccati venialis. Modum tamen illum, utpote non conjugalem, & ne à bestiis quidem practicatum, denique valdè dedecentem, & animum valdè libidinosum demonstrantem, Confessarius debet graviter objurgare, 452

uxoresque monere, quòd tali modo non debeant, nec possint reddere.

453 Quartus casus est propter probabile periculum abortûs, ubi per experientiam innotescit, exemploque non uno vir didicit, uxorem abortui subjectam esse, si tali vel tali situ, vel frequentiori copulâ ad eam accedatur. Quo casu non dubium est, accessum talem ex illa circumstantia reddi mortiferum, maximè dum periculum est, ne proles edatur mortua, absque possibilitate conferendi ipsi baptismum. Tunc namque ejusmodi accessum aliqui perperàm excusant hâc ratione, quòd melius sit proli sine vita & baptismo nasci, quàm omninò non esse: cùm ratio ista parum sit christiana; imò contraria Oraculo Christi: *melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Suam proinde incontinentiam, nimiamque lubricitatem coërceant viri illi, eluantque convenienti pœnitentiâ. Deinde aliquamdiù abstinentes ab usu conjugii, Deum interim eleëmosynis, sacrificiis, jejuniis, magnis & ferventibus precibus, aliisque operibus bonis deprecentur, pro suscipienda prole, quæ perveniendo ad baptismum, Deum laudet in æternum. Quo facto, cum Dei timore, castitate, speque divinæ misericordiæ poterunt convenire.

454 Quintus casus est propter tempus menstrui ordinarii. De quo satis dictum cap. 48.

455 Sextus casus est propter periculum pollutionis, dum scilicet copulam præveniunt tactus adeò impudici, ut ante copulam pollutio sequatur, vel periculum sit ne sequatur. S. Antoninus idem docet pro casu quo conjuges diù insistunt sordidis illis tactibus, intendendo sistere in illis, non autem venire ad copulam conjugalem. Quia diuturni illi tactus, per se loquendo, nati sunt adferre periculum pollutionis.

456 Septimus est propter negationem debiti. Ad quod reddendum conjuges sub mortali tenentur, sive formaliter & expressè, sive virtualiter & implicitè petatur, nisi causa aliqua rationabilis hîc & nunc excuset, ut si reddi nequeat absque notabili incommodo, vel periculo gravis morbi. Non excusat tamen titulus devotionis seu intentæ Communionis, si compars ita absolutè exigat, ut periculum sit incontinentiæ ipsius. Peccat tamen (secundùm Estium) mortaliter; secundùm D. Thomam venialiter, sed graviter in linea peccati venialis, qui tam frequenter & assiduè petit, ut impediat tempora orationi & reverentiæ erga S. Communionem debita. Quia *actus matrimonialis rationem deprimit propter carnalem delectationem*, ideòque *hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideò in diebus, in quibus præcipuè spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum*, ait S. Thomas in 4. dist. 32. q. 1. a. 5. quæst. 1. Non esse tamen mortale, docet quæstiunculâ 2. Videri possunt plures hac de re canones 33. q. 4. quos inter canon *sciatis* sic habet: *Si panes propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas tetigerant, comedi; quantò magis panis ille, qui de cælo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulò antè hæsere complexibus, violari atque contingi. Non quòd nuptias condemnemus; sed quòd eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Denique (post multos SS. Patres) S. Carolus Borromæus in Instructionibus conjugatos monet, *ut in magnis anni solemnitatibus, diebusque Dominicis, ex Nicolai I. Rescripto, diebus jejuniorum, & certo tempore orationi assignato, & quibus diebus Eucharistiam sumpturi sunt, sumpserintve, à copulatione actuque matrimonii, quantùm possunt, de communi consensu abstineant.* Ita ille, conformiter Apostolo 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu, ad tempus, ut vacetis orationi.* Quod si conjuges observarent, fieret *ut ipsâ matrimonii bona majori in dies divinæ gratiæ cumulo augeri sentirent*, uti Catechismus Romanus docet p. 2. de Matrim. Sacram. n. 38.

Non excusat etiam ab obligatione reddendi debitum prætextus paupertatis, seu impotentiæ alendi tot proles. Hoc enim titulo debitum negare, est diffidentia quædam de divina providentia, quâ Deus dans benedictionem uteri, dat etiam frequenter benedictionem temporalis boni, sive faciendo ut tot inter liberos nascatur unus qui familiam promoveat, sive aliter. 457

Octavus casus est propter impedimentum exigendi debitum, ratione voti, vel contractæ affinitatis. Ita Doctores communiter. 458

Nonus, propter notabile nocumentum, quod per immoderatum veneris usum, aut suæ, aut conjugis sanitati compars infert.

Ultimum casum D. Antoninus (cum S. Thoma) esse dicit propter adulterium manifestum compartis. In quo si perseveret, pars innocens tenetur (inquit) ab eo se quoad thorum separare, ne censeatur particeps adulterii ipsius, scandalum non cavendo, debitamque correctionem omittendo, cap. *si vir sciens* de adulterio. 459

CAPUT L.

Fide certum est, multas ob causas, divortium, seu separationem inter conjuges, quoad thorum & cohabitationem, Ecclesia judicio fieri posse.

460 Sic enim Tridentinum definit sess. 24. can. 8. post Alexandrum III. & Innocentium III. tit. de divortiis.

461 *Prima causa* est adulterium, juxta illud Matth. 5. *omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari.* Uxorem tamen adulteram vir dimittere non potest, si & ipse reus foret adulterii, cap. *significasti*, & cap. *ex literis* de divortiis. Nec vir uxorem dimittere potest, quæ ipsum mortuum probabiliter credens, ob longam ipsius absentiam, alteri nupsit, si certior facta de vita prioris mariti, relicto secundo, ad eum statim reverti voluit. Nec in casu, quo uxor fraudulenter cognita est ab aliquo sub mariti specie lectum subintrante. Nec si vi fuerit oppressa. Nec si eam post adulterium commissum receperit & cognoverit. Ita Doctores passim ex variis canonibus colligunt, addentes 1°. quòd uxorem adulteram pœnitentem & emendatam vir recipere possit, christianæque benignitatis sit ut recipiat, licèt ad id non teneatur. 2°. quòd proprio judicio uxorem adulteram in foro externo dimittere non possit (licèt possit in foro conscientiæ, utendo facultate sibi datâ in Evangelio) sed Judicis dumtaxat Ecclesiastici. 3°. quòd par quoad hoc jus sit viri & uxoris. 4°. quòd uxor à viro dimissa, ad eum redire teneatur, si revocata fuerit. 5°. quòd vir cogi non possit ad recipiendam uxorem adulteram, quamvis post sententiam divortii, ipsemet adulterium commiserit. 6°. denique quòd vir, occulti adulterii reus, divortium ab uxore publicè adultera sine peccato petere nequeat; imò Judicis sententiâ dimissam, recipere, maritalique affectu tractare teneatur, uti docent S. Thomas in 4. dist. 35. q. 1. a. 6. ad 5. Et S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 21. §. 6.

462 *Secunda causa* est lapsus alterius conjugum in hæresim vel apostasiam, cap. *de illa*, & cap. *quanto* de divort. Justam etiam divortii causam esse, quando conjugum alter, alterum instigat ad mortale peccatum, nec monitus desistit, docet S. Antoninus p. 3. tit. 1. c. 21. §. 7. Ob conjugis tamen crimina, ex quibus alteri nullum imminet perico-

lum, animæ vel corporis, divortium fieri non debet, cap. *quæsivit* de divort.

463 *Tertia causa* est sævitia conjugis tanta, vel furor, quòd compars ei cohabitare nequeat absque periculo vitæ, cap. *litteras* de restit. spoliat. Quod aliqui extendunt ad casum, quo alteri cohabitare nequeat absque periculo cujuscumque mali, cujus metus cadit in constantem virum. Gobat tr. 10. n. 716. & 717. post Sanchez l. 10. de matrim. disp. 18. exemplificantes in mutilatione, effossione oculi, verberatione tam gravi, ut notabiliter excedat modum verberandi, viro in uxorem delinquentem jure permissum. Sed hic laxandæ non sunt habenæ, comparandaque gravitas mali quod jure timetur, cum gravitate mali quod est in divortio, ne absque gravissima causa conjux à conjuge separetur.

Quæcumque hîc scripsi, S. Matris Ecclesiæ judicio humiliter submitto, & pro non scripto haberi volo, siquid ei displicuerit.

LAUDETUR JESUS, LAUDETUR VIRGO MARIA:
OMNIBUS IN NOBIS REGNENT PER SÆCULA CUNCTA.

FINIS.



INDEX ALPHABETICUS

Rerum præcipuarum, quæ in tribus hisce Tomis continentur.

A.

ABORTUS.

Abortus, quando voluntarius. To. 1. pag. 276. n. 61. 66. & 86.

Jure damnata est propositio ista: *licet procurare abortum, ante animationem fœtus, ne puella, deprehensa gravida, occidatur, aut infametur.* Infanticidas namque esse, quæ pharmacis, seu aliter, fœtum, etiam necdum animatum, excutiunt, vel ex concubitu conceptionem impediunt, docent Tertullianus Apolog. c. 9. Basilius epist. 1. Can. ad Amphiloch. can. 2. Pœnitentiale vet. Rom. tit. 1. c. 28.

ABSOLUTIO.

Absolutionis verba ista, *à peccatis tuis*, licitè omitti non possunt, licèt fortè de essentia non sint. To. 3. pag. 598. n. 2626. & 2627.

Absolutionis forma indicativa servanda est in Ecclesia Latina, tametsi irrita non videatur deprecativa, olim usurpata. Ibid. n. 2628. & seqq.

Absolutio illicitè & invalidè datur absenti. To. 3. pag. 563. n. 2392. & seqq.

Absolutio sub conditione de futuro, invalida est sub conditione de præsenti, si is contritus, &c. illicita. To. 3. pag. 601. n. 2654.

Absolutio à censuris præcedere debet absolutionem à peccatis. Ibid. n. 2659.

Absolutio neganda omnibus, quorum nulla vel ficta est conversio. Ibid. n. 2661.

Absolutio (extra necessitatis articulum) differenda est omnibus, quorum dubia est & incerta contritio; nec sufficit contritionis probabilitas, si in contrarium sit æqualis vel major probabilitas. To. 3. pag. 603. n. 2671. & seqq.

Sub conditione, in mortis articulo, danda est fidelibus, post vitam Christianam rationis usu subitò destitutis, licèt eam non petierint. To. 3. pag. 566. n. 2404. & seqq.

Absque conditione danda est moribundis, qui absente Confessario eam petierunt, licèt in ejus præsentia nullum istius petitionis signum edere valeant. Ibid. n. 2400.

Nullius momenti est absolutio data ei, in quem Sacerdos nec ordinariam, nec delegatam habet jurisdictionem. To. 3. pag. 605. n. 2687.

Variis casibus absolutio differri potest, licèt pœnitens existimetur sufficienter contritus. Pag. 393.

ACEDIA.

Acedia est peccatum ex genere suo mortale. To. 1. pag. 612. n. 232.

Filiæ acediæ sex. Ibid. n. 234.

ADORATIO.

Adoratio. To. 2. pag. v. n. 32. 33. 34.

ADULTERIUM.

Adulterium, ejusque gravitas magna. To. 2. pag. excij. n. 131. & seqq.

Quadruplicem continet inordinationem. P. excv. n. 136.

Obligatio adulterorum ad restitutionem damnorum ex adulterio filiis legitimis & conjugi innocenti illatorum. To. 2. pag. 526. n. 1279. & seqq.

AMBITIO.

Ambitio. To. 1. pag. 581. n. 23. Est peccatum mortale. Ibid. n. 24.

Graviter peccant, qui sine divina vocatione, solius honoris, vel commodi temporalis intuitu, Beneficia Ecclesiastica quærunt, vel pro se petunt Beneficium quodcumque, annexam habens curam animarum. Ibid. pag. 589. n. 84. & seqq.

AMOR.

Amoris natura, objectum, motivum & finis. To. 1. pag. 230. n. 2. & seq.

Amoris divisio. Ibid. pag. 234. n. 19.

Discrimen inter amorem benevolentiæ & concupiscentiæ. Pag. 235. n. 24.

Amoris bonitas petitur ex ordine amoris. Pag. 237. n. 34. & seqq.

Adæquata divisio amoris 1. in manforium & transitorium, 2. in amorem Creatoris & creaturæ, 3 in charitatem & cupiditatem latè acceptas. Pag. 211. n. 18. & seqq.

Primum Christiani hominis officium est amorem suum rectè ordinare. Pag. 210. n. 12.

Est contra rectum amoris ordinem, majus bonum amare propter minus bonum, tamquam amoris finem, etiam negativè ultimum, v. g. Deum propter creaturam. Pag. 245. n. 97. & seqq.

Nulla creatura ordinatè amari potest finaliter propter se. Pag. 279. n. 1. & seqq. Neipsa quidem creata virtutum honestas. Pag. 285. n. 35. & seqq. Multò minùs res temporales. Pag. 288. n. 49 & seqq. Et adhuc multò minùs carnales voluptates cibi, potûs, carnalis concubitûs, &c. Pag. 295. n. 76.

Omnis amor, & omnis actus deliberatus creaturæ rationalis, in Deum propter se dilectum finaliter est referendus. Pag. 297. n. 1. & seqq. Necessaria tamen non est relatio actualis, sufficit virtualis. Pag. 335. n. 301. & seqq.

Nec ista relatio, seu amor Dei propter se, in hoc statu naturæ corruptæ, ab homine est per naturam, sed à Deo per gratiam. Pag. 364. n. 66. & seqq.

Omnis proinde actus deliberatus hominis viatoris, cum debitis omnibus circumstantiis factus, meritorius est, saltem de congruo, utpote ex gratia actuali procedens. Ibidem. Et pag. 338. n. 325. & seqq.

Varii gradus amoris Dei propter se. Pag. 277. n. 176.

Non omnis amor Dei propter se, etiam super omnia, est charitas perfecta. To. 3. pag. 532. n. 2106. & seqq.

Inchoatus, seu imperfectus amor Dei super omnia, adultis necessarius est ad justificationem in Sacramento Baptismi. To. 3. pag. 59. n. 188. Similiter necessarius est ad justificationem in Sacramento Pœnit. Pag. 419. & seqq. usque ad 532.

APPROBATIO.

Approbatio Episcopi Sacerdotibus, Parochiale Beneficium non habentibus, ad confessiones sæcularium validè audiendas, & ad absolvendum necessaria est, extra mortis articulum, non in mortis articulo. To. 3. pag. 606. n. 2698. Et pag. 607. n. 2707.

Unius Episcopi approbatio non sufficit ad audiendas ubique confessiones. Ibid. pag. 608. n. 2712.

Nec sufficit approbatio Episcopi pœnitentis; sed necessaria est approbatio Episcopi loci, ubi auditur confessio. Ibid. n. 2717.

Necessaria est approbatio obtenta; non sufficit petita, & injustè negata. Ibid. n. 2718.

Approbatus ad tempus, eo elapso invalidè excipit confessiones. Ibid. n. 2719.

Similiter approbatus ad revocationem, eâ (etiam injustè) factâ. Idque etiam verum est in Regularibus. Pag. 609. n. 2720.

Ad audiendas Regularium confessiones, approbatio Episcopi non requiritur. Pag. 608. n. 2709.

Nec ad audiendas in Monasteriis à Regularibus confessiones sæcularium, qui ibi verè sunt de familia. Pag. 609. n. 2723.

ATTRITIO.

Attritio purè formidolosa, sive ex solo gehennæ metu, non sufficit ad gratiam in Sacramento recipiendam; sed ad id necessaria est attritio amorosa. To. 3. à pag. 420. ad 531.

Practicè probabile non est, solum formidolosè attritum, cognitum ut talem, licitè absolvi posse. Ibid. n. 1391. & seqq.

Amorosæ attritionis à perfecta contritione discrimen. Pag. 545. n. 2187. & seqq.

Amorosa attritio, cum voto Sacramenti, absque actuali illius susceptione, in articulo mortis justificat, dum susceptionem illam excludit impossibilitas, non voluntas. Pag. 547. à num. 2205.

AVARITIA.

Avaritia quàm probrosa sit Christianis, maximè Sacerdotibus & Ecclesiasticis. To. 1. pag. 591. à num. 100. ad 112.

Filiæ avaritiæ. Pag. 594. n. 112.

B.

BAJUS.

BAjus non docuit omnes propositiones in Bulla Pii V. expressas, nec eas omnes ipsi Pius V. seu alius Pontifex attribuit. To. 1. pag. 121. n. 40.

Non docuit charitatem perfectam in Catechumenis & pœnitentibus esse posse ante remissionem peccatorum. Ibidem pag. 135. n. 125. ubi id expressè declarat.

Non omnes propositiones, vulgò Bajanæ, damnatæ sunt in sensu ipsius, nec eas omnes Pius V. damnavit in sensu ab ipso, seu ab Assertore, sed in sensu *ab Assertoribus inventa*. Ibidem.

Sensus damnatus propositionum illarum, non semper petendus est ex libro seu libris ipsius, sed ex propositionibus ipsis, prout in Bulla Pii V. exhibentur, vel secundùm se spectatis, si sic reddant sensum pravum, vel in Ecclesia peregrinum; vel ad invicem collatis, si sic, non aliter, sensum reddant pravum, &c. Pag. 124. n. 56.

Bajus non fuit hæreticus: quia non erravit pertinaciter, nec malitiosè. Pag. 121. n. 44.

BAPTISMUS.

Baptismus fuit immediatè institutus à Christo, cùm à Joanne in Jordane baptizatus fuit. To. 3. pag. 40. n. 7.

Baptismi materia remota est aqua naturalis; proxima ablutio; forma, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*. Ibid. pag. 41. n. 15. Pag. 43. n. 46. Pag. 44. n. 60.

Regulariter quidem expectanda est pueri nativitas ex utero, ut baptizari licitè possit. Si tamen moriturus credatur in utero, & aqua ad ipsum infantem (adhuc in utero existentem) verè immitti queat, licitus & validus erit talis baptismus; utpote baptismus infantis nati in utero. Neque enim Scriptura exigit nativitatem extra uterum, ut renasci queat. Pag. 44. n. 53. & 54.

Ad baptismi valorem exprimenda est Personarum Trinitas, sub propriis & distinctis nominibus; divinæque naturæ unitas. Pag. 47. n. 77. & seqq.

Nunquam valuit baptismus sub expresso solius Christi nomine. Pag. 45. n. 65.

Nec sub hac forma collatus, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, prætermissis istis, *ego te baptizo*. Pag. 46. n. 74.

Solus Episcopus & Sacerdos est baptismi Minister ordinarius. Pag. 48. n. 95. Ubi tamen Sacerdos est absens, & necessitas exigit, potest Diaconus jure suo baptizare. Pag. 49. n. 96. Potest etiam Laïcus, etiam infidelis, etiam non baptizatus, etiam femina, dum necessitas exigit, baptizare. Ibid. n. 97. & 102.

Parvuli infidelium, ratione utentes, invitis parentibus, licitè baptizantur, si baptismum petant. Pag. 51. n. 121. Similiter infantes infidelium baptizatorum. n. 123. Sicut & infantes infidelium non baptizatorum in periculo mortis. n. 124.

Probabile quoque est licitum esse, infantes infidelium non baptizatorum, nec Christianis Principibus civiliter subjectorum, à parentibus non abstractos, ipsis insciis, tam cautè baptizare, ut id rescire non possint. Pag. 54. n. 144.

Infantes omnes, etiam fidelium, piorumque parentum, absque baptismo fluminis & sanguinis morientes, damnantur ad ignem æternum, licèt cæteris mitiùs. Pag. 57. n. 174. & seqq.

Aliena est à mente SS. Patrum opinio, dicens, aliquos ex ipsis salvari in fide & voto parentum. Ibid. n. 169.

Mater gravida, in desperatione partûs naturalis, pati tenetur sectionem Cæsaream, ut proles, quam utero gestat, baptizetur, alias sine baptismo moritura, dum ei ad manum sunt Medici & Chirurgi tam benè versati, ut adsit quidem periculum aliquod vitæ matris, sed non sine spe probabili incolumitatis ipsius. To. 2. pag. 251. n. 139. & seqq.

BENEFICIUM.

Beneficii Ecclesiastici descriptio & divisio. To. 2. Pag. lxxxix. n. 545.

Præparatio & dispositio requisita ad Tonsuram Clericalem. Ibid. pag. xc. n. 552. Conditiones necessariæ in recipiente Beneficium. Ibid. pag. xcj. n. 558.

Gravitas peccati conferentium Beneficia indignis, vel minùs dignis. Pag. xcij. n. 564.

Obligationes Beneficiatorum. Pag. 515. n. 1203. 1210. Et pag. xiv. n. 79.

BELLUM.

Requisita ad ejus justitiam. To. 2. pag. 301. Peccata, quæ utplurimùm committuntur in bello. Pag. 303. n. 434. & seqq.

BONA.

Bona derelicta fiunt primò occupantis. To. 2. pag. 365. n. 92. Non sic bona inventa, quorum dominus, post inquisitionem, ignoratur. Sunt enim eroganda pauperibus, vel in pias causas. Ibid. n. 97.

Bona superflua divitum in eleëmosynas sunt applicanda. Pag. 264. & 265. n. 226. 232. & seqq.

C.

CAMBIUM.

CAmbium. Tituli justificantes lucrum ex cambio. To. 2. pag. 476. n. 943.

Usurarium est lucrum ex cambio, præcisè sumptum in expectatione solutionis. Pag. 478. n. 951.

Sicut & lucrum ex cambio cum recambio. Ibid. n. 953. & seqq.

CAPUCINI.

Capucinorum Procurator & Commissarius Generalis ex mandato Innocentii XI. Ministris omnibus Provincialibus injunxit, ut Confessarios sibi subditos monerent, quatenus eos pœnitentes beneficio absolutionis privarent, quos ex factis viderint non esse sufficienter dispositos, præsertim mulieres, ornatu immoderato, vel immodestò corporis utentes, si ab istis vanitatibus, & excessibus immodestis nolint abstinere. Epistolam ipsius exhibet Iveninus de Sacramentis pag. 748. Innocentii XI. ea de re mens videri etiam potest to. 3. pag. 333. n. 867.

CALVINUS.

Impia ejus, & Calvinistarum, Lutheranorumque dogmata refelluntur. To. 1. pag. 529. To. 2. pag. 143. 144. 157. 158. 159. 160. 161. 162. & seqq. 174. 176. xxxviij. xxxix. xlj. To. 3. pag. 2. 92. & seqq. Item pag. 120. 180. 183. 376. 631. &c.

CANONES POENITENTIALES.

Canones Pœnitentiales nonnulli abrogati sunt quoad exteriorem disciplinam, sed nulli quoad spiritum. Et ideò Canones illi à Confessariis discendi sunt, tamesi eorum rigor juxta statum & vires pœnitentis sic temperandus, non in totum negligendus. To. 3. pag. 247. 248.

CASTITAS.

Castitatis obligatio & excellentia. To. 2. pag. 334.

Encomia & prærogativæ castitatis virginalis. Pag. 357.

CASUS RESERVATI.

Casus reservati, nulli sunt in articulo mortis. To. 3. pag. 606. n. 2699.

A casibus sibi ab Episcopo reservatis Confessarii Ordinum Mendicantium absolvere non possunt, nisi ad id specialem ab ipso licentiam acceperint. Pag. 611. Etiamsi privilegium habeant absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis. Pag. 612.

Peccatum habens reservatum, extra mortis articulum, absolvi non potest à Confessario non habente potestatem in reservata, ne indirectè quidem. Pag. 613. n. 2749. Ideòque se gerere debet, ac si Confessarii copiam non haberet, si superiorem, vel ad reservata delegatum adire non possit. Num. 2750.

CHARITAS.

Charitatis actus omnibus ratione utentibus necessitate medii necessarius est ad salutem. To. 2. pag. 228. n. 33. Necnon necessitate præcepti. Pag. 229. n. 18.

Exorbitantes opiniones de tempore, quo obligat præceptum eliciendi charitatis actum. Pag. 230. n. 23.

Præceptum istud sub mortali obligat ad non differendum diù charitatis actum, adepto pleno rationis usu. Pag. 232. n. 35. Necnon in fine vitæ. Pag. 234. n. 44. Intermedio tempore actus amoris Dei super omnia sine mortali omitti non potest tempore notabili, sed adeò frequenter eliciendus, ut morali quodam modo Deus super omnia semper actu, vel virtute diligi censeatur. Ibid. n. 45.

Hæreticum est, dicere, quòd habens amorem Dei purissimum, sollicitus esse non debeat de observantia mandatorum.

rum. Pag. 240. n. 79.
Deus super omnia diligendus est non solùm appretiativè, sed & intensivè, in parte rationali. Pag. 241. n. 86.
Etiam proximus charitate formali & internâ est diligendus. Pag. 245. n. 102.
In charitate Dei & proximi servandus est ordo. Et alius quidem ordo amoris appretiativi, alius ordo amoris benefactivi. Pag. 247. 248. & seqq.
In extrema necessitate unusquisque tenetur vitam propriam exponere pro æterna proximi salute. Pag. 250. n. 131.
Inimici etiam charitate sunt diligendi, & quomodò. Pag. 253. n. 150. & seqq.
Exteriora dilectionis signa inimico veniam petenti privatus quisque exhibere tenetur, etiam statim post acceptam injuriam. Pag. 257. n. 179.

CIRCUMSTANTIÆ.

Circumstantiæ actuum humanorum septem. To. 1. pag. 226. n. 4.
Actus ex objecto, seu ex specie & officio bonus, factus ob finem malum, est malus: secùs, si fiat ob specificam bonitatem suam, licèt cum defectu relationis in Deum: licèt tunc agens peccet. Ibid. n. 11.
Circumstantiæ mutantes, & non mutantes speciem. Pag. 229. n. 33.

CHOREÆ.

Chorearum & saltationum frequentatio quàm periculosa sit. To. 2. pag. clxxxv. n. 72.

COMMUNIO.

Communio adultis necessaria est necessitate præcepti divini, si sufficienti ad hoc ratione utantur. To. 3. pag. 176. n. 737.
Divinum istud præceptum obligat, non solùm in articulo mortis, sed & toties in vita, ut diù non differatur. Ibid. n. 742. ut scilicet non differatur ultra annum. Ibid. n. 743. Sic enim divinum præceptum Ecclesia determinavit. Nec divino, nec Ecclesiastico Communionis præcepto satisfit per Communionem sacrilegam. Pag. 178. n. 748.
Ecclesiasticum Communionis præceptum implendum est in Ecclesia Parochiali, nisi Episcopus, vel Parochus permittat alibi impleri. Ibid. n. 753. & 754.
Peregrini tamen, & forenses, ad propriam Parochiam, in Paschate, accedere non valentes, extra eam isti præcepto satisfacere possunt, etiam apud Mendicantes. P. 179. n. 756.
Ille qui prævidet futurum, ut communicare non possit in Paschate, tenetur prævenire, nisi probabiliter credat sibi non defuturam occasionem communicandi eo anno post Pascha. Ibid. n. 759.
Communio negari non potest peccatori occulto, publice petenti; licèt neganda sit peccatori publico, sive publicè, sive occultè petenti. Pag. 182. n. 788.
Ad fructuosam communionem, ultrà statum gratiæ, requiritur in adultis devotio actualis, vel virtualis; sine ea proinde communicans, nullum gratiæ augmentum recipit. Pag. 129. n. 412. & seqq.
Dispositiones ad frequentem Communionem à Sanctis requisitæ. Pag. 134. & seqq.
De Confessione Communioni præmittenda, deque naturali jejunio. Pag. 168. & 173.
Communio permittenda non est Laïcis, nec Sacerdotibus, etiam confessis, ipso die commissæ fornicationis, etiam in die festo, quo populus aliàs sacrum non esset auditurus. Pag. 154. ad 164. inclusivè. Nec permittenda ipso die voluntariæ pollutionis. Pag. 165. Nec consulenda conjugatis ipso die copulæ habitæ causâ voluptatis. Pag. 167.

CONFESSIO.

Confessio mortalium debet esse formaliter, non materialiter integra. Pag. 555. n. 2298.
Confitendæ sunt circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eamdem speciem. Pag. 557. n. 2313.
Etiam peccata dubia confitenda sunt ut dubia. Pag. 559. n. 2330.
Et ista, si postmodùm occurrant ut certa, confitenda sunt ut certa. Pag. 561. n. 2346.
Causæ excusantes ab integritate confessionis. Ibid. n. 2353.
Datur Confessio valida & informis; non Sacramentum validum & informe. Pag. 562. n. 2358. & seqq.
Paradoxa circa hoc Neoterici cujusdam opinio confutatur. Pag. 563. n. 2365. & seqq.
Confessionis invalidæ casus enarrantur. Pag. 564. n. 2374. & seqq.
Confessio inter absentes per epistolam fieri non potest.

CONFESSARIUS.

Valde periculosum est, juxta doctrinam Sanctorum, absque signis vocationis divinæ, Confessionibus audiendis se ingerere. Pag. 614. n. 2760.
Confessarii dotes, seu qualitates in eo requisitæ. Ibid. n. 2768.
Confessarium oportet prudentem esse 1. in opinionum delectu. 2. in consiliorum salutarium suggestione. 3. in remediorum convenientium applicatione. 4. in pœnitentiarum injunctione. 5. in pœnitentium examine. 6. in errantium instructione. 7. in discernendo qui digni sint vel non sint absolutione. Pag. 617. n. 2786. & seqq.
Confessarius instruere & monere debet pœnitentem, ex errore seu ignorantia in statu materialiter malo bonâ, ut aiunt, fide existentem; nec ipsum absolvere, si rationabiliter judicet ipsum ab eo statu non recessurum, si moneatur. Pag. 608. n. 2798.
Confessarius quomodò se gerere debeat 1. erga recidivos & consuetudinarios. Pag. 620. n. 2812. & seqq.
2. erga hæreticos ad Ecclesiam redeuntes. Ibid. n. 2809.
3. erga rudes, fidei mysteria ignorantes. Ibid. n. 2805.
4. erga pueros sibi confitentes. Pag. 619. n. 2803.
5. erga perjuros & blasphemos. Pag. 623. n. 2833.
6. erga deditos voluptatibus obscœnis. Pag. 624. n. 2840.
7. erga tepidos, suæque perfectionis incurios. Pag. 625. n. 2845.
8. erga scrupulosos. To. 1. pag. 733.
9. quomodò discernere debeat occasiones à relapsis sub mortali vitandas. To. 3. pag. 621. n. 2614. & seqq.
10. quanta cum cautela abstinere debeat à narratione auditorum in Confessione. Pag. 626. n. 2854.
Boni Confessarii pauciores quàm multi putant. To. 3. pag. 313. n. 745. & seqq.

CONFIRMATIO.

Confirmatio est verum novæ legis Sacramentum. To. 3. pag. 69. n. 4.
Oleum est de necessitate illius. An etiam balsamum? Non est ita certum. Pag. 70.
Chrisma necessariò esse debet ab Episcopo benedictum. An necessitate Sacramenti? Nec hoc est usquequaque certum. Pag. 71.
Unctio chrismatis necessariò, necessitate Sacramenti, ad modum crucis facienda est in fronte. Pag. 72.
Impositio manûs verisimiliùs est de essentia Sacramenti. Ibidem.
Solus Episcopus est ordinarius hujus Sacramenti Minister; extraordinarius, ex Summi Pontificis dispensatione, simplex Sacerdos. Pag. 73.
Subjectum est solus homo baptizatus. Proprius effectus est speciale robur Spiritûs sancti ad confitendam viriliter fidem, & nomen Jesu Christi. Pag. 76.
Confirmationis Sacramentum suscipere negligens, dum commodè potest, graviter peccat. Ibid. n. 84. & seqq.

CONSCIENTIA.

Ejus definitio ac divisio in certam, probabilem, dubiam, perplexam, scrupulosam, & laxam. To. 1. pag. 728. & 729.
Quisquis contra conscientiam, etiam erroneam, eâ non depositâ, agit, peccat peccato ejus speciei & gravitatis, quod conscientia dictat. Pag. 730. & 731.
Deponenda proinde conscientia vincibiliter erronea, dictans faciendum, quod revera malum est. Aliàs peccatur, sive sequendo eam, sive contrafaciendo. Pag. 732. n. 36.
Conscientia scrupulosa quomodò curanda. Pag. 734. 735. 736.
Conscientia alia positivè, alia negativè dubia. Pag. 736. 737. 738.
Conscientiam habens sic negativè dubiam de honestate actionis, ut nulla ipsi occurrat ratio pro alterutra parte, non prohibetur actionem illam ponere. Pag. 739.
Conscientiam habens positivè dubiam de actionis honestate vel inhonestate, vel de obligatione vel non obligatione ad aliquid, ob æqualem, vel quasi æqualem hinc inde

probabilitatem, tutiorem partem tenetur eligere. Pag. 740. n. 106. & seqq.

Dum utraque pars contradictionis, spectatis omnibus, ipsi apparet æquè probabilis, neutra tunc est ipsi simpliciter & expedite probabilis; seu approbabilis. Pag. 743. & seqq.

In æquali proinde, vel ferè æquali probabilitate de honestate & inhonestate actûs, procedit regula Juris, *in dubiis semitam eligere debemus tutiorem*. Pag. 749. & seqq. usque ad 762.

Positivè dubius, in casu proximè dicto, formare nequit conscientiam de honestate per reflexa Probabilistarum principia. Pag. 764.

Neque enim id potest sub prætextu quòd lex prohibens, si detur, non sit sufficienter promulgata. Pag. 766.

Neque sub prætextu quòd isto in dubio sit in possessione suæ libertatis. Pag. 771. & seqq.

Neque sub prætextu quòd invincibiliter tunc ignoret legem prohibentem. Pag. 783.

Non est igitur licitum agere secundùm opinionem probabilem de licito, stante æquali probabilitate de illicito. Pag. 785.

Multò minùs id licitum, stante & concurrente minori probabilitate de licito. Pag. 786. n. 370.

Istaque ac præcedens assertio ex Scriptura, Patribus, sacris Canonibus, gravissimis sapientissimorum Episcoporum censuris, multiplicique ratione demonstratur à c. 793. ad 878.

Refelluntur qui aiunt Antiprobabilismum aliam matrem non habere, quam Jansenismum. Pag. 835.

Similiter refelluntur qui prò Antiprobabilismo paucos stare putant Authores graves. Ibidem.

Sicut & ii, qui dicunt, Probabilismum non rejici nisi ex malevolo in Societatem animo, vel ex affectu ad novitates. Pag. 838.

Terilli & aliorum Probabilistarum argumenta nullius roboris esse demonstrantur. Pag. 879. & seqq. usque ad 894.

Ne probabiliorem quidem de licito opinionem, in materia legis naturalis ac divinæ, sequi licet, quando probabilioritas ipsius non est tanta, ut abstergat probabile periculum violandæ legis. Pag. 895. & seqq.

Nulla opinio falsa, legi naturali contraria, excusat à peccato contra legem, tametsi subinde excuset à peccato contra conscientiam. Pag. 902. & seqq. usque ad 920.

In concernentibus legem æternam, licèt semper sequi non teneamur opiniones tutiores, sed veras; tutam tamen, seu à peccati periculo immunem, sequi nos oportet, dum veritatem assequi non possumus. Pag. 911. n. 1044.

Probabilioristarum argumenta solvuntur. Pag. 915. & seqq.

Extra necessitatem Confessarius illicitè absolvit pœnitentem secundùm opinionem probabilem & incertam de sua jurisdictione. Nisi ipsi faveat error communis cum titulo colorato, à legitimo Superiore proveniente. Pag. 927.

Licitum non est sequi opinionem quamcumque, repertam in Authore Juniore approbato, licèt opinio ipsius damnata nondùm sit à Sede Apostolica. Pag. 930.

Theologo non licet consilium dare secundùm opinionem quamcumque probabilem. Pag. 932.

A Spiritu sancto meritò reprehenduntur, pœnâque cæcitatis castigantur, qui varios adeunt Doctores, usquedum inveniant suæ faventem cupiditati. Pag. 933.

Veterum dicta, de benignitate in consiliis sectanda, facilèque non condemnando aliquid de mortali, à Probabilistis malè intellecta. Pag. 933.

CONTRACTUS.

Conditiones requisitæ ad legitimum contractum. To. 2. pag. 374. n. 171. & seqq.

Contractus gravi metu, injustè incusso, initi, non sunt universim invalidi. Pag. 376. n. 186.

Contractus de se prorsus invalidi (etiam jure positivo) non firmantur juramento: secùs si naturalem pariant obligationem. Pag. 378.

Naturalem obligationem in foro conscientiæ pariunt aliqui (non omnes) contractus, facti sine solemnitate à jure requisita. Pag. 380.

CONTRITIO.

Contritionis definitio, ac divisio in perfectam & imperfectam. To. 3. pag. 424. n. 1422.

Perfectæ contritionis ab imperfecta discrimen. Pag. 545.

Contritio perfecta cum Sacramento non requiritur. Pag. 544. n. 2082.

Remordente post mortale peccatum conscientiâ, contritio sine gravi peccato diù differri non potest. Pag. 551. n. 2229. & seqq.

Necesse non est quòd contritio præcedat confessionem; sufficit quòd præcedat vel concomitetur absolutionem. Pag. 551. n. 2248.

Sufficit contritio heri sub vesperam, vel pluribus antè diebus elicita, dummodò non retractata. Pag. 551. n. 2251.

Novus contritionis actus necessarius non est, dum peccatum (in confessione oblitum) post absolutionem quispiam confitetur. Ibid. n. 2253.

Nè venialia quidem absque contritione remitti queunt. Pag. 552. n. 2259.

CONVERSIO.

Peccatoris post grande crimen, v. g. fornicationis, conversio plena, est totius hominis interioris exteriorisque mutatio. To. 3. pag. 251. n. 329 & seqq.

Explicatur plena sese emendandi voluntas, ad eam necessaria. Pag. 252.

Explicatur & plenum peccati odium, ad eam pariter necessarium. Pag. 254.

Pleni istius odii signa recensentur. Pag. 255.

Pro admissis post baptismum criminibus, præsertim gravioribus, non sufficit dolor parvus & remissus, sed magnus requiritur & intensus. Pag. 258. & seqq.

Contraria opinio peccatoribus utilis non est, sed noxia. Pag. 264.

Seipsos decipiunt multi, sese plenè conversos existimantes, cùm non sint. Pag. eâdem.

Plenè conversi non sunt censendi peccatores, post grandia crimina, præsertim frequentia, assumere nolentes media sibi ad cavendum relapsum necessaria. Pag. 267.

Uti nec illi, qui convenientem, pro facultate sua, peccatorumque suorum multitudine & gravitate, satisfactionem acceptare renuunt. Pag. 269.

Plena grandium peccatorum, post baptismum commissorum, maximè consuetudinariorum, facilèque ac citò relabentium conversio difficilis & rara est. Pag. 269. 281. & seqq.

Nec esse solet repentina, nec tempore fieri brevissimo; sed imperfectè primùm inchoari, deinde paulatim augeri, tandemque ad necessariam plenitudinem perduci. Pag. 271. & seqq.

Ad plenam conversionem magni peccatoris, magna requiritur Dei gratia, & misericordia, precibus magnis & perseverantibus ordinariè impetranda. Pag. 286. & seqq.

Precibus illis, ad eandem impetrandam, ordinariè jungenda sunt laboriosa pœnitentiæ opera, interna & externa. Pag. 291. & seqq. usque ad 318.

Plena magni peccatoris, maximè consuetudinarii, conversio non satis Confessarii probatur per signa, quæ proferunt Author libri, cui titulus: *Praxis solida*, &c. aliique Juniores; maximè si non semel ea præstiterit absque ullo promissæ emendationis effectu. Pag. 318. & seqq.

Illustrissimus D. Guido de Seve, Episcopus Atrebatensis, propositionem hanc justâ censurâ perstrinxit, velut periculosam, falsam, temerariam, &c. *Confessarius habet sufficiens motivum credendi, quòd pœnitens sit verè contritus (post relapsus, aut adhuc in habitu peccati, vel in occasione proxima existens) quando pœnitens attestatur se verè esse contritum, & Confessario manifestè non constat contrarium.* Pag. 321.

De sufficienti conversione magni peccatoris, &c. non solùm prudenter non judicatur ex solis verbis, quibus dolere se dicit, sed nec ordinariè dum verbis illis adjungit gemitus, tunsionem pectoris, lachrymas momentaneas, aliaque ejusmodi, dum non semel illa hactenus præstitit absque ulla emendatione. Pag. 323.

Ne primâ quidem vice prudenter illi creditur, ordinariè loquendo, etiamsi specialiter monitus paratum se dicat ad media sibi præscripta ad pravam consuetudinem extirpandam. Tametsi etiam monitus ad eam extirpandam nonnihil allaboraverit, nec toties, nec tam facilè ut antè relabendo. Pag. 324.

Ex Scriptura, Patribus, communi hominum sensu, & ratione ostenditur, dictum peccatorem suam Confessario plenam conversionem extra mortis periculum probare debere per pœnitentiæ opera, cum vitæ emendatione conjuncta. Pag. 323. & seqq.

Centum & duodecim argumentis ostenditur, dictis peccatoribus impartiendam non esse absolutionem, dum ligaturæ impatientes statim solvi, & ad altare mitti volunt, vel absque pœnitentiæ operibus, absque etiam vitæ emendatione, ad confessionem accedunt. Pag. 334. & seqq. usque ad 407.

De justis per surreptionem & inadvertentiam continuò relabentibus in eadem venialia, hic philosophandum non est uti de peccatoribus cum plena deliberatione continuò relabentibus in eadem mortalia. Pag. 408. n. 337.

Consuetudinarii non ideò statim absolvendi sunt, quòd jamjam nubere velint cum ea, quacum adhuc nocte præcedente fornicati sunt, ut fornicandi finem faciant. Pag. 400. n. 1342.

Recidivi ex fragilitate facilius censeri possunt sufficienter conversi, quàm recidivi ex malitia; facilius proinde censeri possunt absolutione digni. Pag. 393. n. 1264. & seqq.

CORRECTIO FRATERNA.

Correctio fraterna, juxta Evangelium, facienda est, non à quocumque, nec quolibet loco & tempore, sed ab eo qui prodesse potest, dum eâ proximus cognoscitur indigere, & à corrigente utiliter corrigendus esse; uti & dum honor Dei eam postulat, vel necessitas avertendi scandalum aliorum qui in peccatum inducerentur, si non corriperetur ille, qui coram ipsis peccat. To. 2. pag. 286. 287. 289.

Correctio fraterna, dum dirigitur ad salutem delinquentis, fieri debet cum mansuetudine magna, & humilitate, nec pro eadem re ad nauseam continuanda. Pag. 190. 191.

Ipsi etiam Superiores, ab inferioribus, cum omni reverentia, modestia & humilitate fraterne sunt corrigendi. Pag. 292.

Quando delictum fratris est occultum, nec Communitati nocivum, nec cedens in grave tertii detrimentum, spesque est fratrem per secretam monitionem sese emendaturum, necessariò servandus est Evangelicus ordo correctionis. Pag. 292.

Ordinem illum pro solis sæcularibus Salvator non præscripsit, sed & pro Religiosis, juri ad propriam famam ex sui Ordinis Instituto non renuntiantibus. Pag. 295.

CULTUS SANCTORUM.

Cultus Deiparæ Virginis, & Sanctorum, primo Decalogi præcepto non adversatur. Pag. xxxviij.

Uti nec eorum invocatio, tamquam Mediatorum secundariorum, qui per merita Christi bona aliqua nobis impetrare possunt. Pag. xij.

D.

DECIMÆ.

Decimæ Ecclesiis solvendæ; cùm earum solutio debita sit Deo; & qui eas solvere nolunt, aut solventes impediunt, res alienas invadant. To. 2. pag. cxxxviij. n. 91.

DELECTATIO MOROSA.

Morosa delectatio de rebus obscœnis est mortale peccatum. Pag. clxxvij.

Etiamsi sit de re secundùm se obscœna, quæ absque culpa contigit. Pag. clxxx.

Mortalis quoque est delectatio morosa viduorum de copula in matrimonio habita, repræsentata ut præsente; sicut & conjugandorum de habenda. Pag. clxxxj. n. 43. & seqq.

Ipsis etiam conjugatis mortale est veneream in carne sua delectationem de repræsentata copula cum comparte, in ipsius absentia, voluntariè excitare. Pag. clxxxj. n. 46.

Nec absque culpa mortali sunt oscula, amplexus, aspectus, & tactus impudici extra matrimonium. Pag. clxxxiij. & clxxxvij.

DEPOSITUM.

Depositi definitio ac leges. Quarum prima est, quòd depositarius, absque deponentis consensu, rem depositam in usus suos convertere non possit. Altera, quòd si res deposita apud depositarium, absque ipsius culpa pereat, deponenti tanquam domino pereat. To. 2. pag. 419. & 420. n. 517. & 518.

Depositarius regulariter solùm tenetur de dolo & culpa lata, quando scilicet minorem de re deposita, quàm de sua, diligentiam præstat. Ibid. n. 525.

Depositum à commodato & precario differt, quòd per commodatum res ad certum usum, ad tempus designatum, gratuitò concedatur, ante quod tempus repeti non potest. Per precarium verò, res ad usum gratuitò sic concedatur, ut quovis tempore, ad nutum concedentis, repeti queat.

DESIDERIUM.

Prorsus illicitum est desiderium, quo proximo cuicumque desideratur malum, etiamsi non quà malum ipsius, sed ut inde obveniat desiderantì bonum, proximi malo postponendum. To. 2. pag. 261.

Peccatoribus & inimicis licitum est optare temporalia mala, ut corrigantur. Pag. 263.

DESPERATIO.

Desperatio est voluntaria animi dejectio, per quam abjicitur spes obtinendæ remissionis peccatorum, vel beatitudinis, ob existimatam impossibilitatem, vel nimiam difficultatem mediorum ad id necessariorum. To. 2. pag. 225. n. 57.

Licèt non sit peccatorum omnium gravissimum, est periculosissimum. Ibid. n. 58.

Hisce novissimis diebus, homines non tam frequenter peccant desperatione, quàm præsumptione. Pag. 226. n. 61.

DETRACTIO.

Detractio est injusta denigratio famæ alicujus personæ absentis. In quo differt à contumelia, quæ est injusta dehonoratio personæ præsentis. To. 2. pag. ccxv. n. 20. & 21.

Detractio & contumelia peccata sunt ex suo genere mortalia, furto graviora. Ibid. n. 26.

Detractio eò gravior est, quò proximi fama magis denigratur, vel crimen majus imponendo, vel verum, seu occultum, pluribus divulgando. Pag. ccxvij. n. 36.

Gravia, licèt vera, narrans ex auditu, sæpè, non semper peccat contra justitiam, tametsi narratis nullam addat authoritatem. Pag. ccxix. n. 52. & seqq.

Occultum crimen proximi revelare, tres causæ permittunt, justitia, charitas, necessitas. Pag. ccxx.

A mortali non excusatur, vel uni viro prudenti, sine justa causa, revelans grave crimen occultum proximi, licèt credatur secretum servaturus. Pag. ccxxj.

Mortale est, publicè diffamatum in uno peccati genere, in alio non connexo diffamare. Pag. ccxxij. n. 74.

Mortale non est, nescientibus revelare crimen alicujus, in loco ubi de eo publicè diffamatus est. Ibid. n. 76.

Mortale est contra justitiam, crimen alicujus uno loco publicum publicitate facti, divulgare in alio loco distanti, ubi aliàs difficulter sciri potuisset. Pag. ccxxiij.

Id etiam mortale est contra charitatem, non contra justitiam, si absque causa crimen illud, uno loco publicum publicitate juris (per sententiam Judicis) divulgetur in alio, ubi publicum non est. Pag. ccxxiv. n. 87.

Mortaliter contra justitiam peccat, qui occultum crimen proximi, uno in loco injustè publicatum, ibi vel alibi scienter nescientibus revelat. Ibid. n. 90.

Audiens detractorem, non minùs peccat quàm detrahens, si ipsum ad detrahendum incitet, ostendendo se libenter audire, ex odio quo in proximum fertur. Secùs (juxta nonnullos) si ex sola curiositate libenter quidem audiat, ad detrahendum tamen non inducat. Probabile tamen videri potest, id esse mortale, sicut ex sola curiositate clàm observare crimen occultum proximi, v. g. adulterium; cùm proximus habere videatur jus, aliis, non Superioribus suis, occultandi crimina sua. Pag. ccxxv. n. 95.

Audiens detractorem, debet eum verbis redarguere, de eo quòd peccet fratri detrahendo, vel saltem ostendere, per tristitiam vultûs, quòd sibi detractio displiceat. Ibid. n. 97.

Mortale est contra justitiam, detractori, vel calumniatori, falsum crimen scienter objicere, ad defendendum honorem suum, vel famam, licèt aliter defendi non possit. Ibid. n. 98. & seqq.

DISSIMULATIO.

Ad vitanda gravia tormenta, mortale est falsum ipsi crimen imponere, ob cujus confessionem morte plectendus sit. Pag. ccxxvij.

DISPENSATIO.

Legitimâ dispensatione legis relaxatur obligatio. To. 2. pag. 41. n. 260.

Ad legitimam dispensationem necesse est ut ab habente potestatem rationabili ex causa procedat. Ibid. n. 265. & seqq.

Papa pro sola voluntate dispensare non potest in Ecclesiæ legibus. Pag. 43. n. 279.

Si post obtentam rationabili de causa dispensationem (super aliquo v. g. matrimonii impedimento) causa illa ante dispensationis executionem cessat, non ideò dispensatio cessat. Quia non ideò redit impedimentum, semel sublatum. P. 44. n. 290.

Sola communis Ecclesiæ necessitas vel utilitas, est causa sufficiens dispensandi in legibus Ecclesiæ. Pag. 49. n. 318.

Quia in Ecclesiæ legibus nunquam dispensatur, nisi legibus ipsis vulnus aliquod infligatur; nisi proinde ista vulneris inflictio alicujus boni communis acceptione compensetur. Pag. 42. n. 272. 273. 274. Nisi enim taliter compensetur, *non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est*, judice Bernardo, n. 275. citato.

Status proinde, seu matrimonialis, seu Ecclesiasticus, mediante dispensatione non est facilè assumendus. Pag. 49. n. 317.

Sub licentia veri, sicut & expressio falsi, dispensationem reddit subreptitiam, vel suspectam, dum casus taliter propo-

situs, prudentum judicio, non comprehendit casum, prout reverà se habet; tantesi Pontifex, re, ut se habet, absque falsi expressione proposità, adhuc equidem dispensasset. Pag. 45. n. 292.

Hinc consectaria est variorum decisio casuum, qui videri possunt n. 298. & seqq. usque ad n. 320.

DOMINIUM.

Usque adeò absolutum non est dominium divitum, in res statui suo superfluas, ut ipsis licitum sit eas in quoscumque usus pro libitu expendere, divitiasque sine termino in statûs sui augmentum congregare. To. 2. pag. 360.

Clerici non sunt domini bonorum Ecclesiasticorum, vel saltem eorum dominium in ipsis est vinculatum, seu gravatum onere impendendi superflua in pauperes, seu alias pias causas. Pag. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284.

Ne de iis quidem, uti de patrimonialibus, pro libitu disponere possunt, quæ acquirunt celebrando, concionando, seu alias functiones vel actiones Ecclesiasticas exercendo. Pag. 360. n. 69.

Bona, quæ sub alterius dominio fuerunt, per legitimam præscriptionem sic fiunt præscribentis, ut bonâ conscientiâ ea retinere possit, nec restituere teneatur priori domino, postea comparenti. Pag. 371. n. 148. & seqq.

DONATIO.

Donatio acceptata, pro libitu, regulariter loquendo, revocari non potest, etiamsi res donata nondum sit tradita. Pag. 418. n. 505.

Donare non potest, nisi rei donatæ dominus, liberam ipsius habens administrationem. Ibidem n. 506.

Uxor, absque mariti consensu, donationes notabiles facere non potest, nisi de paraphernalibus, quorum dominium habet, & administrationem. Pag. 419. n. 507.

Donatio, etiam inter vivos, etiam post traditionem, revocari potest. 1°. propter donatarii ingratitudinem. 2°. si in donatorem impias manus injecerit. 3°. si ei atroces injurias irrogarit. 4°. si donatori grave damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit. 5°. si donatio inofficiosa fuerit. n. 505. & 512.

Donatarius, ante Judicis sententiam, restituere tenetur bona, sibi donata in fraudem creditorum. n. 513.

DUBIUM.

Vide verbo *conscientia dubia.*

DUELLUM.

Nunquam licitum est duellum privatâ authoritate offerre, nec acceptare, etiam prætextu defendendi honorem suum, tametsi eo non oblato, vel non acceptato, officium, vel militiam, cum gravi familiæ detrimento deferere oporteret. To. 2. pag. 300.

Apud Deum, & homines, rectam rationem sequentes, infamiam nullam incurrit, quin potiùs gloriam & honorem, qui, ut divinis humanisque legibus obediat, duellum injuriatus non offert, nec provocatus acceptat. Ibid. n. 418.

Provocatus ad duellum, horâ condictâ ad locum certaminis se conferre non potest, prætendendo quòd eò se non conferat animo duellandi, sed seipsum defendendi. Pag. 301. n. 421.

E.

EBRIETAS.

Ebrietas est excessus in potu, usque ad violentam privationem usûs rationis. To. 1. pag. 602. n. 176.

Malitiam ebrietatis incurrit, quisquis, per excessum in potu, voluntariè se privat usu rationis, non naturaliter, uti per somnum, sed violenter, etiamsi ob voluptatem id non faciat, sed ut amicis satisfaciat, vel id faciat ex Medicorum consilio, recuperandæ sanitatis prætextu. Eodem n. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. & seqq.

Nec se, nec alium, inebriare licet, ad vitandam mortem, alioqui comminatam. n. 186. 187. 188.

Imò nec in casu, quo proditio civitatis impediri non posset, nisi proditor inebriaretur. n. 192.

Tabernarii, dum animadvertunt nonnullos ex nimio potu inebriari, idque non semel experti sunt, mortaliter peccant, si (propter lucrum suum) potum ipsis recusare non curent. n. 195. & 196.

Nec illi à peccato mortali immunes sunt, qui ex longa multùm bibendi consuetudine facti potentes ad bibendum, & vel ideò, vel ex eo quòd pharmaco quodam fumos inebriantes discutiant, rationis usum non amittunt, vel, si amittant, sciunt sibi suppetere pulverem, rationis usum post breviculum tempus reddentem. n. 197.

Nec à mortali excusabiles sunt Ecclesiastici, vel Religiosi, qui ex nimia potatione in publico titubantes, aliis sunt scandalo, etiamsi rationis usum non amittant. n. 201.

Feminæ se inebriantes, graviùs peccant quàm viri, ob incontinentiæ periculum. Ibid.

ECCLESIA.

Extra Catholicam, seu Romanam Ecclesiam, non est salus. To. 2. pag. 144. n. 307. & seqq.

Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, demonstratur ex eo quòd notas habeat veræ Ecclesiæ, manifestaque signa credibilitatis. Pag. 149. n. 338. & seqq.

Ecclesia Romana est una. Pag. 150.

Est sancta. Pag. 151.

Est Catholica. Pag. 152. n. 358.

Est Apostolica. Ibid. n. 361.

Romanæ Ecclesiæ veritatem amplius demonstrant ipsius antiquitas, indefectibilitas, & gloria miraculorum. Pag. 154.

Nulla Ecclesia, nisi Romana, indicia habet credibilitatis; imò omnis alia Ecclesia seu Religio, manifesta habet argumenta incredibilitatis. Pag. 156. n. 375.

Specialiter id demonstratur de Lutherana, Calviniana, &c. Ibid. n. 378. & seqq.

Demonstratur Ecclesiam Lutheranam, Calvinianam, &c. non esse unam, sanctam, Catholicam, Apostolicam; imò esse Antievangelicam. Pag. 161. & seqq.

Ecclesia Lutherana, Calviniana, &c. nullam habet fixam fidei suæ regulam. Pag. 164.

Refellitur privatus Calvinistarum spiritus. Pag. 166.

Sola Ecclesia Romana fixam & indefectibilem habet fidei suæ regulam. Pag. 171. n. 431.

Veram Ecclesiam, controversiarumque in ea Judicem, oportet esse visibilem. Pag. 179.

Ipsamet Ecclesia, seu Concilium Generale, simul cum Romano Pontifice, est infallibilis Judex controversiarum fidei & morum. Pag. 180. n. 493.

Romanus etiam Pontifex, absque Generali Concilio, est talis Judex. Ibidem. n. 499. & seqq.

EMPHYTEUSIS.

Emphyteusis est contractus, quo rei immobilis possessio & dominium, non directum, sed utile, transfertur in alium, sub onere realis pensionis, statutis temporibus solvendæ. To. 2. pag. 578.

Dominium istud per emphyteusim transfertur, vel in perpetuum, vel ad tempus, non minus decennio. Illudque per emphyteutam in alium transferri potest, salvo jure domini directi. Ibidem.

Rem emphyteuticam amittit emphyteuta, cum melioribus à se factis, si pensionem solvere omittat per triennium. n. 580.

Moribus tamen nostris usitata non est pœna ista, sed emphyteuta solùm duplicem canonem solvere debet per triennium. Ibid.

Re pereunte tantùm ex parte, emphyteuta remissionem pensionis petere non potest, nisi quantitas pensionis taxata foret proportionaliter ad quantitatem fructuum. Quo casu remissio, vel diminutio peti posset. Pag. 426. n. 581.

EMPTIO.

Emptio est pactio pretii pro merce. Venditio, pactio mercis pro pretio. To. 2. pag. 432. n. 625.

Emptio & venditio, quoad substantiam, nudâ pactione perficiuntur, licèt dominium per eam non transferatur, sed per traditionem, tamquam pactionis effectum, seu executionem. Pag. 433. n. 630.

Carius vendere, vel vilius emere rem, quàm valeat, est secundùm se injustum, & illicitum. Pag. 434. n. 644.

Justum pretium determinandum non est ex sola æstimatione venditoris, sed ex Magistratûs præscripto, vel communi hominum intelligentium æstimatione rerum venalium, secundùm quod usibus, utilitatibus, & commoditatibus hominum inserviunt, attentâ mercium copiâ, vel inopiâ, vendentium periculis, expensis, laboribus in iis comparandis, &c. Ibid. n. 645. & seqq.

Non licet vendere merces ultra latitudinem justi pretii, ex hoc præcisè quod credito vendantur. Pag. 438. n. 680. & seqq.

Debitum liquidum, 100. florenorum v. g., seclusis titulis lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi difficilioris vel nullius solutionis, vilius emi non potest, quàm centum florenis. Pag. 439. n. 689. & seqq.

Proxeneræ, quibus aliquid vendendum, vel emendum committitur, sibi retinere non possunt, id quod supra constitutum sibi pretium vendiderunt, vel emerunt infra. Pag. 441.

Rei venditæ vitium venditor aliquando tenetur aperire, non semper. Pag. 448.

Variorum ea de re casuum resolutio. Ibidem, & pag. 450.

Venditor privatim sciens rem brevi minùs valituram, eâque hujus manifestatione, potest eam modo currenti pretio vendere. Pag. 452.

Licita est venditio, cum pactò retrovenditionis, servatis servandis. Pag. 454.

EPISCOPUS.

Episcopi, quoad potestatem Ordinis, jure divino Sacerdotibus sunt superiores. An etiam quoad potestatem jurisdictionis? Ea de re in Concilio Tridentino acriter fuit disputatum; in eoque laudata Laynii dissertatio, quâ contendit, Episcoporum jurisdictionem esse à Deo immediatè in genere, seu in quibusdam, ut in S. Petro, suisque Successoribus, & in cunctis Apostolis. In reliquis verò Episcopis esse à Deo, mediante Romano Pontifice. To. 3. pag. 640. n. 46.

Episcopi sunt Apostolorum Successores. Pag. 216. n. 63.

Angeli sunt Ecclesiarum, locum Apostolorum tenentes, Ecclesiæ luminaria, Ecclesiarum jure divino Fundatores, Rectores & Doctores. Ibidem n. 62. 63.

Ipsis tota potestas & authoritas Sacerdotii à Deo data est. Ibid.

Legitimi sunt controversiarum fidei & morum Judices. n. 64.

Sedent in Ecclesiæ throno. n. 67.

Ab ipsis proinde potiùs quàm à Casuistis, Ecclesiæ traditionisque, de dictis controversiis, sensum, post SS. Patres, discere nos oportet, ipsorumque judicia ac censuras magni facere. n. 68.

EUCHARISTIA.

Eucharistia est verum novæ legis Sacramentum. To. 3. pag. 81. n. 19.

Sanctissimum istud Sacramentum non consistit in ipso usu & sumptione, sed in re stabili & permanente. Ibid. n. 23. & seqq.

Materia ipsius est panis triticeus, & vinum de vite. Pag. 82.

Vinum aquâ modicâ mixtum esse debet, necessitate præcepti, non Sacramenti. Pag. 84.

Aqua mixta vino, in Christi sanguinem immediatè convertitur. Pag. 85.

Materia consecranda per consecrantis intentionem determinari debet, sicque physicè ac moraliter esse præsens, ut ad sensum pronomine *hoc* & *hic* demonstrari valeat. Pag. 86. & 87.

Hujus Sacramenti forma sunt verba quibus Christus consecravit, dicendo: *hoc est corpus meum; hic est calix sanguinis mei*, &c. Pag. 88.

Verba sequentia, *novi & æterni Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, sub gravi addenda sunt, licèt essentialia non sint. Pag. 89. n. 109.

Sensus verborum, *hoc est corpus meum*, est hic, *hoc contentum sub hac specie panis est corpus meum*. Istorum verò, *hic est calix sanguinis mei*, est, *hoc contentum in hoc calice*, sive *sub hac specie vini, est sanguis meus*. Ibid. n. 115.

Corpus & sanguis Christi, factâ consecratione, verè, realiter, & substantialiter continentur sub speciebus panis & vini. Pag. 92. n. 139.

Catholica ista veritas pro se manifestè habet verba perspicua Salvatoris, hoc Sacramentum instituentis. Ibid. n. 144.

Habet & legitimam Scripturæ interpretationem. Pag. 93. n. 152. & seqq.

Tertiò habet Apostolum Paulum, veteriisque Testamenti figuras. Pag. 95.

Quartò habet traditionem Patrum omnium, atque octo Conciliorum Generalium. Pag. 96.

Quintò habet perpetuam Ecclesiæ Catholicæ fidem, unanimemque Christianarum Nationum omnium, Orientalium & Occidentalium consensum. Pag. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108.

Sextò habet præscriptionem. Pag. 109.

Septimò Christianam habet rationem. Pag. 113.

Octavò, in contrarium non habent nisi argumenta inania. Pag. 114.

Corpus & sanguis Christi non sunt realiter & substantialiter in Eucharistia per impanationem, sed per veram & realem transsubstantiationem. Pag. 120. & seqq.

Factâ transsubstantiatione, species panis & vini remanent sine substantiali subjecto, sub iisque corpus & sanguis Christi tamdiù remanent, quamdiù ipsæ remanent. Pag. 125.

Non omnes, qui recipiunt Eucharistiæ Sacramentum, effectum recipiunt ipsius. Pag. 127.

Hujus Sacramenti dignè suscepti effectus quinque. Pag. 128.

Dispositiones ad effectus illos recipiendos, vide verb. *Communio*.

Ad judicandum, nùm adsint dispositiones necessariæ ad effectus illos recipiendos, vel an quis habeat gratiam ipsam sanctificantem, non tam habenda est ratio sterilium cogitationum, resolutionum, desideriorum, affectionum momentaneârum ipsius, quàm operum, morum, & vitæ. Pag. 143.

Eucharistiam indignè suscepisse probantur, qui post eam, in consueta crimina, æquè citò ac facilè relabuntur, ut antè. Pag. 147.

Eucharistiæ ac Pœnitentiæ Sacramenta fructuosè recipientes, citò & facilè in crimina non relabuntur. Pag. 150.

Eucharistiæ perceptio, nec parvulis in voto necessaria est necessitate medii, nec adultis in re. Pag. 176.

Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed & verum ac propriè dictum sacrificium. Pag. 183. in ultima cœna à Christo institutum. Pag. 185. n. 802.

Sacrificii Eucharistici essentia in sola utriusque speciei consecratione consistit. Ibid. n. 803. & seqq.

Sacrificium istud est latreuticum, regratiatorium, propitiatorium, & impetratorium, pro vivis & defunctis. Pag. 186.

Effectus ipsius non est infinitus; licèt valor ex parte primarii offerentis, reique principaliter oblatæ, sit infinitus. Pag. 187. n. 818. & seqq.

Intentio, quâ sacrificii Missæ fructum applicat Sacerdos, non debet necessariò esse actualis, vel virtualis, sed sufficit habitualis. Pag. 189.

Præcepto divino mandatum est omnibus, curam animarum habentibus, pro ovibus suis aliquando sacrificium offerre. Pag. 198. n. 936. Solemnioribus saltem diebus id faciendum valdè probabile est. Ibid.

Quilibet Sacerdos, etiam animarum curam non habens, neque ex stipendio obligatus, per se, sub gravi culpa, tenetur aliquoties in anno Eucharisticum sacrificium offerre. Ibid. n. 938.

Regulariter loquendo, pluràm semel in die celebrare non licet, præterquàm in die Natalis Domini. Ibid. n. 939.

Ad celebrandum sub mortali requiritur altare ab Episcopo consecratum, saltem portatile. Requiritur & altaris ornatus, vasa sacra, vestes benedictæ, ab Ecclesia præscriptæ, crux in altaris medio, Minister, &c. Pag. 201. & 202.

Ob nullam causam consecrare fas est unam speciem sine alia. Pag. 202. n. 998.

Sacerdos, in ipsa sumptione deprehendens se loco vini aquam consecrasse, secundùm communem sententiam Modernorum, necessariò consecrare non debet novam hostiam, incipiendo à verbis, *qui pridiè quàm pateretur*, &c. (uti debet, secundùm Rubricas Missalis) sed vinum duntaxat, incipiendo à verbis, *simili modo*, &c. Ibid. n. 1006.

EXTREMA UNCTIO.

Extrema unctio verum ac propriè dictum est novæ legis Sacramentum. To. 3. pag. 631.

Materia illius est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum. Hoc tamen posterius non videtur esse de necessitate Sacramenti; utpote quod à Græcis validè & licitè confertur cum oleo ab Episcopo non benedicto. Pag. 632. n. 7. & 8.

Minister hujus Sacramenti solus est Sacerdos. Ibid. n. 15.

Sacramentum hoc in Ecclesia Latina solis administrandum est ægrotis, de quorum morte timetur. Pag. 633. n. 19.

Non est tamen expectandum ultimum vitæ periculum, sed sufficit infirmitas periculosa. Et expedit illud administrari cùm adhuc integra mens & ratio viget. Ibidem.

Non est administrandum, nisi iis qui rationis usum habuerunt. n. 21.

Infirmus periculosè laborans, semel tantùm ungendus est. n. 26.

Si tamen, post unctionem, periculum evaserit, toties ungendus est, quoties in novum periculum inciderit. Ibid.

Lethalis peccati reus est, qui, à Pastore monitus, suscipere negligit hoc Sacramentum. Sicut & Pastor, negligens illud ovibus suis ministrare. Ad quod tenetur etiam cum vitæ suæ periculo. Pag. 634. n. 33. & seqq.

F.

FAMA.

FAmæ suæ homo aliquo modo dominus est. To. 2. pag. 360. n. 72. in quantum scilicet in arbitrio ipsius est, pati detrimentum ipsius, nisi id vergat in alterius detrimentum. Ibid.

Cura habenda est honoris & famæ, veræ & christianæ, quâ homo probus distinguitur à criminoso, fidelis ab infideli, &c. fundatæ proinde in virtute & probitate christiana: non cura famæ mundanæ, vanæ, & fatuæ, quam mundani homines ponunt, in sequendo diabolicas mundi maximas, patientiæ & mansuetudini, aliisque Christianis virtutibus inimicas, diviniisque & plerùmque etiam humanis legibus adversas, v. g. in repercutiendo percutientem, in acceptando vel offerendo duellum, in occisione uxoris adulteræ, in sumenda de injuriatore vindicta, &c. Pag. 300. n. 418. Pag. clix. n. 114. & seqq. usque ad num. 156.

FESTORUM OBSERVANTIA.

Præter Dominicum diem, Ecclesiæ authoritate instituti sunt dies festi, in honorem Christi, B. Virginis, & Sanctorum: in quibus tria sunt quæ considerare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. To. 2. pag. cxviij. n. 2. & 3.

Præcepto sanctificandi festa, eorum profanatio prohibetur per opera servilia, & sanctificatio præcipitur, per Missæ auditionem, & alia pietatis opera. Pag. cxviij. n. 4. Et pag. cxxij. n. 28. & seqq.

Servilia opera, diebus festivis prohibita, recensentur. n. 7. & seqq.

Venationes tunc prohibentur per varia Concilia. n. 6.

Barbitonsores prohibentur barbam tondere. n. 7.

Pictores pingere. n. 9.

Choreas, & theatrales repræsentationes prohibent SS. Patres. n. 11.

Omnia peccata mortalia, præsertim luxuriæ, graviora fiunt ex circumstantia diei festi. n. 18.

Pietas, & justa necessitas opera quædam servilia permittit diebus festis. Pag. cxxij. n. 24. & seqq.

Error est putare, quòd sabbathi, seu diei festi, & Dominici sanctificatio nihil aliud à Christianis exigat, nisi cessationem ab operibus servilibus. Pag. cxxiij. n. 28.

Nec probanda est opinio, dicens, præceptum de sanctificandis diebus festis, à fidelibus non exigere alium divini cultûs actum, nisi Missæ auditionem. Ibid. n. 29.

Igitur festis diebus, præter Missæ auditionem, vacandum orationibus, aliisque pietatis exercitiis, vel saltem assistendum pro posse divinis officiis. n. 30. & seqq.

Graviter peccat, saltem intra lineam peccati venialis, qui festis diebus Missam audit non deposito affectu peccati mortalis. Pag. cxxiv. n. 42. & seqq.

FEUDUM.

Differt ab emphyteusi, quòd feudatarius non teneatur ad realem pensionem, sed ad obsequium personale. Est enim contractus, quo dominium non directum, sed utile, & possessio rei immobilis transfertur in alterum, sub onere fidelitatis, obsequiique personalis. To. 2. pag. 425. n. 577. 578.

FIDEJUSSIO.

Fidejussio est alienæ obligationis susceptio, suscipientem obligans ad eam implendam, si à debitore principali non impleatur. To. 2. pag. 424. n. 569.

Fidejussor regulariter conveniri non potest, nisi convento priùs principali. n. 570.

Graviter peccat, qui pro eo fidejubet, quem scit non esse solvendo, nec se etiam esse solvendo in defectum ipsius. n. 572.

Debitor principalis fidejussori tenetur de damno ipsi proveniente ex eo quòd condicto tempore non solvat. Ibid.

FIDES.

Fides est virtus, quâ firmiter assentimur iis quæ non videntur, ob Dei revelantis authoritatem. Tom. 2. pag. 91. n. 1.

Ad eam necessarius est pius voluntatis affectus erga Dei revelantis authoritatem. Pag. 92. n. 8.

Fides actualis, omnibus adultis, etiam in infantia baptizatis, in re, & non solùm in voto, necessitate medii necessaria est ad salutem: sicut & peccatoribus ad justificationem. Pag. 93. & seqq.

Adultis omnibus, eâdem necessitate, ad justificationem & salutem, necessaria est fides explicita Dei existentis, & remuneratoris, Christi, seu Incarnationis, & SS. Trinitatis. Pag. 108. & seqq.

Etiam fides explicita Christi Passionis & Resurrectionis, ipsis necessaria est necessitate medii. Pag. 113. n. 114.

De fidei actu datur speciale præceptum, ratione sui obligans, non semel dumtaxat in vita, sed frequenter. Pag. 117.

Ad obligationem istam necessaria est sufficiens propositio fidei. Pag. 118. n. 140.

Quinque requisita ad sufficientem fidei propositionem, prudentemque assensum. Ibid. n. 142.

Quinque illa requisita longè excellentiùs reperiuntur in assensu fidei Catholicæ, quàm in quocumque alio assensu, propter authoritatem humanam. Pag. 119. n. 148. & seqq.

Explicatur sufficiens propositio fidei. Pag. 120. n. 153. & seqq.

Declarantur fidei ac doctrinæ capita credenda & scienda necessitate præcepti. Pag. 115. n. 130. & seqq.

Ultra præceptum fidei internæ, duplex datur præceptum illius exteriùs confitendæ. Pag. 123.

Declarantur circumstantiæ, in quibus præceptum istud obligat. Pag. 125.

Confessio fidei tunc fieri debet sincerè, absque ulla æquivocatione, contrariæque religionis simulatione. Pag. 127.

Enarrantur casus, in quibus censetur, vel non censetur quispiam fidem negare. Pag. 129.

Grave peccatum est, non solùm coram infidelibus Christum erubescere in materia fidei, sed & coram Catholicis in materia morum. Pag. 132.

FILII.

Filii 4°. Decalogi præcepto tenentur honorare parentes. To. 2. pag. cxxvj.

In hoc præcepto, parentum nomine ad litteram præcipuè intelliguntur ii qui nos genuerunt. Aliquo etiam modo Reges ac Principes nostri, cæterique Reipublicæ Rectores. Illi etiam quorum directioni & institutioni commissi sumus. Ac denique senes, de quibus Levit. 19. *honora personam senis*. Ibid.

Ab honore parentibus debito filii non excusantur ex eo quòd sint defectuosi. Pag. cxxvij. n. 11.

Contra quartum Decalogi peccant, qui parentes deridet, qui ipsis maledicunt, qui optant ipsis mortem ad capessendum ipsorum hæreditatem, qui ipsis in indigentia non succurunt cùm possint, & maximè qui in ipsos manus injiciunt. Pag. cxxviij. n. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Religiosus professus, cùm jam sit mortuus mundo, solemnis est à lege, quâ in mundanis obsequiis parentibus tenebatur. Pag. cxxix. n. 21. 22.

Ille autem, qui Religionem nondum intravit, si videt se posse in sæculo conversari absque peccato mortali, & sine ipsius obsequio parentes nullo modo vivere possunt, tenetur eis servire, & parentes non dimittere. Si verò sine ejus obsequio possint aliqualiter sustentari, licèt non honorificè, non propter hoc tenetur Religionis ingressum prætermittere. Ibid.

Filii debent parentibus obedire in omnibus quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam. Pag. cxxx. n. 27. 28. 29.

Non tenentur tamen ipsis obedire in iis quæ concernunt statum vitæ eligendum. Ibid. n. 30.

Neque Ecclesiastici parentibus obedire tenentur, in disponendo de bonis ecclesiasticis: quia eorum administrationem parentes non habent, etiam dum adhuc sub patria sunt potestate. Pag. cxxxj. n. 37. & 38.

A mortali non excusantur filii & filiæ, inconsultis parentibus nubentes. Pag. cxxxix.

FURTUM.

Furtum est occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito. To. 2. pag. ccij. n. 1.

Dividitur in simplex & qualificatum. Quod subdividitur in sacrilegium, plagium, abigeatum, & peculatum. n. 6.

Sacrilegum est furtum bursæ divitis, in Ecclesia orantis. n. 8.

Furtum & rapina, peccata sunt ex genere suo mortalia. Pag. cciij. n. 10.

Ersi valdè difficile, si non impossibile sit, definire quænam præcisè furti quantitas mortalis sit, furtum unius aurei, seu ducatonis, valdè probabiliter æstimatur mortale, à quocumque furripiatur, etiam à Rege. Pag. cciv. n. 20.

Duo etiam regales, id est decem asses belgici, valdè probabiliter sufficiunt ad furtum mortale, sive à communi Cive, sive ab homine ditissimo, etiam à Rege furripiantur. Ibid. n. 21.

Quantitas parva respectu divitis, esse potest magna respectu pauperis, si utique pauper, à manè in seram noctem laborare debeat, ut eam quantitatem acquirat. Pag. ccv. n. 24.

Tametsi Doctores majorem, ad furtum mortale, quantitatem requirant in filiis, quàm in extraneis; à mortali tamen ominus excusandi non videntur filii, parentibus divitibus suffurantes duos vel tres aureos. Ibid. n. 26.

De Religiosis, furantibus de bonis Monasterii, philosophandum non est uti de filiis sæcularibus, Quia inter filios Religiosos, & sæculares est differentia magna. Pag. cvj. n. 32.

In ipsis proinde ad mortale sufficit ea quantitas, quæ sufficit in sæcularibus non filiis. Ibidem.

Religiosi tamen esculenta & poculenta ad usum suum furripientes, licèt notabilem sæpè indecentiam committant, contra religiosam perfectionem, de mortali juxta Suarez facilè damnandi non sunt, nisi res illas in valdè magna quantitate furripiant, non ad unum actum comedendi, &c. sed ut occultè retentas paulatim consumant. n. 33.

Varii casus, in quibus mortale est repetitis vicibus sic furari modica, ut inde exurgat quantitas magna. Ibid. n. 34. & seqq.

Famuli & famulæ domesticæ non possunt heris occultè furripere, ad compensandam operam suam, quam existimant majorem salario quod accipiunt. Pag. ccix. n. 49. & 50.

Occulta compensatio, licèt (servatis servandis) speculativè licita, in praxi non facilè est permittenda. Ibid. n. 53. & seqq.

Non furatur, qui in extrema necessitate furripit alienum. Sed hoc ad necessitatem gravem indefinitè non est extendendum. Pag. ccxj.

G.

GABELLA.

Gabellæ justæ in conscientia solvendæ sunt, non defraudandæ. To. 2. pag. 18. n. 100. & seqq.

Publicani, per contractum emptionis, jus strictum acquirunt

runt ad illas. Pag. 19. n. 104.

Eas proinde defraudantes tenentur ad reſtitutionem. Ibidem.

Etiam illi, qui ſe ſuprà alios, ſuæ conditionis, gravatos exiſtimant, gabellam totam ſolvendo. Pag. 20. n. 113.

Non ſatis attendunt ad publicas Reipublicæ neceſſitates, qui de gabellarum, tributorum & vectigalium injuſtitia conqueruntur. Pag. 19. n. 19. & ſeqq.

GAUDIUM.

Horrorem piis auribus incutit damnata iſta propoſitio: *Licitum eſt filio, gaudere de parricidio parentis, à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* To. 2. pag. cxxviij. n. 15.

Et iſta propoſitio jure damnata eſt: *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere... non ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Pag. 261. n. 208. & ſeqq.

GRATIA.

Gratia, prout in nobis, eſt quodcumque Dei beneficium, ſive internum, ſive externum, etiam quoad entitatem naturale, nobis per miſericordiam Dei collatum ad ſalutem. To. 1. pag. 354. n. 8. 9. & 10.

Alia eſt habitualis, per quam homo formaliter fit juſtus & ſanctus. Alia actualis, quæ (ſi ſit interior) eſt motus interior, quo anima movetur ad aliquid pium & ſalutare cognoſcendum, vel volendum, vel agendum. Si exterior, eſt ipſum externum beneficium, quatenùs per gratuitam Dei miſericordiam ad ſalutem noſtram ordinatum. Pag. 355. n. 17.

Gratia actualis rurſum alia eſt efficax, quæ dat velle & perficere; alia ſufficiens. Quæ, ſi ſit abſolutè ſufficiens, illa eſt præter quam alia non requiritur ad effectum, ad quem dicitur ſufficiens. Si non ſit ſufficiens niſi ſecundùm quid, illa eſt præter quam alia non requiritur, eo in genere, in quo ſufficiens dicitur, v. g. in genere prædicationis, vel alterius inſtructionis externæ.

Gratia abſolutè ſufficiens, alia eſt abſolutè ſufficiens ad poſſe, præter quam alia non requiritur ad poſſe. Alia abſolutè ſufficiens ad agere, præter quam alia non requiritur ad agere. Et hoc modo nulla gratia, in hoc ſtatu naturæ corruptæ, eſt abſolutè ſufficiens, niſi ſola gratia per ſe efficax. Pag. 356. n. 19.

In hoc ſtatu naturæ corruptæ nullum actum uſquequaque bonum homo efficere poteſt abſque auxilio gratiæ actualis. Pag. 364. & ſeqq. uſque ad 387.

Variæ Ludovici Molinæ propoſitiones, divinæ Scripturæ, Conciliis, & S. Auguſtini doctrinæ adverſantes, quibus liberum arbitrium plus juſto effert, gratiamque deprimit. Pag. 387. & ſeqq.

Hujuſmodi eſt propoſitio iſta: *facienti quod in ſe eſt viribus naturæ, Deus non denegat gratiam.* Pag. 392. & ſeqq.

Bona voluntas hominis, gratiam non præcedit, ſed ſubſequitur. Aliàs gratia ex merito datur. Quod damnatum eſt in Pelagianis. Pag. 398. & ſeqq.

Nulla Dei, etiam ut Authoris naturæ, propter ſe dilectio, etiam imperfecta, ab homine lapſo eſſe poteſt per naturam, ſed à Deo per gratiam. Pag. 401. & ſeqq.

Specialiter refellitur opinio, dicens, hominem lapſum, ſolis naturæ viribus, poſſe Deum ſuper omnia diligere, ut Authorem naturæ. Pag. 404. & ſeqq.

Ad diligendum Deum propter ſe, & ad quemcumque actum uſquequaque bonum, neceſſaria eſt gratia per ſe efficax, non ſufficit gratia Moliniſticè ſufficiens. Pag. 408. & ſeqq.

Neceſſitas illa gratiæ per ſe efficacis 1°. ducit ad humilitatem; contraria ab ea abducit. Pag. 418.

2°. ducit ad ſpem; contraria potiùs ad deſperationem. Pag. 419.

3°. ducit ad timorem ſalutarem; contraria ad præſumptionem.

4°. ducit ad orationem & gratitudinem; contraria ad ingratitudinem, & orationis negleƈtum. Pag. 420.

5°. accendit charitatem erga Deum; contraria eam frigidiorem reddit. Pag. 421.

6°. ſingularem excitat pietatem erga Salvatorem: ſecùs contraria. Pag. 422.

7°. provocat ad proximi charitatem, manſuetudinem, aliaſque virtutes; contraria non ſic. Ibidem.

8°. inducit ad pœnitentiam, fugamque peccati; non ſic contraria. Pag. 423.

9°. omnes excitat ad officium ſuum ſedulò obeundum; contraria ad torporem inclinat. Ibidem.

In ſtatu naturæ lapſæ non datur gratia Moliniſticè ſufficiens. Pag. 424. & ſeqq.

Eodem in ſtatu non datur omnibus, etiam urgente præcepto, gratia ſufficiens; ſed ea aliquibus juſto Dei judicio ſubtrahitur, ſaltem ad tempus. Pag. 429. & ſeqq. ubi id multifariam oſtenditur ex Scriptura & Patribus.

Ex Scriptura, Patribus, & rationibus Theologicis ſpecialiter demonſtratur, eam omnibus non dari infidelibus, obduratis, & excæcatis, eo in ſtatu. Pag. 435. & ſeqq.

Ex doctrina aſſerente gratiam Moliniſticè ſufficientem omnibus non dari, optima profluunt conſectaria; peſſima verò ex opinione, eam peccatoribus omnibus tribuente. Pag. 438. & ſeqq.

Gratia ſufficiens, omnibus actu data, 1°. neceſſaria non eſt ad hoc ut ſua peccatoribus peccata in ſeipſis ſint imputabilia. Pag. 441. & ſeqq.

2°. nec ad ſalvandam libertatem. Nec 3°. ad ſalvandam abſolutam mandatorum divinorum poſſibilitatem. Pag. 449. & ſeqq.

4°. nec ad ſalvandum quòd Deus vult omnes ſalvos fieri. Pag. 464. & ſeqq.

5°. nec ad ſalvandam Chriſti mortem pro ſalute æterna omnium. Pag. 469. & ſeqq.

Primò ergo omninò profitemur, nulla Dei mandata impoſſibilia eſſe juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, nec ipſis deeſt gratia quâ poſſibilia fiant. Pag. 475.

Secundò, interiori gratiæ, in ſtatu naturæ lapſæ, aliquando, imò ſæpè reſiſti. Pag. 417. n. 374. Et pag. 424. n. 393.

Tertiò, ad merendum & demerendum, in ſtatu naturæ lapſæ, requiri in homine libertatem à neceſſitate; non ſufficere libertatem à coactione. To. 1. pag. 203. n. 57

Quartò, hæreticum non eſſe, imò veriſſimum, gratiæ, etiam efficaci, humanam voluntatem poſſe reſiſtere, vel obtemperare. Ibid. pag. 204. & ſeqq. Et pag. 416. n. 373.

Quintò, veriſſimum eſſe, non Semi-pelagianum, dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe, non pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum. Pag. 469. n. 569.

Contrarias verò propoſitiones quinque, Innocentius X. Alexander VII. & S. D. N. Clemens XI. velut hæreticas, &c. juſtiſſimè damnarunt, cumque ipſis Theologia noſtra Sanctorum, prout ipſi damnant, omni cum ſinceritate, toto corde & ore & ipſa damnat, reprobat, deteſtatur. Ipſorum namque Conſtitutionibus omnimodam ſubmiſſionem ab Orthodoxis omnibus eſſe debitam docet. Pag. 115. n. 3. Et pag. 450. n. 536. Unde & iiſdem opponit quinque articulos, ab Alexandro VII. approbatos. Pag. 504. & 505.

Et non ſolùm juſtis volentibus & conantibus, ſed & iiſdem non volentibus, nec conantibus, ſed velle & conari negligentibus, imò & de ſe præſumentibus, in pœnamque iſtius negligentiæ ac præſumptionis, gratiâ actuali, ad vincendam tentationem neceſſariâ, juxta doctrinam Sanctorum ſubinde deſtitutis, nulla Dei mandata eſſe impoſſibilia, Theologia noſtra, ſeu Sanctorum, docet. Pag. 475. & ſeqq. Et ne ipſis quidem injuſtis, ſeu peccatoribus, omni gratiâ deſtitutis, Dei mandata abſolutè & ſimpliciter eſſe impoſſibilia. Pag. 450. & ſeqq.

Gratia per ſe efficax, in ſtatu naturæ lapſæ, æquè neceſſaria eſt ad orandum, quàm ad agendum. Pag. 486.

Deo nunquam imputandum eſt, quòd juſtus, gratiâ ex ſe efficaci (licèt ad vincendam actu tentationem neceſſariâ) deſtitutus, tentationi ſuccumbat. Quia prima iſtius deſtitutionis cauſa ſemper eſt in homine peccatum, actuale, vel originale. Pag. 489. & ſeqq.

Totam hanc de gratia doctrinam confirmant celebres Cenſuræ, Lovanienſis & Duacenſis, per S. Officium ſub Innocentio XI. approbatæ. Pag. 503.

GULA.

Gula est inordinatus appetitus edendi & bibendi. To. 1. pag. 599. n. 154.

Est peccatum ex genere suo mortale. Ibid. n. 155.

Dividitur in crapulam, seu comessationem, & ebrietatem. Ibid. n. 156. De ebrietate vide verbo *ebrietas*.

Crapula est comessatio, quâ quis ad vomitum comedit & bibit. Eam, licèt ad vomitum quispiam se provocet, ut ampliùs edat & bibat, absque scandalo, & notabili sanitatis damno, mortalem non esse, Juniores aliqui dicunt. Sed hoc non videtur probabile. Pag. 600. n. 157.

Gravem excessum, non solùm in potu, sed & in cibo, mortalem esse, ex Scriptura probatur. Ibid. n. 160.

Filiæ gulæ sunt inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis. Pag. 601. n. 167.

Sacrilega scurrilitas est, divinæ Scripturæ verbis & sententiis uti ad scurrilia, fabulosa, vana, &c. Pag. 602. n. 173.

H.

HÆRESIS.

Hæresis (si sit formalis, non materialis dumtaxat) est error voluntarius, & pertinax, contra fidem, in eo qui se Christianum profitetur. To. 2. pag. 136. n. 248.

Pertinaciam esse de ratione ipsius, ostenditur ibidem n. 251.

Pertinacia illa consistit in eo quòd sciens & volens quis amplectatur errorem, Catholicæ fidei, sibi sufficienter propositæ, repugnantem. Ibid. n. 252.

Hæresis est ex genere suo maximum peccatum, in genere infidelitatis. Pag. 137. n. 253.

Quisquis errorem sic tuetur, ut paratus sit judicium suum Ecclesiæ judicio submittere, non est formaliter hæreticus. n. 254. Nec ille qui errat in fide ex ignorantia, etiam mortaliter culpabili, animo tamen parato ad credendum, quod Romana credit Ecclesia, si ei sufficienter proponatur. n. 255.

Errantes contra fidem ex ignorantia, affectata ex solo addiscendi tædio, animo tamen parato, &c. non sunt formaliter hæretici. Secus, si ignorantiam affectent ex contemptu Ecclesiæ, ita ut non curent, sed spernant scientiam dogmatis Ecclesiæ, quia sic dispositi sunt, ut non crederent, licèt illud scirent. n. 257.

Probabile est, in partibus hæreticorum, ubi nullum est publicum Catholicæ Religionis exercitium, in nonnullis solùm materialem esse hæresim, quam à parentibus suxerunt. Eò quòd res fidei non sint ipsis sufficienter propositæ. Pag. 138. n. 260.

Illi tamen formaliter hæretici sunt, qui Ecclesiæ Romanæ credere nolunt, nisi priùs argumentis convincantur. n. 261.

Positivè dubitans de veritate fidei, quam scit ab Ecclesia definitam, est formaliter hæreticus. n. 262.

Non sic negativè dubius, si propterea judicium suspendat, quia Ecclesiæ definitio non est ipsi sufficienter proposita. n. 263.

Hæretici formales excommunicati sunt, excommunicatione majori, per Bullam Cœnæ S. Pontifici reservatâ; privatique Ecclesiasticâ sepulturâ, & omni jurisdictione Ecclesiasticâ, omni dignitate, honore, beneficio & officio Ecclesiastico, & ad omnia beneficia inhabiles, irregulares, & infames, infamiâ juris. Pag. 139. n. 267. Puniuntur insuper pœnâ mortis & confiscatione bonorum, per leges imperiales, & per varios Canones privantur jurisdictione & officio temporali; subditique ipsorum absolvuntur à debita ipsis fidelitate. Ibid. n. 266.

HYPOTHECA.

Hypotheca & pignus in eo solùm differunt, quòd pignus sit res mobilis; hypotheca r immobilis, obligata pro debito, ad ipsius securitatem, ut ex illa haberi possit solutio, si aliunde deficiat. To. 2. pag. 425. n. 576.

HOMICIDIUM.

Solâ Dei authoritate hominem occidere licet. To. 2. pag. cxliij. n. 10. & seqq.

Malefactores, Reipublicæ noxii, etiam pro solo furto, à Magistratibus licitè occiduntur. Sicut & hostes à Principibus, in bello justo. Pag. cxlv.

Fas non est, privatâ authoritate occidere injustum invasorem vitæ. Pag. cxlvj. n. 27. & seqq.

Multò minùs injustum invasorem bonorum temporalium. Pag. cl. n. 58. & seqq.

Nec injustum invasorem pudicitiæ. Pag. clv. n. 94. & seqq.

Nec injustum invasorem honoris & famæ. Pag. clvj. clvij. & clviij.

Rejiciuntur exorbitantes propositiones de homicidio. Pag. clxiij. & clxiv.

Malefactor seipsum interficere non potest, ne publicâ quidem authoritate. Pag. clxvij. n. 168. & seqq.

Innocentem directè & per se occidere, nunquam licet. Pag. clxix.

Neque ipsi Judici fas est capitis damnare probatum in judicio nocentem, quem privatâ scientiâ certò scit innocentem. Pag. clxxj. & seqq.

Se, vel alium, mutilare solùm licet quando necessarium est ad salutem totius. Pag. clxxiij.

HORÆ CANONICÆ.

Ad eas sub mortali tenentur beneficiati omnes, etiamsi in sacris non existant. To. 2. pag. xiv. n. 79.

Omnes item Clerici, existentes in sacris, saltem post annos pubertatis. Pag. xv. n. 80. & seqq.

Religiosi ad Chorum professi, etiam in sacris non existentes, sicut & Moniales ad Chorum similiter professæ, secluso speciali Ordinis sui Instituto, vel Apostolicâ dispensatione, sub mortali ad eas, etiam extra Chorum tenentur. Pag. xvj. n. 91. & seqq.

Nec contraria paucorum Novatorientium opinio practicè probabilis est. Ibidem.

Ad eas quoque extra Chorum recitandas, sub mortali tenentur virgines Collegiales, quæ in Belgio & Germania Canonissæ vocantur, dum eas à Choro absentes esse contingit. Pag. xxij. n. 118. & seqq.

Qui ex beneficio ad eas tenentur, ex justitia tenentur; sub obligatione proinde restitutionis, si omittant. Qui verò solùm tenentur ratione sacri Ordinis, vel religiosæ professionis, ex sola religione tenentur. Ibid. n. 120. & seqq.

Datur in omissione parvitas materiæ, vel scilicet media pars horæ parvæ, vel d.g. aut tres Psalmi. Ibid. n. 122.

Mortale est loco Officii dici assumere aliud notabiliter differens ab illo, vel notabiliter brevius. Pag. xxiij.

Non est liberum recitare ex quovis Breviario, sed recitandum ex Breviario ab Ecclesia, consuetudine loci, vel ab Ordine præscripto. Pag. xxiv.

Ex justa causa, v. g. itineris, vel occupationum legitimarum, licitum est horas usque ad Vesperas manè recitare. Idem de Vesperis & Completorio plerisque Doctoribus videtur. Sed id incertum, saltem secluso privilegio. Pag. xxv. n. 142.

Horas in tempus vespertinum differre, eo prætextu quòd matutinum aptius sit studio, permittit Sanchez; sed non videtur probandum. Ibid. n. 142.

Matutinum cum Laudibus legendum est, antequam Sacrum legatur, nisi causa rationabilis excuset. Pag. xxvj. n. 144.

Absque causa horarum ordinem invertere in privata recitatione, communi Doctorum judicio non videtur nisi veniale.

Per involuntariam distractionem dubius an omnia dixerit, si reperiat se in fine Psalmi, vel horæ, & timoratæ sit conscientiæ, juxta S. Francisceum Salesium non debet repetere, nisi ipsi constet de omissione. Pag. xxvij. n. 154.

Qui non utuntur Breviario Romano, sed proprio alicujus Diœcesis, vel Religionis, in privata recitatione probabiliùs tenentur ad Officium parvum B. Virginis, Officium defunctorum, Psalmos Graduales, Pœnitentiales, & ad Litanias majores, diebus in Breviario præscriptis. Eò quòd sint pars Officii Canonici, ex communi sensu Majorum, & consuetudine, quæ est optima legum interpres. *Communis* enim *consuetudo est, ut* Officium B. Virginis, &c. *computetur inter horas*, ait Sylvester verbo *hora* §. 6. Resista est opinio Doctorum longè graviorum. Pag. xxxiv. n. 196. & seqq.

Febri, seu morbo leviter laborantes, non excusantur ab horis. S. Carolus cum Concilio Mediol. IV. Pag. xxxvj. n. 207. Febris proinde tertiana vel quartana regulariter non excusat. Ibidem.

Ille qui (ex febrili paroxismo v. g.) prævidet futurum, ut suo tempore non possit horas recitare, tenetur prævenire, horas vespertinas v. g. manè recitando. n. 211.

Impotens ad majorem Officii partem, tenetur ad minorem, cujus est potens. Pag. xxxvij. n. 212.

Non potens horas recitare solus, benè cum socio, ad hoc tenetur, si socium habere possit. Ibid. n. 213.

Nec excusantur Concionatores, quotidie concionem habentes, nec Confessarii tempore Jubilæi multitudine pœnitentium obruti. n. 215. & 216.

Nec probanda opinio, legitimè occupatum usque ad meridiem excusans ab horis matutinis. n. 217.

Prælati Ordinum Mendicantium, plurimorumque aliorum Ordinum, privilegium habent, cum subditis suis infirmis, senibus, valetudinariis, scrupulosis, &c. super horis recitandis dispensandi, in dubio de sufficientia causæ. Sicut & iis satisfaciendi, recitando aliquos Psalmos, vel id quod suis Confessariis rationabile visum fuerit. Pag. xix. n. 108. & pag. xxxviij. n. 220.

I.

JEJUNIUM.

JEjunium Ecclesiasticum in tribus consistit; 1. in abstinentia à certis cibis. 2. in abstinentia à pluribus refectionibus. 3. in certa refectionis hora. To. 2. pag. ccxxxvj. n. 2.

In abstinentia carnium datur materiæ parvitas, sed eam aliqui nimis laxè determinant ad dimidiam carnis unciam. Diana determinat ad octavam unciæ partem. Sed an ea absque mortali sumi possit, incertum est. Unde qui eam comedisset, confiteri deberet, tamquam de mortali dubio. Quomodò & se accusare debet, qui facit aliquid illicitum, quod an mortale sit, an non, prorsus incertum est. n. 3.

Ubi consuetudo est abstinendi ab ovis & lacticiniis in Quadragesima, sub mortali servanda est. Pag. ccxxxvij. n. 7.

Cœnulam diebus jejunii consuetudo permittit; sed mensuram ipsius periculosè juniores aliqui pro suo quique arbitrio determinant; alii tres, alii quatuor, alii octo cibi uncias. Tutiùs sumitur quantitas minor quàm major. *Panis unciam cum dimidia* S. Carolus assignat. n. 9. & 10. Nec tamen hoc scrupulosiùs sit accipiendum, ut culpandus sit, qui paulò plus sumit; uti nec qui in Belgio nostro, cum modico panis, butyrum, caseum, pisciculos in modica sumit quantitate. Sic enim piorum habet consuetudo, quæ cœnulam introduxit. Tutò proinde practicabilis, in locis ubi talis est piorum consuetudo. Pag. ccxxxviij. n. 8.

Refectionis hora hodie est meridies vel circiter. Nec notabiliter anticipari potest absque mortali. Nam *qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit*, ait S. Thomas. Ibid. n. 11. & seqq.

Prorsus improbanda est opinio, dicens, eum qui manè, justa vel injusta de causa prandium sumpsit, non teneri amplius eo die jejunare. Pag. ccxxxix. n. 16. & 17.

Robusti, & cibis vilioribus assueti, in die jejunii non habentes nisi carnes, eas comedere non possunt, si saltem panem habeant. Ibid. n. 20.

Justa de causa dispensatus super carnium esu, eo ipso dispensatus non censetur super pluribus refectionibus. n. 21.

Impotens ad jejunium totius Quadragesimæ, alternis diebus, vel bis aut ter in hebdomada jejunare debet, si ad hoc non desint vires. n. 22.

In illis diebus, quibus ova & lacticinia permittuntur, pinguedo & laridum non permittitur. Nec laridum illis diebus, quibus pinguedo, & jusculum permittitur, ut sabbatinis diebus in quibusdam Brabantiæ & Hannoniæ locis consuetudo permittit, dum non est jejunium Ecclesiasticum. Pag. ccxl. n. 27.

Pueris, necdum adeptis usum rationis, in die jejunii carnes ministrari possunt. Ibid. n. 30.

Ille qui per secundam refectionem jejunium violavit, adhuc peccat per tertiam, quartam, &c. n. 31.

Mortale est, in die jejunii, manè prandium sumere, absque justa causa. Pag. ccxli. n. 36.

A mortali non excusantur Cauponarii, die jejunii cœnam ministrantes ad jejunium obstrictis, quos sciunt prandium meridie sumpsisse. Ibid. n. 37. Sicut & illi, qui hospitibus & viatoribus, non dispensatis, vetitos in Quadragesima cibos apponunt. Ibid.

Quamvis Ecclesia hodie non prohibeat potum, necessarium ad sitim sedandam, extra refectionis horam: hinc tamen inferendum non est, jejunium nunquam solvi per potum. Solvitur enim per cervisiam valdè crassam, multùmque substantiosam, per hypocras, per chocolatam, sumptam extra horam refectionis. Pag. ccxlij. n. 44. & seqq.

Effatum istud, malè intellectum, *liquidum non frangit jejunium*, januam aperit laxitatibus non ferendis. n. 47. 48.

Benè valentibus & robustis non licet manè modicum sumere jentaculum, sed solis debilibus, quibus Medici judicant necessarium. Pag. ccxliij. n. 51.

In die jejunii, nec in Germania, nec alibi licet prandium ad tres vel quatuor horas protrahere. Ibid. n. 55.

Jejunii meritum perdunt, qui die jejunii varia gulæ in cibis & liquoribus irritamenta exquirentes, negotium non agunt domandæ carnis, imò potius voluptatis. n. 56.

In Quadragesima, aliisque jejunii diebus, juxta SS. Patres, & Canones, Christiani hominis officium postulat abstinentiam à petitione debiti conjugalis. Pag. ccxliv. n. 58. & seqq.

Nimis laxa, imò ridicula est opinio, à jejunio excusans maritum, prætendentem, se uxori condormire non posse, simul & jejunare. Sicut & uxorem, non valentem se gratam servare viro, ob maciem. Et puellam nubere volentem, si ex continuato Quadragesimæ jejunio speciositatem vultûs sic minueret, ut de facie, extra suum morem, notaretur. Pag. ccxlv. n. 70. & 71.

A jejunii observantia tres causæ excusant, labor necessarius, infirmitas & ætas cum jejunio incompatibilis. Pag. ccxlvj. n. 73. Si tamen peregrinatio & labor commodè differri, vel diminui possit, non sunt propter hoc jejunia prætermittenda. S. Thomas ibidem.

Ratione ergo laboris non excusantur omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, nec Typographi, Scribæ, Notarii, Procuratores, Advocati, Consiliarii, Judices; nec Musici, Sartores, Barbitonsores, Pictores, nentes, fila ducentes, &c. Ibid. & n. 74. & seqq.

Nec omnes facientes iter trium, quatuor, aut quinque leucarum belgicarum (seclusis circumstantiis, v. g. magni æstûs, viæ valdè arduæ, à persona delicatæ complexionis percurrendæ) prout nonnulli censent, absque alio fundamento, quàm arbitrio suo. Sed soli illi, qui labore, vel itinere ita affliguntur, ut simul cum jejunio iter, vel laborem necessarium perficere non possint. Ibid. n. 78. fit pag. ccxlvij. n. 79.

Qui dormire nequit, nisi sumptâ cœnâ, non excusatur à jejunio, si isti incommodo obviare possit, meridie collationem, vespere cœnam sumendo. n. 80.

Neque excusantur venatores, absque necessitate, pro solo beneplacito, multùm in venatione laborantes. n. 82.

Nec a jejunii lege excusat absque morali impossibilitate, sola jejunandi difficultas, quâ v. g. fit, ut Scholasticus jejunando non ita commodè studeat, femina servilia operæ nonnisi difficulter faciat, &c. n. 83.

Excusantur tamen, qui adeò laborant, plures v. g. conciones eâdem die habendo, confessiones totâ die, vel majori parte diei audiendo, infirmis totâ nocte, vel majori illius parte assistendo, totâ etiam die in eorum servitio se fatigando, &c. ut piis illis functionibus (jejunio per se melioribus) vires ipsis multùm exhauriantur. n. 84.

Ob solam tamen peregrinationem, licèt piam, si commodè differri possit, solvendum non est jejunium; multò minùs ob fatigationem magnam ex labore, nec pio, nec necessario, sed prorsus voluntario, v. g. ex lusu pilæ. Ibid.

Ratione ætatis (juxta S. Thomam) pueri utplurimùm excusantur usque ad annum vigesimum primum completum; licèt adolescentes Religiosi ad jejunia sibi per Regulam præscripta vi religionis suæ professionis obligentur; qui tamen mortaliter non peccant, jejunia Ecclesiastica non servando, nisi sub mortali per Regulam injungantur. P. ccxlviij. n. 87.

Convenienter tamen est, ut adolescentes, etiam non Religiosi, ante annum vigesimum primum completum, *se ad jejunandum exercecant, plus vel minus, secundum modum suæ ætatis*, ut dicit S. Thomas: maximè cùm non rarò, ante tempus istud, esse desinant in statu augmenti; quâ solâ ratione excusantur, si validi sint. Et ut excusarentur à jejunio

nii lege Ecclesiasticâ, certè non ãlege naturali, quâ tenentur ebullientes malas concupiscentias per jejunium refrænare, juxta Confessarii prudentis arbitrium. Ibid. n. 88.

Ad senes quod attinet, si sunt multùm debiles, excusantur ut infirmi; non ita, si sunt fortes & vegeti ad sufferendum jejunium, licèt sexagenarii sint. n. 89. & 91.

Excusantur tamen, qui sunt in ætate decrepita, seu (ut Toletanum VIII. loquitur) languente & *incurvante*. Ibid.

Prægnantes quoque & lactantes Doctores passim excusant. Quia non solùm sibi, sed & aliis eas oportet edere. n. 92.

Denique pauperes, *si possunt sufficienter habere quod eis sufficit ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem à jejuniis Ecclesiæ*, inquit S. Thomas; licèt excusentur, *qui frustatim eleëmosynas mendicant, quia non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat.* n. 93.

JESUITÆ.

Theologiam hanc Sanctorum de Jansenismo accusant (prout Romanæ nuntiant Litteræ;) sed perperàm, ut manifestum videri potest ex dictis verbo *gratia*.

Perperàm quoque eam accusant de Rigorismo. Cùm nullum tradat rigorem ab Ecclesia damnatum, sed ex Scriptura, Patribus, & ratione Christiana probatum. Nec aliis videatur nimis severa, nisi quorum Theologia videtur nimis laxa, prout dicit Eminentiss. Aguirius in præfat. to. 1. Concil. Hispan. Et quid mirum quòd ab iis de Rigorismo arguatur, qui de eo S. P. N. Eliam redarguere non verentur? Hoc utique facere non veretur Franculinus, Jesuita Romanus, aiens, quòd ipsum Deus, ob rigorem nimium, è terra sustulerit. An non ridiculè, an non temerè, an non parum piè (modestia dicere non permittit impiè) judicet Sanctissimus.

Denique ex ipsis nonnulli objiciunt acrimoniam stYli nostri. Sed excusabilem, ob ea quæ profero in Admonitione ad Lectorem to. 3. præfixa. Id igitur excusare, & indulgere dignentur filio, sancti Patris sui Eliæ exemplo, zelo sanioris doctrinæ, salutisque animarum zelato pro Domino Deo exercituum. Acrimoniam equidem illam (prout ibi dixi) jam deletam & correctam volo, obsecrans Reverendos Patres, ut quod sibi fieri nolunt, aliis non faciant, prout ex ipsis tam multi faciunt.

IGNORANTIA.

Ignorantia prorsus antecedens, & involuntaria, causat involuntarium simpliciter: secùs ignorantia consequens ac voluntaria. To. 1. pag. 186. & 187.

Malitiam actûs invincibiliter & inculpatè non ignorat, quisquis ad eam actu non advertit. Cùm ad ignorantiam, & inadvertentiam vincibilem ac voluntariam sufficiat sic posse & debere advertere, ut ex culpa inadvertentis sit, quòd non advertat. Pag. 697. à num. 13. usque ad 59.

Ex contraria opinione prodiit damnatum dogma de peccato philosophico. Pag. 706. n. 59. & seqq.

Prodeunt & alia horrenda consectaria. Pag. 712. & seqq.

Peccata, quæ committuntur ex ignorantia, vel inadvertentia culpabili, sunt in seipsis imputabilia, non in causa dumtaxat. Pag. 721. 722. &c.

Plurimæ sunt in nobis ignorantiæ, & inadvertentiæ culpabiles, de quibus cavendis nulla nobis occurrit cogitatio. Pag. 724. n. 139.

Infidelitas, Judaismus, hæresis, est culpabiliter & imputabiliter in multis, certò persuadentibus sibi, in vera se religione esse, tametsi ipsis dubitandi ratio non subierit aliquando. Ibidem n. 140.

Multi & valdè multi formaliter peccant, absque remorsu conscientiæ, sibique malè abblandiuntur sub prætextu inadvertentiæ, vel incogitantiæ. n. 141.

Inexcusabiles sunt illi, in quibus ingens affectus ad peccatum, peccandivè consuetudo, conscientiam sic suffocat, ut nullo peccati sensu afficiantur. Pag. 725. n. 142.

Maledictiones, juramenta, blasphemiæ, & similia, iis imputantur, qui in ea inadvertenter prorumpunt ex iracundia culpabili (ex qua solent in ea prorumpere) si ad istius iracundiæ emendationem seriò non allaborent. Ibid. n. 243.

Ignorantia juris, etiam naturalis, verè invincibilis, & involuntaria, excusat in totum à peccato. Pag. 661. n. 34.

Si tamen hìc & nunc vincibilis sit per gratiam, & hæc alicui desit in pœnam præcedentis peccati ipsius, censenda non est invincibilis, nec proinde in totum excusans. Pag. 662. n. 36.

Non datur ignorantia juris naturæ practicè prorsus invincibilis. à pag. 675. ad 688. & seqq.

Peccata carnis, fornicatio, mollities, &c. nunquam censeri debent ignoranter commissa ignorantiâ invincibili, & prorsus inculpatâ. Pag. 679. n. 98. & seqq.

INCESTUS.

Grandis est malitia ipsius. To. 2. pag. cxcv. n 143.

Copula Confessarii cum filia confessionis non est incestus. Ibid. n. 140.

Incestus omnes non sunt unius speciei. Pag. cxcvj. n. 147. & seqq.

INDULGENTIA.

Abjicienda est hæc propositio: *nulla, vel modica satisfactio imponenda est, dum pœnitens confitetur ad lucrandum Jubilæum, vel aliam Indulgentiam plenariam.* To. 3. à pag. 577. usque ad 582. inclusivè.

Illi soli plenariè lucrantur Indulgentiam plenariam, qui imprimis deponunt omnem affectum ad quodcumque peccatum, etiam veniale. Secundò, qui pro posse suo, seu humanæ fragilitate, satisfaciunt pro peccatis suis. Tertiò, adimplent conditiones omnes à S. Pontifice præscriptas. Tunc quippe, aliàs non, Indulgentia, seu per eam applicatio thesauri meritorum Christi & Sanctorum, supplet residuum pœnæ pro peccatis debitæ. Ibidem.

IRREGULARITAS.

Est impedimentum Canonicum, quo quis prohibetur promoveri ad Tonsuram, & Ecclesiasticos Ordines, & in susceptis ministrare. To. 3. pag. 653. n. 137.

Parit incapacitatem ad Beneficia Ecclesiastica. n. 138.

Irregularitas una est ex delicto, ad quam non sufficit delictum veniale. Altera ex defectu. n. 138.

Irregularitas ex delicto incurritur 1. ex hæresi & apostasia à fide. 2. ex iteratione baptismi. 3. ex indebita sacri Ordinis susceptione, vel ministerio, dum scilicet Ordines suscipiunt ad eos non admissi, vel majori excommunicatione, vel aliâ Censurâ ligati, vel isti in eis ministrant, sicut & qui ministrant in Ordine quo carent. 4. ex illicito homicidio voluntario, vel mutilatione. 5. ex homicidio casuali, & non intento, dum contingit dando operam rei illicitæ. Pag. 656. n. 175. 176. 177. 178. 181. 182.

Irregularitas ex defectu incurritur à Judicibus legitimè condemnantibus ad mortem, & cæteris ad id concurrentibus & cooperantibus; necnon à bygamis, & omnibus infamibus ex delicto vero, vel præsumpto. Ab occidentibus quoque injustum invasorem bonorum temporalium, vel famæ; non ab occidentibus injustum invasorem vitæ, dum eam aliter salvare non possunt. Pag. 674. & 675.

JUDICIUM TEMERARIUM.

Est peccatum ex genere suo mortale contra justitiam. To. 2. pag. ccxxx. n. 130.

Temerarium est, dum levibus & insufficientibus nititur indiciis. Ad quorum insufficientiam necesse non est actu advertere, sed sufficit advertere actu vel potestate, & obligatione semovendi omnem passionem, invidiam, malevolentiam, &c. quibus sepositis, insufficientia illa per debitam considerationem facilè animadverteretur. Pag. ccxxxi. n. 136.

Etiam opinio, suspicio & dubitatio temeraria, si notabili cum temeritate concipiantur, peccata sunt ex suo genere mortalia, tametsi plerumque non sint nisi venialia. Pag. ccxxxij. n. 139. & seqq.

Regulæ, secundùm quas dubia meliorem in partem interpretanda sunt. Pag. ccxxxiv. n. 154. & seqq.

JURAMENTUM.

Juramentum est assumptio divini nominis in testimonium, &c. To. 2. pag. xcv. n. 1.

Est actus bonus, si fiat cum veritate, judicio & justitia. Pag. xcvij. n. 8. 9. & seqq.

Quicumque jurat aliquid se facturum, sub mortali tenetur ad faciendum, nec juramenti veritas alioqui impletur. Nec enim sufficit, quòd dum te facturum promisisti, te facturum intendisti, si posteà animum mutes. Pag. xcviij. n. 14. 15. 16.

In materiis à matrimonio distinctis, juramentum gravi metu injusto extortum obligat, si res promissa honestè præstari queat; licèt tunc juramenti obligatio per legitimam potestatem relaxari possit. Pag. xcix n. 17. & seqq.

Juramentum promissorium ficto animo factum, licèt illici-

illicitum, est obligatorium. Ibid. n. 22. 23. & seqq.

Perjurus est quisquis juramenti verba dolosè profert, absque animo jurandi, vel se obligandi, vel implendi quod promissum est. Pag. c. n. 27.

Prorsus illicitus est restrictionum purè mentalium usus, non solùm in juramentis, sed & in judiciis, in contractibus, & in omni humana conversatione. Quia restrictiones illæ verissima sunt mendacia. Pag. cj. n. 49. & seqq. usque ad 72.

De re secretò, etiam sacramentali, interrogatus, mortaliter peccat, si juret se nescire (cùm sciat) subaudiendo intra se, *nescio ut revelem*. Pag. cviij. n. 77. Nec tamen sacrum arcanum revelare potest, etiam aliàs morte afficiendus: sed, si secretum prodere compellatur, vel jurare se nescire; dicere debet: *non prodam, nec mentior*. Ibid.

Justa de causa juramentum licitè exigitur, vel suscipitur, ab infideli, qui scitur juraturus per falsos Deos. Pag. cxj. n. 93. & 94.

Homo tamen privatus illicitè quemquam inducit ad jurandum falsum, sciens esse falsum, licèt jurans putet esse verum. Pag. cxij. n. 95. & seqq.

L.

LEX.

OMnia huc pertinentia habes Tomo 2. in Indice Capitum libri primi.

LOCATIO ET CONDUCTIO.

Etiam huc pertinentia habentur ibidem, in Indice Capitum libri 4. cap. 47. 48. & 49.

LUDUS ET SPONSIO.

Ibidem. c. 52. 53. 54. 55. 56.

LUXURIA.

Vide in Indice tomi 1. l. x. p. 2. cap. 8. 9. 10. & 11.

M.

MARTYRIUM.

HAbes in Indice Capitum Tomi 2. lib. 7. c. 2. 3. 4. & 5.

MATRIMONIUM.

Observanda ab iis, qui ad matrimonium tendunt. To. 2. lib. x. p. 6. cap. 13.

Cætera habes in Indice Capitum Tomi 3. lib. 8. p. 2. à c. 1. usque ad libri finem. Sanctorum de matrimonii usu doctrinam habes ibidem cap.... Sicut & peccata conjugum contra sextum præceptum. To. 2. lib. 10. c. xiv. Et to. 3. l. 8. p. 2. c....

MENDACIUM.

Mendacium omne est intrinsecè malum, nulloque omninò casu licitum. To. 2. pag. ccxiij. n. 6. & seqq.

Etiam simulatio, per quam aliud factis significatur, quàm in mente habeatur, mendacium est. Ibid.

METUS.

Metus est instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. Duplex est, gravis & levis. Gravis est quo certò vel probabiliter timetur grave malum, grave utique, vel absolutè, vel respectivè ad personam talis ætatis, vel sexûs. Leve, quo non timetur nisi malum leve, vel grave facilè impedibile, vel ex levi, non ex probabili fundamento. To. 1. pag. 181. n. 114.

Simpliciter voluntarium est quod ex metu fit: secundùm quid dumtaxat involuntarium. Et hoc nonnisi dum in voluntate, agente vel omittente rem aliquam ex metu, præexistit, & moraliter adhuc existit affectus erga rem illam secundùm se consideratam. Quia ex affectu isto involuntarium illud formaliter provenit, non ex metu. Pag. 182. n. 17. & 18.

Et hinc quandocumque res, secundùm se prædilecta, abjicitur ex solo timore mali extrinseci, nulla alia ex causa, non abjicitur præexistens affectus erga rem illam secundùm se consideratam. Pag. 182. n. 120.

Votum solemne (imò & simplex, prout Doctores communiter putant) gravi metu injusto extortum, saltem jure Ecclesiastico hodie est invalidum. To. 2. pag. 377. n. 195. & 199. Non ideò tamen homo, qui ex tali metu sacros suscepit Ordines, deobligatus est à servanda castitate, ab horis recitandis, nec à non contrahendo sine dispensatione matrimonio. Tametsi enim ad ista non sit obligatus ex voto; obligatus est ex Ecclesiæ lege. Ibid. n. 197.

De contractibus ex metu contractis, vide suprà verbo *contractus*.

MISSA.

Vide verbo *Eucharistia*.

MONOPOLIUM.

Monopolia, quibus Mercatores inter se conspirant, ut ipsi soli certas merces vendant, vel eas vendant eo, quod ipsi constituerint, pretio, vel alio quocumque modo caritatem inducunt, prorsus injusta sunt, humano generi exitiosa, commerciorum æquitati & justitiæ contraria; ad restitutionemque adeò gravem propter ea Monopolistæ obligantur, ut vix totâ vitâ sufficere queant. To. 2. pag. 443. n. 712. 713. 714. & seqq.

MUTUUM.

Mutuatarius tenetur 1°. rem mutuatam, in eadem specie, quantitate & qualitate, suo tempore reddere. 2°. si fuerit in mora, tenetur de damno, & lucro cessante. 3°. tenetur de casu fortuito rei mutuatæ, ita ut ipsi pereat res mutuata, si pereat. To. 2. pag. 481. n. 230.

Mutuator tenetur mutuatarium monere de vitio rei, nec eam repetere statim, nec plus exigere, quàm valeat res mutuata. Ibidem n. 231.

In iis rebus, in quibus per se spectatur & intenditur physica entitas rei, res mutuata restituenda est in eadem specie physica, ut vinum pro vino. In pecunia verò, licèt reddi debeat pecunia pro pecunia; non tamen eadem in specie physica, sed eadem in valore, quem habuit tempore mutui, seclusâ speciali conventione. Pag. 382. n. 233.

N.

NEGOTIATIO.

NEgotiari propriè est rem alienam sibi comparare, ut eadem immutata vendatur, vel permutetur cum lucro. To. 2. pag. 434. n. 640.

Negotiatio non est generatim illicita. Quia lucrum, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium; nihil tamen importat in sui ratione vitiosum. Ibid. n. 641.

Quia tamen de se deservit cupiditati lucri, & frequenter non exercetur sine vitio, & nimis implicat animum sæcularibus curis, negotiatio Clericis per sacros Canones interdicta est, sicut & tutela, & curatela. Ibid. n. 643.

NOMEN DEI.

Quinam assumant nomen Dei in vanum, vide to. 2. pag. cxvj. n. 119. & 120.

O.

ODIUM.

ODium, sive abominationis (quod est aversio voluntatis ab aliquo propter malum, quod in ipso concipitur) sive inimicitiæ, quo alicui malum optatur, quâ malum ipsius, est peccatum ex suo genere mortale, oppositum charitati; licèt odium proximi aliquando solùm sit veniale, propter imperfectionem consensûs, seu deliberationis, vel ob parvitatem mali voliti, vel propter levitatem aversionis, aut displicentiæ de proximo. To. 2. pag. 298. n. 404.

Odium abominationis Dei, seu aversio à Deo, peccatum est diabolicum, aliis peccatis gravius: quia per illud voluntas secundùm se avertitur à Deo, non per alia peccata. Ibid. n. 405.

Qui contra proximum habuit odium inimicitiæ, in confessione manifestare debet speciem mali proximo voliti. Ibidem n. 407.

OMISSIO.

Peccatum omissionis externum tunc demùm committitur, cùm tempus est non omittendi; internum, dum quis expressè vel interpretativè vult omittere. To. 2. pag. 657. n. 1.

Non omnis actus, cum omissione culpabili conjunctus, participat malitiam ipsius; sed ille tantùm, qui causa est omissionis. Ibid. pag. 658. n. 5.

Plurimæ sunt omissiones culpabiles, ad quas major pars fidelium non reflectit; sunt tamen peccata, proximæque plurium aliorum peccatorum occasiones. Ibid. n. 7.

OPINIO PROBABILIS.

Vide verbo *conscientia*.

ORATIO.

Nullum est tempus, quo divino non egemus auxilio: in omnibus proinde actibus & causis, Deus orandus est. To. 2. pag. x. n. 46.

Conditiones ad orandum necessariæ sunt 1°. attentio ad Deum. 2°. pietas & humilitas supplicantis. 3°. fides, & spes, seu fiducia obtinendi à misericordia Dei quod petitur. 4°. fervor tepiditatem excludens. 5°. assiduitas & perseverantia. 6°. ut oratio sit alata, id est bonis operibus sociata, maximè jejunio & eleëmosynâ. Ibidem, & pag. xj. n. 47. & seqq.

Oratio cum hisce conditionibus infallibiliter impetrat id quod pro se quis petit, si necessarium sit, vel utile ad salutem. Ibid. n. 54. & seqq.

Pro viatoribus omnibus orandum, & animabus purgantibus, non pro damnatis. Pag. xij. n. 61.

Solus Deus orandus est, tamquam fons & principium bonorum omnium; Christus, tamquam primarius Mediator noster apud Deum; Sancti, tamquam Mediatores secundarii, qui per Christum, & merita ipsius, bona aliqua nobis impetrare possunt. Pag. xiij. n. 68. & seqq.

ORDO.

Vide in Indice capitum Tomi 3. ubi omnia huc spectantia continentur cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16.

OSCULA.

Oscula, aspectus, amplexus, & tactus libidinosi, etiam manuum, peccata sunt mortalia. To. 2. pag. clxxxvij. n. 80. & seqq.

Damnata est propositio hæc: *Est probabilis opinio esse tantum veniale osculum, habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo nascitur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.* Ubi per delectationem *carnalem & sensibilem*, intelligi videtur libidinosè sensibilis, id est ex se provocativa spirituum generationi servientium. Pag. clxxxviij. n. 84. & 85.

Proinde opus non est quòd oscula (& idem est de tactibus & amplexibus) sint effectus amoris venerei, ut sint mortalia; sed sufficit, quòd ex se sint initia quædam libidinosæ commotionis, seu quantùm ex se illius provocativa, sive hoc actu prævisum fuerit, sive prævideri potuerit, ac debuerit. Ibid. n. 87. & 88.

Et ita juxta Scripturam & Patres tenendum est in praxi, quidquid sit de speculatione requirente ut fiant ex complacentia circa cogitatum opus venereum. Cùm speculatio ista in praxi sit periculosa; eò quòd in natura corrupta maximum sit pondus latentis concupiscentiæ carnalis. Ibidem.

P.

PECCATUM.

OMnia ad peccatum spectantia sufficienter habentur in Indice capitum Tomi 1. l. 10. p. 1. à cap. 1. usque in finem. Sicut & p. 2. & 3. per totas. Et p. 4. à cap. 5. usque in finem.

PENSIO.

Pensio est jus percipiendi fructus ex alienato beneficio Ecclesiastico. To. 2. pag. xcv. n. 577.

Solus Papa, non Rex aut Princeps, per se loquendo, beneficiis pensiones imponere potest. Ibid. n. 578.

Quicumque pensionem recipit, ante confirmationem Papæ, tenetur ad restitutionem, cessatque ipsi pensio. Ibid.

Episcopis Papa permittit impositionem pensionis, 1°. ob paupertatem & senium resignantis beneficium. 2°. ob compositionem in lite. 3°. ob inæqualitatem fructuum, in beneficiorum permutatione. Ibid.

Pensio esse debet moderata, nec beneficiis imponi potest, nisi excedant valorem 100. ducatorum, nec excedere tertiam partem omnium fructuum, nisi Papa in majorem consentiat. Ibid.

Pensionarius non tenetur ad Horas, sed ad Officium parvum B. Virginis. Nec pensionem vendere potest, absque licentia Papæ; nec illam cum beneficio commutare. Ibid.

Pensionem tamen de consensu beneficiarii quinque annatis redimere potest, per istamque summam eam extinguere, modò in resignatione, vel cessione pactum non intervenerit de redimendo. Ibid.

POENITENTIA VIRTUS, EJUSQUE NECESSITAS.

Pœnitentia est virtus, quâ peccatum commissum, quatenùs est offensa Dei, cum pio animi dolore, peccator odio habet, ac detestatur, illudque punire efficaciter intendit, ad reparandam injuriam Deo factam per peccatum. To. 3. pag. 413. n. 1355.

Ex proprio fine pertinet ad justitiam. Quamvis & ad alias pertineat virtutes, si ex earum motivo imperetur, v. g. ad castitatem, si de commissa quis fornicatione doleat, quia in se violavit castitatem; ad charitatem, si doleat quia Deum offendit, &c. Pag. 414. n. 136.

Tanta est necessitas ipsius, ut Salvator dicat, *nisi pœnitentiam egeritis*, &c. Sine voto tamen Sacramenti Pœnitentiæ, per virtutem pœnitentiæ, peccata modò non remittuntur. Pag. 417. n. 1378.

Nullum est peccatum tam grande, quod per pœnitentiam dilui non possit. Pag. 414. n. 1364. & seqq.

Peccata remissa per pœnitentiam, per subsequens peccatum non reviviscunt. Pag. 415. n. 1367. & seqq.

Merita per mortale peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscunt. Ibid. n. 1371. & seqq.

An reviviscat ut secundùm omnem suæ bonitatis ac merjti gradum? Incertum est. Pag. 416. n. 1377.

Reliqua ad virtutem Pœnitentiæ pertinentia vide verbo *conversio*.

POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

Vide in Indice Capitum Tomi 3. à capite 136. ad 269. inclusivè.

PERJURIUM.

Jurare id quod falsum quis arbitratur, v. g. se non fecisse, quod scit se fecisse, perjurium est, nec per restrictionem mentalem à mortali excusabile. To. 2. pag. cj. cij. ciij. civ. cv. cvj. cvij. cviij.

Perjurus est, qui alio sensu à se intellecto jurat, quàm eo quem postulat intentio exigentis juramentum, quemque legitimus, naturalis & obvius verborum sensus præ se fert. Pag. cvj. & cvij. n. 72. & seqq.

POLYGAMIA.

Est contra primævam matrimonii unius cum una institutionem. To. 3. pag. 688. n. 134.

Contra eam Lamech peccavit. Ibid. n. 135.

Ad eam Christus matrimonium reduxit. Idcòque modò est contra legem divinam. Tametsi Patriarchis ante Christum divinâ concessione permissa fuerit, ad multiplicationem populi Dei. Ibidem.

PRIVILEGIUM.

Privilegium est constans & durabilis gratia, alicui personæ vel Communitati particulari concessa, contra vel præter jus commune. To. 2. pag. 49. n. 320.

Acquiritur vel expressâ Principis concessione, vel consuetudine à Principe saltem tacitè probatâ. Pag. 50. n. 330.

Confessarius validè absolvit in vim privilegii à se ignorati (dummodò intendat absolvere) si verè concessum sit particulari Communitati (cujus est membrum) ab eaque acceptatum. Pag. 51. n. 334.

Sic etiam is qui dispensationem super aliquo matrimonii impedimento petit, si eâ impetrâ illud contrahat, licèt impetrationem ignoret, validè contrahit. Ibidem n. 333. Et dispensatione obtentâ & acceptatâ à Titio, volente matrimonium inire cum Caja, valet matrimonium, etiamsi Caja impetrationem ignoret. Ibid. n. 335.

Sola illa Regularium privilegia per Tridentinum sublata non sunt, quæ sunt expressè per *Tridentinum* revocata per clausulam, *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, &c. sed & alia omnia Decretis Tridentinis contraria, quibus adjecta non est illa clausula. Ibid. n. 338. & seqq.

PROMISSIO.

Est gratuita fidei obligatio, deliberatè alteri facta, de re possibili & licita. Tom. 2. pag. 412. n. 459.

In materia gravi, obligat sub gravi, si sit acceptata. Pag. 413. n. 463.

An obligatio ista sit justitiæ, an solius fidelitatis & veracitatis? controvertitur. Saltem in vim illius promissarius non acquirit jus tam strictum, quin facilius extingui possit, v. g. ob ingratitudinem ipsius. Ibid. n. 463.

Promissiones omnes ob causam ex se turpem, irritæ sunt & nullæ ex se, sive ante, sive post pactatum opus turpe. Pag. 414. 477. & seqq.

Opus itaque per se malum, v. g. usus corporis fœminæ extra matrimonium, iniquum Advocati consilium, sententia Judicis injusta, &c. nec pretio dignum æstimari potest, nec proinde vendi. Pag. 415. 416. n. 479. & seqq.

Mercedem tamen acceptam meretrix retinere potest, non vi promissionis, sed legis, dominium illius ipsi concedentis, in pœnam seu mulctam flagitiosè promittentis. Pag. 416. n. 489.

Promissor etiam ducere tenetur puellam, à se sub matrimonii promissione defloratam, non in vim promissionis, sed in vim consuetudinis, vim legis habentis jure gentium, introducto ob publicum bonum, cujus interest ne tales puellæ maneant innuptæ. Pag. 417. n. 491.

PURGATORIUM.

Gravior est purgatorii pœna, quàm quidquid potest homo pati in hac vita. S. Augustinus. *Momentum ipsius pœnæ videntur mille anni.* S. Laurentius Justinianus: *Tormenta omnia à SS. Martyribus tolerata, horum* purgatorii supplicio rum respectu *sunt instar roris amœnissimi.* S. Maria Magdalena de Pazzis. To. 3. pag. 577. n. 2470.

Peccator ergo, nolens hic satisfacere, sed in purgatorio, in seipsum crudelis est, & in misericordiam Dei videtur blasphemus. Ibid.

Q.

QUIETISTÆ.

QUietistarum errores confutantur. To. 1. pag. 235. & To. 2. p. 219. 220. 221. Necnon Pag. ix.

R.

REGULARES.

ABsolvere non possunt à casibus sibi ab Episcopo reservatis, absque ipsius licentia. To. 3. pag. 612.

Nec in foro conscientiæ uti privilegiis suis, per Concilium Tridentinum expressè revocatis. To. 2. pag. 51. n. 336.

RELIGIO.

Est virtus, quâ Deo, tamquam rerum omnium principio, debitus exhibetur cultus. To. 2. pag. v.

Proprii actus ipsius sunt devotio, oratio, adoratio, sacrificium, votum, juramentum, &c. Ibidem.

De oratione vide verbo *oratio*. De juramento, verbo *juramentum*. De voto, verbo *votum*.

Adoratio ample accepta est veneratio quæcumque alteri exhibita, in testimonium excellentiæ ipsius. Hoc modo Abra-

lam adorasse legitur filios Heth, Judith Holofernem, propter excellentiam utique civilem. Minus amplè, est veneratio propter excellentiam spiritualem; quomodò Abdias Eliam, Josue Angelum adoravit. Pag. vij. n. 32.

Et ista dividitur in *duliam*, quâ Sanctos velut Dei amicos; *hyperduliam*, quâ Deiparam; & latriam, quâ solum Deum, ut supremum Dominum nostrum, infinitè perfectum & excellentem, adoramus. Ibidem.

Externa adoratio, sine interna, non est viva & vera, sed mortua, sicut corpus sine anima. n. 33.

Devotio est pius & humilis affectus erga Deum. Vel, ut S. Thomas, est prompta voluntas debitè peragendi ea quæ ad Dei cultum pertinent. Unde non consistit in sensibili gustu, & teneritudine cordis; sed in prompta illa voluntate, pioque & humili affectu, plerumque in fundo cordis latitante absque ullo sensibili gustu, imò cum ariditate & tædio. n. 35.

Cùm *sacrificium* sit oblatio rei sensibilis, cum illius immutatione, Deo legitimè facta in recognitionem supremi dominii ipsius; & talem oblationem Christus fecerit in ultima Cœna; & à Sacerdotibus jugi observantiâ fieri præceperit; in ultima illa Cœna Christus Eucharistiam instituens, verum instituit, & à Sacerdotibus in Missa offertur sacrificium Eucharisticum. To. 3. pag. 185. n. 802. & seqq.

VITIA RELIGIONI OPPOSITA.

Religioni duo opponuntur vitia, unum per excessum, scilicet superstitio; alterum per defectum, nempe irreligiositas. To. 2. pag. lxv. n. 388.

Superstitio est inordinata religio, sive virtus, quo cultus divinus exhibetur ei, cui non oportet, vel Deo aliter quàm oportet. n. 389.

Unde superstitio dividitur in eam quæ veri, & alteram quæ falsi est Numinis. Ibidem. Ubi & superstitionis veri Numinis modi varii declarantur.

Superstitionis falsi Numinis tres sunt species, idololatria, divinatio, & vana observantia. Pag. lxvj. n. 392.

Irreligiositas est irreverentia erga Deum, reique sacras. Sub ea comprehenduntur tentatio Dei, sacrilegium, blasphemia, simonia & perjurium.

Idololatria, quantum est ex parte peccati, peccatorum omnium gravissimum est. Ibidem n. 394.

Gravissimè peccant divinatores, magi, fortilegi, eosque consulentes, & operâ eorum utentes. Ibid. n. 397. & seqq.

Hoc faciunt, qui in morbis, vel jactura rerum, opem petunt ab iis; qui cùm nec sancti sint, nec scientiâ naturali extraordinariâ præditi, ipsos extraordinariè juvare non possunt, nisi dæmonis ope. Pag. lxvij. n. 398.

Ne ad tollendum quidem maleficium fas est ad ipsos recurrere, nec ad divinatores, ut ab ipsis sciatur aliquid futurum. Ibid. n. 401. & seqq.

Vana observantia est superstitio, quâ ex signis vanis, id est ad effectus expectatos, nullam ex naturâ suâ, neque ex institutione divina virtutem habentibus, certò expectantur tales effectus, ut scientia absque studio; fanitas ex signis vel characteribus; vanus futuri eventus ex fastorum vel infastorum dierum observatione. Pag. lxix. n. 414.

Præcipua superstitionis malitia petitur ex pacto explicito, vel implicito cum dæmone. Et propterea Confessarius illicò absque alio examine, judicare non debet mortaliter deliquisse eum, qui absque hujusmodi pacto aliquam ex dictis vanis observantiis commisit; quia aliqui ex ipsis per simplicitatem & bonam fidem à mortali excusari possunt, si nunquam audierint, talem actionem velut superstitiosam à viris doctis condemnari.

Tentat Deum, contra reverentiam divinæ Majestati debitam, qui experimentum de divina aliqua perfectione, v. g. justitiâ, potentiâ, &c. extra ordinarias Dei leges, citra justam causam, audaci præsumptione capere vult, vel auxilium à Deo temerè expectare. Pag. lxxj. n. 427.

Blasphemia est injuriosa locutio in Deum, vel Sanctos. Ibid. n. 428.

Aliquando fit per modum enuntiationis, Deo (vel Sancto) tribuendo defectum, vel negando perfectionem. *Deus est crudelis, non est justus*, &c. Aliquando per modum execrationis, *maledictus sit Deus, pereat Deus*. Aliquando per modum dubitationis, *si est Deus, si est justus*. Aliquando per modum irrisionis, ut cùm Judæi dixerunt, *vah! qui destruis templum Dei*. Aliquando per modum simplicis irreverentiæ, ut cùm aliquid Deo conveniens cum irreverentia profertur, ut jurando *per caput, per ventrem, per sanguinem Dei*. Ibidem.

Blasphemiæ reus, absque gravissima pœnitentia, severo Confessarii judicio injuncta, non est absolvendus. Pag. lxxij n. 431.

Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacræ, vel personæ sacræ, vel loci sacri. Pag. lxxiij. n. 437. & seqq.

Indignitas illa tunc accidit, quando aliquid fit contra reverentiam ipsis debitam, sive contra id, ad quod sanctificata seu Deo consecrata sunt. n. 441.

De perjurio vide verbo *perjurium*. De simonia infrà verbo *simonia*.

RESTITUTIO.

Spectantia ad restitutionem sufficienter habentur in Indice capitum Tomi secundi, à cap. 102. ad 153. inclusivè.

RESTRICTIO MENTALIS.

De ea suprà verbo *juramentum*.

REUS.

Reus in judicio criminali justè interrogatus, fateri tenetur crimen à se verè commissum, etiamsi pro eo confesso sit morte plectendus. To. 2. pag. ccxxviij. n. 117. & seqq.

S.

SACRAMENTUM.

Vide in Indice capitum Tomi 3. à cap. 1. usque ad finem libri primi.

SATISFACTIO.

Necessaria est, ad satisfaciendum divinæ justitiæ, nec solùm ad remissionem pœnarum temporalium, sed & (in voto saltem) ad remissionem mortalis culpæ, pœnæque æternæ. To. 3. pag. 576. n. 2461.

Satisfactio pro peccatis divinæ est institutionis, non humanæ usurpationis. Pag. 576. n. 2464. Non solo proinde jure humano, sed divino necessaria est. Pag. 575. n. 2467.

Absolvi non potest pœnitens, satisfacere nolens in vita, sed in Purgatorio. Pag. 576. n. 2468.

Magnis saltem peccatoribus, in periculo mortis significanda est satisfactio, quam implere debeant, si evaluerint. Pag. 575. n. 2455.

Nimis laxa videtur opinio, dicens, pro uno mortali ordinario, justam, seu proportionatam satis pœnitentiam esse coronam quinque decadum. Pag. 590. n. 2563. & seqq.

Pœnitentia, per se loquendo, imponenda est pro criminum gravitate & multitudine. Ibid. n. 2566.

Pœnitentiæ esse debet idonea ad consequendos fines, propter quos necessaria est, videlicet 1°. ad commissorum peccatorum castigationem. 2°. ad hoc ut à peccato revocet. 3°. ut vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actibus tollat. 4°. ad amovendam imminentem à Deo pœnam. 5°. ut dùm satisfaciendo patimur pro peccatis nostris, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficiamur. Ibid. n. 2568. & seqq.

Pœnitentia imposita, juxta Sanctorum Theologiam, peccatis ex adverso correspondere debet. Pag 592. n. 2587. & seqq.

Pœnitentiam gravem, à Confessario pro mortalibus impositam, pœnitens, si verè pœnitens est, sub mortali acceptare tenetur; imò ampliorem peragere, si leviorem Confessarius imposuerit. Pag. 594. n. 2596. & seqq.

Pœnitentiam ab uno Confessario impositam, alius Confessarius mutare non potest, nisi causâ cognitâ, & graves ob causas. Pag. 595. n. 2600.

SIGILLUM CONFESSIONIS.

Semper est gravissimum mortale peccatum; etiamsi nonnisi venialia confessa revelentur. To. 3. pag. 627.

Illud non violat Confessarius, nec secretum prodit, absolutionem negando quibus oportet, vel differendo, ad hoc ut pœnitens ad eam, & ad S. Communionem se disponat per dignos pœnitentiæ fructus. Ibid. n. 2858. & seqq.

Sigilli confessionis obligatio oritur ex omni & sola confessione sacramentali, saltem inchoata, etiamsi absolutio, ob defectum sufficientis doloris vel propositi, secuta non fuerit. Ibid. n. 2864. & seqq.

Sigillo obligantur 1°. Confessarius. 2°. omnes qui casu, vel ex industria confessionem audierunt. 3°. interpres. 4°. Superior à quo pœnitens, per se, vel per Confessarium petit facultatem pro reservatis. 5°. Consiliarius, quem Confessarius de licentia pœnitentis consulit. 6°. Laïcus, vel Clericus, qui finxit se Sacerdotem, cùm non esset. 7°. qui invenit legitque chartam, in qua pœnitens scripserat confitenda peccata. Pag. 628.

Sigilli materia sunt directè quidem peccata confessa, indirectè etiam illa per quæ pecca a deprehendi possent: sicut & peccatum complicis, vel aliorum, à pœnitente imperito narratum. Ibid. n. 2868.

Illicitus est extra confessionem omnis usus scientiæ confessionis, per quem confessio redderetur odiosa, vel caussatur pœnitenti aliquod gravamen, vel incommodum, confessioni extrinsecum. Pag. 629. n. 2878. & seqq.

Confessarius summâ cautelâ abstinere debet à narratione auditorum in confessione, sive in suggestu, sive in familiari colloquio, ob frequens periculum violandi sigillum. Pag. 626. n. 2854.

SIMONIA.

De ea vide Indicem capitum Tomi 2. lib. 10. p. 1. à cap. 55. ad 62.

SFONDRATUS.

De Eminentissimo Sfondrato Cardinale, doleo quòd to. 1. 9. sub finem, & lib. 10. p. 3. c. 9. novitias aliquas opiniones ipsius, ex *Nodo dissoluto* excerptas, fortè videri possem acriùs perstrinxisse. Hoc, ob tanti viri reverentiam, correctum volo, correctamque & deletam censuram omnem, ac notam, siqua fortassè inadvertenter ac præter intentionem in fervore disputationis (pro tuenda Augustini doctrina) exciderit. Nam reverà sic excidit, si excidit. Omnem proinde istius libri censuram ad S. Sedem (ad quam causa ista delata est) submississimè remitto. Neque enim æquum est judicium ipsius à privatis Scriptoribus præveniri.

SOCIETATIS CONTRACTUS.

Societas est conventio duorum, vel plurium, de contribuendo aliquid pretio æstimabile, in commune lucrum & damnum, pro rata. To. 2. pag. 464. n. 867.

Justa non est societas, cum pacto, ut capitale salvum sit pecuniam conferenti, ac nihilominùs lucrum communiter dividatur. Pag. 465. n. 874. & seqq.

Nec licitum est, contractui societatis cum eodem socio adjicere duplex aliud pactum, assecurationis sortis, & venditionis lucri incerti pro certo. Ibid. n. 877. & seqq. usque ad n. 914.

Variorum, de societate animalium, casuum resolutionem vide pag. 471. & seqq. Varias quoque regulas divisionis, in fine societatis faciendæ, dum sociorum alter operam, alter pecuniam confert, vide pag. 475. & 476.

SPES.

Spes est virtus Theologica, per quam certa cum fiducia, nostræ salutis & æternæ vitæ bona per divinum auxilium consequenda expectantur. To. 2. pag. 215. n. 1.

Nascitur ex amore Dei, ut summi boni nostri. Ibid. Differt nihilominùs à charitate, quòd charitas sit formaliter amor, spes verò non formaliter amor, sed fiducia expectans objectum suum, sperantis absens, per media ardua & difficilia infirmitati nostræ; fiducia (inquam) innixa super infinita Dei misericordia, & auxiliatrice omnipotentia; quæ profectò fiducia non est amor, sed magnanimitas, & generosa quædam audacia sancta. Charitas verò est amor Dei, quatenùs ex se, cum omnibus perfectionibus suis, summi boni nostri, abstrahendo an præsens sit, an absens, an possessum, an possidendum, an difficulter, an facilè possidendum. Pag. 223.

Spei certitudo fundatur in objecto suo formali, Dei utique misericordia, auxiliatrice omnipotentia, & fidelitate in promissis. Pag. 224. n. 40.

Certitudo tamen ista non est absoluta, sed conditionata, si mandata perseveranter servemus. Et ideò non est absque omni timore, nec omnimodam præstat securitatem. Ibid. n. 41.

Datur spei, sicut fidei & charitatis, speciale præceptum, obligans ad spei actus tam frequenter eliciendos, ut Christianus per spem, sicut & per fidem & charitatem, divinæ Majestati morali quodam modo semper adhærere censeatur. Pag. 224. n. 48. 49. 50.

Contra spem peccatur excessu per præsumptionem, defectu per desperationem; sed per hanc rarius. Pag. 225. n. 56. & seqq.

A peccato præsumptionis immunes non sunt, qui in impœnitentia ad finem vitæ perseverant, fidentes in aliquo aridi cordis obsequiolo, per quod pœnitentiam in fine vitæ, veniamque per interc essionem B. Virginis sibi pollicentur. Pag. 226. n. 59.

SPONSALIA.

De iis satis in Indice capitum Tomi 3. lib. 8. p. 1. à cap. 1. ad finem.

T.

TESTAMENTUM.

Vide Indicem capitum Tomi 2. l. 9. à cap. 92. ad 100.

THESAURUS.

Thesauri, seclusâ lege positivâ, toti sunt inventoris; sed aliter legibus civilibus dispositum est. To. 2. pag. 362. n. 84. & seqq.

TONSURA CLERICALIS.

Præparatio & dispositio ad illam requisita explicatur. To. 2. pag. lxxxix. n. 552. & seqq.

Mortale censent Doctores gravissimi, Tonsuram, non eo quo oportet animo, nec debita cum dispositione suscipere, sed, eâ neglectâ, nihil aliud intendere, nisi vel à Laicali se jurisdictione eximere, vel ad capessenda beneficia Ecclesiastica, seu eorum potiùs fructus & honores, habilem reddere. Ibid.

V.

VAGI.

VAgi, qui fixum nullibi domicilium habent, tenentur legibus particularibus locorum per quæ transeunt. To. 2. pag. 32. n. 205.

VENATIO.

Jure Canonico, venatio, saltem frequens, cumque armis & strepitu canum, interdicta est Clericis. To. 2. pag. 362. n. 82.

Etiam Laïcis per varia Concilia prohibetur die festo. Pag. cxix. n. 6.

Fera à venatore sic vulnerata, ut eam capturus sit, injustè ab altero ipsi præripitur, dum eam persequitur. Pag. 360. n. 78.

Nec ideò venator acquirere desinit dominium illius, quòd eam ceperit venatione per Edicta Principum interdictâ. n. 80.

VOTUM, ET STATUS RELIGIOSUS.

Vide in Indice capitum Tomi 2. lib. 10. p. 1. à cap. 32. ad 49.

USURA.

Vide ibidem lib. 9. à cap. 23. ad 41.

FINIS INDICIS.

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

Fr. Angelus de Cambolas S. Theologiæ Magister, ac Humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de Monte-Carmelo Antiquæ Observantiæ Regularis.

AUthoritate nostrâ tenore præsentium Tibi Reverendo admodùm Patri Henrico à sancto Ignatio Ex-Vicario Provinciali Wallo-Belgii, quantùm ad Nos spectat, facultatem facimus Typis mandandi Opus, cui titulus: *Theologia Sanctorum circa universam morum doctrinam*, si luce dignum fuerit judicatum à duobus nostri sacri Ordinis Theologis, vel Doctoribus, servatis aliàs de jure servandis. Horum fide, &c. Datum Romæ in Conventu S. Mariæ Transpontinæ die 5. Julii 1704.

Fr. ANGELUS DE CAMBOLAS, Generalis Carmelitarum.

Locus (✠) sigilli.

Fr. FRANCISCUS PAULUS QUARANTA, Secr. Ordinis.

Facultas V. Provincialis Carmelitarum per Wallo-Belgium.

OPus inscriptum, *Theologia Sanctorum*, &c. studio ac indefesso labore admodùm Reverendi Patris Henrici à sancto Ignatio Ex-Vicarii Provincialis, ac sacræ Theologiæ Professoris emeriti, necnon in Ordine nostro Jubilarii, digestum & concinnatum, vel, ex ipso titulo, adeo luculenter commendatur, ut vix aliâ commendatione videatur indigere. Enimverò titulus iste non est inanis & vacua magni nominis umbra, sed veritas perspicuis in Opere Sanctorum testimoniis comprobata. Porrò si *Theologia Sanctorum est*, doctrina ibidem tradita & sana & sancta est. Unde ut aliis prosit, libentissimè facultatem nostram impertimur, ut ista *Theologia Sanctorum* prælo data publici juris fiat: dummodò per duos Theologos Ordinis nostri fuerit examinata & approbata, servatis aliàs de jure servandis. In quorum fidem præsentes Officii nostri sigillo munitas dedimus in Carmelo nostro Marchiensi die 21. Decembris 1706.

Fr. FLORENTIUS A SANCTO HENRICO, V. Provincialis Carmelitarum per Wallo-Belgium.

Locus (✠) sigilli.

Fr. PACIFICUS A S. PHILIPPO, Assistens.

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs infrascripti, ex Commissione Reverendissimi Patris Generalis, magna cum attentione, parique animi oblectatione perlegimus Opus inscriptum: *Theologia Sanctorum circa universam morum doctrinam*, &c. per Reverendum admodùm Patrem Henricum à sancto Ignatio Ordinis Fratrum B. V. M. de Monte Carmelo Exprovincialem, nuper Commissarium Generalem, S. Theologiæ Professorem emeritum, &c. in eoque nihil reperimus à fide & bonis moribus devium, sed doctrinam Catholicæ Religioni, tutissimorum Augustini & Aquinatis dogmatum veritati, Christianique hominis sanctitati & dignitati consentaneam, utpote depromptam ex sacræ Scripturæ oraculis, sanctorumque Patrum sententiis, quas Author omnigenâ eruditione, copioso solidarum rationum agmine, miraque terminorum claritate sic illustrat, ut omnis Amator veritatis hîc inventurus sit plurima ad excitandum pietatis studium, plurima ad bonos mores promovendos, plurima ad Concionatorum, Confessariorum & Pastorum institutionem maximè utilia. Quapropter Opus hoc laude luceque dignum (salvo meliori) censuimus in Carmelo nostro Xhavensi die 8. Junii an. 1707.

Fr. MARCELLINUS A S. THERESIA, Definitor, ac S. Th. Professor.

Fr. HENRICUS A S. THERESIA, S. Theol. Professor.

Approbatio Sapientissimi Domini Arnoldi Eyben, Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis Canonici Theologalis, & Thesaurarii, Archipresbyteri Ruralis, ac Librorum Censoris.

CHristianis præcipit S. Joannes Epist. 1. c. 2. ut in eo, quod audierunt, firmi permaneant, quo & ipsi in Patre, & Pater in ipsis maneat. Communis hic Prophetarum & Apostolorum sensus est, qui in veteri & novo Testamento nihil severiùs vetant, quàm ne ab antiquis viis recedamus, transcensisque Patrum limitibus patiamur nos doctrinis variis & peregrinis obduci, ac profanis vocum novitatibus captari. Hinc Theologia ad illud lumen applicare se debet, quod à Christo Ecclesiæ collatum, perpetuâ Patrum traditione continetur, iisque doctrinæ & pietatis christianæ fundamentis insistere, quæ à sanctis Patribus quasi manu tradita per tot ætatum decursus Ecclesia accepit, sicut ea Patrum Antiquissimi ab Apostolis, Apostoli à Spiritu sancto, Spiritus sanctus à Filio, Filius à Patre acceperat. Hâc regulâ semper est usa Ecclesia ad corruptelas erroresque ac nova humani ingenii commenta extirpanda, quibus hominum improbitas vel insciția sanctissimam Christi doctrinam depravare conata est. Hâc S. Augustinus Pelagianos convincit, cùm productis contra eos aliquot Patribus, *quod*, inquit, *invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Hujus regulæ præsidio utitur Gregorius VII. dum ait: *Ad sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostrâ statuentes: sed primam & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam & tritam Sanctorum viam relicto errore repetendam & sectandam esse censuimus. Nam*, teste Gregorio Magno, *tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cùm exempla Patrum precedentium indesinenter intuetur, cùm Sanctorum vestigia sine cessatione considerat.* Proinde publicam lucem meretur, & plurimùm commendanda est hæc *Theologia Sanctorum*, quæ ex sanctis Doctoribus, ac præsertim ex tutissimis & inconcussis sanctorum Augustini & Thomæ dogmatibus præclarè ostendit, qualem esse oporteat vitam christianam, quàmque ab Evangelii regulis, & doctrina Sanctorum aberret novitia doctrina complurium Casuistarum. Dabam Antuerpiæ hâc 28. Januarii 1709.

ARNOLDUS EYBEN, Cathed. Antuerpiensis Canonicus Theologalis, Librorum Censor.

Approbatio Reverendi Domini Joannis Le Beau Examinatoris Synodalis.

HÆc *Theologia Sanctorum* secundùm nominis excellentiam procedit, dum exhibitas à Sanctis veritates, & velut stellas in Ecclesiæ Firmamento positas, educit è nebulis, quas variæ Quorumdam opiniones obtenderunt. Hinc in caliginoso deficientis hujus sæculi tempore, eidem tamquam lucernæ benè facient attendentes, studiosi quicumque veritatis Amantes, atque spes est quòd non tantùm inde lucebunt, sed & sic ardebunt, ut flammescat igne charitas, accendat ardor proximos, eosque per semitas justitiæ deducat ad æternæ Veritatis fruitionem. Proinde sub beneplacito Superiorum, jure prodibit in publicum. Dabam 16. Octobris 1699.

JOAN. LE BEAU, S. Adalberti Leodii Curio-Decanus, Exam. Synod.

Permissio Ordinarii.

PLacet imprimatur. Hâc decimâ-septimâ Octobris 1699.

GUIL. BERN. DE HINNISDAEL, Coadministr. & Vic. Gen. Leod.

ERRATA POTIORA.

Littera P paginam, C columnam, L lineam, Littera Italica correctionem indigitat.

P. 11. C. 2. L. 6. facta, *factæ*. P. 14. C. 2. L. 55. post *neque*, adde *ordinatur*. P. 15. C. 1. L. 21. eum ad, *ad eum*. Ibid. C. 2. L. 39. ex scientia, *cum scientia*. P. 28. C. 2. L. 27. certum sit, *certum plerisque videatur*. P. 52. C. 2. L. 13. coactio, *contra*. Et L. 19. concio, *coactio*. P. 89. C. 1. L. 45. Arcadius, *Arcudius*. P. 101. C. 2. L. 2. dele *sed*, post tametsi adde *etiam*. P. 116. C. 2. L. 29. dele *suæ*. P. 121. C. 1. L. 62. contenta, *contentam*. P. 163. C. 1. L. 39. *fornicationeque*, adde *&*. Ibid. C. 2. L. 3. lapsis, *lapso*. P. 272. C. 2. L. 32. fringum, *fungum*. P. 275. C. 1. L. 11. conferret, *differret*. P. 281. C. 1. L. 20. quatriduam, *quatriduani*. P. 283. C. 1. L. 12. hom. l. 2. *hom. 2. in*. P. 289. C. 2. L. 41. impetrate, *impetrat*. P. 306. C. 2. L. 22. obligationum, *oblationum*. P. 310. C. 1. L. 21. post *neque* adde *enim*. P. 324. C. 2. L. 42. Eubolius, *Echebolius*. P. 328. C. 2. L. 62. suffocationes, *suffocantes*. P. 334. C. 2. L. 55. quinquaginta, *quadraginta*. P. 337. C. 1. L. 47. dele *& quinquagesimum quartum*. P. 338. C. 1. L. 23. laudantes, *laedentes*. P. 362. C. 2. L. 36. actus, *contractus*. P. 371. C. 1. L. 43. iejuniorum, *absque jejuniorum*. P. 386. C. 1. L. 53. post *novissimi*, adde *cap. 11. laudati*. P. 390. C. 2. L. 10. desinere, *definire*. P. 452. C. 1. L. 18. attritio, *contritio*. P. 453. C. 1. L. 1. sit ut, *sic ut*. P. 459. C. 1. L. 70. in fin. dele *non*. P. 461. C. 2. sub fin. Andomarensis, *Audomarensis*. P. 463. C. 1. L. 60. Fascanarius, *Fuscanarius*. P. 469. C. 1. L. 65. dilectionem, *charitatem*. P. 478. C. 1. L. 6. lege sic, *sed licèt in Summa*. P. 484. C. 2. L. 56. proter, *propter*. P. 485. C. 1. L. 24. antiquam esse, *antiquam non esse*. P. 486. C. 2. L. 10. grandissima, *gravissima*. P. 512. C. 1. L. 7. post *regulas* adde *tradit*. P. 523. C. 2. L. 62. Cabilonensis, *Catalaunensis*. P. 527. C. 1. L. 66. dele *è Societate*. P. 533. C. 2. L. 48. si amor, *si omnis amor*. P. 544. C. 1. L. 69. dele *cap. præcedenti*. P. 552. C. 1. L. 10. & 12. absolutio, *oblatio*. P. 557. C. 1. L. 42. quia, *cùm*. P. 580. C. 2. L. 35. 1705. 1075. P. 586. C. 2. L. 27. obligant, *alligant*. P. 588. C. 2. L. 56. defectus itaque, seu omissio, *praxis itaque seu usus*. P. 592. C. 1. L. 66. peccaverit, *pejeraverit*. P. 600. C. 1. L. 47. Pontificialibus, *Pontificalibus*. P. 608. C. 2. L. 48. 1643, 1648. P. 618. C. 1. L. 43. caput, *capite*. P. 627. C. 1. L. 35. sancta, *stricta*. P. 650. C. 1. L. 63. post *sed una*, adde *Ecclesiæ*. P. 652. C. 1. L. 58. cui si adscribatur, *quam si deseruerit*.



HE[illegible]PICIA[illegible]
[illegible]N. TOM. III.

Th
443a


D·V·3ª
THEOLOGIA·
Sanctorum
Tom III